UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Omnia Divini Platonis Opera

Plato

Basileae, 1551

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-245

Visual Library




5 Mark

Ex mya'o Deyppel. 22. Julii 1813

Plato natus mense Majo 429 ante Christum natum. Olympiade 87. 3.
obiit mense Majo. 347. Olympiade 108. 1.

Nochmahlst Plutarchs Geist, ihr, mir ein Freund Blick,
Einst Jüng die Lenzen Grimm und Lenobert;
Zweig der Natur, die zierlich, und mündersplendert.
Climb auf sein Gnaden zu rück.
Dort Freuden Freunde Jüng, die Habel zu zweitheilen
Mennit die Nacht den Lug zu mennd.
Ein Saumtod, mir Falten, mir Chaucty
Hell Künstler Nicht Frau Künden
Zinnober und gehobelt Land. Lindgr 3 Gnf. 416 Unrein



D1
795


OMNIA DIVINI

PLATONIS OPERA

TRALATIONE MARSILII FICI-

NI, EMENDATIONE ET AD GRAECVM CODICEM COLLA-

tione Simonis Grynæi, ſumma diligentia repurgata,
quibus ſubiectus eſt Index quàm
copioſiſsimus.



BASILEAE
AN. M. D. LI.

Rudolph Nagel stud. theol. ev. et philol. wohnhaft Bonn
Colleg von Hr. v. Ammon zum Mittagstisch 1838
Bonn d. 7 Januar 1839.

SIMON GRYNAEVS CANDIDO LECTORI S.

PRobare uehementer ſtudium conatusq; & pietatem Marſilij ſoleo, uiri meo quidem uidere optimi, qui ut philoſophiam nobis ueterem guſtandam præberet patefaceretq;, cum uires ſuas nõ ignoraret, nihil curauit de nomine & fama ſua quid fieret, modo ſtudijs & ueritati cõſuleret bene: cum qui propter utilitatẽ publicam ingenio cedere uelit, nullus facile reperiatur. Itaq; magnã gratiam manibus uiri debemus ob egregia merita. Ac dolet mihi quidem, delicijs literarum ineſcatos ſubito iam homines adeo eſſe, præſertim qui Chriſtianos ſe profitẽtur, ut legere niſi quod ad gulam facit, ſuſtineant nihil, unde & diſciplinæ & philoſophia ipſa iã ferè prorſus etiã à doctis negligantur. Quod quidẽ propoſitum ſtudiorũ niſi mature corrigetur, tam magnum rebus incommodũ dabit, quàm dedit barbaries olim. pertinax res barbaries eſt fateor, ſed minus poteſt tamen quàm illa perſuaſa prudentia literarũ, ſi ratione caret, ſapientiæ uirtutisq; ſpecie miſere mortales circũducens. Nihil enim pernicioſius eſt, quàm cum rerũ & uerborum ſtudia diuiduntur. Succedet igitur, ut arbitror, haud ita multo poſt, pro ruſticana ſeculi noſtri ruditate, captatrix illa blandiloquentia, robur animi uirilis omne, omnem uirtutem maſculam profligatura, niſi cauetur. Itaq; mihi libuit, eodẽ quo egregius ille uir, conſilio, translatione ipſius cum exemplari græco diligẽter collata, & pro uirili noſtra mẽdis omnibus iam recens per nos repurgata, Platonis philoſophiam q; latiſsime, quantum id per me quidem fieri poteſt, propagare. Nam ut iam olim, cùm Græcis Sophiſtis, uaniſsimo genere hominũ ſcateret, præſtigijs uerborum præcipuos mortaliũ paſsim ubiq; ad ſe trahente, lingua ſpiritu q; uenali opes ſibi conflante, & ſapientiæ nomen turpiter ſibi uendicãte, Socratis & Platonis grauiſsimis diſputationibus breui effectũ eſt, ut inaniſsimi homines innoteſcerẽt orbi: ſic puto ſolida earundem diſputationũ ui pulſulanti malo tempeſtiue occurretur. Vale lector, & philoſophare feliciter.

MARSILII FICINI FLORENTINI

IN LIBROS PLATONIS AD LAVRENTIVM

Medicem uirum magnanimum proœmium.

DIVINA prouidentia, fortiter attingens omnia, suauiterq; disponens, magnanime Laurenti, statuit, religionem sanctam nõ solum prophetis & Sibyllis, sacrisq; armare doctoribus, uerumetiam uia quadam, elegantiq; philosophia singulariter exornare: ut ipsa pietas omnium origo bonorũ, tam secura tandem inter omnes sapientiæ & eloquentiæ professores incederet, quàm tuta penes domesticos conquiescit. Oportebat enim religionẽ (quæ unica est ad felicitatem uia) non rudioribus tantum hominibus, uerumetiam peritioribus cõmunem fore. Qua quidem duce omnes ad beatitudinem, cuius gratia nati sumus, & ad quam consequendam communi studio laboramus, facilius tutiusq; peruenire possimus. Itaq; deus omnipotens, statutis temporibus diuinũ Platonis animum ab alto demisit, uita, ingenio, eloquioq; mirabili, religionem sacram apud omnes gentes illustraturũ. Cum uero ad hęc usq; secula sol Platonicus nõdum palam latinis gentibus oriretur, Cosmus Italiæ decus, & insignis pietate uir, Platonicam lucem, religioni admodum salutarem, à Græcis ad Latinos propagare contendens, me potissimũ intra suos lares plurimum educatũ, tãto operi destinauit. Ego autem & si à tenera ætate nominis Platonici cultor, rem tamẽ adeo grauem, non meis quidem, sed aui tui Cosmi prosperis auspicijs sum aggressus, sperans diuinam opem tam necessario, tamq; pio officio non defuturam. Hac ergo in primis spe ductus Academiã sum ingressus, decemq; ex ea Platonis nostri dialogos, Cosmo prius q̃ naturæ concederet, latinos feci. Post eius obitum patri tuo Petro præstantissimo uiro, dialogos nouem legendos dedi. Postq; uero Petrus è uita decessit, fortuna præclaris sæpe operibus inuida, inuitũ me à traductionis officio distrahebat. Verum tu et religionis cultor, & philosophiæ patronus, me ad inceptum omni fauore & auxilio reuocasti. Quamobrem ad institutũ munus felicibus iterum auspicijs sum regressus, neq; traduxi tantum, uerumetiam partim argumentis mentem perstrinxi Platonicam, partim quoad potui breuibus cõmentarijs explicaui. Opus itaq; totum diuino auxilio iam absolutum tibi libentissime dedico. Ad quem illa etiam quæ maioribus tuis inscripta sunt, iure hæreditario pertinent, uirum profecto auitæ paternæq; in patria colenda uirtutis hæredem. Leges autem inter dialogos funebrem Platonis orationẽ pio fratri tuo Iuliano dicatam. Præterea ubi ad librum de Regno peruenieris, uidebis Fredericum Vrbinatem ducem eo die à me honoratum, quo ipse tuas ædes honorifice salutauit. Non solum uero septem atq; triginta libri, qui solo tuo insigniti sunt titulo, sed cuncti denicq; tui sunt, quandoquidẽ omnes tui gratia sunt absoluti, atq; ego sum tuus. Neq; uero me Platonicum in his libris stylum omnino expressisse profiteor, neq; rursus ab ullo, quamuis admodum doctiore unquam exprimi posse cõfido. Stylum inquã non tam humano eloquio, q̃ diuino oraculo similem, sæpe quidem tonantem altius, sæpe uero nectarea suauitate manantem, semper autem arcana cœlestia complectẽtem. Profecto quemadmodũ mundus tribus præcipue dotibus est munitus, utilitate, ordine, ornamento: atq; ex his diuinũ nobis testatur artificẽ: ita Platonicus stylus continens uniuersum, tribus potissimum abundat muneribus, philosophica sententiarum utilitate, oratorio dispositionis elocutionisq; ordine, florum ornamento poeticorũ, & ubiq; tum diuinis utitur testibus, tum etiam certissimum de architecto mũdi deo perhibet testimoniũ. Valeant igitur magnanime Laurẽti, ualeant procul omnes, qui minutissimas erudiendæ pueritiæ à Platone rationes efflagitant. Erudiant alij rudiores, & eruditi denicq; fores Platonicas adeant, inde non tam puerilia rudimenta, quàm diuina mysteria tandem reportaturi. Dixi modo Laurenti tandem. Nam Plato noster antequam diuina fundat oracula, ne sacra prophanis cõmunia fiant, audientium animos tripli ci paulatim ad summum calle perducit, purgatione, resolutione, conuersione. Quamobrem multa leguntur apud Platonem ad purgãdos perturbationibus animos pertinentia. Plura rursum ad soluendas mentes à sensibus. Plurima etiam ad conuertendas, tum in seipsas, tum in deum omniũ autorem, in quem ueluti solem rite conuersæ, optatis inde ueri

tatis radijs feliciter illustrẽtur. Interea Plato noster, dum occultis sæpe modis humano ge neri necessarium tractat officium, interdum iocari uidetur & ludere. Verum Platonici lu di atq; ioci multo grauiores sunt quàm seria Stoicorum. Neq; enim per humiliora quæ dã dedignatur alicubi peruagari, modo sensim auditores captans humiliores facilius ad excelsa perducat. Miscet frequẽter grauissimo quodam consilio utilia dulcibus, quo modestis sermonis blandi leporibus, animos natura proniores ad uoluptatem, per ipsam uo luptatis escam ad cibum alliciat salutarem. Fingit & sæpe fabulas more poetico: quippe quum ipse Platonis stylus, non tam philosophicus, quàm reuera poeticus uideatur. Furit enim interdum atq; uagatur, ut uates, & ordinem interea non humanum seruat, sed fatidicum & diuinũ: neq; tam docentis personam agit, quàm sacerdotis cuiusdam atq; uatis: partim quidem furentis, partim uero cæteros expiantis, & in diuinum furorem similiter rapientis. Fabulis uero inter hæc ob id potissimum uti uidetur: ut inter uarios Academiæ flores oblectentur quidem omnes, sed expiati duntaxat poma decerpant, uescantur suauius, facilius concoquant, perfectius nutriantur. Agit autem dialogis omnia: ut sermo uiuens, personas loquẽtes ante oculos ponat, persuadeat efficacius, & moueat uehementius. Accedit ad hæc quod amicos (ut par est) opportune dialogis suis honestat, facilius multos posteritati cõmẽdans. Præterea opiniones eadem de re diuersæ cõmodius dialogo recensentur. Mitto quòd dialogus mira quadam uarietate delectat, & attentione audientes detinet & legentes. Verum quidnam longius per minutiora quædam et humilio ra digredimur? Sophia magnanime Laurenti, quæ solo Iouis capite nata, ab initio cũ eo erat cuncta cõponens: patrem imitãs, ipsa quoq; filiam solo capite peperit, Philosophiam nomine, cuius deliciæ forent, esse cum filijs hominũ. Hanc igitur in terra quondã per uarias gentes peregrinantẽ excellentiora passim admirabantur ingenia. Quorum in numero Plato noster non solum admiratus est illam: sed & primus & solus ad summũ excoluit. Huic enim ille primus tanquã sacræ sacerdotia cinxit tempora mitra: prẽterea peplum induit, quod Augustam filiam Mineruæ decet; caput etiam manusq; & pedes suauiter redolentibus illiniuit unguentis. Denicq; solum ipsum quacunq; philosophicũ numen incederet, uarijs aspersit floribus, & ornauit. Talis erat, atq; etiam est huius diuæ intra limites Academię deambulantis habitus, talis ornatus. Quoties uero extra hortos Academicos peruagatur, non solum unguenta semper amittit & flores, sed etiam proh nefas, sæpe incidit in latrones, atq; amissis sacerdotij & grauitatis insignibus nuda passim, & quasi prophana pererrat, adeoq; deformis apparet, ut neq; Phœbo ulterius Mercurioq; suis familiaribus placeat: neq; insuper uel auo suo Ioui, uel Mineruæ matri probetur. Cæterum statim materno consilio intra parietes & hortos Academiæ sese recipiens, antiquũ resumit decus: & ibi uelut in patria libentissime requiescit. Quamobrem iuuat unà tecum Platonice Laurenti omnes, tum discendi, tum bene uiuendi cupidos, ad Academiã Platonicã cohortari. Hic enim iuuenes uel inter iocandũ præcepta morum, uel inter ludendum industriam differendi iucunde admodum & facile consequentur. Hic uiri etiam rei tum familiaris, tum publicæ disciplinã abunde perdiscent. Hic senes pro mortali uita, uitam sperabunt æternam. In Academiæ hortis poetæ sub lauris canentem Apollinem audient. In uestibulo Academiæ oratores spectabunt Mercuriũ declamantem: In porticu uero, et aula iurisconsulti ciuitatumq; gubernatores, Iouem ipsum auscultabunt, sancientem leges, iura dictantem, imperia gubernantẽ. In ipsis denicq; penetralibus, philosophi Saturnum suum agnoscent, cœlestium arcanorum cõtemplatorem. Vbicq; uero sacerdotes rerumq; sacrarum antistites arma reperient, quibus pietatem aduersus impios strenue protegant. Huc igitur, huc precor, omnes accedite, qui liberales colitis disciplinas, hic eas, & libertatem uitæ pariter adepturi: huc denicq; cuncti concurrite, quos assequẽdæ ueritatis, & cõsequendæ beatitudinis perpetuus ardor inflãmat: hic aspirante deo, ueritatem ad uotum, & felicitatẽ consecuturi. Verum iterum admonẽdi estis, ne temerè de rebus Platonicis, imò uero diuinis, feratis sententiã, sed longo & æquo examine iudicetis, neq; liuidam in eos censurã exerceatis, qui procul ab omni liuore uobis uigilant & laborant. Imò uero fauete libenter autori pio, fauete etiam traductori, non solum translatione uerborũ, sed explicatione sententiarũ communi omniũ utilitati pro uiribus consulenti. Nolite precor antiquam salutaremq; doctrinã, heu iamdiu nimis oppressam, nuper autem in lucem diuina

prouí-

prouidentia prodeuntem, insequi crudeliter & opprimere, ne forte quam deus omnipotens uult ubiq; uiuã, mortalis homo frustra perditã uelit. Dextera enim domini fecit uirtutem, dextera dñi iam exaltauit eam, non morietur, sed uiuet, & narrabit opera domini. Sed quonam optime Laurenti nos ingens in Platonem ac nescies tenere modum, raptauit amor? Num in Platonis causa declamauimus, oratoriæ facundiæ principis? Satis enim superq; ipse pro causa declamauerit, apud eos præsertim qui perturbationib. uacui, æquos se præstiterint auditores. Te uero in præsentia minime adhortabor, mirum in modum ad hæc omnia uoluntate propensum, ingenio promptum, studio eruditum. Sed optabo duntaxat, ut & legas feliciter, & felicissime uiuas, Marsilij tui memor. Dum uero Marsilium Ficinum nomino, Philippum quoq; Valorem Academicum nostrum intelligere pariter nominatum. Nam si Valor atq; Marsilius in Platone defendẽdo, & in te amando idem sunt, proculdubio inter se quoq; sunt idem. Valorem tibi Laurenti singularis sua uirtus probat, Platonicus honor laudat, incredibilis in te amor ualde commendat.

PLATONIS VITA ET PRIMO GENEALOGIA ET GENESIS.

PLATO Athenienſis Ariſtonis & Perictiones ſiue Potonæ filius à Neptuno genus utrinque ducit. Nam Solon à Nereo & Neptuno deſcendit. Solonis uero frater Dropides Critiam maiorẽ genuit: à quo Calæſcerus ortus duos habuit filios, Critiã ſcilicet minorem, qui unus ex triginta Athenarum gubernatoribus fuit, atq; Glauconem Charmidis & Perictinnes patrem. Perictione uero Ariſtoni nupta, Platonem peperit & Adimantum & Glauconem. Fœminam quoq; Potonam: quæ Eurymedonti nupta, peperit Speuſippum. Rurſus Ariſto Platonis pater à Codro filio Melanti deſcendit, cuius iterũ in Neptunum ſicut & Solonis originem referunt. Ferunt Athenis celebre eſſe, Ariſtonẽ Perictionæ cum eſſet ſpecioſiſsima congredi conatum eſſe. Verum fuiſſe illius conatus irritos, uidiſſeq; in ſomnis Apollinem, atq; ab eo iuſſum mundam à cõiugali copula quoad pareret, ſeruauiſſe. Quod & Laertius & Polycrates ſcribũt. Naſcitur Athenis uel in Aeginea à Troiæ captiuitate anno ſeptingenteſimo quinquageſimoſexto ab Vrbe condita trecenteſimotertio, ante Chriſti aduẽtum quadringenteſimo uigeſimotertio, Platonis Geneſim qualem adoleſcens audieram in libro de Amore ſignificaui: ſed nunc adducam qualem Iulius Firmicus Aſtronomus deſcribit. Cuius opinionem hac in re exiſtimo ueriorem'. Eſt autem eiuſmodi: In aſcendente aquario Mars, Mercurius, Venus. In ſecunda, Sol in piſcibus. In quinta, Luna in Geminis. In ſeptima, Iupiter in Leone. In nona, Saturnus in Libra. Hanc Geneſim Iulius Firmicus aſſerit ſignificare uirum, qui mirabili eloquentia polleat, cœleſtiq; ingenio ad omnia ſecreta diuinitatis accedat.

Plato ante Xpi aduentum natus 423.

EDVCATIO, INDOLES, ERVDITIO, SOBRIETAS PLATONIS.

FERTVR, cum in cunis eſſet, labijs infantis apes mel infudiſſe, eloquentiæ futuræ præſagium. Aiunt Socratem uidiſſe per ſomnium oloris pullum ſibi in gremio plumeſcere, qui continuo exortis pennis, expanſis alis in altum euolans, ſuauiſſimos cantus ediderit. Poſtridie quum à patre ſibi Plato commendatus eſſet, hunc eſſe cygnum quem uiderat dixiſſe. Poetico ſtylo in adoleſcentia floruit. Elegias compoſuit, & tragœdias duas, quas & ipſe igni dedit, cum primum animum ad philoſophiam applicuiſſet. Primis literis à Dionyſio præceptore imbutus eſt, deinde Socratem audiuit uigeſimũ annum ætatis agens. Poſt Socratis mortem Cratylo Heracliti diſcipulo, & Hermogeni Parmenidis philoſophiam tuenti ſeſe accõmodauit. Cum eſſet annorum duodetriginta, Megaram ſe ad Euclidem cum alijs Socraticis cõtulit. Hinc Cyrenẽ profectus, Theodorum mathematicũ audiuit, atq; inde in Italiã ad Pythagoreos Philolaũ & Archytam Tarentinũ Eurytumq; conceſsit. Ab his in Aegyptũ ad prophetas & ſacerdotes ſe recepit. Decreuerat ad Indos Magosq; progredi: uerum propter Aſiæ bella à propoſito deſtitit. Regreſſus demũ Athenas, in Academia uitam duxit: quem inſalubrẽ Atticæ locum dicitur elegiſſe, q, etiam diuus Baſilius et Hieronymus cõprobãt, ut nimis bonus corporis habitus ceu uitis nimia luxuries amputaretur. Erat enim et ſpecioſiſsimo et robuſtiſsimo corporis habitu. Vnde & à latis humeris, ampla frõte, et egregio totius corporis habitu orationisq; ubertate, Plato eſt nũcupatus: cum ante nominatus fuiſſet Ariſtocles. Nihil in eo deforme, niſi fortè uox aliquantulũ gracilis, & neſcio quid ſub ceruice gibboſum eum aliquantulum deformabat, ob Academiæ habitationẽ paſſus eſt quartanam febrem menſes decem atq; octo: ſed ſobrietate & diligentia ſua uires poſt febrem ualidiores quàm ante recuperauit.

XX. annos natus Socrate audiuit Plato.

MILITIA ET NAVIGATIO PLATONIS TRINA

MILITAVIT ter. Primo in Tanagram, secundo in Corinthum, tertio in Delum, ubi etiam uictoria potitus est. In Siciliam ter nauigauit. Primo ut insulam & ætnea miracula crateresq; uideret. Agebat tunc quadragesimum ætatis annum: quo etiam tempore Dionysius Hermocratis filius ut secum loqueretur, impulit: ubi cum ille de tyrannide differeret, dicens non id præstare quod sibi soli esset utile, nisi uirtute etiam excelleret, offensum tyrannum atq; iratum dixisse aiunt: Verba tua otiosorum senum sunt. At ille: Et tua inquit, tyrannidem sapiunt. Ad hæc indignatum tyrannum primo quidem illum necare uoluisse. Deinde uero à Dione & Aristomene obsecratum, id minime effecisse: uerum Polidi Lacedæmonio qui per id tempus legatus ad se uenerat, eum tradidisse ut uenundaretur. Eum ille in Aegina adductum uendidit. Quo tempore & Charmander tãquam mortis reum accusauit. Sanè iuxta peruulgatam apud eos legem, capitale erat, si quis Athenienſium eam insulam adijsset. Cæterum cum à quodam fuisset allegatum, disciplinæ gratia eò philosophũ ascendisse, legemq; illam de hominibus, non de philosophis qui super homines sunt, loqui, absolutũ eum dimisere, neq; occidendum, sed uendendũ decreuerũt. Aderat fortè Anniceris Cyrenaicus, qui eũ uiginti minis redemit, remisitq; Athenas ad amicos. Polidem uero à Cabria superatum, & postmodum in Elice fuisse submersum fama est, dæmonio sibi nunciante talia illum philosophi gratia perpeti. Non tamen quieuit Dionysius. Verum cum cognouisset quæ illi contigerant, scripsit Platoni, orans ne in se maledicta intorqueret. Ad quem ille scripsit, nõ tantum sibi à philosophia superesse otij, ut Dionysii meminisset. Obtrectatoribus quibusdam Platonẽ à Dionysio derelictũ obiectantibus respõdit, immo uero à Platone Dionysius est relictus. Secundo profectus est ad Dionysium iuniorem, ab eo & Dione philosophandi gratia accersitus: hac quoq; spe ductus, se suis consilijs effecturũ, ut illic ex tyrannide, aut respublica fieret, aut regnum: uisurumq; quod iamdiu uehementer optabat, gubernationem scilicet quandam maxime philosophicam, in qua uel gubernent philosophi, uel gubernatores philosophentur. Putabat enim ciuitates non aliter posse miseriã euitare. Id omne non ui aut dolo, sed philosophicis rationibus persuaso Dionysio fieri cupiebat. Sed quarto ferè mense post Platonis accessum, Dionysius falsis impulsus calumnijs Dionẽ quasi tyrannidi insidiantẽ expulit. Platonem uero libenter amplectebatur. At Plato in patriam redijt. Tertio accessit, Dionem Dionysio recõciliaturus, & ab utroq; iterum atq; iterũ obsecratus, rogatus etiam ab Archyta. Tũc & Dionysius uittatam illi triremem obuiam misit, & Archedemum Pythagoricum oratorem, nobilesq; permultos, & ipse quadrigis albis egredientem excepit. Postulauit Plato promissam Dionis restitutionem, atq; insuper urbem ac homines qui iuxta constitutam ab eo rempublicam uiuerent. Idq; ille quanquam pollicitus, implere detractauit. Cum uero Plato palàm Dionysium redargueret, quòd fefellisset fidem, tum sibi de Dione restituendo, tum Theodoti suo de Heraclide seruando: infensum deinde habuit Dionysium: unde in summo uiuebat periculo, ne à militibus interficeretur. Sed Architas Tarẽtinus Salmiscum misit ad Dionysium oratorem unà cum naui, rogans ut Platonem dimitteret. Ille eum dimisit, ac præbuit commeatum: Plato in patriã redijt. Dionysius paulo post à Dione ciuibusq; pulsus tyrãnide, criminis in philosophum commissi pœnas dedit. Plato miro quodã honore exceptus est in patria. Ibiq; ad Rempub. accersitus accedere noluit: quia plebs malis se moribus assuefecerat.

QVIBVS PLATO LEGES DEDERIT

FERTVR Arcadas & Thebanos condita ciuitate honestæ magnitudinis, rogasse illum, ut eam rempublicam instituerent. Verum illum cum eos intellexisset æqualitatem sectari nolle, profectum non esse. Syracusanis uero expulso tyranno leges dedit. Et Cretensibus Magnesia nuper condita siue instaurata ciuitate, scripsit leges duodecim in libros digestas. Misit ex familiaribus suis Aristonymum ad Arcadas legibus instituendos, ad Ilios Phormionem, ad Pyrcos Meledimum.

CONTINENTIA, GRAVITAS, COMITAS PLATONIS

MIXIT autem cœlebs & sobrius admodum, & ut Aurelius Augustinus perhibet, castus. Vnde & in senio sacra naturæ feciſſe dicitur, ut se apud uulgus à crimine sterilitatis absolueret. Iuuenis adeo uerecundus, adeo compositus fuit, ut nunquam ridere, nisi modice, deprehensus sit. Iratum uero uidit nemo. Vnde apud Platonem educatus puer cum ad parentes reuersus uociferãtem uideret patrem, nunq; inquit hoc apud Platonẽ uidi. Semel tantum clam subiratus est puero grauiter delinquẽti. Sed Xenocrati inquit: Cæde tu hunc puerũ. Ego enim quia iratus sum, nequeo. Edebat quolibet die aut semel tantũ, aut bis, parciſsime. Dormiebat solus. Contrariã uitã multũ uituperabat. Ad amãdos adolescẽtes, quem admodũ & Socrates suus uidebatur paulo pronior, uerũ uterq; tam ratione cõtinens q̃ sensu procliuis. Quàm diuine isti amauerint, & quo pacto quæ de amore locuti sunt, exponãtur, satis in libro de amore tractauimus. Optabat

memoriam

memoriã sui uel in libris, uel in amicis relinquere. Et si melãcholicus erat, profundissimiq; ingenij, ut scribit Aristoteles, iocis tamen plurimis utebatur, atq; Xenocratẽ & Dionem seueriores sæpissime admonebat, ut Gratijs sacra facerent, quo iucundiores gratioresq; redderentur. Platonis autem grauitati comitas erat admixta.

DISCIPVLI PLATONIS PRAECIPVI

DISCIPVLI eius fuere, Speusippus Athenienſis, Xenocrates Calcedonius, Aristoteles Stagirites, Philippus Opuntius, Hestiæus Perinthius, Dio Syracusanus, Amycles Heracleotes, Erastus & Coriscus Scepsij, Timolaus Cyzicenus, Hebion Lampsacenus, Pithon & Heraclides Aenij, Hippothales & Calippus Athenienses, Demetrius Amphipolites, Heraclides Ponticus, & complures alij: & cum his mulieres duæ, Lasthenia Mantinea, & Axiothea Phlyasia: quæ uirili utebantur ueste. Theophrastum item illius fuisse auditorem ferunt, & Hyperidem oratorẽ. Chamæleon & Lycurgum, & Demosthenem quoq; fuisse ipsius studiosum, & Mnesistratum. Vestibulo Academiæ inscriptum erat. Nemo huc geometriæ expers ingrediatur. Quod quidem non solum de linearum, sed etiam de affectuum debita mensura uolebat intelligi.

LIBRI QVOS SCRIPSIT PLATO, AC A POSTERIS in quaterniones nouem collecti.

PRIMA QVATERNITAS

Euthyphro: uel de Sanctitate
Apologia Socratis: id est defensio
Crito: uel de eo quod is egit in carcere cum Socrate: uel de agendo
Phædo: uel de animi immortalitate, uel de anima

SECVNDA

Cratylus: uel de recta nominum ratione
Theætetus: uel de scientia
Sophista: uel de ente
Ciuilis: uel de regno

TERTIA

Parmenides: uel de uno omnium principio, & de ideis
Philebus: uel de summo bono, uel de uoluptate
Conuiuium: uel de amore
Phædrus: uel de pulchro

QVARTA

Alcibiades primus: uel de natura hominis
Alcibiades secundus: uel de uoto
Hipparchus: uel de studio lucrandi: uel de lucri cupiditate
Amatores: uel de philosophia

QVINTA

Theages: uel de sapientia
Charmides: uel de temperantia
Laches: uel de fortitudine
Lysis: uel de amicitia

SEXTA

Euthydemus: uel litigiosus
Protagoras: uel de moribus sapientiæ professorum
Gorgias: uel de rhetorica
Meno: uel de uirtute

SEPTIMA

Hippias maior: uel de pulchro, uel de honesto
Hippias minor: uel de mendacio
Io: uel de furore poetico, uel de Iliade
Menexenus: uel de Attica antiquitate, uel Epitaphius

OCTAVA

Clitopho: uel exhortatorius
De Republica libri decem, uel de iusto
Timæus: de mundi natura
Critias: uel Atlanticus, uel de Atlantica antiquitate

NONA

Minos: uel de lege
De legibus libri duodecim
Epinomis, id est, legum appendix, uel philosophus
Epistolæ duodecim

HOS omnes Platonis libros ipsi è Græca lingua transtulimus in Latinam. Tres uero sunt Platonicorum species dialogorum. Aut enim sophistas confutat, aut adolescentes adhortatur, aut docet adultos. Quæ in epistolis, uel in libris de legibus, & Epinomi Plato ipse suo disserit ore, certissima uult haberi. Quæ uero in cæteris libris, Socratis, Timæi, Parmenidis, Zenonis ore disputat, uerisimilia.

PLATONIS VITA

ELOQVENTIA, SAPIENTIA, autoritasq; Platonis.

STYLVS Platonis ut ait Aristoteles, medius inter solutam orationem & carmen fluit, suauitas & copia tanta, ut Cicero Platonem & intelligendi & dicendi grauissimum autorẽ fuisse dixerit. Adiecit, si Iupiter humana lingua loqui uoluisset, nõ alia quàm Platonis lingua fuisse locuturũ. Doctrina uero tanta in eo, ut cum ante illum omnes inter Græcos illustres, ad externas gentes sapiẽtiæ gratia peregrinati fuissent, post Platonis tempora cæteræ nationes Athenas confluxerint, & Aristoteles tam miro ingenio præditus, ac nouæ hæresis auidissimus, cum Platonem iam penè adultus adisset, uiginti eum continuos annos audiuerit. Adde quòd prius quàm adirct Platonem, iam literis prouectus erat. Deinde Platonem solum habuit præceptorem. Mitto quod à Cicerone scribitur: Malo cum Platone errare, quàm cum cæteris recte sentire. Præterea quòd unà cum Panætio illum appellat Homerum philosophorum. Mitto illud Quintiliani: Quis dubitet Platonẽ esse præcipuum, uel acumine differendi, uel eloquendi facundia diuina quadam & Homerica? Multum enim illius oratio supra prosam orationem, & quam pedestrem Græci uocant, surgit: ut mihi non humano ingenio, sed Delphico quodam oraculo uideatur instinctus. Diuina quadam sapientia & probitate mirabilem autoritatẽ etiam in patria, quod rarissime fieri solet, sibi comparauisse uidetur. Reuersus ex Sicilia Plato, cum ad magnificentissimam illam Olympiorum celebritatem quasi quendam orbis terrarum cõuentum peruenisset, tam lætis cunctorum occursibus exceptus est, ut è cœlo deus ad mortales demissus uideretur. Ludos deseri, Athletarum spectacula relinqui, Pugiles solos omitti cerneres: & quod admirabilius est, qui tam longis terrarum marisq; tractibus, pascendorum oculorum animorumq; & aliorum gratia ad Olympia uenerant, omnis uoluptatis obliti Platonem adibant: Platonem intuebantur, in Platone perinde atq; amœnissimo diuersorio conquiescebant. Cum tragœdiam quis referret, nec quispiam præter Platonem adesset, obiectantibus quibusdam dedecori esse illi quòd nemo præter unum adesset, respondit ille: Et hic unus plus est, quàm Athenienſis populus.

CHARITAS, MAGNANIMITAS sanctimoniaq; Platonis.

QVAM magno & constati animo: præsertim in amicorũ causa fuerit, declarãt eius epistolæ. Tyrannum sæpe quòd iniuste gubernaret: quodue amicos falleret, etiã præsentib. testibus audacter redarguebat, tãtũ abcrat ut illi assentaretur. Mitto minutiora illa, quale illud est quod iusserat Dionysius in cõuiuio ut singuli purpura induti saltarẽt, saltauit protinus Aristippus: Plato uero noluit: dicẽs non cõuenire philosopho muliebria. Et cõtẽptus tyrãni, Dionisq; defensio. Præterea Cabriæ fortissimo duci Crobylus accusator improbus diem dixerat, et capitis iudiciũ intentauerat. Quocirca cum à reliquis destitutus ciuibus metu periculi in arcem ascenderet, solus Plato auxiliũ præstaturus semper illi adfuit. Cũ uero calumniator Crobylus ut eum à patrocinio deterreret minitans dixisset: alijs defensionẽ præstaturus aduentas, ignorãs quòd te quoq; Socratis uenenum expectat. Ipse respondit: Olim Crobyle cum patriæ dignitati militabam, in tolerandis periculis haud segnis eram: nunc pro officio, & amici salute licet ferrum ac uenena mineris & ignẽ, nullum recuso discrimẽ. Cum Socrates carcere iniustissime inclusus esset, Plato pecunias cõgregauit, ut redimeret innocẽtẽ. Et dum iudiciũ agebatur, ascendens in suggestum, sic cœpit orare: Cum minor natu sim uiri Athenienses omnibus qui tribunal ascenderunt. Verũ tyrannici iudices ueriti, ne autoritate & eloquentia sua ciues moueret, interpellauerunt repente, reclamauerunt, descende. Plato domũ abijt. Nam quantum illi malæ mentis morbo, tantũ hic tunc morbo corporis laborabat. Socratis uero persecutores pœnas paulo post dederunt. Cum ex cõdiscipulis quidam instigaretur inuidia Xenocratem adeo Platoni gratum acceptumq; esse, ut in eum cõflaret inimicitias, multa in Platonem Xenocratis maledicta renunciauit. Plato medio sermõe criminationẽ respuẽs, obaudit. Instat obtrectator uultus seueritate crimen affirmans. Deniq; deos oẽs, ac deas obtestanti, Plato ut ab eius sese pertinacia solueret, esto inquit. Sed ea Xenocrates fide ac grauitate pollet, ut nisi sic expedire iudicasset, dicturus ea nunquã fuisset. Grauitatem magnanimitatemq; Platonis imitatũ fuisse Xenocratẽ dilectũ eius discipulum, testis est uita Xenocratis apud Diogenem, quæ quidem est fortitudinis & sanctitatis exemplar. Imitatum quoq; fuisse Dionem: Plutarchus est testis. Præterea Philiscus Lycurgi oratoris uitam describens: Magnus uir inquit fuit Lycurgus, multaq; sunt ab eo gesta præclare, quæ facere nemo potuisset qui nõ fuisset Platonis auditor. Demosthenes cum Antipatrum fugeret: Archiæ blandis uerbis se ei uitã seruaturũ pollicẽti, absit, inquit, ut uiuere turpiter malim quàm honeste mori: postq; Xenocratẽ et Platonem de immortalitate animi differẽtes audiui. Idem scribens ad Heracleodorũ quendam condiscipulũ suum, atq; eum reprehendẽs, quòd postquã Platonem audierat, negligeret bonas artes, et uitã parum honeste duceret, Nonne, inquit, erubescis ea negligere, quæ à Platone accepisti? Dionysius ad Speusippũ scribẽs, ait: Plato quidem gratis sua limina terentes docebat. Tu uero tributa exigis, & à uolentibus ac nolentibus accipis. Laertius quoq; carpit eundem, quòd non sicut Xenocrates Platonis castitatem & fortitudinem, mansuetudinemq; fuerit imitatus.

Illud

Illud uero de fortitudine Xenocratis tacere nõ possum, quòd cum Platoni Dionysius diceret: Caput tibi quispiam tollet, Xenocrates qui aderat, inquit, Nemo istud prius quàm meum hoc abscindet.

SENTENTIAE ET PROVERBIA Platonis.

DE Aristotele et Xenocrate hæc Plato dicebat. Hui qualem equũ, qualemq; asinum iungẽdos assumpsi, Aristoteles quidẽ freno indiget: Xenocrates uero calcaribus. Erat inter discipulos eius lautus nimiũ, & curandæ cutis studiosissimus adolescens, Quem Plato rogauit: Quousq; tibi carcerẽ ædificare pergis? Quoties hominem amore irretitum uideret, ille aiebat, proprio in corpore mortuus est, uiuit in alieno. Addebat: Qui se ipse alterius gratia deseruerit, omnium esse miserrimũ: quippe qui neq; se possideat ulterius, neq; alterum. Platonis quidam familiaris uir doctus, eum orabat ut sibi aures paulisper accõmodaret libellum à se æditum lecturo. Rogatus subinde à Platone, quæ libri esset inscriptio, respondit, Contradicẽdum non esse. Cui Plato: cur igitur ipse hoc facis? Cur contradicentibus contradicis? Cur me consulis, si tibi prohibes contradici? Leo ciuis potens in cœtu carpebatur, quòd magnas & immodestas in senatu uociferationes habuerat. Plato hoc ipsum, inquit, est uere leonem esse. Diogeni Cynico dicenti, quod humana quidem ista uideret, ideas uero nequaquam. Cui mirũ inquit? Oculos enim quibus ista uidentur habes & uteris, mente uero non uteris, qua sola illæ cernuntur. Mirantibus discipulis, quod Xenocrates in omni uita seuerus, nescio quid risu excipiẽdum dixisset: Quid inquit miramini inter spinas aliquando rosas & lilia nasci? Ad iuuenes crebro dicere solebat: Otio labores antepone, nisi forte rubiginem splendori præstare putatis. Iuuentutem ad beatam uitam hac ratione sæpissime incendebat. Contrariam uirtutis ac uoluptatis naturam animaduertite. Huius enim momentaneam dulcedinem subita pœnitentia sequitur, dolorq; perpetuus: illius autem breues labores, æterna uoluptas. Cum uidisset quendã alea ludentem, arguit: et cum ille, quam parua reprehendis diceret, Plato respõdit: At nõ est paruũ consuetudo. Ebrijs et iratis consulere solitus erat, sese ut in speculo studiose intuerentur: ab eiusmodi statim fœditate discessuros. Ebrietatem & somnum ualde detestabatur. Aiebat plurimum referre ad pueritiam educandam ut honestis solum gaudere pueri assuescerent. Alioquin uoluptatem dicebat escam esse malorum. Addebat sanitatem animi ueram esse philosophiam, cæteras uero facultates non tam philosophiã quàm ornamenta uideri. Nihil sanæ menti suauius esse quàm uera dicere et audire. Veritate enim nihil est melius uel durabilius. Interrogantibus quibusdam, quænam possessionum genera filijs essent potissimum comparanda: Ea dixit quæ non grandinem, non hominum uim, non ipsum deniq; Iouem extimescerent. Demodoco de filij eruditione consultanti, qualis inquit in arbusculis plantandis dirigendisq;, talis & in filijs gignendis, & instituendis cura esse debet. Hic labor, illic uoluptas. Cauendum aũt ne in hoc sopiti, in illo plus quàm uigiles uideamur. Philedono cuipiam Platonẽ carpenti, quòd non minus in discendo quàm in docendo studiosus ac sedulus esset, & quoad discipulus esse uellet interroganti: quoad inquit meliorem ac peritiorem esse me non pœnitebit. Interrogatus quidnã inter peritum imperitumq; interesset: quod inter medicum ægrotũq; respondit. Principibus nullum præstantius prædiorũ genus esse dicebat, quàm eorum familiaritates hominum, qui cauponari nescirent. Principi non aliter necessariam esse sapientiam, quàm corpori animam. Beatissimas fore respublicas, si aut philosophi dominentur, aut saltem qui gubernant, diuina quadam sorte philosophẽtur. Nihil enim pestilentius esse potestate & audacia, quam ignorantia comitetur. Tales quoq; subditos esse solere, quales principes uideantur. Magistratui non proprium bonum, sed publicum cogitãdum: non partem solum ciuitatis quandam, sed totam esse curandam.

QVANTVM PLATO NEGLEXIT HVMANA, quantum diuina dilexit.

REPETEBAT quotidie sola æterna esse uera: Temporalia uero ueri similia. Dormire in corpore animum. Et quæ sensus appetit aut timet, nihil aliud esse quàm somnia. Itaq; hæc omnia penitus contemnenda. Et ut mala uitentur quibus plenus est mundus, ad æterna confugiendum: aliter enim deuitari non posse. Ipse quoq; quæ præcipiebat, impleuit. Nam cum & hæreditario quodam iure & ciuium fauore princeps in Republica esset futurus, omnem prorsus ciuilem respuit dignitatẽ. Cum patrimonio ditissimus esset, fratribus largitus est omnia præter suburbanum prædiolum, quam academiam nominabant. hoc solo cõtentus uixit. Et si præceptor amicusq; principum extitit, diuitias tamen ab his nullas accepit. Solebat rex Dionysius dicere, Aristippus semper pecunias petit, Plato semper libros. Adde quod neq; uxorẽ duxit, neq; uixit in urbe, ab omnibus liber, soli seruiens ueritati. Vnde diuus Hieronymus inquit: Plato Aegyptum & Architam Tarentinum eamq; oram Italiæ quæ quondam magna Græcia uocabatur, laboriosissime peragrauit, ut qui Athenis magister erat & potens, cuiusq; doctrinam Academiæ gymnasia personabant, fieret peregrinus atq; discipulus, malens aliena uerecunde discere, quàm sua impudenter ingerere. Deniq; cum literas quasi toto orbe fugientes persequitur, captus à piratis & uenundatus, etiam tyranno crudelissimo paruit captiuus, uinctus est seruus, tamẽ quia philosophus, maior emente se fuit. Hæc Hieronymus.

Pietas

PLATONIS VITA

PIETAS ET GRATITVDO PLATONIS

GRATVS deo fuit, à quo principium cogitandi, dicendi, agendi, omnibus in rebus, & faciendum di
cebat esse, et ipse semper efficiebat. Præterea deo gratias agebat quotidie, quòd homo natus esset nõ
brutum: quòd Græcus nõ barbarus: quòd temporibus Socratis. Quàm gratus præceptoribus fuerit,
omnibusq; amicis, testimonio sunt eius dialogi. In quibus mirifice eos omnes honorat, atque Socrati
libros suos attribuit. Non solum enim illum in omnibus penè dialogis disputantem inducit, sed etiam omnia à se
composita, scribit non sua, sed Socratis esse.

QVAE PLATO AFFIRMARIT

IN HIS quæ sensibus subiacent, partes Heracliti tuebatur. Porrò in his quæ ad intelligentiam per
tinent, Pythagoræ maxime acquiescebat. In rebus aũt ciuilibus Socratem suum amplectebatur. quæ
ubiq; asseuerabat, hæc sunt. Deum omnibus prouidere. Animas hominum immortales esse. Bonorum
præmia, malorum supplicia fore. Augustinus in libro contra Academicos inquit, Christi autoritatem
omnibus anteponendam. Si autem rationibus agendum sit, apud Platonicos reperire se dicit, quod sacris Christia
norum literis non repugnet. Idem Dionysius Areopagita significauit: Eusebius postea & Cyrillus latius declara=
uerunt. Hinc Augustinus in libro De uera religione: Platonici inquit paucis mutatis Christiani fierent. Atq; in con
fessionibus, narrat se proœmium Ioannis Euangelistæ fermè totum apud Platonicos reperisse. Propterea in secun=
do de Ciuitate dei inquit: Labeo Theologus apud gentiles, Platonem inter semideos connumerandum putauit, si=
cut Herculem atq; Romulum: semideos autem heroibus anteponit, sed utrosq; inter numina collocat. Veruntamen
ipsum quẽ appellat semideum nõ heroibus tãtum, uerumetiam dijs ipsis præferendum esse nõ dubito. Vnde inquit
se Platonicos ante alios elegisse, quia de rebus diuinis atq; humanis rectius admodum quàm cæteri philosophi sen=
serint. Quod & Marcus Varro antea iudicauerat, & Apuleius Platonem, non tantum heroibus superiorem fe=
cit, sed dijs æqualem, quia uidelicet diuinarũ rerum adyta penetrauerit. Plato tanta fuit modestia præditus, ut cum
mirabilem sibi autoritatem ante alios cõparauisset, tamen interrogatus à quodam quatenus præceptis suis paren
dum foret, responderit: quoad in terris appareat sacratior aliquis, qui fontem omnibus ueritatis aperiat, quem
deniq; sequantur omnes. Addidit, nihil suo, sed diuino tantum lumine reperisse. Quid aũt in philosophia senserit,
satis in libro de Amore, & Theologia nostra tractauimus.

REDITVS PLATONIS IN PATRIAM cœlestem & laudes.

NATALI suo decessit, et annũ unũ atq; octoginta impleuit, sine ulla dubitatione. Ideo magi, qui tũc
Athenis erant, Platoni immolauerũt, amplioris fuisse sortis q̃ humanæ rati, quia cõsummauisset nu=
merum perfectissimũ, quem nouem nouies multiplicata conficiunt. Atq; quod mirum est, ad huc in ea
ætate, et in eo ipso die scribebat. de quo Cicero inquit: Est etiã quiete, et pure, atq; eleganter actæ æta
tis placida ac leuis senectus, qualem accepimus Platonis, qui uno & octogesimo anno scribẽs mortuus est. Seneca
etiã affirmat id Platoni sobrietatis et diligẽtiæ beneficio cõtigisse. Alij inter scribendũ, alij discumbentẽ in nuptijs
remotis dapibus inter differendũ ad superos redijsse. Aristoteles in tẽplo aram Platoni statuamq; sacrauit hoc epi=
grammate: Aram Aristoteles hanc Platoni dicauit, uiro quem nefas est à malis laudari. Addit Aristoteles.

Qui solus uita, doctrina, moribus, ore
Admonuit cunctos, & monimenta dedit:
Vt uirtute queant felicem ducere uitam.
Nulla ferent talem secla futura uirum.

Adiunxerunt & sapientes alij in Platonis laudes carmina plurima: sed præcipua epigrammata tria. Primi
hæc est sententia: Temperantia, iustitiaq; excelluit omnibus, tantum uero sapientia superauit, ut omnem prorsus in
uidiam superauerit. secundi hic est sensus: Plato in deorum numerum est translatus. Longinquæ hunc nationes ho
norant: qui diuinam uitam ipse nouit, alijsq; monstrauit. Tertij sententia est huiusmodi. Phœbus Aesculapium ge=
nuit & Platonẽ, ut ille corporibus, hic animis mederetur. Præterea Mithridates Persarum rex Platonis statuam
in Academia ita locauit inscriptam: Mithridates Rhodobati filius Perses Musis imaginem Platonis dicauit, Sylla=
nionis opus. Ex his omnibus id Plato est consequutus, ut Græci Aristotelem quidem dæmonium: Platonem uero di
uinum cognominauerint. Quia uidelicet ille & uita humanus & scientia naturalis maxime fuerit, Hic autem sci=
entia simul & uita sese potissimum ad diuinum contulerit.

EInem iam uobis imponam, si pauca quædam rursus addidero. Sunt plebei quidam uersificatores, qui immerito poetarũ sibi nomẽ usurpant. Hi tam morum dissimilitudine quàm malignitate inuidiæ prouocati, in optimũ quemq; impudentissime ludunt. Quibus summa quædam licentia in bonos potius quàm in malos conceditur. Tales igitur olim poeticuli, diuinũ Platonẽ à Græcis Apollinis filiũ, & Socratẽ ab Apolline Græcorum sapientissimũ iudicatum mordere nõ dubitarunt. Quorum impietatẽ Laertius Diogenes summopere detestatur. Atq; ut ipse declarat, ridicula etiam comicorum conuitia Aristippus auxit Cyrenensis, homo pessimus, & optimi cuiusq; suorum temporũ aduersarius, qui sicut alios plerosq; modestissimos doctissimosq; ficta quadam historia uituperauit, sic etiam Socratem præceptorem, & condiscipulos suos Xenophontem atq; Platonem: finxitq; horum nomine carmina quædã in scorta puerosq; lasciua, uidelicet ut falso magnorum philosophorũ exemplo liberiorẽ ipse peccandi licentiã nanciscereturVerum Aristoteles cui ueritas magis quàm Plato fuit amica, tam falsas in uirum sanctum calumnias sustinere non potuit. Nam in Elegijs ad Eudemum, illa de Platone quæ in superioribus diximus, cecinit: id illi maxime tribuẽs, ut prophani non solum uituperare Platonem ullo pacto nõ debeant, uerumetiã sub prætextu laudis sanctũ illius nomẽ ore prophano nominare nõ audeãt. Neq; Elegia contentus fuit: sed etiam, ut tradit Olympiodorus, præclaram orationem de Platonis laude composuit. Obmutescant igitur apud superos infirni canes, atq; apud inferos latratu Cerberum comitentur. Nos autem Platonis uitam, & sapientiam iudicio sapientum approbatissimã ueneremur, atq; unà cum Apuleio Madaurensi libere proclamemus. Nos Platonica familia nihil nouimus nisi festum, lætum, cœleste, supernum.

TABVLA LIBRORVM PLATONIS A MARSILIO FICINO FLORENTINO TRADVCTORVM:

Item quæ insunt partim argumenta, partim autẽ cõmentaria, per eundem Marsilium in libros eosdem composita.

1 Hipparchus de lucri cupiditate	Fo. 1	20 Charmides de temperantia	278
2 De philosophia seu amatores	5	21 Laches de fortitudine	290
3 Theages de sapientia	9	22 Clitophon exhortatorius	300
4 Menon de uirtute	14	23 Cratylus de recta nominum ratione	307
5 Alcibiades primꝰ de natura hominis	28	24 Gorgias de Rhetorica	336
6 Alcibiades secundus de uoto	43	25 Conuiuium Platonis de amore	416
7 Minos de lege	49	26 Phædrus de pulchro	442
8 Eutyphro de sanctitate	53	27 Apologia Socratis	468
9 Parmenides de uno rerum principio	61	28 Crito de eo quod est agendum	471
10 Philebus de summo hominis bono	81	29 Phædon de anima	490
11 Hippias maior de pulchro	108	30 Menexenus, funebris oratio	520
12 Lysis de amicitia	121	31 Libri decem de republica	530
13 Theætetus de scientia	135	32 Timæus de generatione mundi	700
14 Io de furore poetico	169	33 Critias de Atlantico bello	736
15 Sophista de ente	174	34 Libri XII de legibus	746
16 Ciuilis de regno	200	35 Epinomis, id est, legum appendix uel philosophus	911
17 Protagoras contra sophistas	227		
18 Euthydemus siue litigiosus	252	36 Epistolæ duodecim Platonis	926
19 Hippias minor de mendacio	270	37 Axiochus Rod. Agricola interp.	956

M. FICINVS AD LECTOREM

Ne fortè putes amice lector tantũ opus æditũ temerè, scio cũ iam cõposuissem, antequam ederẽ, me cẽsores huic operi plures adhibuisse: Demetriũ Athenienſem nõ minus philosophia & eloquio cꝫ genere Atticum, Georgium Antonium Vespucium, loãnem Baptistam Boninsegniũ, Florentinos, uiros latinæ linguæ Græcæcꝫ peritissimos. Vsum præterea acerrimo Angeli Politiani doctissimi uiri iudicio: usum quoq; consilio Christophori Landini, & Bartholomæi Scalæ, uirorum clarissimorum.

ΕΙΣ ΠΛΑΤΩΝΑ.

Φοῖβος ἔφυσε βροτοῖς ἀσκληπιὸν, ἠδὲ πλάτωνα,
Τὸν μὲν ἵνα ψυχῇ, τὸν δ' ἵνα σῶμα σάοι.
Δαιμόνιος δὲ γάμον, πόλιν ἤλυθεν, ᾧ ποτὲ αὐτῷ
Ἔκτισε, καὶ λαπίδῳ ξῶος ἐνεφύσατο.

ΑΛΛΟ

Σωφροσύνῃ προφέρων θνητῶν ἤθεά τε δικαίων
Ἐνθάδε δὴ κεῖται δῖος ἀριστοκλέης.
Εἰ δέ τις ἐκ παύτων σοφίης μέγαν ἔσχεν ἔπαινον,
Οὗτος ἔχει πλεῖστον, καὶ φθόνος οὐκ ἔπεται.

ΑΛΛΟ

Γαῖα μὲν ἐν κόλπῳ κρύπτει τόδε σῶμα πλάτωνος,
Ψυχὴ δ' ἀθανάτων τάξιν ἔχει μακάρων.
Υἱὸν ἀρίστωνος, τὸν τις καὶ πηλόθι ναίων
Τιμᾷ ἀνὴρ ἀγαθὸς θεῖον ἰδόντα βίον.

HIPPARCHVS, SIVE DE LVCRI CVPIDITATE.

MARSILII FICINI ARGVMENTVM IN HIPPARCHVM PLATONIS

PROPOSITVM Platonis in Hipparcho est docere nos, omnes homines bonum appetere, cum & illi qui propter auaritiam aberrare uidentur, bonum appetant. Illi siquidem lucri cupidi sunt, lucrum utile est, utile uero bonum: bonum itaq; cupiunt. Etenim lucrum damno contrarium. Damnum uero cum obsit, malum: malo igitur contrarium. Contrarium malo, bonum: lucrum ergo bonum. Quamobrem cum illi etiam, qui ab appetitu boni declinare uidẽtur, bonum cupiant, nihil iam repugnat quo minus omnes homines bonum appetant. Bonum autem duplex. Vnum finis. Ad finem alterum. Illud propter seipsum, hoc propter aliud expetendum. Illius appetitio uoluntas, huius electio. Illud uenerandum, hoc utile. Illo fruimur, hoc utimur. Illius adeptio beatitudo, huius lucrum uocatur. Lucrũ igitur est boni utilis acquisitio, quod ad uenerandi boni consecutionem conducere potest. Quod uero ad hoc nõ confert, nec ipsum utile est, nec eius adeptio lucrũ. Laudanda igitur lucri cupiditas, quæ omnibus natura inest. Vituperanda autẽ opinio falsa, quæ dum quod reuera utile & lucrũ est, ignorat, appetitũ naturæ ad aduersa retorquet. Hæc omnia Plato latenter docet, dum Socrates definitiones falsas, quas Hipparchus de lucri cupiditate refert, & inducendo & ratiocinando refellit. Vtitur autem Plato hac propositione, Omnes homines bonum appetunt, tanquam manifesta, ad concludendum quod omnes natura lucrũ appetunt, quodq; hæc appetitio naturalis laudanda est. Hæc autem est conclusio quam modo quodam directo Socrates tribus argumentandi modis infert, id est, exemplo, inductione, ratiocinatione. Sed modo quodam conuerso ex omni hac disputatione per argumentationem à minori colligimus propositionem illam maxime confirmatam, Omnes scilicet homines bonum appetũt, quæ huius libri finis ultimus est, cum primus finis sit ostendere, omnes lucricupidos esse, neq; id esse uituperandum.

PLATONIS HIPPARCHVS, VEL DE LVCRI CVPIDITATE, VEL STVDIO LVCRANDI.

SOCRATES HIPPARCHVS.

VCRI cupiditas quidnam omnino tandẽ est? et qui sunt lucri cupidi? HIP. Mihi quidẽ uidẽt qui lucrandũ putãt ex rebus nulla æstimatione dignis. SO. Videntur ne tibi, quod nullius precij sint cognoscere, an ignorare? si nesciũt, stupidos homines stolidosq; lucri cupidos uocaris. HIP. At nõ stolidos, sed uafros atq; improbos uictosq; lucro appello, tũ et cõscios nullius esse precij, è quibus lucrũ captare ausint, & tamen per impudentiã lucrari nõ uereant. SO. Nũ huiuscemodi lucricupidũ uocas? ueluti si agricola plantãs cognoscẽsq; nullius precij plantã esse, dignã tamẽ putet qua lucretur, talẽ ne uocas? HIP. Vndecũq; ô Socrates lucricupidus quærendum censet. SOC. Ne ita temere uerba effundas, ueluti alicui ob acceptã iniuriam iratus, sed in me potius attentus responde, ac si à principio rursus interrogarem. Cõsentis lucricupidũ cognoscere quanti sit unde lucrandum putat? HIP. Consentio. SO. Quis est qui circa plantarum dignitatẽ nouit, qua regione, quo tempore plantare dignum sit, ut & nos aliquid sapientum uerborum quibus elegantes isti causidici abundant, in mediũ afferamus? HIP. Agricola arbitror. SOC. Num dignum lucro uocas aliud quàm lucrandum esse existimare? HIP. Idipsum. SOCR. Ne me coneris decipere uirum iam senem, iuuenis, respondens quemadmodum nunc quæ ipse minime sentis, sed quàm ueriſſime responde. Num agricolam eum iudices, qui quam indignam plantatione plantam scit, ex ea lucrandum putat? HIP. Non per louem. SOC. Equitem præterea uirum si nouit nullius precij pabulum quod equo præbet, an ignorare censes equum iri perditum? HIP. Nequaquam. SO. Non igitur putat ex huiusmodi nullius adeo precij pabulo esse lucrum. HIP. Minime. SOC. Gubernatorem uero qui temone ac uelis nulla extimatione nauem munierit, ignorare censes quod damno afficiatur, & in periculum ueniat, ne cum ipse tũ nauis & quæcũq; in naui sunt, perdantur? HIP. Non certe ignorat. SOC. Haud igitur putat se ex istiusmodi nullius

Dignum tã quã affectatum notat

a lius

lius precij inſtrumentis lucraturũ. HIP. Minime. SOC. Item belli dux exercitum uilibus armis inſtructum uidens, num ſperet dignum' ue putet ex his affectare lucrum? HIP. Minime. SOC. Eodem modo ſi tibicen tibiam, citharœdus citharam, ſagittarius arcum, & ut breui complectar, artifex, & rei cuiuſuis peritus quiſque organa, ac reliquum apparatum nullius precij habeat, putet ne ex his aliquando ſe lucraturum? HIP. Non ut apparet. SOCRAT. Quos itaq; lucricupidos tãdem nuncupas? neq; enim eos quos ſupra recẽſuimus qui è rebus nulla ratione dignis oportere lucrari exiſtiment. HIP. Atqui hoc modo mirã de uir, quo tu uis, nullus hominum lucri cupidus ſit. Sed enim ego ô Socrates, eos lucri cupidos eſſe dicam, qui propter inexplebilem auiditatem minima & uiliſſima quęq; & nullius precij dehinc mirum in modum ſitiunt, & in his etiam lucrum quærunt. SOC. Nõ tamen ô uir optime diſcernũt nullius iſta precij eſſe, Huc enim noſipſos ratione adegimus ut impoſſibile diceremus. HIP. Mihi ſanè uidetur. SOC. Si non cognoſcunt, ignorant igitur: opinantur tamen quæ nullius precij ſunt, multifacienda eſſe. HIP. Apparet. SOC. Lucri cupidi nónne lucrum amant. HIP. Profecto. SOC. Lucrum uero damno dicis contrarium? HIP. Sane. SOC. Eſt ne bonum cuiquam damno affici? HIP. Nemini. SOC. Malum autem? HIP. Prorſus. SOC. Læduntur itaq; damno homines? HIP. Læduntur. SOC. Malum igitur damnum? HIP. Malum. SOC. Contrarium uero damno lucrum? HIP. Contrarium. SOC. Bonum ne igitur lucrum? HIP. Certè. SOCR. Bonum igitur amantes lucricupidos nuncupas? HIP. Videtur. SOCR. Non inſanos quidem ô amice lucri cupidos dicis. Sed tu ipſe utrum amas quod bonum eſt, an non amas? HIP. Amo equidem. SOC. An eſt bonum quicquam quod non affectes, ſed malum? HIP. Non per louem. SOC. At forſi tan omnia bona affectas. HIP. Omnia. SO. Interroga inſuper & me utrum & ego ſic affectus ſim, bona equidẽ amare me confitebor: ſed præter me ac te, nónne reliqui mortales omnes uidẽtur amare bona, mala odiſſe? HIP. Videntur. SOC. Lucrum autem nónne bonum eſſe confeſſi ſumus? HIP. Nempe. SOC. Omnes igitur lucri cupidi uidentur hoc modo: quo uero prius diximus, nullus lucri cupidus eſſet. Vtra igitur iſtarum rationũ ſequẽda potius ne erremus? HIP. Si quis ô Socrates recte lucricupidum definiat, eum puto lucricupidum arbitrabitur, qui his ſtudet & lucrum ex his quærendum ſibi putat, ex quibus boni uiri lucrari nunquam inſtituant. SOC. At nõ uides dulciſſime Hipparche quod paulo ante inter nos conuenit, lucrari ſcilicet eſſe utilitate afficí? HIP. Quid tum? SOC. Quia & in hoc conſenſimus, bonũ omnes uelle, idq; ſemper. HIP. Confeſſi ſumus. SO. Nónne & boni uiri lucrũ omne expetant, ſiquidẽ omne lucrum bonũ eſt? HIP. Non tamen ea lucra quibus lædi poſſint. SOC. Lædi uocas damnũ pati, an aliud quippiam? HIP. Nil aliud q̃ damnum pati. SOC. Lucro ne damnũ patiuntur homines, an damno potius? HIP. Vtriſq;. etenim & à damno & à lucro prauo, male afficiuntur. SO. Nũ tibi uidetur aliquid utile ac bonum prauum exiſtere? HIP. Minime. SOC. Nonne paulo antè cõceſſimus, lucrum damno malo exiſtẽti, contrariũ eſſe? HIP. Fateor. SOC. Et cũ ſit malo contrariũ, eſſe bonum. HIP. Conceſſimus. SOC. Vides igitur ut me conere decipere, ex induſtria cõtraria his aſſerens, quæ modo confeſſi ſumus. HIP. Non per louem ô Socrates: ſed ecõtra tu me decipis, ac neſcio quomodo ratiocinando ſurſum deorſumq; omnia conuertis. SOC. Bona uerba quæſo. Neq; enim recte facerẽ, niſi uiro bono & ſapienti parerem. HIP. Cui nam? aut in quo potiſſimũ? SOC. Cõciui meo & tuo etiam Hipparcho Piſiſtrati Philędo nici filio, filiorũ Piſiſtrati natu maximo & ſapientiſſimo, qui cũ alia multa præclara ſapientiæ exempla edidit, & Homeri etiam libros in hanc urbem primus inuexit, & recitatores impulit, ut ludis publicis ordinatis uicibus referrent, quod uſq; ad hæc etiam tempora obſeruant. Et Anacreonta Teium miſſa quinquaginta remorũ naui in hanc urbem acciuit: Simonidem præterea Chium apud ſe ſemper habuit, ampliſſima mercede muneribusq; inductum. Hæc autem agebat omnia ciues ſuos eò adducere uolens, ut quamoptime dè gentibus imperaret, ratus minime fas eſſe, ſapientiam cuiquam inuidere, quippe qui ipſe honeſtus ac bonus erat. Cum itaq; ciues abunde eruditi eſſent, atq; ſapientiã eius admirarentur, ad agricolas conuertit animũ & peregrinos erudiendos. igitur colũnas in ſingulis mediæ urbis triuijs & in unaquaq; tribu erexit, & ex ea ſapiẽtia quã partim didicerat, partim ipſe inuenerat, elicięs potiora, ſuis elegis cõplexꝰ poemata inſtituraq; ſapiẽtię inſcripſit: primũ ut ciues haud amplius egregia illa mirarentˉ, Cognoſce teipſum, Nihil nimis, &

reliqua

Secunda definitio falſa

Confutatio

Tertia definitio falſa

Cõfutatio à rationibus

Hipparchus Piſiſtrati

reliqua huiuſcemodi Delphis inſcripta,ſed Hipparchi præcepta ueluti potiora ſuſciperent. Deinde hac atq; illac prætereũtes,ac legendo illius ſapientiã deguſtãtes, ex agris & ſyluis ad reliqua doctrinæ inſtituta diſcenda pergerent. Erant autẽ epigrãmata duo: alterum in ſiniſtra parte uniuſcuiuſq; colũnæ,in quo Mercurius lectorẽ(ſic enim inſcribebatur)monebat,quod in medio urbis tribus ſtaret:alterũ in dextra,ſic inſcriptũ, Hipparchi hoc monumentũ eſt. Mox præceptũ additũ,ut,perge quæ iuſta ſunt curare. Cumq; in aliis colũnis alia præclara carmina inſcripta eſſent,multaq;,in uia Stiriaca tale erat: Monumentũ hoc Hipparchi,Ne amicũ decipias. Quamobrẽ ego te quidem amicũ meũ fallere nunquam auſim,& illi tanto uiro repugnare. Quo uita functo,tres annos ſub fratre illius Hippia tyrannide preſſi Athenienſes ſeruierunt. Ipſe uero è maioribus natu omnib. acceptiſti ſolum hoc trienniũ in hac urbe tyrannidẽ uiguiſſe:reliquis temporibus,eodem penè modo quo Saturno regnante Athenienſes uixerunt. Traditur autem ab elegãtioribus uiris,mortis eius cauſam extitiſſe nõ eam quæ uulgo fertur,ſororis ſcilicet Canephoriæ cõtemptũ,nam id credere abſurdum eſt. Sed cum Harmodius Ariſtogitonis amaſiũ ageret doceretur q; ab eo,plurimũ ſibi ex hac educatione placebat efferebatur q; & Hipparchũ eſſe aduerſarium ſuſpicabat. Interim contigit ut Harmodius nobilẽ ac præſtantẽ quendã, cuius nomẽ etſi referant nõ tamẽ ſatis teneo,amaret:is primum Harmodiũ & Ariſtogitonẽ,ueluti ſapientes admirabatur,poſtea familiaris factus Hippardho,contẽnere illos cœpit,unde illi indignati,Hipparchũ interemerunt. HIP. In diſcrimẽ ergo ô Socrates uenis, ne uel amicũ me nõ putes:uel ſi putas amicũ, Hipparcho minime credere cõuincaris. Nã abs te nõ decipi diſſerẽdo neſcio quo pacto nequeat mihi perſuaderi. SO. Atqui uolo perinde ac ſi talis ludamus,retractare quicquid libet,ne deceptũ exiſtimes. Vis ne illud retractẽ quod diximus,omnes homines bona appetere? HI. Nolo. SO. Quid uero illud quod damnũ,ac damno affici,malũ eſſe conceſſimus? HIP. Neq; id uolo. SOC. Sed quid illud, quod lucrũ atq; lucrari,& ipſi damno,& ei quod eſt damnũ pati cõtraria ſunt? HIP. Neq; iſtud quidem. SO. At illud forſitan,quod lucrari utpote malo contrariũ,bonum eſt. HIP. Ne retractaueris id mihi omnino. SO. Videtur igit̃ tibi ut apparet,lucrũ aliquod bonũ eſſe,aliquod uero malũ? HIP. Mihi uero. SO. Retracto itaq; tibi hoc. Eſt enim lucrum aliud bonum,malum aliud,nihil tamen magis hoc quàm illud lucrum eſt,nónne? HIP. Quid interrogas? SO. Dicam,cibus & bonus eſt & malus. HIP. Eſt. SOC. Eſtne magis cibus alter altero,an ſimiliter cibus uterq; eſt,neq; quà cibus alter ab altero differt,ſed quà hic quidẽ bonus,ille uero malus? HIP. Eſt ut dicis. SOC. Nónne & potus & reliqua omnia,quęcunque formæ eiuſdem ſunt,ita habent ut partim bona,partim mala ſint,nihilq; inter ſe differant in eo in quo eadem ſunt,quemadmodũ hominum quidem alius bonus, malus alius? HIP. Sic eſt. SOC. Cæterum neuter illorum,ut arbitror,magis aut minus homo eſt quàm alter,neq; bonus malo,neq; malus bono. HIP. Vera dicis. SOCR. Nónne de lucro ſimiliter iudicabimus? quod pariter lucrum tam bonum quàm malum lucrum ſit? HIP. Neceſſe eſt. SOCR. Nil igitur magis lucratur qui lucrum bonum conſequitur,quàm qui malum. neque horum alterutrum lucrum magis apparet, ut iam conuenit. HIP. Profecto. SOC. Neutroq; aut magis aut minus adeſt? HIP. Neutro. SOC. Tali autem in re,cui neutrum horum competit,ecquis poteſt magis uel minus aliquid aut agere, aut etiam pati? HIP. Impoſſibile eſt. SOC. Poſtquam lucra æque ſunt atq; lucroſa utraq;,hoc deinceps animaduertendum reſtat,propter quid utraq; lucrum appellas, quidnam idem in utriſq; aſpicis:ueluti ſi me roges,quare cibum,ſeu bonum,ſeu malum,cibum utrunq; uocem, reſpondeam utiq;:quoniam uterq; ſicca eſt corporis eſca,ideo utrunq; cibũ nomino,quod quidem & tu nobis concederes,nónne? HIP. Fateor. SOC. Et circa potum eadem rurſus reſpondendi ratio eſſet,quod humidum corporis alimentum,ſeu bonum ſeu malum ſit, potum uocamus,& in aliis eodem modo. Enitere itaq; me ſic reſpondẽtem imitari: quidnam in lucro bono & malo idem cernis,cuius gratia utrunq; lucrum uocas? Quod ſi non habes quod reſpondeas,me uide. Num lucrum appellas omnem poſſeſſionẽ quam quis acquiſiuit,uel nihil omnino,uel parum expendens admodũ,cũ plus accipiat? HIP. Id lucrum uocare mihi uideor. SOC. An huiuſmodi dicis,ceu ſi quis nihil expendens abunde epulatus ſit,& ex epulis morbum acquiſiuerit? HIP. Non per louem. SOC. At bonam ualetudinem ex epulis adeptus,lucrum ne an damnum aſſequeretur? HIP. Lucrum. SOC.

Præcepta Hipparchi

Ex diuiſis colligit deſinitionẽ lucri

Non est igitur lucrum, quodlibet acquirere. HIP. Non certe. SOC. Nunquid ita se habet, ut non lucretur qui quod uis assequitur, siue bonum siue malum? HIP. Apparet si bonũ acquisierit. SOC. Sin autem malum consequitur nonne damnum incurrit? HIP. Mihi quidem uidetur. SOC. Cernis ergo quod circa idem reuolueris? Lucrum enim bonum, damnum uero malum apparet. HIP. Ignoro quid dicam. SOC. Et iure quidem. Sed præterea hoc mihi responde. Si quis minus expendens plus acceperit, lucrari hunc diceres? HIP. Dico, modo ne malum lucretur, sed uel auri uel argenti minus erogans, plus accipiat. SO. Enimuero hoc insuper interrogabo, si quis dimidiam auri libram erogãs, duplum reportet argenti, lucrum, an damnum sit? HIP. Damnum profecto ô Socrates: nam pro duodecuplo duplum solummodo capit. SOCR. Veruntamen plus accepit. An non plus est duplum dimidio? HIP. Non eiusdem dignitatis ac precij est argentum cuius est aurum. SO. Ergo oportet hoc lucro adijcere, æstimationem scilicet ac precium. Nunc utiq; argẽtum amplius cum sit quàm aurum, haud æque æstimandum ac precioſum dicis: aurum uero minus existens, precioſum quoq; ac dignum. HIP. Et maxime, sic enim se res habet. SOC. Ipsa ergo æstimatio dignitasq; lucrum continet, siue parua res siue magna sit. Indignum uero æstimatione, lucro caret? HIP. Profecto. SOC. Ipsum precioſum ac dignum, uocas aliud dignum quàm acquisitu dignum? HIP. Acquisitu. SOC. Dignum autem quęsitu utile an inutile? HIP. Vtile. SOC. Vtile nónne bonum. HIP. Est. SOCR. O uir omnium fortissime, nónne iam tertio & quarto concluſum à nobis est lucrum bonum esse? HIP. Videtur. SOC. Memoria tenes unde sermo hic nobis incidit? HIP. Arbitror. SOC. At si minus ipse memineris, ego in memoriam reducam. Ex eo enim quod negares bonorum uirorum esse lucra quęlibet acceptare, sed ex lucris bona duntaxat, mala uero nequaquam. HIP. Hinc sanè. SOC. Nónne lucra omnia esse bona, seu magna siue parua sint, ratio nos fateri coegit? HIP. Coegit certe ô Socrates me magis quam persuasit. SOC. Sed forsitã deinceps persuadebit. Nunc tamen siue persuasus fueris, seu quomodocunq; aliter sis affectus, consentis nobiscum lucra omnia & ampla & exigua bona esse? HIP. Consentio. SOC. Et bonos uiros omnes bona omnia uelle fateris? nunquid? HIP. Fateor. SOC. Malos autem dicebas omnia lucra tam exigua quàm magna cupere. HIP. Dicebam. SOCR. Nónne igitur secundum sermonem tuum uniuersi homines & boni pariter atq; mali lucri cupidi essent? HIP. Videtur. SOC. Nemo igitur recte uituperabit lucri cupidos, cũ ipse quoq; lucri cupidus sit.

Hinc uidesingula auri põdo tũ ualuisse duodena põdo argenti

Cõcluditur omnes homines lucri cupidos esse

ARGVMENTVM MARSILII IN LIBRVM PLATONIS DE PHILOSOPHIA, SEV AMATORES.

SVMMA huius dialogi est, quid sit & quale officiũ philosophi definire. Est autem philosophi officium, diuina noſſe, gubernare humana: in illo contemplatiua philosophia, in hoc actiua comprehenditur. Philosophus itaq; primo diuinam, id est absolutam ipsius boni naturam per sapientiam contemplatur. Deinde ad id bonũ uelut ad finem humanas operationes dirigens humana gubernat. Hæc autem gubernatio duo requirit. Primum, ut quid humana natura sit, et quo pacto ducatur ad bonum, à malo remoueatur, cognoscat, quod quidem per prudentiam philosophus agit. Alterũ, ut sic instituat hominum & affectus & actus, sic temperet atq; cohibeat, ut ad bonũ quod sapientia ipsa inuenerat, & ad quod prudẽtia deinde direxerat, facile tendant. Id uero per morales uirtutes efficitur, quas omnes uno iustitiæ nomine Plato complectitur. Atq; ex ijs duobus humanorum gubernatio constat. Eiusdem autem est scire recte hominẽ unum, familiam, ac rempublicam gubernare. Quamobrem qui moralis est, idem dominus, ciuilis, rex idoneus esset. Ex quibus cõcluditur in ipso philosophantis officio hæc omnia contineri, sapientiam, prudentiam, iustitiam, moralem, domesticam, ciuilem, ac regiam disciplinam. Per sapientiam diuina cognoscit, per prudentiam iustitiamq; humana gubernat, dum rem suam, rem familiarem, rempublicam administrat. Eiusmodi est philosophi ipsius officium, quod Plato in libris de republica latius explicat, in hoc significat breuius. Ac primo duas aliorum opiniones circa philosophi officium confutat. Prima uidetur uel Solonis fuisse uel similis alicuius, dicentis id esse quãplurima discere: secunda Hippiæ sophistæ uolentis philosophiam artium omnium peritiã esse. His deniq; cõfutatis, sentẽtiam quam prædiximus, breuiter innuit. Socrates ergo fingitur hæc in scholis Dionysii, qui grãmaticæ elemẽta Platoni tradidit, aduersus discipulos duos Dionysii disputasse: deinde quæ in scholis tractauerat, in corona familiarũ suorũ à principio recensere.

Quæ insint in philosophantis officio

PLATONIS DIALOGVS DE PHILOSOPHIA, VEL AMATORES.

SOCRATES.

DIONYSII Grammatici ludum ingressus iuuenes quosdam uidi honesta indole, claris ortos parentibus, cumq; ijs unà eorum etiam familiares. Aderãt autem duo quidam adolescentuli inuicem contendentes, quæ uero esset cõtentio, haud satis aduerteram. Veruntamen de Anaxagora uel Oenopide disceptare uidebantur, circulos describentes, & quasdam sphęræ inclinationes depingentes cubito innixi & intẽti admodum. Ego autem alterius illorum amicum iuxta quem sedebam, cubito tangens, interrogaui quid ita cõtenderent adolescentes, & num magnum quiddam esset & pulchrum, in quo tantum studium ponerent. Tum ille, quid inquit magnum & pulchrum? Nugantur enim de sublimibus quædam & philosophantes garriunt. Huius ego responsum admiratus, ô adolescens inquã, an turpe tibi philosophari uidetur? cur ue tam acerbe respõdes? Alter uero, iuxta enim assidebat æmulus quidam istius, cum & me interrogantem, & respondentem illum audisset, non expedit tibi Socrates inquit, interrogare hunc an turpe existimet esse philosophiã, nec ne. An non uides ipsum in tumiditate quadam & saturitate atq; somnolentia uniuersam ætatẽ egisse, ut credas aliud quicquam eum tibi responsurũ, quàm quod turpe sit philosophia? Erat autem iste in musica eruditus, alter autẽ quem carpebat, in gymnastica. Videbaturq; mihi oportere eum quem prius interrogaueram, missum facere, quod agendo potius quàm disputando exercitatus haberi uelle uideretur. Interrogandũ autem censui illum, qui sapientior uideri uolebat, ut siqua possem utilitatẽ reportarem. Dixi igitur ad eum, in communi me istoc proposuisse: quod si putas melius hoc te responsurũ, illud idem te nunc interrogo, utrum uideatur philosophari pulchrum esse an secus? Hæc ferè cum diceremus, audierunt adolescentes, atq; missa ea quæ inter ipsos erat contentione, ad ea quæ disserebamus audienda seipsos silentio parabant. At amatoribus quid acciderit, nescio: Ipse certe obstupui. Semper enim ad noua ac pulchra stupesco. Videbatur itaq; mihi alter me nõ minus certare. Respondit autem ille mihi, & ualde quidem ambitiose. Siquando ô Socrates, philosophari turpe esse ducerem, neque me hominem putarem, neq; quemuis alium sic affectum. Innuens autem in æmulũ dicebat hæc ea uoce, ut adolescentes amasii exaudire possent. Hic ego, pulchrum igitur tibi philosophari uidetur? & maxime quidẽ, inquit ille. Quid ergo, inquam, num uidetur tibi fieri posse, ut norit quis turpe ne sit aliquid an pulchrum, nisi prius quid ipsum sit norit? Non. Nosti igitur inquam quod est aliquid philosophari? Noui equidẽ. Quid est? Quid aliud quàm iuxta Solonẽ? Dicebat enim alicubi Solo: Discenti assidue multa, senecta uenit. Et mihi quidem uidetur semper sic oportere aliquid discere eum hominẽ, qui philosophus futurus sit, siue iuuenis, siue senex sit, ut in uita quamplurima discat. Atque is primo uisus est mihi aliquid dixisse. Deinde mecum reputans, interrogaui, num ei philosophia polymathia, idem quod multa discere uideretur. Et ille omnino inquit. Existimas inquam pulchrum aliquid solum esse philosophiã, uel etiam bonum? Et bonum inquit. Vtrum philosophiæ id propriũ facis, an etiam alijs eodem pacto tribuis: ut uerbi gratia, studium gymnasticæ, non modo pulchrum esse, sed etiam bonum? Tunc ille ludens duo protulit. Aduersus hunc, inquit, dico, quod neutrum sit: aduersus autem te ô Socrates, & pulchrum & bonum simul esse fateor. Ergo in gymnasiis etiam multũ laborem existimas esse gymnasticę studium? Et maxime quidem inquit ille, quemadmodũ in philosophando multa discere, philosophiã puto. Ego uero credis inquam, gymnasticæ studiosos aliquid aliud appetere, quàm ut eorũ corpora bene se habeant? Idipsum inquit. Num multi labores bonam corporis habitudinem efficiunt? Quonam pacto, inquit ille, ex paucis laboribus robustũ corpus fieri possit? Hic mihi uisus est gymnasticus ille prouocandus esse, qui mihi peritus gymnasticę auxilium ferret. Illũ igitur percontatus sum. Quid uir optime isto loquente tu taces? Num & tibi uidentur homines è multis potius laboribus quàm temperatis robur acquirere? Equidem ô Socrates, ego illud quod dici solet uidere uideor, nempe ex moderatis cor-

Ordo quæstionũ analyticarũ: nõ scietur quale, nisi sciatur quid sit: neque quid sit, si ignoretur an sit. Prima definitio philosophię ex Solone

Cõfutatio à ratione aliorũ studiorũ

pus bene se habere. Vnde, inquam, uides? non insomnem potius & nauseabundum uirum, ceruicęq; molli & curis extenuata reddunt? Et quum hæc annuisset, delectati adolescentes riserunt. Alter autem ille erubuit. Tunc ego, quid tu igitur? cõcedis ne, nec paruos neq; magnos labores habitudinem bonam corporis efficere, sed moderatos? an nobis qui duo in eadem sententia sumus, repugnas? Libenter equidem, inquit, tibi repugnarem, atq; sat scio aduersus eum ualerem, id quod proposui defendere, etiam si causam haberem minus ualidam. Nullius enim precij est. Verum tecum haud decet insolentius contendere: confiteor igitur, nõ multas, sed temperatas exercitationes bonum corporis habitum hominibus præstare. Cibi autem, inquam, multi, an moderati? Et cibi, ait. Præterea compuli eum ut concederet reliqua omnia quæ circa corpus uersant, temperata quidem prodesse quamplurimum, pauca uero uel nimia nihil. Et ille moderata iuuare confessus est. At quæ ad animam spectant, inquam, cum moderata adhibentur, cõducunt ne magis an immoderata? Moderata. Disciplinæ autem nónne ex ijs sunt quæ animæ adhibentur & conferunt? Consensit. Ex disciplinis itaq; quæ temperatæ sunt, non quæ multæ, utilitatem afferunt? Concessit. Quemnam ergo interrogare merito conueniat, quales sint labores atq; cibi corporibus accõmodi? In hoc tres arbitror conuenimus, medicum uidelicet, uel pædotribam interrogãdum. Quem uero de spargendis seminibus, quantum sit cõmodum? Agricolam consentaneum est. At uero de semente & plantatione disciplinarum in anima, quemnam merito percontemur, quales quantæ ue sufficiant? Hic cum ambiguitatis pleni essemus, ego iocans inquam, Vultis ne postquam nos in hoc ambigui sumus, ab ijs adolescentibus isthuc quæramus? An forsitan erubescimus, quemadmodũ procos inducit Homerus, cum nollent alium quenquam præter se arcum intendere? Sed cũ gra

Secũda philosophiæ definitio

uiter ferre uiderentur eum sermonem, alia quadam uia inuestigare aggressus. Qualia, in-

Declaratio definitionis

quam, esse debere conijciemus quæ oportet philosophum discere, cum neq; omnia, neq; multa sequi debeat? Suscipiens aũt sapientior ille pulcherrimas ait, atq; maxime cõgruas animo disciplinas eas esse, ex quibus maximã quis gloriam in philosophia consequatur: maximam uero gloriam adipisci si omniũ artium peritus esse uideat: aut si minus omniũ, plurimarũ saltem, earumq; præsertim quæ æstimatione sunt dignæ, ea præ cæteris discẽs, quæ liberos homines decet, quæ ue intelligẽtię ratione, non manuũ ministerio conficiuntur. Tum ego: Sic, inquam, dicis, quemadmodum in opificijs contingit? ubi opificem quidem quinq; ad summũ, aut sex minis emeres, architectum uero ne drachmarũ quidem decem milibus: nam per omnem Græciam rari admodũ reperiunt: nunquid tale aliquid ais?

Architecti rari admodum

Ille id audiens assensus idipsum se dicere confessus est. Eum mox interrogabã, utrũ possibile esset duas eundem duntaxat artes hoc pacto, nedum permultas magnasq; percipere. Et ille, Ne ita me dicere putes, inquit, ô Socrates, quasi philosophantẽ oporteat singulas artes ad summũ prosequi, quemadmodũ artificẽ quemlibet arte sua instructũ: uerũ ut liberum uirũ eruditumq; decet, ut potis sit percipere quæ ab unoquoq; artifice proferuntur, atq; id præ cæteris qui tũ adsunt: præterea ita sententiã suam interponere, ut semper ipse elegantissimus ac sapientissimus omnium in unoquoq; eorum quod solet ex arte qualibet dici, fieriq;, appareat. Atq; ego (adhuc enim quorsum tenderet, ambigebã) intelligo ne, inquã, qualem dicis esse uirũ philosophũ? Videris enim mihi talem dicere, quales in certamine sunt pentathli, cursoribus uel peltastis iaculatoribus collati. Etenim illi cursoribus uel peltastis in eorũ certaminibus inferiores sunt, secundumq; locũ tenent, reliquorum uero athletarũ primi atq; uictores. Tale aliquid forte dicis philosophiæ studiũ conferre philosophis, ut ab ijs qui in quauis arte supremi sunt, in eadẽ arte intelligẽtia quidẽ superent, secundũq; locũ teneant, reliquos uero antecedãt, ut philosophus in singulis facultatibus secundæ cuiusdã homo sortis existat. Eiusdẽ uideris philosophantẽ uirũ ostendere. Recte, inquit, ô Socrates, accipis de philosopho dicta, qui eum pentathlo compares. Est enim proculdubio talis, ut nulli negocio seruire penitus uelit, neq; in aliqua re usq; ad summum elaborare, ne propter unius exactam diligentiã in alijs omnibus instar manuarij cuiusdam consenescat consumaturq;, sed omnia mediocriter temperateq; attingat. Post hanc responsionẽ cupiens planius nosse quidnam diceret, bonos, inquã, uiros, utiles ne an inutiles esse censes? Vtiles, inquit, ô Socrates. Nónne si boni utiles sunt, inquam, mali inutiles erunt? Consensit. Quid autem philosophos uiros utiles uel inutiles

putas

putas? Ad hæc ille maxime omniũ utiles esse philosophos asseuerauit. Age igitur, dignoscamus si tu quidẽ uera dicis, quomodo utiles nobis sunt isti secundæ sortis homines. Manifestum enim est quod unoquoq; artifice inferior est philosophus. Annuit. Age, inquã, si uel tu uel ex amicis aliquis tibi charissimus ægrotaret, in quo sanãdo studiũ ponas, utrũ ad curã ualetudinis philosophũ illũ secundariũ induceres, an medicũ assumeres? Vtrũq;. Ne mihi dicas utrumq;, sed utrum potius? Nemo, inquit, ambigat, medicum & magis & prius. quid aũt in naui fluctibus agitata, utrum te & tua gubernatori an philosopho committeres? Gubernatori, inquit. Et in reliquis omnibus quãtisper artifex adest, philosopho non erit locus? Apparet, inquit. Philosophus igitur tunc inutilis est, cum artifices non desunt. Confessi uero sumus bonos quidẽ utiles esse, malos inutiles. Coactus est deniq; confiteri. Quid ergo post hæc abs te petam? An forsitã inhumanũ est, ultra perquirere? Quic quid lubet, inquit. Nihil aliud peto, nisi ut iterũ concedantur iam dicta, habent autẽ se in hunc modum. Confessi sumus philosophiam bonam esse, & extare philosophos, atq; eos ipsos bonos, bonos autem utiles, malos contrà inutiles. Deinde concessimus, dum artifices adsunt, philosophos inutiles esse, & artifices adesse semper. Nónne cõcessa hæc sunt? Sunt. Confitemur igitur ut uidetur secundum tuam orationem, siquidem philosophari est esse scientem in artibus eo pacto quo tu idem dixisti, malos philosophos esse, & inutiles, quamdiu inter homines artes sint. Verum non ita habet ô amice. Neq; philosophari circa artes studiose uersari est, nec multis negocijs incumbere, aut multa perdiscere, sed aliud quiddam: siquidem existimo & absurdum hoc esse, & mechanicos rectius appellari, qui artibus incumbunt. Hoc autem modo planius intelligemus, an uera dicam, necne, si hoc respondeas. Quinam equos recte domare norunt? utrũ qui illos meliores reddunt, an alij? Qui meliores. Quid autem canes, num qui eos meliores reddere, ijdem & recte coercere norunt? Omnino. Eadem ergo ars & meliores reddit, & recte coercet? Eadem. Quid autem? Vtrum quæ & meliores facit, & recte coercet, eadẽ discernit bonos & malos, an alia? Eadem, inquit. Vis igitur, inquã, idem de hominibus constituamus, quæ optimos reddat homines, eadem sit quæ & recte cohibet, & qui boni sint, qui ue mali, discernat? Prorsus, inquit. Nónne quæcunq; unũ, eadem & multos? & quæ multos & unum? Ita. Et in equis præterea cæterisq; omnibus eodem modo? Eodem, inquit. Quænã scientia est, quæ intemperantes & legum transgressores in ciuitate recte punit? nónne iudiciaria? Prorsus. An uocas iustitiam aliam quandam præter eam? Nullam, inquit. Nónne quascientia recte castigant & puniunt, eadem bonos & malos discernunt? Eadem. Quicunque uero unum norit, plures quoq; cognoscet? Cognoscet. At qui multos ignorat, ignorabit & unum? Consensit. Si ergo equus existẽs, bonos ac malos equos ignoret, seipsum ignorabit, qualis nam sit? Concessit. Et si bos cum sit, haud nouerit qui sint boni aut mali boues, sese etiam qualis ipse sit, ignoret necesse est? Ita est, inquit. Eodem quoq; modo si canis fuerit? Confessus est. Nunc uero cum homo quispiam existens, ignoret bonos homines & malos, nónne suijpsius etiã ignarus erit, bonus ne sit an malus, quãdo & ipse homo est? Annuit. Seipsum ignorare, sapere an desipere est? Desipere. Seipsum itaq; nosse, sapere est? Est, inquit. Hoc igitur ut uidet, & inscriptio quæ in Delphis est, præcipit, Prudentiam scilicet & iustitiam colere. Apparet. Hac eadem & recte cohibere scimus. Annuit. Qua ergo recte cohibere scimus, ea uticq; iustitia est: qua uero & nosipsos & alios dignoscere possumus, prudentia. Videtur. Eadem igitur est iustitia atq; prudẽtia. Apparet. Quinetiam ciuitates tunc optime gubernantur, quum iniusti dant pœnas. Vera narras. Atq; hæc ciuilis scientia est. Est, inquit. Quid uero quotiens uir unus recte ciuitatem instituit, quod nomen illi conueniet, nónne tyranni & regis? Annuit. Nónne tyrannica aut regia arte gubernat. Immo. Hæ itaque facultates eædem cum superioribus sunt. Videntur. Quid uero quum uir unus domum recte disponit, quod huic nomen maxime congruit? nónne œconomus ac dominus? Conuenit. Vtrum & iste iustitia bene regit familiam, an alia facultate? Iustitia. Idem est igitur ut apparet, rex, tyrannus, ciuilis, œconomus, dominus, prudens, iustus: atq; una quoq; ars, regia, tyrannica, ciuilis, dominica, œconomica, iustitia atq; prudentia. Videtur. Quid itaq; philosopho uiro, quotiens medicus de ægrotantibus quisquam dixerit, turpe est non posse dicta illius assequi aut huc aliquid afferre, quasi aliorũ artificũ quisquã; cumq; aut iudex aut alius quispiã eorũ quos paulo ante retulimus

Definitionẽ inductione colligit

Philosophia est qua quisq; quã se & alios boni ne an mali sint, cognoscit

Pulchræ rationes ab eodẽ & diuerso, & contrario sumptæ

Declaratio oraculi Delphici

tulimus,non absurdum in ijs nec assequi dicta,neq; quicquam cõferre posse? Quid ni esset absurdum ô Socrates,in tantis rebus nihil habere quod consulas? Vtrum igitur,in eq;, & circa hæc philosophum ut pentathlum esse oportere dicimus, & secundas tenentem inutilem esse,quamdiu aliquis illorum est:uel primum quidem ipsum oportere domum suam nulli administrandam præbere,neq; secundas in hoc partes tenere, sed ex seipso omnia castigare,recte iudicantem,siquidem familiam suam recte administrat? Assentieba tur ille mihi. Atq; ego addidi: Tum si aut amicus huic aliquis uitæ suæ rationem, aut ciuitas quicquam discernendum aut iudicandum committat, num turpe ô amice sit secũdas eum in his tenere,aut tertias,neq; ducem potius existere? Ita mihi uidetur, inquit. Absit igitur ô uir optime,ut philosophari sit plurima discere,artesq; tractare. Cum ista dixisset, sapiens quidem ille ex antedictis rubore affectus tacuit. Indoctus autẽ affirmauit sic esse, & cæteri omnes dicta collaudarunt.

ARGVMENTVM MARSILII IN LIBRVM QVI THEAGES INSCRIBITVR, VEL DE SAPIENTIA.

DISTINGVITVR in hoc dialogo Sapientia, & ultimum distinctionis membrum sic inuestigandum assumitur, ut quo pacto acquiratur ab hominibus, pateat. Prima partitione Sapiẽtia duplex dicitur. Vna absoluta, cõditionalis altera. Absoluta, quæ simpliciter absq; additiõe aliqua sapiẽtia nominatur. Conditionalis, quæ non simpliciter sapientia, sed sapientia quædam dicta est. Illa sic definitur. Cognitio earum rerum de quibus haberi scientia potest. Habetur autem scientia de ijs quæ semper eadem, & eodem modo sunt: huiusmodi sunt summa rerum principia, & æternæ rerum omnium rationes: hæc autem diuina dicuntur, quo fit ut sapientia sit diuinarum rerum scientia: quæ quidem absoluta sapientia est. Conditionalis uero omnibus artibus & facultatibus est communis. Nam summitas cuiusq; artis sapientia quædam uocatur, ut sapientia gubernatoria, sapientia aurigaria, sapientia militaris. Ex omnibus autem quæ cum additione sapientiæ nuncupantur, præcipua est, quæ cæteris ut ministris utitur, cuiusmodi ciuilis sapientia est. Quæ quidem facultas commune ciuitatis & gentiũ bonum coniectans, definitur. Hæc tum ciuilis tum regia disciplina uocatur. Cuius subiectum ciuitas est: finis, commune bonum: ministræ, artes omnes. Officia duo, leges condere, & conditas exequi. Illud per prudentiam nomotheticam, hoc per iustitiam legalem & iudiciariam agit. Verum quo pacto quis ciuilem sapientiam nãciscatur, in plurimis eius disputationibus Plato dubitat: & in præsenti Theage, utrum ciuiles homines, an sophistæ, an contemplatiui duntaxat philosophi eam doceant. Quod à ciuilibus uiris, aut sophistis, aut soli cõtemplationi deditis discatur, in Menone & hic quodãmodo negat, quod illi ne filios quidem suos unquam docuerint, quod isti rationem boni non habeant, quod hi rerum humanarum experti minime sint. Restat igitur, ut hæc aut à philosophis & contemplandi & agendi apprime peritis percipiatur, aut diuina sorte contingat. Illi nusquam reperiuntur. Vnde in Menone & in Theage diuino munere fieri asserit, ut in animos ciuium temperatos Dei prouidentia boni ipsius intelligentiam & leges ad id ducentes infundat. Quam sane notionẽ hic ciuilem sapientiã, in Menone propriori uocabulo uaticinium quoddã nominat, ciuilesq; uiros furentibus comparat. Sæpe etiã ait, nunquam à malis genus hominum cessaturum, nisi aut legitimi philosophi dominentur, aut ij qui gubernant rempub. diuina quadam sorte philosophentur. Hoc autẽ libro cum Socrates in sua membra sapientiã distinxisset, & hanc ciuilem sapientiam sub quadam ironiæ specie, nec à ciuilibus uiris, nec à se ut à philosopho contemplationi dedito Theagem adipisci posse dixisset, subiunxit tentãdam esse uim dæmonis, & deniq; uoluntatẽ dei precibus exorandam, quasi illinc ista discantur, & dei prouidẽtia per medios spiritus, sæpe hominibus agendorũ oracula pandat. Eos aũt ministros, qui dei iussu bonorum ciuium & legitimorũ principum mentes ad bene gubernandũ illuminãt, Dionysius Areopagita principatus nominat. Esset hic fortasse de dæmone Socratis disputandum, sed argumenti breuitas prohibet. Quinetiam Maximus Tyrius, & Hermias, & Apuleius de hoc abunde disseruerunt. Inducit autem hic tres Plato personas, Demodocum ciuem Athenienſem, unà cum filio suo Theage sapientiam affectante, & Socratem. Incipit uero à Demodoci petitione dialogus.

THEAGES, VEL DE SAPIENTIA.

DEMODOCVS, SOCRATES. THEAGES.

QVPVS habebam ô Socrates, quædam priuatim tecum communicare, si quidem ocium sit: uel etiam negocium, modo non omnino magnum, uelim enim mea causa ocium agas. SOCR. Equidem ociosus & alioqui sum, sed tui causa maxime. Si quid ergo dicere uis, licet. DEMOD. Vin secedamus hinc in proximam Iouis liberatoris porticum? SOCR. Vt lubet. DEMOD. Eamus ergo ô Socrates. Omnes quidem plantæ eodem se modo habere uidentur, & quæ è terra nascuntur, animaliaq; omnia, & homines denique ipsi. Vt enim in plantis facillimum hoc nobis est qui terram colimus, præparare quidem omnia antequam plantemus, & ipsa etiam plantatio: postquam uero quod plantatum est uiuit, tunc cultus ipsius uarius est & difficilis, sic & in hominibus uidetur. Ex meis enim rebus cætera coniicio. Etenim hęc mihi mei filij siue plantatio, seu generatio appellanda sit, omnium facillima extitit: educatio autem difficilis, & plena timoris semper, maximum metum ipsius causa subeunti fuit. Et alia quidem multa de hoc dici possent: præcipue uero cupiditas quæ huic nũc inest, uehementer me sollicitat. Est enim non ingenerosa, uerum talis, ut fallere possit. Cupit enim ô Socrates, ut ipse ait, sapiens effici. Et ut mihi uidetur, populares quidem eius æquales in urbem uenientes sermonibus suis hunc uehementer incitauerunt, quos æmulari cœpit, & mihi iampridem molestus est, uolens ut eius curam suscipiam, ac pecuniam sophistę alicui qui ipsum sapientem reddat, persoluam. Mihi uero pecuniarum minor est cura: uerum hunc existimo ob hoc eius studium in periculum nõ mediocre incursurum. Hactenus igitur huic obstiti, consolando: sed ubi diutius nequeo, operæprecium fore duxi ut ei obtemperem, ne sine me frequenter cum alijs uiuens corrumpatur. Nunc autem ad hoc proficiscor, ut eum apud aliquem sophistarum sistam. Tu igitur peropportune nobis obuiam factus es, quem quidem hac in re mihi consultorem maxime cupiebam. Itaque si quid habes quod mihi in ijs quæ audiuisti, consulere queas, licet & expedit. SOC. Cæterum ô Demodoce, consilium res sacra est: & si unquam ullum aliud, hoc est in primis de quo quæris. Non est enim diuinius aliquid quo de quis consulere queat, quàm de institutione sui atque suorum. Primum igitur conueniamus, quidnam hoc esse putemus quo de consultamus, ne sępenumero ego quidem aliud illud existimem, tu item aliud, ac deinde longe dissentiamus, ridiculi quidem existentes ambo, & ego quidem, & tu qui postulas consilium, quum nihil dum consenserimus. DEMOD. Recte quidem mihi dicere uideris ô Socrates. Itaq; faciendum censeo. SOCR. Recte inquam, non omnino tamen recte: nam paulisper id muto: dubito enim ne forte hic adolescẽtulus alia quædam quàm quæ nos rebamur, cupiat: quod si alia, nos quoque absurdius faciamus de alio consultantes. Rectissimum igitur mihi uidetur, ut initium hinc sumentes, ipsum quid maxime instituat, rogemus. DEMOD. Optimum apparet. SOCR. Dic igitur mihi, quod pulchrum nomen est puero: quo nomine ipsum uocabimus? DEMOD. Theages, ô Socrates. SOC. Pulchrum, ô Demodoce, filio nomen imposuisti. Sed tu dic mihi Theages, cupis ne sapiens esse? ac dignum existimas esse, ut pater hic tuus uirum inueniat, qui te sua consuetudine sapientem reddat? THEA. Cupio. SOCR. Sapientes autem utrum uocas homines scientiam habentes, quæcunq; illa sint quæ scierint, necne? THEA. Scientes equidem. SOC. Quid igitur, nónne te pater edocuit, quæ hic nobilium uirorum filij docentur? scilicet literas, citharam pulsare, palæstram, & alia certamina? THEA. Docuit. SOCR. Putas præterea te aliqua scientia indigere, de qua curam suscipere tui causa patrem deceat? THEA. Puto. SOCR. Quæ est igitur ipsa? dic nobis, ut tibi gratificemur. THEA. Nouit & hic ô Socrates, quoniam persæpe illi narraui, sed de industria hæc nunc tecum loquitur, quasi nescíat quæ cupiam: hoc enim modo & in alijs multis mecum pugnat, neque uult alicui me tradere. SOCR. Atqui quæ hactenus aduersus hunc abs te dicta sunt, testibus carent: nunc autem me adhibe testem, atque coram me denuo recense. Quænam est hæc sapientia quam appetis? Age si cuperes eam qua homines nauigia gubernãt, & ego te rogarem, quanam, ô Theages, sapientia indigens, patri succenses, quod te his à quibus sapiens reddi potes, non tradat, quamnam esse responderes, nónne gubernatoriam?

THE.

Occasio dialogi est oratio Demodoci: in quo dialogo ut nomẽ habetur sapiẽtię, ita monstratur per alia studia quæ nõ est, ita ut non quæ sit, sed quæ nõ sit declaretur.

Prouerbiũ Quid prœuenire oportet eos qui de re consultare uelint.

Pulchra nomina imponẽda pueris

Hic cõcedi-
tur ſapiẽtia
cõditiõalis,
quæ multifa
riã habetur.
Etſi ſapiẽtiæ
nomẽ habe
at illa quæ
proprie &
ſimpliciter
eſt ſapiẽtia,
abijſquę nõ
proprie ſũt
ſequeſtrata,
monſtrat

THE. Certe. SOCR. Sin autem illius cuperes eruditum te fieri, qua currus reguntur, ac patri ſuccenſeres, ego uero rogem, quænam ea eſſet, nónne aurigariam reſpondeas? THE. Vtiq;. SOCR. Quam igitur nunc cupis? Vtrum illam quidem noſti, nomen autem ignoras? uel nomen etiam tenes? THE. Etiam nomen. SOCR. Dic ergo quid eſt? THE. Quod aliud nomen huic congruere dicas ô Socrates, quàm ſapientiæ? SOCR. Nónne etiam aurigaria, ſapientia eſt? An ignorantia tibi uidetur? THE. Nullo modo. SOCR. An non ſapientia? THE. Sapientia. SOCR. Qua ad quid utimur? num qua ſcimus equorum iuga regere. THE. Profecto. SOC. At gubernatoria nónne & ipſa ſapientia eſt? THE. Mihi quidem uidetur. SOC. Num & ea eſt qua naues gubernamus? THE. Ea utiq;. SOC. Ea uero quam nunc optas, quæ nam ſapientia eſt, quid ue ea miniſtrat? THE. Mihi quidem uidetur ea qua ſcimus hominibus imperare. SOC. Num qua ægrotantibus? THE. Minime. SOC. Ipſa enim medicina eſt, nónne? THE. Eſt. SOC. At qua canẽtibus ſcimus in choris præeſſe? THE. Nequaquam. SOC. Muſica enim eſt. THE. Ita. SOCR. Sed utrum qua certantibus præeſſe? THE. Nequaquã. SOC. Gymnaſtica enim eſt. THE. Eſt. SOC. Verum qua quid facientibus, conare exprimere ſic, quemadmodum ſuperiora ego. THE. Mihi plane uidetur ea, qua his qui ſunt in ciuitate. SOC. Nónne in ciuitate ægroti etiam ſunt? THE. Sunt quidem, ſed non iſtis ſolum dico, uerum omnibus qui in ciuitate uerſantur. SOC. Intelligo quam artem dicis. Víderis enim non eam qua præeſſe nouimus metentibus aut uindemiantibus, aut plantantibus, aut ſerentibus, aut triturantibus: ipſa enim per quam ijs imperamus, agricultura eſt. THE. Eſt. SOC. Neq; rurſus qua uel ſecantibus, uel perforantibus, uel polientibus, uel torno aliquid facientibus: nam hæc ad fabros pertinet. THE. Certe. SOCR. Verum fortaſſe qua ijs uniuerſis, & agricolis, & fabris, & artificibus omnibus, ac priuatis cunctis mulieribusq; & uiris imperitamus, eam tu ſapientiam dicis. THE. Iſtam ipſam ô Socrates iampridem dicere uolebam. SOC. Potes ne dicere an Ægiſthus, qui Agamemnonem apud Argos interfecit, his omnibus imperauit, quos dixiſti, artifici bus, priuatis, uiris, mulieribusq; uniuerſis, an alijs quibuſdam? THE. Non alijs, ſed ijs omnibus. SOCR. Quid autem Peleus Æaci filius in Phthia, nónne ijſdem dominatus eſt? THE. Eiſdem. SOC. Periandrum uero Cypſeli nónne audiſti apud Corinthios imperaſſe? THE. Equidem. SOCR. Nónne eiſdem in ciuitate ſua dominatus eſt? THE. Certe. SOCR. Quid uero Archelaum Perdiccæ nuper in Macedonia imperantem, num ijſdem exiſtimas dominatum? THE. Equidem. SOC. Hippiam autem Piſiſtrati in hac urbe dominantem, quibuſnam præfuiſſe arbitraris? nónne ijſdem? THE. Quid ni? SOCR. Bacis uero, & Sibylla, & noſtrâs Amphilytus, quonam pacto tibi cognominandi uiderentur? THE. Non alio quàm uatum nomine. SOCR. Recte dicis, eodem modo conare ut inuenias quo cognomine Hippiam & Periandrum propter eundem principatum nomines. THE. Qui uocem quàm tyrannos? SOCR. Ergo quicunq; cupit more iſtorum uniuerſis ſuis ciuibus imperare tyrannidem appetit, & eſſe tyrannus ſtudet. THE. Ita uidetur. SOCR. Hanc tu optas? THE. Videtur ex ijs quæ dixi. SOCR. Sceleſte, more tyranni nobis præeſſe cupis? Ac iamdudum ſuccenſes patri, qui te ad aliquem tyrannidis præceptorem non mittit? Et te Demodoce non pudet, qui dudum noris quid hic concupiſcat? & ſi habuiſſes quò ipſum mitteres, artificem ſapientiæ illius quam petit, feciſſes? poſt adeſſes, cupiuiſſesq; nunquam miſſum? ſed nunc uides. Cum uero te coram accuſauerit, conſultemus ſimul ego & tu, eſt ne quò mittamus, ut alicuius conſuetudine ſapiens tyrannus efficiatur? DEMO. Per Iouem ô Socrates, conſultemus. Eſt enim ut mihi uidetur, conſilio opus, & maximo. SOCR. Sine bone uir, interrogemus ipſum prius. DEMO. Interroga. SOCR. Quid ſi Euripide ad aliquid utamur ô Theages? Inquit enim ille, Sapiunt tyranni ſapientum conſuetudine. Si quis Euripidem roget, qua in re ſapientum conſuetudine ais ſapere tyrannos? quemadmodum ſi cum dixiſſet, ſapientes agricolæ ſunt ſapientum conſuetudine, percontaremur, quanã in re ſapientum, quid putas ipſum dicturũ? an aliud quàm in re ruſtica? THE. Nihil aliud. SOC. Eodem modo ſi dixiſſet, ſapientes coci ſapientum conſuetudine, nosq; rogaremus, quanam in re ſapientum, quid aliud reſponderet, quàm coquinaria? THE. Idipſum. SOC. Quid ſi dixiſſet ſapientes athletæ ſapiẽtum conſuetudine, & nos in quo ſapientũ interrogemus, nónne certando reſponderet? THE. Imò, SOC. Et quia dixit, Sapientes tyranni ſapientum conſuetudine, ſi rogaremus illum,

qua

qua in re ô Euripides ſapientum, quid eum reſponſurum putas? THE. Per Iouem neſcio. SOC. Vis tibi dicam? THE. V tlubet. SOCR. Hæc ſunt quæ ait Anacreo ipſam Callicretem noſſe. Audiſti carmen? THE. Audiui. SOCR. Quid igitur, huiuſmodi ne uiri conſuetudinem cupis, qui eam artem teneat, quam tenebat Callicretes Cyane nata, quiq; ſciret tyrannica quę Callicreten nouiſſe poeta inquit, ut & in nos & ciuitatem tyrannidem exerceas? THEAG. Iamdudum me mordes Socrates atque irrides. SOCR. Quamobrem? nónne ais hanc te ſapientiam optare, qua cunctis imperes? Atqui hæc faciens aliud'ne quàm tyrannus ſis? THE. Optarim quidem uel omnium hominum, uel quamplurimorum tyrannide potiri, quod idem de te ac cæteris omnibus perſuadeo mihi, aut etiam deus eſſe. Veruntamen non hoc appetere dicebam. SOCR. Quid tandem eſt hoc quod cupis? nónne ciuibus præeſſe? THE. Non ui quidem, neque ut tyranni, ſed uolentibus, quemadmodum alij in ciuitate rationis compotes homines. SOCR. Dicis ergo qualis Themiſtocles fuit, & Pericles, & Cimo, & quicunque alij in adminiſtratione reipublicæ floruerunt? THE. Per Iouem iſtos inquam. SOCR. Quid uero ſi nobilis eques eſſe ſtudeas, & in ea arte ſapiens, ad quoſnam alios accederes quàm ad equites? THE. Ad nullos alios. SOCR. Quippe ad hos ipſos qui equeſtri arte pollent, & qui equis tum noſtratibus, tum alienis quamplurimis utuntur. THE. Scilicet. SOCR. Eodemq; modo ſi ſapienter iaculandi artem adipiſci cupias, ad eos qui optime iaculantur, & qui multis tam alienis quàm proprijs utuntur ſpiculis proficiſcereris. THEA. Mihi quidem uidetur. SOCR. Age itaq; poſtquam in ciuilibus erudiri uis, ut in ijs ſapiens fias, ad alios accedendum putas, quàm ad hos ciuiles homines, qui diſciplina ciuili ſummopere ualent, & utuntur ea, tum patria, tum aliarum ciuitatum & Græcarum & barbararum? An putas ab alijs ſapientiam earum rerum poſſe conſequi, quas iſti ſoli norunt? THE. Audiui Socrates ſermones quoſdam, quos tuos aſſerunt, ciuilium uirorum liberos nihilo meliores quàm cerdonum eſſe. Et mea quidem ſententia uera dicis. Inſipiens ergo ſim ego, qui de illorum numero eſſe poſſum, ſi mihi perſuadeam, aliquem iſtorum ſuam mihi ſapientiam traditurum, qui quidem ſuos filios ipſorum minime iuuent, putemq; uel mihi, uel ulli mortalium ad hanc rem poſſe prodeſſe. SOCR. Quid tu igitur optime hominum agas, ſi cum tibi filius eſſet, huiuſmodi negocia exhiberet, oſtendens cupere in optimum pictorem euadere, ſuccenſeatq; tibi quod nullam in ſe pecuniam eius gratia collocares, ſed ipſos pingendi artifices paruipenderet, neque ab eis aliquid uellet diſcere, tibicines item tibicen eſſe uolens, uel etiam citharœdos, habes quod cum eo agas, uel quò tandem illum mitteres, nolentem ab iis diſcere? THE. Minime profecto habeo. SOC. Nunc igitur eadem hæc faciens, miraris atque ſuccenſes patri, cum dubitat quid tecum agat, & quò te mittat, quem Athenienſium in adminiſtranda republica præſtantiſſimorum cuicunque uoluiſſes commendaturi eramus, qui tecum ſine precio uerſatus fuiſſet: ſimulq; & ſumptibus pepercíſſes, & ab huiuſmodi conſuetudine plus nominis quæſiuiſſes quàm omnium cæterorum. THEA. Quid igitur Socrates, nónne tu ex bonis uiris es? Si me ſuſceperis, ſat habeo, neq; alium quæro. SOCR. Quid hoc dicis? DEMO. Non male dicit ô Socrates, neq; mihi quicquam hoc iocundius utiliusq;, ut arbitror, eſſe poſſet, quàm ſi huic tua conſuetudo placeat, & ſi tu cum eo uerſari uelis: & profecto pudore impedior dicere quàm uehementer affectem. Itaque ambos uos rogatos uelim, & te ut uelis hunc ſuſcipere, & te ne alium quàm Socratem quæras, meq; maximis curis & formidine plenis obſecro liberetis, quoniam nunc uehementer timeo, ne hic cuiuſpiam alterius conſuetudinem quærat à quo deinde perdatur. THEA. Ne ulterius mihi timeas mi pater, ſi huic perſuadere potes, ut me ſuſcipiat. DEMO. Recte loqueris, & ad te ô Socrates omnis poſthac oratio conuertetur. Ego enim ut breuiſſime loquar, me ſimul ac mea opera uel chariſſima quocunq; indigeas, tibi libentiſſime trado, ſi hunc Theagem ſuſceperis, eiq; pro uirili tua benefeceris. SOCR. Equidem ô Demodoce ſtudium hoc tuum non admiror, ſiquidem exiſtimas maxime à me hunc iuuari poſſe. Non enim uideo ubi maiore diligẽtia opus ſit, ſi quis mentem modo habeat, quàm ut filium optimum reddat. Sed unde tibi hoc ita uiſum eſt, me uidelicet tuum filium meliorẽ poſſe ciuem reddere quàm tute poſſis? Atque unde hic ſibi perſuaſit poſſe magis à me quam abs te ad hanc rem iuuari? Id enim uehementer admiror: tu enim primum me ſenior es, deinde multis

Nulli rei maior diligentia adhibẽda q; filio inſituendo

ac

ac maximis apud Athenienses functus es magistratibus, neq; te magis quisquam à popularibus Anagyrusiis ac reliquis ciuibus honoratur. In me autem horum quicquam neuter uestrum uidet. Verum si ciuilium uirorum consuetudines Theages iste contemnit, aliosq; quærit qui instruere inuentam profitentur, est hic Prodicus Chius, & Gorgias Leontinus, & Polus Agrigentinus, aliiq; permulti, qui adeo sapientes sunt, ut cum urbes adeunt, nobilissimos & ditissimos alliciant ad se iuuenes: quibus cum uel optimorũ quorumcunq; familiaritate gratis uti liceret, eorum assuetudine relicta, persuasi ad illos conferunt se, precium, atq; id ingens offerentes ultro, & gratiam insuper maximam habẽtes. Ex his ergo decebat te ac filium tuum aliquem eligere, me uero ad id elegisse non conuenit. Nullam enim ex istis beatis & pulchris disciplinis profiteor, uelim tamen mihi illas esse notas. Verum semper nihil scire me dico præter exiguam quandam amandi disciplinam, qua uulgo uehementior, tum superioribus, tum etiam præsentibus uiris esse uideor. THE. Vides ne pater Socratem hunc non admodum familiaritatem meam recipere? Nam quod ad me attinet, paratus eram, modo ipse uoluisset: sed hæc omnia ille ioco aduersus nos dicit. Noui enim meorum æqualium & aliquanto seniorum nonnullos, qui cum antea nullius essent æstimationis, postquã familiaritate istius usi sunt, breui omnium supremi eorum euaserunt, quorum infimi prius erant. SOC. Nosti quale hoc sit ô Demodoci fili? THE. Noui per Iouem: si uoles enim, talis fiam, quales illi fuerunt. SOC. Non ita ô optime, sed hoc te fefellit, quale sit: ego autem tibi dicam. Adest mihi diuina quadam sorte dæmonium quoddam à prima pueritia me secutum: hoc enim uox est quędam, quę cum fit, semper eius rei quam facturus sum, dissuasionem innuit, prouocat uero nunquã. Quòd si quis amicorum mecum quandoq; aliquid communicat, uenitq; uox, hoc illa dissuadet, neq; facere sinit. Cuius equidem rei uobis testes dabo. Charmidem uirum bonum Glauconis filium noscitis, hic aliquando in Nemea stadio se exercitaturus mecum communicabat. Ac statim ubi dicere inciperet quod se exercitaturus esset, affuit uox: ego prohibui: edicens quemadmodum dæmonij uox extiterat ne se exerceret. Ille uero, Fortasse inquit, significat me uictorem non euasurum: & si uictoria non potiar, tamen me exercens, aliquid proficiam interim puto. Atq; ita locutus, in certamen abit. Operæprecium igitur est audire quid ei ex eo certamine contigerit. Iam si uultis & Clitomachum Timarchi fratrem rogare quid ei Timarchus dixerit, cum iam moriturus esset. Is enim & Euathlus quidam cursor, qui illum fugientem suscepit, referet uobis quid ille tunc dixerit.

Munus sophistarum

Dæmon Socratis

THE. Quidnam? ô Clitomache, inquit, equidem quamprimum moriturus uenio, quoniam Socrati obtemperare nolui. Hoc quid ita dixerit Timarchus, ego exponam. Cum enim surrexissent ex conuiuio Timarchus, & Philemon Philemonidis filius, interfecturi Niciam Hiroscamandri filium, soli enim insidiarum ij conscij fuerant: hic Timarchus, Quid ais ô Socrates, inquit. Vos quidem bibite, me uero oportet aliò ire, redibo autem paulo post, si occasio erit. Tum mihi aderat uox. Itaq; ne surgas inquam, solitum mihi à dæmone signum datum ferens. Quieuit ille. Deinde paulisper commoratus ardebat iterum eundi cupiditate, dicens, eo iam Socrates. Et quia iterum uocem audiui, rursus illum cohibui, donec ille tertio latere me cupiens clanculum, cum ego mentem aliò aduertissem, se subripuit: & sic profectus ea patrauit, quæ mortis ei causa fuerunt. Hæc eadem ille fratri, quemadmodum nunc ego uobis, dixit, se scilicet moriturum uenire quod mihi credere noluisset. Audietis præterea ab his qui in Sicilia sunt, quæ de exercitus conflictu prędixeram. Et præterita quidem ab his qui illa nouerunt, audire licet. Experiri uero dæmonij signum siquid forte dicat, etiam nunc possumus. In expeditionem namq; exijt Neonus Calì filius. Mihi autem signum adfuit, proficiscitur uero nunc cum Thrasylo aduersus Ephesum & Ioniam militaturus. Ego autem illum existimo uel interfectum iri, uel huiusmodi aliquid incursurum, & de reliquo negocio uehementer metuo. Hæc omnia ideo tibi dico, quia potestas omnis ad familiaritates cum his qui mecum sunt instituendas penes dęmonium est. Multis enim aduersatur, neq; licet his auxilium ferre, qui mecũ inuito dæmone conuersantur: quare impossibile est mihi cum his uiuere. Multis autem hærere non prohibet, sed consuetudine nostra nihil omnino iuuãtur. quibus autem fauerit in ipsa familiaritate potestas dæmonij, illi sunt de quibus illud animaduertisti, breui enim proficiunt. Sed eorum partim hoc beneficium firmum habent atque durabile, pleriq; uero

quoad

quoad mecum sunt, mirifice pollent, at ubi discesserint, rursus nihil à cæteris differunt. Hoc quandoq; accidit Aristidi Lysimachi filio, eius qui filius fuit Aristidis. Nam mecum commorans breui multum profecit: postea uero in militiam profectus est, rediẽs deinde offendit apud me agentem Thucydidem Melisi filium: hic aũt Thucydides pridie mihi inter disputandum nescio qua de re obiecerat. Cum me salutasset, & quædã insuper collocutus esset Aristides, Thucydidem, inquit, ô Socrates audio gloriari, & in quibusdam tecum etiam cõcertare, tanquam aliquid sit. Est inquam ut dicis. Tum ille, non meminit, inquit, antequam tibi adhæreret, quale fuerit mancipium? Nõ uidetur inquam per deos. At ego, inquit ille, ridiculus sum. Quidnam maxime inquã? Quoniam priusquam hinc abirem, cum quouis disputare audebam, neq; aliquo uidebar in disserẽdo deterior, adeò ut cœtus præstantium uirorum audacter adirem. Nunc autem contrà, fugio quemcunq; eruditum esse intellexi, adeò pudore abducor ob inscitiam. Vtrum igitur inquam eucstigio te reliquit illa uis? an paulatim? Paulatim, inquit. Quando uero in te incesit, utrum accidit tibi aliquid à me discenti, an aliter? Dicam ô Socrates rem quidẽ incredibilem, ueram tamen. Nihil unquam à te ut ipse scis, didici, proficiebam autẽ quotienscunq; tecum essem, & si in eadem solum domo essem, non tamen in eadem parte domus, magis tamen quotiens eadem in parte. Et mihi quidem uidebar multo magis, quando in eadem parte existens, aliquid te dicentem intuebar, quàm cum aliò essem auersus. Sed lõge magis proficiebam, cum apud te sedens, te tangebam. Nunc autem omnis habitus ille defluxit. Est igitur ô Theages huiusmodi nostra consuetudo. Si enim Deo gratum est, permultũ quidem & breui proficies. sin cõtrà, minime. Vide igitur ne tibi tutius sit ab aliquo illorum eruditi, quibus in sua potestate sita est utilitas qua cæteris prosunt, q; à me fortuna quadam id assequi. THE. Mihi quidem sic faciendum Socrates uidetur, ut consuetudine nostra de dæmonio intelligamus. Quod si nobis annuerit, recte omnia: sin minus, quid agẽdum sit cõsultabimus tum, alteri ne cuipiam adhæreamus, an hoc diuinum quod tibi insitum est, precibus & sacrificijs & alio quouis denicq; pacto, quo uates iubent, placemus. DEMO. Nihil ad hæc ô Socrates huic adolescenti repugnes, bene enim dicit Theages. SOC. Atqui si uidetur oportere sic agere, sic agamus.

ARGVMENTVM MARSILII IN MENONEM DE VIRTVTE.

QVATVOR *esse argumentationum genera, quibus* Plato *utitur, exemplum, inductionem, ratiocinationem, & enthymema, & quo pacto fiant, satis in* Alcinoi cõpendio, *quod & nos traduximus, declaratur. Vbi etiam tres* Platonicorum *dialogorum species inuenimus, & quibus argumẽtationib. in unaquaq; dialogi specie uti soleat. Aut enim solum inquirit, falsa ue confutat dialogus, aut solum uera exponit ac docet, aut in utroq; uersatur. Primus inquisitiuus & contentiosus. Expositiuus alter. Postremus mixtus est dictus. Meno autem licet mixtus sit, maiori tamen ex parte contendit & confutat, & omnes argumentationes attingit. Vt nisi qui ex alijs* Platonis *dialogis, qui ad expositionem magis quàm ad disceptationẽ pertinẽt, sensa colligat, & Menoni huic adijciat, difficile summã disputatiõis huius elicere possit. est autem hæc, quid uirtus sit, & quomodo nobis adsit, inquirere. Id* Socrates *efficit, dum quatuor* Menonis, Aristippi, Gorgiæ, *et* Prodici *de uirtute definitiones cõfutat, & definitionem suam post illas inductã geminis obiectionib. retractat. Veritas quippe ex redargutione falsitatis elucet. Est autem hominis uirtus affectio siue habitus animæ, quo potentia naturalis eius quàm optime suũ opus exercet. quæ definitio in libris de* Republica *traditur. Opus cuiusq; potentiæ tũc optime exercetur, cum ad finem suum dirigitur. Quod ad finem cõfert, utile dicitur. Merito igitur in hac disputatione commune uirtutis officium id esse traditur, ut & actiones & ea quibus agendo utimur, utilia reddat. Illa itaq; definitio huic dialogo consonat, cunctisq; uirtutibus est cõmunis. Virtutum profecto species plures sunt, pro uiriũ animæ & actuum diuersitate, in quibus una tamen quæ dicta est communis uirtutis ratio semper inspicitur. Prima uis animæ mens est, cuius actus est perpetua contemplatio ueritatis. Secunda ratio, cuius actus ueritatis inuestigatio. Tertia phantasia, cuius actus collectio eorum quæ sensus eius nuncij porrigũt, perq; illa discursus. Atq; hæ sunt uires animæ, quæ cognitiuæ dicuntur. Restant tres aliæ, quas appetitiuas uocant: Voluntas, & irascendi uis, & concupiscendi. Volũtatis actus, appetere quæ mens & ratio porrigit. Irascibilis, aggredi quæ ratio & phantasia proponit. Concupiscibilis actus, adsciscere quæ phantasia sensusq; obijciunt. Sex insuper istis duæ subijciuntur, moucndi & nutriendi uigor, sed hæ cum superioribus, aut nihil, aut uix, & parum admodum in uirtute cõmunicãt. Af-*

Tria dialogi officia

Vires animę cognitiuæ

Vires appetitiuæ

Vigores duo

fectio mentis quæ contemplationem perficit, sapientia est: quæ rationis indaginem, scientia atq; prudentia. Scientia quidem indagationem eorũ quæ natura facit, prudentia consultationẽ in ijs quæ nos agimus. Quæ phãtasiæ discursum opinio recta, quam sagacitatem quidam uocant. Iustitia uoluntatem & liberalitas. Irascibilem fortitudo eiusq; pedissequæ. Concupiscibilem continentia simul & temperantia. His omnibus id est commune, ut quælibet earũ sit affectio actum potentiæ naturalis perficiens, dum decorum reddit & utilem ad finem ultimum consequendum. Variæ uero uirtutes diuerso modo habẽtur. Sapientia quidem natura: est enim æterna rationum omniũ in mente complexio, perpetuusq; ueritatis intuitus. Scientia per doctrinam philosophiæ quæ reminiscentiam præstat, acquiritur, dum ratio quæ pennas olim abiecit, ad mentem conuersa reminiscendo iterum alas recuperat. Prudẽtia doctrina simul & longo usu rerum aduenit. Recta opinio exemplis, autoritate, inductione, sorte. Iustitia fortitudoq; & temperantia, cæteræq; morales uirtutes prudentiæ rectæq; opinionis legibus & exercitatione legitima perficiuntur. Vnde duo hæc moralium uirtutum principia Plato posuit, prudentiam & rectam opinionẽ. Quamobrẽ prudentia sæpenumero totius moralis uirtutis apud Platonem nomen usurpat. Est & uirtus quædam ad rectam opinionem attinens, qua legitimi principes ac ciues, in agendo honesti, cõtemplationis tamen expertes bonum publicum curant, quam ciuilem peritiam nominant. Eamq; Plato facultatẽ, & in Theage, & in præsenti Menone, haud aliter quàm sorte diuina, dari ciuilibus hominibus disputat. Hac igitur summula quis mentem Platonis in Menone colliget, & huiusmodi præmissa distinctione contradictiones renuet, obiectionesq; uitabit. Disputationẽ uero illã de reminiscentia geometricisq; figuris in argumento tractare idcirco non placuit, quoniam non ut principalis, sed ut accessoria est inserta. Argumentum autem summam rei caputq; requirit. Singula quippe discutere non argumenti, sed commentarij potius est officium.

MENO, VEL DE VIRTVTE

MENO, SOCRATES, PVERANYTVS

Tergiuersatio Socratis eo pertinẽs, ut interroget ipse

POTES ne mihi ostendere Socrates, doceri uirtus possit, nec'ne, an exercitatione potius acquiratur: Aut num fortasse nec doctrina, nec usu hominibus comparetur, sed ipsa natura, uel alio quopiã modo hominibus insit? SOC. Hactenus ô Meno Thessalici homines inter Græcos illustres, tum equestri facultate, tum etiam diuitijs habiti sunt. Nunc autem, ut mihi uidetur, sapientiæ quoq; gloriam consequentur, præsertim amici tui Aristippi Larissæi cõciues. Atq; eius quidem rei autor uobis Gorgias extitit, qui in urbem uestram profectus amicos sibi ob sapientiam comparauit cum reliquos Thessalicorum optimates, tum maxime Aleuadarum familiam ex qua amicus tuus Aristippus originem ducit. Quamobrẽ sic uos Gorgias assuefecit, ut intrepide & alto animo interrogantibus respondeatis, quẽadmodum scientes decet. quippe & ipse cõcedebat Græcorum cuiq; rogare quicquid quisq; uellet, ac singulis etiam respõdebat. Nobis uero ô amice Meno contrarium contigit: siquidem sapiẽtia nostra quodammodo iam exaruit, atq; ex ijs locis ad uos diuertisse uidetur. Itaq; si quem nostrorum hominum hoc pacto percõteris, nemo erit qui non rideat. O hospes forte tibi beatus quidam uideor, quem nosse existimas, utrum doctrina, an alia quadã ratione uirtus hominibus cõparetur. Ego uero usq; adeo ab hac cognitione absum, ut nec quid ipsa sit uirtus intelligam. Atqui ipse quoq; ô Meno sic affectus sum: in eadem quippe paupertate animi qua & cõciues mei, uersor, ac meipsum sæpe accuso, utpote quid sit uirtus penitus ignorãs. Cum uero quid sit nesciam, quonã pacto qualis sit norim? Num tibi fieri posse uidetur, ut qui nullo modo quis Meno sit norit, utrum bonus, diues, generosus, an contra sit norit? ME. Mihi quidem nequaquam. At uero ipse reuera ô Socrates, quid sit uirtus ignoras? Ista de te domi renunciabimus? SOC. Non id queso solum Meno domi dices, uerum etiam quod nullum unquã, ut mihi quidem uidet, isthuc scientem nactus sim. ME. Nunquam ne igitur Gorgiam cum hic commoraretur conueniisti? SOC. Equidẽ. ME. An hæc ignorare tibi uisus est? SOC. Haud satis ô Meno nemini, ideoq; quid tum mihi uisum fuerit, in præsentia referre nequeo. Sed fortè & ille nouit, & tu quid ille docuerit, tenes. quare si placet: ipse dicas. Nam tibi forsitan cum illo conuenit. ME. Conuenit equidẽ. SOC. Eum igit cũ absit, omittamus, ipse uero ô Meno, dic per deos obsecro quid esse uirtutẽ existimes: dic inquã, nec inuideas, ut fortunati cuiusdã mendacij redarguar, siquidem tu & Gorgias id nosse uideamini, ego uero nemini unquã hoc scienti occurrisse dicam. ME. At ô Socrates nequaquam difficile est id dicere; & primo quidem si lubes

lubet quæ uiri sit uirtus, hæc planè est, ad ciuilium rerum administrationem sufficientem esse, ijsq; tractandis amicos iuuare, inimicos lædere, necnon diligẽter cauere ne quid ipse tale aliquando patiatur. Quod si ulterius quæ sit mulieris uirtus nosse requiris, neq; id arduum erit. Est enim mulieris uirtus, domum recte gubernare, dum curat domestica, uiroq; obedit. Alia quoq; uirtus est pueri fœminæq; & masculi, & uiri iam ætate grauis: nec non liberi, si uelis, alia, & alia serui. Atq; aliæ permultæ uirtutes sunt. Quamobrem haud deest, quid de uirtute dicamus. Enimuero in unaquaq; actione atq; ætate ad unum quodque opus singulis hominibus uirtus adest. Totidem præterea et de uitio ô Socrates, ut arbitror, dici possent. SOC. Non parum in hac uenatione fortunatus sum ô Meno: siquidem unam uirtutem inuestigans, examen quoddam uirtutum apud te habitantium reperi. Veruntamen ô Meno, si eadem examinis similitudine percontanti mihi quæ sit apis substantia, multiplices earum esse substantias respondisses, ego uero iterũ te rogem, nunquid hoc quo apes sunt, an alio quopiam ueluti pulchritudine, uel magnitudine, aut alio quopiam huiusmodi apum substãtias diuersas esse dicis, quid inquam, sic interogãti potissimum responderes? ME. Quod eo quod apes sunt, minime differunt. SOC. Et si ego post hæc rogem. quid ergo est ô Meno, quo nihil inter se differunt, sed idem sunt cuncte? habes quod respondeas? ME. Habeo profecto. SOC. Eadem itaq; ratione uirtutes quanquam multæ atque uariæ sunt, unam tamen speciem quandam in omnibus eandem habent qua uirtutes existunt, in quam respicere decet eum qui responsurus sit interroganti cuiquam quid uirtus sit. Tenes quid dicam? ME. Intelligere uideor, nondum tamen ut uellem quod quæris planè comprehendo. SOC. Vtrum uero circa uirtutem id solum ô Meno, tibi uidetur, aliam quidem uiri esse, aliam mulieris, & aliam reliquorum, an etiam circa sanitatem magnitudinẽq;, & robur eodem modo, ut alia quidem uiri sanitas sit, mulieris alia? an potius eadem ubiq; sanitatis species est, si quidẽ sanitas sit, seu uiro, siue mulieri, siue alteri cuicunq; adsit? ME. Eadem mihi sanitas & uiri simul & mulieris esse uidetur. SOC. Nónne igitur si quidem robusta sit fœmina, eadem specie roboris robusta erit? Cum uero eandẽ dico, quà nihil differt, quà robur ut robur sit intelligo, seu uiro, seu mulieri insit. Num tibi differre quicquam uidetur? ME. Minime. SOC. Ergo & uirtus, ut uirtus sit, differt iuuenem, aut senem, aut uirum, aut fœminam ornet? ME. Mihi quidem ô Socrates, hoc cæterorũ simile nequaquã esse uidetur. SOC. Nónne uiri uirtutem esse dixisti, recte Rempub. gubernare, mulieris uero domum? ME. Dixi equidem. SOC. An potest quisquam ciuitatem, uel domum, aut aliquid aliud recte disponere, nisi tẽperate siue prudenter ac iuste disponat? ME. Non certe. SOC. Nónne si temperate iusteq; instituunt, temperantia iustitiaq; instituent. ME. Necesse est. SOC. Vtriq; igitur tam uir quàm mulier indiget, si boni futuri sint, temperantia scilicet atque iustitia. ME. Apparet. SOC. Quid uero puer ac senex quatenus intemperati & iniusti sunt, num boni sient. ME. Nequaquam. SOC. At dum temperati & iusti. ME. Ita. SOC. Vniuersi igitur homines eadem ratione boni fiunt, nam eorundem participatione boni semper efficiuntur. ME. Videtur. SOC. Nunquam eadem ratione boni sunt, ni illorum uirtus sit eadem. ME. Nunquam. SOC. Quoniam ergo eadem uirtus est omnium, conare in memoriam reducere, quidnam hoc esse Gorgias dixerit, ac tu una consenseris. ME. Quidnam aliud quàm præesse hominibus posse? siquid unum in omnibus exigis. SOC. Requiro equidem, attamen eadem ne pueri & serui uirtus erit ô Meno, præesse posse domino, ac uidetur tibi etiam tum seruus esse cum imperat? ME. Haud certe mihi uidetur ô Socrates. SOC. Neque enim isthuc optime uir fas esset. sed hoc rursus cõsidera, utrum dominari posse aliquem putas, si iuste præesse dicamus: iniuste uero, nequaquã. ME. Puto equidem, iustitia enim uirtus est. SOC. Vtrum uirtus ô Meno, an uirtus quædam? ME. Quo pacto id ais? SOC. Quemadmodum de quouis alio. ut ecce de rotunditate figuram quandam esse dicerem, non simpliciter figuram, ob eam sanè causam ita loquerer, quia aliæ quoq; figuræ præter rotunditatẽ sunt. ME. Recte inquis. Atqui & ipse nõ iustitiam tantum, uerum alias quoq; uirtutes esse dico. SOC. At quas dicis alias, explica obsecro. Equidẽ si me de alijs figuris interrogasses, utiq; respondissem, itaq; tu quæ sint aliæ uirtutes ostende. ME. Fortitudo, temperantia, sapientia, magnificentia, cæteræq; permultæ. SOC. In idem recidimus. Multas rursum uirtutes, dum quærimus unam, inuenimus, sed alio pacto; unam uero quæ per

Prima uirtutis definitio mala

Confutatio ex inductione

Secunda definitio mala

Confutatio

omnes diffunditur, reperire nequimus. ME. Nondum queo ô Socrates, quod quæris, unam in omnibus uirtutem quemadmodum in cæteris assequi. SOC. Non ab re quidem: at ego si modo potuero, perducere nos conabor. Vides ne sic in cūctis cōtingere, si quis à te petat idem quod modo dicebam, quid figura sit, ac tu quod sit rotunditas responderes, & ille tibi quæ & ego inferret, utrum rotunditas sit figura, an figura quædam, an non illi diceres figuram quandam esse? ME. Prorsus. SOC. Nonne ob id quod aliæ quoque figuræ sunt? ME. Ita. SOC. Quod si quales illæ sint quærat, eueſtigio respondebis? MENO. Equidem. SOC. Quinetiam si de colore similiter quid sit quærat, & tu quod albedo sit dicas, ac ille sic deinde roget, utrum albedo color sit, an color quidam, inferres ne colorem quendam ob hoc esse, quod alij quoq; colores reperiantur? ME. Maxime. SOC. Si iterū colores cæteros referre iusserit, narrabis utiq; & alios multos, qui nihilo minus quàm albedo colores sint? ME. Narrabo. SOC. Quid si ille sic, ut ego nunc, sermone progrediatur, dicatq; quod in multa semper recidamus, quod ille fieri nequaq; permittat: cumq; hæc multa uno nomine nuncupes, dicasq; omnia figuram esse, inter se contraria sint licet: hoc autem quod non minus rotundum contineat quàm rectum, quam quidem figuram nominas, & nihilo magis rotundum quàm rectum figuram esse tu dicis, an sic dicis? ME. Sic planè. SOC. Cum ita dicas, inquam, nunquid rotundum magis rotundum quàm rectum, aut rectum magis rectum quàm rotundum esse dicis. ME. Non certe ô Socrates. SOC. Veruntamen asseris rotundum nihil magis figuram esse quàm rectum, neq; rectum magis quàm rotundum. ME. Vera narras. SOC. Quid igitur est, cui figura competit? declarare enitere. Si itaq; sic percontanti de figura siue colore, te nequaquā intelligere quid ipse uelit, respondeas, uehementer admiretur arbitror, ac dicat, an non intelligis quod in ijs omnibus idem quæro? Non habeas ô Meno, quod dicas, si quis quærat quid in rotundo sit ac recto, & cæteris quas figuras appellas, in omnibus idem? Explica quæso, ut hoc pacto ad disputationem uirtutis te pares. ME. Nequaquam, sed ipse ô Socrates, ediſſere. SOC. Vis ne tibi gratificer? ME. Omnino. SOC. Vis tu contra uirtutis quæstionem deinde soluere? ME. Equidem. SOC. Expediendum iam est, decet enim. MENO. Et maxime quidem. SOC. Age experiamur quid figura sit exprimere, & uide utrū istud admittas. Esto itaque id nobis figura, quod solum ex omnibus semper colorem sequitur. Satis ne tibi hoc est, an forte aliud exigis? Ego enim sat habeam, si mihi posthac uirtutem ipsam ostendas. MENO. At istud absurdum quiddam est ô Socrates. SOC. Quamobrem? ME. Quoniam figura secundum rationem tuam est, quæ semper colorem sequitur. Si ergo colorem quis nosse negaret, eodem modo quo circa figuram dubitās, quid illi potissimum responderes? SOC. Vera equidem. Nam si qui rogat sapientum illorum & contentiosorum ac litigantium aliquis sit, respōdeam utiq; me dixisse. quod si minus recte dixi, ad te nunc attinet respondere, ac mea dicta refutare. Sin autem quemadmodum nos sumus, illi amici sint, uelintq; tantum disputare, decet profecto mitius, & magis dialectico more respondere. est autem dialecticum magis non modo uerum proferre, sed ijs illud rationibus approbare, quas & ille qui rogat, planè se nosse fateatur. Hoc itaq; more nunc tecum differendo uti conabor. Dic ergo, num finem appellas terminum quendam, atq; extremum? Hæc enim omnia uelut idem profero, forte uero Prodicus ijs tanquam differētibus uteretur. Tu autē num dicis terminari aliquid atq; finiri? nihil quippe diuersum ijs uerbis intellígo. MENO. Dico sanè, & quod ais, intelligere arbitror. SOC. Et planum aliquid uocas, & solidum aliud, cuiusmodi quæ in Geometria tractantur? ME. Voco equidem. SOC. Iam igitur quid figuram esse dicam, ex ijs percipies: in omni quippe figura id asserо, figuram esse id in quod solidū desinit. Atq; ut summatim dicam, figuram appello solidi terminum. MENO. Colorem uero quid uocas ô Socrates? SOC. Procax nimiū es ô Meno: homini iam seni onus imponis, ac respōdere tibi iubes: ipse aūt memor quid Gorgias uirtutē esse dixerit, definire minime uis. ME. At postquàm tu mihi hoc declaraueris ô Socrates, tibi illud referam. SOC. Etiam absconditus hic aliquis, & loquentem tantummodo te audiens, intellígat, pulchrū esse te & amatoribus non carentem. ME. Quid ita? SOC. Quod nihil quàm continuo in sermone imperitas, quod facere delicati isti et formę fiducia adhuc tyrannidē exercentes solent. Simul ita de me statuis forsitan, inferiorē elegantib. illis esse: gratificabor itaq; tibi, & respondebo. ME. Gratificare obsecro. SOC. Vis ne tibi

Transfertur disputatio ad figuram, ut ad euidētius

Modus disputandi cōtentiosus atque acer

Modus disputādi dialecticus mitis

Huius definitionis collectio quia ē ab interrogatis, est dialectica: nam si esset à sensibilibus esset analytica.

Definitio dialectica, figura est solidi terminus

ne tibi secundũ Gorgiam respondeã: sic maxime assentieris: ME. Quid ni uelim: SOC. Nónne defluxus quidam secundum Empedoclem à rebus manare dicuntur: ME. Et maxime quidem. SOC. Ac pori, id est meatus in quos & per quos etiam defluxus huiusmodi manant: ME. Omnino. SOC. Ex defluxibus autem quosdam poris quibusdam congruere, quosdam minores, aut maiores esse: ME. Sic est. SOC. Nunquid & uisum aliquid uocas: ME. Voco. SOC. Ex ijs iam quid uelim, ut ait Pindarus, accipe. Est enim color defluxus quidam rerum, uisui congruens atq; sensibilis. ME. Optime mihi ô Socrates, respondisse uideris. SOC. Forte quia quę solitus es audire, nunc responsum est tibi, & simul aduertis, quod ex hac responsione facile etiam definire queas, quid sapor, quid uox, quid odor sit, cæteraq; huiusmodi plurima. ME. Prorsus. SOC. Atqui tragica ô Meno, ista responsio est: ideoq; tibi magis quàm figuræ definitio placet. ME. Mihi uero. SOC. At mihi quidem ô Alexidemi fili, minime persuadeo: est enim illa altera melior, ac puto neq; tibi ista placebit, nisi forsan quod heri dicebas, mysterijs nondum absolutis abire uis: sed mane, atq; hic mysterijs initiare. ME. Manerem ô Socrates, si huiusmodi multa inculcares. SOC. Nihil utiq; prætermittam, quin talia quædam & tui simul & mei gratia dicam. Vereor tamen ne minus possim huiusmodi plurima dicere. Cęterum iam ad promissa seruãda nobis accingere, ac in cõmune quid uirtus sit, exprime, nec ut fecisti hactenus, unum in multa discerpas, quod iaci in eos solet, qui idem ubiq; inculcant: sed integrã atq; sanã, dic tandem quid uirtus sit. exempla uero loquẽdi à me accepisti. ME. Videtur mihi ô Socrates, uirtus esse, ut Poeta inquit, gaudere honestis ac posse. Atq; ego idipsum uirtutem uoco, honesta quidem appetere, eaq; consequi posse. SOC. Num honesta cupientem, bona cupere dicis: ME. Omnino. SOC. Nunquid ita loqueris quasi sint nonnulli qui bona cupiant, quidam uero qui mala: ME. Imò. SOC. Non omnes igitur ô optime uir, bona tibi appetere uidentur: MENO. Mihi nequaquam. SOC. Quidnam itaq; mala: MENO. Ita. SOC. An ita dicis, quasi quæ mala sint, bona esse opinentur, aut etiã noscentes quod mala sint, nihilominus illa cupiant: ME. Vtrunq; aio. SOC. An censes aliquem cognoscentem mala quod mala sint, illa tamen appetere: ME. Arbitror. SOC. Quid autem exoptare hunc dicis: Num hæc sibi adesse: MENO. Adesse sanè. nam quid aliud optet: SOC. Vtrum qui mala desiderat, mala esse cognoscens, prodesse cum adsint, existimat: an unumquodque potius sua præsentia lædere: ME. Sunt certe qui mala prodesse putent, nec desunt qui obesse cognoscant. SOC. Videntur tibi mala nosse quod mala sint, qui mala prodesse cuiquam opinantur: ME. Haud sane id mihi uidetur. SOC. Ex ijs igitur patet eos non appetere mala, qui illa minime norint, sed illa potius quæ bona esse putauerint, cum tamen mala sint. Quapropter ignorantes illa, bonaq; existimantes, perspicuum est bona potius exoptare. An non: ME. Sic isti se habere uidentur. SOC. At uero qui mala quidem affectãt, ut ipse inquis: eaq; cuicunq; accidunt, obesse censent: norunt ne quod illorũ præsentia lædentur. ME. Necessario sequitur. SOC. Quid uero læsos homines, nonne isti miseros esse quatenus læsi sunt, opinantur: ME. Hoc quoq; necessarium. SOC. Miseros autẽ nónne infelices: ME. Reor equidem. SOC. Est ne aliquis qui miser & infelix esse uelit: ME. Non uidetur. SOC. Nemo igitur mala uult, si quidẽ talis esse minime uelit. Nam quid aliud est esse miserũ, quàm cupere mala, in eaq; incurrere: ME. Vera loqui uideris ô Socrates: nemo enim uult mala. SOC. Nõne paulo ante dixisti uirtutem esse bona uelle, ac posse: ME. Dixi equidẽ. SOC. An non ex eo quod dictũ est, uoluntas quidem ipsa omnibus adest, atq; hac ratione alius alio melior non est: ME. Apparet. SOC. Ergo si quidẽ est alius alio melior, nec id secundũ uoluntatem, sequitur ut secundũ potentiam sit melior. ME. Sequit. SOC. Secundũ igitur rationem tuã hoc est uirtus, bonorũ comparandorum potestas. ME. Sic prorsus se habere uidet, ut nunc accipis. SOC. Animaduertamus posthac, utrũ id uere asseras nec ne: forte enim bene loqueris. Dic igitur, bona uẽdicare posse uirtutem esse dicis: ME. Isthuc ipsum. SOC. Bona uero nõne hæc uocas, ceu sanitatem, diuitias, aurumq; & argentũ plurimum possidere, honoribus præterea & magistratibus in Repub. fungi: num alia quædã præter ista bona nuncupas: ME. Nequaq;, sed omnia bona huiusmodi esse dico. SOC. Eia aurũ atq; argentũ acquirere uirtus est, ut inquit Meno, magni regis patrius hospes. Vtrũ uero addis huic lucro ô Meno, iuste ac sancte lucrari: an nihil interest, sed etsi iniuste quis ista possidet, nihilominus quæstũ huiusmodi uirtutẽ

Coloris definitio secũdum Gorgiam, dialecticа

Illa melior quòd analyticę uicinior

Tertia uirtutis definitio mala. Quarta definitio

Confutatio quartæ definitionis

Quæ media sunt inter mala & bona, ea nõ esse bona, nisi uirtus adsit

uocas? MENO. Nequaquàm ô Socrates, ſed uitium. SOC. Omnino igitur, ut uidetur, huic poſſeſſioni iuſtitiæ, uel temperantiæ, uel ſanctitatis, aut alterius uirtutis præſentia opus eſt. Alioquin uirtus minime erit, quãuis bona ſibi uendicet. ME. Qui enim ſine ijs uirtus exiſtat? SOC. At non ſuppeditare aurum & argentum, quando minime iuſtum ſit, aut ſibi, aut alteri, neq; etiam uirtus eſt hæc egeſtas? ME. Videtur. SOC. Nihilo magis igitur horum bonorum copia uirtus erit quàm inopia. Verum ut uidetur, quodcunq; cum iuſtitia ſit, uirtus eſt. quod autem abſq; illa eiusq; ſimilibus, prauitas. ME. Videtur mihi neceſſarium eſſe quod dicis. SOC. Nónne unum quodq; horum paulo ante uirtutis partem eſſe diximus, iuſtitiam & temperantiam, cæteraq; huiuſmodi? ME. Diximus planè. SOC. Siccine ô Meno, me deludis? ME. Quorſum hæc ô Socrates? SOC. Quoniam cum te orarem ne amplius uirtutem diſcerperes, & exempla reſpondendi dediſſem, hoc neglecto uirtutem eſſe dicis, bona cum iuſtitia comparare poſſe, iuſtitiam uero uirtutis partem eſſe confeſſus es. ME. Sic eſt. SOC. Nõne efficitur ex ijs quę iã conceſſiſti. uirtutẽ eſſe agere cũ parte uirtutis quicquid agitur? Iuſtitiã enim & huiuſmodi ſingula uirtutis particulas confiteris. ME. Quid tum? SOC. Quia cum rogaſſem ut totã ipſam uirtutem oſtenderes, quid ipſa ſit, nullo modo explicuiſti: omnem uero actionẽ quæcunq; cũ parte uirtutis ſit, uirtutẽ eſſe dixiſti, quaſi quid tota uirtus ſit, ſummatim prædixeris, atq; ipſe intelligere tum queam, ſi abs te in particulas diuidatur. Eadem igitur quæſtio rurſus ô Meno, tibi ſuboritur, quid uirtus ſit, ſi quidem omnis actio cum uirtutis parte ſit uirtus. Id namq; tunc dicitur, cum omnis actio cum iuſtitia uirtus eſſe definitur. An non eadem iterũ quæſtione opus eſſe uides? Num putas quempiã uirtutis partem aliquam noſſe, qui totius naturam minime norit? ME. Non uidetur. SOC. Si enim memineris quæ in ſuperioribus de figura tibi reſpondi, reiecimus utiq; reſponſionem illam quæ per ea fit quibus ulteriori probatione opus eſt, nec dum rata habentur. ME. Et merito quidem reiecimus. SOC. Neq; tu igitur ô uir optime, cum quæriẽ, quid ipſa in uniuerſum, ac tota ſit uirtus, partes reſpondens eam quærentibus patefacias, neq; aliud quicquam eodem modo reſpondens, ſed rurſus eadẽ interrogatione opus erit, quidnã uirtus ſit, qua ſubiecta iſta dicis. Num aliquid tibi dicere uideor? ME. Mihi quidẽ probè loqui uideris. SOC. Reſponde itaq; iterum à principio, quid eſſe uirtutẽ & tu & amicus ille tuus aſſeritis. ME. Audierã equidem ô Socrates, ante quàm te alloquerer, morem eſſe tuũ nihil aliud quàm dubitare, & alijs ſcrupulos dubitationũ inijcere. Et nunc quidẽ ut mihi uideris, me præſtigijs, & ueneficijs incãtationibusq; perturbas, adeò ut ambiguitatis ſim plenus. Ac mihi uideris omnino, ſi tamen te iocãdo mordere aliquantulũ decet, q; ſimillimus eſſe tum forma, tum cæteris omnibus latiſſimo illi piſci marino qui Torpedo dicit: ille ſiquidem hominẽ ſibi propinquantẽ, tangentẽq; ſtupidũ reddit. Tu quoq; nũc me ſtupefacis. Reuera enim & animũ ſimul & os ſtupidum habeo, hæſitoq;, nec quid tibi reſpondeam, inuenio, quanq; decies millies iam de uirtute & multa & aduerſus quamplurimos, ut mihi uiſus ſum quãoptime diſputaui. At in præſentia nec etiam quid ipſa ſit uirtus proferre ullo pacto ualeo. Itaq; caute tibi conſuluiſſe te cenſeo, quod nunquam aliò peregrinaris. Nam ſi aduena in aliena urbe hæc ageres, ut pote præſtigiator quidã atq; ueneficus, ſupplicio forſitan afficereris. SOC. Callidus es ô Meno, ac me propemodũ nunc decepiſti. ME. Quamobrem ò Socrates? SOC. Video enim iam quam ob cauſam hac imagine me depingas: qua alia de cauſa, niſi ut ipſe quoque te contrà depingã? Viri enim honeſto habitu prædiți cũ effingũtur, delectari ſolent, illud quippe conducit. honeſtorũ enim honeſtæ ſunt & imagines. At ego perſonã tuã minime effingam. Equidẽ ſi piſcis ille ſtupidus ipſe alios reddit ſtupidos, ei ſum perſimilis, ſecus autem minime. Neq; enim fœcundus ipſe, cæteros titubare compello, ſed maxime omnium dubitans ego, dubitare alios quoq; facio. Etenim in pręſentia, quid uirtus, haud certe noui, tu tamen fortè priuſquam mihi occurrebas, noueras, nunc uero ſtupido mihi ſimilis euaſiſti. Veruntamen unà tecum rem diſcutere hanc inſtitui, quid'ue ſit uirtus inueſtigare. MENO. At quo tramite id inueſtigabis ô Socrates, quod quidem omnino quid ſit ignoras? Quale enim tibi proponens, id quod ignoras inquires? Aut etiam ſi in illud incidas, quonã ſigno id quod ignoraueras, eſſe illud agnoſces. SOC. Intelligo quid uelis ô Meno. At tu animaduertis ne, quàm peruicacem argumentationem in medium adduxiſti? quod uidelicet homo, neq; quod nouit, neq; quod ignorat, inquirit. Nã ſi noſcit nul

Relaxatio diſputatiõis à morib. diſputandi Socratis

Menonis ambiguitas circa inquiſitionẽ eius quod neſcitur


la in

la inquisitione opus est. Sed neq; quod nescit inuestigabit: non enim nouit quid quærat. ME. Nónne recte inducí ô Socrates hanc rationem existímas? SOC. Nequaquam. ME. Potes dicere cur tibí non placeat? SOC. Possum. Id enim à uiris ac mulieribus diuinarum rerum peritis quandoq; percepi. ME. Quis istorum sermo? SOC. Verus, ut mihi uidetur, atq; præclarus. ME. Quis inquam iste? & quinam testantur? SOC. Quí hoc asserunt, sancti uiri sunt, ac sanctæ etiam mulieres, quibus quoq; cura extitit, ut eorum quæ profitẽtur rationem reddere possent. Tradit præterea Pindarus, & cæteri quicunq; poetarum diuini sunt, talia quædam: quæ aduerte quæso, num uera tibi uideantur. Ferunt enim hominis animum immortalem esse, eumq; tum decedere, quod quidem mori uocant, tum iterum redire, interire uero nunquam. quam ob causam uitam quàm sanctissime agere monent. Quicunq; enim pœnas antiquæ miseriæ, Proserpinæ iam dederunt, ijs illa ad supernum solem nono anno rursus animam reddit, quousque in reges, gloria, sagacitate, sapientiaq; præstantes euadant. Reliquum autem tempus sancti heroes inter homines uocant. Cum ergo animus immortalis sit, ac sæpius in hanc uitam redierit, uiderítq; persæpe & quæ in hac, & quæ in alia uita sunt, omniaq; perceperit, nihil utiq; restat, quin ipse didicerit. quãobrem nihil mirum est, si eorum quæ ad uirtutẽ & ad alia pertinẽt, reminiscí possit: quippe cum olim illa cognouerit. Cum enim tota natura cognata sit, ac sibimet consona, & animus cuncta didicerit, nihil prohibet hominem unius cuiusdam reminiscentem, quam disciplinã uocant, reliqua omnia recuperare, si quis adeò constans sit, ut quærendo minime fatigetur. Quærere igitur ac discere reminiscentia est. Quapropter litigiosæ illi argumentationi nequaquã credere decet, pigros enim nos quodammodo redderet. Ea quoq; mollioribus hominibus mirifice placet. Ratio autem nostra solertes rerum inuestigatores efficit, qua ipse utpote uera fretus, unà tecum quid sit uirtus perscrutari desidero. ME. Imò ô Socrates. sed num absolute id asseris, nos minime discere? quam disciplinam uocamus reminiscentiam esse? potes' ne hoc ita esse me docere? SOC. In superioribus quoque ô Meno te callidum esse dixi, & nunc rogas utrum docere te possim, cum ante nullam esse disciplinam, sed reminiscẽtiam asseruerim, ut euestigio mihijpsi repugnare uidear. ME. Per Iouem ô Socrates non hoc instituebam, sed consuetudine potius quadam ita loquutus sum. quod si qua ratione illud mihi ostendere potes, ostende obsecro. SOC. Haud quaquam facile est, tui tamen gratia conabor. Verum huc ad me unum aliquem istorum qui te sequuntur accerse, ut in eo demonstrationem hanc experiamur. ME. Libenter. Heus tu huc ades. SOC. Græcus' ne est, & Græce loquitur? ME. Et Græcus est, & in domo mea genitus atque educatus. SOC. Attende igitur num illi in memoriam reducam, an doceam. ME. Attendam certe. SOC. Dic age ô puer, cognoscis' ne hoc tale spacium quadrangulum esse? PV. Equidem. SOC. Habet' ne quadrangulus has omnes quatuor líneas æquales? PV. Habet. SOC. An non & istas quæ per medium protrahuntur, æquales habet? PV. Et istas. SOC. Nónne & maior & minor esse potest? PV. Potest. SOC. Si ergo sit hoc latus duorum pedum, & istud quoque duorum, quot pedum totum ipsum erit? Sic autem considera, si latus hoc duorum esset pedum, illud uero unius, esset' ne pluſquam semel duorum pedum hoc spacium? PV. Semel. SOC. Quoniam uero alterum quoque latus duorum pedum est, num aliud quàm bis duorum pedum fit? PV. Isthuc ipsum. SOC. Duorum ergo bis pedum efficitur. PV. Ita. SOC. Quot nam sunt bis duo pedes? computa. PV. Quatuor. SOCR. An non fieri potest spacium aliud ad hoc duplum, habens similiter omnes æquales lineas quemadmodum istud habere uides? PV. Prorsus. SOCR. Quot pedum erit? PV. Octo. SOCR. Age iam conare mihi dicere, qualis est quælibet illius linea: huius siquidem duorum pedum. Linea uero illius dupli, qualis? PV. Patet ô Socrates esse duplam. SOCR. Cernis ô Meno, me nihil ex his docere, sed singula potius interrogare? Et nunc iste nosse se putat, qualis ea sit à qua spacium octo pedum conficitur. An non tibi uidetur? ME. Mihi quidem. SOCR. Nouit igitur? ME. Minime. SOCR. Putat autem à dupla. ME. Ita. SOCR. Aspice deinceps hunc per ordinem, ut oportet reminiscentem. Tu autem dic, amabo, à dupla linea duplum spacium nasci fateris? Tale profecto dico, quod non hac longum, illa breue, sed æquale undique quemadmodum istud; duplum uero istius, octo pedum.


Pindari & diuorũ poetarũ sententia de animæ immortalitate.

Quæ disciplina secundum illos


Quæ reminiscentia est



Ostẽsio Socratis, disciplinã esse reminiscentiã




sed inspice an tibi adhuc à dupla fieri uideatur. P V. Mihi plane. S O C. Nónne huius dupla hæc fit, si aliam æqualẽ huic adijciamus? P V. Prorsus. S O C. Ab hac fore dicis octo pedũ spacium, siquidẽ quatuor huic æquales efficiant? P V. Aio. S O C. Deferibamus iterum igitur ab hac æquales quatuor, aliud ne q̃ quod octo pedum uocas suborietur? P V. Hoc ipsum. S O C. Nõne in ipso sunt hæc quatuor, quorũ quodlibet isti quadrupedali æquale est? P V. Certe. S O C. Quantum itaq; fit? an non quater tantũ? P V. Quid ni? S O. Num duplũ est id quod quater tantũ? P V. Non per Iouẽ. S O C. At quotuplũ? P V. Quadruplum. S O C. A dupla ergo ô Puer nõ duplũ, sed quadruplum spacium procreat. P V. Vera loqueris. S O C. Quater em̃ quatuor sex & decem complent, nónne? P V. Sic est. S O C. Octo pedũ aũt spaciũ à qua linea? nónne ab hac quadruplũ? P V. Fateor. S O C. Quartũ uero ab hac dimidia? P V. Ita. S O C. Age igit̃ octo pedũ nónne huius duplum est, illius uero dimidium? P V. Imò. S O C. An non erit ergo à maiori linea q̃ hæc tanta, & à minori q̃ illa tanta? P V. Mihi quidem uidetur. S O C. Sic utiq; recte loqueris, quod enim tibi uidetur, id responde, ac mihi dicas, hæc ne duorũ pedũ, illa quatuor? P V. Ita. S O C. Oportet itaq; octo pedum spacij lineam maiorẽ esse linea spacij bipedalis, minorem uero quadrupedalis linea. P V. Oportet. S O C. Annitere ut nobis qualis sit dicas. P V. Tripedalis. S O C. Nónne si tripedalis est, dimidium huius assumemus, eritq; tripedalis? Duo namq; ij, is autem unus: & hinc eodem modo, duo quidem isti, iste autem unus: fitq; hoc quod ais spaciũ. P V. Ita. S O C. Nónne si hæc trium est & illa trium, totum utique spacium ter trium pedum conficitur? P V. Apparet. S O C. Ter uero tres, quot pedes sunt? P V. Nouem. S O C. Duplum autem quot pedum esse supra oportuit? P V. Octo. S O C R. Non ergo à tripedali spacium octo pedum exorit̃. P V. Non profecto. S O C. A quali igitur conare nobis liquido exprimere: quod nisi numerare uelis, saltem à quali demonstra. P V. Per Iouem ô Socrates haud noui. S O C.




Cũ de ignorãtia ad dubitationẽ accesserit quis tunc melius affectus est Ab instãtijs quis excitatur, ut ignorantiã suam animaduertat

Aduertis iterũ ô Meno, quò sit reminiscendo iam progressus. Nam ab ipso principio disputandi nequaquam nouerat quæ sit octo pedum spacij linea, quemadmodũ nec in præsentia nouit: uerum tunc se nosse illam opinabatur, & audacter nimium quasi sciens respondebat, nec deesse sibi quicquã putabat: nunc autẽ egere se iam existimat, & ut ignorat, sic se ignorare fatet̃. M E. Vera dicis. S O C. Nónne rectius nunc ad id quod ignorat affectus est? M E. Hoc quoq; arbitror. S O C. Cum ergo ambigere ipsum compulerim, & piscis illius more stupidum fecerim, num aliquid obfuit? M E. Non ut mihi uidet̃. S O C. Operæpreciũ itaq; fecimus ad ueritatẽ inueniendã: nunc enim utpote ignorãtiæ suæ conscius libenter & sponte perquirere: at tũc sine controuersia, & sæpe, & aduersus quamplurimos loqui se recte arbitrabatur, dum spacium duplum, duplã longitudine lineam habere oportere profiteretur. M E. Videtur. S O C. Num censes ipsum studuisse unquam: ut id uel inueniret, uel disceret, quod cum ignoraret, nosse rebatur: priusquam in hanc ambiguitatem incideret, qua & suã ignorantiã re deprehendit, & scientiã appetere cœpit? M E. Nequaquam ô Socrates. S O C. Profuit igitur sibi stupor eiusmodi. M E. Videt̃. S O C. Considera itaq; ex hac ambiguitate, quod iste unà mecum inuestigans nihil me docente, sed potius interrogãte reperiet. Obserua obsecro diligenter, num hunc docere aut ei demonstrare quicquã uidear potius q̃ eius modi opiniones per singula elicere. Tu enim dic, hoc ne spaciũ quadrupedale est. Intellextin? P V. Equidẽ. S O C. Nũ & hoc aliud æquale isti apponere licet? P V. Licet. S O. Et tertiũ istud utriq; istorum æquale? P V. Et istud. S O C. Nónne hoc quod in angulo est complere licet? P V. Prorsus. S O C. Hæc inde æqualia spacia quatuor nascerentur? P V. Ita. S O C. Totum igitur hoc quotuplum ad istud efficitur? P V. Quadruplum. S O C. Oportebat autem duplum nobis contingere, num recordaris? P V. Maxime. S O C. Nónne hæc linea ab angulo in angulum aliquem porrecta, in duo utrumq; spacium diuidit? P V. Ita. S O C. Ergo



quatuor

quatuor hæ lineæ æquales fiunt, id ſpatiũ cõprehendentes? P V. Fiũt. S O. Conſidera itaq; quale eſt id ſpaciũ. P V. Haud intelligo. S O C. Nónne cum hæc quatuor ſint, dimidium cuiuſq; linea quæq; ſecat intrinſecus? P V. Secat. S O C. Quot igitur tanta in hoc ſunt? P V. Quatuor. S O C. Quot autẽ in iſto? P V. Duo. S O C. At quatuor ad duo quotupla ſunt? P V. Dupla. S O C. Hoc itaq; quot pedum ſit? P V. Octo. S O C. A qua potiſſimum linea? P V. Ab hac. S O C. Ab ea'ne quæ quatuor pedum eſt, ab angulo protracta in angulũ? P V. Ita. S O C. Hanc uero diametrum ſophiſtæ nũcupant: & ſi huic nomen eſt diametrus, à diametro, ut ipſe ais ô Puer, duplum ſpacium naſceretur. P V. Prorſus ô Socrates. S O C. Quid tibi Meno uidetur? reſpondit'ne hic unq; ex alterius q; ſuijpſius opinione? M E. Nunquam, ſed ex propria ſemper. S O C. Veruntamẽ haud nouit, ut paulo ante confeſſi ſumus. M E. Vera loqueris. S O C. Inerant igitur huic opiniones huiuſmodi. M E. Inerãt. S O C. Huic igitur ignoranti opiniones de ijs quæ ignorat ueræ inſunt. M E. Apparet. S O C. Nunc igitur huic opiniones tales quaſi per ſomnium ſuſcitatæ ſunt, quod ſi quis interroget hunc talia quædam ſæpe & multa, certo ſcies hunc iſta, ſi quis alius nouit, perfecte cogniturum. M E. Videtur. S O C. Nónne igitur nemine prorſus docente, ſed interrogante potius iſta ſciet ex ſeipſo ſcientiã ad ſe reuocans? M E. Sic eſt. S O C. Recuperare uero ſcientiã in ſeipſo, an nõ reminiſci dicis? M E. Prorſus. S O C. At uero ſcientiã quam hic nunc habet, aut accepit aliquando, aut ſemper habuit. M E. Verum. S O C. Et ſi habuit ſemper, ſciẽs ſemper extitit, ſin quando q; percepit, in hac uita nequaq;. Nemo enim hunc geometrica docuit, cum in cæteris omnibus quæcunq; uel ad geometriam, uel ad alias diſciplinas pertinent, hæc eadẽ ſit facturus. Eſt'ne aliquis à quo hic omnia illa didicerit? Veriſimile eſt te illũ cognoſcere, præſertim cum penes te & natus & nutritus fuerit. M E. Ego uero certus ſum quod hunc quidem nemo docuit unquam. S O C. Has'ne opiniones habet? M E. Neceſſarium ô Socrates, id apparet. S O. Sinautẽ utpote in præſenti uita minime adeptus, haud nouit, patet eũ alio quodam in tempore habuiſſe, atq; didiciſſe. M E. Apparet. S O C. An non tempus iam fuit, cum nondũ homo hic erat? M E. Iſtuc ipſum. S O C. Ergo ſi quãdo tempus ſit in quo homo non ſit, inerunt tamẽ ipſi opiniones ueræ, quæ ſciſcitando expergefactæ, ſciẽtiæ fiunt, certe per omne tempus hæc hominis animus ſciet. nam omne per tẽpus aut eſt, aut nõ eſt homo. M E. Videtur. S O C. Nónne igitur ſi ſemper rerũ omniũ ueritas in animo eſt, immortalis extitit? Quamobrem audacter & magna fiducia oportet, quæ in præſentia miníme ſcimus, hoc eſt miníme recordamur, ut reminiſcamur inquirere. M E. Bene mihi neſcio quo modo ô Socrates loqui uideris. S O C. Mihi quoq; ô Meno. Atq; cætera non admodũ contendo, quod autem qui quæ neſciũt inquirenda putãt, meliores arrectioresq;, & pigri ad ueſtigandum minus ſint, q; qui quæ neſciunt, etiam non quæri poſſe putant, iſthuc uero & uerbis, & ſi queam, re ipſa contendam. M E. Hoc quoq; recte dicere uideris ô Socrates. S O C. Vis'ne igitur poſtquã confeſſi ſumus ignota perſcrutari licere, quid uirtus ſit, communiter ueſtigemus? M E. Quammaxime: gratius tamen mihi eſſet audire prius, quod in principio diſputationis interrogaui, quomodo uirtuti incumbendum ſit, uelut ei quæ doctrina percipiatur, uel quæ natura potius inſit, uel quæ alio quopiã pacto hominib. paratur. S O C. Atqui ſi tibi ô Meno, quẽadmodũ mihijpſi imperarẽ, haud prius utrum doceat, n ecne uirtus perſcrutaremur, q; quid ipſa ſit indagaſſemus. Poſtq; uero nec tute tibi dominari contẽdis ut liber uiuas, ac me ut tuo arbitratu reſpondeã obſecras, iam utiq; reſpõdebo. Videt igitur conſiderandũ eſſe, quale ſit, quod nondũ quid eſt cognouimus. Attamẽ paulíſper à ppoſito tuo declina, idq; ex ſuppoſitione cõſiderare permitte, doctrinane an alio pacto uirtus poſſideat. Ex permiſſu aũt ſic dico, quemadmodum geometræ ſæpe diſcutiunt, poſtquã illos quis interrogauit: ueluti de ſpacio, ut poſſit'ne in hoc circulo triquetrũ hoc ſpacium expandi: ubi ſi quis dixerit, nondum ſe noſſe an hoc huiuſmodi ſit, permiſſionem arbitror talẽ conducere. Si emẽ eſt hoc ſpaciũ tale, ut quod a ad poſitã eius lineã protendis ab eo tanto ſpacio deficiat, quantum ipſum eſt protẽſum, aliud quiddã euenturũ puto: & aliud item ſi talia quædã pati nequeat. Ex permiſſione igit' diſputare decreui, de ijs quæ contingũt circa expanſionẽ illius in circulũ an fieri poſſit, nec'ne. Sic & nos de uirtute, q̃m nec quid, nec quale ſit nouimus, permiſ-



Monſtratur animus immortalis eſſe

Triangulus a b c. Coextenta unicuique trianguli lineæ parallelogramma a b d e, a c b f

ſo

so hoc,utrum doceri possit in hunc modum quæramus. Si uirtus est aliquid eorũ quæ circa animum uersantur,doceri potest,an non.Principio si aliud est quàm scientia,num doceri poterit,an non:uel potius, ut modo diximus, memoria reuocari: nihil referat apud nos utro nomine utamur,sed an doceri poterit:an id omnib.manifestũ,quod prẽter scientiam nihil omnino docet. ME.Mihi sane uidet. SOC. Sin aũt scientia quædam uirtus est, doctrina percipit. ME.Quid ni? SOC.Hoc ergo statim expediuimus:nam si talis sit,docetur:si non talis,nequaq. ME.Prorsus. SOC. Posthac inuestigandum censeo utrum uirtus scientia,aut aliud quiddã sit. ME.Mihi quoq; idem quærendũ esse uidetur. SOC.An uirtutem aliud q̃ bonũ esse dicimus:et hęc nobis positio stabilis permanet,uirtutẽ scilicet esse bonum? ME. Valde. SOC.Siquidem est aliquod seorsum à sciẽtia bonũ,nónne uirtus forsitan scientia nulla erit? sinautẽ nullum bonũ est quin scientia comprehendat, scientiam esse uirtutem suspicantes,recte utiq; suspicabimur? ME.Sunt hæc uera. SOC. Quinetiam uirtute boni sumus? ME.Sumus. SOC.Et si boni,utiles? omnia quippe bona utilia. ME.Sic est. SOC.Ergo & uirtus utile quiddã. ME. Ex ijs quæ confessi sumus,necessario sequitur. SOC. Consideremus rursus in singulis qualia sint quæ nobis prosunt:sanitas ne & robur, formaq; & diuitiæ,cæteraq; huiusmodi conferre dicuntur? ME.Ita. SOC.Eadem hæc aliquando nocere fatemur.an tu aliter sentis? ME.Sic certe sentio. SOC. Vide itaq; quo duce hæc obsint,quóue prosint,nónne cum rectus usus præest,iuuant,contrà uero nocent? ME.Prorsus. SOC. Præterea quæ circa animũ uersanť considerabimus. Temperantiam aliquid uocas,& iustitiã,& fortitudinẽ,docilitatẽq; & memoriã,magnificentiã,& huiusmodi reliqua? ME.Equidem. SOC. Aduerte quæso,quæcunq; ex ijs scientiæ nequaq; esse uidentur,sed aliud quiddam præter scientiã,nónne interdum iuuant,interdum lædunt,ueluti fortitudo remota prudentia:num fortitudo aliud est q̃ audacia quædam:cumq; ratione quisquã audet,iuuat:cum absq; ratione,lędit? ME.Sic est. SOC. Temperantia quoq; docilitas eodem modo,cum ratione quidẽ percepta atq; condita emolumento sunt, contrà autẽ detrimento? ME.Quammaxime. SOC. Vt ergo summatim dicam, omnes animæ impetus,atq; omnes declinationes ducente prudentia ad beatitudinẽ tendũt,imprudentia uero ad contrariũ. ME. Videtur. SOC.Quapropter si uirtus aliquid est eorũ quæ consistunt in animo necessarioq; utilis est, prudentiam hanc esse oportet: quippe cum omnia quæ sunt circa animum,ipsa quidem secundum seipsa, nec cõmoda, nec incõmoda sint: adiuncta uero prudentia,uel imprudentia,statim aut utilia,aut noxia fiant. Hac itaq; ratione uirtutem,cum maxime omnium conferat,prudentiam quandam esse constat. ME. Mihi sanè uidet. SOC.Quinetiã in alijs quæ modo dicebamus,opulentiã atq; similia tum utilia esse,tum noxia:nónne quemadmodum prudentia cæteris animi uiribus & officijs præsidens utilia reddit,imprudentia uero contraria,sic & illis animus recte utens atq; ducens bona efficit,non recte autem mala? ME.Prorsus. SOC.Recte autẽ ducit animus prudens,imprudens uero abducit. ME.Sunt hęc uera. SOC.Quamobrem omnino asserendũ est cætera quidem humana omnia referri ad animum,quæ uero in animo sunt,ad prudentiam,si modo bona futura sunt:eaq; ratione prudentia ipsum utile erit, uirtutem uero utilem esse dudum diximus. ME.Omnino. SOC.Ergo prudentia uirtus est,aut uniuersa,aut pars aliqua uirtutis. ME.Recte mihi hæc omnia dici uidentur. SOC.Nónne si hæc ita se habent,haud natura boni homines erunt? ME.Haud mihi uidentur. SOC.Id præterea cõtingeret,si natura boni fierent, adessent profecto nobis qui filios nostros natura bonos dignoscerent,eosq; nos illorum indicijs selectos in arce quadam cõseruaremus,multo magis q̃ aurum custoditos,ne quis corrumpat:mox ubi adoleuerint,utiles essent reipub.ciues. ME.Consentaneum hoc ô Socrates. SOC.Cum uero natura boni minime sint, nũ forsitan disciplina? ME.Necessarium id apparet. Ac secundum sententiam nostram sequit, ut si uirtus est scientia,doctrina percipiatur. SOC. Fortassis Hercle,uereor tamen ne id temere confessi fuerimus. ME.In superioribus plane id recte dici uisum est. SOC.At non in præterito solum,sed in præsenti etiã & futuro tempore tale uideri debet,siquid in eo synceri futurum est. ME. Quidnam igitur est quod respiciens suspicaris ac diffidis,ne uirtus scientia non sit? SOC.Dicam tibi ô Meno.uirtutẽ quidem doceri posse, siquidem sciẽtia est,nequaq; reijcio quasi minus recte sit dictũ:quod uero scientia sit,uide an non merito diffidam.Age,id mihi responde,Si quid doceri potest, nõ de uirtute solũ,sed de quolibet

An uirtus doctrina cõparetur: ac primo ostẽditur cõparari quà sciẽtia esse creditur, nec etiã natura consistere

alio

alio loquor, an non illius præceptores, discipulosq; esse aliquos necesse est? ME. Mihi quidem uidetur. SOC. At contra, cuius nec doctores extant, nec auditores, si id doceri non posse cõijciamus, nónne probabiliter coniectabimus? ME. Sic est. sed num uirtutis præceptores nullos esse censes? SOC. Sępe numero, si qui huius magistri essent omni studio inuestigaui, nec unq; inueni, & si una cum cęteris pluribus, atq; ijs, ut uidebatur, huius facultatis peritis id quęsiui. Et nunc quidem opportune ô Meno, iste nobis assedit, quẽ disputationis huius participẽ faciamus. Ac merito ad id socium adhibebimus. Est enim diuite primum & sapiente patre Anthemione natus, qui profecto non casu quodã, aut muneribus opulentus euasit, quemadmodũ nuper Thebanus Ismenias Polycratis pecunias nactus, sed prudentia uigilãtiaq; sua rem auxit. Præterea nec superbus ciuis, neq; inflatus aut difficilis, uerũ modestus, & frugi, facilisq; uir extitit. Deinde hunc bene educauit eruditq;, cuius rei testis est omnis Athenienſis populus, qui ad summos hũc elegit magistratus. Nam cum uiris huiusmodi sint ne uirtutis magistri aliqui, & qui sint, inuestigare maxime decet. Ergo age ô Anyte, quære mecum unaq; cum hospite tuo Menone, quinam huius rei præceptores sint, & in hunc modũ considera: si uellemus Menonem hunc optimum fieri medicũ, ad quos potissimũ doctores perduceremus? nõne ad medicos? ANY. Prorsus. SOC. Et si cerdonem optimũ fieri cuperemus, an non ad cerdones? ANY. Ita. SOC. Et in alijs eodem modo? ANY. Omnino. SOS. Sic iterum de medicis mihi dicas: cum diximus mittendũ hunc esse ad medicos, si medicum fore uelimus, an non id sentiebamus, ut sisti debeat apud eos duntaxat, qui artem illam profitent̃, ac mercedem pro eo palàm ab auditoribus capiunt, hoc ipso se esse qui uolentes docere possint ostendentes. nõne huius ratio habenda est, si modo illũ prudenter locaturi simus? ANY. Sic est. SOC. Et de tibiarũ sono, ac cæteris omnibus similiter iudicandũ. Neq; enim mediocris insciția esset, dum studeremus quempiam tibicinẽ fieri, cõmendare ijs nolle qui facultatem hanc pollicentur, mercedemq; reportãt: sed hoc onus illis imponere, qui nec doctrinã sibi uendicant, nec habent ullum in hac arte discipulũ, qua instrui hunc quem mittimus, desideramus. An nõ isthuc procul à ratione sit? ANY. Per Iouem nõ modo absq; ratione, uerum etiam dementia quædam. SOC. Probe loqueris. Nunc itaq; licet tibi cõmuniter unà me cum de hoc hospite tuo Menone deliberare: hic enim ô Anyte, iampridem mihi dixit, se hãc sapientiã uirtutemq; appetere, qua ciuitates & domus recte gubernant̃, liberi quàm optimè educantur, ciues & hospites tum admittuntur, tum dimittuntur scitè, & ut bono uiro dignum est. Meditare igitur ad quem potissimum huius comparandæ uirtutis gratia hunc mittere deceat. An ex his quæ modo diximus, patet: cõmittendum his esse, qui se docturos talia pollicentur: secq; palàm cuiq; Græcorum discere uolenti semper exponũt, huius disciplinæ præscriptũ precium capientes? ANY. At quos dicis ô Socrates? SOC. Nosti credo & ipse hos esse qui publicè sophistæ uocantur. ANY. Hercle bona uerba quæso ô Socrates. Absit ut quisquam uel cognatorũ, uel familiarum, uel amicorũ, uel ciuium, uel hospitũ in tantam insaniã incidat, ut istis adhærens, perdi se patiat̃. eorum quippe consuetudo certa illorum qui sectãtur, pestis est. SOC. Cur ita dicis Anyte? num ij soli ex omni hominũ genere cum prodesse hominibus profiteãtur, adeò cæteris deteriores sunt, ut non modo non iuuent, quemadmodũ alij, quod ipsis traditum sit, uerum contrà corrumpant, atq; huius gratia uulgò mercedẽ exigant? Equidem nõ uideo qua ratione fidem tibi adhibeam. Noui enim uirum unum Protagoram, qui plures ob hãc sapientiam pecunias cumulauit, quàm aut Phidias ille cuius tam conspicua pulchraq; opera extant, aut decem alij sculptores. Atqui absurdũ sit, si qui calceos ueteres consuunt, uestesq; resarciunt, latere nõ possint dies trigínta, si uestes calceós ue restituant deteriores redditos: sed si talia facerent, breui fame perirent: Protagoras autem uniuersam Græciam annos plusquàm quadraginta fefellit familiares suos peruertens, deterioresq; quàm accepit reddens. Nam reor illum uita decessisse, natum annos penè septuaginta: quadraginta uero in hac arte uersatum. Ac per omne illud tempus usque in hanc diem clarus extitit. neque Protagoras tantum, sed alij quoque permulti, partim priores illo, partim etiam nunc uitam agentes. Vtrum enim iuxta sententiam tuam dicemus eos conscios decipere, & lædere iuuenes conari: an seipsos quoq; fallunt, & insaniunt ex eo, quia nonnulli sunt qui sapientissimos eos esse mortalium dicunt? ANY. Longe abest ut insanire dicantur ô Socra-

Nõ esse præceptores uirtutis tradendæ.

Carpuntur sophistæ, atque iterum relaxatur disputatio.

Protagorã docuisse plusquã annos quadraginta.

ô Socrates:sed multo magis iuuenes qui illis argentum tradunt. Atq; his etiam deteriores sunt,si qui illos quorum ad se cura pertinet,ijs committant. Omnium postremo insanissimæ sunt respub.quæ illos recipiũt,neque expellunt,seu aduena, seu ciuis talem rem conetur. SOC. Num aliquis te sophistarum ô Anyte,iniuria unquam affecit:uel quid illis ita succenses? ANY.Nulla mihi unquam cum aliquo illorum consuetudo fuit,neque meorum aliquem illis uti permitterem. SOC. Nũquam ergo illorum mores expertus es. ANY. Vtinam uero nec experiar. SOC. Quanam ratione dignosces bonum ne an malum sit,cuius nullum feceris periculum? ANY. Liquidò istos noui quales sunt:siue expertus sim,siue non. SOC. Vates forsitan es ô Anyte:hoc enim te alia ratione nouisse,ex ijs quæ modo dixisti,mirum sit. Verum non eos quærimus,ad quos profectus Meno inficiatur: hi namq; si uis sophistæ sint.Sed opem patrio feras amico: ostendesq; cuinam adhærens eorum qui tam amplam urbem colunt,eam quam narrauimus uirtutem adipiscar. ANY. Cur ipse non indicas? SOC.At quos ego magistros existimaueram,in medium iam produxi:uerum iuxta sententiam tuam nihil omnino profeci. ac forte uera loqueris. Itaq; tu quoq; iam partem tuam huius muneris exple.Ostende ad quem Athenienſiũ proficiscatur.profer cuiuscunq; uis nomen. ANY. Quid opus est hominis unius nomen audire? quemcunq; Athenienſiũ nactus fuerit ex bonis clarisq; hominibus,melior illius familiaritate,si modo paruerit,euadet quàm consuetudine sophistarum. SOC. Vtrum uero ij præclari bonique uiri ex seipsis nullo instituente,tales effecti sunt,eaq; docere cęteros possunt, ipsi licet à nullo didicerint? ANY. A senioribus uiris præclaris atq; bonis percepisse arbitror.An non tibi uidentur in hac ciuitate multi insignes & optimi homines extitisse? SOC.Mihi quidem ô Anyte,esse hic uiros ciuilis administrationis peritos,nec pauciores olim fuisse uidetur.Sed num præceptores idonei uirtutis illius suæ fuere? hoc enim est de quo nunc disseritur,nõ utrum sint aut fuerint hi uiri boni,sed utrum uirtus doceri possit: & ob hoc utrum uiri boni siue ueteres illi,siue qui nunc uiuunt,uirtutem eam qua prædi ti quique sunt,ipsi tradere alteri norint:an forte,nec tradi alteri, nec recipi uirtus possit: Id inquã est,quod dudum ego ac Meno inquirimus. Sic autem ex ipsa tua oratione rem considerato.Num Themistoclem uirum bonum fuisse fateris? ANY.Maxime omnium. SOC. Et præceptorem uirtutis bonum, si quis omnino uirtutis magister fuit,Themistoclem extitisse? ANY. Reor equidem,dummodo uoluisset. SOC. Num censes ipsum noluisse alios quoque bonos fieri? filium suum præsertim? an putas inuidisse filio,& de industria uirtutem partam minime communicasse? Audistin quod Themistocles filium Cleophãtum in equestri facultate strenuum reddidit,adeo ut equis ille rectus insisteret, rectusq; ex equo iacularetur,cæteraq; permulta stupẽda faceret,in quibus illum diligenter parens erudiuit, sapientemq; in singulis quæ præceptoribus præcipua sint,reddidit? Hæc à maioribus accepisti? ANY. Accepi. SOC. Nemo igitur naturam filij utpote malam culpauerit. ANY. Nemo arbitror. SOC. Quid uero ad hoc? Audisti ne ab aliquo seniore aut iuniore, Cleophantum Themistoclis filium, bonum ac sapientem in quibus pater fuerat,extitisse? ANY. Nunquam. SOC. Num Themistoclem arbitramur alienis artibus imbuere filium uoluisse, paterna uero uirtute nihilo uicinis suis præstantiorem reddere curauisse,siquidem doceri uirtus ullo pacto posset? ANY. Fortassis per louem minime. SOC. Talis igitur hic uirtutis magister fuit,quem ipse unum ex antiquis optimum asseris. Consideremus iam & alium,Aristidem Lysimachi filium.nónne hunc quoque bonum fuisse censes? ANY. Et maxime quidem. SOC. An non & iste filium suum Lysimachum in omnibus quæ à præceptoribus percipiuntur, optime Athenienſium omnium eruditũ euadere cum uoluisset,num quoquam alio meliorem fecit? hunc etenim allocutus es,& qualis sit optimè nosti.Præterea si uis Periclem uirum magnopere sapientem,considera:duos hic,quod te minime præterit,filios educauit, Paralum & Xanthippum. ANY.Noui equidem. SOC.Hos ut nosti,tum arte equestri,& musica,tũ etiã athletice præ cæteris Athenienſibus instruxit. Ac deniq; in nullo eorũ quæ arte percipiuntur, inferiores alijs esse uoluit,boni aũt ut euaderent,an cupiebat? cupiuisse quidẽ existimo, sed id doceri minime potuisse.Ne autem paucos putes quosdam ignobilissimosq; Athenienſium id assequi nõ potuisse,Thucydidem uide:duos hic filios Melisiam atq; Stephanum educauit,quos & cætera diligenter edocuit,& palæstrã in primis,ut in ea Athenien

ses

ſes reliquos facile ſuperarent, unum quidem Xanthiæ, Eudoro alterum commendans: atque hi quidem palæſtra cæteris omnibus illis temporibus præcellere putabantur. nón ne meminiſti? ANY. Audiui equidem. SOC. Neque uero iſte quum quæ ſumptu maximo diſcebantur, filios callere uoluerit, uirtutem ſolam quam abſq; pecunijs tradere potuit, ſi modo doceri potuiſſet, doceri noluiſſe putandus. An fortè Thucydides ignobilis uir erat, nec amicos plurimos tam ciues quàm cõmilitones & ſocios habebat? Quinimò & ampla familia ortus, & ſummæ cuiuſdam autoritatis tum apud conciues ſuos, tum etiam apud omnes cæteros Græcos erat. Ideoq; ſi per doctrinam comparari bonitas potuiſſet, inueniſſet ſaltem uel ciuem aliquem uel peregrinum, qui filios eius bonos effeciſſet, ſi ipſi ad id docendum à reipublicæ negocijs otium deerat. Sed uide ô amice Anyte, ne forte uirtus doceri nequeat. ANY. O Socrates liberius quàm decet, homines mihi uituperare uideris. Itaq; tibi conſulo, ſi modo parere uis, ut tibi caueas: forte enim alia in urbe leue eſt, uel iniuria, uel beneficio ciues afficere, in hac autem graue nimium ac periculoſum. neque id te fugere arbitror. SOC. O Meno Anytus hic ſuccenſere mihi uidetur, neq; id miror. primum quia hos me uiros uituperare cenſet, deinde ſe unum ex ijs arbitratur. Verum ſi hic quando didicerit quid ſit hominibus detrahere, haud ulterius ſuccẽſebit, in præſentia uero ignorat. At ipſe mihi dicas utrum apud nos clari, ac boni uiri ſint. ME. Sunt certe. SOC. Volunt ne iſti iuuenibus ſeipſos præceptores exponere? atque id profiteri? uel uirtutem doceri poſſe fatentur? ME. Non per louem ô Socrates, ſed nunc ab illis doceri poſſe uirtutem, nunc non poſſe audies. SOC. An hos dicimus huius rei magiſtros, inter quos nondum id conuenit? ME. Nequaquã mihi uidetur ô Socrates. SOC. Quid uero, num ſophiſtas, ſiquidem ij ſoli id prædicãt, magiſtros uirtutis exiſtimas? ME. Gorgiam in hoc uehementer admiror & amo, quòd nunquam illum hoc pollicentẽ audias. Imò & alios ridet, quoties polliceri ſentit: putat autem hoc duntaxat promittendum eſſe, eloquentes poſſe ſcilicet uehementesq; dicendo homines reddi. SOC. Non ergo ſophiſtæ huius rei præceptores eſſe tibi uidentur. ME. Neſcio quid dicam ô Socrates. nam mihi hoc idem quod plurimis accidit: nunc poſſe puto, nunc poſſe nego. SOC. Nec ſoli tibi cæteris ue ciuibus euenit, ut interdum doceri uirtutem credatis, interdum uero negetis, uerum etiam poetæ Theognidi, eadem enim omnino dicit. ME. Quibuſnam carminibus? SOC. Elegis in hunc modum. Hos propè bibe & comede, cum ijs una ſedeto, ijs obſequere, quorum magna poteſtas. à bonis enim bona perdiſces. Quod ſi malis adhæſeris, quam habes mentem proculdubio perdes. Vides iam quod in ijs ita loquitur, quaſi uirtus diſci poſſit? ME. Apparet. SOC. At uero paulo poſt ſic inquit. Si ſana mens homini tradi poſſet, multam ſanè magnamq; mercedem qui id efficerent, reportarent, neq; bono ex patre filius malus eſſet prudentibus monitis imbutus: uerum docendo nunquam ex malo bonum hominem facies. Cernis hunc circa eadem contraria ſibijpſi ſtatuere? ME. Videtur. SOC. Potes igitur indicare mihi rem, quãcunq; tandem, cuius qui ſe doctores ſcribunt, haud aliarũ tamen doctores eſſe, aut eam rem tenere, ſed prauos nullosq; in eo cuius profeſſores ſunt, eſſe ſe fateãtur: aut ſi ſe fateantur eſſe aliquos, rem tamen eam percipi poſſe, nunc quidem affirment, nunc negent: an tu qui quacunq; in re ita ancipites ſunt, eius rei doctores recte uoces? ME. Minime. SOC. Ergo ſi neq; ſophiſtæ, neq; boni clariq; uiri huius rei doctores ſunt, multo minus cæteri erunt. ME. Certe. SOC. Si non ſunt præceptores, neque diſcipuli etiam. ME. Sic ut ais, mihi uidetur. SOC. An non confeſſi ſumus, illud cuius nec magiſtri neq; diſcipuli ſunt, doceri minime poſſe? ME. Confeſſi ſumus. SOC. Et uirtutis nuſquam præceptores reperiuntur? ME. Nuſquam. SOC. Si non præceptores, neque diſcipuli etiam. ME. Sic apparet. SOC. Virtus ergo doceri nequit. ME. Sic uidetur, ſi quidem nos recte dijudicauimus. Quam ob rem uehementer admiror ô Socrates, bonos ullos inter homines reperiri, & quæ ſit ratio qua boni fiunt ambigo. SOC. Videmur ô Meno ego ſimul & tu mali eſſe. uidetur Gorgias quoq; te, ac me Prodicus haud ſatis erudiſſe. Itaq; maxime omnium reuocanda nobis mens eſt noſtra, quærendusq; aliquis qui hoc uno modo meliores nos efficiat. Hęc aũt dico ad ſuperiorẽ inquiſitionem reſpiciens. Num iſthuc perridicule à nobis præteritũ eſt, quod nõ ſolum ſcientia duce, recta negocia hominibus procedũt, quod quidem niſi cõcedatur, eſſe ſcilicet pręter illam aliud quiddã, fortaſſe nulla extet ratio, qua uiri boni fiãt. ME. Quo pacto

Athenis periculoſum erat quemquam iniuria afficere

Theognidis præcepta digna cognitu

Prodicus præceptor Socratis

id ais ô Socrates? SOC. Sic.quod quidem bonos uiros utiles esse oporteat,probè confessi sumus,cum nunquam se res aliter habeat, nónne? ME. Ita.SOC. Et quod utiles futuri sint,si recte agendis rebus præsint, etiam probè inter nos conuenit. ME. Probè. SOC. Quod uero nullus recte præesse possit,nisi sit prudens,haud satis recte ab utroq; asseueratum esse constat. ME. Quomodo recte dicis? SOC. Dicam. qui iter uel Lariſſam,uel aliò quouis nouit,& eò uel ipse proficiscatur,uel alios ducat, nõne recte atq; bene perducet? ME.Prorsus. SOC.Quid uero si quis recte opinatur quæ uia ferat Lariſſam, nunquam tamen profectus sit,neq; sciuerit,nõne iste quoq; recte duceret? ME. Valde. SOC. Et donec rectam de ijsdem rebus opinionem habet, de quibus alter scientiam, dux erit nihilo deterior,existimans quidem uera,sciens uero minime,quàm is qui ista pernouit? ME.Nihilo certe. SOC. Vera ergo opinio ad recte agendum nihilo minus quàm prudentia ualet.Atq; id est quod in cõsideratione uirtutis in superioribus prætermisimus,dum solam prudentiã recte agendi ducem assereremus, hæc autem erat opinio uera. ME. Videtur.

Recta opinio & sciẽtia

SOC.Num igitur nihilo minus recta opinio quàm scientia confert? ME.Hoc utique minus confert ô Socrates,quod quicunque scientiam habet,semper assequitur: qui uero rectam opinionem,interdum quidem consequitur,nonnunquam uero fallitur. ME. Quid ais? qui recta opinione incedit,nõne quandiu opinatur recte, semper uoti compos efficitur? ME.Necessarium apparet.Quam ob rem miror, quare cum ita sit,sciẽtia tamen longe admodum præstantior habeatur quàm recta opinio: & cur utraq; illarum aliud quid dam sit,dubito. SOC.Nostin quam ob causam id mireris? an ipse uis tibi dicam? ME. Dic prorsus. SOC. Quia Dædali statuas nunquam consideraſti, forte uero neq; apud uos extant. ME. Quorsum hæc? SOC. Quoniam hæ nisi ligentur, discedunt atq; ausugiunt, ligatæ permanent. ME. Quid tum? SOC. Ex eius operibus quod solutum est,haud magni fit,instar fugitiui hominis:neq; enim permanet:ligatum uero admiratione dignum,pulcherrima enim opera sunt.Cuius hæc gratia dico? Verarum opinionũ gratia: hæ quippe quousq; stabiles perseuerant,pulchra quædam opera sunt,omniaq; bona perficiunt. Attamen diu consistere nolunt,sed ex hominis animo confestim ausugiunt,quapropter nõ multi precij sunt,donec quis illas ratiocinatione à causis ducta liget. hæc uero amice Me

Recta opinio est remiſcentia

no reminiscentia est,ut suprà inter nos conuenit.Postquam uero ligatæ sunt, primo quidem scientiæ fiunt,deinde perseuerãtes, propterea q; scientia recta opinione præstantior est,ab eaq; uinculo quodam discrepat. ME. Per Iouem ô Socrates,congrua comparatio. SOC. Quinetiam ipse non tanquam sciẽs, sed ut coniectans ita loquor. Quod uero est aliud quiddam uera opinio quàm scientia,haud omnino planè mihi conijcere uideor. Sed & si quicquã aliud me scire faterer,quæ sanè pauca sunt,unum hoc ijs quæ scio,adnumerem.ME.Probe ô Socrates,loqueris. SOC.Quid uero? nonne hoc quoq; recte,quod uera opinio ad opus quodlibet ducens,nihilo peius q; scientia illud assequit? ME.Hoc quoque uerum. SOC.Nihil igitur uera opinio quàm scientia deterior,nec minus ad actiones utilis est,ut neq; uir ueram opinionem habens quàm scientia præditus. ME. Ita est. SOC. Quinetiam uirum bonum utilem esse conueniebat. ME. Conuenit. SOC. Si igitur homines non per ipsam scientiam solum boni atq; utiles ciuitatibus essent,si modo inuenirentur,sed etiam per opinionem rectam:horum uero neutrum natura hominibus ineſt,neq; scientia,neq; uera opinio,neq; etiam aduenticia hæc sunt: num uidetur istorum aliquod natura inesse? ME.Mihi nequaquã. SOC.Nónne postquam natura non insunt, neq; boni etiam uiri natura erunt? ME. Non sanè. SOC. Quoniam uero nequaquam natura,utrum doctrina considerabamus? ME.Ita. SOC. Et doctrina comparabilis uisa est, si sit prudentia uirtus? ME.Est. SOC.Et si comparabilis per doctrinam,prudentia quoq; uisa est? ME. Prorsus. SOC. Ac si præceptores essent,doceri posse: si non,minime? ME.Sic est. SOC.Et præceptores eius esse communi consensu negauimus. ME. Negauimus. SOC. Concluſimus itaq;, neq; doceri illam, neq; prudentiam esse? ME. Concluſimus.Præterea bonum ipsam esse conceſſimus. ME. Conceſſimus. SOC. Bonum autem & utile esse quod recte

Duo recte ducũt, uera opinio, atq; scientia

ducit. ME. Maxime. SOCR. Recte denique ducunt duo hæc sola,uera opinio atq; scientia,quibus homo præditus dux esse alijs uere potest. Quæ enim fortuna contingunt,imperio hominis nequaquam fiunt: quibus autem homo ad rectum dux est,duo hæc sunt, opinio uera atq; scientia. ME. Idem mihi uidetur. SOC.Igitur cum uirtus doctrina percipi ne

pi nequeat,nequaquam sciẽtia est.ME.Non apparet. SOC. Cum ergo duo sint bona atq; utilia, alterum illorum reijcitur, scientia scilicet,neq; illa in actione ciuili principatum tenet. ME.Non ut mihi uidetur.SOC. Non ergo sapientia quadam, neq; ut sapiẽtes ciuiles isti homines rempublicam administrant:cuiusmodi qui Themistoclis tẽporibus,et quos pauloante Anytus retulit, extiterunt. Vnde nec cæteros tales quales ipsi sunt reddere possunt, quippe qui scientia nulla huiusmodi sint prædíti. ME. Ita ut ais esse uidetur ô Socrates. SOC. Si non scientia, restat ut opinione recta utentes ciuiles uiri ciuitates gubernent, ac haud secus ad prudentiam se habeant quàm uates diuinoq; furore correpti.Etenim hi uera quamplurima nunciant, nihil tamen eorum quæ loquuntur intelligunt. ME. Sic esse uidetur. SOC. Nónne igitur ô Meno diuinos huiusmodi uiros appellare decet, qui mente nequaquam utentes multa tamen ac magna faciunt,& agendo & dicendo dísponunt? ME.Prorsus.SOC.Quãobrem merito diuinos uocabimus, quos modo prædixímus uates furentesq; ac poeticos homines uniuersos, ciuilesq; homines nõ minus quàm reliquos diuinos existimabimus diuino afflatos numine deoq; penitus occupatos,quandoquidem remp.dirigunt,multa maximaq; dicentes, quæ nequaquam intelligunt. ME. Maxime.SOCR.Mulieres quoq; ô Meno bonos uiros diuinos nuncupant. Et Laconici quoties bonum quendam uirum commendare uolunt, Diuinus hic uir aiunt. ME. Et recte quidem loqui uidentur ô Socrates,quanquam Anytus hic tibi forte talia loquẽti succenset.SOC.Haudquaquam mihi curæ est: cum hoc enim ô Meno rursus disseremus. Si autẽ nos in omni hac disputatione recte perscrutati sumus,uirtus utiq; nec doctrina neq; natura nobis aderit, uerum diuina sorte absq; mente in eum qui illam sortitus fuerit, influet:nisi forte quis ex ciuilibus talis existat,ut alium quoq; ciuilem efficere possit.Quod si extiterit,talis hic inter uiuẽtes erit, qualem Homerus ait Tiresiam inter mortuos esse, sic dicens. Inter eos qui apud inferos sunt solus sapit,cęteri uero umbræ uolitant.Similiter & ciuis hic ad alios tãquam ad umbras se haberet. Vera enim res, si uirtutem spectes, esset.ME.Optime mihi dicere uideris ô Socrates. SOC. Ex hac itaq; ratione ô Meno diuina sorte uirtus adesse cuicunq; adsit apparet. Veritatem tamen de hoc perspicuam tum denicq; comprehendemus, cum antequam quo pacto uirtus adsit quæratur, quid ipsa secundum seipsam sit,inuestigare tentemus. Nunc autem hora iam est,ut hinc aliò abeam. Ipse uero quod tibi persuasum est, Anyto huic hospiti tuo uicissim persuade quo mitior sit, Nam si ei hoc persuaseris, Athenienses quoq; iuuabis.

Qui bonus uir est,is diuinus appellatur

Vnde adsit uirtus

ARGVMENTVM MARSILII IN ALCIBIADEM PRIMVM, VEL DE NATVRA HOMINIS.

CANDIDISSIMVS Platonis nostri liber,qui Alcibiades primus inscribitur, Alcibiade ipso uenustior,& omni carior auro,quid homo est,quid eius officiũ docet.Est autẽ homo,anima rationalis, mẽtis particeps,corpore utẽs.Ex hac definitione illius officiũ trahitur trifariã distributum. Vt enim rationalis anima est,in seipsam circulo quodã ratiocinationis sese animaduertẽdo reflectitur. Vt mentis particeps,in diuinam mentem uelut riuulus in fontem suum refluit. Vt utens corpore, humanis negocijs gubernandis incũbit.Perfectum igitur & absolutum hominis officiũ est,primo quidem ut naturam suam animaduertat, deinde ab illa tanquã ab imagine & affectu ad diuinam mẽtem exemplar eius & causam cõuertatur. A qua hominis animus illustratus,ipsum bonũ,ipsum utile,ipsum pulchrũ,ipsum iustũ intelligit, suumq; bonũ,utile, pulchrũ, iustum perfecte cõprehendit. Vnde quid bonũ,quid utile aliorum hominũ quibuscum uersatur,quibusue imperat noscit.Cumq; bonum absolutũ,bonum sui,bonum aliorum cognouerit, ad seipsum iam & alium unũquenq; curandum secundũ cogniti boni normã debet accedere . Philosophiæ studio,moralis,mathematicæ, theologiæ opus est, ut ad seipsum & ad mentẽ sui causam redeat. Moralis quippe et mathematica disciplina animũ in corpus mersum in seipsum restituit,theologia supra se rapit,& extra seipsum attollit in deũ . Mẽtis diuinæ idearũq; cognitio sapientia dicitur. Suijpsius notitia, et sui suorũq; boni utilisq; inuentio ex diuinæ mentis intuitu manans,prudentia nuncupatur.Prudentia sanè ut bonũ intelligit , humanas actiones tam publicas quàm priuatas ad finem optimum refert. Vt utile,per cõmoda media propriasq; uias,quibus ad finem perueniat,dirigit. Vt pulchrum, quis ordo, quis modus in hoc progressu quasi quodam itinere sit seruandus instituit. Vt iustũ, quæ distinctio singulorum operum,quæ obseruantia impositi ordinis, quod suppliciũ transgredientis, quod præmium legem huius itineris obseruantis prascribit.A philosophia igitur ad sapientiam , à sapientia ad prudentiã fit accessus:prudentia uero ma

gistra uitæ disciplinã sui cuiusq; rei familiaris, & reipublicæ tribuit: homo per prudentiã gubernat, domus autẽ et ciuitas per amicitiã publicã, iustitiamq; seruantur. Publicam amicitiam uoco consensionẽ illam qua cũcti sub eadem lege & principe libenter conueniunt, & ad eundẽ finem respiciunt. Iustitiam publicam nomino legitimã distinctionem, qua singuli licet sub eodem principe, et ad eundem finem, hoc est publicum bonum, diuerso tamen tramite proficiscuntur, uariamq; officiorũ distributionẽ pro natura et dignitate uniuscuiusq; à natura & legibus assignatam seruant, proprioq; munere sine usurpatione alieni fungũtur. Insunt in hoc dialogo theologicæ dictiones duæ, ipsum idem, et ipsum unumquodq;. Circa hominem illa significat animam ut ideam, hæc animam in corpore. Sed de ijs latius in commentarijs, quæ in decem hos Platonis dialogos scribere iam instituí.

ALCIBIADES PRIMVS, VEL DE NATVRA HOMINIS.

SOCRATES ALCIBIADES.

Occasio dialogi, in quo introducitur Alcibiades iuuenis pulcherrimus, generosus, diues habẽs indolem & spem magnorum gestorũ, ut ostẽderetur natura hominis non esse inhis partibus

OFILI Cliniæ admirari te arbitror quod cum primus ipse omnium amare te cœperim, cæteris alienatis, solus in ista beneuolentia perseuerẽ: cũq; amici reliqui frequentiori cõsuetudine tibi assidue molesti essent, ego tot annis ne compellarim quidẽ. Huius aũt rei causa non humanũ quippiam: sed uis dæmonĩ repugnans quędã fuit, cuius potentiã in sequentibus audies. Nũc uero cum non ultra repugnet, huc ita profectus sum. Spero autẽ nec in posterum nobis aduersaturum. Ferè autem toto hoc tempore considerabam quo pacto erga tuos amicos te gereres. Qui quamuis multi atq; superbi erant, nemo tamen illorum fuit, quin fastu abste superatus abiret. Quam uero ob causam illos contẽpseris, explicabo. Ais enim te nulla in re hominibus alijs indigere, quippe quę tibi insunt ita esse præclara, ut nec ad corporis, nec ad animi bona cuiusquã egeas. Existimas te in primis procero atq; decoro corporis habitu plurimum excellere. Atq; id apud omnes constat. Strenuissimo pręterea genere ortum te prædicas præ cæteris qui in hac urbe sunt ciuitatũ Græcarum amplissima: ex paterno quidem genere amicos atq; cognatos esse quãplurimos & optimos uiros, qui tibi omnia cũ opus fuerit, subministrare possint. Maternos quoq; nec his inferiores neq; etiam pauciores. Sed multo maiorem ijs omnibus autoritatem afferre tibi ad res agẽdas Periclem Xanthippi filium, quẽ quidem pater tuus tutorẽ tibi fratriq; reliquit, qui nõ in hac ciuitate solum, quæcũq; uult potest, sed in oĩi Græcia, & in multis etiam ac magnis barbarorum gẽtibus. Adderem quoq; amplissimas tuorũ diuitias, nisi te scirem in ijs minimum omnium gloriari: horum omniũ causa fastu elatus, amicos oĩes tuos edomuisti. Atq; ipsi utpote inferiores tibi cesserũt. Neq; uero ista te latuere. Quamobrem satis scio admirari te, quo animo in beneuolentia tua perseuerarim, quam' ue spem de te conceperim, qui cæteris fugientibus ego omniũ solus perstiti. AL. At istud fortè nescis ô Socrates, te nũc me paulo præuenisse. Venerat enim in animũ mihi, ut te prior adortus hæc eadem te rogarem: Quidnã uis? quid sperans me turbas, ut semper ubicunq; sum, tu quoq; obseruantissime adsis? Reuera enim quod sit consiliũ tuum admiror, illudq; libenter audirem. SOC. Audies igitur hoc à me ut decet quamprimũ, si quidem ut ais nosse desideras quid cogitem. ego enim tanquã expectanti & auscultaturo id referam. AL. Et maxime quidem: dicas modo. SOC. Vide itaq;, neq; enim mirũ uideri debet, si quẽadmodum uix incepi, ita uix desinam. AL. Age dic modo, audiã enim. SOC. Dicendũ est profecto. Difficile quidem est, cum eo qui amicorũ nulli demittat se cõsuetudinẽ inire. Audẽdum tamen sententiaq; mea exprimenda. Equidem ô Alcibiades si te cognouissem ijs rebus quas suprà narrauimus esse contentum, uitamq; in illis tuam transigere, dudum beniuolentiam erga te meam (sic enim mihi persuadeo) deposuissem. Nũc autem alias quasdam tuas de teipso cogitationes indicabo tibi, ut intelligas ex quo semel tibi mentem adhibui, quàm nunquam destiterim. Videris mihi sanè si quis deus tibi dixerit, ô Alcibiades, Nunquid uiuere uis ea sola possidens quæ nunc habes? an statim obire nisi præstantiora quædam assequi liceat? mortem potius electurus. At uero qua nũc spe uitam agas aperiam. putas enim si mox in Athenienſis populi cõcionem ascenderis, quod quidem paucos post dies futurum existimas, Athenienſibus demonstraturũ te maiori dignũ esse honore, quàm aut Pericles sit, aut alius quisquam fuerit eorum, qui superioribus seculis floruerunt: quod si ostẽderis, maximę apud ciues tuos auctoritatis fore. Atqui si plurimum

Beniuolentiam captat à reipsa & attentionem

hac

hac in urbe possis, omnium quoque Græcorum atque etiam Barbarorum quicunq; eam dem quam & Græci incolunt regionem, clarissimus sis: & si Deus idem imperium Europæ concesserit, transire tamen in Asiam, & isthic imperium affectare uetuerit, nondum electurus mihi uideris cum his solis uitam degere, nisi nomen tuum atque potentiam, ut ita dicam, per omnia hominum genera propagaris. Teq; arbitror præter Cyrum ac Xerxem, neminem memoria dignum existimare. Quod igitur huiusmodi spe nutris, non coniecto equidem, sed certò scio. Dices fortè, utpotè conscius me uera dixisse, Quid hæc ô Socrates, ad eam rationem quam assignare uolebas, ob quam me nondum deseruisti? Dicam ô amice Cliniæ & Dinomaches fili: has cogitationes tuas ad optatum finem perducere, absque me minime potes: usqueadeò in te ac tua negotia me posse confido. Quapropter Deum ipsum censeo non permisisse olim me tecum differere: atq; ego expectaui donec ille permitteret. Vt enim tu speras ciuitati tuæ ostendere posse omni te apud eam honore dignum esse, atq; his demonstratis nihil adeò magnum restare, quod non statim conficere possis: sic & ipse plurimum apud te posse confido, quum primum ostendero cunctis me digniorem esse, nec tutorem, neq; cognatum, neq; alium quempiam præter unicum me Deo fauente, tibi eam potentiam quam desideras, traditurum. Quamdiu igitur eras iunior, necdum in spem tantam ueneras, mea quidem sententia, Deus tecum disputare prohibuit, ne frustra contenderem. Nunc uero impulit. nunc igitur audies. ALC. Longe mihi nunc mirabilior uideris, ô Socrates, postquã loqui mecum cœpisti, quàm dum tacitus me sequebaris: quanquam etiam tunc aspectu talis maxime uidebare. utrum igitur ego hæc mente uersarem nec ne, ita ut uidetur pernouisti, ut si etiam negem, nihil tamen ulterius proficiam suadendo: esto. Verum si hæc ipsa maxime intendo, quonam modo per te consequar, nec sine te ista perficientur? potes ne dicere? SOC. Inrerrogas ne an prolixum sermonem incepturus sim, quales audire solitus es? Neque uero id mei moris est. Imò demonstrare tibi possum, ut arbitror, hæc ita se habere, modo in hoc uno duntaxat mihi obsequi uelis. ALC. Nisi durum obsequium est, uolo. SOC. Num difficile tibi uidetur ad interrogata respondere? ALC. Nequaquam. SOCR. Respõde igitur. ALC. Interroga. SOC. An te interrogarem tanquam ea quæ cogitare te dixi, deliberantem? ALC. Esto si placet, ut tandem quid feras, uideam. SOC. Age itaque, intendis enim, ut suprà dixi, breui adire Athenienscm populum, aliqua de re moniturus. Si tibi igitur iam ad concionem ituro ego obuius, ô Alcibiades, dicam, postquam Athenienses de aliquo deliberare constituerunt, & tu deliberaturus surrexisti de eodem: utrum de ijs quæ tu melius quàm illi calles? quid responderes ad hæc? ALC. Respondere sanè de ijs quæ melius noui ego quàm illi. SOC. Quæ igitur nosti, de ijs quoq; es consultor bonus? ALC. Quid ni? SOC. Nónne hæc sola cognoscis, quæ ab alijs didicisti, uel ipse per te inueneris? ALC. Quæ enim alia? SOC. Est ne aliquid quod didiceris, uel inueneris iam quondam quum inuenire uel discere nolles? Non est. SOCR. Nunquid uoluisti unquam inquirere siue discere quæ te scire putabas? ALC. Nunquam. SOC. Quæ nunc scis, fuit quandoq; tempus quando te ignorare putabas? ALC. Necesse est. SOCR. At qui quæ didicisti, fermè & ipse cognoui: quod si quid me fugerit, dicas. Didicisti enim, ut memini, literas, citharam pulsare, palæstram: nam inflare tibias noluisti. Hæc sunt quorum tu scientiam habes: nisi quid clanculum fortè didiceris. puto autem nec noctu, neque die exisse te domo nos latentem. ALC. Nullos præterquam horum trium præceptores audiui. SOCR. An quoties Athenienses de literis consultabunt, quo pacto scribi debeant, ad consilium accedes? ALC. Non per louem. SOCR. At quum de lyra pulsanda? ALC. Nullo modo. SOCR. Neque de palæstris etiam in concione disceptare consueuerunt? ALC. Minime. SOCR. Quando igitur, & qua de re consultabimus? non enim quum de ædificijs. ALC. Non certè. SOCR. Ædificator enim melius quàm tu consulet. ALC. Ita. SOC. Neq; tamen quum de uaticinio disceptabunt. ALC. Nequaquam. SOC. Fatidicus enim hæc melius quàm tu. ALC. Melius. SOC. Seu paruus, seu magnus, seu formosus, seu deformis, uel nobilis uel ignobilis sit. ALC. Certe. SOC. Scientis enim est, non diuitis, de unoquoq; consulere. ALC. Quid ni? SOCR. Atq; ideo seu diues sit, siue pauper ille qui monet, nihil intererit apud Athenienses, quãdo deliberabunt qua ratione

A persona dicentis

Duob. modis cognoscimus

ciues recte habeant, sed quærent duntaxat ut medicus sit consultor. ALC. Et merito. SOC. Quando igitur, & in qua causa idoneus consultor eris? ALC. Quando de negotijs eorum deliberabunt. SOC. An quum de re nauali quærent, quales oportet naues fabricare? ALC. Non, ô Socrates. SOC. Naues enim struere nescis. Est ne hæc causa, an aliud quiddam? ALC. Nil aliud. SOCR. At uero de quibus eorum negotijs dicebas? ALC. Quum de bello, ô Socrates, uel pace, aut alio quopiam ciuitatis negotio. SOCR. Num dicis quum disputabunt quibuscum pax retractanda sit, & aduersus quos bellum gerendum, & quo pacto? ALC. Profecto. SOCR. Oportet autem quibus operæprecium est hæc indicere? ALC. His ipsis. SOCR. Et tunc solum quando melius? ALC. Omnino. SOCR. Atque tamdiu quamdiu præstat? ALC. Certe. SOCR. Si ergo quærerent Athenienses aduersus quos palæstra uel pugnis certandum sit, ecquid ipse melius quàm gymnasii magister consuleres? ALC. Gymnasii magister melius. SOCR. Potes dicere quonam respiciens ille admoneat quibuscum luctandum sit palæstra, uel non, & quando, & quo pacto? Sic dico, nónne cum ijs certandum, quibuscum operæprecium est? ALC. Vtique. SOCR. Et quantum præstat. ALC. Et quantum præstat. SOCR. Et tunc quum melius? ALC. Prorsus. SOCR. Quinetiam cantorem oportet pulsare citharam, & saltare ad cantilenæ exemplar? ALC. Oportet. SOCR. Nónne tunc quum est melius? ALC. Tunc certe. SOC. Et tantum quantum melius? ALC. Confiteor. SOCR. Quid ergo postquam melius quiddam in utrisque dixisti, & in citharæ cantu, & in palęstra, quid uocas in recto ad cantum sono melius? Nam ego quidem in palęstra gymnasticum uoco. Tu autem quid? ALC. Haud intelligo. SOC. Sed conare me imitari. Equidem melius ipsum uocarē ego, id quod per omnia recte se habet. Recte uero se habet, quod secundum artem fit? nónne? ALC. Idipsum. SOC. Nónne ars gymnastica? ALC. Quid ni? SOCR, Id sane quod melius in palæstra, uocaui gymnasticum. ALC. Vocasti quidem. SOCR. An non recte? ALC. Mihi uidetur. SOCR. Age igitur & tu, decet enim te quoq; recte differere. Dic primum quæ ars est, ad quam pertinet recte canere, sonare, saltare. Vniuersa hæc ars quomodo nuncupatur? nondum potes exprimere? ALC. Non dum. SOC. Verum sic enitere, quænam huius artis deæ? ALC. Musas ne ô Socrates, ais? SOC. Equidem. uide iam quodnam ab his cognomentum ars illa trahat? ALC. Musicam dicere uideris. SOC. Dico utique. Quid igitur est, quod secundum hanc recte fit? quemadmodum modo in illa iam arte ego tibi, quod secundum artem recte fieret, gymnasticum uocaui. Tu quoque in hac eodem modo melius quid uocas, & quomodo fit? ALC. Musicum mihi uidetur, & musice. SOC. Bene dicis. age iam, bello melius & pace melius quid uocas? quemadmodum superius dixisti, in unoquoque quid melius esset, ostendisti: in hoc quidem quod musicum magis, in illo uero quod magis gymnasticum. Conare in ijs similiter quid melius pronunciare. ALC. Non habeo quid dicam. SOC. At uero turpe sit, si quis te de cibis afferentē, meliorem hunc illo esse, & quando, & quantus, mox si quis roget, quid melius ipsum ô Alcibiades, uocas? nihil habere quod respondeas, uidelicet quod salubrius, quamuis te medicum esse non profitearis: in illo uero cuius te peritum esse gloriaris, & tanquam eruditus consultum surgis, deesse quod respondeas interrogatus. Nónne inquam, turpe hoc est? ALC. Turpissimum. SOC. Considera itaq; & conare nobis ostendere quorsum tendit melius in pace quibuscum oportet instituenda, & bello etiam contra quos oportet? ALC. Etsi quæro, nequeo tamen inuenire. SOC. Animaduertisti, quum bellum gerimus, quid sit quod accusamus, & quomodo id cuius gratia suscipitur bellum, uocemus? ALC. Animaduerti equidem ad arma nos prouocari, quum uel decepti, uel coacti, uel aliqua re priuati sumus. SOC. Age, dicas quo differt pati illa hoc uel illo modo? ALC. Quum dicis hoc uel illo modo, idem ne significas ac si diceres, iuste uel iniuste? SOC. Idipsum. ALC. Omnino quidem & hoc totum differt. SOC. Aduersus quos ut bellum ineant Athenienses hortaberis? Aduersus iniurios ne an iustos? ALC. Durum est id quod interrogas: nam & si quis cogitet solum iustos etiam uiros opprimendos esse, non hoc tibi confitetur. SOC. Non enim legitimum hoc ut uidetur. ALC. Minime. SOC. Neq; bonū apparet. Hic igit tu de iusto uerba facies. ALC. Necesse est. SOC. Aliud ne igitur, ut modo quærebam, in bello gerendo aut non, & quibuscum oportet

Melius uno quoq; studio, est quod per omnia recte habet

oportet uel non, & quando oportet uel non, melius est quicquam quàm id quod est iustum magis. ALC. Hoc melius uidetur. SOC. Vnum igitur, ò amice Alcibiades, te præterit quod hoc ignoras: uel si me inscio ad præceptorem profectus es, unde dijudicare dideris quid iustius, & quid iniustius, age & mihi illum ostende, ut ei me discipulum atq; hospitem facias. ALC. Mordes, ô Socrates. SOC. Non per deum mihi & tibi amicum, quem iureiurando minime fallerem: sed si habes, dic quis est. ALC. Quid si non habeam: nònne putas aliter me iusta atq; iniusta dignoscere posse? SOC. Immo si quidem inueneris. ALC. An non censes inuenisse me? SOC. Et maxime quidem, modo quæsiueris. ALC. Deinde non credis me quæsisse? SOC. Credo equidem, modo te ignorare putaueris. ALC. An fuit tempus, cum sic me non haberem? SOC. Bene dicis, sed potes assignare nobis id tempus, quando non rebaris te iustorum atque iniustorum cognitionem habere? Age anno superiori quæsisti hæccine nécne? & existimabas te scire nécne? Ac uera responde, ne frustra disputatio instituatur. ALC. Putabam scire. SOCR. Tertio uero anno ante id tempus, & quarto, & quinto, nónne eodem pacto? ALCIB. Eodem. SOCR. Atqui ante hæc tempora eras puer, nunquid? ALC. Eram. SOC. Scio equidem te tunc nosse putauisse. ALC. Quomodo scis? SOCR. Sæpenumero te puerum audiui cum apud magistros, & alibi in calculorum iactu cęterisq; puerilibus studijs exercereris, tanquam de iustis atq; iniustis minime dubitantem: uerum audacter loquentem de quocunque puero sermo incidisset, quod malus et iniustus esset, & iniuste ageret. Num uera loquor? ALC. Quid me oportebat facere, cum quis iniuria me afficeret? SOC. Tu uero si ignorans esses, siue iniuria inferatur, siue non, tum quid te facere oporteat quæras? ALC. Per Iouem non ignorabam ego, sed planè intelligebam iniuriam mihi fieri. SOC. Ergo putabas etiam dum esses puer, iusta & iniusta dignoscere. ALCIB. Et sciebam equidem. SOC. Quo in tempore inueneras? Non enim in illo cum te scire credebas. ALC. Nequaquam. SOC. Quando igitur hæc ignorare putabas? Considera, non enim id tempus inuenies. ALC. Per Iouem, ô Socrates, quod dicam non habeo. SOCR. Non ergo per inuentionem ista cognoscis? ALCIB. Non uideor. SOCR. Sed paulo ante neque per disciplinam etiam percepisse dicebas, quod si nec inueneris neque didiceris, quonam pacto, & unde tenes? ALCIB. Fortè haud rectè respondi, cum scire me per inuentionem asserui. SOCR. Id uero quo pacto habet? ALCIB. Didici ipse quoq;, ut arbitror, quemadmodum cæteri. SOCR. Rursus in idem relabimur: dic mihi enim à quo didiceris. ALCIB. A uulgo. SOCR. Non ad probatos refugis præceptores, cum ad uulgus te refers. ALCIB. An non sufficiunt ad docendum etiam hi? SOCR. Ne ea quidem quæ talarem ludum attinent, aut non attinent: etsi uiliora hæc sunt, quàm iusta. An non sic tu quoque putas? ALCIB. Puto. SOCR. Ergo maiora docere possunt, uiliora non possunt? ALCIB. Arbitror equidem. Enimuero multa docere possunt meliora ludo talari. SOCR. Quænam ista? ALCIB. Vt est Græcè loqui. Ab ijs enim didici, nec præceptorem ullum habui præter istos, quos tu magistros haud satis probatos esse dicebas. SOCR. O generose, huius quidem rei uulgares homines idonei præceptores sunt, & merito in hac doctrina laudantur. ALCIB. Cur? SOCR. Quoniam habent, quod bonos decet præceptores habere. ALCIB. Quid hoc? SOC. Nónne scis oportere eos qui aliquid docturi sunt, prius quàm doceant, intelligere? nunquid? ALCIB. Quid ni? SOC. Et cum intelligant consentire sibi neque dissidere? ALCIB. Ita. SOCR. In quibus uero dissentiant, ea scire illos dicemus? ALCIBIA. Minime. SOCRAT. Horum ergo quomodo boni essent magistri? ALCIB. Nullo modo. SOCR. Videtur ne tibi dissentire multitudo, siquando interrogetur quid lapis, & quid lignum? An non in idem feruntur omnes cum lignum uolũt aut lapidem capere? atq; eodem pacto in cunctis huiusmodi? Intelligo enim fermè per Græce scire, hoc te significasse, nónne? ALC. Significaui equidem. SOCR. Atq; idcirco in ijs nónne conueniunt, ut diximus, & priuatim & publicè ciuitates inuicem, neque dubitant, hæ quidem hoc, hæ uero aliud quiddam uocantes? ALCIB. Non dubitant. SOC. Merito ergo istorum idonei præceptores essent. ALCIB. Nempe. SOCRAT. Itaque siquidem in his uellemus eruditum euadere, recte hunc in doctrinam multitudinis mitteremus. AL. Prorsus. SOCR. Si autem nosse uellemus non

Dignoscit q inuenit, inuenit q quærit, quærit qui putat se ignorare

Quid oporteat esse in bonis præceptoribus

Qui doceri uelit linguã is in multitudinẽ mittendus: linguæ enim magister est populus

modo qui homines & qui equi sunt, uerumetiam qui ex illis maxime cursu ualeant, & qui non, nunquid uulgus erudire poterit? AL C. Nequaquam. SOC. Sufficiens hæc tibi coniectura erit, quod nec sciant uulgares omnes, neque apti horum præceptores sint, quoniam de ijs inter se nequaquam conueniunt. AL C. Videtur. SOC. Si noſſe cupiam non tantum qui sint homines, sed qui ualeant, qui ægrotent, nunquid multitudo docebit? AL C. Non. SOC. Multitudinem hæc docere non posse facile aduertes, si discordes opiniones consideraueris AL. Sanè. SOC. De iustis autem hominibus atq; rebus multitudo secum ipsa sibi consentit? AL. Minime per louem, ó Socrates. SOC. At in ijs magnopere discrepat? AL C. Summopere. SOC. Arbitror nec uidisse te unquam, nec audisse homines de sanis & ægrotis inter se adeo dissentire, ut ob ista bellum gererent, secq; inuicem interimerent. AL. Nunquam. SOC. Cæterum de iustis atq; iniustis quàm acriter dissentiant, & si ipse, ut arbitror, nõ uidisti, audisti tamẽ cum ex alijs multis, tum etiam ex Homero, nam Odysseam atq; Iliada audiuisti. AL. Omnino ô Socrates. SOC. Nónne igitur hæc omnia poemata sunt de iusti atq; iniusti discrimine? AL C. Sunt. SOC. Pugnæq; & interitus ob eandem profecto dissensionem inter Achiuos Troianósue fuerũt, eademq; ratione inter procos Penelopes & Vlixem. AL C. Vera refers. SOC. Reorq; & inter Athenienses, Lacedæmonas, atque Bœotios, qui prius in Tanagra, deinde in Coronia perierunt, ubi etiam pater tuus Clinias oppetijt, nulla alia de re quàm de iusti iniustiue differentia pugnam illam acerbissimam extitisse. AL C. Vera loqueris. SOC. Eos itaq; dicemus illa sciuisse de quibus tam acriter concertarunt, ut de iusto & iniusto altercantes omnia extrema subirent? AL C. Non uidetur. SOCR. Ergo ad eos præceptores te refers, quos ipsemet ignorare consentis? AL. Videor. SOC. Quonam pacto conueniens est te iusta & iniusta cognoscere in quibus sic aberras, nec didicisse ab aliquo uideris, neq; per te etiam inuenisse? AL C. Ex ijs quæ tu dicis, non est consentaneum. SOC. Vides iterum Alcibiades hoc te non recte dixisse? AL C. Quid? SOC. Quod me aiebas hæc dicere. AL C. Quid? non tu dicis me iusti & iniusti ignarum esse? SOC. Nequaquam. AL C. Ego ne igitur? SOC. Tu inquam. AL C. Quonam modo? SOC. Sic intelliges, si te interrogem utrum unum aut duo plura sint, respondebis ne duo? AL C. Duo. SOC. Quanto? AL. Vno. SOC. Vter igitur nostrum est, qui dicit duo uno plura quàm unum? AL. Ego. SOC. Ego igitur interrogabam, tu respondebas? AL C. Ita. SOC. De ijs ergo uter nostrum dicere uidetur? num ego interrogans, an tu respondens? AL C. Ego. SOC. Quid autem si quæram quot sunt in Socrate literæ, tu uero respondeas, uter nostrum erit qui dicet? AL. Ego. SOC. Age dic uno uerbo, quoties interrogatio fit atq; responsio, uter est qui dicit? interrogans ne an respondens? AL. Respondens, mihi uidetur, ó Socrates. SOC. Ego in superioribus semper interrogaui. AL C. Semper. SOC. Tu uero respondisti? AL C. Respondi. SOC. Quæ igitur dicta sunt hactenus uter nostrum dixit? AL C. Ex ijs quæ concessa sunt, ego dixisse uideor. SOC. Nónne dictum est, quod Alcibiades pulcher Cliniæ filius iustorum atque iniustorum inscius, se scire putabat, eratq; concionem Athenienſium aggressurus, ea consulturus quæ nesciret? Sunt hæc uera? AL C. Sunt. SOC. Euripidis illud nunc nobis ô Alcibiades occurrit. Abs te quippe ista uideris audisse, non à me. Neque ego hæc, sed tu dixisti: me autem frustra accusas. AL C. Et profecto bene dicis. SOC. Furiosum enim quiddam aggredi, ô uir optime, statuisti, docturus illa quæ nescias, neque discere cures. AL C. Reor ô Socrates, Athenienses & alios Græcos raro quænam iustiora, quæue iniustiora sint, quærere. talia enim putant esse perspicua. his igitur omissis, quæ conducant agentibus inquirunt. Neque enim eadem esse iusta & utilia puto, quin multis iniuste agentibus iniustitia profuit: alios contra iuste agentes nil ipsa iustitia iuuit. SOCRAT. Quid igitur si uel maxime diuersa, iusta & utilia sunt, an tu rursum scire te putas quæ utilia sint hominibus, & quam ob causam? ALCIBIA. Et quid prohibet Socrates? nisi rursus exquiras à quo didicerim, aut quomodo ipse inuenerim. SOCR. Vide quid agas, quod non recte dicis, cũ possit id ostendi per eandem rationem qua superiora, ipse tamen noua quædam existimes audienda, nouásque demonstrationes in medium adducendas: quasi priores sint instar apparatuum atque uestium quibus in scena utuntur contritæ, quibus quidem tu non amplius induaris

Ilias & Odyssea sunt, ex Homero, nam Odysseam atq; Iliada audiuisti.

de discrimine iusti & iniusti

induaris,nisi quis aliud quiddã purum immaculatũq; afferat. Ego autem missa faciens ser monis tui præludia,nihilominus interrogabo,unde utilia hęc esse didiceris, & quis magi ster fuerit,& reliqua cuncta quæ prius,una interrogatione requirã. Veruntamen eodem, ut arbitror,reuolueris,neq; ostendere poteris utilia,disciplinã ne an inuẽtione cognoue ris. Quando uero adeò delicatus es, ut non libenter sermonem eundẽ gustaturus uidea re:hoc quidem mitto,noris ne an non,quid utile, quidue inutile Athenien sibus sit. V tiũ autem eadem sint iusta & utilia,an diuersa,cur non demonstras,aut ipse me interrogans, ut ego te,aut,si ita placet,oratione perpetua utens? AL. Haud scio,ô Socrates, an aduer sus te disputare ualeam,necne. SOC. At ô bone uir,concionem me in præsentia, populũ ue esse puta: nónne illic te unicuiq; persuadere oportebit? AL. Oportebit. SOC. Nónne eiusdem est posse & uni seorsum aliquid, & multis simul,ea quæ nouit, demonstrare? Sicut grammaticus unum pariter in literis ac multos erudit. AL. Est. SOC. Et in numeris eodem modo quis poterit uni ac multis ostendere? AL. Certe. SOC. Hic autem est arith meticus. AL. Est. SOC. Et tu ergo quæ pluribus eadem uni persuadere potes. AL. Con sentaneum est. SOC. Sunt autem hæc uidelicet quæ cognoscis. AL. Profecto. SOC. Hoc uero duntaxat differt rhetor qui apud populum loquit,ab eo qui in huiusmodi congres su:quod ille simul uniuersis,hic seorsum singulis persuadet. AL. Videtur. SOC. Age cum eiusdem esse appareat multis atq; uni ostendere,meditare nunc coram me atq; enitere,ut ostendas mihi quod iustum est,aliquando non prodesse. AL. Contumelios us es ô Socra tes. SOC. Nunc per contumeliam demonstraturus sum tibi contraria eorum quæ tu mi hi non uis. AL. Dic. SOC. Responde modo interroganti. AL. Minime, sed tu ipse dicas. SOC. Nónne uis quàm maxime persuaderi? AL. Prorsus, SOC. Si dixeris hæc ita se habe re,an non eris maxime persuasus? AL. Mihi quidem uidetur. SOC. Responde igitur:nam nisi à teipso audieris iusta omnia utilia esse,alteri dicenti ne credas. AL. Non credam: sed iam respondendum est:nihil enim periculi esse existimo. SOC. Vates profecto es, uerum dic. Iustorum alia conferre asseris: quædam minime? AL. Assero. SOC. Quid autem ho rum partim esse pulchra, partim contrà? AL. Quomodo hoc interrogas? SOC. Vtrum quispiam tibi aliquando uisus sit turpia quidem facere,sed tamen iusta? AL. Mihi nunq;. SOC. Omnia itaq; iusta etiam pulchra. AL. Ita. SOC. Rursus, pulchra utrum omnia bo na,an partim bona,partim mala? AL. Arbitror equidem ô Socrates, nõnulla ex pulchris mala esse. SOC. Et turpia quædam bona? AL. Certe. SOC. Nunquid tale quiddam di cis,perinde ac si nonnulli dum in prælio amico uel propinquo cuidam opem ferre uel lent,uulnerati perierint: qui uero auxilium cum debuissent,nõ tulerunt, incolumes dis cesserint? AL. Et maxime quidem. SOC. Nônne auxilium huiusmodi pulchrum appel las, ubi quis seruare conatur quos oportebat? eaq; fortitudo est? AL CIB. Profecto. SOC. Malum uero uocas ob interitus ac uulnera,nunquid? AC. Voco. SOC. An non est aliud fortitudo, aliud mors. AL. Aliud. SOC. Non ergo secundum idem pulchrum simul ac malum est,amicis opem ferre. AL. Non uidetur. SOC. Vide itaq; utrum qua ratione pul chrum, etiam bonum sit: quemadmodum in ijs. Quia enim forte, concedis pulchrum esse auxilium ferre. Ipsa autem fortitudo bonum ne an malum? Sic uero considera: utra eligeres adesse tibi, bona an mala? AL. Bona. SOC. Nónne maxima bona maxime opta res? AL. Maxime. SOC. Ac minime omnium his priuari uelles? AL. Quid ni? SOC. Quid de fortitudine dicis? quanto illam precio commutares? AL. Ne uiuere quidem uellem, si timidus essem. SOC. Extremum ne malum tibi uidetur esse timiditas? AL. Mi hi uero. SOC. Aeque ac mori, ut apparet. AL. Aeque. SOC. Morti atq; timiditati uita & fortitudo contraria sunt? AL. Sunt. SO. Et hæc quidem maxime optares adesse tibi: illa minime? AL. Certe. SOC An non ex eo quod hæc optima,illa pessima esse censes? AL. Prorsus. SOC. Igitur auxilium ferre amicis in prælio, pulchrum quidem uocabas secundum boni, id est, fortitudinis actionem. AL. Videor sanè. SOC. Secundum ue ro actionem mali, id est, mortis,malum. AL. Mihi quidem uidetur. SOC. An non con gruum est,sic unamquanq; actionem denominare? si enim eam prout malum fert, ma lam appellas: contrà, prout fert bonum, bonam uocare decet? ALCIB. Videtur. SO CRAT. Nónne etiam quà bonum, pulchrum: quà malum,turpe? AL. Maxime. SOC. Cum ergo dicis auxiliũ ferre bello,pulchrum esse,sed malum:perinde est ac dicas, ipsum bonum

Quà quid bonũ, hac pulchrum: quà malũ, hac turpe

bonum quidē malum tamen. AL. Vera mihi dicere uideris ô Socrates. SOC. Nihil igitur pulchrum quatenus pulchrum malum est, neq; turpe quicquàm quatenus turpe bonū. AL. Non uidetur. SOC. Præterea hunc in modū contemplare, quisquis pulchre agit, nónne bene agit? AL. Vtiq;. SOC. Bene autem agētes, nónne felices? AL. Quid ni? SOC. An non felices propter bonorum possessionem? AL. Et maxime. SOC. Acquirunt autē hæc ex eo quod pulchre ac bene agunt? AL. Certe. SOC. Igitur bene agere bonum. AL. Quid ni? SOC. Nónne pulchrum actio bona? AL. Certe. SOC. Idem itaq; rursus apparet nobis pulchrum ac bonum. AL. Apparet. SOC. Quicquid igitur inueniemus pulchrum esse, idem quoq; bonum existere hac ratione reperiemus. AL. Necesse est. SOC. Bona autem conferunt necne? AL. Conferunt. SOC. Meministi quid suprà de iustis cōfessi simus? AL. Reor iusta agentes necessarium esse pulchra facere. SOC. Pulchra uero agentes, nonne etiam bona? AL. Ita. SOC. Et bona prodesse? AL. Penitus. SOC. Iusta igitur ô Alcibiades, utilia sunt. AL. Videtur. SOC. Hæc nonne ipse dixisti, ego autem interrogaui? AL. Apparet. SOC. Si quis igitur surgat Athenienſibus uel Peparethijs consulturus putans iusta se & iniusta dignoscere, dicatq; scire se iusta interdum esse mala, nónne ipsum irrideres, cum tu asseras eadem iusta & utilia esse? AL. Per deos, ô Socrates, quid dicam nescio, sed absurdo quodam modo habere me uideor. Nam & alia uidentur mihi interrogāte te, & nūc alia. SOC. Ignoras ô amice, quænam hæc affectio sit? AL C. Ignoro. SOC. Si quis te interrogasset duos ne an tres oculos habeas, manusúe duas an quatuor, aut aliud quiddam huiusmodi, putas illi te nunc hoc nunc illud, an idem semper responsurū fuisse? AL. Et si de me ipso iam uereor, puto tamen eadem responsurū. SOC. An non huius causa est, quia cognoscis? AL. Arbitror. SOC. De quibus igitur inuitus contraria respondes, constat illa te ignorare. AL. Consentaneum est. SOC. Nónne circa iusta & iniusta, pulchra & turpia, bona & mala, utilia & inutilia respondendo te errasse fateris? deinde nōne manifestum est, ex eo errauisse, quod ignoraueris? AL. Videtur. SOC. Nū ita se res habet, ut si quis ignoret, illius animum circa id errare necesse sit? AL. Quid ni? SOC. Scis ne quo pacto in cœlum ascendas? AL. Minime per Iouem. SOC. Aberrat circa hæc opinio tua? AL. Non certe. SOC. Scis autem huius causam? an me dicere mauis? AL. Dic. SOC. Quoniam cum nescias, non putas te scire. AL. Quomodo rursus id ais? SOC. Cogita tu quoq; mecum quæ nescis, cognoscisq; te ea nescire, num in illis laberis, quemadmodū de parandis obsonijs nosti sanè quod nescis? AL. Penitus. SOC. Vtrum circa hæc opinaris quomodo parare cō ueniat, atq; erras? an potius scienti concedis? AL. Hoc pacto. SOC. Quid si nauigares, nū quid opinareris gubernaculum nunc ad interiora, nunc ad ad exteriora flectēdum, ac nescius errares, an potius gubernatori cōcedens, quietem ageres? AL. Gubernatori. SOC. Non igitur erras in ijs quæ nescis, si nescire te noueris. AL. Non uidetur, SOC. Cernis errores in actionibus esse ob hanc ignorantiam, quod qui nescit scire se putat? AL. Quo pacto id ais? SOC. Tunc agere aggredimur, cum nosse putamus quod agimus. AL. Ita est. SOC. Contrà, qui ignorantiæ suæ conscij sibi sunt, alijs se committunt. AL. Quid ni? SO. Quapropter ex ignorantibus hi soli sine culpa uitam agunt, ex eo quod aliorum curæ se credunt. AL. Profecto. SOC. Quinam peccant? non enim scientes. AL. Non certe. SOC. Postquam neq; scientes, neque ex ignorantibus ij qui ignorantiæ suæ conscij sibi sunt errant, quinam alij restent, quàm ij qui cum nesciant, scire se putant? AL. Soli. SOC. Hæc igitur ignorantia malorum causa est, & uituperanda inscitia. AL. Nempe. SOC. Et quando circa maxima est, tunc deterrima atq; turpissima. AL. Maxime. SOC. Num habes quicquam maius quàm iustum, bonum, utile? AL. Nequaquam. SOC. Nónne circa hæc errasse te asseris? AL. Assero. SOC. Quod si erras, nonne ex superioribus perspicuum est, quod non modo in maximis rebus inscius es, uerumetiam cum sis ignarus sci re te putas? AL. Videor. SOC. Papè, ô Alcibiades, quo pressus es morbo? hunc equidem nominare horresco. Verūtamen cum soli simus, dicendum est: In turpissima namq; inscitia optime uir uersaris, id quod ipse oratione tua satis declaras: qui prius te ad ciuilia confers, cū sis gubernandi peritus. Neq; te solum morbus hic tenuit, uerumetiam omnes qui hanc Rempub. administrarunt, præter admodum paucos, ac fortasse præter tutorē tuum Periclem. AL. Fertur ô Socrates, non casu quodā sapiens euasisse Pericles, sed multis ac sapiētibus uiris familiariter usus cum sit, Pythoclidis in prime & Anaxagora, etiam nūc etiam

Felices ob bonorum possessionē

Ignorantia causa est respōdēdi uaria & nō eadem

etiam tam grandis natu, sapientiæ gratia Damone utitur. SOC. Num quem uidisti sapientem, qui in ea re in qua ipse sapit, alium sapientem efficere non posset? ueluti qui te in literis erudiuit, ipse quidem erat sapiens, teq; pariter reddidit sapiẽtem: & eodem pacto quemuis alium poterat. AL. Profecto. SOC. Et tu quoq; eruditus ab illo, alium instruere poteris. AL. Potero. SOC. Similiter citharœdus & magister gymnasii. AL. Penitus. SOCR. Optima igitur hæc coniectura est, quosdam esse, qui cum ipsi sciant, ostendere quos docuerunt possunt. AL. Mihi quidem uidetur. SO. Habes quem dicere possis à Pericle sapientem factum à filijs incipiens? AL. Quid si Periclis filij stolidi sunt? SO. At uero fratrem tuum Cliniam? AL. Quid Cliniam in medium adducis hominem insanum? SOC. Postquam Clinias quidem furit, filij uero Periclis stolidi nati sunt, tibi quam causam adscribemus, propter quam te cum talis sis, negligat? AL. Ego ipse ut arbitror, in culpa sum, cum illi mentem non adhibuerim. SO. Verum ex Athenien sibus hospitibusq; cæteris, dic quem uel seruum, uel liberum sapientiorem sua consuetudine fecerit, sicuti ego tibi ostendere possum propter Xenonis familiaritatem Pythodorum Isolochi & Calliã Calliadæ filios factos esse dignos sapientesq; uiros, quorum uterq; centum minas Xenoni tradidit. AL. Per louem non habeo quem dicam. SO. Esto. Quid ergo te de teipso cogitas? num qualis nunc es, maturescis, an aliquid conari potius? AL. Communi consilio opus est ô Socrates. Etenim tua dicta intelligo, eisq; assentior. Nam qui remp. administrãt, præter admodum paucos, ineruditi mihi quoq; uidentur. SO. Quid tũ? AL. Si periti essent, oporteret eum qui cum illis decertaturus est, postquam eandem artem didicisset, ac seipsum exercuisset, tunc demũ tãquam ad athletas ire. nunc aũt postquam & isti imperiti ad rẽp. accesserunt, quid exercitatione opus est mihi? quid disciplinæ studio? Noui enim quod naturæ dotibus longe hos superabo. SO. Papæ, quidnam optime uir dixisti? quàm indignum indole tua, ac reliquis istis tuis dotibus. AL. Quorsum hæc ô Socrates? SO. Dolet enim mihi tum propter te, tum ob mutuam nostram beneuolentiam. AL. Quidnam? SO. Quod putaueris aduersus homines qui hic sunt, tibi certamen fore. AL. Aduersus quos igitur? SO. Decet ne ut id quærat uir qui tanti se facit? AL. Quid ais? nónne aduersus istos mihi certamen? SOC. Si pugnaturam triremem gubernare statuas, satis ne tibi putes, tuis te connautis gubernando præstare? an cum hoc ita esse oportere intelligas, in strennuos aduersarios potius, non ut nunc facis, in propugnatores tuos respicis, quibus te tantum oportet excellere, non qui contra illos quidem pugnandum existimes, sed pari potius pendens, ceu ministris aduersus hostes uti, si quidem reuera egregium aliquod facinus edere uelis te ac rep. tua dignum? AL. At id quidem cogito. SO. An decet igitur ut satis putes si tuorum militum præstantissimus tu sis, non autem respicias ad hostium duces, qua ratione illis potius excellas, in hos intentus semper, & contra eos te muniens? AL. Quos dicis ô Socrates? SO. Nostin urbem nostram cum Lacedæmonijs, ac magno Persarum rege undiq; bellum gerere? AL. Vera dicis. SOC. Nonne cum in animo sit huius ciuitatis dux fieri, recte facias, si putes aduersus Lacedæmoniorum Persarumq; Reges certamen te subiturum? AL. Vera dicere uideris. SOC. Non ô bone uir, sed in Midiam coturnicum nutritorem te decet intentum esse, & alios huiusmodi, qui cum nondum capillos, quos serui alebant, animo (quemadmodum mulierculæ uulgo dicunt) præ imperitia abraserint, rempublicam tamen tractare aggrediuntur, adhuc barbariem redolentes: atq; ita affecti prodeunt adulaturi ciuitati, non autem imperaturi. In istos inquam intuentem te num de teipso securum esse decet, neq; discere quæcunq; ad eruditionem pertinent, cum sis tantum certamen aditurus, neq; in quibus oportet exerceri, & quæ sunt præparanda parare, ut ita institutus ciuilem tandem administrationem capessas. AL. O Socrates uera mihi dicere uideris. Arbitror enim Lacedæmoniorum duces regemq; Persarum nihilo ab alijs discrepare. SOC. At ô uir optime animaduerte quæso, qualis hæc sit opinio tua. AL. Qua in re? SOCR. Num te existimas diligentius teipsum curaturum si illos tanquam potentissimos esse credens, formides, an si minime eos timeas? AL. Si potentes illos existimauero. SOC. An censes curam quam tute de te habes, alicubi tibi posse nocere? AL. Nullo modo: ut contrà maxime prodesse. SOCR. Vnum quidem hoc in primis tantum malum ista tua opinio habet. AL. Vera dicis. SOCR. Secundum uero, quod falsa sit, quod ita tibi probabile efficitur.

Optima cõiectura est scientis

Paræmia

AL

Cõsentaneũ est in genere nobili quã ignobili ingenia melio ra inesse

AL. Quomodo? SOC. Vtrum consentaneum est, meliores esse naturas nobili in genere quàm ignobili? AL. Manifestum quod in nobili. SOC. Nónne bene nati, si bene etiam educantur, ita demum ad uirtutem perueniunt? AL. Necesse est. SOC. Consideremus itaq; illis nostra comparantes primum quidem utrum Lacedæmoniorum Persarumq; reges ignobiliori quàm nos genere orti uideãtur. An ignoramus illos quidem ab Hercule, hos autem ab Achemene genus ducere? Herculis autem & Achemenis origo ad Persem Iouis filium refertur. AL. Et nostrum quidem ô Socrates in Euryfacem, Euryfacis in Iouẽ. SOC. Atqui nostrum ô generose Alcibiades in Dædalum etiam. Dædalus autem in Vulcanum Iouis filium. Verum istorum maiores ab ijs incipientes reges sunt ex regibus usq; ad Iouem. Illi quidem Argiuorum & Spartæ. Hi uero Persidis semper, sæpe etiam ut & nunc Asiæ. Nos autem superioresq; nostri priuati. Quod si te oporteret progenitores ac patriam Euryfacis ostendere Salaminam, uel Aeaci etiam prioris Aeginam Artaxerxi Xerxis filio, quo te risu exceptum iri putas? Sed uide ne & generis dignitate & educatione præterea, illis inferiores simus. Nunquid audisti quanta sit Lacedæmoniorum regum dignitas? quorum uxores publice obseruantur ab Ephoris, ut quoad fieri potest, rex non ex alio quàm Heraclidarum genere latenter oriatur. Persarum uero rex adeo excellit, ut nemo suspicetur regem ex alio quàm ex ipso genitum esse: quamobrem regis uxor non ab alio quàm metu custoditur. Postquam uero natus est primogenitus qui succedit in regno, primo quidem eum diem omnes qui sub regno sunt celebrant, atq; ita in posterum quotannis natalem regis diem sacris ac festis omnis Asia colit. Cum uero apud nos quis nascitur, ne uicini quidem, ut ait Comœdus, sentiunt ô Alcibiades. Deinceps nutritur puer, non à muliere nutrice parum honorifica, uerum ab Eunuchis, qui reliquorũ circa regẽ optimi uideantur, quibus & alia quæ spectant ad curam pueri demandantur, ac præcipue ut natum quampulcherrimum reddant, componentes membra eius atq; dirigentes. Atq; hæc facientes magno in honore habentur. Cum autem pueri septimum ætatis annum impleuerunt, ad equestris artis magistros proficiscuntur, deinde in uenationem tendunt. Anno uero quartodecimo puerum suscipiunt hi, quos regios pædagogos appellant. Sunt ij profecto ex omnibus Persis ea ætate electi præcipuiq; quatuor, sapiẽtissimus, iustissimus, temperãtissimus, atq; fortissimus aliquis uir. Quorum primus magicam Zoroasti Oromansii filij docet: est autem illa deorum cultus: atq; idem tradit instituta regia. Secundus admonet, ut in omni uita sit uerax. Tertius ne ulla cupiditate superetur, ut liber uiuere consuescat, ac reuera rex, imperans ijs ante omnia quæ in ipso sunt, nec ulli seruiens. Quartus denicq; impauidum illum & intrepidum reddit, nequando quippiam metuens seruus fiat. Tibi autem ô Alcibiades Pericles adiunxit pædagogum Zopyrum Thracem omniũ seruorum suorum præsenio inutilissimum. Narrarem præterea tibi reliquam educationem, & disciplinam aduersariorum tuorum, nisi longum sit. Iam uero satis hæc clara sunt ad cætera quæ hinc sequuntur ostendenda. Tuæ uero aliorúmue Athenien sium generationis, educationis & disciplinæ nulli, ut ita dicam, propinquorum cura est, nisi forte amatores id curent. Iam uero diuitias, uoluptates, uestium luxuriosum ornatum, unguentorum odores, ministrorum sequentium turbam, reliquamq; Persarũ mollitiem, si consideraue uoles, pudebit te tui, ubi intelliges quantum ab illis relinquare. Contra si consideraue Lacedæmoniorum temperantiam, modestiam, facilitatem, mansuetudinem, magnanimitatem, moderationem, compositionem, fortitudinem, cõstantiam, tolerantiam, uictoriæ cupiditatem, & amorem gloriæ uelis, puerum te ijs omnibus in rebus iudicabis. Si quid prorsus opulentię tribuis, & hic aliquis esse putas, neq; hæc à nobis silentio prætereantur, Modo sentias ubinam sis, & Lacedæmoniorum diuitias intuearis, cognosces profecto nos abs illis longe admodum superari. Quicquid enim aut sui agri, aut Messanienśis possident, nemo uticq; dubitet, quin amplitudine & ubertate ac seruorũ tam aliorum quàm Elotorum frequentia, & equorum pręterea, aliorumq; pecorum quę fert Messania copia nostros superẽt. Cæterum hæc omnia in præsentia omitto. Auri uero & argenti apud Lacedæmonios copia tanta, quantam ne uniuersa quidem reliqua Græcia possidet. Multa enim iam secula infertur quidem illuc ex uniuersa Grecia, sępe etiam ex Barbaria, effertur autem nusquam. Sed reuera quemadmodum apud Aesopum uulpes leoni dixit de ferarum uestigijs, sic & nummorum uestigia ingredientium Lacedæmonem

Persarum regum educatio

Magica Zoroastri deorum cultus est

Lacedæmoniorum laudes

dæmonem trita quidem in puluere uidentur, egredientium uero nusquam apparent. Vn de coniectare licet Lacedæmonios auri atq; argenti Græcorum omnium esse ditissimos. Quinetiam rex illorum pecuniosissimus est. Ex ijs enim maxima pars ad ipsum peruenit. Tributum præterea regi pergrande impenditur. Et res quidem Lacedæmoniorũ quo ad reliquos Græcos amplæ: quo ad uero Persas regesq; Persarum, angustæ. Retulit quippe nobis uir quidam grauis, unus eorum qui ad Persarum regem profecti erant: se quãdoq; integrum penè diem, latam ac fertilem peragrasse prouinciam, quã incolę uxoris regiæ zonam appellarent: esse quoq; aliam nomine Calyptrã, atq; ita multas alias regiones pul chras ac fertiles ad ornatum reginæ solius pertinere, nominaq; singulis locis à singulis or namentis imposita esse. Quamobrem opinor si quis Amistridi Xerxis quidem uxori, regis autem matri dicat, Dinomaches filiũ in animo habere cum ipsius filio pugnare, cum Dinomachæ ornatus quinquaginta fortasse sit minarum, filio uero agri plethra in Erchia sis minus quàm trecenta, eam admiraturam qua re fretus Alcibiades audeat cũ Artaxerxe pugnare. Reorq; illam arbitraturã hunc uirum in nulla alia re nisi diligentia sapiẽtiaq; consilium id aggredi: hæc quippe sola apud Græcos æstimatione digna esse. Quod si intel ligat alicunde, Alcibiadem istum certamẽ tantum inire, primo quidem nondũ uiginti an nos prorsus natum, deinde omnino indoctum, nec amico suo obediẽtem, monenti prius discat exerceatq;, quàm tantum regem inuadat, arbitror illam admiratione concitam interrogaturam quidnã sit quo adolescens iste confidat. Cui si responderemus, pulchritudi ne, proceritate, nobilitate, diuitijs, animo te fidere, nos ó Alcibiades insanire putaret arbitror, hæc apud suos omnia potiora sciens. Eodemq; modo Lampidonem Leotychidæ filiam, Archidami uero uxorem, Agidis autẽ matrem, qui omnes reges extitere, miraturam cum norit qualia circa se sunt, te tam male instructum filio suo non dubitare bellum mouere. Atqui nónne turpe uidetur, si hostium mulieres rectius iudicent quàm nosmetipsi, quemadmodum contra illos accingi debeamus. Cæterum ó beate mihi parens, & illi quod in Delphis est, epigrammati obtemperans, nosce teipsum: quoniam ij sunt aduersarij nostri, non quos ipse rebaris, quos quidem nulla re alia, nisi industria et arte superare licet. Quibus profecto si inferior fueris, gloria quoq; apud Græcos & Barbaros tibi deerit: quam sic ardenter uideris appetere, ut nemo unquam aliquid ardentius concupiuerit. AL. Quam igitur curam adhibendam censes ó Socrates? An potes ostendere? Mihi enim supra quàm dici possit, uera dixisse uideris. SOC. Possum quidem, uerum communi consilio opus est, qua ratione quàm optimi efficiamur. Ego enim non te tantum, uerũ etiam me ipsum disciplina indigere dico. Nam unum solum est, quo à te differo. AL CIB. Quid? SOC. Curator meus melior est & sapientior quàm tuus Pericles. AL. Quis hic ó Socrates? SOC. Deus ô Alcibiades, qui me uetuit ante hunc diem tecum disserere, cui credens, affero te per nullum alium quàm per me claritatem consecuturum. AL. Iocaris ô Socrates. SOC. Forsitan, uera tamen loquor, quod uterq; curatione indigemus, imò homines uniuersi, cæterum nos quamplurimum. AL. Quod quidem ego indigeam, haudquaquam falleris. SOC. Neq; etiam quod ego ipse. AL. Quid igitur agendum? SOCR. Nec hæsitandum, neq; etiam mollitiæ indulgendũ est ó amice. AL. Non decet ô Socrates. SOC. Non certe, sed in cõmune considerandum. Verum dic mihi, an optimi esse uolumus? AL. Certe. SOC. In qua facultate? AL. Qua uidelicet uiri boni. SOC. Quanam in re boni? AL. In rebus agendis. SOC. In quibus? num in re equestri? AL. Non. SOC. Ad equites enim iremus. AL. Profecto. SOC. Nunquid in nauis gubernatione dicebas? AL. Nequaquam. SOC. Ad nautas enim iremus. AL. Iremus. SOC. In quo ergo negotio, & quorum hominum officio? AL. In ijs quæ clari boniq; Athenienſium uiri agunt. SOC. Claros ac bonos, prudentes ne an imprudentes appellas? AL. Prudentes. SOC. In quo unusquisq; prudens, in eodem bonus? AL. Certe. SOC. Imprudens autem malus? AL. Malus. SOC. Calceorum sutor prudens ad calceorum opus? AL. Prorsus. SOC. Bonus ergo ad hæc? AL. Bonus. SOC. Quid uero uestibus cõficiendis, nónne cerdo hic imprudens? AL. Ita. SOC. Malus ergo ad hæc? AL. Ita. SOC. Idem itaq; secũdum hanc rationem etiam bonus atq; malus erit. AL. Videtur. SOC. An dicis uiros bonos malos etiam esse? RL. Nequaquam. SOC. Quos tandem bonos uocas? AL. Eos qui in ciuitate præesse possunt. SOC. Non tamen equis? AL. Non certe. SOC. At hominibus? AL. Hominibus.

Prouinciæ appellatæ ab ornamentis rẽgnæ

In quo quisquam prudẽs, in eodẽ bonus

SOC. Num hominibus ægrotantibus? AL. Non. SOC. An forte nauigantibus? AL. Non ijs dico. SOC. Metentibus ne? AL. Neq; his. SOC. Aliquid ne uel nihil facientibus? AL. Facientibus. SOC. Quid tandem facientibus? id mihi declara. AL. Commercia, inquam agitantibus, atq; mutua opera utentibus. SOC. Nunquid imperare eos dicis hominibus, qui hominibus utuntur? AL. Aio. SOC. An gubernatoribus qui remigibus utuntur? AL. Non. SOC. Hæc enim gubernatoriæ facultatis uirtus est. AL. Est. SOC. Fortasse imperare dicebas tibicinibus, qui canentibus præsunt, choreisq; utuntur. ALCIB. Neq; his. SOC. Hoc namq; ad facultatem chori magistram pertinet. AL. Omnino. SOC. Quid denique uocas imperare posse hominibus, qui utũtur hominibus? AL. Præesse hominibus cõmunicantibus inuicem in Reipub. administratione, atq; commercijs. SOC. Quænam hæc ars est? quemadmodum si te iterum rogem, quæ facultas efficit ut præesse nauigãdo communicantibus sciamus? AL. Gubernatoria. SOC. Communicantibus autem in cantu, ut paulo ante dicebatur, quæ scientia præesse docet? AL. Quam tu nuper aiebas, chori disciplina. SOC. In repub. uero communicantibus, quam scientiam uocas? AL. Bonum consilium ô Socrates. SOC. Num tibi uidetur gubernatorũ ars carere consilio? AL. Minime. SOC. Est ipsa quoq; bonum consilium. AL. Mihi sanè uidetur. SOC. Ad nauigantium salutem. AL. Recte loqueris. SOC. Quod uero bonum consilium uocas, quo spectat? AL. Ad meliorem ciuitatis institutionem salutemq;. SOC. Quánam re præsente uel absente melius disponitur atq; seruatur? Ceu si ipse me roges, quo præsente, aut absente bene se habent corpora: responderem utiq; sanitate præsente, morbo uero remoto. Idem & tu existimas? AL. Idem. SOC. Quod si idem quæras de oculis, eadẽ ratione respondebo, pulsa cæcitate, adhibito usu. Et aures curari fugata surditate, admoto uero auditu. AL. Recte. SOC. Ciuitas autem quo remoto, quóue adhibito melior fit, ac melius instituitur? AL. Mihi uidetur ô Socrates: quando amicitia est inter ciues: odia uero & seditiones absunt. SOC. Amicitiam uocas consensionem an dissensionem? AL. Consensionem. SOC. Per quam artem ciuitates circa numeros consentiunt? AL. Per arithmeticam. SOC. Priuati uero, an non propter eandem? AL. Nempe. SOC. Et unusquisq; secum ipse? AL. Certe. SOC. Per quam artem quisq; secum ipse consentit de palmo & cubito uter maior sit? nonne per metiendi peritiam? AL. Quid ni? SOC. Nónne scilicet priuatim & publice? AL. Imó. SOC. Et de ponderibus eodem pacto. AL. Assentior. SOC. Consensus igitur quem dicebas, quis nam est? circa quid? quę ars eum præstat? Etenim iste cõsensus talis est, ut insit reip. & priuato unicuiq; ad seipsum & ad alios. AL. Consentaneum. SOC. Quis igitur est? ne pigeat respondere, ac promptè dic. AL. Reor equidem esse amicitiam & consensionem: qua pater ac mater filium, & frater fratrem, & uxor uirum amantes cõsentiunt. SOC. Putas ne ô Alcibiades uirum cum uxore circa lanificium conuenire, imperitum cum perita? AL. Nequaquam. SO. Neq; oportet quidem: muliebris enim hæc disciplina est. AL. Profecto. SOC. Quid uero mulier cum uiro circa opus militare conueniet, cum id haudquaquã didicerit? AL. Minime. SOC. Virile enim id rursus esse diceres. AL. Equidem. SOC. Sunt ergo disciplinæ quędam mulierũ, quędam uirorum, iuxta hanc sententiam tuam. AL. Quid ni? SOC. In ijs itaq; mulieribus cum uiris consensus est nullus. AL. Nullus. SOC. Neq; amicitia igitur: siquidem amicitia consensio quædam est. AL. Non uidetur. SOC. Ideoq; quatenus mulieres officia sua exercent, non amantur à uiris. AL. Nõ apparet. SOC. Neq; uiri etiam à mulieribus, dum uirilia tractant. AL. Non. SOC. Non ergo tunc optime ciuitates instituuntur, cum singuli operibus suis incumbunt. AL. Ego tamen id ô Socrates, arbitror. SOC. Quomodo hoc ais amicitia sublata, qua prędente cõfecti sumus bene constituí ciuitates, aliter uero cõtra? AL. Atqui mihi uidetur ob hoc inter homines cõsistere amicitiã, quod quisq; suum officium exequat. SOC. Atqui aliud paulo ante dicebas: nunc autem quo pacto rursus ais consensione adhibita amicitiam fieri, an potest circa hæc cõsensus existere, quorũ ij quidem periti, ij uero imperiti sunt? AL. Fieri nõ potest. SOC. Iusta ne an iniusta faciunt, cũ singuli quæ ad se attinent, exequunt? AL. Iusta profecto. SOC. Iuste igitur agentib. ciuibus, in ciuitate nõ est amicitia? AL. Necessarium hoc itidem uidetur ô Socrates. SOC. Quam itaq; dicis amicitiã siue consensionem, circa quam nos sapientes & consultores esse oportet, ut boni uiri simus? Neq; enim percipere possum quænam sit, aut quibus in rebus existat; cum ex oratione tua interdum

in eis

in eisdem ineſſe,nonnunquam ab eisdem abeſſe uideatur. ALC.Per deos,ô Socrates, ne ipſe quidem quid dicam,intelligo:uideorq; iamdiu meipſum ſefelliſſe,cũ turpiſſime habeam. SOC. Confidere decet. Nam ſihoc demum animaduertiſſes, annos quinquaginta natus,arduum ſanè foret teipſum curare: nunc uero in ea es ætate, in qua id aduertere decet. AL. Quid igitur hoc aduertentem facere oportet? SOCR. Reſponde ad ea quæ interrogabo te Alcibiades. Quod ſi feceris,ac Deus uoluerit,ſi qua modo fides meis eſt uaticiniis adhibenda,tu ſimul & ego melius habebimus. AL. Ita erit quod ad me reſpondẽtem attinet. SOC. Age,quid eſt ſeipſum curare,ne ſæpe noſipſos fallemus, non curantes noſmetipſos, cum belle curare putemus. Et quãdo id homo facit:non quotiens ſuorum, totiens & ſui curam habet? AL. Mihi quidem uidetur. SOC. Quid? num pedes tunc quis curat, cum ea quæ pedum ſunt,curat? AL. Non intelligo. SOC. Dicis ne eſſe aliquid ipſius manus quemadmodum annulus eſt? AL. Dico equidem. SOC. Num alterius membri quàm digiti annulum eſſe cenſes? AL. Miníme. SOC. Et pedis calceum eodem modo? AL. Ita. SOC. Cum calceorum curam gerimus, num & pedum cura eſt? AL. Haud ſatis te teneo ô Socrates. SOC. Quid uero ô Alcibiades,uocas ne aliquid rectam alicuius curationem? ALC. Voco. SOC. An non cum quid melius fit, tunc recte curatum dicis? ALC. Dico. SOC. Quæ ars calceos meliores efficit? AL. Cerdonica. SOC. Cerdonica igitur calceorum curam habemus? AL. Hac ipſa. SOC. Nunquid & pedes etiam cerdonica? uel ipſa potius qua pedes reddimus meliores? AL. Illa. SOC. Pedes autem meliores nonne qua & reliquum corpus? AL. Videtur. SOC. Hæc nonne gymnaſtica? AL. Maxime. SOC. Ergo gymnaſtica pedes curamus, cerdonica uero illa quæ pedum ſunt. AL. Prorſus. SOC. Et gymnaſtica quoq; manus, annularia uero illa quæ ſunt manuum. AL. Sic eſt. SOC. Et gymnaſtica corpus,textoria autẽ & aliis facultatib. ea quæ corporis ſunt. AL. Omnino. SOC. Alia igitur arte unumquodq;,alia quæ illius ſunt, curamus. AL. Videtur. SOC. Non ergo cum ſua quis,tunc etiam ſe curat. ALC. Nullo pacto. SOCR. Non enim eadem ars ut uidet quæ nos & quæ noſtra curat. AL. Non apparet. SOC. Age itaq; quanã arte noſipſos curare poſſumus? AL. Non habeo quid dicam. SOC. At hoc tamen inter nos cõuenit,quod non qua noſtrorũ aliquid melius efficimus,nos curamus, uerum qua noſipſos ad meliorem frugem corrigimus. AL. Vera narras. SOC. Noſſe ne unquã licet quæ ars meliorem faciat calceum, niſi calceum ipſum nouerimus. AL. Fieri nequit. SOC. Neq; etiam quæ annulum efficit meliorem,ignorantes annulum. AL. Verum. SO. Sciemus ne unq; qua arte meliores euadamus,quãdiu noſipſos ignoramus? AL. Nunq;. SOC. Vtrum facile quiddam ſit ſeipſum cognoſcere,ac ridiculus fuerit qui templo Apollinis id inſcripſit,an potius arduum quippiam,nec cuiuſuis hominis eſt? AL. Mihi quidẽ ô Socrates,aliquando uiſum eſt facile & cuiuſuis eſſe, nonnunquam uero omnium difficillimum. SOC. Sed ſiue facile hoc ſit ô Alcibiades, ſiue difficile, nobis ſanè ſic ſe habet, ut hoc intelligentes,etiam qua ratione curandi ſumus,intelligamus:ignorantes uero cõtrà. AL. Eſt ut dicis. SOC. Age,quomodo illud ipſum inueniemus,ſic enim fortaſſis quid ſimus ipſi inuenire poterimus. At hoc ignorantes nunq;. ALC. Recte loqueris. SOC. At tende ergo per Deum, cum alio ne quàm mecum tu diſputas. AL. Tecum. SOC. Et ego nonne tecum? AL. Et tu mecum. SOC. Socrates igitur eſt qui diſputat. AL. Eſt. SOC. Alcibiades uero qui audit. AL. Ita eſt. SOC. Nonne ratione Socrates diſputat? AL. Quid ni? SOC. Diſputare aũt & ratione uti,idem quodammodo uocas? AL. Idem. SOC. Vtens autem & quo utimur,nõne aliud? AL. Quomodo dicis? SOC. Quemadmodum cerdo incidit quidẽ circulari & ſemicirculari organo atq; aliis inſtrumentis. AL. Eſt ut dicis. SOCR. Nõne aliud quiddã eſt qui diuidit, & quo diuiditur quicquã? AL. Quid ni? SOC. Item aliud citharœdus,aliud quo citharam pulſat? AL. Aliud. SOC. Hoc paulo ante interrogabam, an utens & quo utitur, ſemper aliud eſſe uideatur. AL. Videtur. SOC. Cerdonem incidere dicimus inſtrumentis tantum, an etiam manibus? AL. Et manibus. SOC. Et iis ergo utitur. AL. Vtitur. SOC. An non & oculis utens coria incidit? AL. Prorſus. SOC. Vtentẽ uero aliud quiddã ab iis quibus utit,eſſe cõceſſimus. AL. Cõceſſimus. SOC. Cerdo igit & citharœdus aliud quiddã ſunt,q; oculi & manus quibus utuntur. AL. Apparet. SOC. Nonne toto corpore homo utitur? AL. Penitus, SOC. Aliud utiq; utens,& quo utitur. AL. Sic eſt. SOC. Homo ergo à ſuo corpore aliud eſt. AL. Videtur. SOC. Quid eſt igitur

Quid ſit ſeipſum curare

Aliud eſſe id quod utitur, & quo utitur

Homo aliud quã corpus ſuum

igitur homo? AL. Ignoro. SOC. Scis esse quod corpore utitur. AL. Scio. SOC. Aliud ne utitur ipso q̃ anima? AL. Nil aliud. SOC. An non imperans? AL. Imperans. SOC. Quin etiam neminẽ hoc aliter æstimaturũ puto. AL. Quidnam? SOC. Quin ex tribus, unum ali quid homo sit. AL. Ex quibus? SOC. Aut animã uidelicet, aut corpus, aut totũ ipsum ex utrisq; compositũ. AL. Quid ni? SOC. Veruntamen id quod imperat corpori, hominem esse confessi sumus. AL C. Confessi sumus. SOC. Quid igitur homo? Num sibiipsi corpus imperat? AL. Nullo modo. SOC. Subiici enim illud diximus. AL. Certe. SOC. Nõ est igitur hoc quod quærimus. AL. Non ut uidetur. SOC. At utrunq; simul forsitan corpori dominatur, atq; id homo est. AL. Forte. SOC. Imò minime omniũ: nam altero illorũ non dominante, nulla coniectura est, ut simul utrunq; dominet. AL. Recte loqueris. SOC. Cum uero nec corpus, nec simul utrunq; sit homo, restat ut arbitror, aut nihil omnino hominẽ esse, aut si quid est, nihil aliud q̃ animã esse. AL. Prorsus. SOC. Adhuc ne liquidius mõstrari tibi oportet, animam esse hominẽ? AL. Non per Iouem: hæc enim sufficere mihi uidentur. SOC. Et si non in integrũ hæc discussa sunt, mediocriter tamen inducta in præsentia sufficiunt. Nam tunc demum penitus cõprehendemus, cum inuenerimus quod nunc, quia ampliorem indagationem requirebat, prætermisimus. AL. Quid istud? SOC. Paulo ante sic est dictum, quod prius considerandũ sit ipsum idem, nunc uero pro eo quod quidem est ipsum idem, considerauimus ipsum uuumquodq; quid est. Idq; fortè sufficiet. Nihil enim in nobis ipsis esse maius q̃ animam dicere possumus. AL. Non certe. SOC. Nón ne sic putandum est, me scilicet ac te conspirare inuicẽ anima ad animam sermone utentes? AL. Et maxime quidem. SOC. Hoc itaq; erat quod paulo ante dicebamus, quod Socrates cum Alcibiade disputat, oratione utens non ad personã tuam ut apparet, sed ad Alcibiadem uerba dirigens: hoc aũt anima est. AL. Mihi sanè uidetur. SOC. Animam igitur nosse iubet, qui præcipit, Nosce te ipsum. AL. Videt. SOC. Quicunq; igit corpus cognoscit, sua quidẽ non seipsum nouit. AL. Sic est. SOC. Atq; ideo nullus medicus ut est medicus, neq; gymnasticus ut gymnasticus sese nouit. AL. Non ut uidet. SOC. Multo minus agricolæ aliiq; opifices se cognoscunt: neq; enim se, neq; sua, sed remotiora quædã artium suarũ expẽdunt: iis enim intenti sunt, quibus corpus curat. AL. Vera narras. SOC. Quare si prudẽtia est seipsum nosse, nullus istorum secundũ suam artem est prudens. AL. Nõ ut uidetur. SOC. Ob hoc mechanicæ artes istæ, non aũt boni uiri disciplinę uidentur. AL. Prorsus. SOC. Nõne rursus quicunq; corporis curam habet, sua quidem non seipsum curat? AL C. Apparet. SOCR. At uero cui pecuniæ curæ sunt, nec se, nec sua, sed quæ procul à suis sunt, curat. AL. Videtur. SOC. Non ergo suis indulget qui pecunias cumulat. AL. Recte. SOC. Quisquis etiã corpus Alcibiadis amauit unq̃, non Alcibiadẽ ipsum, sed quę Alcibiadis essent, amauit. AL. Vera loqueris. SOC. Qui uero te amat, amat animum. AL. Necessario sequi ex ratione tua uidetur. SOC. Nõne tui corporis amator, cum primũ species defloruit, abiens deserit? AL. Apparet. SOC. At uero qui animũ tuum diligit, nunq̃ deserit donec ad meliorem frugem peruenias. AL. Consentaneũ. SOC. Hanc ego ob causam te minime desero, uerũ in amicitia perseuero, reliquis senescente corpore abeũtibus. AL. O q̃ bene facis mi Socrates, ne in posterum me deseras obsecro, SOC. At enitere ut quã pulcherrimus fias. AL. Conabor. SOC. Sic se tua res habet: nec fuit unquã, nec est, ut opinor, Alcibiadis Cliniæ filij amator ullus præter unum & illum quidem amabilem Socratem Sophronisci & Phænaretæ filium. AL. Vera dicis. SOC. Nônne dixisti me aliquãtulum præuenisse, cum te salutatũ uenissem? nam statuisse te qui prior meipsum conuenires interrogaresq̃, quamobrem solus ego te non reliquerim. AL. Sic erat. SOC. Hæc proculdubio causa, quoniam amator tui solus eram, cæteri uero tuorũ. Tua sanè labuntur tempore, tu aũt nunc primũ floresis: ac deinceps quidem nisi ab Athenienſi populo corrumparis, ac turpior euadas, nunq̃ te deseram. Id enim uehementer timeo, ne amator populi factus nobis corrũparis. Multi enim & ingenui quidẽ apud Athenienses id passi sunt. Nam bene personatus est magnanimi Erechthei populus, sed illum nudatum contueri oportet. Adhibe igitur hanc quam dico cautionem. AL. Quam? SOC. Exue illum prius ô beate, ac disce quæcunq; scienda sunt antequã tractentur ciuilia, aut rempub. adeas, ferens tecum alexipharmacum, ne quid aduersi iam olim patiaris. AL. Bene mihi dicere uideris Socrates, uerum conare iam nobis exponere qua ratione nosmetipsos curemus. SOC.

Hominẽ nõ aliud esse q̃ animam

Nônne

Nónne satis iam à nobis in superioribus definitum est? Quid enim simus communi consensu definiuimus. Timebamus enim ne in hoc decepti nosipsos forsitan falleremus, alicuius alterius non nostri curam habentes. ALC. Est ut dicis. SOC. Deinde concessum est animæ curam habendam, semperq; ad ipsam respiciendum. ALC. Manifestum est. SOC. Corporum uero pecuniarumq; curam alijs relinquendam. AL. Quid ni? SOC. Quonam igitur pacto ista perspicue nosceremus, siquidē hoc intellecto nos quoq; ipsos intelligimus? an forte per deos Delphicam illam inscriptionem recte monentē, cuius suprà mentionem fecimus, nondum intelleximus? AL. Quidnam sic ais ô Socrates? SOC. Dicam tibi quid suspicer hanc inscriptionem nobis cōsulere. neq; uero passim eius exemplar, sed in uisu solum inueniri posse uidetur. AL. Quomodo id ais? SOC. Cōtemplare tu quoq;, si oculo nostro, quemadmodū homini consuluisset, Vide teipsum, quomodo id admonuisse putemus? nónne ut in illud inspiceret oculus, ex cuius intuitu seipsum uisurus esset? AL. Constat. SOC. Cōsideremus itaq; in quid potissimum intuentes, illud simul ac nosipsos uideremus. ALC. In specula, & alia huiusmodi. SOC. Recte loqueris. sed oculo quo uidemus, an non inest huiusmodi quiddam? ALC. Valde. SOC. Num aduertisti quod facies hominis in oculū intuentis in oppositi uisu relucet uelut in speculo, quam summam uocamus pupillam, simulacrum inspicientis existens? AL. Aduerti. SOCR. Oculus igitur ita demum seipsum cernit, cum in oculum inspicit, in idq; præterea intendit, quod oculi optimū est, & quo oculus ipse uidet. AL. Apparet. SOC. Si autem in aliud quoddam hominis membrū respexerit, uel in quoduis aliud, præterquam id cuius hoc est simile, haud quaquam seipsum percipiet. AL. Verum. SOCR. Oculus ergo cum seipsum uisurus est, in oculum respicere debet, atq; in eum oculi locum, in quo uirtus est oculi. Is autem uisus atq; pupillæ acies est. AL. Sic est. SOC. Eodem pacto & anima, ô amice Alcibiades, si seipsam noscere uult, in animam intueatur, in eumq; præcipue locū animæ, in quo inest uirtus animæ, sapientia, & in aliud cuius hoc est simile. AL. Mihi quidē uidetur ó Socrates. SOC. Num reperire possumus quippiam in anima diuinius illo circa quod intelligentia sapientiaq; uersatur? ALC. Nequaquam. SOC. Id igitur animæ diuini simile est, in quod sane quis intuens, & omne diuinū, Deum scilicet & sapientiā cernens, ita & seipsum agnoscet. AL. Apparet. SOCR. Seipsum uero cognoscere, prudentiam esse concedimus. AL. Prorsus. SOC. Si autem nec nos ipsos cognosceremus, nec prudentes essemus, possemus ne nostra seu mala, seu bona nosse? AL. Quomodo posset fieri ô Socrates? SOC. Impossibile tibi forte uidetur quenquā qui non norit Alcibiadem, tamen quæ Alcibiadis sunt, quod sint Alcibiadis nosse? AL. Impossibile per Iouem. SOCR. Nec nostra quod nostra sint, nisi prius nosipsos? AL. Nullo modo. SOC. Si nostra ignoremus, nec ea quæ nostrorum sunt, intelligimus? AL. Non ut uidet. SOC. Non igitur recte omnino consensimus, cum supra quosdā esse assereremus, qui se ignorantes, sua tamen dignoscerent. Atqui nec ea etiā quæ suorum. hæc enim cuncta dignoscere unius atq; eiusdē artis officiū esse uidetur, seipsum scilicet, & quæ sua sunt, & quæ suorū sunt nosse. AL. Videtur. SOCR. At qui sua ignorat, ignorat & aliena. AL. Quid ni? SOCR. Num igitur si aliena, etiam quæ reip. sunt, ignorabit? ALC. Necesse est. SOC. Nunq; ergo hic uir ciuilis fit. AL. Nō certe. SOC. Nec œconomicus etiam. ALC. Neq; hoc. SOCR. Nec quod agit, intelliget. AL. Minime. SOCR. Ignorans aūt, nónne errabit? AL. Maxime. SOC. Qui aberrat, an nō male aget, & priuatim & publicè? AL. Quid ni? SOC. Male agens nōne miser? AL. Et maxime quidē. SOC. An uero & ij quibus cū hæc agit? AL. Et hi quoq;. SOC. Nemo itaq; felix esse potest, nisi sapiens bonusq; sit. AL. Nemo. SOC. Sequit ut mali homines miseri sint. AL. Apprime. SOC. Nō ergo qui diues sit, sed qui prudēs, miseriā uitat. AL. Videt. SOC. Quamobrem nec mœnibus, nec triremibus neq; naualibus ó Alcibiades, nec multitudine, nec amplitudine absq; uirtute ciuitas ad felicitatem opus habet. AL. Non profecto. SOC. Si recte ciuitatē gubernaturus es, uirtute imbuendi sunt ciues. AL. Quid ni? SOC. Num dare quis potest alijs, quod ipse nō habet? AL. Qui possit? SOC. Ergo uirtute prius ornatus ipse debet esse, quicunq; nō sibi tantū ac suis, sed reipub. etiam & ijs quæ ad eam spectāt, imperaturus est? AL. Vera dicis. SOC. Nec igitur principatus, neq; licentia quodlibet faciendi aut tibi, aut reipub. uerum iustitia potius & prudentia comparanda. AL. Apparet. SOC. Iuste enim ac prudenter agentes, & tu simul & tua respub. Deo gratū opus facietis.

Explicatio delphicæ inscriptionis, Nosce teipsum

Nemo felix nisi sapiens Mali sunt miseri

AL. Decet. SOC. Et si quemadmodum suprà diximus, in diuinum splendorem intuentes agetis. AL. Videtur. SOC. Quinetiam illuc respicientes uosmetipsos uestraq; bona perspicuè discernetis. AL. Certè. SOC. Nonne si recte atq; bene agetis? AL. Agemus. SOC. Enimuero fideiubere paratus sum uos, si ita uixeritis, felices fore. AL. Locuples certè fideiussor. SOC. Contrà, si iniuste uixeritis, intuentes in tenebras diuinitatis expertes, cõsimilia tenebris opera, quemadmodũ necesse est, facietis, uosipsos penitus ignorãtes. AL. Videtur. SOC. Cui enim ô amice Alcibiades, potestas adest, quodcũq; libuerit faciendi, mente uero captus est, quidnam putas illi continget? siue priuatus ille quidẽ siue respub. sit. Veluti si ægrotanti cuidam libera licentia sit, rationem medici nullam habendi, sed tã quam tyrannidem exercendi sic, ut nemo hominem absterrere ualeat, quid illi euenturũ putas? Nonne uerisimile est corpus iri corruptũ? AL. Vera loqueris. SOC. Quid uero, si in naui apud quempiã omnis licentia sit quodcunq; uideatur agendi, mente tamen & gubernandi peritia careat, num cernis quæ ei & socijs euentura sint? AL. Opinor equidem illum & seipsum & unà socios perditurũ. SOC. Nonne igit̃ omni reipub. omniq; imperio & dominationi ubi uirtus abest, contingit ut male agat? AL. Necesse est. SOC. Non ergo tyrannis optime Alcibiades, aut nobis aut reipub. parãda est, sed uirtus, modo felices esse uelimus. AL. Vera dicis. SOC. Cæterum anteq; uirtus adsit, conducit uiro, non solum puero, regi à meliore q; regere. AL. Apparet. SOC. Nonne quod melius est, idem & pulchrius? AL. Sic est. SOC. Quod pulchrius decentius? AL. Quid ni? SOC. Decet itaq; malum seruire: melius enim est. AL. Decet. SOC. Seruilis ergo prauitas. AL. Apparet. SOC. Liberalis aũt uirtus. AL. Ita est. SOC. Nõne ô amice seruitus fugienda? AL. Maxime quidem ô Socrates. SOC. Aduertis quomodo te nunc habeas? utrum libere, an contrà? AL. Et maxime quidem, ut mihi uideor, hoc sentio. SOC. Nosti ne quo pacto id quod nũc te occupat, fugare queas? nolim enim istud in claro homine nominare. AL. Noui equidem. SOC. Quomodo igitur? AL. Si ipse uolueris ô Socrates. SOC. Haud recte loqueris Alcibiades. AL. At quomodo dicendum est? SOC. Si Deus uoluerit. AL. Dico equidem, atq; hoc insuper addo, periculũ esse ne figuras inuicem mutemus, tuam quidem ego induẽs, tu aũt meam. fieri enim non potest, quin ego te deinceps ducam, tu aũt à me ducaris. SO. O generose, nihilo igitur meus in te amor à ciconia differt, si posteaquã prope te uelut in nido amorem allatum fouerit, ab illo iterum nutriatur. AL. Profecto sic se res habet, & incipiam hinc iam iustitiam meditari. SOC. O q; te perseuerare uelim. Timeo autem naturæ tuæ diffidens, huiusq; ciuitatis uim intelligens, ne ea me simul ac te uincat.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI in Alcibiadem Secundum, uel De uoto.

Quid uotum

Quid petendum in uoto

QVONIAM secundus Alcibiades liber profecto sanctissimus de uoto inscribitur, summatim colligendum est, quid uotũ, quid in uoto petendum, & quãdo, & quomodo. Definitio uoti partim ab Orpheo, partim à Platone sumpta hæc est. Votũ est ardẽs affectus casti animi, deo deditus, et quod bonũ uidetur exoptãs. Huic affectui Zoroaster et Orpheus suffumigationes et characteres adhibuerunt, quoties ad secũda numina preces dirigerẽtur. Mercurius ac Plato cũ supremi numinis maiestatẽ uenerabãtur, externas omnes ceremonias auferebãt, solam ac purã fragrantiã animi relinquentes. Sed de his omnibas in nostris cõmentarijs diligentius. In uoto petendũ Plato uult bonum: idq; ex eo patet, quod petitionẽ hanc poetæ Lacedæmoniorumq; testimonio comprobat, eamq; tutam & prudẽti & imprudẽti esse putat, uotũq; huiusmodi & à quolibet & semper fieri posse. Petitionẽ uero certi cuiusdã & proprij boni tunc demũ esse securã, cũ prudentiam quis fuerit consecutus, alias autem periculosam. Vbi multa de prudentia differit, quæ tu uir omniũ prudentissime Cosme lege obsecro diligenter, ut quanti faciat prudentiã prorsus agnoscas. Vniuersalis ergo precatio, qua bonũ solummodo petitur, semper fieri potest: propria uero qua certum aliquid quod bonũ uidetur optatur, tũc facienda cũ quid poscendum est quis nouerit. tunc id noscet, cum quid bonum, quid malum est, intellexerit. Id intelliget, cum à mẽte didicerit. Discet, cum se ad illam conuerteret. Conuertet, cum purgauerit animam tenebrasq; expulerit. Purgabit, cum seipsum legitimæ philosophiæ dediderit. Tradet, cum suam ignorantiam recognouerit. Nosce ergo teipsum, templo Apollinis est inscriptum, ne quis temere deum oraturus accederet. Quo autem ordine in oratione propria sit orandum, Mercurius in orationibus suis, et in suis hymnis Orpheus, et Pythagoras in carminibus aureis docuerunt, quorum ritus alias exponemus. Plato deinde hos theologos imitatus, in libro De pulchritudine orantem sic Socratem introducit. O amice Pan atq; cætera numina date obsecro ut intus pulcher efficiar: quæcũq; & mihi extrinsecus

trinſecus adiacent, intrinſecis ſint amica. Sapientẽ ſolum diuitẽ putẽ. Tantum uero huius auri tradite, quantũ nec ferre nec ducere alius quàm uir tẽperans poſsit. Quid petit Socrates? Bonum. Quod bonum? Sapiẽtiã, hoc eſt ueritatis diuinæ cognitionẽ, quam dare ſolus deus poteſt, quã accipere ſolus animus pulcher, id eſt tẽperatus, purus, candidus ualet. Quid poſcit in primis? ut dignum ſapiẽtia faciat. temerarij nempe hominis eſt, munus aliquod quo indigus eſt petere. Quis diuina ſapientia dignus? qui lumen eius ferre paratus eſt. quis paratus? qui per cõtinenti am primo, deinde per tẽperantiã, poſtremo per ſanctimoniã, id eſt ciuilẽ, purgatoriã purgatiq; uirtutẽ animi, ſic animũ expiauerit, ut pulcher hoc eſt purus omnino nitiduſq; euaſerit, et uirtutẽ iam exemplarẽ, diuinã ſcilicet ſapientiam ſolam, utpote theſaurum omniũ diuitiarũ optauerit. Idcirco Socrates deum patrẽ omnium & miniſtros eius amice adſpirare precatur, ut illorũ benigno proprioq; fauore purgatus euadat. Corporea uero et externa leuiter pertrãſit, eligẽs illa ſic ſe habere, ut tranquillã puritatẽ animi nõ impediãt. Deinde pulchritudine hac iam parta, optat ut ſapientiã ſolam hoc eſt dei cognitionẽ eſſe opulentiã omnẽ ſufficientiãq; æſtimet, ſolamq; ſitiat. Poſtremo quaſi per ante dicta paratus fulgidũ hoc aurũ diuinæ ſapiẽtiæ poſtulat. Neq; id ſuperbè, neq; remiſſe tamẽ. Minimam quippe ueritatis cognitionẽ intẽperati homines ſortiuntur, ſummã & infinitã in ſeipſo deus amplectitur, magnã uero & amplam uir tẽperans adipiſcitur. Tantũ igitur huius auri poſtulauit, quantũ ſolus ferre uir temperans ualet. Hoc equidem eſſe aurum ignitum arbitror, quod emendum Ioan. in Apoc. præcepit.

Oratio Socratis ad Deos

ALCIBIADES II. VEL DE VOTO

SOCRATES, ALCIBIADES

DEVM ne ô Alcibiades precaturus accedis? ALC. Et maxime quidẽ ô Socrates. SOC. Triſtitiam quandam præ te ferre uideris, & oculos in terrã figere, tanquã aliquid ipſe tecum cogitans. ALC. At quid cogitẽ ô Socrates? SOC. Maxima ut mihi uideẽ: nam dic per Iouem obſecro, nõne putas deos eorũ quæ uel priuatim, uel publicè precamur, nonnunquã cõcedere partim, partim negare, atq; id his quidẽ annuere, illis uero minime? ALC. Omnino quidẽ. SOC. Nõne igiẽ tibi uideẽ magna prouidẽtia opus eſſe, ne quis ſeipſum fallat dũ magna petit mala, credẽs bona ſe petere: Diij aũt in eo ſint, ut rogantib. annuant: quẽadmodũ Oedipum ferunt obſecraſſe deũ, de regno paterno ut filij ferro decernerẽt. Cumq; debuiſſet præſentium tum malorũ auerſionẽ poſcere, alia inſuper imprecabaẽ. Vnde ad eum euentũ iſta uenerunt, atq; ex ijs alia multa & grauia, quę referre ſingula nequaquã opus eſt. ALC. At tu furentẽ quidẽ hominẽ in exemplũ adduxiſti: nam quẽ putas ſanæ mentis hominẽ audere talia petere? SOC. Inſanire nónne cõtrariũ eſt ei, quod eſt prudentẽ eſſe? ALC. Prorſus. SOC. Num ex hominibus, alij prudentes eſſe, alij imprudentes uidenẽ? ALC. Videtur ſanè. SOC. Age itaq; cõſideremus quinam iſti ſint. Eſſe enim alios quidẽ imprudẽtes, alios uero prudentes, nõnullos inſanos, iam cõuenit. ALC. Cõuenit. SOC. Præterea bene ualentes aliqui ſunt. ALC. Sunt. SOC. Ægrotantes alij. ALC. Omnino. SOC. Nõ ergo ijdẽ ſunt. ALC. Nõ certe. SOC. Sunt ne alij quidẽ qui neutrũ iſtorũ patiantur? ALC. Nequaq;. SOC. Neceſſe eſt enim hominẽ uel ægrotare uel non ægrotare. ALC. Videtur. SOC. De prudentia uero & imprudentia idem iudicas? ALC. Quõ dicis. SOC. Hominem aut prudentem, aut imprudentẽ, aut tertium præterea uelut medium quiddam eſſe oportere putas, quo nec prudens nec imprudens ſit? ALC. Nihil profecto. SOC. Neceſſe eſt igiẽ alterum iſtorum pati. ALC. Apparet. SOC. Recordaris conceſſiſſe te inſaniã prudentiæ contrariam eſſe? ALC. Equidẽ. SOC. Et mediũ nullam rem quę hominẽ nec prudentẽ nec imprudentẽ efficiat? ALC. Cõſenſi quidem. SOC. Quinetiã duo eſſe eidem rei cõtraria quo pacto poſſunt? ALC. Nullo. SOC. Imprudentia igitur atq; inſania idem eſſe uidenẽ. ALC. Videntur. SOC. Si ergo oẽs imprudentes inſanire dixerimus, rectè dicemus, & ex tuis equalibus, necnon ætate maioribus quicunq; ſunt imprudentes inſanos eſſe. Nõne putas perpaucos eſſe in hac urbe prudẽtes, imprudẽtes plurimos, quos inſanos appellas? ALC. Equidẽ. SOC. An cẽſes nos tutos inter hos inſanos ita uerſari, quin ab eis percutiamur, ac uerberemur, & quæcunq; furioſi facere cõſueuere patientes, iam dudũ pœnas non fuiſſe daturos? Sed uide ô beate, ne aliter ſe res habeat. ALC. Quo pacto ſe habet ô Socrates? Apparet emẽ nõ ita eſſe ut putaram. SOC. Non certe ut mihi uideẽ, ſed hoc fortaſſe pacto cogitandũ eſt. ALC. Quónam? SOC. Dicã tibi. Ponimus aliquos ægrotantes eſſe, necne? ALC. Omnino quidem. SOC. Nunquid neceſſarium opinaris omnem ægrotum cruciari

Occaſio dialogi

Negat Plato eſſe mediũ inter ſanum & ægrum

Inter prudẽtẽ & imprudentem

Vninõ poſſe eſſe duo cõtraria: ſed ſi contraria, duo ſunt

duntaxat podagra,uel febri,uel lippitudine? An etiam posse alijs morbis affici, cũ multę sint morborũ species præter istas? AL. Sic mihi uidet. SOC. Omnis lippitudo morbus tibi uidet? AL. Mihi certè. SOC. Et omnis morbus etiã lippitudo? AL C. Nõ mihi quidem, nescio tamẽ quid asseram. SOC. Si dicenti mihi mentem adhibeas, & ambo simul inuestigemus, ferè quod uolumus consequemur. AL C. Adhibeo & maxime possum. SOC. Nón ne conuenit inter nos lippitudinẽ omnem esse morbum, non omnẽ tamen morbũ lippitudinẽ esse? AL C. Cõuenit. SOC. Et recte quidẽ consensisse uidemur. Etẽm febricitantes ægrotant omnes, non tamẽ quicunq; ægrotant etiã febricitant, uel podagra aut lippitudine afficiunt. Sed omne quidem huiusmodi cõmuniter morbus est: differre aũt medici dicunt illorum curationẽ: non enim oẽs aut similes sunt, aut similiter pertractant, uerum secundum uim propriam singuli, morbi tamen sunt omnes. Quemadmodum opifices aliquos esse ponimus. nónne? AL C. Prorsus. SOC. Et cerdones, & fabros, sculptoresq;, & quãplurimos alios, quos referre singulos nihil opus est, quiue partes opificij discretas habent: ac oẽs quidẽ opifices sunt, nõ tamen fabri omnes, neq; coriarij, neq; sculptores, at cuncti generatim opifices. AL C. Sic est. SOC. Eadem quoq; ratione imprudẽtiam inter se plurimi partiũtur, & qui maiorẽ sortiunt imprudentiæ partẽ insani furentesq; uocantur: qui uero aliquanto minorẽ, stolidi, atq; attoniti. Qui aũt honestioribus uocabulis eadem significare uolunt, partim quidem magnanimos appellant, partim ineptos: quidam non malos, innocuos, & inexpertos, & stupidos. Inuenies quoq; alia multa nomina quibus omnibus imprudentia significat. Discrepant aũt, ut in superioribus discrepare apparuit, ars ab arte, & à morbo morbus. Tibi uero quid uidet? AL C. Idipsum. SOC. Sed ut redeamus unde digressi sumus, propositũ fuit in disputationis exordio, qui prudẽtes, quiue imprudẽtes essent dij udicare. Cõuenimus aũt tales aliquos esse, nónne? AL C. Cõuenimus. SOC. Prudentes existimas quicunq; agenda dicẽdaq; cognoscunt? AL C. Equidẽ. SOCR. Imprudẽtes eos qui neutra uidẽt? AL. Eos ipsos. SOC. Nõne qui utraq; hęc ignorãt, seipsos latent, & agẽtes & loquẽtes quæ nõ oportet? AL C. Apparet. SOC. Ex his hominibus unum ô Alcibiades, Oedipũ esse dicebã. Reperies quoq; nostris tẽporibus plurimos nõ ira concitos, ut ille, nec qui mala se, sed bona potius exoptare putent. Ille siquidem ut non optabat, ita nec putabat. Sunt uero nõnulli, qui horũ contraria patiunt. Reor equidẽ te primum si forte deus ille ad quẽ exorandum accedis, sese oculis offerens, te priusquã aliquid obsecrares, interrogaret, satisne tibi sit Athenienſium dominatu potiri, quod si hoc quiddam exiguum æstimares, adderet & Græcorũ omnium, & si uiderit te neq; istis etiã acquiescere, nisi totius etiam Europæ adijciat, neq; id quidẽ tibi sufficere nisi eadem die sentiant omnes Alcibiadem Clinię filium dominũ esse, atq; ideo hęc tibi concederet omnia: reor inquã ab eo te ingẽti cum lætitia rediturum, ac si maxima bona esses feliciter cõsecutus. AL C. Arbitror ô Socrates, & quẽcunq; alium, quisquis eandem sortem assequeretur. SOC. Vitam uero tuam, an cum Græcorũ omnium, atq; etiam barbarorũ regione & dominatu commutares? AL C. Non ut opinor, quippe cum nullo modo usurus essem. SOC. Quid si usurus quidẽ sis, male tamẽ, & cũ nocumento? Neq; sic quidẽ? AL C. Non profecto. SOC. Cernis ergo tutũ nõ esse, aut quæ offerunt, temere acceptare, aut optare, siquis propterea incõmoda subiturus sit, uel uitã protinus amissurus. Multos aũt referre possemus, qui cum tyrannidem affectassent, utq; illa potirentur ardenti studio cõtendissent, utpote bonum aliquod adepturi, propter tyrannidem circũuenti insidijs periere. Puto etiam audiuisse te nonnulla heri ac nudius tertius ut dici solet, gesta, cum Archelaum Macedonum tyrannũ tyrãnidis amantẽ delicias, aliquis huiuscemodi delicias nõ minus & ille sitiens interfecit, ut tyrannus mox beatusq; futurus: Cũ uero triduũ aut quatriduũ tyrãnide potitus esset, rursus ab alijs ex insidijs & ipse oppressus perijt. Vt aũt referam⁹, quæ non ex auditu percepimus, sed ipsi nos præsentes inspeximus, uides insuper ex nostris ciuibus quicunq; pręfecturam exercitus affectantes nacti illam sunt, partim etiã his temporibus exules oberrare, partim morte damnatos esse. Etsi qui forsitan in extremis periculis, & timoribus strenue rem gessisse uisi sunt, nõ modo in ipso exercitu, uerum etiam postquã in urbem rediere, nõ minoribus ab insidiatoribus ciuibus, quàm à militibus calumnijs affecti sunt, ut plerique illorũ optauerint denique se priuatos uixisse, potius quàm in publico munere. Quod si pericula & labores huiusmodi, aliquam nobis utilitatem afferrent

Plura genera imprudẽtiæ esse

Prudentes qui

Agitur de qualitate rogationis

Nõ esse tutũ oblata temere acceptare Crateua m intelligit

ferrent, profecto hoc ſtudium nonnihil rationis haberet. Nunc uero longe contra res ſe habet. Inuenies præterea eodem pacto nonnullos homines, qui filios uotis exoptant: at cum filios adepti ſunt, in calamitates dolores q̃ maximos incidunt. Nam plerique cum nati per omnem ætatem improbi perſeuerent, uniuerſam uitam mœrore cõficiunt. Qui uero probos filios nacti aduerſo quodam caſu illis orbantur, nihilominus q̃ ſuperiores illi miſeri ſunt, ut prorſus eligerent, nunquam ſe filios genuiſſe. Et quãuis hęc atq; alia multa huiuſmodi manifeſta ſint, raro tamen inueniretur, qui uel à datis abſtineret: uel ſi orando impetraturus eſſet, uotum omitteret. Permulti etiam neq; à quæſita tyrannide, neque à parta prætura, neq; ab alijs innumeris, quæ cum poſſidentur lædunt potius q̃ proſint, diſcederent, quin potius orarent ſibi illa concedi ſiquando nõ adſint. Interdũ breue poſt tempus præterita ita uota damnant, ad contraria recurrentes. Quamobrẽ uereor equidẽ ne homines temere deos incuſent, quaſi mala ab ijs inferantur: ij uero ſeu proteruitate quadam, ſiue inſipientia ſibijpſis dolores morte acriores pariunt. Quare prudens mihi uidetur poeta ille qui amicis inſipientibus uſus, dum eos uideret & agentes & orantes quę illis minime conducebant, cum tamen eis utilia uiderentur, pro omnibus ſic ait: Iupiter rex optima quidem nobis & uouentibus, & non uouentibus tribue. Mala autem poſcentibus quoq; abeſſe iube. Recte igitur et caute loqui poeta mihi uidetur: tu uero ſiquid habes in animo, quod aduerſus hæc proferas, ne ſileto. ALC. Difficile eſt ô Socrates in ijs quæ bene dicta ſunt, cõtradicere. Illud autem cogito, quantũ malum ſit hominibus ignorantia: quandoquidẽ propter hãc nos latet cum male quid agimus, & quod deterrimum eſt, ob eam peſsima nobis quãdoq; precamur, quod quidem nemo putaret. Sed illud quilibet opinaretur, poſſe uidelicet ſe ſibijpſi non peſſima, ſed optima petere: hoc enim reuera execrationis cuiuſdam nõ uoti ſimile eſſet. SOC. At fortè, ô optime, diceret quiſpiam te ſimul ac me ſapientior, haud ſatis recte nos loqui, dum ſic temere ignorantiam uituperamus, niſi hæc adijciamus, quænam & quorum ignorantia ſit. Quibuſdam nanq; certo modo affectis bonum fortè eſt ignorãtia, quemadmodum alijs malum. AL. Quid ais? Eſt ne quicquam quod alicui quomodocunque ſe habenti ignorare aliquando præſtet q̃ cognoſcere? SOC. Mihi ſanè uidetur, nunquid & tibi? AL. Non per Iouẽ. SOC. Enimuero nec illud te aduerſus matrem patraſſe unquam uelle iudicabo, quod Oreſtem, & Alcmæona, & ſiqui tales fuere, cõmiſiſſe ferunt. ALC. Bene ominare per Iouem ô Socrates. SOC. Non decet ô Alcibiades, eum qui inquit te nolle iſta feciſſe, iubere ut bene ominetur, ſed potius ſiquis contraria diceret. Poſtquam facinus tam horrendum tibi uidetur, ut ne pronunciari quidem facile debeat, putas Oreſtem ſi prudens fuiſſet, & quid bonum ſibi nouiſſet, ſcelus tantum auſurum fuiſſe? AL C. Non certe. SOC. Neq; alium ut arbitror ullum. AL C. Nullum. SOC. Malum igitur ut uidetur ignorãtia optimi, & quod optimum eſt ignorare. AL C. Mihi ſanè uidetur. SOC. Nónne & illi, & cæteris omnibus? AL C. Fateor. SOC. Conſideremus præterea & hoc, ſi in mentem tibi melius eſſe putanti, ſubito ueniat, Periclem tutorem atque amicum tuum interficere, ac ſumpto gladio ad fores illius properans interrogares num intus ſit, uolens illum duntaxat, nec alium quenquam occidere, domeſtici autem illi intus eſſe reſponderent. Neq; dico te quicquam huiuſmodi conari, ſed an uideatur tibi, quod quidem nihil prohibet, ignorãti quid ſit optimum, adeſſe poſſe interdũ opinionẽ, ut iudices quod eſt peſſimũ, nonnunquã optimum eſſe. An non tibi uidetur? AL C. Omnino quidem. SOC. Ergo ſi domũ ingreſſus, uidensq; illum opinaris alium eſſe, num ipſum perimeres? AL C. Non per Iouem, ut mihi uideor. SOC. Nõ eñ quem ſors offerret, ſed quem ſtatueras, nónne? AL C. Profecto. SOC. Num & ſi frequẽter facinus aggrediare, ſemper autem ignorares Periclem eſſe, unquã in eum irrueres? AL C. Nunquam. SOC. Oreſtem uero putas unquã manus illaturum fuiſſe matri, ſi eam non cognouiſſet? AL C. Non arbitror. SOC. Neq; enim ille quæcunq; occurreret mulier, ſed matrem ſuam duntaxat necare decreuerat. AL C. Sunt hæc uera. SOC. Itaq; hominib. ſic affectis, & in ijſdem opinionibus inuolutis, ignorare talia præſtat. AL C. Videtur. SOC. Vides iam quod ignorantia quędam hominibus certo quodã modo diſpoſitis bonum quiddam eſt, non aũt ut tibi uidebatur malum? AL C. Apparet. SOC. Prętera ſi uolueris quod deinceps in medium afferetur mirabile dictu, diſcutere, fortè probabile tibi uidebitur. ALC. Quid iſtud ô Socrates. SOCR. Videtur ſanè cæterarum omnium ſcientiarum

Proba poëtæ rogatio

De ignorantię bonitate, & malitia

Quę ignorãtia mala

Paradoxa quædam

Sciẽtiarum possẽsio no cua absque optimi cognitione

rum possessio, nisi quis scientiam optimi nactus fuerit, raro quidem prodesse, obesse plerunq; illi qui sit huiusmodi scientijs præditus. Sic autem considera. Nónne necessarium tibi uidetur, cum aliquid facturi, uel dicturi sumus, oportere nos prius quidem, uel putare cognoscere, uel uere cognoscere quod promptius agere & loqui debemus? AL. Mihi plane uidetur. SOC. An non rhetores statim cum uel sciunt consulere, uel saltem scire se putant, consulunt nobis passim, ij quidem de bello & pace, illi uero de mœnibus construendis, uel de portubus præparandis muniendisq;, & ut summatim dicam quicquid ipsa ciuitas agit aduersus aliam ciuitatem, uel secum ipsa, rhetorum cõsilio perficit? AL. Vera narras. SOC. Vide & quę sequuntur, si fieri potest. Vocas aliquos prudẽtes, imprudẽtes alios? AL. Voco. SOC. Et multos quidem imprudentes, prudẽtes uero paucos? AL. Profecto. SOC. Nónne ad aliquid respiciens, utrosq; nũcupas? AL. Imò. SOC. An eũ qui ista consulere norit, nisi sciat docere utrum melius, & quid melius, prudentem dices? AL. Ne quaquam. SOC. Neq; ut arbitror quicunq; pugnare norit, ignoret tamẽ quando, & quantum melius. AL. Sic est. SOC. Neq; si quis quempiam perimere sciat, & pecunijs spoliare, ac exulem à patria facere, nisi sciat etiam quãdo & quẽ melius sit. AL. Minime. SOC. Qui cunq; igitur horũ aliquid nouerit, modo adsit etiã sciẽtia optimi, quæ quidẽ eadem & utilis scientia est, hunc forte prudentem uocabis. AL. Hunc ipsum. SOC. Prudentẽq; ipsum dicemus sufficientem esse sibi & patriæ consultorem, imprudentem uero contrà: quidnã tibi uidetur? AL. Idem. SOC. Quid autem si quis equitare, aut sagittare sciat, uel palæstrã, uel pugillariam, uel aliud quoddam certamen exercere, aut aliud aliquid eorum quæcunque per artem nouimus, quo nomine appellas eum qui intelligit quid in arte melius fiat? an non secundum equestrem artem equitem, secundum pugillariam pugilem, tibicinariam tibicinem, atq; in alijs eodem modo? an secus? AL C. Sic certe. SOC. Num tibi uidetur, qui horum aliquid intelligit, uir prudens appellãdus? an longe adhuc abesse? AL. Longe per Iouem. SOC. Qualem igitur ciuitatem eam putabis, quæ ex peritis sagittarijs, & tibicinibus, athletisq;, ac cæteris artificibus constet, sint insuper admisti militarem callentes artem, & qui ad interimendum prompti, necnon inflati ob ciuilium rerum administrationes: desit autem optimi scientia, & qui norit quando, & ad quem unoquoq; illorum uti præstat? AL C. Ignobilem ô Socrates. SOC. Maxime hoc ut arbitror diceres, si quando cerneres unumquenq; illorũ ambitiosum, & plurimas sibi reipub. partes in hoc occupantem, ut continuo ipsus se superet, & plurimũ ualeat, plurimũ inquam in illa quidem dominandi arte: in eo uero quod sibi & reipub. optimum est, crebro hallucinantem quippe qui opinioni sine mente crediderit. Cunq; hæc ita se haberent, nónne recte diceremus hanc ciuitatem tumultus quamplurimi iniquitatisq; plenissimam? AL. Recte per Iouem. SOC. An non necessarium nobis uisum fuit primũ quidem putare nos cognoscere, uel reuera cognoscere hoc quod prompte facturi dicturiue sumus? AL C. Visum est. SOC. Nónne siquis agit quidem quod nouit aut nosse existimat, addit autẽ scientiã optimi, sequitur ut utiliter agat & sibi & reipub. AL. Quid ni? SOC. Contrà uero nec reipub. nec sibi? AL C. Ita est. SOC. Quid autẽ? nunc tibi ita uidetur, an aliter? AL. Nõ aliter. SOC. Dixisti uocare te plures imprudentes, prudentes pauciores? AL. Equidem. SOC. Diximus ne iterum plures ab eo quod est optimum, aberrare, utpote. qui opinioni absq; mẽte ut plurimum consenserint? AL. Diximus planè. SOC. Prodest igitur multis, neque nosse quicquã, neq; putare se noscere: siquidem promptiores erunt ad illa efficienda, quæ uel noscunt, uel cognoscere opinant. Agentes aũt, sibi nocebũt crebrius q; conferent. AL C. Verissima loqueris. SOC. Cum ergo dicebam reliquas omnes scientias, si absit scientia optimi, obesse sæpius q; prodesse illas habenti, num recte loqui tunc tibi uidebar. AL C. Et si tũc minime, at nũc mihi uidet ô Socrates. SO. Oportet itaq; ciuitatẽ & animã, quę recte uictura sit, hanc proculdubio cõplecti scientiã: quẽadmodum qui ægrotat, medicum: & qui prospere nauigare uelit, gubernatorem. Nam quo maiora animus sine hac scientia circa diuitias uel corporis robur, aut aliud tale conabit, eo maiora ex ijs peccata committi necesse est. Qui uero multis ac uarijs artibus & scientijs ornatus est, sit autem expers istius scientiæ, ductus à singulis alijs nónne merito multa tempestate iactabitur? quippe cum absq; gubernatore oberret in pelago breui tempore periturus? Huic certe conuenire uidetur illud poetæ carmen, quo quendam uituperãs inquit: Multa quidem nouerat,

Qui prudẽs sit appellandus

sed

sed male nouerat omnia. ALC. At uero id poetæ dictum quid concinit? mihi certe nihil uidetur proposito nostro congruere. SOC. Imò quadrat penitus, uerum per ænigmata & hic & cæteri ferme omnes poetæ loquuntur. Est enim ipsa natura uniuersa poesis ænigmatum plena, nec quiuis eam dignoscit. Ad hanc illius naturã accedit, quod si quando insit in homine inuido, nolente sua sensa cæteris hominib. reuelare, mirum est & difficile cognitu sit quod poeta senserit. Necq enim Homerum diuinissimum sapientissimumq poetam ignorasse putes, quod scire male impossibile sit: ipse enim est qui inquit, Margitem multa quidem scire, male autem scire omnia: sed ænigmate sensum occultat, ut arbitror, male pro malum ponens, scit autem pro scire: unde compositio quædam extra carminis mensuram cõficitur: quod uero sentit, hoc est. Multa quidem sciuit, sed malum sibi fuit hæc omnia scire. Patet igitur quod si erat illi malum multa scire, ipse quoq malus erat, siqua fides supradictis sermonibus adhibenda est. ALC. Mihi certe uidetur ô Socrates. Quibus enim uerbis crederẽ unquam, nisi ijs credam? SOC. Et recte quidem tibi uidetur, & mihi rursus eodem modo: sed age per Iouem, uides ne quanta qualisq sit in hoc ambiguitas? in hac ipse uersatus esse uideris: sursum enim deorsumq iactatus nusquam sanè consistis, sed quod olim asseuerabas, nunc damnas. Si forte deus quẽ oraturus accedis, oculis sese tuis obijciens, antequam uoueas, ita roget, an tibi aliquid ex ijs quæ in principio dicta sunt, habere satis sit, uel tibi licentiam prestet quod libeat postulãdi, quid nam tibi opportunum fore putares? uel acceptare quæ deus offerret, uel poscere? ALC. Per deos ô Socrates quid respondeam non habeo, sed insanum quiddam mihi uidetur te mere deum precari, ac diligenter cõsiderandum ne quis seipsum fallat, mala petens dum bona se putat orare, ac paulo post, ut tu dicebas, ad cõtraria uota se trãsferat. SOC. Nõne prudentior nobis poeta, cuius in principio disputationis mentionem fecimus, qui precabatur mala etiam ab orantibus abesse? ALC. Mihi uidetur. SOC. Lacedæmonij quoq ô Alcibiades, siue hunc poetam imitantes, seu ex seipsis animaduertentes, idem uotum tam priuatim, q publice seruant, orantes deos, pulchra cum bonis sibi tribuere, nec plura illos precari quis audiret. Necq tamen ad hæc usq tempora minus quàm cæteri homines felices sunt. Siquid autem illis unquam minus prospere successit, nõ est oratio illorũ in causa, quandoquidem in dijs est ut arbitror, quæ precamur, tribuere uel contra. Volo insuper aliud quiddam tibi referre, quod aliquando à senioribus quibusdam accepi. Dicebant enim accidisse, ut quotienscunq bellum Athenienses cum Lacedæmonijs gererent, nostri tum terra, tum mari infortunati essent, nec uictores unquam redirent. Qua re perturbatos Athenienses cum non haberent qua arte tantam calamitatem uitarent, decreuisse Ammonem consulere, quam ob causam dij Lacedæmonijs potius quàm Athenien sibus uictoriã largirent, cum ipsi tamen sacrificia, tum plura, tum decentiora q reliqui Græcorum offerrent, simulacris donisq templa sic ornantes, ut nulli alij, pompasq quotannis sumptuosissimas, & uenustissimas celebrarent, & omni sumptu, qui ad rem diuinam spectat, cunctis Græcis magnificentiores existerent: cum Lacedæmonijs nulla esset istorum cura, adeo circa diuinum cultum parcis, ut animalia mutilata passim mactarent, & in alijs omnibus cerimonijs longe admodũ parcioribus q Athenienses, cum tamen opum magnitudine à nobis non superentur. Posteaquam hæc dixisset nuncius, interrogans quo pacto à præsenti calamitate liberari possent, non multa ad hęc respõdisse prophetam: deum enim non permittere: accersito uero Athenien sium legato in hunc modum fuisse locutum. Hæc dicit Ammo, placere magis Lacedæmoniorum sibi acclamationẽ, q reliquorũ Græcorum sacra omnia: nec plura ijs respondisse. Acclamationem uero nullam prorsus aliam deus mihi dixisse uidetur, quàm illorũ preces: permultum enim illæ à cæteris differunt. Reliqui nanq Græci partim auratis cornibus boues sacrificantes, partim donarijs egregijs tẽpla ornantes, quæcunq occurrũt, seu bona, siue mala à dijs petunt. Dij uero cum illos imprecãtes audiunt, ditissimas illorũ põpas & sacrificia non acceptant. Quamobrem diligenter considerandũ mihi uidetur, quid dicendum sit, quidue non dicendum. Inuenies quoq apud Homerũ alia horum similia. Inquit enim Troianos cum suburbanum ædificiũ molirent, dicare dijs immortalibus preciosa sacrificia boum: nidorem uero ex littore suauẽ, ad cœlũ usq uentis extolli: sed beatos Deos illo minime uesci, quippe quibus Ilion, & Priamus, & Priami populus odio esset. Itaq

Poesis ænigmatum plena

nil

nil Troianis proderat, cum aduersos deos haberent, sacra ac munera temere illis offerre. Neq; enim eiusmodi est dei natura, ut ducatur muneribus quēadmodū improbus fœnerator. Sed nos nimiū deliramus, siquando nos Lacedæmonijs propter munera acceptio res deo esse ducimus. Etenim graue esset, si deus ad donaria & sacrificia nostra respiceret potius q̄ ad animū, utrum iustus sanctusq; sit. Ad quem equidē deum arbitror multo magis attendere, quàm ad multi sumptus pompas atq; sacra, quæ nihil prohibet eum, qui multa in deum hominesq; peccauerit, seu priuatus sit, siue resp. singulis annis perficere. Deus autē utpote à muneribus incorruptus, spernit hæc omnia, ut ipse eiusq; propheta prædixit. Vnde perspicuū est, & apud deū, & apud homines sanæ mentis, iustitiā, & prudentiam præcipue honorari. Prudentes aūt iustiq; sunt qui sciunt quæ erga deum & homines agere atq; dicere deceat. Cupio tamen ex te audire, quid in ijs ipse sentias. AL. Mihi uero ô Socrates haud secus quàm tibi ac deo uidetur: neq; enim fas esset à deo me dissentire. SOC. Recordaris dixisse te in plurima dubitatione discrimineq; uersari, ne teipsum falleres, cum mala quandoq; pro bonis optares? AL C. Memini. SOC. An uides non satis tutum tibi esse ad orandum pergere, nequando te deus audiens imprecantē ista tua sacrificia renuat, aliud uero quiddam fortuitū reportes? Mihi ergo uidetur operæpreciū esse quietem agere: nam oratione Lacedęmoniorū propter magnanimitatem, id enim nomen honestissimum est omnium quibus insipiētia significatur, non existimo uti te uelle. Quare necesse est expectare, donec discatur quemadmodum ad deum, atq; ad homines habere se deceat. AL. Quando erit ô Socrates, & quis pręceptor? Iocundissime enim hūc hominem, quisquis erit, agnoscam. SOCR. Hic est cui tu curæ es. Verum mihi uidetur, quemadmodum Diomedi Mineruam inquit Homerus ab oculis nebulam abstulisse, ut discerneret deum ab homine, sic & ab animo tuo prius oportere caliginem, qua nunc offunditur, auferre: deinde illa propius admouere, per quę seu bonum quid sit, siue malum dignoscas: nunc enim impos esse uideris. AL. Auferat seu nebulam ille uelit, siue quodcunq; aliud. Etenim paratus sum nihil penitus prætermittere, quod ille præceperit, quisquis denicq; sit, modo ipse sim melior euasurus. SO. Atqui ille mirum in modum tibi prouidet. AL. In illud itaq; tempus hoc sacrificiū differre optimū fore censeo. SOC. Et recte quidem: tutius enim est, q̄ tanto periculo se subijcere. AL. Sic est ô Socrates. Interea tamē quoniā mihi bene cōsuluisse uideris, hanc tibi coronā imponam. Dijs aūt & coronas, & reliqua omnia quæcunq; decet tunc demum offeremus, cum diem illam aduentasse cognouero. Aduentabit aūt quamprimum, dijs uolentibus. SOC. Accipio & hoc, & quodcunq; datum abs te mihi præterea fuerit libenter uideo cum abs te accepi. Quēadmodū uero Creon apud Euripidem uidens Tiresiam coronatum, & audiens primitias coronā propter artem à militibus accepisse, ait, Augurium esse ducebam triumphales coronas, in tempestate enim uersamur, ut ipse nosti: sic & ego hanc abs te coronationem auguriū esse duco. Videor autem mihi non minori quàm Creon tempestate iactari, studeoq; omnium amicorum tuorum uictor abire.

Apud deos & apud homines iustitiā & prudētiā honorari

Quipruden tes & iusti sint

Magnanimitas nomē est honestissimum insipientiæ

ARGVMENTVM MARSILII FICINI IN MINOEM PLATONIS, VEL DE LEGE

Quid lex

MINOS de lege requirit, ut quid lex cōmuniter, quot eius species, unde sit, paucis cōprehēdamus. Si quis Platonis uerba in hoc libro De lege, & in libris de legibus, nec nō de Rep. diligēter aduertat, sic legem uniuersali definitione describet. Lex est uera gubernādi ratio, quæ ad finē optimum per commoda media gubernata dirigit, transgredienti pœnam, obedienti premium statuens. Quo fit ut institutiones principū cum ueræ nō sunt, nec ad optimū recto calle proficiscuntur, leges minime sint, sed decreta, edicta, instituta potius sint quàm leges. A lege nanq; legitimū, à legitimo iustum, à iusto bonum, rectum, uerumq; opus sæpenumero nominatur, propterea legem ueram bonamq; esse necesse est. Sequitur etiam ut lex æterna sit, ac penitus immutabilis, & apud omnes gentes eadem de eisdem, si hoc modo uera sit: nam quæ temporibus locisq; & opinionibus permutatur, non lex, sed institutio nuncupatur. Legis autem species, ut ex Timæo, Phædroq;, et Gorgia colligitur, quatuor sunt. Prima diuina quam prouidentiam Plato uocat. Secunda cœlestis, quam fatum. Tertia mouens, quam naturam. Quarta humana, quam prudentiam naturalem. Prima in mente diuina, quam Saturni legem Orpheus & Plato esse uolunt. Secunda in superiori animæ mundi parte quam Iouis. Ter-

Species legis quatuor

tia

tia in mouente inferioriq; illius potentia, quam primæ Veneris. Postrema in hominis mente, quam secundæ Veneris legem uocant. Prima à summo bono, quod supra mentem est, profluit. Secunda à mente & summo bono. Tertia à summo bono, mente, & uniuersali anima. Quarta à summo bono itidẽ, & mente et anima. Omnes uero ad ipsum bonum iterum reflectuntur. Prima in ideis, circa summũ bonũ, supra rationes. Secunda in rationibus, circa ideas, supra semina. Tertia in seminibus, circa rationes, supra formas. Quarta in notionibus, circa rationes, super actus & artes, quam regiam legem appellãt superni regis imitatricẽ. Vnde uero lex proficiscatur, ex ijs quæ dicta sunt elicitur. Ab ipso quippe rerũ principio omnes, sed uario modo ut dictum est, manant. Quamobrem omnes illustres conditores legum inuentionem legum in deum, sed per diuersa nomina atq; media retulerunt. Zoroaster Bactrianis Persisq; leges tradens, in Horomasim. Trismegistus Aegyptijs, in Mercurium. Moyses Iudæis rectissime in patrem totius naturæ deum. Minos Cretensibus, in Iouem. Charondas Carthaginẽsibus, in Saturnum. Lycurgus Lacedæmonijs, in Apollinem. Draco & Solon Athenienſibus, in Mineruam. Pompilius Romanis, in Aegeriam. Mahometus Arabibus, in Gabrielem. Zamolxis Scythis, in Vestam. Plato noster Magnesijs & Siculis, in Iouem, & Apollinem. Arcadibus autem, & Thebanis, & Cyrenaicis leges postulantibus, denegauit.

MINOS, VEL DE LEGE

SOCRATES MINOS

QVIDNAM Lex apud nos est? MIN. De qua lege interrogas? SOC. Est ne aliquid quo lex à lege secundũ quod lex est, differt? Aduerte planè quid quæram. Sic enim interrogo, ac si dicam, quid est aurum: & si tu eodem modo, de quo auro quæram roges, haud recte te percontari censerem. Neq; enim aurum ab auro quà aurũ, neq; lapis quà lapis à lapide quicquam differt: eodemq; modo lex à lege nil discrepat, sed omnes idem sunt. Etenim lex unaquæq; illarum similiter est, nec una magis & alia minus. De hoc ipso igitur uniuerso, quid lex est, generatim interrogo, quod si in promptu nunc habes, explica. MIN. Et quid aliud lex ô Socrates esset, & lege recepta & approbata? SO. An sermo tibi uidetur ea esse quæ sermone dicunt, uel uisus quæ uidentur, uel auditus quæ audiunt? aut aliud sermo, aliud pronunciata, aliud uisus, aliud uisa, & auditus similiter atq; audita, necnon lex aliud, aliud lege recepta? Sic ne, an aliter tibi uidetur? MIN. Sic utiq;. SOC. Non ergo lex est, quæ lege recepta. MIN. Non uidetur. SOC. Quid itaq; sit lex, in hunc modũ consideremus. Si quis de ijs quæ modo diximus, percontet dicens: postquã uisu asseritis quæ uidẽtur percipi, quid est uisus quo illa percipiuntur, responderemus utiq; esse sensum huiusmodi qui per oculos colores declarat: & de auditu interroganti, sensum qui per aures uocẽ haurit. Eodẽq; pacto si roget, postquam lege legitima cõstituuntur, quid est lex qua recepta recipiũtur, utrum sensus aliquis uel declaratio, quemadmodũ quæ discuntur, declarante scientia comprehenduntur, & inueniũtur inuentione monstrante: quemadmodum salubria & noxia medicina monstrantur: quæ uero diij cogitant, ut uates ferunt, diuinãdi facultate noscuntur. Vaticinium nãq; rerum talium inuentio est: an non? MIN. Prorsus. SOC. Quid horum præcipue legem esse præsumimus? instituta ne ista atq; decreta? MIN. Mihi quidem uidetur. Quid enim aliud quispiam legem esse dixerit? Ex quo apparet id totum quod rogabas, legem ciuitatis institutũ esse. SO. Opinionem ne ciuitatis legẽ uocas? MIN. Equidem. SOC. Et fortè recte loqueris: forsitan uero in hunc modũ melius intelligemus. Aliquos sapientes uocas? MIN. Voco. SOC. Nónne sapientes sapiẽtia sapientes sunt? MIN. Ita. SOC. Et iusti iustitia iusti? MIN. Prorsus. SOCR. Ergo & legitimi lege legitimi? MIN. Nempe. SOC. Iniqui autẽ iniquitate iniqui? MIN. Certe. SO. Legitimi uero iusti? MIN. Ita. SOC. Iniqui aũt iniusti? MIN. Iniusti. SO. An nõ pulcherrimũ quiddã lex atq; iustitia? MIN. Sic est. SO. Turpissimũ uero iniustitia atq; iniquitas? MIN. Turpissimũ. SO. Et illud quidem ciuitates, ac reliqua omnia seruat, hoc autẽ peruertit, atq; corrũpit? MIN. Ita. SO. Ergo legẽ oportet, ut pulchrũ aliquid cogitare, & ut bonũ quærere. MIN. Quid ni? SOC. An nõ institutũ ciuitatis legem esse diximus? MIN. Diximus. SO. Nónne decreta quedã bona, nõnulla etiam mala sunt? MIN. Sunt certe. SO. Lex tamẽ mala non erat. MIN. Non certe. SO. Nõ igitur ita simpliciter asserendũ est, legẽ ciuitatis institutũ esse. MIN. Nequaquam mihi uidetur. SO. Neq; enim congruit iniquam constitutionẽ legẽ esse. MIN. Nõ. SO. Verũtamen opinio quædã lex mihi quoq; uidet; cumq; praua opinio minime sit, an

Quũ interrogamur simpliciter, nõ recte dubitari de eo quod ẽ pars

Colligitur definitio trãslatione

Quid uaticinium

Alia falsa definitio legis, & cõfutatio

Lex opinio quædam est

non perſpicuum eſt,ſi quidem eſt opinio,probam opinionem eſſe? MIN. Conſtat. SOC. Proba uero opinio,nõne uera opinio eſt? MIN.Eſt SOC.At opinio uera ueritatis inuentio. MIN. Certe. SOC.Lex itaq; ueritatis inuentio eſſe uult. MIN. At quomodo ô Socrates,ſi lex ueritatis inuentio eſt,nõ ijſdem ſemper legibus circa eadem utimur, cum rerũ ueritas inuenta ſit? SOC.Nihilominus lex ueritatis inuentio eſſe uult.Quod ſi nõ ijſdem, ut uidetur,legibus homines utuntur, non ſemper ueritatem quam lex expetit, reperire poſſunt. Sed age uideamus,an hinc nobis liquidius pateat, ſiue ijſdem ſemper, ſiue aliàs alijs uiuamus legibus,& num cuncti homines eiſdem,aut alijs alij. MIN. Verũ neq; id cognitu difficile eſt ô Socrates,quod neq; ijdem ſemper eiſdem,nec alij ſemper alijs uiuũt. Neq; enim leges noſtræ hoſtia humana ſacrificare permittunt,apud Carthaginenſes autem iuſtum ſanctumq; habetur,adeò ut eorũ nonnulli Saturno filios litent, quod ipſe forſitan audiuiſti.Nec modo barbari homines diuerſas ac nos leges ſequũtur,uerũetiam qui Lyciam incolunt:illi Athamantis ſucceſſores qualia ſacra offerunt, quum tamen Græci ſint? Nos quoq; audiuiſti quales quondã leges circa inferias ſeruauerimus, hoſtias iugulantes anteq; efferretur cadauer,præficasq; accerſentes.Et qui ijs antiquiores,defunctos etiam domi ſepeliebant,quorũ nos ijs temporibus nihil omnino ſeruamus. Innumerabilia præterea ad idem exempla referre poſſemus.Latiſſimus enim demonſtrandi campus eſt,quod nec nos ijſdem ſemper nobiſcũ,nec homines inuicem legibus uitã agunt. SOC. Nil mirum eſt,ô uir optime,ſi tu recte loqueris,me uero id latuit. Verum donec ipſe per teipſum quæ tibi uidentur,prolixa oratione narrabis,egoq; rurſus idem faciam,nunq; ut arbitror,conſentiemus.At ſi cõmunis diſceptatio proponatur,forſitan cõgruemus:itaq; ſi id uis,interrogans ipſe me,cõmuniter unà mecum conſidera:ſinautem reſpondere mauis,reſponde. MIN. Volo equidem ô Socrates,ad quodcunq; libuerit reſpondere. SOC. Age igitur,num iuſta putas iniuſta iniuſtaq; iuſta eſſe? An iuſta potius iuſta, iniuſta uero duntaxat iniuſta? MIN.Equidẽ quæ iuſta ſunt,iuſta:necnõ iniuſta, quæcũq; iniuſta ſunt. SOC.An non quemadmodum hic,ſic & ubiq; gentium exiſtimatur? MIN.Ita. SOC. Et apud Perſas nonne? MIN.Et apud Perſas. SOC.An non & ſemper? MI. Et ſemper. SOC. Vtrum quæ plus trahunt,grauiora hic cenſentur:quæ minus,leuiora:uel huius oppoſitũ MIN. Non, imò plus trahentia grauiora,minus trahentia leuiora. SOC. Num & in Lycia & Carthagine idem? MIN. Idem. SOC. Pulchra quippe ut uideť ubiq; pulchra putantur:turpia contra,turpia:non autem pulchra turpia,uel turpia pulchra. MIN. Ita eſt. SOC. Nónne per omnia generatim quæ uera ſunt, eſſe cenſentur: non autem quæ minime uera,tum apud nos,tum apud homines uniuerſos? MIN. Videtur. SOC. Ergo quiſquis à uero aberrat,à legitimo quoq; aberrat. MIN. Secundũ rationem tuam ô Socrates,eadem legitima ſemper & inter nos,& inter cæteros eſſe uidẽtur. At cum nos animaduerto abſq; fine quotidie leges ſurſum deorſumq; mutantes, fidem tibi habere nõ poſſum. SOC. Fortè non percipis, quod hæc tranſpoſita eadem perſeuerãt. Cæterum ſic ipſa mecum intuere:librum ne unq; de curatione morborum aliquem nactus es? MIN. Equidem. SOC. Noſtin cuius artis liber ille ſit? MIN. Noui quod medicinæ. SOC. Medicos uocas qui hæc ſciunt? MIN. Voco. SOC. Qui ſciunt,eadem de eiſdem,an diuerſi diuerſa conſtituunt? MIN. Eadem. SOC. Vtrũ Græci ſoli cum Græcis, aut etiam Barbari,& ſecum & cũ Græcis de ijs quæ ſciunt,cõueniunt? MIN. Neceſſe eſt omnino eadẽ de ijs quę ſciunt Græcos Barbarosq; cenſere. SOC. Probè reſpondiſti,ſed nõne & ſemper? MIN. Et ſemper. SOC. Nõne medici circa ualetudinẽ conſcribũt, quæ eſſe cenſent? MIN. Imò. SOC. Scripta igitur medicorũ leges medicorum ſunt? MI. Sunt. SOC. Et geometrica ſcripta geometrarũ leges? MIN. Certè. SOC. Quorũ ſunt ſcripta cõſtitutionesq; de cultu hortorũ? MIN. Horticultorũ. SOC. Hæ igiť leges horticultoriæ ſunt? MIN. Ita. SOC. Eorũ qui hortis præeſſe ſciũt? MIN. Quid ni? SOC. Sciunt aũt horticultores. MIN. Nempe. SOC. At quorũ ſunt de condimentis obſoniorũ ſcripta atq; inſtituta? MIN. Coquorũ. SOC. Coquorum igitur hæ leges ſunt. MIN. Sunt. SOC. Eorũ uidelicet, qui præparandis obſonijs præeſſe ſciunt. MIN. Proculdubio. SOC. Sciunt hæc,ut aiunt,coqui. MI. Sciunt. SOC. Age igiť,dic quorum ſunt conſcripta & inſtituta de ciuitatis gubernatione. An non eorũ qui adminiſtrandæ reipub. periti ſunt? MIN. Apparet. SOC. Num alij quidam præter ciuiles atq; regios homines id nouerunt? MIN. Iſti ſoli. SOC. Ciuilia ergo cõſcripta hæc ſunt, quæ homines regum

Apud Carthaginem legitimum filios litare.

Ceremoniæ ãtiquiſſimæ circa defunctos.

Omnes præceptionesartium leges eſſe.

regum bonorumq; uirorum decreta nominant. MIN. Vera narras. SOC. Qui sciunt, haud aliàs aliud de ijsdem rebus statuũt MIN. Non certe. SOC. Non igitur alia atq; alia legitima sunt. MIN. Nequaquam. SOC. Si quos dissentientes mutantesq; uiderimus, num scire illos, an ignorare dicemus? MIN. Nescire. SOC. An nõ quod in singulis rectum est, id in singulis legitimum nuncupandũ? Vtpote quod secundum rationem medici fit, uel coqui, uel horticultoris, id in eis legitimũ? MIN. Absq; dubio. SOC. Contra uero, quod minime rectum, haud amplius legitimum appellãdum. MIN. Haud amplius. SOC. Illegitimum itaq; sit. MIN. Necessarium est. SOC. Quamobrem in cõstitutionibus de iustis atque iniustis, deq; ciuitatis ordine & gubernandi ratione tractãtibus quodcunq; rectũ est, regia lex existit: nõ rectum uero, nequaq; lex regia, quia scientia deest, esse uidetur, quippe cum illegitimũ sit. MIN. Sic est. SOC. Probe igitur cõfessi sumus legem esse ueritatis inuentionem. MIN. Apparet. SOC. Præterea & hoc ad idem cõsideremus: quis spargendorum in terram seminum peritus est? MIN. Agricola. SOC. Hic utiq; cõuenientia semina unicuiq; solo distribuit. MIN. Sanè. SOC. Agricola igit in ijs legislator bonus est, eiusq; leges & ad ista distributiones rectæ. MIN. Verum. SOC. Quis in ipsis ad harmoniam pulsationibus bonus legis conditor est, ac pro dignitate impertit, & cuius leges rectæ? MIN. Tibicen & citharista hæc agunt. SOC. Qui ergo in ijs maxime legitimus est, is maxime tibicen. MIN. Ita. SOC. Quis optime corporibus alimenta accommodare potest, nónne qui congrua cuiq; adhibere nouit? MIN. Is ipse. SOC. Huius partitiones institutionesq; optimæ: & quicunq; circa hæc legitimus maxime, is legis cõditor optimus. MIN. Prorsus. SOCR. Quis iste? MIN. Pædotriba. SOC. Is humani corporis gregem pascere optimè nouit. MIN. Sanè. SOC. Ei uero qui pecudũ gregem pascere nouit, quod nomẽ est? MIN. Pastor. SOC. Pastoris itaq; leges ouibus optimæ. MIN. Optimæ. SOC. Et bubulci bobus. MIN. Etiam. SOC. At cuius potissimum leges animis hominũ optimæ sunt? an nõ regis? MIN. Regis. SOC. Bene dicis, sed num referre potes, quis è priscis hominibus legũ circa tibiarũ inflationem cõditor optimus extitit? forte nõ tenes, uis ne tibi memorem? MIN. Valde. SOC. Marsya & quem ille maxime amauit Olympus Phrygius. MIN. Vera loqueris. SOC. Horũ sanè tibicinũ harmoniæ diuinissimæ sunt, & solæ cõcitant audientes, qui potissimũ deos qui usui sunt, ostendũt, ac solæ in hũc usq; diem utpote diuinæ perstiterũt. MIN. Vera hæc sunt. SOC. Quis autem ex antiquis regib. legis cõditor optimus fuisse fertur, cuius adhuc tanq; diuinæ institutiones extẽt? MIN. Nequaq; teneo. SOC. An nescis quæ Græcorũ gẽtes antiquissimis legibus utant? MIN. Fortè Lacedæmonios & Lycurgũ Lacedæmoniarũ legũ latorem dicis. SOC. At hæc instituta nõdum fortè trecẽtos annos uel paulo plures impleuerũt, sed legũ earũ præcipuæ unde uenerũt, nosti? MI. Ex Creta ferũt. SOC. Isti itaq; ex Græcis omnibus antiquissimis legibus uiuũt. MIN. Verum. SOC. Scis qui apud eos præstantissimi reges extiterint? Minos uidelicet & Rhadamanthus Iouis & Europæ filij, quorũ hæ leges sunt. MIN. Rhadamanthũ quidem ô Socrates, iustum uirũ fuisse tradunt, Minoem aũt agrestem durũ atq; iniustũ. SOC. Atticam ô uir optime, ac tragicam fabulam refers. MIN. Nõne hæc de Minoe circumferũtur? SOC. Nõ tamẽ Homerus aut Hesiodus ista testãtur, quanq; locupletiores admodũ testes sunt, q; cuncti tragici, quorum testimonio talia loqueris. MIN. Et quid isti de Minoe tradunt? SOC. Dicam, ne tu ut alij multi impia loquaris. Nihil eñ hoc magis impium est. Etenim primo cauendũ est ne quid in Deum aut uerbo aut opere aliquãdo peccemus, deinde ne quid aduersus diuinos homines. Quin diligenter cauere decet, quotiens uirum aliquem laudaturus aut uituperaturus es, ne aberres. Atq; huius gratia in primis curãdum est, ut bonos ac malos homines dignoscamus. Deus quippe nimium indignat, quotiens quispiam illius similem improbat, aut probat dissimilem. Dei uero similis est uir bonus. Neq; lapides ac ligna, auesq; atq; serpẽtes sacra existimes, homines uero nequaquã. Imò sacratissimũ omnium est uir bonus, prophanissimũ cõtra uir malus. Et nũc iam quemadmodum Homerus Hesiodusq; Minoem ipsum extollunt, hac de causa referam, ne amplius homo ipse ex homine natus, aduersus heroa Iouis filium perperam obloquaris. Nam Homerus ubi de Creta mentionem faceret, quod esset admodũ populosa, & in ea nonaginta urbes, inter illas inquit est Cnosos ampla ciuitas, in qua Minos regnauit, nouẽ annos magno cum Ioue collocutus. Tãta est hæc in Minoem Homeri laus paucis uerbis explicita, ut

Quid regia lex

Lex est ueritatisinuẽtio

Regis leges animis hominum optimæ

Marsyas primus tibijs leges imposuit.

Qui primi legum conditores apud Græcos

De Rhadamantho & Minoe

Cauendum esse & in laudando & in accusando

Vir bonus similis Deo

Vir bonus sacratissima res

Creta nonaginta urbiũ

cita,ut nunquam pari laudatione heroum quenquam extulerit.quod enim Iupiter ſoph
ſta eſt,eaq; ars præclariſſima,quum alibi ſæpenumero,tum hoc in loco uel maxime pate
Iupiter ſo- facit.Nam Minoem annos nouem cum Ioue colloquutum inquit, ad eumq; diſciplinæ
phiſta. gratia proficiſci ſolitum,quaſi Iupiter ſophiſta ſit.Quod autem tanto munere,hoc eſt ab
Ioue eruditum eſſe,alium heroa nullum Homerus affecit,mira quædam laus exiſtiman-
da eſt.Quinetiam in odyſſea ubi funus deſcribitur,Minoem mortuorum animas iudicã-
tem,aureum ſceptrum tenentem induxit.Rhadamanthũ uero neq; hic neq; alibi iudican
tem,aut cum Ioue colloquẽtem inducit.Quamobrem ab Homero præ cæteris omnibus
Minoem honoratum aſſero.Etenim quum Iouis ſit filius,quod ab illo duntaxat ſit erudi
tus,non habet magnam laudem.hoc nempe carmen illud ſignificat,Minos regnauit no-
uem annos, magno cum Ioue colloqui ſolitus : Minoem uidelicet cum Ioue annos no-
uem in ſermonibus congreſſum.ὄαροι namq; ſermones ſunt, ὀαριστὴς autem eſt in ſermo-
nibus congrediens.Minos itaq; annos nouem Iouis antrum erudiendus acceſſit. Vnde
& didicit,& docuit inde cæteros,quæ ab Ioue nouem annis acceperat.Nec tamẽ deſunt
qui oariſten aliter exponant,compotatorem,comeſſatoremq;,& colluſorem Iouis. Ve-
rum ex hoc maxime iſtos non recte exponere conijcere poſſumus,quod nulli uel Græ-
ci,uel Barbari ſympoſiis, id eſt cõpotationibus,atq; eiuſmodi ludis abſtinẽt præter Cre-
tenſes,atq; Lacedæmonios,qui à Cretenſibus didicerunt.In Creta præterea inter cæte-
ras Minois ipſius leges hæc extat:Ne inuicem compotetis ad ebrietatem.Conſtat autem
eum quæ honeſta cenſebat,ciuibus ſuis obſeruanda mandaſſe.Neq; Minos improbi ho-
minis inſtar,alia ipſe feciſſet,alia facienda mandaſſet.Cæterum erat conſuetudo illa, ut di
xi,diſciplinæ gratia uerborum collatio,propterea q; leges huiuſmodi ciuibus ſuis inſtitu
it,quarum obſeruatione Creta per omne tempus eſt felix,ac etiam Lacedæmon, ex quo
Radaman- ijs legibus,utpotè diuinis,uti cœpit.Rhadamanthus autem uir quidem bonus extitit, à
thus iudex Minoe ſiquidem inſtructus erat:nec tamẽ regiam diſciplinam omnem, ſed regi tantum
peritus nõ miniſtrare in iudicijs didicit:unde iudex peritus appellatus eſt. Eo planè ueluti legũ cu-
legis condi ſtode per urbem uſus eſt Minos,ad reliquam uero Cretam cuſtode Talo.Talos enim ter
tor quotannis pagos omnes luſtrabat,leges eorũ obſeruaturus, tabulis æreis leges inſculp-
tas circũferens:unde æreus nominatus eſt.Heſiodus præterea ſimilia quędã in ipſum Mi
noem intulit.Nam cũ nominis illius mẽtionem feciſſet,inquit: Qui mortalibus regibus
præſtitit,pluribusq; gentibus imperauit,Iouis ſceptrũ habẽs quo ciuitates regebat. Hic
item ſceptrum Iouis nihil aliud uocat,quàm Iouis doctrinam,qua Cretam omnem mo=
derabatur. MIN. Quam igitur ob cauſam ô Socrates,fama hæc inter homines diffuſa eſt.
Minoem ipſum rudem,durumq; hominem extitiſſe? SOC. Ob quam & tu ô uir optime
& unuſquiſq; alius cui fama curæ eſt,ſi modo ſapitis,diligenter cauere debetis, ne poeti-
cum hominem infenſum aliquem habeatis.Poetæ quippe uim maximam in utramq; par
tem,& ad laudandũ,& ad uituperandũ habent.Qua in re profecto Minos deliquit, cum
huic urbi bellũ indiceret,quæ cum cæteris ſapientibus plurimis,tum uel maxime poetis
Tragœdia omnis generis,ac tragicis præſertim referta eſt.Tragœdia uero hic eſt antiquiſſima, nec
Athenarũ ut plerique putant à Theſpide,aut à Phrynicho ſumpſit initiũ,ſed ſi perſcrutari uolueris,re
antiquiſsi- peries tragœdiã longe antiquius huius ciuitatis inuentum.Hæc autem ex uniuerſa poe-
mũ inuen ſi populũ uehemẽter oblectat,atq; allicit auditores,qua nos Minoa ferientes,ulti ſumus:
tum ſed & huius gratia tributa illa pendere nos coegit.In hoc igitur deliquit Minos,cum nos
laceſſeret,ex quo euenit quod ipſe quæris,ut infamis euaderet.Quoniã quod uir bonus,
atq; legitimus,ut ſuprà diximus,& excellens paſtor populi fuerit, leges eius argumento
ſunt,quæ immutabiles perſeuerãt,utpotè uera ciuitatis gubernatione reperta. MIN. Ve-
riſimilem rationem ô Socrates,attuliſſe uideris. SOC. Nonne igitur,ſi uera loquor,uiden
tur tibi Cretenſes Minois Rhadamanthiq; ciues antiquiſſimis legibus uti? MIN. Viden-
tur ſanè. SOC. Iſti ergo priſcorum omnium legumlatores excellentiſſimi fuerunt, homi-
numq; paſtores,quemadmodũ & Homerus exercitus ducẽ paſtorem populi nũcupat.
MIN. Prorſus. SOC. Age itaq; per Iouem amicabilem,ſiquis nos roget, conditor legum
circa corporis ualetudinem,quid corpori adhibet ut bonam ualetudinẽ tueatur? reſpon
deremus utiq; recte ac breuiter,quod nutrimentũ & exercitium,tum intendens, tum re-
mittens,atq; ita corpus cõponẽs. MIN. Probè. SOC. Si poſthac iterũ quærat,lator legum
ad ani-

ad animam pertinentiũ, eiuscꝫ paſtor optimus quid illi adhibẽs meliorẽ efficit? quid nos huic potiſſimũ reſpondebimus, ut minus de nobiſipſis decꝫ ætate noſtra erubeſcamus? MIN. Quid dicã neſcio. SO. At turpe nimirũ utriuſcꝫ noſtrũ animis eſt, ſi quæ ſibijpſis bona, malaue ſunt ignorare, quæ uero ad corpus, & ad alia pertinẽt, cognoſcere uideãtur.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI in Euthyphronem, uel De ſanctitate.

EVTHYPHRO *totus in cõfutatione uerſatur. Quo factum eſt, ut nõnulli Platonicorum hunc librũ quemadmodum Euthydemum & Hippiam, litigioſum uocauerint. Sed reuera, dum falſas Euthyphronis de ſanctitate opiniones Socrates cõfutat, uenantibus ueritatem illius ueſtigia ſignat. In hoc igitur libro, atq; etiã in Gorgia ſanctitatem Plato nominat eam iuſtitiæ partem, quæ ſuum deo tribuit. Suum tribuit deo qui illa quæ ſine medio accepit à deo, deo reddit. Corpus quidem ut Plato in lib. De natura diſputat, ab elementis quatuor, naturalẽ ſpeciei cõplexionem à cœleſtibus ſphæris, partes animæ quæ trahuntur affectibus à dæmonibus & animis ſiderum ſphærarumq; ſuſcepimus: rationem uero ac mentẽ noſtri parentis imaginẽ, ab ipſo mundi totius opifice ſine ullo cœlicolarum aut dæmonum miniſterio. Hæc itaq; dei ſunt, hæc deo reddenda, atq; hæc retributio ſanctitas nũcupatur. Quam præcedit pietas, religio ſequitur. Eſt enim pietas dei parentis agnitio. Sanctitas, eius quod dei eſt, deo agnito retributio. Religio, eius quod deo redditum eſt aſsidua meditatione iuſtisq; operibus cum deo ipſo indiſſolubilis religatio: ut merito ſapiens ille dixerit, funiculum triplicem difficile ſolui, funiculum inquam ex pietate, ſanctitatẽ, religioneq; cõnexum. Pietas ſanctitatẽ excitat, ſanctitas pietatẽ cõfirmat & ſancit. Sanctitas quoq; religionẽ mouet. Religio religat ſanctitatẽ: prius enim hoc uel inſtinctu, uel inſpiratione, uel admonitione opus eſt, quo deum unum noſtrum eſſe parentem fide indubia cogitemus, quam pietatem eſſe uolunt. Cum quis iſta cõcepit, mox omnẽ mentis & rationis intentionẽ in deum noſcendum amandumq; figit. Atq; hũc in cognoſcenda amandaq; diuinitate frequentẽ intuitum ſanctitatẽ Mercurius quoq; definit. Ex hac flagranti in deum intentione mentisq; ardore fit ut omnia dei opera, inſtituta, mãdata meditemur exerceamusq;, & aſsiduo quicquid ad eius uenerationẽ pertinet, relegamus. Quamobrem nos ipſos relegendo religãtes deo, religioſi ſumus. Hac autẽ definitione & diſtinctione præmiſſa, quæ de ſanctitate in Euthyphrone, uel alibi à Platone dicũtur, perſpicua fiunt. Cumq; dicitur ſanctum quod amatur à deo, uerum eſt: ſed quia ſanctum, amatur à deo, nõ quia amatur eſt ſanctum. Et quia amatur amatum eſt, nõ tamen quia amatum, amatur: quoniã nõ idem eſt omnino ſanctum atq; amatum. Neq; enim ſanctitatis ratio in ipſo amatum eſſe, ſed ipſa potius retributione ac deuotione cõſiſtit. Præterea cum dicitur, Sanctitas cura miniſtra dei, uerum quoq; dicitur. Sed ad quod opus dei miniſtra Ad cõuerſionem animæ. Opus enim dei eſt, creare, cõuertere, purgare, illuminare, perficere. Cum primum per pietatis inſtinctum inſpirãdo cõuertere deus ad ſe incipit animum, illa ipſa aſſenſio qua ſeſe libenter in cõuertentem deum animus ipſe reſtituit, ſanctitas nuncupatur, quæ quidem miniſtra dei eſt ad cõuerſionẽ perficiendã. Additur poſtremo. Sanctitas ſcientia uouendi, & ſacrificãdi deo. hoc maxime ad religionẽ pertinet, quæ ſanctitatẽ ut diximus, comitatur. Vouendo petit, ſacrificando dat. Quid petit à deo? ſeipſum. Quid deo dat? ſeipſum. Ideam ſi quæ in mente diuina eſt petit, quam Mercurius petijt à Pimandro. Dat autem naturam ſuam Ideæ paricipem.*

Pietas
Sanctitas
Religio
Funiculus indiſſolubilis

EVTHYPHRO PLATONIS, VEL DE SANCTITATE. EVTHYPHRO SOCRATES.

QVID noui ô Socrates accidit, quod prætermittens exercitationes in Lycio, circa regis porticũ hic uerſaris? Neq; enim cauſa nũc tibi ulla eſt, quẽadmodum mihi ad regem. SOC. Nõ cauſam hanc Euthyphro, ſed accuſationem Athenienſes uocant. EVT. Quid ais? num te aliquis accuſauit? Non enim te alium accuſaſſe putarem. SOC. Nõ ſanè. EVT. At uero te alius? SOC. Prorſus. EVT. Quis iſte? SOC. Nec ipſe quidem ô Euthyphro uirum hunc ſatis agnoſco. Iuuenis enim quidem & ignotus eſſe uidetur: uocãt autem illum ut puto Melitum ex Pittheo populo, ſi quem tu Pittheũ Melitum noſcis prolixis defluisq; capillis, aquilino & gibboſo naſo, barbaq; rara. EVT. Haud recordor ô Socrates, ſed cuius te reum fecit? SOC. Cuiuſcunq;. In ea tamẽ ut mihi uidẽ accuſatione nõ ut ingeneroſus ſe geſſit. Nam iuuenem hominem rem tantam nouiſſe, non uile quiddam eſt. Ille ſiquidem ut ait, quomodo iuuenes corrumpantur, & qui eos corrumpant, intelligit: ac ſapiens propemodũ apparet, meamq; inſcitiam cõſpicatus quaſi ſuos æquales peruertam, ad patriam me uelut ad matrẽ

Occaſio dialogi

accuſaturus cõfugit,adeo ut mihi ſolus ipſe recte præeſſe rebus ciuilibus uideatur. Nam in primis iuuenum cura ſuſcipienda eſt,ut quamoptimi uiri fiant: quemadmodum bonũ agricultorem teneriores primũ plantas curare decet,ac deinceps alijs prouidere.Etenim & Melitus fortaſſe primum nos purgat iuuenum,ut ait,germina corrumpentes, poſthac ſenioribus quoq; curam adhibens plurimorum ingentiumq; bonorũ ciuitati cauſa erit, ut conſentaneum eſt eum facere,qui principium huiuſmodi dedit.EVT. Vellem equidẽ ô Socrates,ſed uereor ne contra contingat.Nam prorſus ab ipſo ſtatim initio mihi uidetur huic urbi nocere uelle,qui iniuria te afficere tentat.Et mihi dicas,quid te agentem,iuuentutem inficere prædicat?SOC.Abſurda quædam auditu ô uir mirifice: Inquit enim confictorem me eſſe deorum,& ut nouos inducentem deos priſcos uero negantem, me (ut inquit) deorum gratia incuſauit. EVT.Intelligo iam ô Socrates, quod ipſe dæmoniũ tibi paſſim adeſſe profiteris. Vnde aduerſus te tanquam diuinas res innouantem,accuſationem hanc inſcripſit,& in iudicium te calumniaturus aduentat,quippe cum nouerit iſta facile uulgo calumniam ſubire poſſe.Me quoq; cum de diuinis in concione pertracto futura prænuncians,tanquam inſanientem rident,licet nihil unquam niſi uerum prædixerim.Nobis enim cæteriſq; huius generis omnibus inuident: nihil autem de ijs curandum,ſed interim eadem ratione pergendum. SOCR. O amice Euthyphro, irrideri fortaſſis nil refert.Athenienſibus nempe ut mihi uidetur non admodũ curæ eſt, ſiquem peritum eſſe putent,modo ne ſua perdoceat alios.Quem uero peritia propria cęteros imbuentem ſentiunt,inſectãtur,ſiue id liuore quodam,ut aſſeris,cõciti,ſiue alia de cauſa.EVT. Equidem iſtuc,quo tandem modo erga me affecti ſint, haud admodum experiri cupio. SOC.Fortè enim tu raro teipſum alijs exhibere uideris,tuamq; nolle ſapientiã propagare.Ego autem uereor ne ob humanitatem,qua erga mortales omnes ſum,paſſim & effuſe nimis unicuiq; me præbere uiro ipſis uidear,non ſine mercede duntaxat, uerumetiam ultro me meaq; offerre ſolitus,ſiquis audire modo uelit.Si me igitur,ut nũc dicebam,deriſuri eſſent,quemadmodum tu derideri te dicis,nihil ſanè moleſtum foret à iocãtibus ridentibusq; in iudicium trahi.Sin iſtuc ſerio contendunt,quò tandem res euadat, præterquam uobis uaticinantibus incertũ eſt.EVT.Nihil fortè negotij ô Socrates erit,pro mentis uiribus in cauſa tua certabis,ego autem ut arbitror in mea.SOC. Num aliqua etiam tibi cauſa eſt?reus ageris,an accuſas?EVT.Accuſo.SOC.Quem?EVT.Quem dum perſequor inſanire uideor.SOC.Quid?uolantem forte quempiam perſequeris?EVT. Procul admodum abeſt ut uolet,qui iam grandis eſt natu.SOCR. Quis iſte?EVTH.Pater meus. SOC.Tuus ne ô uir optime?EVT.Prorſum inquam.SOC.Quod crimẽ,quę cauſa?EVT. Homicidij Socrates.SOC.Pro Hercules, nimirum ô Euthyphro ignoratur uulgo quo pacto hoc recte fiat.Neq; enim puto cuiuſuis opus eſt, recte hæc agere,ſed alicuius ſapientia longe prouecti.EVT.Longe per louem.SOC.An domeſticorum quiſpiam à patre peremptus eſt? num ſcilicet? Non enim ob extraneum aliquem homicidij patrem accuſares.EVT.Ridiculum eſt ô Socrates,ſi quid intereſſe cenſes, domeſticus ne an extraneus ſit occiſus,neq; id duntaxat obſeruandum eſſe,utrum iure occiderit, quiſquis occidit, nec ne.Quod ſi iure,dimittendum:ſin autem iniuria,perſequẽdum,licet qui peremit domeſticus familiarisq; ſit.Aeque enim inquinaremur ſi ſceleris conſcij acquieſceremus, nec illum atq; noſipſos iudicio expiaremus:quãquam qui perijt,cliens atq; miniſter meus erat,qui cum in Naxo in agriculturam incumberemus,nobis mercede ſeruiuit. cõtumelia igitur & ira in domeſticum quendam noſtrũ concitus eum cõtinuo iugulauit. Vnde pater obligatis manib.ac pedibus in foueã cõiecit:atq; huc miſit hominem qui iuris interpretem quid agendũ eſſet interrogaret.Interea uinctũ illum ut homicidam neglexit, quaſi nihil omnino referret,ſi forte deficeret.Quod & accidit:nam priuſquam ab interprete nuncius ipſe rediret,fame,frigore,uinculis perijt.Hac de cauſa pater cæteriq; propinqui grauiter ferũt,quod propter homicidæ mortẽ, patrẽ reum necis peragam, qui ut ipſi aiunt,minime interfecit, uel ſi etiã interemiſſet, de homicidæ interitu nihil eſſe curandum.Impiũ enim eſſe ferunt filiũ patri diem dicere,male dijudicãtes ô Socrates,quomodo diuinũ numen circa ſanctũ prophanúmue ſe habeat. SO. Túne per louẽ ô Euthyphro ſic te ſyncere diuina,ſancta,& prophana quomodo ſe habeãt,ſcire pręſumis, ut ijs ita peractis quemadmodũ inquis,haud formides ne patrem reum necis accuſans prophanũ aliquid

quid aggrediaris? EVT. Nihil mihi ſtudiũ meum prodeſſet ô Socrates, nec ratione ulla Euthyphro tot mortalibus præſtaret, niſi talia quædam planè dignoſcerem. SOC. O admirande Euthyphro, nil potius eſt, quàm ut diſcipulus tuus fiam, & in contentione quæ mihi cum Melito eſt, in primis iſta obijciam, quod ſcilicet hactenus diuinorum cognitionem maximi quidem fecerim: nũc autem poſtquam me propria uanaq; opinione nouos deos confingere dixerit, diſcipulum tuum eſſe factũ. Si ergo ô Melite, dicam, Euthyphronem in ijs recte ſentire putas, me quoq; exiſtima, neq; damnes. Sin minus, præceptorem illum priuſquam me in iudicium accerſito, ſenes homines corrumpẽtem, me ſcilicet atq; patrem, me quidem docentem, illum uero corrigentẽ & punientem. Quod ſi mihi non obſequatur, neq; remittat iudicium, neque pro me te accuſet, eadem illa in iudicio tu dices, quæ ego obieci. EVTH. Ita per Iouem ô Socrates: nam ſi me accuſare tentauerit, reperiam ut opinor, ubi ille debilis infirmusq; ſit, ac multo prius de illo quàm de me in iudicio diſceptabitur. SOC. Atqui ego ô dulcis amice conſiderans, diſcipulus tuus eſſe uelim: cum norim quod & alius fortaſſe quidam, & Melitus iſte te quidem ne uidiſſe quidem uidetur, me uero ſic acute prorſus, facileq; perſpexit, ut impietatis hic accuſauerit. Nunc ergo per Iouem mihi dicas quod planè noſſe aſſeueraſti, quid pium, quid'ue impium eſſe uelis, & in nece, & in cæteris omnibus. An non idem eſt in ſingulis actionibus ipſum ſibi ſanctum? & prophanũ rurſus omne ſancto cõtrarium, ipſum uero ſibijpſi conſimile, unamq; ſecundum quod prophanum eſt, ideam habet, quodcunque prophanum eſſe debet? EVTH. Omnino ô Socrates. SOC. Dic ergo quid ſanctum: quid prophanum uocas? EVT. Sanctum quidem uoco, quod ipſe nunc facio. Eum qui iniuſte agit uel circa cædes, uel ſacrilegia, uel aliud huius generis, in iudicium trahere, ſeu pater, ſiue mater, ſiue quiuis alius deliquerit. Contra uero prophanum. Quin uide quæſo ô Socrates quàm ualidam tibi legis cõiecturã referam, quod ita ſit quemadmodũ alijs quoq; narraui, dicens tum demum recte agi, cum nulli prorſus peccanti quiſquis ille ſit, parcimus. Nam fatentur omnes Iouem ipſum deorum omnium optimum atque iuſtiſſimum eſſe, quem tamen patrem ſuum ligauiſſe ferũt, quod natos abſq; iure deuorauiſſet. Illum præterea patrem caſtrauiſſe ob talia quædam aſſerunt. Mihi uero ſuccẽſent quod parentem iniuſtitiæ obnoxium perſequor. Atq; ita homines iſti ſibijpſis tam de dijs, quàm de me contraria ſentiunt. SOC. Atqui hanc ob cauſam ô Euthyphro accuſor, neq; quid reſpondeam ſatis habeo. Nam quotiens de dijs talia quædã quis diceret, moleſte ferebam, qua de cauſa ut uidetur peccare me ferunt. Nunc autem ſi tibi hæc ita uidẽtur harum rerum perito, neceſſe eſt nos etiam conſentire, quid enim aliud diceremus? quippe qui nihil de ijs intelligere prædicemus. Cæterum per Iouem amicabilem mihi dicas, an ipſe ſic iſta reuera eueniſſe putes. EVT. Et mirabiliora inſuper ô Socrates, quæ multis occulta ſunt. SOC. Bellum igitur inter deos agitari inuicem arbitraris, inimicitiasq; & pugnas, aliaq; permulta, quæ à poetis, & peritis ſcriptoribus memorantur? Vnde & alia nobis ſacra huiuſmodi uarietate ſunt plena, & in magnis Panathenęis peplum ijs pictum in arce infertur. An hæc uera ô Euthyphro eſſe fatebimur? EVTH. Non hæc ſola ô Socrates, ſed quod paulo ante dixeram alia quoq; multa, ſi uelis, de diuinis exponam: quæ cum audiueris, ſcio quod loquor, nimirum obſtupeſces. SOC. Nequaquã mirarer: uerum iſta deinceps maiori cum ocio referes, in præſentia uero quod modo quęſiui explicare planius nitere. Neq; enim principio ſufficienter amice me docuiſti, cum quid ſanctum eſſet interrogarem: ſed id ſanctum eſſe dixiſti, quod tu nunc ageres, dum necis reum patrẽ tuum accuſas. EVT. Et uera nimiũ ô Socrates dixi. SOC. Fortè. ſed num alia multa ô Euthyhpro ſancta nũcupas? EVT. Et alia. SOC. Recordare igitur quod nõ hoc abs te petij, ut unum me aut duo ex multis ſanctis, ſed illam ipſam ſpeciem, qua cuncta ſancta ſunt ſancta, doceres. Dixiſti enim una idea omnia ſancta, ſancta eſſe, atq; una iterum quæ ſunt prophana, prophana. EVT. Equidem. SOC. Quænam ſit ea ipſa idea mihi demonſtra, ut ad illam reſpiciens, eaq; tanquam exemplari aliquo utens, quodcunq; tu, uel alius quiuis tale facitis, ſanctum eſſe dicam: quod autem diſſimile, negem. EVT. Si ita uis ô Socrates, ita dicam. SOC. Imò uolo. EVT. Quod quidem dilectum dijs, ſanctum eſt: quod uero non dilectum, prophanum. SOCRAT. Quam pulcherrime ô Euthyphro, utq; te reſponderе iubebam, ſic denique reſpondiſti; utrum tamen uerum reſponderis, nondum noui,

Prima definitio ſancti

Confutatio

Secunda definitio ſancti reddita

ſed tu planè uera hæc eſſe nobis oſtendes. EVTH. Omnino quidem. SOC. Age itaq; id de quo dicimus, cõſideremus. Deo dilectũ opus ſanctũ, ac uir Deo dilectus, ſanctus: opus autem inimicũ Deo prophanũ, & uir Deo inimicus, prophanus dicitur. Sãctum uero & prophanum nõ eadem ſunt, ſed omnino contraria. nónne? EVT. Sic eſt. SOC. Num probè dicta hæc eſſe uidẽtur? EVTH. Sic exiſtimo, dicta enim ſunt. SOC. Nónne dictum eſt deos inuicem diſſidere, atq; pugnare, inimicitiasq; inter eos eſſe? hoc ne etiam dictum? EVT. Dictum profectò. SOCR. Inimicitias autem & iras ô optime, diſſenſio de quibuſdã gignit. Hoc ita cõſideremus: nunquid ſi ego & tu de numero diſſentiremus, utra ſint plura diſcutientes, diſſenſio huiuſmodi nos inimicos faceret, & iracũdiam cõcitaret? an potius ad computãdi rationem confugientes, mox ab hac diſſenſione ceſſaremus? EVTH. Prorſus. SOCR. Et ſi de maiori ac minori diſſentiremus, nónne ad mẽſuram recurrentes, ſtatim cõtrouerſiam ſolueremus. EVT. Vera hæc ſunt. SOC. Ac ſi ad ponderãdum libram dumq; tendamus, ſeditionem circa grauius, & leuius diſſoluemus? EVTH. Quid ni? SO. Quæ ſunt igitur ea de quibus quũ diſſentimus, nec iudicare facile poſſumus, inimici efficimur, & iraſcimur? Forſitan in promptu non habes. Verum ego dicam, tu conſidera utrum iſta ſint, iuſtum, & iniuſtum: pulchrum, & turpe: bonumq; & malum. nunquid hęc ſunt de quibus cum diſſentimus, nec poſſumus ad ſufficiens horum iudicium peruenire, hoſtes efficimur quotiẽs in hoſtiles inimicitias incidimus, & ego & tu ac demum homines uniuerſi? EVTH. Hæc utiq; diſſenſio eſt ô Socrates, & quæ circa iſta uerſatur. SOCR. Et diſ ô Euthyphro, ſi de aliquo diſſentiant, de his certe diſſentient. EVTH. Neceſſe eſt omnino. SOC. Ex diſs itaq; ô generoſe Euthyphro, alíj alia iuſta putant ſecũdum orationem tuam, & pulchra, & turpia, bonaq; & mala. Nunquam enim inuicem decertarent, ni ſi de his diſſenſerint. an nõ? EVTH. Recte loqueris. SOC. Nónne quæ pulchra ſinguli putant, bonaq; & iuſta, hæc amãt? quæ cõtraria, prorſus oderunt? EVTH. Omnino. SOCR. Eadem uero ut ais, alíj iuſta, iniuſta alíj cẽſent, de quibus diſceptãtes contẽdunt inuicem, atq; pugnãt. num ita? EVTH. Ita. SOC. Eadem igitur ut uidetur, à diſs amãtur, odioq; habentur, atq; eadem hæc tum diſs amica, tum etiam inimica. EVTH. Videtur. SOCR. Hac ratione ô Euthyphro, eadem ſancta erũt ſimul atq; prophana. EVTH. Apparet. SOC. Nõ ergo quod quæſiueram ô uir admirabilis, reſpondiſti. nõ enim id uolebam, quod ſanctũ & prophanũ ſimul eſſe contingit: quod uero Deo amicũ eſt, Deo quoq; inimicũ eſſe uidetur. quamobrem ô Euthyphro, quod nũc agis parẽtem puniens, nihil mirũ eſſet ſi hoc Ioui amicũ contingeret, Saturno aũt & Cælio inimicũ: & Vulcano quidem gratũ, Iunoni moleſtũ, & ſi quis deorũ alius de ipſo ab alio diſſidet. circa illos eñ ſimiliter eueniret. EVT. At opinor ô Socrates, in hoc deorũ nullũ ab alio diſcrepare, quod qui iniuſte quenquam peremit, pœnas pẽdere debeat. SOC. Num hominẽ aliquem ô Euthyphro, in hoc aliquãdo dubitãtem audiſti, quod hominem iniuſte occidẽtem, aut aliquid aliud agẽtem iniuſte, pœnas dare non deceat? EVT. Nunquam de íjs diſceptare cum alibi tum etiam in iudicíjs ceſſant. qui enim peccarũt, cũcta dicere & agere experiunt, quibus pœnam deuitent. SOCR. An iniuſte agere confitentur? ac ſimul aiunt pœnas pendere non decere? EVT. Id nullo modo. SOCR. Non ergo cuncta dicunt faciuntq;: hoc enim ut arbitror dicere, aut ambigere nequaq; audent, quod de iniuſtis ſupplicium ſumendũ non ſit: ſed aiũt potius non iniuſte feciſſe. an non? EVT. Vera loqueris. SOCR. Haud igitur in hoc ambigunt, utrum iniuſtũ puniri oporteat: uerum de hoc potius inter ſe diſceptant, quis iniuſte fecerit, & quid agendo, & quãdo. EVT. Vera narras. SOC. Nõne eadem hæc díjs accidũt, ſi de iuſtis atq; iniuſtis, ut oratio tua teſtatur, diſſentiunt? Atq; íj quidem iniuſte facere aſſerunt, alíj negant, poſtquam illud ô uir mirabilis nullus hominũ, uel deorũ dicere audet, Iniuſtũ uidelicet pœnas nequaq; dare debere. EVTH. Ita, uera enim ſummatim dicis ô Socrates. SOC. De unoquoq; ut puto, eorum quæ facta ſunt, diſceptant ô Euthyphro, quicunq; ambigunt, ſiue homines, ſiue díj: ſi modo díj ambigunt, dum de aliqua actione diſſentiunt, partim quidem iuſtam, partim uero iniuſtam fuiſſe dicẽtes. An non iſto modo? EVT. Omnino. SO. O amice Euthyphro, me quoq; ut ſapiẽtior fiam, doce, qua cõiectura potiſſimũ aſſeris quod díj cũcti illũ iniuſte peremptũ exiſtimẽt, qui mercede miniſtrãs homicida factꝰ ab interfecti domino uinctus, uinculis ante periit, ẽq; qui ligauerat à iuris interprete quid agendũ cognoſceret? atq; ob hoc rectũ eſſe ut filius patrẽ in capitis diſcri

men

Diſſenſio de re facit iras & inimicitias

Iuſta & iniuſta, pulchra & turpia, bona & mala ſunt ea, quæ qui nõ poſſunt iudicare, iraſcuntur

mẽ inducat? Age obsecro, de ijs aliquid mihi clari demõstrare coneris, quod omnino dij omnes actionem hanc rectam existimẽt: quod si sufficiẽter ostenderis, nunquam sapientiæ tuæ laudes prædicare desistam. EVT. At fortè nõ paruũ opus est hoc ô Socrates, nam ostendere quidem planè admodum tibi possem. SOC. Intelligo iam, quod ad percipiendum tardior quàm iudices esse tibi uideor, quippe cum illis liquidò mõstraturus sis hæc esse iniusta, omnesq; talia deos odisse. EVTH. Perspicuè nimium ô Socrates, modo me docentem audiant. SOC. Atqui audient, si benè dicere illis uideberis. Illud autem loquente te cogito, & meipsum obseruo, quod licet uel maximè Euthyphro me doceat, deos omnes hanc mortem iniustam ducere, qui magis inde ab Euthyphrone didicero, quid sanctum, quid'ue prophanum sit? Deo quidem inimicũ opus hoc esset: attamẽ ab hoc paulo ante discreta hæc esse minimè uisa sunt, sanctum scilicet, & nõ sanctũ: quod enim Deo amicum, Deo etiam inimicum apparuit. Quamobrem hoc tibi dimittam ô Euthyphro: & si uis, dij omnes iniustum putẽt, & oderint. Veruntamen hoc iam in sermone sic emendemus, ut quod dij omnes oderint, prophanum: quod contra omnes ament, sanctum sit. Quæ uero partim ament, partim oderint, neutra sint, uel simul ambo. Num ita uis nunc sanctum, & prophanum nobis esse distinctum? EVT. Quid ô Socrates, prohibet? SOCR. Nihil ad me ô Euthyphro, sed tu quod ad te attinet, cogita utrum ista ponens, sic me facile quod pollicitus es, doceas. EVT. Equidem sanctum quod dij omnes ament, esse fatererer: prophanum contrà, quod omnes oderint. SOC. An hoc iterum discutiendum, utrum rectè dicatur necne? uel potius omittendum, atq; ita & nobisipsis & alijs indulgere debemus, ut quicquid dictum fuerit, admittamus? an quod dictum examinandũ? EVTH. Discutiendum. quanq; hoc nũc benè dictũ existimo. SOC. Forsitan ô bone uir, melius istuc intelligemus, sic enim cogita. Vtrum sanctum quà sanctum est à dijs amatur? uel quia à dijs amatur, est sanctum? EVT. Haud intelligo quid dicas ô Socrates. SOC. Apertius explicare conabor. Dicimus quiddam latum & ferens, ductum & ducens, uisum & uidens, atq; huiusmodi cuncta: num hæc diuersa esse, & quà diuersa sunt intelligis? EVT. Intelligere mihi uideor. SOC. Nõne & amatum aliquid est, & aliud præter hoc amans? EVTH. Quid ni? SOC. Dic obsecro: latum quia fertur, latum est, an ob aliquid aliud? EVTH. Nequaquam, imò ob hoc ipsum. SOC. Et ductum similiter quia ducitur, & uisum quia uidetur? EVT. Maximè. SOC. Non ergo quia uisum est uidetur, sed cõtrà, quia uidetur, est uisum: nec quia ductũ ducitur, sed quia ducitur, ductum: nec quia latum fertur, sed quia fertur est latum. Nõne perspicuũ est ô Euthyphro, quid inferre uelim? Volo aũt hoc. si quid fit, aut patitur aliquid, nõ quia factũ est fit, sed quia fit potius factũ: nec etiam quia patiẽs est patitur, sed quia patitur patiens. Admittis hæc? EVT. Admitto equidem. SOC. Nónne & amatũ aut factũ aliquid est, aut aliquid ab aliquo patiens? EVT. Prorsus. SOC. Hoc igitur eodem modo quo superiora se habet: non quia amatum est, amatur à quibus amatur, sed quia amatur, amatum. EVT. Necesse. SOC. Quid itaq; de sancto dicimus ô Euthyphro? an quod ab omnibus dijs amatur, ut oratio tua testatur? EVT. Imò. SOC. Nunquid ob hoc quod sanctum est, an ob aliud quiddam? EVT. Ob hoc ipsum. SOC. Ergo quoniã sanctum est, amatur, non quoniam amatur est sanctum. EVT. Videtur. SOC. Veruntamen quoniam à dijs amatur, amatum est, atq; dijs amicum. EVT. Quid prohibet? SOCR. Non ergo Deo amicũ, sanctum est ô Euthyphro, neq; sanctum amicũ Deo, ut tu ais, sed hoc aliud est q; illud. EVTH. Quanam ratione ô Socrates? SOC. Quoniam cõfitemur sanctum ob id amari, quia sanctũ est: nõ quia amatur, esse sanctum. nónne? EVT. Certe. SOC. Amatum autem à Deo, eo ipso quo amatur à Deo, Deo amatum esse, nõ quia amatum à Deo, amari. EVTH. Vera loqueris. SOC. Verum si idem esset Deo amatũ atq; sanctum, tunc aut quia sanctũ est, amaretur quod est sanctũ, atq; ita quia Deo amatũ, amarẽ à Deo quod Deo amatũ est. Aut quia amaretur à Deo quod amatum Deo est, Deo amatũ esset, atq; ita quod sanctũ est, ex eo quod amaretur esset sanctũ. Nunc autem uides quod oppositio modo se habent, utpotè quæ inter se diuersa sunt. hoc enim, scilicet amatũ Deo, quia amatur tale est ut sit amatũ. Illud autem scilicet sanctum, quia tale est ut ametur, amat, & amatũ est. Videris q; ô Euthyphro, quum quid sanctum sit, interrogatus fueris, essentiam illius ostendere noluisse, sed passionem quandam assignauisse, quam hoc sanctũ susceperit, ab omnibus uidelicet dijs amari. quid autem sit, nõdum explicuisti. Si itaq; tibi placet ne

Tertia definitio

me

me celes,uerum à principio rursus definias,quid ipsum sanctũ existens, uel amatur à deo uel aliud quiduis patitur,neq; enim de hoc inuicem dissidebimus.Sed prompte iam dicas quid sanctum est,quid'ue prophanum.EVT. At ô Socrates,quomodo tibi quod cogito,exprimam,nõ inuenio. Semper enim nobis quod proposuimus, oberrat,neq; cõsistere uult,ubi sistimus.SOC.Progenitoris nostri Dædali ô Euthyphro,opera esse quæ dixisti,uidentur. Quod si ego illa dixissem atq; posuissem,fortè me risisses,ioco quodam obijciens,quod orationis meæ artificia secundũ illius cognationem diffugiunt, neq; permanere uolunt,ubi quis illa locauit.Nunc autem cum tuæ suppositiones istæ sint, alia quadam opus est dicacitate:neq; enim tibi permanere uolunt,ut tibi quoq; uidetur.EVTH. Imò mihi uidetur ô Socrates,quæ dicta abs te sunt, eadem penè dicacitate iocoq; notari posse:quod enim illa oberrãt,ego minime in causa sum,sed tu mihi Dædalus ipse uideris:quãtum nanq; in me est,sic illa mansissent.SOC. Videor igitur ô amice, eo in hac arte quàm ille præstantior,quo ille sua solum instabilia fabricabat,ego autem præter mea, ut apparet,etiam aliena.Idq; mihi est in arte pulcherrimum, quod inuitus sum sapiẽs. Malim nãq; rationes mihi manere,immobilesq; cõsistere,quàm supra Dædali sapiẽtiam,Tãtali quoq; diuitias assequi.Postq; uero tanq; delicatior,laborem subterfugere mihi uideris,ego unà tecum declarare contendam,ut me circa ipsum sanctum erudias, nec in medio sermone deficias. Vide num tibi necessarium uideatur omne sanctum esse iustum.

Opera Dædali

EVT.Mihi uero SOC.Nunquid & omne iustum sanctum?aut potius omne sanctum iustum?Iustum uero non omne quidem sanctum,sed partim sanctum,partim aliud quiddam?EVT.Ego uero ista uerba tua haud consequor.SOC.Veruntamẽ iunior me nihilo minus quàm sapientior es,sed ut dixi,delicatior es ob sapientiæ copiam.At ô beate,uires tuas excita,enitere.Nihil enim arduum est quod dicebam comprehendere. Cõtra enim statuo quàm Poeta qui dicit:

Scribere cur metuam,quum scribo de Ioue summo,

Carpitur,id ubi timor, ibi & pudor

Namq; metus secum sociũ trahit usq; pudorem. Ego autem à Poeta hoc discrepo:uis quo discrepo,tibi dicam?EVT.Prorsus.SOC.Non uidet mihi ubicunq; timor est, ibi etiam pudor existere.Nam multi paupertatẽ ac morbos cæteraq; huiusmodi, ut mihi uidet,metuunt,neq; tamẽ pudore ullo in ijs afficiũtur:tibi uero nõne idem?EVT.Et mihi.SOC.At ubicunq; pudor,ibi & timor,An quisq; est qui pudore afficitur atq; erubescit, opinionem prauitatis nõ formidãs?EVT.Formidat certe.SOC. Haud igitur recte dicitur,ubi timor,ibi pudor,sed ubi pudor,ibi & timor:neq; tamen uice uersa,ubicũq; timor, ibi etiam pudor.Amplior enim,ut arbitror,est timoris q̃ pudoris natura: siquidem pars timoris est pudor,quemadmodum numeri pars est impar. Ideoq; nõ ubicunq; numerus ibi impar:ubi tamẽ impar,& numerus est:nõ tenes?EVT.Maxime.SOC.De hoc in superioribus percontabar:utrum ubi iustum,ibi & sanctũ:an ubi sanctũ ibi iustũ:ubi tamẽ iustum,nõ semper & sanctũ:pars quippe iusti sanctum est. Itáne igitur, an aliter dicemus?EVT.Sic utiq;,probe enim dici uidet.SOC. Vide uero quod sequitur:si enim sanctũ iusti pars est,oportet nos ut apparet,cuiusmodi iusti pars sanctũ sit inuenire.Si tu ergo me modo aliquid prędictorũ interrogares,utputa par,cuiusmodi pars numeri,& quis numerus sit:responderem profecto,qui nõ laterũ omniũ inæqualiũ,sed æqualium duorum sit. An nõ idem tibi uidetur?EVT.Mihi certe.SOC.Conare igitur tu quoq; me ita docere,cuiusmodi iusti pars sanctum est,ut & Melito confestim obijciam,ne ulterius iniustitiæ nos & impietatis accuset:quippe cum abs te quæ pia,quæ sancta,quæ'ue contraria sunt ad suffi

Definitio sancti incipit apparere

cientiam didicerimus.EVT.Iusti igitur partem ô Socrates sanctũ & pium esse reor, quæ scilicet circa deorum curam uersatur:Eam uero quæ ad hominũ curam pertinet, reliquã esse iustitiæ partem.SOC.Probe ô Euthyphro dicere mihi uideris,sed paulum quid præterea requiro. Curam enim quam uoces,nondũ intelligo.Neq; fortè dicis hanc curam talem esse,quales curæ sunt quæ ad alia spectant. Vt ecce cum dicimus: Non quiuis equos curare nouit,sed equester:an non?EVT.Prorsus. SOC. Equestris namq; facultas equorum cura est.EVT.Vtiq;.SOC.Et uenatoria canum, & bucolica boum.EVT. Omnino.

Omnis cura eò tendit, ut bonũ & utile eiquod curatur afferat

SOC.Sanctitas autem ac pietas cura deorum:sic ne ô Euthyphro asseris?EVTH.Assero. SOC.An nõ cura omnis idem intendit,ut hoc huiusmodi bono & utilitati sit ei quod curatur?ut equi ab equestri diligentia iuuãtur,ac meliores euadũt.An nõ sic uidet?EVT.

Mihi

Mihi plane. SOC. Et canes à uenatorũ peritia, & à bucolica boues, ac reliqua cuncta ſimiliter. Aut uero in damnũ eius quod curatur, curam tendere putas? EVT. Non per louem. SOC. Ad utilitatem uero? EVT. Quid ni? SOC. Sanctitas quoq; cum deorũ cura ſit, diſs ne prodeſt? ac meliores efficit? ac cur non hoc tu quidem cõcederes, ut cum ſanctũ quippiam peragas deorũ aliquem facias meliorem? EVT. Nunquam per louem. SOC. Neq; ego ô Euthyphro id te dicere arbitror: lõge enim à me ſuſpicio hæc abeſt: propterea tero gaui qualem nam curam deorum diceres, nõ exiſtimans huiuſmodi quandam te dicere. EVT. Et recte quidem ô Socrates, non enim talem aſſero. SOC. Eſto, ſed quænam tandẽ eorum cura ſanctitas erit? EVT. Qua ô Socrates ſerui dominos curant. SOC. Intelligo: miniſtra quædam deorum ut uidetur, cura hæc erit. EVT. Prorſus. SOC. Potes' ne dicere, ad quid ſuppeditet medicis cura medicorum miniſtra? nónne ad ſanitatem? EVT. Ad hanc ipſam. SOC. Miniſtra uero facultas eorum qui naues conſtruunt, ad quid illis miniſtrat? EVT. Ad nauis fabricam. SOC. Et quæ domorum ædificatoribus, nónne ad domus conſtructionem? EVT. Imò. SOC. Dic itaq; mihi uir optime, cura illa miniſtra deorum, ad cuius operis effectionem diſs obſequitur? perſpicuũ eſt te ſcire, cũ diuina te noſſe præ cæteris omnibus affirmaris. EVT. Et uera loquor ô Socrates. SOC. Dic ergo per louem quid eſt mirificum hoc opus, quod diſ nobis miniſtrantibus faciunt? EVT. Multa profecto ac pulchra ô Socrates. SOC. Exercitus quoq; duces multa & pulchra efficiunt ô amice: uerumtamen præcipuũ diceres opus illorũ eſſe in prælio ſuperare, an nõ? EVT. Quid ni? SO. Multa præterea atq; pulchra ut arbitror, agricultores: ſumma tamen illorum eſt ex terra alimenta colligere, EVT. Prorſus. SO. Multorũ uero, pulchrorumq; facinorum quæ diſ perficiunt, quænam ſumma exiſtit? EVT. Etiam paulo ante dixi ô Socrates, proli xi operis eſſe hæc omnia perfecte comprehendere. Sic autem nunc tibi ſimpliciter dico, quod ſi quis grata diſs loqui & agere nouit, uouens, atq; ſacrificans, hæc ſancta ſunt: atq; hæc officia, tum domos proprias, tum ciuitates conſeruant. Contraria uero impia ſunt, & uniuerſa peruertũt ac perdunt. SO. Paucioribus admodũ ô Euthyphro ſi uoluiſſes, ſummam eorum quæ rogabam explicuiſſes, ſed ſatis apparet, q; nõ promptus & libẽs ad me docendum accedas: & nunc utiq; cum in hoc eſſes, reſiliebas: quod ſi reſpondiſſes, fortaſſis dudum ſanctitatem abs te didiciſſem: nunc autem (neceſſe eſt enim interrogantem interrogatum ſequi quacunq; ducit) quid tandem dicis ſanctum eſſe, atq; ſanctitatẽ? nónne ſcientiam quandam uouendi, atq; ſacrificãdi? EVT. Equidem. SOC. Nónne ſacrificare eſt munera diſs offerre? Vouere autẽ à diſs petere? EVT. Et maxime quidem ô Socrates. SOC. Sciẽtia ergo & diſs dandi, & ab iſs petendi hoc quidem pacto ſanctitas erit. EVT. Perpulchre ô Socrates quod dicebam intellexiſti. SOC. Auidus ſum ô amice ſapientiæ tuæ mẽtemq; adhibeo, nec excidere quicquam patiar fruſtra. At mihi dicas oro, quænam hæc eſt miniſtratio erga deos? An eſſe dicis ab iſs petere aliquid, & iſs dare? EVT. Certe. SOC. Recte ab illis petere, nónne eſt ea petere quibus egemus? EVT. Quid ergo? SOC. Recte autem dare, ea quibus indigent illis offerre? Neq; enim ſcitũ eſſet ea alicui quibus nõ indiget elargiri. EVT. Vera narras ô Socrates. SOC. Mercatura, igitur ô Euthyphro inter deos & homines mutua quædam ſanctitas erit. EVT. Mercatura, ſi ſic nominari lubet. SOC. At nihil mihi placet, niſi ſit uerum. Dic ergo, quænam diſs ex muneribus noſtris utilitas. Nam quæ ipſi dent, nemo eſt qui ignoret. Nihil enim nobis eſt bonũ quin illi præbeant: quæ uero à nobis accipiunt, quid illis cõferunt? An tanto ipſis in hac mercatura præſtamus, ut cum nos omnia ab illis bona ſuſcipiamus, ipſi nihil à nobis boni reportent? EVT. Num opinaris ô Socrates deos iſs quæ à nobis accipiũt, aliqua ex parte iuuari? SOC. At quid tandem erũt hæc noſtra dona diſs oblata? EVTH. Quid putas aliud q; honorem, uenerationem, & ut modo dixeram gratiam. SOCR. Eſt igitur ô Euthyphro placitum modo diſs ſanctum non autem utile, aut amicum? EVT. Reor equidem maxime omniũ amicum. SOC. Igitur ſanctũ rurſus ut uideo eſt, quod ſit diſs amicũ? EVT. Maxime. SOC. An eſt mirũ igit cũ hæc dicas, quod rationes tibi nequaquã cõſiſtunt, ſed uacillare potius uident, ac me ueluti Dædalũ culpas, quod eas nutare compellam: cũ tamẽ ipſe longe admodũ artificioſior ſis q; Dædalus, dum ipſe facis ut ſermones in circulũ reuoluant. An nõ ſentis orationẽ rurſus in idem refluere? Meminiſti in ſuperioribus ſanctũ & dilectũ deo haud eadẽ, ſed diuerſa inuicẽ apparuiſſe? EVT. Memini. SO. Nũc uero nequaquam

Præcipuum ducum opus

Præcipuum opus agricolarum

Definitio alia ſancti

Sacrificare quid Vouere quid

nequaquam animaduertis te ſanctum deo amicũ dicere: hoc autem nihil aliud eſt quàm deo dilectum. An non? EVT. Omnino. SOC. Ergo aut tunc non recte conceſſimus: aut ſi recte tunc, modo non recte iudicaremus. EVT. Videtur. SOCR. Igitur à principio rurſus quid ſanctum ſit examinandum eſt. Nam ego anteq; diſcam, uolens ac libens adſtare ne quaquam uerebor: ſed ne me contemnas, imò mentem penitus adhibens quammaxime nunc exprime ueritatem. Noſti enim ſi quis hominum alius. Neq; dimittendus es quemadmodum Proteus priuſquam dixeris. Nam niſi liquido ſanctum ac prophanũ nouiſſes, nunquam mercenarij cuiuſdam gratia, uirum ſenem & patrem ut reum mortis perſequi ſtatuiſſes, ſed deos timuiſſes ne forte minus id recte aggredereris, atq; hominum conſpectum ueritus eſſes. nunc autem noui quod ſanctum & prophanum noſſe plane opinaris. Dic igitur optime Eutyphro, neque nos celes quid quid ipſum eſſe putes. EVT. Aliàs ô Socrates, nunc iam aliò propero: hora enim eſt ut abeam. SOC. Quid agis amice? Magna de ſpe me nunc abiens deieciſti, qua ſperabam abs te quid ſanctũ, quid non ſanctum diſcere, atq; ita Meliti accuſationem euadere, oſtendens illi quod ab Eutyphrone diuinorum ſapientiam adeptus fuerim, neq; ulterius ex mea rudiq; ſententia nouum aliquid de diuinis inducturus ſim, ſed reliquum omne tempus rectius ſim uicturus.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN PARMENIDEM, *uel De uno rerum omnium principio, uel De ideis.*

CVM Plato per omnes eius dialogos totius ſapientiæ ſemina ſparſerit, in libris De repub. cuncta moralis philoſophiæ inſtituta collegit, omnem naturaliũ rerum ſcientiam in Timæo, uniuerſam in Parmenide complexus eſt theologiã: cumq; in alijs longo interuallo cæteros philoſophos anteceſſerit, in hoc tandẽ ſeipſum ſuperaſſe uidetur, & ex diuinæ mentis adytis intimoq; philoſophiæ ſacrario cœleſte hoc opus diuinitus deprompſiſſe. Ad cuius ſacram lectionem quiſquis accedet, prius ſobrietate animi mẽtisq; libertate ſe præparet quàm attrectare myſteria cœleſtis operis audeat. Hic enim diuus Plato de ipſo uno ſubtiliſsime diſputat: quemadmodũ ipſum unum rerũ omnium principiũ eſt, ſuper omnia, omniaq; ab illo. Quo pacto ipſum extra omnia ſit, & in omnibus, omniaq; ex illo, per illud, atq; ad illud. Ad huius quod ſuper eſſentiã eſt, unius intelligentiam gradatim aſcendit. Vnum quippe in triplici ordine reperitur. In ijs quæ fluunt, atq; ſenſib. ſubijciuntur, & ſenſibilia nominãtur. In ijs etiam quæ ſemper eadem ſunt, & intelligibilia nuncupantur, non ſenſibus amplius, ſed ſola mente percipienda. Nec in ijs tantum, uerumetiam ſupra ſenſum & ſenſibilia, intellectumq; & intelligibilia ipſum unum exiſtit. Quamobrem hoc in dialogo Zeno Eleates primo Parmenidis Pythagorici diſcipulus unum eſſe in ſenſibilibus probat, oſtendens quod ſi hæc multa eſſent, nullo modo unius natura participantia, errores plurimi ſequerentur. Deinde Socrates Zenoni non repugnans quidem, ſed eum altius eleuans, ad conſiderationem unius & unitatum quæ in rebus intelligibilibus inſunt, perducit, ne in hoc uno quod ſenſibilibus ineſt, moretur. Ex hoc igitur ad Ideas inueſtigandas perueniunt, in quibus rerum unitates conſiſtunt. Poſtremo Parmenides ipſe ſenior haudquaquã Socrati contradicens, ſed inchoatã contemplationẽ eius abſoluens, integram idearum explicat rationem. Vbi quatuor de ideis quæſtiones inducit. Primo utrũ ſint. Secundo quorũ ideæ ſint, & quorũ minime. Tertio quales ſint, quamue uim habeãt. Quarto quomodo ab ijs quæ infra ſe ſunt, participãtur. Hinc iam ad unũ quod ſuper intelligibilia & ideas exiſtit, aſcendit ipſe: nouemq; de illo ſuppoſitiones adducit, quinq; ſi unũ ſit, quatuor, ſi nõ ſit unũ, quærens quid utrinq; ſequatur. Hæ uero ſuppoſitiones à triplici unius, & duplici ipſius non eſſe partitione ducuntur. Vnũ quippe triplex ſuper eſſe, in eſſe, poſt eſſe repertũ. Ipſum uero nõ eſſe geminæ cõſiderationi ſubijcitur. Aut enim nullo modo eſſe, aut partim eſſe, partim non eſſe quis cogitat. Prima itaq; ſuppoſitio tractat, ſi unum ſuper eſſe exiſtit, quid circa illud ad ipſum, & ad alia ſequitur. Secunda, ſi unũ cum eſſe eſt, quomodo ſe habet ad ſeipſum atq; ad alia. Tertia, ſi unũ ſub eſſe ponitur, quid illi ad ſeipſum aliaq; cõtingit. Quarta, ſi unum ſuper eſſe cõſiſtit, quomodo ſe habẽt alia & ad ſe & ad unum. Quinta, ſi eſt illud unum quod cum eſſe locatur, quid alijs ad ſe, & ad illud accidit. Sexta, ſi nõ eſt unum ita ut partim ſit, partim minime ſit, qua ſe ratione ad ſeſe & ad alia habeat. Septima, ſi nõ eſt unũ ita ut nullo modo ſit, quo pacto ſe habeat ad ſeipſum atq; ad alia. Octaua, ſi non eſt unum ita ut partim ſit, partim non ſit, quid alijs ad ſe, & ad illud eueniat. Nona, ſi non eſt unum, ita ut nullo modo ſit, quid alia ad ſeſe, & ad illud deniq; patiãtur. In ijs omnibus generatim intẽdit Parmenides potiſsimum hoc aſſerere, quod unum omnium principium ſit: eoq; poſito, ponantur omnia: ſublato autem interimantur. Itaq; in primis quinq; ſuppoſitionibus quinq; rerum gradus poſito uno in rerũ ordine tradit. In quatuor uero ſequentib. inquirit quot abſurda, quot errores quãtaq; mala ipſo uno ſublato ſequãtur. Prima ex quinq; ſuperiorib. de uno ſupremoq; Deo diſſerit, quomodo procreat diſponitq; deorũ ſequentiũ ordines. Secunda de ſingulis deorũ ordinibus

Nouẽ ſuppoſitiones de uno

Hic uidetur deficere una alia ſuppoſitio, quæ dicit, Si unũ ſubeſſe ponatur, quo modo ſe habeat ad alia, et ad ſe & ad unũ

ordinibus, quo pacto ab ipso deo proficiscuntur. Tertia de diuinis animis. Quarta de ijs, quæ circa materiã fiunt, quomodo à supernis causis producuntur. Quinta de materia prima, quemadmodum suapte natura specierum est expers, & à primo uno dependet. Illud insuper aduertendum est, quod in hoc dialogo cum dicitur unum, Pythagoræorum more quæq; substantia à materia penitus absoluta significari potest, ut deus, mens, anima. Cum uero dicitur aliud & alia, tam materia, quàm illa quæ in materiam fiunt, intelligere licet. His ergo præmissis atq; seruatis, ad ipsum dialogum ueniamus.

Vnum
Aliud & alia

PARMENIDES, VEL DE VNO RERVM OMNIVM PRINCIPIO, ET DE IDEIS.

CEPHALVS, ADIMANTVS, ANTIPHO, GLAVCO, PYTHODORVS, SOCRATES, ZENO, PARMENIDES.

VM domo è Clazomenis Athenas profecti essemus, iuxta forum Adimantum & Glauconem offendimus. Et manum meam prehendens Adimantus, Salue, inquit, ô Cephale, & si quo indiges quod nostræ facultatis sit dic. At ego, inquam, ad id ueni, quia uestra opera indigebo. Expone, inquit, quid sit quo indiges. Tum ego, Fratri uestro germano quod nomen erat? non enim memini. Erat enim fermè puer, quando primũ huc è Clazomenis accessi. longum uero intercessit temporis interuallum. Patri tamen eius Pyrilampes nomen fuisse arbitror. Prorsus, inquit, ipsi uero nomen Antipho. sed quid potissimum quæris. Hi, inquam, conciues mei ardentes sunt sapientiæ amatores, audieruntq; hunc Antiphonem diu Pythodoro Zenonis socio familiariter usum, rationes quas quondam Socrates, Zeno, atq; Parmenides inuicem pertractarũt, cum à Pythodoro frequentius accepisset, memoria retinere. Vera, inquit, dicis. Has itaque audire desideramus. Haud difficile est, inquit, nam dum esset adolescentulus, eas diligenter meditabatur. Nunc uero apud auum, cui idem est nomen, circa rem equestrem ut plurimum uersatur. Cæterum, si opus est, ad eum proficiscamur. modo enim hinc domum abijt. habitat autem prope in Melita. Cum hæc dicta fuissent, accessimus, domiq; inuenimus Antiphonem frenum quoddam aptandum fabro tradentem. Postquam uero ad illo discessit, & fratres aduentus nostri causam retulerunt: agnouit me quod prius illuc accessissem, & complexum me salutauit. Nobis autem orantibus, ut disputationem illam referret, primo quidem recusabat. esse enim operæ non mediocris. deinde tamen exposuit. Dicebat ergo Antipho, Pythodorum narrasse, Zenonem atq; Parmenidem uenisse quondam ad magnorum Panathenæorum celebritatem, & Parmenidem iam senem atq; canum, aspectu decorum fuisse, annos fermè quinq; & sexaginta ætatis agentem: Zenonẽ uero annos penè quadraginta natum, procero insuper, & grato corporis habitu: dicebatur autẽ in delicijs Parmenidi esse. Diuertisse uero apud Pythodorum extra mœnia, in Ceramico, ac eódem aduẽtasse Socratem, aliosq; cum Socrate plurimos scripta Zenonis audire cupientes: tunc enim primum ab illis aduecta. Socratem uero eo tempore admodum iuuenem extitisse. legisse autem illis Zenonem ipsum. Parmenidem enim forte extra domum fuisse. Ac parum superfuisse legendum Pythodorus aiebat, cum intrasset domum ipse unà cum Parmenide & Aristotele, qui de triginta uiris unus fuit. Itaq; pauca quæ legenda restabant, audisse: Veruntamen à Zenone prius omnia percepisse.

Occasio dialogi

SOCRATEM igitur, cum ea audiuisset, primam primi sermonis hypothesim relegere iussisse: ac ea lecta, sic intulisse. Quomodo id dicis, ô Zeno, si multa sunt quæ sunt, oportere ea similia, atq; dissimilia esse. est enim impossibile. Neq; enim uel dissimilia similia, uel similia dissimilia esse possunt. Nónne sic dicis? Sic certe, respondisse Zenonem. Nónne si impossibile est, dissimilia similia, aut similia dissimilia esse, impossibile est etiam multa esse? Nam si multa essent, impossibile quiddam eis accidat, Num hoc sermones tui uolũt? neq; aliud quicquã intendunt: quàm per omnia asserere non esse multa, huiusq; ipsius unam quãq; rationem coniecturam esse putas, ac totidem coniecturas attulisse te censes, quot rationes attulisti quòd multa non sint? Sicne dicis? An ipse non recte percipio? Immo respondisse Zeno-

nem, optime quid hæc ſcripta ſentiant, intellexiſti. Intelligo dixiſſe Socratem ô Parmenides, quod Zeno hic non amicitia ſolum conſpirare uult tecum, ſed ijs etiam quæ compoſuit. Idem enim quodammodo quod & tu ſcripſit: uerum permutatione quadam nos decipere tentat, quaſi aliud quàm tu dicat. Nam tu in poematibus unum uis eſſe hoc totum quod eſt, atq; huius argumenta quàm pulcherrima exhibes. Hic uero multa eſſe negat, coniecturas & ipſe permultas ac ualidas præbens. Dum ergo alter unũ dicit, alter nõ multa, & eum in modum uterq; loquitur, ut non uideantur idem inferre, cum tamen eadem fermè dicãt, uidentur nobis iſta ſupra nos dici. Ita eſt ô Socrates, dixiſſe Zenonem. non omnino tamen rem tenes, quamuis ceu canes Lacenæ bene inſequeris & ueſtigas dicta. Primum enim hoc te fallit, quod ſe tollant idcirco ſcripta, ut ſi, quod tu putas, cæteri conſequi non poſſint, magnum quiddam ſit nobis cõfectum. Sed quod quæſitum tu putas, ultro ſic euenit. Sunt enim hæc reuera cõſcripta in ſuffragium Parmenidis, aduerſus eos qui illum carpere nituntur, dicentes: ſi quidem unum ſit omne, ridicula plurima huic opinioni, ac etiam ſibi penitus repugnantia euẽtura. Oppugnat igitur eos ſcriptum hoc qui multa eſſe uolunt, ac plura uiciſsim obijcit, ut pateat multo abſurdiora ex opinione illorum ſequi, quod ſcilicet multa ſint, quàm ex opinione Parmenidis quod ſit unum, ſi quis diligenter examinarit. Ob hanc itaq; contentionem in ipſa iuuentute librum compoſui, quem ſurripiens quiſpiam edidit antequam conſultare mihi liceret an ædendus eſſet in lucem nec ne. Id ergo te fugit ô Socrates, quod exiſtimas non iuueníli contentione, ſed ſenili ambitione ſcriptam fuiſſe. Veruntamen, ut dixi, non inepte coniecíſti. Accipio, inquit Socrates, & puto ſic ſe, ut dicis, habere.

DE IDEIS QVAEDAM

SED hoc mihi reſpõde, putas ne eſſe per ſe ſpeciem quandam ſimilitudinis? & huic aliam quandam contrariam diſſimilitudinis ſpeciem? in quibus duabus & ego & tu participemus, & alia quæ utiq; multa uocamus? atq; ea quæ cunq; in ſimilitudine participant ſimilia fieri eatenus quatenus participant? quæ uero diſsimilitudine diſsimilia, & quæ utriſq; utraq;? Quod ſi omnia utriſq; contrarijs exiſtentibus participant, in eo quod utroq; participant, ſimilia & diſſimilia inter ſe ſunt, quid mirum? Si quis enim ipſa ſimilia diſſimilia eſſe diceret, uel diſsimilia ipſa ſimilia, monſtrum quoddam, ut arbitror diceret. Sin autem participantia in utriſq; quiſpiam utraq; pati aſſereret, nihil mihi ô Zenon mirandum eſſe uideretur. Neq; etiam id mirarer, ſi quis cuncta unum diceret ex eo quod in uno participant, atq; hæc eadẽ rurſus multa, quia multitudine quoq; participant. At ſi quod ipſum unũ eſt, hoc ipſum multa eſſe oſtenderit, & ipſa multa unum, iam ſummopere admirabor. Ac de cæteris omnibus eodem modo. Nam ſi genera ipſa, & ſpecies in ſeipſis iſta contraria recipere dicat, ad miratione profecto dignum erit. Etenim ſi quis me unum ac multa eſſe demonſtret, nihil mirum, ſiquidem uolens multa me aſſerere, dixerit alia eſſe dextera mea, ſiniſtra alia, alia anteriora, alia poſteriora, & ſuperiora deniq; ac inferiora ſimiliter: multitudinis quippe, ut arbitror, particeps ipſe ſum: unum uero me oſtendere uolens, dixerit, quod è nobis qui ſeptem ſumus, ego unus homo ſim, unius particeps, ſimiliter nihil mirum. Quamobrem uera utraq; affirmantur. Si ergo quiſpiam talia conetur unũ & multa eadem demonſtrare, lapides uidelicet, ac ligna, & reliqua huiuſcemodi, unum & multa ipſum oſtendiſſe fatebimur, non tamen unum multa, neq; multa unum, neq; mirabile quippiam dixiſſe, ſed quod omnes confiteremur. At ſi quis eorum quæ paulo ante dixi, primũ quidem ſpecies ipſas ſecũdum ſeipſas ſeorſum diſtingueret, ueluti ſimilitudinem, diſſimilitudinem, multitudinem, unum, ſtatum, motum, cæteraq; huiuſmodi, deinde in ſeipſis iſta commiſceri ſecerniq; poſſe aſſereret, obſtupeſcerem equidem ô Zenon. Et ſi ea quæ ſcripſiſti, ut uirum fortem decet, pertractata eſſe reor, multo tamen magis mirarer atque lætarer, ſi quis poſſet hanc eandem quæſtionem in ipſis ſpeciebus penitus implicitam quemadmodum in rebus quæ uidentur expoſitum eſt, ita & in ijs quæ ratione comprehenduntur, clarius explicare. Dum hæc Socrates diceret, aiebat Pythodorus ſe putaſſe Parmenidem & Zenonem in ſingulis eſſe aduerſus Socratem indignatos, eos autem ſumma quadam attentione auſcultaſſe, ac frequenter alterutrum reſpicientes ſubriſiſſe, quaſi Socratem admirantes. Vnde cum finem Socrates loquendi feciſſet, dixiſſe Parmenidem.

O So-

O Socrates, quàm dignus es admiratione propter impetum illum disputandi.

VERVM mihi dicas oro. Tu ita, ut dicis, seorsum quidem ipsas species discreuisti, seorsum etiam speciebus participantia, uideturq; tibi quiddam esse ipsa seorsum similitudo, cuius & nos participes sumus, & quiddam seorsim unum, quiddam seorsim multa, & omnia quæcunque nuper à Zenone audisti. Mihi quidem uidetur, Socratem respondisse. Num talia quædam inquis, rogasse Parmenidem, ceu iusti speciem quandam ipsam per seipsam, & pulchri, & boni, atque omnium denique talium? Prorsus. Nunquid speciem hominis seorsum à nobis, & cæteris eiusdem generis, & ignis etiam, & aquæ speciem? Sæpenumero, inquit Socrates, in hac sum ambiguitate uersatus, utrum de ijs perinde ut de superioribus dicendum sit, an secus. Vtrum de ijs etiam dubitasti, ô Socrates, quæ ridicula fortè quis putet, sicut de pilis, lutóue, & macula, & alijs ignobilissimis rebus atque uilissimis? num ambigis utrum ponenda sit horum cuiusque separata species, aliud quiddam ab illis existens, quæ nos pertractamus, an non? Nullo pacto, inquit Socrates: sed quæ uidemus hæc & sunt, speciem uero quandam illorum esse putare, fortè nimis ridiculum esset. Aliquando tamen hæc me cogitatio perturbauit, ne quid fortè sit in omnibus idem: sed ubi paulisper institi, inde rursus discessi, metuens ne in nugas nullis unquam uerbis explicandas mersus perirem. Vnde reuersus ad ea quæ species habere prædiximus, circa illa iam uersor. Iuuenis adhuc es, ô Socrates, necdum te Philosophia complexa est. Amplectetur autem, ut mea fert opinio, quando nihil istorum neglexeris, nunc uero ad opiniones hominum ob ætatem respicis.

HOC igitur mihi dic. Videntur ne tibi, ut aiebas, species quædam existere, & ea quæ illis participant, illarum cognomenta sortiri? ueluti similitudine participantia similia, magnitudine magna, pulchritudine atq; iustitia, pulchra & iusta uocari? Et maxime quidē, inquit Socrates. Nónne quodcūq; speciei particeps fit, uel totam speciē, uel partē participat? An est alius præter istos participandi modos? Et quis alius? Socrates ait. Vtrum uidetur tibi tota species in unoquoq; multorum esse una existens? an aliter? Quid prohibet esse unam? Vnum ergo & idem in multis seorsum positis totum simul unum erit, atq; ita ipsum à seipso seorsum existet. Nequaquam, inquit Socrates. Verum sicut dies unus denique ubiq; semel adest, nec ipse tamen à seipso secernitur, ita nil prohibet quamlibet speciem unam & eandem simul multis adesse, nec tamē à seipsa secerni. Belle ô Socrates unum idem simul in multis ostendis, ac si multos homines uelo tegens, dicas unum in multis totum esse. nónne tale quiddam dicis? Forsitan. An ergo totum uelamen singulis, uel pars eius alia alteri aderit? Pars. Diuisibiles igitur, inquit, ô Socrates, species erunt, & quæ illis participant, partem capient, nec amplius in quolibet tota, sed pars cuiusq; unum erit. Sic appareret. Quid igitur, nunquid dices unam speciem reuera & diuidi, & unam esse? Nullo modo. Considera itaque, si ipsam magnitudinem partiaris, & unumquodq; plurium magnorum parte magnitudinis minore quàm ipsa sit, magnum erit, nónne procul à ratione uidebitur? Prorsus. Quid uero, ipsius æqualis parte unumquodq; paruum participans, habebit quo minore existente quàm ipsum æquale, id quod habet æquale alicui sit? Impossibile. Sed & aliquis nostrum ipsius parui partem habebit, qua ipsum paruum maius est, quippe cum ea pars ipsius existat, atq; ita ipsum paruum maius erit. id autem cui ablata pars adijcitur, minus erit, & nihilo maius quàm antea fuerit. Istud inquit fieri non posse. Quo igitur modo, ô Socrates ait, cætera speciebus participabunt, cum nec secundum totas, neq; secundum partes participare queant. Per Iouem non leue quiddam hoc ad determinandum mihi quidem uidetur. Ad illud autem quid ais? Quodnam? Reor te idcirco quamlibet speciem putare unam, quia cum plura quædam magna abs te uidentur, una quædam forsan idea tibi uidetur omnia perspiciēti, unde ipsum magnum unum esse putas. Vera dicis. Quid si ipsum magnum atque alia quæ magna sunt animo, eodem modo consideres per omnia? nónne unum quiddam magnum iterum apparebit, quo hęc omnia magna uideri necesse est? Apparet. Idcirco alia iam magnitudinis species præter ipsam magnitudinem, & participantia magnitudine, iterum elucebit, & in ijs omnibus alia rursus, qua uniuersa sint magna, nec amplius unaquæq; species una erit, sed numero

potius infinitæ. At forsitan, inquit Socrates, quælibet harũ specierum notio quædam est, nec alibi esse q̃ in animis potest. sic enim unaquæq; una erit, nec contingent quæ tu dicebas. Quid ergo? inquit. quælibet notio una est? notio autẽ nullius notio? At hoc impossibile. Sed cuiusdam? Cuiusdam sanè. Existentis uel nõ existentis? Existentis. Num unius cuiusdam, quod notio illa in omnibus sequens intelligit, ideam unam? Prorsus. Præterea nónne species erit, hoc quod intelligit̃ unum esse, semper in omnibus eadem? Necessarium hoc quoq; uidetur. Quid uero? inquit Parmenides, an nõ necesse est, cũ cætera speciebus participent, ex notionibus unũquodq; constare, & intelligere singula? uel cũ sint notiones, nihil tamen intelligere? Sed neq; id, inquit, rationem habet, uerum q̃ maxime sic ista mihi se habere uidentur, has quidem species tamquam exemplaria in natura consistere, cætera uero ijs similia fieri, atq; esse simulacra, nec aliter ista specieb. participare, q̃ quod illis similia fiunt. Si quid igitur, ut ais, speciei simile est, nũ possibile est speciẽ ipsam non esse similem eius quod ipsi simile factum est, quatenus ipsi factum est simile? An cogitari potest simile non esse simili simile? Nõ certe. Simile autem nónne eiusdem speciei necessario particeps est, cuius & illud cui simile sit? Necesse est. At quo similia participantia similia fiunt, nónne illud ipsa species erit? Omnino. Non igitur potest quicquam speciei simile esse, nec species alteri. Nam præter ipsam speciem, species alia semper emergeret: quod si illa cuiquã sit similis, alia rursus, nec unquam progressus iste cessabit, quin noua species semper occurret, si species participanti similis sit. Verissima loqueris. Non ergo per similitudinem cætera speciebus participant, sed alius quidam prẽterea quærendus est participandi modus. Apparet. Cernis ô Socrates quanta sequitur ambiguitas, si quis species quæ species sunt, ipsas secundum se distinguat? Et maxime, inquit. Scito insuper te nondum, ut ita dixerim, comprehendere, quanta sit difficultas, si unamquãq; rerũ speciem segregatam ab alijs ponas. Quomodo id, inquit? Multa quidẽ alia sunt: sed hoc est maximum: quia si quis illas neq; nosci oportere contendat, cum sint tales quales esse debere species dicimus, eum sanè qui ista dicat, nemo possit redarguere, nisi multarum rerum peritus & ingeniosus sit, qui isthuc contendat, paratusq; prætera sequi demonstrantem, & plurima longa ambage inferentem. persuaderi autem non poterit, qui ignotas illas esse contendat. Cur, ô Parmenides, ait Socrates. Quoniam ô Socrates & te arbitror, & quemuis alium quicunq; essentiam quandam ipsam secundum se existentẽ ponit, eam in nobis esse non fore concessurum. Quo enim pacto, inquit Socrates, ipsa secundum se ipsam esset? Recte loqueris. Nónne igitur quotcunq; ex ideis inuicẽ respiciunt quę sunt, ipsæ ad seipsas essentiam habent, non autem ad ea quæ circa nos sunt, seu simulacra, siue quomodocunq; illa quispiam nominet, quibus nos participantes singula esse denominamur? Quæ uero circa nos sunt illis ęquiuoca, ipsa similiter ad seipsa non ad species sunt, & sui ipsorum non illarum quæcunq; rursus similiter nuncupantur. Quomodo dicis? inquit Socrates. Veluti si quis nostrum alicuius dominus aut seruus sit, non ipsius domini quod dominus est, seruus existit, neq; ipsius serui quod seruus est, dominus est qui dominus dicitur: sed hæc utraq; est tanquam homo. Ipsa uero dominatio seruitutis ipsius existit id quod est, & ipsa iterum seruitus eodem modo ipsius dominationis est seruitus: nec ea quæ nobis insunt ad illa, nec etiam quæ illic sunt, ad nos referuntur: sed, ut dixi, ipsa sui ipsorum & ad seipsa sunt, & quæ hic sunt similiter ad seipsa respiciunt. Intelligis ne quod dico? Prorsus intelligo. Nónne & scientia ipsa quod scientia est, illius ipsius quod est ueritas, scientia est? Omnino quidem. Quælibet rursus scientiarum quæ est quod est, alicuius existentium est scientia, an non? Profecto. Scientia uero nostra, nónne ueritatis quæ circa nos, scientia erit? Et rursus, unaquæq; nostra scientia, uniuscuiusq; eorũ quæ circa nos sunt scientia? Necesse est. Veruntamen ipsas species neq; nos habere, neq; circa nos esse posse assentiris? Non profecto. Nunquid scientiæ specie genera singula noscunt? Certe. Quam speciem nos haud habemus. Non certe. Nulla igitur species à nobis cognoscitur, cum ipsius scientiæ participes minime simus. Non apparet. Ignotum itaque nobis ipsum pulchrum, & ipsum bonum est, & omnia denique quæ ut ideas esse supponimus. Videtur. Considera & hoc etiam grauius. Quidnam? Num fateris si est ipsum quiddam scientiæ genus, multo id præstantius futurum hac nostra scientia, & ipsam pulchritudinem ac reliqua eodem pacto. Immo. Nónne si quid aliud est ipsius scientiæ particeps, nullum

Ipsum pulchrum & ipsũ bonum nobis ignotũ

nullum niſi deum dices ſupremam habere ſcientiam? Neceſſe eſt. Num poterit deus cum ipſam ſcientiam ſit amplexus, hæc noſtra dignoſcere? Cur non? Quoniam, inquit Parmenides, confeſſi ſumus, ô Socrates, neque ſpecies illas ad noſtra uim habere quam habent, neque noſtra etiam ad ſuperna, uerum utraq; ad ſeipſa referri. Conſenſimus plane. Ergo ſi apud deum ſuprema ipſa dominatio eſt, atque ipſa ſuprema ſcientia, nunquam aut dominatio ipſa nobis dominabitur, aut ipſa ſcientia nos, uel aliud noſtrorum quicquam cognoſcet: ſed & nos ſimiliter diſs minime imperabimus imperio noſtro, neque diuinum quicquam ſcientia noſtra percipiemus. Et illi item eadem ratione nec noſtri erunt domini, neque res humanas cum dij ſint, animaduertent. At nónne ualde mirabilis, inquit, hic ſermo uidebitur, ſi quis deum cognitione priuauerit. Hæc quidem, ô Socrates, inquit Parmenides, aliaq; præter hæc multa neceſſe eſt ſpeciebus contingere, ſi quidem hæ rerum ideæ ſint, & aliquis unamquanque harum, cum ex ſe ſit, ab alijs ſeparet. Vnde uacillat quiſquis hæc audit, ac dubitat, ne forte ideæ nihil ſint omnino: uel ſi ſint, neceſſe ſit eas humanæ naturæ ignotas eſſe, adeo ut qui hæc dicit, cum dixiſſe aliquid uideatur, mox illud ut paulo ante patebat, mirum & incredibile uideri. & uiri admodum ingenioſi eſſe, percipere poſſe quodnam ſit ipſum per ſe cuiuſque genus, & ipſa ſecundum ſe eſſentia cuiuſque. necnon mirabilioris uiri officium eſſe hæc poſtquam inuenerit, alios docere poſſe, ſufficienter omnia diſcernentem. Aſſentior ô Parmenides, inquit Socrates: quæ enim dicis, menti meæ mirifice conſonant. Veruntamen, inquit Parmenides, ſi quis prædictis rationibus motus ſpecies rerum exiſtentium auferat, neque ſpeciem ipſam uniuſcuiuſque diſtinguat, haud ſanè reperiet quò conuertat intelligentiam, cum non permiſerit ideam uniuſcuiuſque rerum exiſtentium eandem ſemper exiſtere, & in hunc modum diſſerendi etiam facultatem funditus ſubuertet. Talem quandam rationem tu quoque præcipue ſenſiſſe mihi uideris. Vera dicis. Quid itaque de philoſophia facies? quò his ignoratis te uertes. Haudquaquam diſcernere id in præſentia uideor. Priuſquam te exercitaris ô Socrates, definire aggrederis quid pulchrum, iuſtum, bonum, & aliarum quælibet ſpecierum. hoc enim pridem animaduerti, hic te audiens unà cum hoc Ariſtotele diſputantem. Pulcher ſanè atque diuinus, mihi crede, impetus iſte tuus, qui ad rationes ſe fert. Cæterum collige teipſum, diligentiusq; te in ea facultate exerce, quæ inutilis eſſe uidetur multis, & quædam garrulitas nuncupatur, dum iuuenis es, alioquin te ueritas fugiet. Quis eſt igitur exercitationis huiuſce modus Parmenides? Iſte, inquit, quem à Zenone audiſti. Sed etiam illud tuum aduerſus hunc dictum miratus ſum, cum diceres non in ijs quæ oculis percipiuntur, eorúmque errore cogitationem ſiſtere oportere, ſed ad ea conſcendere, quæ quis maxime ratione comprehendere, ac uere eſſe putaret. Quia mihi uidetur, inquit, non eſſe arduum, hoc pacto ſimilia uidelicet, atque diſſimilia, cęteráue quæ rebus exiſtentibus competunt, explicare. Et probe quidem dixiſti. Eſt autem præter hoc, illud etiam obſeruandum, ut non modo ſi eſt aliquid ſupponas, ac deinde quæ proueniunt ex ſuppoſitione conſideres: uerumetiam ſi non ſit, ſupponas, ſi modo recte exercitari uelis. Quo pacto id ais? Verbi cauſa, ſi uelis circa iſtam ſuppoſitionem quam Zeno inuexit, ſi multa ſunt, quid euenturum eſt ipſis multis ad ſeipſa & ad unum, & uni ad ſeipſum & ad multa. At rurſus ſi non ſunt multa, iterum conſiderandum quid accidat uni atque multis, tum ad ſeipſa, tum inuicem. Et rurſus ſi ſuppoſuerit eſſe ſimilitudinem, uel non eſſe, quid potiſsimum ex utraque ſuppoſitione contingat, tam ijs quæ ſuppoſita ſunt, quàm cæteris omnibus ad ſeipſa pariter, atque inuicem. Eadem quoque de diſsimilitudine ratio eſt, de motu, ſtatu, generatione, corruptione, eſſe, atque non eſſe, & ut uno uerbo complectar, de quocunque ſupponitur aut eſſe aut non eſſe, ſiue quamuis aliam paſsionem ſuſcipere: conſideranda ſunt quæ ex ſuppoſitione proueniant ad ſe ipſum, & ad quodlibet aliorum quodcunque elegeris, & ad plura, & ad uniuerſa ſimiliter, & alia rurſus ad ſeipſa atque ad aliud quodcunq; aſſumpſeris, ſiue ut exiſtens, ſiue ut non exiſtens ipſum poſueris, ſi modo abſolute exercitatus ueritatem ſis penitus inſpecturus. Arduum, inquit, opus narras, nec te omnino intelligo. Quin tuipſe infers aliquid, illo ipſo modo percurrens, ut clarius intelligam? Grande ô Socrates, onus ſeni imponis. Tunc Socrates, cur non ipſe ô Zeno, hanc rem diſcutis? Cui Zeno ſubridens

respondit, Ipsum, ô Socrates, oremus Parmenidem, neq; enim leue quiddã est quod ait. An non uides quantum sit negocium quod iubet? Quid si plures essemus, haud sanè id postulare deceret. Indecorum nanq; huiusmodi quædam in conspectu multorum tractare, atq; id seni præcipue. Ignorant enim multi quod absq; hoc per omnia uelut discursu & errore impossibile sit mentis ueritati coniunctæ compotem fieri. Ego igitur ô Parmenides unà cum Socrate precor, ut & mihi etiam liceat tanto tempore transacto hęc audire. Cum uero hæc intulisset Zeno, aiebat Antipho dixisse Pythodorum, se quoq;, & Aristotelem, ac reliquos omnes obsecrauisse Parmenidem, ut quod dixerat, demonstraret, neq; aliter faceret. Tunc demum Parmenides, necesse est, inquit, obtemperare, & si mihi uideor in id quod passus est Ibycius equus, incidere. Cui & athletæ & seniori, curruum subituro certamen, & propter experientiam euentuum extimescenti, Ibycus ipse se conferens, inuitus, inquit, & ipse iam senex ad amores regredi cogor. Eadem ratione ego mihi admodum trepidare uideor, cum cogito quo pacto iam grandis natu tam profundũ disserendi pelagus transnatare queam. Obsequendũ tamen, cum & Zeno ipse roget: ijdem enim sumus. Vnde igitur incipiemus? quidue primum ponemus? An uultis postquam negocioſum ludum ingressi sumus, à me ipso meaq; positione in primis exordiar, de ipso uno, inquam, siue unum sit, siue non, quid accidat? Prorsus, inquit Zeno. Quis igitur mihi respondebit? An iunior? minus enim negocij præbebit: & quæ ipse sentit, maxime respondebit, ut eius responsio minus me defatiget. Paratus sum, ô Parmenides, Aristoteles inquit. me nanq; significas, dum iuniorem respondere iubes. Sed age, ut lubet, interroga me, tanquam libentissime responsurum.

Equus Ibycius

DE VNO

AGE igitur si unum est, non utiq; multa erit ipsum unum. Qui sit enim? Neque igitur partem esse illius aliquam, neque totum ipsum esse oportet. Cur nam? Pars utiq; totius pars est. Quid uero? Nonne totum est, cui nulla pars deest? Prorsus. Vtrinq; igitur ipsum unũ ex partibus esset, totumq; existẽs, ac partes habens. Necesse est. Vtrinq; rursus ipsum unum multa potius, q; unum esset. Verum. Oportet autem non multa, sed unum ipsum existere. Oportet sanè. Itaq; nec totum erit, neq; partes habebit, si unum fuerit ipsum unum. Nõ certe. Si nullam habet partem, nec principium etiam, neq; finem, neq; medium habebit. partes enim ipsius hæc essent. Probe. Quinetiam principium & finis, termini cuiuslibet sunt. Quid ni? Infinitum igitur ipsum unum, cum principio fineq; careat. Infinitum. Ergo & absq; figura: neq; enim rotundi, neq; recti particeps est. Cur? Rotundum porrò id est, cuius extrema undiq; à medio æque distant. Id nempe. Rectum uero cuius medium extremis utrisq; è regione est. Sic est. Nonne partes haberet ipsum unum, multaq; esset, si rectæ uel circularis figuræ esset particeps? Omnino quidem. Idcirco neq; rectum est, neq; rotundum, cum partes etiam nullas habeat. Recte. Quin etiam cum tale sit, nusquam est. nam neq; in alio, neq; in seipso esse potest. Quamobrem? Si in alio esset, circulo quodam ab eo in quo esset, cõcluderetur, passimq; ab illo, ac multis partibus tangeretur. At cum unum impartibile sit, & rotunditatis expers, impossibile est multifariã circulo tangi. Impossibile. Sin in seipso esset, ipsum seipsum cõplecteretur, non aliud quiddam quàm ipsummet existens: siquidem in semetipso sit. non enim potest quicquam in aliquo esse, quin ab illo etiam cõprehendatur. Impossibile certe. An non aliud quiddam esset ipsum ut comprehendens, aliud ut comprehensum? nunquam enim idem ipsum totum utraq; hæc simul pateretur & ageret. quo fit, ut ipsum unum, non unum ulterius, sed duo sit. Est ut dicis. Nusquam igitur est ipsum unum, quandoquidem nec in alio, nec in semetipso est. Nusquam. Considera, quæso, num quod huiusmodi est, aut stare, aut moueri possit. Quid ni possit? Quoniam quod mouetur, uel fertur, uel alteratur. hi quippe soli sunt motus. Esto. Si ipsum unum ex eo quod est alteretur, impossibile est iam esse unum. Impossibile. Idcirco secundum alterationem non mouetur. Non, ut apparet. Nunquid secundum progressionem? Fortassis. Atqui si ipsum unum feratur, uel in eodem motu spherico circumfertur, uel locum alium ex alio mutat. Necesse. Nonne quod circulo circumfertur, in medio

Prima suppositio, si unum sit, quę intelligẽda est si unum Nam uerbũ Est, apponitur gratia orationis

Rationes quib. pellitur idẽ esse in se

Latio & alteratio motus soli sunt

dio consistere oportet, atq; alias sui partes quæ circa medium uoluantur, habere? Cui uero nec medium, neq; pars ulla conuenit, quomodo id cogitari potest in circulũ circa medium uolui? Nullo pacto. An locum transiens, alias alibi fit, atque ita mouetur? Fortè. Num esse ipsum in aliquo, ut impossibile iam redargutum est? Est. An non multo magis impossibile ipsum in aliquo fieri? Nõ intelligo satis. Si in aliquo aliquid fit, necesse est nõ dum in illo penitus esse, si quidem adhuc in illo continue fiat: nec etiam extra illud prorsus extare, si quidem in eo iam fiat. Necesse est. Si ergo aliud quicquam hoc patitur, id solum patitur, cuius partes aliquæ sunt. partim enim in illo iam est, quod patitur, partim interim extra. quod autem nullis partibus constat, nunquam in aliquo totum esse, ac totum simul abesse poterit. Vera. Quod uero neq; partes habet ullas, neq; totum est, multo magis etiam impossibile est, siue secundum partes, siue secundum totum alicubi fieri. Appa ret. Ergo nec aliquo pergens, nec alicubi ingrediens locum mutat, neq; in eodem reuolutum, neq; etiam alteratum. Non uidetur. Secundum quemlibet igitur motum immobile est ipsum unum. Immobile. Præterea ipsum unum in nullo esse posse asseuerauimus. Asseuerauimus. Haud igitur aliquando in eodem est. Quamobrem? Quoniam iã in illo esset, in quo eodem est. Prorsus. At uero nec in seipso, neq; in alio ipsum unum esse poterat. Non certè. Nunquam igitur ipsum unum in eodem existit. Nunquam ut uidetur. Quod uero nunquam in eodem existit, neque quietem agit, neq; stat. Neque enim possibile est. Idcirco ipsum unum nec stare, neque moueri uidetur. Non apparet. Item nec alteri, neq; sibiipsi etiam idem est, rursusq; nec à seipso, nec ab alio quodam alterum. Quid ita? Si à seipso alterum sit, ab uno alterũ esset, nec esset unum. Vera. Et si alteri idem fuerit, illud quidem erit, nec ipsum quod est. quapropter nec ulterius erit ipsum quod unum, sed aliud quiddam præter unum. Sic est. Ideo idem alteri uel à semetipso alterũ dici nunquam debet. Nunquam planè. Sed neque alterum ab alio esse potest, donec unum est: neque enim uni congruit, ut ab aliquo alterum sit, sed soli ei quod alterum est ab alio. Alteri autem nulli conuenit. Probe. Ex eo igitur quod unum est, non erit alterum. An putas? Nequaquam. Quod nisi hoc, non seipso: si non seipso, neq; ipsum. Ipsum uero nullo modo alterum existens à nullo alterum est. Recte. Neque sibiipsi idem erit. Cur non? Non ea est ipsius unius natura, quæ ipsius eiusdem natura est. Quare? Quia nondum quum idem fit aliquid alicui, unum efficitur. Qua de causa? Quod multis idem fit, multa, non unum fieri necesse est. Verum. At si ipsum unum atq; ipsum idem nihil discreparent, quoties quid idem fieret, unumquodq; semper efficeretur: quotiesq; unum, semper & idem. Et maxime quidem. Quapropter si ipsum unum sibimet idem fuerit, non unum sibi existet: atque ita unum existens, non unum erit. Impossibile id quidem. Impossibile igitur ipsum unum, aut alterum ab alio, aut sibiipsi idẽ esse. Impossibile. Hac itaque ratione unum, nec idem, nec alterum, aut sibi, aut alteri esse poterit. Non profecto. Sed neq; simile, neque dissimile cuipiam, aut sibi, aut alteri. Quam ob causam? Quia simile est, cui idem quiddam accidit. Nempe. Ipsum tamen idem ab uno natura secerni exante dictis apparuit. Apparuit certe. Veruntamen si quid præter id quod est unum esse, ipsum unum recipit, patitur iam plura esse quàm unum. Id autem impossibile est. Ita. Ob hanc causam nunquam ipsum unum, idem esse uel sibi uel alteri patitur. Non uidetur. Ergo nec simile aut sibimet aut alteri esse potest. Sic apparet. Nihilo tamen magis esse alterum sustinet. etenim plura quàm unum esse contingeret. Plura sanè. Quod alterum uel à se, uel ab alio fit, dissimile quoq; aut sibiipsi, aut alteri cuidam efficitur. quippe cum illud etiam quod idẽ esse recipit, simile fiat. Probe. Vnde ipsum unum cum nullo modo susceperit alterum, nũquam quoque dissimile siue sibimet, siue alteri fiet. Nunquam profecto. Quamobrem nec simile, neque dissimile unquam aut sibi aut alteri ipsum unum est. Non, ut uidetur. Præterea cum huiusmodi sit, nec æquale etiam, nec inæquale cuiquam uel sibi uel alteri. Quid ita? Quod æquale est, earundem mensurarũ est, quarum & illud cui æquale dicitur. Sic est. Quod maius est uel minus, quo ad illa quibus cõmensurabile est, minoribus quidẽ plures mẽsuras habet, maioribus autem pauciores. Certe. Quibus autem incõmensurabile, quo ad hæc quidem minorum, quo ad illa uero maiorũ mensurarum erit. Quid ni? Nónne impossibile est, quod nullo modo ipsius eiusdem est particeps, aut mensuras easdem, aut aliud quoduis idem sortiri? Impossibile. Itaque nec sibi, nec alteri erit æquale.

Quod circulo mouetur in medio cõsistere

Pati per partes

Alia est natura unius quã eiusdẽ

Æquale q̃d

quippe cum mensuris eisdem non utatur. Minime, ut apparet. Quinetiam si pluribus aut paucioribus mensuris circumscribetur, totidem partibus quot & mensuris constabit: rursusq; non amplius unum erit, sed tot potius, quot & mensuræ insunt. Recte. Quod si unius mensuræ sit, æquale uticp ipsi mẽsuræ fieret. Veruntamen impossibile esse apparuit ipsum unum æquale cuiquam esse. Apparuit certè. Quod igitur nec unius mensuræ est particeps, necp multarum, necp etiam paucarum, nec ullo modo ipsius eiusdem, nũquam sibijpsi, ut uidetur, erit æquale, nec etiam alteri, nec maius præterea aut minus uel semetipso uel alio. Sic prorsus se habet. An fortè antiquius aut iunius aliquo uel etiam coæteneum ipsum unum apparet? Quid prohibet? Id sanè. Quoniam si eandem ætatem uel secum uel cum alio quopiam aget, æqualitate & similitudine temporis participabit. ostensum est tamen, nec æqualitatem, nec similitudinem ipsi uni ullam adesse posse. Ostensum profecto. Nónne hoc quoq; diximus, nec inæqualitatis necp dissimilitudinis cõpos existere? Quàm maxime. Quo igitur pacto quod huiusmodi est, senius aut iunius aliquo uel ætate par ulli esse poterit? Nullo modo. Ergo ipsum unum non iunius, non senius, nõ ætate par aut ad seipsum aut ad aliud erit. Nõ apparet. Item nec in tempore etiam ullo pacto ipsum unum cum tale sit, erit unquam. Etenim necesse est quicquid est in tempore, seipso semper senius fieri. Necesse. Et quod senius, semper iuniori senius. Cur non? Itacp quod seipso fit senius, seipso etiam simul iunius fit, siquidẽ aliquo senius esse debet. Quomodo dicis? Hoc modo. diuersum alterum alteri nihil fieri oportet, diuersum quum iam sit, sed iam existentis iam esse, præteriti præterijsse, futuri fore. eius uero quod fit, nec præterijsse, nec fore, nec esse, diuersum est: sed fieri, nec aliter esse. Necesse est. At uero senius oppositũ quiddam est iuniori, nec alteri penitus ulli. Est. Quod ergo seipso fit senius, necesse est simul quoq; seipso iunius fieri. Videtur. Quinetiam nec lõgiori seipso tempore, necp breuiori fieri, sed per æquale semper tempus secum ipso fieri, & esse, & fuisse, futurum esse, ac fore. Necessaria quoq; hæc sunt. Necessarium ergo uidetur, quodlibet eorum quę in tempore sunt, atcp hoc tali participant, eandem secum ipso ætatem agere, ac senius seipso simul & iunius fieri. Apparet. Ipsi uero uni nulla prorsus ex ijs passionibus accidit. Nulla. Nullius ergo temporis particeps, nec in aliquo tempore. Non sanè ut ratio dictat. Quid igitur? ipsum erat, fuit, fiebat, nónne participationem temporis quandoq; præteriti significare uidentur? Quinimò. At uero erit, fiet, factum fuerit, an nõ futurum nobis de

Verbũ Est, Fuit &c. cõsignificant tẽpus

Verbũ Est, signant? Futurum. Est autem & fit, præsentis sunt temporis notæ. Omnino quidem. Si ergo ipsum unum nullo prorsus participat tempore, nec fuit unquam, nec fit, necp est, neque fiet, necp factum erit, necp erit. Verissima hęc sunt. Num potest quicquam essentia alter quàm secundum istorũ aliquod participare? Non aliter. Nullo modo igitur est ipsum unum. Haudquaquam uidetur. Non itacp ita est ut sit unum. esset enim iam ens & essentiæ particeps: imò ut uidetur ipsum unum necp unum est, necp est, siquid huic rationi credendum. Apparet. Ei uero quod non est, num est uel ipsi uel ipsius aliquid? At quomodo? Non itacp nomen illi est, non sermo, non scientia quædam, non sensus, non opinio. Non uidetur. Quapropter nec nominat̃, nec dicitur, nec opinione cogitatur, nec cognoscitur, necp ab aliquo ex ijs quæ sunt, sentitur. Haud sanè uidetur. An possibile est ista circa ipsum unum sic se habere? Non ut mihi uidetur.

In uerbo Est, est tempus & essentia

Secũda suppositio circa unũ si sit

VIS ne igitur ad ipsius positionis principiũ redeamus, considerantes si quid fortè redeuntibus nobis aliter se habere uideatur? Volo equidem. Nõne si ipsum unum est, confessi. sumus quæ circa illud eueniunt, cuiusmodi esse oporteat? Profecto. Meditare iterũ à principio: unum si est, nunquid possibile est ipsum esse, essentia uero nequaquam participare? Impossibile. Essentia autem unius, non idem quod ipsum unum erit. alioquin si idem, non uticp illius essentia esset, neque ipsum unum illa participasset, sed quoties proferretur unum esse, simile quiddam significaretur, ac si unum unum diceremus. Nunc autem non est huiusmodi positio nostra, scilicet si unum, quidnam euenturum sit, sed si unum est, nónne ita? Prorsus sic est. Nónne ita dicitur, tanquam aliud significet ipsum est, aliud ipsum unum. Necesse. Nunquid igitur cum unum esse compendio dicimus, aliud ea oratio significat quàm unam essentiam communicare. Omnino. Rursus itacp dicamus, unum si est, quidnam contingat. Age id aduerte. An non necesse hanc suppositionẽ ipsum unum eiuscemodi prædicare quasi partes habeat? Quo

nam

nam modo? Hoc pacto. Si esse de uno ente dicitur, & ipsum unũ de ente uno, est autem idem essentia & unum, eodem existente uno quod supposuimus, nõne necesse est totum quidem unum ens ipsum esse, eiusq; partes tam unũ quàm esse existere? Necesse. Vtrum uero utramque harum partium partem duntaxat appellamus? An partem totius partem prædicare oportet? Totius. Totum igitur est, quod unum est, ac partem habet. Penitus. Quid autem? num hæc partes unius entis, scilicet unum & ens, ita se inuicem deserunt, ut ipsi enti unum, & ipsi uni ens desit? Non certè. Igitur utraq; pars & unum simul & ens complectitur: adeò ut pars quælibet ex duabus saltem particulis constituatur: & secundum eandem rationem quæcunq; particula occurrit, utraq; semper in ea claudatur. etenim unum semper ens, & ens unum mutuis nexibus amplectitur. Vnde quum ubiq; in quauis particula duo emergant, necesse est nunquam unum existere. Omnino. Nónne hac ratione unum ens, infinita multitudo erit? Videtur. Age quæso, & hac perge. Quæ? Diximus unum essentia participare inquantum est? Diximus. Et ob hanc causam unum ens multa esse apparuit? Sic est. Quid autem, si ipsum unum quod essentiæ particeps esse diximus, ipsum secundum seipsum solum intelligentia cogitemus, seorsum ab illo quo participare prædiximus? nunquid unum solum apparebit? uel etiam multa hoc ipsum? Vnum solum puto. Consideremus iam & aliud quiddam. alterum quiddam esse necesse est ipsius essentiam, alterum uero ipsum. siquidem non essentia ipsum unum, sed ut unum, essentia participat. Necesse est. Quod si alterum essentia alterum unum, ipsum unum non ex eo quod unum, ab essentia alterum est: neq; essentia inquantum essentia ab uno est altera: sed per id quod est ipsum per se alterum, & ipsum per se aliud, altera sunt inuicem. Prorsus. Quamobrem ipsum alterum nec uni nec essentiæ idem est. Verum. Quid ergo? si ex istis elegerimus siue essentiam & alterum, seu essentiam & unum, siue unum & alterum, nónne in qualibet assumptione eliciemus aliqua quæ iure ambo appellari poterunt? Quo modo? Hoc modo inquam. licét ne essentiam dicere? Licet. Rursusq; dicere unum? Et istud. Nónne utrunq; illorum dictum est? Dictum utrunque. Quoties essentiam, & unũ dico, an non ambo dico? Dicis. Et si essentiam atq; alterum, siue alterum atq; unum, nónne in ijs singulis ambo dico? Prorsus. Quæ uero ambo rectè appellata sunt, nunquid possunt ambo esse, neq; tamen esse duo? Nequaquam. At quæ duo sunt, cogitari ne ita possunt, ut non illorum utrunq; unum sit? Minime. Quoniam igitur ista simul duo sunt, idcirco unumquodq; unum existit. Videtur. Si unumquodlibet eorum est, & utrunq; unum mutuo quodam coniugio inuicem est connexum, nónne tria uniuersa resultãt? Maxime. Tria uero nónne imparia, duo autem paria? Quid ni? Et cum duo sint, nonne necesse est etiam bis adesse: & cum tria, ter? siquidem duobus in est bis unum, tribus uero ter unum. Necesse. Duobus denicq; existentibus ac bis, necesse est duo bis esse: & tribus existentibus atq; ter, nonne necesse est rursus tria ter esse? Quid ni? Quid uero? tribus existentibus atq; bis, et duobus atq; ter existentibus, necesse est tria bis esse, ac bis tria? Necesse est omnino. Erunt igitur pariter paria, impariterq; imparia, necnon imparia pariter, & impariter paria. Certe. Si hæc ita se habent, num putas ullum numerum relinqui, qui non necessariò illic insit? Nullum. Idcirco si est unum, necesse est & numerum esse. Proculdubio. Item si numerus est, multa utiq; sunt, & infinita entium multitudo, aut nõ infinitus numerus multitudine etiam particeps essentiæ fit? Maxime. Quod si totus ipse numerus est essentiæ particeps, unaquæq; etiã particula numeri essentia participabit. Prorsus. Per omnia ergo quæ multa sunt, essentia distribuitur, nec ab aliquo eorum quæ sunt, abest, seu minimũ hoc sit, siue maximum. Atq; id dubitare absurdũ est. quo modo enim essentia ab aliquo eorũ quæ sunt, abesse potest? Nullo. Diuisa est igitur quoad fieri potest in minima & maxima, atq; in omnia quæ quomodocunq; sunt, maximeq; omniũ distributa, & infinitæ sunt essentiæ partes. Sic se res habet. Plurimæ igitur illius partes sunt. Plurimę certe. Quid uero? est ne quicq; ex istis quod quidem pars essentiæ sit, nõ tamen pars ipsa unum quiddã sit? At quo pacto id fieret? Verum postq;, ut arbitror est, necesse est ipsam semper quandiu est, unum aliquid esse, nihil autem esse imposibile est. Absq; dubio. Non solum ergo uniuersæ essentię, sed illius etiam singulis partibus unum adest, partẽ nullam deserens, siue maior illa quidẽ, seu minor sit, siue quomodocunque se habeat. Sic est. Nunquid cum sit unũ, ubiq; simul est totũ? Diligenter id considera.

An unum et ens sit idem

Quod unũ circa essentiam etiã sit multa

Consi-

Considero,atq; hoc esse impossibile uideo.Diuisum itaq;,nisi totum. Neque enim aliter uniuersis simul essentiæ partibus, quàm diuisum aderit.Sic est. Cæterum quod partibile est,necessariò totidem sunt, quot sunt partes. Necessariò. Hac de causa haud rectè paulo ante dicebamus essentiam in partes plurimas distributã: quippe cum nõ in plures quàm ipsum unum,sed pares discreta sit.Neq; enim ens uni,neq; unum enti deest, sed duo hæc potius per omnia penitus coæquãtur. Omnino sic apparet.Ipsum itaq; unum ab essentia distributum, infinita multitudo est. Patet. Non modo igitur unum ens multa est, sed & ipsum unum ab essentia distributum multa esse oportet. Oportet sanè. Quinetiam ex eo quod omnes partes,totius partes sunt,terminatum secundum totum unum erit.An non comprehenduntur omnes à toto particulæ? Comprehenduntur. Quod autem comprehendit,terminus est.Est.Propterea unum ens, unum quodãmodo est & multa, totumq; & partes,necnon finitum, & multitudine infinitum. Apparet. Nónne cum terminatum sit,extrema quoq; habet? Necessarium est. Præterea si totum est, principium mediumq; & finem habebit? Num totum aliquid absq; his tribus reperiri potest? Et si quid ipsorum ab eo quod unum distat,totum ne ulterius erit? Minime. Quamobrem principium mediumq; & finem unum habet. Habet. Medium uero æquo interuallo ab extremis undique distat,non enim aliter esset medium. Non certè. Præterea quum tale sit unum, figuræ cuiusdam est particeps,seu rectæ siue rotundæ,siue alterius ex utrisq; compositæ.Particeps proculdubio. Quinetiam si huiusmodi est,ipsum in seipso & in alio erit. Quónam pacto? Quælibet pars in toto est,nec extra totũ penitus ulla.Esto.Singulæ ne partes sub toto clauduntur? Ita. At unum cunctæ suæ partes existit, nec quid plus minusue quàm uniuersæ. Sic est. Nónne & totum unum est? Quid ni? Si omnes partes toto claduntur,estq; omnia unum & ipsum totum, continentur autem sub toto singula, ab uno utique unum continebitur, atq; ita unum ipsum in semetipso iam erit. Videtur. Veruntamen totum in partibus minime est, neq; in omnibus, neq; in aliqua. si enim in omnibus, necesse est et in una:& si in una quadam non sit,in cunctis esse non poterit. Si autem hoc quidem unum cunctis constat, & in eo totum, non uno,quo pacto amplius in omnibus erit unum? Nullo. Sed nihilo magis in partibus quibusdam.Nam si quibusdam totum insit,maius in minori erit.Id autem impossibile.Impossibile. Cum igitur totum nec in pluribus,nec in una,neq; etiã cunctis in partibus sit, an non necesse est ipsum uel esse in alio quodam,uel nusquam existere? Necesse. Nónne si nusquam sit,nihil penitus erit? & tamen cum totum sit,neq; sit in seipso,restat ut consistat in alio? Penitus. Quà igitur unum totum est,in alio est:quà uero omnia partes eius sunt, & ipsum cũctæ partes,est ipsum in seipso. Ideoq; necesse est unum tum in seipso, tum etiã in alio esse. Proculdubio. Et cum talis sit unius natura,an non necessariò sequitur ut stet atq; etiam moueatur? Quur nam? Stat quippe, siquidem ipsum in seipso consistit. Etenim inhærens uni, nec ex eo digrediens,in eodem est in semetipso.Est profecto. Verũ quod in eodem semper est,stare semper oportet. Oportet. At quod in alio semper,cõtra necesse est nunquam in eodem esse: si nunquam in eodem, nunquam præterea stare,quod uero non stat,moueri oportet.Sic est.Necesse est igitur unum, cum in seipso semper & in alio sit, semper quoq; stare atque moueri. Videtur.Quinetiam idem oportet ipsum sibijpsi esse, & à seipso alterum, & quo ad alia similiter idem & alterum si modo quæ suprà dicta sunt,illi competunt. Qua ratione? Sic enim unum quidq; ad quodlibet habet,ut uel idem cum eo sit,uel diuersum:si nec idem,nec aliud, pars utiq; erit eius erga quod ita se habet, uelut ad partem,eritq; totum. Patet.Nunquid ipsum unum suijpsius pars est? Nequaquam. Non igitur quo ad seipsum totum erit,quasi pars sui sit.Neq; enim possibile.An fortè alterum est unum ab uno? Minime.Non itaq; à seipso alterum. Non certè.Si nec alterum nec totum, neq; pars quo ad seipsum est,quid iam aliud restat, quàm ut idẽ sibi sit? Isthuc ipsum.Quid uero? quod alibi est quàm ipsummet in eodẽ existens in semetipso, nônne cogitur alterũ à seipso fieri, siquidem alibi quàm ipsummet existat? Mihi quidem uidetur. Huiusmodi planè patuit esse unum,in seipso scilicet,& in alio esse.Patuit profecto. Ex hoc igitur constat unũ esse à seipso alterũ. Videtur.Si quid uero ab aliquo alterũ est, nõne ab altero alterũ? Necesse. Quæcunq; unum minime sunt,num ab uno altera,& unum alterũ ab ijs quæ non unum? Quid ni? Ideo unũ ab alijs omnibus alterum apparebit. Alterum. Aspice præterea, num

Vnũ esse & unũ uel multa & totum & partes &c.

Omne totũ habet principium, medium & finẽ

Quomodo intelligatur unũ ab uno & seipso cõtineri

Quod nusquam est, nihil penitus est

Quõ quicquam stat et mouetur

alterum

alterum ipſum,& ipſum idem contraria inuicem ſint.Cur non? Volet ne unquam idem in altero,uel alterum in eodem conſiſtere? Nunquã. Ergo ſi nunquam alterum in eodem eſt,nihil eſt ex ijs quæ ſunt,in quo per aliquod tempus ipſum alterũ ſit. Nã ſi per aliquod tempus ſit in aliquo, per id tempus in eodem ipſum alterum erit. An non? Certe. Poſtquam uero nunquam in eodem conſtat, nunquam profecto in aliquo eorum quæ ſunt, ipſum alterum erit. Vera dicis.Idcirco nec in ijs quæ non ſunt unum,nec in uno erit alterum. Non ſanè. Sequitur ut unum ab ijs quæ non unum, & quæ non unum ab uno per ipſum alterum altera eſſe nequeant.Sequitur planè.Quod niſi participent ipſo altero, altera ſecundum ſeipſa inuicem eſſe non poterunt. Quo enim pacto? Atqui ſi nec ſeipſis, nec ipſo altero altera ſunt,altera eſſe inuicem nullo pacto poſſunt. Nullo. Præterea quæ unum non ſunt,uno minime participant, neq; enim eſſent non unum,ſed quodammodo unum. Verum.Hanc ob cauſam quæ nõ ſunt unum, neq; etiam numerus ſunt. Alioquin non penitus unius eſſent expertia,ſi quem numerum haberent.Non certe. An uero quæ non ſunt unum, partes unius ſunt? An ſic fortè uno participarent, quæ non ſunt unum? Participarent.Si itaq; hoc quidem omnino unum eſt,illa uero nõ unum, nec pars unum erit eorum quæ non unum, neq; totum ad illa, quaſi ipſa ſint partes.neq; rurſus quæ non unum,unius particulæ,neq; etiam tota quaſi unum pars exiſtat. Non profectò.Cæterum aſſeruimus,quæ neq; tota,neq; partes ſunt,neq; inuicem altera,eadem inuicem eſſe debere.Aſſeruimus.Fatemur ne igitur unum,cum ita ad ea quæ non unũ ſe habeat, illis idem eſſe? Fatemur.Ergo unum,ut uidetur, alterum quiddam eſt ab alijs & à ſeipſo,rurſusq; ſibi & illis idem.Sic ratio perſuadet.Nunquid ſimile quoq; & diſſimile ſibi ipſi ac cæteris? Fortè. Poſtquam alterum ab alijs eſſe patuit,alia quoq; ab illo altera erunt. Quid prohibet? An non ita ab alijs alterũ ut ab illo & alia,nec magis quicq; neq; minus? Quid ni? Si nec magis nec minus,reſtat ut ſimiliter.Similiter. Porrò ſi uni contingit ut alterum ſit ab alijs,eodem modo quo ab illo alia,ex hoc ſequitur ut eadem conditio quædam,tam uni, q; alijs competat.Iſthuc quomodo dicis? Sic. Vnumquodq; nomen nõne ſuum habet ſignificatum? Habet.Idem uero nomen,uel ſæpius, uel ſemel pronuncias. Equidem. Vtrum quãdo ſemel profers,illud appellas cuius eſt nomen:quãdo uero ſæpius, non illud? An potius ſiue ſemel,ſeu iterum iterumq; nomen idem pronuncies,neceſſe eſt te ſemper idem innuere? Idem ſemper.Nónne & ipſum alterum nomen eſt ad proprium aliquid ſignificandũ impoſitũ? Eſt.Quoties igitur nomen hoc profers,ſiue ſemel,ſiue ſæpius, non ad aliud refers,neq; aliud quicq; nominas quàm id,cuius hoc nomen eſt. Neceſſe.Quando itaq; dicimus alterum eſſe unum ab alijs,& illa ab uno altera, bis nomen hoc alterum pronunciantes,nũquã ad aliud quiddam ſignificandũ inducimus, q; naturam cuius proprium nomen eſt. Omnino quidem. Si ergo unũ alterum eſt ab ijs,& alia ab uno altera, patiens illud idem alterum quod in alijs eſt,ſecundum illud,nũ ſecũdum aliud quiddam, alterum eſt ab alijs unum, quodcunq; uero idem patitur,ſimile eſt,an non? Imò. Secundum quod autem unũ habet,ut ſit ab alijs alterum, ſecundũ hoc idem quodlibet cuilibet ſimile eſt:quodlibet enim eſt à quolibet alterũ. Videtur.Eſt ne ſimile diſſimilibus contrarium? Eſt ſanè.Nonne & ipſum alterũ ipſi eidem? Et iſtud. Verũtamen hoc etiam patuit, quòd ipſum unum alijs & idem & alterum ſit.Patuit planè.Contraria uero paſſio eſt eſſe alijs idem,& eſſe ab alijs alterum? Prorſus. Quà tamen alterum,ſimile apparuit. Et hoc. Quà igitur idem,diſſimile erit ſecundũ paſſionem contrariam paſsionis illius quæ ſimile fecerat.Simile autem nónne faciebat ipſum alterum. Prorſus. Ipſum ergo idem diſsimile reddet: alioquin ipſius alterius contrarium minime erit. Apparet. Ex ijs concluditur unum ſimile atq; diſsimile alijs eſſe,quà ſanè alterum,ſimile:quà uero idem, diſsimile. Talem ut uidetur rationem habet. Et ſanè hanc habet. Quam? Vt quà idem paſſum eſt, non alienum ſit paſſum,ſi non alienum paſſum fuerit,neque diſsimile etiam, ſi non diſsimile,reſtat ut ſimile:ſinautem aliud ſuſceperit, & alienum,ſi alienum,etiam diſsimile ſit. Vere dicis. Vnum ergo & quia cæteris idem, & quia alterum, ſecundum ambo hæc & ſecundum horum utrumque ſimile atque diſsimile alijs erit. Maximè. Nónne & ſibijpſi eodem modo,ſiquidem alterum à ſeipſo & ſibi ipſi idem apparuit, ſecũdum ambo atque utrumq; ſimile pariter atque diſsimile apparebit? Neceſſe eſt. Conſidera præterea quæſo,quónam pacto unum ad tangendum,uel non tangendum ſeipſum,& alia ſeſe habeat.

Conſi

Considero equidem. Ipsum unum in seipso toto esse constitit. Probè. An non & in alijs unum? Et in alijs. Quatenus igitur in alijs, alia tangit, quatenus in seipso, tangere quidem alia impeditur, seipsum uero tangit, quum in seipso sit. Apparet. Hac utiq; ratione unum & se, & alia tangit. Tangit. Quid uero ad hæc? Nónne quodcunq; tacturum aliquid est, prope illud quod tacturum est, iacere oportet, atq; eam sedem occupare, quæ sequitur illius sedem, in qua cum primum fuerit, tanget? Necessarium hoc est. Ideo unum quoq; si se tangere debet, cõtinuò post seipsum extare oportet, proximam loco in quo ipsum est, sedem occupans. Oportet omnino. Nónne unum si duo esset, hæc efficeret, & duobus simul in locis existeret: donec uero unum est, minime? Est ut dicis. Eadem ergo necessitas efficit, ut unũ nec duo sit, neq; sese tangat. Eadem. At nihilo magis alia tanget. Quamobrem? Quoniam diximus quod tacturum aliquid est, seorsum positum, proximum illi quod tangendum est, esse oportere, tertium uero præter hæc intermedium nullum. Vera. Quapropter duo saltem adesse oportet, quotiens futurus est tactus. Oportet. Sinautẽ præter terminos duos tertium quiddam medium interuenerit, tria quidem per ordinem subsequentur, tactus autem gemini. Prorsus. Atq; ita semper uno quodam adiecto, unus quoq; tactus adijcitur. Ex quo cõtingit ipsos tactus à numerorum multitudine uno exuperari: quanto enim prima duo tactus ipsos exuperarunt, ita ut plura numero quàm tactus essent: tanto deinceps uniuersus numerus uniuersos tactus excedit. Etenim in posterum unum simul additur numero, & unus tactus tactibus ipsis apponitur. Recte. Quot igitur ea quæ sunt, numero sunt, totidem semper & tactus, uno duntaxat excepto. Vera loqueris. Itaq; si unum esset solum, nec usquam duo, tactus quoq; nullus esset. Quonam modo? Diximus quæ alia sunt ab uno, nec esse unum, nec uno etiam participare donec alia sint. Diximus. Ex ijs conficitur, ut non sit in alijs numerus, unus quippe cum unum illis minime adsit. Enimuero quo pacto id fieri posset? Vnde alia nec sunt unũ, nec duo, nec alio quouis numero designata. Non sanè. Ipsum igitur unum solummodo unum est, duo autem non sunt. Non, ut apparet. Et si duo non sunt, tactus quoq; nullus erit. Nullus. Ergo nec unum alia tangit, nec illa unum nullo existente tactu. Non prorsus. Omnibus ijs de causis, unum se & alia tangit pariter & non tangit. Sic uidetur. An est præterea æquale pariter & inæquale, tum sibi, tum etiam cæteris? Quo uero sit pacto? Si maius esset uel minus unum q̃ alia, aut alia rursus maiora siue minora q̃ illud, an non unum ex eo quod unum, & alia ex eo quod alia quàm unum, aut maiora aut minora inuicem ex ipsis suis essentijs essent: uerum si præter rationes has utraq; æqualitatem insuper haberent, æqualia inuicem existerent. sin hęc quidem magnitudinẽ, illa paruitatẽ, aut ipsum unum magnitudinem, alia paruitatem haberent, cuicunq; speciei magnitudo adesset, maior existeret: cuicunq; paruitas, minor. Necesse. Nónne sunt duæ quædam huiusmodi species, magnitudo & paruitas? Etenim nisi essent, nunquam contrariæ inuicem existerent, ac rebus ipsis inessent. Est ut dicis. Igitur si uni paruitas accedit, uel toti uni, uel parti cuipiam insidet. Necessarium. Si toti insederit, uel æqua extensione per integrum unum intus ibit, uel externis limitibus complectetur. Planè. Ex æquo uni infusa paruitas, æqualis proculdubio uni erit: cõplectens autem, maior. Quid ni? Num potis est paruitas æqualis cuiquam esse, uel amplior? effectusq; magnitudinis & æqualitatis in alio exercere, nisi posset in seipsam? Non potest proculdubio. Vnde concluditur in toto uno paruitatem esse non posse. Restat forsitan ut sit in parte. Restat. Non tamen in tota parte, eadem enim efficeret aduersus partem, quæ & aduersus totum effecerat. quippe uel æqualis erit, uel maior illa ipsa parte semper, cuicunq; insit. Necessariò sequitur. Nulli igitur unquam rei paruitas inhęrebit, quum neq; parti, neq; toti inhæreat. Ex quo fit ut nihil futurum sit paruum, præter ipsammet paruitatem. Videtur. Sed neque etiam magnitudo inerit. quippe aliud quicquam pręter ipsammet magnitudinem maius esset, utputa id cui inerit magnitudo. Veruntamen nihil est paruum, quod quidem superari oportet à magno, si quid magnum sit. Etenim quo pacto paruum aliquod reperies, quum paruitas in nullo resideat? Vera loqueris. Quinetiã magnitudo ipsa nullo erit alio maior quàm paruitate, neq; paruitas ipsa, alio quopiam quàm ipsa magnitudine minor. Nullo. Quamobrem cætera præter unum, neq; minora, neq; maiora quàm unum erunt, quum magnitudinis paruitatisq; expertia sint. Neq; habebunt hæc duo aduersus ipsum unum uim aliquam, qua uel excedant uel

dant uel excedantur. sed inter seipsa id efficient. Necꝙ etiam ipsum unum, aut hisce duobus, aut alijs quibuslibet maius uel minus erit, utpotè quod tam magnitudinis quàm paruitatis est expers. Sic utiꝙ apparet. Ideoꝙ cum nec maius, nec minus sit unum quàm cætera, nec superabit alia, necꝙ ab alijs superabitur. Absꝙ dubio. Nónne quod nec superat nec superatur, necessario sequitur ut æque se habeat? & si æque, ut æquale sit? Immo. Sed hoc pacto, unum ipsum ad sese habet, expers scilicet & magnitudinis & paruitatis, ut nec exuperet seipsum, nec à seipso exuperetur, sed æque se habens æquale semper sibi sit. Et maxime quidem. Itaque unum sibi cæterisꝙ æquale. Videtur. Veruntamen cum unum in seipso sit, extrinsecus sese circuit, atꝙ ita se complectens seipso amplius extat: cumꝙ etiam comprehendatur, angustius est. quo fit ut unum tum maius, tum etiam minus seipso sit. Fit utiꝙ. Nónne hoc quoꝙ necessarium est, nihil scilicet præter unum & alia reperiri? Necessarium. Item quicquid est, an non semper alicubi esse oportet? Oportet. Insuper quod in aliquo est, nónne semper in maiori minus? Necꝙ enim aliter aliud esset in alio. Est quod dicis. Postquam uero nihil est præter unum & alia, oportetꝙ ista in aliquo esse, nónne in se inuicem hæc uicissim esse necesse est? alia scilicet in uno, & in alijs unũ, aut nusquam prorsus existere? Constat. Quia ergo unum est in alijs, idcirco alia maiora sunt quàm unum, utpotè quæ unum continent, unum autem alijs minus ex eo quod continetur: quia uero alia in uno sunt, unum alijs ob eandem rationem maius est, illa uero minora. Videtur. Vnum itaꝙ æquale maiusꝙ & minus seipso & alijs est. Apparet. Atqui si maius & minus & æquale, æqualium erit mensurarum pluriumꝙ & pauciorum quo ad seipsum atꝙ ad alia: & si mensurarum, partium etiam. Quid prohibet? Easdem ergo mensuras pluresꝙ & pauciores habens, numero quoꝙ plus atꝙ minus erit & ad seipsum & ad cætera, necnon æquale sibi atꝙ alijs ob easdem causas. Quonam pacto? Quibus maius est, plures quàm illa mensuras habet, quotꝙ mensuras totidem & partes: & quibus minus est, eodem modo: quibus ue æquale, similiter. Sic est. Nónne cum seipso maius minusꝙ sit, & æquale, æqualium mensurarum pluriumꝙ & pauciorum quo ad seipsum est particeps, & postquam mensurarum, etiam partium? Quid ni? Habensꝙ partes sibijpsi æquales, multitudine etiam æquale sibi erit, plures uero plus, pauciores denicꝙ minus numero semetipso? Videtur. An non ad alia similiter se unum habebit? Quia maius illis apparet, necesse est plus quàm illa numero esse: quia uero minus magnitudine, etiam numero minus: quia denicꝙ æquale in magnitudine, numero quoꝙ par esse. Necessario fit. Hac iterum ratione unum, par, plus, minus, secundum numerum seipso erit, ac cæteris. Erit sanè. Nunquid & tempore unum participat. estꝙ & fit iunius ac senius seipso simul & alijs? & rursus contra nec iunius necꝙ senius seipso uel alijs dum participat tempore? At quomodo id fieri potest? Esse profecto illi competit, siquidem unum est. Competit. Ipsum esse autem quid aliud est quàm essentiæ cum præsenti tempore participatio, quemadmodum ipsum erat cum præterito: & ipsum erit cum futuro essentiæ ipsius communicatio? Istuc ipsum. Ergo si ipso esse participat, necesse est temporis quoꝙ esse particeps. Nimirum. Nônne fluentis temporis? Certe. Semper ergo senius seipso fit, siquidem secundum tempus percurrit. Necesse. Recordamur ne quòd senius semper sit senius eo quod iunius fit? Recordamur. Nónne igitur postquam unũ seipso fit senius, seipso dum iunius fit, fit & senius? Necessarium est. Fit ergo per hunc modum iunius seipso ac senius. Fit. Senius autem nónne tunc est, quando præsens iam tempus attingit, quòd medium est ipsius erat & erit? Necꝙ enim currens ex præcedente in posterum, præsens ipsum supergreditur. Non certe. An non desinit tunc fieri senius cum primum præsens tangit, nec tum fit: sed est iam senius? Procedens enim ab ipso præsenti nequaquam comprehenditur. Quod nanque procedit sic se habet ut utrunque, præsens scilicet futurumꝙ attingat, præsens quidem relinquens, futurum apprehendens, inter utrunꝙ medium præsens futurúmue cadens. Vera. Si uero necesse est quodcunque fit, ipsum præsens minime transgredi, cum primum illud nactum est, fieri desinit, estꝙ tunc iam illud quod fiebat. Apparet. Vnum igitur quando senius factum ipsum præsens assequitur, desistit fieri, estꝙ iam senius. Omnino. An non illo senius est, quo fiebat senius? fiebat autem seipso. Ita. Senius uero iuniori senius? Est. Iunius ergo seipso tunc est unum, quando senius factũ, præsens assequitur. Necesse. Ipsum præterea præsens semper uni adest per uni-

Quid uerbum esse

uersum esse. semper enim est præsens quandiu est. Quid ni? Semper ergo unum est & fit iunius atq; senius semetipso. Videtur. Quinetiam longius ne uel breuius tempus est, aut fit, quàm ipsummet, an potius æquum? Aequum. Verum quod æquale tempus est, aut fit, eandem agit ætatem. Quid prohibet? Quod autem eandem ætatem implet, neq; senius, neq; iunius. Nequaquam. Quapropter unum cum æquale tempus ad seipsum & sit & fiat, neq; senius, neq; iunius seipso aut est aut efficitur. Haud sanè mihi uidetur. Quo autem modo ad alia se habet? Nescio quid dicam. Hoc tamen potes dicere, quòd alia ab uno, si quidem altera sunt, non alterum, plura sunt quàm unum. Nam si alterum unum essent. Altera uero cum sint, plura quàm unum sunt, & multitudinem habent. Habent prorsus. Multitudo autem maiorem numerum quàm unum habet. Certe. Quid uero? ex ijs quæ ad numerum spectant, quænam prius fieri aut facta fuisse dicemus? num quæ plura sunt, an quæ pauciora? Quæ pauciora. Quod ergo paucissimum, primum: Id autem est unum, an non? Immo. Vnum ergo primum factum omnium quæ numerum capiunt, habent autem cætera omnia numerum: siquidem alia sunt, non aliud. Habent profecto. Primo autem factum prius fuit, alia uero posterius, posterius autem facta, iuniora sunt quàm quod ante factum. Ideoq; alia hoc pacto iuniora quàm unum sunt, unumq; illis antiquius. Certe. Quid autem ad hoc? Num unum effici præter naturam suam potest? uel id potius impossibile? Impossibile. Veruntamen partes habere unum apparuit. quod si partes, principium quoq; mediumq; & finem. Planè. Nónne omniũ primo principium fit, & unius, & reliquorum cuiusq;, ac post principium cætera usq; ad finem omnia? Quid ni? Fatemur ne hæc reliqua omnia partes totius atque unius esse? & illud ipsum una cum fine unum totumq; factum fuisse? Fatemur. Finis tandem, ut arbitror, postremo fit, cumq; hoc simul unum secundum sui naturam completur. Quam ob rem si necesse est unum haud præter naturam suam effici, cum fine simul confectum, postremum omnium naturæ suæ iure perficitur. Apparet. Iunius itaq; alijs unum est, aliaq; uno antiquiora. Sic iterum mihi uidetur. Quid autem? principium aut aliqua alia pars siue unius, siue cuiuslibet alterius, si modo pars non partes sit, nónne unum est? siquidem pars existit. Necessarium istud est. Ex hoc sequitur unũ simul cum primo effecto fieri, simulq; etiam cum secundo, ac etiam reliquorum quæcunque fiunt, nulli unquam deesse, donec ad extremum usq; percurrens unum totum fiat, non à primo, non à medio, non ab ultimo, non ab alio prorsus ullo in generatione excluſum. Verum. Eandem ergo unum quam & cætera omnia ætatem agit. quapropter si non præter naturam suam natum est ipsum unum, neq; prius, neq; posterius quàm cætera, sed simul potius factum est. Ideoq; secundum hanc rationem unum neq; senius neque iunius alijs, neq; alio uno: secundum uero rationem superiorem unum & senius simul & iunius cæteris omnibus, atq; conuerso reliqua cũcta uno. Omnino sic esset. Hoc ergo modo se habet, & tale est effectum. Verum quidnam sentis de eo quòd dicitur fieri unum senius, atq; iunius alijs, aliaq; uno, ac etiam neq; iunius, neq; senius fieri? Vtrum eadem ratione se habet circa ipsum fieri, qua circa ipsum esse habere prædiximus, an aliter? Quid dicam ignoro. Ego autem tantum dicam, quod si quid est antiquius alio, antiquius quo ad illud deinde fieri, quàm antea secundum ætatis interuallum fuisset, minime potest: neq; etiam quod iunius est, in posterum iunius fieri. Nam æqualia inæqualibus addita, seu tempori, siue cuilibet alteri, eodem interuallo distare quo & antea, illa semper efficiunt. Nihil prohibet. Non igitur id quod est, illo quod unum est, aut antiquius aut iunius fieri potest: quandoquidem eadem semper distantia ætatis intercidit: sed & est, & fuit hoc quidem senius, illud autem iunius. fit uero minime. Est ut dicis. Ita id quod unum est, cæteris quæcunq; sunt, nunquam uel iunius uel senius efficitur. Nunquam. Sed aspice posthac num alia quadam ratione & iuniora hæc & seniora fiant. Quanam? Hac inquam. Vnum ne antiquius alijs, & alia uno esse constitit? Quid tum? Quandoquidem unum senius est quàm cætera, longius quàm illa tempus extitit. Quinimmo. Aduerte iterum, si quando longiori & breuiori tempori par tempus adijciamus, num æqua particula discrepabit longius à breuiori, an minore? Minore. Vnum igitur non tanto ætatis interuallo alia deinceps excedet, quanto prius excesserat, sed par tempus ac cætera sortitum, minus semper quàm prius ab illis ætate distabit. An non? Profecto. Nónne quod minus excedit aliquid ætate quàm prius,

Quod paucissimũ, primũ & unũ

Primo omniũ principium fit

iunius

Linea tri= cubitalis	*Cubitus additus.*
Linea bi= cubitalis	*Cubitus additus.*

Nam si tricubito ut longiori, & bicubito ut breuiori, parem cubitum addideris, feceris cum illo quadricubitum, cum hoc uero tricubitum, sed quadricubitum superat tricubitum minore particula quàm tricubitum superat bicubitum. Nam tricubitum superat bicubitum dimidio ipsius bicubiti, & quadricubitum superat tricubitum tertia parte tricubiti, quæ minor est particula quàm dimidium: quod idem inuenitur in cæteris additis quibus longiores superant breuiores. Eædem denominatæ ex longioribus idem faciunt: ut tria superant duo una tertia: & quatuor superant tria una quarta, quæ minor est quàm tertia.

iunius fit quàm prius, quo ad illa quibus erat antiquius? Iunius proculdubio. Si illud iunius, an non illa, si cum uno conferas, seniora quàm prius erunt? Penitus. Quod ergo iunius ante fiebat, senius fit ad illud quod ante fiebat, eratq; antiquius. est autem nunquam antiquius, uerũ illo semper antiquius fit: illud porrò iuuenescit, hoc contra senescit. quod rursus antiquius, iuniori iunius similiter efficitur. Nam cum ista in contrarium tendant, contraria inuicem fiunt. Iunius quidem seniori senius, senius contra iunius iuniori. Facta uero fuisse nequeunt. Nam si facta fuissent, non amplius fierent, sed iam essent. Nunc uero & iuniora, & seniora inuicem efficiuntur. Vnum quidem cæteris iunius fit, ex eo quod senius esse apparuit & prius effectum: cætera uero seniora quàm unum fiunt ex eo quod posteriora facta fuerint. Et secundum eandem rationem cætera quoq; similiter ad unum se habent: quippe cum antiquiora & priora illo facta fuisse apparuerint. Idem mihi quoque uidetur. An non qua ratione neutrum illorum altero uel iunius fit uel senius, secundum quod pari numero inuicem differunt, neque unum aliis antiquius aut iunius fieret, neque alia uno? Qua uero ratione altera semper parte differre necesse est priora posterioribus & posteriora prioribus, ex hoc necesse est seniora & iuniora inuicẽ fieri, tũ cætera uno, tum cæteris unum? Et maxime quidem. Omnibus igitur his de causis unum ex seipso, & aliis senius ac iunius est & fit, rursusq; neq; iunius neq; senius seipso uel cæteris aut est, aut unquam efficitur. Prorsus. Postquam uero unum temporis est particeps, seniusq; & iunius fieri potest, nonne præterea necesse est præteriti, præsentis atque futuri esse particeps, cum participet tempore? Necessario sequitur. Erat igitur unum & est & erit: fiebatq; & fit & fiet. Quid ni? Esset quoq; illi aliquid & illius, eratq; & est & erit. Maxime. Ideoq; scientia de illo esset, opinioq; ac sensus, quippe cum & nos in præsentia hæc de illo uniuersa tractemus. Recte ais. Nomen item ac sermo ipsi adest, nominaturq; & dicitur. Et quotcunq; huiusmodi circa alia repetiuntur, circa unum quoq; existunt. Omnino quidem sic se res habet.

VERVM tertio iam iterum disseramus. num Vnum sit quemadmodum supra diximus: nunquid igitur necesse est ipsum cum sit unum & multa, atq; iterum neq; unum neq; multa, & participans tempore, quia unum est, essentia participare aliquando: quia uero non est, non participare aliquando? Necessarium hoc est. Num possibile est cum participat, tunc minime participare? uel cum non participat, participare? Impossibile. In alio itaq; tempore particeps, in alio uero est expers. hoc enim modo dũtaxat fieri potest, ut particeps atq; expers eiusdem sit. Probe. Nunquid est id tempus quando accipit esse, & quando esse amittit? aut quo pacto esse potest, ut aliquando idem habeat, aliquando uero nõ habeat, nisi aliâs id capiat, aliâs autem amittat? Non aliter. Accipere essentiam, nonne fieri appellas? Equidem. Essentia uero priuari, nonne destrui? Et maxime. Vnum igitur, ut uidetur, assumens atq; deponens essentiam, fit & interit. Necessarium. Cumq; unum & multa sit, siue cum fit siue cum interit, nonne quando fit unum desinit esse multa, quando uero multa, desinit esse unum? Valde. Et cum fiat unum & multa, an non disgregari, & congregari oportet? Oportet. Quinetiam quoties dissimile simileq; efficitur, nonne assimulari, & ut ita dicam dissimulari oportet? Immo. Et quando maius & minus atq; æquale, crescere,

Tertia suppositio, hoc est si unum cõsideratur sub esse

decreſcere,atq; æquari? Sic eſt. At quoties ex motu in quietem,uel ex quiete in motum tranſit,oportet hoc non uno in tempore eſſe.Quanam ratione? Cum ſcilicet prius ſtaret, moueri poſtea:cumq; antea moueretur,deinde conſiſtere. Etenim abſq; tranſmutatione hæc pati nequit. Nequit. Tempus uero nullum eſt,in quo quippiam ſic habere ſe poſſit, ut ſimul neq; ſtet,neq; etiam moueatur. Nullum. Verũtamen neq; tranſit abſq; tranſmutatione.Haud conſentaneũ eſſet. Quando ergo trãſit? neq; enim dum ſtat,neq; dum mouetur tranſit,neq; dum in tempore eſt. Non certe. An eſt hoc mirabile quiddam, in quo tunc eſt cum tranſit? Quidnam? Momentũ indiuiduum inquam. Hoc enim momentum certum quiddam ſignificaret,ex quo in utrunq; tranſitur.Neq; enim ex ſtatu,dum ſtat,neque ex motu, dum mouetur,adhuc tranſit. Verum momentanea ipſa natura atq; miranda,media motui quietiq; interponit,ac nullo prorſus in tempore eſt,necnon in hanc atq; ex hac,quod motum eſt, tranſit in ſtatum: & quod quieuit, in motum. Apparet. Vnum itaq;,ſi quidẽ ſtat atq; mouetur,in utraq; proculdubio tranſit. Solo enim hoc modo utraque facit. Tranſiens autem,momento indiuiduo tranſit. Cumq; migrat,nullo in tempore eſt,neq; ſtat tunc,neq; mouetur. Miníme. Nunquid eodem modo ad cęteras mutationes ſeſe habet? quando ex ipſo eſſe in interitum migrat, uel ex non eſſe in ipſum fieri, medium tunc fit quorundam motuum ac ſtatuum, nec eſt tunc neq; non eſt, neq; fit etiam, neq; interit? Videtur. Eadem quoq; ratione ex uno migrans in multa,& è multis in unũ, nec unum eſt neq; multa,nec congregatur,neq; diſgregatur:& ex ſimili in diſſimile, rurſusq; ex diſſimili in ſimile migrans,nec ſimile,neq; diſsimile, neq; aſsimulatũ, neq; ut ita dicam,diſsimulatũ,& ex paruo in magnum,& in ipſum æquale,et contraria tranſiens,nõ paruum,non magnum,non creſcens,non decreſcens,non adæquans. Non uidetur. Hæc igitur uniuerſa unum ſi eſt,patitur. Quid ni?

Inuenitur momentũ & inſtans

Momentũ mediũ motus & quietis

Quarta ſuppoſitio

AN non conſiderandũ prętereà alia quid patiantur, ſi unum eſt? Conſiderandum. Dicamus igitur unum ſi eſt, alia ab uno quid nam pati oportet? Dicamus.Nõne quia alia ſunt quàm unũ, non unum ſunt? alioquin alia quàm unum non eſſent. Probe.Non tamen penitus uno priuata ſunt,ſed quodam modo uno participãt. Qua ratione? Quoniam alia ab uno,ex eo quod partibus conſtant,alia ſunt quàm unum: niſi enim partes haberent,unum penitus eſſent.Recte. Partes autem,eius quod totum eſt,partes eſſe aſſeruimus. Aſſeruimus planè. Atqui totum ipſum unum ex multis eſſe oportet,cuius partes ſunt quæ partes appellantur.quælibet enim partium non multorum pars, ſed totius exiſtit. At quomodo iſtud? Si quid multorum pars eſſet,quibus ipſum ineſſet,& ſuiipſius quodammodo eſſet pars,quod eſt impoſsibile,& aliorum cuiuſq; : ſiquidem omnium. Vnius enim non exiſtens pars, uno excepto aliorum omnium erit: atque ita uniuſcuiuſq; pars non erit. Non exiſtens uero pars cuiuſque, nullius ex multis erit. Et, ſi nullius eſt, eſſe quicquam iſtorum omnium, quorum nullius uel pars,uel aliud quicquam eſt,impoſsibile erit.Apparet quidem. Non ergo multorum nec omnium pars eſt quæcunq; ſit pars,ſed unius cuiuſdã ideæ, & unius cuiuſdam quod totum uocamus, factum ex cunctis unum atque perfectum. Huius inquam,pars eſt,quæcunq; ſit pars. Omnino quidem. Si ergo alia partes habent, toto atq; uno participant.Maxime. Vnde unum totum perfectum partes continens,alia ipſa ab uno eſſe neceſſe eſt. Neceſſe. Quinetiam de unaquaq; parte eadem ratio eſt. Etenim huius unius participem eſſe oportet. Nam ſi ſingulæ illarum pars eſt, hoc ipſum quod dicitur ſingulæ,unum quodammodo ſignificat. diſtinctum enim quiddam ab alijs,& ſecundum ſeipſum exiſtens ſignificat,ſi modo ſingulæ ſunt. Recte. Erit autem unius particeps, ſi aliud quiddam quàm unum fuerit:alioquin haudquaquam participaret, ſed ipſum unum erat. At uero unum eſſe aliquid, præter ipſum unum nihil poteſt. Nihil. Participare autem uno neceſſe eſt,& totum ſimul & partem. Ipſum namq; unum totum erit, cuius partes ſunt partes ſingulæ: ſingulæ uero partium, pars totius, quæcunq; pars totius exiſtat. Sic eſt.Nónne igitur quum alia ſint quàm unũ, uno participant omnia quæ participant? Quid ni? Alia uero quàm unum multa quodãmodo ſunt. Nam ſi alia præter unum, nec unum tamen,nec plura uno eſſent,penitus nihil eſſent.Nihil ſanè. Poſtquam autem plura uno ſunt, quæ unius partis, unius totius participia ſunt, nónne neceſſe eſt multitudine infinita eſſe ipſa participantia uno? Quo nam pacto? Hoc planè. Aliud quiddã quàm

Pars non eſt multorum, ſed totius

unum

unum ista sunt, neque etiam uno participant, tunc cum primum uno participant. Certe. Nónne multitudines sunt, in quibus non ineſt unum? Multitudines certe. Quod si uelimus intelligentia ipsa ex ijs aliquid quàm minimum excerpere, an non neceſſe erit illud extractum, utpote quod unius est expers, multitudinem esse non unum? Neceſſe. Nónne tibi sic semper consideranti ipsam secundum seipsam alteram speciei naturam, quantumcunq; illius inspexeris, infinitum multitudine semper occurret? Et maxime quidem. Veruntamen postquam una quælibet pars effecta est, terminum iam partes inuicem, & ad totum habent: nec non ad partes totum. Valde quidem. Itaq; alijs quàm uni contingit, ex ipso uno, & ex seipsis iam in uno communicantibus, alterũ quiddam in ipsis fieri: quod quidem terminum inuicem præbuit, natura autem illorum secundum seipsam infinitatem. Manifestum est. In hunc itaq; modum alia quàm unum tum tota, tum etiam secundum particulas, & infinita sunt, & termino quodam participant. Prorsus. An non igitur similia dissimiliaq; inuicem & sibijpsis? Quamobrem? Quà quidem infinita sunt secũdum ipsorummet naturam, omnia idem quodammodo ex hoc inuicem patiuntur. Patiuntur. Item quà cuncta participant termino, ex hoc quoq; idem omnia patiuntur. Quid ni? Qua tamen illis conuenit ut finita sint simul & infinita, quæ sunt contrariæ passiones, quàm maxime fieri potest, dissimilia sunt. Nimirum. Ergo secundum alterutram rationem ipsa sibimet & inuicem similia erunt, secundum utranq; uero utrinq; quàm maxime cõtraria atq; dissimilia. Cõstat. Sic igitur alia eadem sibijpsis & inuicem, similiaq; & dissimilia erunt. Erunt. Ac rursus eadem & altera, agitataq; & stantia, cæterasq; contrarias rationes suscipientia. cætera quę accidunt his, quę alia sunt quàm unũ, facile reperiemus, postquam hæc iam nobis constant. Recte dicis.

QVID igitur? non hæc tanquã perspicua prætermittemus, dispiciemusq; rursum, siquidem unum est, cætera quæ unum non sunt, num non isto pacto habent, an isto solum? Prorsus. Principio igitur uideamus, unum si est, cæteris quid euenire neceſſe sit? Videamus. An non seorsum quidem unum ab alijs, seorsum alia erũt ab uno? Cur'nam? Quia nihil est præter ista, quod aliud quidem sit quàm unum, aliudq; quàm alia. uniuersa quippe comprehẽsa sunt, cum unum & alia dictum est. Vniuersa. Quare nihil præter hæc restat in quo uelut eâdem in sede & unum & alia consideant. Nihil prorsus. Nunquam igitur in idem unũ aliaq; concurrunt. Nunquam. Seorsum ergo. Seorsum. Dictum præterea fuit ipsum reuera unum partes nullas habere. Quomodo enim habere posset? Neq; totum igitur unum alijs inerit, neq; eius particulæ, siquidẽ seorsum est ab alijs, nullisq; particulis constituitur. Ita est. Nullo itaque modo alia uno participabunt, cum neq; totum ipsum, neq; partem eius capiant. Nullo ut uidet. Atq; idcirco alia nullo pacto unũ sunt, neq; in seipsis unum aliquod habent Minime. Vnde nec multa sunt alia. Etenim si multa essent, unum quodq; illorum, utpotè pars totius, unum esset. Nunc autem non unum, non multa, non totum, non partes, alia sunt, postquam nihilo unius participant. Probe. Quapropter nec duo, nec tria sunt, nec unum illis ineſt. siquidem uno prorsus orbantur. Sic est. Itaq; nec similia, neq; dissimilia, nec eadẽ sunt alia uni, neq; illis similitudo ac dissimilitudo ineſt. Si enim similia atq; dissimilia ipsa essent, ex eo quod in seipsis similitudinem dissimilitudinemq; haberent, duas utique contrarias inuicem species tam ipsa alia quàm unum in seipsis comprehenderent. Apparet. Ac fieri non potest, ut quæ nullo participant, participent duobus. Non certe. Neq; ergo similia, neq; etiam dissimilia sunt, duo quæcunq; ab uno alia. etenim si similia uel dissimilia sint, una quadam altera specie participarent: & si ambo, duabus quibusdam contrarijs speciebus. hæc autem impossibilia esse patuit. Vera dicis. Nõ igitur eadem, non altera, non agitata, non quieta, non orientia, non pereuntia, non maiora, non minora, non æqua, non deniq; aliud quicquam huius generis unquam accidet. Nam si quid tale susceperint, unoquoq; & duobus, & tribus, pariq; & impari participarent, quod esse impossibile uidimus, cũ uno per omnia sint destituta. Verissima hæc sunt. His ergo de causis, unum si est, omnia est unum, & nihil est, & ad seipsum, atq; ad alia eodem modo. Omnino sic se res habet.

Quinta sup positio

Sexta ſuppoſitio Negatiua ex ſubiecto infinito eſt cõtraria negatiuæ ex finito ſubiecto

AT uero ſi unum non ſit, quid contingat, nónne poſt hac conſiderandũ eſt? Conſiderandum. Quænam hæc ſuppoſitio eſt, ſi unũ non eſt? Num aliquo differt ab iſta, Si non unum non eſt? Differt ſanè. Num ſolummodo differt? uel etiam omnino contraria eſt hæc, ſi non unum non eſt, illius, ſi unum nõ eſt? Contraria omnino. Quid autẽ? ſi quiſpiã dixerit, ſi magnitudo non eſt, uel paruitas nõ eſt, uel aliud quicquã huiuſmodi, nõne in ſingulis innuit quod aliud quid dam dicat ipſum non ens? Omnino. Nónne igit nunc declarat quod alterũ quiddam prẽter alia ipſum non ens dicit, quãdo dicit, unum ſi non eſt, intelligimus quia quid dicat? Intelligimus. Primũ igitur aliquid quod cognoſci poteſt, exprimit: deinde alterũ ꝯ alia, cũ ait unum, ſiue eſſe illi adijciens, ſiue non eſſe. nihilominus cognoſcitur quid nõ eſſe dicat, quodq; differẽs quiddã eſt ab alijs, an non? Neceſſe. In hũc itaq; modũ à principio dicendum, unum ſi non eſt, quid eſſe oportet. In primis itaq; ipſi hoc oportet accidere, ut uidetur, eſſe uidelicet quandã eius ſcientiã, aut nihil intelligere nos quid dicamus, quãdo unũ ſi non eſt, proferimus. Vera loqueris. An non & alia altera eſſe ꝯ illud, uel neq; illud alterum ꝯ alia prædicari? Maxime. Ergo diuerſitas quoq; præter ſcientiã illi adeſt. neq; enim aliorum diuerſitatem dicit, quando unum alterum quàm alia uocat, ſed ſuijpſius diuerſitatem. Apparet. Quinetiã ipſius illius, & alicuius, & huius, & huic, & horũ, atq; omnium huiuſmodi particeps ipſum non ens dicitur. Neq; enim unum diceretur, neq; ab uno alia, nec illi quicquam eſſet, nec illius quicquã, neq; aliquid appellaretur, niſi particeps cuiuſdam aut quorundam huiuſmodi ſit. Recte. Eſſe tamen unum niſi exiſtat, impoſſibile eſt: participare uero multis, nihil prohibet. Sed & neceſſe eſt, ſi quidem ipſum unũ illud duntaxat, nec aliud non eſt. quòd ſi nec unum ipſum, nec illud, nõ erit, ſed de alio quodam ſermo habetur, nihil pronunciari oportet. ſinautẽ unum illud duntaxat, nõ aliud præſupponitur non eſſe, & ipſius illius, & aliorum multorum particeps eſſe dicendum eſt. Et maxime quidem. Quamobrem diſſimilitudo illi eſt ad alia: nã cum alia altera ſint quàm unum, extranea eſſe oportet. Oportet. Extranea uero nónne aliena? Quid ni? Aliena autem nónne diſſimilia ſunt? Diſſimilia planè. Atqui ſi uni diſſimilia ſunt, diſſimili diſſimilia erunt. Planè. Aderit itaq; & uni diſſimilitudo, ſecũdum quam alia ipſi diſſimilia ſunt. Videt. Et ſi illi diſſimilitudo ad alia cõpetit, nónne ad ſeipſum ſimilitudo cõueniet? Quonam modo? Si uni inſit diſſimilitudo ad unũ, haud ſanè de huiuſmodi quodam ut de uno ſermo haberet, neq; ſuppoſitio de uno, ſed de alio quopiam fieret. Prorſus. At iſtuc non decet. Non certe. Ob hanc cauſam oportet uni ſimilitudinem ad ſeipſum adeſſe. Oportet. Item nec æquale alijs eſt. Etenim ſi æquale eſſet, iam profecto etiam ſimile illis ſecundum æqualitatem exiſteret. Vtraq; uero hæc impoſſibilia, cũ unum minime ſit. Impoſſibilia. Poſtquã uero cæteris æquale nõ eſt, nónne & alia neceſſe eſt illi æqualia nequaquã eſſe? Neceſſe. Quæ autẽ non æqualia inæqualia ſunt. Inæqualia. Inæqualia uero inæquali cuipiam inæqualia ſunt? Certe. Vnde & inæqualitatis particeps unum apparet, ſecundum quam cætera ipſi inæqualia ſunt. Particeps profecto. Cæterum ad inæqualitatem magnitudo ac paruitas attinet. Attinet. Et magnitudo ergo & paruitas tali uni cõuenit. Videtur. Magnitudo rurſus & paruitas ſemper inuicem diſtant. Diſtant. Ideoq; medium quiddam ſemper interuenit. Sanè. Num reperis medium aliud inter hæc præter æqualitatẽ? Nullum aliud. Cuicunq; igitur magnitudo & paruitas accidit, accidit quoq; æqualitas horum obtinens medium. Conſtat. Vni igitur dum nõ eſt, æqualitas, magnitudo & paruitas accidere uidentur. Videntur. Præter ea & eſſentia participare quodãmodo ipſum oportet. At quomodo? Habere ſeipſum oportet eo modo quo diximus. niſi enim ſic ſeſe haberet, haudquaquã uera diceremus, dum unũ non eſſe fatemur. Sin autẽ uera, manifeſtũ eſt quod ea quæ ſunt, proferimus. nónne? Sic eſt. Cũ uero nos uera prædicare dixerimus, neceſſe eſt ut ea quæ ſunt, aſſerere nos profiteamur. Neceſſe. Eſt ergo unũ ut uidetur non ens. ſi enim nõ ſit non ens, ſed aliquid ipſius eſſe remittat ad hoc ut non ſit, ſtatim erit ens. Omnino quidẽ. Oportet igitur ut non ens, eſſe non ens, uelut uinculũ ipſius nõ eſſe habeat, ſi debet non eſſe: quemadmodum contra ens ipſius eſſendi uinculũ habet ipſum non eſſe non ens, ut perfecte rurſus eſſe liceat. Ita enim ipſum ens maxime erit, & ipſum non ens maxime nõ erit, ſipſum ens quidem participet eſſentia eſſendi ens, nõ autem eſſentiã eſſendi nõ ens, ſi omnino eſſe debeat: ipſum uero nõ ens nõ participet eſſentia

Si res ſit, & oratio ex ea uera eſt. ſi oratio ex re facta uera ſit & res uera

tia non essendi nõ ens, sed essentia nõ essendi ens, siquidẽ non ens penitus uideri debeat? Verissima hæc sunt. Nõne igitur postẽ ens non essendi particeps est, & nõ ens ipsius essendi particeps, unũ quoq; cũ nõ sit, ipso esse participare necesse est ad hoc ut uere nõ sit? Necesse. Essentia igitur adesse uidet uni si non sit. Videt. Atqui nõ essentia rursus, si quidem minime sit. Quid ni? Num potest aliquid, quod certo quodam modo affectũ, sic habere se dicitur, non sic se habere, cum nondũ ex huiusmodi habitu transmutatũ sit? Non potest. Quodcunq; igitur sic se, & nõ sic se habet, mutationẽ quandã patitur. Patitur. Mutationẽ uero motũ ne, an aliud quiddã esse dicemus? Motũ. Vnum aũt nónne & ens & non ens apparuit? Apparuit. Ergo & sic, & nõ sic se habens. Videtur. Vnum ergo nõ ens moueri uidetur. siquidẽ mutationẽ ex ipso esse in nõ esse recipit. Patet. Enimuero si nusquam in natura rerum adest, cũ non sit, nõ utiq; aliunde aliò migrare potest. Quo pacto enim posset? Non ergo mouetur ex eo q̃ transeat. Minime. Neq; tamen in eodem uersetur. Etenim ipsum idem nusquam attingit. ens nanq; ens ipsum idem, nõ ens autem in aliquo eorum quæ sunt, esse impossibile est. Impossibile certe. Non ergo unum cũ non sit, in eo uersari in quo minime est, unquam posset. Nunq̃. Neq; etiam alteratur unum ab seipso, neq; ens, neq; non ens. haud enim sermo de uno ulterius haberetur, siquidem à seipso alteratum fuisset, uerum de alio quodam præter unum. Probe. Si neq; alteratur, neque in eodem reuoluitur, neq; progreditur, quonã pacto mouebitur? Nullo. Quod uero moueri nequit, quietem agere necesse est, & quod quiescit consistere. Necesse. Igitur unum si non est, stat atq; mouetur. Videtur. Quinetiam si mouetur, necesse est procul dubio alterari. quatenus enim quid mouetur, eatenus non eodem modo quo prius, sed alio sese habet. Plane. Ergo unum dum mouetur, etiam alteratur. Profecto. Veruntamen nullo modo motum, nullo modo alteratur. Nullo penitus. Quam ob rem unum quod non est, quà quidem mouetur, absq; dubio alteratur, quà uero non mouetur, minime alteratur. Minime. Ideoq; unum si non sit, alteratur: atq; etiam minime alteratur. Constat. At quod alteratur, an non alterum q̃ antea fieri, pristinũq; habitum exuere oportet? quod uero non alteratur, neq; fieri, neq; etiam interire? Necessariò sequitur. Vnde unum quod non est, quia alteratur, efficitur ac perit: quia uero nõ alteratur, nec fit, nec interit. Atq; ita & fit pariter atq; interit. rursusq; neq; fit, neq; interit. Sic est.

Septima suppositio

RVRSVS iam ad principium redeamus, liquidò inspecturi utrum hæc deinceps quemadmodum hactenus, an aliter esse uideantur. Operęprecium hoc est. Nónne iam diximus quid circa unum accidat, si ipsum minime sit? Diximus. At quoties non ens proferimus, nihil aliud nobis significat quam essentiæ absentiam ab illo quod quidem non esse pronunciamus. Nihil aliud. Vtrum quando dicimus non esse aliquid, aliquo modo ipsum non esse intelligimus aliquo modo esse? An potius hoc ipsum, non est, quoties pronunciatur, simpliciter significat quod nullo prorsum modo usquã est: & cum nõ sit, nulla ex parte est essentię capax? Absolute id significat. Neq; ergo esse ipsum non ens poterit, neque alio quoquam modo essentiam attingere. Minime. Fieri autem & interire num aliud est, quàm illud quidem essentiam accipere, hoc autem amittere? Nil aliud. Ergo qui nulla huius pars conuenire potest, nũquam haud accipit ipsam, aut amittit. Nunquam. Vni ergo postquam nullo modo est, neq; nanciscì, neq; abijcere, neq; alio pacto essentiã capere conuenit. Decens est. Non itaq; interit ipsum unum cum non sit, neq; fit, utpotè quod nulla ex parte est essentiæ capax. Nõ uidetur. Neq; rursus aliquo pacto alteratur. Iam enim & fieret, & periret, si hoc pati posset. Verum. Si minime alteratur, an non etiam necesse est nequaquã moueri? Necesse. Neq; tamen stare alicubi quod nullo modo est, asseremus: quod enim stat, in aliquo eodem semper esse oportet. Quid ni? Sic planè ipsum nõ ens, nunquam aut stare, aut moueri fatebimur. Nunquam. Præterea nihil ex ijs quæ sunt, illi adest. Iam enim essentia participaret, utpotè quod alicuius existentis esset particeps. Manifestum est. Non magnitudo igitur illi, non paruitas, non æqualitas accidit. Non profecto. Sed nihilo magis similitudo aut diuersitas illi uel ad alia, uel ad seipsum aderit. Nequaquam uidetur. Num & alia ullo modo illi esse poterunt, quum nihil prorsus ipsi esse queat? Haud licet. Quapropter alia non similia illi, non dissimilia, non eadem, non altera sunt. Non sanè. An uero ipsum quod illius, uel ipsum quod illi, uel quid, uel hoc, uel huius, uel alterius, uel alteri,

Nõ ens simpliciter esse nõ potest: neq; essentiã attingere

aut quondam,aut deinceps,aut nũc,ſeu ſcientia,ſiue opinio,ſiue ſenſus,an ſermo, an nomen,an aliud quoduis ex ijs quę ſunt,circa ipſum quod minime eſt,exiſtet? Minime. His igitur rationibus unum ſi non eſt, nullo prorſus modo aut uſquam ſeſe habet. Non ſanè uidetur ullo modo aut uſquam ſeſe habere.

Suppoſitio octaua

EST ne iterum diſputandũ unum ſi non eſt, quid alijs præter unum euenire oporteat? Diſputandũ. Primum igitur iſta alia,aliquid eſſe oportet. niſi eñ alia ſint,haud ſanè de ipſis alijs diſſereret. Sic eſt. Et ſi de alijs ſermo ſit, alia profecto altera ſunt.an non idem tu aliud & alterũ uocas? Equidem. Alterum nõne ab altero alterum,et aliud ab alio aliud eſſe dicimus? Vtiq;.Ergo ipſis alijs ſi modo alia futura ſunt,aderit aliquid à quo alia erunt.Neceſſe.Quidnam id potiſſimum erit? Ab uno quidem alia non erunt, cum illud minime ſit.Non certe. Inuicem itaq; alia ſunt.id enim ſolum reſtat. alioquin à nullo alia futura ſunt.Recte. Idcirco ſecundum multitudines ſingula inuicem alia ſunt. Etenim ſecundũ unum nequeunt, non exiſtente uno. Verum quilibet ut uidetur aceruus illorum, multitudine infinitus exiſtit. Et ſi quod minimũ apparet, quiſpiam ſumpſerit, uelut in ſomno repente pro eo quod unum uiſum fuerat, multitudo occurrit: & pro eo quod minimũ apparuerat, q̃ maximum iam ſi ad alia diſſecta cõferas,apparet.Rectiſſime. Talibus, inquã, aceruis diuerſa inuicẽ alia præter unũ erunt,ſi non exiſtente uno,alia ſunt. Quàm maxime. An non plures acerui erunt,quorũ quilibet unus prima fronte uidebiť,nullus tamẽ unus erit, cum ipſum unum minime ſit? Certe.Numerus item illorum aliquis eſſe uidebitur:ſiquidẽ & unum quodlibet,cũ tamẽ multa ſint. Valde quidẽ. Paria prẽterea & imparia falsò uidebunť,uno prorſus abſente? Falsò. Quod inſuper exiguũ in illis primo uidebiť, ut dictũ eſt,ẽ ueſtigio q̃ maxima & q̃ plurima quo ad ſingula parua,quæ etiam multa ſunt,ſe nobis oſtẽtat.Quid prohibet? Quinetiam aceruus quiſq; æqualis multis paruiſq; aceruis eſſe uidebitur. Nã haud liquido ex maiori in minus trãſiſſe uideretur, niſi prius in medium peruenisſe uiſus eſſet.hoc aũt phantaſma quoddã æqualitatis erit. Veriſimile eſt.Nõne ad alium aceruum terminum habens,ipſum ad ſeipſum neq; principiũ,neq; medium, neq; finẽ habet? Qua de cauſa? Quia ſemper cum quis horum aliquid intelligentia cõtuetur, ante principium ſemper aliud occurrit principium:et poſt finem,alter ſemper finis ſubſequitur:necnon in medio, alia ſemper interiora q̃ medium, ſemperq; minora, ob id quia nequit unum aliquid in his accipi,cum unum minime ſit. Veriſſima loqueris. Diſcerpi denicq; neceſſario arbitror ut diſperſum,quodcunq; intelligentia quis aſſumpſerit. ſemper enim aceruus unius expers accipitur.Proculdubio. Nónne hoc tale eminus & obtuſe proſpicienti unũ apparet? Neceſſe. Cõminus autem & acute intelligenti unumquodq; multitudine infinitum? ſiquidem ab uno non exiſtente deſeritur. Præ cæteris neceſſarium hoc eſt. In hunc itaq; modum infinita,& finem habentia,& unum,& multa quælibet alia apparere oportet,ſi non unum,ſed alia præter unum ſunt. Oportet utiq;. An non ſimilia quoq; & diſſimilia uidebunť? At quomodo? Nam cum uelut adumbrata eminus proſpicienti unum, appareant omnia,in eodem aliquo cõmunicare,ſimiliaq; eſſe uidebuntur.Prorſus.At uero propius accedenti, multa & altera,atq; ipſo diuerſitatis phantaſmate altera ſibijpſis & diſſimilia. Sic accidit. Similes item atq; diſſimiles ipſos aceruos, tum ſibimet, tum inuicem apparere neceſſe eſt. Et maxime quidem. Nónne etiam eoſdem & alteros inuicem, & contiguos ſibi,& ſeorſum à ſeipſis, omnibusq; motibus agitatos, & undiq; permanentes,orientes & occidentes,ac neutra omniaq; huiuſmodi, quæ quidem percurrere facile nobis eſſet,ſi uno non exiſtente multa fuerint? Veriſsima narras.

Nona ſuppoſitio

REDEVNTES iam iterum ad principiũ,declaremus, unũ ſi nõ eſt, quidnam alijs præter unũ euenturũ ſit. Declaremus. Principio igiť unũ alia nõ erunt. Quõ enim? Neq; tamen multa. In ijs eñ quę multa ſunt,ineſt & unũ Eteñ ſi nullũ illorũ eſt unum,cũcta nihil ſunt,quapropter neq; multa. Vera loqueris. Cum itaq; unũ haud inſit alijs,nec multa,nec unũ ſunt.Non planè. Neq; etiã apparent unũ aut multa.Curnam? Qm̃ alia cum ijs quæ non ſunt, nullum prorſus cõmercium habent,neq; quicquã ex ijs quæ minime ſunt, ad aliquid aliorum attinet: nam nulla pars ijs quæ non ſunt, adeſt. Verum. Neque igitur opinio de eo quod minime eſt, nec phantaſma cęteris ineſt,neq; ullo modo id quod non eſt,ab alijs opinione cõcipitur.

Non

Non certe. Quapropter ſi unum non eſt, nihil aliorũ opinione concipitur aut unum aut multa eſſe. Nam abſq; uno multa opinari penitus impoſſibile. Impoſsibile nimiũ. Ergo ſi unum non eſt, alia neq; ſunt, neq; opinione etiam cogitantur unum aut multa eſſe. Non uidentur. Vnde neq; ſimilia, neq; etiã diſſimilia. Non. Neq; etiam eadem, aut altera. neq; contigua, neq; ſeiuncta, neq; reliqua quotcunq; in ſuperioribus tanquam quę ad ipſa alia ſpectare uiderentur, enarrauimus, neq; ſunt alia, nec eſſe alia uidentur, unũ ſi nõ eſt. Vera. Nónne ut ſummatim loquar, ſi dixerimus, unum ſi nõ eſt, nihil eſt, recte dicemus? Et maxime quidẽ. Hoc itaq; dictum à nobis ſit, atq; illud præterea, quod ut uidetur, unum ſiue ſit, ſiue nõ ſit, tum ipſum, tum etiam alia ad ſeſe, atq; inuicem omnia omnino ſunt atq; nõ ſunt, apparentq; inſuper, & non apparent. Veriſsima quidem hæc ſunt.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI

in Philebum Platonis, uel De ſummo Bono.

HIVS *libri propoſitum eſt, de ſummo animæ bono diſſerere, quod quidẽ ſummum bonum cum conditione quadam dicitur, cum ipſum rerum omniũ principium ſummum bonum abſolute dicatur. De hoc igitur quod cum conditione bonum, hoc in libro: de eo quod abſolutum, in Parmenide diſputatur. Ab abſoluto aũt hoc manat, quemadmodum lumen quoddam ab ipſo luminis totius fonte dependet. Quamobrem in Phædone & Theæteto dictum eſt à Platone ſummum animæ bonum dei ſimilitudinẽ eſſe, Nihil uero ſolis fit ſimile, niſi quadam luminis ipſius infuſione. Vnde & animæ bonum erit integra diuini luminis conſecutio. Id lumen in mentem primo, in uoluntatem deinde deſcendit. In mente ueritas, in uoluntate gaudiũ: in mente ambroſia, in uoluntate nectar, à Platone hic et in Phædro cognominantur. Itaq; ſummum hominis bonum in ſapientiæ uoluptatisq; mixtione locauit. Sed ante in ſola uel ſapiẽtiæ uel uoluptatis ratione beatitudinem conſiſtere poſſe negauit, ex eo quod triplex boni ſummi conditio in neutro reperiatur. Ea eſt, ut ſummopere perfectum ſit, & ſufficiens, & expetẽdum. Perfectũ, quia nihil ſibi deeſt. Sufficiẽs, quia nihil deeſt illi quod ipſum capit. Expetendũ, quia in illo & ex illo eſt, quicquid appeti poteſt. Vnde quia perfectum, ſufficiens: quia ſufficiens, expetendum. Sanè quia ſibi ſat eſt, alteri ſufficit: quia ſufficit alteri, deſideratur ab altero. Hæc neq; ſoli ſapientiæ, neq; uoluptati, ſed mixto cuidam ex utraq; competere demonſtrantur. ubi de uoluptatis & ſapientiæ genere, origine, atq; natura permulta dicuntur, de infinito & termino, de cõpoſito & cõpoſitionis principio. Ac demum concluditur ſummum in natura bonum, & abſolutum, eſſe menſuram uniuerſorum, hoc eſt totius naturæ principium. Summum uero bonum mentis & animæ eſſe illius primi poſſeſsionẽ, quæ mixtioni ex ſapientia & uoluptate per ueritatẽ, cõmenſurationem, & pulchritudinem conuenit, Quapropter in primo bonorum gradu rerum omnium menſura ponitur: in ſecundo ueritas: commenſuratio, pulchritudo: in tertio mens ſapiẽtiaq;: in quarto ſcientia, ars, & opinio: in quinto temperata uoluptas. Beatusq; uir dicitur, qui et ſapientiam diuinorum adeptus eſt, & humanorum peritiam ſcientia quadam & arte & opinione conſtantem, gaudio contemplationis totus exultat, uoluptati ſenſuum eatenus ſe committit, quatenus ſapientia ſcientiaq; & gaudium impedimentum in de nullum accipiunt. Introductio ad dialogũ eiuſmodi eſt. Cum multa de ſummo bono ultro citroq; Socrates Philebusq; cõtuliſſent. atq; eſſet Philebus iã diſputãdo defeſſus, Protarcho nuper adueniẽti gratulatus eſt, annuitq; ut prouinciã in diſputãdo ſuã ſuſciperet. Protarchus utpote adoleſcẽs ſubito eſt aſſenſus. Ad quem cõuerſus Socrates. Cõſidera, inquit, quã tutelã ſuſcipias, neq; temere ad diſputationẽ properes. Immo audi utriuſq; ſententiã prius, et eam quæ tibi recta ratione examinãti probabilior apparet, accipe defendendã. Sed iam ad dialogũ ueniamus.*

Summũ bonũ

Ambroſia
Nectar
Summũ bonũ in ſapiẽtiæ & uoluptatis mixtione
Tres conditiones ſũmi boni
Summũ in natura bonũ & abſolutũ, eſſe mẽſuram uniuerſorum
Bonorum gradus

PHILEBVS PLATONIS VEL DE SVMMO BONO

SOCRATES, PROTARCHVS, PHILEBVS.

VIDE ô Protarche quem nunc à Philebo ſermonem accepturus ſis, & cõtra quem potius ſicubi parum tibi arrideat, pugnaturus. Vis ne utranq; ſententiam in ſummã redigamus? PROT. Volo equidẽ. SOC. Philebus quidem inquit animantibus omnibus bonum eſſe lætitiam, uoluptatem, delectationem, cæteraq; huius generis omnia. Noſtra autem aduerſus illum diſceptatio eſt, ut non iſta quidem, ſed ſapere, intelligere, meminiſſe, & quę hiſce cognata, opinio recta, uericq; rationis diſcurſus, meliora & potiora ſint q; uoluptas omnib. quæcunq; horum

rum capacia ſunt, eorumq; adeptio maxime omnium utilis ſit & præſentibus & futuris. An non hæc utriuſq; ſententia Philebe fuit? PHIL. Et maxime quidem. SOC. An ſuſcipis ô Protarche, eam quæ tibi nunc oblata eſt diſputationem? PROT. Neceſſe eſt me illam ſuſcipere, quandoquidem Philebus pulcher ille defeſſus eſt. SOC. Oportet equidem quid in ijs uerum ſit, omni ſtudio definire. PROT. Oportet ſanè. SOC. Age igitur præter hæc id inſuper aſſeueremus. PROT. Quid nam? SOC. Quod uterq; noſtrum habitum quendam & affectionem animi, quæ cunctis hominibus uitam exhibere beatã poſſit, demonſtrare conetur. Nónne? PROT. Certe. SOC. Et uos quidem habitum affectionemq; lætandi, nos autem ſapiendi. PROT. Sic eſt. SOC. Si quis uero habitus præſtantior utroq; horum uideatur, idemq; uoluptati cognatior ſit, ac ſtabilimẽtum uitæ præſtet, nónne utriq; ſuperabimur nos. uoluptas autem ſapientiam ſuperabit. PROT. Profecto. SOC. Sin autem ſapientiæ ſit is propinquior, uincet utique ſapientia uoluptatem, uoluptas contra ſuccumbet. Num iſta conceditis? PROT. Mihi quidem concedenda uidentur. SOC. Philebo autem quidnam uidetur? PHIL. Mihi ſanè uoluptas præſtare uidetur, ſemperq; uidebitur. Ipſe autem uideris ô Protarche. PROT. Cum iam iam nobis Philebe conceſſeris diſputationis officium, haud amplius apud te aſſentiendi Socrati, uel diſſentiendi poteſtas erit. PHIL. Vera dicis. Ego uero purgatum me uolo, teſtemq; deam aduoco. PROT. Et nos quoq; teſtes erimus, te iſta quæ dicis dixiſſe. Verum nos deinceps ô Socrates, uel uolente Philebo, uel quomodocunq; uis, abſoluere conemur rem. SOC. Conemur ab ipſa dea exordientes, quam hic Venerem nuncupari quidem, ſed ueriſſimum ei nomen eſſe uoluptatis inquit. PROT. Recte ſanè. SOC. Reuerentia uero mihi ſemper erga deorum nomina eſt, nõ humana quędam, ſed maximum quemq; timorem exuperãs. Et nũc quidem Venerem quemadmodum ipſi gratum eſt, ſic appello: uoluptatem uero rem eſſe uariam ſcio: Sed ab ea, ut dixi, principium facientes, quam habeat naturã inueſtigare debemus. Rem unam quidem audimus: formas tamẽ uarias admodum, & inuicem quodammodo diſſimiles habet. Vide enim. delectari dicimus intemperantem hominẽ. Sed & temperantia temperantem: delectari inſipientem inſipientibus opinionibus, ac uana ſpe undiq; plenum. ſed & ſapientia ſapientem: quas quidem uoluptates ſi quis diſſimiles eſſe neget, inſipiens eſſe merito uideatur. PROT. Hæ quidẽ ô Socrates, ex cõtrariis rebus proueniunt, non ſunt tamen ipſæ contrariæ. Qui enim uoluptas uoluptati rerum omnium maxime ſimilis non ſit, cum ſit eadem ipſa ſibi? SOC. Enimuero ô beate, neq; color à colore, ex eo quod color unuſquiſq; eſt, differt, at uero nigrum albo præter quàm quod differt, etiam contrarium eſſe nouimus omnes. Quinetiam figura figuræ eadem genere ipſo in uniuerſum eſt: partes aũt generis eius aut in immenſum inter ſe differunt, aut contrariæ ſunt etiam, cęteraq; huiuſmodi multa reperiemus. Quam ob rem noli huic rationi, quæ maxime contraria omnia unum efficit, credere. Vereor enim ne forte uoluptates quaſdam inter ſe cõtrarias reperiamus. PROT. Forte, ſed quid hoc rationem noſtram lædet? SOC. Id certe lædet, quod tu hæc diſſimilia cum ſint, alio (ſic dicamus) nomine uocas: ais enim ſuauia omnia bona eſſe: ſuauia uero, quin ſuauia ſint, nulla prohibet ratio. Cum autem ex ijs multa mala ſint, multa etiam ut nos quidem dicimus bona, tu tamen omnia bona uocas, etiam diſſimilia inuicem confeſſurus, ſi quis coegerit. Quid ergo in cũctis uoluptatibus tam malis quàm bonis idem ne quiddam cõmuniter inuenitur, cuius gratia bonas omnes uocas? PROT. Quid ais ô Socrates? An putas quempiam, cum poſuerit uoluptatem bonum eſſe, inde tibi cõceſſurum quaſdam bonas, quaſdã malas eſſe? SOC. Veruntamen diſſimiles eſſe multas, pleraſq; etiã inter ſe contrarias confiteberis. PROT. Haud ſanè in quãtum uoluptates ſunt. SOC. Rurſus in idem relabimur ô Protarche, dicemusq; uoluptatem uoluptate nihil differre, ſed omnes conſimiles eſſe: & exempla in medium paulo ante inducta nihil mouebũt. ac inſtar eorum qui inepti & rudes diſputationum ſunt, contendemus. PROT. Qui iſta dicis? SOC. Quia ſi ipſe te imitans ego, repellensq; dicere non uerear, quod diſſimillimũ omnium diſſimillimo ſimillimum ſit, eadẽ quæ & tu afferre potero. Itaq; rudiores quàm par ſit, apparebimus. Et oratio nobis exciderit, peractaq; iam ſit, rurſum igitur eam exordiamur: fortaſſe enim altius progreſſi in eandem ſententiam concedemus. PROT. Dic quomodo? SOC. Pone me uiciſſim interrogatum abs te ô Protarche. PROT. Quid nam? SOC. Sapiẽtia, ſciẽtia, mens, & quæ

Venus uoluptas

Plures modi delectãdi

& quæcunq; ego à principio rogatus quid ipsum bonum sit, bona uocabam, nõne idem quod & sermo tuus, patientur? PROT. Qua ratione? SOC. Cunctæ nanq; scientiæ multæ uidebuntur, earumq; nonnullæ dissimiles inuicem. quod si quæ etiam contrariæ sint, nũnquid præsenti disputatione dignus fuero, si hoc ipsum ueritus, nullam scientiam scientiæ dissimilem dixerim? Sic tandem sermo noster tanquam fabula euanesceret, nos autẽ ruditate quadam detineremur. At sic fieri minime decet, quin potius salutis ratio habenda est. Mihi igitur & in tua, & in mea oratione ex æquo id placet: ut multæ uidelicet uoluptates ac dissimiles sint, multæ præterea differentesq; scientiæ. Differentiam itaq; mei ac tui boni ô Protarche, minime abscondentes, sed in lucem potius educentes, feramus, si qui examinantes inquirant, uoluptatem ne an sapientiam, aut tertium præter ista quid dam bonum uocare fas sit. Nunc enim nequaquam istud contendere debemus, ut quæ ipse pono aut quę tu, uincant, sed ei quod uerissimum est, faueamus. PROT. Sic oportet. SOC. Hoc item multo magis mutua confessione stabiliamus. PROT. Quidnam? SOC. Quod omnibus hominibus molestum est, & uolentibus & inuitis etiam interdum quibusdam. PROT. Dic planius. SOC. Sermonem qui mox incidet inquam, natura mirabilem. Multa unum esse, & unum multa, mirabile dictu. In quo facile est utrãcunq; partem defendas litem mouere. PROT. Nunquid hoc ais, cum quispiam me uerbi causa Protarchum unum natura genitum asserit, eundem rursus multos dicat? rursus qui me contrarios, grauem, leuem, magnũ, paruum ponant, ijdem eundem unumq; hominem ponant, & multa huius generis? SOC. Tu quidem ô Protarche, circa unum ac multa, quæ mira uideri desierunt inducis, & quæ, ut ita dicam, omnes consentiunt minime tentanda esse, cum puerilia sint quædam, & facilia cognitu, ac maxime sermonibus obfutura, si quis admittat: nec mirabilia cẽsenda, si quis membra alicuius partesq; ratione diuidens uniuersas eas, illud unum esse confessum, mox refellat, derideatq;, quasi mõstra fateri coactum, unum multa scilicet infinitaq; esse, multa uero unum. PROT. Tu uero quænam alia dicis ô Socrates, quæ nondum concessa circa sermonem eundem diuulgata sint? SOC. Quando quispiam ô puer, ipsum unum nihil ex ijs quæ oriuntur, & occidunt, ponit, ut paulo ante nos diximus, tunc tale unum haudquaquam refelli debere concessum est. At quum unum hominem affirmare conatur, bouem unum, pulcrum unum, unumq; bonum, tunc sanè in ijs eiusmodiq; unitatibus, anxium studium, ac etiam diuisio ambigua fit. PROT. Quo pacto? SOC. Primo quidem utrum admittendum sit, eiuscemodi quasdam unitates uere esse: Deinde quomodo quamlibet earũ unam semper eandemq; esse putandum, nec generationem, nec interitum suscipientem, suaq; in unitate firmissimam: Postremo nunquid in rebus genitis, & infinitis quæq; ponenda sit, siue dispersa, multaq; ex una iam facta, siue tota ipsa ab seipsa seorsim, quod maxime omnium impossibile uideatur, unum idemq; simul in uno multisq; fieri. Non illa igitur ô Protarche, sed ista sunt quæ circa unum et multa, male accepta, omnis difficultatis defectusq; sunt causa, bene autem examinata, facilitatis. PROT. Oportet nos ô Socrates, hoc primũ in præsentia discutere. SOC. Sic ego quidem iudicarim. PROT. Hos igitur omnes concedere hæc tibi existima. fortè uero nunc præstet Philebum, quasi malum (ut dicitur) quod bene iacet, rogando nõ mouere. SOC. At unde potissimum exordiemur, cum multa & uaria in his dubitationibus pugna insit? hinc ne? PROT. Vnde nam? SOC. Vnum ac multa rationibus idem facta, omnem ubique orationem & quondam & nunc peruagari: quod ut nunquam futurum non est, ita nunc primum haud cœpit, sed est, ut mihi quidem uidetur, in hoc disputationum genere Protarche, immortalis quædam & nunquã senescẽs insita nobis ratio. Eam cum primum adolescens aliquis gustauit, secum ipse congratulatur, quasi quendam thesaurum sapientiæ nactus, & uoluptate plenus exultat, ac furit, omnemq; disputationem prompte pertentat, atq; sermonem undiq; discutit, tum quidem in alteram partem reflectens, & in unum cõmiscens, tum uero explicans iterum, & in multa distribuens: ubi certe in dubitationẽ difficultatemq; seipsum primo ac præcipue deijcit, deinde proximum quemq; siue iunior, siue senior, siue æqualis sit, nec patri, nec matri, nec audientium cuiquam parcens, fermè etiam nec alijs animantibus, nedum hominibus, quandoquidem et barbarorum nemini parcat, modo interpretem nanciscatur. PROT. An non uides ô Socrates, qui astamus, omnes iuuenes nos esse? tum non metuis ne unà cum Philebo, si nos

Malũ bene sopitum ne moue

si nos ita obiurgaueris, in te impetum faciamus: ueruntamen, intelligimus enim quod dicis, si quis modus est, si quod machinamentū quo perturbatio hæc benigne è disputatione reijci, ac uia quædam ad sermonem cōmodior reperiri possit, & ipse meditare, & nos pro uiribus te sectemur: Necp enim parua disputatio præsens est ô Socrates. SOC. Non certè ô pueri, sic enim Philebus uos appellauit. Nulla tamen est uia pulchrior, necp esse potest cp illa quam semper ego dilexi. At illa me sæpe fugiens, desertum inopemcp destituit. PROT. Quænam ista? dic modo. SOC. Quam ostendere haud ita difficile est, persequi uero difficillimum. Quæcunp enim per artem adinuenta sunt, hac in lucem hominibus prodierunt uia. Animaduerte quæso, quam dico. PROT. Dic modo. SOCR. Donum profecto deorum ad homines, ut mihi uidetur, per Prometheum quēdam unà cum quodam lucidissimo igne descendit. Etenim prisci nobis prestantiores, dijscp propinquiores, hæc nobis oracula tradiderunt, quod cum ex uno & multis constent uniuersa quæ semper esse dicuntur, terminumcp & infinitum innatum habeant, oportet nos his ita ordinatis, unam semper ideam in uno quolibet generatim ponētes inquirere, & eam insitam inuenturos esse: quam si comprehendamus, post unam duas, si sint, perscrutari: si minus id pateat, tres, aut alium numerū quærere, & quodlibet eorum quæ sunt unum, rursus eodem pacto diuidere, quouscp ipsum principio unum, nō modo quod unum multacp & infinita sit, uerumetiam quot sit, aliquis noscat: infiniti autem ideam non prius ad multitudinem adhibere, quàm quis numerum omnem inter infinitum, & unum medium cadentem percepit, tum demum unum quodlibet omnium abeuntium in infinitum dimittere. Dij ergo, ut diximus, sic nobis inuestigare, discere, & mutuum docere dederunt. Qui uero nunc extant ex hominibus sapientes, unum quidem ac multa utcunp contingit, uelocius atcp tardius quàm decet, inducunt, & post unum infinita continuò, media uero illos effugiunt. Quibus disputandi ratio, tum dialectica, tum etiam litigiosa discreta est. PROT. Quæ modo dixisti ô Socrates, partim intelligere mihi uideor, partim clarius audire desidero. SOC. Perspicue hoc constat in literis ô Protarche, quod diximus. Itacp in his quas didicisti, id accipe. PROT. Quonam pacto? SOC. Vox, inquam, ex ore nobis erumpens una est, & infinitæ rursus uoces numero, & cunctorum pariter, & cuiusque. PROT. Quid ni? SOC. Neutro tamen horum docti efficimur, nec quod eius infinitum, nec iterum quod eius unum cognoscimus, sed quia & quot, & quales sunt, tenemus. hoc enim unūquemcp nostrum grāmaticum reddit. PROT. Verissima loqueris. SOC. Idem quoque musicum hominem facit. PROT. Qua ratione? SOC. Vna quodammodo & in hac arte uox est. PROT. Quid ni? SOC. Duo item ponēda sunt, graue & acutum, & tertium tonus medius. nónne ita? PROT. Ita. SOC. Veruntamen nondum doctus musicen eris, si hæc sola cognoueris, & ista ignorans, ut ita loquar, nullius eris in musica precij. PROT. Nullius. SOC. Sed postquam ô amice, acceperis quot interualla uocis numero sunt circa graue atcp acutum, & qualia, necnon interuallorum termini, & quotcunp ex his compositiones proueniunt. Quæ maiores nostri cōspicientes nobis eorum sectatoribus, ut huiusmodi quædā harmonias appellaremus, tradiderūt. In motibus præterea gestibuscp corporis alia quædā talia ineſſe mōstrarūt, quæ numeris demēsa, rhythmos atcp mensuras uocari iussere: cogitare præterea q̄d eadem ratione de unoquocp quod unum, & multa est, considerare debemus. Nam quando ista sic accipis, sapiēs tunc euadis. Cum uero & aliud quicquam ita comprehendis, sapiens rursus circa illud efficeris. Infinita autem singulorum & in singulis multitudo, uagum te incertumcp, & rationis ac numeri reddit expertem, utpotè in nullum cuiuscp terminum respicientem. PROT. Præclare hæc ô Philebe, Socrates mihi dixisse uidetur. PHIL. Mihi quocp, sed quid ad rem hic sermo? quidúe sibi uult? SOC. Rectè id ô Protarche, Philebus iste quæsiuit. PROT. Prorsus. Respōde igitur. SOC. Faciam quod uultis, ubi de his ijsdem paulisper etiam disputauero. Vt enim si quis unum aliquod accipit, is ut diximus, haud mox in infiniti naturā, sed aliquem numerum descendere debet: ita uicissim, si quis infinitum primo sumere cogitur, nequaquam in unum continuò, sed in numerum quendam qui multitudinem aliquam habeat, debet intēdere, ex omnibuscp tandem in unum desinere. Quod uero nunc diximus, rursus in literis coniectari licet. PROT. Quomodo? SOC. Postquam infinitam uocē cogitauit, siue deus aliquis, siue homo diuinus, qualis apud Ægyptios Theuth fuisse

Prisci & nobis præstantiores, etdijs propinquiores

Hoc loco quis nosse posset, cū ponatur sciētiā esse uirtutē, & uirtutē in mediocritate, cp scientia sit etiam in quadā mediocritate, id est in termi/num & infinitum

Hac ratione & Aristoteles uoces in decē genera coegit

Circa finita, id est media, sapientia est

Circa infinita non est ratio

Theuth

fuisse fertur, primo in ipsa uocis infinitate uocales literas considerauit, quæ non una, sed plures sunt, rursusq; alias quæ non uocis, sed soni participes essent, atq; harum numerum certum similiter definiuit: tertiam deinde speciem literarũ distinxit, earum quas nũc mutas uocamus, postremo liquidas mutasq; discreuit usq; singula quædam, uocalesq; & medias eodem modo, donec earũ numero in singulis speciebus, & in uniuersis reperto, elementa uocauit. Cumq; uideret neminem nostrum, horum quicquam seorsim perceturum, nisi uniuersa percepisset, hoc uelut uinculum, unum quiddam existens, & in unum dispersa redigens meditatus, quã unam in his esse artem grãmaticen animaduertit, eo nomine appellauit. PHIL. Hæc planius quàm superiora uidelicet ipsa inuicem comparata ô Protarche, comprehendi. Idem tamen & nunc, & superius in hac disputatione desidero. SOC. Num ô Philebe, requiris, quid uidelicet ad sermonem nostrum ista conferant? PHIL. Id scilicet quod dudũ ego & unà Protarchus requirebamus. SOC. Nunquid hoc assecuti, requiritis tamen iampridem ut inquis? PHIL. Quónam pacto? SOC. An non de sapientia & uoluptate nobis ab ipso principio disceptatio fuit, utrum ex ijs eligendum? PROT. Immo. SOC. Etenim unum esse utrũq; horum diximus. PROT. Diximus profecto. SOC. Hoc ipsum prior sermo requirit, quomodo unum, & multa utrumq; horum sit, quóue pacto non infinita continuo, sed certum utrunque horum numerum accepit prius, quàm in infinitum porrigatur. PROT. Haud sanè in leuem nos quæstionẽ, nescio quo modo Socrates, ô Philebe, circumduxit. Quare age, considera uter nostrum ad præsentem interrogationem respondeat. Fortè enim ridiculũ est, me disputationis totius succesſorem, ex eo quod respondere ad id modo nequeam, rursus hoc ipsum tibi imperare. Attamen ridiculũ multo magis esset neutrum nostrum id posse. Meditare itaq; quid agamus: species enim uoluptatis à nobis exigere Socrates uelle uidetur, sint, nec ne, quotq; præterea, quales ue sint, & de sapientia eadem similiter percontari. SOC. Vera loqueris ô Calliæ fili. Nisi enim id circa quodlibet unum, simile, idem, & cõtrarium, quemadmodum oratio præcedens ostendit, obseruare queamus, nullus unquam nostrum ullius erit ad aliquid precij. PROT. Sic fermè ô Socrates, se res habere uidetur. Ac præclara quidem res moderato uiro omnia nosse. Altera uero (quod dicitur) nauigatio, proximumq; uidetur, seipsum minime latere. quorsum autem ista nunc dixerim, declarabo. Ipse nobis ô Socrates disputationis huius auctor extitisti, teq; ipsum ad inuestigandum quid ex humanis rebus optimum sit, præbuisti. Nam cum Philebus uoluptatem, delectationem, lætitiam, & reliqua huius generis, hominibus optima esse assereret, tu illi statim contradixisti, esse nõ ea, sed illa potius quæ sæpenumero in memoriam nobis sponte reducimus, recte agentes, ut in memoriam reducta utraq; discutiantur. Dicis autem, ut uidetur, (quod adijciendum puto recte) præstantius uoluptate bonum esse, mentem, scientiam, intelligentiam, artem, & reliqua huiuscemodi, & quod capessere potius illa debeamus. Quæ utraq; cum in dubium uocata sint omnia hæc, quasi ioco minati sumus, nõ prius te dimissuros quàm huic controuersię certus finis imponeretur. Tu uero concessisti quidem, teq; ipsum ad id exequendũ exposuisti. Nos itaq; dicimus quod pueri solent, quæ recte data sunt, auferri non debent. Pone igitur illum disputandi modum nũc quidem. SOC. Quem dicis? PROT. Quo dubitationum scrupulos inijcis, eaq; interrogas, quibus de respondere tibi nunc nemo nostrum idonee saltem potest. Neque enim belle finita esse disputatio putanda est, qua perplexos omnes nos reddidisti. Atq; si minus id nos ualemus, tibi agendum est: pollicitus enim es. Hoc igitur tu consulta, utrum uoluptatis & sapientiæ species distinguendæ, an potius dimittendæ, an alio quoquam modo queas uelis ue, quæ nũc inter nos controuersa sunt, aperire. SOC. Nihil igitur metuendum est mihi quidem amplius, postquam hæc tu ita dixisti. Nam ubi si uelis dicitur, omnis qualibet in re formido fugatur: accedit, quod deorum aliquis memoriam nobis aliquam suppeditasse uidetur. PROT. Quo pacto, & quorum memoriam? SOC. Quos olim siue somnians, siue uigilans sermones audiui, nunc de uoluptate & sapiẽtia cogito, neutram harum esse bonum, sed tertium aliquid, quod aliud est ab utraq;, & ambabus est melius. idq; si nunc nobis liquido pateat, uoluptas à uictoria procul aberit: bonum quippe idem quod illa nequaquam erit. Sic ne? an aliter? PROT. Sic utiq;. SOC. Speciebus itaq; uoluptatis ad diuisionem haud amplius, ut mea fert opinio, indigebimus, quod in sequentibus clarius innotescet

Neq; uoluptatẽ, neque sapiẽtiã esse summũ bonum sed tertium

teſcet. PROT. Præclare loqueris, perge ſic obſecro. SOC. Paucula quædam prius aſſeueremus. PROT. Quænam? SOC. Ipſius boni conditionem uidelicet, perfectum eſſe, an imperfectum neceſſe ſit. PROT. Omnium ô Socrates perfectiſſimum. SOC. Quid uero, ſufficiens ne bonum ipſum eſt? PROT. Quid ni? & in hoc ipſum ab omnibus quæ ſunt, differre neceſſe eſt, cunctisq; præſtare. SOC. Hoc quoque de illo maxime ut arbitror, neceſſarium eſt aſſerere, quod omne cognoſcens id ipſum uenatur, & appetit apprehendere cupiens, atque ipſum in ſe, & alia circa ipſum poſſidere, cæterorumq; nihil curat, præterquam quæ unà cum bonis perficiuntur. PROT. His repugnare non licet. SOC. Conſideremus igitur dijudicemusq; uoluptatis & ſapientiæ uitam ſeorſum inſpicientes. PROT. Quo pacto inquis? SOC. Neque in uoluptatis uita ſapientia inſit, neq; in ſapientiæ uita uoluptas. Oportet enim ſiquidem his prius bonum eſt, nullius amplius indigere: ſi uero indigum apparet, haud ulterius reuera nobis eſt bonum. PROT. Non certe. SOC. Num uolumus in teipſo periculũ facere? PROT. Prorſus. SOC. Reſponde igitur. PROT. Dic amabo. SOC. Optares ne ô Protarche, plenam ſummis uoluptatibus omnem uitam agere? PROT. Quid ni optem? SOC. Nunquid alio quopiam indigere te ultra putares, quando perfecta harũ poſſeſſione fruereris? PROT. Nequaq;. SOC. Aduerte itaq;, num ipſa ſapientia indigeres, & intelligentia, & cõuenienti ratiocinatione, & alijs quæcunq; horum cognata, ſed neq; uiſu? PROT. Et quid? omnia porrò haberem, ſi uoluptate fruerer. SOC. Et ita uiuens, per omnem uitam præcipuis uoluptatibus abundares? PROT. Profecto. SOC. Si mente, memoria, ſcientia, opinione uera penitus careas, primo quidẽ hoc ipſum, gaudeas ne, an nõ gaudeas, te ignorare neceſſe eſt, cũ ſis omni ſapientia uacuus. PROT. Neceſſe. SOC. Et cum memoria ſis priuatus, haud ſanè te aliquando delectatum fuiſſe recordaberis, nec ulla uoluptatis repente incidentis reſtabit memoria: & opinione uera orbus, dum lætaberis, lætari te minime opinabere. Ratione quoq; captus, q̃d in poſterum uoluptatem aliquam adepturus ſis, ratiocinari non poteris. Duces aũt non hominis uitam, ſed pleumonis cuiuſdam, id eſt, ſpongiæ marinæ, aut oſtreæ marinæ per ſimilem. Sũt hæc uera? an aliter de his ſentire licet? PROT. Et quo pacto aliter? SOC. An uita nobis huiuſmodi expetenda? PROT. Mutum me ô Socrates, præſens ratio reddidit. SOC. Ne deſiſtamus hic obſecro, ſed iam alteram illam mentis ſcilicet uitam in medium adducentes, ulterius conſideremus. PROT. Qualem inquis? SOC. Vtrum aliquis uiuere ſic eligeret, ut ſapientiam, mentem, ſcientiam, memoriam omnem omnium poſſideret, uoluptate uero nulla penitus frueretur, nec rurſus afficeret molestia, ſed ſine ullo tali affectu uiueret? PROT. Neutra ex ijs ô Socrates, uita aut mihi aut alteri, ut arbitror, eligenda uidetur. SOC. Quid aũt ô Protarche, uita ex ambobus in unum congredientibus mixta, & communis effecta? PROT. Ex uoluptate ais, ſapientiaq;, & mente? SOC. Hanc ipſam dico. PROT. Vnuſquiſq; ſanè hanc ipſam potius q̃ ex ſuperioribus alterutram eliget: neque unus optabit quidem, alius minime, ſed idem omnes pariter expetent. SOC. Videmus ne igitur quid ex ijs ſequatur? PROT. Prorſus quidẽ quod tres uitæ propoſitæ ſunt: ex duabus neutra ſufficiens, aut optanda uel hominibus, uel cæteris animantibus. SOC. An nõ circa hæc iam id conſtat, quod neutra ipſum bonum poſſidet? etenim perfecta & non ſufficiens eſſet, & uniuerſis plantis, & animantibus exoptanda, quæcunq; ſic ſemper uiuere poſſent. Siquis uero ex nobis alia eligat, prẽter naturam eius quod reuera affectandum eſt, eliget, neq; id ſponte, ſed ex ignorantia uel infelici quadam neceſſitate. PROT. Hæc ita ſe habere uidentur. SOC. Quod ergo Philebi deam haud idẽ quod ipſum bonum exiſtimare oporteat, ſatis iam dictũ eſſe uidet. PHIL. Sed neq; etiã tua mens ô Socrates. prædictas enim obiectatiões patit. SOC. Forſitan ô Philebe mea. nõ tamẽ uerã diuinãq; mentẽ ſic arbitror, ſed aliter ſeſe habere. Equidẽ quod primas in iſta communi uita mens obtineat, non cõtendo ego quidẽ. De ſecundis uero uidendũ eſt, quid faciamus. fortè enim cõmunis uitæ cauſam alter noſtrũ mentem, alter uoluptatem afferat, atq; ita bonum ipſum neutrum erit iſtorum: fortè uero alterutrum horũ cauſam eſſe quiſpiam cenſebit. Quo magis ego cõtra Philebũ decertarim, quod hac in promiſcua uita quicquid illud denicq; ſit quod uita ſuſceptũ expetendam ipſam bonamq; reddit, ei mens ipſa, quàm uoluptas cognatior eſt, & ſimilior. Atq; ex hac ratione uoluptas, nec primas, nec ſecundas etiam partes reuera tenebit: longius autem aberit à tertia ſorte, ſiqua meæ menti fides nũc

Cõditio & ſors boni triplex

Triũ uitarũ quę optima

eſt ad

est adhibenda. PROT. Atqui ô Socrates, uoluptas iam prostrata uidetur rationibus tuis percussa, nam & spe uictoriæ decidit. De mente uero dicendum, quod non sapienter sibi uictoriam uendicaret. Eadem quippe pateretur. uoluptas autem secunda sorte priuata, omnino iam ab eius amatoribus contemnetur: neque enim æque pulchra ulterius appa rebit. SOC. Quid igitur? nónne dimittere illam præstat, neq; exquisita examinatione, re-dargutioneq; affligere? PROT. Nihil ais ô Socrates. SOC. An quia impossibile quiddam protuli, affligi uoluptatem? PROT. Non ob hoc tantum, uerum etiam quod ignoras nostrum nullum prius abire te dimissurum, quàm ad horum finem ratione deueneris.
SOC. O longam Protarche orationem futuram, imò uero futilem propemodum nunc. Videt enim alijs quibusdā iaculis prēter rationes superiores opus esse, si quis palmā men ti secundam cōparaturus accedat. fortasse uero & hæc habemus. Igitur oportet? PROT. Quid ni? SOC. Principium itaq; huius ponentes cautè & distincte occupemus. PROT. Quale principiū dicis? SOC. Omnia quæ nunc in uniuerso sunt, bifariam distinguamus. Immo si uis trifariam. PROT. Quónam pacto? SOC. Accipiamus nonnulla ex ijs quæ nunc à nobis sunt dicta. PROT. Quænam? SOC. Deum dicebamus ex ijs quæ sunt, alterum quidem infinitum, alterum uero terminum ostendisse. PROT. Omnino quidem.
SOC. Has itaque species duo illa ponamus: tertium uero, unum ex utrisq; commixtum. Ridiculus tamen uideor admodum, dum per species diuidere, atq; dinumerare ista contendo. PROT. Quid ais ô bone uir? SOC. Quarto adhuc genere opus esse cōstat. PROT. Quónam? SOC. Causam alternæ commixtionis istorum considera, eamq; præter tria illa quartum ponito. PROT. Nunquid & quinto insuper indigebis aliquo discernēte? SOC. Fortè. non tamen in præsentia ut arbitror. Sin autem opus fuerit, ignosces mihi quintam uiam sectanti. PROT. Quid obstat? SOC. Principio igitur, quatuor horū tria illa diuidentes, atq; utrunq; duorum in multa diffissum diuulsumq; uidentes, mox in unum rursus utrunq; coniungentes, perspicere conemur, quatenus utrunq; horū, uel unum, uel multa, sit. PROT. Hæc mihi si planius dixeris, assequar fortè. SOC. Duo profecto quæ proposita sunt, finitū dico, & infinitū. quod autem infinitum multa quodāmodo sit, conabor o-stendere, finitum uero in posterum differatur. PROT. Differatur. SOC. Attende igitur: ar duum namq; atq; maxime dubitandū est, quod considerare te iubeo. Attamen animad-uerte. Primū autem circa calidius frigidiusq; considera, utrum terminum aliquem in eis inuenias: an potius magis ac minus dum ijs generibus insunt, finem reijciant. fine namq; adhibito, ipsa etiā finirentur. PROT. Vera loqueris. SOC. At uero semper in ipso calidiori & frigidiori magis ac minus esse fatemur. PROT. Et maxime quidem. SOC. Semper ergo nobis hæc ratio monstrat ab ijs finem abesse: cūq; sine fine sint, omnino infinita fieri. PROT. Prorsus ô Socrates. SOC. Euge amice Protarche aduertisti nunc quod hoc ipsum uehementer abs te modo pronunciatū, & ipsum quoq; quod remisse dicitur, eādem uim habent quam ipsum magis ipsum ue minus? Vbicunq; enim adsunt, non simul magnum esse efficiunt, sed semper uehementius remissiori, & uicissim uehementiori remissius o-mnibus actionibus inferētia, plus ac minus efficiunt, quantū uero semper obscurant. Ni-si enim uehementius illud remissiusq;, item magis & minus, è sede sua, quantū & mensu ratum quod uocāt depellunt, sed occupari eam sinunt, mox ipsa pellentur. Neq; enim ca-lidius & frigidius iam amplius sit, si recipit quantū. Diffugiet tum, nec ultra consistet cali dius ipsum, & frigidius: quantū uero stat, progrediq; cessat. Quamobrem hac ratione ca-lidius, & frigidius infinita iam esse constat. PROT. Sic apparet ô Socrates: ueruntamē ut ipse dixisti, haud facile ista percipi possunt. Fortè uero deinceps iterū repetita, interrogā tem pariter & respondentē cōspirare inuicem declarabunt. SOC. Bene dicis, atq; ita pro uiribus agendū est. sed intuere primū, num id signum ponamus infinitæ naturæ, ne sin-gula transcurrentes orationē in longum nimium protrahamus. PROT. Quodnam dicis? SOC. Quæcunq; magis ac minus, uehemēter atq; remisse, nimisq; & huiusmodi quędam admittunt, cuncta in unum infiniti genus reducenda sunt, quēadmodum supra diximus, asserentes omnia quæ diuidua dispersaq; sunt in unum oportere colligi, secundumq; uim unam, uelut unam quandam naturā signari. Meministin? PROT. Memini. SOC. Quæ ue-ro talia quædam minime, sed horum contraria accipiunt omnia, primo quidem æquale ipsum atq; æqualitatem, post æquale & duplum, & singulas inde proportiones quascunq;

Quod infi-nitum sit multa

Magis ac mi nus finem reijciunt, & quantum

Signū infini tæ naturæ Quę in gene re infiniti

Quæ in ge-nere finiti

ad numerum numerus,& ad mensuram mensura habet, hæc inquam, omnia in genus finiti merito referremus. Quid ais ad hæc? PROT. Præclare nimium ô Socrates. SOC. Age dum ex utrisq; commixtum, quam ideam habere dicemus? PROT. Id mihi tu dices, ut arbitror. SOC. Immo Deus, si modo quis deus meas preces exaudiat. PROT. Obsecra igitur, & contemplare. SOC. Contemplor sanè. Ac mihi uidetur deorum aliquis nobis amice nunc aspirasse. PROT. Quo pacto id ais? & qua cõiectura uteris? SOC. Dicã planè, tu uero attentis auribus adsta. PROT. Dic modo. SOC. Calidius ne aliquid nunc,& frigidius dicebamus? PROT. Certe. SOC. Adde præterea siccius & humidius, plus ac minus, uelocius atq; tardius maius ac minus: ac denicq; quotcunque in superioribus ad naturam unam magis minus ue susceptientem redegimus. PROT. An infiniti naturam inquis? SOC. Eam inquam. cõmisce posthac cum his progeniem illam termini. PROT. Quam? SOC. Eam quam cum deceret in unum colligere, quemadmodum illam infiniti collegeramus,neq; dum collegimus. at fortè nunc idem ages: his quippe utrisq; concilia tis, illa tertia continuo patefiet. PROT. Quam dicis, & quomodo? SOC. Æqualis, & dupli progeniem, & quæcunq; diuersa quæ sunt, contraria infestaq; esse non sinit, sed cõ mensurata, & consona reddens, numerum efficit. PROT. Intelligo. dicere nanque mihi uideris, si ista miscentur, generationes quasdam ex eorum singulis euenturas. SOC. Et recte uideor. PROT. Dic igitur. SOC. Nónne in morbis recta horum communio sanitatis natam genuit? PROT. Omnino. SOC. In acuto autem etiam & graui, uelocí & tardo, cum infinita sint, hæc & terminum peperit, & perfectionem musicæ præstitit. PROT. Præclare. SOC. Quinetiam rigori & æstui tradita, id quod multum & minus, & infinitum dicitur, abstulit, mensuratum autem & commensuratum adhibuit. PROT. Quid ni? SOC. Ex ijs temperies anni, & quæcunq; pulchra sunt, cuncta manarunt, infinitis inuicem finitisq; coeuntibus. PROT. Certe. SOC. Atq; alia insuper innumerabilia prætermitto, ueluti cum sanitate pulchritudinem atq; robur. In animis quoq; permulta atq; præclara: petulantiam quippe, & uniuersam improbitatem dea hæc animaduertens ô bone Philebe, omni termino uoluptatum expletionisq; carere, legem & ordinem quibus terminus inest, ijs apposuit, eamq; tu sic infici ac perdi, ego cõtra seruari dico. Tibi uero Protarche, quidnam uidetur? PROT. Hæc prorsus secundum meam sententiam sunt asserta. SOC. Nónne tria hæc iam protuli, modo intelligas? PROT. At intelligere arbitror. Vnum quidem infinitum asseris. Secundum uero eorum quæ sunt terminum. At tertium illud quid dicere uelis, haud satis teneo. SOC. Multitudo ô mirifice uir, generationis eius tertium quod est, te stupefecit: quanquam & infinitum multa genera continebat, quæ tamen genere ipsius magis minus ue signata, unum apparuerunt. PROT. Vera narras. SOC. Veruntamen neque terminus multa cõtinebat, nec indignabamur, quasi non esset unum natura. PROT. Quo enim modo? SOC. Nullo modo. Sed tertium scito me dicere unum hoc quodcunque ex ijs nascitur, generationem uidelicet in essentiam, mensuris unà cum termino constitutis. PROT. Intellexi. SOC. Cæterum quid præter hæc tria, quartum genus sit, discutiendum restat. Communis autem ista disceptatio est. Vide eñ an non necessarium tibi uidetur, quodcunq; gignitur, per aliquam causam gigni. PROT. Mihi planè. Quomodo enim absq; ea fieret? SOC. Et efficientis natura nomine duntaxat à causa differt, efficiensq; & causa unum merito uocabuntur. PROT. Merito. SOC. Quinetiã factum ac genitũ solo nomine discrepabunt. PROT. Certe. SOC. Præcedit quidẽ atq; ducit natura semper q̃d efficiens est: quod uero factũ est ab eo genitũq;, ipsum sequitur. PROT. Prorsus. SOC. Non ergo idem, sed aliud est causa, & quod ad generationem causæ seruit. PROT. Quid prohibet? SOC. An nõ genita ipsa, & ex quibus gignuntur omnia, tria nobis genera præbuerunt? PROT. Maxime. SOC. Omniũ aũt istorum opificem quartum ponimus, causamq; uocamus, utpotè aliud quiddã quàm illa ad sufficientiam demonstratum. PROT. Ponimus absq; dubio. SOC. Verum iam decet cum quatuor discreta sint, quo melius singulorum meminerimus singulatim illa dinumerare. PROT. Vtique. SOC. Primum igitur infinitum dico, secundum terminum, tertium mixtam ex ijs genitamq; essentiam: postremum mixtionis generationisq; causam, si quartum uocem, nunquid errarem? PROT. Nullo pacto. SOC. Agedum uero quæ nobis deinde oratio est? & quid potissimum inquirentes, huc digressi sumus? nónne id erat? Quærebamu

Recta horũ cõmunio, id est, æqualis, uel dupli uel cęterorũ

Morbus est in excedẽte, uel cessante

calido, frigido, humido & sicco

bamus nempe utri secundæ tribuerentur, uoluptatine, an sapientiæ potius. An non ita? PROT. Ita certe. SOC. Postquam ista in hunc modum distinximus, nónne melius iudicabimus cui prima, cuiue secunda victoriæ palma danda sit, ex ijs quæ suprà in certamen uenerunt? PROT. Fortè. SOC. Victricem sanè posuimus, uitam ex uoluptate & sapientia mixtam. PROT. Immò. SOC. Qualis sit, & cuius generis hæc uita quodammodo cernimus. PROT. Cernimus. SOC. Pars nempe tertij generis. Neque enim ex duobus quibusdam mixtum illud est, sed ex infinitis omnibus termino deuinctis. Quapropter merito uictrix hæc uita illius pars erit. PROT. Et recte admodum, SOC. Eia Philebe, dulcis illa tua ac simplex uita, ad quod prædictorum genus pertinere iure putabitur? Sic autem mihi prius quàm definias, responde. PHIL. Dic modo. SOC. Voluptas ac dolor terminum habent, an potius ex eorum genere sunt, quæ magis minus ue suscipiunt? PHIL. Ita ex ijs quæ magis ô Socrates: neq; enim uoluptas omne bonum esset, nisi suapte natura, & secundum multitudinẽ, & secundum id quod magis infinita existeret. SOC. At neq; etiam dolor ô Philebe, omne malum: quamobrem aliud quiddam nunc considerare debemus quàm infiniti naturam, quod uoluptatibus partem boni aliquam præbeat. Enimuero ex ijs indeterminatis uita illa tua sit. Sapientiam autẽ, scientiamq;, & mentem, utrò potius ô Protarche atq; Philebe, referemus, ne in pietatem à nobis peccetur? haud enim mediocre periculum est, recte secus ue quod modo quæsitum est, explicuisse. PHIL. Deum ô Socrates, tuum extollis. SOC. Et tu ô amice, deam tuam. Verum ad id quod quæsitum est, redeundum. PROT. Probe loquitur Socrates ô Philebe. Ideoq; parendum. PHIL. An non ô Protarche, pro me dicturum te promisisti? PROT. Maxime. Nunc autem hæsito, & uereor, teq; ut esse nobis ô Socrates propheta uelis obsecro, nequid nos tibi circa certatorem aberrantes, præter melodiam canamus. PHIL. Parendum Protarche, nihil enim difficile iubet. SOC. Equidem Deum reuera, ut Philebus inquit, extollens iocando te turbaui, interrogans cuiusnã generis mens & scientia essent. PROT. Maxime quidem ô Socrates. SOC. facile tamen: omnes siquidẽ sapientes ita extollentes sese cõsentiunt, intellectum esse cœli terrę q; nobis regem, ac fortè recte loquunt. quod si uis, hoc genus diffusius examinemus. PROT. Dic arbitratu tuo ô Socrates, nihil prolixitatẽ ueritus, neq; enim molestus eris. SOC. Præclare loqueris: hinc igitur interrogantes, exordiamur. PROT. Vnde? SOC. Vtrum ô Protarche, dicendũ est uniuersum hoc agi ab irrationali quadam temeraria q;, & fortuita potestate? An contrà, quẽadmodum maiores nostri senserunt, ordine quodã mentis, & sapientiæ mirabilis gubernari? PROT. Nulla est cõparatio. Nam quod modo dicebas ô Socrates, prophanũ mihi uidetur: fateri autẽ mente omnia hæc exornari, sententia quædam conspectu mundi solisq;, & lunæ cęterorumq; siderum, et omnis denicq; cœlestis circuitus digna est, nec ego unquam de ijs aliter loqui, aut sentire ausim. SOC. Vis ne igitur quod à priscis assertum est, nos item confiteamur? hæc uidelicet ita sese habere, nec modo putemus alia sine periculo proferri non posse, uerumetiam unà cum illis uituperationis periculum subeamus, siquando uir aliquis durus ac uehemens, ista non sic, sed sine ordine ferri cõtenderit? PROT. Quid ni uelim? SOC. Age igitur, quod sequit contẽplare. PROT. Dic iam. SOC. Quæ circa corpora uiuentiũ sunt, ignem, aquã, spiritũ, atq; terram in compositione inesse conspicimus, sed fluctuantium, ut aiunt, instar. PROT. Et maxime quidem: in ijs enim sermonibus reuera propter ambiguitatem fluctuamus. SOC. Ergo de unoquoque eorum quæ circa nos sunt, id accipe. PROT. Quidnam? SOC. Quod unumquodq; horum apud nos exiguum ac uile, nec ullo modo syncerum, & integrum, nec uim natura sua dignam ferens: quod quidem in uno animaduertens, de reliquis omnibus idem existimato. Velut ignis, est quidem apud nos, est etiam in uniuerso. PROT. Est. SOC. Nónne ignis hic noster exiguus, imbecillus, & uilis, sed qui uniuersi proprius quantitate mirandus & pulchritudine, & omni quę ad ignem pertinet, potestate? PROT. Vera nimium loqueris. SOC. An uero fit, alitur, ducitur ab igni nostro mundi totius ignis, uel contrà, & meus & tuus, & animantium reliquorum omnis ab illo. PROT. Hæc responsione digna non sunt. SOC. Recte eadem quoq; de animalium ac mundi terra diceres, & de alijs omnibus quæ suprà quæsiuimus, similiter responderes. PROT. Quisnam respondens aliter, sanæ mentis æstimetur? SOC. Nemo forsitan, sed iam ad reliqua. Omnia quippe nunc dicta in unum composita

Genitũ non est mixtũ ex duobus quibusuis, sed ex infinito & termino duobus constat

Quòd uoluptas & dolor sit in genere infinitorum

Neq; uoluptas omne bonũ, neq; dolor omne malum

Intellectum esse cœli ac terrę regem

Elementorum apud nos uilitas

contuentes,corpus appellamus. PROT. Quid ni? SOC. Idem quoq; de hoc, quem mundum dicimus,accipe. Eadem siquidem ratione corpus est,ex eisdem cõpositum. PROT. Recte loqueris. SOC. Vtrum ex hoc corpore nostrum corpus omnino,uel contra ex nostro ipsum nutriẽ,& quæcunq; paulo ante memorauimus,suscepit & habet? PROT. Neque hoc etiam alterum ô Socrates, in quæstionẽ cadere debet. SOC. Sed alterũ debet ne an non? PROT. Dic quod. SOC. Nostrum corpus animam habere fatebimur? PROT. Cõstat. SOC. Vnde nam ô amice Protarche,suscepit,nisi mundi corpus, quod eadẽ quæ & nostrum ac etiam præstantiora cõtinet,animam habet? PROT. Aliunde nequaquam. SOC. Neq; enim existimandũ ô Protarche, quatuor illa, terminum, infinitum, mixtum, & causæ genus in ijs quartum cunctis existens, quod ijs quidem quæ apud nos sunt, animam corpusq; præbet, dum imprimit umbrã, labefactatoq; corpore, remedia parat, & in alijs alia cõstituit atq; restituit,omnem atq; integram sapientiã uocitari: cumq; eadem hæc uniuerso cœlo eiusq; partibus amplioribus illis insint, quæ puriores præstãtioresq; existũt,in eis tamẽ preclarissimorũ preciosissimorumq; naturã minime reperiri? PROT. Nullam profecto rationem id haberet. SOC. Quamobrem rationẽ illam ulterius prosequentes licebit asserere ea quæ sæpenumero diximus, infinitum prorsus in hoc uniuerso consistere,sufficientemq; terminum causamq; illis haud ignobilem semper adesse ornantem disponentemq; horas & menses & annos, mentem & sapientiam merito nuncupatam. PROT. Merito. SOC. Sapientia uero atq; mens, absq; anima nunquã sunt. PROT. Nunquam certe. SOC. Ergo in Iouis ipsius natura regiam animam,regiamq; mentem inesse propter uim causæ confiteberis, & in alijs item alia pulchra,ut illorum cuiq; dici placet. PROT. Maxime. SOC. Præcedentem ô Protarche sermonem nequaq; temere inductum putes: his enim qui olim mentem omni mundo præsidere ostenderũt, adminicula præbet. PROT. Præbet sanè. SOC. Meæ uero petitioni responsum porrigit, quod mens est progenies quædã eius causæ, quæ causa dicitur omniũ, quæq; est ex quatuor his quæ sunt relata,unum quiddam. habes iam igitur nostram expositionem. PROT. Habeo, & sufficienter quidem. quanquam cum antea idem responderis,nõ intellexi. SOC. Remissio quædam studij ô Protarche, sæpenumero iocus est. PROT. Præclare loqueris. SOC. Nunc igitur ô amice,in quo genere sit, quam'ue habeat uim, satis propemodũ monstratum est. PROT. Omnino. SOC. Quinetiã uoluptatis genus iampridem patuit. PROT. Ni mirum. SOC. Reminiscamur iam & horum circa utraq;, quod mens quidẽ causæ cognata, eiusdemq; cum illa generis fermẽ erat:uoluptas autẽ infinita, eiusq; generis quod nec principium,nec medium,neq; finem in seipso suapte natura continet,aut aliquando continebit. PROT. Quid ni reminiscamur? SOC. Oportet itaq; posthac in quo horum utrumque cõsistit, & propter quam passionem fit quoties fit,aduertere. Vtq; uoluptatis primo genus ipsum inuestigauimus, sic & ista circa illam primo nunc inquiremus. Seorsum tamen à dolore uoluptatem sufficienter examinare non possumus. PROT. Si hàc gradiendum est, hàc utiq; gradiamur. SOC. Num igitur idem tibi quod mihi de horum generatione uidetur? PROT. Quid istud? SOC. Communi eodemq; in genere secundũ naturam dolor & uoluptas esse uidentur. PROT. Hoc commune genus amice Socrates, ostende obsecro,quidnam ex ijs quæ supra distincta sunt, intelligi uelis. SOC. Pro uiribus ô mirifice uir,id agam. PROT. Bene inquis. SOC. commune igitur intelligamus, quod ex quatuor tertium numerauimus. PROT. An quod post infinitum finitumq; locasti, in quo sanitatem & harmoniam ut arbitror,collocasti? SOC. Recte dicis,sed nunc maxime mentẽ adhibe. PROT. Dic igitur. SOC. Harmonia soluta in animantibus,unà naturæ solutionẽ generationemq; dolorum eo in tempore fieri dico. PROT. Consentaneum. SOC. Rursus harmonia contemperata, & in sui naturam protinus restituta, uoluptatem fieri dicendum est,si modo res maximæ uerbis paucis concludendæ sunt. PROT. Reor equidem te recte ô Socrates dicere: clarius tamen exprimere eadem adnitendum. SOC. An nõ uulgaria,& notissima cognitu facilia sunt? PROT. Quænam ista? SOC. Fames quidem solutio est, atq; molestia. PROT. Est. SOC. Comestio uero repletio atq; uoluptas. PROT. Ita. SOC. Sitis iterum corruptio solutioq; & dolor. Vis autem humore quod arefactum est reficiens, uoluptas est. Discretio insuper, & dissolutio præter naturam æstu quodam effecta molestia. At secundum naturam restitutio refrigerationeq;, uoluptas. PROT. Prorsus

Iocus sæpenumero remissio studij est

sus. SOC. Concretio quoq; humoris præter animalis naturam frigore facta, dolor. Contra humido liquescente, & in suam redeunte naturam, reditus iste uoluptas. Ac summatim considera, num toleranda tibi hæc oratio uideatur. Quoties corrūpitur animata species ex infinito & termino secundum naturā, ut diximus, genita, eiusmodi corruptio dolor est. Cum uero hæc in essentiam suam refluunt, regressum hunc dicimus uoluptatem. PROT. Esto. Videtur enim hoc mihi admodum uerisimile. SOC. Hanc unam itaq; uoluptatis, & doloris speciē in ijs passionibus utriusq; ponamus. PROT. Ponatur. SOC. Pone deinceps expectationē harum in anima passionum. Expectationē inquam quæ uoluptaria antecedit, sperantem, gaudentem, atq; suauem: quę uero molesta, formidolosam ac mœstam. PROT. Est igitur hæc uoluptatis & doloris species alia, seorsum à corporea, solius animæ expectatione profecta. SOC. Recte accepisti. In ijs utiq; ut mea fert opinio, utriusq; synceris existentibus, nec mixtis, uoluptate uidelicet atq; dolore, liquido discernemus num uoluptatis uniuersum genus amandū sit, an hoc potius alteri cuiquam ex ante dictis attribuēdum: uoluptati uero atq; dolori, ceu calido, & frigido, cæterisq; talibus, cōpetat ut interdum amanda sint, aliàs non amāda: utpote quæ bona minime sint, sed quandoq; certum aliquid suscipientia, naturam boni sequantur. PROT. Recte ais oportere sic incedere qui talia perscrutatur. SOC. Primum igitur id inspiciamus: si uerum est quod dicebatur, destructis illis dolorem, refectis uoluptatem sequi: cum neq; deperduntur, neq; etiam recreantur, quam potissimū habitudinem tunc animalibus tribuere debeamus. Intentus itaque animo mihi responde, num tibi necessarium uideatur quodlibet animal eo ipso in tempore nullo modo uel lætari uel angi. PROT. Necessarium certe. SOC. Est ergo status hic tertius præter mœrentis & gaudentis affectum. PROT. Est profecto. SOC. Agedum huius meminisse conare. ad iudicandū siquidem uoluptatem, reminisci uel nō permultum refert, breuibus tamen aliquid de ipsa si uis perstringamus. PROT. Dicas ergo, quid istud? SOC. Eum qui contemplationis uitam eligit, nihil ita uiuere prohibet. PROT. Seorsum à lætitia, & molestia dicis? SOC. Dictum enim in cuiusq; uitæ comparatione uirum contemplationi deditum nihil ulla ex parte uel gaudere uel angi. PROT. Omnino sic dictum. SOC. Nónne sic illi conuenit? Ac forte nil mirum esset, si uita hæc cæterarum omnium diuinissima sit. PROT. An absurdum est deos gaudere uel cōtra tristari? SOC. Absurdum omnino. Indecens enim utrunq; est. At hoc deinceps inuestigemus, siquid ad hanc disputationem conferat: ac menti ad secundas uictoriæ sortes, si minus ad primas licet, accommodemus. PROT. Recte loqueris. SOC. Atqui alia species uoluptatum, quam animæ propriam assignauimus, memoria constat. PROT. Quo pacto? SOC. Primum quid memoria sit accipiendum uidetur: immo ante eam quid sensus, si planius hæc elucidari uelimus. PROT. Quo pacto inquis? SOC. Pone ex omnibus corporis passionibus quasdam in corpore prius extinctas, quàm in animam transfluant, passione uacuam dimittentes: alias per utrunq; diffusas & quandam quasi concussionem, tam propriam, quàm communem utriq; pariter inferentes. PROT. Ponantur. SOC. Et passiones per utrunq; minime propagatas si latere dixerimus animam, & per utrunq; manātes innotescere animæ, an recte dicemus? PROT. Certe. SOC. Ipsum ergo latere nullo modo ut dicere uideor, obliuionis generationē esse existimes. Est enim obliuio memorię exitus. Ea uero in ijs quæ modo dicebantur nondum erat. Eius autem quod nec est nec fuit, iacturā fieri aliquam absurdū. PROT. Absurdum. SOC. Nomina ergo duntaxat permuta. PROT. Quomodo? SOC. Pro eo quod latere animam diximus, quando absq; passione corporei tumultus existit, quā nunc obliuionē uocare uideris, insensationē, ut ita loquar, potius nominato. PROT. Teneo. SOC. Motū autem in cōmuni corporis & animæ passione factū si sensum uocaueris, haud ab re nominabis. PRO. Vera loqueris. SOC. An nō percipimus iam quid sensum uocari uelimus? PROT. Percipimus. SOC. Sensus præterea cōseruationem recte quis memoriā mea sentētia nuncupabit. PROT. Recte nimium. SO. Et à memoria reminiscentiam discrepare fatemur, nec ne? PROT. Forte. SOC. An non in hoc præcipue? PROT. Quo'nam? SOC. Quoties quæ cum corpore passa est aliquando anima, eadem sine corpore in seipsa resumens anima duertit, tunc meminisse eam asserimus, an non? PROT. Valde quidem. SOC. Quinetiam quādo memoriæ passa iacturam, deinde uel sensu, uel disciplina monente eam iterum reuocat in seipsa, reminisci putatur.

Vita contēplatiua diuinissima. Deos nec lætari nec tristari

Memoria

Atq; hæc iam memorias reminiſcentiasq; uocamus. PROT. Probe loqueris. SOC. Cuius autem gratia hæc dicta ſunt omnia, hoc eſt. PROT. Quid nam? SOC. Ne animæ uoluptatẽ abſq; corpore quàm maxime atq; perſpicue capiamus, atq; unam concupiſcentiam. per hæc enim utraq; iſta declarata uidentur. PROT. Pergamus iam ad reliqua Socrates. SOC. Multa conſiderare decet, uoluptatis originem omnemq; formam eius inueſtigantes. Et nunc quidem primo uidendum quid eſt, & unde naſcitur concupiſcentia. PROT. Videamus iam obſecro. Nihil enim amittemus. SOCR. Immo ô Protarche cum quod modo quærebamus inuenerimus, amittemus aliquid circa iſta, uidelicet dubitationem. PROT. Quàm belle uicem reddidiſti. at iam quæ ſequuntur expediamus. SOCR. Nónne famem atq; ſitim, & huiuſmodi multa, concupiſcentias quaſdam eſſe diximus? PROT. Maxime. SOCR. Ad quid nam idem reſpicientes res adeo diuerſas uno nomine nuncupamus? PROT. Per Iouẽ haud facile dictu ô Socrates. dicendum tamen. SOC. Ab eiſdem rurſus exordiamur. PROT. Quibus? SOCR. Dicimus ne ſitire aliquem? PROT. Dicimus. SOC. Hoc autem eſt exhauſtum eſſe. PROT. Quid ni? SOC. Et ſitis concupiſcẽtia eſt? PROT. Eſt. SOC. Potionis ne? PROT. Potionis. SOCR. An non repletionis potus? PROT. Huius certe. SOC. Vacuus igitur, & exhauſtus cõtraria eorum quæ patitur appetit. Nam cum uacuus ſit, impleri cupit. PROT. Manifeſtum eſt omnino. SOC. Quid ergo? qui primo exhauſtus eſt, num poteſt uel ſenſu uel memoria quadam eius repletionem attingere, quod nec præſenti in tẽpore, nec aliquando paſſus eſt? PROT. Nullo modo. SOC. Sed eum qui cupit, aliquid cupere confitemur. PROT. Quid ni? SOC. Haud ergo quod patitur appetit Sitit enim. ſitis autem indigentia eſt, is tamen repletionem affectat. PROT. Ita. SOC. Aliquid igitur eius quod appetit expletionẽ attinget. PROT. Neceſſe. SOC. Corpus quidẽ nequit. nam exhauſtum eſt. PROT. Certe. SOC. Reſtat ut anima repletionem per memoriam conſequatur. PROT. Patet. SOC. Nam quo alio cõſequeretur? PROT. Nullo ferme. SOCR. An aduertimus quid nobis ex his rationibus efficiatur? PRO. Quid iſtud? SOC. Corporis cupiditatem eſſe ratio hæc nõ dictat. PROT. Quo pacto? SOC. Quoniam in omni animali, conatũ animantis paſſionibus cõtrarium cupiditas oſtendit. PROT. Penitus. SOC. Impetus autem in contraria quàm paſſiones trahens memoriam contrariam paſſionibus innuit. PROT. Omnino. SOC. Ratio itaq; oſtendens memoriam ad concupita rapientem animæ omnem impetum, & cupidinem, principatumq; omnis uiuentis tribuit. PROT. Recte nimiũ. SOC. Sitire igitur uel eſurire corpus noſtrum, aut aliquid eiuſmodi pati, nequaquã ratio hæc admittit. PROT. Vera loqueris. SOCR. Hoc præterea circa iſta conſiderabimus, quod hæc ratio quandam uitæ ſpeciem in ijs demonſtrare uelle uidetur. PROT. In quibus? & de qua uita loqueris? SOC. In replẽdo inquam, & euacuando, & omnibus quæ ad ſalutem ſiue perniciem animalium attinent. Et ſi quis noſtrum in alterutro conſtitutus affligitur, tunc ſecundum mutationes lætatur. PROT. Sic eſt. SOCR. Quid, quoties in horũ medio permanet? PROT. Quomodo in medio? SOC. Ob paſſionẽ quippe triſtatur, ſed uoluptatũ interim præteritarũ meminit: ceſſat quidem triſtitia, nondum tamen impletur: quid tunc dicendũ? nónne in medio paſſionum eſſe? PROT. Dicendũ. SOC. Vtrum dolentem omnino uel contra gaudentẽ? PRO. Nõ gaudentem per Iouem, ſed dupla potius affectum triſtitia, ſecundum corpus in paſſione, ſecundum animam in expectationis ardore. SOC. Quo nam modo Protarche dolorem duplum aiebas? Nónne uacuus quiſpiam certam aliquãdo repletionem ſperat, aliquando contra deſperat? PROT. Maxime. SOC. Num dum aſſequi ſperat, ipſa recordatione gaudere uidetur? ſimulq; uacuus eo in tempore cruciari? PROT. Neceſſe. SOC. Tunc igitur & homo & animalia reliqua, lætantur ſimul ac mœrẽt. PRO. Apparet. SOC. At cum uacuus aliquis expletionem omnino deſperat, nónne tunc paſsio duplex circa dolores exoritur, quam ipſe paulo ante intuitus, ſimpliciter duplam opinabaris? PROT. Vera hæc ſunt. SOC. Hac talium paſſionum diſceptatione ad id utamur. PROT. Ad quid ais? SOC. Vtrum uoluptates has atq; moleſtias ueras, an falſas, an partim ueras, partim falſas dicere debeamus? PROT. Quo pacto ô Socrates, uoluptates atq; moleſtiæ falſæ eſſe poſſunt? SOCR. Quomodo etiam ô Protarche timores ueri uel falſi? aut expectationes ueræ, ſeu minime ueræ? aut opiniones ueræ uel falſæ? PROT. Opiniones equidem confiterer; ſed hæc reliqua minime. SOCRAT. Quid ais? diſputationem tamen haud breuem

Paſsio eſt corporis, non autẽ cupiditas

Sitire non corporis: ſed ſiccatum eſſe

breuem incœptare uidemur. PROT. Vera narras. SOC. At si præcedentibus sit conueniens ô uiri illius fili considerandum est. PROT. Istud forte. SOC. Omne igitur superuacuum, & quicquid præter propositum est, dimittendum. PROT. Recte. SOC. Dic itaq; continua nempe me admiratio tenet semper circa eas quas nunc indiximus quæstiones. PROT. Quo pacto inquis? SOC. An non sunt ex uoluptatum numero falsæ aliæ, aliæ ueræ? PROT. Vis dicam? SOC. Neq; reuera igitur, neq; falso, uel lætari, cum non lætetur, uel tristari, cum non tristetur, aut furentum, aut insanorum dicetur quisquam? PRO. Hæc omnia sic se habere ô Socrates omnes suspicamur. SOC. Num recte? an forte dissrendum est, recte ne uel non ista dicantur? PROT. Dissrendum quidem mea sententia. SOCR. Distinguamus igitur euidentius, quod modo de uoluptate atq; opinione dictum est. Est ne aliquid apud homines, opinari? PROT. Est. SOCR. Et lætari? PROT. Et lætari. SOC. Quin & quod opinamur aliquid est? PROT. Cur non. SOCR. Et hoc quo gaudemus? PROT. Et hoc. SOCR. Qui opinatur, siue recte seu non recte opinetur, ipsum tamen quod reuera est opinari, non perdit. PROT. Quo enim modo? SOCR. Gaudens etiam, siue recte gaudeat siue non, ipsum tamen quod reuera gaudere est, haud amittit. PROT. Immo & hæc ita se habent. SOCR. Quo igitur pacto opinio uera, & falsa sit, uoluptas solummodo uera, cum tamen opinari uere atq; lætari utraque similiter acceperint? PROT. Considerandum hoc est. SOCR. Nunquid ex eo quod opinioni uerum, & falsum indita sunt? nec solum ob hæc opinio facta est, sed qualis quædam opinio utraque? Hoc ne considerandum inquis? PROT. Ita. SOCR. Præterea inuestigandum est, an uoluptas, & dolor ea ipsa duntaxat quæ sunt permaneant, nunquam uero qualia quædam efficiantur. PROT. Patet. SOC. Verum haudquaquam difficile est quod qualia quædam fiant inspicere. Iampridem concessimus uoluptates atque molestias, magnas, & paruas, uehementes remissasq; fieri. PROT. Concessimus. SOCR. Quod si cui ex his prauitas adijciatur, ut prauam opinionem, ita & prauam uoluptatem effici confitebimur. PROT. Quid prohibet? SOC. Quid si rectitudo uel contrarium rectitudinis horum cuiquam admoueatur, num rectam opinionem quæ rectitudinem subijt, ac uoluptatem similiter appellabimus? PROT. Necessario sequitur. SOCR. Et si quod opinione comprehenditur sit fallax, nonne opinionem falsam potius quàm rectam uocabimus? PROT. Immo. SOC. Item si uoluptatem uel dolorem circa id quo gaudemus uel angimur, aberrare cernamus, num rectam aut bonam uoluptatem dicimus, aut aliquo præclaro nomine honorabimus? PROT. At id fieri nequit, siquidem uoluptas ipsa delinquat. SOC. Veruntamen sæpenumero nobis uoluptas ex opinione falsa exoritur. PRO. Proculdubio. attamen opinionem ô Socrates eiuscemodi falsam dicimus, uoluptatē uero ipsam nemo utique falsam denominaret. SOCR. Prompte nimium ô Protarche uoluptatis rationem in præsentia tueris. PROT. Minime, uerum quæ audio loquor. SOCR. Nihil ne ô amice apud nos differt uoluptas ab opinione recta scientiaq; proficiscens, ab ea quæ falsam opinionem, & ignorantiam sequitur? PROT. Consentaneum est haud breui quodam interuallo distare. SOCR. Verum ad hanc ipsam distantiam perscrutandam deueniamus. PROT. Duc age quà lubet. SOCR. Ecce hàc te duco. PROT. Quà nam? SOC. Opinio quædam uera est, quædam falsa. PROT. Esto. SOC. Has sæpenumero uoluptas dolorq; sequitur. PROT. Sequitur. SOCR. An non ex sensu ac memoria in nobis opinio nascitur, & ipsum opinari posse? PROT. Præcipue. SOCR. Nónne sic circa hæc nos habere putandum? PROT. Quomodo? SOCR. Vt fateare hominem nonnunquam procul aliqua confuse cernentem, cupere clarius quæ cernit discernere? PROT. Fateor equidem. SOCR. Is igitur sic à seipso quodammodo sciscitabitur. PROT. Quo pacto inquis? SOC. Quid nam illud est quod iuxta saxum sub arbore procul apparet? An hæc ille proferre secum tibi uidetur, dum eiusmodi quædam aspicit cuiusmodi sibi quandoque apparuerunt? PROT. Quid ni? SOC. Deinde ueluti sibijpsi respondens, homo est, inquit, tanquam rem iam assecutus. PROT. Nimirum. SOCR. Rursus forte mutata sententia opus quoddam à pastoribus fabricatum esse asserit. PROT. Maxime. SOC. Hic si quis adsit, eadē quæ animo secum ipse uolutabat in uocem fundens, rursus præsenti diceret, ac sermo tūc fieret, quod ante opinionē uocabamus. PROT. Manifestum. SOC. At si solus sit, hoc idem secū ipse repetēs, & diu quandoq; in seipso seruās procedit. PROT. Prorsus.

Ex sensu & memoria fit hic opinio

SOC.

SOC. Quid ergo? idem'ne tu hic, quod ego, sentis? PROT. Quid istud? SOC. Videtur mihi tunc hominis anima libro cuidam persimilis. PROT. Qua ratione? SOC. Memoria in idem cũ sensibus incidens, & illæ quæ circa ista passiones sunt, uerba quædã in anima quodammodo inscribere mihi uidentur: cumq; uera cõscribunt passionem huiusmodi ueram opinionem dicimus, & orationes in nobis ueræ ab hoc ipso proficiscuntur. At cum scriba hic noster falsa scribit, contraria ueris eueniunt. PROT. Omnino ita mihi uidetur, & ea quæ dicta sunt, libenter accipio. SOC. Accipe alium eorum quæ tunc fiunt in animis nostris opificem. PROT. Quem? SOC. Pictorem, qui post ipsum scriptorem, dictorum imagines in anima pingit. PROT. Quomodo hunc, & quando id agere dicendum? SOC. Quando ab aspectu siue alio sensu dicta, & opinione percepta, quis educẽs, dictorũ & opinione perceptorum imagines in seipso quodammodo cõtuetur. an hoc in nobis efficitur? PROT. Vehemẽter. SOC. Nónne uerarum opinionum sermonumq; imagines ueræ, falsæ uero falsorum? PROT. Omnino. SOC. Si modo recte hæc diximus, hoc in ijs præterea cogitemus. PROT. Quid hoc? SOC. Vtrum circa præsentia atq; præterita hoc nobis accidere necesse sit, circa futura nequaquã? PROT. Eadem ratione circa tempora omnia. SOC. Nonne uoluptates atq; molestiæ ipsius animę propriæ in superioribus dictæ sunt uoluptates & dolores corporis antecedere? propterea q; & prægaudere, & prædolere nos ob futura contingit? PROT. Vera narras. SOC. Vtrum inscriptiones atque picturæ quas paulo ante nobis imprimi uolebamus, ad præsens præteritum' ue respiciunt, ad posterum minime? PROT. Ad omnia. SOC. Num idcirco ijs assentiris, quod hæc omnia spes quædam ad futurum tempus existunt, nosq; per omnem uitam perpetua spe nutrimur? PROT. Prorsus. SOC. Age ad hoc præter illa responde. PROT. Quid rogas? SOC. Vir iustus & pius, & probus, nonne Deo amicus est? PROT. Quid ni? SOC. Iniustus & improbus contrà se habet? PROT. Contrà. SOC. Plurima tamen ut dicebamus, unusquisq; spe ducitur. PROT. Sanè. SOC. Sermones sunt in unoquoq; nostrum, quas spes nominauimus. PROT. Insunt. SOCR. Quinetiam phantasmata picta. nam cuiq; licet fingere se cumulum auri maximum possidere, oblectamẽtisq; uarijs abundantem omni suauitate perfundi. PROT. Nihil prohibet. SOC. Num dicendum interna hæc scripta bonis uiris, quia Deo amici sunt, uera sæpe euadere? malis sæpenumero contrà? PROT. Dicendum certe. SOC. Et malis uiris oblectationes nihilominus adsunt sæpe confictæ, ac denique falsæ. PROT. Quid ni adsint? SOC. Falsis igitur uoluptatibus praui ut plurimum gestiunt, boni homines ueris aluntur. PROT. Necessarium penitus. SOCR. Insunt ergo secundum hanc rationem falsæ quædam animis hominum uoluptates, imitantes tamen ueras, sed ridicule, ac dolores eodem pacto. PROT. Insunt utiq;. SOC. An licebat sic opinanti omnino, quæ nec fuerunt, nec sunt, nec erunt, in seipso formare? PROT. Licebat. SOCR. Atque hæc erant quæ tunc opinionem falsam, & opinari falsò efficiebant. An non? PROT. Erant. SOCR. Nónne in illis reddendus est habitus aliquis uoluptatibus molestijsq; contrà respondens? PROT. Quomodo? SOC. Quod liceat alicui reuera lætari, quoquo modo uel temere etiam gestienti, non tamen ut ea quæ propter lætatur, uel sint, uel fuerint ante: plerunque etiam lætari in ijs quæ nunquam euenient. PROT. Hæc quoque ô Socrates, necessaria sunt. SOC. Et eadem ratio de timoribus & cupidinibus, cæterisq; huiusmodi, sæpe scilicet illa falsa existere. PROT. Eadem profecto. SOC. Num opiniones ob aliud bonas uel prauas, quàm quod ueræ uel falsæ sint, appellamus? PROT. Ob hoc ipsum. SOC. Nec uoluptates malas ob aliud, quàm quia falsæ? PROT. Omnino ô Socrates, contrarium protulisti. Nam & uoluptates & molestias propter solum falsum malas esse haudquaquam asserere decet, quæ in maximas ac multiplices insuper prauitates frequenter impingunt. SOCR. Malas uoluptates quæ propter prauitatem malæ sunt, paulo post si placuerit, referemus: falsas autem insuper alio modo, tum sæpe, tum multas in nobis & esse, & fieri, dicendum est: hoc enim ad iudicandum fortasse nobis confert. PROT. Quid ni? modo sint. SOC. Atqui ô Protarche, mea sententia, sunt. Hoc autem dogma quandiu illa apud nos manet, à redargutione tutum esse, impossibile est. PROT. Probe. SOC. Aggrediamur iterum athletarum more hanc disputationem. PROT. Aggrediamur. SOC. In superioribus diximus, si quidem meminimus, cupiditates (quæ sic uocantur) quantisper seorsim nobis inessent, tunc corpus passionibus absq; animæ

Anima libro & tabulæ rasæ similis

Voluptas et tristitia, quæ propria animæ est, uoluptates & dolores corporis præcedit

Cõcluditur inesse ueras & falsas uoluptates & dolores

animæ paſsione occupari. PROT. Recordamur, dictaq; hæc proculdubio ſunt. SOC. Nõne cupiebat anima contrarium corporis habitum? Receptaculum autem doloris & uoluptatis quæ paſsione fit, erat corpus? PROT. Erat. SOCR. Collige quod ex his ſequitur. PROT. Dic. SOC. Quoties iſta concurrunt, congrediuntur quoq; uoluptates atq; dolores, eorũq; ſenſus quæ contraria ſunt. quod profecto nunc patuit. PROT. Apparet. SOC. Hoc quoq; nônne inter nos conuenit? PROT. Quidnam? SOC. Vtrunq; magis minus' ue ſuſcipere, uoluptatem pariter atq; dolorem, & ad genus infiniti referri. PROT. Conuenit certe. SOC. Quædam igitur uia horum recte iudicandorum nobis adeſt. PROT. Vbi' nam, & quomodo? SOC. Nónne propoſitũ in hoc iudicio nobis eſt paſsim dignoſcere, quæ' nam ex his maior, quę minor, quæ magis, quo intenſior uoluptas ſcilicet ad moleſtiam, & ad moleſtiam moleſtia, ac uoluptas iterũ ad uoluptatem? PROT. Hæc quidem talia ſunt, & iſtud iudicij noſtri propoſitum. SOC. Quid uero in aſpectu, eminus aut comínus magnitudines inſpicere, ueritatẽ obſcurat, falſaq; opinari compellit: in doloribus autem & uoluptatibus idem minime fit? PROT. Multo magis ô Socrates. SOC. Id utiq; illi quod paulo ante narratum fuit, contrarium eſt. PROT. Quid ais? SOC. Tunc enim opiniones hæ, falſæ ueræq; effectæ paſsione ſua dolores unà & uoluptates prorſus imple bant. PROT. Vera narras. SOC Nunc autem hæ ex eo quod paſsim trãſmutare eminus comínus uideantur, & ad ſe inuicem comparentur, uoluptates quidem ad dolores, maiores uehementioresq; uidentẽ, & dolores rurſus ad uoluptates contra. PROT. Talia quædam neceſſe eſt ob eas cauſas fieri. SOC. Quod ſi quanto utraq; maiora uel minora cũ reuera ſint, apparent, tantundẽ ipſe ademeris, nónne id quod cum apparet quidem utrunq; non tamen ſit, neq; recte apparere dices, neq; unquam eiuſmodi uoluptatis uel moleſtiæ portiones rectas aut ueras audebis aſſerere? PROT. Sic eſt. SOC. Poſt hæc igitur inſpiciamus, num hac ratione occurramus, uoluptates ſcilicet atq; moleſtias falſas multo magis quàm iſtæ ſint quæ uel apparent in uiuentibus uel exiſtunt. PROT. Quales dicis, & quomodo? SOC. Dictum eſt ſæpenumero, quod quorumlibet natura concretionibus uel diſcretionibus, repletionibus uel euacuationibus, incrementis uel decrementis corrupta, dolores, moleſtiæ, cruciatus, cæteraq; id genus exoriũtur. PROT. Sæpe iam dictum. SOC. At cum in naturam ſuam reſtituuntur, reſtitutionem talem uoluptatem circa nos poſuimus. PROT. Probe. SOC. Quid autẽ cum circa noſtrum corpus horũ nihil accidit? PRO. At quando id cõtingit ô Socrates? SOC. Nihil ad rem ô Protarche iſta tua petitio. PROT. Cur' nam? SOC. Quia nihil impedies me, quin quod ante rogaueram rurſus te rogem. PROT. Quid illud? SOC. Niſi fieri ô Protarche tale quid dicam, quid neceſſe eſt ex hoc nobis cõtingere? PROT. An id dicis uidelicet corpore in neutrã partem exagitato? SOC. Idipſum. PRO. Conſtat ô Socrates neq; uoluptatem neq; dolorẽ eoipſo in tempore percipi. SOC. Recte nimium reſpondiſti. Verum ut arbitror id ſentis, quod neceſſe ſit ex ijs unum aliquid ſemper nobis accidere, quemadmodum ſapientes tradunt. cuncta quippe ſurſum deorſum' ue iugiter fluunt. PRO. Ferunt ſane, nec male loqui uidentẽ. SO. Quomodo enim male? cum mali minime fuerint. Verum impendentem ſermonem euitare uolo, hàc autem fugere cogito, tuq; unà mecum fugito. PRO. Dic quà? SOC. Iſta ſane ſic ſe habere ijs concedamus. Tu uero reſponde: utrum quicquid unquam patitur animal idem & ſentiat patiendo, neq; dum creſcimus, noſipſos lateamus, neq; dum aliquid aliud huiuſmodi patimur? an contrà omnino: ferme enim talia quædam uniuerſa nos fugiunt. PRO. Contrà omnino. SOC. Haud igitur recte dictum eſt à nobis quod modo diximus, mutationes ſurſum deorſum' ue factas, uoluptates & dolores inferre. PRO. Quid igitur? SOCR. Sic autẽ rectius ac tutius dicere licet. PRO. Quomodo? SOC. Mutationes quidem magnæ uoluptates doloresq; afferunt: mediocres autem & exiguæ minime. PRO. Rectius iſto modo quàm illo ô Socrates dicitur. SOC. Enimuero ſi iſta ſic ſe habent, mox uita in ſuperioribus narrata redibit. PRO. Quænam? SOC. Quam abſque mœrore & lætitia ponebamus. PRO. Vera loqueris. SOC. Ex ijs triplicem uitam ponamus, ſuauem, triſtem, neutram. An tu aliud ſentis? PROT. Haud aliter quàm ita, triplicem uidelicet uitam eſſe. SOC. Non igitur idem erit non dolere quod & lætari. PRO. Nequaquam. SOC. Quoties ergo audis omnium dulciſſimum eſſe uniuerſam uitam ſine mœrore tranſigere, quid tunc ſibi uelle id dicentem exiſtimas? PRO. Dulce eſſe, ſignificare ille

Triplex uita

mihi

mihi uidetur idipsum quod dicitur nõ dolere. SOC. Pone tria quædam ut lubet, & ut pulchrioribus utamur nominibus alterum aurum, argentũ alterum, neutrum reliquum nominato. PROT. Ponantur. SOC. Quod horum neutrum est, potest' ne alterum ex ijs fieri, uel argentum, uel aurum? PROT. Nequit. SOC. Vita igitur media siquando suauis uel mœsta dicitur, aut existimatur, nequaq; recte uel existimatur uel dicitur. PROT. Certe. SOC. Attamẽ ô amice, aliquos hæc loqui & opinari sentimus. PROT. Maxime. SOC. An igitur gaudere tunc quando non mœrent, existimant? PROT. Aiunt quidem. SOC. Nónne tunc gaudere putant? non enim pronunciarent. PROT. Apparet. SOC. Falsò de lætitia opinantur, siquidem ab utriusq; gaudij scilicet & indolentię natura diuersa est. PROT. Diuersa profecto. SOC. Quid igitur percontabimur inter nos, utrum hæc uel ut tria sint, uel ut duo solum: ac num dolor hominibus malum, dolorũ autem uitatio, hoc ipso nomine bona, dulce nominetur. PROT. Quomodo id ô Socrates fiat, à nobisipsis quæramus, non enim intelligo. SOC. Quia aduersarios huius ô Protarche, Philebi reuera non intelligis. PROT. Quósnam inquis? SOC. Eos qui rerum naturã præcipue callere feruntur, qui uoluptates funditus tollunt. PROT. Quid ergo? Dolorũ effugia eas omnes uocant, quas Philebi sectatores nuncupant uoluptates. PROT. His' ne ut credamus ô Socrates, consulis? SOC. Nequaq;, sed tanq; uatibus quibusdam utamur, non arte, sed quadam non ingenerosæ naturæ indignatione à uoluptate nimis abhorrẽtibus, nihilq; in ea sani esse uolentibus, adeò ut illas ipsas quoq; eius illecebras maleficam quandã illaqueationem potius quàm uoluptatem uocent. His ergo ad hæc utere, cõsiderans præterea & reliqua, quibus ardentissime in eum inuehuntur. Post hæc autem & quas ego ueras existimem uoluptates, accipito, ut ex utriusq; sermonibus uim eius considerantes, ad iudicandum deniq; apponamus. PROT. Recte inquis. SOC. Hos igitur tanquam propugnatores secundum indignationis eorum uestigium prosequamur. Reor equidem tale quiddã eos dicturos esse, principio alicunde longius repetito: si speciei cuiuscunq; naturam cognoscere uelimus, uelut duri naturam, utrum ad durissima respiciẽtes, sic maxime cognoscemus, an ad exigue dura. Oportet te ô Protarche, ijs indignãtiũ interrogationibus quemadmodũ & mihi respondere. PROT. Oportet sanè, illisq; respondeo, ad primas magnitudines suspiciendum. SOC. Si uoluptatis genus quam naturam habeat, nosse uelimus, non in paruas uoluptates lõgeq; à suprema remotas, uerum in eas quæ supremæ uehementissimæq; dicuntur, aspiciendum. PROT. Quilibet nunc ista tibi concederet. SOC. Nũquę in promptu præ cæteris positæ, ac maximę uoluptates sunt, ut sępe diximus, ipsæ scilicet circa corpus existunt? PROT. Quid ni? SOC. Vtrum uehementiores in ægrotantibus q̃ bene ualentibus reperiuntur? Caueamus obsecro, ne temere respõdentes hallucinemur. PROT. Quónam pacto? SOC. Fortè enim in bene ualentibus fateremur. PROT. Verisimile est. SOC. An non uoluptates illæ excedũt magnopere, quarum ardentes cupidines adsunt? PROT. Verum id est. SOC. Nónne febribus & huiusmodi morbis affecti homines & sitiunt uehementer & algent, & quodcunq; pati corpore consueuerunt, magis admodum quàm cæteri patiuntur? quo fit ut magis indigeãt, indigentiamq; replentes, uehementius delectentur. An uerũm hoc esse negabimus? PROT. Omnino ut dictum est apparet. SOC. Quid uero, num recte sentire uidebimur asserentes, si quis maximas uoluptates uidere uelit, non ad sanitatem, sed ad morbum respiciendum? Et uide ne me hoc rogare putes, pluribus' ne oblectationibus ægrotantes quàm bene ualentes deliniantur, sed magnitudo & uehementia uoluptatis ubinam prę̃cipua sit, interrogare putato: scrutandũ quippe qua natura constet, prædiximus, quam' ue dicant, qui nullo modo esse illam asseuerarunt. PROT. Teneo penè quod inquis. SOC. Fortassis etiam ô Protarche, demonstrabis. Responde modo. In lasciuia' ne & petulantia nõ plures dico, sed uehementiores & ui maiores uoluptates, quàm in temperata uita uides. Dic amabo mentem adhibens. PROT. Percepi quid uelis, & excessum cerno quamplurimum. SOC. Temperatos nempe prouerbium nihil nimis præcipiens, semper continet, & huic illi obtemperant. Intemperantes autem & dissolutos homines uoluptatis feruor ad furorem usque occupans, immoderatis clamoribus exultare compellit. PROT. Recte loqueris. SOC. Et si uerum hoc est, patet in quadam deprauatione tũ animæ, tum corporis, potius quàm in uirtute, uehemẽtes uoluptates, uehementesq; cruciatus consistere. PROT. Patet certe. SOC. An non ali-

Voluptates effugia dolorum

Quæ spectãda cum speciem digno sci oporteat

Vtrum uoluptates maiores in sanis, an in ægris

quas

quas è multis elicere decet, & inueſtigare qua ratione maxime uocari debeant? PROT. Neceſſe eſt. SOC. Aduerte itaque talium morborũ uoluptates qua ratione ſe habeant. PROT. Qualium? SOC. Deformiũ uoluptates, quas illi quos indignantes uocauimus, penitus horrent. PROT. Quales inquam? SOC. Velut in ſcabiei medela quæ fricando fit, cæteriſq; huiuſmodi, haud alio pharmaco indigentibus. hoc enim malum prò dij immortales, uoluptatem ne, an dolorem potius nuncupabimus? PROT. Malum quiddã ô Socrates, mixtum hoc eſſe uidetur. SOC. Haud equidem, uel Philebi gratia, hoc exemplum produxiſſem: ſed niſi hæ uoluptates, & quæ haſce ſequuntur, inſpiciantur, nunquã fermè quod quæſitum nunc eſt, dijudicare ualemus. Ergo ad iſtarum cognatas pergendum eſt? PROT. Num eas, inquis, quæ immixtione communicant? SOC. Has ipſas. Sunt igitur mixtiones corporis quidem ipſius in corporibus, animæ in anima. Et dolores animæ & corporis uoluptatibus mixtos reperiemus, eamq; utrorumq; commixtionem interdum uoluptatem, interdum uero dolorẽ cognominatam. PROT. Quónam pacto? SOC. Vt ecce cum quis in reſtitutione, uel corruptione ſimul contraria patitur, algens ſæpe caleſcit, & calens aliquando refrigeſcit, quærens, ut arbitror, id aſſequi, illud abijcere. ac quod dicit, amaro dulce permixtum, & cum difficultate reiectionis aſſiſtens moleſtiam, mox ferum congreſſum facit. PROT. Eſt maxime uerum quod dicis. SOC. Nõne harum mixtionum quædam ex æquali utrinq; & uoluptate & dolore, quædam ex alterutro excedente conflantur? PROT. Nihil prohibet. SOC. Dic igitur ex earum numero quæ doloris plus q; delectationis continent, eas eſſe quæ ſequuntur ſcabiem & titillationes, quando quod intus eſt, feruet atq; gliſcit, neq; huc perfricando aut exagitando quis attingit: ſed quod circa cutem eſt ſolum, diffundit. Tum ſanè illa in ignem ferentes, & nunc huc, nunc illuc, conſilij inopia reuoluti, inextimabiles ſæpenumero uoluptates pariunt: aliquando contrà interioribus ad exteriorum moleſtias uoluptatibus mixtis, in utram partem declinatio fiat, exhibent, ex eo quod commixta per uiolentiam diffundant, uel diſperſa cõfundant, ſimulq; uoluptatibus dolores admoueant. PROT. Vera narras. SOC. Nõne iterum cum uoluptas amplior ſecundum hæc omnia cõmiſcetur, tunc portio doloris immixta titillat, & leui quadam triſtitia afficit? Atq; iterum uoluptatis uberior pars infuſa prouocat & interdum proſilire cõpellit, & omniformes colores, omnigenas figuras, omnimodos ſpiritus cum omni incitamento, & exclamationes cum inſania parit? PROT. Summopere. SOC. Cogit præterea ô amice, de ſe, tum ipſum, tum alium exclamare, quod his uoluptatibus delinitus ac liqueſcens, propemodum moritur: eoq; magis eiuſcemodi uoluptates ſectatur quiſq;, quo intemperatior quis & imprudentior eſt. Atq; has inſuper ſummas oblectationes prædicat, & eum qui ijs delicijs totam uitam mulcet, beatiſsimum arbitratur. PROT. Omnia quæ apud multos in exiſtimationẽ ueniunt ô Socrates, collegiſti. SOC. De uoluptatibus ô Protarche, quæ in communibus corporis paſſionibus extrinſecus intrinſecus ue miſcentur, eſt dictũ. De ijs uero quæ miſcentur in anima, contraria quædam ad corpus conijciuntur, uoluptatem ſcilicet cum dolore, & dolorem cum uoluptate in unam mixtionem concurrere. Et hæc in ſuperioribus percurrimus, quod quando exhauritur, repletionem cupit, & ſperans gaudet, exhauſtus angitur. Iſta tunc quidem teſtimonijs minime confirmauimus, nunc uero dicimus quod anima à corpore diſcrepante in ijs omnibus, quorum haud ſatis multitudo comprehenditur, mixtio una doloris & uoluptatis emergit. PROT. Recte nimium loqui uideris. SOC. Vna præterea doloris uoluptatisq; congreſſio reſtat. PROT. Quænam? SOC. Quam ſæpe ipſam in ſeipſa animã accipere diximus. PROT. Qua ratione hoc aſſerimus? SOC. Iram, timorem, deſiderium, lamentationem, amorem, æmulationem, inuidiam, & huiuſmodi reliqua, an non hæc omnia dolores quoſdam ipſius animæ ponis? PROT. Equidem. SOC. Nõne dolores huiuſmodi plenos miris quibuſdam uoluptatibus inuenire licet? An fortè in memoriam nobis illud reducere oportet? quod quemadmodum apud Homerum accidit, uirum uel prudentẽ iraſci, eo tamen pacto ut eius affectus dulcior melle ſit iugiter diſtillante, ſic cõtingat in uita ut aliqua iræ dulcedo miſceat, & uoluptates in lamẽtationibus atq; deſiderijs triſtitiæ mixtæ ſint? PROT. Nequaq;, uerum ſic hæc nec aliter accidunt. SOC. Quinetiam meminiſti eos qui tragicis ſpectaculis adſtant, dum delectãtur, ſæpe lugere. PROT. Memini. SOC. Et in comœdijs animi noſtri affectum ad oblectationem ſimul atq; mœro

Mixtiones uoluptatis & doloris corporis in corpore

Mixtiones uoluptatis et doloris animæ in anima

Voluptates animæ in anima

rem declinare ſenſiſti. PROT. Haud ſatis aduerti. SOC. Non enim facile eſt ô Protarche, affectum huiuſmodi ubicꝙ cõprehendere. PROT. Non certe ut mihi uidetur. SOC. Ipſum igitur tanto magis accipiamus, quanto eſt obſcurior, ut in cęteris facilius quis uoluptatis triſtitiæcꝙ cõcurſum percipere ualeat. PROT. Dic iam. SOCR. Inuidiæ nomen paulo ante inductum, utrum dolorem quendam ſignificare cenſes, nécne? PROT. Cenſeo. SOC. Inuidus tamen proximorum aduerſis lætari deprehenditur. PROT. Vehementer. SOC. Malum quidem ignorãtia eſt, & ut nunc loquimur, ſtoliditas quædam. PROT. Quidni? SOC. Ex his uide ridiculum illud quam naturam habet. PROT. Dic modo. SOC. Eſt uti-que ſummatim deprauatio quædam habitus alicuius cognomẽto dicta, improbitatis uero uniuerſæ genus quoddã eſt, contrà prorſus habens, quàm Delphica præcepta docent. PROT. Præceptũ hoc inquis ô Socrates, Noſce teipſum? SOC. Aio. Oppoſitum huic eſſet, ſi fortè præciperetur, Nullo modo teipſum noſce? PROT. Eſſet. SOC. O Protarche, conare nũc id trifariam diſtribuere. PROT. Dic tu, ego enim nequeo. SOC. Ais ergo me nunc iſtud diuidere oportere? PROT. Aio equidẽ, et quod maius eſt obſecro. SOC. Nónne quiſcꝙ ex ijs qui ſeipſos ignorant, ſecundũ tria id neceſſariò patiũr? PROT. Quomodo? SOC. Primo enim ſecundum pecunias, opulentiorẽ quippe cꝙ ſit, aliquando ſeipſum exiſtimat. PROT. Multi quidem ita decipiuntur. SOC. Plures etiam qui maiores formoſioresꝙ ſe putant, & quæcunque ad corpus attinent, ſupra cꝙ reuera ſunt. SOC. Plures profecto. SOC. Plurimi deniqꝙ qui animi dotes maiores cꝙ habeant, habere ſe putant. PROT. Et maxime quidem. SOC. Quantum uero ad uirtutes animi pertinet, nónne uulgus ſapientiam prorſus ſibi uendicans, plenũ eſt contentionibus, falſaqꝙ ſapiẽtię ipſius opinione? PROT. Quid ni? SOC. Si quis ergo afflictionem illam omnem malum quiddam uocarit, recte nimirum appellabit. PROT. Maxime. SOC. Hoc igitur iterum ô Protarche, bifariam partiendum, ſi ridiculam inuidiam cognoſcẽtes, miram uoluptatis & modeſtiæ mixtionem noſſe uelimus. PROT. Quomodo bifariam partiendũ? SOC. Ita. quicunqꝙ hanc falſam de ſe opinionem ſtultè præſumunt, ijs quemadmodũ & omnibus cæteris mortalibus accidat neceſſe eſt, ut quidam eorum robur ac potentiam in ijs quæ profitentur, habeant, quidam uero nequaqꝙ. PROT. Neceſſarium eſt. SOC. Hac ergo ratione diſtingue. quicunqꝙ ex ijs imbecilles ſunt, neqꝙ ulciſci iniurias, neqꝙ ſibijpſis opem ferre ualent, meritò ridiculi nuncupantur: qui uero poſſunt, terribiles & robuſti & hoſtiles iure uocantur. Ignorantia enim potentum robuſtorumqꝙ hominum hoſtilis atqꝙ teterrima res eſt. hæc enim, & quæcunqꝙ eius ſimilia, proximis omnibus noxia. ſin autem imbecillis ignorantia ſit, ridiculorum naturam ſubit. PROT. Recte loqueris. Attamen uoluptatis doloriſcꝙ cõcurſus, nondum in ijs nobis patuit. SOC. Liuoris primo uim accipe. PROT. Dic. SOC. An non triſtitia quædam, lætitiaqꝙ iniuſta eſt? PROT. Neceſſarium hoc eſt. SOC. Aduerſario rum malis lætari nec iniuſtum, nec inuidum eſt. PROT. Non. SOC. Malis autem amicorum lætari potius cꝙ triſtari, nónne inuidi eſt atqꝙ iniuſti? PROT. Eſt. SOC. Ignorantiam omnibus malam eſſe diximus. PROT. Et recte quidem. SOC. Amicorum igitur præſumptionem ſapientię atqꝙ pulchritudinis, & quodcunqꝙ paulo ante diximus tribus in ſpecie bus fieri, ridicula quidem cum imbecillia, odioſa uero cum ualida, hunc inquam, amicorum habitum nónne fatemur quum quis innoxium alijs habet, ridiculum eſſe? PROT. Fatemur ſanè. SOC. Hunc quoqꝙ cum ignorantia ſit, malum eſſe? PROT. Certe. SOC. Lætamur ne, an triſtamur, dum hæc irridemus? PROT. Lætamur planè. SOC. Voluptatem uero in amicorum malis, nónne à liuore proficiſci prædiximus? PROT. Certe. SOC. Nos igitur in amicorum rebus ridiculis ſubridentes miſcere uoluptatẽ dolori, dum inuidiæ lætitiam addimus, ratio iſta concludit. liuorẽ quippe triſtitiam quandam animæ iam dudum eſſe conſtitit, deriſionem uero lætitiam, ſimulqꝙ hæc in eo tempore congredi patuit. PROT. Vera loqueris. SOC. Ratio igitur nobis hæc dictat, nos nõ modo in ipſis ſpectaculis res geſtas repræſentantibus, & in alijs multis eodẽ pacto, ſed in totius uitæ quadam ueluti tragœdia atqꝙ comœdia dolores uoluptatibus immiſcere. PROT. Impoſſibile eſt iſta tibi ô Socrates, non concedere, etiam ſi quis alteri parti potiſsimum adſtipularetur. SOC. Iram, deſiderium, lamentationem, metum, amorem, æmulationem, inuidiam, propoſuimus, cæteraqꝙ huiuſmodi in quibus ea quæ iam ſæpe repetimus, coire nos diximus reperire, an non? PROT. Ita. SOC. Num uidemus quod de lamentatione, ira atqꝙ inuidia

Inuidię nouum fuiſſe nomen

Ignorantię cognomina

Ignorantia potentũ teterrima res.

Liuoris uis

dia omnia iam sunt nobis confecta? PROT. Quid ni uideamus? SOC. Multa igitur restant. PROT. Multa. SOC. Ob quam uero potissimum causam mixtum in comœdijs affectum declarasse me tibi existimas? nõne fidei gratia? quia in amorib. timoribusq; & alijs huiusmodi mixtio ipsa facilius ostendi potest. Quæ cum ex te ipso intelligas, & quę dicta sunt tenens, me dimitte, nec me cogas ad illa singulatim ordine descendentẽ, in longum disputationẽ producere: uerum simpliciter id accipito, & animã absq; corpore, & absq; anima corpus, & mutuũ etiam utrorumq; congressum, in omnibus perturbationibus habere uoluptatis & doloris cõcursum. Dic ergo, num me dimittas an ad multam noctem detineas. Reor enim te si pauca quædam dixero, me dimissurũ. nam de his omnibus cras me tibi dicturum polliceor: in præsentia uero ad iudicium quod Philebus instituit, pergere cupio. PROT. Præclare inquis ô Socrates, & idcirco quæ restant, utcunq; tibi placuerit, enarrato. SOC. Secundum naturam quidem post mixtas uoluptates necessitate quadam ad puras immixtasq; quodammodo deueniemus. PROT. Recte nimium. SOC. Conabor equidem, sed uariando eas nominare. Nam his qui dicunt uoluptates omnes dolorum sedationes esse haud prorsus assentior. Cæterũ ut dixi, ijs quasi testibus utens, ostendendo pleraq; uideri quum non sint, uoluptates, item ingentes quasdam multasq; uideri, sed mixtas esse tristitiæ, & sedationibus ingentium dolorum, & circa corporis & circa animæ defectum. PROT. Quas deniq; uoluptates ueras ô Socrates, merito censere quis debet? SOC. Eas utiq; quæ circa decoros colores figurasq; & odores pleroſq; & harmonias consistunt, præterea quę circa ea sunt, in quibus defectus quidem est, sed qui nec sentitur, nec lædit. Impletio uero, quæ & suauis est & sentitur, & tristitia uacat. PROT. Qua ratione ô Socrates, hæc sic dicimus? SOC. Sunt quæ loquor haud statim perspicua, ueruntamen explicare conandum figurarũ enim pulchritudinem, nõ ut plerisq; forsitan intelligerent, utputa animalium, uel picturarũ quarundam dico. sed rectum quiddã, & circulare, & ab ijs ea quæ tornis fiunt, plana & solida, & quæ canonibus, id est regulis atq; angulis construuntur, si modo hæc tenes. hæc siquidem nequaquam ad aliquid aliud respicientia, quemadmodũ cætera pulchra dico, sed pulchra semper suapte natura, uoluptates proprias nullo modo motuum delectationibus conuenientes habentia: eadem ratione colores item pulchros atq; gratos esse dico. Sed nunquid intelligimus? aut quid est? PROT. Annitor equidem ô Socrates, uerum ipse quoq; lucidius explicare nitere. SOC. Dico præterea, & uoces perspicuas & suaues, unamq; aliquam puram penitus concinentes melodiam, ad nihil aliud comparatas, sed natura sua pulchras esse, & innatam afferre uoluptatem. PROT. Hoc quoq; uerum est. SOC. Genus autem uoluptatum quod odores sequitur, minus diuinum est: quod autem ipsis necessarij dolores nequaquã misceantur ubiq;, & in quo id inesse contingat, cum illis proximis eadem prorsus ratione habere dico. Iamq; duas uoluptatum species, si modo intelligis, collegimus. PROT. Intelligo. SOC. Hic item disciplinarum uoluptates addamus, si & istæ famem discẽdi nequaquam continere uidentur, neque propter disciplinarum auiditatem principio statim dolores inferre. PROT. Mihi sic uidetur. SOC. Quid uero, si quis doctrina imbutus, inde obliuiscatur, nónne tristitiam quandam sequi uides? PROT. Non natura quidem, sed quadam passionis cogitatione, cum quis orbatus propter indigentiam tristatur. SOC. Cæterum ô beate, nos in præsentia non opinionis, sed naturæ passiones tractamus. PROT. Verũ est igitur quod asseris doctrinæ obliuionem absq; tristitia euenire. SOC. Voluptates igitur disciplinarum doloris expertes, nec multorum hominũ, sed paucorum admodum esse fatendum. PROT. Fatendum proculdubio. SOC. Postquam igitur uoluptates puras ab his quæ recte propemodum sic dicũtur, impuris secreuimus, addenda est iam uehementib. uoluptatibus immoderatio, remissioribus moderatio. Easq; etiã quæ intẽsius, remissius, magnum, paruum, raro, crebro, suscipiunt, ad infiniti genus quod per animam corpusq; secundum magis minus ue discurrit, referre decet: quæ uero ista nõ capiunt, ad commensurati genus potius referendæ. PROT. Recte inquis ô Socrates. SOC. Post hæc id insuper circa uoluptates instituendum. PROT. Quid istud? SOC. Vtrum purum ipsum atq; syncerum dicendum sit conferre ad ueritatem, potius & uehemens, multum magnumq; & sufficiens? PROT. Quid tibi uis, dum ista rogas ô Socrates? SOC. Nihil ô Protarche in ipsa disceptatione uoluptatis & scientiæ prætermittere uellem. siquidem utriusq; illorum

De puris uoluptatibus

Quæ uerę uoluptates

Genus uoluptatũ odores sequentiũ, minus diuinum

Disciplinarũ uoluptates duplices

portio quædam pura, quædam impura est, ut utrunq; purum in iudicium ueniens, & mihi & tibi, & istis deniq; cunctis ad iudicandum se apertum expeditumq; præbeat. PROT. Scitè. SOC. Age igitur de omnibus quæ genera pura uocamus, in hunc modum cogitemus, unum aliquod ex illis primum in medium inducētes. PROT. Quid potissimū elicie mus? SOC. Album si uis, primo genus cōsideremus. PROT. Volo equidem. SOC. Quomodo ita albi, & quæ puritas erit? Vtrum quod maximum quiddam est ac plurimum? an quod ita syncerum, ut nihil in eo coloris alterius insit? PROT. Constat planè, quod præcipue syncerum est. SOC. Probè. nónne hoc uerissimū ô Protarche, & pulcherrimū alborum omnium affirmabimus, non autem quod plurimum aut maximum. PROT. Recte. SOC. Si ergo quod purum parumq; album est, mixto multoq; albo albius, pulchriusq;, & uerius esse dicamus, recte penitus asseremus? PROT. Recte proculdubio. SOC. Nunquid exemplis huiusmodi pluribus ad iudicandum uoluptatē egebimus? an potius hinc nosse sufficiet, quod uniuersa uoluptas parua q; magna, pauca q; multa, modo à dolore remota sit, suauior est & uerior, ac deniq; pulchrior. PROT. Exemplum id unicum sat est.

Voluptatis generatiónem semper essentiã uero nunquã existere

SOC. Quid uero hoc? quod audiuimus uoluptatis quidem generationem semper, essentiam uero nunquam existere. Elegantes enim quidam uiri hoc ferunt, eisq; gratia est habenda. PROT. Quid tum? SOC. Visne id interrogando percurram? PROT. Dic, & interroga modo. SOC. Sunt igitur duo quædam, unum quidem secundū seipsum. alterū semper aliud appetens. PROT. Qua ratione? & quæ ista esse dicis? SOC. Hoc suapte natura summopere uenerandū, illud uero deficiens. PROT. Exprime clarius. SOC. Vidimus sæpenumero pulchra quędam elegantiaq; aspectu, & quosdam insuper qui ea nimium affectarent. PROT. Vidimus. SOC. Istis ergo duobus existentibus, duo quædam alia consimilia quære per omnia quæcunq; dicimus alteri tertium esse. PROT. Profer obsecro Socrates, clarius adhuc quod sentis. SOC. Nihil est hic insigne, rarum' ue ô Protarche, sed iocamur. Dicimus autem quod ex ijs quę sunt, aliquid semper est alterius gratia, aliquid uero cuius gratia semper id quod alterius gratia fit, efficitur. PROT. Vix tandē ob crebram repetitionem percepi. SOC. Fortè etiam procedente disputatione clarius comprehendemus. PROT. Quid ni? SOC. Duo hæc altera iterum adsumamus. PROT. Quænā? SOC. Alterum quidem omnium generationē, essentiam alterum. PROT. Equidē duo hæc abste accipio, essentiam & generationem. SOC. Recte: utrum aūt horum alterius gratia dicimus? generationémne essentiæ gratia? uel essentiam in quantū essentia nuncupatur, hoc est, secundū id q̄d existit, gratia generationis? An percipis? PROT. Videor, sed per deos quid me interrogas? SOC. Eiuscemodi quiddam ô Protarche, interrogo, num fabricatio nauium nauigij gratia sit? An contra nauigiū fabricationis nauium? Et de omnibus quæcunq; talia sunt, idem dico.

Quod uoluptas non sit bonum

PROT. Cur non ipse ô Socrates, tibijpsi respōdes? SOC. Nihil prohibet. Attamen tu quoq; concurre. PROT. Immo. SOC. Generationis gratia inquam, pharmaca & organa omnia, omnemq; materiā omnibus adhiberi, singulas autem generationes singularū essentiarum, uniuersam deniq; uniuersæ essentiæ gratia.

Id cuius gratia fit, bonū

PROT. Perspicuè admodum. SOC. Nónne & uoluptas, si quidem generatio est, alicuius essentiæ gratia necessario fiet? PROT. Quid ni? SOC. Quod tale est, ut eius gratia fiat q̄d semper alterius gratia fit, in boni sorte locatur: quod uero alterius gratia, in aliam sortē ô uir optime, reducendum uidetur. PROT. Necessarium id omnino. SOC. Quamobrem si uoluptas generatio est, ad aliam quàm boni sortē merito referemus. PROT. Merito certe. SOC. Nőne ut in principio disputationis huius prædixi, dicenti uoluptatis quidem generationem, essentiam uero nullam existere, habēda gratia est? Constat enim hunc eos qui uoluptatē bonum prædicant penitus derisurū. PROT. Magnopere. SOC. Quinetiam hic idem eos qui generationi impensius studēt, ridebit atq; despiciet. PROT. Quo pacto? & quales ais? SOC. Eos qui dum famem sitimq; restinguunt, uel aliquid aliud ex ijs quæ generatio curat ac sedat, generatione lætantur, quasi ipsa sit, aiuntq; uitā se nihil moraturos, nisi sitiant, & esuriant, atq; alijs quæ hæc sequunt̄, afficiantur. PROT. Videnť sanè. SOC. Eius aūt quod fieri est, contrariū destrui ipsum cuncti fatemur. PROT. Necessariò. SOC. Corruptionē generationemq; eligit quisquis hæc expetit: non aūt tertiā illam uitā quam & lætitia & tristitia uacuam, intelligentiæ uero quoad fieri potest, purissimę compotem proposuimus. PROT. A ratione procul ô Socrates, erit, quicunq; uoluptatē nobis, bonū

asseuera

assẽuerabit. SOC. Procul admodum,quandoquidem & hæc præterea ratione ostendere licet. PROT. Qua? SOC. Cur enim non absurdum sit,cum nihil bonũ decorum'ue sit,si ue in corpore,siue in alijs ullis præterquam in anima,in ea tamen solũmodo uoluptatem bonum uocare?fortitudinem uero,temperantiam, intelligentiam, ac reliqua quæcunq; bona sortitus est animus, minime? Ac præterea hominem uoluptatis expertem,dolore uero affectum,malum tunc dum dolet,asserere,licet omnium optimus sit:& eum contra qui uoluptatibus delinitur, quo magis gestit,eo uirtute præstantiorem dicere? PROT. Hæc ô Socrates,omnia suprà quàm dici possit,absurda sunt. SOC.Ne tamen disputationem omnem in uoluptate consumamus,mentem uero & scientiam prætermittere uidea mur,age iam si quid sordidum etiam his adiacet, excutiamus, donec ad purissimam eorũ naturam tandem penetrantes,& ipsam inspicientes,ad iudicandum tum harum,tum uoluptatis partibus ueris simis uti possimus.PROT.Scitè. SOC. Nõne aliud nobis sciẽtiam circa doctrinas, aliud circa educationem uel nutritionem exhibet? PROT. Sic est. SOC. In manuarijs primum artibus uideamus num artium alia scientia magis,alia minus sit, oporteatq; aliam purissimum,aliam impurisimũ arbitrari. PROT.Decet profecto. SOC. Præcipuas utiq; à singulis discernendum. PROT. Quales, & quo pacto? SOC. Vt ecce si quis ab omnibus artibus segregaret numerandi dimetiendiq; & ponderandi peritiam,ui le quiddã,ut ita dicam,esset,quod uniuscuiusq; restaret.PROT. Vile profecto.SOC.Resi duũ quippe imaginatione quadã ac sensuũ experiẽtia & exercitatione, cõiecturisq; con sequi liceret,quas pleriq; artes uocant, cura & labore uiam suam omnẽ adeptas. PROT. Necessaria prorsus inducis. SOC.An non musica ijs plena est? primo concentũ contemperat non mensura,sed diligentiæ potius coniectura,tum uniuersa eius pulsandi facultas mensuram chordę cuiusq; coniectura motæ perquirit.Itaq; ut obscuritatẽ plurimam mixtam habet,ita stabilitatẽ minimam.PROT. Verissime.SOC.Quinetiã medicinam,agri culturam,gubernatoriã,militarẽ similiter institutas esse reperiemus.PROT. Quàm maxime.SOC.Architecturã uero mensuræ,& instrumẽta iam plurima quibus utitur illa cre bro,ut perspicacem maxime,ita supra cæteras artificiosam maxime reddũt. PROT. Quonam pacto? SOC.In ipsa profecto nauium & domorũ constructione, multisq; alijs id genus materiæ elaborandi quodãmodo pertinentibus utitur amussi regulaq;, torno, circino,filo,perpendiculo,instrumento quoq; ad dirigenda ligna idoneo. PROT. Recte admodum ô Socrates, inquis.SOC.Ponamus igitur eas quæ dicunt artes in ordine duplici, alias quæ musicã quidẽ in operibus sectant, perspicaciæ minoris participes, alias architecturæ pedissequas aliquãto maioris.PROT.Ponamus. SOC. Harum omniũ perspicacissimas,quas paulo ante primas uocauimus.PROT.Numerandi peritiã, & quas cũ illa suprà iunxisti,innuere nunc mihi uideris.SOC.Prorsus.sed num ô Protarche,has iterum duplices affirmare,an aliter debemus? PROT.Quas inquis? SOC. Arithmeticã primo,nõne aliam uulgariũ,aliam philosophãtiũ? PROT. Quánam ratione quis partiẽs aliam atq; aliã arithmeticam asseret? SOC. Haud exigua discrepantia ô Protarche. Illi porrò unitates inæquales eorum quæ secundum numerum sunt,dinumerant,uelut duos exercitus, boues duos,duo quæ minima,duo etiam quæ maxima: hi uero nunquam eos sequerentur, nisi quis partium unitatem aliam ab alia unitate nihil discrepantem posuerit. PROT. Quàm optime loqueris, dum multã infers diuersitatẽ eorum qui circa numerũ uersantur, adeò ut decens sit,in duo quædam diuidere. SOC.Quid uero computandi & dimetiendi illa secundum architecturam mercaturámue facultas,itemq; illa secundum philosophiam geometria ratiocinatioq; diligens,utrum una quædam,an duę potius artes sunt? PROT.Prio rem ego responsionem secutus, mea quidem sententia, duas esse ponerem. SOC. Probe. sed num intelligis cuius gratia in mediũ hæc induximus? PROT.Forsitan,attamen quod nunc quæsitũ est, explanare te uelim. SOC. Disputatio nostra quę iam diu proportionem quandam æqua diuisionis conuersione uoluptatibus respondẽtem quærit, uidetur mihi nunc nõ minus q̃ ab initio assecuta fuisse quod quærit, dum indagat num sit scientia quę dam alia scientia purior,quẽadmodum uoluptate uoluptas.PROT. Constat horum gratia ista tractata fuisse. SOC.Quid autem, nónne in superioribus aliam artem in alia esse repertũ est,clariorẽq; aliam, & obscuriorẽ aliam? PROT. Maxime. SOC. In ijs aũt an non artem quãdam ratio uelut æquiuocã proferens,& quasi unam innuens,rursus quasi duæ

Scientiarũ puritas

Potissimain artibus

Musica usu raria & sine mensura

Debilitas medicinæ

Nobilitasar chitecturæ

Artes in duplici ordine

Arithmetica duplex

Geometria duplex

Artes differre

sint, inquirit num perspicuitas puritasq; illarum penes philosophantes, aut non philosophantes existat? PROT. Et maxime quidem id inquirere mihi uidetur. SOC. Quale hic responsum ô Protarche, reddemus? PROT. O Socrates, ad miram scientiarum differentiam declarandam descendimus. SOC. An non responsio facilis? PROT. Quid ni? asseramus itaq; has artes longo interuallo à cæteris discrepare. Ab ijs præterea legitimorũ philosophorũ artes mirum in modum syncerítate & ueritate circa mensuras numerosq; differre. SOC. Sunto igit̃ ista ex tua sententia, nosq; tibi credentes audacter importunis disputatoribus respondeamus. PROT. Quidnam? SOC. Duas arithmeticas esse ac duas metiendi artes, aliasq; facultates harum comites plurimas, geminationẽ habentes huiusmodi, & in nomine uno cõmunicantes. PROT. Demus secunda fortuna his quos importunos uocasti, responsionẽ hanc ô Socrates. SOC. Has ne scientias q̃ maxime synceras, atq; supremas asseueramus? PROT. Omnino. SOC. Veruntamen ô Protarche, nos differendi facultas ipsa facere non patiatur, siquam aliam ipsi præferremus. PROT. Quam rursus hanc dicere decet? SOC. Eam quæ omnẽ modo inductã peritiam nosc̃it. hanc enim cum circa id quod est, & uere est, & semper eodẽ modo se habet, uerset̃, arbitror omes quibus modo aliquid sanæ mentis adsit, longe omniũ uerissimam cognitionẽ esse protinus conceſſuros. Tu uero ô Protarche, quid sentis? PROT. Gorgiã sæpe audiui, cum diceret persuadendi facultatẽ artibus cunctis præcellere: quippe quæ cuncta non ui sed sponte sibi subjiciat, longeq; omniũ artium optima sit. Nunc uero nec tibi nec illi aduersari uelim. SOC. Arma mihi uideris dicere uoluisse, uerum pudore adductus prætermisisse. PROT. Sunto hæc ut lubet. SOC. Egóne in causa sum ut minus bene acceperis. PROT. Quid? SOC. Nõ ego ô amice Protarche, quę ars aut scientia omnib. eo antecellat, quod maxima potissimaq; & utilissima omniũ sit, ex te quæsiui: sed quæ perspicuũ, syncerum, uerissimũ contempleť, quamuis parua sit ac minime utilis: hoc profecto est quod modo quærimus. At uide: nihil enim Gorgiam lacesses, si eius arti utilitatis laudem præstantiãq; concedas, ei uero quam ipse modo narraui, facultati ueritatis præcellentiã tribuas: quemadmodũ superà de albo dixeram, quod licet paruũ, si tamen purum esset, multo impuroq; secundũ ueritatis excessum præstaret. Et nunc quidẽ sufficienter his discussis, ne respiciamus in ullas disciplinarum uel cõmendatiões uel cõmoda: sed si qua ex natura sua uis animi ueritatis est amans, eiusq; gratia cuncta peragit, hanc dicamus puritate mentis & sapiẽtiæ perscrutati, considerandã à differendine scientia maxime an ab alia potius hac præstãtiore acquiri uideat̃. PROT. Cõsidero equidẽ, concedoq; difficile inueniri posse aliam uel artem uel scientiã, quæ sibi magis uindicet ueritatem. SOC. Nunquid tale quiddã cogitans, hęc modo dixisti? quod uidelicet artes multę, & quæcunq; circa hæc uersant̃, primo quidem opinionibus utuntur, & quæ circa opiniones consistunt, ex instituto perquirunt: siue etiam quæ ad naturam spectant, indaganda quis putet, puta quæ circa mundũ sunt, quomodo uidelicet factus sit, quomodo patiat̃, quomodo agat, per omnem uitam scrutat̃. fatemur hæc, an nõ? PROT. Vtiq;. SOC. Nec circa ea quæ semper existunt, sed quæ fiebãt, fiuntq; & fient, hic uersatur. PROT. Vera loqueris. SOC. Num ex ijs quæ nunq̃ aut in præterito, aut futuro, aut præsenti eodẽ modo se habent, aliquid exactissima ueritate perspicuũ esse dicemus? PROT. Non licet. SOC. Etenim in ijs quæ nullam prorsus stabilitatẽ habẽt, quo pacto nos stabile quicq̃ assequeremur? PROT. Nulla ut arbitror ratione. SOC. Neque mens igitur, neq; scientia ulla circa ista est, ueritatẽ supremam habens. PROT. Consentaneum. SOC. Te igitur & me, & Gorgiam, atq; Philebum ualere sinamus: hoc autem ratione nunc asseramus. PROT. Quid istud? SOC. Quod illa nobis facultas, firmitatẽ, puritatem, ueritatem, syncerítatẽ cõtinet, quæ circa ea quæ semper eodem modo & simplicissima sunt, studet, aut quod secundo loco illis proximum. Reliqua omnia posteriora dicenda. PROT. Vera nimium. SOC. Atqui illa nomina quæ circa talia quædam pulcherrima omnium sunt, an non rebus quoq; pulcherrimis assignanda? PROT. Par est. SOC. Mens & sapiẽtia nomina sunt omnium precios̃issima. PROT. Sunt. SOC. Hæc igit̃ intelligentijs eius quod uere est exactissima ratiõe perfecta atq; tributa recte utiq; accõmodantur. PROT. Prorsus. SOC. At quæ ipse in iudiciũ suprà produxi, non alia sunt q̃ hæc nomina. PROT. Haud alia. SOC. Cęterũ si quis mixtionẽ uoluptatis & sapiẽtię nobis uelut opificibus propositũ dicat, ut quæramus ex quibus & in quibus conflet̃, recte cõijcietar

Logica artibus omnib. præfertur

Gorgias prętulit artẽ dicẽdi cunctis artibus

Determinatio duarũ artium, quarũ præcellere alterutra uidetur alijs

bitror

bitror. PROT. Et maxime quidem. SOC. Itaq; deinceps miſcere conandum. PROT. Conandum planè. SOC. Nónne hæc priùs admonere præſtabit? PROT. Quæ? SOC. Quæ & antea memorauimus: præclarum nempe prouerbiũ illud quo dicit, quæ pulchra ſunt, & bis & ter repetenda eſſe. PROT. Quid ni? SOC. Per Iouem ſic exiſtimo ſuperiora dicta fuiſſe. PROT. Quomodo? SOC. Philebus uoluptatẽ inquit finem rectum cunctis animalibus eſſe, omniaq; ad eã intẽdere oportere, atq; id bonũ ipſum uniuerſis exiſtere: præterea duo hæc nomina bonũ & iocundũ eidem naturæ cõgruere. Socrates autẽ primum id minime eſſe inquit: utq; duo nomina ſunt, bonũ atq; iocundum, duas etiam differentes eſſe naturas. Quinetiam ſapientiam magis q̃ uoluptatem boni participem eſſe. Nónne hæc ô Protarche ſunt quæ dicebantur? PROT. Maxime. SOC. Hoc quoq; & tunc & in præſentia nónne cõfitendũ erit? PROT. Quale? SOC. Ipſius boni naturam hoc præcipue ab alijs diſcrepare. PROT. Quonam? SOC. Cuicũq; hoc adeſt ex uiuentibus ſemper & omnino & undiq;, id nullo alio indiget, perfectamq; ſufficientiã continet. ita'ne? PROT. Ita prorſus. SOC. An non ratione ipſa conati ſumus alterum ab altero ſeparantes, uoluptatẽ à ſapientia, ſapientiam à uoluptate, ſic ut altera alterius ne momentum quidem participet, ſic in uitã cuiuſq; reſpicere? PROT. Certe. SOC. Viſum'ne tunc alterutrum ex his ſufficiens eſſe. PROT. Et cui uideatur? SOC. Quod ſiquis forte tunc præteruectus eſt, nunc reſumens rectius aſſeueret: & cũ memoriam, ſcientiã, ſapientiam, ueram opinionẽ, eiuſdem ideæ ponat, cõſideret utrum abſq; his aliquis, uel ſe, uel aliũ aut eſſe quicquã aut quicquã fieri exoptet, nedũ ut uoluptatem ſeu plurimam ſeu uehementiſsimã ſine ijs eligere debeat. Siquidẽ his priuatus neq; reuera gaudere ſe opinabitur, neq; qua cõditione affectus ſit, noſcet, neq; affectus ipſius memoriã per tempus aliquod reſeruabit. Eadem quoq; de ſapientia dicas. Num quiſpiam procul ab omni etiam minima uoluptate ſapientiam adipiſci, q̃ cum uoluptatibus quibuſdã malit, aut uoluptates omnes ſine ſapiẽtia potius q̃ cum ſapientia quadã? PROT. Nullus ô Socrates. Veruntamen nihil opus eſt hæc toties iam repetere. SOC. Quapropter horũ neutrum perfectũ, & omnibus expetendũ, ac penitus bonũ. PROT. Neutrum. SOC. Aut igitur bonũ ipſum perſpicue, aut figuram eius aliquã ſumere decet, ut quemadmodũ diximus, cui potiſsimũ ſecundæ ſortes tribuẽdæ ſint, uideamus. PROT. Scite admodũ loqueris. SOC. An non ſemitam ad bonũ ipſum quandã ingreſſi ſumus? PROT. Quam? SOC. Si quis hominem aliquẽ quærens, domum quã inhabitat, primũ cognorit, adminiculũ ſanè ad eum inueniendũ ingẽs habebit. PRO. Quid ni? SOC. Ita & nos præſens atq; ſuperior ratio monuit ne in ſimplici uita ſed mixta bonum ipſum indagaremus. PROT. Omnino. SOC. At ſpes certior, in eo quod pulchre mixtũ, q̃ in oppoſito nos quod quærimus reperturos. PROT. Certior ſanè. SOC. Miſceamus igitur ô Protarche diſs ante uouentes, ſiue Dionyſius, ſiue Vulcanus, ſiue alius quiſpiam deorũ ſortitus eſt mixtionis officiũ. PROT. Ita prorſus agendũ. SOC. Atqui nobis tanquã uinum miſcẽtibus quibuſdã, fontes adſtant. Et melli quidẽ uoluptatis fontẽ comparare quis poteſt: uerũ ſapientiæ fontẽ ſine uini ui ſobriũ aquæ cuipiã acri, atq; etiã ſaluberrimæ. Hos ergo liquores quãpulcherrime in unum cõfundere ſtudeamus. PRO. Studendũ certe. SOC. Dic age primũ: ſi omnẽ uoluptatem cũ omni ſapiẽtia miſceamus, num pulchre iunxerimus? PROT. Forſitan. SOC. Verũ minime tutum. Quo tamen pacto ſecurius miſceamus, me nunc declaraturum confido. PROT. Dic quomodo. SOC. Patuit ne in ſuperioribus aliam uoluptatẽ alia, rurſusq; ſcientiã aliam alia ſynceriorẽ eſſe? PRO. Patuit plene. SOC. Sciẽtia quoq; à ſcientia differẽs, & altera quidẽ circa illa quæ oriuntur & occidũt, altera circa ea quæ neq; fiunt neq; intereunt, ſemperq; ſecundũ eadem eodem modo ſe habẽt. Atq; hanc ad ueritatẽ ipſam reſpicientes, illa ueriorẽ eſſe putamus. PRO. Recte admodũ. SOC. Si utriuſq; portiones ueriſsimas inuicem commiſceamus, nunquid iſtarum mixtio ſufficiens erit ad uitam nobis optabiliſsimã exhibendã? aut alio præterea quodam alterius rationis egebimus? PROT. Mihi quidẽ uidetur ſic agendum. SOC. Eſto igitur nobis uir quidã ſapiens qui norit quid ipſa iuſtitia ſit, rationẽq; intelligentiæ comitem habeat, nec non reliqua cũcta quęcunq; ſunt ſimiliter calleat. PROT. Eſto ſanè. SOC. Num hic ſuciffiẽti ſcientia præditus erit, ſi circuli & ſpherę ipſius diuinæ rationẽ teneat, humanã uero hanc ſpherã & hos circulos prorſus ignoret, dũ in architectura ſimilibusq; operib, canonibus, id eſt, regulis circuliſq; utet? PROT. Ridicula erit, ô Socrates, cognitio

Prouerbiũ

Quo boni natura ab alijs diſcrepet

Dionyſio et Vulcano eſt dedita mixtio

noſtra,ſi in diuinis duntaxat uerſetur. SOCR. Quid ais? num falſi canonis atq; circuli impuram & inſtabilem artem in commune inſerere & immiſcere debemus? PROT. Neceſſarium hoc eſt,ſi modo quis noſtrum uel uiam quę ducat domum reperturus ſit. SOC. An uero & muſicam? quam paulo ante diximus cõiecturis imitationeq; plenã à puritate procul abeſſe? PROT. Neceſſarium id quoq;,ſi quidẽ uita noſtra,aliquãdo uita futura ſit. SOC. Vis ergo tanquam ianitor turba pulſus atq; coactus,ego nunc fores pandam,ſcientiasq; omnes cõfluere iam & cõfundi ſinam,cum pura paſsim deteriorem. PROT. Haud ſcio ô Socrates num quis à ſcientijs alijs lædat, qui primas habet. SOC. Permitto iam cunctas in Homericæ mixtionis uelut conuallem quandam, adeoq; uehementem illam poeticam confluere. PROT. Fluant. SOC. Rurſus ad uoluptatum fontem proficiſcendum uidetur:quando enim ipſas miſcere cogitauimus, & inter eas nónne ueræ quædam enatæ nobis ſunt:ſed propter ſcientiæ totius amorẽ in idem concurrere ſcientias uniuerſas permiſimus, prius quam uoluptates. PROT. Vera loqueris. SOC. Eſt igitur tempus, ut de uoluptatibus etiam conſultemus,utrũ & ipſæ in unum omnes,an primæ duntaxat, ac ueræ ſint admittẽdæ. PRO. Permultũ ad ſecuritatẽ intereſt primas uerasq; admittere. SOC. Harum ergo cõmercium admittatur. At quid deinceps? ſi quæ neceſſariæ ſunt, num quẽ admodũ & iſtic,hæ quoq; in mixtionem ſunt accipiendæ? PROT. Quid prohibet? SOC. Neceſſarias igitur quoquo modo accipiamus. Si autẽ quemadmodum artes omnes noſſe innocuũ & conferens in uita eſſe cõſtitit,ita nunc de uoluptatib. cõſtet,uidelicet quod omnibus frui innoxiũ & utile ſit,fortè erunt omnes omnibus immiſcendæ,quid ad hæc? PROT. Qua ratione de his loquemur? Quid agemus? SOC. Non à nobis Protarche tale aliquid, ſed ab ipſis uoluptatibus ſcientijs quærendũ. PROT. Quid iſtud? SOC. O amicæ,ſiue uoluptates ſiue alio quodam cognomẽto appellare uos deceat, utrum eligitis cũ omni ſapiẽtia cõgredi,an eſſe ſeorſum à ſapientia? Reor equidem hoc illas neceſſario reſponſuras. PROT. Quid? SOC. Quod quemadmodũ in ſuperioribus dictũ eſt,nec poſſibile,neq; utile eſt genus aliquod purũ,ſeorſum ſolitariũq; eſſe. Omniũ uero generũ optimum, ſi unũ uni cõparetur,nobis fore putamus genus ipſum, quo tũ cætera omnia tum etiam ſingulæ noſtræ uires perfectæ noſcuntur. PROT. Et recte quidem reſpondiſſe illas merito confitebimur. SOC. Reſtat ut mentẽ & ſapientiã rogemus cũ ipſa mixtione quodãmodo uoluptatibus egere dicamus, qualibus præcipue uoluptatibus egeant. PROT. Merito. SOC. Noſtra uero poſthac interrogatio talis erit,utrũ præter illas ueras uoluptates uobis opus eſt uehementiſsimarũ maximarũq; uoluptatũ cõmercio? Fortè ſic illæ reſpondebũt: Minime ô Socrates. Hæ nanq; impedimẽta nobis innnmerabilia præbẽt. Animas ſiquidem quas incolimus,uoluptates furioſæ perturbant, nec adoleſcere nos permittunt,noſtrasq; progenies ut plurimũ per negligentiam obliuione illata omnino corrumpunt. Alias autem uoluptates ueras ac puras quas ipſe narraſti,fermè nobis domeſticas arbitrare:ac præter iſtas,illas inſuper,quæ cũ ſanitate & temperãtia cæterisq; uirtutibus capiunt. Has enim quę uirtutis tanquã deæ cuiuſdã pediſſequę ſunt,libenter admittimus. Quæ uero cum dementia & alia improbitate congrediuntur,eas menti miſcere abſurdum eſt,ſi quiſq; pulcherrimam illam cernens concordemq; mixtionem atq; temperiem,in ea perdiſcere quid & in homine & in uniuerſo ſuapte natura bonũ ſit, quæue ipſius idea exiſtat,diuinare uelit. An non ſapienter,& tanquam ſui compotem mẽtem hæc, & de ſeipſa,& de memoria rectaq; opinione reſpondere dicemus? PROT. Omnino quidem. SOC. Atqui & hoc neceſſariũ eſt,nec unquã aliter fieri poſſet. PROT. Quid iſtud? SOC. Cui ueritatem non miſcemus,nunquam id uerum aut fieret aut factum eſſet. PRO. Quo enim modo? SOC. Nullo. uerũ ſiquid huic mixtioni ulterius deeſt, dicite tu & Philebus. Mihi enim tanquã mundus quidam incorporeus animato corpori pulchre dominaturus ſermo hic peractus fuiſſe uidetur. PROT. Mihi quoq; ô Socrates idem uideri ſcito. SOCR. Nónne ſi boni ipſius ac talis quidẽ ueſtibulum ædium nos nuper ingreſſos eſſe dicamus,forſitan recte quodãmodo profitebimur? PROT. Mihi ſanè uideť. SOCR. Quid igiť in huiuſmodi mixtione precioſiſsimũ,maximeq; cur cõſtitutio hæc omnibus gratiſſima ſit,nobis in cauſa eſſe uidetur? Si enim id nouerimus,mox perpendemus uoluptatine an menti cognatũ magis propriusq; in uniuerſo conſiſtat. PROT. Scite. Id enim ad iudiciũ nobis propoſitum maxime conferet. SOC. Atqui nequaquam inuentu difficile eſt, quæ

Nemo lædi tur à ſciẽtijs cæteris qui tenet primas

Quæ uoluptates ſapiẽtiæ propriæ ſint,quę aliænæ

quæ causa sit, ob quam mixtio quæq; uel plurimi uel minimi faciẽda sit. PROT. Quo pacto inquis? SOC. Nemo hoc ignorat. PROT. Quid hoc tandem? SOC. Quod quæcunq; & qualiscũq; mixtio expers uel mẽsurę est uel naturę cõmensurati, necessario omnia quę mixta sunt, sed & seipsam primo perdit. Necq; enim temperies hæc est, sed tanquã intemperatus quidam, fortuitusq; concursus nobis accidere solet. PROT. Vera loqueris. SOC. Nunc quidẽ nos ipsius boni potentia in naturam pulchri se transferens clam fugit. Mensura enim cõmensuratioq; pulchritudo plane ac uirtus ubiq; fit. PROT. Prorsus. SOCR. Quinetiã ueritatẽ diximus ipsis in ea temperie cõmisceri. PROT. Omnino. SOC. Quod si bonum ipsum una idea complecti nõ licet, saltem una cum tribus pulchritudine, commensuratione, ueritate comprehẽdentes, dicamus id uniuersum uelut unum, causam eorum quæ in mixtione sunt esse, & propter hoc, utputa quod bonum sit, mixtionem fieri bonam. PROT. Recte nimium. SOC. Vnusquisq; iam ô Protarche facile arbitror de sapientia & uoluptate iudicarit, utra earum opinio isti cognatior & præstans magis & apud homines & apud deos esse contingit. PROT. Constat quidem, attamen ratione id quoq; percurrere præstabit. SOC. Secundũ quodlibet igitur horum trium, de uoluptate & sapientia iudicemus. Videndũ enim utri unũquodq; triũ cognatius asseramus. PROT. Num de pulchritudine, ueritate, mensuraq; loqueris? SOC. Certe. primum igitur ueritatem sume Protarche, cumq; sumpseris, ad tria iam respice, mentem, ueritatem, & uoluptatem: & postquam diu mature consideraueris, tibi ipsi respõde, utrum uoluptas an mens ueritati propinquior. PROT. Quid diuturna meditatione opus est? permultum ut arbitror interest. Voluptas enim maxime omnium temeraria. fertur enim de ueneris uoluptatibus, quę ingentissimę omnium æstimãtur, quod peierãtibus illis, diĳ prorsus ignoscunt, quasi pueri quidam sint, nullius intelligentiæ compotes. Mens autem aut idem est quod ueritas, aut omnium certe similima atq; uerissima. SOC. An posthac mensuram illam moderationemq; considerandum restat, uoluptas ne an sapientia eius sit capacior? PROT. Id quoq; quod nũc infers, exploratu perfacile est. Reor equidẽ nihil uoluptate, eiusq; exultatione immoderatius inueniri posse: nihil cõtra, mente & sciẽtia moderatius. SOC. Præclare, ueruntamen tertium quoq; responde. Mens ne pulchritudinis magis est particeps, an ipsa uoluptas? quid ue pulchrius: an mens uoluptate, an contra? PROT. Mentem quidem & sapientiam ô Socrates nemo unquam reuera aut falso deformem uel uidit, uel aliquo pacto cogitauit, aut fuisse unquam, aut esse, aut deinde futuram. SOCR. Recte. PROT. Si quẽ uero uoluptates præsertim maximas prosequentem aduertimus, uel quod ridiculæ, uel quod obscœnæ sint, ipsi quidem erubescimus, atq; celamus, noctis tenebris talia cõcedentes, quasi sint diurni luminis indigna conspectu. SOC. Cunctis igitur ô Protarche, & per nũcios & uoce præsenti declarato, quod uoluptatis possessio neq; primum est neq; secundum bonum. Sed primum circa mẽsuram & moderatum, & opportunum & quæcunq; talia sempiternam quãdam naturam sortita esse putare decet. PROT. Apparet utiq; ex ijs quæ modo sunt dicta. SOC. Secundum deinde circa commensuratum & pulchrum, perfectum atq; sufficiens, & quotcunq; huius ordinis sunt. PROT. Videtur. SOC. Tertiũ ut ipse uaticinor, si mentẽ sapientiãq; posueris, haud procul à ueritate discedes. PROT. Fortè. SOCR. Quarta uero sunt quæ ipsius animæ propria posuimus, scientiæ & artes opinionesq; rectæ. quæ ideo tribus illis statim succedũt, quia bono sunt quàm uoluptas cognatiora. PROT. Forsitan. SOC. Quinto loco pone uoluptates eas, quas expertes molestiæ definimus, quas puras nominabamus animę ipsius sciẽtias, sensus autem sequentes. PROT. Fortassis. SOC. In sexta uero progenie, inquit Orpheus, cantilenæ ornatum finite. Nostra quoq; oratio in sexto iudicio finiri uidetur. unde nihil deinceps nobis aliud restat, nisi ut dictis caput adhibeamus. PROT. Decet profecto. SOCR. Tertio iam orationem eandem conseruatorẽ deum contestati breuiter perstringamus. PROT. Qualem inquis? SOC. Philebus quidẽ inquit, omnẽ penitus uoluptatẽ nobis ipsum bonum esse. PROT. Tertio quemadmodũ uidetur, dicebas pauloante repetendam orationem esse. SOC. Hoc ipsum. quod autem sequitur, audiamus. Equidem quod modo dixi, orationem Philebi aliorumq; innumerabilium considerans grauiterq; ferens, mentẽ longe meliorem potioremq; hominum uitæ quàm uoluptatem contendi esse. PROT. Dicta hæc sunt. SOC. Suspicatus tamen esse, & alia multa intuli, quod si apparuerit aliquid

Pulchritudo

Mẽs aut est ipsa ueritas, aut similima

Bonorum distinctio

ambo

ambobus hiſce præſtantius, pro mente ipſa aduerſus uoluptatem de ſecunda ſorte pugnarem, uoluptas ſecundis etiam honoribus ſpoliaretur. PROT. Hæc quoq; dixiſti. SOCR. Præterea cum dixiſſem bonum ipſum eſſe omnium ſufficientiſsimum, neutrum ex ijs tamen ſufficiens eſſe conſtitit. PROT. Vera narras. SOC. Et cum in ea oratione nec mens nec uoluptas ſibijpſi ſufficientem perfectamq; uim habere uiderentur, neutram eſſe bonum ipſum apparuit. PRO. Recte admodũ. SOC. Quinetiam cũ tertium quiddam utraq; melius eſſe conſtaret, mens utiq; longo quodam interuallo propinquior potiori ſuperanti q; ideæ quàm uoluptas eluxit. PROT. Quid ni? SOC. Ergo nónne quintum gradum ex ea ſententia quã præſens iudicium protulit, uoluptatis potentia ſortiretur? PRO. Videt. SOC. Primum tamen uoluptati locum boues darent, & equi, & bruta denique uniuerſa, ex eo quod eius illecebris mancipata ſunt, quibus plurimi fidem, haud ſecus q̃ augures auibus habentes, uoluptates ad bene uiuendum potiſsimas omnium arbitrantur: ferarumq; amores, locupletiores teſtes aſſerunt, quàm tot reſponſa rudium philoſophorum. PROT. Veriſsima ô Socrates te narraſſe cuncti fatemur. SOCR. Nónne ergo me iam dimittis? PROT. Exiguum adhuc quiddam reſtat ô Socrates: neq; enim prior tu quidem diſcedes, ego uero quæ reſtant in memoriam tibi reducam.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN *Hippiam, uel De pulchro, ſeu honeſto, ad Petrum Medicem patriæ patrem.*

DE pulchro, in Phædro, Sympoſio et Hippia diſputatur. In Hippia, quia Socrates agit aduerſus Hippiam ſophiſtam, qui cum ignoraret, ſe ſcire putabat, quæ ignorantia animum reddit indocilem, quid pulchrum ſit non ſatis docet, ſed quid non ſit oſtendit, & opiniones falſas redarguit. Sophiſtam uocat eum qui ſe ſapientẽ uideri magis quàm eſſe ſtudet, pecuniarũ honorisq; gratia. Talem uero Hippiam eſſe in proœmio declaratur, & in fine proœmij. Sumpta occaſione ab oratione quadam Hippiæ quæ de pulchris officijs diſſerebat, interrogat Socrates quid ipſum per ſe pulchrum quo reliqua omnia pulchra fiunt. Oportet enim particularia ad uniuerſale quod in particularibus: et uniuerſale quod in particularibus, ad ipſum quod ſupra ſingula eſt uniuerſale referre. Nam ſinguli homines pulchri, per fórmam quandam ſingulis communẽ pulchri redduntur: fórma uero cõmunis pluribus à diuina ſpecie uelut à ſigillo character imprimitur: quoniam omnis multitudo ad unum quod in multitudine, & unum quod in multitudine, ad unum quod ſupra multitudinem eſt, reducitur. Quare cum multa ſint pulchra, oportet ſingula per pulchritudinem communem omnibus, et omnibus inſitam eſſe pulchra: & pulchritudinem quæ in omnibus eſt, ſicut in alio eſt, non in ſeipſa, ſic ab alio, non à ſeipſa pẽdere. Vnũquodq; è ſingulis pulchris, pulchrũ hoc Plato uocat: formã in omnibus, pulchritudinẽ: ſpeciẽ & ideam ſupra omnia, ipſum pulchrum. Primum ſenſus attingit opinioq;. Secundũ ratio cogitat. Tertiũ mens intuetur. Interrogatus Hippias, ter ſecundum ſenſum opinionemq; definit. Quibus confutatis, Socrates ter quoq; definit. Bis quidẽ ſecundum rationem, poſtremo ſecundũ mentem. Sophiſta enim ſenſu opinioneq; incedit. philoſophus ratione potius, atq; mente. In primis Hippias pulchram uirginem, ipſum pulchrum eſſe reſpondet. Quod eſſe falſum ex eo conſtat, quod non omnia quæ pulchra ſunt, per uirginem pulchra fiunt. Et uirgo, ſi cum brutis comparetur, pulchra: ſi cum dijs, deformis apparet. Quare nõ magis pulchra quàm turpis eſſe uidetur. Tum Hippias aliud quiddam ſimiliter è ſingulis pulchris, non cõmune reſpondet. Aurum quippe ipſum pulchrũ, quo omnia pulchra fiunt. Quod ea ratione reſpuit Socrates, quoniam aurum quibuſcunq; conuenit, pulchra illa facit: alia uera deformat. Ergo non ſimpliciter pulchra facit, ſed cum decet. Quocirca non ſui magis quàm alterius ratione res ornat. nec aurum ſolum eſt quo cuncta ornãtur, ſed argentum quoq; & ebur, cæteraq; huiuſmodi. Tertio loco aliud quiddam infert, quod etiam propriũ eſt potius quàm commune: Pulchrum, inquit, corpore bene ualere, diuitem eſſe & honoratũ, ſenem mori, ſepeliri à filijs, ſepeliſſe parẽtes. Falſum hoc eſſe patet, quia non res omnes præter hominẽ hoc ipſo pulchræ redduntur. præterea hoc inter homines forte pulchrum: inter deos deorumq; filios turpe, ubi parentes nõ moriuntur. His redargutis quæ circa ſingula corporea per ſenſum & opinionem Hippias adducebat, Socrates iam ad altiora tendens, non quod ſenſus opinioni, ſed quod opinioni ratio porrigit infert. Primo enim decorum pulchrum dicit. Quod quidem incorporeum eſt magis, pluribusq; commune. Id tamen hac diuiſione refellit. Decorum aut uideri ſolum pulchro, aut tam uideri quàm eſſe præſtat. Si primum, deceptio quædam circa pulchrum, potius quàm ipſum pulchrum, decorum exiſtit. Vera enim pulchritudo pulchra eſſe facit: quemadmodum uera magnitudo, magna, etiam ſi non uideatur. Si ſecundum dixeris, falſo dixeris. Nam ſi ipſum pulchrum quoties eſſe dat pulchra, uideri quoq; pariter largiretur, quæcũq; pulchra ſunt, ut ſunt ita omnibus apparerent. Id eſſe falſum, cõtentiones de rebus pulchris & cõtrouerſiæ nobis oſtendunt. Secundo aliud quiddam etiã, quod ratio opinioni offert, adducit.

Vtile porrò pulchrum uocat. Vtilitas incorporeum quiddam multisq; cõmune. Nec mirum est, cogitationẽ circa decens & utile decipi. Illud quippe ordinem partis ad partem, partiumq; ad totum, hoc autem ordinem totius cuiusdam ad totum aliud habet, ordo uero pulchritudinẽ repræsentare uidetur. Quapropter decens uel utile, facile quis pro pulchro accipit. Quod decẽs pulchrum non sit, constitit: quod nec utile, sic ostendit. Vtile est quod potentiam ad aliquid faciendum habet. Potentia igitur et utilitas idem. Quicquid agimus potentia quadam agimus, sed mala ut plurimum facimus, potentia itaq; & utilitas malum ut plurimum inferunt, pulchrum autem nunquã mali causa. Ergo non simpliciter quæcunq; utilitas pulchrum. At saltem quæ ad bonum confert, respondebit quispiam: aduersus quem sic argumentatur: Quod ad bonum tendit conducibile. Conducibile bonum efficit: quod aliquid efficit, aliud est quàm id quod efficitur: quapropter aliud conducibile, aliud bonum. Conducibile, & pulchrum, idem. Ergo pulchrum & bonum aliud. Neq; pulchrum igitur bonum, neq; bonum pulchrum, quod prorsus absurdum. Tandem sensus opinionis, cogitationisq; conuictis erroribus mens rationi dictat, pulchrum esse gratiam quãdam, quæ animam, per mentẽ, uisum, & auditum mouet & allicit. Quod sanè partim ex huius dialogi calce, partim ex Phædro & Symposio Platonis elicitur. Qua ratione gratia hæc insit, & quo nomine nuncupãda, inquirit Socrates, nec tamen ambitioso sophistæ declarat, quæ Phædro reuelauit, & Agathoni, qui quamuis ignorarent, suam tamen ignorantiã agnoscentes, dociles erant. Gratia profecto pulchritudo est, non ratione sensus, quia menti non cõueniret, & cæteris sensibus æque ut auditui uisuiq; competeret. Nõ ratione mentis, quia oculos auresq; effugeret. Non uoluptatis etiam ratione, quia hæc non in auditu & uisu duntaxat, sed in omnibus sensibus reperitur. Non ratione auditus solum: non enim menti uisuiq; cõgrueret. Non ratione uisus. Auditui nanq; mentiq; deesset. Non ratione auditus uisusq; simul, quia in uisu auditúq; unà coniunctis pulchritudo ineesset. In unoquoq; uero illorũ seorsum ab altero agente, pulchritudo nulla. Volumus autem gratiam illam tribus animi uiribus cõmuniter percipi, tribus quoq; obiectis earum ineesse communiter. Quapropter addit uoluptates mentis, uisus, auditusq;, ex eo pulchras esse, quod maxime omnium uoluptatum innoxiæ sunt & optimæ. Si optimas idem quod conducibiles intelleXeris, redibit superior ambiguitas. Conducibile bonum facit, ergo boni causa. Causa & effectum aliud. Ergo aliud cõducibile, aliud bonum. Quo sequitur, aliud pulchrum, aliud bonum esse. Ideo neq; pulchrum bonum, neq; bonũ pulchrum. Si autem optimas, id est, innoxias, faciles, spiritales, lucentes, uitalesq;, ut ita dixerim, exposueris, uerì cõpos efficieris. Nam pulchritudo nihil aliud est quàm summi boni splendor, fulgens in ijs quæ oculis, auribus, mẽte, percipiuntur, perq; illa ad ipsum bonum, uisum, auditum, mẽtemq; conuertens. Quo fit ut pulchritudo circulus quidam diuinæ lucis exístat, à bono manans, in bono residens, per bonum & ad bonũ sempiterne reflexus. Hoc Socrates mysteriũ quod à Diotima sibylla didicisse se asseruit, non sophistis sed discipulis reuelauit. Quid ipsum bonum, ipsum unum rerum omnium principium, actus purus, actus sequentia cuncta uiuificans, quid ipsum pulchrũ. Viuificus actus è primo fonte bonorũ effluens. Mentẽ primo diuinam idearũ ordine infinite decorans. Numina deinde sequentia mentesq; rationũ serie cõplens. Animas tertio numerosis discursibus ornãs. Naturas quarto seminibus, formis quinto materiam. Sed profecto corpora uisibilia & oculos uidẽtes procreat. Oculis, ut uideant, lucidã infundit spiritũ. Corpora ut uideantur, coloribus pingit. Neq; tamẽ proprius oculis radius, proprij ue corporibus colores, ad uisionem perficiendã sufficiunt, nisi lumen ipsum unũ supra multa à quo multa & propria lumina oculis & corporibus distributa sunt, adueniat, illustret, excitet, atq; roboret. Eodem modo primus ipse actus, id est, deus speciem actumq; rebus singulis producẽdo largitus est. Qui sane actus cũ in subiecto patiẽte susceptus fuerit, debilis est, & ad operis executionem impotens. Sed diuini solis perpetua et inuisibilis lux una, semper omnibus adstat, souet, uiuificat, excitat, complet, & roborat. De quo diuine Orpheus, Cuncta fouens atq; ipse ferens super omnia sese. Vt est actus omnium roboratq;, bonum dicitur. Vt uiuificat, lenit, mulcet, & excitat, pulchrũ. Vt in obiectis quæ noscenda sunt, tres illas cognoscentis animæ uires allicit, pulchritudo. Vt in cognoscẽte potentia eam applicat cognito, ueritas. Vt bonum est, procreat, regit, & complet. Vt pulchrũ, illuminat, gratiamq; infundit. Præparata autem esse oportet omnia ad gratiam diuini fulgoris excipiendam. Corpora quidẽ proportione, quæ ordine, modo & specie constat. Voces harmonia, quæ numeris interuallisq; conficitur. Officia, morum rectitudine ad finem bonum. Disciplinas ordine ad obiectum uerum. Animam puritate per auersionem ab inferis, et conuersionẽ ad supera. Mẽtem, per æternum in ipsum bonum, intuitum. Per hæc omnia gradatim diuinæ pulchritudinis radius penetrat. Circa corpus in æqualitate numerosa refulget, loco motuiq; subiecta. Circa uoces, in harmonia, extra certũ locum, sed motu dispersa. Circa officia disciplinasq; & animam, in motu quidem, sed ratione uitali cõsistens. Circa mentem supra motum, in æterna idearum serie micans. Circa ipsum bonum, actus purus, uitam & gratiam omnium inserens. Hæc precor Petre Medices uir omnium præclarissime, solita diligẽtia legas. Nam & tuæ mentis miram pulchritudinem prorsus agnosces, & quàm proxime ad ipsum pulchrum, de quo hic disputatur, accedas, animaduertes.

PLATONIS HIPPIAS MAIOR, VEL DE PVLCHRO, TRANSLATVS E GRAECO IN LATINVM à Marsilio Ficino Florent. ad Petrum Medicem patriæ patrem.

SOCRATES, HIPPIAS.

Occasio dialogi cũ prouocatiõe & tẽtatione erga sophistã

QSAPIENS & pulcher Hippia, quàm raro Athenas accedis? HIPP. Non datur ô Socrates ocium. Nam Elienses ciues quoties cũ externis gentibus aliquid est tractandũ, mihi præ cæteris legationes cõmittunt, idoneũ me iudicem ac nuncium existimantes eorum quæ apud singulas ciuitates dicuntur. Quamobrem sæpe & ad alias urbes, sæpius etiam & de maximis rebus Lacedæmonem legatus accessi. Quo fit ut hęc loca, quod ipse quærebas, minus frequentem. SOC. Hoc certe ô Hippia sapientis perfectiq; uiri proprium est. Tu quidem cum priuatim, multa ab adolescentibus accepta pecunia, plus etiam conferre illis quàm quæ acceperis, uales: tum publice patriæ tuæ prodesse, ut decet eum, qui non cõtemnendus uulgo, sed summo in precio sit habẽdus. Cæterum, quæ nam ô Hippia causa, quod prisci illi

Sapiẽtes priscos ciuilibus actionibus abstinuisse

qui sapientum cognomen adepti sunt, Pittacus atq; Bias, & qui Thaletis Milesii tempore, qui ue deinceps usq; ad Anaxagoram, sapientię studio floruerunt, uel omnes uel plurimi ciuilibus rebus abstinuere? HIP. Quid aliud putas ô Socrates quàm imbecillitatem ingenij, cum non possent utraq; priuata & publica prudenter administrare? SOC. An uero putas quemadmodũ cæteræ artes incrementũ tempore susceperunt, adeo ut nostri temporis artifices superioribus lõge præcellant: ita & facultatem uestram, studium uidelicet sophistarum, creuisse, ac ueteres sapientiæ studiosos si uobiscum cõparentur, uiles admodum extitisse? HIP. Recte omnino loqueris. SOCR. Ergo si hodie Bias reuiuiscat, à nobis irrideretur, quemadmodũ ipsum Dædalum sculptores aiunt, si reuiuiscens talia fabri

Priscos præferẽdos semper recentioribus

caret, qualia quõdam ex quibus sibi gloriam comparauit, ridiculum fore. HIP. Sic se res habet ut ais ô Socrates. Veruntamen priscos homines præferre semper recẽtioribus consueui, ut & uiuentium inuidiam & defunctorum indignationem uitarem. SOC. Probe ô Hippia & sentire & loqui mihi uideris. Ego quoque testari possum te uera loqui. Nam reuera uestra facultas adaucta est, quæ cum priuatis obire etiam publica potest. Gorgias

Gorgias

siquidem hic Leontinus sophista huc patriæ suæ legatus uenit, utpote qui esset ad tractãda ista publica munera Leontinorum omnium præstantissimus: is & ad populum cõcionari præclare iudicatus est, & priuatim disputando & cum iuuenibus conuersando, magnum quæstum fecit, cœpitq; ex hac urbe. Quinetiam si audire uis, amicus noster Prodicus & sępe aliàs publicis muneribus functus est, & nuper ex Ceo insula publice ueniens,

Prodicus

cum in concilio dixisset, summopere probatus est: & priuatim differens, iuuenesq; erudiens, pecunias innumeras est lucratus. E priscis autem illis nullus unquam uoluit, argenti mercedem sequi, aut propriam sapientiam in cœtu diuersorum hominum ostẽtare: adeo inepti & ignaui erant, eosq; quanti argentum sit latebat. Sed uterq; illorum quos modo retuli, plus argẽti sapiẽtia sua quàm alius quiuis artifex ex qualibet arte cumulauit. Idẽq;

Protagoras ante Gorgiam & Prodicum

Protagoras ante illos effecit. HIP. Nihil ô Socrates egregium hac in re nosti. Nam si uideres quantum ego argenti lucratus sum, obstupesceres. Mitto alia. Verum in Siciliam quandoq; profectus, ubi tunc Protagoras habitabat, summoq; in honore habebatur, me admodum senior, breui plus quàm centum & quinquaginta minas collegi, & ex regione quadam angusta, Inyca nomine, plus quàm minas uiginti: cumq; domum redijssem, patri dedi: quod quidem tam ille quàm reliqui ciues uehementer admirati sunt. Enimuero me plures ferme pecunias quàm duos alios simul quoscunq; uis sophistas cõgregasse existimo. SOCR. O rem præclaram potissimum Hippia id argumentum est, quanto & tu & alij huius seculi ueteres illos superatis. Nam quanta eorum qui ante Anaxagoræ

Anaxagoras amplũ dissipauit patrimoniũ ut philosophare tur

tempora fuerunt insciti a uideri potest? Cum ille contrà ac uobis contigit, amplum patrimonium cũ accepisset, neglexisse dissipasseq; dicatur, adeo stulte philosophatus est: deq; cæteris illorum temporum sapientibus alia quædam huiusmodi tradunt. Quapropter optimam hanc attulisse coniecturam uideris, quod sapientes nostri superioribus pręstant, multiq; in hoc cõsentiunt, sapientem in primis sibijpsi sapere oportere; huius autem hæc est sum

eſt ſumma,ut argentum plurimum acquiratur. Et de iſs ſatis.hoc autem mihi dicas, cum multas urbes adieris,ubi nam potiſſimum lucratus es.Num Lacedęmone, quo frequentius es profectus? HIP. Non per Iouem ô Socrates. SOC. Quid ais? nunquid minimum? HIP. Imò nihil penitus unquam. SOC. Monſtrum eſt quod dicis ô Hippia, ac mihi dic. Vtrum ſapiẽtia tua illos qui tecum uerſantur diſcuntq́,meliores ad uirtutẽ efficere poſſit,necne? HIP.Et maxime quidem. SOC. Nunquid Inyciorũ ciuium filios meliores reddere potuiſti? filios autem Spartanorum minime? HIP. Abſit. SOC. An fortè Siculi meliores fieri ſtudent,Lacedæmones negligunt? HIP. Imò & Lacedæmones idem affectãt. SOC.Num pecuniarum defectu tua conſuetudine caruerunt? HIP. Nequaquam,diuites enim ſunt. SOC. Cum igitur ſapientiam affectarent, & ſuppeterent facultates,tuq́ illos uoti compotes reddere poſſes,cur nõ inde locupletiſsimus rediiſti? An fortè ipſi Lacedęmones melius quàm tu filios ſuos erudiunt? Vis ita dicamus? ac tu conſentis? HIP. Nullo modo. SOC. Vtrum iuuenibus Lacedæmone perſuadere non potuiſti,ut tibi adhærentes magis proficerent ad uirtutem, quàm ſi cum ſuis uixerint? an parentes inducere non potuiſti,ut tibi filios potius quàm diligentiæ ſuæ committerent, ſi modo filiorum curam haberent? Neq́ enim adeò inuidebant filiis,ut optimos euadere nollent. HIP. Equidem inuidiſſe non arbitror. SOC. Nunquid Lacedæmon bonis legibus inſtituta eſt? HIP. Bonis profecto. SOC. In huiuſmodi uero gubernationibus uirtus maxime omnium honoratur. HIP. Maxime quidem. SOC. Tu autem hanc aliis tradere, prę cæteris hominibus optime noſti, HIP. Prorſus ô Socrates. SOC. Qui facultatem equeſtrem egregiè docere poteſt, nónne in Theſſalia magis quàm in reliqua Gręcia coleretur,lucraretuŕq plurimum, ſimiliterq́ & alibi ubicunq́ hac ars in precio eſt? HIP. Conſentaneum id quidem. SOC. Qui ergo potẽs eſt præclariſsimis uirtutis pręceptis iuuenes inſtituere,cur non Lacedæmone ſummopere honoretur, ibiq́ innumeras affatim pecunias cumulet, ac ſimiliter in quacunque ciuitate Græcorũ uirtus maximi æſtimatur? At fortè in Sicilia magis & Inyca,putas iſta credere debemus Hippia.Si tu iuſſeris,credendum eſt. HIP. Non eſt ô Socrates,mos patrius Lacedæmoniis mutare leges,aut præter ſolita filios erudire. SOC. Quid ais? Lacedęmonibus haud patrium eſt,recte agere,ſed aberrare? HIP. Id haud ego aſſeruerim. SOC.Recte uero agerent,ſi melius,nõ ſi deterius iuuenes erudirent? HIP. Recte,uerum peregrinas diſciplinas lex illorum non admittit. Alioquin ſi quis unquam alius ibi docẽdi gratia lucratus eſſet,ſcito me plurimum fuiſſe lucraturum. Lætantur ergo cum me audiunt,laudantq́,ſed ut dicebam, lex illorum peregrina uetat. SOC. Legem ô Hippia,perniciem ciuitatis,an ſalutem uocas? HIP. Conditur mea quidem ſententia,utilitatis gratia lex,nonnunquam tamen obeſt,ſi male ſit poſita. SOC. Nónne ut maximum quoddam ciuitati bonũ legem condunt latores legum,legeq́ ſublata, legitimè in ciuitate uiuere non poſſumus? HIP. Vera loqueris. SOC.Quoties igitur à bono aberrant hi qui leges ferre nituntur,à legitimo legeq́ diſcedunt. Quid ad hæc? HIP. Exacta quidem ratione,ſic ſe res habet ô Socrates. non tamen ſic homines nominare conſueuerunt. SOC. Vtrum ô Hippia, ſcientes an ignorantes. HIP. Vulgus. SOC. Qui uerum cognoſcunt,uulgus ſunt? HIP. Nequaquam. SOC. At uero qui ſapiunt,hi quod utilius eſt magis legitimum,quàm quod inutile,reuera omnibus hominibus eſſe cenſent. nónne fateris? HIP. Fateor equidem ita reuera eſſe. SOC. An non ita eſt;ut ſcientes exiſtimant? HIP. Prorſus. SOC. Præſtat autem ut tu ais, Lacedæmonios diſciplina tua licet peregrina quàm patria imbui. HIP. Et uera loquor. SOC. Quinetiam quæcunque utiliora ſunt, magis legitima dicis? HIP. Dixi equidem. SOC. Ergo ſecundum rationem tuam magis è lege eſt, ut Lacedæmoniorum filij ab Hippia quàm à parentibus doceantur: quãdoquidem tu magis quàm illi reuera prodeſſes. HIP. Prodeſſem proculdubio Socrates. SOC. Contra legem igitur agunt Lacedæmonij, cum tibi filios ſuos erudiendos auri oblata mercede non tradant. HIP. Aſſentior equidem: uideris enim pro me dicere:quamobrẽ repugnare tibi nõ decet. SOC. Bonarum legum expertes Laconas eſſe inuenimus, & in rebus quidem maximis,cum tamen melioribus legibus quàm reliqui Græci uti uideantur. Te uero quando potiſſimum laudant Hippia,& quibus rebus audiendis præcipuè delectantur? An uidelicet cum illa narras,quæ ipſe egregiè noſti,aſtra cœleſtesq́ progreſſus? HIP. Nullo mo-

do hæc ſuſtinent. SOCR. Num geometriæ ſermo illos oblectat? HIP. Minime omnium: nam multi admodum ex illis, ut ita dicam, ne numerare quidem ſciunt. SOC. Longe igitur abeſt ut ratiocinationes libenter audiant. HIP. Longe per Iouem. SOC. Nunquid illa quæ tu acutiſſime omnium hominum intelligis, literarũ ſyllabarumq; diſtinctiones, rhythmorum harmoniarumq; naturas? HIP. Quas ô bone uir harmonias ac literas? SOC. At quæ tandem iſta ſunt, quæ audientes illi lætantur, teq; laudant? Tu ſaltem referas, poſtquam ego inuenire non poſſum. HIP. Stirpem heroum atq; hominum, & habitationes, ut urbes quondam extructæ ſint, ac ſummatim omnem antiquitatis hiſtoriam attente audiunt. Quocirca illorũ cauſa ediſcere, meditariq; huius generis omnia coactus ſum. SOC. Quàm bene tecũ actum eſt ô Hippia, quod Lacedæmonij moleſte ferant, ſi quis noſtros principes incipiens à Solone recenſeat. Alioquin eorum nominibus ediſcendis, fatigari te oportuiſſet. HIP. Quid fatigari Socrates? ſemel audiens quinquaginta nomina, memoriter repetam. SOC. Ain uero? ſed ego te memoria pollere non aduerteram. Quapropter Lacedæmonios te merito delectari tanquam multarum rerum perito iam intelligo, teq; perinde uti, ac aniculis pueri, ad cõfabulandi iucunditatem. HIP. Per Iouem ô Socrates, nuper ibidem de pulchris ſtudijs, quibus incumbere iuuenem decet, differens admirationi fui. Extat enim de ijs à me compoſita luculenta quædam oratio, quæ præcipua uerborum elegantia pollet, forma uero & principium orationis eiuſmodi eſt, Capta, inquit oratio, Troia, Neoptolemus Neſtorem interrogauit, quæ pulcherrima ſtudia eſſent, quibus incumbens iuuenis, uir illuſtris euadat. Cui reſpondens Neſtor, multa & pulchra præcepta recenſet. Hanc quidem orationem ibi oſtendi, & hic quoq; tertia hinc die in Phidoſtrati ludo, atq; inſuper alia multa auditu digna oſtenſurus ſum. Eudicus enim Apemanti filius me rogauit. Quare da operam ut tu quoque adſis, & alios tecum ducas, quicunq; id genus dicta iudicare ſciant. SOC. Fient iſta ſi Deus uoluerit, Hippia. In præſentia autem breue quiddam de hoc ipſo reſponde, nam opportune me admonuiſti. Nuper enim ô uir optime, cum in ſermõe quodam, alia ut pulchra laudarem, alia uituperarem ut turpia, hãc quiſpiam in medium dubitationem induxit, me ualde contumelioſe ſic interrogans. Vn

Hic uidere eſt artem tẽtatiuam

de tu Socrates pulchra turpia' ue cognoſcis? potes' ne quid pulchrum ſit definire? ego autem ob ignauiam meam hæſitaui, neq; quod accõmodate reſpõderem habui, atq; ex cœtu hominum abiens, mihi ipſe iratus ſum, ruditatemq; meam uehementer accuſaui: ac mi natus ſum, cum mihi primum quempiam ueſtrum qui ſapientiam profitemini, obuiũ haberem, conaturum me id audire ac diſcere, & diligenter præmeditatum, ad eum qui rogauerat reuerti, ut rurſus eadem de re depugnem. Quapropter nunc tu ut dicebam, peropportune ueniſti. Doce, obſecro, me quid ipſum pulchrum eſt: conare, inquam, diligentiſſime omnem reſpondendo rem aperire, ne iterum redargutus irridear. Noſti enim perſpicuè, idq; exiguum quiddam eſt è multis quæ tu calles. HIP. Exiguum per Iouem Socrates, & nullius, ut ita dicam, precij. SOC. Facile itaq; diſcam, neq; ullus ulterius me refellet. HIP. Nullus certe. Vile namq; & rude ſtudium meum eſſet. SOC. Per Iunonem bene loqueris Hippia, ſi uirum illum capiamus. Verum tibi impedimento ſum, imitatus illum, ſi tibi reſpondenti me opponam, ut me magis exerceas. Fermè enim obijciẽdi formas quo quo modo teneo. Si ergo nihil moleſtum eſt, opponam ego me tibi, ut uehementius firmiusq; perdiſcam. HIP. Obijce ut lubet: nam ut modo dicebã, non ardua quæſtio eſt, ſed ad difficiliora te reſpondere docerem, ut nemo te refellere poſſit. SOC. O quàm bene loqueris. At poſtquam tu iubes, eius ipſe perſonam indutus, te interrogare aggredior. Si illi ſermonem tuum de pulchris diſputantem officijs oſtendiſſes, quum primum finem dicendi feciſſes, de nullo alio priuſquam de pulchro quæſiſſet. Mos enim hic ſuus, & in hũc modum interrogaſſet. O Elienſis hoſpes, nónne iuſtitia iuſti ſunt quicunq; iuſti? Reſpon de quæſo Hippia tanquam percontante illo. HIP. Iuſtitia profecto. SOC. An non aliquid hæc ipſa iuſtitia eſt? HIP. Prorſus. SOCR. Et ſapientia ſapientes ſunt quicunq; ſapiunt, & bono ſimiliter bona omnia quæ bona ſunt? HIP. Quid prohibet? SOC. Sapientiam uero & bonum ſecundum ſe eſſe oportet. Nam ſi ipſa nõ eſſent, alia per illa nunquam talia fierent? HIP. Sic eſt. SOCR. Nónne & pulchra omnia ipſo pulchro ſunt pulchra? HIP. Pulchro certe. SOCR. Eſt' ne igitur ipſum pulchrum? HIP. Eſt proculdubio. SOC. Hic ille

Extorſio, ut confiteatur rem eſſe

Cõceſſo rẽ eſſe, quæritur quid ſit

ſtatim

ſtatim quæret. Dic hoſpes, quid hoc ipſum pulchrum eſt? HIP. Num qui hæc interrogat, audire aliud quærit quàm quid ſit pulchrum? SOC. Non mihi uidetur, ſed aliud quiddam eſt ipſum pulchrum. HIP. Quid hoc ab illo differet? SOC. Nihil ne tibi uidetur? HIP. Nihil certe, non enim differt. SOCR. Conſtat autem te melius noſſe. Conſidera tamen: non quæ res pulchra eſt, ille petit, ſed quid ipſum pulchrum eſt. HIP. Intelligo iam ô bone uir, & quod ipſum pulchrũ eſt, reſpondebo adeò ut nunc̃ redarguat. Si uerum dicere oportet, ſcito Socrates uirginem pulchram ipſum pulchrum eſſe. SOC. Præclare ô Hippia, & decorè admodum reſpondiſti. Nunquid ergo ſi hoc reſpondero, ad interrogata reſponſum erit & recte, nec̃ refellar? HIP. Qua ille ratione corripiet, ſi quod omnibus uidetur, & de quo audientes ſinguli pro te teſtabuntur, reſpõderis? SOC. Eſto ſanè. Sed mecũ ipſe ô Hippia, quod dicis, reputo. Ille ſiquidem ita percontabitur. Age, reſponde mihi ô Socrates, hæc omnia quæ pulchra dicuntur, ſi quid ipſum pulchrum eſt, per ipſum ſunt pulchra? Ego autem reſpondebo. Si pulchra uirgo, ipſum pulchrũ eſt propter quod hæc pulchra fiunt. HIP. Putas ne illum te reprehendere ulterius auſurum, quaſi non pulchrũ ſit quod dicis? Vel ſi forte auſus fuerit, non ab omnibus irriſum iri? SOC. Quod quidẽ audebit ô uir mirifice, certò ſcio: utrum uero auſus ridiculus euaſurus ſit, res ipſa oſtendet. Quæ tamen ille inferet, tibi dicere cupio. HIP. Dic iam. SOC. Quàm lepidus es ô Socrates, dicet. pulchra equa, nónne pulchrum? quam in oraculo Deus ipſe laudauit. Quid ad hæc ô Hippia? pulchram equam nónne pulchram eſſe fatebimur? nam quo pacto quod pulchrum eſt, eſſe pulchrum negemus? HIP. Vera narras ô Socrates, recte quippe Deus cecinit, pulcherrimæ enim equæ apud nos naſcuntur. SOC. Addet ille poſt hæc. Lyra pulchra nónne pulchrum? HIP. Ita. SOC. Quæret iterum. noui enim eius morem ò uir optime. pulchra olla, an non pulchrum? HIP. Ha Socrates, quis adeò rudis eſt, ut in re ſeria tã uilia nomina miſceat? SOC. Talis ille eſt ô Hippia: nõ enim comptus iucundus nec̃, ſed ſordidus, nihilq; aliud præter ueritatem curans. Attamen reſpondendum illi eſt, & ego præfabor. ſi olla bono figulo ficta ſit æqualis & rotunda, ſatisq; cocta, quales ſunt ollæ quædam utrinq; auritæ atq; perpulchræ quæ ſex patinas capiunt: ſi de tali inquam olla interroget, reſpondendum pulchram exiſtere. Quomodo enim quod pulchrum eſt, non eſſe pulchrum aſſeremus? HIP. Nullo pacto ô Socrates. SOC. An nõ & olla, rogabit, illa pulchra pulchrum? Reſponde amabo. HIP. Sic eſſe arbitror, pulchrum quoque uas, hoc eſt quum ex arte eſt fictum, ſed totum hoc ſi cum equa & uirgine, aliiſq; ſpecioſis omnibus comparetur, tali cognomento indignum eſt. SOCR. En Hippia, iam intelligo quid interroganti illi qui petit, obiiciendum ſit. O uir ignoras quàm ſcitum ſit illud Heracliti, Specioſiſſima ſimiarum deformis eſt cum alio genere animaliũ comparata: necnon ollarum pulcherrima turpis eſt, ſi cum uirginum genere conferatur, ut ſapiens Hippias iudicauit. Nónne ſic Hippia? HIP. Recte nimium reſpondiſti. SOC. Audi. deinceps enim ſcio ſic inferret, Quid ſi quis genus uirginum ó Socrates, cum deorum genere conferat, nónne idem patietur quod & olla collata cum uirgine? An non formoſiſſima uirginum deformis eſſe uidebitur? nónne Heraclitus quem tu in teſtimonium adduxiſti, hoc idem tradit, hominem ſcilicet ſapientiſſimum ad Deum ſimiam apparere quo ad ſapientiã & formam & alia omnia? Confitebimur Hippia ſpecioſiſſimam uirginem cum deorum genere comparatam eſſe deformem? HIP. Quis huic Socrates contradixerit? SOCR. Si hæc admittamus, ridebit ilicò, & in hunc modum me iterum compellabit. Recordaris Socrates quid interrogatus fueris? At ego, recordor equidẽ me interrogatũ fuiſſe quid ipſum pulchrum ſit. Tum ille dicet: interrogatus quid pulchrum ſit, reſpondes quod non magis pulchrum quàm turpe eſſe contingit, ut tu ipſe fateris. ita uideri dicam? Dic quidnam tu amice mihi reſpondendũ conſulis. HIP. Hoc ipſum. SOC. Quinetiam quod ad deos genus hominũ pulchrũ minime ſit, concedet. Sin autẽ ab initio te, dicet ille, rogaſſem quid pulchrum turpeq; eſt, & tu mihi eadem quæ in præſentia reſpondiſſes, num recte reſpondiſſes? præterea num tibi ipſum pulchrum quo decorantur omnia, pulchraq; apparent, quoties illa ſpecies adeſt, uirgo uidetur eſſe, uel equa, uel lyra? HIP. Si id ille quæſiuerit Socrates, facillime reſpondebitur quid ipſum pulchrum ſit, quo cætera omnia decorantur, cuius ue præſentia pulchra uidentur. Ineptiſsimus nempe homo eſt, nihilq; præclaræ

Prima definitio falſa pulchri

Confutatio nisdefinitio

rei inducit. Si enim tu illi respõderis, pulchrum ipsum quod quærit, nihil aliud esse quàm aurum, hæsitabit profecto, neq; te confutare tentabit. Constat enim apud omnes, cuicunque hoc adest, licet turpe illud antea usum fuerit, pulchrum uideri auro perornatum.

Secunda definitio falsa Confutatio

SOC. Nescis Hippia quàm molestus uir ille sit, quam'ue difficile dicentibus assentiatur. HIP. Quid tum? quod recte dicitur, cõcedat necesse est. hoc enim si respuerit, ludibrio omnibus erit. SOC. Atqui responsionem hanc non modo nõ accipiet, sed acriter me mordebit. O inflate uir dicet, Phidiã rudem artificem putas? Et ego illi, ut arbitror, nullo modo putare me dicam. HIP. Et recte quidẽ. SOC. Recte proculdubio, postq; uero peritum artificem Phidiam esse concessero, hæc insuper addet. Existimas id quod pulchrum uocas Phidiam ignorasse? At ego, quid maxime dicam? Tum ille, quoniã Mineruæ oculos non aureos fecit, neq; reliquum uultum, neq; pedes, neq; manus, quandoquidem si aurea fuissent, pulcherrima extitissent, sed eburnea reddidit: in quo certe propter insciti am aberrauit, cum ignoraret aurum esse, cuius præsentia pulchra omnia fiunt quibuscũq; adhæret. quid ad hæc Hippia? HIP. Nihil arduum. Recte enim fecisse fatebimur. Nam eburneum quoq; pulchrum est. SOC. Sed ille. Cur non pupillas etiam oculorum eburneas fecit, sed lapideas, inueniens quoad fieri potuit lapidis cum ebore similitudinem? Num pulchrum lapidem, pulchrum esse ô Hippia, respondebimus? HIP. Imò certe quum decens est. SOC. Cum uero non decens, turpe fatendum, nec ne? HIP. Fatendum sanè cum minime decet. SOC. His adiiciet ille. ô uir sapiens, ebur & aurum nõne cum decent, pulchra omnia reddunt? contra uero cum dedecent? Renuemus'ne an potius admittemus? HIP. Fatebimur planè quicquid aliquid decet, pulchrum efficere. SOC. Hic ille inferet. Vtrũ decet pulchræ ollæ de qua suprà diximus, plenæ bonorum legumínum auream tudeculam addere an ficulneam? HIP. Prò Hercules, qualem hominem narras. Cur non eius nomen proferas? SOC. Haud agnosceres hominem, licet nomen audires. HIP. Veruntamen in præsentia indoctum illum esse cognosco. SOC. Curiosus nimium est ô Hippia. Cæterum quid dicemus? Vtram potius è duabus tudeculis legumini & ollæ congruere? an ficulneam? suauiorem quippe odorem præstat, neq; collidens frangensq; ollam diffundet legumina, nec aqua ignem extinguet, neq; conuiuas precioso priuabit obsonio. Contra uero aurea tudecula, omnia. Quamobrem uidetur mihi ficulnea magis decere & aurea, nisi tu contradixeris. HIP. Decet sanè magis, quamuis ego cum homine talia perquirenti minime disputarem. SOC. Probè nimium ô amice. Tibi enim talibus nominibus uti non conuenit, cum tam specioso amictu calceisq; ornatus sis, & inter omnes Græcos sapientia polleas: me autem nihil prohibet, quo minus cum illo uersem. me igitur ante eruditas, meiq; gratia respondere digneris. Ille namq; sic deinde perget. Si ficulnea decet magis quàm aurea, nónne pulchrior? HIP. Pulchriorem respondebis ô Socrates, postquam quod decet, pulchrius quàm quod dedecet, es confessus. SOC. Nunquid Hippia confitendum ficulneam pulchriorem esse quàm auream? HIP. Vis tibi dicam Socrates, quomodo pulchrum definiens, prolixis eũ sermonibus alienabis? SOC. Quid ni uelim? modo tamen prius mihi dixeris utram è duabus illis tudeculis decentiorem pulchrioremq; existere respondendum sit. HIP. Atqui si uis illam quæ ex ficu est, pulchriorem esse responde. SOC. Nunc iam dicas quod paulo ante inceptabas. Hac enim responsione qua ipsum pulchrum aurum esse aio, nihilo pulchrius, ut arbitror aurum, quàm lignum ficulneum apparebit. Nunc denuò quid ipsum pulchrum asseris? HIP. Dicam equidem: requirere namq; mihi uideris tale quiddam pulchrum respondere, quod nunquã alicui turpe uideri queat. SOC. Omnino ô Hippia, recte nunc accipis. audi modo, & uide si quis contra hoc obiicere possit, dicereq; nihil me laudare posse. Dic per deos citò. HIP. Aio equidem semper, apud quemlibet, & ubicunq; pulcherrimum esse, ut sanus aliquis sit, dines & honoratus inter Græcos usque ad senectutem: & sicut parentes suos defunctos egregio funere decorauit, sic à filiis suis præclare atque magnifice sepeliatur. SOC. Hui, hui, ô Hippia, quàm mirifice & excellenter, & ut te decet, dixisti. per Iunonem ualde te amo, quia mihi uideris summa cum beneuolentia pro uiribus auxiliari. Verum tamen illum nondum comprehendimus, sed nunc effusius nos, mihi crede, ridebit. HIPP. O ineptum risum. quum enim nihil aduersus ista proferre ualeat, rideat autem, seipsum ridebit

Tertia definitio falsa

Quarta definitio falsa

debit, præſentibuſq; omnibus ipſe ludibrio erit. SOC. Fortè ſic ſe res habet: fortè etiam ex hac reſponſione, ut ego uaticinor, non ſolum illudere me audebit. HIP. Sed quidnam? SOC. Si baculũ habuerit, neq; ego ſtatim fugero, cædere me conabitur. HIP. Quid ais? An tuus ille dominus eſt? ſi tibi iniuriatus fuerit, nõ dabit pœnas? an iniuſta ueſtra ciuitas? cæderecq; ſe mutuò ciues permittit? SOC. Nullo modo. HIP. Nónne igitur punietur, ſi te iniuſte percuſſerit? SOC. Non iniuſte quidem ô Hippia, ſi talia reſponderem, ſed iure mihi uidetur. HIP. Mihi quoq;, quandoquidem & tu hęc putas. SOC. Vis tibi dicam, quam ob cauſam me talia reſpondentem uerberibus dignum putem? An tu me prius q̃ iudices, uerberabis? uel rationem admittes? HIP. Graue hoc eſſet ô Socrates, ſi nõ admitterem. ſed qua ratione id ais? SOC. Dicam eodẽ modo quo & paulo ante, imitatus illum ne coram te uerba quibus ille mecum utitur, proferam dura nimium & abſurda. Nam ſic me proculdubio alloquetur. Dic age ô Socrates, iniuſte cædi illum cenſes, qui Dithyrambum tantum inconcinne pronuncians, tam procul à propoſita quæſtione aberrarit? At ego, quonam pacto? interrogabo. Tum ille. quia oblitus eſt quæſitum fuiſſe ipſum pulchrum, quod omnia quibuſcunq; ineſt, pulchra efficit, lapidem, lignum, hominẽ, Deum, actionem deniq; omnem, et diſciplinam. hoc ipſum ô uir, pulchrum quid eſt, perquiro. tu uero non magis audiſti me, quàm ſi lapis coram aſſediſſes, & molaris quidem, nec aures, neq; cerebrum habens. Quod ſi ego perterritus, ad hæc ita reſpondeam, num grauiter feres Hippia? HIP. Quonam modo? SOC. Sic inquam. Hoc tamen Hippias pulchrum eſſe dixit, quamuis ego illum ut tu me nunc, interrogaſſem, quod omnibus pulchrum, ſem perq; exiſtit. Quid ais? An moleſtè feres, ſi hæc dixero? HIP. Certò ſcio ô Socrates, quod dixi omnibus eſſe pulchrum, & ita uidebitur. SOC. An & erit? dicet ille. ſemper enim pulchrum quod pulchrum. HIP. Omnino. SOC. Nónne & erat, interrogabit. HIP. Et erat. SOC. Ad hæc ille, & nunquid Elienſis hoſpes inquit, Achilli pulchrum eſſe, poſt genitores ſuos naturæ cõcedere, & auo illius Aeaco, aliiſq; quicunq; ex diis nati ſunt, & ipſis deniq; diis. HIP. In malam rem, quid hoc hominis? prophanæ enim ſunt ô Socrates, huiuſmodi quæſtiones. SO. Quid uero? percontante alio hæc aſſerere non ualde prophanũ? HIP. Forſitan. SOC. Fortè igitur tu is es, ille dicet, qui cuilibet ac ſemper pulchrum eſſe dicis à filiis funere honorari, parentibus parentare. An non ex omnibus unus Hercules erat, aliiſq; quos antea memorauimus? HIP. At uero non diis dicebam. SOC. Nec heroibus etiam ut uideris. HIP. Non certe quicunq; deorum filij fuerunt. SOC. Illis uero qui non deorum? HIP. His ipſis. SOC. Ergo ſecundum ſermonem tuum ex heroum numero Tantalo quidem & Dardano atq; Zeto graue, prophanum & turpe eſt: Pelopi uero, aliiſq; ſimiliter genitis, pulchrum. HIP. Ita mihi uidetur. SOC. Ad hæc ille. tibi ergo uidetur, quod in ſuperioribus non dicebas, ſepelire parentes, à filiis ſepeliri, quandoq; & quibuſdam turpe contingere, imò impoſsibile eſſe, hoc omnibus eſſe pulchrum. Quamobrem ſimiliter hoc atq; ſuperiora illa, ſcilicet uirgo & olla, habet: atq; etiã ridicule magis, aliis pulchrum eſt, aliis minime. Quocirca ſic me ille corripiet. Nondũ hodie potes ô Socrates, quid ipſum de quo quæritur, pulchrum ſit, exprimere? Et meritó me ita iurgabit, dum ſibi talia reſpondebo. Talis eſt ut plurimum diſputatio noſtra. Quandoq; uero tanquam imperitiam meam & inſcitiam miſeratus, ipſe mihi occurrit, interrogans utrum talè quiddam pulchrum ipſum eſſe mihi uideatur, uel de quouis alio diſputetur. HIP. Quomodo id ais ô Socrates? SOC. Dicam. O beate Socrates, inquit, ita reſpondere talia deſine. inepta quippe ſunt, & facile refelluntur. Sed aduerte, num tale quiddam ipſum pulchrum appareat, quod nos ſuprà tetigimus, cum aurum diceremus, quibus decens eſt, eſſe pulchrum: contrà, quibus minime: atq; alia omnia, quibus ipſum decens eiuſq; natura competit, pulchra fieri. Vide igitur num hoc ipſum pulchrũ ſit, ego autem iſta paſſim cõcedere conſueui. Nam quid obiiciam, non inuenio. Tibi uero decorum, ipſum pulchrum eſſe uidetur? HIP. Omnino ô Socrates. SOC. Caueamus ne in aliquo decipiamur. HIP. Cauendum certe. SOC. Vide itaq;, decorum id uocamus, quod aduenientis uideri pulchra ſingula facit quibus adeſt, uel quod eſſe efficit, uel ex iis neutrum? HIP. Mihi quidem uidetur. SOC. Vtrum quod apparere pulchra facit, perinde ac ſi quis deformis, amictu calceiſq; decoris ornatus, pulchrior appareat? Nõne ſi decorum ea quibus ineſt, pulchrio-

Confutatio quartæ definitionis

Quinta definitio pulchri

Confutatio

ra q̃ſint,uideri faciat, deceptio quædam circa pulchrum decorum eſſet? neque eſſet hoc quod quærimus,Hippia? Illud quippe quæſiuim⁹,quo res omnes pulchræ pulchrę ſunt: quemadmodum omnia magna,exceſſu magna ſunt.hoc enim omnia magna ſunt. atque etiam ſi non uideantur,excedant tamen,magna eſſe neceſſe eſt. Sic & pulchrum quæſiui mus,quo pulchra ſunt omnia,ſiue appareant, ſiue non,quid eſſet. Decorum quidem nō eſt:pulchriora enim quàm ſint,uideri facit,inquantum decorum eſt, ut ipſe aiebas: qualia uero ſunt, uideri non ſinit. Quod autem pulchra eſſe facit,quemadmodum paulo ante dicebam,ſiue appareant,ſiue non, quid eſt dicendum? hoc nempe quæritur, ſi modo pulchrum quæritur. HIP. Atqui decorum ô Socrates, & eſſe & apparere pulchra quum adeſt, efficit. SOCR. Igitur impoſſibile eſt,quæ reuera pulchra ſunt, non uideri pulchra, dum adeſt quod uideri facit. HIP. Impoſſibile. SOC. Confitebimur hoc ô Hippia? omnia reuera pulchra inſtituta & ſtudia, exiſtimari etiam pulchra ab hominibus? uel cõtrà, ignorari, adeò ut de his homines priuatim & publice acerrime pugnent? HIP. Ignorari potius ô Socrates,arbitror. SOCR. Non tamen ignoraretur, ſi ut pulchra ſunt,ita pulchra etiam apparerent:apparerent autem,ſi decorum pulchrum eſſet, neq; eſſe ſolum,ſed uideri etiam pulchra cogeret. Quamobrem ſi decorum eſt quod pulchra facit eſſe, eſt utique quod quærimus pulchrum,non tamen id quod uideri cogit: ſinautem uideri duntaxat,decorum efficit,nequaquã pulchrum ipſum eſt, quod petimus.eſſe namq; illud compellit.Apparere autem ſimul & eſſe,neq; pulchra,neq; aliud quicquam efficere idem poteſt. Eligamus iam,utrum decorum eſſe putemus,quod uideri pulchra, uel quod eſſe facit. HIP. Quod uideri ô Socrates, arbitror. SOC. Papæ, quàm longe nos Hippia ipſius pulchri cognitio fugit,poſtquam decorum aliud quiddam præter ipſum pulchrũ eſſe apparuit. HIP. Per Iouem ô Socrates,mihi quidem abſurde nimium. SOC. Cæterum ô amice,nondum dimittamus: neq; enim omnem abieci ſpem,quid ſit pulchrum inueniendi. HIP. Omnino ſperãdum ô Socrates,neq; enim inuentu difficile: mihi quippe conſcius ſum,quod ſi pauliſper ad me mihi redire ſoli liceat,exactius quàm exacte,tibi id explicarem,ita ut nihil ultra requireres. SOC. Heu ne alta id uoce dicas ô Hippia,ne indignetur, longiusq; nos effugiat,non uides quantum nos hactenus fatigauerit? Verum nihil dico. Tu enim cum ſolus eris,facile ut puto inuenies. Sed age per deos,me præſente inuenias: & ſi uis,ut hactenus ita deinceps unà mecum perquire. Si inueniemus,bene erit. ſin minus,ego quidẽ mea ſorte contentus ero:tu uero poſtquã abieris,facile inuenies. ſi tamen nunc inueniamus,haud amplius tibi moleſtus ero,quid tecum ipſe excogitaueris, flagitans. In præſentia uero conſidera, num tibi id pulchrum eſſe uideatur. Attende obſecro diligenter,ne delirem. Hoc utique pulchrum eſto, quod utile eſt. Cuius quidem rei hinc maxime coniecturam facio:quia pulchri oculi ſunt,non qui impotes uidẽdi, ſed qui apti & utiles ad uidendum. HIP. Certe. SOCR. Et uniuerſum corpus ita pulchrum dicimus, aliud ad curſum, aliud ad luctam. Itemq; animalia omnia,ut pulchrũ equum, gallumq;, & coturnicem,& apparatus omnes,atq; uehicula,tum terreſtria,tum maritima,naues atque triremes,inſtrumenta quoque omnia tam ad muſicam quàm ad artes alias pertinentia,item ſi uis ſtudia atque leges, ſingula hæc eadem fermè ratione pulchra uocamus,reſpicientes ſcilicet qua conditione unumquodq; natum, uel fabricatum, uel locatum utile eſt,& qua ratione utile, & ad quid utile, & quando utile, pulchrum eſſe dicentes: quod uero ſecundum hæc inutile, turpe. An non idem tibi quoque uidetur ô Hippia? HIP. Mihi uero. SOCR. Probe igitur nunc dicimus, præ cæteris omnibus quod utile eſt, ipſum pulchrum eſſe. HIP. Probe admodum ô Socrates. SOC. Nónne quod efficere aliquid poteſt,ad id utile eſt quod hoc effici poteſt: quod non poteſt, inutile? HIP. Prorſus. SOCR. Potentia ergo pulchrum, impotentia turpe. HIP. Maxime: nam & alia nobis omnia ſic eſſe teſtantur,& ciuilia præcipue. Quoniam in ciuitate ſua atq; republica potentem eſſe,omnium eſt pulcherrimum,impotentem uero turpiſſimum. SOCR. Præclare loqueris. Sed nunquid ob hanc ipſam rationem, ſapientia pulcherrimum omnium,inſipientia contrà turpiſſimum? HIP. Tu uero quid putas? SOCR. Quieſce parumper ô dulcis amice. Nam de eo quod dicimus, ſuſpicor atque timeo. HIP. Quid metuis Socrates? nónne ſcite dicta hæc ſunt? SOC. Velim equidem, ſed mecum hoc animad-

Ponitur uti le ut quęratur genus pulchri

uerte

uerte, utrum quis unquam quod neq; scit, neq; potest, efficiat. HIPP. Nequaquam. quo enim pacto, quod nequit ageret? SOCR. Qui delinquunt, & mala agunt efficiuntq; ignari, si hæc non potuissent, nunquid egissent? HIPP. Minime. SOCR. At uero potentia possunt, quicunque possunt: non enim impotentia. HIPP. Non certe. SOCR. Possunt autem omnes facere quæ faciunt? HIPP. Proculdubio. SOCR. Mala uero multo plura quàm bona, omnes homines statim ab ineunte ætate per omnem uitam agunt, neque sponte delinquunt. HIP. Vera loqueris. SOCR. Quid porrò? hanc potentiam, atq; hæc utilia quæ ad malorum executionem conducunt, num pulchra uocabimus, an longe aliter? HIPP. Longe absunt à pulchro ô Socrates. SOC. Non ergo potens nobis & utile ut uidetur ipsum pulchrum existit. HIP. Immo, si modo bona posit, ad eaq; confe rat. SOCR. Illud igitur reprobatum est, quod potens & utile simpliciter pulchrum sit. Sed nunquid hoc erat ô Hippia, ad quod animus noster respiciebat? Ipsum scilicet potens & utile ad bonum conficiendum, pulchrum esse. HIP. Mihi quidem uidetur. SOCR. Hoc conducibile est, an non? HIP. Valde. SOCR. Sic utique pulchra corpora, pulchra instituta legum, & sapientia, & alia quæ paulo ante retulimus, omnia ex eo pulchra sunt quo conducibilia sunt. HIP. Constat. SOCR. Conducibile itaque ipsum nobis pulchrum esse uidetur. HIP. Maxime omnium. SOC. Atqui conducibile est, quod bonum efficit. Conducibi le angenus pulchri
HIP. Idipsum. SOC. Efficiens autem nihil aliud est quàm causa. HIP. Nihil. SOCR. Ergo boni causa pulchrum est. HIP. Est profecto. SOC. Aliud uero est causa, aliud id cuius causa est. Neque enim causa ipsius causæ causa esse potest. Quod hinc maxime coniectare licet. Nónne causam efficientem esse constitit. HIP. Plane. SOCR. Ab efficiente uero effectum fit, non efficiens. HIP. Verum est. SOCR. Aliud efficiens, aliud effectum. HIP. Aliud certe. SOCR. Non ergo causa ipsius causa est, sed eius quod ab ipsa efficitur. HIPP. Sic est. SOCR. Itaque si pulchrum boni causa est, à pulchro fit bonum. Et ob hanc causam ut uidetur, prudentiam aliaq; pulchra omnia exoptamus, quia opus quod ex his gignitur, id est bonum, exoptandum est. Vnde per ea quæ inuenimus, pulchrum ad bonum ideam patris cuiusdam habere uidetur. HIP. Omnino quidem, præclare enim loqueris. SOC. Num & hoc præclare, quod neque pater filius est, neque filius uicissim pater? HIP. Et hoc. SOCR. Enimuero nec causa effectum est, nec effectum causa. HIP. Vera loqueris. SOC. Per Iouem ô uir optime, neque pulchrum bonum est, neque bonum pulchrum. An tibi ex his quæ dicta sunt, fieri posse uidetur? HIP. Non mihi, non per Iouem. SOCR. Placet nobis istud, & asserere uolumus, quod neque pulchrum bonum, neq; bonum pulchrum. HIP. Non per Iouem, non mihi placet. SOCR. Per Iouem mihi quoque ô Hippia nihil minus ex his quæ dicta sunt placet. HIP. Ita sanè uidetur. SOC. Haud amplius igitur sermo ille ut supra, egregius esse uidetur, quo id pulchrum asserebatur, quod conducibile utileq; & potens ad bonum aliquod efficiendum, immo si possibile est, absurdior iudicandus quàm superiores illi, quibus uirginẽ, & singula quæ supra narrauimus, pulchrum ipsum nuncupabamus. HIP. Apparet SOC. Equidem ô Hippia quò me uertam nescio, hæsito enim & ambigo. tu uero num forte quid habes? HIP. In præsentia minime, sed ut aliàs dixi, si mecum animaduertero, inuenturum me aliquid certo scio. SOCR. At uideor mihi ob discendi ardentem auiditatem moram tuam nequaquam toleraturus, Sed ecce nunc aliud quiddam mihi in mentem uenit. Attende obsecro utrum quod nos delectat: nõ de qualibet uoluptate loquor, sed de illa quæ per uisum atque auditum: utrum inquam tale quiddam pulchrum sit uocandum. Nam quo pacto repugnare possumus, cum pulchri homines uariiq; apparatus, picturæ & figmenta pulchra, intuentes nos delectent? Cantus quoque pulchri & uoces, uniuersaq; musica, sermones & confabulationes similiter nos afficiant? Quapropter si audaci illi pertinaciq; homini responderemus, pulchrum esse quod per uisum auditumq; delectat, nónne audaciam eius reprimeremus? quid putas? HIP. Nunc mihi ô Socrates quid ipsum pulchrum sit, scite dictum uidetur. SOCR. Quid uero, studia pulchra ac leges, propterea pulchra dicemus, quod per uisum auditumque iucunda sint, an alia quadam specie contineri? HIP. Hæc ita forte ô Socrates, & si hominem latent. SOCR. Per canem ô Hippia, non illum quem ego maxime omnium uererer quoties delirarem Delectãs an genus pulchri

aut aliquid dicere profiterer,cum nihil dicerem. HIP. Quem dicis? SOC. Socratem Sophroniſci filium.qui nihilo magis concederet ut hæc indiſcuſſa facile iudicarem,quàm ut ſcire putarem quæ neſcio. HIP. Atqui mihi quoq; poſtquam ipſe dixiſti, aliud quiddam id quod ad leges attinet,eſſe uidetur. SOC.Quieſce aliquantulum ô Hippia. Nam in eandem circa pulchrum ambiguitatẽ incidiſſe uidemur, in quam paulo ante,dum putamus quiddam certi nos habere. HIP.Quo pacto id ais Socrates? SOC. Dicam equidem quod mihi uidetur,ſi quid tamen dico. Hæc enim quæ ad ſtudia legesq; pertinent.fortaſſe non extra ſenſum uidendi audiendiq; ſunt.Præterea hunc ſermonem,qui aſſerit quod his ſenſibus gratum eſt eſſe pulchrum, feramus, nec leges in mediũ producamus. At ſiquis nos interroget,ſiue is quem retuli,ſiue quiuis alius in hunc modum: Quid ô Hippia atq; Socrates,id duntaxat iucundũ quod ſenſibus duobus percipit,pulchrũ eſſe cẽſetis? quæ uero cęteros ſenſus ſuauitate perfundunt,cibus,potus,ueneris actus,aliaq; huiuſmodi,pulchra eſſe non dicitis? An forte neq; dulcia hæc,neq; in ſenſibus præterquam in audiendo uidendoq; uoluptatem penitus ullam? Quid inquam ô Hippia reſpondebimus? HIP. Magnas quoq; ineſſe alijs ſenſibus uoluptates aſſentiemur. SOC. Sed ille, qua de cauſa dicet, cum non minus hæ quàm illæ uoluptates ſint, pulchri eas cognomento priuatis? Quoniam,reſpondebimus,nemo eſt qui nos non rideat, ſi dicamus non dulce comeſtionem eſſe,ſed pulchrum:odorem item ſuauem non ſuaue eſſe,ſed pulchrũ. Veneris quoq; motus dulciſſimum quiddam eſſe unuſquiſque æque ac nos cõtendet, ſed eos ipſos cum exercet quiſpiam, ita exerceat oportet, ut conſpectui hominum ueluti turpiſsimam rem ſubducat. Cum hæc dixerimus Hippia, ille forſitan reſpondebit:intelligo equidẽ iam dudũ quod uos pudor impedit quo minus uoluptates huiuſmodi pulchras nominetis,quia hominibus non uideantur.Ego uero non quærebam,quod uulgo pulchrum uidetur,ſed quod pulchrum ipſum eſt.Dicemus enim puto quid pulchrum eſſe poſuerimus, partem ſcilicet eam iucũdi,quæ per oculos auresq; delinit.Tu uero Hippia quôte uertes? an forte quid aliud inferemus? HIP. Non alia præter hæc ô Socrates dicemus. SOCR. Præclare dicitis,inferet ille. Si ergo ſolum quod per uiſum, auditumq; gratũ aduenit, pulchrum eſt,quod per alium ſenſum delectat, minime pulchrum. Confitebimur ne? HIP. Confitebimur. SOC. Ille uero ſic iterum . An quod per uiſum iucundum,per uiſum & auditum iucundum eſt? Et quod per auditum iucundum,per auditũ & uiſum etiam? Ad hæc nos, nullo modo quod per alterum eſt,per utrunq; eſſe.hoc eñ quærere nobis uideris.Nos uero diximus quoduis è duobus his iucundis ipſum per ſe pulchrum eſſe,& ſi utrũq; ſimul. nónne ſic reſpondendum? HIP.Sic prorſus. SOC.Nunquid igitur,inquiet ille,à iucundo iucundum, eo ipſo quod iucũdum eſt, differt? haud quæro utrum maior minor ue ſit aut magis minus ue uoluptate uoluptas,ſed utrũ ex pluribus uoluptatibus una quędam hoc ipſo ab alia differat,quod hæc quidem uoluptas ſit,illa minime.Nobis quidem non uideri dicemus. HIP. Non uideri planè. SOC. Sic ille inferet. Nónne propter aliud quiddam quàm propterea quod uoluptates ſint, has potiſſimum uoluptates è numero omnium elegiſtis, tale quiddam in utriſq; inſpicientes, quod uidelicet naturam quandam habent ab alijs differentem,ad quam profecto reſpicientes,pulchras eſſe illas aſſeueratis? neq; enim uiſus uoluptas idcirco pulchra eſt,quia per uiſum fit. Nã ſi illius pulchritudinis hæc eſſet cauſa,nullo modo quæ per auditum fit,pulchra eſſet,cum per uiſum nequaquã efficiatur. Nos autem uera illum dicere confitebimur? HIP. Confitebimur ſanè. SOCR. Neque rurſus auditus uoluptas ex eo pulchra,quia per auditum fiat? alioquin quæ per uiſum percipitur pulchra non eſſet, quippe cum non eadem ſit cum illa quæ per auditum efficitur. Eum uirum qui ita dicit ô Hippia uera loqui fatebimur? HIP. Vera nimirum. SOC. Veruntamen utræque inquiet pulchræ ſunt ut dicitis. Dicimus ne? HIP. Dicimus certe. SOC. Habent igitur commune quiddam atq; idem,quod eas pulchras efficit ędúe ambabus communiter ineſt, & unicuique proprie. Alioqui haud ambæ pulchræ eſſent & utraq;. Age mihi tanquam illi reſponde. HIP. Ita mihi ut ais,uideri reſpondeo. SOC. Si enim uoluptates hæ aliquid ambæ ſuſciperent, quod non earum utraque pateretur, nunquam huiuſmodi paſsione pulchræ exiſterent. HIP. Sic eſt ô Socrates. Qui enim fieri poteſt, ut quod neutra illarum patitur, ambæ perpetiantur? SOCR. Non tibi uidetur

tur. HIPP. Atqui & rerum iſtarum & locutionum huiuſmodi penitus imperitus eſſem. SOC. Iucunde quidem ô Hippia. cæterum ego fortaſsis periclitor, uideri mihi aliquid intueri, quod ita ſe habeat, qualiter habere impoſſibile tibi uidetur. Video autem nihil. HIP. Non uideris ô Socrates uidere, ſed omnino planiſsime perſpicere. SOC. Enimuero permulta generis huius mihi animo obuerſantur, quibus fidem non præſto, poſtquam non probantur tibi, qui argenti plus ſtudio ſapientiæ quàm cæteri noſtri temporis mortales cumulaſti. Ego autem ô amice, utpote qui nihil unquam lucratus ſum, cogito ne me fortaſſe ludas, ex induſtriaq; fallas, adeo mihi multa uidentur. HIP. Nemo melius quàm tu intelliget Socrates, ludam nec ne, ſi hæc quę tibi occurrunt proferre cœperis: nihil enim dicere uideberis, quoniam nūquam reperies, quod cum nec ego patiar, nec tu, ambo perpetiamur. SOCR. Quomodo inquis Hippia? fortè tu aliquid dicis quod ego minus intelligo. Verum auſcultа me, quod ſentio planius explicabo. Mihi quidē uidetur, quod neque contingit me eſſe, neque ſum, neq; tu ſimiliter, hoc ambos pati nos poſſe. Item alia quæ ambo patimur, neutrum noſtrum exiſtere. HIP. Monſtra rurſus afferre uideris ô Socrates, & magis certe quàm ante. Attende modo. Si ambo iuſti eſſemus, nónne & uterq;? Vel ſi iniuſtus uterq;, nónne & ambo? Aut ſi ſanè ambo, an non uterque? Et ſi uterq; noſtrū laborat in aliquo, uel uulneratus eſt, uel percuſſus, ſiue aliud quiduis paſſus fuerit, nónne idem ambo perpetimur? præterea ſi aurei, uel argentei, uel eburnei, ac etiã ſi uis, generoſi, aut ſapientes, aut honorati, uel ſenes uel iuuenes, aut aliud quiduis humanum ambo eſſemus: nónne omnino neceſſariū eſſet hoc utrumq; noſtrum eſſe? SOC. Omnino quidem. HIP. Cæterum ipſe ô Socrates res ipſas totas non cōſideras, neq; illi quibuſcum diſputare es ſolitus: plauditis autem ilico quia pulchrum intercepiſtis deprehendiſtisq;, & unumquodq; diſſerendo auellitis: atq; idcirco ita uos magna latent corpora, continuam eſſentiam ex natura ſortita. Et nunc adeo circa hæc te ueritas fugit, ut putes eſſe paſſionem aliquam uel eſſentiã, quæ circa ambo quædam uerſetur, circa uero utrūq; minime: atq; uiciſſim quæ circa utrumq; quidem ſit, circa ambo uero nequaquã, adeo abſurdi, temerarij, inepti, fatui eſtis. SOC. Talia quidem noſtra ſunt, Hippia, non qualia quis optaret, ut trito prouerbio fertur, ſed qualia eſſe poſſunt. Sed ipſe ſemper admonēdo nos iuuas. Etenim prius quàm nos in his admoneres, quàm ſtolide affecti eſſemus adhuc tibi clarius aperiam, ſi quæ de his ſentimus retulero. Dicámne? HIP. Scienti Socrates refers: noui enim omnem eorum qui in diſputando uerſantur conditionem. Veruntamen ſi cupis, enarra. SOC. Cupio equidem. Enimuero ita rudes eramus antequam tu hæc diceres, ut de me ac te opinaremur, quod uterque noſtrum unus ſit, neque tamen ambo id ſimus quod quiſq; noſtrum. non enim unus, ſed duo ſumus. Adeo fatui eramus. Nunc uero abs te didicimus, quod ſi duo ambo ſumus, duo ſimiliter utrunq; noſtrum eſſe neceſſe eſt: & ſi unus uterq;, unum pariter ambos. Impoſſibile enim eſt uniuerſali & continua eſſentię ratione ſecundum Hippiam, aliter ſe habere. Sed quod ambo erant, idem & uterque: & contrà quod uterq;, pariter ambo. Nunc igitur à te perſuaſus hic ſedeo: prius tamen ô Hippia id mihi memora, utrum unus ego tuq; ſimus, uel tu duo & ego duo. HIPP. Quid ais Socrates? SOC. Hęc ipſa quæ dico. Vereor enim aperte coram te loqui: nam mihi ſuccenſes, turbasq;, quando dicere aliquid tibiipſi uideris. Simul autem mihi dicas nō ne uterq; noſtrum unus, & unum eſſe contingit utrunq;? HIP. Omnino. SOC. Quod ſi unus impar quoq;. an non unum impar exiſtimas? HIP. Equidem. SOC. Num & ambo cum ſimus duo, impares ſumus? HIP. Nequaquam. SOC. Sed pares ambo? HIP. Pares. SOC. Nunquid ex eo quod ambo pares, par etiam uterq; noſtrum? HIP. Minime. SOC. Non ergo neceſſe eſt omnino ut modo dicebas, quæcunque ambo utroſq;, & quæcunq; utriq; ambos eſſe. HIPP. Non in rebus huiuſmodi, ſed in his quæ ipſe ſupra narraui. SOC. Sat habeo Hippia. Nam iſta ſufficiunt, poſtquam alia ſic, alia aliter ſe habere uidentur. Dixi equidem, ſi recordaris unde ſermo hic eſt ortus, uoluptates per uiſum & per auditum, non hoc pulchras eſſe quod utraq; earum habet, ambæ nequaquam, uel quod ambæ, ſed utraq; minime, immo eo quod & ambæ habent & utraque: & idcirco ambas & utranque pulchras eſſe, & tu conceſſiſti, & ego hac de cauſa per illam ipſam eſſentiam quæ ambas ſequitur, ambas eſſe pulchras, ſi modo pulchræ ſunt cenſui: per eam uero quæ

Prouerbiū

quæ alteram deserit, minime. Et nunc quoq; idem existimo. Verum mihi tanquã à principio dicas, si uoluptates quæ per uisum, & quę per auditum fiunt, ambæ & utraque pulchræ sunt, quod ipsas pulchras efficit, nónne ambas & utranq; sequitur? HIP. Prorsus? SOC. An ex eo quod utraq; atq; ambæ sunt uoluptates pulchræ sunt? uel hac ratiõe aliæ quoq; uoluptates non minus pulchræ? nihil enim minus uoluptates illas esse cõstitit. me ministin? HIP. Memini. SOC. Sed quia per uisum & auditum fiunt, idcirco pulchras esse illas est dictum. Vide num uera loquar. Sic enim ut memini diximus, pulchrũ esse quod iucundum nõ quidem per sensus quoslibet, sed quod per uisum duntaxat atq; auditum. HIP. Sic prorsus. SOC. Nónne passio hæc ambas sequitur, utranque minime? Non enim utraque illarum quemadmodum supra diximus, per ambas sunt, sed ambæ quidem per ambas, utraq; minime. Est ita? HIP. Est. SOC. Non ergo hoc utræque pulchræ sunt, quod non sequitur utrasque: ambo enim non sequitur utrunq;. Quamobrem ambo illa uocare pulchra secundum suppositionem licet, utraque uero nequaquam. an aliter dicimus? Nónne hoc necessarium est? HIP. Videtur. SOC. Dicendum ne ambo quidem pulchra esse, utraque uero nequaquam? HIP. Quid prohibet? SOC. Hoc mihi amice obstare uidetur, quod quædam sic adesse alijs iudicata sunt, ut si ambobus adsunt, adsint & utrique: & contra si utriq;, & ambobus. Talia uero erant quæ tu narrasti. HIP. Erant certe. SOC. Quæ autem ego retuli, minime: quorum numero erat quod ambo dicitur, & quod utrunque. Est ne ita? HIP. Est. SOC. Vtrum tibi uidetur ô Hippia ex his quæ ipse exposuisti pulchrum esse? Vt si ego robustus & tu, ambo robusti. Item si ego iustus & tu, ambo: & contrà, si ambo, & uterque. Vel nihil prohibet ita contingere, ut in ipsis paribus & imparibus accidit: ubi ambo aliquando paria sunt, imparia utraq;, & aliquando paria: nec non utraque interdum talia sunt, ut exprimi nequeant, ambo queant, & interdum nequeant. Aliaq; huius generis plurima quæ mihi occurrere dixeram, quorum in numero pulchrum ponis? num ita tibi de hoc ut mihi apparet? nimis enim absurdum esse mihi uidetur, ut ambo pulchri simus non uterque. Vel contra, uterq; pulcher, non ambo, aut aliud quodlibet talium. Itáne ipse eligis ut ego? An illo potius modo? HIP. Sit equidem. SOC. Recte ais Hippia, ut à longa inquisitione nos liberemus. Si enim ex his quæ pulchrum, haud amplius quod per uisum, & auditum delectat, pulchrum erit. Ambo nanq; pulchra facit, utraque minime. Hoc autem impossibile, ut inter nos conuenit. HIP. Conuenit certe. SOC. Impossibile igitur quod per uisum, & auditum iucundũ, pulchrum esse: nam si id pulchrum esset, impossibile aliquid sequeretur. HIP. Vera hæc sunt. SOC. Hic contentiosus ille dicet exponite iterum à principio, postquam istud uos fefellit, quid esse pulchrum hoc dicitis, quod ambabus uoluptatibus inest, propter quod istas præ cæteris honorantes pulchras uocatis. Necessarium mihi uidetur ô Hippia, ut respondeamus, quod innoxiæ sunt præ cæteris uoluptatibus atque optimæ tam ambæ q; utraque. An tu aliquid aliud habes, quo ab alijs differant? HIP. Nihil, reuera enim optimæ sunt. SOC. Tum ille, hoc igitur pulchrum esse dicitis conducibilem uoluptatem? Videri equidem respondebo. tu uero? HIP. Et ego. SOC. Ille uero ad hæc. Nónne conducibile est quod bonum efficit? Efficiens autem & effectum aliud esse constitit. unde eõdem relabimur. Neque enim bonum pulchrum esset, neque pulchrum bonum, si quidem aliud unumquodque illorum esset. Ita esse nos illi, si sapiemus, ilico respondebimus. Nefas enim est, recte loquenti non assentiri. HIP. Quid tu aliud Socrates cuncta hæc esse ducis, quàm imminutiones quasdam, concisionesq; sermonum ut ante dixi, in minima resolutas? Illud uero pulchrum & multifaciendum est, ut quis ualeat, præclara oratione habita in iudicio, uel concilio, uel alio conuentu publico ad quem uerba fiunt, auditoribus persuasis, non minima quædam, sed maxima præmia reportare, suijpsius, rerum suarum, amicorumq; salutem. Hæc sanè omissis minutis his quæstiunculis complecti decet, ne demens esse uidearis, dum deliramenta, & nugas, ut modo pertractas. SOC. O amice Hippia, tu quidem beatus es, qui nosti quibus studere hominem decet, & ipse abunde ut asseris, studuisti. Me uero mira quædam fortuna detinet: quippe aberro semper atque mendico. Quotiens autẽ inopiam meam sapientibus uobis ostendo, uerbis rursus à uobis obiurgor. Obijcitis enim continuo, quæ & tu nunc obiecisti, me scilicet

Definitio alia falsa pulchri

Cõfutatio

Alia definitio falsa pulchri

licet ſtolida, exilia, & nihili facienda tractare. Demũ cum perſuaſus à uobis, eadem quæ & uos profero, optimum eſſe elegãter orare in iudicio, & alio quouis cœtu, & ad uotum peragere, rurſus nonnulli è noſtris, & ille uir qui me ſemper redarguit, grauiter increpãt. Proximus ille uir mihi genere eſt, & unà mecum habitat. Ergo cum primum domum ingreſſus ſum, & ille me talia dicentem audit, interrogat quid nõ erubeſcam de pulchris rebus diſputare, cum adeo manifeſte circa pulchrũ redargutus ſim, quod ipſum pulchrum quid ſit ignorem. Inquit enim, qua ratione intelliges quæ oratio pulchre cõpoſita ſit quæ non, aut aliam quamlibet actionem pulchram eſſe, uel turpem, dum pulchrũ ipſum quid ſit ignoras? Et quãdo ita affectus ſis, uiuere te quàm mori præſtare putas? Contingit itaq; mihi quod modo dicebam, ut & à uobis & ab illo male audiam. Sed fortè operæprecium eſt hæc omnia tolerare: neq; enim id abſurdum, modo quippiam lucratus ſim. Tantum enim Hippia conſuetudine utrorumq; profeci, ut prouerbium illud, quod Pulchra difficilia eſſe dicit, intelligere mihi iam uidear. Prouerbiũ

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN

Platonis Lyſidem, uel De amicitia, ad Petrum Medicem patriæ patrem.

VBI Socrates cum ſophiſtis eorumq; ſectatoribus diſputat, opiniones falſas redarguit, ueras ſignificat potius, quàm doceat. Nam acuta ingenia redargutis falſis, exiguo deinde ueſtigio uera uenantur, Quod in Euthydemo, Protagora, Menone, Hippia, Euthyphrone, & Lyſide patet. Vbi uero cum diſcipulis & ſtudioſis ſui ſermonem habet, oſtendit ac docet. quod quidem ex multis dialogis intelligitur. In Lyſide igitur cum de amicitia inter ſophiſtarum diſcipulos diſputetur, cõfutandis falſis potius, quàm monſtrandis ueris, Socrates ſtudet. Quæ uero ſit de amicitia, & amore Platonis ſententia, ex hoc libro conijcere, ſed ex libris de legibus alijſq; multis comprehẽdere poſſumus. Amicitiam eſſe uult honeſtam perpetuæ uoluntatis communionem. Huius finem eſſe, uitam unam. Principium eius, cognationem. Medium aũt amorem. Vt honeſtam dicit, excludit improborum hominum contubernia, laſciuorumq; congreſſus. Vt perpetuæ, leues adoleſcentulorũ beneuolentias, etiam ſi honeſtæ ſint, nondum amicitias appellandas monet. Vt uoluntatis, ſignificat nõ ſimilitudinem opinionis cuiuſdam uel artis ad amicitiam perficiendam ſufficere. Vt cõmunionem, beneuolentiæ uiciſſitudinem indicat. Huius finis eſt, ut è duobus animis unus uoluntate fiat, ex una uolũtate uita una, ac demũ ex una uita, numinis unius ciuſdemq; ideæ fruitio. Principiũ quo cõmuniõis huius deſideriũ excitatur, cognatio eſt. Cognatio conuenientiã in idea, ſidere, genio, et quadã animæ corporisq; affectiõe ſignificat. Nã qui ex uno pẽdent, in unũ, per unũ, atq; ad unum reuerti nituntur. Mediũ & quaſi quidã ad amicitiã trames, amor exiſtit. Cũ aũt amor pulchri deſiderium ſit, et amicitia ab amore & ducatur pariter & dicatur, neceſſe eſt eos qui amici futuri ſunt, pulchros eſſe. Pulchros inquã quorum animi pulchri. Homo enim animus eſt: Corpus hominis inſtrumentum: et quiſquis pulchrum amat corpus, nõ hominem, ſed ea quæ ſunt hominis amat. Quamobrem quotiẽs cognatio illa adeſt, & animorum pulchritudo cõcurrit, perfecta naſcitur amicitia. Si corporis forma huic animorum pulchritudini adiuncta eſt: citius amare incipiunt, et breui amicitiæ habitum aſſequuntur. Quod in Platonis Dionisq; mutua beneuolentia contigit. Sin aũt forma corporis cum animi deformitate coniungitur, non honeſtæ cõmunionis, ſed turpis congreſſus cupido exoritur. Vnde nõ amicitia, immo petulantia primum, deinde diſcordia proficiſcitur. Quare ſi cognatio deeſt, amici nunquã. Si adeſt cognatio, deeſt omnis pulchritudo, interdũ beneuoli potius, quàm amici. Sin aũt cognationi pulchritudo corporis, nõ animi eſt adiuncta, pro amicitiæ deſiderio obſcœni congreſſus ardor exoritur. Cum unus animo pulcher, turpis alter, admonitionis & increpationis ſtudium cognatio illa parit. Quod ſi pulcher unius animus, alterius nec pulcher eſt, nec turpis, docendi diſcendiq; inuicem uoluntas ex cognatione prouenit. Tandem ex increpatione illa, et hac doctrina, amicitia naſcitur. Quod quidem in Phædrũ & Alcibiadem Socratis amor oſtendit. At uero cognatio pulchritudinem utrinq; nacta, cito indiſſolubilem procreat amicitiam. Idq; in Platonis Aſtœrisq; beneuolentia conſtitit. Atq; hæc, ut è multis colligitur, de amicitia Platonis noſtri ſententia eſt. In hoc autem dialogo primo eos qui amore abutũtur, et ſub amicitiæ ſpecie turpi libidini ſeruiũt, increpat. Deinde eos qui ex ſola corporis forma, amari ſe dignos exiſtimãt, admonet. Tertio illos, qui minus uere de amicitia ſentiebant, refellit. Poſtremo callem quendã ſagacibus animis ad uenãdam amicitiam indicat. Singula membra ſuis in locis legẽtibus patent. Nam dum Hippothalem & Cteſippũ ironia iocisq; deridet Socrates, quod turpi amore capti eſſent ſignificat. Et dum coram illis adoleſcẽtes ad mores inſtruit, amatores admonet quo pacto amandum & quomodo unà uiuendũ ſit. Cũq; amatores inſtituiſſet, ſecundã dialogi partẽ ad amatos inſtituẽdos aggreditur. Vbi lõga inductionis ſerie docet, nõ umbratili huius corpuſculi forma, ſed uera animi pulchritudine, ſapientia

ſapientia ſcilicet & prudentia amicos aucupari decere. Tertio loco confutat, et primo Solonis ſententiam, qui amatos inquit amicos eſſe. Qui tamen ſæpe amantes oderunt. Addit etiã nec amantes duntaxat, amicos eſſe, quia ſæpe odio habentur qui amant. Vbi concludit reciprocam beniuolentiã, amicitiam eſſe uocandam. Deinde Empedoclẽ reprehendit, qui quamlibet ſimpliciter ſimilitudinẽ ad amicitiam ſufficere uoluit. Quod falſum eſſe artium multarum ſimilitudo declarat, quæ inuidiam & odium ſæpius quàm amicitiam gignit. Accedit poſtmodum Heſiodi Heraclitiq; opinio, quod diſſimilia ſint amica. Idq; falſum eſſe ex eo conſtat, quod odium & amor cum diſſimilia ſint, amica non ſint, nec iuſtus uir & iniuſtus. & de alijs eodem pacto. Quod ſi quid aliquando diſſimile ſui appetere uideatur, ut aridum quod eſt, humorem, calorem'ue quod frigidum, dicendum eſt non amare contrarium, ſed ſuijpſius reſtitutionem ex contrario quærere. Quod enim calore nimio præter naturam ſuam uritur, per frigus ad temperiem naturalem reducitur. Quare non frigus ſed temperiem per frigus amat. Idem eſt de cæteris contrarijs iudicandum. His confutatis opinionem quandam ut ſuam quaſi uaticinans Socrates infert. Vbi trifariã affectiones animi diuidit, bonum animum, malum, neutrum. Malum bono propter diuerſitatẽ amicum eſſe nunquam. Malum à malo propter iniuſtitiam lædi. Ergo nec hos inuicem amicos eſſe. Neutrum quoq; amare malum impoſsibile. malum enim cum obſit, ſuapte natura odio ſemper habetur. Reſtat ut amicitia ſit inter bonum ac malum, & neutrum atq; bonum. Et illa quidem in gaudio, in deſiderio hæc cõſiſtit. Ex quibus duæ quædam amicitiæ ſpecies ortæ ſunt. Sed inſurgunt obiectiones quædam, quæ id turbare uidentur, quas Socrates palàm infert, ſolutiones uero clàm innuit. Prima, quia bonus bono ſimilis, ſimilia uero non eſſe amica contra Empedoclem dictum fuit. Vbi intelligendum, non dictum eſſe ſimilia nullo modo amica fieri, immo negatum quod ſimpliciter quælibet ſimilitudo ad amicitiam procreandam ſufficiat. Item cum ſecundo obijcitur: bonus ſeipſo ſufficit, ergo non deſiderat alterum, unde non amat, quare nec boni amicus eſt: Exponendum eſt quod hæc abſurditas nõ ex Platonis mente ſequitur, ſed ex Empedoclis & Heracliti dictis, in quibus amoris deſiderium ab amicitia non diſtinguunt: quare unà cum amicitia cupiditas perpetua ſit neceſſe eſt. Plato uero amicitiam habitum quendam eſſe uult ex amore diuturno contractũ. Quo fit ut amor ſit exoriens amicitia. Amicitia uero inueteratus amor, in quo multo plus uoluptatis quàm deſiderij reſtat. Ex quo ſequitur, ut qui cupierat, iam delectetur. Itaq; amicitiæ habitus non neceſſario deſiderio præſentis ardorem, ſed delectationem exigit. Ergo ſi bonus bonum minus deſiderat, nõ tamen minus, bonus bono gaudet quod ad ſeruãdam amicitiæ rationem plurimũ ualet. Atq; hæc una eſt amicitiæ ſpecies, inter bonum uidelicet atq; bonum in gaudio potius quàm in deſiderio conſtituta. Eſt et altera, quæ deſiderij plus, quàm uoluptatis includit, inter neutrũ bonumq; exoriens. Quæ quidem qua ratione fiat, & cuius gratia, & propter quid, in textu ſatis patet. Deſcribit illam primo ut opinio porrigit, deinde paulatim emendat. Nam cum dixiſſet, neutrum propter malum inimicum amare bonum amicũ boni amiciq; gratia, ſtatim dictis obijciendo corrigit. Vbi primum docet, amicitias omnes quæ ad homines diriguntur, imperfectas eſſe, & imagines amicitiæ quæ ad ipſum primum bonum rerumq; omnium reſpicit auctorem, quod primo amatur, et cauſa eſt ut amentur hæc omnia. Et quiſquis aliquid amat, ipſum primum tanquam finem amoris habet. Nam à primo bono bonum omnibus ineſt: à primo pulchro, gratia ſingulis adeſt, bonitas uero trahit nos, allicit pulchritudo. Non ergo iſta nos inferiora mouent, ſed primum illud in iſtis trahit & allicit. Illud itaq; in iſtis ſimul atq; ex iſtis, non iſta amamus. In quo Platonis noſtri pietas in deum, ſummaq; religio mirifice fulget. Oſtendit præterea non ſemper nos alterius gratia amicos eſſe. Neq; enim primum bonum, boni alterius gratia exoptamus. Item non propter malum, bonum cuperes. Quia etiam omni malo è rerum natura ſublato reſtaret bonum ſuapte natura gratum, & appetitus in eo quod minus bonũ, ad bonũ maius conſequendum traheret. Non enim malum eſt, quod ſummi boni excitat appetitum, ſed ipſius minus boni egeſtas ad ſui repletionem in ſummum bonum conuertit: quæ quidem non malum, quia nunquam malum ad bonum, et contrarium ad contrarium, ſed inchoatio boni potius nuncupanda. His ad emendationem illatis principium quoddam inducit amicitiæ perfectius inueſtigandæ: Inquit enim cognationem & naturæ conuenientiam amicitiam parere, de qua ſatis in principio diximus. Poſtremo iuuenes illos adoleſcẽteſq; mordet, quod ignorent quid merito amandũ ſit: quæ amicitia uera. quo pacto honeſtæ ſtabiliterq; confletur: et antequã hæc diſcant, temere, procaciter, & petulanter amicitiam inire cõtendant. Sed ne illos infeſtos ſibi redderet, clàm iſta ſignificauit, & ſeipſum unà cum illis reprehendit.

Hæc de argumento ſatis. Ad Lyſidem ueniamus.

PLATONIS LYSIS, VEL DE AMICITIA

E GRAECA LINGVA IN LATINAM TRADVCTVS à Marsilio Ficino Florentino, ad Petrum Medicen patriæ patrem.

SOCRATES. HIPPOTHALES. CTESIPPVS. MENEXENVS. LYSIS.

IBAM ex Academia in Lyceum rectà per suburbium iuxta mœnia, & cum ad portam ubi fons est Panopis, uenissem, Hippothalē Hieronymi filium, & Ctesippum Pæanæum, aliosq; unà cum his adolescētes multos offendi. Cumq; me Hippothales uenientem uideret, ô Socrates inquit, quónam & unde? At ego, ex Academia in Lyceum rectà. Tum ille, adesdum, rectà ad nos inquit, nō diuertis? decet enim. Ad hæc equidem, decet inquam: sed ubinam, & apud quos uestrum esse me uultis? Ille uero è regione mœniorum gymnasium quoddā ostendens muro circumdatum, & ianuam apertam, hic ait, manere te uolumus, hic autem ipsi & alij multi & quidem honesti nos exercemus. Qua potissimum in re est hæc uestra exercitatio? In palæstra quæ nuper est constituta, ac ut plurimum in sermonibus, quos tecum libenter cōmunicaremus. Recte agitis. Sed quis ibi præceptor? Socius & laudator tuus Miccus. Per Iouem nō malus ille quidem, sed admodum sophista. Vis' ne me intro sequi, ut eos qui ibi sunt, uideas? Id in primis libenter audirem, ad quid ingrediar, & quis pulcher ille. Alius alij uidetur ô Socrates. Tibi uero, quis ô Hippothales? Dic obsecro, quis amatus ille. At ille interrogatus obticuit. Tum ego, ô Hieronymi fili Hippothales, utrū ames quempiam nec ne, nihil opus est ut aperias. Noui enim quod non solum amas, sed quod in amore progressus sis tam procul. Etenim cæteris in rebus hebes & inutilis sum: id autem unum mihi munus à Deo datum, ut primo aspectu amatores cognoscam. Ad hæc ille nihil respondit. Verū Ctesippus, quàm urbanus es, inquit, Hippothales, qui amati tui nomen Socrati referre detrectas. Quod si paulisper ille hic moretur, necabit assiduè ex te audiendo. Nobis enim dudum ô Socrates, aures compleuit, surdasq; reddidit nomine Lysidis. Vbi uero potus est nōnihil, facile fit, ut uel à somno excitati, Lysidis nomen audire uideamur. Nec molestum esset, sit molestum licet, assiduè de illo loquentem audire, ni carminibus nos suis, epigrammatisq; uincere & exhaurire conet, & quod molestissimum est, amores suos uoce miranda canat, quam perferre necesse habemus: nunc uero abs te rogatus erubescit. Iuuenis inquam Lysis hic esse uidetur: nam audiens eius nomen, haud agnoui. Tum ille, raro nomen eius enunciat. sed ex patris nomine cum sit uir admodum nobilis, adhuc iuuenis ipse cognominatur: id enim mihi persuadeo, fieri non posse ut pueri formam ignores: adeò namq; honesta indole præditus est, ut uel ea sola notus omnibus esse possit. Cuius inquam filius est? dicite quæso. Democratis inquit, Æxonei maior natu filius. At ego, Esto ô Hippothales, ut generosum constantemq; amorē nactus sis. Age uero mihi quoq; quæ & his ostende, ut uideam utrum scias, quæ de amato amantem uel ad seipsum uel ad alios dicere oportet. An tu horum quicquam ô Socrates, quæ ille dicit, ponderandum censes? Tu uero amare te illum quem hic dixit, neges? Nequaquam, sed nihil componere aut scribere de amoribus aio. Ad hæc Ctesippus: haud sanæ mentis hic est, sed delirat atq; insanit. O Hippothales, nec carmina, nec etiam cantilenam, si quam in amicos composuisti, audire admodū curo: sed qua mente in illos sis, intelligere cupio. Ctesippus iste tibi referet. nouit enim meminitq;. siquidem, ut ipse ait, quotidie audiens à me obtunditur. Maxime profecto. quàm ridiculum est enim, ut quē hic præ cæteris amet, de eius ingenio, quod ne puer quidem dicat, afferre nihil possit. Quæ enim ciuitas uniuersa de Democrate & Lyside huius auo, deq; omnibus illorum maioribus prædicat, eadem & ipse circumfert, diuitias, equorum copiam, uictorias in Pytho, Isthmo, & Nemea, quadrigis & equis, necnon istis antiquiora. Ac nuper cōuiuium carmine quodam retulit, quo quidam ex Lysidis maioribus Herculem quondam ob cognationem hospitio excepit, quippe quum ille quoq; ex Ioue & filia cuiusdam principis populi natus esset, quæ quidem & aniculæ cantant. Cæteraq; huiusmodi permulta ô Socrates. Hæc sunt quæ hic narrando canendoq; audire nos cogit. O ridicule Hippothales, an-

Occasio dialogi

Miccus Socratis socius

les,antequam uiceris,encomium in te ipsum componis cantasq;.Non in me ô Socrates, hæc uel paro,uel canto.Non putas inquam.Qui istuc dicis, inquit ille? Maxime omniũ in te unum odæ hæ redundant.Nam si amicum talem apprehenderis, ornamento tibi erunt laudes eiusmodi,tanquam triumphatori cuidam,cum amicũ huiusmodi nactus sis. Sin autem fefellerit,quo maiores illi laudes tribuisti,quo maiorum expers es bonorũ,tãto magis etiam ridiculus iudicaberis.Quicunq; igitur in comparandis amicis sapit, non prius quẽquam eorum laudat quàm ipsorũ familiaritatem fuerit assecutus, futura namq; formidat:plerisq; enim cum laudari se & extolli sentiunt,fastu tumescunt, an nõ idem tibi uidetur? Mihi uero.Nónne quo superbiores sunt,eo difficilius capiuntur? Verisimile est.Qualis tibi uenator ille uideretur esse,si quis ita feras expelleret,ut & tutiores fierẽt, & capi difficilius in posterũ possent? Iners uidelicet. Atqui sermonibus cantibusq; non demulcere,sed exacerbare potius homines,nónne hominis est imperiti? Videtur. Vide igitur ô Hippothales,ne his omnibus obnoxiũ reumq; te ob poesis studium reddas. Arbitror sanè nullum te bonum poetam existimaturũ,qui seipsum poemate læserit. Nullũ per Iouem.quæ enim hæc esset absurditas? Ob hanc profecto causam tecum ô Socrates, mentem meam communico:& si quid habes aliud, consule,qua ratione quis aut dicendo,aut agendo conciliare sibi quos amet,possit.Non facile dictu est. Verum si hunc mecum colloquio iungeres,tibi fortè ostenderem quæ illi dicenda sint,pro his quæ loqui te & canere isti narrarunt.Nihil impedimento fuerit.Si enim unà cum Ctesippo ingrediaris,& ibi sedens disputes,sua sponte,ut arbitror, aderit. Nam audiendi apprime auidus est.Ac ibi etiam Mercurialia celebrantes,iuuenes in unum conueniunt. Ad te igitur aduentabit,& nisi id fecerit,Ctesippi familiaris est propter Menexenũ huius nepotem, cuius ille socius est chariſſimus.Accersat itaq; hic illum,si minus ipse per se accesserit. Sic agendum est,inquam,& simul apprehenso Ctesippo,in palæstram prosequutus sum,& alij nos à tergo sequuti sunt.Ingressi autem iuuenes sacrificantes inuenimus, & sacra fermè peracta,illos autem comptos,calculis talisq; ludentes.partim in ipso uestibulo foris, partim in gymnasij angulo,pari impari ludebant,calculos è calathis quibusdam deligentes.Hos spectantes alij circumstabant,è quibus Lysis erat, qui astabat inter iuuenes coronatus,& omnibus indole præstans,nec pulcher tantum,sed & honestus & bonus existimandus.Nos autem è cõspectu ubi quieti locus erat,consedimus inuicem dissererentes. Conuersus Lysis,frequenter in nos oculos conijciebat,utpote qui propius accedere cuperet,sed solus accedere uerebatur.Interim Menexenus inter ludendum è uestibulo ingressus est,meq; & Ctesippum conspicatus,consessum uenit. Quem Lysis intuitus,secutus est,& iuxta eum assedit.Aduentarunt insuper alij.Hippothales autem postquã multos cõuenisse perspexit,latere cupiens,ea se recipit,quà uideri nõ posse à Lysíde arbitrabatur,ne fortè illi molestus foret,& sic astans audiuit.Ego uero Menexenum inspiciens, O fili Demophontis inquam,uter uestrum natu maior? Ambigimus,respondit ille.Nunquid etiam uter generosior sit ambigitis,inquam ego.Prorsus inquit. An etiam uter honestior sit.Subriserunt ambo. Vter uestrum ditior sit,haudquaquam interrogabo, Amici namq; estis.nõne? Et maxime quidem,responderunt.Amicorum uero cõmunia omnia,quapropter hoc nihil differtis,si quidẽ id uere de amicitia dicitis. Cõsenserũt. Sed cũ percontari uellem uter iustior & sapientior esset,interrupit nos quidam qui Menexenũ accersiuit,dicens illum à gymnasij magistro uocari.Visus enim mihi est sacrorũ antistes. Abijt igitur,& ego Lysidem interrogaui.Dic age ô Lysis,uehementer te pater ac mater amant? Valde.An non beatissimum fore te cupiũt? Quid ni? Videtur tibi beatus ille qui seruit,& cui nihil eorum quæ concupiscit,agere licet? Non per Iouem. Ergo si te pater & mater amant,beatumq; fieri uolunt,id omni opera diligentiaq; curabunt, ut beate uiuas. Quid prohibet? Permittent itaq; quodcunq; lubet efficere,nec tuis cupiditatibus aduersabuntur. Per Iouem ô Socrates,mihi in plurimis obstant. Qui istuc ais? Dum te fore beatum exoptant,te impediunt quo minus uoti tui compos efficiaris? Responde ad hæc. Si cuperes aliquò patris tui curru peruehi,capiens habenas,quãdo pugnat, nũquid permitteret? Nihil minus. Quem ergo permitteret? Est auriga quidam à patre meo mercede conductus. Quid ais? Mercenario parentes tui concedunt potius quàm tibi liberam equorum administrationẽ? & argentum præterea huius operis causa erogabũt. Sed quid nam

Præceptum in comparãdis amicis

Colloquutio beneuola,ut pueri animus ad loquendum alliciatur

quidnam? Mulos uero iugatos ducere, lorisq; cædere, tibi cõcedent? Cur mihi conceſſerint? Nulli ne uerberare hos licet? Et ualde quidem, mulioni uidelicet. Seruo, an libero? Seruo. Seruum itaq; pluris faciunt & te filium, liberiusq; agendi arbitriũ exhibent. Quin etiam ad hæc mihi reſponde. Te ne tibiipſi dominari permittunt, an nõ? Neq; id ullo pacto. Quis tibi dominatur? Pædagogus. Nunquid ſeruus? Seruus noſter. Graue uero liberum ſeruo ſubiici. Sed quid agendo, pædagogus hic tibi imperat? Dum ad magiſtros me ducit. Et hi quoq; præceptores tibi imperant? Omnino. Multos igitur dominos principesq; tibi pater ſpõte præpoſuit. Sed cum domũ ad matrem redieris, te ne ſinit quicquid placeat agere, ut beatus ſis, uel circa lanificium, uel circa telam, quãdo texit? An gladium forcipesq;, radium ac pecten, cæteraq; lanificij inſtrumenta attrectare ſinet? Nõ uetaret ſolum, ſed & cæderet, ſi tangere auderem. Prò deus, iniuriam ne patri uel matri aliquam intuliſti? Nullam prorſus. Quam ob cauſam te beatũ fore, & arbitratu tuo diſponere ſingula nolunt, & quotidie te ſic educant, ut ſemper alicui ſeruias, & ut breui complectar, nihil pro tua uoluntate agas? Quo fit, ut nihil tibi prodeſſe tam amplæ diuitiæ uideantur: quandoquidem quiuis magis quàm tu has adminiſtrat: & quod maius eſt, nec etiam corpus tam generoſum, quippe cum alius hoc alat & colat: tu autem nullum habes imperiũ ô Lyſis, nec ullius uoti compos efficeris. Nondum per ætatem licet ô Socrates. Vide ne minus id ſit, quod tibi impedimento eſt ô Democratis fili. Nam hæc, ut arbitror, & pater & mater tibi concedunt, nec ætatem prouectiorem expectant, quoties legi ſcribi'ue ſibi aliquid optant. Tibi enim præ cæteris domeſticis iſta committunt. Maxime. In his tibi licet tam ſcribendo quàm legendo quemuis ordinem literarum ſeruare. Et quando lyram ſumis, nihil prohibent, ut opinor, parentes tui, quo minus intendas uel remittas chordarum quamlibet, & pſallas, & pulſes plectro. Non certe. Quid in cauſa eſt ô Lyſis, quod in iſs permittunt, in ſuperioribus prohibent? Quoniam iſta quidem ſcio, illa contra ignoro. En optime Lyſis, non ætatem expectat pater ad licentiam tibi exhibendam, ſed profectum ingenij. Etenim cum primum te ſenſerit teipſo prudentiorem effectum, ilicò & tua omnia, & te libere tibi cõmittet. Spero equidem. Quid porrò uicini, nónne eadem ratione ſe qua & parentes erga te gerent? Vicinum cenſes tibi ſuæ domus commiſſurum gubernationem, ſi te intellexerit in re familiari peritiorem eſſe, an ipſum per ſe miniſtraturum? Mihi commiſſurum puto. Athenienſes quoq; dubitas, quin rempublicam tibi commendent, quum primũ te in his rebus prudentiorem aliis eſſe perceperint? Non dubito. Quid rex magnus? utrum eius filium natu maiorem, cuius Aſiæ regnum futurũ eſt, permitteret in elixarum carnium ius quicquid uelit iniicere, potius quàm nos, ſi illi perſuaſerimus, popinæ peritiores eſſe quàm filium? Nos uidelicet. Et illum nihil prorſus, nos autem etiam ſi ſalis multum capientes, immittere uellemus, certe permitteret. Quid ni? Et ſi filius eius oculos ægrotaret, nunquid permitteret eum ſibi oculos attrectare, an prohiberet, cum medicum illum non exiſtimaret? Nos autem ſi modo putaret peritos medicos eſſe, nihil impediret, etiam ſi uellemus patefactis palpebris, & cinere ſuperinfuſa curare? Vera loqueris. Quinetiam cætera omnia nobis committeret, potius quàm uel ſibiipſi uel filio, in quibus ſapientiores nos eſſe putaret. Neceſſe eſt ô Socrates. Sic ſe res habet amice Lyſis, ſingula in quibus prudentes ſumus, cuncti nobis cõcedent, & Græci & Barbari, tam uiri quàm mulieres, & in iſs arbitratu noſtro agemus, nec ullus ſpõte nobis obſtabit, quo minus & nos liberi ſimus, & aliorum duces. Et quum nobis hæc conferãt, noſtra erunt. Quæ uero ignoramus, nemo nos ut lubet, agere permittet, ſed omnes pro uiribus repugnabunt, non extranei tantum, uerum parentes etiam, & quod nobis propinquius eſt, nos quoq; ipſi nõ nobis, ſed aliis miniſtrantibus: & hæc cum nullo nobis emolumento ſint, à nobis aliena exiſtent. Cõſentis? Conſentio equidem. Alicui ne hominum amici erimus, amabitq; nos aliquis in his rebus, in quibus inutiles ſumus? Nunquam. Ergo nec te pater, nec ullus alium quenquam diligit, quatenus eſt inutilis. Non ut uidetur. Si itaq; ſapiens euaſeris, omnes amici tibi & familiares erunt. Vtilis enim & bonus eris. Sin minus, nec alius quiſquam tibi, nec parentes, neq; propinqui amici erunt. Poteſt'ne aliquis in his ſuperbe ſapere atque gloriari, in quibus nondum quicquam ſapit? Qui iſtuc fieri poteſt? Si tu præceptore indiges, nondum ſapis? Nondum certe. Non ergo ſuperbe ſapis, ſi nil ſapis. Non per Iouem, ut mihi uideor. Quæ cum audiſſem, in Hippothalem

Quãtum fidei dignitatiſq; afferat prudentia

In his quæ ſapimus, gloriamur & ſuperbimus

pothalem conuerti oculos, atq; parum abfuit quin ita dicerem: O Hippothales, hoc pacto cum adoleſcentibus diſputandum, corripiendo illos atq; deijciendo, nõ blandiendo, ut ipſe agis, & efferendo. Sed cum uidiſſem illum anxium, turbatumq; ex antedictis, recordatus ſum quòd dudum præſens Lyſidem latere uolebat. Recepi ergo meipſum, linguamq; cohibui. Interea reuerſus Menexenus, iuxta Lyſidem, unde ſurrexerat, aſſedit. Tum Lyſis blande admodum & amice, clam Menexeno mihi ſuſurrauit in aures. O Socrates, quæ mihi, eadem obſecro Menexeno quoq; ediſſeras. Ipſe, inquam, Lyſis illi referes. Nam attente nos auſcultaſti. Attente ſanè. reſpondit ille. Da igitur operã ut diligenter reminiſcaris, quo illi ſingula perſpicue referas. Quod ſi quid forſitã ſubterfugerit, rurſus à me requires, cum me primum conueneris. Nauabo operam, & maxime quidem, ille reſpondit. Sed noui ſaltem aliquid illi dicas, ut & ego audiam, donec redeundi domum ſit hora. At ego agendum eſt, præſertim cum ipſe iubeas. ſed cogita qua ratione mihi opituleris, ſi me refellere Menexenus hic contenderit. An non cõtentioſum eſſe illum audiſti? Prorſus, & idcirco te cum illo diſputãtem audire percupio. An ut ridiculus habear? Abſit, imò ut illum caſtiges atq; coerceas. Haud facile eſt: uehemens enim & facundus eſt, Ctiſippi diſcipulus. Adeſt præterea quinetiam Ctiſippus ipſe an nõ uides? Nihil uererís ô Socrates, age obſecro diſſeras. Diſſerendum uidetur. Verum iſta nobis ſeorſum ab alijs colloquẽtibus, Cur, inquit Ctiſippus, ſoli hæc inter uos agitatis? Quin alijs etiam ueſtra hæc impertire. Impertiendum eſſe reſpondi. Hic porrò nõnihil ex ijs quæ conferimus, minus percipit, putatq; Menexenum intelligere: quocirca percontari ab illo me iubet. Quid non interrogas? Interrogabo. Dic amabo ô Menexene, quod abs te quæram. innata mihi eſt ab ineunte ætate poſſeſſionis unius cupiditas quædam, quemadmodũ & in alijs. Vt ecce quidam equos deſiderat, aliquis canes, alius aurum, honores alius. hæc equidem paruifacio, nec multum iſta me mouent. Acquirẽdorum autem amicorum deſiderio flagro. Quare amicum bonũ habere malim, quàm precioſiſſimã coturnicem, aut gallum, & per Iouem potius quàm equum atq; canem, ac mediusfidius potius quàm Darij aurum adipiſci, uel ipſum Darium capere, optimũ amicum eligere. Videtis quàm ſim amicitiæ auidus. Quando igitur te & Lyſidẽ animaduerto, ſtupeo profecto, uosq; felices exiſtimo, quod in tam tenera ætate conſtituti, tantum munus breui & facile conſequuti fueritis, & tu hunc tibi tam facile tanta beneuolentia conciliaueris, & hic te mutuò ſit amore complexus: tantum uero à me munus id abeſt, ut nec etiam quo pacto alter alteri amicus fiat, intelligam. Cæterum hæc abs te tãquam perito quærere cupio. quare mihi reſpondeas, oro. quando quis aliquem diligit, uter utrius amicus efficitur? amans ne amati, an amatus amantis? an nihil intereſt? Nihil intereſſe mihi uidetur. Quid ais? ambo inuicem amici fiunt, ſi alter tantum alterum amat? Mihi quidem uidetur. Quid porrò? an nõ reperiri poteſt amans quidam, cui amicus haud uiciſſim in amicitia reſpõdet? Poteſt. Nũquid & odio haberi amicum ſæpe cõtingit? Quod nõnunquam amatoribus erga amatos accidit. Amantes enim quàm ardentiſſime nõnunquam, minime redamantur, imò & odio quandoq; habentur. An nõ uera tibi dicere uideor? Veriſſima. Nõne in his hic quidem amat, ille autem amatur? Certe. Vter ergo utrius eſt amicus? amans ne amati, ſiue redametur, ſiue odio habeatur? An amatus amãtis? an neuter neutrius tunc eſt amicus, quũ non utriq; uiciſſim amant? Sic ſe res habere uidetur. Aliter itaq; nunc quàm ſuprà cenſemus. tunc enim uiſum eſt, ſi alter ſolum diligat, ambos amicos eſſe: nunc cõtrà, niſi uterque diligat, neutrum amicum eſſe dicendum. Apparet. Nihil igitur illi amicum eſt, qui amat id à quo minime redamatur. Non uidetur. Ergo nec amici equorum ſunt, quos equi non mutuò amant, nec amici coturnicum, neq; canum, nec uini, nec exercitationis amici, nec ſapientiæ, niſi ſapientia illos uiciſſim amet: amant nempe hæc ſinguli, non tamen amica hæc ſunt. Quamobrem mentitur Poeta ille qui dicit:

Felix cui dulces pueri, cui copia equorum.
Et cui turba canum ſit, tum cui ſit nouus hoſpes.

Nequaquã mihi uidetur. Verum dicere tibi uidetur? Verum. Amatũ igitur amanti amicum eſt, ut apparet, ô Menexene, ſiue amauerit, ſiue oderit: quemadmodum teneriores pueri partim nullo modo amant, partim oderunt, quando à parentibus uerberantur. tũc ſanè dum uehementer odio habeant, genitoribus ſunt chariſſimi. Opinor equidem. Nõ

Niſi uterq; amat, neuter amicus

ergo

ergo amans amicus ſecundum hanc rationem,ſed amatus erit. Videtur.Et odio eſt inimicus,non qui odit.Apparet.Ita multi ab inimicis amantur,& odio ab amicis habẽtur, & inimicis amici ſunt,amicis contra inimici, ſi amatum potius quàm amans, amicum eſt. Quæ autem eſſet hæc abſurditas ô dulcis amice? Imò impoſſibile id quidem, amico inimicum,inimico amicũ eſſe. Vera loqui uideris ô Socrates.Et ſi hoc fieri nullo modo poteſt,reſtat ut amans amati ſit amicum. Apparet.Similiter quod odio habet, inimicum eius quod odio habetur.Neceſſe eſt.Eadem nobis nunc erunt quæ & in ſuperioribus concedenda,quòd plerunq; amicum ſit aliquid non amici,plerunq; etiam inimici, quotiens non amantem uel faſtidientem quis amat.Nõnunquam inimicus erit non inimici,uel & amici, quando non faſtidientem quis odit,uel faſtidit amantem.Ita uidetur. Quid ergo dicemus,ſi neq; amantes amici erunt,neq; amati,nec amantes amatiq;? num alios quoſdam præter iſtos amicos inuicem eſſe dicemus? Per Iouem ô Socrates,quid reſpondeam nõ inuenio.Vide ô Menexene,ne fortè minus recte in ſuperioribus quæſiuerimus. Tũ Lyſis.Id,inquit,mihi uidetur ô Socrates.& ſic fatus erubuit. Viſum namq; mihi inuitum illum effugiſſe quod dicebatur,ex eo quod attentius incumbebat. Conſtabat autem cũ alioqui auſcultaret non ita ſeſe habere.Ego itaq; uolens Menexenum quieſcere, & illius philoſophia nimium delectatus,ſic Lyſidem alloquutus ſum. O Lyſis, uera mihi loqui uideris,quia ſi recte conſiderauiſſemus,haud ita nunc aberraremus. Quare ne ulterius hac uia pergamus.Etenim ardua mihi quaſi uia quædam aſpera conſideratio iſta uidet. Sed iter quod nunc ingreſſi ſumus,poetarum adminiculis peragendum.Hi nanq; nobis tanquam patres atq; duces ſapientiæ ſunt. Dicunt profecto nõ male,dum qui amici ſint, admonent. homines præterea conciliatoris Dei ductu amicos fieri uolunt.Sic eñ aiunt. Deus ſimilem ſemper ducit ad ſimilem,& notum facit. An non in hæc aliquando carmina incidiſti? Incidi. Fortaſſe & in ſapientiſſimorum ſcripta,in quibus eadem hæc affirmant,ſimile ſimili neceſſariò ſemper amicum eſſe.Atq; hæc eſt eorum ſententia, qui de natura & uniuerſo tractarunt. Vera dicis.Nunquid bene dicunt? Fortè. Et hoc fortè ex parte uerum eſt,fortè etiam ex toto:ſed nos nondum intelligimus. Videtur enim nobis prauus prauo,quo propius adhæret,& frequentius cum eo uerſatur, eo magis inimicus fieri. Nam iniuriam infert: fieri uero nequit, ut qui infert, & qui accipit iniuriam, amici ſint.nónne ita? Sic prorſus.Hac ratione media pars illius ſententiæ falſa erit. ſiquidem praui ſimiles ſunt. Certe. Verum mihi uidentur bonos dicere ſimiles eſſe inuicem, & amicos:improbos autem,ut ſæpe de illis dicitur,nunquam uel ſibijpſis,uel inuicem ſimiles eſſe,ſed ſtolidos penitus & inſtabiles. Qui uero ſecum ipſe diſſentit,nullo modo cum alio conſentiet,nec ulli amicus eſſe poterit.Nónne tu idem exiſtimas? Profecto.Id ergo, ut mea fert opinio,ſignificant ô amice,qui ſimile ſimili amicum eſſe dicunt, quod ſolus bonus ſoli bono amicus,malus autem nec bono nec malo unquam reuera amicus efficitur.Conſentis? Aſſentior. Habemus iam qui ſint amici. Nam ratio dictat eos qui boni ſunt,amicos exiſtere. Cõſtat. Idem ego arbitror.Sed eſt quod me perturbat.Et uide quæ ſo quid ſuſpicer.Similis ſimili qua ratione ſimilis,amicus,& talis tali utilis eſt. Imò ſic etiam conſideremus. Simile quodcunq; cuiuis ſimili quod emolumentum aut detrimentum inferre poteſt,quod nõ ipſummet ſibijpſi inferat? Aut quid pati ex illo, quod non ex ſeipſo ſimiliter pati queat? Hæc itaq; cum talia ſint ut nihil ſe inuicem iuuent, quo pacto ab ſe inuicem expetuntur? Nullo modo.Quod non expetit,quo modo amicũ? Nullo.An forſitan ſimilis ſimili quantum ſimilis,non amicus? bonus autem bono, quantum bonus,nõ quantũ ſimilis,amicus exiſtit? Fortè.Quid uero, nõne bonus quatenus bonus eſt, eatenus ſibijpſi ſufficiens? Ita.Sibijpſi ſufficiens,in eo quod ſufficit ſibi nullo penitus indiget.Quid prohibet? Qui nullo eget,nihil expetit.Nihil ſanè.Si non expetit, nec amat.Non.Qui non amat,non eſt amicus. Non uidetur. Quomodo igitur boni bonis amici erunt,qui nec abſentes mutuo deſiderant ſeſe ut qui ſeorſim utercq; ſufficiat ſibi, nec præſentes alter alterius opera quicquam eget? Tales uiri quanam ratione ſe inuicem magni facere poſſunt? Nulla. Amici nunquam erunt,qui ſe inuicem non multi faciunt.Nunquam. Conſidera iam ô Lyſis, quò delapſi ſimus, & nunquid omnino decepti fuerimus.Quo pacto? Audiui iam olim ab aliquo,(equidem memini adhuc) quod ſimili ſimile aduerſum,& boni bonis inimiciſſimi ſint.Qui & Heſiodi teſtimonio utebatur,

Amicos ductu Dei fieri

Simile ſimili amicum

Definitio quædam amicorum Confutatio

Sentẽtia Hesiodi, nõ similia, sed dissimilia amica uideri

dicentis figulum inuidere figulo, cantorem quoq; cantori, & mendicũ mendico. Et in aliis similiter necessariũ ille putabat, similia inter se inuidia, æmulatione, cõtentione abundare, amicitia uero dissimilia. Inopem porrò diuiti amicum necessitate fieri, & imbecillũ auxilij gratia forti, & medico similiter ægrotantem. Ignorantem quoq; peritum desiderare atq; diligere. Addebat præterea maiora quædam, tantum abesse amicum ut simile simili sit, ut contrà, contrarium maxime, maxime cõtrario sit amicissimũ. Vnum quodq; enim appetere non simile, sed contrarium: ut aridum appetere humidum, frigidum uero calidum, amarum dulce, acutum obtusum, uacuum repletionem, plenum uacuitatem, cæteraq; similiter. Contrarium enim cõtrario alimentum præbere: simile autem simili minime frui. Enimuero qui talia docuit, facundus & elegans quidam uir esse uisus est. Bene enim dixit. Vobis autem quid uidetur? Probe, ut prima fronte apparet. Dicimus itaq; cõtrario contrarium amicissimum esse? Vtiq;. Sit ita ô Menexene. Sed quæso, nónne alienum hoc & extraneum? Confestim in nos ultro insurgent sapientes isti, qui refellendi facundia pollent, & à nobis quærent, an nõ sint maxime contraria, odiũ & amicitia. Quid istis potissimum respondebimus? Nónne respondere cogemur eos uera dicere? Cogemur. Nunquid dicent inimicum amico amicum? Vel amicum inimico amicum? Neutrum. Num & iustum iniusto, uel temperatum intemperato? aut malo bonum? Non mihi uidetur. Atqui si secundum contrarietatem amicum est alicui aliquid, amica hæc esse oportet. Oportet sane. Quare nec simili simile, neq; contrario contrarium est amicum? Non uidetur. Age & hoc aduertamus, ne nos magis etiam hoc fallat, quòd amicum reuera nihil ex his quæ diximus sit, sed quod neq; bonũ neq; malum, amicum quandoq; boni efficiatur. Quid ais? Ignoro & ipse per louem. Vacillo enim ob sermonis ambiguitatem. Et uidetur, ut uetus habet prouerbium, pulchrum ipsum amicũ esse. Apparet enim molle quiddam, lene, ac pingue, ideoq; in nos facile forte illabitur, serpit & penetrat quasi lubricum quiddam atq; lene. Dico enim ipsum bonum pulchrum esse. Nunquid & tu? Et ego. Equidem diuinans tibi id profero, boni & pulchri amicum esse, quod neq; bonũ est neq; malum. Quorsum hæc uaticinor, audi. Videntur mihi tria quædam genera esse. Vnum bonũ, alterum malũ: postremũ, quod neq; bonum est, neq; malũ. tibi autem? Mihi quoq;. Nec bonum bono, nec malum malo, nec bonum malo amicum esse, quemadmodum ratio superior perhibet. Restat si quid alicui est amicũ, ut quod nec bonũ neq; malũ est, amicũ sit aut bono, aut tali alicui quale ipsum est. Nihil enim malo amicum est. Certe. Nec tamen simile simili, ut paulo ante mõstrauimus. Profecto. Nõ igitur erit illi quod nec bonum est, nec malum, amicum id quod id ipsum tale est. Non uidetur. Solum itaq; quod nec bonum, neq; malum, soli bono amicum fieri potest. Necessario sequi uidetur. Nunquid recte à nobis ô pueri id modo expositum est? Si ergo sanum corpus considere mus, medicinæ arte non indiget, nec auxilio prorsus ullo. sufficienter enim se habet. Vnde sanus nemo per ipsam sanitatẽ medico est amicus. Nemo. Sed ægrotans ut puto per ipsum morbũ. Quid ni? Morbus quidem malum, medicinæ uero peritia bonũ quoddam & utile. Sic est. Corpus ex eo quod corpus, nec bonum est, nec malum. Verum. Cogitur autem corpus ex morbo quærere & amare medelam. Apparet. Sequitur, quod nec bonũ est, neq; malum, boni amicum propter mali præsentiam fieri. Videtur. Constat autem id fieri, prius quàm illud ob mali præsentiam malum efficiatur. Neque enim malum effectum est loco boni quod appetit, cuius ue amicum est. Impossibile nanq; esse ostendimus, ut malum bono amicum sit. Impossibile proculdubio. Animaduerte quæso quod dico. Nonnulla quippe assero talia fieri, quale id quod illis adest: nonnulla minime: perinde ac si quis uellet colore quodam aliquid intingere, adesset quodã modo infectio colorato. Adesset. Nónne tunc quoq; tale coloratum est, quale ipsum esse solet? Haud intelligo. Sic fortè intelliges. si quis comas tuas quæ flauæ sunt, cerussa fucauerit, utrũ albæ fient? an potius uidebuntur? Videbũtur. Veruntamen albedo illis aderit. Aderit. Nihilo magis tamen albæ adhuc erunt, & præsente candore neque candidæ erunt, neq; nigræ. Vera loqueris. Sed quando senectute canescunt, tunc ô amice tales fiunt, quale id quod aduenit, cani coloris præsentia canæ. Quid ni? Hoc illud est quod quæsiueram, nunquid omne cui tale aliquid adest, confestim tale & ipsum euadat: an potius si certo modo adest, tale fiat, aliter minime. Hoc modo potius. Eadem ratione quod nec bonum

Prouerbiũ Pulchrum amicum esse

Proprietates pulchri

Tria genera, bonum, malum, neutrum

Alia diffinitio amicorũ

est

eſt,nec malum, quandoq; præſente malo, nondum eſt malum, eſt autem, quum iam tale euaſit. Omnino. Quando nondum malum eſt præſente malo, præſentia hæc bonum appetere cogit: præſentia uero quæ malum reddit, & appetitum boni, & amicitiam reiícit. neq; enim ulterius neutrum eſt, ſed malum. Amicum uero malum bono, & bonum malo eſſe non poteſt. Non certe. Ob hanc utiq; cauſam his qui iam ſapientes ſunt, tutius haud amplius eſſe philoſophandum, ſiue dij, ſiue homines hi ſint: nec eos etiã qui adeò corrupti ignorantia ſunt, ut improbi ſint effecti. nemini quippe malo, & penitus ignoranti philoſophandum. Reſtant igitur illi quibus malum id, ignorantia ſcilicet adeſt, nec tamen rudes penitus ignorantesq; ſunt, imò & ſuam ignorantiam agnoſcunt, ob quam animaduerſionem philoſophantur, id eſt ſapientiam amant, nondum boni aut mali. Mali enim nequaquam philoſophantur, nec boni etiam. Nam nec contrarium cõtrario, neque ſimili ſimile ſupra nobis amicum apparuit. Recordamini? Recordamur ſanè. Omnino ô Lyſis, atq; Menexene, quid amicum ſit, & quid non, inuenimus. Id enim tam circa animam, quàm circa corpus ſuprà concluſimus: quod nec bonum eſt, nec malum, propter ipſam mali præſentiam, boni amicum fieri. Hæc omnia conceſſerunt. Et ego ualde lætatus ſum, tanquam uenator, qui id quod uenando inueſtigabam, ex ſententia fuerim conſequutus. Deinde neſcio quomodo extranea quædam & abſurda ſuſpicio mihi ſuborta eſt, quaſi minus uera eſſent, quæ ſupra conceſſeramus. Atq; ilicò turbatus inquam, Papæ ô Lyſis atq; Menexene, ſomnium quoddam nacti uidemur. Quorſum hæc? Vereor ne in hos de amico ſermones falſos, tanquam in homines ſuperbos atq; uanos inciderimus. Qua ratione? Hac planè. Vtrum enim amicus alicuius amicus eſt, an non? Neceſſario. Vtrum nullius gratia & propter nihil, an gratia alicuius, & propter aliquid? Certe alicuius cauſa, & propter aliquid. Nunquid amica eſt res illa, cuius gratia amicus, alicuius eſt amicus? An fortè nec amica, nec etiam inimica? Haud ſatis intelligo. Veriſimile eſt. uerum ſic & tu & ipſe, ut arbitror, melius intelligemus. Ægrotantem medici amicum eſſe diximus? Diximus. Nonne propter morbum, & ſanitatis gratia medici eſt amicus? Ita. Morbus malum? Quid ni? Sanitas bonum, an malum, an neutrum? Bonum. Prædiximus corpus, cum nec bonum ſit, nec malum, propter morbum malum medicinę amicum eſſe, bonum uero medicinam. cauſa uero ſanitatis amicitiam medicina nanciſcitur, ſanitas autem bonum. Prorſus. Amicum ne, an non amicum ſanitas? Amicum. Morbus inimicũ? Penitus. Quod ergo nec bonũ eſt nec malum, propter malum inimicũq; boni amicum eſt, boni amiciq; gratia. Patet. Ergo amici cauſa amicum propter inimicum eſt amicum. Opinor. Agite pueri, poſtquã huc diſputando deuenimus, attendamus obſecro diligenter, ne fortè decipiamur. Principio quod amicũ amici amicum factum eſt, ſimile uidelicet ſimilis, quod impoſſibile eſſe in ſuperioribus cõſtitit, equidem prætermitto. Sed iſtud inſuper conſideremus, ne nos præſens opinio fallat. Medicinã ſanitatis gratia amicum eſſe diximus: Affirmauimus. Sanitas igitur amicum? Valde. Si amicum, alicuius gratia eſt amicum. Eſt. Amici ſcilicet, ſi ſuprà conceſſa permanent. Et amici. Nunquid & illud iterum amici cauſa amicum erit? Certe. Neceſſarium eſt, ut hoc progreſſu ad principium quoddam perueniamus, quod non ultra in amicum aliud referatur, ſed in id quod primum amicum eſt, cuiusq; gratia cætera omnia quæ ſic dicũtur, ſint amica. Neceſſarium. Hoc eſt quod modo dicebam conſiderandum, ne reliqua omnia quæ amica gratia illius prædiximus, tanquam ſimulacra quædam eius nos decipiant, illud autẽ primum reuera ſit amicum. Conſideremus igitur hoc pacto. Quod quiſq; multifacit, utputa pater filium, rebus alijs omnibus anteponit: taliſq; uir ex eo quod filium multifacit, alia quoq; nonnulla ob illum multifacit. Exempli cauſa, ſi illum cicutam ebibiſſe ſenſerit, unum plurimifaciet, ſiquidem hoc uenena ſe curaturum ſperet. Et maxime quidem. Nunquid & amphoram in qua uinum? Valde. Num pluris æſtimat tunc calicem fictilem, aut tres cyathos quàm filium? an contrà potius ſe res habet? Vt omne hoc ſtudium non iſta reſpiciat, quæ alterius gratia parantur: ſed in illud tendat, cuius cauſa cætera quęruntur. Neque uerum eſt quod ſæpe dicimus, quod argentum & aurum multifacimus. Omnis quippe intentio æſtimatioq; eius ſolius eſt, ad quod iſta parantur. Conſtat. Eadem quoq; de amico ratio eſt. Quæcunq; enim amici cuiuſdã gratia, amica nobis eſſe diximus, improprio uocabulo nominauimus. Amicum autem reuera illud eſſe apparet, in

Neutrum quod eſt, propter mali ſenſũ, amicum bono fit, gratia boni

Amicũ, nullius amici gratia est amicum

quod hæ omnes quæ uocantur amicitiæ, tendunt. Sic uidetur. Quapropter reuera amicum, nullius amici gratia est amicum. Verum. Hoc igitur reiectum est, amicum amici cuiusdam causa esse amicum. Sed nónne bonum amicum est? Sic opinor. Num propter malum bonum amatur? & ita se res habet? Si ex tribus quæ diximus, bonum, malum, neutrum, duo accipiantur, malum uero abeat, & nihil attingat, nec corpus nec animam, nec aliud quicquam ex his quæ diximus secundum seipsa nec bona esse, nec mala, nunquid inutile penitus tunc nobis bonũ esset? Si enim nihil nos ulterius læderet, nullo boni fauore indigeremus. Atque ita iam manifestum fieret, quod propter malum, bonum quæsiuerimus, amauerimusq́: quasi bonum sit mali remedium, malum uero morbus: & cum nullus sit morbus, nulla medela indigeamus. An sic natura institutum est ipsum bonum, ut propter malum ametur à nobis, qui inter bonum malumq́ medij sumus? ipsum uero suapte natura nil conferat? Ita uidetur. Amicum itaq́ illud, in quod desinebant cætera omnia quæ alterius amici gratia amica dicta sunt, longe aliter quàm illa se habet. Illa enim amici gratia amica uocata sunt: ipsum autem quod reuera amicum est, contra amicum esse inimici causa nobis apparuit. quod si inimicum abesset, haud amplius nobis esset amicum. Non, ut mihi præsens ratio persuadet. Si malum extirparetur, utrum fames nulla, sitis'ue restaret, aut huiusmodi quicquã? an fortè fames aliqua relinqueretur, cum homines cæteraq́ animalia essent, neq́ noxia tamen? & sitis appetitusq́ reliqui, nec mali tamen, malo penitus extirpato? An ridicula forsitan quæstio est, quid tum euenturũ sit, aut non? Quis enim nouit? Sed tamen hoc nouimus, quod nunc quidem accidit esurientem lædi, accidit & iuuari. Vtique. Nónne sitientem quoq́, & alia huius generis qualiacunq́ cupientem, quandoq́ utiliter, quandoq́ noxie, quandoque neutro modo appetere accidit? Valde. Si mala perdantur, quæ mala non sunt, cum illis unà interimentur? Nequaquam. Erunt igitur appetitus nec boni nec mali, etiam si mala fuerint interempta. Verisimile. Fieri ne potest, ut qui desiderat aliquid, atq́ ardet, id ipsum non amet? Non, ut mihi uidetur. Hac de causa etiã destructis malis, ut uidetur, amica nonnulla restabũt. Ita. Sin autem malum causa esset ut alterum alterius esset amicũ, sublato malo nihil amicum esset: Nam sublata causa, euentus eius remanere non potest. Probe loqueris. Nónne supra inter nos conuenit, amicum amare aliquid, & propter aliquid? ac propter malum, id quod nec malum est, nec bonum, ipsum bonum amare? Conuenit. In præsentia autem alia quædam causa uicissim amandi apparet. Videtur. Nunquid ut modo dicebamus, desideriũ amicitiæ causa est? & id quod desiderat, desiderati est amicum tunc quando desiderat? Quod uero suprà diximus, amicum esse, nugæ quædam sunt, uelut poema longum compositum? Apparet. Enimuero quod appetit, illud quo indiget, appetit. Idipsum. Indigum itaq́, amicum est illius quo indiget. Sic opinor. Eget quodlibet eo quo est priuatum. Quid prohibet? Eius igitur quod proprium & cognatum est, ut uidetur, amor, amicitia, appetitioq́ existit ô Menexene atq́ Lysis. Cõcedimus. Quare & uos si amici estis inuicem, natura quodammodo propinqui estis. Et maxime quidem. Et quisquis alius desiderat alium ô pueri, aut amat, ob id desiderat, & diligit atque amat, quod propinquus illi est uel secundum animam, uel animæ consuetudinem, aut mores, aut speciem. alioquin nunquam diligeret. Consensit planè Menexenus, Lysis tacuit. Sed ego, quod inquam, natura proprium est, necessarium est ut amemus. Videtur. Ergo necessarium est ut legitimus, & minime simulans amator, uicissim ab amatis ametur. His Lysis atq́ Menexenus uix tandem annuerunt. Hippothales autem lætitia gestiens, uultu & colore uario fuit. Cæterum uolens diligentius sermonem discutere, hæc adieci. Si proprium, & simile differunt, diximus iam ô Lysis atq́ Menexene, quid est amicum: sin autem idem est simile atq́ proprium, haud facile est sermonem superiorem reijcere, quod non simile simili secundum similitudinem inutile. inutile autem, amicum nullo pacto. Vultis igitur postquam differendo uelut ebrij facti sumus, fateamur aliud quiddam esse proprium, aliud simile? Volumus proculdubio. Vtrum bonum cuiq́ proprium ponemus, malum autem alienum? An malum malo proprium, & bono bonum, neutro denique neutrum? Singula hæc singulis propria nobis esse uidentur. Rursus ô pueri in eos quos à principio de amicitia redarguimus, sermones nunc incidimus. Nam iniustus iniusto, malo malus non minus amicus erit quàm bonus bono. Ita uidetur. Quid porrò

An desiderium amicitiæ causa sit

si bonum

si bonum, & proprium idem esse dixerimus, nónne bonus bono duntaxat amicus? Omnino. At istud quoq; confutatum à nobis iamdudum existimauimus. Recordamini? Optime. Quo igitur sermone deinceps utamur? ad nihil uidelicet. Operæprecium itaq; est instar sapientum in iudicijs quæ dicta sunt, enumerando resumere. Si enim nec amantes, neq; amati, nec similes, neq; dissimiles, nec boni, nec proprij, nec alia quotcunq; dinumerauimus, quorum propter multitudinẽ haud memini, si inquam nihil ex istis amicum est nihil equidem quod asseram, amplius habeo. Cum ista dixissem, cogitaui quendam è maioribus natu mouere, sed illico tanquam dęmones quidam pædagogi tam Lysidis quàm Menexeni, unà cum fratribus illorum, domum eos redire iusserunt. Hesperus enim uenerat. Primum itaque nos, & alij circumstantes pædagogos repulimus. Sed cum nihil nos curarẽt, & barbare quædam ingerentes grauiter ferrent, simulq; pueros uocarent, illorum procacitate uicti, cœtum dissoluimus. Videbantur enim nobis quia festo succubuissent nihil habere, quod in medium afferrent. Postea iam abeuntibus illis, ad Menexenum Lysidemq; conuersus, hęc breuiter intuli. In pręsentia ridiculi ineptiq; euasisse uidemur, tam ipse grandis natu, quàm uos pueri. Siquidem isti abeũtes nos carpent, quod amicos inuicem nos esse putemus (ego enim me uobis annumero) cum nõdum quid amicus sit, inuenire potuerimus.

EPITOME MARSILII FICINI FLORENTINI IN THEAETETVM PLATONIS, VEL DE SCIENTIA

ad Petrum Medicem patriæ patrem.

DIALOGVS *de scientia Petre Medices insurgit altius, & dignas miro ingenij tui acumine quæstiones mouet, quarum capita, solutionesq; in hoc compendio summatim animaduertes. Vbi quid scientia non sit, quid sit, & unde, & quomodo, disputatum reperies. Socrates quidem quid scientia sit, interrogat. Theætetus autem respondet scientiam esse geometriã, arithmeticam, cæterasq; huius generis disciplinas, & artes singulas. Hanc Socrates responsionem tanquam interrogationi minus congruã respuit. Quia cum interrogaretur quid sciẽtia sit, non quid, sed quot scientiæ sunt, enumerat, & cuius scientiæ sunt, expo* Definitio per
nit. Qui enim arithmeticam dicit, non scientiam ipsam, sed numerandi scientiam: & qui geometriam, metiendi sci enumeratio-
entiam dicit: Deinde ridicula responsio est, cum per ignota reddatur. Nemo enim potest quid hæc sciẽtia numero nes uitiosa
rum uel figurarũ sit, nosse, nisi quid est scientia, nouerit. Præterea superflua responsio est. Nam cum posset paucis complecti ipsius scientiæ rationem, dinumerãdis singulis infinitũ iter ingreditur. Affert posthæc Protagoræ defi
nitionem, scientiam sensum esse dicentis. Hominem quippe Protagoras rerum omnium mensuram esse censet, exi- Scientia an
stentium quidem ut sunt, non existentium autem, ut non sunt, & quælibet cuique talia esse, qualia cuiq; uidentur. sensus
Quales enim res quæq; sunt, tales sentiri. Quales sentiũtur, tales phantasiæ, id est sensui interiori uideri. Quo effici uult, ut sensus scientia sit. In hoc sanè Thales Milesius, Homerus, Epicharmus, Empedocles, Heraclitus, Protagoras consenserunt. Nam cum inquit Thales aquam omnium esse principium, & Homerus patrem omniũ Oceanum, matrem Tethydem esse, omnia ostendunt in fluxu uersari, Hos reliqui quos memorauimus, imitati, nihil esse unquam, sed fieri semper unum quodq; dixerũt. Vnde nihil in se absolute tale potius esse quàm tale, sed per motũ, mixtionẽ, relationemq; unius ad aliud, huic quidem tale, illi tale, & fieri, & uideri. Quod omnia in motu sint, ex eo constare putant, quod à motu omnia fiant: quod autem à motu omnia, ex eo conijciũt, quod à quo quidq; fit, per illud & conseruatur. Sed tam illa quæ ad animã, quàm quæ ad corpus pertinent motu & exercitatione seruãtur, ocio torporeq; pereunt. A motu igitur omnia. Præterea quandiu cœlorum sphæræ mouentur, miscentur quatuor elementa. Quatenus ista miscentur, eatenus inferiora gignuntur: quæ postquã genita sunt, exercitatione seruãtur. hæc igitur omnia motus efficit. Addunt quod ex calore generatio, calor ex motu solis uel collisione corporũ prouenit. Quod autem nihil secundum seipsum unum aliquid sit, sic exemplo inducunt: albedo, & quisq; color, nec oculorum aspectus est, neque corporum motus, sed ex aspectu motuq; medium quiddam resultat, id est talis circa oculos passio. Et ex diuersa aspicientis dispositione uarioq; intuendi modo, colores uarij, & aliâs alij, & uidentur, & fiunt. Præterea radiorum motus uarius corpora pulsans, oculosq; feriens, diuersas & omniformes imagines offert. Quinetiam sæpe diuersis hominibus animalibusq; circa idem diuersus color apparet & est: sæpe quoq; idem, & circa idem, quanquam non eodem, sed alio tempore, ob naturæ ipsius mutationem. Opinatur igitur quicquid est, esse motum. Motus autem species duas, unam in agendo, in patiendo alteram. horum motuũ commixtione, omnia ut ipsi aiunt, conficiũtur. Euentus specie gemini, numero infiniti sunt, sensibile uidelicet, atq; sensus, qui cũ sensibili fit semper atq; congreditur. Quotiens enim sentiendi uis aliqua, & aliquid illi consonum una

cohærent

cohærent,eorũ concursu duo quædam proueniunt:circa id quod obiectum est, species sentienda,color,sapor,odor, cæteraq; huiusmodi:circa uim animæ,sensus. Quibus disiunctis,ista non fiunt.quo fit,ut ex ijs quæ quinq; sensibus offeruntur,nihil tale suapte natura uel tale sit.sed cum sensu congrediens aliâs aliud fiat. Nihil enim agens uel patiens secundum seipsum est,sed in alterno congressu utrunq;. Quare nihil seipso unũ aliquid est,sed ad aliud & alicui semper fit,nec est unquam,uerum fit,fluitq; semper. Hæc autem ex eo redarguit Socrates,quod ebrij,& hi qui Phrenesim patiuntur,& insani & dormientes cum somniant,necnon qui sensus alio quodã morbo corruptos habent,uera sentire se,& cogitare affirmant,cum omnia tamen illorum uisa falsa esse dicamus. Quo efficitur, ut non omnia quæ uidentur, uera sint. In eandem dubitationem cadunt, quæcunque uigilantes sobrijq; sentire dicimur. Nam æquum ferme tempus somno, & uigiliæ uicissim damus. Idcirco dubium est, utrum hæc an illa potius somnia falsaq; sint. Qui uero apparẽtia omnia uera esse opinanti uolunt,sic utiq; responderent, quod uariæ agentium patientiumue affectiones diuersa producunt: & obiecta quæ sentiuntur,agunt secundum patiẽtis sensus affectionem. Hæc in uigilante,& dormiente,ægrotante,& beneualente alia est. Quapropter & alia iudicia fiunt,omnia tamen uera: quia omnia cuiq; talia sunt,qualia iudicantur. Meminisse enim oportet quod supra dictum, nil sui natura absolute unũ aliquid esse,sed ad alterũ,& alteri,& alterius esse,quicquid aliquid est. Immo fieri quicquid fit aliquid,esse uero nihil. Hæc itaq; sibi inuicem consonant:secundum Homerum & Heraclitum, omnia fluere:secundum Protagoram rerum omnium mensuram esse hominem:secundum Theætetum,scientiam esse sensum. Aduersus eos ita Socrates argumentatur. Si sensus scientia est,bruta quæ magis quàm homo sensibus ualent,scientia præstabunt. Item si uere sunt quæcũq; uidentur,cuiuslibet hominis cogitationes æque rectæ sunt,nec ullus alio sapientior,nec homine deus. Accedit ad hæc quod inanis esset docendi,disputandi,redarguendi facultas,cum nihil discere oporteat eos,qui uere de singulis iudicant, neq; inquirenda sint quæ quisq; possidet,neq; redarguendũ aliquid sit:quandoquidem cogitationes quælibet ueræ sunt. Præterea si idem est sentire ac scire,ut uidere atq; audire,cum primum literas inspiciunt pueri nondum eruditi,uident eas,sciunt igitur:aut si nescire dicantur, dicantur etiam non uidere. Et cum primum barbaros sua pronunciantes audimus,nondum illius linguæ periti, sicut audire sic et scire quæ proferũt affirmabimus. quod si quis intelligere neget,neget similiter & audire. Respõdebit ad ultimum hoc Protagoras.quod uidemus audimus ue,scire:quod ignoramus,nec sentire quidem. Vt in literis figuram,situs partium,& colorem pueri uident,& uidentes sciunt. Voces barbaras audientes,mox acutũ, & graue ut audiunt ita sciunt: literarum uero uocumq; significata cum non sentiant,prorsus ignorant. Contrà illum sic infertur. Ex hoc ô Protagora sequitur,ut cum significata sciunt,alio quodam quàm sensu sciant. Scientia itaq; aliud quiddam est quàm sensus. Item si uidere scire est,non uidere nescire erit. Quod autẽ quis uidit didicitq; & meminit,scit. Sæpe uero id non uidet,ergo & nescit,quapropter idem simul & scit & nescit. Præterea si uno oculo aliquid uideas,alio clauso nihil cernas,illud uides pariter & non uides. Quare litigiosus quispiam dixerit: Si uidere scire est,& non uidere nescire:idem scis simul & nescis. Adde quod cum quid eminus & confuse prospicis,uides quidem,nescis tamen,cum dubites. Non igitur scientia sensus est. Responderet fortè Protagoras,primo quidẽ de memoria & scientia distinguendo. Nam cum primum sentiendo quis patitur,memoriter tenere incipit,deinde etiam non patiendo meminit,cum iterum idem sentit patiturq;,reminiscitur. in primo quidem scit actu non habitu,in secundo,habitu non actu,in tertio,& actu simul & habitu: quare interdum & scit et nescit. Neq; tamẽ hæc contraria. Nam non eodem modo quo scit ignorat. Ergo cum non uidet,meminit tamẽ,scit habitu,actu nescit. Hæc uero contraria non sunt. Et cum à Socrate dicitur alius alio sapientior, respondet Protagoras non ex eo sapientes quosdã,insipientes alios esse uocandos,quòd alij uera,alij falsa opinentur, Nam opinari unũquenq; illa quæ quisq; patitur,pati ea à quibus mouetur,moueri ab his quæ agunt,agere illa quæ sunt,quæ sunt uera esse. Ex quo oẽs opinari uera concludit, nõ tamen omnes bona atque decora. Sapiẽtes asserit eos,qui bene affecti quæcunq; offerũtur ut bona suscipiunt,bonaq; sibi putant,& ut putant,sunt. Insipientes illos,qui male affecti,mala iudicant,& mala sibi sunt quæ iudicant. Contra id quod dicitur,omnes uera opinari,sic Socrates. Accidit in omni uita & singulis facultatibus,ut existimemus in quibusdam nosmetipsos uere iudicare,in nonnullis alios. quisque enim facultatem aliquam profitetur, alteri in aliena arte concedit. Aut existimatio hæc uera, aut falsa est. Vtrinq; sequitur, non omnes homines uere putare. Nam si uera existimatio illa,uerum erit quod quidã in multis uere iudicat in quibus nos falso opinamur, Non omnes igitur uera opinantur. Sin falsa,ergo in hoc saltem sæpe decipimur,quare nõ omnis opinio uera. Quinetiam sæpe contingit,ut quæ unus ut uera cogitat,ab omnium aliorũ opinione abhorreant. illa igitur illi uera,falsa alijs uidebũtur. Erunt igitur falsa,tamen plus quàm uera,quo plures sunt quibus falsa quàm quibus uera putantur. Non ergo mensura rerum ille, sed alij. Quare nõ omnes mensura rerũ omniũ sunt. Item Protagoræ sentẽtia, quod omnis opinio uera sit,Paradoxon est,& præter omniũ fermè sententiã,ex quo omnc penè genus hominũ falsam eius opinionẽ censet: quod si uera est omnis opinio,uerũ & hoc uniuersale iudiciũ. ergo ut falsa putatur,ita & est Protagoræ ipsius positio,qua dicitur omnẽ opinionẽ esse uerã. Nam seipsam, ita dicẽdo,falsam esse cõcedit. Et si dixerit falso putare illos qui ab eius dictis abhorrẽt,hinc quoq; idẽ sequitur,

Socratis confutatio prædictorum

Responsio Protagoræ ad Socratem

Altera Socratis confutatio

Protagoræ altera respõsio

Contra Protagoram

Responsio Protagoræ

non

non omnem ſcilicet opinionẽ eſſe ueram. Præterea qui ignorat,menſura eius quod ignorat eſſe nequit. Qui dubitat,ignorat:omnes homines dubitãt,multa ergo ignorant. Non omnes itaq; omniũ menſura ſunt. Cumq; dicit,qualia cuiq; ſingula uidentur,talia ſunt,aberrat. Quæ nanq; medicinæ artis ignaris ſalubria corpori noxiáue uidentur,nõ ſemper talia ſunt,ſæpe illos opinio fallit:& quæ utilia uel noxia in reipublicæ adminiſtratiõe ciues delibe rando decernunt,non ſemper reip. talia ſunt. Obſunt enim multa,quæ profutura ſperabant:& quæ nocitura,proſunt. Quod ſi ipſum ſalubre,& utile non ſola opinione hominũq; cõſuetudine conſtant,ſed aliquam ſuapte natura ſubſtantiam habent,multo magis honeſtiũ ipſum atq; bonum,quippe utilium principiũ eſt,& finis. Quapropter nec in his quæ ad corporis curam,nec in illis quæ ad animam & reipub. gubernationem ſpectant, qualia cuiq; ſingula uidentur,talia ſunt. Etenim ſi quæcũq; uidentur,talia eſſent,quotiẽs quis futura prædiceret,uere nimirũ præſagiret. quod quidem falſum eſt: Raro enim futura talia ueniunt,qualia cogitantur. Etſi quis de futuris iudicat, nõ quiuis id agit,ſed artifex de his quæ ad eius artem ſpectant. Vt futuram febrem medicus potius quàm muſicus,futuram conſonantiam muſicus melius quàm medicus præuidet. His deniq; confutatis occaſionem ſumens Socrates à libertate uel ſeruitute loquendi, de libertate philoſophantium, & ſeruitute ciuilium ac rhetorũ diſputat, qualis ſit utrorumq; uita: quod philoſophi finis eſt, ab humanis malis ad ſuperna bona conſcendere: de præmijs eorũ qui cœleſtia petunt, pœnis eorum qui terrenis inhiant. Qua digreſsione peracta ad propoſitam quæſtionem reuertitur. Eius fundamentum erat Heracliti ſententia quod omnia moueãtur. Cuius contrariũ Parmenides,& Meliſſus,& Eleates Zeno ſenſerũt. Omne enim unum & immobile poſuere, Quorum dogma Plato in libro De uno rerũ omnium principio,quem traduximus,exponit & approbat. Contra uero Heraclitũ & Protagoram à motus diuiſione diſſerere incipit. Motus duo ſunt genera. Vnus ſecundũ locum motus,ſecundũ rei naturam alter. Latio illa alteratio hæc dicitur. Lationis ſpecies duæ,tranſitus circulatio. Quia uel de loco ad locum fit tranſitus, uel circa locum unum eundemq; circuitus. Motus uero in ipſa rei motæ natura,aut ſecundum ſubſtantiam,aut circa quantitatem uel qualitatem efficitur. Si ſecundum ſubſtantiam ad ipſum eſſe quid mouetur,generatio: ſi ad non eſſe,corruptio. Secundum quantitatẽ ad maius,incrementũ: ad minus,decrementum dicitur. Motus qui de qualitate in qualitatem,affectio nominatur. Sortitur deinde uaria ex uarijs qualitatibus nomina. Nam qui ad calorẽ calefactio: ad frigus,frigefactio,ad colorem,coloratio,ſimiliterq; de cæteris. Diſtinctione præmiſſa quærit Socrates, ſi mouentur omnia,utrum duobus illis motus generibus ſingula,aut uno quodam multa,duobus alia moueãtur. Si uno quodam multa,ſequitur non magis illa moueri quàm ſtare. Nam ſi modo quodam mouentur,quodãmodo et quieſcũt. Opinio uero illorũ nõ id uult,ſed omnia omnino ſine ullo ſtatu moueri. quo fit ut omnibus motibus agitentur. Ergo dũ res è loco ad locũ ferũtur,ex affectione interim in affectionem iugiter tranſeũt,ut ex calore in frigus,albedine in nigredinem,uel contrà. Quæritur utrum ſub una quadam harum forma aliquantulũ maneãt nec ne, Si manent,ſequitur ut non omnis ſtatus ſit expulſus. Si non permanent,dum quid calidum aut album pronunciatur,deſinit calidum eſſe uel album. Immo prius quàm pronunciatio incepta deſinat,deſinit eſſe forma. Vndè nihil unquam uere pronũciatur aut percipitur: nec magis calidum illud quàm non calidum,album quàm nõ album eſt prædicandum,cum in nullo conſiſtat,& ſit & non ſit pariter dum profertur. Quam ob cauſam rerum formæ nobis ignotæ ſunt. Idem de ſenſu dicendum. Nam nec uiſus in uiſione,nec in audiẽdo àuditus momentũ permanet. Quocirca nõ magis uidere aut audire,quàm non uidere,& non audire contingit,etiam dum uidere & audire nos profitemur. Ex quo ſequitur,ut ſublatis ſenſibus ſublata ſit & ſenſuum ueritas: qua ſublata,nullo modo dicendum ſenſuũ ſcientiam eſſe. Addit & aliam rationẽ,ad cuius intelligentiam aduertendũ eſt. quod Plato nullã corpori cognitionem tribuit,quemadmodũ nullã uitã. Quod uiuit,id ſentit: uiuit anima,& anima ſentit. In corpore autem nec uita nec ſenſus,ſed uitæ ſenſusq; opera declarantur. Ideo quos ſenſus quinq; alij uocant,ipſe organa quinq; ſenſus appellari uult,nihilq; his inſtrumentis ſentire,ſed per hos quaſi meatus ab una quadam animæ ui ſentiri ſingula putat, quẽ ſenſum communem uocat, in quem undiq; è ſingulis corporis organis,ut ad centrum circuli è circũferentia lineæ uariæ paſsiones influunt. colores quidẽ per oculos, per aures ſoni, per nares odores,ſaporesq; per linguã,deniq; per totum corpus calor,frigus,humidum,ſiccum,graue,leue,molle,durum,leue,aſperũ,rarũ,denſum,acutũ ſimiliter,& obtuſum. Quod anima iſta non multis,ſed una ui ſentiat,patet: quia ſentiendo colorẽ,dicimus non eſſe uocem: & ſaporem ſentiendo, non eſſe odorem pronunciamus. Non poteſt aliud ab alio diſtinguere,qui non utrũq; cognoſcit. Nullum organum eadem quæ & aliud organum porrigit: & ſi eadem,non eodem modo. Idcirco eorũ quæ ſentiuntur diſtinctio,non in organis eſt,ſed in una quadã ui animæ percipiente ſingula,et ſingula ſimul à ſingulis diſtinguente. Quæ cum ipſa hæc omnia ſola poſsit,quod nec etiam Peripatetici negant, quid multis ſenſibus opus eſt? Hic ſenſus quem communem uocant,omnibus animalibus ſtatim natis ineſt. Præter quem eſt & alia uis,quam phantaſiam,opinionem cogitationemq; nominat. Cuius officium eſt, de his quæ communis ſenſus per organa quinq; ſenſit,iudicare non quale ſolum,ſed quid ſunt,quod eorum unumquodq; idem eſt ſecum,ab alio aliud,unum ſeorſum. iuncta uero ſimul duo uel tria,ſimilia item & diſsimilia,bona,uel mala,pulchra,turpia utilia,noxia,& ab uno in aliud ratiocinando percurrere,aliud applicare cum alio, & præterita & futura cum præſentibus

Plato approbat Parmenidem dicentẽ, omnia eſſe unum & immobile. Diſtinctio motionũ

Phantaſia, opinio, cogitatio eadem uis eſt ultra ſenſum cõmunem apud Platonẽ

præsentibus comparare. Itaq; hac ui essentiam, unitatem, numerum, idem, alterum, similitudinem, dissimilitudinem, pulchrum, turpe, bonum, malum, utile, inutile iudicamus. Quod equidem iudicium cum nõ statim natis adsit sed longo post tempore, nec omnibus animalibus, sed quibusdam, patet quod alia quadam ui præter communẽ sensum hæc percipimus. Hanc phantasiam perfectam, & opinionem nuncupat. Quæ tamẽ ipsa non sufficit. Nam hæc omnia proprio quodam, & particulari modo, certo sub tempore locoq;, & conditione iudicat. Scimus autẽ nos de ijsdem in genere, & uniuersali modo etiam iudicare, nõ quid nunc homo hic, uel ubi hoc utile, uerũ quid ipsa semper humanitas, quid passim utilitas ipsa sit. Ideoq; alia ui opus est, quæ uniuersales rationes rerũ generatim percipiens de una discurrat in aliam, discurrendoq; argumentetur. Quod quidem in nobis fieri dum syllogismos nectimus, nemo dubitat. Hanc rationem uel cogitationem dicimus uniuersalem: cum opinionem ipsam, particularem rationem cogitationemq; nuncupemus. Ad hanc deniq; mens accedit, quæ omnes rationes rerum non discursu, sed simplici stabiliq; intuitu percipit. nam supra motum ac tempus, status & æternitas esse debet. Motus quidem & tempus in ratione: in mente status est, & æternitas. Non enim aliud post aliud discit, sed simul omnia tenet. Supra mentem ipsa animæ unitas est summi boni character, qua non rerum rationibus ideisq;, sed primo rerum omnium principio, quod ipsum unũ est, iungitur. Cum omnes animæ uires quæ in cognitione uersantur enumeratæ sint, et scientia in cognitione consistat, in qua potissimum ui scientia sit, uidendum. Sensui quidem non conuenit, ut multis iam rationibus cõstitit, & hac præcipue, quia sensus ille communes essentias rerum nõ iudicat, sed passiones quasdam corporum solummodo percipit. Quisquis ignorat essentiam, ignorat & ueritatem. Qui ueritatis est expers à scientia nimiũ alienus. Non ergo in sensu scientia, ubi anima non per se sed corpus percipit, atq; ideo sæpe decipitur. Sed in phantasia forsitan, & opinione consistit, ubi essentias iam percipimus, & anima per seipsa sine corporis ministerio iudicat. Atq; hæc sentẽtia secũdo loco Theæteto placet, quod scientia sit opinio, non quælibet tamen, sed opinio uera: falsa autem opinio, ignorantia. Cum uero Theætetus opinionem in duo distinxisset, ueram, & falsam, quæsiuit ilico Socrates quomodo falsa opinio esse posset. Vnumq; supponit, quod quisquis opinatur, aut ea quæ nouit, aut quæ non nouit opinatur. Vnde in hunc modum ratiocinatur. Qui opinatur falsa, nunquã ex eo falsa opinatur, quod putet aliqua quæ nouit: alia quædam esse quæ etiam nouit. Nam qui utraq; nosci, aliud pro alio nunquam accipit. Neq; quæ non nouit, alia quædam quæ non nouit. Nihil enim de illis quis iudicat, quæ nunquam in cogitationem uenerunt. Neq; quod nouit, id quod nunquam nouit: aut contra quod nõ nouit, id quod nouit esse. Quis enim pro ignoto notum, uel pro noto ignotum accipiat? His igitur modis opinari falsa nullus posse uidetur. Fortè uero alio quodam pacto falsa homines opinantur, cum ea quæ non sunt, opinantur. Ex quo falsa opinio erit ea quæ non sunt opinari. Sed neq; id fieri potest. Quisquis enim uidet, unum aliquid uidet: qui unũ aliquid uidet, existens quoddam uidet: qui uero non existens uidet, uec unum aliquid. Qui non unũ aliquid, nihil: qui nihil uidet nec uidet quidem. Ergo aut non uidet, aut quod est uidet. Similiter de auditu ac cæteris sensibus affirmare possumus. Quamobrem cum opinio sensum sequatur, quicunq; opinatur, unum aliquid opinatur: qui unum aliquid opinatur, existens aliquid opinatur. ergo quod est opinatur. qui uero non existens, etiam nec unum aliquid. Si nõ unum aliquid, nihil igitur. Si nihil opinatur, nec opinatur quidem. Itaq; aut non opinatur omnino, aut quod est opinatur. Quapropter neq; hoc modo falsa aliquis opinabitur, quod quæ non sunt opinetur. Accedit modus alius quo commutatio fit, ita ut aliud pro alio accipiamus: ut pro pulchro turpe, & pro utili inutile. quod quidem Socrates ita refellit. Opinari, secũ ipso loqui est, dum nobiscummet interrogamus, respondemus, affirmamus atq; negamus Nec est locutio hæc intrinseca extrinseco sermone deterior. In extrinseco uero sermone nullus unquã dicit quod turpe est, esse pulchrũ: & quod homo, bouẽ esse: quod par, impar. aut huiusmodi aliquid. Quare multo minus cogitando asseret, horũ unũ aliud esse. Nam aut noscit utraq;, aut alterum solum, Si utraq;, nunquam utiq; commutaret. si alterum, neq; sic etiam. quod enim cognoscit, nunquam pro illo quod nondum in cogitationẽ uenit accipiret. quo fit ut nondũ inuentum esse uideatur, quomodo falsa opinio nobis insit. Vtitur hic Plato, et in Philebo, Sophista, atq; Menone, sex nominibus ad eandem uim animæ pertinentibus, ad sex illius officia significãda. Nam cũ post sensum communẽ anima eadem quæ & communis sensus apprehendit, opinante potentia percipit, prima ipsa perceptio, imaginatio dicitur. Vt apprehensa conseruat memoria. Vt iterum quæ seruauit, in seipsa resumit reminiscentia. Et cum resumendo de alio in aliud quasi quadam ratiocinatione discurrit, cogitatio. Postquã uero discursu peracto affirmatur aliquid uel negatur, opinio. At uero cum opinione percepta per sensum atq; memoriam anima cogitatione refingẽs ita in hæc respicit uelut in illa à quibus ista manarunt & quæ imagines sunt res ueras esse putat, picturam quandam, & phantasiam Plato nominat. Et cum cæream inducit effigiem, cerebri naturã nequaquam intelligit. Non enim dixit in corpore, sed in animo cæreã effigiem esse. Cum uero in incorporeo nihil sit corporale, per translationem quãdam operumq; similitudinẽ potius, quàm ita ut uerba sonant, hæc intelligenda sunt. Neq; in corpore figi uult rerũ imagines, neq; in animo ab externis obiectis effingi, sed uel ex natura sua habere illas animũ, uel occasione ab extremis motibus corporisq; passionibus sumpta in seipsum sua ui formas rationesq; concipere. Qui de his dubitat, Plotini summi interpretis cõmentaria legat. His expositis ad opiniõis fal

Formæ quæ sunt in anima non cæ sunt quæ sũt extra

sæ

ſæ modos redeundum eſt. Inducit plurimos Socrates, & multos reſpuit, & ut ſophiſtarum faſtum reprimat, ſæpe quæ conceſſa ab illis ſunt, iterum atq; iterum confutat. Tandẽ ex Platonis mente colligendũ eſt, quod quando ſenſibile quoddam primo nobis occurrit, eiuſq; occurſu ſenſus in nobis efficitur, & à ſenſu memoria, ac deinde rurſus idem nobis obijcitur, memoriam præcedentem cum ſequente ſenſu componimus, & in his iam dicimus Socrates, cæquus, ignis, cæteraq; huiuſmodi. Atq; hæc opinio quædam nuncupatur, cõponentibus nobis præcedentẽ memoriam cum recente ſenſu. Et quotiens hæc quæ colligantur, inuicem conſonant, opinio uera exiſtit: ſi diſſonant, opinio falſa. Nam ſiquis dum Socratis ſpeciem in memoria ſeruat, Platonem ipſum offendat, putetq; ſe ob quandam ſimilitudinem Socrati rurſus occurrere, poſtmodũ Platonis ſenſum uelut à Socrate hauriens, memoriæ Socratis ipſum accommodet, opinio falſa reſultat. Atq; hoc pacto opinio falſa fit ex collatione ſenſus ad cogitationem: Fit & alio modo, collatione commutationeq; cogitationis unius ad alterius cuiuſdam cogitationem. poteſt enim quis numerorum quorundam ſpecies, quæ in memoria latent, etiam abſq; præſente ſenſu, cogitando inuicem permutare, ita ut XII. pro XI. & contra XI. pro XII. capiat. Verum dubitatio quædam ſuboritur. Nam quicunq; ſpecies ſeruat, ſcit ea quorum ſpecies habet. hos ergo ſcit numeros. Sin commutat, ignorat. Quare ſimul eadem & ſcit, & ignorat. Reſpondendum, non eſſe abſurdum ut is qui uno modo ſcit, ignoret alio. Nam is habitu quidem ſcit, actu ignorat. Quocirca his nihil impedientibus, duæ falſæ opinionis ſpecies inuentæ ſunt, & paulo ante expoſitæ. Oritur & alia dubitatio. Qua ſi quis dum ſcientias duorum quorundam habet, commutando falſo opinetur, & alterum pro altero capiat, uidetur rem ipſam cuius habet ſcientiam, ignorare: & quod deterius eſt, ſcientia ipſa, non ignorantia ignorare, cum ipſa ſcientia commutationis cauſa ſit, ignorantiæ commutatio. Quod ſi ita eſt, cum ſcientia ignorare nos faciat, nihil prohibet quin ignorantia ſcire efficiat. Reſpondet ad hæc Theætetus ponendam in animo inſcitiæ ſicut & ſcientiæ ſpeciem, & qui alterum pro altera capit, falli, atq; ita per ignorantiam potius quàm per ſcientiam ignorari. Reſponſio hæc minime ſufficit, quin eodem modo quo & ſupra, quæretur, ſi commutat eas inuicem ſpecies, utrum cognoſcat utranque, aut ignoret, aut alteram norit, alteram ignorauerit. Vnde ſuperior controuerſia omnis redibit. Item ſi ponenda ſpecies qua ſcientia noſcitur, & qua inſcitia, iterum ſpecies aliæ quibus ſpecies hæ noſcuntur, ponendæ ſunt, & aliæ rurſus quibus illæ. atq; ita in infinitum progrediamur. Quocirca non ita, ſed aliter reſpondendum. Nam dicendum erat, ut Socrates ſupra tetigerat, quod non rerum notiones permutationis cauſæ ſunt, ſed confuſio notionum, negligentia diuturna, externa ſimilitudo haud exacte diſcuſſa. Non ergo ſcientia, immo confuſione, negligentia, deceptioneq; ignorare uidemur. quanquam hæc haud abſolute iudicari prius poſſunt, quàm quid eſt ſcientia, fuerit declaratum. Nam per lucem tenebras, per ſonum ſilentium, per bonum malum, per uerum falſum dignoſcimus. Ante igitur quid ſcientia eſt, definiendum uidetur, quàm falſa opinio declaranda, ſi perfectè illam comprehendere cupimus. Hinc Theætetus, ſcientiam eſſe uerã opinionem aſſerit. Quod quidem ex eo confutat Socrates, quod oratoria facultas perſuadet, non docet: qui perſuadet, opinionem inducit, & opinionem ueram, cum uera refert, neque tamen ſcientiam. Nam de his quæ in motu ſunt ſemper, & aliâs ſe aliter habent, certa nunquam ſcientia eſt. Talia uero ſunt humana negocia, de quibus oratores agunt, præſertim cum ſæpe ad ea credenda auditores inducant, de quibus ipſi dubitant, & quibus nunquam interfuerunt. Addit poſt hæc Theætetus Leucippi, & Cyrenæi Theodori definitionem. Scientia eſt opinio uera cũ ratione. & idcirco quæ rationem habent, ſciri poſſunt: quæ ratione carent, minime. Et Prodicus Chius Leucippũ imitatus, elementa rerum, quia ſimplicia ſunt, propterea q; ſine ratione, ignota eſſe aſſeruit: compoſita uero cũ rationem habere poſſint, nota. Rationem quidem definitionem, & orationem quandam declarantẽ rei ſubſtantiam proprietatemq; intelligunt. Quæ quia plura includit, ſubiectum & prædicatum, interdum etiam copulam, id eſt uerbum, & nomina, compoſitum quoddam ſignificat. Elementum uero ſimplex, ideoq; rationis expers, & ignotum relinquitur. Duo quæ dicta ſunt, Socrates confutat. prius quidem poſterius hoc, quo dicitur, Elementa, quia ſimplicia, ignota: quæ ex his effecta ſunt, quia compoſita, nota. Deinde prius illud, quod ſcientia ſit cum ratione opinio uera. Et exempli cauſa pro elementis literas accipit, pro compoſito ſyllabam. Verum quæ de his tradit, de rebus omnibus intelligi uult. Prima contra illos ratio eſt. Quia quemadmodum compoſita ab elementis depẽdent, ita compoſitorum cognitio ab elementorum cognitione perficitur. Neq; enim ſine cauſa, quæ à cauſa ſunt, cognoſci poſſunt. Quapropter impoſsibile eſt, ignoratis elementis ſcire compoſita. Item ſume compoſitum quoddam, ut ecce So, primam nominis Socratici ſyllabam. Vtrum ſyllaba hæc utraq; elemẽta eſt? An una quædam ſpecies ex elementis congredientibus nata? Si utraq;, ergo quiſquis ſyllabam hanc, ſo, nouit, utraque elementa nouit. Interrogatuſq; quid eſt ſo, ſ, & o, reſpondebit. Et ſi ſ, & o ignorabit, ſo, nunquam cognoſcet. Nam qui utrunque neſcit, neſcit & ambo. Impoſsibile igitur eſt ignoratis elementis compoſita noſſe. Sed dicet fortè aliquis, ſyllabam, & unamquanq; ſpeciem, non elementa, ſed unum quiddam præter illa exiſtere. Quem Socrates ſic interrogat: Vtrum ſpecies hæc, & ſyllaba partes habeat nec ne. Si habet, totum quoddam eſt, & omne. Totum uero, & omne, nihil aliud eſt quàm partes omnes. quod in numeris patet. Etenim totus numerus, nihil aliud eſt quàm omnes quas continet unitates. atq; ita ſpecies hæc conſtabit ex partibus, & partes eo ipſo quod erunt totius erunt. Sicut ergo nota

Quæ uera quæ falſa opinio

Duæ ſpecies opinionis falſæ

ſpecies,ita & elementa cognita. Nam ſi ſpeciem noſcit,totum & omne noſcit. Si totum & omne,nullã ipſi ex partibus eius deeſſe cognoſcit. Ergo ſingulas ſcit partes habere. ſingulas itaq; noſcit: quas ſi ignorarit, utrum omnes adſint,nec ne,ſcire non poterit. Impoſsibile igitur ignoratis elementis ſpeciem noſcere. At ſi quis dixerit ſpeciem ipſam unam partes nullas habere,ex eo quod elementa quibus conſtat,partes eius non ſunt: ſequitur ut ſimplex, et impartibilis ſit. Quare ſicut elementum quia ſimplex,ignotum dictum fuit,ita & ſpecies ipſa quia ſimplex, ignota eſſe dicetur. Ideoq; nullo modo fieri poteſt,ut ignoratis elementis ſpecies quæ ex his fiunt,noſcantur. Quod ex eo quoque perſpicue patet,quod in ſingulis artibus fundamentum cuiuſq; artis intelligendæ eſt, elementa rerum ipſarum de quibus ars ipſa agit, comprehendere. Alioquin labor omnis eſt irritus. Hoc denique confutato, Socrates iam principalem propoſitionis partem refellere incipit, ubi dicebatur, Scientiam eſſe opinionem ueram cum ratione. Tria enim rationis nomine ſignificari poſſunt, aut oratio,aut per elementa rei diſcurſus,aut definitio. Si primum,omnis opinio ſcientia erit. Siue enim uera ſeu falſa opinemur,quod ſentimus ſermone proferre uolemus: ergo ratione opinabitur,etiam qui falſa opinabitur. Si ſecundum, quotiens quis per elementa diſcurret, ſcire dicetur. Id uero idcirco falſum eſt,quia elementa diſcurrendo tranſponere poteſt, ordinemq; peruertere, & elementum unius rei in aliam quandam referre, & uni elementum alterius accommodare. Qui uero iſta confudit,ſcire non eſt dicendus. Si tertium,id eſt definitionem intelligit, & ſcientiam uocat opinionem ueram cum definitione,ſic contra illum argumentamur. Definitio interpretatio differentiæ eſt: ideo quicunque definit,præter rei communia differentiam propriam aſsignat. Sed qui Socratem uere, & Theætetum opinatur,utrum differentias opinando Socratis, & Theæteti percipit, nec ne? Si non percipit,nec uere opinatur. nunquam enim alterum ab altero uere diſtinguerem,niſi differentias utriuſq; dignoſcerem. Ergo eo ipſo quo uere opinatur, differentias callet. Quare nihil opus eſt præter opinionem ueram,addere rationem, id eſt differentiæ rationem. Verum dicet fortè quiſpiam, in ipſa opinione ſenſum quendam imaginationemq; differentiæ includi,potius quàm certam differentiæ naturalis intelligentiam: ideoq; addendum in ſcientiæ definitione,differentiæ intelligentiam. Contra hunc ita Socrates argumentatur. Abſurda profecto definitio eſt,qua idem per idem deſcribitur. Cum uero dicimus ſcientiam eſſe opinionem ueram cum ratione,id eſt cum differentiæ intelligentia,ſcientiam per ſcientiam definimus. Nam intelligentia differentiæ,differentiæ ſcientia eſt. unde ſcientia erit opinio uera cum ſcientia differentiæ,quod dictu ridiculum eſt. Ex his omnibus iam falſæ ſophiſtarum definitiones redargutæ ſunt. Prima,quæ dicebat ſcientiam eſſe ſingulas quæ diſcuntur facultates: ſecunda,quæ ſcientiam eſſe ſenſum: tertia,ſcientiam eſſe opinionem ueram. quarta,ſcientiam eſſe opinionem ueram cum ſermonis prolatione: quinta,opinionem ueram cum diſcurſu per elementa: ſexta,opinionem ueram cum differentiæ imaginatione: ſeptima,opinionem ueram cum ſcientia differentiæ. His deniq; redargutis uidendum eſt quid Plato doceat. quippe in ſexto lib. De repub. Brontinum, & Archytam Pythagoricos imitatus,duo rerum genera ponit,intelligibile ſcilicet, & ſenſibile. Illud ſtabile & incorporeum: hoc mobile corporeumq;. Viam ad illud noſcendum rationem uocat,uiam ad hoc ſenſum. notionem communem illius,intelligentiam: huius,opinionem. Sed utrunq; genus bifariam diuidit. Vult enim eſſe intelligibile primum & ſecundum: in eo ideas,id eſt diuinæ mentis ſpecies motionesq;, & mentes alias, & animas contineri: in hoc numeros, & figuras. Numeri quippe & figuræ quamuis incorporalia ſint,tamen quia diuiſionem aliquam ſuſcipiunt,non pari dignitate qua impartibiles ſubſtantiæ cenſenda ſunt. Illorũ cognitionem proprio nomine intellectũ, horum cogitationem intellectualem uocat. Senſibile quoq; pari diuiſione partitur,in primum ſcilicet,et ſecundũ. In primo locat corpora omnia corporeaq;. In ſecundo umbras,et imagines corporum,ſiue in aqua, ſiue in ſpeculis appareant. Et eas ita ſe habere ad corpora,ut mathematica ad diuina exiſtimat. Perceptionem corporum,creduli tatem proprie nominat: umbrarum,imaginationem. Deinde circa umbras corporum,uel corpora,uel mathematica,ſcientiam eſſe negat,ſed in ſolo intellectu diuinorum eam locat. Quod & in hoc dialogo ſignificauit in principio,cum ſcientiam & ſapientiam idem eſſe proponeret. Nam ſapientiam eſſe diuinorum contemplationẽ ubiq; teſtatur. Quo uero differat intellectus ipſe,id eſt ſcientia ab opinione,in libro de natura his uerbis oſtendit. Si intellectus ueraq; opinio duæ res ſunt,neceſſe eſt ideas per ſemet intellectu potius quàm ſenſu comprehendi. Sin uero, ut quibuſdam uidetur, uera opinio ab intellectu nil differt,omnia quæ corporea ſentimus,certa habenda ſunt. Sed opinor duo eſſe dicenda,propterea quod utraq; magna differentia diſtant: quippe quorum alterum doctrina nobis inſinuat,alterum perſuaſionis aſſumptio. Alterum quidem ſemper cum ratione uera,porro ſine ulla ratione alterum. Alterum eorum nulla ratione traducibile,alterum nutans incertumq;. Quid,quod rectæ opinionis omnis homo particeps? Intellectus autem dei proprius, & paucorum admodum electorum hominum? Eadem fermè in Menone Phileboq; teſtatur. Quid ergo ſcientia eſt? diuinarum rerum certa ratione comprehẽſio. Hæc intellectu, primo ac ſemper. In ratione ſecundo,nec ſemper. Nam ratio cum inter intellectum opinionemq; media ſit,quoties ad inferiora porrigitur,opinionis repletur erroribus, & diuina cogitare deſiſtit. Cum uero ad mentem ſui ducem cõuertitur,diuinorũ cognitionẽ haurit, Quam proprio nomine in mẽte ſapientiã, in ratione reminiſcentiã Plato nũcupat. Et ideo de obſtetricia facultate per quã reminiſcimur,hoc in dialogo diſputauit,ut nõ modo quid ſcientia

Septem definitiones ſcientiæ redditæ à ſophiſtis

ſit

sit, uerumetiam quomodo acquiratur intelligeremus. Immo & unde sit & per quem, explicuit dum diceret Socratem dei iussu obstetricio munere fungi. Est ergo scientia, diuinorum certa ratione comprehensio, in mente residēs, in rationem profluens, à deo menti inserta, à dialectico præceptore in rationem deo aspirāte reducta, rationem in mentem dirigens, mentem cum diuinitate coniungens.

PLATONIS THAETETVS, VEL DE SCIENTIA, TRANSLATVS E GRAECO IN LATINVM à Marsilio Ficino ad Petrum Medicem patriæ patrem.

EVCLIDES, TERPSIO, SOCRATES, THEODORVS, THEAETETVS.

MODO'NE ò Terpsio, an iam pridem rure ueneris? TER. Pridem satis, ac te in foro quæsiui, & miratus sum quod reperire nequiuerim. EV. Non eram in urbe. TER. At ubi? EV. Cum in portum descendissem, offendi Theætetum, qui Corintho è castris Athenas ferebatur. TER. Viuus'ne an mortuus? EV. Semiuiuus. uulneribus enim quibusdam afflictus est, & quod deterius, morbo etiam diuturno in castris est confectus. TER. Num dysenteria? EV. Hac ipsa. TER. O qualem uirum refers in discrimine positum. EV. Præclarum admodum atq; optimum ô Terpsio: nam paulo ante nonnullos audiui, qui eum circa rem militarem miris laudibus extollebant. TER. Nec mirum id uideri debet, immo longe magis mirandū esset, si contrà se haberet. Sed cur non diuertit Megaram? EV. Properabat domum. Ego enim & consului & obsecraui, ille noluit. Quinetiam comitatus ipsum, cum ab eo discederem recordatus sum Socratis, atq; admiratus quàm diuine & sæpe aliàs, & de hoc maxime uaticinatus fuerit. Nam paucis diebus antequam è uita decederet, obuiam factus Theæteto adhuc adolescentulo, cum eo disseruit, eiusq; indolem & probauit, & admiratus est. Deinde mihi Athenas profecto rationes disputationis illius auditu maxime dignas singulas enarrauit, atq; insuper addidit, præstantem omnino uirum futurum si adoleuerit. Ac uera nimium prædixisse uidetur. TER. Certe. sed quinam sermones? num referre potes? EV. Non uerbis per louem, sed literis. Etenim reuersus domum statim cōmentaris eos perstrinxi: deinde per ocium reminiscendo, latius scripsi, & quoties Athenas profiscerer, siquid excidisset, Socratem interrogabam, atq; huc rediens emendabam. Quo factum est, ut uniuersa pene disputatio illa conscripta sit. TER. Vera loqueris. Audiui enim hæc à te pridem, & ista nosse cupiens, te quæsiturus huc sæpe accessi. Quid ergo nunc obstat, quo minus percurramus? Enimuero quiete mihi opus est. Nam ex agro ueniens, defessus sum. EV. Ego quoq; Erineum usq; Theætetum comitatus sum, quamobrem libenter admodum requiescerem. Eamus ergo. Nobis enim sedentibus puer aliquis perleget. TER. Probe. EV. Hic ô Terpsio liber est non ita compositus, quasi Socrates mihi referat, ut reuera retulit, sed quasi cum illis præsens disputet, quibuscum disputasse mihi narrauit. Hos autem geometram Theodorum & Theætetum fuisse dicebat. Ne igitur molestum esset, si inquam, & inquit, consensit, & negauit, sæpius interponeretur, his uitatis Socratem ipsum unà cum illis disputantē induxi. TER. Scite Euclides. EV. Heus tu, accipe librū ac lege. SOC. Si Cyrenæi ô Theodore præ cæteris mihi curæ essent, quæ ad eos spectant abs te potissimum exquirerem, siqui illic iuuenes geometricæ, aut alteri philosophiæ studio ardenter incumberent. Nunc autem magis nostros quàm illos amo, potiusq; intelligere cupio quinam è nostris iuuenibus in uiros probos euasuri merito uideantur. Hæc ipse pro uiribus semper exploro, & ab aliis ad quos iuuenes confluere uideo, sæpe percontor. Te autem non pauci sectantur, & merito. Nam & aliorum gratia, & geometriæ maxime, concursu dignus esse uideris. Si quem igitur nactus es memoratu dignum, libenter audirem. THEO. Atqui ô Socrates & me referre & te auscultare decet qualem è uestris ciuibus adolescentem inuenerim. Qui si formosus esset, laudare illum uererer, necui forsitan illius amore captus uideri possem. Nunc autem ne mihi succenseas neq; turbes. non enim est pulcher. Similis tibi est, simo naso & prominentibus oculis, quamuis minus ille quàm tu in his modum excedat. libere tecum loquor, scito in

Cur in dialogis personæ loquētes introducantur

Facies similis Socrati refertur

Hominē ingenioſum et manſuetum atq; uirilem reperire difficile

primis me nullum adhuc adoleſcētulum reperiſſe,licet cum multis uerſatus fuerim, tam mirabili naturæ felicitate donatum. Difficile admodum eſt,reperire hominem ingenioſum ſimul & præ cæteris manſuetum atque uirilem.Equidem nec fuiſſe unquam exiſtimo,nec eſſe uideo, qui ita natura ſint inſtituti. Cæterum acuti ut hic ſagaces q̄, & memorioſi, & dociles, ut plurimum in iracundiam impetusq̄ præcipites ſunt.proruūt enim atq; raptantur,quemadmodum ſine retinaculis naues,& furioſi potius quàm fortes exiſtunt.Graues autem ſæpe cum ad diſciplinas ſe conferunt, ſegnes, torpentes, obliuioſi ſunt.Hic uero ita leniter,libere,ſuauiter,expedite,maxima cum manſuetudine ad diſciplinas quæſtiones q̄ graditur, ut nec lubricus quietus q̄ olei fluxus mollior & ſuauior uideatur,& ut mirum ſit tantum ingenium tam mature iſta peragere. SOC. Optima nuncias,ſed cuius noſtrorum ciuium filius eſt? THEO. Nomen quidem eius audiui,ſed memoria excidit. Eſt autem medius ille eorum qui nobis occurrebant paulo ante in platea quæ extra mœnia eſt.Is & ſocij ſui quidam uncti luſerunt,ac nunc peracto ludo huc aduentare uidentur. Aduerte utrum agnoſcas,nec ne. SOCR. Agnoſco equidem.Sunienſis Euphronij filius eſt,uiri ô amice proculdubio talis,qualem tu filium narraſti, probatiſſimi ante omnes,qui patrimonium amplum reliquit.ſed nomen pueri non audiui. THEO. Theætetus ô Socrates nomen eſt,patrimonium autem eius tutores diſſipaſſe uidentur. Veruntamen liberalitate mirifice pollet. SOCR. Generoſum hominem narras,iube huc illum accedere & nobiſcum ſedere. THEO. Fiat. O Theætete, accede huc ad Socratem. SOCR. Veni obſecro Theætete, ut meipſum animaduertam,qualem uultum præferam. Inquit enim Theodorus,uultu me tibi ſimilem eſſe.quod ſi utriuſq̄ noſtrum lyram ſimiliter temperatam aſſereret,utrum confeſtim id crederemus? an muſicus ne eſſet prius inquireremus? THE. Inquireremus. SOC. Et ſi talem reperiremus,crederemus utiq̄:ſinautem muſicæ expertem,minime? THE. Ita eſt. SOC. Nunc ergo ſi curæ nobis eſt noſtrorū uultuum ſimilitudo,uidendum utrum pictor ſit qui dicit nec ne. THE. Sic uidetur. SOC. Nunquid pictor Theodorus? THE. Non aduerti. SOCRAT. Geometricus autem? THE.

Neſcienti quid laudat aut uituperat, non eſt adhibēda fides

Maxime quidem ô Socrates. SOCR. An & aſtronomus,dialecticus,muſicus,& reliquarum diſciplinarum peritus? THE. Mihi quidem uidetur. SOCR. Dum ergo in aliqua corporis parte conſimiles eſſe nos prædicat,laudans quodammodo,uel uituperans,nō multum illi fidei adhibendum. THE. Non ut apparet. SOCR. Siquidem uero ab animi uirtute ſapientiaq̄ laudaret,nonne conueniret hæc audienti,laudatum ipſum conſiderare,laudato autem ſeſe oſtendere? THE. Omnino ô Socrates. SOCR. Vide ô amice Theætete, tua intereſt oſtendere,mea cōſiderare. Scito cum Theodorus multos mihi iam peregrinos quàm ciues laudarit,nullum maioribus ac te laudibus extuliſſe. THE. Bene eſt ô Socrates.ſed uide ne iocans dixerit. SOC. Non eſt mos hic Theodori. uerum ne renuas quæ conceſſa ſunt,obijciens quod hic iocis agat,ne teſtari cogaris.Non facile eſt eius ſententiam refutare,ſed audacter in conceſſis perſiſte. THE. Agendum eſt ſi tibi uidetur. SO. Dic age. Diſcis aliqua à Theodoro geometrica? THE. Equidem. SOC. Quæ uero ad aſtronomiam harmoniāq̄ & dialecticam ſpectant,diſcis? THE. Annitor equidē. SO. Ego quoq̄ ô puer,& ab hoc,& ab alijs,quos aliquid horum intelligere arbitror.& quo ad alia in his moderate me habeo, exiguum uero quiddam dubito,quod tecū,& cum iſtis inueſtigandum.Quare mihi reſpondeas oro.An non diſcere eſt,ſapientiorē in eo fieri quod quiſq̄ diſcit? THE. Idipſum. SO. Sapientia uero ſapientes ſunt quilibet ſapientes? THE. Certe.

An idem ſit ſapientia & ſcientia

SOC. Nunquid hoc in aliquo à ſcientia differt? THE. Quid nam? SOCR. Sapientia uidelicet,in quibus ſcientes,in ijſdem & ſapientes? THE. Quid prohibet? SOC. Idem igitur ſapientia & ſcientia eſt? THE. Idem. SOC. Hoc illud eſt quod dubito,neq̄ concludere mecum ipſe ualeo quid ſciētia ſit.habemus quid ad iſta dicamus? Quid eſſe aſſeritis? quis noſtrū prior oſtendet? Quiſquis uero aberrauerit ſemperq̄ hallucinabitur,aſinus quēadmodum pila ludentes pueri dicūt,ſedeat.Sed qui uincet,nihilq̄ aberrarit, dominabit nobis, & iubebit quicquid reſponderi uoluerit.Quid ſiletis? Nunquid non ô Theodore homo literatus ruſticor? cupiens uos in diſputationē inducere:amicosq̄ & familiares inuicem fieri. THEO. Minime hoc ô Socrates ruſticum ſit. Sed ex his pueris aliquem reſpondere tibi iubeas.Nam hæc diſputandi ratio inſueta mihi eſt,& aſſueſcere nunc ætas prohibet, hos autem magis hæc decent,& longe magis proficient.Reuera enim iuuentus in omni

Non reſpōdere, ruſticorum eſt

bus

bus proficit,& ut cœpisti,ne dimittas Theætetum,sed eum interroga. SOC. Audis hoc ô Theætete,quæ dicit Theodorus? cui tu ut opinor,libenter obedies. Neq; enim fas est,ut huiusmodi in rebus sapienti uiro iuuenis minus pareat. Ingenue ergo responde,quid esse scientiam opineris. THE. Parendum est ô Socrates,quandoquidem uos imperatis,si qua enim in re aberrauero,corrigetis. SOC. Faciemus proculdubio si quo modo poterimus. THE. Videntur mihi scientiæ esse,quæ quis à Theodoro discere potest,geometria,& reliqua quæ in superioribus enumerasti: præterea cerdonum aliorumq; opificũ artes, & omnes,& singulæ nihil aliud quàm scientiæ sunt. SO. Generose ac magnifice ô amice,de uno rogatus,multa pro simplici uaria dedisti. THE. Qua ratione id ais ô Socrates? SOC. Fortè nihil dico, quod tamen putem indicabo. Quotiẽs artem cerdonicam dicis,nihil aliud ais quàm conficiendorum calceorum scientiam? THE. Nihil aliud. SOCR. Quid porrò,cum tectonicam id est fabrilem artem? num aliud quàm ligneorum operum scientiam? THE. Nil certe. SOC. In utrisq; igitur id declaras, cuius utraq; scientia est? THEO. Profecto. SOC. Quæstio uero nostra non hæc erat,quorum scientiæ,& quot sint,nõ enim numerandi gratia quærebamus,sed noscendi quid ipsa scientia sit. An nihil dico? THE. Immo recte. SOC. Aduerte & hoc: siquis nos de aliquo horum uilium uulgariũq; percontetur,ueluti de luto,quid est,eiq; respondeamus,lutum eorum qui ollas, lutum eorũ qui puppas,lutum eorum qui lateres fingunt,nónne ridiculi uideamur? THE. Forte. SOCR. Primo quidem quod putemus eum qui interrogat,intelligere ex illo nostro respõso posse,si dicamus lutum,& uel puppariorum,uel aliorum quorumcunq; artificum tantũ addimus: aut putas nomen quisquam rei cuiusquàm intelligit,qui non nouit, quid sit ipsa? THE. Nullo pacto. SOC. Ergo neq; scientiam calceorum intelligit, qui scientiam minime nouit. THE. Non certe. SOC. Cerdonicam quoq; non intelligit,quisquis ignorat scientiã, & aliam ullam artem. THE. Sic est. SOC. Absurda itaq; responsio est,si quis interrogatus quid scientia sit,artis alicuius nomen respondeat. Alicuius enim esse scientiam,cum non hoc rogetur,ille respondet. THE. Videtur. SOC. Præterea cum liceat simpliciter ac breuiter respondere,per immensum circumuagatur. Quemadmodum in quæstione de luto,leue quiddam,& simplex referri potest,quod terra humori commixta,lutum est. Cuius autem sit lutum,prætermittendum. THE. Facile nunc ô Socrates ita uidetur. Videris enim petere quod nuper mihi,& Socrati huic tibi in nomine simili,disputantibus in mentẽ uenit. SOC. Quid istud ô Theætete? THE. Theodorus hic de potestatibus scripsit magnitudinis tripedalis,& quinq; pedalis,quod longitudine non sint pedali magnitudini cõmensuratæ. Eodemq; modo discurrens,& eliciens singula usq; ad magnitudinem septẽ & decem pedum,in ea tandem constitit. Nobis igitur id in mentem ueniebat,quia infinitæ numero potestates emerserunt,conandum est qui in unum comprehendantur, quo omnes exprimamus. SOC. Num igitur inuentum tale quiddam est? THE. Mihi quidem uidet, considera tu quoque. SOCR. Dic. THE. Numerum omnem bifariam diuisimus. Vnum qui possit æqualis æqualiter fieri,quem in figura tetragono comparauimus,quadrangularem & æquilaterum appellantes. SO. Probe. THE. Et qui inter hunc medius est, cuiusmodi sunt tria,& quinq;,& omnis numerus qui nequit æqualis æqualiter fieri, sed uel maior rarius,uel minor sæpius sumptus fit,maiusq; & minus ipsum latus semper continet, figuræ altera parte longiori comparauimus,& numerum altera parte longiorem uocauimus. SOC. Egregie. quid tum postea? THE. Omnes lineas quæ æquilaterum,& planũ numerũ quadrant,longitudinem esse definiuimus: quæ autem altera parte longiorem, potestates,utputa quæ longitudine illis nequaquam commensurabiles sint, planis autem quæ possunt essent commensurabiles: & circa solida aliud quiddam huiusmodi. SOCR. Optime omnium ô pueri. Quare Theodorus haudquaq; falsi testimonij reus fore uidet. THE. Enimuero ô Socrates,quod de scientia quæris,non ita ut de longitudine & potentia respondere ualeo,quanquã huiusmodi quiddã perquirere mihi uideris. Quo fit ut falsus Theodorus uicissim appareat. SOC. Quid uero: si te à currendi uelocitate laudasset, addens nullum ex pueris promptiorem cursu uidisse: deinde currendo & ab adulto,& celerrimo quodã uincaris,num putares minus eum te uere laudasse? THE. Nequaquam. SOC. Scientiam uero ut paulo ante dicebam,leue quiddam inuentu, an graue potius supremumq; ducis? THE. Per Iouem supremum aliquid arbitror. SOCR. Confide uiribus

Prima diffinitio scientiæ

Ignoto simplici ignorari propriũ

15

Latera huius tetragoni sunt media intertria & quinq;,et cũ eis sunt longitudine incommẽsurabilia,potẽtia uero cõmensurabilia. producũ enim illorũ est æquale tetragono, ut patet

tuis,teſtimoniumq; Theodori ne paruipendas. Annitere omni ſtudio cũ de alijs tũ etiam de ipſa ſcientia,rationẽ quid ſit,cõſequi. THE. Annitendi cauſa ô Socrates hæc agemus. SOC. Age iam bono animo eſto. egregie nanq; modo expoſuiſti. Conare imitans reſpõſionem illam de poteſtatibus,quemadmodũ eas multas una ſpecie comprehendebas,ita & ſcientias multas una ratione complecti. THE. Scito ô Socrates me id ſæpenumero conatum fuiſſe,dum has tuas quæſtiones circũferri audirem. Verum neq; mihi ipſe perſuadere poſſum idoneũ ad hęc me eſſe,ſatis'ue habere,neq; alium audire ut tu pręcipis diſputantem,ſed neq; ab inquiſitione tamen deſiſtere. SOCR. Doles ô amice Theætete,ex eo quod non uacuus,ſed grauidus es. THE. Ignoro ô Socrates,ſed quid mihi acciderit dico. SOC. O ridicule,audiſtin eſſe me filium obſtetricis generoſæ admodum acriſq; & toruæ Phænaretæ? THE. Audiui equidẽ. SOC. Num quod & in eadẽ arte uerſor audiſti? THE. Nequaquã. SOC. Scito ita eſſe,nec me tamen corã alijs prodas. Latuit enim hactenus omnes,quod hac arte præditus ſim,& hi utputa ignorãtes,hoc quidem de me non prædicant,ſed abſurdiſſimã rem quod,homines in ambiguitatem induco,hoc audiſti? THE. Id

Obſtetrices

prorſus. SO. Vis tibi cauſam huius aſſignẽ? THE. Quid ni uelim? SOC. Quales ſint obſtetrices,cogita,ac facile quod uolo percipies. Scis enim quod nulla ex illis quãdiu cõcipit paritq; parturiẽtibus opitulat̃,ſed cũ iam ad fœtũ ineptæ ſunt ipſæ. THE. Prorſus. SOCR.

Diana ſteriles obſtetrices fieri uetuit

Cauſam huius Dianam ferunt,quę cũ ſterilis ſit,partuũ tutelam ſuſcepit, ſteriles obſtetrices fieri uetuit,quoniã humana natura imbecillior eſt ad artes earum rerũ,quas nũquam experta eſt,his autem quæ propter ætatẽ concipere iam nõ poſſunt,id imperauit ſimilitudinem ſuam honorãs. THE. Veriſimile id quidẽ. SOCR. An nõ id quoq; probabile, ac neceſſariũ eſt: quæ prægnãtes ſint,& quæ nõ,acutius ab obſtetricibus q̃ ab alijs animaduerti? THE. Omnino. SOC. Quinetiã medelis, & incantationibus obſtetrices excitare, mollire'ue partus uexationes ualent,& ægre parturiẽtibus opitulari,fœtusq; educere,& ſi in tempeſtiuũ fore uideatur,obtũdere atq; retrudere. THE. Vera narras. SOC. Nunquid & hoc de illis audiſti,quod tãquam pronubæ in cõficiendis cõiugijs aptiſſimę ſunt? quippe quæ optime callent,quam cui iugare ad generoſæ prolis procreationem oporteat. THE. Haud ſatis id noui. SOC. Imò ſcias in hoc gloriari nõ minus,q̃ in umbilici ipſius pręciſione. Quid eñ alterius'ne an eiuſdẽ artis eſſe putas,curare colligereq; terrę fructus? & rurſus dignoſcere,quod in ſolum,quã plantam,quod'ue ſemen iacere deceat? THE. Eiuſdẽ. SOC. In fœminis aũt ô amice,alterius facultatis hoc,alterius illud exiſtimas? THE. Haud

Quare obſtetrices nolint eſſe pronubæ

ſanè cõueniens eſt. SOC. Haud certe. ſed propter iniuſtam abſurdamq; maris & fœminæ coniunctionẽ,cui lenocinijũ nomen eſt,conciliandi matrimonij officiũ fugiunt obſtetrices caſtæ,uerẽturq; ne pro laudabili ſtudio lenocinij notentur. ſiquidem legitimis obſtetricibus ſolis conuenit recte mares fœminasq; iugare. THE. Conſtat. SO. Atq; id eſt obſtetricum officiũ,opera mea quodammodo leuius. Neq; enim accidit mulieribus,ut aliquãdo ſimulacra,aliquãdo res ueras pariant. Hoc uero haud facile diſcernere eſt,quod ſi contingeret,maximum præclariſſimũq; obſtetricũ munus eſſet,uerum à falſo diſcernẽdi. Tu

Ars obſtetricia Socratis

uero quid ſentis? THE. Idem profecto. SOC. Arti uero meæ adeſt quicquid ad illarum obſtetriciam diligentiã attinet. Verũ in hoc præſtat,quod maribus,non fœminis parturiẽtibus ſuccurrit,& quod animarũ fœtus non corporũ ſpeculatur. Potiſſimũ autẽ arti meæ hoc ineſt,poſſe uidelicet diligẽter examinare,ſimulacrum ne & falſum,an natiuum ac uerum quiddã iuuenis cogitatio pariat. Quinetiã quod obſtetricibus,idem & mihi accidit. ſterilis ſum & ſapientia uacuus: & quod mihi obiecerũt multi, quod interrogẽ ſingulos,

Cur Socrates interroget ſemper, reſpondeat nunquam

reſpondeam nulli,propterea quia nihil habeam,quod ſapienter reſpondere poſſim, uere nimiũ obiectãt. huius profecto hæc eſt cauſa: parturiẽtibus ſuccurrere deus me cogit,generare,phibuit, Quocirca nõ ſum ipſe quidẽ,ulla in re prorſus, ſapiẽs, neq; extat aliquod meæ mẽtis inuentũ ex me natum. Qui uero mecum uerſant̃,principio quidem rudes apparent,ſed mea deinde conſuetudine hi quibus deus ipſe fauet,mirũ in modũ proficiunt, ut & ſibijpſis,& alijs uidentur. hoc tamen conſtat,quod nihil unquã à me diſcunt, immo ipſi in ſeipſis egregia multa poſſidentes,inueniunt. Obſtetricij ſanè muneris deus & ego cauſa,quod hinc maxime cõiectare licet. Nã multi quondã hoc ignorãtes,ſeq; ipſos cauſam exiſtimãtes,me quidẽ ſpreuerunt,fortè ab alijs perſuaſi: unde citius q̃ decebat, à me diſceſſerũt. Hi abeũtes,ob prauã conſuetudinẽ cætera aborſi ſunt: atq; inſuper quæ ego

obſtetricia

obstetricia ope ex animæ illorum uisceribus iam erueram, male nutrientes, penitus perdiderunt, quippe cum falsa atq; simulacra ueris nimiũ anteponerẽt. Postremum & sibi & alijs indocti sunt uisi. quorum è numero unus Lysimachi filius extitit Aristides, alijq; permulti. Cum uero ad me reuertuntur, consuetudine mea iterum indigentes, eamq; mirifice affectantes, nõnullis statim dæmonium meum congredi prohibet, quibusdam contrà permittit, qui denuo ualde proficiunt. Nam & hoc cum parturiẽtibus commune fatis res mei patiuntur. Vexantur enim, & difficultate diu noctuq; multo magis q̃ illæ replentur. quem quidem dolorem tam excitare q̃ sedare artificiũ meum ualet. Atq; ita quidem isti habent. Quandoq; uero ô Theætete, qui fœcundi nõ sunt, aduertens quia opera mea non indigent, eos libenter cum alijs in matrimonium copulo, & ut cum deo dicam, acute præsagio quibus potissimũ coniuncti proficiãt. quorum multos Prodico tradidi, multos etiam alijs sophistis diuinisq; hominibus. Hæc ô optime, omnia hanc ob causam altius repetij. Angi enim te conceptu quodam grauidũ suspicabar, quod & ipse putas. Committe ergo te mihi tanq̃ obstetricis filio, & obstetriciæ facultatis longe perito, & quæ perquiro annitere pro uiribus respõdere: & si ex ijs quæ dixeris discutienti mihi, simulacrũ potius q̃ uerum apparens refutauero atq; abiecero, ne succenseas oro, quemadmodũ primo partu puerperę solent. Multi iam ô mirifice adolescẽs, aduersus me sic affecti sunt, ut uel mor sibus inuadere uellent, si quando deliramentũ aliquod illis abigerẽ, non putantes id à me beneuolentia fieri, cum eos lateret quod nullus deus maleuolus est hominibus, nec ego tale aliquid maleuolẽtia facio. Mihi plane nefas esse uidetur admittere falsum, ac uerum refellere. Rursus igitur à principio Theætete, quid scientia sit, ut potes exponere tenta: quod uero non possis, nequaq̃ dixeris. Si enim deus uoluerit, adiuueritq;, potes. THE. Cum tu ita ô Socrates iubeas, turpe esset si quis suam sententiã non proferret. Videt mihi quod quispiam scit, id sentire quod scit: & ut nunc apparet, nihil aliud scientia est q̃ sensus. SOC. Quàm generose respondisti ô puer. sic enim loqui eum qui quicq̃ definire uelit. oportet. Sed id cõmuniter consideremus, utrũ fœtus hic solidus an uanus existat. Sensum ais scientiã esse? THE. Aio. SOC Videris utiq; definitionẽ scientiæ haud abiectã intulisse, sed quã Protagoras modo quidẽ alio, eadẽ tamẽ intentione induxit. Inquit enim, rerum omniũ mensurã hominẽ esse, existentiũ quidem ut sunt, non existentiũ uero ut non sunt. Legisti unq̃? THE. Legi equidẽ sæpenumero. SOC. Nónne sic ait: qualia singula mihi uidentur, talia mihi esse: qualia uero tibi, tibi quoq; talia: homines autẽ utriq; sumus. THE. Sic certe ait. SOC. Atqui probabile est sapientẽ uirum nequaq̃ nugari. sequamur igit. An nõ sæpe flante uẽto eodẽ, alius nostrũ riget, alius minime? & hic quidẽ leuiter, ille uehementer? THE. Proculdubio. SOC. Vtrũ dicemus tunc uentũ ipsum in seipso frigidũ, aut nõ frigidũ? uel Protagoræ credimus, q̃ rigẽti sit frigidus, nõ rigenti minime? THE. Videt. SO. Nũquid ita utriq; apparet? THE. Ita. SOC. Apparere aũt sentire est? THE. Est. SO. Phantasia itaq; & sensus idem in calidis cæterisq; huiusmodi. Qualia nãq; sentit quisq;, talia cuiq; uidentur esse. THE. Vidẽtur. SO. Sensus igitur existẽtis rei semper est, & falsus nunq̃: quippe cum scientia sit. THE. Apparet. SO. Nónne per Gratiarũ numina egregia sapiẽs Protagoras erat? & hoc nobis plebeis istis per inuolucrũ quoddam dixit, discipulis autem in adytis ueritatem explicuit? THE. Quo pacto id ô Socrates, inquis? SOC. Dicam, nec contemnenda quidem, q̃ nihil in seipso unum certum est, neq; recte ipsum ex se hoc quiddã, aut quale quid denominare potes. Etenim si magnũ appellas, rursus paruũ etiã apparet: & si graue, leue iterũ. Eademq; de cæteris ratio, quasi nihil sit unũ, aut aliquid, aut quale. Sed ex latione motuq; & alterna cõmixtione fiunt omnia quæ esse dicimus, non recte denominantes. Nihil enim est unq̃, semper autem fit. Et in hoc omnes per ordinem sapientes excepto Parmenide consenserũt, Protagoras, Heraclitus, Empedocles, & poetarũ in utroq; poemate summi, in comœdia Epicharmus, Homerus in tragœdia. Nam cũ Oceanum diceret deorũ generationẽ, & matrem Tethyn, omnia ex fluxu motuq; genita prędicauit. An non id proferre uidetur? THE. Mihi uero. SOC. Quis ergo aduersus tantum exercitum, eiusq; ducem Homerum pugnare audeat, quin ridiculus habeatur? THE. Arduum est ô Socrates. SO. Arduum absq; dubio Theætete, præsertim cum hęc huic sermoni argumento esse possint, quod ut esse aut fieri quicq̃ uideatur, motus facit, non esse autem & interire, quies. Ignis enim calorq; qui alia gignit & regit, ipse ex latiõe frictioneq;

Secunda definitio, scientiã esse sensũ

Omnes sapiẽtes excepto Parmenide dixere, omnia semper trãsmutari

Ignis unde

efficitur: hic autem motus est. an non hæc ignis origo? THE. Hæc certe. SOC. Quinetiam animalium genus ex eisdem nascitur. THE. Quid ni? SOC. Quid corporum habitus? an non ocio & torpore corrumpitur, exercitatione autem motuq; plurimum conseruatur? THE. Ita. SOC. Animæ quoq; habitus disciplina & meditatione, quæ motiones sunt, doctrinas consequitur, seruatur, atque perficitur: Ocio autem, id est negligentia & pigritia, nihil penitus discit, & si quid didicerit, obliuiscitur. THE. Et maxime quidem. SOC. Bonum itaq; tam in anima quàm in corpore motus est, quies uero contrarium. THE. Videtur. SOC. Præterea in ijs quæ serenitates tranquillitatesq; uocãtur, hoc assero, quod quietes putrefaciunt atq; perdunt, alia uero conseruant. Itaq; Colophonem nunc denicq; cogam, ipsam scilicet catenam auream rumpens, quam quidem nihil aliud præter solẽ Homerus intelligit: quia quousq; solis circuitus perseuerat, omnia tam deorum quàm hominum sunt, atque seruantur, sin autem hoc quasi ligatum staret, confestim omnia dissoluerentur, eueniretq; quod dicitur, sursum deorsum omnia. THE. Mihi quoq; ô Socrates, eadem quæ dicis sentire uidetur. SOC. Cogita igitur sic ô optime, circa oculos: primum quidem colorem quem dicimus album, non esse ipsum aliud quicquam extra tuos oculos, neq; in oculis, neq; illi tu locum certum attribuas. Iam enim esset in ordine maneretq; nec in generatione ulterius esset. THE. At quomodo? SOC. Sequamur sermonem superiorem, nihil secundum seipsum unum quiddam ponentes, atq; ita nobis niger albusq; & quiuis alius color ex incursu oculorum motuq; debito genitus apparet. Et unumquodq; quod coloris nomine appellamus, neque imprimens oculos, neq; impressus erit, sed medius quidam cuiq; proprius affectus. an tu assereres, qualis tibi unusquisq; color apparet, talem canibus etiam, & singulis animalibus apparere? THE. Non per Iouem. SOC. Quid autem alteri homini, & tibi? num similiter unusquisq; apparere uidetur? An potius nec tibijpsi idem, eo quod nunquam tibi ipse similis? THE. Hoc potius quàm illud opinor.

Exercitia cõferre ad corpus & animum

SOC. Si igitur id quo mensuramus, uel quod attingimus magnum, uel album, uel calidũ esset, nunquam in aliud quodcunq; incurrens, aliud factum esset ipsum quidem, utputa nihil mutatum. sin autem mensuratum quod attingimus, uel album uel calidum esset, etiam si nihil accidat aliud, patiatur ue, ipsum quoq; nihil patiens mutabitur. Nam in præsentia amice, mira quædam, & deridenda facile dicere cogimur, ut ipse quoque Protagoras, & quisquis alius eiusdem sententiæ est, confiteretur. THE. Quo pacto? & qualia dicis? SOC. Breue exemplum accipe, intelliges q; quod uolo. Talos sex si quatuor apponas, plures esse quàm quatuor dicimus ac dimidio superare, unde sesquialtera proportio nominat: sin duodecim, pauciores dimidiũq;. hæc aliter dici potest. An tu aliter? THE. Equidem nullo modo. SOC. Quid ergo? Si te Protagoras, aut alius quiuis interrogaret, potest ne aliquid ô Theætete, maius aut plus aliter fieri quàm adauctum? quid inquam, potissimum responderes? THE. Si quod mihi uidet ô Socrates, ad hãc quæstionẽ protulero, nõ posse asseuerabo. Sin autẽ ad superiorem positionem respexero, ne mihi fortè repugnẽ, posse dicam. SOC. Bene atq; diuine per Iunonem ô amice. Ergo si respõderis, Euripidis illud eueniet, Vt lingua irredarguta maneat, mens autem redarguatur. THE. Sic certe.

Catena aurea Homeri

SOC. Si igitur ego ac tu facundi sapientesq; essemus, postquam omnes mentis angulos excussissemus, mox uelut ex abundanti suas quisq; uires periclitantes, & in hac harena sophistarum more congredientes, orationibus conflictaremur. Nunc autem utpote rudes, uolumus hæc primũ secundũ seipsa contẽplari, cuiusmodi sint quæ cogitamus, & utrum conueniat nobis inter nos, an nõ. THE. Maxime quidem id uelim. SOC. Nec minus ego: sed cum ita affecti simus, tranquille prorsus, utpote ocioси iterũ speculemur, nihil succensentes inuicem, sed reuera nosipsos excutientes, qualia sint hæc in nobis uisa phantasmataq;. Quibus primum consideratis dicemus, ut arbitror, nihil unquam maius minúsue fieri, uel mole, uel numero, quamdiu æquale sibijpsi permanet, nónne ita? THE. Ita prorsus.

Phãtasmata

SOC. Deinde cui nec additur, neq; subtrahitur aliquid, hoc neq; crescere unquam, neque decrescere, semper autem æquale consistere. THE. Valde quidem. SOC. Tertio uero dicemus, quod ante non erat, & postea est, nisi fiat, & factum sit, esse non posse. THE. Sic profecto uidetur. SOC. Hæc utique tria concessa pugnant inter se nobis in animo, quando de talis illis loquimur, uel quando fatemur me senem, dum tantus maneo, nulla in parte auctus minutus ue, eodem in anno te iuuene maiorẽ nunc esse, postea uero minorẽ, cum

moles

moles quidē mea ablata nō sit,sed tua duntaxat adaucta. Sum nāq; postea quod ante nō eram,nihil tamen factus.absque enim fieri factum esse impossibile.Nihil autem molis amittens,nunquam minus effectus sum.Et alia huius generis infinita in multis accidunt,si hæc admiserimus.Dic age ô Theætete. Videris enim mihi harum rerum non imperitus. THE.Per deos ô Socrates magnopere quid ista sint admiror, interdumq; ipsa inspiciens tenebris offundor. SOC.Theodorus,ô amice,non male de tuo ingenio coniectasse uidetur.Maxime enim philosophi hæc affectio est,quæ admiratio dicit̄. Neq; enim aliud præter hoc est philosophiæ principium. Et qui Irim Thaumantis, id est admirationis filiam esse tradidit,non absurde originem eius explicuit.Sed num percipis quam ob causam talia sunt ex quibus Protagoram loqui asseuerauimus,an non? THE. Nondum mihi uideor. SOC. Gratiam itaque mihi habebis,si tibi uiri,immo uirorum præstantissimorum intelligentiæ ueritatem abditam reserauero? THE. Quid ni habeam? & ingentē equidē. SOC. Contemplare iam,& simul diligenter caue ne quis prophanus hæc audiat.Prophani uero sunt,qui nihil aliud esse putant,quàm quod pugno tenere possunt. Actiones uero generationesq; & quicquid inuisibile est,in eorum quæ sunt numero nequaquam habent. THE. Duros nimium & proteruos homines ô Socrates memoras. SOC.Sunt hi quidem ô puer à musis admodum alieni.Nec desunt alij quidam elegantiores, quorum tibi mysteria narraturus sum.Principium autem deinceps erit ex quo ea quæ modo diximus manant,quod scilicet hoc uniuersum motus est,& aliud præter motum nihil.Motus uero species duæ:& multitudine quidem utraq; infinita, potentiam autem altera agendi,altera patiendi habet.ex harum congressu compulsuq; mutuo effectus eueniūt numero infiniti,specie gemini,sensibile uidelicet ac sensus,qui semper cum sensibili coincidit, atq; congreditur.Sensuum hæc nomina sunt,uisus,auditus,olfactus,gustus,tactusq; frigidorum & calidorum.Quos sequuntur uoluptates,dolores,cupiditates,atque timores, alijq; affectus innumeri quidem sine nomine,nominati quoq; permulti.Genus autē sensibile sensui cuilibet est cognatum. Omnigenis uisionibus colores omnigeni: auribus itidem uoces,cæterisq; sensibus alia sensibilia cognata similiter adsunt.Quid igitur ô Theætete sermo hic ad superiora? aduertis ne? THE.Haud equidem multum ô Socrates.SOC. Vide igitur num hoc pacto ad exitum perducatur,Illud enim sibi uult:omnia hæc uideli cet ut diximus agitari,horumq; motibus uelocitatem tarditatem ue inesse. Quatenus igitur tarditas inest,in eodem & ad proxima,motum obtinet,atq; ita generat.Quæ uero sic gignuntur,uelociora sunt.Feruntur enim,& in latione illorū motus est. Cum igitur oculus aut aliquid eorum quæ accessit,albedinem,sensumq; cognatum gignit,quæ nūquam nata fuissent dum illorum alterutrū ad aliud quiddam aduentasset, tūc sane interim dum fertur uisio quidem ab oculis,albedo autem ab eo quod colorē tum ex se edit, oculus uisione repletur,uidetq;,& factus est non uisio,sed uidēs oculus. Quod uero colorem tum ex se edit,albedine repletū est,factumq; nō est albedo,sed album siue lignū siue lapis siue quiduis aliud quod fortè sit colore huiusmodi coloratū:eodemq; pacto de alijs, ut de calido & duro, cæterisq; omnibus iudicandum.Nihil ex his ipsum secūdum se quicquā esse, quod & in superioribus disputabamus,sed in mutuo congressu omnia fieri & omnigena propter motum.Quoniam tam agens quàm patiens unum aliquid esse per se haud firmiter,ut aiunt,cogitare licet. Neq; enim agens quicquam est prius quàm patienti congrediatur:neq; patiens prius quàm agenti.Quod enim congreditur alicui, & uim efficiendi habet,ubi in aliud inciderit,ibi tum primum patiens emicat.Ex ijs omnibus sequit̄,quod ab initio quoq; diximus,nihil esse unum secundū seipsum, sed alicui semper fieri, ipsum autē esse undiq; excipiendū.licet nos in superiorib. consuetudine quadā atq; insciti a,illo scilicet ipso esse uti sæpius coacti fuerimus. Veruntamē ut sapientum sermo dictat, nullo modo prædicandum est aliquid uel alicuius,uel mei,aut hoc,aut illud, aut aliquod aliud nomē quod existentiam significet:sed secundum naturā enūciare oportet, quod agātur, quod fiant,quod corrūpant̄,quod mutent̄:nam siquis aliquid sermone cōsistere asseuerauerit,facile redargui poterit.Oportet autem & sigillatim sic loqui,atq; de cūctis in unum collectis:in qua collatione hominē ponūt & lapidē,& unumquodq; animal ac speciem. Hæc'ne ô Theætete iucūda tibi esse uident̄? eaq; tanquam tibi placeāt degustabis? THE. Ignoro ô Socrates,& de te etiam ambigo,utrum ista tāquam tuæ menti consona referas,

Philosophiæ principium

Opinio dicentiū nihil esse inuisibile

Opinio dicentiū uniuersum esse motū,et præter motum nihil

an

an me potius tentes. SOC. Non recordaris amice me nihil horum scire, nihilq; talium ut meum mihi uendicare? sum enim sterilis. te autem obstetricis ritu agito atq; exerceo, atq; huius gratia te incanto, & quæ quisq; sapientum dixit gustanda præbeo donec sententiam tuam in lucem educam. Cum demum educta fuerit, tunc primum examinabo, sit ne uana sterilisq;, an fœcunda & solida. Audacter igitur & constanter bene atque uiriliter opinionem tuam in his quæ te rogauero iam prome. THE. Roga igitur. SOCR. Dic num tibi placeat, nihil esse, sed fieri semper bonum ac pulchrum, & quotcunq; paulo ante dinumerauimus. THE. Dum te audio differentem, mirum in modum probabilia, & admittenda uidentur. SOC. Ne prætermittamus ergo quæ restant. Reliquũ est enim ut de somnijs morbisq; cum alijs, tum insania maxime dicam, & de eo quod peruerse uidetur, uel auditur, uel aliter quomodocunq; sentitur. Nosti enim in his omnibus sermonem quem suprà retulimus sine ulla controuersia confutari, cum sensus in ipsis prorsus decipiantur. Tantumq; abest ut omnia quæ apparent cuiq;, ea sint, ut cõtrà nihil eorum quæ apparent existat. THE. Vera narras ô Socrates. SOC. Quò deinceps ô puer, ille confugiet qui sensum scientiam affirmauit, quæ ue cuique apparent, eidem & talia esse qualia uisa sunt? THE. Pudet me loqui ulterius Socrates. Nihil enim habeo quod in mediũ afferã. Quod namq; posueram, deterrendo penitus subuertisti. Reuera negare nunquam possem quod furentes somniantesq; falsa nimiũ opinentur, cum illorũ nõnulli deos esse se putent, alij auium instar uolare se credant. SOC. Nunquid igitur nunc & hanc controuersiam cogitas, de somnio præsertim & re? THE. Quam nam? SOC. Eam quam sæpe te audisse existimo quoties quæritur qua potissimum coniectura ostendi possit, utrum dormiamus omnes nunc & quę cogitamus singula somniemus, an uigilemus, & reuera inuicem disseramus. THE. Profecto dubium est ô Socrates, qua id coniectura quis discernere ualeat. Adeo quidq; ad unumquodq; uelut reciprocum consequitur. Nam quæ modo disserebamus, nihil prohibet ut somniantes colloqui uideamur. Et quando in somno somnia referre nos arbitramur, mirum in modum hæc illis similia sunt. SOC. Vides iam quàm facile in controuersiam ueniatur: quandoquidem utrum insomnia an ueræ res sint quæ uidentur etiam ambigi potest: præterea cum æquum tempus sit quod somno datur, & quod uigiliæ, in utroque cõtendit animus præsentes opiniones ut ueras asserere. Quamobrem pari tempore & hæc uera dicemus, pari & illa, & in utrisq; obtinebimus. THE. Omnino. SOC. Eadem quoq; de morbis furoribusq; ratio est, nisi quòd tempus impar. THE. Recte admodum. SOC. Nunquid longitudine breuitate ue temporis uerum determinatur? THE. At istud plurimum ridiculum esset. SOC. An alio argumento ostendere potes quæ ex istis opinionibus ueræ sunt? THE. Non ut mihi uideor. SOC. A me igitur audi quæ forsitan responderent hi qui apparentia semper ei cui apparent uera esse uolunt. Sic enim te, ut opinor, interrogarent ô Theætete nunquid quod alterũ omnino est, eandẽ aliquando potẽtiam cum altero habebit? nec idem partim, partim alterum, sed penitus alterum intelligamus. THE. Impossibile est igitur hoc huius idem quicq; uel potentia, uel quocunq; modo habere, quãdo omnino alterum est. SOC. Nónne dissimile quoq; necessario esse fateamur? THE. Mihi quidem uidetur. SOC. Si quid ergo alicui simile uel dissimile fit aut sibijpsi, aut alteri, quatenus simile fit, idem: quatenus dissimile, alterum effici cõfitebimur. THE. Necessario sequitur. SOC. An non suprà concessimus multa, atq; innumera agentia esse, similiter & patientia? THE. Concessimus. SOC. Quin & quod aliud est ab alio, cum alio & alio mixtum non eadem sed altera generabit. THE. Sic prorsus. SOC. Dicamus utique me ac te & alia secundum eandem rationem, Socratem scilicet bene ualentem, & Socratem ægrotantem, utrum simile hoc illi an dissimile esse dicemus? THE. Nunquid ægrotantem Socratem totum hoc inquis illi toti, Socrati scilicet bene ualenti? SOC. Recte nimium accepisti, hoc ipsum dicebam. THE. Dissimile plane & alterum. SOC. Nunquid sic ut dissimile? THE. Necesse est. SOC. Dormientẽ quoq; & uigilantem & quæcunq; suprà narrauimus similiter asseres? THE. Equidem. SOCR. Quodlibet eorum quæ natura efficere quicquã possunt, quando accipiet sanum Socratẽ, ut altero me utetur, quãdo debilẽ, ut altero? THE. Quid ni? SOC. Et altera in utroq; gignemus, ego quidem patiẽs, illud autem efficiẽs? THE. Nihil prohibet. SOC. Quoties uinum sanus bibo, suaue ac dulce mihi uidetur. THE. Certe. SOC. Ex his porrò quæ concessa sunt, agens & patiens, dulcedinem sensumq;

De somnijs & morbis contra Protagoram

Ambiguitas circa sõnia & res ueras

ſenſumq; progenuerunt,& utraq; mota:& ſenſus quidem à me exiſtens, ſentire linguam effecit:dulcedo autem à uino circa illud mota,dulce uinũ ſanæ linguę tam eſſe q̃ apparere fecit. THE. Sic prorſus ſuperiora conceſſa ſunt. SOC. Cum uero me ægrotantem accipit,principio quidem non eundem reuera apprehendit,diſſimili namq; aduenit. THE. Ita eſt. SOC. Deinde alia quædam Socrates ſic affectus & uini potio gignunt: circa linguam,ſaporis amari ſenſum:circa uinum,factam & motam amaritudinẽ: & hoc quidem non amaritudinem,ſed amarum,me uero non ſenſum,ſed potius ſentientem. THE. Omnino. SOC. Et ego nihil unquam aliud fiam ſic ſentiẽs.alterius enim alter eſt ſenſus, & alienum aliudq; ſentientem efficit:neq; illud me talem efficiens, aliquando congrediens alteri idem generans,tale quicquã exiſtet.Ab alio enim aliud generans,alienũ alterumq; fiet. THE. Vera hæc ſunt. SOC. Nec ego mihijpſi talis, nec illud ſibijpſi tale efficietur. THE. Non certe. SOC. Neceſſarium autem alicuius me fieri quando ſentiens fio.ſentiens enim nihil ſentire impoſſibile eſt.& illud quoq; neceſſe,alicui fieri quoties dulce aut amarum,aut aliquid huiuſmodi redditur.dulce namq; dulce nulli eſſe nõ poteſt. THE. Sic eſt omnino. SOC. Relinquitur igitur,ut opinor,ſiue ſimus, nos inuicẽ eſſe:ſiue fiamus,inuicem fieri:quandoquidẽ noſtram eſſentiam neceſſitas ipſa cõnectit. Cõnectit autem aliorum nulli,nec no biſipſis,inuicem ergo uinciri ſequitur.quapropter ſiue quis eſſe aliquid dixerit,ſiue fieri,ita accipiendũ eſt,alicui eſſe fieri ue uel alicuius uel ad aliquid:ipſum autem in ſeipſo quicq; eſſe uel fieri,neq; ipſe quiſquam profiteri debet, nec alteri aſſeuerãti concedere,quemadmodũ ratio ſuperior admonet. THE. Sic eſt prorſus ô Socrates. SOC. Nónne quandoquidem me efficiens mihi eſt nõ alij,ego quoq; ipſum ſentio, non alius? THE. Quid ni? SOC. Verus itaq; mihi ſenſus meus:meæ namq; eſſentiæ ſemper exiſtit,& ego ſecundum Protagoram,iudex tam eorum quæ ſunt,ut mihi ſunt, q̃ eorum quæ non ſunt,ut nõ ſunt. THE. Ita uidetur. SOC. Quid iam obſtat,quo minus ſciens exiſtam,quemadmodum & ſentiens? quippe cum nec decipiar,nec aberrẽ cogitatione circa ea quæ uel ſunt,uel fiunt. THE. Nihil prorſus. SOC. Egregie igitur ipſe dicebas,ſcientiam nihil aliud eſſe q̃ ſenſum.In idem ſane hæc concurrũt, ſecundum Homerum quidem & Heraclitũ, & omne id genus,uniuerſa decurrere fluminis inſtar:ſecundum uero Protagorã,ſapientiſſimũ hominem,rerum omnium eſſe menſurã,& poſtremo ſecundum Theætetum conceſſis ſuperioribus,ſcientiam eſſe ſenſum.nunquid ô Theęte,opinionem hãc dicemus eſſe quaſi tuam prolem nuper abs te quidem genitã,à me aũt in lucem obſtetricia quadã opera iam eductã? quid ais? THE. Ita neceſſe eſt ô Socrates. SOC. Hanc,ut uidetur, qualiſcunq; ſit uix tandẽ genuimus,poſt partũ uero ut mos eſt,quinta die ab eius natali ſolẽnia celebrantes circulum diſputationũ diſcurramus, uideasq; ne nos fallat,ſi forte educatione digna non ſit, ſed inanis & falſa: aut num cenſes tu natũ tuum omnino alendũ,nec ullo modo abijciendũ? An forte ſi reprobatum uideris primogenitũ tuum, non moleſte feres è medio tolli? THEO. Theætetus ô Socrates æquo animo feret. neq; enim moroſus eſt.uerum dic per deos,an nõ ita ſe res habet? SOC. Diſputationis auidus es,atq; uir bonus ô Theodore,qui me putes arcam quandam eſſe ſermonum,unde mox promã monſtremq; hæc non ita ſe habere:non aduertis quid ſit,quod nullus ſcilicet unquam ſermo à me manat,ſed ab eo ſemper qui mecum diſputat.Equidem ſcio nihil præter exiguũ quiddam,hoc eſt cum ſapiente aliquo rationem inire,& eam pro uirili percipere. Et nunc quidem id ex hoc conabor non ex meipſo dicere. THEO. Rectius ipſe ô Socrates,loqueris. Quare ſic efficias oro. SOC. Scis ô Theodore,quod ex iſtis amici tui Protagoræ in primis admiror? THEO. Quidnam? SOC. Cætera quidem ſatis mihi placuerunt, dum probat quod cuiq; uideatur id illi exiſtere: principium uero miratus ſum orationis,cur de ueritate ſcribere aggreſſus non ſuem dicat,uel prodigioſum canem rerum omnium menſuram eſſe,nec aliud quicquam mirabile ex his quæ ſentiunt.quo magnifice ſatis & prorſus contemptim exorſus eſſet,oſtendens quod nos eum tanquã numen propter ſapientiam miremur,cum nihilo plus ſapiat quàm rana Gyrina,nedum quàm hominũ quiſquam. aliter ne dicemus Theodore? Si enim cuiq; uerum eſt quod quiſq; per ſenſum opinatur, neque alterius affectũ alter melius iudicat,neq; opinionẽ alterius diſcernere alius alio magis quid ſit poteſt,uera ne ſit an falſa,ſed ut ſæpe iam repetiuimus,quiſq; ſua ſolũ opinat, & ea quidẽ recta omnia atq; uera ſunt, cur ô amice, Protagoras ipſe adeò ſapiens extitit,

Vide Suidã in dict. amphidromia

Quid ſe ſcire Socrates profiteatur

ut

ut aliorum præceptor mercede etiam ampla exhibita dignus admodum sit habitus, nos autem rudiores, eiusq; discipuli iudicandi? cum tamen quisque sapientiæ propriæ mensura sit. aut quomodo non dicamus in his Protagoram non nugari? Studium quoq; meum obstetriciæ facultatis ut transeam, quantum risum exhibebimus? Immo & omne disserendi officium inane. Nam conatus iste discutiendi refellendiq; uicissim phantasias & opiniones, cum rectæ sint omnes, nihil erunt aliud quàm manifesta delyramenta, si uera Protagoræ ueritas illa, quam uocat, est. atqui non iocatur illa, sed uelut ex adyto libri est locuta. THEO. O Socrates amicus cum sim, quemadmodum ipse modo dicebas, nunquam paterer concedente me Protagoram confutari, neque tibi rursus præter meam sententiam repugnare uellem. Age igitur omnia iterum cum Theæteto. Etenim apte nimium, diligenterq; obsecutus tibi fuisse hactenus uisus est. SOCR. Si Lacedæmonem profectus Theodore ad palæstram alios quosdam inertes nudato corpore exerceri uideres, an non operæprecium duceres speciem tuam nudis membris unà cum illis conferre? THEO. Quid uero? si me permitterẽt quemadmodum uos in præsentia permissuros spero, ut ego quidem solum spectem, neq; in gymnasium rapiar, uir dura iam cute, illi autem libentius cum iuniori molliorique luctentur? SOC. Atqui si tibi id ô Theodore iucundum est, neq; mihi etiam est molestum, ut trito prouerbio fertur. Aggrediamur itaq; rursus sapientem Theætetum. Dic obsecro Theætete primum quæ modo percurrimus: nónne tu quoq; miraberis, si subito nihilominus appareas sapiens quàm quilibet hominum uel deorum? aut nunquid Protagoream illam mensuram, ad deos minus quàm ad homines pertinere putas? THE. Non per louem, adeoq; quod rogas magnopere miror: dum enim suprà exponebamus, qua ratione quod cuiq; uidetur, id cuiq; uerum est, scite admodum dici uidebatur, nunc autem contraria confestim opinio subit. SOC. Iuuenis adhuc es ô amice, imò etiam puer, & idcirco concione facile persuaderis. Ad hæc enim Protagoras & quiuis alius eius sectator dicet: O generosi pueri atq; uiri, concioni animum adhibete considentes, deosq; in mediũ inducite, de quibus ego utrum sint an nõ sint neq; loquendum neq; scribendum censeo: & quæ multi audientes admitterent hæc dicite, (quod grauе esset, nisi quilibet uir cuilibet bruto sapientia longe præstaret) Demonstrationem uero necessitatemq; ne ullam afferatis, sed uerisimili tantũ ratione utimini. qua si uellet Theodorus aut quiuis alius geometra in disputationib. geometricis uti, nullius prorsus æstimaretur. Considerate igitur tu simul atq; Theodorus, utrum sermones tantis de rebus ratione probabili tantum confirmatos recipere uelitis. THE. Iniuste & tu ô Socrates & nos reciperemus. Sed iam alia res, quemadmodum inter te & Theodorum conueniebat considerանda. THEO. Alia certe. SOC. Sic utiq; cogitemus, sit'ne idem scientia & sensus, an aliud. Ad hoc enim omnis superior sermo uergebat, & huius gratia permulta, atq; miranda tetigimus. THE. Sic est omnino. SOC. Confitebimur quæcunque uidendo uel audiendo sentimus, eadem & scire? utputa barbarorum uocem antequam didicerimus dicemus non audire quando loquuntur? an audire scireq; simul? & literarum prorsus ignari, cum illarum contextum aspicimus, num uidere nos eas negabimus? an & scire si modo uideri mus, asseremus? THE. Idipsum ô Socrates quod in his cernimus & audimus, scire insuper affirmabimus: horum quidem figuram coloremq; inspicere & scire similiter, illorum autem acutam uocem & grauem audire pariter atq; scire. Quæ uero grammatici & interpretes de his tradunt, neq; sentire uidendo & audiendo, neq; etiam scire. SOC. Optime ô Theętete. Neque in his repugnandum tibi ut magis inde proficias, uerum aspice & aliud quod ad hæc accedit, qua ratione repelli uitariq; possit. THE. Quid isthuc? SOC. Hoc sane: si quis percontet, fieri'ne possit, ut quod quis quãdoq; sciuit, & adhuc memoria tenet fixumq; conseruat, idipsum tamen nesciat. In longum profecto sermonem traho, quærere cupiens, utrum aliquis quod didicit memoria retinens haud noscat. THE. Qui hoc fieri posset ô Socrates? Monstrum quod dicis esset. SOC. Ne ipse quoque delyrem aduerte obsecro. Videre nónne sentire dicis, uisionemq; sensum? THE. Aio. SOC. Qui aliquid uidet, nónne idem scit quod & uidet, ut præsens sermo proponit? THE. Certe. SOC. Memoriam aliquid uocas? THE. Voco equidem. SOC. Alicuius'ne, an nullius? THE. Alicuius certe. SOC. An non earum rerum quas didicit sensitq;? THE. Harum profecto. SOC. Quod quis uidit, quandoq; meminit? THE. Meminit. SOCR. Nunquid cum

Prouerbiũ Si tibi iucũdum, mihi nõ molestũ.

claudit

claudit oculos,etiã reminiſcitur: aut cum aliquid huiuſmodi facit,protinus obliuiſcitur? THE. Abſurdum hoc dictu ô Socrates eſſet.Cogitur tamen id fateri quiſquis ſermonem ſuperiorem ſeruare uelit,aliter autem minime. SOC.Ego quoq; per louem ſuſpicor, neq; dum ſatis intelligo. THE. Dic oro, quo pacto? SOC.Hoc ſanè.qui uidet, idem ſcit quod & uidet, ut confeſſi ſumus: nam uiſionem, ſenſum, ſcientiamq; idem eſſe conuenimus. THE. Conuenimus. SOC. Qui uero uidit, atq; ideo ſcit, meminit quod uidit, uel clauſis oculis,neq; tunc aliquid uidet. THE.Sic accidit. SOC.Non uidere autẽ,neſcire eſt, ſiquidem uidere ſcire erat. THE.Verum. SOC. Cõtingit itaq; quod quis quãdoq; ſciuit, etiam dum meminit id neſcire ſi non uidet. Quod quidem ſi fieret,monſtrũ quoddam fore prędiximus. THE. Vera loqueris. SOC.Nõnihil igitur impoſſibile uidetur accidere, ſiquis ſcientiam ac ſenſum idem eſſe poſuerit. THE.Sic apparet. SOC. Aliud ergo utrunq; fatendum. THE. Videtur. SOC. Quamobrem quid ſcientia ſit à principio iterum perquirendum.cæterum quidnam agimus ô Theætete? THE. Qua de re percontaris? SOC. Videmur utiq; mihi ignaui galli inſtar, antequam uicerimus ad cantandũ ſtatim proſilientes à diſputatione. THE. Qui iſtuc? SOC. Contradictorie uidemur aduerſus nominum conceſſiones confeſſi,& circa tale quiddam uerſati uerba rimari,in ipſisq; conſiſtere: cumq; nõ rabulas,ſed philoſophos nos eſſe profiteamur, nihil aliud tamen q̃ acres illi uiri clàm facimus interim. THE.Nondum quid uelis intelligo. SOC.Equidem quod in his ſentio, explanare conabor.quęſiuimus nũquid qui aliquid didicit ac meminit,neſciat:oſtẽdentesq; eum qui uidit,clauſis etiam oculis recordari,nec uidere tamẽ,neſcium ſimul & memorem demõſtrauimus,quod nimiũ impoſſibile.Atq; ita Protagorea fabula prorſus euanuit, ac tua ſimul, quæ ſenſum ſcientiamq; idem eſſe canebat. THE. Conſtat. SOC. Nequaquam ita, ut arbitror, ô amice, ſi pater alterius fabulæ ſupereſſet, ſed uehemẽtiſſime propugnaret.Nunc autẽ orphanam ipſam inſequimur expoliamusq;: neq; tutores quos reliquit Protagoras,è quorum numero unus eſt Theodorus hic,ſuccutrere uolunt.Verũ nos iuſticiæ gratia illi ſuffragari aggrediemur. THEOD. Non ego quidẽ ô Socrates, immo Callias Hipponici filius rerũ Protagoræ tutor. Nos profecto à nudis ſermonibus ad geometriam repente defleximus.Gratiã tibi tamen habebimus,ſi illi opem tuleris. SOC. Scite loqueris ô Theodore.Aduerte igitur qua uia ſuccurram.ſiquis minus uim uerborũ animaduerterit,qua plerunq; affirmare quicquã,& negare ſolemus, abſurdiora etiam ſuperioribus cõfiteri cogetur.Dicam tibi quemadmodũ,an Theæteto? THE. Vtriſq; communiter. Reſpondeat autem iunior. Nam redargutus minus uituperabitur. SOC. Difficilimam autem quæſtionẽ dico,ea uero eſt huiuſmodi: num fieri poteſt ut qui aliquid nouit,quod noſcit ignoret? THEOD. Quid reſpondebimus Theætete? THE. Impoſſibile ego quidem puto. SOC. Non utiq;,ſi uidere,ſcire eſſe poſueris. quid enim reſpondeas in euitabili quæſtioni,puteo quod dicit incluſus, ſi quis te uir intrepidus interrogauerit,manu alterum tibi tegens oculum, utrum tecto oculo ueſtem uideas? THE. Nõ hoc dicam, ſed altero. SOC.An non idem ſimul & uides,& non uides? THE. Ita quodãmodo. SOC. Haud equidem,dicet ille iubeo, uel quæſiui quo pacto, ſed utrum quod ſcis idem & neſcias.In præſentia uero quod non uides,uidere uideris: & ſuprà confeſſus es, uidere quidem ſcire eſſe,non uidere autem neſcire. Collige quid ex his aduerſus te concludatur. THE. Contraria planè eorum quæ propoſueram. SOC. Plura forſitan ô mirifice puer,tibi talia cõtigiſſent,ſiquis à te quæſiſſet,utrum ſcire liceat & acute, & obtuſe, & cominus quandoq; ſcire,eminus uero nequaquam,& uehementer idem atq; remiſſe, cæteraq; per multa.Quæ quidem inſidiando uir clipeatus, & ad dicendum mercede conductus quærens,quando idem ſcientiam ſenſumq; ponebas,te in auditum,olfactum, ac cæteros ſenſus ordine iniecíſſet,ſtudioſeq; & ſedulo nimium redarguiſſet.atq; te cõprehendens non prius te dimiſiſſet,q̃ tu eius exquiſitam ſapientiam admiratus ab eo uinctus eſſes:ubi captus atq; ligatus tanta te ipſe pecunia redemiſſes, quanta tu & ille ſtatuiſſetis. Quam igitur rationem,inquies forſan,pro tutandis opinionibus ſuis Protagoras aſſignabit? Nunquid aliud tentandũ eſt? THE. Et maxime quidem. SOC. Et hæc utiq; omnia quæ & nos opem illi ferentes dicimus,& contrà,ut arbitror,ibit,deſpiciens nos penitus,atq; ita obiectans:bonus iſte Socrates cum interrogaſſet puerum, utrum quis poſſit quod meminit, idem ſimul & ignorare, & ille perterritus negauiſſet, ex eo quod rem ipſam proſpicere

Prouerbiũ

Pro Protagora

non poterat, ridiculum me in disputatione monstrauit. res autem ô ignauissime Socrates, ita se habent. Quoties ex meis aliquid quærendo consideras, si interrogatus respondeat eadem quæ ego etiam responderem, refellaturq́, me quoq; redargutum existimato. Sin alia, ipsum solummodo qui respondit. Principio, putas ne aliquem concessurum tibi, memoriam adesse cuipiam, quando nō amplius patitur, earum rerum quas passus fuerit, & ipsam talem passionem esse qualis fuerat dum pateretur; permultum abest. An formidaturum censes admittere quod possit aliquis idem nosse simul & ignorare? Quod si forsitan minus audeat, daturum speras eundem esse dissimilem factum alicui prius quam fiat dissimilis existenti; magis autem hunc esse aliquem, sed non hos, & eos quidem infinitos effectos, siquidem dissimilitudo fiat, si modo aucupationes uerborum uitare inuicem oportuerit? Cæterum ô beate, generosius ea quæ dico, aggredere, meq́; si potes refelle, quod non proprij cuiq; nostrum sensus fiant: uel etiam si proprij sint, nihilo magis quod apparet, illi soli fiat: uel si esse oporteat, nominare liceat, cui apparet. Sues autem & prodigiosos canes dum narras, non ipse solum bestiam imitaris, sed eos qui audiūt, ut idem quoq; in mea scripta sibi permittant, persuades. Neque recte facis. equidem ueritatem habere se affero, quemadmodum scripsi. mensuram enim unumquenq; nostrum eorum quæ sunt, & quæ non sunt, esse: sed magnopere hoc ipso aliud ab alio discrepare, quod & huic alia sunt, apparentq́, & illi alia. Sapientiam uero & sapientem uirum nullo modo existere nego. Immo hunc ipsum sapientem uoco, qui illius conditionem cui mala uidentur, suntq́, permutans, bona apparere & esse sibi facit. Sermonem autem meum ne uerbis duntaxat persequere, uerum sic planius iterum quod dico, perdisce, & in memoriam dictum superius reuoca, quod ægrotanti amara uidentur quæ gustat, & sunt: bene ualenti contraria sunt, atq; uidentur. Sapientiorē utiq; horum neutrum ex hoc oportet asserere, neq; enim id fieri potest, neq; asserendum ægrotantem insipientem esse quia hæc putet, sanum contra sapientem, quia diuersa. Permutandum uero in alterum habitum. Alter enim habitus melior. Similiter in disciplina ab altero habitu in meliorem permutandum. Sed medicus quidem medelis transmutat, sophista sermonibus. Nemo enim efficit, ut qui falsò opinatur, uere deinde existimet: quippe cum ea quæ non sunt, opinari nemo ualeat, nec alia præter illa quæ patitur. hæc autem semper uera sunt. facere tamen quis potest, ut qui deprauati animi habitu cognata sibi opinatur, sana deinde mente diuersa quędam existimet, quæ plerique ob imperitiam phantasmata uera nominant. Ego autem meliora alijs alia dico, ueriora nequaquam. Sapientes præterea, ô amice Socrates, nullo pacto ranas nuncupo, immo secundum corpora, medicos: secundum plantas, agricolas. Aio equidem hos uiros plantis suis pro deprauatis sensibus quoties tale aliquid ægrotat, bonos integrosq́ & ueros sensus inferre: sapientes quoq; & bonos rhetores ciuitatibus bona pro malis uideri iusta efficere: quoniā quæcunq; ciuitati cuilibet iusta honestaq́; uidentur, hæc sunt & illi talia quamdiu sic putat: sed sapiens pro malis his singulis, bona & iudicari & esse efficit. Eadem ratione sophista eos qui eruduntur, sic erudire potens, sapiens est, dignusq́ ampla mercede apud auditores habetur. Atq; ita alij sapientiores alijs sunt, neq; ullus tamen falsa putat: & tibi hoc ipsum, uelis, nolis, cum rerū mensura sis, admittendū. hic enim sermo in his seruatur. Cui si quo modo à principio iterum repugnare potes, repugna oratione congressus. Quod si interrogando uis, interrogando perage. Neq; enim hoc fugiendum, sed omnium maxime his qui sanæ mentis sunt, persequendum. Sic tamen id effice, ne interrogando sis iniurius. Absurdū est profecto eum uirum qui uirtutem meditari se præcipue profitetur, in sermonibus semper iniurium esse. Afficere autem iniuria in his est, quum quis non seorsim quidem certando exercetur, seorsim uero differendo: & in illo quidem scilicet certamine iocatur, fallitq́; pro uiribus, in hoc autem disputatione uidelicet, seriò agit & corrigit disputantem, eos illi duntaxat errores indicans, quibus ipse & ex ipso & ex præteritis disputationibus abductus est. Si ita feceris, seipsos qui tecum uersabuntur, non te, perturbationis defectusq́ sui causas esse confitebuntur, teq́ protinus sectabunt & diligent, seipsos contrà odio habebunt, & à seipsis ad philosophiā confugient, ut alij quodāmodo effecti, habitum pristinum deponant: si autem contraria feceris, quemadmodum alij quoq; permulti, contraria etiam tibi cōtingent, & familiares pro philosophis, studij huius inimicos cū adoleuerint, reddes.

Si igi-

Si igitur mihi parueris, quod & suprà dictũ est, haud hostiliter contentioseq́, sed placido mitiq́ animo assentiẽs, cõsiderabis quomodo moueri dicamus oĩa, & quomodo quod cuiq́ uidetur, hoc & priuatim & publice sit, & ex his inquires utrum idem an aliud scientia sit, & sensus: neq́ ut modo cœpisti, ex uerborum nominumq́ consuetudine differes, quæ multi quocũq́ libet, trahentes, uarios dubitationũ inij́ciunt scrupulos. Hæc ô Theodore, in defensionẽ amici tui tentaui pro uiribus, parua quidem à paruis. Si enim ipse uiueret, fortius magnificentiusq́ pro seipso pugnaret. THEOD. Iocaris ô Socrates. nam fortiter, p illo certasti. SOC. Recte loqueris ô amice. Sed mihi dicas. Aduertistine quod iam pridem Protagoras nos increpet, quod cum puero disputãtes metu puerili aduersus eius scripta depugnemus? cumq́ ipse genus hoc urbanitatis reij́ceret, mediocritatem uero in omnibus mire tolleret, serio in eius dictis uersari nos iussit? THEOD. Quid ni ô Socrates, animaduerterim? SOC. Quid ergo? iubes nos illi parere? THEO. Summopere. SOC. Cernis hos omnes, excepto te, pueros esse? Quare si illi credimus, me simul ac te oportet interrogando uicissim & respõdendo seriò sermonem eius examinare, ne iterum nos in cuset, quod ludentes cum pueris, sermonem suum exagitemus. THEOD. Quid prohibet quin Theætetus melius quàm multi barbati uiri scrutantẽ te assequatur? SOC. Non tamen te, ô Theodore, melius. Ne igitẽ censeas oportere me amico tuo defuncto omnem opem afferre, te uero nullã: uerum sequere me obsecro paulisper, quoad hoc duntaxat inueniamus, utrum te deceat in figuris geometricis esse mensurã, aut omnes æque ac tu in astronomia cæterisq́ facultatib. in quibus tu merito præstare uideris, periti sint. THEO. Difficile est ô Socrates, ut qui tibi assidet, roganti non respondeat. Delirabam profecto paulo ante, cum dicerem te concessurũ mihi ne ad pugnam accingerer, & Lacedęmoniorum more ne compellerer. Nunc ad Scirronem potius declinare uideris. nam Lacedęmonij́ exui uel abire iubent. Tu autem Antæum imitari uideris. Cõgredientem namq́ non prius dimittis, q́ nudatum tecum certare coegeris. SOC. Congruam ô Theodore, morbi mei similitudinẽ reperisti. Robustior tamen illis ego sum. Innumeri enim iam Hercules & Thesei fortes in dicendo uiri mecũ congressi, defatigati sunt, ego tamen nihilo magis desisto, adeò me exercitationis huius uehemens amor inuasit. Neq́ tu igitẽ mihi inuideas, quo minus mecum exercitatus, te simul ac me iuues. THEOD. Haud ultra repugno, ducas quà lubet. Prorsus hanc quasi fatalem necessitatem quã tu constituis, conuicto ferenda est. Neq́ tamen ultra ea quę proposuisti, me tibi exhibere possum. SOC. Sat istud erit, sed id mihi obserua, ne clam in puerilem loquendi ritum labamur, & ob eam causam nos aliquis iterum carpat. THEOD. Conabor sanè pro uiribus. SOCR. Hoc igitur in primis quod suprà tetigimus, resumamus, utrum recte, nec ne sermonẽ illius improbauerimus, quo ille unumquenq́ ad sapientiam sibimet sufficere dicit. Nobis porrò concessit Protagoras, in eo q̃d melius uel deterius inter se pleroscq́ differre, & eos sapientes esse. an non? THEOD. Concessit. SOC. Si enim ipse sua hæc præsens confessus esset, non autẽ nos in eius fauorem concessissemus, nihil opus sit repetendo eadem confirmare. Nunc aũt cum uideri fortasse possit, non satis idoneos dogmatũ illius assertores nos esse, præstat perspicue ut se res habet cõcedere. Nam nõ parum interest, sic an aliter habeat. THEOD. Vera loqueris. SOC. Igitẽ non ex alienis, sed ex suo duntaxat sermone q́ breuissime consensum accipiamus. THEOD. Qui? SOC. Sic. Quod cuiq́ uidetẽ, id illi cui uidetẽ esse dixit. THEO. Dixit certe. SOC. Nunquid igitur & nos ô Protagoras hominis immo hominũ omnium opiniones dicimus, asserimusq́ neminem prorsus partim quidem se q́ alios sapiẽtiorem putare, partim uero alios sapientiores q́ se. An non enim in maximis periculis, quoties in castris, aut morbis, aut mari fluctuãt, quasi deos habent eos qui singulis in rebus præstãt, seruatoresq́ suos putant, nulla alia re cæteris q́ scientia præcellentes? & per omnia humana quærentibus præceptores ac duces suij́psorum aliorumq́ animantiũ atq́ operum, qui cõmuniter æstimantur tam ad docendum quàm ad imperandum sufficere? In his omnibus quid aliud dicemus, quàm quod homines inter se sapientiam & ignorantiã esse putent? THEOD. Nihil aliud. SOC. Nónne sapientiam ueram cogitationem esse ducunt, ignorantiam uero, falsam opinionem? THEOD. Quid ni? SOC. Quorsum ô Protagoras, sermonem uertemus? Vtrum homines uera semper opinari dicemus? An aliquando uera, falsa nonnunquam? Vtrinq́ enim sequitur, ut non semper uera, sed utraq́ opinentur.

Attende enim Theodore, uelit'ne Protagoras, aut tu forsan ipse cõtendere, quod nemo quisquam sit, qui quenquam uel imperitum esse, uel falsa opinari putet. THEOD. Incredibile hoc ô Socrates. SOC. Atqui in hãc necessitatẽ sermo ille delabitur, qui mensuram omniũ hominem prædicat. THEOD. Quo pacto? SOC. Cum tu aliquid apud te statuis, deinde mihi opinionem tuam declaras, tibi quidem secũdum illius sermonẽ uerum esto, nos autem nónne sententiæ tuæ iudices fieri possumus, an opinari semper te uera iudicamus? Quin potius innumeri homines tecum quotidie pugnant contra quàm tu opinantes, putantesq; te perperam iudicare atq; opinari. THEOD. Per Iouem ô Socrates, quàm plurimi sunt, ut inquit Homerus, qui mihi ex hominib. negocia facessant. SOC. Quid ergo? Vis dicamus, tunc te quidem tibiipsi uera opinari? permultis aliis aũt falsa? THEOD. Ex his quæ dicta sunt, necessariò sequi uidetur. SOC. Quid ipsi Protagoræ? An non necessarium? Si enim nec ipse putasset hominẽ esse mensuram, neq; etiam multi isti, ut neq; putant, nulli hanc ueritatem esse oporteret quam ipse scripsit. Sinautẽ ipse quidem censuit, multitudo autem non consentit, scito in primis quo plures sint hi quibus non uidetur, q; quibus uidetur, eo magis non esse q; esse. THEOD. Necesse est. siquidẽ secundum opiniones singulas & erit & non erit. SOC. Deinde hoc habet pulchre. Ille eñ circa suam opinionem dissentientiũ sententiam, qua illum mentiri credunt, quodãmodo ueram esse consentit dum uera opinari cunctos fatetur. THEOD. Absq; dubio. SOC. An non suam esse falsam admittit, si iudiciũ illorum qui falsa illum opinari uolunt, uerum esse fatetur? THEOD. Necessariũ. SOC. Alij autem sibiipsis mentiri nequaq; concedunt. THEOD. Non certe. SOC. Hic uero & hanc ueram opinionẽ ex his quæ scripsit fatetur. THEOD. Patet. SOC. Ex omnibus igitur quæ Protagoras ædidit, ambigetur, imò ab illo ipso maxime concedeẽ. nam si eum qui contradicit, uera opinari concedat, tunc sanè & ipse Protagoras confitebiẽ, neq; canem, neq; quemuis hominũ esse mẽsuram, aut omniũ, aut unius etiam quodcunq; nõ didicerit. An non ita? THEOD. Ita certe. SOC. Cum ergo ab omnibus dubiteẽ, nulli Protagorę ueritas uera erit, nec alijs, neq; etiam sibiipsi. THEOD. Longe nimis in amicũ meum ô Socrates, inuehimur. SOC. Quid si & rectũ præteruehamur? Verisimile est enim cum senior fuerit, sapientiorẽ nobis quoq; fuisse. Qui si repente humeros tenus hic emicans nos inuaderet, in multis tam me delirantẽ ut probabile est, q; te consentiẽtem refelleret, deinde protinus euanescere. Verũtamen uti nobis ipsis talibus oportet, qualescunq; sumus, & quæ uidentur eadem semper fateri. Et nunc quidẽ quem libet concessurum dicamus, hoc ipsum uidelicet aliquid aliud esse, propterea quod alius alio sapiẽtior inscitior' ue existat. THEOD. Mihi quidem uidetur. SOC. Nunquid in hoc maxime insistere sermonem dicemus, quod ipsi quoq; cõcessimus, astipulantes Protagoræ: multa quidem quæ uidentur, ea cuilibet esse, calida, sicca, dulcia, cæteraq; huiusmodi? Quod si in quibusdã differre alium ab alio confitebiẽ, circa salubria & noxia, asseret utiq; non quamlibet mulierculam, puellamq;, & brutum ad seipsum curandum per salubrium cognitionem sufficere: sed in hoc ut usquam maxime differre. THEOD. Idem mihi quoq; uidetur. SOC. Prẽterea nónne in ciuilibus etiam, honesta & turpia, iusta & iniusta, sanctaq; & impia, quæcunq; ciuitas unaquęq; existimans ponit sibi legitima, eadem reuera unicuiq; esse dicet? Atq; in his nihilo sapientiorẽ esse priuato priuatum, ciuitateq; ciuitatem? At uero in eo quod utilia & inutilia sibi respub. statuunt, hic ut usquam confitebitur consultorem consultore, rempublicam repub. in ueritate inuenienda differre. Neque audebit unquam hoc admittere, ut quæcunq; ciuitas aliqua utilia sibi putans instituit, eadem semper illi conducant. Sed tibi quidem dico, in ipsis iustis iniustisq;, sanctis item & prophanis præsidium causæ ponũt, nihil scilicet eorum suapte natura substantiã aliquam habere, sed quod cõmuniter uidetur, id tum cum uidetur, uerum esse, & quamdiu uideẽ. Et quicunq; non omnino sententiã Protagoræ referunt, sic quodammodo philosophantur. Nos uero ô Theodore, disputatio è disputatione maior subinde è minore emergens, occupat. THEOD. Haud igitur otiosi sumus ô Socrates. SOC. Haud uidemur. Et sæpe aliâs ô beate uir, hoc animaduerti, & nunc maxime, ꝙ non ab re quicunq; diutius in philosophia uersantur, ubi ad forum sese contulerunt, ridiculi rhetores prorsus apparent.
THEOD. Qua ratione hoc ais? SOC. Videntur hi qui in iudicijs & foro ab ineunte ætate iactantur, ad eos qui in philosophia & huiusmodi studijs assuefacti sunt collati, ut seruis

inter

inter liberos educatis esse similes. THEOD. Quo pacto? SOC. Ex eo quod his quidem ut tu dicebas, semper otium adest, otioq; tranquillo confabulantur: quemadmodum & nos in præsentia tertio iam sermonem instauramus. Sic & illi, siquid ultra propositã quæstionem quod magis eos forte delectet, inciderit, quemadmodum in præsentia nobis contingit, nihil curant, prolixius ne an breuius loquãtur, modo ueritatis compotes fiant. Illi autem temporis angustijs in loquendo sollicitantur. Vrget enim aqua defluens, neq; licet de his quæ cupiunt uerba facere: sed necessitatem aduersarius affert, libelli formulam adducens extra quem nihil dicendũ, quod iuramentum calumniæ cauendæ uocant. Sermones autem semper de conseruo contra eum dominum qui in iudicio sedet, & manu sentẽtiam tenet. Certamina quoq; nunquam frustra, sed ad rem semper, sæpe etiam de nece & uita agitur. Vnde intenti acresq; fiunt, scientes domino tam uerbis adulari quàm operibus obsequi pusillanimes, & non rectis animis præditi homines. Nam animi magnitudinem, rectitudinem & libertatem seruitus à pueritia sustulit, cogens obliqua peruersaq; patrare facinora, dum discrimina magna formidinesq; mollib. adhuc incuteret animis. quæ omnia cum non possint cum iustitia & ueritate perferre, cõfestim in mendacia mutuasq; iniurias conuersi, flectuntur undiq; atq; confringuntur, adeò ut nihil amplius sanę mentis habentes ex adolescentibus in uiros euadant, facundos sapientesq; ut ipsi putant. Atque hi quidem tales sunt ô Theodore, nostri autem chori homines uis referamus? An dimittentes potius ad sermonem propositũ reuertamur? ne, ut paulo ante dicebamus, sermonis libertate digressionemq; nimium abutamur? THEOD. Nullo modo ô Socrates, sed referamus. probe namq; dicebas quod in philosophorum choro nõ nos sermonibus, sed nobis sermones seruiant, ut ùnusquisq; illorum perfici à nobis sustinet tum, cum nobis uidetur. Nec enim uel iudex, uel spectator, quemadmodum poetis illis, censor & dominus noster futurus, nobis præsidet. SOC. Dicamus igitur postquã tibi uidetur, de his qui egregij sunt. Quid enim de his qui philosophiæ studio abutuntur? Illi igitur ab ineunte ætate primum quidem uiam in forum ignorant, neq; iudicium, aut consilium, aut concilium ciuitatis aliud ubi sit, norunt: leges autem decretaq;, uel promulgata, uel scripta, nec uidẽt, nec audiunt. Factiones autem sodalitatum, quæ ad magistratus creandos spectãt, & congressus, & cœnas, & lasciuiora conuiuia neq; somniãt quidem. Iam bene ne an male urbs iam olim habuerit, aut quod cui malum, turpis ue nota à maioribus suis seu fœminis, seu uiris sit, magis eos latet quàm maris, ut dici solet, arenæ. Atq; hæc omnia etiam nescire se nescit. neq; enim uulgaris gloriæ gratia ab his abstinet, sed reuera corpus duntaxat illius in urbe habitat, atq; uersatur: mens autem hæc omnia parui, immo nullius æstimãs passim uolat, ut ait Pindarus, & quæ sub terra sunt, & quæ suprà dimetiens, & arte cœlum transcendens, omnem perscrutata naturã rerum omnium quæ ad uniuersum pertinent, his autem quæ prope sunt solis, nullo modo applicans se. THEOD. Quo pacto id ais ô Socrates? SOC. Quemadmodum Thaletem, dum cœlum suspiceret intentus sideribus, in foueam cadentem Thracensis quædam eius ancilla facete nimium carpsit, quod quæ in cœlo sunt, peruidere contenderet: quæ uero proxima & ad pedes, non uideret. Idem similiter omnibus qui in philosophia uersantur, obijci potest. Latet enim philosophum non modo quid agat eius proximus, sed ferè homóne sit, an brutum. Quid autem homo ipse sit, quæue actio aut passio ipsius hominis ꝓpria, studiose perquirit. Intelligis ô Theodore, an non? THEOD. Intelligo equidem, & quod dicis, approbo. SOC. Enimuero ô amice, ut in superioribus diximus, siquando uir talis uel priuatim cum aliquo, uel publice in iudicio, siue alibi de his quæ ad pedes & in conspectu sunt, differere cogitur, risum mouet non Thracensibus solum, uerum etiã cæteris gentibus, quippe cum in foueas ambiguitatesq; multas propter harum rerum imperitiam incidat. Vbi absurda quædam ineptitudo ignauiæ notam inurit. Nam cum fortè uituperandus aliquis est, nihil habet quod in opprobrium afferat, utpotè uitiorum ignarus, quandoquidem singula singulorum mala nunquam animaduertit. ergo tanquam nescius irridetur. In laudandis quoq; extollendisq; hominibus, quum nihil simulet dissimuletue, sed aperte rideat, delirus esse uidetur. Etenim quum tyrannum aut regem laudari sentit, unum quendam subulcum aut pastorem ouium, uel bubulcũ extolli existimat, quod abunde mulgeat. id tamen interesse censet, quod reges & tyranni infensius & insidiosius animal curent & mulgeant. Agrestes uero

De philosophorũ otio & more disputandi

Nunquã libere dicere oratorẽ posse, sed uel iudicẽ semper metuẽdum esse

Prouerbiũ

Thaletis casus

Ad disputationes foren ses ineptus philosoph.

uero & rudes non minus propter otium, quàm paſtores, illos eſſe neceſſe eſt, ſic mœnibus in urbe circumdatos, ut paſtor caula in monte. Cum uero agrorum decem milia iugera, aut plura etiam prædicari audit, quaſi magnũ quippiam ab illo qui habeᵗ, poſſideatur, exigua quædam audire ſe putat, quippe qui uniuerſum terræ orbem ſpectare ſit ſolitus. Quoties præterea quis generis nobilitatẽ refert, quod ſeptem auos diuites omẽs enumerare ualeat, hebetis nihilq; magnum propter ignorantiam cogitantis animi laudes huiuſmodi cenſet quaſi ad totius mundi naturam reſpicere nequeat, & uidere quod innumeri unumquenq; noſtrum aui atq; proaui anteceſſerunt, quorum in numero diuites & inopes, reges & ſerui, Barbariq; & Græci innumerabiles præceſſere. Quinetiam quando quis ſtirpem quinq; & uiginti maiorum dinumerat, & in Amphitryonidẽ Herculem originem refert, indigna memoratu res illi uidetur. Quod emˉ ille iam inde ab Hercule quintus & uigeſimus talis eſt, cum talem fortuna fecerit, etiamſi quinquageſimus ab Hercule ſit, ridet, tanquam eos qui reputare & abigere inſanę mentis uanitatem non poſſint. in his omnibus philoſophus uir uulgo ridiculus habeᵗ, partim quia ſuperbus cõtemptorq; apparet, partim quia quæ palã ſunt, ignorat & ambigit. THEOD. Rem ipſam ô Socrates ut accidit, enarraſti. SOC. At cum is aliquem ô amice, ad ſupera trahit, & ille paratus hinc decedere, miſſis litibus in quibus quæritur in quo ego te, aut tu me læſeris, ad ipſius iuſticie iniuſtitiæ ue ſpeculationẽ aſcendit, quid utraq; ſint, quo ab aliis omnibus inter ſe diſcrepent: uel etiam cõtrouerſia illa dimiſſa qua quęritur, utrum rex beatus ſit, qui multum auri poſſidet, ad cõtemplationem regni ipſius beatitudinisq; humanæ atq; miſeriæ, qualia cuiq; ſint, & quo pacto humanæ naturæ cõueniat hoc adipiſci, illud fugere: quando in quam, oportet de his omnibus rationem reddere puſillanimem illum & acerrimum cauſidicum, tunc ſanè uiciſſim pœnas philoſopho pendet. Vertiginẽ enim patitur ab excelſa ſpecula caligantibus oculis, utpote qui ſuperne proſpicere ſit inſolitus. Mœret quoq;, titubat, & barbarica profert. Quocirca riſum non Thracibus, neq; rudi cuipiam mouet, neq; enim perſentiunt, ſed illis potius omnibus qui libere & procul à ſeruili uita educati ſunt. Hæc ô Theodore, utriuſque conditio. Altera quidem hominis illius, qui libertate & otio eſt educatus, quem philoſophum uocas. Qui cum reuera uituperari non debeat, tamen fatuus & ineptus apparet, quotieſcunq; ſeruilia aggreditur miniſteria, quum neque ſtramentorum ſarcinas colligare, neq; obſoniorum condimenta conficere, neq; adulatoria blandimenta uerborum confingere poſſet. Altera eſt hominis illius conditio, qui hæc expedite celeriterq; ſubminiſtrare poteſt, ſed decenti liberi hominis ueſtitu commode uti neſcit. Sermonis inſuper harmonia conuenienti deorum & hominum beatorum uitam ueram canere prorſus ignorat. THEOD. Si cæteris hominibus ea quæ dicis ô Socrates, æque ac mihi perſuaderes, pax amplior, & mala pauciora inter homines naſcerentur. SOC. At impoſſibile eſt ô Theodore, mala penitus extirpari. Nam bono oppoſitum aliquid eſſe ſemper neceſſe eſt. Neque illa tamen apud deos locum habere poſſunt. Naturam uero mortalem, regionemq; inferiorem neceſſariò circumeunt. Quare conandum eſt, ut hinc illuc quàm celerrime fugiamus, fuga autem eſt ut Deo ſimiles pro uiribus efficiamur. Deo ſimiles efficit, cum prudentia, iuſtitia ſimul & ſanctitas. Cæterum ô uir optime, haud facile id perſuaderi poteſt, quod non illius gratia cuius uulgus exiſtimat, ſequenda uirtus, & uitium fugiendum: hoc eſt, ne malus uidearis, utq; bonus appareas. hæ namque anicularum nugæ mihi eſſe uidentur. Sed quod uerum ſit, ita dicamus. Deus nuſquam & nullo modo iniuſtus, ſed quàm iuſtiſſimus, totam uidelicet iuſtitiæ complexus poteſtatem, nihilq; illius ſimilius quàm iuſtiſſimus homo. Circa hoc uera induſtria et fortitudo uiri, necnõ inertia imbecillitasq; uerſatur. Horum ſanè cognitio uera uirtus & ſapientia: ignoratio contrà, inſcitia & improbitas manifeſta. Aliæ uero quæ facultates ſapientiæq; uidentur, in ciuilibus quidem magiſtratibus moleſtę ſunt, in artibus autem cæteris illiberales. Illi igitur qui aliquid inique patrauit, & prophana uel dicit uel facit, ei multo tutiſſimũ eſt, ſi nihil uafricie poſſit, ne artibus malis utatur. Exultant enim opprobrio huius generis homines, ſeq; minime abiectos & inanes homunculos uideri, nec terræ, ut dicitur, pondus iners: ſed uiros tales qui tutò in republica uerſari ualeant. Ideoq; ueritas exprimẽda eſt, quod eo magis tales ſunt, quales nõ putant, quo minus putant: iniuſtitiæ quippe mulctam ignorant, quam ignorare minime decet. Neq; enim eſt

Impoſsibile eſt mala penitus extirpari

Mala in inferioribus

Prouerbiũ

quam

quam forsitan opinantur,uerbera atq; cædes,quæ sępe hi patiunt, qui iniustum nihil egerunt,& iniusti sæpe deuitant,sed ea potius quæ uitari non potest. THEOD. Quam dicis? SOC. Cũ in rerum ordine ô amice exemplaria duo sint,diuinum quidem beatissimum, quod uero dei expers miserrimum,non uidentes ita rem se habere,stultitia extremaq; dementia occupati,latenter huic quidem similes ob actiones iniquas redduntur,illi contrà dissimiles.Cuius profecto delicti pœnas pendent,dum uitam illi conuenientem cui similes effecti sunt,ducunt.Enimuero si dixerimus,quod hos quidem, nisi à nequitia cessauerint,uita functos locus ille malorum expers non capiet,isthic autem propriæ uitæ similitudinem gerent semper unà cum malis mali uersantes,respõdebunt astuti malitiosiq; homines deliramenta quædam sese audire. THEO. Et maxime quidem ô Socrates. SOC. Noui equidem ô amice.Vnum hoc saltem illis accidit,quod siquando priuatim reddere uicissim & afferre in medium rationes eorum quæ uituperant necesse sit, uelintq; uiriliter disputandi moram perpeti,neq; ignaue fugere:tunc demum,quod absurdum est, sua etiam ipsorum dicta improbabunt.eorumq; rhetorica penitus euanescit,ut nihilo differre à pueris uideantur. Verum his iam finem cum præter propositum sint, imponamus. Alioquin materies undiq; plurima confluens sermonem à principio institutum obruet. Reuertamur igitur ad priora, si tibi quoq; uidetur. THEO. Mihi quidem ista ô Socrates nihilo molestiora auditu contingunt. Facile nanq; qua ætate sum hoc assequor. Veruntamen si tibi placet,redeamus illuc unde digressi sumus. SOC. Eo profecto disputando deuenimus,ut diceremus eos qui essentiã omnem in agitatione ponebãt, quod'ue cuiq; uidetur,hoc eidem existere,in cæteris quidem rebus uehemẽtius hoc asserturos,in iustis autem non minimum:quod omnino quęcunq; ciuitas ut iusta sibi apparentia statuit, hęc eatenus illi iusta sunt,quatenus statuta permanent. At uero neminem fortem adeo futurum, qui idem in bonis utilibusq; contendere audeat, quod uidelicet quæcunq; utilia sibi apparentia instituit ciuitas,hæc eatenus illi conferentia sunt,quatenus talia statuta fuerint,nisi forte quis nomen dixerit: hoc autem ad id quod uolumus scomma esset potius. nónne? THEO. Proculdubio. SOCR. Ergo non ita ducendum. immo quod tale ciuitas nuncuparit,ad id condendis legibus respicit,ac leges singulas quoad putat & potest,quã maxime sibi utiles,condit. Num aliud in legibus ferendis intendit? THEO. Nihil aliud. SOC.Nunquid uoti compos semper efficitur? an sæpe eam fallit opinio? THEO. Sæpenumero fallit arbitror. SOC. Hac præterea ratione quisq; magis hæc eadem confitebitur,si quis de omni specie percontetur in qua utile consistit. Est autem quodammodo & circa futurum tempus. Nam quoties leges condimus, ut in posterum profuturas condimus,quod quidem futurum rectius uocaremus. THEO. Maxime. SOC. Agedum ita uel Protagoram uel quemuis alium sectatorem eius interrogemus. Omnium rerum hominem ô Protagoras mensuram asseris, alborum, grauium, leuium, & uniuscuiusq; talium. Nam cum iudiciariam illorum uim in seipso contineat, & qualia patitur talia iudicet,uera sibi,& quæ sunt, iudicat. An non ita? THEO. Ita plane. SOC. Nunquid & futurorum ô Protagoras dicemus,habet uim iudiciariam? & qualia putat sibi hæc fore, talia sibi existimanti contingunt. cum medicinæ quispiam imperitus in febrim sese incursurum putat,atq; ita sese calefactum iri:medicus autem repugnat,contraria opinatus: utrius illorum ueram opinionem futurã ducimus? num utriusq;? & medico quidem neq; calidum neq; febricitantem futurum, sed sibijpsi utrunque? THEOD. Ridiculum quidem id esset. SOC. Quinetiam de uino quod dulce uel austerum futurum sit, agricolæ, non citharistæ opinio prævalet. THEOD. Quid ni? SOC. Neque de consonante, dissonante'ue futuro,gymnasticus melius quàm musicus opinatur, quod deinde ipsi gymnastico consonans esse uidebitur. THEOD. Nullo modo. SOCR. Quando uero paratã mensa offerendæ sunt epulæ,ac de futura illarum suauitate aliquid prædicendum, nónne coqui opinio potior quàm alterius cuiuslibet popinariæ imperiti? De eo quod uel est uel fuit suaue cuique, non pugnamus, sed de illo potius quod in posterum esse cuique & uideri debet: utrum sibi quisque idoneus iudex, an tu potius Protagoras quod circa sermones probabile singulis in iudicio futurum est, rectius quàm quiuis rudium præuideres? THEOD. In hoc ipso in primis ô Socrates præcellere cunctis Protagoras est professus, SOCR. O miser. nemo per Iouem illum oblata pecunia sectatus fuis-

ſet,niſi familiaribus perſuaſiſſet, quod probabile in poſterum erit, uidebiturq́, neq; uatem neq; aliũ quemuis melius quàm ſe unicum præſagire. THEO. Vera loqueris. SOC. An non legum quoq; lationes utilitasq́ ad futurum ſpectãt? & quilibet abſq; cõtrouerſia fateretur conſtitutionẽ reip. ab eo quod utile eſt, ſæpius aberrare? THEO. Valde. SO. Satis iam aduerſus præceptorem tuum dictum ſit, quod fateri cogitur, alium alio ſapientiorem exiſtere, eumq; talem menſuram eſſe. Me autẽ cum expers ſcientiæ ſim, nihil menſuram fieri cogit. quemadmodum ſermo nuper illius urgebat, quod uidelicet ſeu uelim ſiue nolim talis eſſem. THEO. Ex illo ô Socrates maxime conuinci illius ſermo uidetur, & ex hoc nonnihil, quod aliorũ opiniones ualidas efficit: hæ uero ſermones illius palàm reprobant, falſos exiſtimantes. SOC. In multis inſuper ô Theodore deprehẽdi hoc licet, non omnem omnium opinionem ueram exiſtere. Sed circa præſentem cuiq; paſsionem, ex qua ſenſus, & ſecundum ſenſus opiniones naſcuntur, difficilius deprehenditur ſenſus opinionesq; ueras nõ eſſe. Fortè uero nihil dico. Nam ſi affecutæ ſunt, conuinci non poſſunt: & qui illas certas atq; ſciẽtias eſſe aſſererent, forſitan non aberarẽt. Et idcirco Theætetus hic haud ab re inquit ſenſum & ſcientiam idem eſſe. Quamobrẽ propius accedendum eſt, quemadmodum Protagoreus ſermo præcepit, & hanc agitatam eſſentiam pulſando examinandum, integrum ne an colliſum ſonum reddat: pugna utiq; de illa non me diocris, nec inter paucos extitit. THEO. Permultum ſane abeſt ut uilis contentio ſit, quæ per Ioniam paſsim propagata eſt: ſiquidem Heracliti ſtudioſi huic ſermoni ſummopere ſuffragantur. SOC. Propterea ô amice Theodore à primordijs hæc inſpicienda ſunt ut illi opponunt. THEO. Omnino. etenim ô Socrates de Heraclíticis, uel, ut tu ais, Homericis, ac etiã antiquioribus iſtis apud Epheſios eos præſertim qui peritiores uideri uolũt, non magis quàm apud œſtro concitos loqui licet. Plane enim ſcripta illorum impetu feruntur. Mora autẽ expectatioq; in ſermone & quęſtionibus & quies inter reſpõdendum interrogãdumq;, minus illis adeſt, q̃ quod nihil. Immo etiam minus quàm nihil: adeo parum uiris illis bonitatis animo eſt: ſed ſiquem illorum aliqua de re interroges, tanquã ex pharetra obſcura uerbula depromentes ſagittant. Et ſi huius rationem perquiras, altera quadam ſed nomine mutato feriũt: nunquã uero cum illorum aliquo quicquã perficies, neq; ipſi inuicem. Idq; unum obſeruantiſsime curãt, ut nihil ſtabile aut in ſermone aut in animis ſuis eſſe permittant, putantes (ut mihi uidet) idipſum ſtabile eſſe, atq; id totis uiribus inſectantur, & undiq; uehementer expellunt. SOC. Forſitan ô Theodore hos uiros in pugna uidiſti, in pace uero nequaquam. Neq; enim amici tibi ſunt. Verum talia quædam diſcipulis ſuis, ut arbitror, in ocio dicunt, quos ſimiles ſibi reddere uolunt. THEO. Quibus diſcipulis ô beate? Neq; enim inter iſtos alter alterius fit diſcipulus, ſed ſpõte naſcuntur, undecunq; cõtingit eorũ quenq; furore corripi. Atq; alter alterum ſcire nihil exiſtimat. Ab his itaq; rationem ut modo dicebam nullam unquam accipies, nec uolẽtibus nec inuitis. Nos autem oportet tanquã propoſitione accepta conſiderare. SOC. Scite loqueris. ſententiam ſiquidem aliam quandam accepimus à priſcis poemate uulgus hominum celantibus, quod origo aliorum omniũ Oceanus ſcilicet atq; Tethys ſit. quodq; fluxus ſint omnia, nihilq; cõſiſtat. A recentioribus aũt atq; ijs ſapientioribus rem adeo clare demonſtrantibus, ut uel cerdones eorũ ſapientiam audiendo perciperẽt, deſinerẽtq; ſtulte putare cõſiſtere partim res, partim contrà moueri: ab ijs inquã accepimus moueri omnia, quos autores & uenerant. Propemodũ autẽ ô Theodore oblitus eram quod alij his contraria monſtrant: uniuerſi uidelicet congruum nomen eſſe hoc exiſtens immobile, & alia quęcũq; Meliſſei Parmenideiq; aduerſantes his omnibus aſſeuerãt, quod omnia unũ ſunt, idq; unum ipſum in ſeipſo conſiſtit, locum in quo moueatur nullum penitus habẽs. Quid de his omnibus ô amice dicendũ? ſenſim nanq; progreſsi utrorũq; medij clàm euaſimus. quod ſi nullo pacto propugnantes abeamus imbelles, pœnas dabimus inſtar eorũ qui in paleſtris ad lineam ludunt, quando ab utriſq; apprehẽſi in cõtraria diſtrahunt. De his itaq; prius agendum uidetur, quos primo fluentes ſcilicet aggreſsi ſumus. Et ſi quid probabile dicere uidebuntur, cum illis unà & ipſi nos trahemus alios fugientes. Sin autem qui uniuerſum ſtabile ponunt, ueriora protulerunt, refugiemus ad eos ab illis, qui etiam immobilia mouent. At ſi neutri ueriſimile aliquid adducere nobis appareant, ridiculi nimium euademus, putantes nos uiles homunculos magnum aliquid ſapere, cum nihil

Mos Heraclitícorũ in diſputando

niſi

niſi priſcis illis ac ſapientib. uiris derogemus. Vide igitur ô Theodore utrum præſtet nec ne tantum ſubire periculum. THEO. Nullo modo committendum eſt ô Socrates, quin utrorunq; ſenſa quid ueri, quid falſi habeant, diſcutiamus. SOC. Diſcutiendum eſt iam, poſtquam & tu id probas. Videtur utiq; mihi diſputationis huius principium à motu ſumendũ, quo ſcilicet motu moueri omnia dicant. Quod autẽ dico huiuſmodi eſt, utrũ ſpeciem unam motus indicant, an quemadmodũ mihi uidetur ſpecies duas. Neq; id tamen mihi ſoli uideri cupio, ſed tibi quoq;, ut pariter ambo quicquid oportuerit patiamur. Dic igitur. Nunquid moueri dicis, quando locum quid ex loco mutat, uel in eodem uertitur? THE. Equidem. SOC. Ergo una hæc ſpecies eſto. At cum eodem in loco quid permanens ſeneſcit, uel nigrum ex albo, uel ex molli durum efficitur, aut alia quadam alteratione mutatur, nônne alteram hanc motus ſpeciem merito nuncupabimus? THEO. Merito. SOC. Ex his neceſſarium eſt geminas ſpecies motus exiſtere, alterationem ſcilicet, motumq; localem. THEO. Probe. SOC. Hac diſtinctione præmiſſa, ad eos qui moueri omnia uolunt iam pergamus, & hunc in modum interrogemus. Vtrum quodlibet fatemini utroq; modo moueri, alteratũ pariter atq; delatum? aut aliquid utroq; modo, aliquid unico? THEO. Equidem quod aſſeram non habeo, arbitror tamen illos utroq; modo dicturos. SOC. Alioquin ô amice agitata ſimul & conſiſtentia ſibiipſis uidebuntur, nec magis moueri omnia quàm ſtare omnia licebit aſſerere. THEO. Vera loqueris. SOC. Poſtquã moueri ipſa oportet, abſentiam uero motus illi cõpetere, omnia utiq; ſemper omni motu mouentur. THEO. Neceſſario ſequitur. SOC. Hoc age ex eorum dictis conſidera, coloris ſcilicet uel albedinis, uel cuiuslibet generationẽ. Nonne diximus eos putare unũ quodq; horum ferri ſimul cum ſenſu inter agens & patiens? & patiens quidem ſenſibile eſſe, non ſenſum, agens autẽ efficiens eſſe aliquid non tamẽ qualitatẽ eſſe? Fortè qualitas extraneum tibi nomẽ uidetur, neq; ſic in genere dictum percipis, in partibus igitur audi. Agens enim neq; calor neq; albedo, ſed calidum potius albumq;, cæteraq; eodem pacto. Recordaris ita nos ſupradixiſſe, nihil ſecũdũ ſeipſum unũ aliquid eſſe, neq; inſuper agẽs aut patiens, ſed ex utriſq; uiciſsim congredientibus ſenſus & ſenſibilia emanantia partim fieri qualia quædam, partim uero ſentire? THEO. Memini, ac cur non ita dicant? SOCR. Cętera prętermittamus, ſicne, an aliter dicãt. Id uero cuius gratia diſputaẽ diligẽtius exquiramus. Mouentur, ut dicitis, fluuntq; omnia. Nonne? THEO. Certe. SOC. An non utriſq; illis quos diſtinximus motibus, delata ſimul & alterata? THEO. Quid ni, ſi modo perfecte moueri illa neceſſe ſit? SOC. Si igitur ferrẽtur ſolum, neq; tamen alterarenẽ, poſſemus dicere qualia quædam fiunt quæ feruntur, aut quomodo dicemus? THEO. Hoc pacto. SOC. Quoniã uero neq; id permanet ut album ſcilicet quod fluit fluat, ſed permutatur, ita ut huius ipſius ſit fluxus albedinis, & in aliũ colorem trãſitus, ne ullo modo permanere deprehẽdi poſsit, num poſsumus aliquando colorem aliquem pronũciare ita ut recte denominemus? THEO. Atqui quo pacto ô Socrates, aut in hoc, aut in alio ullo id fieri poteſt, ſi quidem dum pronũciamus cõtinuo ſubterfugit, utpote quod ſemper fluit? SOC. Quid porrò de quouis ſenſu dicẽdum, ut uidendi uel audiendi? nũquid in uiſione, aut auditu aliquãdo permanere? THEO. Minime omniũ, ſiquidẽ cuncta mouentur. SOC. Neq; igitur uidere quicquam potius q̃ non uidere dicendũ, neq; alio ullo ſenſu uti magis quàm non uti, cum omnia penitus tranſmutentur. THEO. Non certe. SOC. Veruntamen ſenſus ipſe ſcientia eſt, ut ego Theætetusq; diximus. THEO. Dictum quidem. SOC. Non igitur ſcientiã magis q̃ non ſcientiam reſpondebimus quid ſcientia ſit interrogati. THEO. Sic certe uidemini. SOC. Opportune itaq; reſponſionem illam emendaremus, ſi demonſtrare cõtenderemus quod omnia mouentur, ut recta illa reſponſio uideatur: hoc aũt, ut uidetur, apparuit: quod ſi omnia mouentur, reſponſio quælibet, de quocunq; quis reſpondeat, æque recta eſt, qua id ſic ſe habere, & nõ ſic habere ſe reſpondet. Quod ſi magis fieri dicendum, ne ipſos ſermone ſiſtamus. THEO. Recte loqueris. SOC. Prętерquam in hoc ô Theodore, quod ita & non ita dicebam. oportet autem neq; hoc ita dicere. Neq; enim amplius ita moueretur, neq; rurſus non ita. Non enim motus hoc, ſed nomen aliud imponendum ab iis qui talia differunt: quoniam nunc ad eorum ſuppoſitionem uerba non habent, niſi fortè dictionem hanc, ſcilicet nõ quomodocũq; habere uideantur, quæ quidem potiſsimum ipſis congruit infinite prolata. THEO. Valde cõueniens illic hæc dictio

Nihil per ſe ipſum unũ aliquid eſſe

ctio eſt. SOC. Iam ô Theodore quod ad amicum tuum attinet expediuimus: nec dum cõceſsimus illi quemlibet hominem rerum omnium eſſe mẽſuram, niſi ſapiens quis exiſtat. Scientiam inſuper eſſe ſenſum minime concedemus ſecundum rationem illam quæ moueri omnia prædicat, niſi fortè Theætetus hic aliter perſuadeat. THE. Optime dixiſti ô Socrates. His enim peractis me quoq; ab his expeditum eſſe decet, ut inter nos conuenerat. Poſtquã uero diſputatio aduerſus Protagoram finẽ accepit, ne deſiſtite quæſo Theodore, antequã tu & Socrates percurratis eos inſuper qui ſtare omnia uoluerunt, quemadmodũ paulo ante propoſuiſtis. THEO. Cũ ſis iuuenis ô Theætete, ſeniores iniuriam facere doces, dum pacta tranſgredi exhortaris. ſed accingere tu ut reliquorũ Socrati, ſi uelit, rationẽ reddas. THE. Libentiſsime tamen ea de quibus loquor audirem. THEO. Equites in campũ prouocas cum Socratem ad diſputandũ accerſis. Interroga igitur atq; audies. SOC. Videor equidem ô Theodore in his quæ Theætetus iubet, ipſi minime pariturus. THEO. Quid obſtat quo minus obſequaris? SOC. Etſi Meliſſum atq; alios qui unum conſiſtens uniuerſum dicũt, uereor ne forte oneroſi uideamur illos exagitãtes, minus tamen q; unicum Parmenidem uereor. Parmenides autem, ut Homericis uerbis utar, uerẽdus mihi acerq; uidetur. Collocutus ſum olim cum illo ſene admodum adhuc adoleſcens, mihiq; uiſus eſt profundam generoſamq; omnino ſapientiã poſsidere. formído itaq; ne dicta eius uocesq; nequaquam intelligamus: quod autem uerbis ſubintelligit, multo magis nos lateat: & quod maximum eſt, cuius gratia diſputatio inter nos cœpit, quid ſcientia ſit inquirens, indiſcuſſum relinquatur, ſi procacitati uerborum indulgeamus: præſertim cum ampliſsima quæſtio illa quam modo induximus, ſi præter propoſitũ & quaſi digrediendo tractetur, indigna nimium paſſura ſit: & ſi latius exactiusq; perficiatur, ſciẽtiæ ipſius inueſtigationem impeditura. Neutrum uero decet, ſed magis Thæteti fœtum circa ſcientiam obſtetricia facultate in lucem educere, & diligenter examinare. THE. Si ita uidetur, ita agendũ eſt. SOC. Hoc præterea Theætete circa ſupra dicta conſidera. ſenſum eſſe ſcientiam reſpondiſti, an non? THE. Certe. SOC. Si quis interrogaret, quo'nam alba & nigra homo uideat, quo'ue acuta & grauia audiat. oculis ut arbitror & auribus reſponderes. THE. Equidẽ. SOC. Vti nominibus uerbisq; cõmunioribus, neq; exacte curioſeq; diſquirere, ſæpenumero generoſi animi eſt, contrarium autem illiberalis: nonnunquã tamen neceſſarium eſt, quemadmodum in preſentia examinare cogimur, qua ex parte reſponſio tua minus recta ſit. attende quæ reſponſio rectior, utrum quæ dicit quo uidemus id oculos eſſe: an quæ dicit, per quod uidemus. Item quo audimus aures, an per quod audimus. THE. Potius mihi per quæ ſingula ſentimus, quàm quibus ſentimus reſpondendum uidetur ô Socrates. SOC. Abſurdum quidem id eſſet ô puer, ſi multi in nobis ſenſus quemadmodum ligneis equis inſiderent, & omnia hæc in unam ſiue ideam, ſiue animã, ſeu quomodocunq; uocari decet, minime tenderent, qua per iſta tanquã per organa quæcunq; ſenſibus ſubiacent ſentiamus. THE. Mihi quidem hoc potius quàm illo modo uidetur. SOC. Idcirco iſta tecum diligenter perquiro, ut uideamus utrum uno quodam eodem quod inſit nobis, per oculos quidem alba et nigra percipiamus, per alia uero organa alia quædam: poſsisq; interrogatus, in corpus ſingula hæc referre. Præſtat forſitan te ad ſingula reſpondere, quàm me tui uicem gerendo defatigari. Dic itaq;, ea per quæ ſentis calida & ſicca, leuia atq; dulcia, nónne corporis organa ſingula ponis? an alterius cuiuſpiam? THE. Nullius alterius. SOC. Nunquid fateberis quæ per aliam potentiam ſentis, per aliam ſentire non poſſe? ueluti quæ per auditum, eadem per uiſum: & contrà quæ per uiſum, eadem per auditum? THE. Quid ni fatear? SOC. Si quid ergo de utriſq; cogitas, non utiq; per aliud organum, neq; etiam per aliud de ambobus id ſentis. THE. Non certe. SOC. De uoce atq; colore utriſq; ſimul, primum quidem id cogitas, quod utraque ſunt. THE. Cogito. SOC. Item quod alterutrum ab alterutro diuerſum eſt, & ſibimet idẽ. THE. Eſt iſthuc. SOCR. Quod'ue ambo, duo ſunt, utrunq; uero unum. THE. Id quoq;. SOCR. Potes inſuper utrum ſimilia inter ſe uel diſsimilia ſint, iudicare. THE. Fortè. SOC. Hæc utiq; omnia per quod potiſsimum de ipſis exiſtimas? Non per auditum, non per uiſum, commune circa illa quicquam accipi poteſt. Hinc præterea quod dicimus coniecta re licet. Si de utriſq; iudicari poſſet, falsáne ſint, an nõ, poſſes proculdubio declarare quo iudicares: idq; non uiſum non auditum, ſed aliud quiddam eſſe conſtat. THE, Cur non

Hoc in loco Plato uidetur cum Parmenide ſentire

Alludit ad equũ Troianum

linguæ

linguæ uis id efficiat? SOC. Scite loqueris. Illa uero potentia per quod tibi ostendit quod singulis est cõmune, quod ue super singula, quo esse & nõ esse denominas, quæ paulo ante de his percõtabamur, qualia organa his omnibus assignabis, per quæ id quod sentit in nobis singula sentiat? THE. Essentiam ais & ipsum non esse, similitudinemq; & dissimilitudinem, nec non idem & alterum, unum quoq; et aliũ circa illum numerũ unũquenq;. patet enim quod quæris, per quod potissimum ex corporeis instrumentis ipsa anima par & impar, & quæ sequuntur, percipiamus. SOC. Egregie admodum ô Theætete prosequeris, atq; hæc ipsa sunt quæ interrogo. THE. Per Iouem ô Socrates quod dicam ignoro, nisi quod nullũ huiusmodi proprium organũ his ut illis accommodari puto, sed ipsam potius per seipsam animam, cõmunionem in omnibus iudicare. SOC. Pulcher es ô Theætete, nec ut aiebat Theodorus, deformis. Nam qui pulchre loquitur, pulcher est atq; bonus. Accedit ad hæc quod ingens mihi beneficium contulisti. Nam prolixa graui disputatione me liberasti postquã tibi uidetur anima quædam per seipsam animaduertere, nõnulla per corporis uires apprehendere. Nam hæc mea sententia erat, quam tibi quoq; cupiebam persuadere. THE. Mihi certe persuasum est. SOC. Quorũ in numero essentiam ponis? Hæc sanè maxime ad omnia sequit. THE. Eorũ quæ ipsa per se anima affectat atq; assequitur. SOC. Nunquid & simile dissimileq;, & idem & alterum? THE. Et hæc? SOC. Quid? pulchrum & turpe, bonumq; & malum? THE. Horum quoq; mihi uidetur maxime omnium essentiam inuicem considerare, reputans atq; comparans in seipsa præterita præsentiaq; ad futura. SOC. Aduerte & hoc, rei duræ duritiem per tactũ sentiet, & mollis simili ratione molliciem. THE. Ita. SOC. Essentiam uero, & quod sunt, mutuamq; contrarietatẽ, ipsiusq; cõtrarietatis esse etiam ipsa anima per se uolutãs, & inuicẽ conferens, discernere nititur. THE. Omnino quidẽ. SOC. An non statim natis hominibus atq; brutis naturalis quædã facultas adest, qua passiones per corpus manãtes in animam sentiũt? Ratiocinatio uero comparatioq; istorũ ad essentiam utilitatẽq;, uix tandẽ post longa curricula tẽporis, frequenti studio & disciplina aduenit quibuscũq; competit? THE. Ita prorsus. SOC. Num ueritatem eo percipere possumus, quo essentiam non percipimus? THE. Minime. SOC. Cuius autẽ quis ueritate caret, huius sententiã ullam habet? THE. At quo pacto id fieri posset? SOC. In passionibus igitur scientia nequaquã inest, in ratiocinatione tamen quę circa illas uersat, inesse uidet. essentiã quippe ueritatẽq; hoc attingere possumus, illis uero nequaquam. THE. Cõstat. SOC. Num idem illud & hoc uocas, cum tanta inter se differentia discrepent? THE. Haud sanè deceret. SOC. Quod illi nomen attribuis? ei scilicet quod est uidere, audire, odorari, gustare, calefieri, frigefieriq;? Num sentire? THE. Idipsum quid enim aliud? SOC. Vniuersum igit hoc sensum uocas? THE. Necesse. SOC. Huic ueritatis perceptionem cõuenire negauimus, cũ essentiã non percipiat. THE. Sic est. SOC. Neq; scientiæ igit cõpos erit. THE. Non. SOC. Ex his sequitur ô Theætete, scientiã & sensum nunquã idem fore. THE. Nunquam penitus. SOC. In his perspicue patuit, aliud sensum, aliud scientiã esse. Verũ non huius gratia differere cœpimus, ut quid scientia nõ sit, imò quid sit, inueniremus. Eatenus uero disputando processimus, ut scientiã in sensu nullo modo quęrendã iudicauerimus, sed in eo nomine potius, quod tũc fortit animus, cum ipse secundũ seipsum circa illa quę sunt, uersat & agit. THE. Atqui hoc ô Socrates, ut ipse arbitror, opinari uocatur. SOC. Recte arbitraris amice. Et nũc aduerte, deletis ex animo cũctis superioribus nũquid maius perspicias, postq; hucusq; euectus es. Quid ue sciẽtia sit, iterũ explica. THE. Opinionẽ quãlibet ô Socrates, scientiã dicere impossibile est, cũ & falsa quædã opinio sit. Apparet autẽ opinio uera scientia esse. idq; à me nunc responsum puta: quod si aliter disputando deinceps uidebitur, aliquid aliud afferre conabimur. SOC. Euge Theætete. sic prompto animo disputare decet, neq; ut cœperas tergiuersari. Si enim ita fecerimus, alterum è duobus cõtinget: aut quod affectamus inueniemus, aut certe quod ignoramus minus nos scire putabimus: neq; mediocre lucrum id erit. & nunc quidẽ quid ais? An cũ duæ sint opinionis species, uera una, & altera falsa, opinionem ueram scientiam definis? THE. Definio. hoc enim mihi in præsentia uidetur. SOC. An de opinione deinceps ab initio pertractandum? THE. Quid'nam? SOC. Turbat me nunc & sæpe aliâs, adeo ut in ambiguitate plurima quo ad me ipsum & quo ad alios uersor, explicare nõ ualens quænam sit hæc in nobis affectio, quo ue pacto adueniat.

Anima quædam per se, quædã per corpus cõprehendit

Sensus non percipit essentiam

Quando est opinio

Secunda scientiæ definitio

THE.

THE. Quænam hæc? SOC. Falso scilicet aliquem opinari. de quo nunc etiam ambigo, utrum id omittamus, aut aliter quàm supra considerem us. THE. Quid ni ô Socrates, si quo modo decere censes? præclare enim tu & Theodorus in superioribus de ocio dicebatis, quod nihil in talibus urgeat. SOC. Opportune admonuisti, fortè enim haud abrerit tanquam uestigium iterato percurrere: præstat namq; parum bene, quàm multũ non sufficienter determinare. THE. Præstat sanè. SOC. Quomodo igitur, & quid dicimus? falsam plerunque opinionem esse dicimus, & aliquẽ nostrum falsa opinari, alium uera, quasi hæc ex natura ita se habeant? THE. Dicimus absq; dubio. SOC. Nônne hoc nobis tam circa omnia quàm circa singula competit? nosse uidelicet, uel ignorare? nam discere & obliuisci, utpote istorum media, in præsentiarum transeo, cum nihil ad propositum nobis conferant, THE. Nihil prorsus ô Socrates aliud præter nosse uel ignorare circa unum quodq; relinquitur. SOC. Nónne igitur necessarium est opinantem opinari illa de quibus nouit aliquid, uel non nouit? THE. Necessarium. SOCR. Quinetiam noscentem ignorare idem, uel ignorantem nosse impossibile est?

Præstat parum bene, quàm multũ non sufficiẽter determinare

Nosse & ignorare, circa omnia & singula

Quæ nouit, ea putare quæ nouit.
Quæ non nouit, ea putare quæ non nouit.
Quæ nouit, ea putare quæ non nouit.
Quæ non nouit, ea putare quæ nouit.

THE. Quid ni? SOC. Num qui falsa opinat quæ nouit, ea putat non ea esse, sed alia quædam quæ etiam nouit: & utraq; noscens, utraq; rursus ignorat? THE. At fieri hoc nequit ô Socrates. SOC. An fortè quæ non nouit, ea putat alia quædam esse quæ non nouit? & qui neq; Theætetum, neq; Socratem agnouit, cogitare unquam potest Socratẽ Theætetum, uel contrà Theætetum Socratem esse? THE. Nunquam. SOC. Neq; tamẽ quæ quis nouit, ea quæ non nouit, esse putat: neq; rursus quæ non nouit, ea quæ nouit. monstrum enim esset. Quo pacto igitur falsa quis opinabitur? Præter hæc quidem opinari non licet, quandoquidem omnia uel noscimus uel ignoramus: in his autem nullo modo falsa opinari quis posse uidetur. THE. Vera loqueris. SOC. An forte non ita considerandum quod quærimus, secundum nosse & non nosse procedendo, sed secundum nosse & non esse? THE. Qui istuc ais? SOC. Ne simplex sit. quoniam qui quæ nusquam sunt, in quacunq; tãdem re opinatur, is non potest non falsa opinari, quomodocunq; tandem cogitet. THE. Decens id quoq; ô Socrates. SOC. Quomodo igitur, quid' ue respondebimus Theætete, si quis nos interroget (possibile est autẽ unicuiq; quod dico) Quisnam hominum ipsum quod non est opinetur? siue de aliquo eorum quæ sunt, sine ipsum secundũ seipsum? Ad hæc utiq; respõdebimus: quãdo scilicet quispiam opinãdo uera nõ opinat. aut quid dicemus? THE. Sic certe. SOC. Num & alibi tale quid accidit? THE. Quid isthuc? SOC. Vt alius quis uidens quidem aliquid, uideat autem nihil? THE. Fieri nullo modo potest. SOC. At uero si unum quiddam uidet, existentium quiddam uidet, an ipse putas unum in his quæ non sunt, esse? THE. Minime. SOC. Qui ergo unum aliquid uidet, existens aliquid uidet. THE. Apparet. SOC. Et qui aliquid audit, unum aliquid uidit, & existens audit. THE. Profecto. SOC. Item qui aliquid tangit, unum aliquid tangit, & existens insuper si quidem unum. THE. Et istud. SOC. Qui autem opinatur, nónne unum aliquid opinatur? THE. Necessarium est. SOC. Et qui unum aliquid, nónne existens aliquid? THE. Assentior. SOC. Qui ergo non existens opinatur, nihil opinatur. THE. Non uidetur. SOC. Atqui nihil opinatur, omnino non opinatur. THE. Constat. SOC. Impossibile igitur est, quod non est opinari, siue de aliquo eorum quæ sunt, siue ipsum secundum se ipsum. THE. Impossibile uidetur. SOC. Aliud itaq; est opinari falsa, q̃ ea quæ non sunt opinari. THE. Aliud apparet. SOC. Neq; igitur sic, neq; ut paulo ante considerauimus, opinio falsa nobis inest. THE. Non certe. SOC. At in hunc modum hoc forsitan appellamus? THE. Quem? SOC. Alienam quandam opinionem, falsam opinionem esse dicimus, quando quis aliquid eorum quæ sunt: aliud quiddam eorũ quę & ipsa sunt, prout animi cogitatio mutarit, esse dicit. sic enim existẽs aliquid semper, sed pro alio aliud opinabitur: cunq; ab eo quod cogitauit aberret, iure falsa opinari dicetur. THE. Recte nimirum modo dixisse uideris. nam quoties aliquis pro pulchro turpe, uel contrà pro turpi pulchrum opinatur, toties falsa opinari non ab re iudicetur. SOC. Contemnis me ô Theætete, neq; ue-

Secundus modus putandi

An quisquam opinetur quod nõ est

Tertius modus

reris

reris? THE. Quorsum hęc? SOC. Haud enim puto, uideor tibi quod reuera falsum est apprehendisse, interrogatus utrum possit uelox tardi, aut leue grauis, uel aliud quiddã contrarium non secundum naturam propriam, uerum secundum naturam contrarij sibijpsi contrarium fieri. Ne igitur id frustra aut temere audeas, dimitto, placetq; tibi, ut ais, falsa opinari, esse idem quod & aliena opinari. THE. Mihi quidem. SOC. Licet ergo, ut ipse putas, alterum quiddam ut alterum, & non ut illud cogitatione ponere. THE. Licet utique. SOCR. Quando id igitur facit cogitatio, an non necesse est ipsam, aut utraq;, aut alterum cogitare? THE. Necesse omnino. SOCR. Aut simul, aut seorsim? THE. Et istud. SOC. Ipsum autem cogitare, num idem quod & ego, uocas? THE. Quid tu uocas? SOCR. Sermonem quem ipsa anima apud se uoluit circa illa quæ cõsiderat. rem tibi, eamq; ut minime peritus, declaro. Hoc enim mihi uidetur, cogitantem scilicet animam nihil aliud agere, quàm secum ipsam differere, interrogando, respondendo, affirmando, atq; negando. Postquam uero definit, idemq; siue tardius, seu uelocius animaduertens asserit, neq; uagatur, hanc ipsam opinionem ponimus. Quamobrem opinari loqui appello, opinionemq; sermonem, non ad alium, neq; uoce, sed silentio, & ad seipsum. Tu uero quid sentis? THE. Idem. SOCR. Quãdo igitur aliquis alterum opinatur alterum, tunc ut uidetur ad seipsum dicit, alterum esse alterum. THE. Quid ni? SOCR. Recordare obsecro, siquando tecum ipse dixeris, pulchrum omnino turpe, uel iniustum esse iustum: imò, ut in summa dicam, nunquid persuadere tibi unquam conatus sis, quod maxime omnium alterum sit alterum, an contrà: nec in somnijs unquam ausus fueris tecum dicere, quod paria prorsus imparia sint, uel aliud quiddam huiusmodi. THE. Nunquam certe. SOCR. Nunquid alium quempiam siue prudentem, siue insanum, ausurum existimas secum loquendo ex industria sibi persuadere bouem necessariò equum, uel duo unũ esse? THE. Minime per Iouem. SOCR. Si secum loqui opinari est, nemo dum utraq; dicit, opinatur, attingitq; animo, proferret unquam opinaretur q; alterum esse alterum. Mittamus, si placet, uerbũ hoc alterum: hoc autem est quod uolo, neminem opinari turpe esse pulchrum, aut aliud quicquam eiusdem generis. THE. Mitto equidem ô Socrates, mihiq; quod ais, admodũ placet. SOC. Quare fieri nequit, ut qui opinatur ambo, alterum esse alterum opinetur. THE. Patet. SOC. At neq; is qui alterum opinatur quidem, alterum minime, unquam alterum esse alterum opinabitur. THE. Vera narras: nam cogeretur etiam quod non opinatur attingere. SOC. Neq; igitur qui ambo, neq; qui alterum opinat, aliena opinari potest. Quapropter qui falsam opinionem aliena opinari definit, nihil efficit. Vnde neq; hoco modo neq; secundum superiora opinionem falsam nobis inesse constat. THE. Non ut uidetur. SOCR. Veruntamen ô Theætete, si hoc non esse apparuerit, multa & absurda confiteri cogemur. THE. Quænam? SOCR. Nõ prius dicam tibi, quàm omnino cõsiderare contendero: puderet enim me nostri in ijs quæ dubitamus, si cõfiteri quæ dico, cogeremur: sed si inuenerimus, liberiq; euaserimus, tum demum de alijs loquemur, quibus talia usu ueniunt, utpotè ipsi ab huiusmodi errore penitus alieni. sin autem omnino deficiemus, humiles facti, ueluti fluctuantes, & nauseam patiẽtes, orationi nos permittemus, ut uel cõculcet nos, uel agat quò uelit. Itaq; siquem exitum inueniam quæstionis huius, iam audi. THE. Dic modo. SOCR. Haud fatebor recte nos consensisse, quando concessimus, quę quis nouit, opinari non posse ea quæ non nouit, atq; mentiri. Immo fieri quodammodo potest. THE. Nunquid ais, quod & ego tunc suspicatus sum, quãdo id tale esse diximus, quod nonnunquam ego Socratem noscens, eminusq; alium ignotum mihi prospiciens, Socratem mihi notum esse putarim? contingit enim in hoc quod dicis. SOCR. Nónne ab eo iam depulsi sumus, quod efficiebat, ut quæ noscimus, cognoscentes minime noscemus. THE. Prorsus. SOC. Ne igitur sic amplius, sed isto modo ponamus. ac fortè quispiam nobis assentietur, fortè etiam aduersabitur. uerum ad id attendamus in quo necessarium est sermonem illum qui omnia inuertit, examinare. Vide itaq; an aliquid dicam, potest ne qui ante aliquid ignorauit, postea discere? THE. Potest certe. SOCR. Nónne aliud deinceps atque aliud? THE. Quid obstat? SOCR. Pone exempli causa, cæream unam in animis nostris effigiem, in hoc maiorem, minorẽ in illo, in hoc purioris cærę, sordidioris durioris ue in alio, in quibusdam mollioris, in nonnullis etiam temperatæ. THE. Pono. SOC. Donum hoc esse dicamus Musarũ matris Memoriæ, & in hoc quicquid eorum

Cogitare quid

Opinari quid

Mater Musarum Memoria

rum quæ aut uidemus, aut audimus, aut ipsi excogitamus, meminisse cupimus, insinuantes ipsum sensibus intelligentijsq́, ueluti anulis signantes exprimimus, quodq́ signatum fuerit, meminimus nos, & scimus quoad figura permanet: at cum aboleť, uel inscribi nequit, obliuiscimur atq; nescimus. THE. Sic esto. SOCR. Qui ergo scit quidē illa, cōsiderat autem quicquam eorū quæ uidet uel audit, uide utrum hoc modo falsa opinetur. THE. Quónam? SOCR. Quæ nouit esse putans, nunc quidē quæ nouit, nunc uero quæ nō nouit. Hæc utiq; suprà non recte confessi sumus, impossibilia cōfitentes. THE. Nunc autem

In notitia sine sensu.

Nosse, quod nouit.
Nosse, quod non nouit.
Non nosse, quod non nouit.
Non nosse, quod nouit.

In sensu solo.

Sentire, quod sentit.
Sentire, quod non sentit.
Non sentire, quod non sentit.
Non sentire, quod sentit.

In utrisq; iunctis.

Nosse sentireq́;, quod nouit & sentit.
Nosse ac sentire, quod nouit & non sentit.
Nosse ac sentire, quod sentit & non nouit.
Non nosse & non sentire, quod non nouit & non sentit.
Non nosse & non sentire, quod non nouit & sentit.
Non nosse & non sentire, quod non sentit & nouit.

Sunt & aliæ coniugationes, quæ quia ex his facile fieri possunt, omissæ sunt.

quomodo dicis? SOCR. In hunc modum de illis à principio distinguēdo dicamus: quod isthuc quod quispiam nouit, eiusq́ in animo monumentum seruat, non sentit autem, existimare nequit aliud quiddam esse eorum quod etiam nouit, imaginemq́ illius seruat, nō sentit autem: contraq́ quod nouit, putare esse quod non nouit, cuiusue nullam seruat imaginem: & quod non nouit, id insuper quod non nouit; & quod non nouit, id quod nouit: aut quod sentit, aliquid aliud eorum quæ sentit: siue quod sentit, aliquid quod minime sentit: aut quod non sentit, eorum aliquid quæ non sentit: siue quod non sentit quicquam ex his quæ sentit. Multoq́ minus putare potest quod nouit, sentitq́, & seruat illius imaginem secundum sensum, esse aliud quiddam quod etiam nouit, & sentit, & seruat eodem modo: aut quod nouit, & sentit, & retinet, recte quod nouit, putare: Siue quod nouit & sentit, & similiter retinet, id esse quod sentit: seu quod neq́ nouit, neque sentit, id esse quod nec nouit, etiam neq́ sentit: Quod ue neq́ nouit, neq́ sentit, id quod minime nouit: Quod ue neq́ nouit, neq́ sentit, id quod minime sentit. Hæc omnia talia sunt, ut nemo in eis falsa ulla ratione opinari ualeat. Restat ergo ut in quibusdam huiusmodi si modo alicubi tale quid accidat. THE. In quibusnam? Videamus, obsecro, an magis ex ipsis intelligam. Nam in præsentia haud assequor, ut in quibus nouit aliquis, ea putet esse alia quædam quæ & nouit & sentit, uel quæ non nouit, sentit tamen, uel quæ nouit sentitq́, ea quæ & nouit & sentit. Quare nunc longe magis quàm suprà deficio. SOCR. Age, sic iterum audi. Equidem agnoscens Theodorum, eiusq́ simulacrum memoria tenens, Theætetumq́ similiter, interdum quidem ipsos uideo, interdum non uideo. & tango quandoq́, aliàs minime, eodemq́ pacto & audio, & alijs sensibus apprehendo: sæpe etiam sensu uos nullo percipio, sed intra me scio nihilominus atque memini. THE. Prorsus. SOCR. Hoc itaq; primum ex his quæ expositurus sum, animaduerte, quod potest quidem aliquis quæ nouit, non sentire, potest etiam sentire. THE. Sic est. SOCR. Nónne & quæ nō nouit, sæpe etiam neq́ sentit, & sæpe solummodo sentit? THE. Esto. SOCR. Vide an magis in præsentia id iam assequaris, Socrates dum Theodorum

Theæte-

Theętetumq́ agnoſcit,ſed neutrum uidet,neq; alio ſenſu illos percipit,nunquam ſecum ipſe Theætetum eſſe Theodorum opinatur.Quid ad hæc?THE. Vera ſunt. SOC.Hoc fanè primum erat ex his quæ dicebam. THE. Erat. SOC. Alterum erat hoc, quod dum unum è uobis agnoſco, ignoro alterum, & ſentio neutrum,nunquam eum quem cognoſco, illum eſſe quem ignoro, exiſtimo. THE. Probe. SOCR. Tertium uero iſtud: dum neutrum cognoſco, neutrúmque ſentio, nunquam eum quem ignoro, alium quendam quem rurſus ignoro,eſſe arbitror. atque ita deinceps omnia ſupradicta repetita ſimiliter puta: in quibus ego nunquam de te ac Theodoro falſa opinabor,neque cognoſcens,neque ignorans utroſq;, neq; unum quidem noſcens, ignorans alterum.eademq́ de ſenſib. ratio ſi modo percipis. THE. Percipio equidem. SOC. Reſtat itaq; ut falſa in hoc opinemur,quando te Theodorumq́ cognoſcens,ſeruansq́ in cętera illa effigie utriuſq; figuras longo ex tempore, tanq; annulorum ueſtrorũ ſignacula, neq; acute cernẽs utroſq;,tento proprium utriuſq; ſignum propriæ uiſioni attribuẽdo eius accõmodare ueſtigio ut agnitio fiat:ſed aberro,& inſtar eorum qui cõmutatis calceis errant,cõmuto, & utriuſq; uiſionem ad alienum ſimulacrũ transfero, & ſimilia quædam patior ijs quæ in ſpeculis tranſuerſo reſultant,cum aſpectus dextera in ſiniſtra cõmutat.Atq; ita decipior,naſciturq́ aliena opinio,& id eſt quod falſa opinari uocatur. THE. Omnino ô Socrates,opinionis paſſio talis eſt,qualem mirifice figuraſti. SOC.Præterea quum utroſq; cognoſcens,unum inſuper ſentio, alterum miníme, cognitionẽ uero alterius non ſecundum ſenſum habeo: quod ſuprà ita dixi,nec tu me intellexiſti. THE. Non certe. SOCR. Hoc tamen dicebam, quod qui agnoſcit alterum atq; ſentit,& cognitionem ſecundũ ſenſum ipſius habet, nunquam putabit ipſum eſſe alium quendam,quem agnoſcit quoq; & ſentit, cuius ue cognitionem ſecundum ſenſum habet.Erat ne hoc? THE.Immo. SOC.Prætermiſſum quodam modo fuit quod modo dicitur, cum in ſuperioribus aſſereremus falſam opinionem contingere,quoties quiſpiam utraq; noſcens & uidens,aut alio quodã ſenſu percipiens,& utrorũq; ſignacula tenens,nõ ſecundũ ipſius propriũ ſenſum utrumq; habet, uerum inſtar imperiti ſagittarij à ſigno procul aberrat, quod quidem mendaciũ nuncupatũ eſt. THE. Nec iniuria. SOC.Et quando uni quidem ſignaculorũ adeſt ſenſus,alteri miníme, quod uero abſentis ſenſus eſt,præſenti adſcribit,omnino hæc cogitatio fallit:& ut ſummatim dicam,circa illa quæ quis nunquam aut nouit,aut ſenſit,falli mentiri ue,& falſam opinionem habere non poteſt,ſi quid modo ueri nos nunc quidem loquimur. Cæterum in quibus noſcimus,& ſentimus,in ijs ipſis opinio uera uel falſa uerſatur: quæ cum è conſpectu directoq; nixu propria ſimulacra colligit,figuratq;,uera eſt. Cum uero trãſuerſo atq; obliquo falſa. THE.Nónne præclare hæc ô Socrates,dicta ſunt? SOCR. Cum hæc audieris,idem uehemẽtius aſſeres. Vera porrò opinari pulchrũ eſt,mentiri turpe. THE. Quid ni? SOC.Hæc utiq; hinc maxime fieri tradunt.Cum alicuius in animo cærea effigies illa profunda & multa,leniſq; & probe ſubacta eſt,quæ per ſenſus influunt in hoc inſculpta quod Homerus animæ cor uocauit, cæræ hanc ſimilitudinem ſubintelligẽs,utpotè pura ſignacula & funditus inſidentia diuturna fiunt. Ac primo quidem homines ſic inſtituti,dociles ſunt & acuti,deinde etiam memores,poſtremo ſenſuum ſimulacra nõ commutant,unde uera nimirum opinantur.nam cum ſint ea perlucida & ampla in regione, uelociter diſtribuunt,diuiduntq; in propriam effigiem ſingula,quæ quidẽ exiſtẽtia ueraq; uocantur,uiriq; tales ſapientes eſſe dicuntur.an non idem tibi uidetur? THE. Mirum in modum. SOC.Quando igitur denſum alicuius eſt cor,quod ſapientiſſimus Poeta laudauit,uel cum lutulentum nec ex defecata cæra,uel molle nimis,uel durum,nõ recte omnino ſe habet.Nam mollis nimiũ cęra celeres quidem ad percipiendũ efficit ſed eoſdẽ obliuioſos.Dura uero contrà,diu memores,ſed ineptos tardoſq; ad percipiendũ: & qui denſam & aſperã lapideamq; uel terream uel feculentã habẽt,obſcura ſimulacra continent. obſcura quoq; qui duram:profunditas quippe non adeſt.Obſcura præterea qui molliorem,nam ex confuſione facile euaneſcunt: quod ſi præter hæc, inuicem quoq; congeſta ſint,ob ſedis ipſius anguſtiam,ſi quidem exigua ſit animula,obſcuriora quoq; illis ſimulacra fient.Homines ergo huiuſmodi omnes, quales deſcripſimus, ad opinionem falſam proni redduntur.Nam quum quid uident,aut audiunt,aut cogitant,quia ſingula ſingulis mox reddere nequeunt,tardi ſunt,præuaricanturq;:nam peruerſe uident plurima,

Quibus nõ eſt opinio falſa,& in quibus eſſe uidetur

Animæ cor

Qui memores & acuti

Qui immemores

Qui ueloces & qui tardi ad percipiendum

Qui proni ad opinionẽ falſam

Qui ignari

audiuntq́,& aliud sæpe pro alio cogitando decepti concipiunt:atq́ hi falsi mentientes, ignari uocantur. THE. Rectissime omnium ô Socrates,loqueris. SOC. Fatendum igitur falsas hominibus opiniones inesse. THE. Valde. SOCR. Et ueras insuper. THE. Et ueras. SOCR. Iam utiq́ satis constare putandum duas opiniones esse. THE. Magnopere. SOC. Importunus reuera molestusq́ admodum ô Theætete,uir garrulus esse uidetur. THE. Quorsum hæc dicis? SOC. Ruditatem meam,ac ut uere dicam, garrulitatem meam moleste ferens.nam quod aliud quisquam nomen imponat ei,qui ob ingenij tarditatem sermones sursum deorsum uertit,quum persuaderi nequeat,& tanquam hebes expedire disputationem omnino nullam ualeat,& dubitationes euadere? THE. Tu uero quid moleste fers? SOCR. Non tantum ægrè patior,uerum & dubitaui quidnam respõdeam,si quis ita quæsierit:ô Socrates,reperisti iam opinionem falsam non inter se sensibus, non cogitationibus,sed in sensus & cogitationis congressu consistere? At ego fatebor, ut puto, gloriabundus,quasi egregium quiddam inuenerimus. THE. Mihi quidem uidetur ô Socrates,haudquaquam turpe esse quod nunc ostensum est. SOC. Nunquid igitur, inquiet ille, hominem quem cogitamus duntaxat, uidemus uero nequaquam,equum esse nunquam opinabimur, quem in præsentia nec uidemus,nec tangimus, uerum solummodo cogitamus, nihilq́ aliud circa illum sentimus? Hæc equidem,ut arbitror, asserere me fatebor. THE. Et merito. SOCR. Tum ille. Vndecim quæ quis solum cogitat, secundum hanc rationem, nunquam putabit esse duodecim, quæ etiam solummodo cogitat. Quid ad hæc? THE. Respondebo: quod uidens aliquis aut tangens forsitan undecim, duodecim esse putaret: quæ tamen in cogitatione habet, nunquam similiter iudicaret. SOCR. Quid porrò, inquit, censes aliquem apud sese cogitaturum quinq́ & septem, non homines inquam, quinq́ & septem, nec aliud quicquam eiusmodi, sed ipsa quinq́ & septem quæ diximus ibi in effigie monumenta esse,& falsa in illis opinari posse neminem? THE. Censeo. SOCR. Hæc inquam, si qui ita considerent secum, ipsi perquirentes quot sunt, nónne illorum aliqui undecim, aliqui duodecim iudicabunt. Num omnes duodecim esse illa dicent, atq́ putabunt? THE. Non per Iouem, uerum plericq́ undecim: & si quis maiori de numero quærat, magis fallitur. Arbitror enim te magis de omni numero dicere. SOC. Recte sentis. Animaduerte igitur, num & hoc accidat, hoc est,ut ipsa duodecim quæ in effigie sunt, undecim esse quis putet. THE. Videtur. SOCR. Nónne hoc ad superiora reuoluitur? qui enim id patitur quod nouit,aliud quiddam quod similiter nouit, esse censet,quod tanquam impossibile suprà respuimus. Et ex hoc ipso confiteri quemlibet cogimus,falsam opinionem non esse,ne unus atq́ idem eadem scire simul atq́ nescire cogatur. THE. Vera loqueris. SOCR. Ex his iam constat, opinionem falsam aliter esse definiendam,quàm cogitationis ad sensum permutationem.nam si ita esset,nunquam in ipsis cogitationibus falleremur. Nunc autem uel nulla est opinio falsa: uel si qua est, quæ quis nouit,ut ignoret simul,fieri potest. Vtrum potius eligis? THE. Ambiguam ô Socrates, electionem proposuisti. SOCR. Ambo quidem admittere,ratio uetare uidetur. Veruntamen audendum omnia. Quid si pudorem deponere audeamus? THE. Quo pacto. SOCR. Ausi quid ipsum scire sit pronunciare. THE. Cur hoc impudens? SOCR. Haud satis aduertisse uideris,quod omnis nobis à principio sermo,inuestigatio scientiæ fuit, tanquam quid ipsa sit ignoraremus. THE. Teneo. SOCR. Nónne impudẽtis animi est,ut scientiam ignorantes,quid scire sit,ostendant? Verum ô Theætete, iampridem à puritate disputandi longe uagamur. millies enim diximus hæc,cognoscimus,non cognoscimus, scimus,nescimus,quasi aliquid inuicem intelligamus,cuius interim ignoremus scientiã. Ergo & nunc quoq́,si placet,uocabulis istis utamur,ignorare scilicet,& intelligere,ut illis uti conuenit,si quidem scientiæ expertes simus. THE. At quo pacto his sublatis, ô Socrates disputare ualeres? SOCR. Nullo,dum qualis sum,maneo: possem tamẽ quoquomodo, si contentiosus essem. Et nunc si quis talis adesset,abstinere ab his uocabulis profiteretur,& nos ab his quæ ipse narro, uehementer deterreret. Postquam uero simplices & ignaui sumus, uis' ne proferre audeam, scire ipsum quale sit? Mihi enim operæpretium esse uidetur. THE. Aude per Iouem. Nam his tibi utenti ueniam dabimus. SOCR. Audistin quid hoc tempore scire dicant esse? THE. Fortè,non tamen in præsentia memini. SOCR. Scientiam habere,id est uti uocant. THE. Sic est. SOCR. Nos autem paulum permutan-

mutãtes,ſcientiam poſſidere dicamus. Quæres fortè,quónam hoc ab illo differat. nihilo forſitan. quod autem uideatur mihi,id poſtquã audiueris,mecum examinato. THE. Modo poſſim. SOC. Haud ſanè poſſidere idem quod habere uidetur: ceu ſi quis empta ueſte,illam ſeruans,& uti arbitratu ſuo potens,non ferat,habere quidem illam minime confiteremur,poſſidere uero. THE. Et recte quidem. SOCR. Vide præterea utrum fieri poſſit,ut qui ſcientiam ſimiliter poſſideat,non habeat:perinde ac ſi quis ſylueſtres aues,ſiue columbas,ſiue quaſuis alias uenatus,auiario domi conſtructo nutriat,quodãmodo habere ſemper illas dicetur,quia poſſidet. THE. Sanè. SOCR. Quodãmodo uero non habere, ſed poteſtatem quidem eſſe,cumq; in columbario eas incluſerit,poſſe quoties uelit capere,& habere quamlibet ad uotum atq; dimittere. THE. Ita eſt. SOCR. Rurſus quemadmodum ſuprà in animis neſcio quod figmẽtum cæreum machinati ſumus, ita & nunc in qualibet anima auiarium quoddam omnis generis auium fabricemus:quarum aliæ ſeorſim ab aliis diſcretis gregibus peruagentur,aliæ numero paucæ,nõnullę ſolæ paſſim quocunq; contigerit,uolitent. THE. Fiat,quid tum poſtea? SOCR. Hanc caueam in pueris uacuam eſſe dicamus,loco uero auium ſcientias intelligamus:& quiſquis ſciẽtiam nactus, hoc coercuit ambitu,hunc inueniſſe didiciſſeq; rem ipſam cuius ſciẽtia eſt,& hoc ipſum eſſe ſcire. THE. Eſto. SOC. Deinde rurſus quamcunq; uelit ſcientiam aucupari, captamq; habere, iterumq; dimittere:hæc inquam,omnia quibus exprimenda nominibus ſint,conſidera.nunquid eiſdem quibus antea cum acquiſita duntaxat poſſidebant, an aliis? Hinc fortè clarius me intelliges,Arithmeticam artem uocas? THE. Voco. SOC. Hanc ſuppone ſcientiarum omnis paris & imparis aucupium eſſe. THE. Suppono. SOC. Hac arte arithmeticus ipſe ſcientias numerorum quaſi mancipia quædam ſubiectas habet, & aliis tradit. THE. Prorſus. SOC. Eumq; qui tradit,docere dicimus: qui uero accipit,diſcere: & eum qui habet ex eo quod in ipſa cauea poſſidet, ſcire. THE. Maxime. SOCR. Quæ ſequuntur, diligenter animaduerte. Qui perfectus arithmeticus eſt, nónne omnes ſcit numeros? omnium quippe numerorum in eius animo ſcientiæ inſunt. THE. Nil obſtat. SOC. Nónne hic interdũ uel ſecum ipſe interna,uel externa quædam quæ numero conſtant,dinumerat? THE. Quid ni? SOCR. Numerare autem nihil aliud poſſe ponemus, q̃ conſiderare quantus quiſq; ſit numerus. THE. Nil aliud certe. SOC. Quod ergo ſcit, tanquam neſcius cõſiderare uidetur,is quem ſcire omnem numerũ cõfeſſi ſumus. audis ambiguitates huiuſmodi? THE. Equidem. SOC. Cũ columbarũ poſſeſſioni & aucupio comparauerimus,duplex aucupium eſſe dicemus:unum ante acquiſitionem poſſidendi gratia:alterum poſtq̃ acquiſiuit poſſeditq;,gratia capiendi manuq; tenendi illa ipſa quę quis diu poſſedit. Atq; ita quorum iampridem ſcientijs diſcẽdo præditus eſt, quæ ũe antea nouit,ea iterum diſcere poteſt,reſumens cuiuſq; ſcientiam,& in lucem eruens quæ latebãt. THE. Vera narras. SOC. Propterea paulo ante quærebã,quomodo nominibus eſt utendum,cũ de iis loquimur,utputa quãdo arithmeticus numeraturus eſt,uel lecturus grammaticus? Tunc enim ſciens,iterũ ſecum ipſe quæ ſcit,diſcere tentat. THE. At abſurdũ eſt hoc ô Socrates. SOC. An fortè dicendum quæ neſcit,ea uel numerare, uel legere, cũ ipſi iam literarum omnium uel numerorum intelligentiam tradiderimus? THE. Hoc quoq; abſurdũ. SOC. Vis ergo dicamus nihil curare nos quomodocunq; nominibus ſciendi diſcendiq; quiſq; utatur? Poſtq̃ uero determinauimus,aliud quiddã eſſe ſcientiam poſſidere,aliud habere,quod quis poſſidet,ne poſſideat,fieri nõ poſſe dicimus. Quapropter nũquam accidit, ut aliquis quod ſcit,idem & neſciat. Falſam tamen opinionẽ circa idipſum accipi poſſe. Nam accidere poteſt ut ſcientiã unius pro alterius ſcientia capiamus, quãdo aliquis noſtrum unam quandã ex internis ſcientijs aucupãs,pro illa aliam præuolantem deceptus apprehendit. Veluti cũ undecim duodecim eſſe putat,ipſorũ undecim ſcientiam loco ſciẽtiæ ipſorũ duodecim,cum utraq; intus maneat,capiens quaſi pro columba palumbẽ. THE. Veriſimile id quidem. SOC. Cum uero quam affectat, apprehẽdit,tũc expertem eſſe mendacij,ueraq; nimirũ opinari dicendũ. Et hoc modo ueram & falſam opinionem exiſtere,nihilq; ex iis quæ nos ſuprà turbabant, impedimẽto nobis fore. Fortè mihi aſſentieris,an quid ages? THE. Aſſentiar. SO. Iam diſcrimen illud euaſimus,quo neſcire aliqui quæ ſciunt,cogebantur. Nam quæ poſſidemus, ne poſſideamus non accidit: neq; ſi fallamur,neq; ſi uere iudicemus. Veruntamen aliud quiddã grauius mihi uidetur.

Aliud eſt ſcientiam habere, aliud uti & poſſidere

THE. Quidnam hoc? SOCR. Si scientiarum cõmutatio, falsa fiat opinio. THE. Qui istuc? Nónne ualde absurdum est, ut qui rei cuiusdam scientiam habet, eam ipsam ignoret, non ignorantia quidem, sed ipsius eiusdem scientia? Deinde rem hanc aliam quandã, & contrà illam hanc esse existimet? quàm præter rationem hoc est, quod præsente scientia animus, cognoscat nihil, ignoret omnia? Enimuero secundũ hanc rationem nihil prohibet, quin ignorãtia præsens, nosse quicq; efficiat, cæcitasq; uidere, si scientia ignorare quenq; effecerit. THE. Haud recte forsitan ô Socrates, aues induximus, cum solas in animo scientias poneremus: oportebatq; insciticias quoq; unà cum scientijs in animo conuolantes, inducere, & aucupãtem hominem nonnunq; scientiam, sæpe insciticiam circa idem accipientem: cumq; in scientiam incurrit, uera opinantem: cum ignorantiam, falsa. SOC. Difficile est te non laudare Theætete, quod tamẽ dixisti, iterũ animaduerte. Esto enim ut ais. Qui in ignorantiam incidet, falsa, ut ais, opinabitur: nónne? THE. Certe. SOC. Non tamen falsa se opinari putabit. THE. Non certe. SOC. Sed uera potius, & tanquam sciens afficietur ad illa in quibus errat. THE. Cur non? SOC. Et idcirco scientiam nactum se uenando, nõ insciticiam arbitrabitur. THE. Patet. SOC. Iam longo quodam circuitu in primã rursus dubitationem relapsi sumus. quippe contentiosus redargutor ille subridens, dicet. Vtrum ô boni uiri, utranq; noscens aliquis scientiam & insciticiam quam nouit, aliam quandam quam etiam nouit, esse censet? aut neutram noscens, quam nõ nouit, aliam quam nec nouit? aut unam cognoscens quidem, alteram minime, quam nouit eam esse quam non nouit: uel contrà quam non nouit, eam esse quam nouit? Vel rursus mihi dicetis, scientiarũ & insciticiarum scientias esse, quas qui possidet, in alijs quibusdam ridiculis caueis siue cæreis figmentis includens, quatenus possidet, scit, etiam si in promptu non habeat. Atque ita cogemini in infinitum circa idem reuolui, nihil proficientes. Quid ad hæc ô Theætete? THE. Per Iouem ô Socrates, quid respondendũ sit, nescio. SOCR. Nónne ratio nos ô Theætete, admonet, nõ recte falsam opinionem prius q; scientiam inuestigasse, & indiscussam scientiam reliquisse? impossibile autem est ista cognoscere, antequam sufficiẽter scientia definita sit? THE. Necessarium ô Socrates, quod ais in præsentia, asserere. SOC. Quid ergo à principio rursus de sciẽtia disseremus? Nondũ enim dicẽdo defessi sumus. THE. Non certe, siquidem ipse nõ renuis. SOCR. Dic age, quo pacto eam definientes, no bisipsi minime aduersabimur? THE. Quemadmodũ supra contendimus. nihil em̃ aliud habeo. SOC. Quomodo supra? THE. Veram opinionẽ scientiam esse uolebam. nam uere opinari procul est ab errore: & quæ à uera opinione proficiscunt̃, decora omnia bonaq; sunt. SOCR. Qui in trãsecundo flumine præit sequentibus, cũ interrogãt q; alta sit aqua, ipsa ostendet, inquit. Quod si & nos ingressi perquiramus, fortè impedimentum ipsum quod quærit̃, demõstrabit, manẽtibus nobis nihil patebit. THE. Probe loqueris. eamus iam quæsituri. SOC. An nõ breuis inuestigationis hoc est? Ars etenim uniuersa argumento nobis est sciẽtiam id minime esse. THE. Qua ratione? quæ ue hæc facultas? SOCR. Eorum qui præ cæteris sapientes sunt, quos oratores & causidicos uocant. hi siquidem arte sua persuadent, nõ docent. inducũt enim auditores, ut quæ ipsi cupiunt, opinẽtur. An tu aliquos adeò in docendo uehemẽtes existimas, ut cum latrocinijs alijsq; iniurijs nulli testes interfuerint, tamẽ commissorum scelerũ ueritatem ad aquam paucam doceãt? THE. Nullo modo docere illos, sed persuadere puto. SOC. Persuadere autem, nõne idem asseris quod & opinionem inducere? THE. Idẽ prorsus. SOC. Nõne quãdo iudices iuste persuadentur in his quæ solus ille qui uidit, cognoscit, alius autem nequaq;, tunc ipsa ex auditu iudicantes, ueramq; opinionem nacti absq; scientia, recte iudicãt ea in quibus persuasi sunt, si modo bene iudicãt? THE. Omnino. SOC. Si tamen idem esset ô amice, opinio uera iudiciumq; & scientia, nunq; iudex ille summus absq; scientia recte opinaretur. Nunc autem utrunq; diuersum quiddam esse uidetur. THE. Quod ab aliquo de scientia quondam audiui, oblitus eram, sed iam reminiscor. Inquit autem opinionem ueram cum ratione scientiam esse, sine ratione expertem scientiæ: & quæ ratione carent, sciri nõ posse: quæ uero rationem habent, sciri. SOC. Quàm præclare loqueris. Sed hæc ipsa quæ sciri possunt, & quæ non, dic quomodo distinguebat, ut uideamus utrum tu & ego similiter acceperimus. THE. Inuenturus ne sim ignoro, fortè uero exponente alio quodã assequerer. SOC. Audi igitur pro somnio somniũ. ego quoq; accepisse à quibusdam mihi uideor

prima

prima ipſa uelut elementa ex quibus homines & alia cõponunt, rationem nõ admittere. Nam unumquodq; illorũ ſecũdum ſeipſum nominare licet, appellare uero aliquid aliud minime, neq; quod eſt, neq; quod non eſt. Iam enim eſſentiã ipſi uel non eſſentiã adhiberi cõtingeret. Oportet autẽ nihil apponere, ſi quis illud ipſum ſolum dicat. Etenim neq; ipſum, neq; illud, neq; unũquodq;, neq; ſolũ, neq; iſtud, neq; cætera talia adhiberi uolunt. Hæc em̃ circũcurrentia omnibus adhiberi, & alia quædam eſſe aiũt præter illud cui ſunt adiecta. Oportere aũt ſiquo modo poſſet ipſum dici, rationem q; propriã admitteret ſeorſum ab alijs omnibus ipſum dici. Nunc aũt nullum ex primis oratione poſſe proferri. nihil enim aliud ipſi q; nomen adeſſe, ſolũq; nomẽ habere. Quæ uero ex illis cõpoſita ſunt, quemadmodũ ipſa copulantur, ſic & illorũ nomina copulata orationem fieri. Nominum quippe copulationẽ orationis eſſe ſubſtantiam. Quo circa elementa ſine oratione rationẽ ue, & incognita eſſe ſenſibus tamen percipienda: ſyllabas aũt & cognoſci & dici poſſe, & uera opinione cõprehendi. Quando ergo abſq; ratione opinionẽ de aliquo uerã aliquis adipiſcitur, uera quidem de illo eius ſentire animum ferũt, noſſe uero nequaq;. Nam eum qui accipere & reddere rationem nequit, inſcium eſſe. Cum uero rationẽ conſequitur, hæc omnia cognoſcere poſſe, perfectam q; ſcientiã adipiſci. Sic & tu inſomniũ an aliter audiuiſti? THE. Sic omnino. SOC. Num tibi id placet? & hoc pacto opinionẽ ueram unà cum ratione ſcientiã aſſeris? THE. Et maxime quidem. SOC. Siccine Theætete nos hodie id cõprehendimus, quod olim ſapientes quãplurimi inueſtigantes, ante q; inuenirent conſenuerunt? THE. Mihi quidem ô Socrates, quod modo dictũ eſt, bene dictũ eſſe uidetur. SOC. Et merito, nam quæ ſcientia abſq; oratione rectaq; opinione unquam eſſe poterit? Vnũ tamen ex dictis mihi diſplicet. THE. Quod iſtud? SOC. Quod ſanè magnificentius dici uidebat elementa ignota eſſe, ſyllabarũ autem genus notũ. THE. Nonne recte? SOC. Aduertendũ profecto. Nam uelut uades ſermonis exempla ipſa habemus, quibus ille uſus, hæc omnia dixit. THE. Quænam? SOC. Literarum elementa & ſyllabas. an putas aliò intuentẽ, hæc dicere illum qui dicit quæ ipſi narramus? THE. Nõ ad alia certe, ſed ad iſta duntaxat. SOC. Ea igitur recenſentes examinemus. imò uero ſic noſmetipſos, nonne literas ita didicimus? Reſponde ad hoc primum, an non ſyllabæ rationẽ definitionem ue habent, elementa uero minime? THE. Fortè. SOC. Mihi quoq; omnino uidetur. Si quis ergo ita de prima Socratis ſyllaba percontetur, ô Theætete dic quid eſt? Quid potiſſimum reſpondebis? THE. Quod s, & o. SOC. Habes ergo hãc ſyllabæ rationẽ. THE. Equidem. SOC. Age dic præterea ipſius s rationẽ. THE. At quo pacto quis elementi elementa referre poſſet? Etenim ipſum s ô Socrates mutarũ literarum ſonus quidam eſt ſolum lingua ueluti ſibilante: ipſius autẽ b, neq; uox neq; ſonus, neq; plurimorũ elementorum. Quocirca recte admodũ abſq; ratione eſſe dicunt, è quibus ſeptẽ illa notiſſima uocem habent, rationem uero nequaq;. SOC. Hoc itaq; ô amice circa ſcientiã recte aſſeruimus. THE. Videmur. SOC. Quid uero cũ diximus ignotũ elementum, ſyllabam eſſe notam? nunquid recte? THE. Probabile eſt. SOC. Syllabã uero utrũ elementa utraq; eſſe dicimus? uel etiã ſi plura inſint q; duo, omnia eſſe? An potius ideam unã ex ipſis cõpoſitis genitã? THE. Cuncta dicere mihi uidemur. SOC. Aſpice igitur circa duo, s, & o, ſi utraq; prima mei nominis ſyllaba ſunt, quiſquis ipſam nouit, utraq; noſcit. THE. Quid ni? SOC. Ergo s, & o, cognoſcit. THE. Planè. SOCR. Quid porrò, ſi utrunq; ignoret ambo cognoſcet? THE. Et abſurdum, & præter rationẽ hoc eſſet. SOC. Veruntamen ſi neceſſariũ eſt utraq; noſſe, quandoquidẽ ambo quis nouerit, ſequitur ut neceſſe ſit eum elementa prænoſſe, qui ſyllabã quãdoq; ſit cogniturus, atq; ita nobis pulcher ille ſermo effugiẽs elabetur. THE. Et repente nimiũ. neq; enim bene illum cuſtodimus. Oportebat fortè ſyllabam non elementa ponere, ſed unam quandã ex illis ſpeciẽ conſtitutã, quæ ideã unã ſui ipſius habeat: & ab elementis differat. SOC. Sic prorſus, ac fortè hoc modo potius q; illo ſe habet. Quamobrẽ conſiderandũ eſt diligẽter, neq; ita ignaue ſermonem tam magnũ tamq; præclarũ prodi decet. THE. Non profecto. SOCR. Eſto igit̃ ſyllaba, ut modo dicebamus, idea una ex ſingulis cõgruentib. elementis, tam in literis q; in cæteris omnib. facta. THE. Prorſus. SOC. Nunquid partes illius eſſe non oportet? THE. Cur nam? SOC. Quoniã cuiuſcunq; partes ſunt, totũ neceſſe eſt partes omnes exiſtere. an totũ unam quandam ſpeciem ex partibus factam uocas, ab omnibus partibus differentem? THE. Equidem. SOC.

Orationis ſubſtantia

Deliterarũ elementis & ſyllabis

An omne & totũ, idem

Omne uero & totum idem'ne,an differens utrunq; uocas? THE. Quanquã nihil habeo certi,tamẽ quia prompte reſpondere iubes,periculũ faciẽs aio differre. SOC. Promptitudo ô Theætete recta. Vtrũ uero & reſpõſio recta,conſiderandũ. THE. Profecto. SOCR. Nónne ſecundũ hunc ſermonem totum & omne differũt? THE. Certe. SOC. Quid porrò? omnia,& omne num aliquo differũt? Veluti cũ dicimus,unũ,duo,tria,quatuor,quinque,ſex,uel bis tria,uel ter duo,aut quatuor ac duo,aut tria duoq; & unum. Vtrum in his omnibus idem an aliud dicimus? THE. Idem penitus. SOC. Aliud'ne q̃ ſex? THE. Nihil aliud. SOC. Nónne in uno quoq; loquendi modo omnia ſex inuenimus? THE. Ita. SOC. Rurſus autem non unum aliquid dicimus,dum dicimus omnia? THE. Neceſſe eſt. SOC. Num aliud q̃ ſex? THE. Nihil aliud. SOC. Ergo in his quæ numero conſtant,idem eſſe omne & omnia dicimus. THE. Sic apparet. SOC. Sic utiq; de ipſis dicamus: iugeri numerus,& iugerũ idem,nónne? THE. Idem. SOC. Et ſtadij numerus ſtadiumq; ſimiliter? THE. Et hoc. SOC. Exercitus quoq; ipſius numerus & exercitus ipſe, cæteraq; huiuſmodi eodem pacto? Numerus enim omnis exiſtẽs omne unũquodq; illorũ eſt. THE. Sanè. SOC. Singulorũ autem numerus. num aliud eſt q̃ partes? THE. Nequaquã. SOC. Quæcunq; igitur partes habent,ex partibus conſtant. THE. Apparet. SOC. Omnes autem partes totum eſſe cõceſſum eſt,ſi quidem omnis numerus omne eſt. THE. Ita eſt. SOCR. Totũ itaq; non conſtat ex partibus: omne enim eſſet, quandoquidem omnes eſſet partes. THE. Nõ uidetur. SOC. Pars id quod eſt,an eſt alterius q̃ totius. THE. Ipſius utique omnis. SOCR. Strenue Theætete pugnas, ipſum omne nónne ex eo eſt omne quòd nihil deeſt? THE. Neceſſe. SOC. Totũ quoq; nónne eadem ratione totum quia nihil abeſt? Cui uero nihil deeſt,neq; tamen totũ eſt, neq; omne,ipſum eſt ex ſeipſo. THE. Videtur mihi nunc totũ & omne nihil differre. SOC. Nónne diximus cuius partes ſunt, totum,& omne partes omnes eſſe? THE. Planè. SOC. Rurſus quod paulo ante tentauimus,nónne ſi ſyllaba elementa nõ eſt,neceſſe eſt eam non tanquã partes ſuas elemẽta habere? aut ſi eadem eſt cũ illis,æque ac illa cognoſci poſſe? THE. Ita certe. SOC. Ne hoc accideret aliud ipſam q̃ illa poſuimus. THE. Aliud. SOC. Quid uero ſi elemẽta ſyllabæ partes non ſunt,num alia quædã referre potes,quæ partes quidẽ ſyllabę,neq; tamen illius elementa ſint? THE. Nunquã ego partes uocarem quæ elemẽta non ſunt. Ridiculũ quippe omiſſis elemẽtis alia quærere. SOC. Omnino igit̃ ſecundũ hanc rationẽ ô Theętete una quædam impartibilis idea ſyllaba eſſe uidet̃. THE. Videt̃ ſanè. SOC. Num recordaris amice, nos in ſuperioribus admiſiſſe,quod primorum ex quibus alia cõponuntur ratio nõ eſſet ex eo quod ipſum ſecũdũ ſeipſum unũquodq; ſimpliciter exiſteret,neq; ipſum eſſe de illo cõgrue dici poſſet,neq; hoc,neq; ita quaſi hæc extranea alienaq; ſint,& hãc ipſam cauſam obſtare diximus quo minus deſcribi cognoſciq; poſſit? THE. Memini. SOC. Eſt'ne alia cauſa præter hanc, quæ uniforme, & impartibile aliquid ipſum faciat? Nã ego nullã aliam uideo. THE. Non uidetur. SOC. Nónne in idem cum illo ſyllaba quoq; concurrit, quandoquidẽ ſpecies eſt,nec habet partes,ſed idea una eſt? THE. Maxime. THE. Si igit̃ multa elemẽta ſyllaba eſt, & totũ quiddam, eiusq; partes,iſta ſimiliter ſyllabę & elemẽta cognoſci deſcribiq; poſſunt: quippe cum partes omnes idem quod & totum eſſe cõſtiterit. THE. Præcipue. SOC. Sin autẽ unum quiddam,& ſimplex, æque ſyllaba atq; elementum definitionis cognitionisq; eſt expers. Eadem enim cauſa talia hæc efficiet. THE. Aliter aſſerere nequeo. SOC. Eius ergo ſermonẽ ne admittamus,qui dixerit ſyllabã quidem dici & cognoſci poſſe,elementa uero nequaquam. THE. Non certe ſi huic rationi credimus. SOC. Quid ſi quis contraria dixerit, an non potius illa concederes, ex his quorum tibi ipſi in primis literarũ rudimentis conſcius extitiſti. THE. Quænam iſta? SOC. Quod nihil aliud diſcere ſtuduiſti,quàm elemẽta oculis auribusq; diſcernere,& ſingula ſecundum ſeipſa notare, ne illorũ poſitio uel cum dicerentur, uel cum ſcriberent̃, te turbaret. THE. Vera narras. SOC. Cithariſtæ uero artem didiciſſe, quid aliud eſt q̃ unumquenq; tonũ cuiuſq; chordæ dignoſcere? Hæc enim elementa muſicæ quilibet appellaret. THE. Nihil aliud. SOC. Cum ergo elementorum,& ſyllabarũ periti fuerimus,uelimusq; ex his ad alia cõiecturam facere, aſſeremus profecto genus elementorũ clariorem principalioremq; intelligentiam continere quàm ſyllabam, ad ſingulas diſciplinas abſolute percipiendas. Et ſi quis notam ſyllabam,elementũ natura ignotum dixerit, ultro illum uel inuitum

An omnia & omne,idẽ

Genus elemẽtorũ clariorem intelligentiam q̃ ſyllabã continere

tum ludere putabimus. THE. Et maxime quidem. SOC. Cæterum aliæ quoq; eiusdem rei demonstrationes meo uidere sint: propositi uero ne propter hæc obliuiscamur, quid scilicet de hoc iudicandum sit quod dicitur, rationem si cum opinione uera coeat perfectam scientiam esse. THE. Inquirendum omnino. SOC. Dic age, quid λόγος nobis hic significet. E tribus enim unum quiddam significare mihi uidetur. THE. E quibus. SOC. Primum esse arbitror cogitationem suam uoce per uerba nominaq; exprimere, opinionem propriam in uoce perinde ac in speculo & aqua mõstrantem. Nónne tale quiddam oratio tibi esse uidetur? THE. Mihi uero. SOC. Eum qui hoc agit, loqui dicimus. Nónne hoc quisq; facere potest: ostẽdere scilicet ocius aut tardius, quid sibi de singulis uideatur? nisi fortè mutus uel surdus natura sit. Atq; ita quicunq; recte aliquid opinantur, μετὰ λόγου opinari uidentur. Ac nunquam recta opinio sine scientia erit. THE. Vera hæc sunt. SOC. Ne igitur facile condemnemus eum, qui scientiam quod nunc diximus affirmauit, quasi nihil dicat. Fortè enim non id uolebat, sed interrogatus quid unumquodq;, respondere per elementa interroganti possit. THE. Quale id inquis ô Socrates? SOCR. Quemadmodum Hesiodus de curru dicit: Centum ligna currus, quæ quidem ego dicere haud possem. neq; tu etiam ut opinor. sed satis nobis erit, si interrogãti quid est currus, respondere poterimus, rotæ, axis, tabulæ, semicirculi, iugum. THE. Omnino quidem. SOC. Ille autem fortè nos existimaret tanquam interrogatos de tuo nomine, respondentesq; per syllabam ridendos esse, recte quidem opinãtes dicentesq; quod dicimus, putantes autem grammaticos esse, & grammatice habere ac dicere Theæteti nominis rationem: hoc autem non esse secundum scientiam loqui, antequam per elemẽta cum opinione uera unumquodq; quis determinet, quemadmodum supra dictum est. THE. Dictum proculdubio. SOC. Sic utiq; & de curru nos rectam opinionem habere. Eum uero qui centum illa percurrere potest, ipsius currus essentiam accipiẽs, rationem quoq; unà cum uera opinione comprehendisse: loco opinantis, artificiosum & scientię compotem circa currus essentiam euasisse, per elemẽta totum determinantem. THE. Nónne bene tibi uidetur ô Socrates? SOC. Si tibi ô amice uidetur ac approbas hunc per elementa circa unumquodq; discursum rationẽ esse, aut eum qui per syllabas aut maius quiddam fit, esse rationis expertem, uolo mihi dicas, quo diligentius cõsideremus. THE. Approbo, & maxime quidem. SOC. Num ita ut existimes quemlibet cuiusuis scientem esse, quando unum idemq; nunc unius eiusdemq;, nunc alterius esse, ei uideatur? Vel quando unius & eiusdem nunc hoc nunc illud esse opinatur? THE. Non per Iouem. SOC. Num memoria excidit, in discendis literis quod tibi & alijs acciderunt hæc sæpe? THE. Solitos ne dicis eiusdem syllabæ nũc hanc nunc illam literam opinari? Eandem ue literam aliâs in syllabam propriam, aliâs in alienam referre? SOC. Hæc inquã. THE. Nec oblitus sum, nec eos qui sic affecti sunt, scire arbitror. SOC. Quid uero? Si quis eo in tempore Theętetum scribens th, & e, scribendum putet, scribatq;, & rursus Theodorum scribere uolens th, & e, scribendum putet & scribat, nunquid scire illum dicemus primam uestri nominis syllabam? THE. Paulo ante inter nos conuenit eum qui sic institutus est, nondum scire. SOC. Quid prohibet hoc idem aliquem circa secundam, tertiamq;, & quartam syllabam pati? THE. Nihil omnino. SOC. Nunquid tunc discursum per elementum habens Theætetum recta cum opinione scribet, quando ordine suo scribet? THE. Absq; dubio. SOCR. Nónne adhuc inscius, sed recte opinatus, ut diximus? THE. Certe. SOCR. Et rationẽ habens cum opinione recta? nam discursum per elementũ habens, scripsit quam rationem esse consensimus. THE. Verum. SOCR. Est igitur ô amice quædam cum ratione opinio recta, quam scientiam appellare nondũ decet. THE. Apparet. SOC. Somniũ quoddam, ut uidetur, nacti sumus, dum ueriſſimam scientiæ rationem habere confideremus. THE. Aut nondũ uituperare debemus, fortè enim quispiam nõ ita λόγον definiat, sed reliquam è tribus speciem eligat, è quibus unã quandam electurũ diximus illum, qui scientiã esse opinionem rectam cum ratione asseuerabat. SOC. Opportune admonuisti. Adhuc eñ species una restat: prima quidem erat idolum cogitationis in uoce, secunda uero in totum per elementa processus. THE. Tertiam autem quid dicis? SOCR. Quod & plurimi faterẽtur, posse uidelicet quandam ueluti notam afferre, qua ab alijs omnibus id de quo agitur, differat. THE. Quam mihi, cuius ue definitionem talem assignare potes? SOCR.

Græcis λόγος rationẽ, oratione, definitionẽ significat. unde fuit Græca hic uoce utẽdũ

Est quædã opinio recta cum ratiõe, quæ non est scientia

Tres species rationis

Vt

Quædam de definitione

Vt ecce de sole, si uelis, approbabis arbitror, quod luce præcellit omnibus quæ circa terram in cœlo uoluuntur. THE. Omnino. SOC. Accipe cuius gratia hoc est dictum. est autem quod modo referebam⁹. Si differentiã cuiusq; accipias qua ab alijs est distinctũ, definitionem ut quidam tradũt, acceperis: quandiu uero cõmune aliquod attigeris, illorum definitionem quorum cõmunitas est, habebis. THE. Intellígo, ac recte huiusmodi quiddam rationem uocari existimo. SOC. Qui autem cum recta opinione differentiam qua quodq; à quocunq; seiungitur accipit, idipsum deinde sciet, quod prius opinabat. THE. Consentaneum est. SOC. Nunc demum ô Theætete cum primum ad hanc quasi quandam adumbrationem propius accesserim, nihil omnino me in his intellígere animaduerto. Quousq; uero eminus prospiciebam, dici mihi aliquid uidebatur. THE. Quamobrẽ? SOC. Dicam si potero. Rectam equidem de te opinionẽ habens, si tuam præterea definitionem accipio, te cognosco: alioqui duntaxat opinor. THE. Ita est. SOCR. Definitio autem differentiæ tuæ interpretatio erat. THE. Erat certe. SOC. Quando igitur opinabar solum nihil eorum quibus es distinctus ab alijs cogitatione percipiebam. THE. Nihil ut uidetur. SOC. Communia ergo quædam attendebã, è quibus nihil tu magis quàm alius quiuis habes. THE. Necessario sequitur. SOCR. Dic age per louem, quo pacto tunc potius te q̃ alium quemlibet opinabar? Pone utiq; ita me cogitantẽ, Theætetum esse illũ, qui & homo est, & nares, & os, & oculos habet, similiterq; reliqua membra. Num cogitatio ista efficit, ut Theætetum potius q̃ Theodorum animaduertam, uel uilissimorũ hominum extremum quempiam? THE. Quinam? SOC. Si uero non solum habentẽ nares, & oculos cogitem, sed & simum nasum, & prominentes oculos, nihilo magis iterum te quàm me ipsum, & alios quicunq; tales sunt, opinabor. THE. Aeque sanè. SOC. At uero non prius Theætetum ut arbitror, opinabor, quàm figurã hanc simam, ab alijs quascunq; uidi similis figuris, per aliquod monumentũ illius proprium impressam mihi distinguam, aliaq; similiter, è quibus tu consistis. quæ quidem me cras etiam si in te incidero, admonebit, & recte de te opinari faciet. THE. Vera loqueris. SOC. Ergo circa differentiam propriam, recta de unoquoq; uersatur opinio. THE. Apparet. SOCR. Quid deinde igitur erit, si unà cum recta opinione definitionem quoq; assumamus? Ridiculum enim præceptum est, si qua ab alijs differat quicquam, opinari iubet. THE. Quomodo? SOC. Quibus de quatenus ab alijs differant, recte opinamur, de ijsdem quatenus ab alijs differant recte opinionẽ assumere iubet. Atq; ita oratio tua erit aut scuticæ aut pistilli, aut cuiusuis circũuolutioni similis, ad hoc autem præceptũ nihil prorsus dicit. Cæci nanq; præceptũ rectius uocet. Quoniã iubere ut quæ habemus accipiamus, ad ea quæ opinamur, discenda, cæci hominis mandatum esse uidetur. THE. Dic age quid modo quærebas? SOCR. Si dum rationem ô puer accipere præcipit, nosse præcipit, non aũt differentiam opinari, dulcis sanè res esset ratio, & omnium quæ ad scientiam pertinent pulcherrima. nosse em̃ accipere scientiã est. THE. Est profecto. SOC. Interrogatus itaq; quid scientia sit, respondet eam esse opinionẽ rectã cum scientia differentiæ. Rationis enim assumptio secundũ illum hoc esset. THE. Videtur. SOC. Omnino fatuum est, scientiam nobis quærentibus, opinionem rectã cum scientia dicere, siue differentię, siue cuiuscunq; alterius scientia sit. Neq; sensus igitur ô Theætete, neq; opinio uera, neq; cum opinione uera assumpta ratio scientia est. THE. Non, ut uidetur. SOC. Nunquid fœtus in nobis alius circa scientiam ô amice restat? an omnia iam peperimus? THE. Per louem plura q̃ in me haberem, educẽte te protuli. SOC. Nónne cuncta nobis hæc ars obstetricia, uana, educationeq; indigna nata fuisse ostendit? THE. Omnino quidem. SOC. Si igitur aliorum deinceps plenum fœcundũq; te fieri cõtendes, prægnansq; euades, melioribus plenus eris propter præsentem discussionẽ. quod si forte uacuus sterilisq; manes, minus certe molestus familiaribus eris & moderatior & mitior, nequaquam quæ nescis scire te putans. Tantũ quidem ars mea, nec aliud præterea quicquã potest: nec ea noui quæ alij multi, quicũq; magni atq; mirandi uiri, & sunt, & fuerunt. Hanc uero obstetriciã facultatem ego ac mater mea à deo sortiti sumus, illa quidem circa fœminas, ego autẽ circa adolescẽtes ingenuos atq; honestos. Sed nunc iam eundum mihi est in regis porticum: nam Melitus in iudicium me uocauit. Cras summo mane ô Theodore huc redibimus.

Differentia inter cognoscere & opinari

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI
in Platonis Ionem, uel De furore poetico, ad Laurentium Medicem uirum magnanimum.

PLATO noſter, optime Laurenti, furorem in Phædro, mentis alienationem definit. Alenatiõnis autem duo genera tradit. Vnam ab humanis morbis, alteram à deo prouenientem. Inſaniã illam, hanc diuinum furorem nuncupat. Inſania infra hominis ſpeciem homo deijcitur, & ex homine brutum quodãmodo redditur. Diuino furore ſupra hominis naturam erigitur, & in deum tranſit. Eſt autem furor diuinus, illuſtratio rationalis animæ, per quam Deus animam à ſuperis delapſam ad infera, ab inferis ad ſupera retrahit. Lapſus animæ ab ipſo uno rerum omniũ principio ad corpora, per quatuor gradus efficitur, per mentem, rationẽ, opinionem, atq; naturã. Nam cum in omni rerum ordine ſex gradus exiſtant, quorum ſummum tenet ipſum unum: infimum, corpus: media uero ſint quatuor quæ prædiximus, neceſſe eſt quicquid à primo ad ultimum labitur, quatuor per media cadere. Ipſum unum rerum omniũ terminus, & menſura, infinitatis & multitudinis expers. Mens multitudo quidẽ, ſed ſtabilis & æterna. Ratio, multitudo mobilis, ſed finita. Opinio, multitudo mobilis infinita, ſed ſubſtantia punctisq; unita. Natura ſimiliter: niſi quod per corporis puncta diffunditur. Corpus autem infinita multitudo ſubiecta motui, & ſubſtantia punctis momentisq; diuiſa. Hæc omnia reſpicit anima noſtra, per hæc deſcẽdit, per hæc & aſcendit. Vt enim ab ipſo uno quod omniũ principium eſt, producitur, unitatem quandam ſortita eſt, quæ omnem eſſentiã eius, uires, actionesq; unit: à qua, & ad quam, ita cætera quæ in anima ſunt, ſe habẽt, ſicut à centro, & ad centrum circuli lineæ. Vnit uero nõ modo animæ partes inuicem, & ad totam animam, ſed animam totam ad ipſum unum, rerum omnium cauſam. Vt autem à mente diuina dependet, rerum omnium ideas per mentem actu ſtabili cõtemplatur. Vt ſeipſam reſpicit, rationes rerum uniuerſales cogitat, & à principijs ad concluſiones ratione diſcurrit. Vt corpus reſpicit, particulares rerum mobilium formas opinione concipit, easq; percurrit. Vt materiam attingit, natura uelut inſtrumento utitur, quo unit materiam, mouet, & format: unde penetrationes, augmenta, eorumq; contraria proficiſcuntur. Cernis igitur quod ab uno quod ſuper æternitatem, in æternam multitudinem labitur, ab æternitate in tempus, à tempore in locum atque materiam. Quare ſicut per quatuor deſcendit gradus, per quatuor aſcendat neceſſe eſt. Euror autem diuinus eſt qui ad ſuperna conuertit, ut in eius definitione conſtitit. Quatuor ergo ſpecies diuini furoris exiſtunt. primus quidem poeticus furor: alter myſterialis: tertius uaticinium: quartus amatorius affectus. Eſt autem poeſis à Muſis, myſterium à Dionyſio, uaticinium ab Apolline, amor à Venere. Redire quippe ad unum animus nequit, niſi ut ipſe unum efficiatur. Multa uero effectus, eſt lapſus in corpus, in operationes uarias diſtributus, reſpiciensq; ad ſingula. Ex quo partes eius ſuperiores penè obdormiunt, inferiores alijs dominantur: illæ torpore, hæ perturbatione afficiuntur: totus uero animus diſcordia & inconcinnitate repletur. Poetico ergo furore in primis opus eſt, qui per Muſicos tonos quæ torpent ſuſcitet, per harmoniacam ſuauitatẽ quæ turbantur, mulceat: per diuerſorum denique conſonantiã diſſonantem pellat diſcordiam, uariasq; partes animi temperet. neque ſatis hoc eſt. Multitudo enim adhuc in animo reſtat. Accedit ergo myſterium quod expiationibus ſacrisq;, & omni deorum cultu, omnium partiũ intentionem, in mentem, qua deus colitur, dirigit. Vnde cum ſingulæ animi partes ad unam mentem redactæ ſint, iam totũ quoddam unũ ex pluribus factus eſt animus. Tertio uero adhuc opus eſt furore, qui mentem ad unitatem ipſam animæ caput reducat. Hoc Apollo per uaticinium efficit. Nam cum anima ſupra mentem in unitatem ſurgit, futura præſagit. Demum cum anima unum facta eſt, unum inquam quod in ipſa eſſentia animæ ineſt, reſtat ut illico in unũ quod eſt ſuper eſſentiam, conuertatur. Hoc cœleſtis ipſa Venus per amorem, hoc eſt, diuinæ pulchritudinis deſideriũ, bonique ardorem explet. Primus itaq; furor inconcinna & diſſonantia temperat. ſecundus temperata, unũ totum ex partibus efficit. tertius unum totum ſupra partes. quartus in unũ quod ſuper eſſentiam & totum eſt, ducit. Primus bonũ equũ, id eſt rationẽ opinionemq; à malo equo, id eſt à phantaſia cõfuſa & natura, diſtinguit. Secundus malum equũ bono, bonum aurigæ, id eſt menti ſubijcit. Tertius aurigam in caput ſuũ, id eſt in unitatẽ mentis apicem dirigit. Poſtremus caput aurigæ, in caput rerum omniũ uertit. ubi auriga beatus eſt, & ad præſepe, id eſt diuinã pulchritudinẽ ſiſtens equos, obijcit illis ambroſiã, & ſuper ipſam nectar potandũ, id eſt uiſionem pulchritudinis, et ex uiſione lætitiam. Hæc quatuor furorum opera ſunt, de quib. generatim in Phædro Plato diſputat, proprie uero de furore poſtremo, id eſt, amore, in Sympoſio: de primo hoc eſt furore poetico, in præſenti dialogo qui Io inſcribitur: quem in Phædro ita definit: poeticus furor eſt occupatio quædam à Muſis, quæ ſortita lenem & inſuperabilem animam, exuſcitat eam atq; exagitat per cantilenas aliamq; poeſim, ad genus hominum inſtruendum. Occupatio ſignificat raptum animæ & conuerſionem in Muſarum numina. Lenem dicit quaſi agilem à Muſisq; formabilem. niſi enim præparata ſit, non occupatur. Inſuperabilem, quia poſt quàm rapta eſt, ſuperat omnia, & à nulla rerum inferiorum inquinari, uel ſuperari poteſt. Exuſcitat è ſomno corpora ad uigiliam mẽtis, ex ignorantiæ tenebris ad lucẽ, ex morte ad uitã, ex obliuiõe lethæa ad

diuinorum

diuinorum reminiſcentiam reuocat, exagitat, ſtimulat, & inflammat ad ea quæ contemplatur & præſagit carminibus exprimenda. Poſt definitionem addit, eum qui ſine furore Muſarũ poeticas ad fores accedit, inanem eſſe ipſum atq; eius poeſim, quaſi tanti ſit poeſis, ut abſq; ſummo dei fauore comparari nequeat. Eadem in Ione hoc tradit, & unde ſit hic furor, & per quot deſcendat gradus edocet. Inquit autem in libro quarto de legibus Plato, Deum, fortunam, & artem, humana omnia gubernare. Quo fit ut poeſis uel dei donum ſit, uel fortunæ ſors, uel artis opus. Quid iſtorum potiſsimum uerum ſit, Socrates cum Ione rhapſodo perquirit. Rhapſodus autem hoc in libro ſignificat recitatorẽ interpretemq;, & cantorem carminũ. Interpretabatur Io Homeri carmina, & coram populo ad lyram canebat, atq; ita erat affectus, ut alium poetam nullum præter Homerum exponeret, etiam ſi eadem qua Homerus facilitate referret. Homeri autem omnia celeriter explicabat. Vnde ſic argumentatus eſt. Aut caſu profert Io quæ ſcribit Homerus, aut arte, aut afflatu diuino. Non caſu, quia non omnia, ſed pauca quædam, & abſq; continuatione ordineq; interpretaretur. Non arte, quia quiſquis artẽ integram habet, quicquid eidem arti ſubiectum eſt, iudicat. Eidem uero ſtudio poetico ſubiecta ſunt Heſiodi aliorumq; poemata, cui Homeri, præſertim quæ de eiſdem tractant, quæ tamen Io non percipit, cum Homerũ perfecte exponat. Ergo non arte iudicat. Reſtat ut inſpiratione diuina. Ex quo patet quod interpres poetæ Io, et alij multi qui ſimiliter affecti ſunt, diuino inſtinctu alienam poeſim interpretantur. Quod ſi ad percipiendam poeſim iam traditam humanum ingenium non ſufficit, multo minus ad inuentionem ſufficiet. Quare nec Homerus, nec alius quiuis reuera poeta abſq; cœleſti afflatu poeſim conſecuti ſunt. Quod & alijs modis Socrates hic oſtendit. Primo ſic. Omnes artes & ſcientias poetæ tradunt, ſed omnes didiciſſe humano ſtudio impoſsibile eſt, cum unicam ex parte percipere ſit difficilimum. Non igitur arte humana, ſed diuina quadã infuſione proferunt. Cuius rei argumentũ eſt, quod plerique uates poſt quam furoris remiſſus eſt impetus, quæ ſcripſerunt, non ſtatim intelligunt, cum tamen recte de ſingulis artib. in furore tractauerint, quod ſinguli illarum opifices legendo dijudicant. Præterea ſæpe uidemus rudem hominem, & ineptum ſubito in poetam bonum euadere, & aliquid magnificum diuinumq; cantare. Magna uero in momento aſſequi, non humani ingenij eſt, ſed diuinitus inſpirati. Qua in re perſpicue deus oſtendit, nutu ſuo intelligentiam hãc infundi. Vtq; ita eſſe demonſtret, ſæpe ineptos quoſdã potius quàm urbanos, inſanos potius quàm prudẽtes rapit, ne ſi acutis prudentibusq; uiris ad hæc uteretur, humana ſubtilitate et induſtria fieri hæc exiſtimarẽtur. Cum ergo non ſit à fortuna, nec ab arte poeſis, à deo, & à Muſis tribuitur. Cum deum dicit, Apollinem ſignificat: cum Muſas, ſphærarum mundi animas. Iupiter quidem mens dei eſt. ab hac Apollo, mens animæ mundi, et anima totius mundi, octoq; ſphærarum cœleſtium animæ. quæ nouem animæ, nouem Muſæ uocantur, quia dum cœlos harmonice mouent, muſicam pariunt melodiam: quæ in nouem diſtributa ſonos, octo ſcilicet ſphærarum tonos, & unum omnium concentum, nouem Sirenes deo canentes producit. Quamobrem ab Ioue Apollo, & Muſæ: ab Apolline, id eſt, mente animæ mundi, chorus Muſarum ducitur. quia mens illa ſicut ab Ioue illuſtratur, ſic & animas mundi ſphærarumq; illuſtrat. Gradus autẽ quibus furor ille deſcendit, hi ſunt. Iupiter rapit Apollinem. Apollo illuminat Muſas. Muſæ ſuſcitant & exagitant lenes & inſuperabiles uatum animas. Vates inſpirati interpretes ſuos inſpirant. Interpretes auditores mouent. Ab alijs uero Muſis aliæ animæ rapiuntur, quia & alijs ſphæris ſideribusq; aliæ attributæ ſunt animæ, ut in Timæo traditur. Calliope Muſa uox eſt ex omnibus reſultans ſphærarum uocibus. Vrania, cœli ſtelliferi, per dignitatem ſic dicta. Polymnia Saturni, propter memoriam rerum antiquarũ quam Saturnus exhibet, & ſiccam frigidamq; complexionem. Terpſichore, Iouis, ſalutifer enim choro hominũ. Clio Martis, propter gloriæ cupiditatem. Melpomene ſolis, quia totius mundi temperatio eſt. Erato Veneris, propter amorem. Euterpe Mercurij, propter honeſtã in grauibus rebus delectationem. Thalia lunæ, propter uiriditatem eius humore rebus exhibitam. Apollo item ſolis eſt anima, lyra eius ſolis corpus: nerui quatuor, motus eius quatuor, annuus, menſtruus, diurnus, obliquus: quatuor uoces, neates, hypates, doriones, gemini: quatuor ſunt ſignorũ triplicitates, ex quibus quatuor qualitates temporum producuntur. Orpheum quidem afflauit Calliope, Muſeum Vrania, Homerũ Clio, Polymnia Pindarum, Erato Sapphon, Melpomene Thamyram, Terpſichore Heſiodum, Thalia Maronem, Naſonem Euterpe. Linum rapuit idem qui & te iam nunc exagitat Phœbus optime Laurenti, Phœbus inquam qui auo tuo Coſmo uaticinium dedit, parenti autem Petro arcũ atq; medelas, tibi deniq; lyram & carmina.

IO PLATONIS LIBER, VEL DE FV-
RORE POETICO, A MARSILIO FICINO TRANSLATVS E Græca lingua in Latinam, ad Laurentium Medicem uirum magnanimum.

SOCRATES, IO.

IONEM ſaluere iubeo. Vnde nũc ad nos aduenisti? Nũquid ex Epheſo patria uenis? IO. Nullo pacto ô Socrates, ſed ex Epidauro ab Aſclepijs. SOC. Nunquid & Rhapſodorum, id eſt eorum qui poetarum carmina recitãt, certamen Epidaurij deo inſtituerunt? IO. Non in his ſolum, ſed in alio quoque genere muſicæ. SOC. Quid igitur, nõ tu nobis iſtic decertaſti, quomodo, certaſti ne? IO. Prima ô Socrates certaminum præmia retulimus. SOC. Probe inquis. Age ut in Palladis celebratione uictoriam conſequamur. IO. Fient hæc quidem ſi deus uoluerit. SOC. Etenim ô Io, artem ueſtram ſemper plurimi feci. quod & arti ueſtræ conueniat ut ornetis corpus, & quàm pulcherrimi ſemper appareatis, tum quòd oporteat in plurimis atq; bonis poetis, in Homero præcipue poetarum omnium optimo diuiniſſimoq; aſſidue uerſari, neq; carmina illius ſolum, uerumetiã ſenſa perdiſcere. Nunquam enim aliquis in Rhapſodum euaderet, niſi ea quæ à poeta dicta ſunt, intellexerit. Nam poetæ mentẽ interpretari Rhapſodũ apud auditores oportet: quod quidẽ fieri nequit, ſi quis poetæ ſententiam ignorarit. Hæc uero omnia an non uidentur? IO. Vera dicis ô Socrates: atq; ego quidem in hoc plurimũ elaboraui. præclariſſima ſanè prę cæteris de Homero me explicaturũ profiteor, ut neq; Metrodorus Lãpſacenus, neq; Steſimbrotus Thaſius, neq; Glaucon, neq; aliquis unquã ueterum tot tamq; pręclara Homeri ſenſa quot ego, exponere queat. SOC. Recte ô Io. Cõſtat enim quod nulla inuidia prohibebit quin hæc mihi aperias. IO. Et auditu ſanè dignũ eſt & uehementer Homerũ exornarim. Vnde æquũ eſſe cenſeo ut ab illis qui Homeri ſtudioſi ſunt, corona aurea coroner. SOC. Ociũ profecto te audiẽdi quando nanciſcar: nunc autẽ ad hoc unum mihi reſponde, utrũ circa Homerum ſolum, an etiã circa Heſiodũ & Archilochũ id poſsis. IO. Circa Homerũ ſolum. ſatis enim mihi eſſe uidetur. SOC. Sunt ne aliqua de quibus Homerus & Heſiodus eadem referant? IO. Ac multa quidẽ eſſe arbitror. SOC. Vtrum melius ea quæ dicit Homerus, an quæ Heſiodus explicares? IO. Aeque de utriſq; ô Socrates in illis rebus in quibus eadẽ referunt. SOC. Quid autẽ in his de quibus nõ eadem dicunt? utputa de uaticinio Homerus atq; Heſiodus uerba faciunt. IO. Et maxime quidem. SOC. Et in quo poetæ iſti conſentiunt, aut diſcrepant, quãdo de uaticinio loquunt̃, utrum ipſe melius q̃ peritus uates aliquis explicares? IO. Vates melius. SOC. Si autẽ uates eſſes, non illa tantũ in quibus conueniunt, uerum etiam in quibus diſſentiunt, exponere poſſes? IO. Patet. SOC. Quid porrò? num circa Homerum uehemens facundusq; es? circa Heſiodum aliosq; poetas minime? An Homerus de alijs rebus agit, quàm de ijs quæ & alij poetæ tractãt? Nónne multa quæ ad bellum, & quæ ad cõſuetudines bonorũ inuicem, malorũq;, priuatorum atq; opificum attinent, enarrauit? Et de ijs quemadmodum ſecum inuicem, & cum hominibus uerſantur, deq; afflictionibus cœleſtibus? item & de his quæ apud inferos ſunt, tum deorum & heroum generationes cecinit? Nónne circa hæc omnis Homeri poeſis uerſatur? IO. Vera ô Socrates loqueris. SOC. Nónne eadẽ cæteri poetæ decantãt? IO. Eadem certe, ſed non ita cæteri ut Homerus. SOC. An forte deterius? IO. Multo deterius. SOC. Melius ergo Homerus? IO. Melius certe. SOC. O Io lepidum caput, cum multi de numero uerba faciunt, & eorum aliquis recte dicit, nónne poteſt quiſpiam ea in re bene dicentem noſſe? IO. Poteſt. SOC. Nunquid ille ipſe qui male dicentem noſcit, an alius? IO. Ipſe idẽ. SOC. An non hic eſt qui arithmetica arte eſt præditus? IO. Profecto. SOC. Cum multi de cibis, quales ſalubres ſint loquuntur, & aliquis recte ea de re loquitur, utrum alius quidam bene dicentẽ quod recte, alius male dicentẽ quod male dicat, animaduertet? an unus, & idem? IO. Idem proculdubio. SO. Quis hic? quod illi nomen? IO. Medicus. SOC. Nónne ſummatim dicimus, cum plures eadem de re loquunt̃, quod unus atq; idem tam illũ qui male, q̃ illum qui bene loquitur internoſcet: & niſi eum qui in eadem re aberrat, cogno-

Quæ ſint explicata in omni Homeri poeſi

uerit,nunquam eum qui rectè sentit agnoscet. IO. Profecto. SOC. An non ipse idem in utrisq; peritus est? IO. Prorsus. SOC. Homerum atq; alios poetas, è quorum numero est Hesiodus,& Archilochus,eadem referre asseris? non tamẽ eodem modo,sed melius Homerum? IO. Et uera loquor. SOC. Si illũ qui bene dicit cognoscis, eos qui male dicunt, quod errẽt intelligis. IO. Cõuenit. SOC. Si ergo dicamus ô uir optime, Ionem circa Homerum alios q; poetas similiter peritum esse atq; uehementẽ,nequaquã errabimus: quandoquidẽ ipse iudicem eũdem idoneum esse circa illos qui eadem in re uersant, cõfitetur, poetas uero penè omnes eadem effingere. IO. Quamobrẽ igitur ô Socrates cum de alio poeta quispiam differit,neq; mentẽ adhibeo,neq; quicquã existimatione dignum dicere possum,sed oscito protinus atq; torpeo: postquã uero Homeri quis mentionẽ fecerit, cõfestim excitor atq; mentẽ adhibeo,succeditq; quicquid instituo. SOC. Nequaquã arduũ est ô amice huius causam coniectare. Cõstat enim quod neq; arte neq; scientia de Homero scite loqueris. Nam si arte, de alijs omnibus poetis similiter loqui ualeres. poesis enim totũ est. nónne? IO. Est certe. SOC. Nónne postquã aliquis aliam quãuis artem integram comparauit,æque de omnibus quæ sub arte sunt iudicat? Eadem quippe de omnibus artibus cõsiderandi ratio est. Vis tibi referã qua ratione id dicam? IO. Opto per Iouem ô Socrates. Nam quotiens uos sapiẽtes illos audiui, miro quodã gaudio statim afficior. SOC. Velim ô Io,uera diceres. Verũ sapientes uos rhapsodi & mimi estis,& illi quorũ uos poemata decantatis. ego autẽ nihil præter ueritatem loquor, quemadmodũ decet pinguis minerue hominem. Nam id de quo pauloante percontabar, intuere q; leue sit, & facile cognitu: adeo ut quiuis quod narrabam, percipere possit, eandem per cætera esse considerationem, si quis artem sibi integrã comparauerit. Exempli causa, nunquid pingendi ars totũ quiddam est? IO. Est. SOC. Nónne pictores multi, partim boni, partim mali, & sunt & fuerũt? IO. Certe. SOC. Vidisti ne aliquẽ qui & ea, quæ recte, & quæ nõ recte Polygnotus Aglaophontis filius pinxit, sufficienter ostendere potuit: quæ uero pictores alij, non potuit: Et si quis aliorum pictorum opus ostenderit, obdormiat, neq; facultas illi ad dicẽdum aliquid conijciendum q; suppetat: cum uero de Polygnoto, uel de uno quouis pictore sit iudicandum, expergiscatur, & mentem adhibeat, & facultatem dicendi habeat? IO. Nõ per Iouem. SOC. Quid in fabris statuarijs? uidisti quenquã qui ea quæ Dædalus Metionius, aut Epius Panopei filius, aut Theodorus Samius, uel alius quispiam statuarum faber, bene est machinatus exponere ualeat, in aliorũ uero sculptorũ operibus torpeat atq; obmutescat? IO. Per Iouem nunquã uirum talem repperi. SOC. Atqui nec in tibiarum flatu ut arbitror, nec in pulsu citharæ, nec in illo ad citharam cantu, neq; in rhapsodia uirum intuitus es, qui Olympi opera, uel Thamyræ, uel Orphei, aut Itacensis Phemij rhapsodi exprimere possit, in operibus uero Ionis Ephesii deficiat, neq; percipere conferreq; possit, quæ bene, & quæ cõtra modulatur. IO. Quid in hoc tibi contradicam non habeo, sed tamen mihi ipsi conscius sum, me præ cæteris hominibus pulcherrima de Homero referre, neq; deesse mihi dicẽdi copiam: alios uero omnes hac in re me laudare, in cæteris uero nequaquã. Tu uero quidnam hoc sit uide. SOC. Video ô Io,& quod mihi id esse uidetur, tibi aperire incipiam. Vt bene de Homero loquaris ars tibi nõ præstat, ut modo dicebã, sed diuina uis est quæ te mouet, sicut in lapide quem Magnetẽ Euripides nominauit, nõ nulli Heraclium uocant. Qui lapis nõ solum ferreos annulos trahit, sed uim etiam annulis ipsis infundit, qua hoc idem efficere possint, ac perinde ut lapis, alios annulos trahere. Vnde longa plerunq; concatenatio ferri,& annulorum inuicem pendet,& omnibus his ex illo lapide uis attrahit. Ita ipsa Musa poetas diuino instinctu concitat, poetæ concitati alios furore corripiunt. Quare ex his omnibus series ipsa contexitur. Omnes itaque carminum poetæ insignes, non arte sed diuino afflatu mẽte capti omnia ista præclara poemata canunt: & ut Corybantes non sana mente saltant, ita neq; cantilenarum modulatores egregij sana mente hos cantus effingunt: sed ubi in harmoniam, & rhythmum insurgunt,& rapti bacchantur, quemadmodum bacchantes fœminæ, mente non sana, mel & lac ex fluminibus hauriunt, sana autem mente haurire nequeunt. id q; tum efficit illorum animus qui cantus effingunt, quod ipsi narrat. Aiunt enim nobis poetæ, quod è fontibus quibus mel scaturit, haurientes,& à Musarum uiridarijs collibusq; decerpentes carmina ad nos afferant, quemadmodũ mel ex floribus apes,& instar apum uolare se dicunt. Qua

Videturhoc agere, ut ostendat, nec ipsum Homerũ ex arte scripsisse, sed diuina quadam ingenij ui fretum

in

in re uera loquunt. Res enim leuis, uolatilis atq; sacra poeta est, neq; canere prius potest q̃ deo plenus, & extra se positus, & à mente alienatus sit. Nam quandiu mente quis ualet, neq; fingere carmina, neq; dare oracula quisquã potest. Nõ arte igitur aliqua hæc præclara canunt, quæ tu de Homero refers, sed sorte diuina id quisq; recte efficere potest, ad quod Musa quempiam incitauit. Hic Dithyrãbos, ille laudes alicuius, hic Hyporchemata choreasq;, alius carmina, alius item iambos canit. Ad cætera uero illorum quisq; rudis, & ineptus est. Non enim arte sed diuina ui hæc dicunt. Nam si de unoquoquã horũ per artem recte loqui scirent, de cæteris quoq; omnibus idem possent. Ob hanc uero causam deus illis mentẽ surripiens, ipsis tanquã ministris utitur, oraculorũq; nũcijs, & diuinis uatibus, ut nos qui audimus, percipiamus non eos esse qui tam digna referũt, cum suę mentis cõpotes minime sint, sed hæc deum loqui, & per hos nobis hæc inclamare. Huic autẽ rei euidẽtissimo argumento esse potest Tynnichus Chalcidensis, qui antea poema nullũ memoria dignũ composuerat: hymnũ autem in Apollinem quem omnes cantant, omnium fermè cantilenarũ pulcherrimũ, Musarum inspiratione inuenisse se dicit. In hoc maxime deus ostẽdisse uidetur nobis dubitandũ non esse, quin præclara hæc poemata, diuina deorũq; potius q̃ humana hominũq; sint opera. Poetæ aũt nihil aliud sint, q̃ deorũ interpretes, dum sunt furore correpti, à quocũq; tandẽ numine quis corripiatur. Quod quidẽ deus ostendere uolens, de industria per ineptissimũ poetam, pulcherrimã cecinit melodiam. An nõ uera tibi referre uideor? IO. Mihi certe. Atq; animũ meum his sermonibus Socrates demulces, et afficis. Ac diuina quadã sorte à dijs poetæ insignes hęc nobis interpretari uidẽt. SO. Nónne uos Rhapsodi poetarũ scripta interpretamini? IO. Vera narras. SOC. An non interpretũ interpretes estis? IO. Sumus. SOC. Animaduerte quid uelim, & hoc mihi respõde ô Io: neq; id de quo te interrogabo, mihi occultaueris. Cũ apte carmina refers, & stupore perculsos reddis spectãtes, siue dum Vlyssem super pauimentũ suo limine saltantem cantas, & procis palàm se ostendentẽ, atq; sagittas ante pedes effundẽtem, siue Achillem impetum in Hectora facientẽ, seu dum miserabile quiddam, & querulum circa Andromachen, uel Hecubã, uel Priamum profers, utrũ tunc mentis es cõpos? An à mente alienatus? & rebus gestis quas refers afflatus animus interesse illis se cogitat, siue in Ithaca, siue apud Troiam sint gesta, seu quocũq; alio te carmina rapiant? IO. Perspicuam mihi coniecturã ô Socrates attulisti, neq; id occultaturus tibi recẽsebo. Quoties enim miserabile quicquã dico, lachrymis implentur oculi. Cum aliquid terribile, aut uehemẽs, arrectæ propter terrorẽ comæ erigunt, cor salit. SOC. Nunquid mentis cõpotem eum uirum tunc esse asserimus, qui in sacrificijs, & celebrationibus pulchra ueste aureisq; coronis ornatus ploret, cũ nihil horũ amiserit? aut nimis trepidet is, qui inter uiginti milia hominum sibi amicorũ sit cõstitutus, nemine eum uel exuente, uel iniuria afficiẽte. IO. Nõ per Iouẽ ô Socrates, si uera fateri uelimus. SOC. Nónne spectantium multitudinẽ ijsdem his rebus afficitis? IO. Sanè plurimum: atq; aspicio semper superne ab ipso suggesto, et flẽtes, & torũ tuentes, atq; his quæ narrant, stupefactos. Et oportet me ualde mentẽ ijs adhibere. Nam si lachrymas excutiam, ipse argentũ suscipiens, ridebo. sin autem risum illis moueam, ipse argentũ amittens flebo. SOC. Vides ne spectatorẽ esse annulorũ extremũ, illorũ inquã quos sub magnete lapide uim inuicẽ suscipere referebam? Medius autẽ es tu recitator, & mimus: primus aũt est ipse poeta: deus uero per omnes istos hominũ animũ quocũq; uult, trahit, dum inuicẽ uim suspẽdit, & traijcit: ex quo uelut ex illo lapide series longa depẽdet, qua è latere gradatim nectunt hi qui in choro saltant, & præceptores atq; discipuli, huius ue catenę à Musa annuli suspendunt, poetarũ autem hic ex alia, ille rursus ex alia musa suspẽditur. Vocamus autẽ id nos mente capi, quod quidem illi proximũ est. Nam ab his utiq; primis annulis qui poetæ sunt: alij rursus ab alijs corripiũtur, diuinique fiunt, nõnulli ab Orpheo, à Musæo alij: nec pauci ab Homero occupãtur, atq; tenẽtur, quorum ô Io unus es, qui ab Homero furore correptus es. Et si quis scripta alterius poetę cecinerit, obdormiscis, atq; tibi dicendi deest facultas. si quis uero huius poetæ decãtauerit melodiã, confestim excitaris, animus salit, & dicendi facultas sufficit. non enim arte neq; scientia, sed de diuina quadã sorte, & mentis occupatione, ea quæ de Homero dicis, recẽses. Et quemadmodũ Corybantes illam duntaxat melodiam acute sentiũt, quæ illius dei est à quo rapiũtur, ad eumq; concentum decentibus uerbis & figuris abũdant, alios uerò

Poetæ deorum interpretes

contẽnunt: ita & tu ô Io, si quis Homeri mentionẽ fecerit, es in dicendo facundus, in alijs uero tibi copia deest. Eius itaq; quod quærebas quamobrẽ circa Homerum copiosus es, circa alios deficis, hæc est causa, quoniam non arte, sed diuina sorte uehemens es Homeri laudator. IO. Recte dicis ô Socrates: admirarer tamen si tã acute dissereres ut mihi prorsus persuaderes me cũ lymphatus atq; furẽs sum, Homerũ laudibus celebrare. neq; enim furens ut arbitror tibi uiderer, si me de Homero uerba facientẽ audires. SOC. Atqui audi re uolo, neq; tamen prius, q̃ mihi responderis ex ijs quibus de Homerus dicit, quæ potissimum bene dicat. non enim de omnibus. IO. Optime nosti ô Socrates, quod de omnib. SOC. Nõ tamen ea bene tractas, quæ tu quidẽ ignoras, Homerus autem scribit. IO. Quænam ista sunt, quę Homerus quidẽ narrat, ego aũt nescio? SOC. Nõne sępenumero multa de artib. explicat? Velut de aurigaria disciplina. si meminero illius carmina tibi recitabo. IO. At ego referam, memini enim. SOC. Dic mihi quæ mandat Nestor Antilocho filio, cum illum monet ut in equestri cursu, gratia Patrocli instituto, caute flectat equos. IO.

λέγειν uidetur legendũ esse, quanquã & Marsilius et Aldi exemplar λέγειν habuerint

Iliad. Ψ

Declina ad læuam paulum, dextrumq; iugalem
Vrge plagis minitans, manibus quoq; lora remitte.
Cumq; metam attigeris, flectatur læuus in arcum,
Donec ad extremum circli peruenerit axis
Vltimus, ac medium uita, nec tangito saxum.

SOC. Sufficiũt hæc ô Io. Recte ne an cõtrà in his carminibus Homerus loquatur, utrum melius medicus, an auriga perciperet? IO. Auriga proculdubio. SOC. Vtrum arte hoc iudicium fiat, an alio quopiã? IO. Non alio certe q̃ arte. SOC. Nõne cuiq; arti facultas à deo tribuit, certi cuiusdã operis iudicandi? neq; enim ea quę gubernatoria arte cognoscimus medicina quoq; percipiemus. IO. Non certe. SO. Neq; etiã quę medicina perspicimus, architectura animaduertemus. IO. Non sane. SO. An nõ similiter in omnibus artibus quæ una quadã arte cõprehendimus, alia minime cõprehendemus? Sed hoc prius mihi respõde. Aliam & aliam artẽ esse asseris? IO. Assero. SO. Nunquid eadem tu qua ego coniectura artes discernis? Nam ipse quidẽ cum hæc aliarũ, illa aliarũ rerũ scientia est, hanc aliã, illam aliam artem uoco, Tu uero? IO. Et ego. SO. Si enim eisdẽ de rebus scientia esset, cur hanc aliã, & illam aliã uocaremus? quandoquidẽ eadẽ ab utrisq; cognoscerent. Quemadmodũ à me percipit quinq; esse hos digitos, & tu sicuti ego hoc idẽ animaduertis. Vnde si te rogarem utrũ eadẽ arte arithmetica an alia hæc eadẽ cognoscamus, respõderes utiq; quod eadem. IO. Certe. SO. Dic quod paulo ante interrogauerã, utrum secũdum omnes artes uideat tibi dicendũ, quod eadẽ arte eadẽ cognosci necessariũ sit, alia uero arte nõ eadem, sed alia quædã: quandoquidẽ ars alia ipsa est. IO. Ita mihi uidetur ô Socrates. SO. Si quis artem aliquã assequutus non fuerit dicta uel facta huius artis bene discernere nequaquã poterit. IO. Vera narras. SO. Ea carmina quæ tu retulisti, siue bene siue male ab Homero canãtur, utrum tu melius, an auriga perciperet? IO. Auriga. SO. Recitator enim es, non auriga. IO. Nempe. SO. Recitatoria uero facultas ab aurigaria alia est. IO. Videlicet. SO. Quod si alia ars est, aliarum quoq; rerum scientia est. IO. Aliarum profecto. SO. Quid uero cum Homerus illud affert, quod Hecamede Nestoris pellex saucio Machaoni medelæ potionẽ porrigit, cui uinũ Pramniũ infundit, insuper atterit caseũ caprinũ æneo quodã instrumẽto, farinã quoq; caseo miscet, & ad hęc cepe obsonij loco apponit? Recte ne an cõtra hęc ab Homero dicãtur, utrũ medicinę artis an recitatorię iudiciũ est? IO. Medicinæ. SO. Quid cũ Ho. dicit,

In mare se mersit retis Thaumantias instar,
Quod trahit ad fundum plumbi subtexta grauedo
Muniti cornu sortem dans piscibus atram.

hæc quid sibi uelint, & utrũ recte an contrà dicantur, nónne ars piscatorũ melius q̃ recitatorum animaduertet? IO. Cõstat quod ars piscatorũ id iudicat. SO. Si præterea me ita rogares, postquã ô Socrates in Homeri carminibus inueneris quæ cuiq; istarum quæ dictæ sunt artium iudicanda sunt, age iam mihi reperias quænã à uate uaticinioq; iudicari conueniat, recte ne an cõtrà ab Homero sint dicta: aduerte q̃ facile ac uere tibi respondeam. Sæpenumero in Odyssea scribit, præsertim ea quæ Melampodorũ uates Theoclymenus aduersus procos fatur,

O miseri, quid nunc heu uobis imminet atri,
Dum mollem noctu capitis per membra soporem.

Cuncta

Cuncta fremunt luctu, resonat plangoribus æther.
Scissaq; triste madent lachrymis manantibus ora.
Vestibulum plenum est simulachris, omnis & aula.
Sub tenebris erebus riget, extinctoq; per orbem
Lumine uelatur tristi caligine cœlum.

Sæpenumero etiã in Iliade, ut in murorũ expugnatione, quæ ad uatẽ pertinent tangit. Ibi enim sic inquit,

Certabant Danaí Troiæ perrumpere muros,
Altiuolansq; Iouis pendebat desuper ales
Vnguibus incuruis rubrum complexa draconem.
Pellebatq; acies in læuam, tum ferus ille
Respirans, & adhuc transfixo pectore luctans,
Ore petens aquilam perstrinxit uulnere guttur.
Illa dolens anguem dimisit in agmina lapsum,
Sauciaq; in uentos pennis sublata refugit.

Hęc equidẽ dicam, & alia huiusmodi à uate consideranda iudicãdaq; esse. IO. Et uera quidem ô Socrates. SO. Et tu ô Io uera narras. Age quemadmodum ego tibi ex Odyssea, & Iliade excerpsi quæ ad uatem, quæ ad medicũ, quæ ad piscatorẽ pertinere uidentur, sic et tu qui maiorem in Homeri scriptis peritiam habes, eligas, & adducas in medium, quæ sunt recitatoris propria, quæ præter alios homines ipsi cõsiderare iudicareq; cõuenit. IO. Omnia ô Socrates asserO. SOC. Non omnia tu supra dicebas ô Io. Num ita obliuiosus es? Atqui non decet recitatorẽ hominẽ obliuiosum esse. IO. Quidnam? SOC. Non memoria tenes artem recitãdi aliam ab aurigaria te dixisse? IO. Teneo. SOC. Nónne cum alia sit, alia cognituram es confessus? IO. Profecto. SOC. Non igitur omnia percipiet secundũ sermonem tuum ars recitandi, neq; ipse etiã recitator. IO. Imò omnia præter talia quædam. SO. Cũ præter talia quædã dicis, præter ea quæ aliarũ artiũ sunt fermè significas. Sed quęnam cognoscet, postquã non omnia noscit? IO. Quæ decens est ut uir loquatur, quæ mulier, seruus, liber, subiectus, princeps, hæc omnia noscet. SO. Quod decens est ut princeps in mari, nauicula tempestate oppressa afferat, recitator ne magis q; gubernator cognoscet? IO. Non, sed gubernator melius hoc percipiet. SO. Sed ea quæ decens est ut princeps in morbo loquatur, recitator melius quàm medicus intelliget? IO. Neq; hæc. SO. Sed ea quæ seruo cõueniunt, dicis. IO. Certe. SO. Scilicet quæ decens est ut dicat seruus bubulcus, dum de furentib. & efferatis bobus cõfabulatur, recitator ipse, nõ bubulcus agnoscet? IO. Nequaquã. SOC. Nunquid ea quę decens est ut mulier de lanificio textori referat? IO. Non. SOC. Ea quæ decens est ut uir dux exercitus dicat dum milites hortatur, cognoscet? IO. Talia profecto sunt quæ recitator agnoscit. SOC. Nunquid ars recitatoria eadem est quæ & imperatoris exercitus? IO. Intelligerẽ equidem si opus esset, quæ imperatorẽ loqui decet. SO. Fortè & imperator es Ion: Nam si equestri, & citharœdica simul disciplina polleres, illos qui bene, & qui male equitant, cognosceres. Et si te interrogarem ô Io utrũ arte equestri, an arte citharœdi illos qui bene equitãt cognoscis, quid mihi respõderes? IO. Arte equestri. SOC. Quod si eos qui bene pulsant citharam, cognosceres, confitereris illos non equestri sed citharœdica disciplina cognoscere? IO. Proculdubio. SOC. Cũ uero quæ ad Imperatorẽ spectant intelligas, utrum imperatoria, an recitatoria ista calles? IO. Nihil mihi referre uidetur. SOC. Quomodo nihil referre dicis? Imperatoriam, & recitatoriam artem unam ne an duas ponis? IO. Vna mihi uidetur. SO. Quicunq; igitur bonus est recitator, etiã bonus imperator erit? IO. Et maxime quidem ô Socrates. SO. Num & qui exercitus imperator est optimus, idem recitator est bonus? IO. Nequaquam. SO. Illud tamen admittis, quod quisquis recitator bonus est, bonus est imperator. IO. Valde. SOC. Nónne Græcorũ optimus es recitator? IO. Planè ô Socrates. SOC. Nunquid Græcorum optimus es Imperator? IO. Certe ô Socrates. Hæc enim in Homeri scriptis didici. SOC. Cur igiť per deos, cũ sis optimus Grẹcorũ omniũ dux exercitus optimusq; recitator, passim carmina modularis, militas autẽ nusquã? nũquid tibi uidetur recitator aurea corona decoratus plurimũ usui esse Græcis, imperator autẽ nullo pacto? IO. Nostra ô Socrates ciuitas uestræ subest, à uobisq; gubernať, & idcirco imperatore nõ indiget. Vestra autem & Lacedæmoniorũ respub. me nunquã in exercitus ducẽ eligeret. Idoneos enim duces

uos esse putatis. SOC. O optime Io, Apollodorum Cyzicenum nõ cognoscis? IO. Quem Apollodorum? SOC. Illum scilicet, quẽ sæpe Athenienses quamuis hospes esset, imperatorem delegerunt, & Phanostenem Andriũ, & Heraclidem Clazomeniũ. Quos hæc ciuitas licet peregrinos, quia uiri præstãtes habentur, prætura, & alijs magistratibus ornat. Ionem uero Ephesium imperatorẽ non decernet, neq; honore afficiet, si uirtute præstare uisus fuerit? Quid uero, nõne uos Ephesii prisca origine Atheniẽses estis, Ephesusq; nulla ciuitate est inferior? Sed tu ô Io, si quidẽ uera prædicas, & sciẽtia arteq; potes Homerũ laudare, iniuria me afficis: quippe qui ꝓfessus multa et pulchra Homeri scire, teq; ostensurum mihi pollicitus, me nũc decipis, ac permultũ abest ut ostendas. siquidẽ nec quæ sint ista quorũ peritus es, nec qua fis facultate instructus, aperire uis, me diu iam obsecrãte: cęterum tanq; Proteus uarius uarie mutaris sursum deorsum in omnia te uertẽs, adeo ut postremo me subterfugiẽs imperator euaseris, ne mihi ostendas quo pacto tibi circa Homeri sapientiam facũdia cõpetat. Si enim arte tibi hoc ineſt, quemadmodũ nũc dixi, pollicitusq; exponere, decipis, certe iniurius es, Sin aũt cares arte, & forte quadã diuina ab Homero raptus, cũ nihil intelligas, multa & pulchra circa poetã hũc dicis, ut ego de te iudicabã, nõ facis iniuriã. Elige utrũ mauis, iniustus homo, an diuinus potius appellari. IO. Longe differt ô Socrates, & multo pulchrius est iudicari diuinũ. SO. Hoc itaq; qđ pulchrius est, tibi à nobis tribuit ô Io. te scilicet diuinũ potius ꝙ artificiosũ Homeri laudatorẽ esse.

PRAEFATIO IN PLATONIS SOPHISTAM SECVNDVM PROCLVM, A MARsilio Ficino translata.

Proprietates sublunaris opificis

Amor magus & natura maga

Argumentum Marsilij

Apud Pythagorã & Platonem sophos est solus deus.

Quis philosophus

SOPHISTAM Plato uocat non hominem quendam solum, sed etiam amorem, Plutonem, Iouem, & artem sophisticam præclarissimã dicit, Ex quibus intelligimus quod nobilius subiectum quàm appareat hic dialogus respicit. Est enim intentio secundum magnum Iamblichum de sublunari opifice tractare. Nam est idolorum fictor, purificator animarum, à contrarijs rationibus semper separans, transmutator, & iuuenum diuitum mercenarius uenator. Dum animas suscipit plenas rationibus à superis uenientes, mercedem ab illis accipit, ipsam animalium fabricam, quæ fit secundum mortalium rationem. Hic ei quod non est incumbit, quia quæ sunt in materia gignit. Et quod reuera falsum est, diligit, id est materiam. Simul autem in id quod uerum reuera est, respicit. Est & multiceps, quoniam sibi essentias uitasq; multas uendicauit, per quas uarietatem generationis ipse disponit. Idem quoq; magus est generatione, dum animas naturalibus rationibus mulcet, & allicit, adeo ut ægre à generatione amoueantur. Quinetiam & amor magus, & natura maga à nonnullis dicitur, propter reciprocos attractus atque illecebras quæ secundum naturam procedunt. Nunc igitur omnifariã sophistã declarare uult. Etenim philosophus sophista est, quippe cum cœlestẽ opificem, & generationis opificẽ imitetur. Et distinctiua facultas progressum rerum ab uno imitatur, & generationis opifex cœlestem opificem. quare sophista est. Atqui & ipse homo sophista, quia magna imitatur, Sophista dicitur. Et idcirco sophistam multiplicem appellauit. Eleates hospes repræsentat patrem opificum, supercœlestem & absolutum. Auditores autem opificis intelligentias. Ille quidem Iouis, hic naturæ angelicæ tanquam interpretator ac geometricus. Et quoniam opificium ab imperfecto incipiens in perfectum desinit, hospes ille primum cum Theodoro, deinde per conuersionem cum proprio Socrate uersatur. Hactenus Procli. Deinceps Marsilij.

POST Theætetum de scientia, legendus est Sophista de ipso ente, quod scientiæ est obiectum. Dum uero hic de ente disseritur circa quod uersatur philosophus, tractatur interim de non ente, ad quod sophista declinat. Apud Pythagorã & Platonẽ sophus, id est sapiens, solus est Deus. Philosophus autem uerus imitator dei. Sophista ambitiosus et fallax philosophi æmulator. Sex Plato Sophistæ definitiones adducit. Quoniã uero definitio haberi absq; diuisione nõ potest, per quam ab ipsa re definienda quæ ipsius nõ sunt separentur, genusq; ipsius per differẽtias diuidatur, ex quibus tandem simul & genere cõponantur species atq; definiantur, idcirco Plato Sophistam definiturus, exactissimas primum partitiones excogitat, admonẽs neminem omnino latentem rei cuiusq; naturam discerne re posse, nisi eam penitus ab aliena qualitate secreuerit. Proinde entis atq; nõ entis descriptiones pro uirib. effert, atq; ens, quemadmodũ & in Parmenide, subijcit uni. Entis quinq; numerat genera, essentiã, idem, & alterum, statumq; & motum. Docet ueram quidẽ essentiã rebus incorporeis cõuenire, imaginariã uero corporeis. Eos præter ea qui incorporea negant, admodum detestatur: eos insuper qui uel omnia moueri solum, uel solum manere putant. Item de sciẽtia atq; de opinione & oratione uera uel falsa, de uerbo & nomine disputat, quatenus ad entis ipsius disputationem pertinere uidetur. Demum postquam de sophista simul ac philosopho disputauit, diuina quadã libri concludi.

concludit sententia, uidelicet res naturales, opera esse dei. Siquidem omnia naturæ opera à diuina quadam sapientia mundo infusa probaucrat proficisci. Res autem umbratiles & fallaces, ait dæmonicas esse præstigias. Ibidem & sophistam nobis occultum esse inquit, tanquam nõ entis, id est falsi tenebris inuolutum: & philosophum pariter occultum esse, quamuis alia ratione, quia uidelicet entis ipsius, id est diuinæ ueritatis splendore undiq; circumfusus uulgarium intuitum animorum prorsus exuperet. Res naturales, opera dei

PLATONIS SOPHISTA, VEL DE EO QVOD EST, VEL DE ENTE, TRANSLATVS A MARSILIO FICINO FLORENTINO AD LAURENTIVM MEDICEN VIRVM MAGNANIMVM.

THEODORVS, SOCRATES, HOSPES ELEATES, QVI FORTE MELISSVS EST, THEAETETVS.

VENIMVS ô Socrates, & ipsi pulchre quemadmodum heri inter nos conuenit, & hospitem hunc nobiscum ducimus Eleatem, Parmenidem atq; Zenonem alterum uirum apprime sapientiæ studiosum. SOC. Forte ô Theodore, dum uirum hospitem tecum ducere credis, deum quendam ducis. Inquit enim Homerus, cum deos alios, tum maxime hospitalem deum, inter homines qui iusti pudoris participes sunt, uersari, & hominum contumelias iniurias q; inspicere. Te forsitan & hic è superis unus huc secutus est, ut nos qui à disputãdi rationibus aberramus, examinet atq; corripiat: atq; ipse redargutionis est deus. THE. Haud mos hic ô Socrates, huius hospitis. Sed modestior est q̃ hi qui contentionibus studẽt. Mihiq; nullus hominũ deus, sed diuinus aliquis esse uidetur. Omnes equidem philosophos, diuinos appello. SOC. Et recte quidem amice. Genus autem philosophorũ haud multo facilius, ut ita dixerim, quàm deorum discernitur. Omnes enim quicunq; non ficte, sed uere philosophantur, propter aliorum insciti am omniformes apparent, dum urbes circumeunt, & uelut ab excelsa quadam specula inferiorũ uitam prospectant. Atq; hi à quibusdam nullius estimantur, à nõnullis summopere honorantur. Et interdũ quidem ciuiles apparent, aliàs sophistæ, nonnunquam aliquorum opinione insani prorsus habentur. Quapropter percontari hunc hospitem cupio, si modo gratum illi futurum sit, quid de his rebus familiares eius Eleates sentiant, quid ue esse dicant, & quomodo nominent. THE. Quænam ista? SOC. Sophistam inquam, ciuilem philosophũ. THE. Quid uero potissimum, & quale circa hæc dubitanti tibi scisciari libet? SOC. Hoc, utrum unum hæc omnia, an duo esse uelint. An quemadmodũ nomina tria, tria quoq; genera distinguẽtes, singula nomina generibus singulis asscripserint. THE. At nihil, ut arbitror, prohibebit, quo minus hæc uobis exponat. Tu uero quid ais, hospes? HOS. Quod & tu, nihil sane prohibet, neq; dictu difficile est, quod tria esse putauerint. Singulatim uero distinguere, & quid unumquodq; sit definire, neq; paruum opus est, neq; facile. THE. In eandem forte quæstionem ô Socrates, incidisti, in quam & nos antecq; huc accederemus. hic autẽ qui tibi nunc, eadem tunc nobis respondit, audisse se quidem, & recordari. SOC. In eo igitur quod primum rogauimus, gratificari nobis debes ô hospes. Verum nobis id in primis declara. Vtrũ per te ipse perpetua oratione quod inferre uelles, exponere consueueris, an potius interrogando quemadmodum solebat Parmenides: quem ego adolescens audiui quondam ita disputantem admodũ senem, rationes q; pulcherrimas afferentem. HOS. Si facile quis & apte respondeat, facilius est cum alio interrogando differere: sin contrà, per seipsum quisq; facilius disputat. SOC. Licet igitur quemcunq; uis, ex his eligere. Omnes enim libentissime obsequentur. Ego uero tibi cõsulo, ut iuuenem quempiam eligas, uel hunc Theætetum, uel alium quicunque aptior tibi uideatur. HOS. Pudet me ô Socrates, quum nunc primum uobiscum loquar, non uicissim uerbum uerbo reddere, sed prolixum sermonem inceptare, siue solus ipse per me, siue cum alio respondente, demonstrationis gratia disputaro. Quod enim modo quæsitum est, nemo leuiter explicari posse confidat. Longa namque disputatione indiget. Contrà uero, si tibi & istis, præsertim cum tam modeste rogaueris, nõ obtemperem, agreste quiddam, & ab hospitis mansuetudine alienum mihi fore

Occasiõ dialogi

Inter homines pruden tes uersari deum

Parmenides disputa bat interro gandõ

uidetur. Quippe cum disputationis comitem Theætetum hunc ex his quæ & ego dicebam, & tu modo iussisti, sim habiturus. THE. Ita certe ô hospes, quemadmodum inquit Socrates, cunctis gratificaberis. HOS. Nihil aduersus hæc ulterius Theætete dicendum. Tecum deinceps agendum mihi: quòd si fortè sermonis prolixitas tibi fastidiosa continget, & labore grauaberis, nõ me obsecro, sed hosce tuos familiares, qui in causa sunt, accusato. THE. Nihil molestum fore arbitror: nam si fortè me defatigari contigerit, hunc Socratem adhibebimus, Socrati quidem nomine similem, mihi exercitationis socium, & æqualem, cui mecum laboriosa multa peragere non est insuetum. HOS. Probe loqueris, & de his quidem procedente sermone tecum ipse deliberabis. Communiter uero mecũ tibi nunc considerandũ. incipiẽdumq́, ut mihi uidetur, ab ipso Sophista, & quid sit in primis definiendum. In præsentia porrò tu simul ac ego huius cõmune solum nomen habemus: rem uero ipsam quæ nomine designatur, aliter fortè uterq́ uestrũ cogitat. Præstat autem in singulis rem ipsam cum rationibus, quàm nomẽ solum absq́ ratione perspicere. quod profecto nunc inquirimus sophistæ genus, haud facile definiri potest. Vetus est omniũq́ cõmunis sententia, si quis ea quæ magna sunt, recte transigere uelit, in paruis quibusdam prius illa facilioribusq́, q́ in maximis considerare debere. Equidem Sophistæ genus arbitratus difficile posse comprehendi, nobis ô Theætete, consulo, ut ante in alio quodam faciliori progressum illius præmeditemur. Nisi tu fortè cõmodiorem uiam ostẽdas. THE. Nullam habeo cõmodiorem. HOS. Vis' ne exiguum quiddam & uile in medium adducamus, maioris ipsius exemplum. THE. Volo. HOS. An non propemodum notum quiddam atq́ exile, quod nihilominus ad maiorum intelligentiã conferat: qualis homo piscator est. Leue enim quiddam est & exile. THE. Certe. HOS. Viam tamen & rationem ad id de quo agimus, aptam habere uidetur. THE. Optime ita se res haberet. HOS. Age hinc exordiamur. Dic utrum ipsum tanq́ artificiosum, an artis expertem, alterius uero potẽtiæ cuiusdam participem ponere debeamus: THE. Nullo modo artis expertem. HOS. Artium ferme omnium species duæ sunt. THE. Quæ? HOS. Agricultura, & cuiuslibet mortalis corporis cura, & facultas omnium quæ circa compositum quodlibet fictum'ue uersatur, quæ communiter supellectilia dicuntur, & quæ hic imitatur, uniuersa inquam facultas huiusmodi uno quodam communi nomine nuncupari debet. THE. Quonam pacto? & quo nomine? HOS. Quoties quod antea non erat, in esse quis deinde perducit, quod agit, facere: quod agitur, fieri dicimus. THE. Recte. HOS. Cuncta quæ paulo ante retulimus, ad hoc uim habent. THE. Habent certe. HOS. Summatim itaq́ illa effectricem facultatem denominemus. THE. Esto. HOS. Disciplinæ uero, & cognitionis species uniuersa, & quæstus certaminisq́ ac uenandi peritia, ars acquirẽdi summatim uocanda uidetur: quippe cum nihil ex his quicq́ fabricet: quę uero sunt & fuerunt, comparet, partim sermonibus actionibusq́ capiens, partim capientibus non concedens. THE. Decet. HOS. Cum omnes artes aut in acquirendo, aut in efficiendo uersentur, quo in genere peritiã piscandi ponemus? THE. In eo uidelicet quod acquirit. HOS. Nónne eius quod acquirit, duæ sunt species? Vna inter uolentes cõmutatio, dono, emptione, mercede: altera mancipatio uel opere uel sermone facta. THE. Ex his quæ dicta sunt, sic esse constat. HOS. Mancipatio uero duplex. THE. Qua ratione? HOS. Vna quidẽ patens, quæ certando capit: altera latens, quæ uenando. THE. Ita est. HOS. Venatoriã quoq́ bifariã diuidere decet. THE. Quomodo bifariã? HOS. Aut enim rem expertẽ anima, aut animatã uenaf. THE. Quid ni? si quidẽ ambo hęc sunt. HOS. Sunt profecto. Et oportet quod ad inanim ũ pertinet, nomine carens, dimittere, etiã quasdã natatoriæ facultatis partes, & alia huiusmodi exigua prętermittere. Animatorum uero capturã, animalium uenationem uocare. THE. Sic esto. HOS. Venationis huiusmodi merito duæ sunt species. Vna quidem gressilium animaliũ uenatio, uarijs specieb. nominibusq́ distincta: altera uero agilium, quæ fluentium uenatio nominatur. THE. Omnino. HOS. Agiliũ uero quædam pennis per aerem, quædam per aquã uagantur. THE. Certe. HOS. Volantiũ uenatio, aucupium nominatur. THE. Proculdubio. HOS. Aquatiliũ uero, fere summatim piscatio. THE. Omnino. HOS. Piscationem autem nónne in duo maxima membra diuidimus? THE. Quænã ista? HOS. Aut enim retinaculis, aut percussione piscamur. THE. Quonam pacto utrumq́ distinguis? HOS. Quicquid coercendi gratia cohibet, aliquid cõprehendẽdo, retinaculum

Cognitionẽ rei cũ rationibus q́ non minis solum præcellere

Vetus sentẽtia circa magna cognoscenda

Trãslatio faciẽda ad faciliora, ut cognoscatur quod quæritur

Artium omniũ diuisio

nomi

nominatur. THE. Prorsus. HOS. Nassam, retia, laqueos, uerriculum, cæteraq; huiusmodi, nunquid aliter quàm retinacula uocabis? THE. Haud aliter. HOS. Hic igitur & alius similis uenandi modus qui cohibẽdo perficitur, piscationis species quædam est. THE. Est. HOS, Extat species altera quæ hamis & fuscinis captat. Hanc percutientem piscationem cõmuniter appellare decet, nisi tu fortè quid pulchrius afferas. THE. Nónne est mihi curæ nomen, hoc porrò sufficit. HOS. Alij quidem nocte hoc efficiunt ad ignis lumen, qua propter ignifera piscatio nominatur. THE. Prorsus. HOS. Alij die in extremo uirgæ cuiusdam ferentes uncum tridentibus usi. Vnde contorta & unca omnis hæc piscatio nominatur. THE. Constat. HOS. Qui piscando percutit retorto quodam instrumento, & fuscinam à superiori parte ad inferiorẽ demittit, tridentea & fuscinali piscatione uti dicitur. THE. Ferunt. HOS. Restat species altera. THE. Quænam? HOS. Percussio quædam hamo facta, contrà ac superior, neq; in qualibet piscium parte, sed in capite & ore duntaxat, ab inferiori parte ad superiorẽ uirgis & calamis retrahens. huius quid potissimũ ô Theæte, nomen esse dicemus? THE. Videmur quod suprà proposuimus exquirendum, nũc iam perfecisse. HOS. Nunc igitur piscationis non modo nomen ego ac tu communi sententia instituimus, uerum etiam rationem ipsius operis sufficienter accepimus. Vniuersę porrò artis dimidium in diuisione fuit, quæ in acquirendo uersatur: ac huius dimidiũ quę capit, & huius rursus dimidium quæ mancipat: huius uenatoria: uenatoriæ animalium præda: huius agilis animalis captura, agilis uniuersaliter piscatoria: piscatoriæ, percutiẽs atq; tundens piscatio: percutientis, quæ unco piscatio fit: huius denicq; percussio quæ sursum uersus ab inferiori parte conficitur, retrahendo, & inde nomen sortita, retrahens & hamatoria piscatio dicitur. THE. Abunde hoc ostensum est. HOS. Atqui secundum hoc exemplum, quid est sophista, inuenire statuimus. THE. Prorsus. HOS. Illudq; in primis quæsitũ est, utrum ipsum qui hamo piscatur, rudem penitus, an artis alicuius participem ponere debeamus. THE. Ita est. HOS. Et nunc quidem sophistam, rudem ne an callidum appellabimus? THE. Nullo modo rudem. Intelligo equidem non oportere illum qui ita uocatur, inertem esse, sed arte quadam instructum. HOS. Qua igitur arte? nunquid hactenus cognationem istorum mutuam ignorabimus? THE. Quorum? HOS. Hamatoris atq; sophistæ. THE. Quemadmodum? HOS. Venatores quidam esse mihi ambo uidentur. THE. Quam prædam hic alter insequitur? de altero namq; diximus. HOS. Prędam uniuersam bifariam partiti sumus, in natantem atq; gressibilem. THE. Profecto. HOS. Et uenationem quæ natantia aquatiliaq; persequitur, prosecuti sumus: eam uerò quæ gressibilia prætermisimus, & quod multiplex esset, adiunximus. THE. Proculdubio. HOS. Hactenus hamator & sophista ab arte uenatoria æque proficiscuntur. THE. Videntur sanè. HOS. Ab animalium uenatione, quidam in mare descendit, fluminaq; & lacus, & in his animalia ipsa uenatur. THE. Quid ni? HOS. Quidam autem in terras & fluuios uelut in prata quædam, iuuentute & diuitijs abundantia, in his animalia captaturus. THE. Quo pacto? HOS. Venationis quæ terra fit, duæ maxime partes sunt. THE. Qualis utraq;? HOS. Vna domesticorum, agrestium altera. THE. An est ulla domesticorum uenatio? HOS. Pone quæ dicam, ut lubet. aut enim est homo domesticũ animal; aut nullum animal est domesticum: uel aliud quoddam mansuetũ, homo aũt animal ferum: si ue mansuetus homo quidem, sed hominis uenatio nulla. Ex his quod magis tibi cõsonat, in præsentia determina. THE. Arbitror equidem hospes, & nos mansuetũ esse animal, & hominum esse uenationem. HOS. Duplicem igitur & domesticorum uenationem statuimus. THE. Qua ratione? HOS. Prędatoriã, & quæ redigit in seruitutem, tyrannidem insuper, & militarem captiuitatẽ, cuncta hæc uiolentam cõmuniter uenationem asserimus. THE. Optime. HOS. Quæ uero iudicando fit, uel concionando, uel conciliando, summatim persuasionis artificiũ nuncupamus. THE. Recte. HOS. Huius sunt duo genera. THE. Quænã? HOS. Publicum & priuatũ. THE. Extat species utraq;. HOS. Priuatæ rursus persuasionis uenatio, aut mercede fit, aut muneribus. THE. Haud intelligo. HOS. Amatorũ uenationẽ nunq; cõsideraſſe uideris. THE. Qua in re? HOS. Quod illi quos ceperũt, munera insuper exhibẽt. THE. Vera narras. HO. Hęc itaq; artis amatorię species esto. THE. Esto. HOS. Sed ea quæ mercede fit, aut uersat ad gratiam, uoluptatisq; illecebras parat, ut inde alimenta pro mercede dũtaxat accipiat, quam adulationẽ uocamus, artẽ uoluptarũ

machi

machinatricem. THE. Certe. HOS. Aut uirtutis ostendendæ gratia conuersari se profitetur, & pro mercede pecunias exigit, idq; genus alio nomine nuncupandum uidetur.

Prima definitio sophistæ

THE. Quid ni? HOS. Quónam? exprimere tenta. THE. Constat planè. Sophistam namque iam reperisse uidemur, & hoc nomen huic maxime congruere arbitror. HOS. Vt ex hac disputatione colligitur, constat ô Theætete, sophisticam facultatem appellãdam esse artem quæ in conciliando comparandoq; uersatur, animaliumq; gressibilium & terrenorum domesticorumq; uenatio est, hominum uidelicet priuata captura ob nummorũ mercedem, & iuuenum diuitum atq; nobilium opinione uirtutis disciplinæq; irretitio. THE. Prorsus ita dicendum. HOS. Præterea hoc modo consideremus. nõ enim uilis cuiusdam artis quod nunc quæritur, sed pulchræ admodum particeps est. Etenim ex ijs quæ suprà diximus, per imaginem quandam coniectare licet, non huius generis, quod diximus, sed alterius esse. THE. Cuius igitur? HOS. Artis profecto quæ in acquirendo uersatur, duæ species relatæ sunt, uenatio & cõmercium. THE. Certe. HOS. Commercij uero duæ sunt species: una in largitione, altera in emptione uenditioneq; consistit. THE. Sic est profecto. HOS. Eam rursus quæ ad emendum uendendumq; pertinet, bifariam diuidimus.

Disciplinarum mercaturæ

THE. Quo pacto? HOS. Qui opera sua uenalia facit, propriorum uenditor nominatur: qui aliena uendit, commutator. THE. Omnino. HOS. Commutatio uero aut inter eiusdem urbis ciues conficitur, quam cauponariam uocamus: aut inter ciues & peregrinos emendo & uendendo res ex urbe alia in aliam permutatur, quam mercaturam dicimus. THE. Quid ni? HOS. Mercatura præterea duplex, altera ad uictum corporis spectat, altera ad animi disciplinam, commutatq; nummis eruditionem. THE. Quemadmodum dicis? HOS. Quod ad animum attinet, forsitan ignoramus. Nam quod ad corpus, agnoscimus. THE. Nempe. HOS. Eum profecto qui musicam alibi quidem discendo emit, alibi docendo uendit, literaturamq; similiter, & præstigia, cæterasq; animi disciplinas tam seorias quàm iocosas, mercatorem nihilo minus quàm corporis alimẽta uendentẽ dicimus. THE. Vera narras. HOS. Nónne illum similiter appellabis, qui disciplinas nummis empturus commutaturusq; urbes uarias circuit? THE. Similiter certe. HOS. Huiusmodi mercaturæ pars quædam demonstratiua uocatur, pars altera ridicula, nihilominus cum sit disciplinarum uenditio, consimili quodam uenditionis cognomento uocanda. THE. Prorsus. HOS. Alio uero nomine nuncupandus qui facultates alias uendit, alio qui præcepta uirtutum. THE. Nihil prohibet. HOS. Eum sanè qui alias facultates uenundat, artium uenditorem nominare decet: sed eum hominem qui mores mercede tradit, quo nomine nuncupabis? Nunquid aliter quis recte cognominare hũc potest, quàm quod nũc

Secunda definitio sophistæ

quærimus, sophistam? THE. Haud aliter profecto. HOS. Iam igitur concludamus hũc in modum colligẽtes, quòd secunda inquisitione sophista nobis apparuit acquisitor huiusmodi, scilicet commutator, emptor & uenditor, mercator uidelicet qui animi disciplinas uenundat ad sermones institutaq; uirtutum præcipua pertinentes. THE. Valde. HOS. Tertio rursus te similiter sophistam uocaturum hunc arbitror, qui eadem in urbe permanens, partim emit, partim ipse excogitat disciplinas, comparandi uictus gratia uendiTertia definitio sophistæ

turus. THE. Nihil obstat. HOS. Sophistam igitur appellabis eum qui in acquirendo uersatur, commutat scilicet & emit, uenditq; cauponando, siue sua inuẽta, siue aliena circa uirtutis studia uendat. THE. Necesse est, rationi siquidem assentiri decet. HOS. Videamus iterum, num quod in præsentia quærimus genus, cuiusdam talis simile sit. THE. Cuiusnam? HOS. Eius artis quæ ad acquirendum pertinet, pars quædam certandi facultas erat. THE. Erat certe. HOS. Haud igitur ab re erit bifariam illam diuidere. THE. Quas in partes diuides? HOS. Vna quidem pugnat, repugnat altera. THE. Verum. HOS. Pugna utique corporis ad corpus, uiolentia congrue nuncupatur. THE. Congrue. HOS. Quæ autem uerbis aduersus uerba committitur, contentio. THE. Certe. HOS. Ambiguitatis duę sunt species. THE. Quæ? HOS. Quando oratione perpetua publice de iustis iniustis ue certatur, iudicialis controuersia nominatur. THE. Ita est. HOS. Cum uero priuatim minutis quibusdam argumentatiunculis interrogando respondendoq; cõtenditur, contradictionem appellare solemus. THE. Sic utiq;. HOS. Cõtradictio porrò quæ in cõmercijs utcunq; cõtingit, & absq; arte fit, ut species quædã seorsum ponenda est: sic enim ratio ab alijs illam discernit. proprium uero cognomentũ nec ab antiquis accepit, neq; nunc à nobis

bis accipiet,neq; enim decet. THE. Proculdubio. HOS. In uaria namque & minima scinditur:quæ autem arte procedit,& de iustis iniustis ue,& de alijs generatim ambigit, litigium appellari solet. THE. Plane. HOS. Litigium duplex,alterum patrimoniũ dissipat, alterum pecunias cumulat. THE. Omnino. HOS. Quod itaq; utriq; tribuendũ sit cognomentum,inuenire conemur. THE. Oportet. HOS. Quicunq; contentionis huiusmodi studio delectatus,res suas negligit,uerba aũt audientibus iucunda componit, & quæstiunculas semper aucupat̃,nõ aliter ut mea fert opinio,quàm nugator & garrulus est uocandus. THE. Sic utiq;. HOS. At uero qui ex priuatis litigijs pecunijs cumulandis incumbit, quomodo uocandus sit,tu nũc uice tua fretus enarra. THE. Quisquis absq; errore respondere uoluerit,sophistam hũc mirabilem quem quærimus,appellabit,quarto se nobis iam offerentem. HOS. Ratio itaq; nunc ostendit sophistam nihil esse aliud quàm genus illud quæstuarium,artificiose litigando,aduersando,pugnando, luctando acquirere solitum. THE. Sic est omnino. HOS. Cernis uerum esse quod dicitur,uarium hoc animal esse, utq; prouerbio fertur,Non altera manu duntaxat apprehendendum. THE. An igitur utraq; uti oportet? HOS. Opus est,& pro uiribus sic agendum. eiusmodi uero ipsius uestigium iam percurrimus. Dic age,habemus ne ulla quæ uocamus seruilia nomina? THE. Multa. Sed quænam è multis interrogas? HOS. Talia quædam ut cum dicimus excolare, distribuere,excoquere,secernere. THE. Quid ni? HOS. Carminari præterea,deducere, pectere,aliaq; permulta huiusmodi in artibus reperimus,an non? THE. Quid ab his potissimum ostensurus,exempla hæc inducis,& per omnia scisciteris? HOS. Ad discernendum quodammodo pertinent quæcunque retulimus. THE. Profecto. HOS. Mea quidem sententia,cum circa hæc una ars in cunctis uersetur, uno quoque nomine nuncupabimus. THE. Quonam? HOS. Discretiuam dicamus. THE. Esto. HOS. Vide rursus,num species huius geminas inuenire possimus. THE. Subitam,ut mihi uidetur, considerationem imponis. HOS. Enimuero in his quæ dictæ sunt discretionibus,partim deterius à meliori secernebamus,partim à simili simile. Sic enim fermè dictum tunc esse uidetur. huius quidem proprium nomen nõ habeo:illius autem quæ melius quod est,relinquit,quod uero deterius abijcit, habeo. THE. Quid istud referas? HOS. Omnis huiusmodi discretio,ut ipse conijcio, communiter purgatio nominatur. THE. Constat. HOS. Nónne geminam purgationis speciem esse quisque dignosceret? THE. Ita fortè, si quis aliquãdiu cogitet, ego enim in præsentia ignoro. HOS. Veruntamen species multas corporalium purgatio num nomine uno complecti decet. THE. Quas inquis,quóue nomine? HOS. Purgatio animati corporis intrinsecus operans per gymnasticam,& medicinam, & quæ extrinsecus balneis quod dictu uile est,mundat,item quæ inanimata corpora fullonum ministerio abstergendo colorat,& omnia quæ ornandi corporis curam gerũt,sigillatim uaria uíliaq; nomina sortiuntur. THE. Profecto. HOS. Omnino quidem ô Theætete. Ratiocinandi uero progressus nihil magis alterum altero minus ue curat,si purgatio spongijs fomentationibusq; adhibita minus mundat,pharmacum uero magis purificat atque iuuat.nam ut artium omnium intelligentiam consequatur,quodcunque cognatum est,uel non cognatum inuestigando æque singulas artes honorat, aliaq; alijs secundum similitudinem nihilo magis ridicula cẽset.Quinetiam nihilo honestius putat,si militari disciplina,quàm si alia quauis uilissima opera uenatorium opus exerceatur.Et nunc quidem ut quærebas quodam nomine cunctas facultates quæcunq; corpus,aut animatũ,aut inanimatum purgare studeant,penitus comprehendemus.Nihil utiq; quo ad præsentem pertinet disputationem referet,quodcunq; nomen inuentum decentius uideatur,dummodo à purgationibus animæ sit distinctum,quæcunq; purgant corpus includens. Mentis porrò purgationem ab alijs omnibus secernere nunc intendit, si quorsum uergit inspicimus. THE. Animaduerti equidem,& admitto duas species purgationis esse, animæq; purgationem à purgatione corporis esse diuersam. HOS. Egregie loqueris, & in hoc insuper mihi obsequere:quod ue dicturus sum,rursus bifariam diuidere tenta. THE. Vtcunque dixeris,tecum partiri conabor. HOS. Prauitatem in anima aliud q̃ uirtutem dicimus. THE. Aliud certe. HOS. Enimuero purgationem nihil aliud esse diximus,q̃ quod prauum est, ejicere,reliquum uero seruare. THE. Diximus proculdubio. HOS. Siquam igitur circa animam prauitatis ablationem reperiemus, meritò purgationem appellare debebimus.

Quarta definitio sophistæ

Prouerbiũ

Alterum ad coquinariã, alterũ ad lanificiũ:utrũque discreti onẽquandã significat

THE

THE. Maxime. HOS. Prauitatis in anima ſpecies duæ ponuntur. THE. Quænam? HOS. Vna morbi corporalis inſtar, turpitudinis altera. THE. Haud intelligo. HOS. Morbum forſitan, & ſeditionem non idem uocas. THE. Etiam quid ad hæc reſpondeam, neſcio. HOS. Num aliud ſeditionem putas, & naturalis cognationis corruptelam, diſcordia quadam prouenientem? THE. Nihil aliud. HOS. Turpitudinem uero num aliud quàm deformitatem ex diſſonantia eorum quæ natura cognata ſunt, reſultantem? THE. Iſtuc ipſum. HOS. Quid porrò, nónne uidemus in eis quorum deprauatus eſt animus, opiniones à cupidinibus, iram à uoluptatibus, rationem à doloribus diſſentire? THE. Et maxime quidem. HOS. Veruntamen cuncta hęc natura cognata ſunt. THE. Patet. HOS. Seditionem igitur ac morbum animæ prauitatem uocare decet. THE. Recte. HOS. Siqua uiderimus quæ certo quodam fine propoſito, dum ad illud peruenire nituntur, ſingulis in motibus præuaricentur, atque aberrent, utrum conſonantia quadam mutua conuenientiaq; communi, an contrarijs cauſis errare dicemus? THE. Conſtat quod diſſonantia atq; intemperie. HOS. Atqui ſcimus nullum animum ſponte aliquid ignorare. THE. Planè. HOS. Ignorantia quidem eſt dementia quædam animæ, quæ dum ad ueritatem nititur, intelligentia ipſa præuaricatur. THE. Omnino. HOS. Animam igitur ignorantem, inconcinnam atq; deformem uocare decet. THE. Videtur. HOS. Sunt ergo duo hæc malorum in anima genera. Vnum cõmuniter improbitas nominat, qui animæ proculdubio morbus eſt. THE. Ita eſt. HOS. Alterum ignorantiã quidem nuncupant, prauitatem uero animæ hanc eſſe confiteri nolunt. THE. Omnino concedendum eſt, de quo modo dicẽte te ambigebam, duo in anima genera prauitatis exiſtere: & timiditatem quidem intemperantiamq;, & iniuſtitiam, cæteraq; huiuſmodi cuncta morbum exiſtimare debemus: plurimã uero & uariam ignorantiã, turpitudinem. HOS. Nónne circa corpus, his duobus malis, duæ quoq; artes ſunt repertæ. THE. Quænam? HOS. Aduerſus deformitatem gymnaſtica, aduerſus morbum medicinæ peritia. THE. Apparet. HOS. Nónne & aduerſus petulantiam, iniuſtitiam, timiditatem, ex omni genere artium conueniens maxime caſtigatio & animaduerſio eſt iudicialis cenſura? THE. Hoc utiq; quantum hominum opinio fert conſentaneum. HOS. Sed aduerſus ignorantiã uniuerſam, quod aliud præter doctrinam remediũ inuenitur? THE. Nullum. HOS. Doctrinam uero utrum unam duntaxat ac ſimplicem, an plura genera illius eſſe dicẽdum? Immo duo genera eius ſumma eſſe animaduerte. THE. Animaduerto equidem. HOS. Hac uia quamprimum id inuenturi mihi uidemur. THE. Qua? HOS. Si ignorantiam geminam eſſe conſideremus. Ea ſiquidem duplex duplicem docendi rationem exigit, ut harum ſingulæ ſingulis illarum reddantur. THE. Nunquid iam tibi conſtat quod nunc quæritur? HOS. Magnam quandam & oneroſam ignorantiæ partem uideo, cunctis alijs eius partibus præponderantẽ. THE. Quam? HOS. Hanc, cum quis illa quæ neſcit, ſcire ſe putat. ab hac nimirum omnes quæcunq; nos fallunt opiniones, proficiſcuntur. THE. Ita eſt. HOS. Atq; huic ſoli ignorantiæ parti, inſcitiæ nomen conuenire exiſtimo. THE. Prorſus. HOS. Doctrinæ itaq; partem qua ab hac ignorantia liberamur, quomodo appellandam cẽſes? THE. Reor equidem partem aliam doctrinas artium nominari, hanc uero diſciplinam. HOS. Sic fermè inter omnes Græcos uocatur. Nobis autem hoc præterea conſiderandum, utrum indiuiduum ſit totum hoc, an diuiſionem aliquam habeat cognomine dignam. THE. Conſiderandum profecto. HOS. Videt itaq; mihi et hoc diuiſionem ſuſcipere. THE. Qua ratione? HOS. Eius utiq; facultatis quę ſermone docet, pars quædam aſperior, quædam lenior eſſe uidetur. THE. Qualem utramque dicimus? HOS. Vnam quidem ueterem ac patriam, qua aduerſus filios maxime utebantur, & nunc etiam plerique utuntur, quotieſcunq; delinquunt, partim grauiter obiurgantes, partim mitius admonentes. Vniuerſum hoc admonitionem poſſumus nuncupare. THE. Ita eſt. HOS. Id profecto nonnulli ſecum rurſus ratiocinando ſibijpſis conceſſerunt, omnem inſcitiam inuoluntariam eſſe putandam, nullumq; diſcere illa, quæ ſcire credit, affectaturũ, multoq; labore admonitoria diſciplina uix quicq; proficere poſſe. THE. Recte putant. HOS. Quinetiam alia quadam uia ad opinionem huiuſmodi eruendã pergunt. THE. Quanam? HOS. Exquirunt ſciſcitanturq; in his rebus quæ quis optime intelligere & exprimere arbitratur, cum nihil ueri dicat. Deinde errantium opiniones facile diſcutiunt, easq; rationibus colligentes, in unum inuicem conducũt, atq; illas oſtendunt

Ignorantia quid
Qualis ſit ignara anima

ſibijpſis

sibijpsis de ijsdem,& ad eadem,& secundū eadem esse contrarias. Illi uero hoc inspicientes secum ipsi indignant̃,& erga alios mites euadunt:atq; hoc pacto magnas durasq; opiniones deponunt. Quę quidē liberatio auditu liberationū omnium iucundissima est,& reuera firmissima. Enimuero ô dilecte puer,qui hos purgare aggrediuntur,haud secus q̄ medici corpora curandos existimant. Medici namq; tradunt salubribus epulis non prius nutriri corpus q̄ impedimenta pellantur. Similiter isti non prius egregias doctrinas conferre animæ censent,q̄ redargutus is qui errat,erubescat,repulsisq; doctrinę impedimentis,falsis uidelicet opinionibus,purus euadat, nec alia pręter illa quæ nosci t, nosse se putet. THE. Optima modestissimaq; omniū facultas hæc est. HOS. His de causis ô Theętete dicēdum,summā præcipuāq; purgationem esse redargutionē:eum ue qui nō redargutus est,etiam si rex magnus sit,quandoquidē in maximis est impurus,rudem turpemq; esse cundum illa quibus purissimus pulcherrimusq; esse debet,quisquis est felix reuera futurus. THE. Sic est omnino. HOS. Quosnam homines arte hac uti dicemus? Vereor enim sophistas dicere. THE. Quamobrē? HOS. Ne illos plus q̄ deceat,honoremus. THE. Veruntamen quæ modo dicta sunt,tali cuidam similia esse uidentur. HOS. Atqui etiam cani lupus maxime ferus māsuetissimo. Eum uero quià deceptione tutus uideri debet,à similitudine summopere cauere oportet. lubricū porrò & occultum hoc genus. Sed esto,neque enim de exiguis terminis disceptatur,quādo diligenter hoc uitare studeant. THE. Cō sentaneum. HOS. Esto igitur discretiuæ artis species purgatoria,purgatoriæ aūt pars quæ mundat animam,seligatur:huius docendi facultas:doctrinæ,disciplina educatioq;:disciplinæ educationisq; redargutio illa quæ uersatur circa temerariā sapiētiæ opinionem, ut præsens oratio monstrat, nihil aliud q̄ nobilis genere sophistarum facultas esse dicatur. THE. Dicatur planè. Ambigo tamen quid potissimū è multis quæ sese nobis offerunt,sophistam esse reuera affirmare cōueniat. HOS. Et merito ipse dubitas, quādoquidē ipsum quoq; sophistam ambigere ueri simile est omnino quanam uia rationes nostras effugiat. Scite namq; prouerbio dicitur,omnes effugere difficile esse. Nunc igitur instandum maxime. THE. Præclare loqueris. HOS. Primum quidem hunc ueluti cursum sistentes paulum respiremus, & inter nos ratiocinemur simul interquiescentes. Age resumamus q̄ uarias præ se formas sophista iam tulerit. Prima inuestigatione apparuit iuuenum ac diuitum mercenarius esse uenator. THE. Ita. HOS. Secunda mercator quidam circa animi doctrinas. THE. Omnino. HOS. Tertia circa hæc eadem caupo. THE. Et hoc. Quarta circa doctrinas suorum uenditor inuentorū. HOS. Optime in memoriā reuocasti. Quintam uero ego ipse reducam. Certator quidam circa sermones,& artificiosus nimium litigator. THE. Sic utiq; constitit. HOS. Forma sexta ambigua quidem,ponenda tamen,& in præsentia quodāmodo concedenda: purgator quidam animæ uisus est opiniones extirpans omnes quæ doctrinis impedimento sunt. THE. Sic est prorsus. HOS. Nunquid aduertis quotiens aliquis multorū peritus uidetur,unius uero cuiusdam artis nomine nuncupat̃, hanc uisionem non esse sanam? Imò constat eum qui circa artem aliquam sic afficitur, nō posse illud ipsum inspicere,ad quod doctrinę omnes huiusmodi tendunt. Quo circa multis pro uno nominibus eum qui uarijs scientijs uidetur imbutus,appellat. THE. Ita quodammodo natura institutū id esse apparet. HOS. Ne igitur & nobis idem propter socordiam in hac indagatione cōtingat,repetamus in primis unum aliquid eorū quæ de sophista sunt dicta. Vnum quippe ex illis præcipue sophistæ nomen significasse mihi uidetur. THE. Quid illud? HOS. Contradictorem illum esse diximus. THE. Diximus certe. HOS. Nonne & alios ut idem efficiant,edocere? THE. Hoc quoq;. HOS. Videamus nunc circa quid maxime cōtradictores efficere alios sophistæ se prædicant. Cōsideratio uero nostra hinc sumat exordiū. Num in rebus diuinis quæcunq; uulgus latent contradicendi facultatem præstant? THE. Certe hoc de illis dicitur. HOS. Quid aūt de his quæ oculis conspiciuntur,cœlo ac terra,& hisce rebus quæ his continent̃? THE. Quid maxime? HOS. Etenim in priuatis colloquijs quotiens de generatione essentiaq; generatim aliquid dicitur, uidemus illos ad contradicendū uehemētes esse, & alios sui similes reddere posse. THE. Omnino quidē. HOS. Quid uero circa leges ac rempub. nōne in his quoq; contentiosos homines se efficere profitent̃? THE. Nemo,ut ita dixerim,cū illis dissereret,nisi hoc pollicerētur. HOS. Quæ uero aduersus singularū artium professores contentionis studio af-

Similitudō cauenda

Prouerbiū

Sex formæ, & definitiones sophistæ

In quibus contradicere docent sophistæ

ferri debeant, passim scripta circunferuntur. THE. Quæ Protagoras de palæstra cæterisq; artibus scripsit, dicere mihi uideris. HOS. Et de multis quidem alijs ô beate. Verũ ars ipsa cõtradicendi, nónne summatim facultas est, quæ omnia in cõtrouersiã deducere potest? THE. Nihil fermè prætermittere uidetur. HOS. Tu uero per deos ó puer, fieri hoc posse putas? Forte em̃ uos iuuenes acutius hoc inspicitis. Senes uero nos obtusius. THE. Quid istud & quale? Neq; enim quod nunc quæris intellígo. HOS. Quęrebã utrum hominum quispiã scire omnia posset. THE. Beatum profecto hospes nostrũ genus esset. HOS. Quonam pacto ignorans quispiã aduersus intelligentem contradicẽdo ualidum quicq; inferre poterit? THE. Nullo. HOS. Quid ergo in illa Sophistarũ facultate mirabile uideretur? THE. Circa quid maxime? HOS. Quonã tandem pacto iuuenibus possint persuadere, se unos omniũ in rebus singulis esse sapientissimos: constat enim quod nisi recte contradicerent, aut nisi illis recte cõtradicere uiderent̃, ac tales cum uidentur nisi aduersando existimarentur esse sapiẽtiores, uacui occupationibus essent, & nemo quod tu dicebas, oblata pecunia ab istis erudiri cuperet. THE. Nemo penitus. HOS. Nũc uero cupiunt. THE. Ac uehemẽter. HOS. Vident̃ arbitror illa in quibus aduersant̃, optime scire. THE. Quid ni? HOS. Repugnant aũt in omnibus. Nõne? THE. Absq; dubio. HOS. In omnibus itaq; sapientes discipulis esse uident̃. THE. Cur non? HOS. Neq; tamen sunt: impossibile quippe id esse cõstitit. THE. Impossibile sanè. HOS. Opinatricem igitur circa omnia potius q̃ ueram sc̃ientiã habere Sophista nobis apparuit. THE. Prorsus. Ac quæ modo dixisti, recte admodũ dicta uidentur. HOS. Ponamus ergo exemplũ aliquod istorum perspicuum. THE. Quale? HOS. Hoc, sed attende diligenter, atq; apte responde. THE. Quale inquã. HOS. Perinde est ac si quis assereret, nec dicere, nec contradicere se, sed scire facere, ac efficere posse, ut arte una cuncta sciantur. THE. Quomodo cuncta dicebas? HOS. Principium sermonis huius statim ignoras. Quid enim hæc dictio, cuncta, significet, non intelligis. THE. Nõ certe. HOS. Dico in numero omniũ esse me ac te, & alia quoq; animalia arboresq;. THE. Quomodo inquis? HOS. Siquis me ac te, cæteraq; uiuẽtia omnia se facturũ promittat. THE. Quẽ faciendi modũ dicis? Non enim dicis agricultorem quenq;: nam animaliũ factorem aiebas. HOS. Aio, & terræ præterea, & maris, cœliq;, ac deorum aliorumq; omniũ: & cum singula breui finxerit, unũquodq; exiguo precio uendet. THE. Iocum quendã narras. HOS. Quid uero? nõne & ille iocari dicendus est, qui omnia se nosse prædicat, aliumq; docere omnia exigua quadã mercede breuiq; tempore profitet̃? THE. Prorsus. HOS. Iocandi uero speciẽ habes ullam magis artificiosam iocundamq; q̃ imitationem? THE. Nullam, amplam sanè speciem dixisti in uno omnia comprehendentẽ atque multiplicem. HOS. An non intelligimus eum qui arte una cuncta facturiũ se pollicetur, pingẽdi arte fingentẽ eiusdem nominis rerum simulacra, dementes etiã pueros posse decipere, dum picta eminus spectãda proponit, quasi quodcunq; uelit, efficere possit? THE. Quid prohibet? HOS. Nõne & aliam circa sermones talem artẽ esse putamus, qua seductores quasi præstigijs quibusdã utentes, adolescentulos procul à ueritate rerum ad huc existentes decipere ualeant, imagines quasdã uerisimiles loco uerarũ rerum auribus inculcãdo, adeò ut uera eloqui, omniumq; hominũ esse in omnibus sapientissimi uideantur? THE. Nihil prohibet aliam quandã eiusmodi esse artem. HOS. Necesse est multos ô Theætete, eorũ qui hæc audiuerunt, cũ adoleuerint, ac res ipsas comínus cõsideraverint, & ueris iam animis res manifeste attrectare coactos, pristinas opiniones abijcere, atq; ita cõmutare ut exigua uideantur quæ magna, difficilia quæ facilia, & singula passim sermonibus cõcepta phantasmata, actionũ progressibus in contraria uerti cogant̃. THE. Ita mihi uideť, prout meæ huius ætatis iudiciũ est. Arbitror enim me adhuc ex eorũ numero esse qui à uero procul absunt. HOS. At uero nos præsentes tibi opem ferre conabimur. Et nunc quidem conemur q̃ proxime absq; doctrinis intelligentiã adhibere. De sophista in primis mihi dicas. Vtrum inter nos constet præstigiatorẽ quendam hunc esse, uerarumq; rerum imitatorem: an adhuc suspicamur ne fortè ueram illarũ rerum scientiã habeat, de quibus contradicere alijs posse uideť. THE. Quis ulterius suspiceť hospes? iam ex his quę dicta sunt, patet eum ex illorũ numero esse, qui una quadã disciplina pollent. HOS. Præstigiator itaq; & imitator quidã est dicendus. THE. Proculdubio. HOS. Deinceps cauendum est ne prædã hanc dimittamus, fermè nanq; sophistã ueluti uerriculo quodam irretitum ra-

Ars cõtradicẽdi omnia in cõtrouersiã deducere potest

Nullum omnia scire posse

Imitatoria omnia facit

In sermonibus esse artem similem pictoribus

Septima definitio sophistæ

tum ratiocinando cõprehendimus. Quapropter hoc saltem minime subterfugiet. THE. Quid istud? HOS. Quòd uidelicet unus quidam est ex his qui imposturis & præstigijs fallunt. THE. Idem quoq; mihi uidetur. HOS. Visum est igitur q̃p primum artem imaginariã simulacrorum uidelicet effectricẽ diuidere oportere: cumq; illam ingressi fuerimus, siqui dem adhuc nos sophista expectet, capere illũ sicut regio est sermone mandatũ, et illi tradendo prædã ostendere. Si autem subintrãs artis imitandi particulas delitescat, insequẽdum esse, & partem qua sese occulit, diuidendã aperiendamq; quouscq; omnino comprehendatur. Nam nec iste, nec aliud ullum genus eum fugiet qui per omnia sigillatim methodo disquirere potest. THE. Recte mones, atq; ita agendũ. HOS. Secundũ superiorem diuidendi rationem duas nunc imitationis species cernere mihi uideor. Ideam uero quã quærimus, utra in specie ponam ambigo. Tu uero? THE. Hasce prius species duas distingue, atq; declara. HO. Vnã quidẽ assimulandi artẽ uideo, cuius opus est, secundũ exẽplaris cõmensurationes quo ad longitudinẽ, latitudinem, profunditatẽ, conuenientesq; colores æmulam imaginẽ fabricare. THE. Quid uero, nõ omnes qui aliquid imitãtur, id proutribus agunt? HOS. Nequaq̃. hij præsertim qui magnum aliquod opus aut fingunt aut pingunt. Si enim ueram pulchrorum cõmensurationem simulacris præberent, minora q̃p decet superiora membra, maiora uero quæ infrà sunt apparerẽt. propterea quod illa eminus hæc comminus à nobis cõspiciant. THE. Omnino. HO. Ergo artifices ueritate dimissa, non eas quæ reuera sunt, sed quæ uidentur pulchræ cõmensurationes, simulacris ipsis accõmodant. THE. Prorsus. HOS. Nõne igitur species altera assimulatrix cum uideatur, uocari non debet? THE. Certe. HOS. Partem igitur alterã, assimulatricem ut suprà diximus, appellabimus. THE. Sic prorsus THE. Quid porrò quod apparet quidem pulchro simile, cum non sit pulchrũ, & si quis penitus inspicere queat, nec simile, cui simile uidetur, quo illud nomine nuncupabimus? an non quia apparet quidem, neq; tamen est simile, phantasma dicendũ? THE. Profecto. HOS. An nõ plurima & in picturis pars hæc & in uniuerso imitationis genere est? THE. Nempe. HOS. Artem uero illam qua phantasma fingitur non imago, phantastica meritò nominandã putamus. THE. Consentaneũ est. HOS. Has equidem duas imaginariæ facultatis species suprà ponebam. Vnam quæ similitudines efficit. Alterã quæ phantasmata. THE. Recte. HOS. Atq; id quod ambigebã, utra in specie sit sophista ponendus, neq; dum satis uideo. Reuera mirandus uir iste, cognituq; difficilis: quando quidẽ & nunc q̃p scite tergiuersatus, in obscuræ speciei latebras secesit. THE. Videtur. HOS. Nunquid igitur hoc intelligens, mihi nunc assentiris? an impetus quidam propter hunc sermonẽ ita te consuetum induxit, ut repente cõfitereris? THE. Quorsum hæc? HOS. In arduam profecto considerationẽ incidimus. Semper enim tam in prẽterito q̃p in præsenti tempore maxime dubium est quod dicitur: Apparere quidem hoc atq; uideri, esse uero nequaq̃: & aliquem loqui quædã, nõ tamen uera. Mirandũ quippe Theætete si is sibi non cõtradixerit, qui asserit quod reuera & dicere & opinari falsa contingit. THE. Cur? HOS. Quia talis locutio, id quod non est, esse admittit. Falsum nanq; haud aliter quod est fieret. Magnus aũt Parmenides ô puer, dum pueri adhuc essemus, statim ab initio assidueq; id detestatus est. Sic enim carminibus passim iocatur. Nunquã, inquit, & nullo modo sunt illa quæ non sunt. Sed tu hoc tramite quærens mentem cohibe. Ab illo itaq; testimoniũ perhibetur, sermoq; huiusmodi si mediocriter discutiat, rem patefaciet. Age hoc in primis, si tibi placet, inspiciamus. THE. Mea quidem nihil interest, ipse uideris, & quà præstare putas, eà & tu pergas, & me ducas. HO. Ita prorsus agendũ, & mihi responde, nũ pronũciare qd' nullo modo est, audeamus. THE. Quid ni? HOS. Si quidẽ nullius cõtentionis aut ioci gratia quærendũ de his uel respõdendũ sit, imò audientiũ quempiam oporteat seriò nobis nomen hoc, non ens, declarare quò referendũ sit, cognituru eum putamus quò se uertat, quid' ue & quõ interroganti demonstret? THE. Rem arduã scisciteris, unicq; mihi, ut ita dicam, prorsus ignotam. HOS. Hoc saltem cõstat, quod id nomen non ens nulli eorum quæ sunt, attribuendũ. THE. Quomodo enim id fieret? HOS. Cum uero ad ens, ut ita dixerim, referri non possit, neq; etiam ad aliquid referendũ. THE. Quonam pacto? HOS. Id quoq; nobis patet, quod dictio hæc aliquid circa ens aliquod ubiq; pronunciatur, atq; impossibile est ipsum aliquid solũ & quasi nudatũ ab omnib. his quæ sunt seorsum enunciare. THE. Impossibile certe. HOS. Num ita considerans confite

Vide Vitruuium de ratione columnarum

Vide Quin. libro xij. capi. x.

Mirãda dubitatio de nõ ente Sẽtentia Parmenidis de eo quod nõ est

ris,neceſſariũ eſſe eum qui aliquid dicit,unum aliquid dicere? THE. Ita. HOS. Vnius por
Aliquid est signũ unius rò ſignũ, ipſum aliquid eſſe dices,duorũ & pluriũ aliqua? THE. Dicam planè. HOS. Eum uero qui non aliquid dicit,neceſſe eſt neq; unum quid,id eſt nihil dicere? THE. Neceſſàrium eſt omnino. HOS. Neq; id concedendũ,hominem talem dicere quidem aliquid,ſed non unũ quid,id eſt nihil dicere. THE. Atqui neq; loqui dicendus eſt ille qui conatur nõ
Dubitatio maxima et prima de non ente ens proferre. Sermo igitur finem dubitãdi haberet. HOS. Nondum magnum hoc dicas. Extat eñ adhuc ô beate circa hæc dubitationũ maxima atq; prima,quæ circa ipſius principium accidit. THE. Quo pacto id dicas,declara,amabo,neq; te pigeat. HOS. Ei ſanè qđ eſt,aliquid alterũ eorum quæ ſunt,contingere poteſt. THE. Nihil prohibet. HOS. Ei uero quod nõ eſt,aliquid ne ex his quæ ſunt,adeſſe unquam poſſe dicemus? THE. Nequaquam. HOS. Vniuerſum numerorũ genus in ordine eorũ quæ ſunt,ponimus? THE. Certe,ſi modo aliud quicquã in eo ponendum. HOS. Quare nec numerorum multitudinẽ, neq; unum nõ enti adhibeamus. THE. Haud recte adhiberemus,ut ratio nobis oſtendit. HOS. Quo pacto igitur uel ore proferret quiſquã,uel cogitatione cõprehenderet ea quę non ſunt,uel non ens ſeorſum à numero? THE. Dic qua? HOS. Quotiens non entia dicimus,nónne numeri multitudinẽ tentamus opponere? THE. Vtiq;. HOS. Quotiens autẽ non ens,unum? THE. Manifeſtũ id quidem. HOS. Enimuero neq; iuſtum,neq; rectũ eſſe
Non ens in cogitabile & ineffabile diximus,ut quis non enti ens adiungere audeat. THE. Vera loqueris. HOS. Animaduertis ne quod neq; proferri,neq; recte dici,neq; cogitari nõ ens ſecundũ ſeipſum poteſt,ſed incogitabile ineffabileq; & irrationale exiſtit? THE. Penitus. HOS. Nunquid pauloante mentitus ſum,cum dixi maximã circa illud dubitationẽ me illaturum? THE. Aliã igitur iſta maiorem adducere poſſumus? HOS. Quid uero ô mirifice adoleſcens? an non ex his quæ dicta ſunt,uides,quod nõ ens tantis eum qui ipſum redarguit,obfundit tenebris, ut cum primum redargutionẽ aggreditur,ſibimet aduerſari cogatur? THE. Dic clarius. HOS. Haud opus eſt clarius aliquid mea quidem ſententia cõſiderare. Equidem cũ ſuppoſuiſſem non ens,nec unius nec multorũ eſſe particeps,tamen & pauloante & nunc etiam unum ipſum protuli, dum hoc ipſum non ens pronunciarẽ. percipis ne? THE. Percipio. HOS. Quinetiam ſuprà inexplicabile ipſum & ineffabile & irrationale eſſe dixi,tenes? THE. Planè. HOS. An non dum ipſum eſſe ei applicare conarer,contraria ſuperioribus proferebam? THE. Videris. HOS. Nonne cum hoc illi attribui, quaſi de uno locutus ſum? THE. Abſq; dubio. HOS. Imò & irrationale dum dicerem,inexplicabileq; & ineffabile ſingulariter pronunciarẽ,perinde ac ſi unum eſſet,uerba de hoc faciebã. THE. Quidni? HOS. Diximus ſanè ſi modo quis recte loqui uoluerit, neq; ut unũ, neq; ut multa determinare ipſum debere,neq; omnino ipſum uocare. Nam quadã in ſpecie, appellatione huiuſmodi poneretur. THE. Prorſus. HOS. De me igitur quid deinde dicat aliquis? Etenim & ſuprà & nunc me in hac pugna aduerſus non ens ſuccubuiſſe comperiet: itaq; ex me de nõ ente loquente,nõ eſt cur firmũ rectumq; aliquid expectes. Sed de te iam ſi placet,uideamus. THE. Quid ais? HOS. Age, conare bene & generoſe,es enim iuuenis, & omni mentis conatu rectum aliquid de nõ ente proferre,illi nec eſſentiã,nec unum, neq; numeri multitudinẽ adhibens. THE. Quàm temerarius eſſem, ſi eandẽ qua tu ſuccubuiſti pugnam aggrederer. HOS. Ergo ſi uis, te ac me prætermittamus,& donec in aliquem qui poſſit,incidamus,interim dicamus ſophiſtã præ cæteris uerſute admodũ obſcuris ſeſe in latebris occuluiſſe. THE. Et maxime quidẽ. HOS. Veruntamen ſi phantaſtica quadã arte pollere ſophiſtã aſſeruerimus:facile ex iſto uſu dicendi aduerſus nos occaſionem nactus,in cõtrarium ſermones uertet. Nam dum ipſum ſimulacrorũ auctorem uocabimus, quid maxime ſimulacrũ dicamus,interrogabit. Cogitandũ protinus Theætete, quid ita percontanti ſophiſtæ reſpondeamus. THE. Dicemus uidelicet ſimulacra eſſe illa quæ in aquis & ſpeculis offeruntur,picta quoq; & typis expreſſa & huius generis alia. HOS. Videris Theętete,ſophiſtã cõſpexiſſe nunq;. THE. Cur? HO. Videbit tibi hallucinari,aut oculis carere prorſus. THE. Qua ratione? HOS. Ridebit te qui per figuras ſpeculaq; reſpõderis,perinde ac ſi tu uidens cũ uidente loquaris:ſimulabitq; nec aquas, nec ſpecula,nec eorum quicq; quæ uidentur,ſed nec uiſum ipſum ſe noſſe, atq; de hoc tantum ſciſcitabitur. THE. De quonam? HOS. De eo inq;,quod his omnibus quæ dixiſti,cõmune eſt,& quod quaſi unum in multis ſit uno nomine ſimulacrũ appellaſti. Strenue itaq; certa, neq; ignaue ce-

ue cedas uiro, sed generose responde. THE. Quid aliud ô hospes, simulacrũ esse dicamus, ꝙ quod ad ueri similitudinem accedit quodam modo, cum sit ipsum aliud? HOS. Cum aliud tale dicis, utrum uerum, an aliud quiddã intelligi uis? THE. Verum nullo modo, sed simile. HOS. Nunquid uerum uere ens uocas? THE. Idipsum. HOS. Non uerũ autem ueri contrarium? THE. Quid prohibet? HOS. Si ergo id quod simile uocas, uerum esse negas, ens quoq; existere negas. est tamen. THE. Quo pacto? HOS. Esse quidem, sed nõ uere esse fateris. THE. Certe non uerum ens, sed imaginem ueram. HOS. Ergo non uere est ens id quod uere esse imaginem dicimus, & non uere ens est uere. THE. Videtur nõ ens cum ente miris modis implicitum. HOS. Cur non mirum uideatur? cernis quàm argute multiceps iste sophista nunc rursus tergiuersando nos inuitos non ens quodammodo esse fateri coegerit? THE. Quis nõ uiderit? HOS. Qua igitur ratione eius artẽ definiemus, ita ut nobis cõstemus? THE. Quid maxime ueritus ita loqueris? HOS. Quia enim sophistam circa phantasmata deceptorem quendam asserimus, eamq; artem decipiendi astutiam nominamus, utrum' ne animam nostram falsa opinari captiunculis eius irretitam, an aliud quiddam dicemus? THE. Non aliud certe. HOS. Falsa opinio est, eorum quæ sunt opinari contraria? THE. Contraria. HOS. Ais igitur falsam opinionem, quæ non sunt opinari? THE. Aio. HOS. Vtrum non esse quæ nõ sunt, putat? an quodammodo esse quæ nullo modo sunt. THE. Si quis unquam quoquo modo opinando mentitur, necesse est ut quæ non sunt, esse quodammodo iudicet. HOS. Nónne etiam quæ omnino sunt, nullo modo esse putabit? THE. Id quoq;. HOS. Et hoc falsum similiter? THE. Et hoc. HOS. Quinetiam sermo mendax eadem ratione censebitur, qui uidelicet quæ non sunt, esse, & contrà, quæ sunt, non esse pronunciat? THE. Haud aliter mendax effici potest. HOS. Fer mè non aliter. Non tamen hæc sophista fatebitur. Quo enim pacto mentis compos hæc admiserit, siquidem consentaneum est superiora illa, nec dici, nec proferri, neq; describi, neq; cogitari posse certum esse? Intelligimus quid dicat Theætete? THE. Quid ni intelligamus? obijciet enim nobis, sermonem nostrum sibimet repugnare, cum nunc nõ ens in opinione & locutione ponamus. Vnde sæpe cogi nos dicet nõ enti ens admouere, quod tamen fieri non posse suprà conuenimus. HOS. Recte in memoriam reuocasti. Sed consultandum iam quid de sophista agere nos oporteat. Nam si eum in arte præstigiatorum mendaciumq; ponentes, definire conemur, obiectiones permultæ dubiæq; nascuntur. THE. Patet. HOS. Exiguam hactenus illorum particulam cum innumeræ, ut ita dixerim, sint, prosecuti sumus. THE. Si hæc ita se habent, impossibile est Sophistam comprehendere. HOS. Quid ergo? num ab inuestigatione propter molliciem desistemus? THE. Nullo modo desistendum arbitror, si qua ex parte hunc uirũ capere ualeamus. HOS. Veniam itaq; dabis, &, ut modo dicebas, boni consules, si uel leuiter in quæstione tam ardua profecerimus. THE. Dabo, & libenter quidem. HOS. Hoc abs te potissimũ peto. THE. Quid nam? HOS. Ne me quasi patricidam quendam fieri censeas. THE. Quorsum hæc? HOS. Nam necesse erit patris Parmenidis sermonem propulsantibus examinare, cogereq; nõ ens esse quodammodo, & ens rursus quoquo modo non esse. THE. Videtur hoc sanè in his sermonibus contendendum. HOS. Qui enim non uideatur? nisi enim ista redarguantur cõcedantur' ue, nemo poterit de falsis sermonibus loqui, uel opinione, uel simulacris, aut imaginibus, aut imitationibus phãtasmatibus' ue, aut de his artibus quæ circa hæc uersantur, quin risum audientibus moueat, dum sibimet contraria proferre cogetur. THE. Vera loqueris. HOS. Propter hæc aduersus paternum sermonem instare audendum, uel dimittẽdum omnino, si qua pigritia seu uerecundia detinemur. THE. At nihil prohibebit quo minus id faciamus. HOS. Tertium præterea quiddam, & ipsum exiguũ quidem, abs te postulo. THE. Dic sodes. HOS. Dixi pauloante me circa talium redargutionem cum semper tum in præsentia nimis defatigari. THE. Dixisti sanè. HOS. Vereor ne propter illa quæ à me dicta sunt, furiosus tibi uidear, statim me sursum deorsum' ue permutãs. Nam tui gratia confutationẽ illius sermonis aggrediemur, si fortè cõfutemus. THE. Hac ergo de causa forti animo ad pugnam accingere. Neq; enim me iudice, deliquisse diceris, si eum susceperis confutandum. HOS. Vndenam commodius disputationem hanc discrimine plenam exordiemur? Hoc utiq; calle ô puer, eundum necessariò puto. THE.

Contra Parmenidẽ disputatur

Quonam? HOS. Vt quæ faciliora uidentur, primum discutiamus, ne rerum difficultate deterriti, ab inceptis protinus desistamus, sed ut facile cõmuni consensu differendo pergamus, quasi leuiter ac bene de his iudicare possimus. THE. Planius quod sentis, exprime. HOS. Facili disputatione uidetur hæc Parmenides prosecutus, & quisquis alius unquam quot & qualia sint entia, determinare est ausus. THE. Quo pacto? HOS. Fabulam nobis tanquam pueris unusquisque narrasse uidetur. Vnus quidem, quod tria sunt quæ existunt, quod'ue illorum quędam inuicem quandoq; pugnant, interdum uero cõciliata in unum coeunt, pariuntq;, & progenitis porrigunt alimenta. Alter uero duo posuit, humidum & siccum uel calidum & frigidum, eaq; coniugauit inuicem, atq; expediuit. Eleatica uero apud nos doctrina à Xenophane, imò & ab antiquioribus originem ducens, omnia quæ esse dicuntur, ut unum ponit, fabuloseq; differit. Iades autem, & Siculæ musæ quædam his posteriores, ambo hæc inuicẽ implicare tutius censuerunt, ita ut ens & multa & unum sit, discordia uero & cõcordia teneatur. Dissidens enim semper congreditur, ut musæ uehementiores canunt. Remissiores uero musæ semper hæc ita soluunt suspenduntq;. Et uniuersum hoc uicissim tum unũ et amicum sibi propter Venerem esse, tum multa & sibiipsi dissidens per discordiam. Durũ est aũt aduersus tam inclytos antiquosq; uiros me, uera siue falsa dixerint, ferre sententiam. Tantum hoc sine inuidia asserere possumus. THE. Quid? HOS. Quod nos multos nimium contempserunt. Nam suum quisque opus exequitur, nulla nostri cura adhibita, utrum assequamur nec'ne. THE. Quo pacto inquis? HOS. Quotiens illorum aliquis ait, quod èst, uel fuit, uel fit, multa aut unum, aut duo, & calidũ frigido mixtum, discretiones quasdam concretionesq; inducens, quid per deos Theætete ex his significari conijcis? Ego quidem dum eram iunior, siquando id ipsum non ens de quo nunc ambigimus, proferretur, exacte me intelligere confidebã. Nunc uides quo de hoc dubitantes redacti sumus. THE. Video equidem. HOS. Fortè uero & circa ens idem nihilominus noster animus patitur. Hoc enim intelligere nos quotiens proferretur, affirmabamus, illud uero minime, cum similiter, ut puto, utrunq; intelligamus. THE. Fortè. HOS. Idem quoq; de cæteris quæ suprà narrauimus, dictum sit. THE. Nempe. HOS. De multis quidem postea si uidebitur, considerabimus: de maximo uero præcipuoq; & primo nunc iam cogitandum. THE. Quod ais? an de ente primum quærendum censes, quid maxime significare uelint qui illud enunciant? HOS. Planè intellexisti Theætete. Aio equidem ita nos disputare debere, ac si adessent illi, atq; ita interrogare. O uos quicunq; calidum & frigidum, aut aliqua duo talia cuncta esse asseueratis, quid hoc in ambobus existere uultis, quotiens ambo atq; utrunq; esse dicitis? hoc ipsum esse, quid à nobis intelligi debet, cum uos profertis? Vtrum tertium quiddam præter illa duo? Quod si ita est, tria genera iam secundũ uos, non duo tantum ponẽda uidentur. Sin autẽ alterũ è duobus ipsum ens uocatis, haud similiter utraq; esse dicetis. Vtrunq; enim unum esset, nõ duo. THE. Vera loqueris. HOS. Nunquid ambo ens uocare uultis? THE. Forsitan. HOS. At ô amici, dicemus, hoc quoq; modo duo hæc unum affirmaretis. THE. Recte infers. HOS. Postquam igitur nos in hoc defecimus, uos saltem nobis rem aliquando declarate, quid hoc nomine ens significare uultis, cum id pronunciatis: constat enim uos iamdiu rem nouisse. nos autem hactenus scire putauimus, nunc hæsitamus. quam ob rem hoc nos in primis docete, ne dum quę traditis, discere opinamur, nos opinio fallat. Si hæc exigamus tam ab ijs quàm ab alijs qui plusquã unum ipsum omne ponunt, nunquid errabimus? THE. Minime omniũ. HOS. Quid ad eos qui omne unum esse tradunt, nónne quærendum pro uiribus quid ens ipsum dicant. THE. Cur non? HOS. Ad hæc ergo respondeant. unum dicitis esse solum? dicimus respõdebunt. an non? THE. Ita. HOS. Ens aliquid uocatis? THE. Certe. HOS. Nunquid idem quod unum, nominibus ad idem duobus utentes? an aliud? THE. Quid ad hæc hospes ij respondebunt? HOS. Patet ô Theætete, illum qui hoc suppositi, nõ facile ad istas aliasq; obiectiones huiusmodi responsurum. THE. Qua ratione? HOS. Duo quidem nomina confiteri, cum unum duntaxat ponatur, absurdũ est. THE. Quid ni? HOS. Quinetiã istuc omnino recipere absurdũ est, si quis nomẽ esse dicat, cuius nulla sit ratio. THE. Quo pacto? HO. Qui ponit nomẽ à re diuersum duo quædã inducit. THE. Patet. HOS. Præterea si idem cũre nomen esse concedit, cogẽ

Opiniones ponẽtiũ numerum entium

uel

uel nullius esse nomen: uel si est alicuius, nominis nomen esse fateri, alterius uero nequaquam. THE. Sic est. HOS. Et unũ unius ens solum: & hoc nominis, ipsum unũ ens. THE. Necesse est. HOS. Quid porrò? totum ab ente uno diuersum, an idem dicent? THE. Cur non dixerint? dicunt enim. HOS. Si ergo totum est, quemadmodum inquit Parmenides, æqualis undiq; sphæræ moli persimile à medio ad circumferentiam penitus æque distãs, eo nanq; neq; maius quicquam neq; potentius est, necessarium est ob talem circumferentiam ipsum ens medium extremaue habere, & idcirco partibus quoq; cõstare. THE. Sic oportet. HOS. Atqui nihil prohibet ipsum diuisum in partibus omnibus passionẽ unius admittere, atque hoc modo & omne ens & totum unum existere. THE. Nihil penitus. HOS. Quod autem hæc patitur, an nõ impossibile est idipsum unum esse? THE. Quare? HOS. Quia quod secũdum ueram rationem impartibile est, id omnino reuera unum est ponendum. THE. Oportet sanè. HOS. Quod uero tale est ut ex pluribus partibus construatur, cum uniuersa ratione minime consonabit. THE. Intelligo. HOS. Vtrum totum ipsum unius recipiens passionem, ita & unum & totum erit? uel omnino nõ dicimus ipsum unum totum existere? THE. Optionem ambiguam proposuisti. HOS. Vera narras. cumq; ens unum esse admittat, cur non ens & unum idem apparet, & plura omnia q̃q; unum erunt? THE. Certe. HOS. Quod si ens sit non totum, ex eo quod illius susceperit passionem, sit autem ipsum totum, indigum ens suiipsius efficitur. THE. Maxime. HOS. Enimuero secundum hunc sermonem cum seipso priuetur, non ens erit ens ipsum. THE. Sequitur. HOS. Atque ita rursus omnia plura quàm unum existent, cum tam ens quàm totum propriam naturam seorsum ab altero sit sortitum. THE. Profecto. HOS. Et si omnino non sit totum, eadem hæc enti proueniunt: ac præter id quod contingit non esse, contingit etiam neq; factum fuisse ens unquam. THE. Quid? HOS. Quicquid factum est, semper factum est totum. Quamobrem neque essentiam, neq; generationem tanquam existentem appellare debet, qui unum uel totum in ordine eorum quæ sunt, non ponit. THE. Omnino sic esse uidetur. HOS. Præterea quod totum non est, quantum esse nullo modo potest: nam quatenus quantum est, eatenus est & totum. THE. Prorsus. HOS. Innumeræ quoq; præter has dubitationes aduersus eum insurgunt, quisquis ens aut unum solum, aut duo quædam ponit. THE. Testantur hoc, quæ modo monstrauimus. Nam aduersus hæc dicta alia semper ex alia grauiorq; dubitatio exoritur. HOS. Sermones quidem illorum qui de ente & non ente exacte disserunt, non dum retulimus. Veruntamen satis hęc sunt. Eos aũt qui secus dicunt, rursus in mediũ adducamus, ut ex omnib. plane intelligamus, nihilo facilius ens, q̃ nõ ens quid sit definiri posse. THE. Certe & hi adeundi uidentur. HOS. Videtur utiq; inter eos quasi gigãtum pugna quædam esse, propter eam controuersiam qua inuicem de essentia certant. THE. Quo pacto? HOS. Quidã illorum de cœlo & inuisibili regione omnia ipsis certe manibus in terram trahunt, saxa & quercus apprehendentes. Nam cum talia hæc omnia tangant, solum id esse affirmant quod quoquo modo percipitur, atq; tangitur, idemq; corpus & essentiã tradunt. Quicquid uero absq; corpore dicitur esse, contẽnunt, nihil aliud audire uolẽtes. THE. Noui equidem quos uiros dixeris. Tales enim multos repperi. HOS. Horum aũt aduersarij caute admodum atq; pie superne ex inuisibili sede pro inuisibili essentia pugnant, atq; intelligibiles quasdam & incorporeas species cogunt etiam ueras existere. Illorum uero corpora eamue quam nominant ueritatẽ, in minima rationibus partiuntur, generationẽq; pro essentia fluentẽ denominant. Vnde ingens & inextricabilis pugna inter utrosq; de his semper extitit. THE. Vera narras. HOS. Ab utrisq; itaq; rationẽ essentiæ quã ponunt, sigillatim iam exigamus. THE. Quomodo exigemus? HOS. Ab ijs qui in speciebus essentiam locant, facilius. mitiores enim sunt. ab illis autẽ qui ad corpora ui singula trahunt, durius. forte uero & impossibile. Verũ sic de illis agendũ uidetur. THE. Quo pacto? HOS. Præstaret illos re ipsa meliores, si fieri posset, efficere. Sinautẽ id fieri nequit, dãda opera est ut sermõe saltẽ efficiamus, supponẽtes eos modestius atq; rectius q̃ nũc respõsuros. Quod enim à potioribus cõceditur, firmius atq; potius est q̃ quod à deterioribus est cõcessum. Nos aũt non id curamus, sed quærimus ueritatẽ. THE. Probe. HOS. Iube eos meliores factos tibi protinus respõdere, & quod aiũt interpretare. THE. Fiet. HOS. Vtrũ q̃d mortale

Sẽper quod factũ est, tõ tũ factũ est

Positio eorum qui id solũ esse dicunt quod tangitur

Positio eorum qui dicunt id solũ esse quod intelligitur

le animal nominant, esse aliquid asserunt? THE. Quid ni asserant? HOS. Nónne hoc animatum corpus appellant? THE. Valde. HOS. Dum hoc ferunt, animam esse aliquid uolunt? THE. Ita. HOS. Animam unam iustam, iniustam alteram, unam sapientem, insipientem alteram arbitrantur? THE. Vtiq;. HOS. An non iustitiæ aliorumq; talium habitu præsentiaq; talem animam fieri, contrariorum uero contrariam? THE. Hæc quoq; fatentur. HOS. Quod alicui adesse & abesse potest, esse aliquid dabunt? THE. Dant certe. HOS. Cum ergo sit aliquid iustitia, & sapientia, & uirtus quælibet, nec non uirtutis cuiusq; contrarium, & anima præterea cui hæc accidunt, utrum uideri tangiq; posse istorũ singula, an non opinantur? THE. Fermè nullum ex his uideri. HOS. Nunquid horum ali quod habere corpus existimant? THE. Haud simpliciter ad hæc respõdent, sed animam quidem corpus aliquod habere, sapientiam uero & cætera de quibus percontabaris, aut nihil esse, aut corpus asserere, nondum audent. HOS. Proculdubio Theætete meliores uiri iam euaserũt: nam quicunq; illorum Spartæ, atq; indigenæ sunt, horum neutrum asse rere uererentur, imò quod pugno premi nequit, omnino nihil esse contenderent. THE. Fermè quod sentiunt enarrasti. HOS. Ab illis iterum perquiramus. Nam si quid uel exiguum quidem incorporeum esse concedunt, sufficit. Quod incorporeis simul atq; corporeis rebus est insitum, cuius ratione esse utraq; dicũt, hoc ab illis exprimi quærimus. THE. Deesset forte illis responsio, siquid eis tale cõtingeret. HOS. Vide utrum proponentibus nobis, ens tale quiddã existere, admissuri sint. THE. Quidnã? declara. Fortè enim intelligemus. HOS. Dico quidem quicquid potentiã quamcunq; nactum est, uel ad aliud agendum, uel patiendum ab alio, quãuis minimũ quid à utilissimo quodam, & si solum semel, quodlibet tale reuera esse. Et hac ens definitione describo, nihil aliud quàm potentiã esse.

Prima definitio entis

THE. At uero postquã in præsentia ipsi hoc melius nihil habent, hoc & accipiunt. HOS. Probe, forsitan deinceps nobis aliquando & illis aliter dicendum uidebitur. Atq; id nũc erga illos admissum ratumq; maneat. THE. Manet. HOS. Ad specierum amicos iam descendamus. tu autem nobis illorum sensum interpretare. THE. Fiet. HOS. Aliud essentiam, aliud generationem dicitis, alterum ab altero secernentes? THE. Absq; controuersia. HOS. Et corpore quidẽ nos per sensum cũ generatione cõmunicare, anima uero per rationem cum uera essentia: quam semper secundũ eadem, & eodẽ modo sese habere: generationem uero aliàs aliter apparere asseueratis? THE. Asseueramus. HOS. Communionem hãc ô uiri omnium optimi, quid in ambobus esse dicitis? num id quod nos pauloante inducebamus? THE. Quid istud? HOS. Passionem uel actionem ex potẽtia quadam, ab ijs quæ inuicem congrediuntur prouenientem. Forsitan illorũ ad hæc responsionem ô Theætete haud satis percipis, ac me diuturna cum illis consuetudo ad percipiendum iuuat. THE. Quid ergo respondent? HOS. Non dant nobis quod suprà aduersus homines terra genitos de essentia dictũ. THE. Quid illud? HOS. Sufficiẽtem entium definitionem hanc posui. uidelicet quando alicui agendi uel patiendi uis aliqua uel minima adest. THE. Hanc ipsam. HOS. Ad hæc aiunt, quod generatio potentiæ agendi uel patiendi est particeps, essentiæ uero nulla huiusmodi potentia conuenit. THE. An non id quod dicunt, aliquid est? HOS. Ad hoc à nobis obijciendũ, quod clarius ab illis audire cupimus,

Animã cognoscere, essentiam cognosci

utrum assentiantur animam cognoscere, essentiam uero cognosci. THE. Affirmant profecto. HOS. Cognoscere uel cognosci actionẽ uocatis uel passionẽ, uel utrunq;, uel neutrum istorum in altero participare uultis? Patet quod in altero neutrum. Alioqui cõtraria illorum quæ supra cõcesserant, nunc admitterẽt. THE. Intelligo. HOS. Siquidẽ cognoscere, agere aliquid esset, cognosci uero pati, quo cognoscit pateretur. Et idcirco essentiã hac ratione pati ex ipsa cognitione cõtingeret dum cognoscit: & quatenus cognoscitur, eatenus pati: & quatenus patitur, eatenus & moueri. Quod circa rem stabilem fieri non

Omnia moueri. Ab eo quod uere est, non potest abesse uita & anima & motꝰ

posse dicimus. THE. Recte. HOS. Quid uero? dic per Iouem, reuera motũ, uitam, animã, sapientiam, nunquid ab eo quod omnino ac uere est, abesse prorsus existimandũ: neq; uiuere ipsum, neq; sapere, neq; uenerandam sanctamq; mẽtem habere, sed immobile consistere? THE. Absurdum nimis id hospes si concedatur. HOS. Nunquid mentem quidem habere, uitam uero minime? THE. Qui istuc? HOS. An hæc utraq; inesse illi dicemus, non tamen ab eo in anima cõtineri. THE. At quonam modo alio cõtineret? HOS. Vtrũ

mentem

mentẽ,uitam,animam habere dicendũ: immobile tamen cum omnino sit animatũ consi stere? THE. Hæc omnia mihi ratione carere uidentur. HOS. Motum igitur & motionẽ tanquam existentia adesse fatendum. THE. Quid obstat? HOS. Ex hoc ô Theætete sequitur,mentem nulli rerum immobilium, usquam, nullo modo, adesse. THE. Sequitur planè. HOS. Veruntamen si ferri agitariq; cũcta consentiemus, hoc sermone ipsum idem ex genere rerum existentium auferemus. THE. Qua ratione? HOS. Videtur tibi absque statu esse unquam posse quod dicitur, secundum eadem,eodem modo, & circa idem? THE. Nequaquam. HOS. Cernis usquam sine his mentem, uel fuisse,uel esse? THE. Minime. HOS. Aduersus eum omni rationum conatu pugnandum, qui scientia, prudentia menteq; sublatis,quicquam aliud asseueret. THE. Et uehementer quidem. HOS. Necesse est eum qui philosophatur, atque ista in primis honorat, propterea neq; sermonem illorum admittere quicunq; unam speciem rerum uel plures inducentes, totum stare solum ferunt, neq; illos audire, qui ens moueri duntaxat affirmant: uerum secundum puerorum opinionem comprehensis omnibus quotcunq; uel stant,uel mouentur, ambo simul ens & omne uocare. THE Vera loqueris. HOS. An non ut decet ens sermone iam comprehendisse uidemur? THE. Prorsus. HOS. Papæ ô Theætete, quanta nunc in ambiguitate uersamur? nihil enim aliud nunc præter difficultatem cõsiderandi nosse mihi uidemur. THE. Quorsum hæc. HOS. Vidésne ô beate quod dum illud penitus ignoramus,dicere tamẽ de illo nos aliquid arbitramur? THE. Et ego arbitror,sed ubi fefellerim? nos, haud planè intelligo. HOS. Animaduerte obsecro diligẽtius, num in præsentia nos his concesis merito quis perinde interrogare posset, ut & ipsi suprà interrogauimus eos qui omne calidum & frigidum esse uolebant. THE. Quemadmodum? memora mihi si placet. HOS. Conabor equidem eodem modo abs te nunc quærere, quo ab illis, ut aliquid proficiamus. THE. Optime. HOS. Motum & statum nónne inuicem contraria maxime nuncupas? THE. Cur non? HOS. Enimuero esse illa similiter ais, & ambo pariter, & utrunque? THE. Aio equidem. HOS. Quando esse utrunq; & ambo concedis, tunc moueri prædicas? THE. Nullo pacto. HOS. An stare fortè significas, cum esse utrunque dicis & ambo? THE. Neq; hoc. HOS. Ergo tertium quiddam ipsum ens cogitas: & tanquam sub illo motus & status contineantur,comprehendis utraq;, atq; eorum in essentia communionem respiciens sic esse ambo denominas. THE. Videmur reuera tertiũ quiddam ipsum ens uaticinari,quando motum & statum esse dicimus. HOS. Hac de causa ipsum ens ambo ista motus & status nõ est,sed præter hæc aliud. THE. Apparet. HOS. Ens itaq; suapte natura neq; stat penitus,neq; mouetur. THE. Sic fermè dicendum. HOS. Quonam cogitatio conuertenda ut animus de ente ratum aliquid & manifestum habeat. THE. Ignoro. HOS. Haud facile usquam arbitror. Siquid enim non mouetur,cur non stat saltem? uel quod non stat,cur non moueat? Ens uero nobis extra hæc utraq; esse apparuit,fieri ne id potest? THE. Minime omnium. HOS. Hoc utiq; recordari in præsentia debemus. THE. Quale id? HOS. Quod de non entis nomine interrogati cuinam cõueniret declarare nequiuimus. Recordaris ne? THE. Quid ni recorder? HOS. Nunquid circa ens modo facundiores sumus? THE. Mihi quidẽ hospes si modo dici potest, magis deficere nũc uidemur. HOS. Hoc ergo hic ponatur ambiguũ, postquam uero tam ens quàm non ens ex æquo nobis obscurũ est uisum,spes restat deinceps, si alterum clarius uel obscurius uidebitur,& alterũ similiter uisum iri: & si alterum ignotum penitus,alterũ quoq; similiter fore. Sermonem igitur quantum possumus decentissime circa utrunque pariter persequamur. THE. Scite. HOS. Dicamus planè quo pacto multis nominibus idem hoc appellamus. THE. Exemplum ad hoc inducas. HOS. Hominem unum uocantes, cognomentis multis denominamus,dum colores illi,figuras,magnitudines attribuimus,uirtutesq; & uitia, in quibus omnib. alijsq; permultis non hominẽ tantũ esse ipsum dicimus, sed & bonũ & alia multa,atq; in alijs similiter agimus. Quodlibet em̃ unũ ponentes multa deinde multisq; nominibus appellamus. THE. Vera narras. HOS. Vnde iuuenibus ut arbitror et tardo ingenio senibus aduersandi occasionẽ dedimus. Nã cõtinuo quisq; obijcere potest,quod impossibile sit multa unum,& unum multa esse. Quapropter exultant dum hominẽ bonum dici non sinunt,sed bonũ quidẽ: bonũ hominẽ uero,hominẽ uocari uolũt. Incidisti sępenumero ut arbitror Theætete in homines, qui argutijs eiuscemodi studeant

Secũda definitio entis

Tertia definitio entis

ſtudent,plerunq; etiam ſeniores,qui propter inopiam ſapientiæ hæc admirantur,& tanquam magnificum quiddam inuenerint, ſe temere iactant. THE. Et maxime quidem. HOS. Vt igitur cunctos quicunq; de eſſentia unquam aliquid locuti ſunt,ſermo comprehendat,quę deinceps interrogando ſubijciemus,tam aduerſus hos,quàm aduerſus alios quos ſupra retulimus,dicta intelligantur. THE. Quænam iſta? HOS. Vtrum neq; eſſentiam cum motu ſtatu' ue iungemus, neq; aliud quicquam cũ alio quoquam, ſed quaſi inuicem res communicare nequeant noſtris ſermonibus eas penitus ſecernemus? An in idem omnia cogemus, tanquam miſceri ſingula poſſint? An partim licebit quidem,partim minime? Quid ex his potiſſimũ Theætete electuros illos putamꝰ? THE. Neſcio quid pro illis reſpondeam. Cur nõ ſigillatim reſpondendo,quid ex uno quoq; ſequitur exquiſiuiſti? HOS. Recte admones. Ponamus ergo ſi uis, dicere illos nihil cuiquam ullo pacto poſſe quicquam communicare. Nónne motus igitur & ſtatus nullo modo eſſentia participabunt? THE. Nullo modo certe. HOS. Num erit illorum aliquod cum neutrum ſit, eſſentiæ particeps? THE. Non erit. HOS. Statim hac ¡conſenſione omnia, ut uidetur, peruerſa ſunt, tum illorum dogmata qui moueri omnia, tum illorum qui ſtare ut unum uolunt:ac etiam illorum qui ſecundum ſpecies ea quæ ſunt: eodem modo & ſecundũ eadem eſſe ſemper exiſtimant.omnes enim eſſe adiungũt,partim uere moueri,partim uere ſtare dicentes. THE. Sic eſt omnino. HOS. Quinetiam quicunq; interdum componunt omnia, interdum diuidunt, ſiue in unum & ex uno in infinita,ſiue in terminata elementa diuidant,& ex his componunt,ſimiliter quidem ſi interdum id fieri ponant,ſimiliter ſi ſemper: in his inquam omnibus nihil ueri dicunt, quandoquidem rerum eſt nulla commixtio. THE. Recte. HOS. Præterea & ipſi quamabſurdiſſime ſermonẽ tranſigeremus, ſi nihil permitteremus alterius paſſionis communione, alterum appellari. THE. Quomodo? HOS. Ipſo eſſe circa ſingula quodammodo uti cogũtur,& ipſo ſeorſum,& altero, & ſecundum ſeipſum, & innumeris alijs: quibus cum abſtinere nequeant quin ſermonibus ſuis interſerant,nullis aliorum redargutionibus indigent,ſed,ut fertur, domi hoſtẽ & aduerſarium habent intrinſecus reclamantem,inſtar Euryclis abſurdi,eumq; ſecum circumferunt. THE. Verum eſt quod dicis ac ſimile. HOS. Quid uero, ſi omnia uim mutuę communionis habere dicamus? hoc profecto & ipſe refellere poſſum. THE. Qua ratione? HOS. Quoniam & motus ipſe omnino quieſceret, & ſtatus agitaretur, ſi inuicem commiſcerentur. Hoc autem ſumma quadam neceſsitate impoſsibile eſt, motum ſtare, ſtatum' ue moueri. THE. Cur non? HOS. Tertium itaque ſolum reſtat. THE. Sanè. HOS. Etenim unum aliquod iſtorum neceſſarium eſt, uel omnia, uel nulla, uel alia commiſceri, alia minime. THE. Neceſſarium prorſus. HOS. Duo quidem reperiri non poſſunt. THE. Non certe. HOS. Sequitur ut quicunq; recte reſpondere uult, reliquum è tribus ponere debeat. THE. Maxime. HOS. Quandoquidem alia coire uolunt, alia minime,fermè idem rebus alijs quod de ¡literis euenit. Nam quædam ex literis inuicẽ copulantur,quædam minime. THE. Patet. HOS. Vocalium quippe literarũ ſeries per alias omnes tanquã uinculum quoddã protenditur, ſine quo nullæ inuicẽ literæ uinciri poſſunt. THE. Et maxime quidem. HOS. An intelligit unuſquiſq; quæ literæ quibus congruant? uel arte opus eſt ut recte id fiat? THE. Arte. HOS. Qua? THE. Grammatica. HOS. Nónne idem circa grauium & acutorũ ſonos? Qui enim uoces inuicem conſonas,diſſonásue arte dignoſcit, muſicus: qui uero ignorat,muſicæ expers. THE. Ita eſt. HOS. Et in alijs artibus,artiumq; defectibus eiuſcemodi alia reperiemus. THE. Manifeſtũ id quidẽ. HOS. Cum uero & genera rerũ eodem pacto mutuam cõmunionem habere dixerimus, nõne ſcientia quadam ſermones peragere debet,quiſquis recte qualia genera qualibus cõgruant,aut diſſonent ſit oſtenſurus, quinetiam per omnia cogniturus ſi iſta cõueniant adeo ut cõmiſceri poſſint,& in diuiſionib.rurſus,ſi per omnia altera diuiſionis eſt cauſa? THE. Scientia prorſus opus eſt, ac fermè omniũ maxima. HOS. Quam igitur hanc appellabimus Theætete? Nunquid inſcij in liberaliũ hominũ ſcientiã incidimus? Cumq; quæremus ſophiſtam,prius inueniſſe uidemur philoſophũ, THE. Qui iſtuc? HOS. Per genera diuidere,& neq; eandem ſpeciem alteram putare, neq; alteram rurſus eandẽ eſſe, nónne dialecticæ officiũ eſſe dicemus? THE. Dicemus profecto. HOS. Quicunq; hoc agere poteſt,unã ideam per multa, unoquoq; ſeorſum poſito, paſſim porrectã acute perſentit,

Euryclis prouerbiũ

&

& multas quæ diuersæ inter se sunt extrinsecus sub una comprehensas, & unã rursus per tota illa quæ multa sunt, in uno copulatam, & multas seorsum undiq; distinctas. Hoc autem est scire, per genus discernere quà singula cõmunicare uicissim possunt, & quà non possunt. THE. Omnino. HOS. At uero dialecticum opus haud alteri dabis, ut arbitror, quàm pure legitimeq; philosophanti. THE. Quo pacto alteri dari posset? HOS. Philosophum quidem tali quodam in loco & nunc & in posterum, si quæremus, inueniemus, quanquam & hic non facile conspici potest. Sed alia ratione sophista, alia philosophus intuitum refugit oculorum. THE. Quæ? HOS. Sophistam pono, quia in non entis tenebras aufugit, & diuturna consuetudine tenebris illis offunditur, idcirco summa difficultate discernitur. THE. Sic est. HOS. Philosophus autem entis ipsius ideæ ratiocinatione semper inhærens, ob regionis illius splendorem haud facile cernitur. Nam uulgarium animarum oculi diuinitatis radios sustinere non possunt. THE. Consentaneum est ista sic non minus q; illa sese habere. HOS. De hoc aliàs clarius, si pro uoluntate licebit, tractabimus. Sophista uero non prius est dimittẽdus q; sufficienter à nobis sit cognitus. THE. Egregie. HOS. Postq; ergo inter nos conuenit ex generibus quædam uicissim congredi, quædam penitus dissidere, & alia quidẽ cũ paucis, alia cũ multis, nonnulla quoq; per omnia omnibus cohærere, sequamur deinceps rationem sermonis huius in hunc modũ considerantes. Non de omnibus speciebus inquam, ne multitudine confundamur, uerum quasdam ex maximis eligentes, primũ quidẽ quales quæq; sint, deinde quam iam mutuã cõmunionẽ habeant, ut ens atq; non ens si non possumus perspicua penitus notione cõprehendere, saltem congrua de his disputandi ratione nõ careamus, quoad inuestigationis huius cõditio patitur. Quod si non ens uelut imaginãdo esse reuera nõ ens dicemus, insontes forsitan euademus. THE. Decet sanè. HOS. Maxima uero omnium genera quæ modo referebamus, ens ipsum & status, & motus. THE. Valde. HOS. Duo hæc inuicem misceri nõ posse, est dictum. THE. Certe. HOS. Ens uero utriq; misceri: ambo enim quodammodo sunt. THE. Nil obstat. HOS. Sequitur ut tria sint hæc. THE. Sequit̃. HOS. An non horũ quodlibet à duobus reliquis alterũ est, sibi idem? THE. Est. HOS. Quid ita nũc idem & alterũ diximus? Nunquid ut duo quædam genera alia q; tria superiora, illis autẽ necessario semper adnexa: atq; ita de quinq; generibus cogitandum? An idem hoc & alterum illorũ quiddam enunciauimus, quod tamẽ nos latuit? THE. Forsitan. HOS. At uero motus status q; neq; alterũ est, neq; idem. THE. Quã ob causam? HOS. Quod communiter motum statum' ue uocamus, hoc neutrũ illorum esse potest. THE. Cur? HOS Quia & motus staret, & status itidem moueretur. Circa enim ambo alterũ utrumuis illorũ effectum, cogeret alterũ in naturæ suæ transire contrarium, utpote contrarij particeps. THE. Prorsus. HOS. Ambo tamen eodem alteróue participant. THE. Nempe. HOS. Ne ergo dicamus aut motum esse idem uel alterũ, aut statũ similiter. THE. Non certe. HOS. Sed nunquid ens & idem unum esse inuicẽ cogitandũ? THE. Fortè. HOS. At si ens & idem nihilo inter se differunt, quotiens motum & statũ ambo esse dicemus, ambo similiter ista idem denominabimus. hoc autẽ impossibile. Non potest igitur idem & ens, unum esse. THE. Sic fermè dicendum. HOS. Quartam ergo speciem præter tres superiores, ipsum idem ponamus. THE. Ponamus. HOS. Nunquid ipsum alterũ quinto loco ponendum? uel hoc & ens nomina duo unũ quiddam significare putandũ? THE. Fortè. HOS. Arbitror tamen concessurum te, quod eorũ quæ sunt, quædam ipsa secundũ seipsa sunt, quædam ad alia referuntur. THE. Quid ni? HOS. Alterum autem semper ad alterum. nónne? THE. Semper. HOS. Non tamen ita, nisi alterum & ens inter se longe differrent. Sed si alterum speciebus utriq; particiaret ut ens, esset utiq; aliquid eorum quæ altera sunt, alterum utiq; non ad alterum: nunc autem quicquid reuera alterum est, ex necessitate sequitur ut secundum id quod est, alterum sit. THE. Sic est ut dicis. HOS. Quintam ergo alterius ipsius naturam in speciebus, quibus adiunximus, ponere decet. THE. Profecto. HOS. Dicendum quoq; per omnia hæc illam discurrere. esse enim ex alijs unumquodq; alterum non per suijpsius naturam, sed quia alterius ideæ sit particeps. THE. Reuera. HOS. Sic autem de quinq; sigillatim repetendo dicamus. THE. Qui? HOS. Principio quod motus omnino alterum quiddam est quàm status. Ita ne, an aliter asserendum? THE. Ita prorsus. HOS. Non ergo status est. THE. Nullo pacto. HOS. Est autem, ex eo

Quõ lateãt philosoph. & sophista

Oculi uulgariũ animarũ radios diuinitatis sustinere non possunt

Quod ens & idem non sint unum

eo quod entis est particeps. THE. Est. HOS. Rursus motus alterũ est quàm ipsum idem. THE. Fermè. HOS. Non ergo ipsum idem est. THE. Non certe. HOS. Attamen idem quodammodo est propter participationem. Omnia enim ipso eodem participant. THE. Summopere. HOS. Concedendum igitur sine controuersia motum & idem esse pariter & nõ idem, neq; enim simili ratione utrunq; pronunciamus: sed idẽ, quia ipsius eiusdem particeps, sibimet idem est. Non idem uero, quia ipsum quoq; alterũ recipit, quo ab ipso eodem seiungitur, neq; illud est, sed aliud quiddam. Quamobrẽ recte non idem dicitur. THE. Recte nimirũ. HOS. Quinetiam si quo modo statum ipse motus admitteret, motum stabilem nominare nequaquam esset absurdum. THE. Recte, si quidem concesserimus è generibus quædam inuicem communicare uelle, quædam minime. HOS. At uero ad huius prius demonstrationem, & præsentium refellendo peruenimus, quod uidelicet sic natura se res habeat. THE. Cur non? HOS. Dicamus iterum motum alterum esse & ipsum alterum, quemadmodum aliud quàm idem & status erat. THE. Necesse est. HOS. Est ergo & alterum hac ratione quodammodo & nõ alterum. THE. Verum. HOS. Quid uero deinceps? Num alterum ipsum quàm tria dicemus, non tamen à quarto diuersum, cum quinq; illa esse confessi fuerimus, è quibus unum cõsiderandũ proposuimus? THE. At quomodo? Neq; enim minorem illorum numerum quàm supra constiterit, inducere possumus. HOS. Ergo nihil ueriti asseueremus motum aliud esse & ens. THE. Asseueremus protinus. HOS. Quare motus reuera non ens existit, & ens, quandoquidem entis est particeps. THE. Manifestum id quidem. HOS. Sequitur itaq; non ens in motu & in alijs generibus omnibus esse. Nam in singulis alterius ipsius natura, dum alterum unũ quodq; quàm ipsum ens efficit, non ens efficit singula: atq; ideo cuncta similiter non entia hac de causa prædicabimus, & quia ente participant, esse iterum dicemus, entiaq; uocabimus. THE. Apparet. HOS. Ergo circa speciem quamlibet ens quidem multiplex est, non ens autem multitudine infinitum. THE. Videtur. HOS. An non ipsum quoq; ens aliud quàm unumquodq; aliorum est dicendum? THE. Necesse est. HOS. Ens itaque quot numero alia sunt, totidem non est ipsum: nam cum illa ipsum non sit, unum quidem ipsum est: alia uero quæ infinita sunt numero, non est. THE. Ita penè dicendum. HOS. Haud sanè turbare nos hæc debent. siquidem natura generum mutuam communionem habet. Si quis autem minus hæc accipit, sciendum positis superioribus, concedi hæc insuper oportere. THE. Æque dicis. HOS. Videamus & hoc. THE. Quidnam. HOS. Quotiens non ens dicimus, ut uidemur, nequaquam entis contrarium dicimus, sed alterum quiddam solum. THE. Quo modo. HOS. Ceu cum non magnum dicimus, non magis paruum quàm æquale eo uocabulo significamus. THE. Sic est. HOS. Non ergo contrarium, quando negatio dicitur, significari fatebimur: tantum uero duntaxat asseuerabimus, quod non, & neq;, aliquid ex aliorum numero significant quando nomina antecedunt: immo quotiens antecedunt res ipsas, circa quas nomina negationes sequentia pronunciant. THE. Sic est omnino. HOS. Hoc præterea si tibi uidei meditemur. THE. Quid istuc? HOS. Ipsius alterius natura eodem modo quo & scientia, cõcisa uidetur. THE. Dic age quo pacto? HOS. Vna quidem est & illa, pars autem illius in aliquo residens, sigillatim q; determinata, cognomentum proprium est sortita: quo circa multæ artes scientiæq; esse dicuntur. THE. Prorsus. HOS. Nónne & partes naturæ ipsius alterius, quæ una est, idem quod & partes scientiæ patiuntur? THE. Forsitan. Verum qua ratione, declara. HOS. Est pulchro pars aliqua ipsius alterius opposita? THE. Est. HOS. Hanc ne omni cognomento carere dicemus? an potius cognominari? THE. Cognominari. HOS. Quod enim non pulchrum ubiq; pronunciamus, hoc non ab alio quoquam alterum est, quàm à pulchri natura. Age itaq; ad hoc responde. THE. Ad quid respondeam? HOS. Cum aliquid in parte quadam entium determinatum sit, rursusq; alicui entium opponatur, contingatq; ita non pulchrũ dici, sequitur non pulchrum esse aliquid, quando quidẽ est illud cui opponitur. THE. Recte admodũ. HOS. Nũquid ex hoc sermone pulchrum magis in numero entium, non pulchrum minus ponendum? THE. Nihilo magis. HOS. Similiter ergo tam non magnum quàm magnum esse dicẽdum. THE. Similiter. HOS. Quinetiam non iustum ex æquo ac iustum esse asseuerandum. THE. Absque dubio. HOS. Eademq; erit de cęteris ratio, postquã alterius ipsius natura è genere entium esse apparuit. Ea uero existente

Non ens in quibus sit

Quãdo negatio cõtrarium non significat

Meditatio ipsius alterius

Probatur quòd non ens sit

exiſtente,neceſſe eſt & partes eius nihilominus exiſtere. THE. Quid prohibet. HOS. Oppoſitio ipſa quæ eſt inter partem naturæ ipſius alterius,partem' ue entis,nihilominus ſi dictu fas eſt,quàm ens ipſum eſſentia eſt:neq; contrarium illius, ſed alterum quiddam duntaxat ſignificat. THE. Perſpicue. HOS. Quam igitur ipſam appellabimus? THE. Conſtat utiq; quod non ens id quod à nobis ſophiſtę gratia quæſitũ hoc ipſum eſt. HOS. An ut dicebas nihilo minus quàm cæterorum quicquam eſſentiam habet? oportetq; audacter iam dicere quod non ens firmiter naturam ſuam habet, quemadmodum magnũ erat magnum,pulchrumq; erat pulchrum,ac etiam non magnum & non pulchrum? Eodem' que pacto non ens ſecundum idem erat & eſt non ens ſpecies una multis aliis entibus adnumerata. Nunquid ulterius circa hoc Theætete ambigimus? THE. Nequaquam. HOS. Aduertis' ne quàm longe à Parmenidis mente diuertimus? THE. Cur nam? HOS. Illius limites tranſgreſsi ſumus,dum ulterius quàm ſtatuerit conſiderauimus & oſtendimus. THE. Quo pacto? HOS. Quoniam inquit ille,Nunquam,& nullo modo ſunt non entia. Sed tu quærens ab hoc progreſſu cohibe mentem. Hæc ille. Nos autem non ſolum non entia eſſe oſtendimus,ſed quæ ſit nõ entis ſpecies demonſtrauimus. Cũ enim oſtenderemus alterius ipſius naturam eſſe,perq; omnia entia diuiſam atq; diſperſam inuicem,tunc partem eius oppoſitam ei quod cuiuſque ens eſt,eſſe ipſum re uera non ens aſſeruimus. THE. Vera prorſus ô Hoſpes dixiſſe mihi uidemur. HOS. Nemo itaque dicat, quod poſtquam non ens entis contrarium oſtẽdimus,eſſe ipſum dicere audeamus. Nos enim iam diu uale ei diximus qui roget,quod contrarium eſt alicuius reuera ſit nec' ne,et ratione quadam ſubſiſtat nec' ne aut ratione careat. Quod autem nunc diximus eſſe non ens,uel reprobare debet qui minus credit,uel ſi reprobare non ualet,eouſq; credere,quo uſq; cõtradicere nequit:quod uidelicet genera inuicem ſint commixta,ensq; & alterum per ſe inuicem perq; alia omnia penetrando,ſeſe mutuo capiant,dum alterum ente participat. Eſt enim ob participationem huiuſmodi,non tamẽ eſt illud ipſum quo participat, ſed aliud quiddam. Cum uero aliud ſit quàm ipſum ens, neceſſario ſequitur ut non ens eſſe dicatur. Ens quoq; ex eo quod eſt ipſius alterius particeps,alterum quiddam ab aliis generibus eſt dicendum. Cumq; alterum ſit quàm reliqua cuncta, nec unum aliquid ex illis,neq; cuncta exiſtit,ſed ipſum quod eſt duntaxat. quapropter ens abſq; dubio in plurimis plurima non eſt. Et alia quoq; ſimiliter tam uniuerſa quàm ſingula multifariam qui dem ſunt,& multifariam non ſunt. THE. Vera narras. HOS. Siquis contrarijs hiſce conuerſionibus fidem non præſtat,cogitare debet ut meliora quàm hæc inducat. aut ſi quis quaſi arduum quiddam inuenerit,gaudet nunc huc,nunc illuc ſermones trahens:is ſciat haud ſane multo ſtudio digna ſe excogitauiſſe, quemadmodum ſermones hi teſtantur. Hoc enim neque egregium aliquid neq; inuentu difficile eſt,ſed illud arduum atque præclarum. THE. Quidnam? HOS. Quod & ſupra dictum eſt, ut his tanquam leuibus omiſſis,ea quæ eadem planè ſunt redarguere unaquaq; in re poſsis:ſiue quod alterũ eſt,idem, ſiue quod idem,alterum,atq; id eadem utrunq; ratione,eſſe conuincẽs. Nam quod idem eſt,alterum,aut quod alterum,idem etiam quoquomodo eſſe,& quod magnum eſt, paruum,& quod ſimile, diſsimile etiam ſit,oſtendere:& cõtraria hoc pacto cõnectere haud uera redargutio eſt,ſed uix leuiter rem attingens, rudisq; & nuper nata. THE. Omnino quidem. HOS. Nam omne ab omni ſecernere ô adoleſcens optime & inconcinnum eſt, & hominis muſicæ philoſophiæq; prorſus expertis. THE. Quamobrem? HOS. Omnis penitus oratio deletur ſi unumquodq; ab omnibus ſegregatur. Nam propter mutuam ſpecierum copulam oratio conſtitit. THE. Sic eſt. HOS. Aduerte obſecro quam opportune nunc aduerſus iſtos pugnantes coegimus eos ut alterum alteri commiſceri permitterent. THE. Ad quid maxime? HOS. Ad hoc ut oratio unum aliquid è generibus ſit. hoc enim ſi priuaremur, philoſophia ut plurimum caueremus. Oportet præterea in præſentia communi conſenſu quid oratio ſit, definire. quod ſi penitus è medio tolleretur, nulla de re loqui poſſemus. Tolleretur autem ſi conceſſum eſſet nullam eſſe rerum commixtionem. THE. Recte id quidem. Verum qua de cauſa nunc oratio definienda ſit,non intelligo. HOS. At forte hoc modo percipies. THE. Quo? HOS. Non ens conſtitit unum quoddam reliquorum generum exiſtens,per omnia quæ ſunt,diffuſum. THE. Conſtitit. HOS. Conſiderandum ergo deinceps utrum opinioni atq; orationi immiſceatur.

Quod non ens firmiter habet naturam ſuam

Carmina Parmenidis

Qui poſitioni non credit,reprobare debet:qui reprobare nõ ualet,credere debet

THE. Cur? HOS. Quoniam si nullo modo his immiscetur, uera esse omnia necesse est. Si autem miscetur, falsa opinio, oratioq; falsa exoriuntur. Dicere enim & opinari non entia, hoc ipsum falsum est, orationi & cogitationi contingens. THE. Sic est. HOS. Cum uero sit falsitas, deceptio sequitur. THE. Statim. HOS. Orta deceptione, necesse est simulacris & imaginibus phantasiaq; cuncta repleri. THE. Nihil repugnat. HOS. Sophistam uero dicebamus hunc in locum confugisse, dum falsum nullo modo esse diceret, quia non ens nemo cogitet uel pronunciet, cum non ens nulla ex parte sit essentiæ particeps. THE. Sic est dictum. HOS. Nunc autem hoc entis particeps nobis apparuit: quapropter haud ultra hac quidem parte pugnabit. Fortè uero dicet, quasdam è speciebus cum non ente participare, quasdam minime, orationem & opinionem ex illorum numero esse quæ nõ participent: & idcirco facultatem illam phantasticam simulacrorum magistram, in qua illum locauimus, nusquam esse contendet, postquam opinio oratioq; cum non ente nullo modo participant: falsumq; nihil esse dicet, cum nulla cõmunio talis reperiatur. Quam obrem quid oratio sit opinioq; & phantasia, primo inuestigandum, ut his declaratis, eorum cum non ente communionem cõspiciamus: qua inspecta, falsum esse aliquid ostendamus: cumq; hoc ostẽderimus, in eo Sophistam si quidem reus est, uinciamus, aut etiam illum absoluentes, alio quodam in genere deinde quæramus. THE. Verum omnino uidetur hospes, quod ab initio de Sophista prędiximus, quod uidelicet prehẽsu difficile genus hoc prorsus sit. Multis enim obijcibus circumseptus uidetur, neq; ad eum peruenire quis potest nisi prius obstaculum quod obiecit ille, submouerit. Et nunc quidem uix tandem obiectionem illam euasimus, qua non ens nullo modo esse intulerat. Continuo siquidem aliud est obiectum. Vnde oportet & orationem & opinionem falsas esse posse ostendere, ac forsitan post hoc aliud, aliudq; post illud, nullusq; terminus inueniet. HOS. Forte animo persequi Theętete debet, quisquis progredi uel aliquãdo in eo quod cœpit potest. Quomodo enim qui in istis hæsitet, in alijs audeat unquam. Nam qui in illis aut nihil efficit, aut retro repellitur, nunquam, ut prouerbio fertur, expugnabit urbem. Nunc uero postquam quod dicebas transactum nobis est, & ingens propugnaculum captum, reliqua posthac minora, leuioraq; supersunt. THE. Præclare loqueris. HOS. Orationem itaq; primo opinionem ue capiamus, ut clarius ostendamus, utrum nõ ens hæc attingat, an uero omnino sint ambo, falsumq; neutrum. THE. Optime. HOS. Age quemadmodum circa species & literas diximus, similiter circa nomina rursus excogitemus. Videtur enim quod nunc quæritur ita sese habere. THE. Quid potissimum de nominibus uis intelligi? HOS. Vtrum omnia inuicem congruant, aut nullum, aut quædam consonent, alia dissonent. THE. Patet quod quædam congruunt, quædam minime. HOS. Forte tale quiddam ais, quod quæ consequenter dicta aliquid exprimunt, inuicem congruunt: quę uero continuata nihil significant, non conueniunt. THE. Quomodo? quid ue dicebas? HOS. Quod intelligere te & fateri putaui. Duo nanq; sunt genera declarationũ earum, quæ circa essentiam uoce fiunt. THE. Quo pacto? HOS. Vnum quidem nominũ genus, uerborum alterum. THE. Dic utrunq;. HOS. Declarationem qua actiones significantur, uerbum dicimus. THE. Sane. HOS. Signum autem uocis agentibus ipsis impositum, nomen. THE. Prorsus. HOS. Ex solis nominibus ordine prolatis oratio nunquam efficitur, neq; rursus ex uerbis absq; nominibus pronunciatis. THE. Hæc non didici. HOS. Constat utiq; quod aliò intendens animũ paulo ante assentiebare. nam hoc ipsum est quod dicere uolebam, quod ista si solum ita continuata pronũciantur, orationẽ non faciũt. THE. Quomodo? HOS. Vt uadit, currit, dormit, & alia uerba quæcũq; actiones significãt: quæ siquis subiungat omnia, nihilo magis orationẽ facit. THE. Sic est. HOS. Rursusq; cum dicitur, leo, ceruus, equus, cæteraq; nomina quæ ipsos agentes significant, nõdum hac continuatione oratio ulla conficitur. Nam quæ proferũtur, haud ante actionem, uel actionis impedimentũ, aut essentiã, siue existentis rei, seu non existentis ostendunt, cũq; uerba nominibus misceant. Tunc uero primũ conueniunt, statimq; fit oratio, & prima horum complexio, prima oratio est, etiam si sit breuissima. THE. Qui istuc inquis? HOS. Quãdo quis dicit, homo discit, orationẽ hanc esse ais primã atq; breuissimam? THE. Equidem. HOS. Tunc sane declarat aliquid de his quæ sunt uel fiunt, aut fuerũt iam, aut erũt. Neq; nominat tantũ, sed & definit aliquid, uerba nominibus copulans. Ideoq; non modo nominare, uerum

A nõ ente falsitas, à falsitate deceptio &c.

Vis phantastica simulacrorum magistra

Prouerbiũ

Quæ uoces sint congruentes, quæ non

Verbum Nomen

Prima oratio ac breuissima, homo discit

uerumetiam loqui ipſum dicimus,taliq; contextui nominũ,orationis nomen indidimus. THE. Recte. HOS. Enimuero quemadmodum res aliquæ conſonant inuicem ut ſupra diximus,aliquæ diſſonant,ita & ſigna uocum quædam nequaquam cõueniunt,quædam congruentia orationem conficiunt. THE. Prorſus. HOS. Accipe & hoc breue. THE. Quale iſtud? HOS. Orationem neceſſe eſt quotiens ſit, alicuius eſſe orationem: nullius enim eſſe orationem impoſsibile eſt. THE. Ita uidetur. HOS. Nunc & qualem quandam eſſe ipſam oportet? THE. Oportet ſanè. HOS. Animaduertamus obſecro diligẽter. THE. Decet. HOS. Afferam orationem tibi,rem cum actione per nomen uerbumq; coniungens:cuius autem oratio ſit,tu dicas. THE. Efficiam ut potero. HOS. Theætetus ſedet,num oratio iſta prolixa? THE. Non,ſed mediocris. HOS. Tuum eſt nunc dicere de quo & cuius oratio eſt. THE. De me uidelicet,atq; mea. HOS. Hæc etiam? THE. Quænam? HOS. Theætetus hic quicum ego nunc diſputo,uolat. THE. Nemo de hac quoque aliter diceret,niſi quod de me meaq; eſt. HOS. Diximus qualem quãdam eſſe orationem quamlibet oportere. THE. Diximus. HOS. Vnam ueram,alteram falſam. Vera oratio ea quæ ſunt ut ſunt,de te prædicat. THE. Certe. HOS. Falſa autem, alia quàm quæ ſunt. THE. Profecto. HOS. Quæ non ſunt ergo, quaſi ſint aſſerit. THE. Sic fermè. HOS. Et quæ reuera ſunt,alia de te dicit. Multa ſiquidem entia circa unumquodq; eſſe prædiximus,multa quoque non entia. THE. Omnino. HOS. Primum quidem neceſſe eſt orationem illam quam ſecundo loco de te protuli, ſecundum orationis definitionem, unam quandam ex breuiſſimis eſſe. THE. Sic enim inter nos conuenit. HOS. Deinde exprime, num alicuius ſit. THE. Alicuius. HOS. Si tua non eſt,alterius multominus. THE. Patet. HOS. Si nullius eſt,neq; oratio prorſus eſt. Nam oſtenſum eſt, fieri non poſſe, ut quæ oratio eſt,nullius oratio ſit. THE. Scite. HOS. Ergo quotiens de te altera ita prædicãtur ac ſi eadem eſſent,& quæ non ſunt perinde ac ſi ſint,huiuſmodi quædam ex uerbis ac nominibus compoſitio proculdubio ſit oratio falſa. THE. Vera admodũ loqueris. HOS. Quid autẽ de cogitatione,opinione,& phantaſia dicimus? nónne iam conſtat quod hæc omnia genera,tum uera,tum falſa in animis noſtris efficiunt? THE. Qua ratione? HOS. Sic intelliges facile,ſi prius quid unumquodq; iſtorũ ſit,quóue inter ſe ſingula differant, acceperis. THE. Exhibe modo. HOS. Nónne cogitatio & oratio idem? niſi quod cogitatio dicit illa ipſa ſine ſtrepitu uocis interior collocutio, qua ſeſe animus noſter alloquitur. THE. Penitus. HOS. Sed per os effluxus prolationis ab illa oratio nuncupatur. THE. Verum. HOS. Quinetiam in oratione hoc animaduertimus. THE. Quid? HOS. Affirmationem inquam & negationem. THE. Nempe. HOS. Quando igitur hoc in anima per cogitationem ſilentio fit,poteſt ne alio quàm opinionis nomine nuncupari? THE. Nequaquam. HOS. Quid uero? cum nõ per ipſam ſed per ſenſum rurſus talis paſſio accidit. poteſt ne aliter quam phantaſia cognominari? THE. Non aliter. HOS. Poſtquam oratio partim uera,partim falſa eſſe apparuit,cogitatio uero interior ipſius animę collocutio,opinio uero cogitationis concluſio,in qua opinionis ſenſusq; commixtio reperitur,neceſſarium eſſe uidetur ut cogitationes opinionesq; partim ueræ,partim falſæ ſint:quippe cũ ſint orationi cognatæ. THE. Nihil repugnat. HOS. Aduertis ne nos facilius quàm putabamus,orationem & cogitationem falſas interdum eſſe inueniſſe? Metuebamus ſanè ne opus irritum & inexplicabile iſta quærentes aggrederemur. THE. Aduerto. HOS. Ergo ne reliqua metuamus:uerum poſtquam patefacta ſunt iſta,ſuperiores illas ſecundũ ſpecies diuiſiones in memoriam reuocemus. THE. Quales? HOS. Imaginariam artem in duas diuiſimus,aſsimilatricem ſcilicet & phantaſticam. THE. Sic egimus. HOS. Vtra uero in arte ſophiſtam collocaremus,ambigebamus. THE. Profecto. HOS. Poſt hanc ambiguitatem repente profundior emerſit caligo, cum ſermo ille cunctis dubius inferretur, quod neq; imago,neq; ſimulacrum,neq; phantaſma omnino uſquam eſt,quia nullo modo,uſquam,unquam falſum extet. THE. Vera narras. HOS. Nunc autem poſtquam apparuit quidem oratio,apparuit & opinio falſa,poſſibile eſt ſimulacra quædam rerum uerarum æmula eſſe,& ab hac diſpoſitione artem decipiendi manare. THE. Poſſibile certe. HOS. Quinetiam quod in his Sophiſta uerſatur, eſt conceſſum. THE. hEſt. OS. Admitamur iterum bifariam genus propoſitum partientes ſemper ad dexteram progredi diuiſi partem,& quæ cum Sophiſta quoquo modo communicant,circumſpicere, ut com-

Quid cogitatio, nã eadem oratio Oratio

Opinio Phantaſia

munibus omnibus amputatis propriã eius sedem atq; effigiem, & nos intueamur, & his qui ad huiusmodi disciplinæ progressum natura accedunt, quàm proxime ostendamus. THE. Probe. HOS. Nónne ab initio artem efficiendi unam, acquirendi alteram partientes induximus? THE. Certe. HOS. Diuisa postmodum acquirendi arte sub ea Sophistam locauimus in uenatione, certamine, mercatura, & huiuscemodi speciebus. THE. Sic prorsus est actum. HOS. Nunc uero postquam efficiendi quoq; ars Sophistam complexa est, constat in primis artem hanc esse bifariam diuidendam. Imitatio quippe, effectio quædam est, simulacrorum scilicet non uerarum rerum, quemadmodum suprà diximus. Nónne? THE. Proculdubio. HOS. Effectricis igitur facultatis duæ primum sint partes. THE. Quæ? HOS. Diuina & humana. THE. Nondum intelligo. HOS. Si modo quæ suprà dicta sunt, recordamur, effectricem facultatem dicimus uim quandam quæ causa est ut sint postea quæ ante non fuerant. THE. Recordamur. HOS. Animalia cuncta mortalia, plantasq;, quæcunque terra ex seminibus radicibus ue nascuntur, & quæcunque inanimata in terra consistunt, siue liquefieri possint, siue non possint, nunquid alio quodam opifice fabricata quàm deo, facta esse, cũ prius nõ fuissent, dicimus? an multorum doctrinam sermonesq; sectabimur? THE. Quorum? HOS. Dicentium, ista natura ipsa gigni à causa quadam fortuita, sine mente hæc agente: uel cum ratione potius scientiaq; diuina, quæ ab ipso deo sit orta. THE. Ego forte propter ætatem, tum hoc tum aliud opinor. In præsentia uero ad te respiciens, putansq; existimare te per deum hæc omnia gigni, idem ipse quoque existimo. HOS. Recte admodum Theætete. Ac si te putaremus in posterum aliter opinaturum, nunc ratione simul cum necessaria quadam persuasione, ut nobis crederes efficeremus. Quoniam uero eius ingenij esse te noui, ut etiam sine nostra demonstratione ultro ad illa sis profecturus, ad quæ nunc trahi te dicis, dimittam. Nam superuacua disputatio talis esset. Ponam uero illa quæ natura gigni dicuntur, arte diuina fieri: quæ autem ex his ab hominibus componuntur, humana: atq; hac ratione duo effectricis facultatis genera, humanũ uidelicet, & diuinum. THE. Præclare. HOS. Cum uero duæ sint artes, utranq; bifariam diuide. THE. Quî? HOS. Quemadmodum ars effectrix uniuersa per latitudinem est diuisa, ita nunc per longitudinem diuidatur, atque ita quatuor illius partes efficiuntur, duæ quo ad nos humanæ, duæ iterum quo ad deos diuinæ. THE. Profecto. HOS. Ex his quidẽ rursus aliter nũc diuisis, utriusq; partitionis para una est effectrix, reliquæ autem imaginariæ nominantur. unde rursus efficiendi facultas in duo diuiditur. THE. Dicas iterum quemadmodum utraq;. HOS. Homines utique & animalia cætera, ea' ue ex quibus ista gignuntur, ignis & aqua, horumq; germana, dei opera esse cognoscimus. THE. Nempe. HOS. Post hæc horum simulacra sequuntur dæmonum quadam machinatione producta. THE. Quali? HOS. Phantasmata enim quæ dormientibus occurrunt, quæq; in die per se absq; arte uidentur, umbra quidem cum tenebræ igni miscentur: duplex autem quando lumen proprium & extraneum circa perspicua leuiaq; in unum concurrens, sensumq; contrarium solitæ uisionis prębẽs, speciem efficit. THE. Duo ergo sunt ista diuinæ effectionis opera, res uidelicet singulæ, singulasq; res sequentia simulacra. HOS. Ars autem humana nónne per architecturam domum fabricat, per picturam uero domus imaginem, ueluti quoddam humanum insomnium uigilantibus factum. THE. Nulli dubium. HOS. In alijs quoq; similiter per duo partiẽdo, gemina opera effectricis nostræ actionis inueniemus. Ipsam quippe rem principali facultate, imaginem uero æmulatrice illa facientes. THE. Plane iam intelligo, ac duas bifariam pono effectricis species facultatis. Primo siquidem in diuinam partior & humanam, deinde & in rerum ipsarum & in imaginum effectricem. HOS. Reminiscamur obsecro duo dixisse nos imaginariæ facultatis genera esse oportere, assimilatorium scilicet & phantasticum, si modo aliquid reuera falsum, & falsum unum aliquid eorum quæ sunt sit futurum. THE. Dictum certe. HOS. Nónne constitit? ideoq; nunc ipsi duas sine controuersia species adnumerabimus? THE. Sane. HOS. Phantasticum itaque rursus in duo secandum. THE. Quomodo? HOS. Vnum per instrumenta factum, alterum illius qui sese instrumentum phantasma efficientis exhibet. THE. Qui istuc ais? HOS. Quotiens aliquis figuram tuam usurpans, corpus suum tuo reddit persimile, seu uocem uoci, imitatio ista phantastice nuncupatur. THE. Vtiq;. HOS. Imitatorium hoc appellantes ita distribua-

mus

mus,& reliquum omne quasi iam quietis cupidi prætermittamus, cõcedamusq; alteri ut in unum colligat,& conueniens ipsi tribuat cognomentum. THE. Distribuatur ut uis, & hoc dimittatur. HOS. Hoc præterea duplum ô Theætete existimandum. Quam uero ob causam animaduerte. THE. Dic. HOS. Eorum qui imitãtur, aliqui cognoscẽtes quod imitantur, hoc agunt, aliqui autem ignorantes. An maiorem aliquam discrepantiam diuisionemq; quàm ignorantiæ cognitionisq; ponemus. THE. Nullam. HOS. Nónne ea quomodo dicebamus cognoscẽtium imitatio erat: figuram quippe tuã imitatur ille qui te cognoscit. THE. Ille ipse. HOS. Quid autem de iustitiæ uirtutisq; uniuersæ figura dicendum? an non multi dum ignorant, nosse autem hanc opinantur, quod illis uidetur id ipsum imitantes, tam uerbis quàm operibus annituntur ut inesse ipsis appareat? THE. Atq; admodum multi. HOS. Nunquid ita illos spes fallit, ut sicut iusti non sunt, ita nec etiam uideantur? an contra? THE. Contra. HOS. Imitatorem hunc diuersum ab illo superiori dicemus, ignorantem à cognoscente? THE. Dicemus planè. HOS. Vnde igitur nomen utriusq; proprium deducetur? an uidelicet difficile est, quia causa quædam uetus diuisionis generum in species, superioribus nostris ignota fuerit, adeo ut nemo partiri contenderit, ideoq; nominum inopes esse necesse est? Et si dictu audacius uideri potest, declarationis tamẽ discretionisq; gratia, imitationem illam opinionis comitẽ, opinabilem imitationem: illam uero quæ scientiæ, historicam quandam scientemq; imitationem uocemus. THE. Esto. HOS. Harum quidem appellationum altera duntaxat utendum. Nam sophistam, & si in genere imitantium, non tamen in genere scientium posuimus. THE. Sic est. HOS. Hunc itaq; opinionosum imitatorem tanquam ferrum examinemus, sit ne solidus simplexq;, an contra geminum, duplexq; in se quiddam habens. THE. Examinemus. HOS. Certe admodum multiplex. Nam sophista alius fatuus & ineptus est, quæ opinatur scire se putans. Alterius uero fama, propter uariam in sermonibus reuolutionẽ, certe suspicionem plurimam metumq; habet, ne forte ignoret illa quæ coram alijs scire se simulat. THE. Omnino ex utrisq; generibus est, ut narrasti. HOS. Nónne igitur unum quidem simplicem, alterum ironicum imitatorem ponemus. THE. Consentaneum est. HOS. Huius iterum genus unum an duo dicimus? THE. Tu uideris. HOS. Cogito equidem, ac duo cogitãti mihi se offerunt. Vnus quidem publice prolixa oratione apud populum ironia utens: alter priuatim minutis quibusdam captiunculis cogẽs eum qui cum ipso disputat, sibimet in sermonibus contradicere. THE. Recte admodũ loqueris. HOS. Quomodo superiorem illum denominabimus? ciuilem ne, an popularem? THE. Popularem. HOS. Alterum uero Sophon, id est sapientem, an Sophisticum? THE. Sapientem quidem uocare illum non licet, quandoquidem ignorantem ipsum posuimus: Quoniam uero sapientem imitatur, cognomentum quoddam illius simile sortietur. Ac demum intelligo, hunc ipsum prorsus & reuera Sophistam appellari decere. HOS. An nõ ut suprà, ita nunc nomen eius colligabimus à fine iterum ad principium omnia complexi? THE. Omnino. HOS. Is demum Sophistam uere definiet, qui generationem eius & stirpem esse istam asseuerabit. Sophista inquam est, qui in sermonibus disputantem cogit contradicere sibiipsi, qui & ironici pars est, ab imitatore opinioso ueniens, phantastici item generis, ab imaginaria facultate profluens, non diuinæ sed humanæ effectionis determinata progenies, ex eorumq; numero qui uerbis, quasi quibusdam præstigijs, mirum in modum decipiunt auditores. THE. Ita prorsus dicendum.

Vndedictus Sophista

Vltima sophistæ definitio

MARSILII FICINI APOLOGVS IN LIBRVM PLATONIS DE REGNO, AD FEDERICVM Vrbini ducem semper inuictum.

IVPITER *optimus maximus, cum optaret tale in terris quandoq; regnũ prospicere, quale in cœlo semper apud se conspicit, iamdiu per ipsam diuini regis ideam, regium quendam diuinumq; animum demisit in terras. Conuocatisq; cœlicolis imperauit, ut omnes futuro huic regi suffragarentur, quem superi quidem & à fide regia* Fideregum, *et ab orbis imperio* Orbinatem Ducem *iam nominarent, homines uero mutatis literis* Federicum Vrbinatem Ducem *essent appellaturi. Assensere omnia Ioui præter Iunonem numina. Sola enim Iuno crassioris aeris ambitiosa regina cœleste terris regnum hactenus inuidet. Verũ*

Pallas Mercuriusq; fauentibus alijs, & teste Veritate, coronam sceptrumq; regium iampridem uiro eidem, cui & Iupiter, libentissime cõtulerunt. Cum uero Academia passim Palladem, Mercuriũq; colat atq; sectetur, ipsa quoq; regnum orbisq; totius monarchiam, qualem diuinus Plato describit, Federico Vrbinati duci, tum ex Iouis sententia, tum ex testimonio Veritatis optime merito felicissime tribuit.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI IN LIBRVM PLATONIS DE REGNO, VEL CIVILEM.

CVM deus atq; natura hominem agendo producant, eum certe producunt, ut agat, agat inquam gratia diuinorũ. Quemadmodum uero alius finis est cuius gratia natura efficit pollicem, alius cuius gratia manum siue pedem, aliusq; rursum ad quem totum efficit hominem: sic alius finis est ad quem hominem dirigit singularem, alius quoq; ad quem familiam, itemq; alius ad quem ciuitatem atq; regnum. Ac deniq; finis ille existimandus est optimus, cuius gratia deus totum genus humanum procreauit. Nemo uero existimet, cum proprij cuiusq; cœtus certus sit finis, nullum esse totius: cumq; humanæ uitæ partibus insit ordo, in uniuerso tamen uitæ genere esse confusionẽ: deniq; cũ partes ob finis unius intentionem inter se habeant unionẽ, totum ipsum esse dispersum. Quamobrem necesse est certũ esse humani generis finem, eumq; in actione quadam circa perfectiora consistere, per quam & superiora pro uiribus imitetur, & diligenter inferiora gubernet: scientia quidem naturalia perscrutetur, prudẽtia uero disponat humana, pietate autem diuina colat atq; ueneretur. Eiusmodi ergo finis uitam exigit geminam, & in actione & in contemplatione similiter constitutam, eo tamen pacto, ut actio contemplationis tanquam diuinioris gratia sit instituta. Cæterum absoluta utriusq; uitæ perfectio, tot tantisq; & tam uarijs adminiculis indiget, ut neq; à paucis quibusdam, neq; etiam à multis hominibus, sed ab uniuerso simul hominum genere duntaxat possit expleri. Fieri uero non potest ut tam diuersæ gentes per media tam diuersa ad unum omnium communemq; finem perducantur, nisi ab uno per unam quandam legem cunctos in unum pariter conducẽte. Quemadmodum neq; fabri ministriq; genere simul atq; ingenio longe inter se discrepantes, materias admodum uarias ad formam unam ædificij conferentes, in unum unquam commode congregabunt & construent opportune, nisi ab una quadam architecti unius lege regantur. Quapropter nõ iniuria Plato cum regem quæreret munidi monarcham, principio architectum produxit in medium, scientiamq; in tria tandem distinxit genera. Quorum primum in cognoscendo, secundum in agendo, tertium in faciundo uersatur. In primo arithmetram geometramq;, in secũdo architectum, in tertio fabrum ministrumq; collocauit, probans architecti facultatem inter speculationem solam solumq; ministerium mediam esse ponendam, magis tamen speculationis quàm ministerij esse participẽ, neq; iudicare solum geometrarum more, uerũ etiam faciẽtibus imperare, opificioq; semper adesse. Qualem fermè uult regem esse debere, qui uidelicet & contemplantium more uera dijudicet, & iura non aliena quidem, sed sua mandet agenda. Proinde Plato exactissima usus diuisione, quæ definitioni scientiæq; admodum necessaria est, Regem Homerico more nominat generis humani pastorem atq; curatorem, Quem totius humani generis unius quasi ouilis unum esse pastorem debere designat, ubi deum inquit quondam humani generis fuisse pastorem, sub quo & regnum illud Saturni aureum extitisse. Gubernatorem quoq; regem humanæ uitæ quasi nauis iudicat appellandum. Significat autem in unum esse imperium omnium conferendum, ut humana gubernatio diuinæ quàm simillima sit. siquidem & deus unus mundi totius est rector. Quod quidem his quoq; breuiter rationibus confirmatur. Principio si tres mundi partes Asiam, Africam, Europam, regibus distributas tribus subegeris, facile admodum continget ut uel unus duobus uel duo uni quandoque inferant bellum, aut saltem de finibus, aut alia quapiam de re disceptare cogantur. Itaque uel inter eos ad unum trium erit litis iudicium deferendum, uel ad quartum quendam præter tres iudicem constitutum. Quacunq; tandem id ratione fiat, necesse erit iudicem, si modo sententiæ sit illius acquiescendum, imperium in eos inter quos iudicatur, habere. alioquin nullius momenti erit iudicium, frustraq; iudicabitur, quod uideri possit regibus, uel magis, uel saltem æque potentibus dissoluendum. Vnum igitur oportet esse regem omnium iudicẽ, omnibus proculdubio uenerãdum. Præterea uirtutum exemplar subiectis oportet esse regem. Maxime uero talis erit, si unus fuerit ante omnes, in quem oculos cuncti conijciant. Qui si orbem totũ possederit, nec regnum ulterius affectabit, nec alijs inuidebit. Quæ duo scilicet cupiditas & inuidia, solent rapinas & bella potissimum procreare. Et cum sua cuiq; charissima sint, maxime diliget omnes tanquam suos, pariterq; omnes diliget nationes, pariterq; curabit. Optabit pacem summopere, cupiet trãquillitatem, bonorumq; omnium copiam, qualis utiq; monarchiæ umbra quædã apparuit imperante Octauiano. Subditi uero & iustissime uiuẽt, cum iniustis nullus usquam pateat fugæ aditus sub monarcha: & quamuis in minima peccandi licentia, tamẽ in summa libertate uiuent, non tyrannis, paucisue potentibus, uel insanientis populi subiecti furoribus, sed à sapiẽte & iusto pioq; rege sic ad commune bonum perducti, tanquam nautæ à prudentia iusti gubernatoris ad portum. Qua quidem in re & qui reguntur obtemperando regi sibijpsi consulent, & rex ipse non tam sibimet quàm cũctis qui suæ

curæ

curæ à deo cõmissi sunt, uiuet. Recta enim gubernatio, quemadmodum in libris De repũb. disputatur, gubernatorem quidem eorum qui gubernãtur gratia, non gubernatos gratia gubernatoris instituit. Comparat præterea regem medico, monens ut medicorũ more & opportune & si opus fuerit importune, & uolentibus, & quandoq; nolentibus imponat leges, remediáq; afferat salutaria. Eiusmodi uero gubernatorem atq; curatorẽ sæpius ciuilem uocat uirum quàm regem, significãs adeo humanũ, ac si fieri possit, mitem esse debere, ut inter ciues uideatur esse conciuis, prudentia, iustitia, cura potius quàm alio quouis excessu superior. Quod siquis longissimo quodam inter uallo prudentia & iustitia manifeste cunctos exuperet, hunc etiam si priuatus uixerit, esse regem omniũ à deo creatum absq; controuersia iudicat. Sinautem inter aliquos quantum ad hæc spectat, parum admodum intersit, illis quodammodo redactis ad unum autoritatem regiam tribuendam: multis uero nequaquam. Quippe cum multi nequeant tanta autoritate digni alicubi reperiri. Tradi uero autoritatẽ regiam ut ex alijs eius libris coniectare licet, uult à senioribus atq; probatissimis, quorum senatus deinde sit collega regis, quasi quædam respub. optimatũ. Rex autem unà cum senatu leges condat: quas non liceat uel cuiquam priuato transgredi, uel uulgo mutare: liceat tamen regi senatuiq; simul pro temporum opportunitate quatenus expedit, diligenti cum æquitate & rebus ipsis accommodare atq; temporibus, & si oportuerit permutare. Regem ipsum in epistolis sacrũ haberi censet, sacerdotemq; more Aegyptiorũ constitui, sacrorum mysteriorumq; antistitẽ: & utpote sacrum, nequando contaminetur, non permittit iudicijs ubi de cæde exilio, carcere agitur, intereße. Proinde in hoc ipso libro eiusmodi regiã dignitatem gubernationum omnium optimam esse probat, ut diximus: pessimam uero tyrannidem, quæ neq; lege, neq; mente legitima imperat, sed impetu potius atq; libidine. Secundo loco laudat optimates, pariterq; uituperat potentiam paucorum. Tertio loco multorum laudat gubernationẽ, scilicet popularem, si lege gubernẽt: similiterq; uituperat, si non lege. Post hæc autem quid regium sit officium disputat, uidelicet ut quotcunq; hominũ generi necessaria sint prouideat, præsertimq; ad bene beateq; uiuendum. Iudicetq; prudenter quot artes et quales ad hoc ipsum conferant, siue in pace, siue in bello, seu in dicendo, seu agendo, uel publice, uel priuatim, habeatq; unà cũ senatu summum in omnes imperium. Præcipue uero animos omnium decentissima quadam fortitudinis temperantiæq; mixtione componat, musicos imitatus, qui acuta grauibus rite miscentes, concentus suauissimos modulantur. Demonstrat enim, & id quidem diuine, non esse tutum animos uel fortitudinẽ uersus quasi acutum supra modũ intendere, uel temperantiam uersus quasi in graue nimis remittere. Illinc enim efferatos, hinc effœminatos tandem euadere: & illi quidem ciues & patriam uelut hostes inuadunt: hi uero neq; se, neq; patriam tuentur ab hostibus. Quam obrem optimum censet ex concinna uirtutis utriusq; copula, ingeniorum consonantiã ubiq; conflari. Sed hactenus de libri ordine satis sit dictum. Quæ uero de sphærarum motu, prouidentiáq; & fato disputat, in theologia nostra satis exposuimus. In his certe nos allegorice docet, non habere nos uerum legitimumq; regem, nisi uel in ipso cœlo uel in terris eum quem uelut pastorem cœli rex nobis ipse præfecerit, pastorẽ inquã, non nomine solum, sed uitæ similitudine ipsum cœli regem pro uiribus referentẽ. Cõmemorat & duo regna, Iouis scilicet & Saturni, regnumq; Saturni regno Iouis tanquam felicius anteponit. Siquidem sub Ioue actio uitaq; humana, sub Saturno autem cõtemplatio diuinorum significatur. Saturnus enim Græco nomine Cronos, ut Plato in Cratylo docet, puritatem integritatemq; mentis inuiolabilem comprehendit. Quod autem ait Saturno regnante beatos homines uiuere, ostendit diuina quadam uiri mente regnante, quo actiones gratia contemplationis instituat, humanum genus fore beatum. Ego autem finem mox argumẽto faciam, si breuem prius allegoriam mysterij huius adduxero. Ait enim præsentem mundi circuitum ab oriente ad occidentem esse Iouium atq; fatalem: uerum fore quandoq; alterum huic oppositum sub Saturno ab occidente uicissim ad orientem. In quo sponte nascentur homines atq; à senio procedẽt in iuuentutem, alimentaq; illis ultro æterno sub uere ad uotum suppeditabuntur. Iouem, ut arbitror, animam mundi uocat, cuius lege fatali manifestus hic manifesti mundi ordo disponitur. Præterea uitam animorum in corporibus elementalibus, Iouiam esse uult sensibus actionibusq; deditam. Saturnum uero supremum inter angelos intellectum, cuius radijs illustrentur inter angelos animæ accendanturq;, & ad intellectualem uitam continue pro uiribus erigantur: quæ quoties ad uitam eiusmodi conuertuntur, eatenus sub regno Saturni dicuntur uiuere, quatenus intelligentia uiuunt. Proinde in ea uita ideo sponte dicuntur regenerari, quia electione propria in melius reformantur. Rursus in dies reiuuenescere, id est in dies, si modo ibi dies dinumerãtur, magis magisq; florescere. Hoc illud apostoli Pauli. Homo interior renouatur in dies. Deniq; illis alimenta sponte affatim sub perpetuo uere suppeditari, quia non per sensus operosamq; disciplinam, sed per lumen intimum, summaq; cum uitæ tranquillitate atq; uoluptate miris ueritatis ipsius spectaculis perfruuntur.

SOCRATES. THEODORVS. HOSPES. SOCRATES MINOR.

TNGENTEM profecto tibi ô Theodore, gratiam debeo, quòd Theętetum & hoſpitem hunc Eleatem notos mihi feceris. THEOD. Triplam fortè mihi debebis ô Socrates, poſtq; ciuilem tibi hominem & philoſophũ confecerint. SOC. Eſto. Sed ita ne illud ô chare Theodore, ex te audiuiſſe dicemus homine & ratiocinio, & in geometricis potẽtiſſimo? THEOD. Quid iſtuc ô Socrates? SOC. Quod uidelicet horum uirorũ unumquemq; eiuſdem eſſe precij poſuerimus, qui tamen honore longius inter ſe diſtant q̃ ut explicari illa artis ueſtræ analogia poſſit. THEOD. Bene ô Socrates, atq; iuſte per deũ noſtrum Ammonẽ loqueris, ac prompte admodũ errorem in cõputando meum mihi nunc obieciſti, ac ego te pro his rurſus accedo. Te uero nunc Hoſpes, ne pigeat nobis gratificari, & ſeu ciuilem hominẽ prius ſiue philoſophũ, electum deſcribere. HOS. Sic agendũ ut iubes Theodore, poſtq; ſemel aggreſſi ſumus, neq; prius q̃ ad calcẽ peruenerimus, deſiſtendũ. Verum de Theæteto hoc quid facere decet? THEOD. Qua de re? HOS. Nunquid requieſcere illum iam ſinemus? eiuſq; loco Socratem iſtum exercitationũ & ſtudiorum ſocium accipiemus? quid conſulis? THEOD. Vt Socratẽ aſſumas. Nam cum iuuenes utriq; ſint, omnem laborem facilius per intermiſſionẽ ferẽt. SOC. Atqui utriq; Hoſpes cognati quodãmodo mihi eſſe uidentur. Theætetũ quidem uos figura uultus mihi conſimilem iudicatis. Socrati quoque huic cum idem & mihi nomen ſit, cognationẽ quandam nobis mutuam præbet. Decet autem ut qui cognati ſumus, rem eam alacriter oratione teſtemur. Cum Theæteto quidem heri diſputando conueni, & hodie hoſpiti huic reſpondentem audiui. Cum Socrate uero neutrum adhuc actum eſt. Oportet autem & hunc examinare. Mihi ſanè aliàs, tibi nunc reſpõdeat. HOS. Sic agemus ô Socrates. Audis Socrates? SOC. MIN. Audio. HOS. Aſſentiris illi? SO. Aſſentior. HOS. Quantũ igitur ad te attinet, nihil prohibet quo minus ediſſeramus. Multoq; minus impedimento diſputationi huic eſſe me decet. quinimmo poſt ipſum ſophiſtam neceſſariũ eſſe uidet, ut ciuilem uirũ inueſtigemus. Reſponde itaq;, utrum hunc in eorum qui ſcientes dicunt, numerũ referre deceat. SOC. Decet. HOS. Ergo ſcientias partiri debemus, quemadmodũ in ſophiſta quærẽdo fecimus. SOC. Fortè. HOS. Non tamen eadem partiendi ratio. SOC. Nõ. HOS. Sed alia. SOC. Alia. HOS. Diuerticulũ itaq; ciuilis ſcientiæ ubinam reperiemus? Inuenire quippe oportet, & ab alijs omnib. ſegregatæ, ideam ei unam imprimere, & cæteras item deflexiones, alia quadã ſpecie una inſignire: & ſcientias omnes duabus ſpeciebus contentas eſſe nobis perſuadere debemus. SOC. Tua iam intereſt Hoſpes ita agere: mea uero nequaq;. HOS. Imò etiam tua, quãdo declaratum id fuerit. SOC. Scite loqueris. HOS. Arithmetica porrò & aliæ nõnullæ huius perſimiles ab actione liberæ ſunt, cognitionẽ uero tantum exhibent. SOC. Ita certe dicẽdum. HOS. Quæ uero ad architecturã, & manuum miniſteriũ pertinent, ſcientiam innatã actionibus ſortiunt: corporaq; ab illis effecta, quæ ante nõ erant, perficiunt. SOC. Patet. HOS. Ita cunctas ſcientias diuide. Agentem unam, alteram cognoſcentem ſolũmodo nomina. SOC. Sint ergo ſciẽtiæ ſpecies duæ, cum una ſit ſciẽtia tota. HOS. Vtrum, ciuilem, regem, dominũ, patremfamiliàs, eundem eſſe uolumus? an totidem artes in his, quot & nomina ponimus? Imò hac ſequere me. SOC. Qua? HOS. Hac inq;. Si quis priuatus publico medico ſufficienter cõſulere poteſt, nónne neceſſe eſt eiuſdem artis hunc nomine nuncupari, quo & ille qui cõſulit? SOC. Certe. HOS. Quid porrò? Si quis priuatus regem ciuitatis admonere & inſtruere poteſt, nónne ſcientiã illam habere dicitur, qua pollere qui regit, debebat? SOC. Dicet. HOS. Atqui uiri regis ſciẽtia, regia diſciplina eſt. SOC. Eſt. HO. Quiſquis ea prædítus eſt, ſeu publico fungatur munere, ſiue priuatus uiuat, omnino ſecũdum hanc peritiã regius merito nuncupabitur. SOC. Merito. HOS. Enimuero paterfamiliàs & dominus idem. SOC. Idem ſanè. HOS. Nunquid refert ampláne an anguſta ſit urbs ad imperium? SOC. Nihil. HO. Igitur una, quod paulo ante inquirebamus, horum omniũ ſcientia eſt: hãc ſeu regiã quis, ſiue ciuilem, ſeu familiarẽ nominet diſciplinã, nihil intereſſe putemus. SOC. Nihil. HO. Hoc utiq; nemini dubiũ, quin omnis rex parũ quid manib. ac reliquis mẽbris ad regni ſalutẽ poſſit, intelligẽtia uero & animi robore plurimũ. SO. Cõſtat. HO. Vis ergo regẽ dicamus ſpeculatrici ſcientiæ propinquiorẽ q̃ actiuæ aut manuũ miniſterio? SO. Volo equidẽ. HO. Ciuilẽ ergo ſcientiã, & ciuilẽ hominẽ, regiam atq; regiũ, ut

Mathematicæ ab actiõe liberę cognitionẽ ſolam habentes

Scientiæ ſpecies duæ

Idem, ciuilis rex, dominus, paterfamiliàs

Homo regius

ut unum idemq; singula cõponemus. SOC. Planè. HOS. Atqui ordine ad sequentia pergemus, maxime si speculatricem scientiam distinguemus. SOC. Prorsus. HOS. Attende obsecro, num refugiũ aliquod in hac prospiciamus. SOC. Dicas, quale? HOS. Tale inquã. Extat aliqua cõputandi facultas. SOC. Extat. HOS. Ea, ut arbitror, ex illarum numero est quæ in speculando uersantur. SOC. Ex illarum numero certe. HOS. Cognoscet profecto computandi facultas differentiã numerorum. Num aliud huic opus tribuimus, q̃ discernere iudicareq; cognita? SOC. Quid? HOS. Etenim architectus nullus manuum ministerio utitur, sed utentibus præsidet. SOC. Ita est. HOS. Dum iudicium adhibet, non ministerium. SOC. Id quoq; uerum. HOS. Iure igitur speculandi scientiæ particeps est dicendus. SOC. Et maxime quidẽ. HOS. Hoc, ut arbitror, ad iudicem pertinet, nõ ad finem quod se attinet uenire, & mox discedere, quemadmodum computator ille, sed incumbere, operaq; singulis operam accõmodam mandare, quousq; quod est imperatum, absoluerint. SOC. Probe. HOS. Nónne speculatrices omnes hæ sunt, & quotcunq; scientiam computandi sequuntur? iudicio autem & imperio genera hæc inter se duo differunt? SOC. Apparent. HOS. Quocirca si uniuersam contemplationem in duo distribuamus, partemq; unam iudicio, imperio alterã assignemus, recte forsitan distribuisse putabimus. SOC. Recte nimirũ, ut mea fert opinio. HOS. Qui cõmuniter tractãt aliquid, satisfactũ sibi inuicẽ arbitrantur, si quando consenserint. SOC. Quid ni? HOS. Quousq; igitur in hoc concordes sumus, aliorum opiniones prætermittendæ. SOC. Penitus. HOS. Dic age qua in arte harum, regium hominẽ ponere decet: nunquid in iudiciaria, tanq; spectatorẽ quendam? an in imperatoria potius, quasi dominũ? SOC. In hac ipsa potius. HOS. Videndũ pręterea siquam imperatoria distinctionem admittit. Mihiq; ita uidetur. quo differt caupo ab illo qui propriũ opus uendit, eo rex à pręcone. SOC. Quo pacto? HOS. Caupones aliorũ opera prius uendita suscipientes ipsi rursus uendunt. SOC. Verum. HOS. Haud secus præco sententiam alterius mandatã sibi, alijs ipse mandat. SOC. Sic est. HOS. An miscebimus facultatẽ regiam imperatoriæ, præceptoriæ, uaticinio atq; præconio alijsq; permultis eiusdem generis artibus, quæ omnes imperitant? An uis potius secundũ superiorem comparationem nomen quoq; per comparationẽ aliquã machinemur, quandoquidẽ genus eorum qui sua ipsi præcipiũt, fermè nomine caret: atq; hæc ita partiamur, ut regiũ genus in eorum numero qui sua mandant, ponamus, omissis alijs omnibus, quibus alius quiuis nomen ut lubet imponat? Principis quippe gratia non subditi sermo nobis est institutus. SOC. Nempe. HOS. Postq; igitur hoc ab illis est distinctũ, & ab alieno ad proprium redactum, rursus est diuidendum, siquam modo partitionem quæ nos admittat, in ipso comperimus. SOC. Valde. HOS. Atqui inueniri posse uidetur. Me igitur sequere diuidendo. SOC. Quò sequar? HOS. Quicunq; præsident imperando, idcirco ut aliquid fiat, imperant. SOS. Proculdubio. HOS. Etenim genita omnia bifariã partiri, haud multum difficile. SOC. Qua ratione? HOS. Partim animata sunt, partim inanimata. SOC. Constat. HOS. Si in membra hæc secare imperatricis facultatis partem imperatoriã uolumus, secemus. SOC. In quæ? HOS. Pars eius in generatione inanimatorũ ponat̃, pars in generatione animatorum. Atq; ita totum in duo secabitur. SOC. Reuera. HOS. Partẽ unam mittamus, alteram resumentes, eamq; uniuersam in duo iterũ diuidamus. SOC. Vtram illarũ resumendam censes? HOS. Eam quæ circa animalia imperat. Neq; enim regia maiestas nõ animatis instar architecturæ præsidet, sed generosius animãtibus, eiusq; potestas circa ista uersatur. SOC. Optime. HOS. Circa generationẽ nutritionemq; animaliũ cura duplex inuenitur. Animalis cuiusdam uirtus hæc. Gregis totius illa. SOC. Recte. HOS. Ciuilis aũt nõ priuatim uniciq; curam gerit, quemadmodũ qui bouem agitat, uel minister qui sternit equum, sed illius uicem gerit, qui equos aut boues pascit. SOC. Verũ esse uideť, quod nũc est dictum. HO. Vtrũ ex animaliũ nutritione illam quæ gregatim ea nutrit, gregis nutritionem, an cõmunem nutritionem uocamus? SOC. Vtrumq; usurpari loquendo contingit. HOS. Egregie Socrates respondisti: ac si uerborũ curiositatem uitabis, euades in senectute admodum sapientior. Itaq; in præsentia ut iubes agendum. Sed nunquid uides quo pacto quis gregis nutritionem geminam ostendens, efficiat ut quod in utraq; ad id quod nunc propositum est, inuestigabitur, in altera deinde perquiratur? SOCR. Annitar equidem, & iam mihi uidetur, unam cõmunem hominum, alteram brutorum esse custodiam.

Euitãda est curiositas uerborum

HOS.

HOS. Prompte omnino ac fortiter discreuisti. Cauendum pro uiribus tamen, ne posthac nobis id accidat, SOC. Quid cauendum mones? HOS. Ne unam exiguam particulam ad uersus amplas plurimasq; secernamus, neq; illã absq; specie capiamus, sed pars illa simul speciem habeat. Pulcherrimum namq; est, quod quæritur ab alijs statim discernere, si modo recte id fiat, quemadmodum ipse paulo ante de diuidendo iudicans, diuidere properasti, sermonem uidens altero membro ad hominem declinantem. Cæterum haud satis amice tutum est ad extremũ nimisq; tenuiter omnia prosequi. Præstat autem per media progredi partiendo. sic enim facilius meliusq; ideas inuenimus. Hoc autẽ ad illa quæ perquiruntur, totum refert. SOC. Qua ratione id ais hospes? HOS. Conandum ob ingenij tui beneuolentiam ut clarius explicetur. In præsentia quidem hoc quod propositum est, declarare ita ut nihil desit, impossibile est: sed repetẽdum altius paulo perspicuitatis gratia fuerit. SOC. Quid igitur in hac nostra partitione culpas? HOS. Tale quiddam, si quis humanum genus in duo secare contendens, perinde partiatur, ac multi nostrum partiuntur. hi sanè Græcorum genus tanquam unum à cæterís omnibus separant. Cunctos enim alios homines innumerabiles, & nulla inter se uitæ sermonisq; cõmunione deuinctos, barbari co nomine signant, & ob hanc unam appellationem genus quoq; unum uniuersum hoc arbitrantur. Simile esset præterea, si quis numerum in duo diuidere uolens, decem millia seorsum ab alijs caperet ut speciẽ unam: reliquos insuper uno quodam imposito illis nomine, ut unum genus poneret. Rectius autem & per species magis, ac per duo membra diuisio fieret, si quis numerum quidem per par & impar, hominum ue genus per marem fœminamq; diuideret: Lydos autem & Phrygas, aut alios quosdam tunc à cunctis alijs se gregaret, cum & spes & facultas sibi deesset generis inueniendi simul ac partis, utrumq; eorum quæ sint dissecta. SOC. Scite loqueris Hospes. At illud qua ratione planius intelligi posset, ostende, nõ idem, sed aliud esse partem atq; genus. HOS. O uirorum optime Socrates, haud leue quid postulas. Longius modo quàm decet ab instituto digressi sumus. Tu uero ulterius etiam peruagari iubes. Nunc porrò ut decens est, illuc unde discessit, reflectatur oratio. Adhæc aliàs ocium nacti quasi per quædã uestigia diuertemus. Verunta men diligenter hoc cauebis ô Socrates, ne putes certũ quiddam de hoc ex me audiuisse.

Quæ differentia inter partem & speciem

SOC. Quo de? HOS. Inter se partẽ speciemq; differre. SOC. Curnam? HOS. Quicquid est alicuius species, eiusdẽ pars quoq; sit necesse est, cuius species esse dicit. Partem uero esse speciem, uel speciei partẽ, non est necessariũ. hoc modo me potius q̃ illo dicere semper ô Socrates, assere. SOC. Fiet ut iubes. HOS. Post hæc autem mihi dicas. SOC. Quid? HOS. Hoc inq;, unde huc digressi sumus. Reor equidẽ eam ob causam hucusq; nos aberrasse, q̃ tu interrogatus quæ in membra gregis nutritio diuideret, admodũ prompte respondisti, duo quædam esse animantiũ genera, alterum quidem hominũ, alterum uero brutorum simul omniũ unum. SOC. Verum est. HOS. Tunc sanè mihi uisus es parte quadã ablata, residuum omne genus unum animaliũ ob id putasse ponendũ, quòd uno quodam cõmuni nomine appellare poteras omnia, dum bruta uocabas. SOC. Sic est actũ. HOS. Hoc ô fortissime Socrates, perinde uidet esse, ac siquod aliud animal, ut grus aut aliud tale, prudentiæ particeps, eodem quo tu pacto grues rationales uocet, sibi ex eo placens, atq; hoc quidem genus unum ponat, cætera uero cuncta simul cum hominibus complectens, genus alterum bruta uocet. Conemur itaq; nos ab omnibus huiuscemodi erroribus declinare. SOC. Qua uia? HOS. Non animaliũ genus uniuersum diuidentes, quo minus in his delinquamus. SOC. Neque enim oportet. HOS. Atqui ita supra deliquimus. SOC. Qui? HOS. Partẽ illam contemplatricis scientiæ quę ad imperandũ spectat, eius generis esse cõstitit, quod animalia curat, animalia uidelicet gregabilia. Nónne? SOC. Ita certe. HOS. Quare tunc quoq; omne animalium genus in ferum & mansuetũ est distinctum. quę enim sic natura instituta sunt, ut mãsuescere possint, domestica appellata sunt, cętera uero sylueſtria. SOC. Egregiè. HOS. Scientia uero illa quã quærimus, in domesticis est, & erat, & circa genus animaliũ sociabile quærenda uidet. SOC. Sanè. HOS. Ergo ne ad cuncta simul respiciendo, uti nũc, diuidamus, neq; in partiẽdo nimiũ properemus, ut repente ciuilem scientiam cõprehendamus. Nam nimia festinatio fecit, ut illud quod in prouerbio fert, nũc nobis cõtingeret. SOC. Quodnã? HOS. Vt cum nimis in diuisione properauerimus, tardius absoluamus. SOC. Et merito quidẽ Hospes id egit. HOS. De his quidẽ ita. Rursus autẽ ab

Prouerbiũ

initio

initio cõmunẽm nutritionẽ animalium diuidamus, fortè namq; quod tu uehemẽter affectas, sermo ipse gradatim ad finem suũ deductus, clarius demonstrabit. Respõde ad hoc. SOC. Ad quid respondeam? HOS. Hoc forsitan à multis audisti, neq; enim arbitror interfuisse te his qui circa Nilum pisces ipsos mansuefaciunt, aut circa regios lacus. Sed quod circa fontes fit, fortassis ipse uidisti. SOC. Et hæc ipse uidi, & illa ex multis audiui. HOS. Quinetiam quod quidam greges anserum & gruum pascant, & si nunq; in agris Thessalicis es uersatus, audisti tamen, & credis. SOC. Proculdubio. HOS. Hæc abs te ideo scisciatus sum, quia animaliũ illa quæ gregatim fit custodia, partim aquaticorũ, partim terrenorum esse uidetur. SOC. Est profecto. HOS. Consentis gregis custodiam sic esse bifariam distinguendam, ut partim humida, partim sicca, animalia nutriat? SOC. Consentio equidem. HOS. Vtram uero istarum regia respiciat diligentia, nullus quæret. Nam nemini dubium. SOC. Nemini. HOS. Vnusquisq; enim præcipue aridorum nutritionem distinguet. SOC. Quæ in membra? HOS. In uolantium gradientium'ue custodiam. SOC. Sic ueritas habet. HOS. Quòd ciuilis facultas circa illa quæ gradiuntur, duntaxat uersetur, uel stolidissimus quisq;, ut ita dixerim, animaduerteret. SOC. Absq; controuersia. HOS. Gressilibis præterea generis alimoniã, paris instar numeri in duo quędam partiri debemus. SOC. Patet. HOS. Illuc porrò quò sermo noster tendit, gemini calles ducere nos posse uidẽtur. Alter quidem breui quodam tramite, dum angustam particulam ab ampla secernit, alter uero longiori ambitu, dum præceptũ illud seruat antea dictum, ut per media diuisio fiat. licet utrum uolumus ingredi. SOC. An per utrumq; proficisci nõ licet? HOS. Non simul ô mirifice adolescens, sed seorsim licet. SOC. Vtrumq; ergo seorsim cupiam. HOS. Facile id quidem, cum exiguũ sit quod restat. Sane in principio medióue itinere durum hoc nobis præceptũ fuisset. Nunc autem postq; ita uidetur, longiorem prius uiam ingrediamur. Nam cum non ita pridem aggressi rem simus, iter longum leuius peragemus. Distinctionem itaq; hãc uide. SOC. Dic modo. HOS. Qua gradientiũ mansuetorũq; & gregatilium genus in partes duas secundum naturam diuisum est. SOC. Quas? HOS. Cornibus munitum, & cornibus carens. SOC. Apparet. HOS. Curam gradientium diuidens, utriusq; partis conditionẽ sermone describe. Nam si nominare ipsas uolueris, rem nimis circũplicabis. SOC. Quemadmodũ ergo dicendũ censes? HOS. Ita. Cum gredientiũ cura bifariam distincta sit, hoc in cornifera gregis parte est, illud in mutilata. SO. Sic ista sint dicta, nam satis ostensa sunt. HOS. Constat itaq; regem, gregis cuiusdam cornibus carẽtis pastorem esse. SOC. Constat sane. HOS. Hanc itaq; discerpentes, quod ab ipso agitur, exhibere conemur. SOC. Omnino. HOS. Vtrũ placet ipsam solidipedũ differentia fissiliumq; diuidere? an potius generatione propria hac, illa cõmuni? Intelligis enim. SOCR. Quid? HOS. Quod equorum & asinorum genus inter se promiscue generat. SOC. Nempe. HOS. Reliqua uero domestica, & socialis generis animalia, sine aliena cõmixtione, propria tantum ex specie procreãt. SOC. Perspicuum cuiq;. HOS. Ciuilis itaq; disciplina nunquid promiscuæ generationis animalia, an simplicis curat? SOC. Immixtæ ac simplicis proculdubio. HOS. Hanc uticq; animantiũ naturã quemadmodũ in superiorib. hucusq; seruauimus, gemina per membra secare debemus. SOC. Decet. HOS. Enimuero totum hoc animalis genus domestici gregalisq;, quod cicur uocãt, generibus duob. exceptis, iam discreuimus. Genus porrò canũ inter gregabilia pecora numerare nõ decet. SOC. Non certe. sed quo pacto hæc duo diuidemus? HOS. Hoc inq;, quo te ac Theætetũ distribuere decet, quãdoquidẽ in geometria uersati estis: diametro scilicet, & diametri rursus diametro. SOC. Qui istuc ais? HOS. Nũquid aliter generis humani cõditio ad progressum natura instituta est, q̃ diametrus potentia bipes? SOC. Haud aliter. HOS. Reliqui sanè cõditio generis rursus secundum potentiã nostræ potẽtiæ est diametrus, quippe cum his duob. sit pedibus constituta. SOC. Nihil obstat quo minus sit huiusmodi. Ac penè iam quod ostendere uis, intelligo. HOS. Cernimus quid insuper risu dignũ ô Socrates, nobis in superiori diuisione contigerit? SOC. Quidnã? HOS. Genus hominum cõmixtum, unaq; cum grege generosissimo omniũ atq; facillimo currens. SOC. Cerno, & quidẽ clare, q̃ sit absurdũ. HOS. An non conueniẽs est, quæ tardissima sunt, nouissima peruenire? SOC. Consentaneũ. HOS. Istud autẽ nequaq; aduertimus, quod magis ridiculus rex apparet unà cum grege hominum discurrens, cursumq; cum illo peragens, optime omniũ ad uitę facilitatẽ exercitatoq;

Circa Nilũ pisces mansuefieri

Generatio promiscua & simplex

SOC.

SOC. Omnino quidem. HOS. Nunc illud liquidò patet ô Socrates, quod in sophistæ inquisitione est dictum. SOC. Quid istud? HOS. Quod in huiusmodi disputandi ratione methodica non magis uenustum quàm inuenustum curat, nec pluris breuiorem quàm longiorem uiam facit, solum autem quod est uerissimum transigit. SOC. Videtur. HOS. Post hoc ne me præuenias, de uia ad regis definitionem constituendam breuiori percontans, ultro ingredior. SOC. Omnino. HOS. Dico igitur oportuisse suprà, gressibile animal in bipes & quadrupes distribuere: cumq; homo tum solo cum uolatili superesset, rursus genus ipsum bipes in nudum implumeq; & pennigerum diuidere: hac distinctione peracta, arteq; hominum nutrice & conseruatrice monstrata, ciuilem iam & regium uirum ipsi instar aurigæ præficere, eiq; ciuitatis habenas gubernaculaq; tribuere, quasi scientia hæc illius sit propria. SOC. Optime tu quidem, & tanquam debitum mihi hanc orationẽ persoluisti, digressione ipsa fœnoris loco adiecta, ac penitus adimpleta. HOS. Age itaq; à principio ad finem sermonem de ciuilis artis nomine colligamus. SOC. Prorsus. HOS. Scientiæ illius quæ in contemplando uersatur, pars una imperãdi peritia est, huius subiecta est facultas illa quæ per se suaq; sponte imperat: huic membrum haud sanè exiguum animalium nutricatio: huic item gregis alimonia, hinc animalium, denicq; gradientiũ alimonia: hinc rursus species illa quæ animalia cornibus carentia pascit. Eius partem ut minimũ triplicem complecti necesse est, si quis uno nomine comprehendere uelit, immixti generis pascendi scientiam uocans. Cuius portio ex bipedum grege homines duntaxat pascens, illa ipsa quam quærimus, imperatoria facultas est, quam regiam & ciuilem pariter nominamus. SOC. Prorsus. HOS. Probe igitur putas ô Socrates, à nobis quemadmodũ iam dixisti, actum est? SOC. Qua de re? HOS. Quod proposuimus, sufficienter ne absolutũ sit? An in quæstione hoc maxime prætermissum quod descripsimus quodammodo, nõdum tamen penitus definiuimus? SOC. Quamobrẽ istud ais? HOS. Cònabor quod sentio, planius explicare. SOC. Dic iam. HOS. Cum multas pastorum facultates esse constiterit, una quædam illarum uniusq; custodia gregis, ciuilis ipsa disciplina est. SOC. Profecto. HOS. Hanc neque equorum, neque aliorum etiam brutorum, sed hominum tantum in commune esse nutritionem ostendimus. SOC. Id quoq;. HOS. Pastorum itaq; omnium, & regum differentiam propriam uideamus. SOC. Quam? HOS. Si quis fortè alterius artis nomen habens, gregis humani in commune nutritionem sibi uendicet, quid dicendum? SOC. Qua ratione inquis? HOS. Si mercatores inquam, agricultores, & coqui, gymnastici insuper ac medici, aduersus pastores quos politicos appellauimus, surgerẽt, assererẽtq; se esse pastores illos hominum: quippe qui uictum nõ plebi solum, uerumetiam regibus magistratibusq; suppeditent. SOC. An non uera dicerent? HOS. Fortè. & hoc uticq; consideremus. scimus enim quod cum bubulco de his nemo certat: ipse enim sine cõtrouersia armenti pastor est qui boues curat, ipse medicus, ipse pronubus, partus obstetrix & nutrix. Præterea nemo melius iocis, & musica armentũ, quantum natura horum capax est, oblectat, trahit & mulcet, siue organis, siue ore solo gregis sui musicam tractãs. Eademq; est de cæteris pastoribus ratio. Nonne? SOC. Maxime. HOS. Quo pacto igitur sermo ille de rege rectus integerq; uidetur, quando pastorem illum, & nutritorem humani gregis ponimus, solum ipsum ab alijs secernentes, cum alij multi de hoc ipso contendant? SOC. Nullo modo. HOS. An non merito paulo ante dubitauimus, quando suspicati sumus, ne figuram quandam regis duntaxat induceremus, nondum tamen ciuilem ipsum perfecte definiremus, nisi prius illos qui cum eo sese implicant, & pastores esse non minus quàm ille profitentẽ, comprehendamus: & ab illis regem secernentes, purum illum seorsim ostendamus. SOC. Recte nimirum. HOS. Hoc igitur nobis ô Socrates, agendum est, nisi uelimus in fine sermonis infamiam reportare. SOC. Atqui istud nequaquam expedit. HOS. Rursus ab alio principio alia quadam uia incedendum. SOC. Qua? HOS. Iocum quẽdam interserere his oportet, magnaq; parte prolixæ fabulæ uti, & quod restat, ut suprà fecimus, exequi, partem semper partis subdiuidendo, atq; ita ad summum quod est quæsitum, deducere. SOC. Oportet sanè. HOS. Sed iam fabellam, quod pueri solent, accipe arrectis auribus, neque enim à puerilibus annis procul abis. SOC. Dic, amabo. HOS. Erat olim, & adhuc erit multa uetustarũ rerum memoria, & inter cætera memorabile prodigiũ, quod circa Atrei Thyestisq; litem refertur. Audisti namq; ac meministi quod tunc accidisse tra

dunt

dunt. SOC. Nunquid aureæ agnæ ostentum dicis? HOS. Nequaquam, sed de ortus solis occasusq́, & aliarum stellarum mutatione. Vnde enim nunc exoriuntur, tunc occidebant, & contrà exoriebantur. Tunc uero Deus testimonium præbens Atreo, in hanc cœlum figuram mutauit. SOC. Fertur & hoc. HOS. Quinetiam è multis de Saturni regno audiuimus. SOC. Ex multis certe. HOS. Quid uero? nónne & priscos illos è terra procreari, haud uero ex se inuicem? SOC. Hoc quoq; in antiquis rebus commemoratur. HOS. Cuncta hæc ab eodem malo proficiscuntur, & alia præter hæc permulta his longe mirabiliora: uerum magnitudine temporis, partim desierunt, partim absq; ordine sparsim feruntur, malum uero illud quod horũ omniũ causa est, nemo utiq; dixit. Nunc autẽ dicendum est, nam ad regem ostendendũ conferet. SOC. Præclare loqueris. Referas ergo, neq; aliquid prætermittas. HOS. Audi iam. Vniuersum hoc aliàs Deus ipse regit, agitat atque rotat: aliàs uero dimittit, cum mundi circuitus competentia sibi curricula temporis expleuerunt. Mundus uero ultro ac libero tum motu contrà reflectitur. Nam & uiuit, & sapientiam ab eo qui ab initio constructit illum, est sortitus. Circuitus autem necessario ipsi hanc ob causam innatus est. SOC. Quam ob causam inquis? HOS. Idem esse semper, & secundum eadem, & eodem se modo habere, solis omnium diuinissimis conuenit: corporis aũt natura huius ordinis nõ est compos. Cæterum id omne quod cœlum mundumq́ uocamus, multa quidem, & felicia munera à genitore suscepit, corporis tamen particeps, expers omnino mutationis cuiuslibet esse non potest: attamen quo ad potest, in eodem, & secundum eadem, & uno motu mouetur: quapropter circuitũ est adeptum, in quo minima agitationis suæ fit permutatio. Seipsum autem conuertere semper, fermè nihil potest, præter id quod cursum agitatis omnibus præstat. Mouere aũt id aliàs aliter, rursusq́ contrario modo, nefas est. Ex his omnibus dicendũ est, mundũ neq; seipsum conuertere semper, neq; totum semper gemino cõtrarioq́ circuitu ab ipso Deo reflecti, neq; rursus duos deos cõtrarijs sentẽtijs ipsum uertere. Solum uero quod nuper diximus, restat, aliàs ab alia quadam diuina ui duci, uitamq́ rursus extrinsecus uenientem, & immortalitatem ab opifice suo præparatam suscipere: aliàs aũt quando dimissus recurrit, per seipsum currere: quo tempore potestate facta, retrogradum multa reuolutionũ millia peragere, quia & maximus est, & undiq; penitus æquilibris, & minimo quodã cardine reuolutus. SOC. Verisimilia ualde ista uidentur. HOS. Ex his quæ dicta sunt, malum iam illud cõijcientes consideremus, quod omniũ esse diximus mirabiliũ causam. Est autem huiusmodi quoddam. SOC. Quale. HOS. Quod totius mundi machina tum ita ut nunc, tum contrà reuoluitur. SOC. Quo pacto? HOS. Mutationem hãc existimare oportet omnium cœlestium alternationũ maximam extremamq́ esse. SOC. Videtur. HOS. Quamobrem consentaneum est tunc maximas circa nos intra mundum habitantes, mutationes fieri. SOC. Verisimile id quoq;. HOS. Neq; uero nos latet q̃ ægre & difficile toleret animãtium natura magnas, multas, & omnigenas mutationes. SOC. Cõstat. HOS. Ergo animalia multa tũc intereunt, hominesq́ supersunt perpauci, hi uero multis nouisq́ & mirabilibus passionibus tunc afficiuntur. Id autem contingit omnium maximum, sequiturq́ continuo reuolutionem illam qua cœlum contràquàm nunc, reflectitur. SOC. Quidnam? HOS. Principio in quacunq; ætate quoduis animal est constitutum, in eadem progredi cessat, neq; fit senius mortalium quicquã, sed in figuram transit contrariam, iuniorem q́ & molliorem habitum induit, seniorumq́ cani capilli nigrescunt: & quibus genæ barbatæ prius erant, iam barba deposita in priorem speciem restituuntur. Pubescentiũ quoq; corpora pilis positis mollescunt, sensimq́ singulis diebus & noctibus decrescentia in puelli naturam redeunt, atq; in his tam animæ quàm corpora habitum subeunt puerorũ, demum tabescentia deficiunt, & intereunt. Cadauera præterea illorum qui cœlestis mutatione uertiginis subito corruerunt, idem patiuntur, & simili ratione clam ac breui putrescunt. SOC. Quæ tunc erat hospes animalium generatio? quóue modo ex se inuicem generabãtur? HOS. Constat ô Socrates, quod illis temporibus nihil genus hoc ex sese propagabat. Quod autem dicitur quandoq; genus ortum ex terra fuisse, hoc ea tempestate fuit ex terra rursus conuersum. Tradiderũt hæc nobis primi illi progenitores nostri, qui statim post primam reuolutionem orti sunt. hi sanè horum testes sermonũ præconesq́ fuerunt, quibus minime uulgo nunc habetur fides, cum tamen admodum conueniat habere. Quod uero hinc

Fabula de terrigenis hominibus

Cur circuitus cœlo Conditio diuinorum Corporis particeps non est mutationis expers

ſequitur,animaduertendum arbitror. Huic enim quod dicitur,ſenes in naturam regredi puerorum,hoc conſonum eſt,quod ex mortuis,ſed terra conditis,illi iterum tum reſtituti,reuiuiſcentesq́ quidam ſequuntur ratione illam cœli, ſiue ſeculi, generatione in contrarium reuoluta,ac terrigenas hac ratione neceſſario æditos,ſic nomine & ſermone uocari,quotcunq́ deus ipſorum in aliam ſortem non tranſtulit exornauitq́. SOC. Hoc profecto è ſuperioribus ſequitur. Verum uita quam ſub Saturni regno eſſe dicis, utrum ſub illis cœli cõuerſionibus,an ſub his extitit? Mutationem quippe ſolis reliquarumq́ ſtellarum in utrisq́ uolutionibus contingere certum eſt. HOS. Optime ſermonem aſſequutus es. Quod autem quærebas,ſponte omnia hominibus naſci,præſenti conuerſioni minime competit,ſed ſuperiori potius competebat. Tũc ſanè totius circuitus princeps curatorq́ primum Deus extitit,ut nunc per uarias mundi plagas ſingulæ ipſius partes à diis principibus diſtributæ ſunt. Animalium quoq́ genera gregatim diſtincta, dæmones quidã tanquam diuini paſtores ſortiti ſunt, quorum quiſq́ ad munus ſuum obeundum ſufficiens cum eſſet,ſinguli ſingulis,ſic ut ille uoluit,præficiebantur,quibus præerat ipſe. Quamobrem nihil erat agreſte,omniſq́ rapacitas & uorago procul aberat, aberat bellum penitus atq́ ſeditio: cætera inſuper quę conditionem illorum temporum ſequebantur,innumerabilia ſunt. Quod uero de uictus facilitate, & libertate uitæ fertur, ob id eſt dictum, quod Deus eos paſcebat,ipſe illorum paſtor & cuſtos: quemadmodũ homines nunc, quorum natura diuinior,brutorum paſtores ſunt. Deo itaq́ cuſtodiente ciuitatum cõſtitutiones nullę erant,neq́ marium fœminarumq́ ad filios procreandos coniugia. Omnes enim ex terra reuiuiſcebãt,rerum præteritarum immemores. Aberant autem eiuſcemodi omnia. Fructus uero illis & poma & fruges,abunde arbores & fertile ſolũ ſponte ſua abſq́ agriculturæ opera ſuggerebant. Nudi quinetiam & expediti & errabundi, ut plurimum paſcebantur. Nam tẽperies illis innoxia,mollia quoq́ paſſim parata cubilia,quàmplurimis ex terra herbis repullulantibus. Vitam ô Socrates, hominum ſub Saturno uiuentium audis: hanc uero quam Iouis eſſe tradunt,præſens ipſe ſentis: utra uero ſit felicior iudicare ne uis,ac potes? SOC. Minime omnium. HOS. Vis' ne igitur ego quodammodo tibi dijudicem? SOC. Et maxime quidem. HOS. Si Saturni quondam alumni in tanto ocio & libertate uitæ potentiaq́ non ſolum inter ſe,ſed etiam cum beſtijs colloquendi,hiſce omnibus ad philoſophiam utebantur,inter ſe,& cum beſtijs uiuentes, ſciſcitãtesq́ ab omni natura quæcunq́ propriam ſentiẽdi uim aliquam differẽtem ab alijs habet,ad prudentiam acquirẽdam, facile iudicari poteſt illos longo quodam interuallo nos ad beate uiuẽdum exuperaſſe. Si autem epulis affatim & poculis ſaturati inter ſe, & cum beſtijs tales fabulas conferebãt,quales de illis nunc referunt,hoc quoq́ ita, ut mea refert opinio,facile admodum iudicaretur. Sed hæc omittamus,donec aliquis horũ idoneus appareat nuncius, qui nobis referat utrum homines illi ſcientijs & confabulationibus operam dederint: cuius autem gratia fabulam hanc ingreſſi ſumus,id iam dicendum,ut ſequẽtia cum antecedentibus coniungamus. Cum omnium illorum tempus eſſet expletũ,mutationemq́ circuitus fore iam oporteret,terreno genere omni cõſumpto: quippe cum quælibet animagenerationes omnes impleſſet,quotq́ mandata erant cuiq́,totidem unaquæq́ in terram ſemina proieciſſet: tunc uniuerſi gubernator Deus quaſi gubernaculorum dimiſſis habenis in ſuijpſius rediit ſpeculum. Mundum uero deinceps fatum reuoluit iterum, & cupiditas innata. Omnes quinetiã dij ſummi dæmonis collegæ ſingulis prępoſiti regionibus quod contigerat aduertentes,mundi partes deſtituerunt. Mundus deinde contraria principijq́ finisq́ ſeſe agitatione reflectens, terræmotu ingenti interiora concutiens, animalia rurſus cuiuſq́ generis ut plurimum perdidit. At uero certis temporũ exactis curriculis, concuſſio perturbatioq́ ceſſauit,& mũdus à turbulento fragore deſiſtens,ſolita ſuijpſius progreſſione cucurrit,& in ordine debito cõſtitutus autoritatem adminiſtrationemq́ & ſuijpſius & eorum quæ in ſe ſunt, ſuſcepit, autoris patrisq́ ſui gubernationẽ pro uiribus memor imitatus. principio igitur perfectius executus eſt, ſed ab ea demũ imitatione longius degenerauit. Cuius quidẽ defectus cauſa eſt natura corporea priſcæ naturæ fomes. Nam quõdam ualde deforme erat, & ordinis expers,antequam præſenti ornatu decoraretur. Ab eo ſanè qui ipſum cõſtruxit, bona omnia poſſidet: à priori autem deformitate incõmoda, & iniuſta omnia quæ intra cœlum naſcuntur, & mundus ipſe ſuſtinet,& uiuentibus

Hominum uita ſub Saturno

Deſultoria mũdi adminiſtratio

uentíbus ínſerít. Dum ígitur animalia ſua unà cum gubernatore nutrit, mala quidem par ua, bona uero ingentia parit: cum autem ſeiungitur, in proximo diſceſſus tempore perpulchre omnia ducit: uerum procedẽte tempore obliuione iam occupatur: quapropter prioris deformitatis uitium uehemẽtius dominatur. Demum longo exacto tempore defloreſcit, ac bona exigua procreans, malorum uero naturam his plurimam miſcens, periculum ſubit, ne & ipſe, & quæ in ſe ſunt omnia, diſſoluãtur. Quamobrem deus ille quondam huius ordinis autor, cernens mundum tanto in diſcrimine poſitum, miſeretur: ac ne tumultu adeò turbulento fluctuet diſſoluatur q̃, & in locum diſſimilitudinis infinitũ mergatur, iterum adſtat, & præſidet, reſumptiſq̃ protinus gubernaculis, ægrotantia omnia diſſolutaq̃ antiqua ſui agitatione conuertit, ornat & corrigit, mortiſq̃ ſeruat illum & ſenectutis ignarum. Hic ergo cunctorum dictus eſt finis. Sufficit autem hoc ad regis ipſius oſtenſionem, ſi modo ſupra dicta teneantur. Conuerſo enim iterum mundo ad præſentis geniturae, pgreſſum, ętas rurſus ultrà progredi deſtitit, & noua his contraria quæ erant tunc, reddidit. Animalia porrò morti ob ipſam tenuitatem proxima aucta ſunt: quæ uero nuper ex terra cana ſurrexerant, iterum in terram morientia reciderunt. Cætera item omnia tranſmutata ſunt, mundi totius ſequentia paſsionem. Generationis quippe & conceptionis & alimenti imitatio uniuerſum ipſum neceſſariò ſequebatur. Neq̃ enim dabatur amplius in terra per cauſas mutuò opitulãtes, animal fieri. Nam quemadmodum inſtitutum fuit, ut mundus motionis ſuæ dominus eſſet, ita ſimili quodam ductu factum, ut partes mundi per ſeipſas quoad fieri poteſt, generent, & naſcantur, & nutriant. Iam uero ad id peruenimus, ad quod omnis noſtra reſpexit oratio. De reliquis enim animãtibus multa & magna referri poſſent, ex quibus quæq̃, & quas ob cauſas trãſmutata fuerunt. Quæ uero circa homines contigerunt, breuiora ſunt, & magis ad rem attinent. Cum homines paſtoris præſidiſq̃ ipſorum dæmonis eſſent prouidẽtia deſtituti, & animalia multa quæ ſuapte natura immania fuerant, efferata iterum eſſent, inermes ipſi imbecilles q̃, & cuſtodia derelicti, ab illis paſſim dilaniabantur. Accedebat inertia, & imperitia ſuperiorũ temporum. laborum enim curarumq̃ neſcij uixerant. Tellus haud ultra uictum ſponte ſuppeditabat, parandi uero induſtria nondum inuenta, quia nulla neceſſitas illos ante coegerat. His de cauſis in ſummum diſcrimen atq̃ penuriam illorum redactæ res ſunt. Qua propter munera illa quæ olim à dijs tributa hominibus memorantur, neceſſaria quadam diſciplina eruditioneq̃ tributa fuerunt. A Prometheo quidem ignis: Artes autem à Vulcano illiusq̃ conſorte: ſemina quoque & terræ cultus ab alijs: omnia ſummatim uitæ hominum adminicula tũc deorum opera ſunt comparata, cum homines deorum prouidentia deſeruiſſet, oporteretq̃ ipſos iam propagationis & alimoniæ ſuæ curam habere, mundi totius inſtar, quem imitantes omne per tempus ſequẽtesq̃, aliter aliterq̃ naſcimur atq̃ degimus. Sed fabula iam finem habeat. Ea uero conducet nobis ad dignoſcendum quantum ſuprà in regis ciuilisq̃ definitione errauerimus. SOC. Qua in re, & quantum erraſſe nos dicis? HOS. Partim minus, partim generoſius magisq̃ & plus quàm tunc erratum. SOC. Quo pacto? HOS. Quod enim dum quæreretur rex, ciuilisq̃ uir ex præſenti circuitu generationeq̃, paſtorem ex contraria conuerſione adduximus, & pro mortali gregis humani paſtore deũ cõmemorauimus, longius tranſgreſſi ſumus: quod uero ciuitatis uniuerſę principem illum oſtendimus, quo autem modo princeps eſſet, nõ declarauimus, uerum quidem diximus, non tamen ad integrum perſpicueq̃ deſcripſimus. Quocirca minus in hoc quàm in illo deliquiſſe uidemur. SOC. Vera loqueris. HOS. Exiſtimare ergo debemus tunc demum nos ciuilem uirum ſatis expoſuiſſe, cum gubernãdę ciuitatis modum ad ſufficientiam diſcreuerimus. SOC. Præclare. HOS. Ob hanc utiq̃ cauſam eam fabulam inceptauimus, ut non ſolum oſtenderentur quicunq̃ aduerſus regem gregis humani illam in commune nutritionem ſibi uendicant, uerum ut illum clarius intueremur, quem ſolum ſic appellare decet, cum ſicut paſtor boum ouiũq̃, humani generis paſcendi curam gerat. SOC. Recte. HOS. Reor equidem ô Socrates, paſtoris illius diuini figuram maiorem eſſe quàm ut regi competat. Ciuiles autem hos uiros ſubiectis ſimiles eſſe magis, ſiue naturam, ſiue educationẽ, ſiue diſciplinas intuemur. SOC. Omnino quidem. HOS. Neq̃ uero perſcrutandũ eſt utrum magis minus' ue fuerint, uel utrum ita ſint, an aliter nati. SOC. Quidnienim? HOS. Sic porrò iterum reſumamus. Artem ſuopte imperio

Poſt Saturnum

Neceſsitas fecit indu ſtriã parandi uictus

A Prometheo ignis datus, à Vulcano artes

præcipientem,& circa animalia non priuatim,ſed publice prouidẽtem,ſuprà ſtatim gregis nutritionem uocauimus.Recordaris? SOC.Recordor. HOS.In hoc uero eſt erratum. Nam ciuilem uirum neq; cõprehendimus adhuc,neq; denominauimus, ſed eius nos adhuc nomen fugit. SOC.Quo pacto? HOS. Greges ſingulos paſcere alijs omnibus paſtoribus conuenit:Ciuili autẽ uiro cõpetens nomen nõ dedimus, cum deceret cõmune cunctis aliquid adhiberi. SOC. Vera narras,ſi modo licebat. HOS. Imò uero licebat curationẽ cõmuniter attribuere,abſq; nutritionis,aut alterius negocij diſtinctione:& aliã quandam appellationẽ inferre cõmunẽ,ſiue gregis ductionẽ, ſiue curationẽ, ſiue diligentiam appellãtes,atq; ita ciuilem unà cum alijs complecti, poſtq; ſic oportere ratio dictauerat. SOC.Optime. Verum quonã pacto poſtea diſtinguendũ erat? HOS. Quemadmodũ gregis nutritionẽ diuiſimus ſecundũ greſſibilium & uolatiliũ ſpeciem,immixtorũq;, & mutilatorum,ita gregis & ductionem ſecũdũ eadem illa partiri licebat, atq; ita & Saturni regnum ac præſens fuiſſet ſermone cõprehenſum. SOC. Videtur.Sed quid tum? HOS. Si ita impoſitum facultati illi nomen fuiſſet, ut gregis ductionem uocauiſſemus eam quam gregis nutritionem uocauimus,conſtat quod nemo aduerſum nos contendiſſet,quaſi curatio omnino non eſſet: quemadmodum & hoc non abſurde cõtendatur,quod ars in nobis nulla ſit nutritiua appellatiõe digna:& ſi qua ſit, multis alijs prius magisq; & regiæ id nomen competere. SOC. Recte. HOS. Nulla uero ars alia de hoc contendit, quaſi ſit totius humanæ communionis curatio maior mitiorq; & regia. SOC.Recte loqueris. HOS. Poſthęc nunquid aduertimus Socrates & grauiter circa finẽ deliquimus? SOC. Vbi delictũ dicis. HOS. In hoc inquã, quod & ſi artem quampiã bipedis gregis nutricẽ eſſe putauimus, nõ tamen ilico regiã illam atq; ciuilem tanq; abſolutã appellare debuimus. SOC. Cur nõ? HOS.Primo quidem oportebat quod dicebamus,nomen ad curam magis & ad nutritionem accõmodare:poſtea curam diuidere.Nam diuiſiones inſuper non paruas ſuſcipit. SOC.Quas? HOS. In diuinum paſtorem & humanũ curatorem. SOC.Scite. HOS. Curationem item humanam in duo. SOC. Quæ? HOS. In eam quæ inuitis, & eam quæ uolentibus imperat. SOC.Quid ergo? HOS. In hoc ſanè peccantes ineptius & decebat regem tyrannumq; in idem conduximus, cum & ipſi inter ſe diſſimilimi ſint,& gubernandi modus longe diuerſus. SOC. Vera refers. HOS.Nunc igitur iterum emendantes,ut ſuprà dicebam,humanam curationem bifariã partiamur,in uiolentam & uoluntariã. SOC. Abſq; dubio. HOS. Violentam quidem tyrannicã,uoluntariam autem uolentium q; bipedum gregis ductionem ciuilem artem denominemus: atq; eum qui facultate hac eſt præditus,uirum reuera ciuilem regẽq; dicamus. SOC. Videntur iam Hoſpes ciuiliũ demonſtratiões nobis ita demum penitus abſolutæ. HOS. Bene nobiſcũ eſſet ô Socrates,actum: Oportet autem non tibi ſolum id,ſed mihi quoq; tecum unà uideri. Et nunc quidem rex mihi nondum perfectam uidetur habere formam: ſed quemadmodũ ſtatuarij interdum non ſatis tempeſtiue feſtinantes, quum plura & maiora quàm oporteat emblemata adhibent,ſerius perficiunt opus:ſic & nos ut quàm primũ atq; inſuper magnifice prioris explicationis circa regem errata oſtenderemus,putãtes magna illius exempla ponẽda, ingentem fabulę molẽ exaggerauimus,maioriq; quàm oportebat illius parte uti coacti ſumus. quapropter prolixiorem diſputationem induximus,& fabulæ finem haud penitus impoſuimus. Ac ſermo nobis reuera tanquam animal exteriorem quidem circũferentiam abſolutam habere uidetur,ſed pigmentorum colorumq; mixtione perſpicua nõdum decora. Decet autem uerbis orationeq; magis quàm pictura, aut opificio manuario unũquodque animal deſcribere, exhibereq; his qui aſſequi ratiõe poſſint: cæteris cœlo & penicillo exhibeantur. SOC. De hoc quidem ſatis. Quam uero ob cauſam nondum ſufficienter dictum eſſe ais,oſtende. HOS. Arduũ eſt ô beate abſq; exemplis res magnas lucide oſtendere. Videtur enim unuſquiſq; noſtrũ tanquam per ſomnium noſſe omnia,reuera autem rurſus omnia ignorare. SOC. Quo pacto? HOS. Abſurdum admodum ô Socrates, affectum animę circa ſcientiã nunc mouimus. Nempe in magnis arduisq; incœpimus,quod in minimis,& facilibus erat per ordinẽ inchoandum. SOC. Quorſum hæc? HOS. Exemplo rurſus exemplum ô felix, indiger. SOC. Qua ratione? Dicas,nihil mei cauſa ueritus. HOS. Dicendum,poſtq; ipſe es audire paratus. Nouimus quid agant pueri,cum primum literas diſcunt? SOC. Quidnam? HOS. Quod unamquamq; literarum in breuiſsimis facil

limisq;

Peccatũ contingẽs ei qui definit per diuiſionem

Vis exempli ad docendũ quanta

Definitiõis ars per exẽplũ,quæ collectio quædã eſt, & uia laudata ab Ariſtotele

limisq; ſyllabis ſufficienter perſentiſcunt, ueraq; de illis eloqui poſſunt. SOC. Quid ni? HOS. Eadem hęc in alijs ambigentes opinione ſermoneq; falluntur. SOC. Prorſus. HOS. An nõ itaq; facilime atq; optime ad ignota perduci poſſunt? SOC. Quo pacto? HOS. Reducere illos primum ad ea oportet, in quibus hæc eadem recte opinati fuerãt, eisq; offerre quæ nondũ noſcunt, & ea inuicem cõparando, oſtendere eandem ſimilitudinẽ atq; naturam in utriſq; cõplexionibus eſſe, donec cum ignotis omnibus quæ uera opinione concepta ſunt, cõparata monſtrentur: demonſtrata uero, & illorum exempla facta demũ efficiant, ut ex omnibus cuiuslibet ſyllabæ elemẽtis, id quod diuerſum eſt, ab alijs diuerſum nuncupent: quod uero idem eſt, idem ſemper ſecundũ eadem cum ipſo. SOC. Sic omnino. HOS. Nonne ſatis hoc cõprehendimus? quod uidelicet tunc exempli generatio eſt, cum q̃d idem eſt in alterutro ſeiuncto, recta opinione conceptũ, & utriq; accõmodatum, unam amborum cõmuniter opinionem parit? SOC. Videtur. HOS. Quid mirum, ſi idem natura patiens anima noſtra circa rerum omniũ elementa, nunc ueritate ipſa circa unum quodq; in quibuſdam cõſtituitur, nunc autem circa omnia rurſus in alijs fluctuat: cumq; in quibuſdã copulationibus recte quodãmodo opinatur, trãslata in magnas ac difficiles rerum ſyllabas, hæc eadẽ rurſus ignorat. SOC. Nihil utiq; mirũ uideri debet. HOS. Nam qua ratione quis ô amice, poſſet ab opinione falſa incipiens, ad aliquã ueritatis uel minimam partem perueniendo ſapientiã adipiſci? SOC. Nulla fermè. HOS. Si hæc ita natura ſe habent, nequaquam ego ac tu aberraremus, ſi primo totius exempli naturam introſpicere conemur in paruo quodam alio ſeorſim exemplo: deinde maximũ illud aggreſſi regis exemplũ, illud ipſum alicunde à minoribus traducentes, per exemplũ rurſus conaremur rerum ciuilium curationẽ arte dignoſcere, & ipſam pro ſomnio ueritatem cõſequi. SOC. Recte admodũ. HOS. Rurſus ſuperior oratio repetẽda, qua inferebatur, poſtquam permulti cum regio genere de ciuitatis gubernatione contendunt, ſibiq; illam uſurpant, oportere eos omnes ab illo ſeiungere, ipſumq; ſolũ relinquere, atq; ad hoc exemplo quodam opus eſſe diximus. SOC. Valde. HOS. Quodnam potiſsimũ exemplũ exiguum quidem, & eandem ciuilem continẽs facultatem, adducẽs aliquis ſufficienter quod inueſtigatur, inueniet? Vis ne per Iouem ô Socrates, niſi quid aliud in promptu habemus, texẽdi artem eligamus? non uniuerſam quidẽ, ſufficiet enim, ut arbitror, lanificiũ. Forte nanq; pars hæc electa quod cupimus indicabit. SOC. Quid ni? HOS. Cur nõ, ut ſuperius unum quodq; in partium partes diuidebamus, ita modo circa texendi artem fecimus, & quàm breuiſſime licet omnia tranſigentes, quod ad propoſitum conducit, eligimus? SOC. Quomodo inquis? HOS. Ipſam enarrationem reſponſi loco dabo. SOC. Præclare loqueris. HOS. Eorũ quæ facimus, quęq; poſſidemus, alia gratia aliquid agendi, alia, ne quid incõmodi patiamur, uelut propugnacula parant. Propugnaculorum aũt alia remedia ſunt, tam diuina q̃ humana: alia uero obſtacula. Obſtaculorũ alia militaris armatura, alia circũuallatio. Circumuallationũ uero alia uelamina, alia aduerſus æſtum frigusq; munitiones. Munitionũ alia tegmenta & retinacula, alia operimenta. Operimentorũ quædam ſuffulciunt, quædam amiciunt. Eorum quæ amiciunt alia ſimplicia, alia uero duplicia atq; compoſita. Compoſitorũ alia perforata, alia ſine perforatione cõnexa. Horum uero quædam neruea ſunt ex his quæ terra naſcuntur, quædã pilea. Pilea uero partim aqua & terra conglutinata, partim ſibimet inuicem ſunt connexa. His profecto propugnaculis fulcimentisq; quæ ex eiſdem colligatis confecta ſunt, nomẽ ueſtes impoſuimus. Artem uero quæ maxime circa ueſtes uerſatur, ab ipſa ueſtium effectione ueſtificam appellemus, quemadmodum diſciplinã ciuitatis procuratricẽ ab ipſa ciuitate ciuilem denominauimus: dicamusq; textoriã facultatẽ, quatenus maxima ex parte ueſtes cõtexit, nulla alia re niſi nomine differre ab iſta quam ueſtificã nominauimus, quemadmodũ ſuprà regiam diximus à ciuili. SOC. Recte admodũ. HOS. Poſt hæc ita cogitemus, quod utiq; ueſtium textricẽ artem forſitan ſufficiẽter dictam aliquis exiſtimet: animaduertere uero non poſſit, quod cum ab his quæ propius cooperãtur, nondũ diſtincta eſſet, à multis alijs ſibi cognatis diſcreta fuit. SOC. Quibus cognatis? dicas obſecro. HOS. Videris mẽtem ſupradictis haud ſatis adhibuiſſe. Quare iterum, ut uidetur, à fine ad principiũ redeundũ. Si enim propinquitatẽ intelligis, hanc utiq; ab ipſa diſcreuimus, dum ſtragulorũ compoſitionem ab amictu & ſuffulcimento ſepararemus. SOC. Intelligo. HOS. Quinetiã artificium omne quod

Generatio exempli

Magna diuerſitas eorum quæ facimus

lino & chordis uirgultisq; utitur, ac ſummatim his quæ terra naſcunt, quæ pauloante neruea uocauimus, iam ſeiunximus. Immo & pileorum compoſitionem, eamue quæ perforando & ſuendo operatur, quę ut plurimum ad coriariam pertinet facultatem. SOC. Omnino quidem. HOS. Seiunximus præterea operimentorum ſimplicium opificium, quod pellibus utitur. Item tegmentorum retinaculorumq; machinamenta quotcunq; in ædificando fiunt: & in alijs artibus quibuſcunq; ad aquarum retentionem repulſionemq;, quæ cunq; circa plicationes & uiolentas actiones opera, quibus aliquid cohibet, efficiunt, ſepesq; & maceriam opponunt, & cumulos quoſdam obijciunt, quæq; operiunt aliquid. Item ualuarum cancellorumq; affixiones, quæ ad clauorum artificiũ attinent. Quinetiã armaturã ſegregauimus, quæ portio eſt amplæ facultatis illius, quæ propugnacula & obſtacula obijcit. Præterea coquinariam quæ remedia præbere ſe uitæ hominũ profitetur, ab initio ſeparauimus. Reliquimus autẽ artem quandam, quæ uiſa eſt illa eſſe quam quærimus, effectricem ſcilicet fulcimentorum aduerſus frigora laneorũ, textoriamq; cognominatam. SOC. Videtur. HOS. Cæterum nondum ô puer, perfecte his dictis rem expediuimus. Nam is qui primus ueſtium artificium tractat, contrà quàm textor agere uidetur, SOC. Quamobrem. HOS. Textor nanq; quodammodo complicat & connectit. SOC. Certe. HOS. Ille uero quæ ſimul inſerta & implicita ſunt, diſſoluit. SOC. Quid iſtud? HOS. Opus eius qui carminat & diſcernit. Nunquid enim carminatoriã & diſcretoriam operam eandem cum textoria uocemus? carminatoremq; & diſcretorem eundem cum textore dicemus? SOC. Nullo modo. HOS. Siquis autem diligentiam quę ſtamina & ſubtegmina præparat, textoriam uocet, procul & ab opinione hominum, & à ueritate iſta appellatione diſcedet. SOC. Planè. HOS. Fullonũ præterea ſutorumq; operam utrum nihil conducere ad ueſtimentorum confectionem dicimus? An has omnes textorias appellamus? SOC. Neutrum dicendum uidetur. HOS. Veruntamen omnes hæ de ueſtium curatione cum textoris arte cõtendent: ac plurimum quidem illi huius operis dabunt, multum quoq; ſibi eiuſdem operis uendicabũt. SOC. Sic eſt omnino. HOS. Præter has exiſtimare inſuper oportet artes inſtrumẽtorum quibus textor utitur, effectrices, partem ſibi in efficienda tela uſurpaturas. SOC. Probe. HOS. Vtrum textoriæ facultatis ratio, quam ut partem eligimus, ſufficienter diſtincta erit, ſi ipſam aliarum omnium facultatum quæ circa laneam ueſtem uerſantur, maximam pulcherrimãq; dixerimus? Aut ita uerum quidem dicetur, perfecte autem & manifeſte nequaquã, priuſquam ab iſta reliquas ſecreuerimus? SOC. Ita certe. HOS. An non ita deinceps agendum eſt, ut cõſequenti ordine nobis ſermo procedat? SOC. Nihil prohibet. HOS. In primis artes geminas circa omnia quę fiunt, conſideremus. SOC. Quas? HOS. Vnam quidem generationis, ut ita loquar, cõcauſam, alteram uero cauſam ipſam. SOC. Quomodo? HOS. Quæcunq; rem ipſam nõ fabricant, ſed fabricantib. organa ſubminiſtrant, quibus abſentibus inſtitutũ opus nequaquã perficeretur, eas concauſas, ut ita dixerim, nominamus: eas autem ipſas quę principaliter faciunt, cauſas appellamus. SOC. Conſentaneũ id quidem. HOS. Poſt hæc artes quæ colum, fuſumq;, radium, pectinẽq; efficiunt, & alia circa ueſtium operam inſtrumenta præparant, omnes concauſas nuncupemus: illas autẽ quæ ueſtimẽta curant & efficiunt, cauſas. SOC. Recte. HOS. Ex cauſis uero partem eã quæ lauat atq; quæ medetur, & alias huius generis quę curam adhibent, cum multa ornãdi diligentia ſit, generatim colligere decet, & fullonum artem cognominare. SOC. Probe. HOS. Eam autem partem quæ carminat, diſcernit, & filat, & omnes circa ueſtium effectionẽ, ars una comprehendit, quæ communiter lanificium nominatur. SOC. Quid ni? HOS. Lanificij porrò partitiones duæ, & utræq; duarum artium ſimul partes ſunt. SOC. Quo pacto? HOS. Facultas illa quæ carminat, & quæ pectine quodam utitur, ac omnino quæcunq; ſunt coniũcta, diſiungit, pars lanificij dicitur. cuius maxime partes duę ſunt, diſcretoria una, altera concretoria. SOC. Sic eſt omnino. HOS. In ea quæ diſcernit, carminatoria, & alię quas modo diximus, facultates inſunt. Nã quę lanas et ſtamina diuidit, uel pectine quodã uel manibus, aliter atq; aliter nomina cũcta quę modo dixim⁹, eſt ſortita. SOC. Ita prorſus. HOS. Rurſus cõcretorię partẽ ſimul & lanificij in ipſa contentã ſumamus: quæcũq; aũt ibidẽ diſcretoriæ inerant, tranſeamus, lanificiũ omne bifariã partientes, in concretoriã partem & diſcretoriã. SOC. Partiamur. HOS. Partem itaq; concretoriã ſimul & lanificiũ ô Socrates, diuidere decet, ſi modo

Ars cauſa, ars cõcauſa

si modo propositam nobis texendi artem sufficienter comprehendere uolumus. SOCR. Oportet sanè. HOS. Oportet absq; dubio. Ideoq; dicamus partem eius unam in uoluendo flectendoq;, alteram in complicando uersari. SOC. Nunquid hæc teneo? Videris enim mihi staminis operam in torquendo ponere. HOS. Non huius tantum, sed & subtegminis. An sine retortione generationem huius esse reperiemus? SOC. Nequaquam. HOS. Describe horum utrunq;: forte nanq; descriptio talis opportuna uidebitur. SOC. Qualis? HOS. Ecce opus carminatoris cum in longum latumq; protrahitur, deductionem uocamus. SOC. Certe. HOS. Cum hoc factis pensis fuso retortum est, solidumq; effectum filum, stamen appellant: artem autem ipsam quæ hoc dirigit & protrahit, staminariam. SOC. Recte. HOS. Quæcunq; uero cõtortionem mollem accipiunt, & staminis implicatione ad reflexionis attractum moderatam mollitiem nanciscuntur, ea utiq; filo deducta subtegmina, artem autem ipsam subtegminariam. SOC. Probe. HOS. Atqui pars illa textoriæ quam proposuimus, iam cuiuis patet. Nam pars concretoriæ facultatis in lanificio, quãdo recta protractione subtegminis atq; staminis implicationem cõtextumq; efficit, totum quidem ipsum implicitum & cõtextum uestem laneam, artem uero huiusmodi textoriam nuncupamus. SOC. Recte admodum. HOS. At cur non statim respondimus textoriam artem esse quæ subtegmen & stamen implicat, sed per longas ambages frustra uagati sumus? SOC. Nihil mihi quidem ô hospes eorum quæ dicta sunt frustra dictum uidetur. HOS. Nihil mirum. sed forsitan uidebitur ô beate si frequenter in hunc morbum imposterum incidas. Nam quid mirum? Audi sermonem qui de huiuscemodi omnibus semper est in medium afferendus. SOC. Dic modo. HOS. Excessus in primis defectusq; naturam inspiciamus, ut secundum rationem moderata laudemus, uituperemusq; in singulis quæcunq; modum sermonis nõ seruant, dum in talibus quibusdam disputationibus aut prolixius quàm decet aut breuius loquimur. SOC. Oportet sanè. HOS. De his utique iure habenda ratio est. SOC. De quibus? HOS. De prolixitate inquam & breuitate, decq; omni excessu atq; defectu. nam dimetiendi facultas ad hæc omnia pertinet. SOC. Profecto. HOS. Eam itaque bifariam distinguamus. Cõducit enim ad id quod intendimus. SOC. Dicas quo modo distinguendum. HOS. Sic. Pars una secundum mutuam magnitudinis paruitatisq; communionem, altera secundum necessariam generationis essentiam. SOC. Qui isthuc ais? HOS. An non secundum naturam tibi uidetur, quod maius est, nullo alio quàm minori maius esse dicendum? quod ue minus, solo maiori minus? SOC. Mihi uero. HOS. Quid uero? Quod excedit mediocritatem, & quod exceditur seu dicendo siue agendo, nónne esse dicemus id quo boni homines à malis differunt? SOC. Apparet. HOS. Ergo essentias gemínas iudiciaq; magni & parui ponere decet: nec ut paulo ante dicebamus, inuicem solum ista referri debent, immo ut nunc dictũ est potius inuicem partim, partim ad mediocritatem comparanda uidentur. Huius autem rationem nunquid intelligere uolumus? SOC. Quid ni uelimus? HOS. Si quis enim maioris naturam ad minus duntaxat referat, ad mediocre non referetur? quid ais? SOC. Id ipsum. HOS. An non artes ipsas earumq; opera omnia hac ratione secernimus? eam ue quam quærimus ciuilẽ, & textoriam facultatem è medio tollemus? hæ siquidem omnes quod mediocri maius est aut minus, non quasi non sit, sed ut difficile quiddam in actionibus uitant, atq; ita mediocritatem seruantes bona omnia pulchraq; efficiunt. SOC. Absq; dubio. HOS. Nónne si ciuilem peritiam sustulerimus, manca nobis, & dubia erit regiæ scientiæ uestigatio? SOC. Valde. HOS. Vtrum quemadmodum in disputatione de sophista, non ens esse euicimus postquã in eo nos destinebat oratio: ita nunc plus ipsum, & minus euincere debemus commensurabilia esse non inuicem solum, sed ad mediocris quoq; generationem? Neq; enim ciuilis disciplinæ quispiam, neq; alterius humanæ facultatis, nisi hoc admittit, potest esse peritus. SOC. Hoc igitur summopere nunc est agendũ? HOS. Maius hoc opus ô Socrates est quàm illud, etsi quàm prolixum illud quoq; fuerit, recordamur. uerum tale quiddam merito de ipsis supponendum. SOC. Quale? HOS. Quod eo quod nunc est dictum opus sit, siquidem docere uelimus absolutum & syncerum natura quid sit: quòd autem ad præsentia pertinere, egregie sufficienterq; monstrauerimus, conferre mihi uidetur sermo hic magnopere, quòd uidelicet existimandum est omnes similiter artes secundum maius simul & minus cõmensurari nõ inuicem tantum,

Maius dupliciter dicitur, respectu minoris, respectu mediocris

Quo boni à malis differant

ſed etiam ad mediocris ipſius generationem.cum enim hoc eſt,illa ſunt:& cum ſunt illa, hæc ſunt,alterutroq; horũ ſublato,utrunq; tollitur. SOC. Hoc quidem recte.uerum quid deinceps? HOS. Diſtinguere decet artem dimetiendi bifariam, quemadmodũ ſuprà dixi mus,unamq; illius partem ponere artes omnes quæcunq; numerũ,longitudinem,latitudinem,profunditatem,& uelocitatem ad contrariũ metiuntur:alterã uero artes illas quæ ad mediocre moderatumq; reſpiciunt,decensq; & opportunum atq; debitum,& ſummatim ad omnia quæ,uitatis extremis,in medium cõfugerunt. SOC. Ampla quidem utraq; portio eſt,& altera longe ab altera diſcrepat. HOS. Quod ſæpenumero ferunt ô Socrates,ornati uiri illi,qui magnũ aliquid ac ſapiens loqui ſe putant,dum prædicant dimetiendi facultatẽ,circa omnia quæ fiunt,uerſari,nũc dictũ eſt. Quicquid enim artificioſum eſt, menſuræ quodam modo particeps eſſe apparuit.quoniam uero quidam conſiderare nequaquam per ſingula genera diuiſione eundo ſolent, hæc tam longe inter ſe differentia, ſtatim cõferunt in unum,ſimilia iudicantes. Sed & contrarium huius faciunt,quæ diuerſa ſunt,per partes minime diſtinguunt:cum oporteat,ubi quis primo multorum percipit cõmunionem,non prius deſiſtere quàm differentias omnes in ea quę ſpeciebus clàuduntur,inſpexerit:atq; iterum quoties diſſimilitudines plurimas in multitudine ſentit,& ægre ſentit,non prius ab hac aſpectus moleſtia deſiſtere poſſe, quàm cuncta quæ cognata ſunt, intra cognationem unam proprietatemq; cõcludens unius generis eſſentia ueſtiat. De his igitur,deq; exceſſibus atq; defectibus hæc dicta ſufficiant:id autem duntaxat ſeruandum,duo hic uidelicet menſuræ genera adinuenta fuiſſe,& quę ea ſint, mente tenendum. SOC. Tenebimus. HOS. Poſt hunc ſermonem, alium aſſumamus, de his quæ modo quærebantur,deq; omni huiuſcemodi ſermonum tractatione. SOC. Quid iſtud? HOS. Si quis forte nos percontetur de puerorũ circa literas exercitatione,quando interrogantur quibus ex literis nomen aliquod conſtet,utrum putemus tunc eos interrogari uniusduntaxat nominis illius declarãdi gratia,an potius ut in omni grãmatica eruditiores euadant, quid reſpondebimus? SOC. Vt in omni grammatica. HOS. Quid porrò? ciuilis uiri indagatio ipſius ne gratia magis propoſita nobis eſt,quàm ut in omni diſputatiõe acutiores efficiamur? SOC. Patet id quoq;,quod omnium gratia. HOS. Nemo utiq; mentis compos textoriæ facultatis rationem ipſius duntaxat gratia uenari contenderet. Verum plurimos latet,ut arbitror,rerum quarundam cognitu faciliũ ſenſibiles nonnullas imagines eſſe,quas declarare nequaquam arduum eſt,quoties ipſorum aliquis uult alicui rationem de aliquo perquirenti,nõ cum ipſis rebus, ſed abſq; ratione expedite demonſtrare. Rerum autem maximarũ precioſiſsimarumq; nulla eſt imago quæ manifeſte ad hominũ ſenſum captumq; efficta ſit:qua oſtenſa qui animum ſciſcitantis explere uelit, ſenſui cuidam accõmodans penitus expleat. Quapropter cogitandũ eſt, ut rei cuiuslibet rationem reddere & recipere ualeamus. Incorporea nãq; cum maxima & pulcherrima ſint, ratione ſola, alio uero nullo perſpicue declarantur. Horũ porrõ gratia modo nobis dicta ſunt omnia. Cuiuslibet autem rei cõſideratio in minoribus facilior quàm ~~in~~ maioribus extat. SOC. Præclare loqueris. HOS. Quorum denicq; cauſa dicta de his omnia ſunt, recordemur. SOC. Quorum? HOS. Eius præcipue moleſtiæ cauſa, qua circa textoriæ facultatis prolixam orationem affecti ſumus,necnon circa totius mundi reuolutionem:atq; ſophiſtæ ſermonem de non entis eſſentia putauimus ſanè prolixiorem fuiſſe quàm deceret diſputationem. Atque in his omnibus noſmetipſos deterruimus,metuentes ne fortè in ſuperuacuis diutius uerſaremur. Ergo ne deinceps iterum tale nobis aliquid accidat, horũ gratia hæc omnia à nobis dicta puta SOC. Fiet,dic age quæ reſtant. HOS. Dico igitur oportere,& me & te eorum quæ diximus ſemper memores eſſe,quotieſcunq; uel breuitas uel prolixitas ſermonis uituperatur, ita ut non ipſas inter ſe prolixitates cõferamus,ſed ad facultatis dimetiendi partem,quam ſuprà diximus,ad decori normam eſſe referendã. SOC. Scite. HOS. Sed nec ad hanc omnia referenda uidentur. neq; enim prolixitate quæ nulli congruit,ad uoluptatem egebimus,niſi obiter. Nec quod quæritur, ut facillime celerrimeq; inueniamus,primo,ſed loco ſecundo contendere decet:maxime uero omnium,primumq; illum honorare progreſſum,quo ſecundum ſpecies diſtinguere ualeamus,diſputationemq; longam haud moleſte ferre, ſed affectare potius, ſi quo modo ad inuentionem nobis confert,ſimiliter & breuem. Decet item eum qui longiores ſermones uitupe

Quod artificioſum eſt, id menſuræ particeps.

Quouſq; diuidendum

Hic non eſt uerũ illud, nihil eſſe in intellectu, quod prius non ſit in ſenſu

Quis progreſſus melior

rat,cir-

rat, circuitusq; disputationum huiusmodi non admittit, haud ita leuiter temereq; damnare prolixitatem, sed ostēdere prius disputatione breuiore, et promptiores ad differendū, & ad inueniendum sagaciores nos si sequamur reddit: alias autem et aliò tendentes increpationes, laudesue, nec curare penitus, nec audire. Ac de his satis si tibi quoq; uidetur: ad ciuilem facultatem iterum redeamus, textoris exemplum quod suprà posuimus cōferentes. SOC. Egregie locutus es, atq; ita ut iubes efficiamus. HO. Nónne iam rex à multis pastorum officijs, immo ab omnibus armentorum custodibus est distinctus? Restant urbanæ facultates concausarum pariter & causarum, quas primum à seinuicem separare debemus. SOC. Recte. HO. Has partiri bifariam difficile est. Cuius difficultatis causa sequenti sermone patebit. SOC. Sic prorsus agendum. HO. Per membra itaq; ipsas instar uictimæ discerpamus, postquam in gemina secare non ualemus. Oportet enim in proximum semper numerum distribuere. SOC. Quo pacto? Experiamur iam. HOS. Quemadmodum in superioribus omnes quæ instrumenta texturæ parabant, ueluti concausas posuimus. SOC. Nempe. HO. Idem quoq; in præsentia, & multo magis agendum. quæcunq; enim magnum aliquod, aut paruum in urbe fabricant instrumentum, tanquam concausæ ponendæ sunt. nam sine his ciuitas constare non potest, neq; ciuilis disciplina consistere. Nullum tamen horum regiæ artis opus esse ponemus. SOC. Nullum prorsus. HOS. Atqui difficile quiddā aggredimur, genus hoc ab alijs distinguentes. Qui enim dicit unius cuiusdam eorum quæ sunt, instrumentum esse, ut uerisimile quiddam loqui uidetur: ita alterum tamen eorum quæ possidentur in ciuitate, hoc est dicendū. SOC. Quidnam? HOS. Quod hanc uim non habet. neq; enim causæ sic conglutinantur generationi ut instrumentum, sed ad eius quod genitum est salutem. SOC. Quale istud? HO. Quod siccis, & humidis, igne calefactis, & frigidis uarium genus effectū, quod una appellatione uas nominamus, quamuis species plurima sit. hoc autē scientiæ illius quam perquirimus non est opus. SOC. Non certe. HO. Tertia possessionum species multiformis apparet terrestris atq; aquatica, multiuaga, & nō errans, preciosa, & uilis, uno significata nomine: quia uniuersum hoc semper alicui sedes efficitur, sessionis gratia. SOC. Quid hoc? HOS. Vehiculum nuncupamus, haud sanè multum peritiæ ciuilis opus, immo architecturæ figulariæq;, & ærariæ facultatis magis. SOC. Intelligo equidem. HOS. Nunquid quartum præter ista dicendum, in quo plurima ex ijs quæ suprà retulimus, continentur? Vestimenta, arma multa, muri, terreniq; & lapidei ambitus, aliaq; permulta. Cumq; hæc omnia muniendi obijciendiq; gratia fiant, recte munimēta obstaculaq; communiter appellari possunt, multoq; magis architectorum textorumq; quàm ciuilis sunt opera. SOC. Sic est omnino. HOS. Num quinto loco ornandi, pingendi, canendi artes locabimus? & quæcunq; his utuntur, & ab his fiunt imitationes quædam oblectationis gratia duntaxat excogitatæ, quæ merito uno quodam nomine comprehenduntur. SOC. Quo? HOS. Vniuersum hoc iocosum quiddam denominatur. SOC. Absq; dubio. HOS. Vnum hoc nomen omnibus his conueniet: neq; enim illorum quicquam studij, sed ioci gratia semper efficitur. SOC. Hoc quoq; fermè intelligo. HOS. Facultatem uero illam quæ his omnibus præparat corpora, ex quibus & in quibus cōficiuntur artiū, quas modo narrauimus, opera, nónne sextam ponemus speciem uariam, & ex multis artibus dependentē? SOC. Quā dicis? HOS. Eam quæ aurū & argentum cęteraq; metalla terræ eruta uisceribus præparat. Item quæ syluas incidit, quæ tondet, quæ ex his construit aliquid, quæ plicat atq; contexit, seu quæ cortices arborum, siue quæ animalium pelles circumcidit, & polit, & quæcunq; artes circa huiusmodi quædam uersantur: rursus illę à quibus suber, liber, codex, uinculaq; parantē, ut fiant compositæ species ex generibus non compositis: uniuersum hoc appellamus primogenitam hominibus possessionē, & simplicem, quod regiæ artis nequaquam est opus. SOC. Optime. HOS. Septimum tenet locum nutrimenti possessio, & quęcunq; commixta corpori, partibus suis partes corporis alere possint atq; curare: quod totū alimentum dici debet, nisi quod fortè pulchrius reperiamus. agriculturæ autem, uenationi, gymnasticæ, medicinæ, coquinariæ uniuersum hoc rectius quàm ciuili tribuitur. SOCR. Rectius sanè. HOS. Fermè omnia quæ possidentur præter domesticorum animalium species, in his septem arbitror sunt numerata. Sic autem cogita. Par erat primogenitā illam quam uocamus speciem primum inducere, instrumentum deinde, uas, uehiculum, munimentum

Quod longa disputatio non leuiter est damnanda

Oportet semper in proximū numerū distribuere.

mentum,oblectamentum,nutrimentum:prætermittimus autem, ſiquid nõ magnum latuit,quod alicui iſtorũ accõmodari poſsit,qualis eſt nũmorum forma,ſigillorũq́, & omnis characteris.Genus enim hæc in illis non admodũ cognatum habent,ſed partim in ornatum,partim in inſtrumenta,uiolentius forſan,attamen penitus tracta quodãmodo cõgruunt. poſseſsionẽ uero animalium domeſticorũ,ſeruis exceptis,gregis nutritio primo diſtincta,comprehendiſſe uidetur. SOC. Et maxime quidem. HO. Reſtat ſeruorum miniſtrorumq́ omnium genus,ubi præſentio eos palàm reclamaturos eſſe,qui de hac parte ſic cum rege contendunt,quemadmodum cum textore qui carminant filantq́, quiq́ alia de quibus diximus,faciũt. Cæteri uero omnes tanquã concauſæ dicti,unà cum nunc memoratis operibus à regia ciuiliq́ actione ſeiuncti ſunt atq́ diſcreti. SOC. Apparuit. HO. Cõſideremus reliquos quàm proxime accedentes,ut certius cognoſcamus. SOC. Oportet omnino. HOS. Maximos porrò miniſtros quantum hinc intueri licet, cõtrariam eius quam ſuſpicati ſumus exercitationem paſsionẽq́ habere reperiemus. SOC. Quos? HO. Empta mancipia & ſimili quodam modo in ſeruitutem coactos homines. Quos ſine controuerſia ſeruos cognominare poſſumus longiſsimè à regia dignitate diſtãtes. SO. Quid ni? HOS. Quid dicemus de liberis,quicunq́ ſponte quæ ſuprà diximus miniſteria obeũt, agriculturæ,& aliarum artium opera tranſportant, mutuisq́ cõmutant commerciis,ſiue de foro in forum in urbe eadem, ſeu de urbe terra,mariq́ transferentes in urbem, partim cum rebus aliis nummos,partim ſimile quiddam ſimili cõmutantes,quos nummularios, mercatores,nauticos,uectores,caupones denominauimus? Nũquid iſti ciuilem ſibi peritiam uendicabunt? SOC. Fortè mercatorum artem. HOS. Non tamẽ illi quos utpotè mercenarios cernimus paſsim omnibus ad ſeruiendum expoſitos, regiam uſurpare dignitatem reperientur. SOC. Eſt ut dicis. HO. Quid uero de his qui talia quædam nobis ubiq́ ſuppeditant? SOC. Quos dicis,& quarum rerũ ſuppeditatores? HO. Genus præconum inquam,& eorum qui ſapiẽter circa publicas literas ſubminiſtrant,nõnullosq́ alios ſolertes rerum ad principum miniſterium pertinentium elaboratores. Quid de his dicendum Socrates? SOC. Quod & ipſe dicebas, miniſtros eſſe non principes ciuitatum. HO. Non uanum eſt igitur,ut arbitror,quod in ſuperioribus dixi, inuenturos nos hac ratione peroſq́ de ciuili curatione uehementer concertantes,quamuis abſurdum alicui uideri poſsit,eos in miniſtrorum numero quærere. SOC. Valde quidem. HO. Accedamus præterea propius ad eos qui nondum examinati ſunt:hi uero ſunt qui circa uaticinium habent ſcientiæ alicuius miniſtræ particulam.Interpretes enim diuinorum ad homines hi cenſent. SOC. Certe. HO. Quinetiam ſacerdotũ genus,ut lege habetur,intelligit docetq́ quo pacto donaria diis, & ſacra ſint offerenda. Item qua ratione uouendum ſit,quid ue boni ſit à diis petendum. Hæc autem ambo miniſtratoriæ artis partes ſunt. SOC. Videtur. HO. Iam igitur ueſtigium quoddam eius quod inquirimus attingere uidemur. nam illa ſacerdotum & uatũ ratio,magnanimitate,intelligentiaq́ & claritate abundat,propter eorum quæ tractant magnificentiam. Quapropter apud Aegyptios nõ licet regem abſq́ ſacerdotio imperare. Quinimmo ſi ex alio genere quiſpiã ui regnum uſurpet,cogit poſt regni aſſumptionẽ ſacris initiari,ut rex denicq́ ſit,& ſacerdos. Præterea in plurimis Græcorum ciuitatibus apud uos præſertim, reperies præcipua ſacra à magiſtratibus ſummis inſtitui. nam & apud uos fertur,creato regi patria & ſolennia ſacra maxima, & puriſsima aliorũ omnium eſſe tributa. SO. Et maxime quidem. HO. Hos itaq́ fortè creatos reges, ſacerdotesq́, & eorũ miniſtros,necnon aliam quandam frequentẽ turbam cõſiderare debemus, quæ paulo ante ſemotis ſuperioribus in lucẽ uenit. SOC. Quos inquis? HO. Miros quoſdam inquã. SO. Quamobrẽ? HOS. Iam enim cogitanti mihi multiforme horũ genus apparet. Multi nanq́ uirorũ leonũ ſimiles fiunt, centaurorũq́, aliorũq́ huiuſmodi, plurimi etiam ſatyrorum,imbecillium q́, & multiformiũ beſtiarũ, citoq́ tranſmutant alternantq́ inuicem formas & uim.Enimuero nunc primum eiuſmodi uiros ô Socrates animaduertiſſe mihi uideor. SOC. Dic obſecro. uideris enim mirum quiddam nunc uidere. HOS. Profecto.Nam ut mirum ſemper aliquid nobis contingat ignoratio efficit. Ac mihi modo idem contigit. Repente nanq́ ut ambigerem accidit, cum chorũ negociorũ ciuilium intuerer. SOC. Quem? HO. Maximum ſophiſtarum omniũ præſtigiatorem, huiusq́ artis præ cęteris peritiſsimum, quem diſcernere decet à uiris reuera regijs atq́ ciuilibus quam

Quod reges deceat ſacerdotiũ maximũ

uis

uis arduum id sit, si modo quod quærimus perspicue cognoscere uolumus. SOC. Nullo modo hoc intermittendum. HOS. Non certe ut arbitror. Ac mihi dicas, an non monarchia, id est principatus unius, una quædam est gubernationum ciuilium? SOC. Est, HOS. Post hanc paucorum potētiam ponere possumus. SOC. Sanè. HOS. Tertiam uero multitudinis gubernationem quam popularem uocant. SOC. Prorsus. HOS. Nónne tres hæ quodammodo quinq; fiunt, cum duo nomina ex se insuper pariant? SOC. Quænam? HOS. Qui considerant & inuitis & uolentibus, item & lege & arbitrio, imperari posse, tum & pauperes esse posse qui præsunt, uel diuitijs ad imperiū euehi, duas in species tam unius quàm paucorum diuidunt principatum. Et unius quidem principatū in regnum, & tyrannidem partiuntur. SOC. Vtiq;. HOS. Gubernationem uero quæ penes paucos est, in paucorum potentiam, & potentiam optimatum. SOC. Omnino. HOS. Popularis uero gubernationis nomen nullus utiq; mutare aliquando consueuit, siue sponte, seu ui populus diuitibus quibusdam præsideat, siue lege, seu arbitrio regat. SOC. Vera narras. HOS. Nunquid existimamus aliquā harum gubernationum ciuilium rectam esse finibus his distinctionibusq; determinatā? uidelicet uno, paucis, multis, paupertate, diuitijs, uiolentia, uoluntate, legibus & arbitrio. SOC. Quid prohibet? HOS. Considera diligentius, & hac me sequere. SOC. Qua? HOS. Stabimus ne in eo quod in principio dictum? an non? SOC. In quonam? HOS. Regiam dignitatem unam quandam scientiarum esse diximus. SOC. Diximus. HOS. Neq; in quouis scientiæ genere illā locauimus. Emultis quippe facultatem illam quæ iudicat simul præcipitq;, selegimus. SOC. Sanè. HOS. Eam deinde quæ præcipit, partim rebus inanimatis, partim animatis: & eodem ordine diuidentes, huc sumus progressi ut scientiæ nomen seruaremus: quæ uero potissimum scientia sit, nondum declarare potuimus. SOC. Recte loqueris. HOS. Nūquid igitur uidemus descriptionem eorū neq; secundum uiolentiā, & uoluntatem, neq; secundū paucos ac multos, neq; per inopiam & opulentiam fieri oportere, sed per scientiam quādam, si superiora sequamur? SOC. Necesse est ut id fiat. HOS. Necessario igit̄ hoc nunc ita considerare debemus, cuinam horum maxime imperatoriæ facultatis scientia insit, quæ fermè comparatu maxima omnium atq; difficillima est. Inspicere nanq; illam oportet, ut uideamus quinā à sapiente rege segregandi sint, qui sibi ciuilem peritiam uendicant, idq; plurimis persuadent cum ab ipsa procul admodum absint. SOC. Sic prorsus agendum, ut ratio superior monuit. HOS. Nunquid igitur multitudo tibi in ciuitate huius scientiæ compos uidetur? SOC. Quonam pacto? HOS An in mille hominum ciuitate fieri potest, ut centū, uel quinquaginta uiri sufficienter eam adipiscantur? SOC. Facillima omnium artium hæc esset. scimus enim in mille hominum numero totidem uiros qui talorum ludo cæteros Græcos exuperent, nequaquam reperiri, nedum reges. Atqui uirum illum quicunq; regia peritia instructus est regem uocare, siue dominetur, siue priuatus degat, iuxta rationem illam superiorem oportet. HOS. Pulchre monuisti. arbitror autem iuxta hunc sermonem rectam gubernationem, siquando recta sit, circa unum, uel duos, uel paucos esse quærendam. SOC. Quid ni? HOS. Existimare uero eos ciuiles ac regios homines oportet, qui arte quadam imperant, uolentibus an nolentibus, secundum scripta an absq; scriptis institutisq; & legibus, pauperes an diuites ipsi, imperitent nil refert. Nam & medicos nihilominus sic appellamus, siue inuitis, siue uolentibus secando, aut urendo, uel aliter affligendo, scriptis aut ex usu curent, pauperes ipsi aut diuites medeātur, modo arte quadam curandorum corporum, uel purgando, uel extenuando, uel replendo augendoq; utantur. Aeque enim medicos nominamus, dummodo qui curant ad bonum corporis respicientes, ex dereriori habitudine in meliorem restituant atq; seruent. hoc modo duntaxat ut arbitror rectam esse dicemus medicinæ, uel cuiusuis alterius principatus definitionē, alio uero nequaquam. SOCR. Ita prorsus existimandum. HOS. Necesse est igitur eam maxime, ac solam rectam existimare rempublicam, in qua qui magistratibus funguntur, reuera gubernare sciunt, siue legibus, seu absque legibus dominentur, siue uolentibus, siue inuitis, uel etiam si pauperes sint, uel diuites. Nihil enim ex his quicquam ad rectam gubernandi rationem refert. SOC. Præclare. HOS. Neq; insuper refert, siue capitalibus pœnis & exilijs quibusdam communis boni gratia ciuitatem purgent, seu colonias tanquam apum examina emittant, populumq; comminuant, siue aliunde homines futu-

Circa quos sit recta gubernatio

ros

ros ciues aduocent,ciuitatemq; amplificẽt.Quatenus enim scientia & iustitia freti ex deteriori meliorem pro uiribus ciuitatẽ efficiunt, atq; seruant, eatenus rectã appellari rem publicam uolumus,& in eo ipso duntaxat definitionem rectæ gubernationis consistere. Cæteras uero omnes neq; legitime,neq; uere dici putandum. Sed eas quæ hanc imitantur,libenter laudamus,uelut recte ad meliora tendentes:alias cõtrà uituperamus tanquã imitatione malorum ad deteriora procliues. SOC. Cætera quidem hospes probe dicta uidentur:isthuc uero quod inquis,gubernationẽ sine legibus rectam esse posse,haud facile admitti potest. HOS. Paululum me interrogando ô Socrates prẽueneisti. Eram enim percontaturus,utrum hæc admittas omnia,an quicquã aliter statuas.nunc autem cõstat nos uelle de ijs qui recte sine legibus præsunt,disserere. SOC. Proculdubio. HOS. Patet autẽ quodammodo,legum lationem ad dignitatẽ regiam pertinere. Sed esse optimũ non leges quidem ualere,sed hominem prudentẽ regiumq;. Nunquid huius rationẽ intelligis? SOC. Declara. HOS. Quoniã lex nequit quod optimum omnibus est & iustissimum syncere cõprehendẽdo,semper ita,ut operę preciũ est,præcipere.quando hominũ actionũq; dissimilitudo instabilisq; rerum humanarum cõditio facit ut ars nulla simplex quicquã, & in uniuersum de omnibus, perq; omne tempus ualens constituere possit. Cõcedimus ista? SOC. Planè. HOS. Legem uero cernimus ad hoc ipsum niti, quasi hominem quendam pertinacem & imperitum,qui nihil ẽ quod ipse constituisset,fieri permittat,sed nec rogari etiam, siquid noui præter illius ordinem potius meliusq; alicui uideatur. SOC. Uera loqueris.Ita enim ut dicebas lex homines cogit. HOS. At fieri nõ potest,ut certus quidam & unius modi simplexq; ordo ualeat in his quæ uaria semper sunt, uniusmodi uero nunquam. SOC. Apparet. HOS. Inuenienda igitur causa est quã propter leges ferre necesse est,lex ipsa licet optimum atq; rectissimũ non sit. SOC. Cui dubium? HOS. Nónne & apud nos & apud alios quosuis mortales sunt quædam simul omnium exercitationes communes, siue cursu,siue alio quocunq; genere decertare uelis. SOC. Permultæ. HOS. Referamus si placet præcepta illorum qui arte quadam gymnasiis præsunt. SOC. Quænam? HOS. Arbitrantur illi quidem fieri non posse, ut quod sigillatim & unicuiq; seorsum conuenit,præcipiatur.Itaq; quod cõmunius est,quodq; & plurimis & plurimũ conducere putant,instituendum censent. SOC. Præclare. HOS. Quamobrem dum æquis laboribus hodie cunctos astringũt,paribusq; exercitationibus agitant, fit ut uel nimis incitent,uel eneruent,& inepta ad cursum palæstramq; & alia certamina corpora reddant. SOC. Sic accidit. HOS. Legum quoq; conditorem putemus suis gregibus præsidentem, decq; iustis operibus mutuis ue commercijs iura dantem,non posse dum cunctis in unum consulit,ad singulorum cõmoditatem ius ue prospicere. SOC. Consentaneum est. HOS. Cæterum,ut arbitror,quod & plurimis & plurimum conducit,communiter instituet, ac huiusmodi leges & scriptis & nõ scriptis,sed patrijs moribus inducet. SOC. Recte. HOS. Recte admodum. Etenim quo pacto quis possit per omnem uitam ad singulos circũspicere,sedulusq; assidere cuiq;,& cuiusq; cõmoditati consulere? Nam si quis disciplina regia præditus,hoc efficere posset,nunquam impedimẽta ista quæ leges appellant,sibi prę scriberet. SOC. Ita prorsus ex his quæ dicta sunt uidet. HOS. Immo magis ô Socrates ex his quæ dicentur. SOC. Quibus? HOS. Hisce inquam. si medicus quidam aut gymnasticus imminente lõga peregrinatione, procul ab ijs quos curat abfuturũ diu se putet, diffidatq; illorum memoriæ, num agendorũ monumenta quædam illis cõscribere cogitabit, nec ne? SOC. Cogitabit utiq;. HOS. Quid si præter opinionem ocius quàm putauerat reuertatur,uerebitur ne alia illis præcipere præter ea quæ quondam scripserat,si qua potiora ægrotantibus adhiberi possint ob temporum mutationes, uentis aut alio quopiam præter spem,& consuetudinem incidentibus? perseuerabit ne inquam in priori proposito,neq; primas institutiones transgredi quenquam patietur,nec ipse mãdare alia, nec ab ęgrotante alia præter solita obseruari,quasi ea & medicinæ artis propria sint, & saluberrima:quæ uero aliter fiant,prẽter artem sint,& noxia? An potius quicquid eiusmodi circa scientiam artemq; ueram acciuit, per omnia risum plurimum autoribus istis concitabit? SOC. Et maxime quidem. HOS. Ei uero qui iusta & iniusta,honesta & turpia, bona & mala,siue scriptis legibus siue non scriptis moribus,hominum gregibus quicũq; in ciuitate ad legum scriptarum normam uiuunt,tulit induxitq;,non licebit alia quædam præter ea

Legũ latio/nem ad re/gem pertine re

Quare cõ/stitutio legũ necessaria

ter ea quæ ſcripta ſunt agere,neq; ſi ipſe idem qui ante cõſcripſit,redeat, neq; ſi quis alius eius ſimilis ueniat:an potius dubitatio talis nõ minus q̃ illa ſuperior reuera ridicula uide retur? SOC. Nihil prohibet. HOS. Noſti ergo quid hac de re uulgo dicatur? SOC. In præſentia non memini HOS. Atqui pulchra dicunt.aiunt enim ſiquis leges quaſdã prio ribus meliores inuenerit,& eas ciuibus perſuaſerit, eũ oportere leges ferre:ſi non perſua ſerit,non oportere. Nunquid recte? SOC. Forſitan. HOS. Sinautem quiſpiam non per-ſuaſione,ſed ui quod rectius eſt induxerit,quod erit potiſſimum ei uiolentiæ nomen?re-ſponde.imò nondum ad iſta,ſed ad ſuperiora prius. SOC. Quæ inquis? HOS. Si quis arte medica uere præditus non perſuadeat,ſed cogat eum quem curat puerum, uel uirum uel mulierem præter ſcripta,quod melius agere,quodnam erit ei uiolentiæ nomẽ? Nónne a-liud quoduis potius q̃ artis tranſgreſſio,hoc eſt illatio morbi? & quiduis aliud potius coa cto homini,q̃ tranſgreſſionem artis ac morbum contigiſſe dicendum? SOC. Vera loque ris. HOS. Quid autem contra ciuilem artem erat delictum? Nónne quod turpe dicitur, quod malum,& quod iniuſtum? SOC. Iſthuc ipſum. HOS. Age cum aliqui coguntur præ ter patrias leges moresq; facere quæ iuſtiora, meliora, honeſtioraq; ſunt, nónne ridiculo-ſiſſimus omnium erit quiſquis uim eam uituperabit,dicetq; illos à curatoribus qui coege runt,turpia,mala,iniuſta fuiſſe perpeſſos? SOC. Vera penitus loqueris. HOS. Nunquid ſi diues eſt qui cogit,iuſtæ coactiones ſunt:ſi pauper autem,iniuſtæ? An potius ſiue perſua ſerit,ſiue non perſuaſerit,ſiue pauper ſit,ſeu diues, & ſecundũ ſcripta, uel præter ſcripta, modo utilia inducat, dicendum eſt hanc ueram eſſe rectæ gubernationis ciuilis definitio nem? Qua ratione uir ſapiens bonusq; gubernabit ſemper ita ad ſubditorum ſalutem re- Regũ officiũ
ſpiciens,ut ad nautarum nauisq; ſalutem reſpicit gubernator. Nam ut ille nõ ſcriptis, ſed arte quaſi lege quadam nautas ſeruat, ita & uir ille uere ciuilis, & apud eos qui ita domi-nari poſſunt,recta eſt rerum ciuilium adminiſtratio, uim artis legibus potiorem abhibẽs. Ac ſummatim quicquid prudentes principes agant, nunc̃q; delinquunt, quandiu unum hoc potiſſimum ſeruant,ut mente & arte quod iuſtiſſimum eſt ciuibus inducentes, tueri eos ualeãt,melioresq; ex deterioribus quoad fieri poteſt,efficere. SOC. His quæ modo di Quod mul
cta ſunt,repugnare non licet. HOS. Neq; illis inſuper. SOC. Quibus dicebas? HOS. Quod titudo non
nulla unquam multitudo poteſt ea diſciplina præcellere, qua ſecundum mentem ciuitas poteſt rege-
regatur. Sed recta illa ciuitatis adminiſtratio uel apud unũ,uel apud pauciſſimos certe eſt re
quærenda. Cæteræ uero tãquam imitationes quædam ponendæ uidentur,ut paulo ſuprà Perfecta ad-
dictum eſt,hunc nunc quidem in meliorem partem,nunc in deteriorem imitantes. SOC. miniſtratio
Quomodo iſtud dicebas? neq; enim quod de imitando paulo ante dixiſti,ſatis tum intel- apud unum
lexi. HOS. Haud male fecerit,ſi quis hoc illato ſermone, deſiſtet prius quàm errorem,qui uel paucos
circa hoc nũc eſt cõmiſſus,oſtenderit. SOC. Quem errorem inquis? HOS. Tale quid iam quærere neceſſe eſt, quod quanq̃ neq; conſuetum, neq; cognitu facile eſt, ipſum tamen comprehẽdere annitamur. Cum ſola hæc quam memorauimus, recta ciuilis gubernatio ſit,nonne cæteras huius inſtitutis utentes,ſeruari neceſſe eſt,dum agunt quod modo lau-dabamus,quamuis rectiſſimum id non ſit? SOC. Quid illud? HOS. Quod nemo quicquã præter leges cõmittere audeat,& quiſquis audet,morte multet̃,extremisq; omnibus ſup plicijs affligatur.id autem eſt ſecundo loco rectiſſimũ atq; honeſtiſſimum: primo namq; in loco ponendum quod nunc eſt dictum. Quo autem modo eueniat,quod modo ſecun-dum eſſe diximus,declaremus. Vis ne? SOC. Et maxime quidẽ. HOS. Veniamus iterum ad imagines,quibus regios principes ſemper cõparare neceſſe eſt. SOC. Quas imagines inquis? HOS. Generoſum inquam nauis gubernatorẽ,multisq;,ut ille dicebat,alijs æqui-parãdum medicum cõſideremus iam imaginem eius rei aliquã fingentes. SOC. Qualẽ? HOS. Talem quãdam,ut ſi omnes grauia nos quædam ab illis pati nobis perſuadeamus, utputa qui quos noſtrum ſeruare utriq; uelint,ſeruent:quos cõtra perdere,perdant,dum Ãn leges im
ſecant,urunt, & ex hoc inſtituto ſuo quaſi quoddam tributũ mercedem referunt: cumq; mutabiles
multa cogant expendere ægrotantem,ipſi pro ægrotante exponunt nihil,reliquis autem ferendæ
rebus & ipſi & ipſorum familiares utuntur:demum acceptis pecunijs,uel à cognatis, uel ab inimicis ægrotantis,mori eum cogunt. Gubernatores quoq; alia quædam huius gene ris permulta patrare dicuntur,utputa qui hõines ſæpe ex compoſito in receſſibus ſolos deſtituant,quum quippiam in pelago labefactarint in mare illos eijciant,inq; multis alijs

Hac lege & in præsens & in posterũ artes omnes euerti queant

lædant. Persuadeamus itaq; nobis, nos his causis lacessitos cõsulere, quo pacto autoritatem artibus illis auferamus, ne libere ulterius, aut seruis aut liberis hominibus dominentur: & ob hoc cœtu facto nos concurrere, & uel omnem populũ, uel diuites tantum conuocare, ubi etiam rudium hominũ, & aliorum artificum de nauigio morbisq; consilium audiatur: quo nam pacto medelis instrumentisq; suis medicos apud ægrotos uti oporteat: item nauibus, & earum instrumentis nauigando, periculaq; procellarũ, & fluctuũ euitando, & piratarũ insidias euadendo, ac etiam si mari longis nauibus aduersus similes sit pugnandum, qua ratione uti his deceat. Fingamus inquam, quæ hisce de rebus uel medicorum gubernatorumq;, uel rudium hominũ turbæ consultanti uidentur, in publicis quibusdam tabulis columnisq; inscribi, & mores quosdam ritusq; nõ scriptos, sed patrios hisce de rebus cõstitui, sic ut reliquum tempus omne ad horum normam nauigandũ sit atq; medendũ. SOC. Vehementer absurda finisti. HOS. Præterea quotannis populi principes constitui, siue ex diuitibus, siue ex omni populo sorte delectos, qui iuxta scriptas illas institutiones & naues gubernent, & ægrotantibus medeantur. SOC. Hæc superioribus quoq; duriora uidentur. HOS. Videamus præterea quod hinc sequitur. Cum annui magistratus cuiusq; tempus exactum fuerit, necesse erit iudicio, aut ex delectis diuitibus, aut ex uniuerso populo sorte cõstituto, istic sistere uiros illos magistratib. functos, eosq; corrigere: ita ut liceat uolenti cuilibet litem eis intendere, quod aliter q̃ leges iubeant, & patria cõsuetudo doceat, aut naues gubernauerint, aut ægros curauerint: & qui aliter fecisse deprehendentur, lata sententia, uel supplicio, uel alio quodam incommodo à iudicibus afficiantur. SOC. Nónne quicunq; magistratum inter huiusmodi homines spõte suscipit, merito quoduis supplicium damnum ue patietur? HOS. Ferre insuper oportebit: si quis præter scriptas constitutiones nauigandi rationem aliquã nouam inferat, aut sanitatis tuendæ ueram illam & legibus traditam rationem, ad uentos, & calores, & frigora transferens perscrutetur, & circa hæc ex ingenio suo philosophetur, doceatq;: primo quidem hunc neq; gubernatorem esse, neq; medicum nominandum, sed curiosum quendã delirumq; sophistam. deinde à quolibet in iudicium trahi posse, utputa qui iuniores alios corrumpat, suadeatq; ut gubernatoria & medicina cõtra legum instituta pro suo cuiusq; arbitratu tractaretur, eodem pacto naues morbiq; curentur: ac si præter leges iuuenibus, aut senibus persuadere quicquam reperiatur, extremis supplicijs affici. neq; enim oportere quicquam legibus sapientius esse. neq; enim quenquam aut medicinæ sanitatisq; naturam, aut gubernãdi nauigãdiq; optimam rationem ignorare, scripta moresq; patrios perdiscere uolentẽ. Si hæc ita contingant circa scientias quas narrauimus, aliasq; permultas, ut secundum præscripta potius quàm secũdum artem agatur, quid dicemus ô Socrates? Vtputa si idem circa rem militarem, omnemq; uenationem, circa picturam quoq;, & uniuersam imitationem, circa architecturam, & omnem instrumentorũ supellectiliumq; effectionem, circa agriculturam & omnem plantandi curam, equorumq; & armentorum omnium custodiam, circa uaticiniumq;, & uarium ministrorum obsequium, circa talorũ ludum, arithmeticam nudam, uel eam quæ circa planum, aut profundũ, aut uelocitatem tarditatemq; est, constituatur. SOC. Certum est, si ita se res habeant, artes omnes funditus subuerti, neq; deinceps unquam renasci ob hanc ipsam legem quæ rerũ nouarum indagationem uetat. Vnde uita quæ nunc difficilis est, tunc prorsus etiam intoleranda fieret. HOS. Quid ad hoc? Si secundũ præscriptas leges fieri singula cogeremus, legibusq; ipsis præficeremus uirum quendam, uel consensu populi designatum, uel sorte creatum, qui spretis legibus, aut lucri causa, aut propriæ libidinis gratia, alia quædam præter hæc quæ sunt instituta, imperitus rerũ agere tentet, nõne hoc priori malo deterius? SOC. Maxime. HOS. Etenim quisquis cum imperitus sit, præter leges illas quæ ex lõgo rerum usu ab his qui gratioſe populo consultantes ut eas acciperet, persuaserunt, latæ sunt, cõmittere audet, scelus cõmittit superiori peccato longe deterius: ac multo magis quàm scriptæ leges, officia uitæ confundit atq; peruertit. SOC. Magnopere. HOS. Quapropter legibus constitutis, altera iam (quemadmodũ dicitur) nauigatio est, ut nemo quicq; unquã præter illas facere permittat, siue singuli, siue populus hoc conetur. SOC. Scite. HOS. Nónne imitamenta quædam ueritatis, singulis hæc erunt, quæ ab intelligentibus pro uirili constituta fuerunt? SOC. Nihil obstat. HOS. Atqui si recordamur, ciuilem reuera hominem

Si quisquã iners præponeretur legibus, quid mali sequeretur

Leges esse ueritatis imitationes

atq;

atq; peritum, suprà diximus multa sæpe ex arte facturum præter instituta quæ antea scripserat, quoties potiora quædam ijs quæ absentibus reliquit, inuenisse putauerit. SOC. Diximus proculdubio. HOS. Nõne si uel singuli, uel populus ipse, cui leges prescriptę sunt, præter q̃ quod illis legibus traditũ aliud quiddã tanq̃ melius aggreditur, idem pro uiribus quod uerus ille ciuilis uir agit? SOC. Summopere. HOS. Siqui igitur imperiti id agerent, imitari quidem uerum ipsum anniterentur, peruerse tamen imitarẽtur. Siqui autem periti idem contendant, haud amplius imitatio iam hoc, sed illud ipsum ueriſſimum erit. SOC. Omnino. HOS. Enimuero id iam ante inter nos cõuenit, artem nullam multis competere. SOC. Conuenit certe. HOS. Ergo si ars quædam regia facultas est, turba diuitum, & populus omnis scientiam hanc ciuilem nunq̃ nanciscitur. SOC. Nunq̃. HOS. Oportet itaq; respublicas eiuscemodi siquando ueram illam gubernationẽ unius uiri arte imperantis pro uiribus imitaturæ sunt, nunquam quicq̃ præter scriptas leges moresq́ patrios facere. SOC. Egregie locutus es. HOS. Eandem illã cum diuites imitantur, eam rem pub. optimatũ gubernationem uocamus: quando uero leges pro nihilo habent, paucorũ potentiã. SOC. Apparet. HOS. Quinetiã quoties unus secundũ leges dominatur, scientem illum imitatus, regem uocamus, nõ distinguentes nomine illum qui scientia solus imperat, ab eo qui opinione secundũ leges solus etiam dominatur. SOC. Ita uidetur. HOS. Nónne igitur si unus uera illa scientia præditus imperat, idem nomen hoc est regium habet, nec alio cognomento appellatur? Nam ex quinq̃ nominibus gubernationũ ciuilium quas narrauimus, unum solum hoc erat. SOC. Videtur. HOS. Quid porrò? quotiens neq; ex lege, neq; ex more quispiam dominatur, simulatq́ scire se, & præter leges rectius hoc ita fieri oportere, ineſt autem libido & ignorantia quædam quæ ad imitationem eiusmodi inducit, an non uir talis tyrãnus est appellandus? SOC. Et maxime quidem. HOS. Hac ratione rex extitit, ut diximus, & tyrannus, paucorum potentia, optimatum gubernatio, nec nõ popularis administratio, cum ægre ferrent homines unius imperium, diffidereq́ uirum talem reperiri aliquando posse tanto imperio dignum, qui & possit & uelit uirtute & scientia imperãs, sancte & iuste suum cuiq; ius tribuere, timerentq́ præterea ne forte uir unus licentiam nactus, quemlibet pro libidine læderet, & opprimeret atq; necaret. quoniam si talis quidam qualem figurauimus, nobis occurreret, amaretur profecto eius administratio, quæ sola omniũ rectiſſima est, conducitq́ ad bene beateq́ uiuendũ. SOC. Sanè. HOS. Nunc autem postq̃ nõ nascitur rex talis in ciuitatibus, qualis inter apũ examina statim à principio tam corporis q̃ animi habitu cæteros antecellens, necesse est cœtu consultantium facto instituta conscribere, ueſtigiaq́ ueriſſimæ reipub. illius percurrere. SOC. Sic apparet. HOS. Et miramur ô Socrates, quod in gubernationibus huiuscemodi mala quæ fieri uidemus, eueniant, ueneraq́ sint, eo iacto fundamento, quod nõ scientia, sed scriptis quibusdam institutionibus moribusq́ nititur tãtum in rebus agendis, quo si alia quædam gubernatio uel ciuitas utatur, certum est omnia funditus euersurã. Aut illud fortasse mirum magis uideri debet, q̃ robusta res natura ciuitas sit: nam cum ciuitates nõnullæ sic iam diu infectæ, permanent nihilominus, neq; corruunt: multæ tamẽ nauium instar submersæ perierunt, pereunt, atq; peribunt, ob gubernatorũ nautarumq́ improbitatem, qui in rebus maximis extrema quadam ignorãtia detinentur, quoniam cum rerum ciuilium prorsus ignari sint, in ijs tamen plurimum sibi sapere uidentur. SOC. Vera loqueris. HOS. Cum igitur omnes non rectæ respub. sint ad conuiuendũ difficiles, uidendum quæ leuiſſima, quæue omnium onerosiſſima sit: quę res & si minus ad id de quo nunc agimus, pertinere uidetur: tamen in uniuersum fortasse omnes omnia huius gratia facimus. SOC. Ita prorsus agendum. HOS. E tribus unam atq; eandem facillimã simul, & difficillimã ferunt. SOC. Qui istuc ais? HOS. Non aliter q̃ suprà, tres scilicet esse ciuiles gubernationes, unius, paucorum, atq; multorum primum sermone confuso. SOC. Erant & suprà. HOS. Singulis autem in duas diuisis, sex efficiamus, rectamq́ ipsam uelut septimam ab alijs secernamus. SOC. Quo pacto? HOS. Vnius principatum in regnum, & tyrannidem distribuimus. Dominationem uero quæ nõ multis competit, in speciem unam quæ laudanda est, optimatum scilicet gubernationem: alteram quæ uituperanda, paucorum potentiam. At multorum administrationem tunc simplicem posuimus, popularem gubernationem denominantes: nunc uero & hanc duplicem esse dicamus. SOC. Qua igi

Qui rex sit gubernãdo

Ciuitas suapte natura robusta

Septem gubernationes, & earũ omniũ pulchra inter se comparatio

tur ratione diuidemus? HOS. Non alia ꝙ reliqua, etiam si nomen huius sit geminum. Verum tam huic ꝙ alijs cõmune hoc est, ut leges uel seruent, uel transgrediantur. SOC. Est utiq;. HOS. Tunc sanè rectam gubernationem quærentibus, partitio hæc nihil conducebat, ut suprà monstrabamus. Postꝙ uero illam segregauimus, cæteras uero necessarias duximus, in his iam legum uel custodia uel transgressio singulas bifariã partiuntur. SOC. Ex eo qui nunc est dictus, sermone ita uidetur. HOS. Vnius igitur dominatio bonis coniuncta cõstitutionibus, quas leges uocauimus, sex illarum omnium optima est: legum ex pers dura est, & subiectis omnium onerosissima. SOC. Apparet. HOS. Gubernationẽ uero in qua non multi imperitant, mediam censere debemus, quemadmodũ quod paucum est inter unum multa ue medium obtinet: cæterum multorum administrationem per omnia debilem, utpote quæ ad alias comparata, nihil magnificũ, siue bonum, siue malũ efficere possit, propterea quod magistratus ad exigua redacti sunt, in multosꝙ diuisi. Quapropter legitimarum omniũ Rerumpub. hæc deterrima est, iniquarum optima. Ac si omnes intemperatæ sint, in populari præstet uiuere: si temperatæ omnes, minime omniũ in ista uiuendum. In prima uero uitam agere potissimum est atꝙ optimũ, excepta septima. Illam nãꝙ ab omnibus alijs gubernationibus, non aliter ꝙ ab hominibus Deum secernere decet. SOC. Videntur hæc ita fieri atꝙ contingere, & ut inquis, agendũ. HOS. Nónne igitur omnes harum Rerumpub. eo solo qui sapientis illius est, excepto, administratores segregare decet, utpotè qui nõ reuera ciuiles, sed seditiosi uiri sint, laruarumꝙ ingentium præsides, imò laruæ ipsæ, simiæ maximæ, maximiꝙ præstigiatores, sophistarũꝙ sophistæ? SOC. Cognomentũ hoc ijs qui ciuiles dicũtur, competere iure uidetur. HO. Iam tandem ab arte ciuili Centaurorũ illam Satyrorumꝙ choream uix tãdem separauimus, quam suprà cernere nos dicebamus, & à ciuili separandam arbitrabamur. SOC. Videtur. HOS. Durius præterea quiddam his restat, quod eo difficilius à rege discernitur, quo illi est natura coniunctius, ideoꝙ idem nobis quod aurum effodientibus contigisse uidetur. SOC. Quemadmodum? HOS. Terram & lapides, aliaꝙ permulta ab illo primum artifices separant: supersunt autem post hæc cognatiora quædam auro precioso raꝙ cõmixta, igni solo ab auro secernẽda, æs, argentum, quandoꝙ etiam adamas: quæ uix tandem facto ad ignem examine explorantur, aurumꝙ purum putum uidere nos sinunt. SOC. Ita de ijs fertur. HOS. Eadem ratione & nos uidemur à ciuili nunc scientia uehementer alie, na & longinqua admodum separasse, proxima uero & honorãda reliquisse. Quorum numero est, præfectura exercitus, iudicialis prætura, oratoria dignitas cum regia autoritate cõmunicans, dum quod iustum est, persuadet, & cũ illa publicas res gubernat: quę si quis modo quod facile segreget, nudum iam ac solum illum quem quærimus, ciuilem nobis ostendet. SOC. Haud dubium est hoc omni studio conãdum. HOS. Experientiæ quidem causa ipsius patefiet, per musicam uero patefaciamus. Ac dic mihi. SOC. Quid uis dicam? HOS. An est disciplina nobis aliqua musicæ artium'ue quę manuum ministerio peragunt? SOC. Est. HOS. Quid igitur, num & hic scientiam esse aliquam dicemus, quæ doceat quæ artium discenda sit, quæ minus? SOC. Esse planè dicemus. HOS. Nõne hanc ab alijs esse diuersam? SOC. Et hoc. HOS. Deinde nullam ne earum, aut alteram alteri dominari, aut huic illas, aut illis hanc omnibus uelut antistitem præesse dicemus? SOC. Eam quæ de singulis artibus quænam discendæ sunt, & quæ minus, dijudicat. HOS. Et docenti igit̃, & discenti imperare illam asseris? SOC. Prorsus. HOS. Et eam quæ iudicat, persuadẽdum ne sit, an non, illi quæ persuadere potest? SOC. Quid ni? HOS. Persuasionẽ illam quæ adturbam fit per confabulationẽ quandam exhortationemꝙ potius ꝙ doctrinã, cui potissimum scientiæ tribuemus? SOC. Constat oratoriæ tribuendam esse. HOS. Cuius artis officium dicimus, iudicare utrũ ui an persuasione uti, & in quibus, & cõtra quos uti deceat? SOC. Eius quæ persuadendi dicendiꝙ peritiæ dominatur. HOS. Est autem, ut arbitror, ea nulla præterquam ciuilis hominis facultas. SOC. Præclare. HOS. Sic igitur protinus oratoria à ciuili facultate distincta uidetur, ut species quædã alia, ciuili isti subiecta. SOC. Certe. HOS. Quid insuper de hac facultate cogitandum? SOC. Qua? HOS. Qua pugnamus aduersus eos quibus bellum indiximus. Num artificiosam hãc, an artis expertem, esse dicemus? SOC. Quis uero arte carere dicat, ea omnia quæ militaris disciplinæ sunt? HOS. Facultatẽ uero illã quæ cõsultando prudẽter deliberare potest quib. cum bellũ gerendũ sit

Oratoriæ facultatis maiestas

Quomodo oratoria à ciuili distinguatur

sit,uel pax ineunda,nunquid ab ea diuersam,an eãdem cum illa putabimus? SOC.Diuersam,siquidem superioribus stamus. HOS.Nõne si superiorum rationem sequimur, hanc quæ de bello cõsultat,illi quæ bellũ gerit, dominari dicemus? SOC.Idipsum. HOS. Quã uero facultatem uere præter regiam illam ciuilium rerum disciplinam potẽtissimæ totius rei militaris arti præesse dicemus? SOC.Nullam prorsus aliam. HOS.Scientiam igitur eorum qui exercitus ducunt,quia obedit & seruit alteri,haudquaquam ipsam ciuilem facultatem ponemus esse. SOC.Haud sanè decet. HOS. Age iam prætorũ qui iuste singula iudicãt,munus cogitemus. SOC. Cogitemus. HOS.Nunquid longius patet,ꝙ ut circa cõ tractus omnigenos quid iustum,quid nõ,cõsideret,& ad normam legum quas rex ipse cõdidit,respiciens,de singulis iudicet,propria uirtute semper adhibita,per quã neꝙ muneribus,nec minis,nec misericordia,nec odio,nec amore legibus transgressis, mutuas ac cusationes dissoluat? SOC.Non aliud certe ꝙ nunc abs te dictum, iudicis est officium. HOS.Constat itaꝙ uim iudicum non esse regiam illam maiestatem, sed legũ custodem, regisꝙ ministram. SOC. Apparet. HOS.Quisquis artes quas memorauimus,cunctas considerauerit,cogitare debet earum nullam esse ciuilem quam quærimus disciplinam:quippe cum regiæ maiestatis officium sit,non ut ipsa quidem agat,sed ut agere ualentibus imperet,cognoscatꝙ imperium & uim eorum quæ in ciuitate sunt maxima,tum quid decorum,quid opportunũ sit,quid contrà:cæteras uero facultates iussa capessere, & mandata transigere. SOC.Optime. HOS. Quamobrem artes illæ quas modo narrauimus, cum neque suũipsarum,neꝙ inuicẽ dominæ sint,sed singulæ propriis quibusdam incumbant operibus,merito munijs suis propria fortitæ sunt nomina quoꝙ. SOC. Apparet. HOS. Eam uero quæ cunctis his præsidet, legumꝙ & omnium quæ in ciuitate sunt, curã habet,omniaꝙ contexit,merito communi appellatione comprehendentes, ciuilem scientiam nuncupamus. SOC.Omnino. HOS.Nunquid in præsentia secundum textorię facultatis exemplũ percurrere hanc decet, postꝙ omnia quæ in ciuitate sunt genera,patefecimus? SOC. Maxime. HOS.Declarandum deinceps,ut uidetur, quæ sit cõcinnatio regia, & qua ratione complicet texatꝙ,qualemꝙ texturam nobis efficiat. SOC. Sic est. HOS. Res quidem demonstratu difficilis.sed quoniam necessaria uisa est,pro uiribus declarada uidetur. SOC.Omnino declarandum. HOS. Quod enim uirtutis pars à specie uirtutis differat,facile potest aduersus etiam contentiosos homines multorum opinione probari. SOC.Haud intelligo. HOS.Sic forte intelliges.Fortitudinem arbitrari te puto partem aliquam uirtutis esse. SOC.Penitus. HOS. Temperãtiam autẽ à fortitudine esse diuersam, esse tamen eiusdem partem cuius est fortitudo. SOC. Ita. HOS.Mirum quiddam de his statuere audendum est. SOC. Quidnam? HOS. Quod duo hæc quodammodo multis in rebus sibi inuicem plurimum aduersantur. SOC. Qua ratione id ais? HOS. Inauditum hoc, siquidem partes uirtutis omnes mutua inuicem amicitia uinciri dicuntur. SOC. Vtique. HOS.Consideremus itaꝙ diligenter,utrum hoc ita simplex sit,an differẽtiam horũ maximam in cognatis quodammodo habeat. SOC. Nempe. sed dicas ubi considerandum. HOS.In omnibus quæcunꝙ pulchra uocamus,& ad duas inter se cõtrarias species ea referimus. SOC. Dic apertius. HOS. Velocitatem uel corporũ,uel animorum, uel uocum, siue horum ipsorum,seu etiam simulacrorum quæcunꝙ uel musica uel pictura exprimit imitando:horum tu quicꝙ unquam uel ipse laudasti,uel laudãtem alium audiuisti? SOC. Quid igitur? HOS.Recordaris quomodo illa in unoquoꝙ istorum laudantur? SOC. Minime. HOS. Vtinam igitur possem hæc ita,ut mihi uidetur, explicare uerbis. SOC. Quid prohibet? HOS. Facile hoc,ut uideo,tibi uidetur. quare ipsum in generibus subcontrarijs consideremus. Hæc fiunt,quoties miramur rerum multarum uelocitatem, uehementiã, acumen siue cogitatione,siue corpore,siue etiam uoce,una quadam fortitudinis appellatione solemus uti laudando. SOC. Quo pacto? HOS. Acutũ dicimus & forte, uelox & forte,uehemẽs & forte:hasꝙ naturas cõmuni fortitudinis nomine laudare solemus. SO. Profecto. HOS.Nõne etiam cum quid sensim leuiterꝙ fit,eam rem in multis actionibus sæpe laudamus? SOC. Valde. HOS. Nónne contrà hic,ꝙ illic laudibus utentes dicimus? SOC. Quomodo? HOS. Quieta hæc,sæpe dicimus,& temperata,& hæc circa cogitationem amamus,circa actiones tarda & mollia,circa uoces lenia atꝙ grauia,& omnem rhythmiticũ numerosumꝙ motũ,omnemꝙ musam opportuna tarditate utentẽ:hisꝙ omni-

Scientiã rei militaris subiectam esse ciuili

Quòd iudiciaria est regis pedisequa

Quæ ciuilis scientia

Qualis sit textura regis

bus moderationis nomen nõ fortitudinis adhibemus. SOC. Vera loqueris. HOS. At quotiens opportunitatem ista non seruant, contra mutatis nominibus uituperamus. SOC. Qui? HOS. Cum acutiora fiunt uelociorace, & asperiora siue duriora quàm opportunitas exigit, dicimus cõtumelioſa, petulantia, furioſa: cum uero grauiora tardioracẽ, & moliora fiunt, timida ineptacẽ dicimus, & ignaua: ac propemodum & hæc & tẽperantiæ fortitudinisce naturam contrarias esse, uelut hostiles formas, & inter se seditionem agitãtes inueniemus, nec unquam in actionibus quas circa hæ uersantur, cõmisceri, necẽ eos insuper quorum in animis hæc insunt, inter se consentire, sed discrepare potius, si modo diligenter inuestigemus. SOC. Vbinã inquis? HOS. In ijs inquam omnibus quæ retulimus, quin & in alijs ut consentaneum est, permultis: nam cum utricẽ pro naturæ suæ affinitate partim res ut proprias suasce laudent, partim ut alienas & extraneas reprobent, in multis eos sibi uehementer aduersari contingit. SOC. Videntur. HOS. Altercatio hæc specierum talium quibusdam ludus quidam est, in maximis autem rebus morbus fit omnium ciuitati grauissimus. SOC. Qualibus in rebus inquis? HOS. In omni, ut consentaneũ, est constitutione uiuendi. Nam qui cæteris modestia præstant, uitæ tranquillitati student, sua semper priuatim agentes, pacis auidi concordiæce tam erga exteros, quàm erga concíues. At que huius amoris exceſſu fit, ut dum suis priuatim incumbunt operibus, clàm & ipsi imbelles eneruaticẽ reddantur, & iuniores suo exemplo emolliant & effœminent. Vnde inuadentibus quibuslibet expositi sunt, ac breui ipsi naticẽ, & patria omnis paulatim amissa libertate succumbunt. SOC. Durum ualde morbum grauemce narrasti. HOS. Qui uero ad fortitudinem magis cẽ oporteat declinantes bellicosam uitam uehementer affectant, hi sæpe patriam suam ad bellum incitant & hortantur, unde gentes plurimas, & potentes urbi suæ infensas reddunt. Quapropter uel funditus ciuitates suas euertũt, uel imprudenter in hostium redigunt seruitutem. SOC. Sic quoce accidit. HOS. Ergo quis neget in his hæc utrace sibi inuicem plurimum aduersari? SOC. Nemo utice. HOS. An non quod ab initio quærebamus, nunc inuenimus? quod uidelicet partes uirtutis quædam non paruę natura, & ipsæ secum pugnant, & qui habent, discrepare inter se plurimum faciunt? SOC. Apparet. HOS. Hoc itidem uideamus. SOC. Quidnam? HOS. Num scientia aliqua sit ex his quarum actio in componendo uersatur, quæ opus aliquod suum uel utilissimum etiã, sponte ex malis simul & bonis construat? An potius omnis scientia praua semper pro uiribus uitat, apta uero & utilia captat? ex his autem partim similibus, partim dissimilibus omnibus in unum collatis, unam quandam uim ideamce conflat? SOC. Istud potius. HOS. Nunquam igitur uera secundum naturam ciuilium rerũ peritia ex malis bonisue hominibus ciuitatem ullam sponte constituet. sed disciplina & periclitatione aliqua unũquencẽ explorabit, factoce examine, idem illud postea munus his qui & docere alios, & ipsi obsequi possunt, committet: quibus ipsa sic sedulo præsidebit mandabitce, ut textoria ars carminatoribus cæterisce lanificij præparatoribus præsidet, talia præcipiens singulis, qualia ad texturã suam conducere arbitratur. SOC. Ita prorsus. HOS. Eadem ratione regia maiestas mihi uidetur omnibus iuxta legum instituta cæteras imbuentibus educantibusce præsidens, id duntaxat ut exerceant doceantce permittere, quod ad ipsius rationem attinens mores decoros inducat: eos autem qui fortitudinis, temperantiæue, aut cæterarum uirtutum uim assequi non possunt, sed prauitate naturæ ad impietatem, petulantiã, iniustitiamce trahuntur, è cœtu ciuiũ eijcit, exilioce, morte & extremo opprobrio damnat. SOC. Ita quodammodo traditur. HOS. Ignaros autem pusillanimesce homunculos seruili ministerio subiugat. SOC. Scite admodũ. HOS. Cæteros autem quorum ingenia ad generosum habitum per disciplinam euehi possunt, artece inter se contemperari patiuntur, seruat atce tuetur. Ex his uero quæ ad fortitudinem magis uergunt, staminis uice propter solidos mores esse censet: quæ autem ad modestiam, molli teneræce materiæ similes, imaginem habere subtegminis crocei coloris. Ea denique quæ in contrarium diuersumce natura tendunt, hoc modo uincire inuicem, & contexere nititur. SOC. Quo? HOS. Primo quidem iuxta cognationis rationem partem animæ sempiternam diuino uinculo nectit: post diuinam autem, illam quæ animalis naturæ est, humanis. SOC. Quomodo istud? HOS. Quotiens in animis uera stabilisce de pulchro, iusto, bono, horumue contrarijs rebus opinio fit, diuinã illam in genere dæmonico, id est, scito se lici-

Quæ mala oriantur ex intemperantia

Omnia scientia abijcit mala, utilia captat

Officia quædam regiæ maiestatis

licíq; fieri asseuero. SOC. Decet sanè. HOS. Scimus ne oportere ciuilem uirũ ac bonum latorem legum, solũ regia musa posse hoc illis inserere, qui rectæ disciplinæ ut decet participes sunt, quos' ue modo cõmemorauimus? SOC. Consentaneum id quoq;. HOS. Qui uero id facere ô Socrates nequit, nominibus quæ iam quærebamus appellari non debet. SOC. Non certe. HOS. An non fortis animus si ueritatis huiusmodi sit particeps mansuescit, atq; ita maxime iuste inter alios uiuere & agere cupit? sinautẽ omnino sit expers, ad ferinam naturã delabitur? SOC. Proculdubio. HOS. Atqui & modestus natura animus opinionibus illis imbutus, reuera temperãs moderatusq; adeo ut reipublicæ utilis sit, effi citur. Vacuus aũt turpem stoliditatis ignauiæq; reportat infamiam. SOC. Valde. HOS. Nónne dicendum est complicationem uinculumq; huiusmodi, & malis ipsis inter se, & bonis erga malos, stabile nunquam esse? neq; scientiam ullam hoc ad eiusmodi homines uinciendos de industria uti? SOC. Prorsus. HOS. Illis autem quos generosis moribus natura donauit, & ad naturæ normam educauit consuetudo, solis id uinculum per leges inditur: estq; in his ars illa ciuilis uelut remediũ, & hac ratione illa ipsa, quã suprà diximus, partium uirtutis natura contrariarum pugnantiumq; cõciliatio diuina quædam fit. SOC. Vera hæc sunt. HOS. Vbi diuinũ hoc uinculum constat, facile est & inuenire, & inuenta perficere uincula humana. SOC. Qua ratione? & quæ potissimum? HOS. Affinitatum liberorũq; necessitudines illas, quæq; in elocatiõibus nuptijsq; fiunt: plurimi enim circa hæc non recte ad procreandũ liberos copulantur. SOC. Quamobrem? HOS. Diuitias enim potentiamq; in his rebus q; cupide persequant, quid attinet diligẽtius oratione percensere? SOC. Nihil. HOS. De illis autem quibus genus curæ est, loqui præstat, si quid fortè præter modum agant. SOC. Aequum est. HOS. Agunt autem nulla quidem ratione recta, præsentem uoluptatẽ secuti, & ex eo quod similibus tantum delectãtur, dissimilibus uero minime, difficultatis plurimum excitant. SOC. Quo pacto? HOS. Modesti siquidem homines similes sui mores quærunt, & quo ad possunt ex huiusmodi & ipsi ducunt, & elocant suas talibus. Eodem pacto forte illud genus, similes sibi adsciscit, cũ oportet contrà omnino ab utroq; genere fieri. SOC. Quomodo? & quam ob causam? HOS. Quoniam fortis naturæ hæc est conditio, ut si per multas successiones expers tẽperãtiæ permaneat, principio fiat robustior, tandem uero in furorem uersa deficiat. SOC. Cõuenit. HOS. Rursus anima pudore abundans, audacia uero fortitudinis undiq; carẽs, si per multas similiter generationes transeat, segnior fit quàm decet, ac demum extremo quodam torpore mergitur. SOC. Id quoq; ita contingere constat. HOS. His ut diximus ligamentis uincire utraq; hominũ genera facile possumus, si, ut diximus, opinionẽ de bonis & pulchris utraq; habeant eandem. Hoc autem unum & integrũ regię texturæ opus est, ut nunquam moderatos mores seorsim à fortibus esse permittat, sed utraq; ingenia inuicem per opinionis eiusdem consensionẽ, per honores uituperationesq;, per alterna coniugia contexens, telam ex his lenem optimeq; cohærentem efficiat, hisq; cõmuniter semper ciuiles magistratus muneraq; cõmittat. SOC. Quo pacto? HOS. Vbi unius sufficiet gubernatio, hominẽ præditũ moribus utrisq; præficiet. Vbi pluribus opus erit, utriusq; generis partes aliquas commiscebit. Temperatorum enim principũ mores cauti admodum, & iusti, & salutares: acri promptitudine & uehementia quadam ad agendũ idonea indigent. SOC. Ita de his quoq; uidetur. HOS. Fortitudo autem in cautione, & iustitia illis cedit, in rebus agendis plurimũ antecellit. Neq; uero possunt in ciuitate omnia bene agi priuatim & publicè nisi ambo hæc adsint. SOC. Non certe. HOS. Finem igitur ciuilis actionis recta plicatione contextũ tunc extare dicamus, quando fortium & temperantium ingenia concordia amicitiaq; concilians, cõmunem illorum efficit uitam: qui sanè contextus præclarissimus omnium est & optimus: aliosq;, insuper omnes in ciuitate tam seruos q; liberos protegens, & complectens, hac textura serieq; comprehendit: atq; ita dominat, & præsidet ciuitati, ut nihil prætermittat eorũ quæ, quo ad fieri potest, beatam efficiunt ciuitatẽ. SOC. Profecto nobis hospes regium ipsum ciuilemq; uirum egregie definisti.

Fortis naturæ conditio

ARGVMENTVM MARSILII FICINI IN PROTAGORAM

EXTAT apud Græcos uerisſimum de Platone dictum, Phœbum uidelicet duos præcipue filios genuiſſe, Aeſculapium, et Platonem. Aeſculapiũ quidem qui corporibus, Platonẽ uero qui animis mederetur. Socratem quoq; Socratici omnes purgandorum gratia animorũ à deo miſſum fuiſſe teſtantur. Morbus autẽ animi in falſis opinionibus maliſq; moribus uidetur conſiſtere. Tantum uero malum ingenuis animis haud tam facile ab alijs, quàm à ſophiſtis ſolet inferri. Profectò philoſophi ſunt qui ueritatem ſtudioſe quærunt ueritatis duntaxat ipſius amore. Sophiſtæ uero, opinionem affectant, ſimiliter opinionis amore. Hi enim quaſi diſciplinarum mercatores & caupones, undiq; opiniones abſq; delectu uarias cõgregant, tum ad excogitandum, tum ad dicendum utcunq; libuerit pertinentes, quas deinde quaſi uenales diuitibus uendant adoleſcentibus, diuitiarũ & inanis gloriæ gratia. Itaq; nihil unquã habent penſi, utrũ uera, uel bona an contrà, aut ipſi diſcant, aut alios doceant: ſed & confundunt, & paſſim errores effundunt quotidie plurimos, nulla prorſus rectæ elationis habita ratione, modo & diuitias cumulent, & uulgarẽ gloriã conſequantur. Quamobrẽ neceſſe eſt adoleſcentes atq; uiros, qui ſophiſtas ob ſapientiæ opinionem, & eloquentiæ ſucum plurimi faciunt, quotidie ab illis falſarum opinionũ, peſſimorumq; morũ uenena combiberc. Siquidẽ mali mores, & falſas ſequuntur opiniones, & facile ab auaris ambitioſisq; præceptoribus, qui nihilominus plurimi exiſtimantur, in diſcipulos transfunduntur. Plato igitur animorũ miſertus tam prone, tam grauiter periclitantiũ, frequẽtiſsime ſub Socratis ſui perſona male ficos, ueneficosq; ſophiſtas pro uiribus deteſtatur, quo uidelicet homines diſcẽdi cupidi caute fallaces deuitẽt Sirẽ num cantus, et noxia pocula Circes. Neq; tamẽ inuectiuis eos manifeſtis effulminat, ne uel ipſe perturbatione ulla odioq; in illos uideatur adductus, uel ipſi ipſorumq; ſectatores, uenenoſa in eum impudentiſsimæ linguæ tela retorqueant. Ergo partim ironia, partim riſu, ſæpe ioco, & ludo, ſæpius honeſta quadam redargutione immeritã ſophiſtis auctoritatẽ conatur adimere. Id quidem in ſophiſta acutiſsime perficit. Idem in Gorgia elegantiſsime. Facete admodum & urbane in Hippia. Scite & argute in Euthydemo. Artificioſe etiam in Protagora, ſæpeq; ſimiliter. Vbique uero Sophiſtas omnia profitẽtes inducit iactabũdos, & glorioſos, temerarios inſuper, & auaros. In principio quidem diſputatiõis ſatis aptos, paulatim uero ineptiores, poſtremo omniũ ineptiſsimos, qui nulla de re præcipue grauiori, uel quid ſit, uel quanta, uel qualis, intelligant: cũq; profiteantur omnia, nihil eos omnino ſcire conuincit. Hactenus in omnes Platonis dialogos in quibus Sophiſtarũ cõmemoratio fit, præfatos eſſe ſufficiat. Pergamus iam ad Protagoram. Socrates à Diotima fatidica artem amatoriam didicit, per quam ſciebat per corporũ pulchritudinem quaſi per ueſtigia quædã ſagaciter uenari, tum animi, tum mentis angelicæ, deiq; pulchritudinẽ, eandemq; artem ubiq; docebat. De hac eius arte Plato, & ſæpe alibi, & in ſympoſio ac Phædro præcipue pertractauit. Eandem in principio huius libri ſignificauit. Idcirco ſubiunxit eum non minus amare uirũ quàm adoleſcentẽ. Ac paulo poſt ſeniores quoq; amare ardentius, modo ſapientiores appareant. Poſt hæc Socrates dum Hippocratem adoleſcentẽ diſciplinarũ auidiſsimũ artificioſiſsime monet ne temere cuiuslibet ſe diſciplinæ cõmittat, non ſolum illum, ſed & nos cõmonefacit, ut curã animi longe magis quàm corporis habeamus, caueamusq; diligẽter ne diſciplinis ipſum noxijs imbuamus. Eas enim magis obeſſe animo, quàm corpori noſtro uenenũ. Mox quaſi pictor Sophiſtarũ faſtum, uanitatemq; ante oculos ponit. Demonſtrat quoq; quantum iuuentus credula eorum tum pompam admiretur, tum lenocinijs capiatur. Deinde ad ea deſcendit quæ maximi ad uitam momẽti ſunt, & quibus ſophiſtæ plurimum gloriantur, quærens de uirtute quidẽ omni, præcipue uero de præcipua, id eſt ciuili, per quã & propria cuiuſq;, & familiaris, & publica res ad ſummũ bonum recta ratione diſponitur: quam ueluti præ cæteris neceſſãriam Plato in omnibus penè quærit dialogis: intereaq; oſtendit hanc nullo modo à Sophiſtis eſſe petendam, ſed quodammodo à philoſophis: qui cum uerum intelligant colantq; bonum, nimirum recto ad ipſum tramite deo duce perducere poſſunt. Sed redeamus nunc ad Sophiſtam, quem non poſſe uirtutem eiuſmodi, uel exemplo tradere, uel diſputatione docere, ex hoc planè perſpicitur, quod & ipſe uirtutis eſt expers & rectũ diſputãdi ordinem non obſeruat. Cũ enim interrogetur Protagoras hic à Socrate, utrum uirtus doceri poſsit nec ne, utpote qui ueræ diſſerendi artis ſit ignarus, recipit ſtatim ſe oſtenſurũ uirtutem poſſe doceri antequam quid ipſa ſit quot ue in partes diuidatur, aperiat. Socrates autẽ tentandi Sophiſtæ gratia argumentatur eam doceri nõ poſſe, his penè uerbis Quando publice de aliquo eius artis opificio conſultatur quæ à certis præceptoribus doceri poteſt, nullus admittitur ad conſilium præter illos qui artem eiuſmodi ab ipſis præceptoribus didicerunt, ipſiq; exercuerunt. Quando uero de publicis rebus quæ ad uirtutẽ ciuilem ſpectant deliberatur, omnes fermè ſimiliter admittũtur, neq; ab ullo quæritur utrũ, & à quo, & quando peritiã ciuilem acceperit, quaſi omnes intelligãt eam certis in ſcholis diſci nõ poſſe. Præterea ſi ab altero alteri traderetur, præcipue uiri in ea clariſsimi rem hãc tam precioſam ſæpe ſuis hæreditario quodam iure relinquerent. Ad hæc Protagoras longis probat ambagibus doceri poſſe uirtutem. In quibus notanda quædam priſcorum refert myſteria. Decet enim quamuis Sophiſta ſit, nonnulla etiam legiſſe bona, & cũ prolixe loquatur apud Platonem, utilia quædam adducere. Tradũt theologi ueteres ſub terra quondam animalia latuiſſe, id eſt in prima mundi materia rerum ſemina præfuiſſe. Præterea Iouem, id eſt deum mundi opificẽ per ſe

quentes

quentes deos, hoc est per stellas, animalia ex elemẽtis composuisse. Deos autem ministerio dæmonum animalia instrumentis adminiculisq; ad uitam necessarijs armauisse, ea uidelicet ratione, ut Prometheus, qui dæmonũ sublimiorem ordinem significat, armaret homines: Epimetheus aũt qui inferiorum dæmonũ refert exercitũ, bruta fulciret. neq; id quidem iniuria: siquidem altiores dæmones, naturæ incorporeæ atq; rationali: humiliores autẽ corporeæ irrationaliq; potius fauent. Quantum uero Epimetheus inferiorq; natura in his quæ ad corpus pertinẽt fauit brutis, tantũ Prometheus prouidentiaq; superior in ijs quæ ad animũ spectant hominibus cõsuluisse uidetur. Cũ enim artis tribuit rationẽ, artificiosum omniũ quæ natura bestijs dederat, exhibuit fabrum. Accepit autem artem ipsam una cum igne ab officina Mineruæ, atq; Vulcani. Minerua quidem in arte ingeniũ, Vulcanus aũt efficaciam continet, ignis deniq; instrumentũ. Gemina uero hæc numina, Minerua Vulcanusq;, primo quidẽ in ipsis artiũ ideis excogitantur. Deinde in Mercurij Martisq; uirtutibus. Postremo in dæmonibus gubernatoribus artium. Ab his igitur omnibus Prometheus rationalis animæ gubernator in hominẽ traiecit artis industriã. Quoniam uero diuiniũ id extitit donũ, statim ob ipsam cum superis cognationẽ homo ueneratus est deum antequã uel loqueretur, uel artes aliquas exerceret: quippe cum diuiniũ munus ob mirificã eius potentiã prius erigat in diuina quàm porrigat per humana. Prometheũ uero ob id munus dolore affectum, significat dæmonicũ ipsum curatorem nostrũ, in quo & affectus esse possunt, misericordia quadã erga nos affici, cõsiderantẽ nos ob ipsum rationis munus ab eo uel datum, uel potius excitatũ, tanto miserabiliorem uitam in terris quàm bestias agere, quanto magis sollicitam atque inexplicabilem. Quod quidem Pythagoras animaduertens, Epimetheum quantum ad hoc ipsum spectat, Prometheo anteposuit. Id autem illi quodammodo simile uidetur esse. Pœnitet me feciſſe hominem. Proinde memento hominem hic quemadmodum & apud Moysen ex terra, & postremo creatum. Item more quasi Mosaico mundũ initium habuisse. Sed de his aliâs. Per eundem Prometheũ in Philebo dicitur datam esse nobis à dijs differendi artẽ unà cum igne. Ars enim differendi, ubi uniuersalia in particularia diuidit, processum rerum à superioribus repræsentat: ubi particularia uicißim in uniuersalia rite resoluit, cõuersionem rerum ad superiora designat: ubi definit & ubi demonstrat, existentiam rerum ostendit, ibi quidem in seipsis, hic autẽ ab alijs dependentium. Ideo differendi facultas diuinum est donum, cum diuinum uniuersi ordinẽ referat. Cum igne uero data dicitur, quia ignis similiter diuidit, resoluit, definit atq; demonstrat. Item quia rationalis facultas ignis instar illuminat intellectum, accendit uoluntatẽ, & utrunq; eleuat ad sublimia. Quod aũt traditur Prometheũ ciuilem uirtutẽ saluti hominũ penitus necessariã largiri nõ potuisse, propterea quod uirtus eiusmodi penes Iouẽ sit, quò Prometheo nõ licet ascendere, ea ratiõe intelligendũ est, quia ciuilis uirtutis officiũ est nõ solũ rebus humanis, sed etiã artibus imperare, singulasq; cũ singulis ordinare, cũctas deniq; in cõmunem omniũ formã dirigere. Idem uero officiũ Iouis ipsius est inuniuerso, quod in hominũ genere apparet scientiæ ciuilis officiũ. Quamobrẽ non iniuria ad Iouẽ ipsum spectat hãc nobis ex alto largiri. Vniuersalis enim uirtus ad uniuersalem Iouis pertinet prouidentiã. Prouidentia uero dæmoniũ particularis est, & angusta, ideoq; in Iouis arcem nequit ascendere: cũ angustior humiliorq; prouidentia, amplissimã eminentissimãq; æquare nõ ualeat. Iupiter igitur per Mercuriũ, id est per angelũ diuinæ uolũtatis interpretem, ciuilis scientiæ leges, id est uolũtatis suæ decreta ad humanæ societatis generisq; salutẽ spectantia mentib. nostris inscribit: inscribit inquã, & ab initio, quod Timæus aperte docet, & quotidie per angelos diuinã nobis uoluntatẽ interpretãtes. Vnde intimus in nobis præsidet iudex inextinguibile rationis lumẽ, rectũ ueri falsiq; et boni maliq; examen, ineuitabilis cõscientiæ stimulus. Per hanc deus infusam omnibus legem omnes ita fermè ad cõmune dirigit bonũ, ut omnes flammas leuitate erigat ad superna. Ab hac utiq; ingenita lege lex deinde scripta ducit originẽ. Quod quidem in ipso libri legũ exordio Plato aperuit dicens, nõ ab homine, sed ipso deo leges initium habuisse. Sed ut ad præsentem dialogũ redeamus, subiungit Iouem per Mercuriũ condidisse legẽ, qua iubeãtur omnes ciuilitatis esse participes: quippe cum hæc sola sit uinculum ciuitatis: ipsamq; ciuitatẽ iustitia & pudore constantẽ ait ad omnes cœlitus demisisse, eo uidelicet pacto, ut quicunq; posthac uirtutis huius omnino expers deprehensus fuerit, tanquã ciuitatis pestis ultimo afficiatur supplicio. Quem uero primo appellauit pudorẽ, deinde temperantiam nominauit. Est enim pudor ingenitus temperantiæ fundamentũ. Temperantia quidem in ciuibus proprios cuiusq; moderatur affectus, gestusq; componit. Iustitia uero actus cuiusq; conducentes ad alios dirigit. Memento uero ciuilitatẽ in persona priuata his ferè duobus esse contentam, sed in publica ex Platonis mente his adhibendam esse prudentiam. Atq; id quidem penè satis in pace fuerit: in bello autẽ fortitudinẽ abhibeto, atq; ita ciuilitatis erit absoluta descriptio. Post hæc aũt cõfirmat Protagoras à cõmuni hominũ sententia uirtutis huius participes omnes esse debere, propterea quod, si quis iniustitiam suã palàm fatetur, uulgo insanus habebitur: quasi omnes existiment tam necessariã communem ciuitati iustitiam, ut etiã si quis non habeat, saltem habere eam debeat simulare. Cum uero ostenderit hactenus ciuilem uirtutem esse omnibus maxime omniũ necessariam, eiusq; affectũ quendam siue fomitem semenq; ab initio diuinitus nobis infusum, demonstrare deinceps aggreditur uirtutem ciuilem, immo & alias (omnes enim illa complectitur) neq; natura neq; casu absolutũ firmumq; habitum sortiri posse, sed doctrina duntaxat & consuetudine eius habitum comparari. Ad id uero primo rationem affert ostenden-

tem

tem homines non solere aliquem ob ea quæ uel natura, uel casu fiũt probare unquã, uel improbare: actiones autem uirtutis aut uitij, laudare semper aut uituperare. Deinde pueritiæ adolescentiæq; educationẽ sub domesticis, grammaticis, musicis, gymnasticis, legibus, ordine quodam longo disponit, ostendens totã uitæ institutionem ad id obnixe contendere, ut declinentur uitia, uirtutes possideãtur: quasi neq; uitia neq; uirtutes, uel fortuna, uel fato, sed arbitrio, & exercitatione proueniant. Interea priscorũ perstringit sententiam de uitijs puniendis consideratione dignã, uidelicet neminẽ quia deliquerit, sed ne uel ipse ulterius, uel alius eius exẽplo delinquat, puniendũ esse: respondetq; ad illa quæ obiecerat Socrates. Nos autem omnibus quæ hactenus disputata sunt auream illam priscorum sententiam tenebimus alta mente repostam. Primo quidẽ deum ipsum uitæ salutiq; nostræ omnibus undiq; modis prouidere atq; cõsulere. Deinde ciuilem uirtutem donum esse diuinũ, ne quis fortè confidat se absq; diuina gratia remp. recte feliciterq; gubernaturũ. Id enim in Legibus, & alibi Plato cõfirmans ait: quemadmodũ bestiæ multæ ab una nisi sub humano pastore recte duci nõ possunt, ita neq; homines multi feliciter ab uno quodam rege, nisi & unus regatur à deo. Ideoq; regendi facultatem non aliunde quàm à deo haberi in Theage & Menone probat. Protagoras uero sophista quid uelit ipse uiderit. Deniq; quàm necessaria sit inuiolata iustitia missa cœlitus meminerimus, si aures assidue nostras priscorum uoces illæ circumsonent: Mortales quondam miseri antequam ciuitas cœlitus mitteretur, neq; segregati uiuere poterãt, quin passim laniarentur à feris, neq; iterũ cõgregati, quin à se inuicem lacerarentur. Itaq; salutem nobis quã cunctæ simul artes præstare non potuerunt, sola tandem iustitia præstitit. Post hæc Socrates ne Sophista propter nõnulla quæ ab alijs accepta narrauerat bona, admirationi sit audientibus, ironica quadam, & urbana, & artificiosa redarguẽdi ratione reddit illum præsentibus deridendũ. Interrogat enim postquam de uirtute tam magnifice fuerat elocutus, utrum una sit tantũ uirtus an plures. Præterea si plures, utrum sint partes unius, necne. Rursus si partes, nunquid similes sibi inuicem atq; toti, an utrinq; dissimiles. Ad hæc Protagoras neq; recte scit respondere, neq; definire aut partiri uirtutes, neq; distinguere qua ratione similes sint, & qua dissimiles, neq; quod in disputando turpissimũ est, euitare quin ad id facile deducatur, ut sæpe sibijpsi repugnet. Tandem uero cum ob ignorantiã respondẽdi inciperet Protagoras tergiuersari, ideoq; Socrates abiturũ se simularet, ab auditoribus Sophista ad disserendum est reuocatus. In qua quidem altercatione Prodici primum Sophistæ superstitiosa circa uocabula curiositas demonstratur, deinde Hippiæ quoq; Sophistæ ostentatio in concionando tumidior. Postremo Protagoras reuocatus ad disputandũ, importune nimium, & inepte in carmina poesimq; digreditur, interrogans Socratem de quadã Simonidis poetæ sententia. quam & ipse minime intelligere à Socrate mox conuincitur, mentẽ Simonidis exponente, quasi dixerit, uirũ bonum fieri quidem esse difficile, perseuerare autem impossibile. Hic audies priscorũ sapientiam uerbis quàm paucissimis fuisse contentã: atq; posse breuibus multa complecti, uiri absolute docti opus esse. Item neminem mala turpiaq; sponte cõmittere, sed ignorãtia, Deniq; ubi dialecticõ more disseritur, poetica respuenda. His actis iterum Sophista tergiuersatur, atq; uix à præsentibus reuocatur. Tunc Socrates ad priorem de uirtute disputationẽ regreditur, utrũ multæ sint uirtutis unius partes, & qua inuicem ratione se habeant. Protagoras autem iterum labitur, affirmãs alias inter se uirtutes esse simillimas, quod in superioribus non admiserat: item fortitudinẽ ab alijs longissime separãs, cõsentiensq; homines absq; prudẽtia cæterisq; uirtutibus fortes esse posse. Qua in re sibimet repugnare deinde cõpellitur, confiteriq; non solum fortitudinem, sed neq; etiam uirtutes ullas absq; prudentia posse consistere. Tum uero de bono, & malo multa tractantur. Siquidem prudentia est scientia eligendi boni maliq; uitandi. Ambigitur autem utrum bonum malumq; idem sit penitus quod & uoluptas atq; dolor. Neq; affirmatur id quidem omnino, neq; manifestè omnino negatur. De hoc enim in Gorgia, Phileboq;, & alibi. Omnino uero probatur prudentiã ipsam in qua & finis uitæ cognitio, & uiarum ad hũc conferentiũ consistit electio, moralium uirtutum esse principem atq; ducem: idq; usq; adeo asseritur ut uirtutes quasi scientiæ, id est prudentiæ quædam uideantur esse, uitia uero inscitiæ, scilicet imprudentiæ quædam. Additur deinde peccata omnia ab ignorantia proficisci, neq; ullum aliquãdo electurum mala nisi deceptum imagine boni: neq; fugiturum bona, nisi imagine quadam mali perterritum. Siquis uero dixerit hominem bona discernentẽ atq; mala, ab illis tamen diuerti, ad hæc contra conuerti, propterea quod à uoluptate uel affectu sensuum alio superetur, Socrates id negabit, asserens idipsum quod ab affectu superari dicitur, nihil esse aliud quàm inscitiam: Scientiã uero omniũ quæ in nobis, & circa nos sunt, potentissimum esse, neq; ab ullare unquam superari posse. Deniq; concludit scientiam plurimum, immo totum ad uirtutem beatitudinemq; cõferre, ignorantiam uero pariter ad contraria. Iterumq; Protagorã corripit, quod & sibimet contradixerit, & ordine usus præpostero fuerit. Siquidem antequã quid sit uirtus definiat, partiri eã aggreditur, & utrum doceri ualeat disputat. Simulat quinetiam Socrates se quoq; in repugnantiam esse deductum, ex eo duntaxat quod Sophistam secutus fuerit aberrantem, admonetq; ut Promethei prouidentiã potius quàm Epimethei properantiam in omni uita pro uiribus imitemur.

PROTAGORAS VEL SOPHISTAE PLATONIS LIBER TRANSLATVS E GRAECA LINGVA IN LATINAM à Marsilio Ficino Florentino ad Laurentium Medicem uirum Magnanimum.

Personæ Dialogi.

FAMILIARIS, SOCRATES, HIPPOCRATES, PROTAGORAS, ALCIBIADES, CALLIAS, CRITIAS, PRODICVS, HIPPIAS.

Debebat absq; personis perpetua narratione constare res

VNDE NAM ô Socrates prodis? An uidelicet à uenatione illa redis ad quam honesta Alcibiadis indoles prouocare te solet? Nã nuper contemplanti mihi uisus est pulcher uir, iam uir inquam, qui possit scilicet inter nos ipsos conseri, utputa cui per genas plurima lanugo iam serpit. SOC. Esto, quid tum? An non probas Homerum, qui gratissima est, inquit, primę lanuginis ætas? Eam uero nunc Alcibiades agit. FAM. Imò uero. At in præsentia unde? nunquid ab illo prodis? & quomodo erga te nunc affectus est adolescens? SOC. Bene quidē, hodie præsertim mihi uisus est: nam mihi sæpe hodie in dicendo succurrit, & ab illo nũc uenio. Ac mirabile tibi quiddam referam. præsentem illum minime intuebar, & aliò intendens ad eum uix aduertebam. FAM. Quidnam tanti fuit, ut te ab illo diuerteret? neq; enim formosior ullus è nostris ciuibus adesse poterat. SOC. Immo aderat quidam admodum pulchrior. FAM. Quid ais? ciuis ne? an peregrinus? SOC. Peregrinus. FAM. Cuias. SOC. Abderites. FAM. Nunquid adeo insigni forma prædítus tibi uisus est peregrinus ille, ut Cliniæ filio eum præstare putaueris? SOC. Quid prohibet ô beate quo minus quod sapientius est, sit & pulchrius? FAM. An forte à sapientis cuiusdam colloquio uenis? SOC. Sapientissimi profecto omniũ nostræ ætatis hominum, si modo sapientissimus tibi aliorum omniũ Protagoras esse uidetur. FAM. En quid ais? nunquid huc accessit Protagoras? SOC. Nudiustertius. FAM. An modo cum illo fuisti? SOC. Modo, & multa locutus sum, audiui etiam multa. FAM. Non tu illa nobis refers? nisi quid prohibet. Sedere hic licet. Tibi quidem puer iste cedet. SOC. Referam equidem, & gratiam insuper si audieris, habebo. FAM. Et nos tibi, si dicas. SOC. Audite igitur. Superiori nocte ante lucis exortum Hippocrates Apollodori filius frater Phasonis ostiũ meum baculo uehemẽter pulsauit: & cum ostium aliquis aperuisset, repente ingressus est clamitans, Dormis ô Socrates, an uigilas? Ego autem cognita eius uoce, Hippocrates hic est inquam. O Hippocrates nunquid noui? Nihil, inquit, nisi gratum nunciaturus aduenio. Optime, inquam. Sed quid istud? quæ te huc causa appulit? Protagoras uenit & prope me diuertit. Tum ego, ille iampridẽ uenit. tu uero modo audisti? Vesperi profecto, inquit ille: scabellumq; in tenebris manu contrectans ad pedes meos subsedit, adiecitq;, hesterno uesperi sero admodum ex Oenoe reuersus. puer enim me Satyrus fugerat: cumq; persequi me illum significare tibi uellem, alio quodam interueniente oblitus sum. At cum uenissem, cœnatiq; essemus, & somno nos dare uellemus, tunc primum nunciat frater uenisse Protagoram. Illico ad te properare tentaui, sed intempesta nox detinuit. Somno autem experrectus laboreq; leuatus, mox ad te huc aduentaui. Ego uero uiri magnanimitatem stuporẽq; animaduertẽs, Quid hoc ad te, inquam? Num aliqua te iniuria Protagoras afficit? Tum ille subridens, sanè inquit, propterea quod solus sit sapiens, me uero non efficiat sapientem. SOC. Imò certe & te sapientẽ reddet, si mercede illi oblata persuaseris. HIP. O Iupiter atq; cæteri dij, neq; meis neq; amicorum rebus parcerem, modo id me cõsecuturum confiderem: atq; idcirco te nunc adeo, ut apud eum pro me intercedas. Ego enim & iunior sum, & Protagoram nunquam nec uidi nec audiui. puer enim tunc eram cum huc primum accessit. Virum quidem hunc omnes ô Socrates laudant, & in dicendo sapientissimum ferunt. Sed cur non properamus ad eum, ut domi illum conueniamus? Diuertit sanè ut audiui, apud Calliam Hipponici filium. Eamus iam. SOC. Nondum ô bone uir, inquam, illuc eundum. Nam ualde adhuc profunda nox. Sed eamus ad aulam, ubi deambulabimus quoad aurora lucescat, postea Protagorã ipsum adibimus: neq; enim summo mane domo exit Protagoras. Quapropter confide, domi nanq; illum comperiemus. His dictis

Occasio dialogi

dicti,ſurreximus,& in aulam profecti ſumus:ac uolens ipſe fiduciæ eius periculum facere,intuitus ſum diligenter,atq; ita interrogaui. Dic age ô Hippocrates, ad Protagoram nunc accedis mercedem pro te illi daturus? ad qualem hominem uadis? & ipſe qualis ex eo uir euaſurus? Quemadmodũ ſi ad Hippocratem tibi cognominem Coum illum Aeſculapij ſtirpe natum proficiſci uelles,pro te mercedem erogaturus,& aliquis quæreret, Dic mihi ô Hippocrates mercedem Hippocrati dabis? Qualinam homini, & cuius ratione? quid reſponderes? HIP. Vt medico. SOC. Qualis & ipſe futurus, ideſt cuius gratia? HIP. Vt medicus euaſurus. SOC. Sin autem aut Polycletum Argiuum, aut Phidiam Atheniẽſem adires mercede pro te oblata,& aliquis percõtaretur qualibus hominibus, & qua ratione Polycleto,& Phidiæ argentum offers? quid ad hæc? HIP. Tanquam ſculptoribus. SOC. Tu uero qualis homo futurus? HIP. Sculptor uidelicet. SOC. Attende obſecro:ad Protagoram nunc ego ac tu proficiſcimur,& argentũ tui gratia dare tibi parati ſumus,ſi modo pecuniæ noſtræ ſufficient,& ſi impetrare licet:ſin minus, amicorum inſuper pecunias erogabimus.Si quis ergo nos ad hæc adeò properantes interroget. Dicite mihi quæſo ô Socrates & Hippocrates,qualinam homini,& qua ratione Protagorę pecunias tribuere cogitatis,quid illi reſponderemus? Quodnã potiſsimũ Protagorę cognomentum audiuimus? Phidiam quidem ſculptorem nominant,Homerum uero poetam. Protagoram autem? HIP. Sophiſtam ó Socrates uirum hunc appellant. SOC. Ergo tanquam ad ſophiſtam mercede conducendum pergimus? HIP. Maxime. SOC. Si quiſpiam te interroget qua mente,& qualis euaſurus ipſe Protagoram adeas,quid ad illum? Hic Hippocrates erubuit.iã enim aurora pauliſper illuxerat,quo uultus eius patere habitus poterat.reſpondit deinde: Vt ſupradicta concludunt,profecto tãquam ſophiſta & ipſe futurus. SOC. An non pudet inter Græcos Sophiſtæ cognomenti? HIP. Vehementer ô Socrates,ſi quod ſentio proferendum eſt. SOC. Sed enim uide ô Hippocrates ne forte aliò tendat tuũ hoc Protagoricæ artis ſtudiũ & ut ſophiſta efficiaris. Quemadmodum grammatici ludũ citharœdicq; atq; gymnaſtici non artis ipſius exercẽdæ gratia frequentaſti,ſed quadam potius auiditate diſcẽdi,ut priuatum ac liberum hominem decet. HIP. Talis omnino ſtudij mei apud Protagoram ratio futura uidetur. SOC. Scis ne quid nunc facturus ſis? an te fugit? HIP. Qua de re? SOC. Animi tui curã uiro, ut ais, ſophiſtæ es commiſſurus.Quid autem ſophiſta ſit ſi ſcias ſummopere admirabor. Quod ſi ignoras,neſcis quale ſit iſtud,bonum ne an malum, cui operam impẽdere ſtudes. HIP. Scire equidem arbitror. SOC. Dic ergo, quid ſophiſtam eſſe cenſes? HIP. Arbitror eſſe hunc ut nomen ſignificat, qui rationes ad ſapientiam pertinentes intelligit. SOC. Idem quoq; de pictoribus ac fabris licet dicere,eos eſſe uidelicet qui ratiões ad ſapientiã pertinentes intelligunt. Verũ ſiquis de pictoribus peteret,ad quarum rerũ ſapientiã, reſponderemus utiq; ad efficiendarum imaginum ſapientiam,ſimiliterq; de cæteris. Et ſi eodẽ modo de ſophiſta interrogaremur,qualẽ eius ſapientiam eſſe reſpõderemus? quod eius officium? HIP. Sapientiam profecto qua homines ad dicendum facundi reddunt. SOC. Vere ſic forſitan diceremus,non tamen ſufficienter. Reſponſio enim illa interrogationem aliam exigit,quibuſnã de rebus dicendi peritos Sophiſta homines reddat. Cithariſta nempe ijſdẽ dicendis aptos facit,in quibus et eruditos,in pulſanda uidelicet cithara. nónne? HIP. Certe. SOC. At uero ſophiſta quam dicendi facultatem præſtat? quibus de rebus? patet quod de his quæ intelligit. HIP. Veriſimile id quidẽ. SOC. Quid ergo iſtud eſt,quod & ipſe Sophiſta intelligit,& alios docet? HIP. Ignoro Hercle. SOC. An non uides quanto diſcrimini animum tuũ ſubdas? nũquid ſi corpus tuum eidem diſcrimini ſupponiturus eſſes,quo uel in melius uerti,uel in deterius poſſet,non prius alicui tantum de te periculum facturo committeres,quàm diligenter conſideraſſes, committẽdum ne ſit an non:amicos quinetiam,& propinquos diu de hoc ipſo cõſuluiſſes? Cum uero animũ tuum pluris facias quàm corpus,& ex eius uel morbo,uel integritate tua omnia contingat uel male,uel bene habere,committendus ſit an nõ huic hoſpiti animus,neminẽ nec propinquorum,nec amicorum conſuluiſti.Sed cum heſterno ueſperi aduentũ illius audiueris,ad eum ſummo mane properas,nullo de hoc cõſilio habito, credere teipſum illi debeas nec ne.Imò & tuas omnes,& amicorũ pecunias erogare paratus es,quaſi iam cognoueris omnino eſſe Protagoræ adhærendum,quem neq; uidiſti unquã,ut ais, neq; es

allocu-

allocutus. Sophiſtam uocas illum, & quid ſophiſta ſit neſcis, cui teipſum es dediturus.
HIP. Vera loqui uideris ô Socrates. SOC. Nónne ſophiſta eſt ô Hippocrates mercator quidam, & caupo uictualium quorundam quibus animus alitur? HIP. Talis mihi ſanè uidetur, uerum quibus alitur animus? SOC. Diſciplinis, ſed cauendum eſt, ô amice, ne dum laudat ſophiſta quæ uendit, nos decipiat, ut faciũt qui corporis epulas uendunt, mercatores quidam & caupones. Laudant illi quidem ſua omnia, neq; intelligunt utrum ſalubria ſint an noxia corpori quæ uendunt, idq; ignorant & illi qui emunt, niſi fortè illorum aliquis medicus ſit, aut gymnaſticus. Haud ſecus illi qui diſciplinas uarias per urbes uenales circumferunt, & cauponantes eas emptoribus uendunt, laudant omnes. Ac fortaſsis eorũ nonnulli ignorant ſæpe quid utile animo ſit, quid'ue inutile ex his quæ uendunt: ſimiliter quoq; qui ab illis emunt: niſi illorũ aliquis ſit animi medicus. Si ergo intelligis ipſe quid ex his profit, quid'ue obſit, tuto emere diſciplinas & à Protagora & ab alio quouis potes. Alioquin caue, ô beate adoleſcens, ne in ſummum iacturæ diſcrimen quæ tibi chariſsima ſunt, deducas. Nam lõge grauius periculum eſt in diſciplinis quàm in cibis emendis. Etenim qui eſculenta emit & poculenta, poteſt antequam his ueſcatur, in alijs quibuſdam uaſculis illa domum deferre, ibiq; depoſita diligenter examinare, & aduocato alíquo iſtarum rerum perito, quid edendum bibendum'ue ſit, quid non, quãtumq;, & quando, deliberare. quamobrem haud graue eſt in emendo periculum. Diſciplinas autem nõ licet alio in uaſe transferre, ſed neceſſe eſt ut qui emit eas animo capiat, & relicto precio habeat, intra ſe ferens, uel inquinatus iam, uel ad meliora prouectus. Hæc itaq; cũ ſenioribus diſcutiamus: iuniores nanq; nos ſumus quàm exigat tantæ rei iudicium. In præſentia tamen pergamus quò cœpimus, utrumq; hunc audiamus: quo audito cum alijs communicabimus. Neq; enim Protagoras ibi ſolus adeſt, ſed etiam Elienſis Hippias, & Prodicus, ut arbitror, Chius, alijq; permulti uiri, & admodum ſapientes. Placuerunt hæc nobis, atq; perreximus. Et ingreſsi ueſtibulum ſermonem quendam in quem inter eundum forte incideramus, tractauimus. Qui ne imperfectus relinqueret, in ueſtibulo colloquentes eò progreſsi ſumus, dum diſputando nobis conueniret. Audiuit nos Eunuchus quidam ianitor, ſed propter ſophiſtarum iſtic frequentiam uenientibus iraſcebatur. pulſauimus, aperuit. cum nos uidiſſet, Hui ſophiſtæ etiam hi ſunt, inquit, haud ocium illi. ſimulq; utriſq; manibus nixus oſtium clauſit. Pulſauimus iterum, ſed ille clauſis foribus, non auditis, inquit, ocium illi non eſſe? O bone uir, inquam, neq; ad Calliam uenimus, neq; ſophiſtæ ſumus: ſed confide, Protagora indigemus, uidere illũ cupimus. Hoc nunciato uix tandem fores patefecit. Ingreſsi, Protagoram offendimus in ueſtibulo porticus deambulantem. Sequebantur eum multi: hinc quidem Callias Hipponici filius, & germanus eius ex matre Paralus Pericle natus, & Charmides Glauconis: inde uero alter Periclis filius Xanthippus, & Philippides Philomeli, & Antimirus Mẽdeus, qui inter omnes Protagorę auditores inſignior habebatur, diſcebatq; ea mente facultatẽ illã, ut & ipſe ſophiſta futurus eadem quandoq; profiteretur. A tergo præterea ſequebantur alij auſcultantes Protagoram, quorum plurimi peregrini eſſe uidebãtur, quos ex ſingulis urbibus per quas circumuagatur ille cõgregat, mulcens eos uoce tanquam Orpheus quidam, & alliciens. Illi uero uocem paſsim deliniti ſequuntur. Aderant & noſtrates quidam in eo choro. Hunc ego chorum cum cõtemplarer, ordo me illius mirifice oblectabat. Diligenti ſiquidem cautione ſinguli obſeruabant, ne paſſu Protagoram anteirent. Sed cum retro pedẽ uerteret, pediſſequi auditores apte nimium, et in circulũ utrinq; diuiſi, ita cedebant, ut poſteri ſemper eſſent. Hũc poſt uidi, ut uerbis Homeri loquar, Hippiã Eliẽſem in aduerſo porticus ueſtibulo in throno ſedentem. Circa quẽ per ſubſellia nonnulli ſedebant, Eryximachus Acumeni filius, Phędruſq; Myrrhinuſius, Andron Androtione genitus, alijq; nonnulli partim ciues, partim etiam peregrini: qui de rebus naturæ ſublimibus, aſtrorũq; progreſsibus interrogare Hippiam uidebãtur, ille autem in throno ſedens dubitationes ſingulis enodabat. Vidi præterea Tantalum. Aderat porrò & Prodicus Chius, qui in tabernaculum quoddam ſeceſſerat, quo pro penu iam antea Hipponicus uti conſueuerat: ſed ut omnis confluentium hoſpitum turba exciperetur, angulum illum quoq; extractis obſonijs Callias hoſpitibus habitandum dederat. Prodicus igitur uilloſis ſtramentis, & quidem multis, ut uidebatur, inuolutus, iſthic adhuc recumbebat. Sedibus autem proxi-

Longe grauius periculum in diſciplinis quàm cibis emendis

u mis

mis aliqui considebant, Pausanias Ceramensis, & penes eum adolescentulus quidam optimo ingenio, & generosa indole prædítus, nomine ut audiui Agathon, neq; mirũ uideri debet, si Pausaniæ sit charissimus. erat ibidem & Adimantus uterq;, tum Cepidis, tum Leucolophi filius, aliíq; permulti. Quæ inter se disceptarent haud satis percipere foris potui, quanquam uehemẽter audire Prodicum affectabam. Sapientissimus enim diuinusq; uir mihi esse uidet, sed sonitus quidã ex uocis ipsius grauitate sub fornice cõtinue reuolutus, uerba singula confundebat. Euestigio post ingressum nostrũ intrauit Alcibiades, ut ais ipse, pulcher, & ego credo, & Critias Callæscri filius. Nos autem cum ingressi de quibusdam unà disseruissemus, eaq; essemus spectacula cõtemplati, accessimus ad Protagoram. Deinde ô Protagora inquam certa de causa ad te ego & Hippocrates huc uenimus. PROT. Nunquid seorsum ab aliís mecum loqui uultis? an coram omnibus? SOC. Nobis quidem perinde est, sed cum audieris quam ob causam uenimus, ipse uideris. PROT. Quid ergo istud est, cuius gratia huc accessisti? SOC. Hippocrates hic nostras est Apollodori filius nobili atq; felici genere ortus. Ipse uero cum æqualibus suis de uirtute cõtendit, æmulatione concitus, cupitq; in republica uir illustris euadere, atq; huius rei cõpotem fore se sperat familiaritate tua. Vide utrum de hoc solos tecum, an coram aliís consultare nos deceat. PROT. Videris ô Socrates recte saluti meæ consulere. prudenti nanq; cautione indiget peregrinus is qui amplas urbes perlustrans claris ubiq; iuuenibus persuadet ut relicta aliorum omnium tam suorum, quam alienigenarũ, tam senum quàm iuuenum consuetudine, sibi soli adhæreant, tanquam ipsius familiaritate præstantiores aliís omnibus euasuri. inuidia aduersum eum insurgant necesse est, multiq; maleuoli huic insidientur. Ego uero artem sophisticam antiquam esse arbitror, priscos autem uiros in ea peritos inuidiam hãc offensionemq; ueritos aliarum artium specie dissimulasse, partem quidem poematis specie, ut Homerus fecit, & Hesiodus, & Simonides, partim uero sub sacrorũ oraculorumq; appellatione, ut Orpheus, & Musæus, eorumq; etiam sectatores. Audiui præterea nõnullos eam artem appellasse gymnasticam, quod Iccus Tarentinus fecisse uidetur, & qui adhuc supersit sophista nullo inferior Selybrianus Herodicus, qui prisca origine genus à Megarensibus ducit. Pythocles quinetiam Chius sophista doctissimus, aliíq; permulti sub musicæ artis uelamine sophisticam facultatem occuluerunt. Hi omnes sicut dictum est, & ob deuitandam inuidiam uehementer nomen dissimularunt, & sub artium aliarum prætextu sophisticam artem occuluerunt. Ego autem ab his omnibus in hoc dissentio, neq; cõducere uersutias istas existimo. Neq; enim uoti compotes eos fieri arbitror, Nã uiri in ciuitate præstantes dissimulationes eiusmodi omnes intelligunt. Vulgus autem quodammodo non aduertit, sed ea laudat quę ipsi prædicant. Subterfugiendi uero studium istud cum non assequitur quod molitur, & inertem indicat fugientem, & aduertentes homines reddit infensiores. Existimant enim præter cætera hunc uersutum seductorẽq; esse. Ego igitur contrariã quandam uiam sum ingressus. Confiteor me esse sophistam, aliosq; docere, & hac ingenua confessione tutius quàm dissimulatione illa uitari inuidiam censeo. Aliís præterea rationibus mihi prospexi, ut nihil mali adiuuante deo ob sophisticæ professionem sim passus, licet multos annos facultatem hanc exercuerim. Sum equidem grandis natu, & cuiusq; uestrum ætate pater esse possem. Quamobrem gratissimum mihi erit, si de iís mecum, audientibus omnibus qui intus sunt, uerba facere uelitis. Hic ego eum suspicatus ostentare auctoritatem suam apud Prodicum & Hippiam uelle, quod eius sapiẽtię auiditate inflammati ad eum auidiẽdum profecti essemus, cur non inquam Prodicum atq; Hippiam, & eos qui hos comitantur, huc aduocamus, ut & ipsi nos audiant? PROT. Aduocemus. Vultis igitur, Callias inquit, sedes hic paremus, ut differatis sedentes? Consensimus omnes, & auidiendi auditate admodum festinantes, scamna unusquisq; apprehendimus, et iuxta Hippiam confestim apparauimus Ibi enim plurima erant subsellia. Ibi Callias & Alcibiades ueniunt, Prodicumq; & qui cũ eo isthic erant secum adducentes. Postquam igitur consedere omnes, Repete ô Socrates, inquit Protagoras, his præsentibus quę me paulo ante pro adolescente hoc obsecrabas. Eodem igitur, inquam, exordio quo supra utamur. Hippocrates hic adhærere tibi uehementer exoptat: uerum quidnam sit ex hac cõsuetudine tua reportaturus, libenter audiret, Hæc nostra erat oratio. PROT. Petis quid mecum lucraturus sis adolescens? nunquam accedes

Defensio artis sophisticæ.

Apparentes rationes

des ad me, quin abeas doctior, singulisq; diebus amplius ampliusq; proficies. SOC. Haud mirum hoc ô Protagora: sic enim conuenit: quandoquidē & tu tam grandis natu, tamq; sapiens, si quæ nescis ab aliquo disceres, præstantior abires. At uero non id duntaxat exquirimus. Sed perinde ac si Hippocrates hic mutata sententia uersari cum adolescente hoc, nuper huc profecto Zeuxippo cuperet Heracleti filio, eumq; eodē quo nunc te pacto aggressus, eadem ex illo quæ ex te audiret, uidelicet pulchre apud se quotidie profecturum esse, Zeuxippum roget, qua potissimum in re profecturus sit, respōdeat utique, in arte pingendi: & Orthagoram Thebanum si conueniat, audiatq; ex illo doctiorem se eius cōsuetudine euasurum, qua in re doctiorem roget, in tibiarum sono Orthagoras respondeat: eodem modo & tu adolescenti huic mihiq; pro illo petenti responde. Ais enim Hippocratem siquidem Protagorę adhærebit, in dies doctiorem fore: qua tandem in re? declara. Tum Protagoras'. Scite interrogas tu quidem ô Socrates: & ego his qui probe interrogant, gaudeo respōdere. Hippocrates quidem si mecum uersetur, in eum errorem non incidet, in quem proculdubio incidisset cū sophistis alijs conuersatus. Alij siquidem iuuenibus obsunt. Inuitos namq; ad eas artes retrahunt quas & fugerant, arithmeticen, astronomiam, geometriā, musicam docentes. Et Hippiam simul aspiciens addidit: Quisquis autem ad me uenerit, solū id discet cuius gratia uenit: disciplina uero huiusmodi est prudens in re familiari & republica cōsultatio, qua quis & domum recte gubernat, & ciuitatis negocia optime & dicēdo transigit, & agendo. SOC. An intelligo quod uis Protagoras? ciuilē nāq; artē dicere mihi uideris, pollliceriq; quomodo in uiros bonos ciues euadant. PROT. Hoc ipsum est ô Socrates, quod passim prædico. SOC. O quàm præclarum nactus es artificium, si modo es nactus. Nihil sanè aliud erga te quàm quod sentio proferendum. Id equidem ô Protagora doceri non posse putaram. Tibi tamen autumanti non præstare fidem non possum. Quam uero ob causam neq; doceri, neq; ab hominibus inuicem tradi censeam, æquum est, arbitror, ut dicam. Equidem quod & cæteri Græci testantur, Athenienses uiros sapientes appello. Video igitur quando concione congregata aliquid de ædificando deliberare uult ciuitas, ædificatorum consilium expeti: & cum de nauium fabrica, fabros nauium accersiri. Idem quoq; faciunt in cæteris omnibus quæcunq; doceri & disci posse existimant. Quod si quis alius de artis illius opere consultare pergit, quem eius artis expertem esse putant, clarissimus alijs in rebus sit licet ditissimusq; & nobilissimus, nihilo tamen magis admittunt, sed exibilant, explodunt q;, quoad uel ipse tumultu deterritus à dicendo desistat, uel iubentibus magistratibus stipatores ipsum aut extrudant protinus, aut transfigant. Id itaq; in omnibus ad perceptionem artium pertinentibus obseruare consueuerunt. At cum de publica ciuitatis administratione consultandum est, consulti architectus æque ac faber ærarius, æque etiam cerdo, mercator, nauta, diues, pauper, ignobilis, nobilis, neq; horum quisquam quenquam explodit, ut in superioribus contingebat, quasi quod nusquam discatur, nulloq; præceptore percipiatur, consultare audeat. Constat porrò quod doceri posse non putant. Neq; publice solum hoc, sed & priuatim conspicitur. Etenim qui ciuili sapientia pollent, uirtutem hanc in alium transfundere nequeunt. Siquidem Pericles horum adolescentum pater, in his rebus quæ sub magistro discuntur, diligenter eos erudiuit: in his autem in quibus ipse sapit, neq; ipse erudit, neq; alteri cuiquam committit erudiendos, sed passim quasi pascentes sine custode pererrant, si fortè casu quodam in hanc uirtutem incidant. Idem quoq; Pericles cum esset Cliniæ tutor, fratris Alcibiadis huius minoris natu, illiq; metueret ab Alcibiade, ne fortè consuetudine eius inquinaretur, segregauit eos, & Cliniam apud Ariphronem educauit. sed nondum sex inde mensibus exactis eum illi reddidit, cum ingenio illius diffideret. Multos præterea cōmemorare possem, qui cum in republica excellentes uiri essent, nullum tamen aut propinquorum, aut alienorum unquam docuerunt. Equidem ô Protagora dum hæc animaduerto, uirtutem doceri posse diffido. Contrà uero dum te audio hęc asserentē, sententiam mutare cogor, & quæ dicis haudquaquā arbitror contemnenda, existimans te usu multarum rerum, doctrinaq;, & inuentione sapientem esse. Ergo si potes clarius ostendere nobis, quod uirtus doctrina aliqua comparetur, ostende obsecro, nec inuideas. PROT. Haud inuideo ô Socrates. Sed utrum uobis tanquam senior iunioribus fabulam referam? an prosequar disputando? Tunc sanè audientium plurimi,

Quæ promittat sophista docere

Tentando ostenditur quòd uirtus doceri non possit

Hæc fabula nititur demonstrare, uirtutẽ doceri

ut cunq; mallet, dicere concesserunt. PROT. Gratiorem uobis fore fabulam arbitror. Olim quandoque dij soli erant, nulla uero mortalium genera, sed cum tempus generationis fatale uenisset, ipsa dij in terræ uisceribus ex igni terraq; finxerunt, interuenientibus ijs quæ igni terræq; miscentur. Cum uero educere illa in lucem uellent, Prometheo Epimetheoq; mandarunt, ut suas cuiq; uires distribuerent. Prometheum itaq; rogauit Epimetheus, ut distributionis illius munus sibi concederet, distribuenti spectatorem se præberet. Consensit Prometheus. distribuit ille. quibusdam igitur robur absq; celeritate dedit, quibusdam imbecillioribus uelocitatem donauit, armauit nonnulla, inermibus autem aliud quoddam ad salutem machinamentum excogitauit. Quæ enim exiguo corpore clauserat, partim per aerem pennis attolli, partim per terram subrepere iussit. Quæ uero in molem amplam auxerat, ea ipsa mole ad salutem suam muniuit. Similiterq; in cæteris exæquans partitus est singula, adeo ut nullum genus penitus obscuraretur. Postquam ita instruxit, ut ne mutua populatione perirent, excogitare iã cœpit suffragia qua ratione quàm facillime sub diuo agere uitam possent. Itaque illa uel pilis cõfertissimis setisq;, uel durissimis pellibus uestiuit, quibus facile tum hyemis, tum æstus intemperiem tolerarẽt, & naturalia illis stramtẽa ijsdem ex rebus cubiliaq; parauit, pedibusq; soleas addidit, ungulas, setas, callum, pelles itidem quàm durissimas. Deinde alimenta alijs alia suppeditauit, quibusdam ex terra herbas, nonnullis ex arboribus poma baccasq;, radices alijs. Nec defuerunt quibus daret è mutuo laniatu uictum. Cæterum uoracibus animalibus genus quodammodo sterile: cæteris autem quæ illorum ferocitati obnoxia sunt fœcundum dedit, ut hoc modo genus conseruaretur. Cum uero non esset admodum sapiens Epimetheus, dotes omnes inscius effudit in bruta, neque aduertit nihil ex tanta sibi elargitione superfore, quo genus nostrum deinde donaret. Restabat ergo hominum genus immune & uacuum. itaq; quò se uerteret dubitabat. Dubitanti Prometheus adstitit partitionis illius spectator, uiditq; cætera animalia suis quæq; fulta muneribus bonisq; referta, hominem autem nudum, inermem, calceorum, stramentorumq; indigum. Iam uero imminebat fatalis ipse dies, qui in lucem terra exire cogebat. Cumq; aliam salutis humanæ uiam consultans Prometheus non inueniret, surripuit Vulcani Mineruæq; artificiosam pariter cum igne sapientiam. Necq; enim fieri poterat, ut eam sine igne nanciscereturquis, uel etiam uteretur. Eam itaq; sic hominum generi Prometheus intulit, atque ita sapientiam quæ uictum suppeditat consecuti sumus. Deerat hominibus adhuc sapientia ciuilis. Erat illa quidem apud Iouem, cuius arcem ascendere Prometheo nondum licebat. horribiles Iouis arcem circumstantes custodes Prometheum deterrebant. Cæterum communem Vulcani Mineruæq; officinam, in qua artes excolebantur, clam ingressus furatus est igneam Vulcani artem, aliamq; Mineruæ. atq; homini tradidit, qua uiuendi facultas obuenit. Prometheus autem, ut fertur, propter Epimetheum furti pœnas dedit. Quoniam uero solus ex omnibus animantibus homo diuinæ sortis particeps effectus est, principio solus ob hãc cognationem deos esse putauit, arasq; illis statuasq; dicauit. Deinde uocem in uerba articulatim arte distinxit: ædes construxit, uestes calceosq; confecit, stramẽta elaborauit, ex terra alimenta collegit. Ita homines ab initio constituti sparsim uagabantur habitabantq;, nam urbes nondum construxerant. Ergo à feris cum imbecilliores essent, passim laniabantur. Artium enim facultas ad uictum cõparandum sufficiens erat, ad pugnam uero contra bestias truculentas minime. Ciuilis nanq; peritiæ, cuius pars quædam est res militaris, expertes erant. Vt igitur se aduersus eam pestem munirent, structis urbibus congregati sunt. Congregati autem inuicem iniuriabantur, quippe qui ciuili arte carerent, quare dispersi iterum à feris lacerabantur. Verum Iupiter humanæ saluti consulens, Mercurium misit pudorem & iustitiam hominum cœtibus illaturum, ut duo hæc ciuitates ornarent deuincirentq;, & mutua beneuolentia ciues conciliarent. Interrogauit ergo Mercurius, qua cõditione pudorem, & iustitiam hominibus traderet. Num, inquit, ita ut artes distribui debent: illæ siquidem ita distributæ sunt, ut unus in arte medicinæ peritus pro rudibus multis sufficiat. cæteraq; similiter. nũquid ita pudorem & iustitiam hominibus dabo? an omnibus inferam? Omnibus, respondit Iupiter: omnes siquidem horum participes esse debent, neque enim ciuitates ullæ constarent, si pauci quidam ut artium aliarum, sic horum participes essent. Legẽ præterea meo nomine condas, qua quis-

quis

quis omnino uel iuſtitiæ uel pudoris eſt expers,tanquam ciuitatis peſtis quædam ultimo ſupplicio afficiatur. Hac de cauſa ô Socrates, tam alij omnes quàm Athenienſes quotieſcunq; de architectura uel alio quodam opificio habendus ſermo eſt,paucos ad conſilium adhibent, cæteros autem artium imperitos excludunt,ut & tu ais, & ego approbo. Quoties autem de ciuili adminiſtratione conſilium initur,quæ uirtus temperantia & iuſtitia conſtat, iure unumquenq; admittunt. quippe cum oporteat omnes huius uirtutis eſſe participes,aut ciuitates nullas conſtare. Hæc ô Socrates eius de quo dubitabatur eſt cauſa.Sed ne te decipi ſuſpiceris,hanc inſuper accipe coniecturam, quod ſcilicet omnes mortales,mortalem omnem uirtutis huius ciuilis participem eſſe putẽt,temperantiæ ſcilicet & iuſtitiæ. Nam in cæteris facultatibus,ut tu ais, ſi quis ſe iactet, puta quod tibicen optimus ſit, cum tamen in eo ipſe ſit rudis, audientes hunc aut rident, aut ei indignantur.Propinqui uero ut inſanũ admonent,& increpant. Contrà uero in ciuili uirtute contingit.nam licet ſciant aliqui quempiam iniuſtum eſſe, tamen ſi ille hoc coram neſcientibus fateatur,inſanire eum exiſtimant,neq; patefaciendam cenſent iniquitatem, imò ſemper ſiue ea præditus ſit ſiue non,iuſtitiam oſtentandam: eum uero qui non ſimulat iuſtitiam,delirare,tanquam oporteat unumquenq; aut ciuilis uirtutis participem eſſe, aut ex hominum cœtu uitaq; exterminari. Ex his ſufficienter oſtẽſum puto quod merito quemlibet de re ciuili conſultorem admittunt, quia uirtutis huius compotem quemlibet eſſe cenſent. Quod autem uirtutem neq; innaſci neq; ſorte contingere putent, ſed doctrina & ſtudio comparari, deinceps tibi conabor oſtendere. Nemo ob ea mala quæ uel natura uel caſu fieri putat cuiquam ſuccenſet.Sed nec obiurgat,nec edocet,nec punit eos qui hiſce malis premuntur,ne tales ſint:ſed omnes potius miſeramur,ceu deformes, paruos, ualetudinarios homines. Nam quis adeo demens, ut hæc corripiat? Intelligunt ſanè, ut arbitror,omnes hæc mala eorumq; cõtraria natura hominibus fortunaq; prouenire, Contrà uero cum mala quædam cuiquam uel ſtudio uel conſuetudine & doctrina parta exiſtimant, tunc indignantur,increpant, atque puniunt. Quorum de numero iniquitas eſt, & impietas,ac ſummatim quicquid ciuili uirtuti repugnat. Quæ idcirco quiſque paſſim damnat,corripitq;, quod ex induſtria, diſciplinaq;, tam prauitas quàm ciuilis illa uirtus proficiſcatur. Si enim punitionis intentionem conſiderare uolueris Socrates,ex eo quoque intelliges quod homines uirtutem ſtudio comparari putant. Nemo enim præteriti gratia punit,& ea mente iniuſtos affligit pœnis,quia iniuriati ſunt,niſi quis tanquam brutum abſq; ratione percutiat. Verum qui ratione punire aggreditur, non præteriti ſceleris cauſa punit:neq; enim aſſequi poteſt,ut quod eſt factum ſit infectum:ſed futurum reſpicit,ne iterum aut ipſe, aut alius quilibet exemplo eius adductus delinquat. Quiſquis autem hoc propoſito cenſuraq; eiuſmodi animaduertit in errata, doctrina uirtutem exiſtimat poſſe comparari.Nam abſterrendi cauſa plectit.Hac mẽte opinioneq; ad plectendum accedunt tam publice quàm priuatim,quicunq; in peccantes animaduertunt.Condemnant autem puniuntq; cum cæteri omnes,eos quos iudicant peccatores, tum maxime ciues tui Athenienſes.Quamobrem Athenienſes quoq; ex hac ratione in eorum numero eſſe conſtat,qui doceri uirtutem putant. Ex his aperte, ut arbitror,monſtratum eſt ô Socrates non iniuria ciues tuos in ciuili adminiſtratione cõſilium ærarij fabri coriarijq; non reſpuere,atq; eos doctrina & ſtudio per exercitationem acquiri poſſe uirtutem, exiſtimare. Reſtat dubitatio illa quam de uiris uirtute claris mouebas,quam ob cauſam filios illi ſuos in omnibus quæ præceptore conſequi licet,erudiunt:quod uero ad paternam uirtutem ſpectat, nihilo cæteris meliores reddunt.Ad hoc rationem ô Socrates, non fabulam afferam.Sic enim cogita,utrum eſt unum aliquid, aut non, cuius neceſſe ſit ciues omnes eſſe participes,ſi modo conſtare ciuitas debeat. Ita enim hæc tua ambiguitas ſoluitur,aliter uero minime.Si unum hoc extat,neq; eſt architectorum,neq; ærariorum artificium,neq; figulorum opificium,ſed iuſtitia,temperantia,ſanctitas, &, ut paucis comprehendam,uiri propria uirtus: ſi hoc eſt inquam, cuius participes eſſe oportet omnes, & cum hoc diſcere & agere quodcunq; placeat aliud, abſq; hoc nequaquam, expertem uero huius doceri,corripiq;,& puerum,& uirum, & mulierem, quoad correptione melior efficiatur; ſi quis autem hanc ſpreuerit diſciplinam,eum tanquam inſanabilem ciuitatibus pelli uel interfici; ſi ita eſt inquam, ut diximus, uiriq; præſtantes in republica ci-

ues, in cæteris quidem erudiunt filios, in hoc uero nequaquam, aduerte quàm mirabiliter in eo excellentes euadant. quod enim doceri posse tam priuatim quàm publice opinantur, ostendimus. Cum uero & doctrina & cura acquiri hoc possit, alia filios docent, in quibus non est aduersus nescientes mortis pœna proposita: in quibus autem mors & exilium, aut pecuniarum ablatio, aut domorum subuersio premit ignaros rudesq; filios, in his non omni diligentia patres erudiunt, & ubi minæ huiusmodi urgent, doctrina curaq; leuior adhibetur? Existimare decet, ô Socrates, à teneris annis usque ad uitæ finem erudiri eos atque moneri. Nam cum primum puer quæ dicuntur intelligit, nutrix, mater, pædagogus, pater, ad hoc omni cura studioq; contendunt, ut in singulis, tum uerbis, tum operibus optimus puer euadat. Singillatim enim mostrant quid iustum, quid iniustum, quid honestum, quid turpe, quid sanctum, quid'ue prophanum sit, quæ agenda, quæ non. Quibus si obtemperat puer, bene secum agi putant: sin renititur, tum ueluti contortum obliquum'que lignum minis plagis'que dirigunt. Posthæc ludimagistris pueros curandos tradunt, morumq; bonorum diligentiam multo magis quàm literarum citharæq; doctrinam à magistris exposcunt, præceptores autem susceptos curant & excolunt. Et literas ubi tantum didicerunt, ad scriptaq; conuertuntur, poetarum in primis excellentium opera illis legenda ediscendaq; proponunt, quibus monumenta quamplurima inseruntur, priscorumq; uirorum uirtute præstantium gesta laudantur, ut puer æmulatione accensus præclara maiorum facinora imitetur. Citharistæ quoq; tum alijs quibusdam huiusmodi, tum præsertim temperantiæ student, cauentq; nequid perperam adolescentes agant. Atque ubi pulsare iam citharam didicerunt, rursus poetarum aliorum modulatione præstantium cantilenas docent, quas ad citharam canant, rhythmos'que & harmonias puerorum animis conciliare conantur, ut mitiores modestioresq; & concinniores effecti, & ad agendum utiles sint, & ad dicendum. Omnis enim hominis uita numerosa quadam indiget consonantia. Post hæc ad gymnasiorum magistros parentes filios mittunt, ut firmum aptumq; adepti corporis habitum, optime menti suggerant ministerium, ne fragilitate corporum impediti, à militaribus ciuilibus'que actionibus tanquam laboriosis absterreantur. Hæc nempe obseruant maxime ij qui maxime possunt: possunt autem maxime opulentissimi uiri, eorumq; filij, qui primi disciplinarum scholas ingressi, nouissimi exeunt. Scholis autem egressi, à magistratibus leges iuraq; discere, eorumq; exemplo uiuere coguntur: nequid ipsi proprio ingenio freti temere agant: sed quemadmodum literarum magistri pueris adhuc scribẽdi ignaris, calamo exẽplar quoddam præscribunt, ad cuius characteres scribendi artificium imitando perdiscunt: ita ciuitas leges præscribens priscorum hominum in legibus ferendis prudentissimorum inuenta, ad earum normam imperare cogit quemlibet & parere. Eos autem qui præuaricantur, punit: punitioq; huiusmodi & apud uos & apud alios multos, propterea quod tanquam pœna iudicialis dirigat transgressorem, iudicium correctioq; uocatur. cum igitur talis tanta'que sit uirtutis tam priuatim quàm publice cura, an dubitas adhuc ô Socrates, miraris'que si uirtus doceri queat? Neque uero mirari hoc quisquam debet, immo multò magis si doceri non possit. Quærebas præterea quã ob causam bonorum patrum filij mali reperiuntur. Hoc iterum docere te pergo. neque hoc mirum uideri debet si uera sunt quæ dixi, uidelicet uirtutis curam non ad unum aliquem duntaxat, sed ad omnes spectare oportere, si modo consistere ciuitas debeat. Si autem ita est, ut loquor, immo certe cum ita sit, elige atque considera quamuis aliarum facultatum & doctrinarum: utputa si non posset consistere ciuitas, nisi tibicines omnes essemus, qualiscunq; esse quilibet posset, nonne hoc quilibet priuatim publice unumquenq; doceret, huiusq; ignarum sine inuidię liuore corriperet? quemadmodum nunc quę iusta & legitima sunt, quilibet sine inuidia prædicat, neq; hæc ut alia celat. prodest enim omnibus communis iustitia uirtusq;. Atque idcirco omnes omnibus quæ iusta & legitima sunt, libentissime monstrant. Si ergo in tibiarum flatibus eadem animi flagrantia charitateq; inuicẽ nos erudiremus, num optimorum tibicinum filij magis quàm deteriorum in his sonis periti euaderent? nequaquam, ut arbitror, sed quicunque natura ad tibias inflandas ingeniosus esset, magis proficeret, tardus autem minus: ac sæpenumero periti tibicinis rudis euaderet filius: sępe etiàm inepti filius aptus. Veruntamen omnes sufficiẽtes essent tibicines, si cum his conferrentur

rentur qui rudes sunt, nihilq; rerum earum intelligunt. Similiter eum existima Socrates, qui iniustissimus tibi uidetur inter homines sub lege uiuẽtes, iustum fore, iurisq; auctorẽ siquãdo cum illis hominibus cõferatur, quibus nec disciplina sit, nec iudicia, neq; leges, neq; necessitas ulla in uita quæ uirtutẽ colere iubeat, efferatiq; sint, ut illi quos anno præterito in Lenæo poeta Pherecrates erudiuit: ac si fortè in eos homines incideres, qui ex eorum cœtu sint humani generis hostes, bene tecum agi putares, si Eurybatum offenderes & Phrynondam, deploraresq; fortunam tuam, desiderans nostrorum hominũ prauitatem. Nunc autem delicatior uideris ô Socrates, quum enim omnes pro uiribus uirtutis præceptores sint, nullus tamen tibi talis apparet. Quinetiam si quæreres quis præceptor nos Græce loqui docuerit, nullus utiq; appareret, Item si peteres quis docuerit mechanicorum artificum filios ministerium illud, quod patres eorum consortesq; alij eiusdem artis exercent, quod'ue filij imitantur, haud facile, ô Socrates, præceptor illorum reperiretur: innumerabilium uero aliorum, perfacile. Ita de uirtute dicendum, ac cæteris talibus. Verum satis nos habere putãdum, si quis paulo commodius quàm cæteri iuuenes ad uirtutem prouehat. Ex quibus unum me esse profiteor, subtiliusq; cæteris omnibus rationẽ qua boni honestiq; fiant, cognoscere, atq; ita rem ipsam perficere, ut dignum est ea mercede quam exigo, immo etiam mercede maiori, quod ipsi quoq; discipuli iudicant. Exactionis autem meæ hæc est conditio: postquam aliquis à me didicit, si uult ille quidem retribuit quantum exigo argentum, Sin minus, ingressus templum, iureiurãdo præstito æstimat quanta mercede digna sibi mea documẽta uideantur, tantamq; exponit. Quod igitur uirtus doceri discíq; possit, ô Socrates, hac fabula tibi sit & ratione probatum. Quod & Athenienses ipsi testantur. Ostendimus item nihil mirum uideri debere, si bonorum patrum mali sint filij, malorum'ue boni, quandoquidem & Polycleti filij, Parali & Xanthippi huius æquales, si cum patre comparentur, interuallo quodam longissimo superantur. similiter etiam aliorũ artificum filij. Neq; dum adolescentes hi reprobandi sunt, spem quippe aliquam præbent, iuuenes sunt enim. Cum hæc ostendisset Protagoras, loquendi finẽ fecit. At ego diu post, utpote superiori oratione delinitus, in os Protagoræ inhiabam sequentium uerborum desiderio inflammatus. Verum postquam destitisse prorsus animaduerti, me ipse recepi, & ad Hippocratẽ conuersus: ô fili Apollodori inquam, quàm ingentes tibi debeo gratias, quòd me huc hodie adduxisti. Nam plurimi facio hæc à Protagora audiuisse. Antea enim haud humanam curam esse rebar, qua uiri boni efficiuntur: nunc autem eam esse persuasus sum. Sed paulum quiddam restat iterum declarandum, quod uidelicet Protagoras facile demonstrabit, postquam multa hæc edocuit. Etenim si quis de ijsdem rebus cum aliquo forensium oratorum agat, fortè tales sermones audiet, quales Periclis esse solent, cæterorumq; eloquentium hominum. si autẽ de aliquo rediterrogando instet urgeatq;, librorum instar, neq; quid respondeãt, neq; quid interrogent, ipsi habent. Si quis uero de aliquo, paucis obiter ab ipsis dicto roget, uelut æs percussum alte resonant, longeq; uociferantur, nisi eorum dicta protinus excipias. Atq; ita rhetores breue quiddam interrogati, prolixam producunt orationem. Verum Protagoras hic copiose & ornate loqui potest, quod superior testatur oratio. potest etiã cum rogatur, summatim ac breuiter respondere: & interrogans ipse, consistere & excipere responsionem, quod quidẽ de paucis dicere licet. In præsentia igitur, ô Protagora, parum quiddam desidero, quod si declaraueris, putabo mihi in omnibus satisfactum. Virtutem ais doctrinæ studio comparabilem, & ego sicui unquã, tibi maxime credo. Quod uero te dicente sum admiratus, aperias obsecro. Dicebas enim Iouem iustitiam & pudorem hominibus infudisse. Deinde procedente sermone, sæpe iustitiam nominasti, temperantiam, sanctitatem, perinde ac si ista omnia sub una quadam uirtute contineantur, unumq; aliquid ipsa uirtus existat. Hæc mihi liquidò explanari uelim, utrum scilicet unum quiddam sit uirtus, cuius partes sint iustitia, tẽperantia, sanctitas: an hæc inquam, omnia quæ nunc retuli nomina unius eiusdemq; rei sint, hoc est inquam, quod insuper requiro. PROT. At facilis est ô Socrates, ad ista responsio, quòd uirtutis ipsius quę summatim unum est, partes sunt quæ interrogas omnia. SOC. Vtrum quemadmodum uultus unius partes sunt os, nares, oculi, aures? An sicuti auri partes nihilo differunt à toto, præterquàm magnitudine quadã & paruitate? PROT. Ita se habere mihi uidentur ô Socrates, uirtutis partes ad

Repetit quę dã dicta Protagorę ut cõuincat ipsũ

totam,ut uultus partes omnes ad totum. SOCR. Vtrum alíj homines aliam uirtutis partem accípiunt? an neceſſe eſt, eum qui unam habet,omnes habere? PROT. Nullo modo, quoniam multi fortes quidem ſunt, ſed iniuſti: & alíj iuſti quídem ſunt, ſapientes minime. SOC. Nunquid ſapientia & fortitudo partes uirtutis ſunt? PROT. Omnino quidem, & præſtantiſsima pars omniũ eſt ſapientia. SOC. Eſt'ne hoc quidem aliud, illud uero aliud? PROT. Eſt. SOC. Nunquid & potentiam utrunque propríam habet? quemadmodum è uultus partibus oculus non eſt auribus ſimilis, neq; illorum potẽtia eadem, neque alia quælibet pars alterius, aut potentia, aut alio quoquam ſimilis eſt. Ita'ne uirtutis partes ſe habent,ut neq; alia aliarum ſit ſimilis,neq; eadem,neq; potentia eadem? An forte ita eſſe conſtat? ſiquidem naturæ uirtutum exemplar quod induximus, congruit. PROT. Sic certe eſt ô Socrates. SOC. Non eſt igitur pars uirtutis alia talis qualis ſcientia,neque qualis iuſtitia, uel fortitudo, uel temperantia, uel ſanctitas. PROT. Non certe. SOC. Age in commune conſideremus,quale nam quiddam iſtorum quoduis exiſtit,primum quidem ſic.Iuſtitia res quædam eſt, an nulla? Mihi quidem res quædã eſſe uidetur. Tibi uero? PROT. Et mihi. SOC. Quid uero? ſi quis à me & te ſciſcitetur,ô Protagora atq; Socrates, dícite quæſo. num res iſta quam modo iuſtitiam nominabatis, eo ipſo quo eſt iuſtitia, eſt & iuſta, an iniuſta? Ego quidem iuſtam eſſe dicam. tu uero mecum ſentis? an non? PROT. Tecum planè. SOC. Ego igitur interroganti reſponderem talem eſſe iuſtitiam, quale & iuſtum. tu uero? PROT. Ego quoq;. SOC. Si quæreret iterum, nunquid & ſanctitatem aliquam eſſe dicamus, conſentiremus utique, ut opinor. PROT. Conſentiremus. SOC. An non & hanc rem aliquam eſſe dicitis, ſi roget ille, nónne & hoc aſſentiremur? PROT. Et hoc. SOC. Num rei iſtius naturam talem putatis ut ſancta ſit, an ut prophana? Interrogationem hanc ægre ferrem, ad eumq; cõuerſus obíjcerem, Bona uerba quæſo, Nunquam porrò ſanctum aliquid eſſet, niſi & ſancta ipſa ſanctitas eſſet, quid & tu? an non ſimiliter reſponderes? PROT. Similiter. SOC. His ſi adíjceret,an quæ ſuprà dixiſtis, recte accepi? Videbamini enim paulo ante aſſerere, ita ſe inuicem partes uirtutis habere,ut non ſit alia pars qualis eſt alia. Inferrem equidem ad hæc,quod alia recte acceperit: quod uero me in eo conſenſiſſe putarit, non recte. Nam Protagoras iſte hæc reſpondit: ego autem quęſiui. Ergo ſi dicat,ô Protagora,uere loquitur Socrates,ipſe es qui ais, uirtutis partem aliam non eſſe talem qualis eſt alia: tuus hic ſermo eſt. Quid illi tu reſpõdebis? PROT. Neceſſe eſt, ô Socrates, aſſentiri. SOC. His conceſſis, quid illi potiſſimum reſpõdebimus,ſi ultra ſic obiecerit? Non ergo talis eſt ſanctitas, ut res iuſta ſit: neq; iuſtitia talis, ut ſancta: ſed illa talis,ut non iuſta,hæc ut nõ ſancta. iniuſta itaq; illa,hæc prophana. Quid ad hæc,inquam? Equidem mea ſententia iuſtitiam eſſe ſanctam, & ſanctitatem iuſtam eſſe dicam. Arbitror enim te permiſſurum,ut pro te illud ipſum reſpondeam, quod uidelicet aut idem ſit iuſtitia quod ſanctitas,aut inuicem quàmſimillima: ut maxime omniũ talis iuſtitia qualis ſanctitas, & qualis ſanctitas talis iuſtitia ſit. Vide num me ita reſpondere prohibeas,an conſentias. PROT. Haud ita ſimpliciter iſtud mihi uidetur, ô Socrates,ut concedí poſſit ſanctitatem iuſtam,ſanctam' ue iuſtitiam eſſe. Verum differentia quædam ineſſe apparet. ſed quid tandem id refert? Si uis eſto nobis ſanctitas iuſta, ſanctaq; iuſtitia. SOC. Mihi uero non. Nec opus habeo ut iſtud, ſi uis, & ſi tibi placet: redarguatur. Sed ut me & te dícatur uolo. Dico autem & me & te, exiſtimans tum demum recte ſermonem diſcuti, ſi tantum hoc ſi, ex eo tollítur. PROT. Enimuero ſimile quiddam habet iuſtitia ſanctitati. Nam quodlíbet cuilibet quiddam ſimile habet: præter illa quæ omníno inter ſe contraria ſunt, ut album, nígrum, molle, durum. Atquí & illa quę ſuprà díximus aliam aliamq; inter ſe uim habere, nec tale eſſe alterum quale alterũ eſt, ceu uultus ipſius partes, quiddã ſimile inter ſe habent, eſtq; quodãmodo tale alterũ quale alterum. Atq; hac ratione licet hæc refellas, ſi placet, quod cuncta inuicem ſimília ſint: non tamen quæcũq; ſimile quiddã habent, ſimilia uocanda ſunt, neq; etiã quæcunq; diſſimile quiddam, inuicem diſſimilia, ſi exiguũ quiddam ſimile uel diſſimile habent. SOC. Admiror equidẽ ô Protagora, ſi ita iuſtum ſanctũq; inuicem ſunt, ut parum quiddam ſimile inter ſe habeant. PROT. Haud ita omnino. neque tamen ita prorſus ut ipſe arbitrarí uideris. SOC. Poſtquam hæc tibi moleſta ſunt, dimittamus: aliud uero quiddam ex his quæ dicebas, conſideremus. Inſaniam aliquid uocas? eiusq; contrariam ſapientiam eſſe dicis?

PRO-

PROT. Equidem. SOC. Num cum recte frugaliterq; homines uiuunt, ita agentes, temperanter agere putas, an cum contrà agunt? PROT. Temperanter agere uidentur mihi, cum frugaliter rectèq; agunt. SOC. Nónne temperantia temperanter agunt? PROT. Necesse est. SOC. Nónne quicunq; non recte agunt, insane agunt: & qui ita agunt, non temperanter agunt? PROT. Ita uidetur. SOCR. Ergo insane agere, contrarium eius est, quod temperate agere dicitur. PROT. Est utique. SOC. Nónne igitur quæ insane fiunt, insania fiunt? quæ temperate, temperantia? PROT. Profecto. SOCR. Nónne quicquid robore fit, fit robuste? & debilitate quicquid fit, debiliter? PROT. Apparet. SOC. Et quicquid uelocitate, uelociter: quicquid autem tarditate, tarde? PROT. Et hoc. SOC. Et quod eodem modo fit omnino, ab eodem efficitur: quod uero contrario modo, efficitur à contrario? PROT. Assentior. SOC. Dic obsecro, est'ne pulchrum aliquid? PROT. Est profecto. SOCR. Huic contrarium aliud quicquam est, quàm turpe? PROT. Nihil aliud. SOC. Est & aliquid bonum? PROT. Et bonum. SOC. Ei nunquid aliud contrarium nisi malum? PROT. Non aliud. SOC. Est'ne aliquid in uoce acutum? PROT. Sanè. SOC. Num aliud illi contrarium quàm graue? PROT. Hocipsum. SOC. An non unicuique contrariorum non multa, sed unum est contrarium? PROT. Vnum duntaxat. SOCR. Resumamus iam quæ hactenus à nobis concessa fuerunt. Concessimus planè, uni unum solum esse contrarium. PROT. Nempe. SOCR. Item quod contrario modo fit, à contrarijs effici. PROT. Hoc quoque. SOC. Admisimus præterea contrario modo fieri quod insane fit, & quod temperate. PROT. Etiam. SOCR. Rursus quod temperate agitur, à temperantia prouenire, quod insane ab insania. PROT. Conuenit. SOC. An non, si contrario fit modo, fit à contrario? PROT. Vtique. SOC. Fit autem hoc quidem à temperantia, illud autem ab insania. PROT. Certe. SOC. Contrario modo? PROT. Contrario. SOC. Nónne igitur à contrarijs. PROT. Et à contrarijs. SOC. Insania itaq; temperantiæ contraria est? PROT. Apparet. SOC. Recordamur suprà nos concessisse sapientiæ insaniam esse contrariam? PROT. Certe. SOC. Quin & uni unum solum esse contrarium? PROT. Et hoc. SOCR. Vtram igitur orationum harum reijciemus Protagoræ? eam'ne qua dicitur unum uni solum esse contrarium? An quæ uolebat sapientiã à temperantia differre? cum utraq; pars uirtutis esset? ac etiam præter id quod diuersæ hæ utræq; sunt, dissimiles quoq; esse tam ipsas quàm earum uim, sic quemadmodum illas in uultu partes? Vtrum istorum refutabimus? utrũque sanè haud satis apte dicitur. neque enim concinunt inter sese. Nam qua ratione consonarent, si quidem necessarium sit uni unum duntaxat contrarium esse, pluribus uero nequaquam: insaniæ autem quum unum sit, sapientia & temperantia contrariæ uideantur? Ita'ne an aliter, ô Protagora? PROT. Esto tandẽ. quid tum? SOC. An non hac ratione unum erit sapientia temperantiaq;? & suprà constitit idem quodam modo esse iustitiam & sanctitatem? Age Protagora, ne pigeat, sed pergamus ad reliqua. Videtur tibi uir iniustus, iniuste agendo temperanter sapere? PROT. Ego quidem confiteri hoc, ô Socrates, non auderem, plurimi autem hominum asserunt. SOC. Vtrum ergo ad illos, an ad te uerba dirigam? PROT. Si placet, ad hunc primo uulgi sermonem edisseras. SOC. Nihil mea refert, modo ipse respondeas, hęc tibi uideantur, an minus. Nam ipsum sermonẽ in primis ego discutio. Istud autem quod & me interrogante, & te respondente fit, sic accidit fortè. Hic Protagoras efferebatur primum sermonis difficultatem causando, postea uero respõdere concessit. Age, inquam, ab initio mihi responde. Videntur aliqui tibi iniuste agendo, sapere temperanter? PROT. Esto. SOCR. Temperanter uero sapere, bene sapere uocas? PROT. Voco. SOC. Bene autem sapere, bene consulere in eo, in quo cæteri iniuriã exercent? PROT. Esto. SOC. Vtrum si bene faciunt quod iniuriãtur, an si male? PROT. Si bene. SOC. Dicis'ne bona quędã esse. PROT. Dico. SOC. Num ea bona sunt, quæ utilia sunt hominibus? PROT. Imò per Iouem, bona quædam uoco, etiam sibi hominibus utilia non sint. SOC. Cum aũt uideretur mihi Protagoras subiraſci, & ad responsionem inuitus descendere, mitius eum submissiusq; rogaui. Nunquid ais Protagora, 'quæ nulli hominũ utilia sunt? an quæ nullo modo utilia? Et talia quædã bona appellas? PROT. Nequaq;. Sed ego multa noui hominib. inutilia, cibos & potiones, & pharmaca, aliaq; permulta: alia uero utilia. Quędã aũt quę hominibus perinde sunt, equis afferunt magnum momentum. Et nonnulla bobus, nonnulla canibus, quædam

Interrogationes per cõiugata, & cõtraria, ut probet unũ uni esse contrarium

Vagatur sophista

quædam uero nullis horum, sed arboribus potius. Et eorum quæ arboribus, quædam ita se habent, ut sępe radicibus prosint, germinibus obsint. Quemadmodum sterquilinium radicibus utile, ramusculis caulibusq; est noxiũ admodũ. Oleum quoq; arboribus omnibus herbisq; maxime prodest: pilis autem animalium omnium, humanis exceptis, nocet plurimum. Nam & pilis hominum & toti corpori confert. Atq; ita uaria quædam & multiformis res bonum existit. Vnde & oleum externis nostri corporis partibus optimum, interioribus pessimum. Quapropter medici ægrotantibus olei usum uetant, nec uti permittunt, nisi quàm parcissime ad obsoniorum quorũdam male olentium offensionem reijciendam. Cum hæc dixisset Protagoras, præsentes frequenti applausu acclamãtes, illius dicta comprobauerunt. At ego, ô Protagora inquam, sum equidem nimis obliuiosus, ac si quis orationem in lõgum protrahat, de quo uerba fiunt, protinus obliuiscor. Sanè si surdaster sim, & mecum sermonẽ inires, existimares altius mihi quàm cæteris inclamandum. sic in præsentia cum obliuiosum hominem alloquaris, cõcisioribus mecum responsionibus agas, si modo uis ut te cõsequar. PROT. Quam exigis breuitatem? num breuioribus quàm oporteat uerbis agi tecum iubes? SOC. Minime omniũ. PROT. An fortè quot opus est uerbis? SOC. Tot utiq;. PROT. Nunquid ego orationi modum imponam? an tu potius debitum terminum statues, quem non liceat transgredi, eumq; loquendo sim obseruaturus? SOC. Audiui equidem posse te copiose, quoties lubitum est loqui, ut nunquam tibi desit oratio, necnõ res easdem paucioribus quàm quisquam mortalium uerbis perstringere: & eam ipsam uim cæteros, ut audio, docere potes. Si ergo mecum disputaturus es, breui illa & concisa ratione dicendi utere quæso. PROT. O Socrates, multis cum hominibus olim dicendo certaui. Quod si quod tu mones egissem, si, incq; ad normam mihi ab auditore prescriptam uerba fecissem, nihilo quoquam melior essem, nec Protagoræ nomen tota Græcia resonaret. Ego autem quum cognouissem superiorem respondendi modum illi minime placuisse, eumq; sponte quidem deinceps ita mihi me responsurum, haudquaquã expedire mihi censui, ut illis disputationibus interessem, atq; idcirco ô Protagora, inq;, haud moror disputationẽ, nisi ex sententia tua nobis procedit. Etenim si ita differere uis, ut ego assequi possim, adstabo equidem: nam tu quidem, ut de te fertur, & ipse profiteris: æque eadem potes & summatim perstringere, & amplissime edisserere: es enim sapiens: ego autem ad prolixam orationem ineptus sum: atque utinam eius compos essem. uerum tua intererat nobis aliquantulum indulgere, quando quidem æque es ad utrunq; paratus, ut disputatio peragatur: postquam uero non uis, & me usq; adeò negocia urgent, ut nequeam tecum hic diu commorari, quamuis ista libenter audissem, abeo iam quò res ipsa me uocat. His dictis, surrexi protinus abiturus. Sed Callias dextera quidem me prehendens, sinistra pallium, dixit, Haud te dimittemus Socrates: nam si exieris nunc, uix erit deinceps ut ita colloquamur. Mane obsecro. nullius me oratio perinde ut tua illa cum Protagora oblectabit. Quare & mihi & omnibus his obsequere. At ego iam surrexeram exiturus. & ad Calliam inquam: O Hipponici fili, tuam semper philosophiam admiratus sum, nunc laudo insuper atq; amo. Quocirca gratificari tibi uehementer optarim, si possibilia poscas. Quod uero nunc petis, perinde est ac si orares, ut Crisonem Imeræum cursorem iuuenemq; æquis passibus sequerer, uel aliquem eorum qui longissimum interuallum excurrere solent, aut diurnum cursum peragere. obijcerẽ enim multo magis me ipsum optare, quàm te, qui hosce cursores cursu æquare queam, sed nequeo. Quod si me & hunc quasi alterum Crisonem spectare pariter concurrentes uis, ipsum ora, ut æquis me passibus comitetur. Nam ego quidem celeriter currere nequeo, hic autem tarde potest. Ergo si optas audire me & Protagorã disputantes, eum obsecra, ut quẽadmodum à principio fecit, ita nunc paucis uerbis & ad propositam quæstionem respondeat. Alioquin quis erit disputandi modus? Putabam sanè aliud esse inuicem differẽdo colloqui, aliud cõcionari. Sed uideo ô Socrates, inquit Callias, æqua petere Protagoras uidetur, dum cẽset licere sibi suo arbitratu differere, tibi item tuo. Hic Alcibiades, haud recte loqueris, inquit, ô Callia. Socrates enim hic concionandi impotentem se esse fatetur, & in hoc Protagoræ cedit. Si aũt & in disputando, accipiendisq; & reddẽdis rationibus cedat alicui, summopere mirabor. Si ergo Protagoras cõfiteẽ Socrate se esse disputando inferiorẽ, sat iam Socrates habet. sinautẽ hoc quoq; sibi uẽdicat, cum in-

Criso Imerę us cursor

cum interrogante Socrate congrediatur, & uicissim respondendo haud per lõgas ambages circumuagetur, neq; cõcionando occasionem intercipiat disputandi, neq; rationem reddere Socrati respuat, dum profusius loquitur, quoad plurimi audientiũ id de quo agitur, obliuiscantur. equidem pro Socrate fideiubeo, eum quæ dicentur obliuioni minime mandaturũ, licet iocetur nobiscum, obliuiosum esse se dicẽs. Mihi sanè uidetur Socrates equiora admodum postulare. Decet enim unumquenq; sententiã suam exprimere. Post Alcibiadem, ut arbitror, inquit Critias. O Prodice atq; Hippia, Callias quidem Protagoræ uehementer suffragari uidetur. Alcibiades autem contentiosus nimis est & pertinax, quocunq; se uerterit. Nos aũt alteri magis q̃ alteri fauere non decet, uel Socrati, uel Protagoræ, sed communiter utrunq; rogare, ne postquã cœperint, media in disputatione desistant. Cum hæc ille dixisset, Probe, Prodicus inquit, loqueris ô Critia; decet em̃ eos qui disputationibus his intersunt, cõmunes quidem esse utrorumq; auditores, æquos autem minime. Neq; uero idem hoc est & illud. cõmuniter quippe audire utrunq; decet, non autem æque utriq; tribuere. Sapiẽtiori quidem plus, imperitiori uero minus. Equidem ô Protagora atq; Socrates, arbitror uos inuicem nonnihil debere concedere, & de his quæ dicentur, ambigere quidem simul, cõtendere uero nequaquã. Ambigunt porrò propter beneuolentiam cum amicis amici, cõtendunt autẽ aduersarij et hostes. Atq; ita q̃ optime disputatio nostra procederet. Vos siquidem ita disputantes, maxime à nobis audientib. probaremini, non laudaremini inquam. Probant utiq; auditores mentis iudicio absq; deceptione: laudant uerbis, plerumq; falsò præter sententiam aliquid extollentes. nos item auditores ita maxime gaudio, nõ uoluptate afficeremur. Gaudio afficitur ille, qui discendo & contemplando ipsa intelligentia delectatur: uoluptate perfunditur, qui dum comedit, uel alio quodã oblectamento potitur, ipso sensu corporis delectatur. Cum hæc dixisset Prodicus, præsentium plurimi consenserunt. Deinde Hippias ille sapiens sic exorsus est. Arbitror ô uiri præsentes, uos omnes cognatos, propinquosq; & cõcíues inuicẽ esse natura, non lege. Simile namq; simili natura cognatum. Lex autem tyrannus hominum, multa præter naturam cogit. Turpe itaq; esset, si nos qui rerum naturam callemus, sapientissimiq; Græcorũ omnium sumus, postquam de hoc ipso disputaturi hanc in urbẽ conuenimus totius Græcæ sapiẽtiæ arcẽ, hisq; in ædib. urbis totius amplissimis sumptuosissimisq; cõgregati sumus, nihil tanta hac amplitudine dignũ ostenderemus, sed uiliũ homũculorum more altercantes, inuicem dissentiremus. Vos equidem, ô Socrates & Protagora, hortor & obtestor, ut subesse nobis uelut sub arbitris uelitis, qui uos ad mediũ sint perducturi. Neq; tu exactam dialogi formam, ô Socrates, et illam tuam breuem nimis breui loquentiam requires, siquidem est Protagoræ molestum: sed laxa paulisper obsecro frena, quo sermones magnificentiores splendidioresq; sint. Et te insuper Protagora quæso, ne tentis omnibus rudentibus, uelisq; plenis in altum sermonum mare protinus delabare, unde nusquam tellus cõspiciatur, sed annitamini ut mediocritatem pro uiribus uterq; seruetis. Igitur faciatis quod uolo, obtemperetisq;: caduceatorem pręfectumq; certamini & iudicẽ eligetis quendam, qui uerbis utriusq; statuat modum. Placuerunt hæc præsentibus, omnesq; laudarunt. Me uero hoc idem hortatus est Callias, rogaruntq; eligere arbitrum. At ego, nõ decet inquam, iudicem huic disputationi præficere. Nam si nobis imperitior erit iudex, iniustum erit ut deterior aliquis potioribus præsit. Si similis, rursus haud recte agetur. Similis enim nobis similia faciet. Quapropter superuacuus erit. Præstantiorem uero nobis quenquam eligere impossibile reuera est, ut arbitror, quippe cum Protagora hoc sapientior alius eligi nequeat. quod si quem elegeritis nihilo doctiorem, assentiemini tamen, dedecori Protagoræ hoc erit, quod ei tanquam insscio & ignobili iudicem delegistis. Mea uero nihil interest. Cæterum ut quemadmodũ uultis, disputare pergamus, ita mihi uidetur agendum. Si non uult respondere Protagoras, interroget saltem, ego autẽ respondebo, eiq; conabor ostendere quo pacto respondere quis alteri, meo quidem iudicio, debeat. Ac ubi ego ad quamlibet eius interrogationem ei respõdebo, ille mihi uicissim officium idem promittat. Et si fortè parum alacris esse ad disputandum uideatur, ego simul & uos hominem oremus, quemadmodũ uos me nunc oratis, ne cœtum dissoluat. Neq; uero opus est ut unum iudicem proponatis. Vos enim unà omnes iudicabitis. Consenserunt omnes sic esse agendũ. Protagoras autem inuitus ad hæc descẽdere uidebatur.

Differẽtia inter communes etęquos auditores

Inter probare et laudare

Inter gaudere & uoluptatẽ capere

Tandem

Tandem concedere coactus est interrogaturũ se,& postquam satis interrogauerit, breuiter responsurum,itaq; in hunc modum interrogare cœpit. Arbitror ô Socrates,præcipuã doctrinæ partem in hoc cõsistere,ut carmina quis quãplurima habeat in promptu. Est autem hoc ut poetarũ dicta intelligere possit,quæ recte scilicet habeant, quæ minus: sciatq; discernere,& cum interrogetur,rationem dare. Et nunc quidem interroget aliquis de eo ipso quod utriq; iam inuestigamus,uirtute scilicet. Sed hoc interierit, quod ad carmina disputatio est trãslata. Dicit enim Simonides ad Scopam Creontis Thessalici filiũ, difficile esse uirũ uere bonũ fieri,manibus pedibusq; & mẽte nõ adamussim quadratis. Tenes'ne memoria carmina,aut uis ut uniuersa exponam? SOC. Nihil opus est. Teneo nanq; & diligens mihi horum carminum cura fuit. PROT. Bene loqueris.utrum bene rectequ; dixisse tibi uidetur Simonides, an non? SOC. Immo optime. PROT. Videturne recte loqui Poeta,si ipse sibimet contradixerit? SOC. Minime. PROT. Attende itaque diligentius. SOC. Satis ô bone uir, attendimus. PROT. In eisdem carminibus postea dicit,Pittaci sapientis licet uiri sententiam absonam sibi uideri,qua inquit,Difficile est bonum manere. Cernis eundem Simonidem hæc & superiora dixisse? SOC. Equidem. PROT. Nunquid eadem hæc & illa sunt? SOC. Eadem,inquam, ut mihi uidetur. Et simul metuens ne quid ultrà adiiceret,interrogaui, an non ipsi quoq; uideretur. Rogas, inquit, utrum constare sibimet illum putem, qui hæc utraq; dixit? & primo quidem proposuit bonũ uirum fieri uere difficile esse, paulo autem post tanquã suiipsius oblitus, Pittacum eadẽ cum illo dicentem,difficile scilicet esse uirum bonum manere,carpit,eius dicta respuens,quieadem dixerat? Enimuero cum opinionis eiusdem ac suæ auctorem Pittacum accusat, seipsum damnat. Quapropter aut prius aut posterius non recte dicit. His dictis acclamarunt audi tores plurimi,& Protagoram collaudarunt. Ego autem primum tanquã à pugili robusto percussus oculis uertigine caligãtibus uacillaui. Nam & eius uox, & aliorum clamor me prorsus obruerant. Deinde uero,ut apud te uerum ingenue fatear, quo spacium ad Poetæ mentem inuestigandam captarem, ad Prodicum conuersus inquam, Conciuis tuus ô Iliad. ρ. Prodice Simonides extitit. Ergo tua interest illi opem ferre. Videor equidem sic aduocare te, quemadmodum apud Homerum Scamander ab Achille obsessus Simoentem aduocauit. O dulcis frater, uiri huius unà ambo uim cõprimamus. Haud secus ego te nunc accerso, ne Protagoras Simonidem nostrum expugnet. Equidem ut Simonidi succurratur,illa concinnitate tua opus est,qua uelle distinguis & cupere,& quæ multa atq; præclara paulo ante dicebas. Et nũc quidem uide num tibi idem quod mihi uideatur,neq; enim repugnare sibi in dicendo Simonidem puto. Sed tuã ô Prodice,sententiã prior expone: idemne tibi fieri & esse uideẽ,an aliud? Aliud,inquit Prodicus. Nónne in primis, inquã, Simonides hoc dicit, quod uirum uere bonũ fieri difficile sit? Vera narras, inquit Prodicus. Pittacum autem improbat, non ut Protagoras censet, idem sed diuersum dicentem. Non enim dixit Pittacus difficile esse uirum fieri bonum, ut Simonides, sed bonum perseuerare. Est autem non idem ô Protagora,sicut existimat Prodicus iste, esse & fieri. si autem non idem est esse quod & fieri, haudquaquam sibiipsi Simonides cõtraria ponit. Ac dicere fortassis Prodico huic & multis aliis illud Hesiodi licet, effici bonum difficile quidem esse. qui ante uirtutẽ sudorẽ à diis positum inquit. Verum ubi ad summũ uerticem In opere cui titulus ἔργα καὶ ἡμέραι peruentum sit,facilem esse,quæ cõparatu difficilis fuit. Prodicus igitur cum hæc audisset, me laudauit. Protagoras autem, ista ô Socrates emẽdatio inquit, plus habet uitii q; quod emendas. Male igitur,inquam ego, ô Protagora mecum actum est, ut uidetur, sumq; ridiculus medicus: quippe qui dum curare contendo,morbum exaugeo. PROT. Atqui sic tamen res habet. SOC. Qua ratione? PROT. Nimis enim inscius Poeta ille fuisset,si adeò uirtutem parui fecisset,ut facilem esse eius possessionem existimasset,cum sit omniũ difficillima,id quod omnibus uidetur. SOC. Opportune per louem nostris iste Prodicus sermonibus interuenit. Videtur enim ô Protagora,diuina illa Prodici sapientia uetusta esse quædam, iamdudum originem uel trahens à Simonide, uel ab antiquioribus: tu autem quum multarũ rerũ aliarũ peritus sis, huius tamen imperitus appares. Ego uero eam expertus sum,cũ fuerim Prodici huius discipulus. Atqui in præsentia haud satis animaduertere mihi uideris,ipsum quod difficile dicitur,forsitan Simonidẽ non ita usurpasse,quemadmodum abs te nunc usurpatur: uerum tanquam malum & graue quiddam intelligendum

dum esse crebro me Prodicus admonet. Nam quoties uel alium, uel teipsum laudans ita dico: Protagoras sapiens uir est & diues, id est, uehemens grauisq; : corripit me continuo, rogatq; num me pudeat, qui quod bonum est, graue uocem: cum quod graue est, sit malum. Nemo enim ita, diuitias graues, grauem pacem, sanitatem grauem dicit: sed grauem morbum, graue bellum, grauem paupertatem, quasi graue, id est, onerosum malũ sit. Fortassis igitur & Chĩj & Simonides ipse, cum difficile dicũt, uel malum insinuant, uel aliud quiddam quod abs te minus intelligatur. Ergo à Prodico sciscitemur. Decet enim de Simonidis scriptis hunc maxime percontari. Quidnam ô Prodice Simonides ipso difficilis nomine intelligi uoluit? PROD. Malum profecto. SOC. Ob hoc, ut arbitror, Prodice, Pittacum reprehendit, dicentem, difficile esse bonum manere: ac si dixisset, malum esse manere bonum. PROD. Et quid aliud putas ô Socrates, sibi uoluisse Simonidem, q; reprehendere Pittacum, quod nomina recte discernere nesciret, utpotè qui Lesbius erat, & inter Barbaros educatus? SOC. Audis ô Protagora, quæ Prodicus hic dicit? Quid ad hæc? PROT. Permultum abest ut ita sit Prodice. Certe equidem scio Simonidem difficilis nomine id quod & alĩ solent, uoluisse, non malum, sed quod non facile, quodq; multis cum laboribus cõparetur significare. SOC. Ego item hoc uoluisse Simonidem arbitror, ô Protagora, idemq; Prodicũ intelligere, sed ludere, tentareq; te utrum sermoni tuo ualeas suffragari. quod enim Simonides difficile non malum intelligi uelit, argumento sunt quæ sequuntur: subiungit enim quod solus Deus hoc munere frui dignus sit. Neq; uero si uellet, malum esse bonum, paulo post adiungeret, solum Deum huius cõpotem esse, Deoq; soli munus id attribueret. Dissolutum planè hominem, nec ullo modo Chium Prodicus diceret fuisse Simonidem. Cæterum quid tandem sensisse in his carminibus Simonidem ducam, dicam, siquidem de me periculũ facere uis, quemadmodũ circa poetica habeam. Sin autem lubeat, te audiã. Protagoras cum hæc audisset, ut lubet, inquit, ô Socrates. uerum Prodicus & Hippias, alĩq; omnes agere iusserunt. Conabor inquã, quid de his carminibus sentiam, uobis exponere. Antiquissimum apud Græcos, & plurimum sapientię studium in Creta & Lacedæmone extat, & sophistæ plures ibi q; alibi usquam reperiuntur: dissimulant autem & imperitos se esse fingunt, ne cæteros Græcos superare sapientia deprehendantur: prorsus quemadmodũ Protagoras de sophistis suprà dicebat: sed ut uideantur re militari potius & fortitudine cæteros anteire: ueriti ne si quod sunt, patefiat, cæteri omnes idem studium prosequantur. Ergo celant, decipiuntq; eos qui cæteris in urbibus mores Lacedæmoniorũ imitantur. Sunt enim qui quod aures præcidant, & quod loris inuoluuntur, quod exercitationibus gaudent, quod breuibus uestibus utuntur, similes Spartanis esse, uideri uolũt: perinde ac si huiusce modi rebus Lacedæmonĩj cæteros Græcos superent. Lacedæmonĩj uero quoties cum sophistis suis liberius colloqui uolũt, externos ægre ferunt, & clanculum congregati, exclusis peregrinis omnibus, cum sophistis philosophantur. Prohibent quinetiã & ipsi & Cretenses, ne adolescentes gentis suæ urbes alias adeant, ne quę apud eos docentur, alibi fortè dediscant. Reperiũtur in his ciuitatibus non uiri tãtum doctrina egregĩj, uerumetiã mulieres. Quod autem uerũ loquar, & Lacedæmonĩj optime ad philosophiã, sermonesq; sint educati, hinc maxime animaduertere licet. Siquis enim cum uilissimo etiam Lacedæmoniorũ colloquatur, rudem plerumq; in uerbis apparere primo cõperiet. Mox ubicunq; rei ipsius opportunitas exigit, instar uehementis iaculatoris uerbum breue contortumq;, sed magni cuiusdam momenti eiaculatur, ut qui cum eo loquitur, nihil à puero differre existimetur. Quod autem Lacedæmoniorum uirtus, in sapientiæ magis q; exercitationis studio consistat, intelligunt nonnulli nostræ ætatis homines, & olim multi idem animaduerterunt, cum uiderẽt uerba eiusmodi enunciare posse, uiri esse absolute docti. Horum è numero fuit Thales Milesius, & Mitylenæus Pittacus, Bias Prieneus, noster Solo, Cleobulus Lindius, Myso Chenæus, septimus horum dictus est Lacedæmonius Chilo. hi omnes æmuli studiosiq; Lacedæmoniæ sapientiæ fuerunt. Eam talem fuisse comperimus: uerba breuia, memoratu uni cuiq; digna. Hi facto concilio ex cõmuni consensu, has Delphici Apollinis templo primitias sapientiæ dedicarũt, quæ templo inscriptæ, ab omnibus celebrantur: Cognosce te ipsum: Nihil nimis. Hæc ob eam causam refero, ut pateat eam priscæ philosophiæ fuisse figuram, Laconicam scilicet quandam, ut ita dixerim, breuiloquentiam. Atqui & Pittaci

Sapientes Græciæ Sapiẽtia Lacedæmonia

proprium hoc dictum circumferebatur à sapientibus celebratum:Bonum manere difficile esse.Simonides itaq; cum sapientiæ gloriam cuperet, cognouit si prouerbium hoc tanquam insignem quendam athletam refelleret conuinceretq;,fore ut ipse illustris ab omnibus haberetur.Quamobrem carmina illa composuit,eius cuius gloriæ insidiatus est, uerba,ut arbitror,turbaturus.Sed discutiamus hæc unà omnes,& uideamus utrum uera loquar.Primum quidem carmina illa priora insanum hominem indicarent, si dicere uolens,uirum effici bonum,esse difficile,mox hanc particulam quidem iniecisset. ea enim nulla ratione uidetur iniecta:nisi dicamus aduersus Pittaci uerba certãtem Simonidem loqui:& cum ille dixisset,difficile esse bonum manere,Simonidem ad hæc obijcere:Nõ ita est ô Pittace,immo bonum quidem uirum effici difficile est,uere non reuera bonum. Non enim idcirco dicit reuera,quia sint aliqui uere boni,alij autem boni quidem, sed nõ uere.Absonum namq; uideretur,neq; Simonide dignum: sed in dictione,uere, superiectionem esse in carmine dicemus, quam Pittaci uerbis subiecit: quasi ponamus Pittacũ ipsum sic dicere,O uiri,difficile est bonum manere:Simonides autem subijciat, O Pittace,uera minime loqueris.Non enim esse,sed fieri uirum bonum manibus pedibusq; & mente adamussim quadratum,est difficile uere.ita uidetur non absq; ratione hæc particula quidem iniecta:& ipsum,uere,haud ab re postremo locatum. Atqui & quæ sequũtur,omnia huic attestantur,quod sit hunc in modũ dictũ.Multa insuper sunt in his carminibus,quæ quàm pulchre scripta sint,sigillatim ostendere possemus.Scite namq; & accurate composita sunt,sed prolixior foret oratio. Quare summatim poetæ huius formã cõsiliumq; exponendum.Intendit autem prorsus in omnibus his uersibus Pittaci dictũ refellere.Ait enim paulo post fermè in hunc modum,quod effici uirum bonum difficile uere:est tamen tempus quoddam ubi possibile est.Factum uero bonum eo in habitu perseuerare,essecq; bonum,ut tu quidem Pittace contendis, impossibile est, neq; humanũ, sed solus hoc Deus munere fungitur. hominem uero ita bonum manere, ne rursus labatur, impossibile est,quem sors inopina abripiat.Quemnã potissimũ inopinatus casus in nauis gubernatione submergit:non rudem hominem:nam semper ille succumbit:& quem admodum iacentem nullus deijcit,sed stantem quandoq; deijcit aliquis, iacereq; cogit, iacentem uero nequaquã:ita solertem & sagacem hominem nonnunquam inopinatus casus circũuenit. Enimuero qui nihil pensi unquã habet,minime. Et gubernatori quandoq; ingens tempestatis impetus improuisus superuenit, & agricolæ intemperies anni, & medico quoq; similia,adeò ut tunc improuidi fuisse uideantur. Potest enim bonus aliquis malus fieri:quod alius quoq; poeta testatur,dicens, Vir bonus,nunc prauus, nunc bonus est. Vt autem malus efficiatur malus,fieri nõ potest.Esse enim semper necesse est. Quamobrem quoties casus inopinatus prouidũ hominem sapientemq; & bonum inuadit,malus efficitur.Tu uero dicis,ô Pittace,difficile esse bonũ manere.Res autẽ ita se habet,ut fieri bonum possibile sit,difficile tamen: perdurare autem bonum,penitus impossibile. Quilibet enim bene agens,bonus:male contrà,malus. Quæ nam circa literas bona res est? quæue actio uirum in illis bonum efficit? Constat quod earum perceptio. Quæ item actio bona bonum efficit medicum? Morborum curandorum peritia uidelicet.Qui bene curat,bonus medicus:contrà,qui male, malus. qui ergo malus medicus nonnunquam efficitur? ille certe,cui primo hoc inest,ut medicus sit, deinde ut bonus medicus. Hic enim malus quandoq; medicus effici potest.Nos autem medicinæ artis ignari, nunquam male agendo aut medici,aut fabri efficeremur,aut aliud tale. Quisquis autem non fit medicus,male officio suo functus,neq; etiam malus est medicus.Ita & bonus uir fieri potest aliquando malus,uel propter tempus,uel laborem,uel morbum,uel alium casum. Hæc quippe sola praua actio est,scientia priuari.Malus autem uir nunquã malus fieret, est enim semper.Ac si malus fieri debet,oportet bonum fuisse prius.Ad hoc itaq; carmina illa tendunt,ut affirment,impossibile esse uirum bonum semper perseuerare: fieri autem bonum,eundemq; rursus & malum,possibile:plerunq; uero optimos esse illos quos diligunt dij.Hæc itaq; omnia aduersus Pittacum sunt dicta,quod & sequentia clarius declarant.Hac de causa,inquit,nunquam ego quod fieri nequit,frustra quærens, sine reprehensione perpetuo uicturum bonum,quicunq; fructibus terræ uescuntur,quenquã sperem.Deinde uobis quæ comperta mihi sunt,prædico:& cætera quæ sequũtur. Adeò uehementer

uehementer totoq; carmine Pittaci dictũ infestat. Vnumquenq; uero laudo amoq;, spon te qui turpe nil patrat. Necessitati uero neq; diꝝ quidem ipsi pugnant. Id autem est ad hoc idem dictum. Neq; enim usqueadeò rerum in scius erat Simonides, ut illum laudare se di ceret, qui turpe nihil sponte cõmittit, quasi sint aliqui qui sponte male agãt. Arbitror e quidem sapientem nullum putare, quenquam hominum esse qui ultro aberret, malaq; & turpia sponte committat. Sciunt etenim sapientes omnes, quod qui mala turpiaq; com mittunt, præter uoluntatem peccant. Atqui & Simonides nequaquam laudare se dicit il lum, qui non sponte scelera patrat, immo de seipso sponte illud intelligi uolebat. putabat enim præclarũ bonumq; uirũ sæpe seipsum impulsurũ, ut amicus laudatorq; alicuius fie ret, amaretq; & laudaret. ut quibus morosi & iniqui sæpe parentes contingãt, aut patria, aut tale aliquid: improbi homines si sunt, ultro sponteq; in parentum patriæq; errata in uehi solent, & ea passim omnibus diuulgare, ne quis eos quod parentes & patriam negli gant, carpere possit: quare uituperant parentes patriamq;, & præter necessitatem odijs & inimicitijs ultro exagitant. Probi uero qui sunt uiri, patria flagitia occultant potius, & ad laudandum eos sese cogunt: & si qua in re iniuria affecti iure parentibus & patriæ in dignari possent, consolantur seipsos, & se suis conciliant, seq; ad amorem laudemq; ma iorum uel inuitos adigunt. Sæpe etiam Simonidem ipsum arbitror, non ex animi sui sen tentia, sed inuitum ad tyrannum quendam, aut alium talem laudandum & tollendum ac cessisse. Hæc igitur ad Pittacum dicit. Ego quidem, ô Pittace, non ob id carpo quod natu ra detrahere gaudeam, cui satisfacit & ille quisquis malus non est, nimium ue ignauus. Sciens quidem iuuabit ciuitatem iustam uir sanus. Neq; tamen ipse detraham: neq; enim detractione gaudeo. Stultorum namq; est infinita gens, ut si quis eos uituperare pergat, necessario defatigetur. Honesta porrô sunt omnia, quibus turpia non sunt mista. Haud hoc dicit perinde ac si diceret, omnia alba quibus nigra nulla miscentur: ridiculum nem pe id sit: sed quasi dicat, mediocria se toleraturum, neq; ea uituperaturum. Non quæro, in quit, hominem irreprehensibilem penitus mortalium quenquam. Deinde uobis quod mihi compertum est, nuncio, quod uidelicet huius causa neminem laudaturus sum. Ve rum mihi sufficit quisquis medium tenet, neq; turpe quid agit. Sic ego omnes diligo, sic laudo. Hic utiq; Mitylenæorum lingua est usus tanquam aduersus Pittacum, sic dicens, Omnes sic laudo, sic diligo libens. hic oportet uocem libens, à sequentibus distinguere, eum qui dicit, quisquis turpe nil patrat. Nã sunt quos ego nõ libẽs laudo & diligo. Quod si tu mi Pittace, uel mediocriter consentanea, ueraq; dixisses, nunquam te reprehendis sem. Nunc uero cum & maxime & in maximis falsa proferas, quæ uera multis apparent, te reprehendere cogor. Hæc mihi ô Prodice atq; Protagora, in istis Simonidis carmini bus ipsius sententia fuisse uidetur. Tum Hippias: Bene, inquit, ô Socrates, carmina hæc exposuisse uideris. Est & mihi ratio illis accommodata, quam uobis, si uultis, ostendam. Immo uero, inquit Alcibiades, sed postea: prius autem peragere decet, quæ inter Socra tem & Protagoram conuenerunt. Et si Protagoras interrogare ulterius uult, respondere Socrates debet. Si autem respondere uult Protagoras, interrogare Socrates. Atqui concedo, inquam, Protagoræ quodcunq; horum ipsi gratius futurum est. quod si placet, uersus prætermittamus, ea uero quæ abs te primo quærebam Protagora, libenter tecum absoluam. Videtur enim mihi disputatio de rebus poeticis persimilis esse conuiuijs im peritorum plebeiorumq; hominum. Qui cum propter inscitiam nequeant inuicem pro pria uoce suisq; sermonibus ipsi colloqui, mercede exhibita, tibicinas introducunt, & a liena uoce, hoc est tibiarum flatu, conuiuium transigũt. Vbi autem boni præclariq; & e ruditi uiri cõueniunt, neq; tibicinas ibi, neq; saltatrices, neq; cantatrices ullas uideas, sed uoce propria remotis ijs nugis iocisq; conuiuium celebrare, & alternis interrogationib. responsionibusq; modeste differere, etiam si uinum abunde bibant. Eodem modo ad di sputationes huiuscemodi si uiri cõueniunt tales, quales esse nos plurimi prædicant, haud quaquã aliena uoce poetarumq; uerbis opus est, quos percõtari de his quæ scribunt, non datur: & qui eorum testimonia in medium afferunt, alij hoc, alij aliud poetam dicunt sen tire, neq; tamen conuincere rem possunt, de qua differunt, aut expedire. Tales ergo con fabulationes uiri sapientes mittunt, ipsiq; inter se colloquuntur, uicissimq; ingenij pericu lum faciũt. Disputatores autem huiusmodi, ut arbitror, ego & tu nunc imitari debemus,

Disputatio de rebus poeticis qualis sit

Qui ueri disputatores

& poetis posthabitis, nostris rationibus rem ipsam discutere, facereq; tam ingenij nostri quàm ueritatis periculum. Quod si deinde interrogare lubet, respõdere tibi paratus sum: sin aliter uis, te mihi præbe, & adiuua ad ea quæ intermisimus conficienda. Cum hæc alia q; huiusmodi intulissem, Protagoras quid potissimũ ageret, haud satis declarabat. Hic Alcibiades ad Calliam cõuersus. O Callia, inquit, uidetur ne tibi nunc recte Protagoras facere, quum declarare nolit, utrum respondere uelit, nec ne? Mihi quidem non uidetur. Sed iam uel disputet, uel disputare nolle se dicat, ut hæc de eo sciamus. Socrates autẽ cũ alio quouis disserat, uel alius quicunq; uult cum alio quopiam. Hic Protagoras, ut uisus est mihi, uerecundia motus propter Alcibiadis orationem, Calliæq;, & aliorum præsentium preces, uix tandem ad disserendum descendit, iussitq; Socratem ipsum interrogare, se respondere pollicitus. O Protagora, inquam, ne me tecum ob aliud disserere putes, quàm quia quæ passim dubito, discussa uelim. Arbitror enim haud ab re illud ab Homero dictum fuisse. Si duo simul coeant, alter altero magis intellexerit. Expeditiores namque sumus cuncti ad quodlibet opus, uerbum, & sensum inuestigandum. Solus autem si quis quippiam cogitet, mox passim circuiens quærit quicum communicet, & à quo confirmetur tantisper dum inueniat. Quamobrem ipse nũc tecum libentius quàm cum alio quouis disputo, existimãs te optime omnium dijudicaturum, & de alijs omnibus quæ ad probi uiri iudicium spectãt, & de his maxime quę ipse quærebã, uidelicet de uirtute. nam quem melius quàm te id facturũ sperem? Nempe plerique alij probi quidem ipsi sunt, sed alios tales efficere nequeunt. Tu autem non modo uirtute præditum esse te ducis, uerũ etiam cæteros homines eadem te ornaturum polliceris. Atq; adeò tuo ingenio confidis, ut quam cæteri omnes dissimulent artem, tu eam solus profiteare, teq; palàm per omnẽ Græciam quasi publico quodam præconio sophistam nominans, declares doctrinæ morumq; magistrum, & primus mercedem artificij istius exposcas. Quid igitur obstat, quin ipse præ cæteris ad harum rerum disputationem sis adhibendus interrogãdusq;, & quin sint tecum omnia communicanda? Nihil penitus obstat. Atqui & ipse nunc illa de quibus primo interrogaui, cupio rursus partim abs te mihi in mentem reduci, partim communi iudicio discuti. Erat autem talis, ut arbitror, quæstio: utrum sapientia, temperantia, fortitudo, iustitia, sanctitas, quinq; nomina eiusdem rei sint, an unicuiq; horum nominũ propria quædam essentia subsit, & res quædam uim propriam habens, adeò ut non sit alterum quale est alterum. Dixisti tunc nequaquam unius rei esse hæc nomina, sed singula nomina rebus singulis adhiberi. Quinetiam partes omnes has esse uirtutis, haud sanè perinde ut auri partes inter se totiusq; consimiles, sed ut uultus partes inuicem totiusq; dissimiles propria discretas ui. & hæc si nunc denuo ita ut suprà confirmas, dic. Sin aliter modo sentis, omnia lucide distingue. Equidem nihil imputabo, si aliter nunc dicas. Neq; enim miror, si illa tunc Socratis tentandi gratia dixisti. PROT. Hæc omnia partes uirtutis esse dico. ex quibus quatuor satis inuicem consimiles sunt. Fortitudo autem longe ab alijs differt. Quod autem uere loquar, hunc in modum cognosces. Reperies nõnullos homines iniustissimos, prophanissimos, intemperantissimos, imperitissimos, qui tamẽ cæteris fortitudine præstant. SOC. Attende, amabo, considerandum est quod dicis. Vtrum fortes, audentes uocas, an alios quosdam? PROT. Immo etiam ad ea præcipites, à quib. plurimi deterrentur. SOCR. Age itaq;. uirtutem honestum quiddam & pulchrum asseris, eamq; ut pulchrum aliquid doces? PROT. Pulcherrimum èquidem, nisi forte insanio. SOCR. Vtrum huius quiddam turpe est, quiddam pulchrum? an pulchrum totum? PROT. Totum quàmmaxime esse potest pulchrum. SOC. Scis ne qui audacter in puteos se mergant? PROT. Immo uero. Vrinatores enim. SOC. Vtrum ob id quod sciunt, an ob aliud? PROT. Quod sciunt. SOC. Quinam hominum ex equis fortissime pugnare audent? equites ne, an equestris industriæ rudes? PROT. Equites. SOCR. Quinam peltis audacter pugnant? Peltatine, an alij? PROT. Isti quidem, & in cæteris omnibus, si istud quæris, audaciores sunt qui sciunt, quàm qui nesciunt, : ijdemq; homines postquam dixerunt, audent quicq; uehementius, quàm cum ignorabant. SOC. Vidisti ne unquam aliquos horum ignaros omnium, sed eos esse ad hæc omnia tamen audentes? PROT. Vidi equidem & audaces maxime. SOCR. Nunquid audaces isti fortes sunt? PROT. Turpe quiddam esset fortitudo. quandoquidem audaces isti furiosi sunt. SOCR. An non dicis for-

cis fortes audaces ipsos esse? PROT. Dixi equidem, & dico. SOC. Nõne isti qui sic audẽt fortes quidem minime, sed furentes apparent? Et suprà rursus sapientissimi illi audentissimi nobis apparuerunt, & quia audentissimi, ideo & fortissimi, atq; ita secundum hanc rationem sapientia ipsa fortitudo esset? PROT. Haud satis recordaris, ô Socrates, quæ dixi suprà, tibiq; respondi. Equidem interrogatus abs te, utrum fortes uiri audentes sint, nec ne, consensi. Vtrum uero & audentes fortes essent, non quæsiuisti. Quod si tunc interrogasses, respondissem, utiq; non omnes: quod uero fortes audentes nõ sint, à me cõcessum nunquam monstrasses, neq; enim recte concessissem. Proinde scientes homines, ostendis ignorantibus & seipsis & cæteris audaciores esse, & idcirco idem esse sapientiã & fortitudinem arbitraris. Qua ratione progressus, robur quoq; sapientiam esse arbitrari queas. Nam si à me similiter in hunc modum quæsisses, utrum robusti homines potentes sint, asseruissem utiq;. Deinde utrum palæstræ periti ad certandum potentiores sint quàm imperiti, & ipsi postquam didicerunt se ipsis dum ignorabant, iterum admisissem. Hæc me confitente licuisset tibi eodem pacto conijcere, per concessionem meam sapientiam robur esse. Ego autem nusquam in præsentia potentes homines robustos esse confiteor. Robustos tamen potentes esse autumo. Et idem esse robur & potentiam arbitror. Nam & à sciẽtia, & ab insania, & ab ira potest potentia prouenire. robur aũt à natura duntaxat, & debita corporum nutritione uenit. Similiter & in illis nequaquam idem esse censendum, fortitudinem & audaciam. Quapropter contingit, fortes quidem audentes esse, at uero nõ omnes audentes fortes sunt. Audacia enim ab arte hominibus, ab ira, ab insania datur, quemadmodum de potentia diximus: fortitudo autem à natura, debitaq; educatione prouenit animorum. SOC. Dicis ne ô Protagora, alios homines bene, male alios uiuere? PROT. Dico equidem. SOC. Nunquid bene uiuere homo tibi uidetur, si cum molestia doloreq; uiuat? PROT. Minime. SOC. Si autem usq; ad uitæ finem iucunde quis uixerit, bene uixisse dicendus? PROT. Certe. SOC. Ergo iucunde uiuere bonũ, moleste, malum. PROT. Si modo honestis delectetur. SOC. Nunquid ipse Protagora quemadmodum alij multi, iucunda quædam mala uocas, tristia uero bona? PROT. Voco. SOCR. Vtrum quatenus iucunda sunt, eatenus non sunt bona, & non si quid ab illis prouenit aliud, rursusq; tristia eodem modo? PROT. Sic. SOCR. Non ex eo quod tristia mala? PROT. Ignoro Socrates, utrum ita simpliciter ut interrogas, respondere me deceat, iucunda omnia bona esse, tristia mala. Sed tutius mihi fore uidetur non solum ad præsentem quæstiõnem, uerumetiam ad omnem uitæ meæ rationem, ut respõdeam esse iucunda quædam non bona, & tristia quædam nõ mala: esse rursus & neutra, quę neque bona sint, neq; mala. SOCR. Num iucunda uocas ea, quæ uel uoluptatis participia sunt, uel efficiunt uoluptatem? PROT. Prorsus. SOCR. Quæro igitur hoc, utrum ex eo quod iucunda sunt, non bona sint. Vtrum uidelicet ipsa uoluptas sit nõ bonum. PROT. Quemadmodum ipse ubique dicis, ô Socrates, hoc inquam, considerabimus: & si ad rem conducere ea consideratio uideatur, idemq; iucundum & bonum appareat, concedamus: sin minus, tum ad disceptandum pergamus. SOC. Vtrum igitur ipse disputationis dux esse uis? an me præire iubes? PROT. Æquum est te esse ducem. Tu namq; cœpisti. SOC. Hoc modo forsitan quod quærimus, patefiet. quemadmodum siquis ad hominis uel sanitatem, uel alium corporis habitum, opusue considerandum, uultus eius & manus extremas contemplatus dicat, age iam, pectus mihi dorsumq; nuda, ut clarius inspiciam. Sic ego nunc quidem, idem illud ad hanc disputationem requiro. Nam cum tuam erga bonum uoluptatemq; sententiam è uerbis tuis cognorim, tale aliquid mihi expedit dicere. Age Protagora, & in hoc tuam mentẽ aperias, quid de scientia sentis? nunquid idem tibi quod alijs, an aliud placet? Nam de scientia plurimi sanè sic iudicant, ut neq; robustum quiddam sit, nec ducat, nec etiam dominetur. Neq; enim de ipsa uelut de duce principe ue suspicantur. Sed cum persæpe non desit homini scientia, non ipsam tamen, sed aliud quiddam, ut uel iram uel uoluptatem uel dolorem uel amorem uel formidinem dominari putant. Atq; de scientia sic cogitant, quasi de mancipio quodam ab omnibus alijs undiq; tracto. Nunquid & tu idem sentis? an potius præclarum quiddam scientiam, & in homine principem arbitraris, ita ut si quis bona mala ue discernat, nunquam ab alia re in duci queat, ut aliud quàm quod scientia iusserit, suscipiat agendum: sed prudentiã unam

satis esse idoneam,quæ homini sit præsto? PROT. Videtur mihi quod dicis, ô Socrates. Nam si cuiquam hominum turpe est negare sapientiam scientiamq; omnium rerum humanarum esse potentissimã,mihi certe turpissimum. SOC. Præclare nimiũ uereq; loqueris.sed enim nosti multos mihi & tibi nõ credere? Aiunt porrò pleroscq; boni cõscios, cũ bona agere licear,agere bona nolle,sed alia.Et quoscũq; rogaui quæ nam huius rei causa sit,respondent uel uoluptate uel dolore uel aliquo alio eorum quæ suprà retulimus, superatos,hæc agere. PROT. Alia quoq; multa sunt,ô Socrates, in quibus homines errãt. SOC. Age itaq; conare mecum hominibus persuadere,docereq; quodnam hoc malũ sit, quo se aiunt uoluptatibus superari,& hanc ob causam quæ cognoscunt bona, non facere.Fortassis enim si dixerimus,erratis ô homines,falliminiq;,rogabunt: Siquidem non ô Protagora & Socrates,hoc uoluptatis malum est,cui succumbitur, quodnam est aliud? quod dicitis uos? exponite. PROT. Quid uero nos ad multorum opinionem attendere decet,qui utcunq; contingit loquuntur? SOC. Conducturum nobis hoc arbitror, ad inueniẽdum quomodo ad cæteras uirtutis partes fortitudo se habeat.quare si superiori pacto standũ censes,ut uidelicet ego præeam,quà maxime inueniri posse quod quærimus, arbitror,sequere.Sin minus hoc,& dimitti mauis,mitto. PROT. Probe loqueris, perge igitur ut cœpisti. SOC. Ego si rursus à nobis sciscitarẽtur,quid istud uos esse dicitis, quod nos uinci à uoluptatibus dicebamus? sic respondeam. Audite igitur, ego & Protagoras uobis istud declarare conabimur.Nunquid enim aliud hic fieri dicetis,quàm quod sæpe contingit ut homines ciborum poculorumq; & uenereorũ uoluptate pellecti uictiq; asci scant ea sibi,etiam si mala esse cognoscãt? Assentirentur illi.At nos ita. Mala uero illa cur dicitis? Vtrum quia uoluptatem hanc præsentem præbent, & suauitate deliniunt? An quia in posterum morbos,inopiam,& alia multa generis huius adducunt? An etiã quan quam nihil tale in posterum inferunt,tantum quia delectant,mala sunt quòd homo gaudere discat? Putamus ne eos ô Protagora,aliter responsuros,nempe quàm quod nõ propter præsentem uoluptatẽ mala sunt,sed propter morbos & alia quæ sequũtur? PROT. Sic uulgus arbitror responsurum. SOC. Nónne dum morbos adducunt,dolores inferũt? dum egestatem,dolorem? Assentirentur,ut arbitror. PROT. Immo certe. SOC. Hæc ergo,ô uiri,nõ ob aliud, ut ego & Protagoras arbitramur,mala uobis apparẽt,quàm quod in dolores desinunt, cæterisq; uoluptatibus priuant. Confiterentur. PROT. Proculdubio. SOC. Si contrà rursus interrogaremus,ô uiri,tristia esse bona fatemini, nónne eiusmodi quædam dicitis? ceu exercitationes corporum,labores militiæ, medicorum curationes,quæ uel secando fiunt,uel urendo,uel pharmacis,uel inedia,bona dicitis,sed molesta? Consentirent. PROT. Et hoc. SOC. Vtrum hæc ex eo bona uocatis, quòd præsentibus doloribus cruciatibusq; conficiunt? An ob id potius quòd in posterum ex his sanitas & bona corporis habitudo, patriæ salus,potentiæ diuitiæq; sequuntur? Ob id ipsum dicerent,ut existimo. PROT. Ego quoq; id iudico. SOCR. An ob aliud hæc bona sunt, q̃ quòd in uoluptates desinunt, & molestias pellunt? Alium ne finem assignare potestis, ad quem respicientes hæc bona uocetis,quàm uoluptates atq; dolores? Non possumus, ut arbitror, responderent. PROT. Sic equidem puto. SOC. An non uoluptatem ut bonum sequimini, dolorem ut malum fugitis? Concederent. PROT. Profecto. SOC. Ergo id malum existimatis,dolorem scilicet,bonum uoluptatem,quandoquidem & ipsam oblectationem tunc sanè malam dicitis esse,quando maioribus uoluptatibus priuat, q̃ afficiat:uel quando uehementiores dolores infert illis quas præbet uoluptatibus. Quoniam si ob aliud ipsam delectationẽ malam appellaretis,utputa finem alium respiciẽtes, possetis nobis quoq; monstrare.Sed nequaquã poteritis. PROT. Neq; mihi posse uidentur. SOC. Similiter quoq; dolorem ipsum tunc duntaxat bonum dicitis,quũ maiores fugat dolores q̃ infert,aut uoluptates molestijs uehementiores inducit.quandoquidẽ si ad alium finem respicientes,dolorem bonũ iudicaretis,eum possetis ubiq; ostẽdere, sed nõ poteritis. PROT. Vera narras,ô Socrates. SOC. Si me quoq; uicissim rogetis ô uiri,quam obrẽ ubiq; multa de hoc loquar,ignoscite mihi protinus respondeꝛẽ.Primo namq; haud facile demonstrari hoc potest, quid sit quod dicitis, à uoluptate superari. Deinde quia demonstrationes in hoc omnes sunt.Et nunc etiam si quid urget quod exponere uelitis, licet siquo modo habetis aliud quod bonum dicatis q̃ uoluptatem,& quod malũ q̃ dolorem

lorem. An ſufficit uobis uitam iucũde abſq; triſtitia ducere? Quod ſi ſufficit, neq; dicere poteſtis aliud bonum uel malum, quod nõ ad hęc tendat, audite quod ſequit. Aio equidem his ita ſe habentibus, ridiculum eſſe ueſtrum illum ſermonem, quo dicitis quòd homo mala, mala eſſe ſciens, nihilominus agat mala cum poſſit nõ agere, uoluptatibus ſcilicet tractus, uictusq;. Item cum dicitis hominem boni cõſcium agere bene nolle preſenti uoluptate deuinctum. Ridicula inquam hæc eſſe patebit, niſi multis uti nominibus uolemus, iucundo, triſti, bono ac malo. Poſtquam enim duo hæc in uniuerſum eſſe conſtat, duobus tantum nominibus uocemus. primum quidem boni ac mali, poſtea iucundi ac triſtis. His poſitis ita dicamus. Eſt homo qui mala eſſe mala nouit, illaq; facit nihilomin⁹. Si quis autem quærat quamobrem, quia uictus eſt, reſpõdemus. A quo? inquiet ille. nobis autem non licebit ulterius à uoluptate uictum dicere. Aliud enim nomen uoluptatis loco ſuſcepit, bonũ. Ideo reſpõdebimus, bono uictum. Ibi ſi ille qui nos interrogat contumelioſus forte uir ſit, ridebit certe, dicetq; abſurdum eſſe dictum. Si facit enim quis mala, eſſe mala ſciens, cum non oporteat facere, uictus bonis, bona hæc digna ne ſunt ut mala uincant, an indigna? Indigna dicemus. neq; enim erraſſet ille quem dicimus uoluptatibus ſuperatum. Ad hæc ille. Quamobrem bona ea indigna ſunt ut mala uincant, uel mala, ut bona? nunquid ob aliud, quàm quia hæc maiora ſunt, illa minora? uel plura hęc, illa pauciora? Non habebimus certe cauſam aliam. Addet ille. Conſtat igitur, quod ſuperari eſt, loco minorum bonorum maiora mala ſuſcipere. Hæc ita ſe habeant. Mutemus nomina, accipiamusq; in eadem re iucundum ac triſte. Hoc pacto. Hominem agere prius diximus mala, dicamus nunc triſtia, cum ſciat eſſe triſtia uoluptatibus ſuperatum, talibus ſcilicet, ut uictoria ſint indignæ. Quæ uero alia ineſt ad dolorem indignitas uoluptati, q; exceſſus inter ſe atq; defectus? hoc eſt, cum inter ſe maiores minores ue fiunt, plures itẽ & pauciores, uehementioresq; & remiſſiores. Si quis autem dixerit: At multum differt, ô Socrates, uoluptas præſens à futura uoluptate atq; moleſtia: dicam equidem, num alio quopiam quàm uoluptate atq; moleſtia? haud ſanè alio poteſt. Sed perinde eſt ac ſi uir quiſpiam ponderandi gnarus collectis hinc uoluptarijs, iſthinc triſtibus, tam quæ prope quàm quæ procul ſunt trutina exquirat, dicatq; utra plura ſint. Si enim uoluptaria cum uoluptarijs libres, maiora ſemper & plura ſunt eligenda: ſin autem triſtibus triſtia cõpares, pauciora, minoraq;: ſin iucunda cum triſtibus, & triſtia quidem à uoluptarijs ſuperentur, ſiue propinqua à remotis, ſiue remota à propinquis, ratio illa eſt eligenda in qua hæc inſunt: quod ſi iucunda à triſtibus ſuperentur, minime. an aliter ſe res habet, ô uiri? ſcio equidem nihil afferre eos aliud poſſe. PROT. Idem & ipſe arbitror. SOC. Poſtquam uero ita ſe id habet, illos hunc in modum interrogabo, Apparent oculis ueſtris eædem moles comĩus maiores, minores emĩus? Affirmabũt puto. Et craſſa, & multa ſimiliter? & æquales uoces prope quidẽ maiores, longe uero minores? Cõſentient. Si in hoc bene agere & felicitas noſtra conſiſteret, hoc eſt in magnis molibus fabricandis accipiendisq;, paruis autem reijciendis, quænam nobis potiſſima uitæ ſalus eſſet? num ars dimetiendi? aut optice potius, quanta res appareat oſtendens? Immo hæc nos deciperet, & errore confundens ſæpe cogeret eadem aliàs aliter iudicare, atque adſciſcere, & in magnorum paruorumq; electionibus ſæpius conſilium mutare. Dimetiendi uero facultas apparens hoc abrogaret refelleretq;, ueritatemq; aperiens animo quietem daret ueritate nixo, atq; ita uitam ſeruaret. Conſentirent ne homines ad hæc, an non, menſoria ſcilicet arte nos ſeruari? PROT. Hac ipſa. SOCR. Quid porrò? ſi in ipſa paris imparis ue electione ſalus uitæ conſiſteret, quando quod plus eſt, recte eligi oporteret, & quãdo quod minus, uel ipſum ad ſeipſum, uel aliud fortè ad aliud, ſiue prope ſeu procul ſit, quid potiſſimum noſtram uitam ſeruaret? nónne ſcientia? Et metiendi quidem, quum exceſſus atque defectus ea ars ſit. Cum uero paris & imparis habenda ratio ſit, non alia quàm numerandi ſcientia. Concederent homines hæc? an non. PROT. Abſque controuerſia. SOCR. Poſtquam uero ſalutem uitæ certum eſt in recta uoluptatis doloriſq; electione conſiſtere, id eſt pluris & paucioris, maioris & minoris, propinquioris & remotioris delectu, nónne dimetiendi facultas primo exceſſus, defectus'que, æqualitatis item mutuæ conſideratrix eſt? PROT. Neceſſe. SOC. Quoniam uero metiendi facultas eſt, neceſſe eſt ut ars, & ſcientia ſit. PROT. Admittent. SOC. Quæ uero potiſſimum hæc ſcien-

tia ſit,aliàs conſiderabimus.Sufficit enim nunc ſcientiam eſſe, quod ad eam reſponſionem ſpectat,quam ego & Protagoras ueſtræ eramus quæſtioni daturi.Hæc autem,ſi recordamini,erat quæſtio.Nos quidem conſenſimus nihil ſcientia potentius eſſe: immo ſemper ubicunq; adeſt,uoluptati,cunctisq; cæteris dominari.At uos obieciſtis uoluptatem ſæpe etiam ſcienti dominari.Quod cum uobis nequaquam daremus, ſtatim ita rogaſtis:Si hoc ô Protagora & Socrates, non eſt à uoluptatibus ſuperari, ſed aliud quiddam,declarate quid ſit. Hic ſi illico reſpondiſſemus inſcitiam eſſe,protinus nos riſiſſetis. Nunc autem ſi nos deridetis,etiam uos ipſos deridebitis. Ipſi enim uos paulo ante confeſſi eſtis,defectu ſcientiæ aberrare illos qui in uoluptatum & dolorum electione delinquunt.ea uero bona ſunt & mala.Neq; defectu ſcientiæ tantum dixiſtis,ſed addidiſtis etiam defectu ſcilicet ſcientiæ metiendi.Actio autem errans & quam ſcientia non regit,
A uoluptatibus ſuperari extrema inſcitia eſt
ut & uos nõ latet,ab inſcitia prouenit.quapropter quod dici ſolet, à uoluptatibus ſuperari extrema inſcitia eſt. Cuius uelut morbi Protagoras hic & Prodicus & Hippias medicos ſe profitentur. Vos autem quia aliud quiddam eſſe hoc quàm inſcitiam putatis, neq; uos ipſos,neq; filios ueſtros hiſce ſophiſtis rerũ illarum doctoribus curãdos datis, quaſi uirtus doceri non poſsit:at cum pecunijs inuigilatis nimium,nec mercedem his præceptoribus offertis,priuatim publiceq; delinquitis.Hęc planè uulgo reſpõdiſſemus.Nunc autem uos etiam,ô Prodice atq; Hippia unà cum Protagora hoc percontor, communis enim hic ſermo uobis eſto,uera' ne uobis loqui uidear,an falſa?' Vere admodum dicta eſſe,uiſum eſt omnibus. Concedítis igitur,inquam,quod iucũdum eſt,eſſe bonum, quod triſte, malum. Diſtinctionem uero illam nominum, quam Prodicus hic inijcere ſolet, reijcio,eiusq; requiro iudicium.Siue enim uoluptarium,ſiue delectabile,ſiue lætum, ſiue quomodocunq; tandem nomines,optime Prodice,hoc mihi nũc quod uolo, reſpondeas. Subridens Prodicus aſſenſus eſt, & alij pariter conſenſerunt. Tum ego, Quid ad hoc,ô uiri,actiones omnes quæ ad iucunde & ſine moleſtia uiuendum pertinent, nõnne honeſtæ & utiles? honeſtum' que opus,bonum & utile?' Annuerunt.Si ergo iucundum,inquam,bonum eſt,nemo uel ſciens uel exiſtimans alia meliora eſſe his quæ fecit, poteſtq;,deinde hæc agit cum meliora poſsit.Quod uero dicitur ab affectionibus ſuperari,nihil eſt aliud quàm inſcitia:& quod affectibus dominari,nihil quàm ſapientia. Placuit omnibus.Quid uero inſcitiam,nónne tale quiddam dicitis, quando quis falſa opinione decipitur circa res plurimi faciendas?' Hoc quoq; dederunt.Nemo uero libens ad mala deſcendit, uel ad illa quæ mala exiſtimat. Neq; hoc ut uidetur naturæ hominis ineſt, ut ad ea quæ cenſet mala,bonorum loco declinare uelit. Et cum è duobus malis alterum eligere cogitur,nemo quod peius eligit,dum licet quod eſt minus malum eligere.Hæc omnia cunctis nobis rata habenda uiſa ſunt. Quid, inquam, timorem ac terrorem uocatis?' Nunquid quod ego erga te dico Prodice?' Expectationem porrò quandã mali,ſiue timorem,ſiue terrorem ipſi uocatis,ego dico. Viſum eſt Protagoræ,atq; Hippiæ timorem ac terrorem hoc eſſe: Prodico autem timorem quidem eſſe hoc,terrorem uero minime.Nihil id refert, inquam, ô Prodice, ſed iſtud num uera ſint ſuperius dicta. Quis'nam igitur mortalium ad illa proficiſci uolet quæ metuit,dum licebit ad ea quæ minime timet?' An fieri nequit ſecundum ea quæ iam conceſsimus?' nam quæ quis metuit, conſtitit quòd mala eſſe putat,quodq; nullus ſponte ad illa deſcendat capiat' ue quæ mala credat.Hæc quoque omnibus placuerunt. His ita poſitis,ô Prodice, inquam,& Hippia, quæ primum reſpondit Protagoras iam nunc defendat. immo uero non quæ primum omnino.Dixit enim,è quinque uirtutis partibus nullam eſſe alteram alteri ſimilem,ſed uim unamquanq; priuatam habere.Neque hoc urgeo nunc,ſed quod ſequitur. Sic enim in ſequentibus inquit, quatuor uirtutis partes ſatis inuicem propinquas eſſe, unam uero illarũ, fortitudinem ſcilicet, à reliquis longe differre. Quod inde cõijci poſſe dicebat,quod plerique inuenirentur fortiſſimi uiri,qui tamen prophaniſſimi,iniuſtiſſimi,intemperatiſſimi,& inſipientiſſimi eſſent, ex quo patere uolebat fortitudinem ab omnibus alijs uirtutis partibus plurimum differre.Cuius ego reſponſum ſtatim uehementer ſum admiratus,multo' que etiam magis poſtquam uobiſcum hæc tractaui.Quare ab illo ſciſcitatus ſum,utrum fortes audaces uocaret.Ille uero præcipites inſuper addidit. Recordaris Protagora hæc te reſpondiſſe?' PROT. Recordor. SOCR. Dic
Inſcitia
obſecro

obsecro nobis ad quid præcipites homines fortes nuncupas? An ad ea, quę timidi aggrediuntur? PROT. Non. SOC. Ergo ad alia? PROT. Nempe. SOC. Vtrum timidi audenda aggrediuntur? metuenda fortes? PROT. Ita fertur ô Socrates. SOC. Vera narras. Verum non hoc requiro, immo uero tu ad quid præcipites fortes appellas? num ad mala, cum esse mala sciant, pernicioſaq́, an ad ea potius quæ talia non sunt? PROT. Impossibile hoc esse abs te superioribus rationibus est ostensum. SOC. Et in hoc quoq́ uere loqueris. Quamobrem si hoc recte est demonstratum, ea quæ mala pernicioſaq́ iudicat, aggreditur nemo, quandoquidem constitit inscitiam esse quod dicitur ab affectibus superari. PROT. Plane. SOC. Enimuero ea unusquisq́ aggrediuntur, quæ audent, tam timidi quàm fortes. Atque hac ratione eadem & timidi & fortes aggrediuntur. PROT. Immo contraria omnino sunt, ô Socrates, ea ad quæ fortes & timidi contendunt. Nam ad bellum quidem ire hi uolunt, illi uero nolũt. SOC. Ire honestum'ne, an turpe? PROT. Honestum. SOC. Nónne si honestum, etiam bonum esse supra consensimus? Omnes enim actiones honestas & pulchras, etiam bonas esse conuenit. PROT. Vera loqueris, & mihi quidem semper ita uidetur. SOC. Probe. Verum quos'nam dicis in prælium ire nolle, cum iter id pulchrum bonumq́ sit? PROT. Timidos. SOC. Nónne si pulchrum & bonum, etiam est iucundum? PROT. Concessum est. SOC. Nunquid scientes, timidi ad id quod pulchrum, melius, & iucundius est, proficiſci nolunt? PROT. At uero si hoc admittimus, quod superius conueniebat peruertemus. SOC. Quid porrò? Vir fortis nónne ad id quod pulchrum, melius, iucundiusq́ est, tendit? PROT. Necesse est confiteri. SOC. Omnino igitur fortes uiri neq́ turpiter metuunt siquando metuunt, neque turpiter audent. PROT. Ita est. SOC. Si non turpiter, honeste & pulchre. PROT. Certe. SOC. Sin honeste, etiam bene. PROT. Vtique. SOC. Nónne & timidi & feroces & furioſi contrà, turpiter audent, metuunt turpiter? PROT. Et istud. SOC. Aliam uero ob causam turpiter & male audent, nisi ob ignorantiã & inscitiam? PROT. Ob hãc ipsam. SOCR. Quid hoc, quo ipſi timidi sunt, timiditatem'ne, an fortitudinem uocas? PROT. Timiditatem. SOC. Timidi autem nónne propter metuendorum inscitiam apparuerunt? PROT. Sanè. SOCR. Propter hanc ergo inscitiam timidi sunt? PROT. Nempe. SOCR. Illud autem quo timidi sunt, timiditatem esse asseruisti. PROT. Asserui. SOCR. Nónne igitur metuendorum & non metuendorum inscitia, timiditas erit? PROT. Erit. SOCR. Enimuero contraria est fortitudo timidati. PROT. Absque dubio. SOCR. An non sapientia metuendorum & non metuendorum eorundem inscitiæ contraria est? PROT. Prorsus. SOCR. Horum uero inscitia timiditas. PROT. Et maxime quidem. SOCR. Sapientia igitur metuendorum & non metuendorum, fortitudo est, eorundẽ inscitiæ contraria existens. Haud ulterius annuit Protagoras, sed siluit. Tum ego: Quid taces Protagora? cur non aut annuis aut renuis? Ipse rem confice, inquit. Concludam protinus, inquam, si unum hoc duntaxat interrogauero: utrum tibi nunc etiam ut & suprà insipientissimi quidam esse uideantur, qui tamen fortissimi sint. Cõtendere peruicaciter, inquit, uideris ô Socrates, ut ipse respondeam. ergo morem tibi geram. Impossibile dico uideri, ex his quæ suprà sunt concessa. Non ob aliam causam, inquam, de his omnibus te percontor, quàm quod nosse cupiam, qualia sint quæ ad uirtutem pertinent, quid'ue ipsa sit uirtus. Scio equidem hoc declarato statim notum fore & illud quo de ego & tu tot iam uerba consumpsimus: dum ego quidem uirtutem doceri posse negarem, tu uero posse asseuerares. Atqui arbitror nostræ disputationis exitum, si hominis instar uti uoce posset, derisurum nos, & hoc pacto reprehensurum: quàm inepti estis ô Socrates atque Protagora. Tu quidem ab initio dicebas ô Socrates doceri non posse uirtutem, nunc repugnare tibiipſi contendis? dum ostendere uis omnia hæc, iustitiam scilicet, temperantiam, fortitudinem, esse scientiam. Qua ratione maxime uirtutem doceri posse constat. Si enim aliud quiddam esset scientia quàm uirtus, quod Protagoras primum asserebat, plane doceri non posset. Nunc autem si scientia esse uideatur, quod tu ô Socrates inferre conaris, mirum sit, si per doctrinam uirtus cõparari non posset. Protagoras autem primo quidem doceri uirtutem uoluit: nunc contrà adniti uidetur, ut quod uis aliud potius quàm scientia uirtus appareat: quo pacto minime omnium doceretur. Equidem ô Protagora uidens hæc omnia sursum deorsumq́ grauiter perturbari, ut in

lucem

lucem ueniant,uehementer incumbo. Vellem autem his inter nos decursis, quid uirtus sit,ostenderemus,itemq; doceri possit nec ne monstraremus:nec sæpius nos Epimetheus ille sic in disputatione fallat,quemadmodũ distribuendo neglexit,ut tu narrabas. Prometheus enim ea in fabula mihi magis quàm Epimetheus placet,cuius exemplo utẽs & uniuersæ uitæ meæ prospiciens,hæc omnia tracto. Ac si tu uelis,id quod ab initio dixi,libentissime de his rebus tecum deliberarem. Tum Protagoras,studiũ hoc tuum, inquit, ô Socrates,sermonisq; cursum laudo. Et enim cùm cætera,nisi me fallit opinio, à me absint uitia,inuidia certe omnium maxime abest. Et de te quidem apud multos sæpe iã dixi,quod omnium quos cõuenerim maxime te mirer,æqualiũ certe prorsus. Addo quin etiam nil mirum mihi fore,si sapientiæ studio clarus euadas. Ac de his aliàs quandocũq; uoles edisseremus. Nunc iam hora est,ut me ad alia conferam. Ita,inquam,agendum est, si tibi uidetur,quãdoquidem & ipse iampridem aliò abire cogebar,ut dixi:uerumtamen ut Calliæ honesto adolescẽti morem gererem,perstiti. His dictis atq; auditis abiuimus.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI
FLORENTINI IN EVTHYDEMVM.

PLATO *insignis charitate uir in* Euthydemo, *quemadmodum & sæpe alibi, studet animos ad seria natos à uanis sophistarum nugis auertere, ostendens eos uel ubi de rebus grauissimis agitur,ludere spemq; audientium ubiq; deludere. Hos autem & alibi aliter, & hic ita describit,curiosos & uanos in uerborum altercatione certatores. promptos ad quoduis dictũ, seu uerum, siue fãlsum sit,refellendum. Primo quidem ostendit, quàm auarum sit ingenium sophistarum, cum* Euthydemus Dionysodorusq; *fratres sophistæ, artem militarẽ,qua gloriantur, parati sint mercede docere, quam nullus unquã uendidit. Deinde quàm ambitiosum. Quippe cum iudicialem peritiam unà cum militari,& utramq; unà cum sophistica,quæ longissime inter se discrepant, simul profiteantur. Tertio quàm uanũ, nempe iam senes à rebus ad uerba, à ueritatis studio ad mendacia sese conferũt. Quarto quàm contemnendũ. Breui enim & ad summum biennio quilibet cauillatoriam hanc assequitur facultatem. Quinto quàm periculosum. Nam cui mirum uideri debet simplices adolescentes fucatis sophistarum argutijs facile irretiri,falsisq; inde opinionibus pernicioisq; moribus imbui, quando quidem & Socrates ipse senex sapientissimusq; fingitur eadem esca illaqueatus, admirabundusq; ad sophistarum gymnasia properare? Adde quod & Socraticus ille dæmon qui à nullo decipi posse uidetur, à sophisticis horum nebulonum præstigijs fingitur esse deceptus. Interea Socrates etiam in senectute scholas puerorum, & ludos musicæ, uerborumq; rudimenta frequentans, nos admonet,primo quidem nequid ad disciplinarum perfectionem uel minimum contemnamus. Deinde ne,ut sæpe accidit, subrustico quodam uerecundiæ rubore à disciplinæ studijs arceamur. Tertio ut Solonis more tamdiu discendum nobis esse censeamus, quamdiu uiuendum. Proinde quod sophistæ Socraticam aduersus eos ironiam nunquam animaduertunt,immo uero nihil tam magnificum in eorum laudes adducitur,quin facillime credant palamq; recipiant,duo nobis declarat præcipue:alterum quidem,nihil uanius his nebulonibus reperiri posse: alterum uero,eos qui ad alios fallendos impensius student,nimirum sua ipsorum fallacia facillime falli. Præterea quod præstigiatores eiusmodi uirtutem quam pollicentur,neq; præstant unquam,neq; ad ipsam alicubi exhortantur,sed ad consuetas uerborum cauillationes ubiq; refugiunt,easq; quasi res serias studijs alijs quasi ludis proculdubio anteponunt,tria potissimum nobis significat. Primum:eos qui uirtute ipsi ornati non sunt,eam nunquã uel ratione,uel exemplo posse docere. Secundum: homines uerborum nimium curiosos,res bonas nunquam uel consequi uel afferre. Tertium:eos qui facillime plurima pollicentur,minime omnium promissa seruare. Accedit ad hæc quod Socrates sophistas ad docendã uirtutem allicit discipulorum diuitum plurimorumq; turba tanquã ambitiosos nimium & auaros. Sed ibi sub persona Critonis admonemur,ne temere cuilibet curandum animum committamus. Quod uero Socrates sophistas dum uirtutem promittunt,interim quasi deos obsecrat,aperte declarat ab ipso deo uirtutem esse petendã,hominesq; uirtute præditos quasi diuinos habendos esse. Item quod illos ob uirtutis studiũ regibus beatiores existimat: planè significat uirum uirtute præditum, primo quidem suijpsius, deinde & regum esse regem. Docet præterea Socrates in Clinia curando quantã cum charitate quanta curandæ iuuentuti adhibere diligentiam debeamus. Mox uero sub insolentissimorum sophistarum pollicitationibus parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. Sed & notanda est ibi hyperbolica quædam ad uanos homines deridendos Socratis ironia. Deinde incomparabilis uanitas nebulnoum pro rebus uerba, & illa quidem ineptissima ubique præstantium, quumq; exhortationem ad sapientiam promiserint,ad pueriles ineptias relabentium. Tum Socrates uniuersum sophistarum gymnasium ait, ludum esse uerborum*

rum,eosq; rerum naturã omnino latere,atq; artificiosas illorũ telas, sola uerborũ expositione significationisq; di stinctione posse dissolui. Obsecrat deinde facetissima quadã ironia sophistas,ut post ludos ad seria ueniant:proponitq; formulam quandã, ad cuius exemplar exhortationẽ ad philosophiam ab illis exoptet.In eiusmodi formula fẽlicitatem primo quidem communi notione describit,bene uiuere.Deinde hoc ipsum bene uiuere uel in ipsa rerum ad uotum consecutione, uel in recto rerum ipsarum usu probat consistere. Atq; utrinque per inductiones concludit: sapientiam,cum sola & consequatur res ad uotum, & utatur recte,solam beatos efficere. Ibiq; talis in inductionibus ordo conspicitur,ut si per singulas uitæ partes sapientia tum ad uotũ consequitur,tum recte utitur,consequentem in uniuersa uita finem uitæ communem summumq; bonum sapientia eadem afferat in consecutione prosperarectoq; usu consistens.Inter argumentandum uero præclara fulget sententia sectæ Stoicæ fundamentum,externa uidelicet & corporea esse indifferentia potius & communia,quàm aut bona, aut mala dicenda. Proprie uero bonam esse sapientiam,malam uero insipientiã. Siquidem per illam bona omnia, per hanc omnia mala nobis euadunt. Ideoq; sapientiam solam beatos facere posse. Quod uero in scientia potestas ad felicitatem tota consistat, tria ipsa felicitatis nomina à priscis Græcorum auctoribus instituta declarant, scilicet Eudæmonia, Eutychia,Eupragia.Primum significat cognitionem boni, secundũ consecutionem, tertium uero usum:quæ omnia scientia nobis perficit. Quam boni scientiam Plato & hic & alibi dicit quodammodo omnem esse uirtutem. Sapiẽtiam quidem esse absoluti diuiniq; boni scientiam. Prudentiam uero, scientiam bonorum malorumq; proprie ad hominem pertinentium.Iustitiam quoq; scientiam bonorum malorumq; pro meritis distribuendorum. Fortitudinem autem scientiam circa bona & mala audendi atq; metuendi. Temperantiam deniq; scientiã circa bona malaq; similiter asciscendi atque fugiendi.Meminisse præ cæteris hic oportet, Platonem & hic & sæpe alibi innuere sapientiam non tam humano studio comparari, quàm purgatis mentibus diuinitus infundi solere. Quippe cum animus huic cõiunctus corpori, ad res penitus à corpore separatas reddatur ineptus,& quasi noctua sub nimio diuinorũ splendore caliget. Quapropter Socratica ad sapientiã adhortatio non tam ad speculationem pertinet quàm ad mores. Quibus tandem purgatus animus sapientiam à deo et scientiam prudentiamq; consequitur. Per hæc Socrates dum à sophistis exhortationẽ ad philosophiã quæ est sapientiæ studium,exposcere simulat, ipse interim aptissima quadam dissimulatione ad philosophandum mirabiliter adhortatur. Veruntamen nondum sophistæ exhortationem uel pro seipsis uel pro alijs saltem accipiũt, sed per solitas iterum ineptias reuoluuntur. Vbi apparet quàm pertinax uel in uitijs uel in nugis semper sit ingenium uel inique natum uel perperam educatum. Inter hæc aduerte diligentissime diuinam Platonis sententiam,qua iubemur uirtutis sapientiæq; consequendæ gratia perpeti non solũ incommoda, iacturas, labores, & seruitutem:uerumetiam si speremus ex ipsa dissolutione nostri meliores deniq; euasuros,permittere nos illi qui hoc ipsum promiserit,excoriandos liquefaciendosq; ac penitus dissoluẽdos. Vbi apparet quantum animi bonum rebus præstet corporeis, & quantum probandi sint ueteres illi fortissimi martyres Christianorum.Huic illud simile: Qui animam amat suam in hoc mundo,perdet eam:qui uero hic eam perdiderit, eandem in æterna uita recipiet. Proinde Socrates sophistarum captiunculas confutans, demonstrat contra sophistas facillime posse sophismata retorqueri,præsertim quia cogit eos & sibimet repugnare,& absurdissima cõfiteri.His actis rursus similem superiori formulã simulando,declarat nihil boni auditores à sophistis accipere,sophistasq; ipsos ueluti perditissimos ad bonã frugem reuocari non posse. Quoniam uero tria hæc nomina inter disputandum,sapientiã,scientiam,prudentiã, sæpe repetit,animaducrtendũ est,ubi obseruantius loquitur sapientiã definire diuinorũ cognitionem,scientiã naturalium,prudentiam humanorum. Vbi uero minus obseruanter,scientiæ nomine ad tria hæc significanda uti solere. Sed ubi liberius, singulis pariter pro omnibus uti. Præterea duo adducit artium genera, earũ scilicet quæ efficiãt opera, & earũ quæ factis utantur. Et quoniam ars quæ utitur alterius artis opere,tum finem illi fabricandi præscribit, tum exẽplar adhibet operis absoluendi,non iniuria utentem artem facienti dignitate præponimus. Attende hic Platonem tam paruifacere facientem artẽ,tam magnificare utentem,ut apertissime uelit,si quis uel materias omnes in aurũ pro arbitrio possit cõuertere,imò & immortalitatem ipsam inter homines cõparare,nihil sibi uel tantam auri molem uel immortalitatem nisi uti sciuerit profuturam.Attende iterum cõmunem hic oratoriæ artis abusum sophisticæ similem prorsus uituperari, tanquam fascinationis maleficæ speciem,ubiq; ad inficiendos perturbationibus animos uenefice contendentem. Simili quadam ratione communem poesis abusum alibi detestatur. Sed quia hic in artibus numerandis nominat dialecticam,ne quorundam more dixerim dialecticen, nam dialectica mihi latinius sonat,meminisse oportet logicã apud Platonem significare artem regulas nominum, orationum, argumentationumq; disponentem: dialecticam uero sagacem philosophantis indaginem, regulis his utentem ad rationes rerum inuestigandas, diuinarum præsertim, à quibus rerum quoque sequentium summæ rationes accipiuntur, ideoq; dialecticam plerunque apud Platonem theologiam nobis significare. Nominat ibidem artem regiam atque ciuilem, scilicet prudentiam humani generis feliciter gubernandi. Quæ quidẽ siue in persona priuata siue publica sit, uel una uel multis, æque ab ipso tam ciuilis quàm regia nuncupatur. Huic profecto tanquam reginæ omnes subijcit facultates, quæ in agendo faciendóque uersan-

tur

tur, quibus ipsa dat leges, ac tanquam instrumentis utitur & ancillis. Subijcit similiter theologiæ scientias omnes quæ uersantur in speculando, ad quam hæ ita se habeant, quemadmodum priuatæ artes ad regiã. Quamobrem Socrates dum in ipsa formula superiori formulæ rursus continuata facultatẽ quærit ad felicitatem potissimum conducentem, merito dimissis alijs ad regiam theologiamq; confugit, præsertim cum felicitas in optimo rerum usu consistat: hæ uero rectissimũ, tum speculandi, tum agendi & faciendi usum afferre omnibus per omnia studeãt. Idem tradidit in Philebo, idem in ultimo Legum, idem in libris de Republica, ubi ad generis humani felicitatem futurũ gubernatorem in theologia primum, deinde in ciuili instruit disciplina, asserens diuinã ipsam boni ideam, uix tandem à solo legitimo theologo percipi. ac nisi percepta fuerit, nõ posse quicquã uel priuatim uel publice recte agi feliciterq; disponi. Quamuis aũt ita sit, Socrates tamen hic inter adolescentes atq; sophistas mysteria hæc reuelanda non censet. Mos enim Socraticus adolescentes exhortatur solum, sophistas solum confutat, uiros deniq; legitimos docet. Hic ergo sub ironia atq; dissimulatione eiusmodi tangit mysteria, seq; simulat hæsitare, & quasi inter sophistas uertiginosos pati uertiginẽ. Fortè uero ambigere propterea simulat utrum theologia ciuilisq; præstet felicitatem, quia neq; theologiæ, neq; ciuilis disciplinæ absolutam perfectionem humana quadã uia, sed diuina potius inspiratione haberi posse sæpe cõfirmat. Quapropter non iniuria humanis diffisus uiribus, felicitatem in diuinam refert munificentiam, in quam & theologiæ sapientiam & ciuilis prudentiam proculdubio retulit. Eo deniq; pacto hæc omnia nobis accipienda sunt, ut humana quidem officia mentes ad felicitatem præparent, præcipue sub theologica ciuiliq; disciplina rectissime gubernata: Dei uero ipsius clementissima bonitas, summũ hominis bonum per hæc quasi media ad ipsum conuersis deniq; largiatur. Statuerã hic satis honestum argumento imò uero commentario finem imponere, uerum detinet me adhuc necessaria quæstio, ad quid conducat frequens Socratis ironia, quæ quidem semper Socratis bona dissimulat, sæpe uero bona simulat superborum: & quantũ semper Socrati derogat, tantum sæpe superbis arrogat: atq; id quidem iocis facetijsq; frequentibus efficit, & sæpius ultra fidem, ut in se quidem deprimendo audientes reddat modestiores: in superbis uero supra fidei modũ extollendis, superbiam reddat omnibus deridendam. Profecto qui præter modum laudantur à Socrate, si non omnino perditi sunt, rubore confusi seipsos emendãt: sin uero iam perditissimi, non ipsi iam, sed præsentes correptionis eius exemplo tam ridiculam superbiæ uanitatem cautissime uitant. Est autem Socratica ironia, res admodũ artificiosa, urbana, faceta, uenusta. Tutius ueritati adstipulatur, odiumq; declinat, dum & professionem apte dissimulat, & prius sibi derogat manifeste, quàm uel clam derogare alteri deprehendatur: & quod maximum est in uitijs corrigendis, fugit maledici notam. Per hanc utiq; prope huius dialogi finem sophisticæ cauillationis uituperationem in tria colligit capita. Primum quod probatissimi quiq; nugas eiusmodi aspernantur. Secundum quod sophismata seipsa confundunt. Tertiũ quod uel pueri hæc tanquam leuissima biduo assequuntur. Mox à sophista descendit ad rhetorem. Vterq; enim ciuilem uirtutem falso profitetur. ut scribitur in Gorgia: et sophista quidem philosophi speculationẽ, rhetor autem moralem philosophi disciplinam simulat procul à uero. Ostendit aũt rhetores atq; oratores dum se & philosophos & ciuiles simul profitentur, esse ad utrunq; prorsus inutiles. Concludit postremo dialogum gemina optimaq; sententia. Altera quidem, curandũ magis esse ut bene sint filij, quàm ut sint: atq; ut illos relinquas bonos: potius quàm illis relinquas bona. Altera uero, omnino esse philosophandũ: quãdoquidẽ philosophia ipsa res est diuina: neq; uel ob falsos eius professores, uel ob mendaces calũmniatores dimittendã esse possessionẽ adeo precioſam.

EVTHYDEMVS VEL LITIGIOSVS

TRANSLATVS E GRAECA LINGVA IN LATINAM A Marsilio Ficino Florentino, ad Petrũ Medicem uirum Clarissimum.

CRITO, SOCRATES, EVTHYDEMVS, DIONYSODORVS, CLINIAS, CTESIPPVS.

QVISNAM ille erat, ô Socrates, quicum heri in Lycæo disputabas? Equidem turba frequens circumstabat. Quare licet propius accederem audiendi cupidus, nihil tamen aperte percipere poteram. Cum uero in pedes erectus inspicerẽ, mihi uisus est hospes quidã esse, quicum disserebas. Quis ille? SOC. De quo interrogas Crito? Non enim unus tantum, sed duo aderant. CRI. Tertius ad dexteram tuam sedebat is, cuius nomen audire percupio. Medius autem adolescentulus ille Axiochi filius, qui mihi uisus est satis admodum profecisse. Critobuli quidem nostri fermè æqualis est. Verum ille aridiori quodam corporis habitu, hic grãdioris speciem præ se ferre uidetur, honesta sanè indole atq; egregia. SOC. Euthydemus is est quem

quem quæris ô Crito. Qui uero ad ſiniſtram ſedebat, Dionyſodorus eius frater, qui ipſe quoq; diſputabat. CRI. Neutrum cognoſco ô Socrates. SOC. Noui ſunt, ut uidentur, ſophiſtæ. CRI. Quænam horum patria eſt? quæ ſapientia? SOC. Chij ſunt, ut arbitror, patria: ad Thurios autem migrarunt. Illinc autẽ fugiẽtes multos iam annos iſtis in locis uerſantur. De ſapientia uero illorum quod tu rogas, ô Crito, plane ſapientiſſimi ſunt. & hactenus ignorabam equidem perfectos athletas eſſe. Sunt enim ad omne certandi genus inſtructi, non quemadmodum Acarnani fratres athletæ. Illi nanq; corpore tantũ ualent, hi uero corpore primum maxime ualent, & eo genere pugnæ, quo omnia ſuperant. Armorum enim periti ſunt maxime, & armorum peritos reddere, ſiquis mercedem det, etiam cæteros poſſunt. Deinde iudicialem pugnam, & ipſi tractare expediteq;, & unumquenq; inſtruere poſſunt, tum ſcribendis, tum perorandis cauſis. Et hactenus quidem harum duntaxat periti erant, nunc autem perfecte athleticæ facultati finem impoſuerunt. Quod enim deerat certandi genus, nuper ſic aſſecuti ſunt, ut nemo illis ualeat reluctari, adeo dicendo ualent, promptiq; ſunt ad quoduis dictum ſeu uerum ſeu falſum, refellendum. Quapropter ô Crito, his me uiris tradere cogito, pollicent enim quẽuis alium breui ſe eorundem cõpotem reddituros. CRI. An nõ te grãdior ætas abſterret ô Socrates? SO. Minime Crito. Eſt enim quod me ſoletur, ac diffidere non ſinat. Nam & hi iam ſenes, ut ita dixerim, huic ſe facultati quam ego nunc affecto, contentioſæ uidelicet dediderunt. Anno enim ſuperiori, aut certe ab hinc tertio nondum callebant. Vnum uero hoc tantũ uereor, ne his dedecori ſim, quemadmodum Conno Metrobij filio cithariſtę, qui me etiam nunc fidibus docet. Pueri igitur condiſcipuli me quotidie rident, & Connum ipſum ſenum magiſtrum nuncupant. Ne ergo hoc idem aliquis hoſpitibus his obijciat, & illi ea re deterriti, me reijciant, alios quoſdam præterea ô Crito natu grãdes, ut mecum illuc diſcendi gratia proficiſcantur, ſum exhortatus: & hic item quoſdam perſuadere conabor. Quin igitur & tu uenis, filios tecum ducens? Porrò ubi ſperabũt etiam filiorum tuorum concurſum, his quaſi illecebris adducti libentius nos erudiendos accipient. CRI. Nihil prohibet Socrates, ſi tibi uidetur. Verum prius quæ illorum ſapientia ſit, narra, ut quid percepturi ſimus cognoſcam. SOC. Fruſtra expectas, dum non poſſe dicam, quaſi non auſcultarim ſatis: immo & auſcultaui diligenter & memini, tibiq; à principio cuncta referre conabor. Equidem diuina quadam ſorte in gymnaſio ſolus ubi me uidiſti, ſedebam, iamq; inde diſcedere cogitabam, cum ſurgenti ſolitum illud dæmonis ſignum ſubito obſiſtit. Reſtiti itaq;, ac paulo poſt ingreſſi ſunt, Euthydemus Dionyſodorusq;, & cum his alij multi, qui illorum mihi diſcipuli uidebantur. Ingreſſi autẽ in ipſo adoperto curſu deambulabant. Vix iterum tertioq; ſpacium exegerant, cum aduentauit Clinias ille, quem profeciſſe dicis, & uere loqueris. Eum ſequebantur amici & alij præterea multi, tum adoleſcens quidam Cteſippus Pæaneus, ingenio bonus quidem & pulcher, ſed ipſa iuuenta laſciuior. Intuitus me ab ingreſſu Clinias ſedentem ſolum, obuiam uenit, & ad dexteram conſedit, ut & ipſe aiebas. Eum Dionyſodorus Euthydemusq; conſpicati, primum quidem conſiſtentes inuicem diſſerebant, hinc atq; illinc in nos oculis conuerſis. Ego enim illos diligentiſſime obſeruabam. Deinde propius accedentes conſederunt: Euthydemus quidem iuxta ipſum adoleſcentẽ: Dionyſodorus autem iuxta me ad ſiniſtrã, alij ut cuiq; erat locus. His igitur congratulatus ſum, utpote quos diu non uidiſſem. Poſt hæc ad Cliniam conuerſus: Iſti, inquam, ô Clinia uiri, Euthydemus Dionyſodorusq; nõ paruis ſunt in rebus, ſed maximis ſapientes. Sciunt quæ ad rem militarem pertinent, omnia quęcũq; noſſe ſtrenuũ imperatorem decet, aciei ordinũq;, & exercitus inſtructiones. Tum etiam quo ſe pacto quiſpiam in iudicio ab iniuria uẽdicet, docere poſſunt. Illi uero ita me locutum contempſerunt, ſeq; inuicem inſpicientes utercq; riſerunt. Ac Euthydemus quidem, haud amplius hæc ſerio, inquit ô Socrates, tractamus, ſed obiter. Ego uero miratus, præclara, inquam, ſtudia ueſtra eſſe oportet, ſi remiſſiones ſunt tantæ. Dicite obſecro, quod hoc ueſtrum tam egregium opus eſt? EVT. Virtutem, ô Socrates, nobis perſuademus facillime atq; optime omnium doceri à nobis poſſe. SOC. Pròh Iupiter, quam precioſam rem pollicemini. Qua ſorte potiſſimum lucrum iſtud ad uos peruenit? Equidẽ ita de uobis, ut dixi, hactenus cogitabam, nempe uiris in re militari præſtãtibus, idq; de uobis prædicabam. Memini enim cum huc primum ueniſtis, hoc ſolũmodo fuiſſe profeſſos: quod

Quod ætas grãdior nõ debeat abſterrere à diſciplina

si nunc reuera scientiam hanc adepti estis, estote propitij, profecto uos perinde ac deos aduoco, obsecrans ut hanc mihi uocem ignoscatis. Verum uidete, ô Euthydeme, Dionysodoreq́, utrum uera loquamini. Neq; enim mirum uideri debet, si quis rei istius quam pollicemini magnitudinẽ æstimans, difficile credat. EVT. Scito sic esse, ô Socrates, prorsus. SOC. Beatiores igitur ob rei huius possessionẽ uos æstimo, quàm ob regnum suum regem illum magnũ. Verum dicite quæso, utrum exhibere hanc sapientiam uestram cogitetis, an aliter apud uos sit decretũ. EVT. Ad hoc ipsum, ô Socrates, uenimus demonstraturi scilicet, atq; docturi, si quis addiscere uelit. SOC. Atqui quod uelint omnes quicunq; carent, ipse uobis ceu sponsor fidem obstringo. Ego quidem primo, deinde etiam Clinias hic, præterea Ctesippus ipse, alijq́ quos hic uides: Cliniæ amicos ostendens, qui nos tum circumstabant. Ctesippus autem fortè à Clinia procul sedebat: cumq; Euthydemus inter disputandum sese inclinasset, Clinia medio inter nos sedente, & Ctesippum aspectu Cliniæ excluderet, surrexit Ctesippus, primusq; è regione nostri stetit, ut & uideret amicum & disputantes audiret: mox cæteri hunc secuti tam Cliniæ amici, quàm Euthydemi & Dionysodori comites, protinus nobis adstiterunt. Hos ego omnes digito signans, Euthydemo pollicitus sum ipsius discipulos fore. Ctesippus igitur uehemẽter est assensus, nec non & alij, hortati ut sapientiæ uim ostendere uellent. Tum ego, ô Euthydeme Dionysodoreq́, his, inquam, modis omnibus erit gratificandum, & uel mei gratia demonstrandum. Ac plurima quidem sunt, quæ ostendere opus prolixum sit: id autem mihi dicite, utrum hominem duntaxat iam persuasum quod discere à uobis oporteat, bonum efficere uirum potestis? an eum nondum etiam persuasum, & qui nullo pacto doceri uirtutem posse, aut uos eius rei magistros esse putet? Nunquid artis eiusdem opus est, homini sic affecto persuadere, & quod doceri uirtus possit, & quod ipsi qui hoc optime possint sitis: num, inquam, sic est? Eiusdem, inquit Dionysodorus, artis opus est, ô Socrates. Vos itaq; præ cæteris, inquam, omnibus ad philosophiæ uirtutisq́ curam hortari homines quàm optime potestis? Sic arbitramur, inquit, ô Socrates. Cætera post ostendetis, inquam: isthuc uero nunc. quæso enim huic adolescentulo persuadete, quod philosophię uirtutisq́ studio totis sit uiribus incumbendum, mihiq́ & his omnibus morẽ gerite. Porrò adolescentulus hic adeo mihi & his omnibus curæ est, ut eum quàm optimum uirum euadere summopere omnes cupiamus. Est autem Axiochi ex Alcibiade maiore natus filius: minoris autem Alcibiadis qui nunc est, patruelis. Nomen est Clinias. Cui, quia in tenera ætate est, sic, ut decet, timemus ne quis fortè nos præueniens aliò eius animum deflectat atq; inquinet. Quare uos peropportune uenistis. Et nisi quid prohibet, de puero periculum facite, & cum eo nobis præsentibus disserite. hæc fermè cum dixissem, Euthydemus fortiter nimium confidenterq́, nihil, inquit, ô Socrates prohibet, modo uelit adolescens nobis respondere. Haud insueta, inquam, illi res est. frequẽter enim hi conuenientes inter se disputant, interrogantq́ multa. quocirca consentaneum est respondere posse. Quæ uero sequuntur, ô Crito, utinam recensere pro dignitate possem. Neq; uero exigua res putanda est, inæstimabilem illam sapientiam enarrare posse. Quare mihi nunc, poetarum more, Musas Memoriamq́ inuocandas esse prius uideo. Euthydemus autem hunc, ut arbitror, in modum est exorsus. Vtri sunt, ô Clinia, homines qui aliquid discunt? sapientes ne, an ignorantes? Puer autem propter quæstionis illius põdus erubuit, & hæsitãs oculos in me conuertit. Ego uero perturbationẽ illius animaduertẽs, Bono animo esto, inquam, Clinia, & quæ tibi uidentur, fortiter respondе. Arbitror enim commodum hinc maxime assequere. Hæc loquenti Dionysodorus in aurem insusurrans, ac ridens: Prædico tibi Socrates, inquit, quicquid puer responderit, confutatum iri. Interim responderat Clinias: unde mihi puerum admonere non licebat. Respõderat autem, sapientes esse qui discunt. Ad quem Euthydemus: Vocas præceptores aliquos, an non? Assensus est. An non præceptores, discentiũ præceptores sunt? quemadmodum citharista atq; grammaticus & tui & cæterorum puerorum præceptores fuere, uos autem discipuli. Consensit. Cum discebatis, nondum sciebatis hæc eadem quæ discebatis? Nondum. Nunquid eratis sapientes quando hæc ignorabatis? Nequaquam. Si non sapientes, ignorantes igitur. Omnino. Vos ergo dum discebatis quæ ignorabatis, ignorantes discebatis. Annuit adolescens. Ex hoc sequitur, ut ignorantes discant, ô Clinia, non sapientes, ut ipse putabas.

Maior & minor Alcibiades

Cum

Cum hæc ille dixisset, quemadmodum chorus innuente magistro, summo plausu concla
marunt riseruntq; illi Euthydemi & Dionysodori sectatores. Ac prius quàm respiraret
puer, bene præclareq; sermonẽ excipiens Dionysodorus: Quid porrò, ô Clinia, inquit?
Cum aliqua grammaticus recitauit, quinam pueri perdiscunt? sapientes ne, an ignoran-
tes? Sapientes, inquit Clinias. Ergo sapientes discunt, non ignorantes. Quare non recte
Euthydemo paulo ante respondisti. Hic altius exclamarunt riseruntq; illorum astipula-
tores, Euthydemi Dionysodoriq; sapientiam admirati. Nos autem quasi stupidi conticui
mus. Cum ergo stupidos non redditos esse uideret Euthydemus, quo in maiorem insu-
per sui admirationem traheremur, nõdum dimisit puerum, sed ulterius interrogauit, atq;
illorum more qui in choro uehementer sunt exercitati, duplicem mouit eadem in re quæ
stionem: Vtrum igitur, inquiens, discentes quæ sciunt, discunt: an quæ nesciunt? Tunc
Dionysodorus iterum mihi in aures susurrans. Tale, inquit, ô Socrates est & hoc, quale
quod suprà fuit illatum. Proh Iupiter, inquam, præclarum etiam superius nobis uisum est.
Ità semper, ait, ineuitabiles quæstiones proponimus. Ideoq; uidemini, inquam, apud disci
pulos uestros autoritatem habere non mediocrem. Interim Clinias Euthydemo respon-
dit, eos qui discunt, quæ ignorant perdiscere. Statim ille ut suprà interrogauit. Scis ne
ipse literas? Scio. Nónne omnes? Et omnes. Quando aliquis recitat, nónne literas reci-
tat? Concessit. Ergo illa quæ scis recitat. quandoquidẽ ipse omnes scis literas. Admisit et
hoc. Nónne discis quæ quis recenset? Assensus est. An uero ignorans literas, discis? Mi-
nime. Immo sciens disco. Nónne igitur quæ scis, discis? siquidem omnes scis literas. An-
nuit. Non recte itaq; respondisti. Vix autem dixerat hæc Euthydemus, cum Dionyso-
dorus orationem uelut pilam excipiens, sic adolescentem petebat. Decipit te Euthyde-
mus, ô Clinia. Dic mihi. An non discere, scientiam illius accipere est, quod quis discit?
Admisit Clinias. Scire autem nunquid aliud est, quàm scientiam ipsam iam habere? Con
cessit. Nescire igitur, est nondum habere scientiam? Dedit & hoc. Vtri rem aliquam ca-
piunt? qui habent, an qui non habẽt? Qui non habent. An non confessus es, nescientes
homines ex illorum numero esse, qui non habent? Annuit. Discentes igitur ex illorum
numero sunt, qui capiunt, non ex eorum qui habent. Probauit. Ergo qui nesciunt ô Cli-
nia, discunt, non qui sciunt. Post hæc uero, tertio iam uelut luctam petens, Euthydemus
adolescentulum adoriebatur. Ego uero succumbentem miseratus, ut paulum recrearem,
ne fortè expauesceret nimis, hunc in modum consolari cœpi. Ne mireris ô Clinia, si in-
sueti sermones isti tibi sunt: nescis enim fortasse hospites isti quid sibi uelint. Idem profe-
cto faciunt quod in mysterijs Corybantes solent, cum quem initiaturi sunt, in solio collo
cant, applaudunt, choreas iuxta ducunt. Intelligere te arbitror, siquidem initiatus es. Lu-
dunt similiter isti nunc, & circa te choreas ducunt ac saltant, quasi quem expiant nunc,
mox sacris sint initiaturi. Itaque in præsentiarum primas quasdam sacrorum sophisticо-
rum ceremonias celebrari puta. Principio enim quemadmodum Prodicus iubet, pro-
pria tenere nominum significata decet: quod & hospites tibi isti ostendũt. Neq; enim di-
scere sciebas quomodo homines uocant: cum de his loquuntur. Discere enim uocant et
cum quis, quam rem antea non tenebat, assequitur iam: & cum scientiam eius nactus,
eadem scientia illam ipsam rem uel cum fit uel cum dicitur considerat: quod rectius intel
ligere, quàm discere, uoces, quanquam non raro discere uocetur. id uero te latuit quem-
admodum isti ostenderunt, idem uidelicet nomen contrarijs rebus ab hominibus attri-
bui, scienti quidem, & nescienti. Simile autem huius est & illud quod in secunda quæ-
stione proposuerunt, interrogantes utra discant homines, an quæ sciunt, an quæ nesci-
unt. Hæc omnia ludi quidam in disciplinis sunt, ac ludere tecum istos aio. Ludum autem
hac de causa uoco, quia & si quis huius generis multa aut omnia etiam norit, rerum ta-
men naturas nihilo magis intelliget, ludere tamen ex illa nominum diuersitate homines
poterit, quasi appositа tibia prosternens, eorum more qui sedere uolentibus furtim sub-
sellia subtrahunt, & effusius rident, cum uident qui cecidit iacere supinum. Hæc igitur
& tu pro ludis accipe. Deinceps autem seria tibi hi tractabunt. ac ego quæ promiserunt
ab illis exposcam: nempe quo pacto ad sapientiam impelli quispiam possit. Nunc autem
mihi uidentur putasse prius tecum esse iocandũ. Satis ergo hactenus, ô Euthydeme Dio-
nysodore; quobis lusum sit. Ostendite iam quod sequitur. Restat enim ad uirtutis sapien

tiæq; ſtudium hunc adoleſcentulum quonam pacto inducatis. Et dicam principio quid mihi uideatur,& quid ego potiſſimum cupiam audire. Quod ſi imperite & ridicule fecero,ne obſecro rideatis. Facit uos audiendi cupiditas,ut ineptias meas non dubitem apud uos proferre. Continebitis igitur riſum uos & diſcipuli. Tu aũt mihi Axiochi fili reſponde,utrũ omnes bene agere,hoc eſt,bene uiuere cupiamus. An fortè quæſtio hæc, ut metuebam,ex eorum numero eſt,quæ ridicula ſunt? Dementis eſt enim,arbitror, talia ſciſcitari. Quis enim eſt omnium,qui bene uiuere non cupiat? Nemo, inquit. Age, inquam, poſtquam bene uiuere uolumus,quo pacto aſſequi licet? Nunquid ſi bona multa nobis ſint? an ineptus eſt quiſquis hoc neget? Sic enim conſtat eſſe. Conſtat inquit. Bona uero ex omni rerum genere quænam ſunt? inquam. An fortè neq; id arduum eſt inuentu, nec eleganti homini dubitandum? Quis eſt enim qui neget bonũ eſſe,diuitem eſſe. Nõne? Maxime,inquit. An nõ & ſanum eſſe,inquam,& pulchrum, cæteriſq; corporis dotibus præditum? Certe,inquit. Quinetiam nobilitas, inquam, potentia & in ſua cuiq; ciuitate honores ſunt boni? Et iſta,inquit. Quæ præterea bona,inquam,reſtant? Si dixerimus temperantiam,iuſtitiam,fortitudinem,eſſe bona,nunquid recte dicemus? Dubitet enim fortè quiſpiam. Tu uero quid ais? Bona profecto,inquit,dicẽda. Sapientiam uero, inquam, quo in genere locabimus? Bonorum ne? an aliter? In bonorum,inquit,genere. Vide, inquam,ne quid bonorum ratione aliqua dignum prætermittamus. Mihi, inquit, nullum ſane prætermiſiſſe uidemur. Hic ego cogitans paululum,uidemur,inquam, ô Clinia, bonorum omnium maximum poſtpoſuiſſe. Quid hoc? inquit ille. Felicitatem,inquã, quam omnes etiam imperitiſſimi homines ſummum bonum uocant. Vera loqueris,inquit. Et ego rurſus mutata ſententia,riſum ferme,inquã,ô Clinia,hoſpitibus mouiſſemus. Quamobrem inquit. Quoniam cum felicitatem antea poſuerimus, inquam,iterum iam eadem de re loquebamur. Qui iſtud? inquit. Ridiculum porro quod ante poſitũ eſt, ponere rurſus,bisq; eadem recenſere. Qua ratione id ais? Sapientia,inquam, ipſa felicitas eſt, quod quidem uel puer quiuis intelligat. Quod ille cum ob puerilem ruditatẽ admiratus eſſet, & ego admirationem animaduerterem, hunc in modum interrogaui. Nõne ô Clinia, noſti quod periti tibicines optime omnium quod tibiarum uſum attinet, conſequuntur? Aſſenſus eſt. Et eruditi,inquam,grammatici quod literas,tum ſcribendas, tum legendas attinet? Prorſus inquit. Sapientes quoq; gubernatores optatum nauigationis portũ præ cæteris aſſequuntur? Ita eſt. Necnon belli dux ſapiens, quod ad militiam ſpectat, tutius expedit,& cum illo tutius quàm cum ignorante militabis? Abſq; dubio, inquit. Et ſapiens medicus ad optatam corporis ualetudinem,inquam,melius quàm inſipiens te perducet,tuq; teipſum libentius illi committes? Certe, inquit. An ideo quod putes felicius tibi cum ſapiente,quàm cum ſtulto ſucceſſurum? Conſenſit. Sapientia igitur omnibus humanis in rebus,inquam,felices nos efficit. Neq; enim aberrat unquam nec fallitur ſapientia,ſed recte opus peragit aſſequiturq;,alioquin ne ſapientia quidem ſit. Cõuenimus tandem neſcio quo modo ut diceremus,ſapientia præſente felicitate nihil eſſe opus. His uero conceſſis rurſum percontatus ſum,quid de his quę ſupra conceſſa fuerãt, ſentiremus. Confeſſi enim ſumus,inquam,ſi multa nobis bona ſint,bene beateq; nos uiuere. Admiſit. Num beate,inquam,propter præſentia bona uiuimus, ſi nihil proſint, an ſi proſunt? Si proſunt,inquit. An uero conferunt quicquam,ſi habeamus illa duntaxat, non utamur autem? Veluti ſi epulas multas poculaq; habeamus, non ueſcamur autem, nunquid iuuant? Nihil,inquit. Præterea ſi artificibus expoſita ſint præparataq; ſingula ad opus perficiendum,non utantur autem, num propter ipſam ſupellectilis & inſtrumenti copiam bene agant? Ceu ſi fabro parata ſint inſtrumenta omnia, materies item,nihil fabricetur autem,nunquid,inquam,poſſeſſione iuuabitur? Nullo pacto,inquit. Quid uero? ſiquis diuitias & bona quæ diximus omnia nactus,nequaquam utatur, nunquid erit, inquam, ipſa bonorum poſſeſſione beatus? Minime,ô Socrates, inquit. Oportet itaq; illum, qui beatus futurus eſt,inquam,non ſolum bona huiuſmodi poſſidere,ſed uti. Nihil enim ſola poſſeſſio iuuat. Recte, inquit. Num poſſeſſio uſusq; bonorum,ô Clinia,inquam, ad beate uiuendum ſufficit? Mihi quidem uidetur,inquit. Vtrum ita dicis, ſi modo quis recte utatur,an etiam ſi non recte? Si recte,inquit. Probe,inquam. Plus eſt enim puto, inquam,cum quis re quapiam abutitur, quàm cum omnino non attingit. Illud ſiquidem

malum

Definitio quædã felicitatis ἢ εὐτυχίας

Sapientia felices nos efficit

malum eſt, hoc nec bonum, nec malum. Nónne ita dicendum? Probauit. Nunquid in effectione, inquam, & uſu lignorum aliud præter fabrilem ſcientiã, ut recte uti ſingulis queas, efficit? Non aliud, inquit. Quinetiam circa uaſa conficienda, rectũ uſum ſcientia præſtat? Annuit. Nónne & circa uſum bonorum quæ ſupra retulimus, diuitiarum ſanitatis, & formæ ipſa ſcientia dux erat, his recte uti docens opusq; dirigẽs? Prorſus, inquit. Non igitur ſucceſſum ſolum, ſed & opus bonum, ut uidetur, in omni poſſeſſione actioneq; hominibus ſcientia præbet. Aſſenſus eſt. An ulla eſt obſecro, poſſeſſionum omnium utilis prudentiam ſapiẽtiamq; citra? Aut uter horum maiorem utilitatem reportat, qui mente captus eſt, cum rebus abundet, cum multa faciat? An qui pauca facit, pauca poſſidet, ſed mentis compos? Hoc ita cogita. Nónne qui pauciora agit, rarius errat? Minus errans, minus agit male? Minus male agens minus eſt miſer? Omnino, inquit. Quo autem pacto, inquam, pauciora facit aliquis? Nunquid ſi pauper eſt, an ſi diues? Si pauper, inquit. Vtrum ſi debilis, an ſi robuſtus? Si debilis, inquit. Vtrum ſi honoratus, an ſi abiectus? Si abiectus, inquit. Vtrum ſi fortis & temperans, an ſi timidus? Si timidus. Nónne & piger minus efficit, quàm promptus ad agendum? Admiſit. Et tardus, quàm uelox? hebes uiſu audituq;, quàm utroq; acutus? Omnia hæc inter nos conuenerunt. Ibi uero hunc in modum concluſi. Nulla ex his, ô Clinia, quæ bona nuncupabamus, ſeipſis bona eſſe uidentur. Immo ſic dicendum conſtat, ſi illis inſcitia præſit, eo deteriora eſſe quàm illorum contraria, quo uberius improbo duci adminicula ſcelerum ſuppeditare poſſunt. Sin autem prudentia & ſapientia his præſideat, tum denique meliora. Ipſa uero ſuapte quidem natura nulla, nec bona quidem, nec mala exiſtimatione ſunt digna. Videtur, inquit, ita eſſe ut dicis. Quid aliud ex his ſequitur, inquam, quàm nihil cæterorum uel bonum eſſe, uel malum? E duobus autem iſtis, ſapientiam quidem bonum, inſipientiam uero malum eſſe? Probauit. Nam quod eſt reliquum conſideremus. Poſtquam beati eſſe affectamus omnes, beati autem efficimur, ut apparuit, ex eo quod rebus utimur, & recte utimur, rectitudinem uero uſus & conſecutionis proſperitatem ſcientia præbet, cæteris omnibus prætermiſſis omni ſtudio niti quiſque debet, ut quàm ſapientiſſimus fiat. nónne? Certe, inquit. Exiſtimare præterea quiſque debet à parentibus, à tutoribus & amicis, cæteris' que, illis maxime qui amant, ſeu hoſpites ſint, ſeu ciues hoc expetendum potius quàm ingentes opes: exorandos' que omnes, ut ſapientiam imparti ant. Neque turpe eſt, neque indignum, Clinia, ſapientiæ gratia cuilibet ſeruire, & honeſtis obſequijs unumquenque demereri. Idem' ne tu ſentis? Idem omnino, inquit. Probe enim loqui uideris. Si modo, inquam, doceri ſapientia poteſt, nec ſorte hominibus uenit. Hoc enim inſuper eſt ueſtigandum: neq; dum id inter nos conſtat. Tum ille: Doceri mihi quidem, ô Socrates, poſſe uidetur. Hac ego reſponſione delectatus, belle, inquam, optime uirorum, ac maximo me beneficio affeciſti, longa diſputatione liberans, doceri ſapientia poſsit nec' ne. Nunc uero poſtquam tibi doctrina comparari poſſe uidetur, ſola' que hæc ex omnibus beatum & felicem hominem reddit, quid aliud quàm philoſophandum dicas? Nunquid hoc ages? Maxime, inquit, ô Socrates, quantum id fieri poteſt. Hæc cum libenter audiſſem, exemplar, inquam, ô Dionyſodore & Euthyderme, exhortationis quam uolo, tale, rudibus prolixis' que fortaſſe uerbis uix tandem à me collectum habetis. Vter autem ueſtrum uult, idem hoc artificioſe contexens nobis oſtendat: aut ſi hoc non lubet, ſaltem quod orationi meæ deeſt, uos in adoleſcentis gratiam perſequamini. nempe omnem' ne ſcientiam, an unam quandam potius parare neceſſe ſit ei, qui uir eſſe bonus beatus' que uelit: tum quæ hæc ſcientia ſit. nam, ut principio dixi, uehementer hunc adoleſcentulum ſapientem bonumq; euadere deſideramus. Hæc ubi dixi, ô Crito, iam ad ſequentia intentus eram, obſeruans quale dicendi exordium facerent, qua' ue potiſsimum ratione Cliniam ad ſapientiæ & uirtutis ſtudium exhortarentur. Hic qui natu grandior eſt, Dionyſodorus, prior cœpit: ac nos quidem omnes oculis in eum conuerſi eramus, mirificam quandam orationem protinus auditurí: quod etiam contigit. Mirum namque ſermonem, ô Crito, incœpit, dignum qui abs te audiatur, quàm belle ſcilicet prouocet ad uirtutem. Dic mihi, ait, ô Socrates, uos' que alij, quicunque adoleſcentem iſtum fieri ſapientem uultis, utrum iocamini, an id ſerio a-

gitis. Hic intelligens, quod putassent lusum esse sibi, iussis cum adolescente disputare, atque idcirco lusisse & ipsos hactenus, neque seria tractauisse: maxime, inquam, desideramus. Tunc ita Dionysodorus. Vide, ô Socrates, ne quæ nunc asseris aliquando neges. Scio, inquam, haud me negaturum. Quid igitur dicitis? inquit: sapientem fieri uultis? Volumus, inquam. Quid ni? Vtrum, inquit, sapiens nunc est Clinias, an non? Nondum ait, inquam. Est enim minime iactabundus. Vos autem, inquit, sapientem fieri uultis, ignorantem uero esse nequaquam? Admisimus. Ergo quod non est, inquit, hoc fieri cupitis: quod uero nunc est, haud amplius esse. Quod quum audissem, turbatus sum: & ille me turbatum animaduertens, Quoniam, inquit, uultis quod nunc est, non amplius esse: uultis ut uidetur hunc, inquit, interire. Belli uero amici amatores' que sunt, qui amatos omni cura studeant perdere? Hæc audiens Ctesippus, amati gratia inique tulit: indignatus' que, Hospes, inquit, Thurie, ni dictu rusticum sit, palam obiiciam, quod ista docens, mendacium mihi illisq; nefarium indignum' que impingas: Cupere nos scilicet illum interire. Hic Euthydemus ad Ctesippum conuersus: Videtur, inquit, tibi fieri posse ut aliquis mentiatur? Per louem, inquit: nisi forte insanio. Qui uero mentitur, inquit, rem ipsam qua de sermo est dicit, an non dicit? Dicit, inquit. Si rem ipsam dicit, haud aliud quicquam dicit præter id quod dicit. Quo nam pacto, Ctesippus inquit, posset? Nunquid una quædam res est, inquit, quam dicit ab aliis diuersa? Prorsus, inquit Ctesippus. Nónne qui illam dicit, id quod est profert? Ita. Enim uero quicunque quod est, quæ' ue sunt dicit, uera dicit. Quamobrem Dionysodorus, si quæ sunt dicit, uera prædicat, neque quicquam aduersus te mentitur. Ita, inquit Ctesippus. Verum qui hæc loquitur, ô Euthydeme, non ea quæ sunt dicit. Ad quem Euthydemus. Non existentia non sunt? Non, ait. Nusquam uero quæ non sunt, existentia sunt? Nusquam. Fieri' ne potest, ut aliquis circa ea quæ non sunt quicquam agat, ut illa faciat aliquis existentia nusquam? Nequaquam mihi uidetur, Ctesippus ait. Quum rhetores ad populum concionantur, nihil' ne agunt? Agunt aliquid. Si agunt, ergo & faciunt. Sequitur. Ergo ipsum dicere, agere est & facere. Consensit. Nullus igitur non existentia dicit. faceret namque aliquid: tu uero, inquit, confessus es impossibile esse, ut aliquis non existentia faciat. Quapropter secundum orationem tuam falsa nullus loquitur. Immo uero si loquitur Dionysodorus, uera & existentia loquitur. Sic Euthydeme est, Ctesippus inquit. Nam existentia quidem dicit, non tamen ita ut se habent dicit. Qui uero isthuc ais Ctesippe? Dionysodorus inquit. Sunt' ne qui res ipsas ut habent se dicant? Sunt certe, respondit ille, uiri boni præclari atque ueridici. Quid porrò? inquit ille, bona nónne bene se habent? mala contrà, male? Probauit. Bonos autem & præclaros uiros, inquit, fateris res ipsas sic, ut habent eloqui? Confiteor, inquit. Ergo boni uiri ô Ctesippe, male mala dicunt. siquidem ut sunt, enunciant. Maxime profecto, inquit, & de malis hominibus male. Quorum de numero ne sis, cauendum est tibi, si mihi credis, ne boni uiri male de te loquantur. Hic Euthydemus. Nunquid, inquit, & magnos magne, & calidos calide? Summopere, inquit Ctesippus. Et de frigidis frigide loquuntur, aiuntq; differere frigide. Ibi Dionysodorus, conuitiare Ctesippe, inquit, conuitiare. Non per louem Dionysodore, inquit: nam te diligo, immo & amice moneo, & persuadere contendo, ne adeo in nos inuehare, ut me dicas cupere eos perditos, quos habeo charissimos. Ego uero ut accẽsos intellexi, cum Ctesippo iocatus: decet, inquam, Ctesippe, ut mihi uidetur, ab his hospitibus quæ dant accipere, si modo impertire quicquam uelint, & non de nominibus altercari. Nam si ita perdere sciunt homines, ut è malis & imprudentibus probos prudentes' que faciant, seu ipsi perditionis eius inuentores sunt, seu ab alio didicerunt, ut pro malo homine restituere possint bonum. patet autem eos scire: dixerunt enim artem nuper sibi comparatam, qua bonos ex malis homines faciant. Si hoc, inquam, sciunt, permittamus utique ut sic adolescentulum perdant, modo sapientem efficiant, immo etiam nosipsos illis ita curandos tradamus. Quod si uos iuuenes reformidatis omnes, in me certe uelut Care quodam, artem suam pericliten tur. leuius seni discrimen est. Me igitur Dionysodoro huic, quasi Medeæ Colchidi, dedo, ut dissoluat, & si uelit elixet, uel aliud quodcunque exemplum in me ædat, modo uirum efficiat bonum. Ctesippus quoque, ego item, ô Socrates, inquit, hospitum uoluntati me-

ti meipſum committo: & ſi me magis etiam quàm nunc excoriare uelint, excorient, modo pellis mihi mea non in utrem, ut Marſyæ, ſed in uirtutem uertatur. Ac Dionyſodorus quidē hic ipſi me ſuccenſere putat. ego uero minime ſuccenſeo, ſed oppugno, quæ in me dixit non recte. Tu uero Dionyſodore, quod reclamo, ne conuitiū putes. Aliud eſt enim contradicere, aliud cōuitiari. Hic Dionyſodorus: Quæſo, inquit, num ita de contradicendo loqueris, ut contradicere omnino aliquid eſſe putes? Maxime quidem, inquit Cteſippus. An uero tu nō putas? Atqui nunquam, inquit Dionyſodorus, oſtendes, ubi alterum alteri audiueris contradicentem. Vera loqueris, inquit. Sed nunc audiamus ecquid Cteſippum tibi Dionyſodore contradicentem oſtendam. Hoc igitur, inquit, nobis promittis? Prorſus, inquit. Sunt ne, inquit, unaquaque de re ſermones rationesq; ? Sunt, inquit. Num ut eſt unaquæque res, an ut non eſt? Vt eſt, inquit. Si recordaris, inquit, Cteſippe, paulo ante monſtrauimus neminem quod non eſt dicere. Quod enim non eſt, nullū poſſe dicere conſtat. Quid tum, inquit Cteſippus. An prohibet, quo minus ego & tu contradicamus? Tum ille, Vtrum, inquit, contradiceremus, ſi eiuſdem utique rei rationem cogitemus? An non idem potius loqueremur? Conſenſit. An ſi neuter, inquit, quod res eſt dicat, contradicimus? an potius rem omnino non tenemus? Id quoq; admiſit. Num, inquit, cum ego quod res eſt dico, tu uero aliud dicis, tunc demum contradicimus? an potius cum ego quod res eſt, tu quod omnino res non eſt, dicis? Eritq; ut non dicens contradicat dicenti? Ad hæc Cteſippus obmutuit. Ego autem miratus quæ dicebātur: Qua, inquam, ratione iſtud Dionyſodore ais? Equidem cum ſermonem huiuſmodi ſępenumero è multis audiuerim, ſemper admirari ſoleo. hunc ſiquidē Protagoræ ſectatores, & his antiquiores, frequenter uſurpare conſueuerunt. Mihi uero ſemper mirabilis uiſus eſt, taliſq; qui & alios & ſeipſum peruertat. Reor autem ueritatem ipſius me nunc abs te potiſſimum auditurum. Num enim iſtud uult, ut falſa dicere impoſſibile ſit, oporteatq; illum qui loquitur, aut uera loqui, aut omnino non loqui? Aſſeruit. Vtrum falſa, inquam, loqui quidem impoſſibile eſt, opinari uero falſa poſſibile? Ne opinari quidem, inquit. Ergo nulla eſt, inquam, falſa opinio. Nulla prorſus. Neq; inſcitia, inquam, neque homines inſcij: quid enim non inſcitia ſit, ſiquidem falli rebus poſſibile eſt? Omnino, inquit. Iſtud autem non eſt, inquam. Non certe, reſpondit ille. Confabulandi ne gratia, ô Dionyſodore, hæc inducis, inquam, ut mirum aliquid inferas? An reuera nullus tibi hominum inſcius eſſe uidetur? Tu uero, inquit, refelle. An refelli quicquam poteſt, inquam, ſi ut tu dicis, mentiri nemo poteſt? Non poteſt, inquit Euthydemus: nec illud Dionyſodorus iuſſit, ut refelleres. quo enim pacto quis quod non eſt, iubeat? Ego uero Euthydeme, inquam, ſcita hæc atque præclara haud admodum ſanè diſco, ſed obiter attingo. Erit igitur oneroſum fortaſſe quod rogabo, ſed ignoſce obſecro. Vide amabo, ſi neque mētiri quiſquam poteſt, neq; opinari falſa, neq; inſcius eſſe, nemo etiam dum agit, aberrare quicquam poteſt. Neq; enim ab eo quod agat, aberret. Nunquid ita dicitis? Ita planè, inquit. Hæc eſt, inquam, grauis illa quæſtio. Si enim non erramus unquam, neq; agendo, neq; loquendo, neq; etiam cogitando, quidnam uos huc docturi ueniſtis? An non ſuprà prædicabatis, uos præ cęteris omnibus, optime poſſe uirtutem tradere unicuiq; uolenti? Vſqueadeo, ô Socrates, Cronus ille es, inquit Dionyſodorus, ut quæ à principio diximus, reminiſcaris nunc: & ſi quid ſuperiori anno dixerim, nunc quoq; ſis recordaturus: his autē quę in præſentia dicta ſunt, quid ſis reſponſurus, habes nihil. Quia difficilia ſunt, inquam, haud iniuria. Sunt enim à ſapientibus profecta. Equidem & ei quod poſtremo dixiſti, reſpondere difficillimum eſt. Cum enim dicis non habere me quod reſpondeam Dionyſodore, quid potiſſimum inferre uis? An uidelicet quod non habeam quo eam orationem conuincam? Dic enim quid aliud uerbum iſtud ſibi uult, quod non habeam quod orationibus iſtis per me reſpondeatur. Num tu aliud dicis, inquit, quàm difficile eſſe reſpondere? Nempe reſponde. An prius quàm tu reſpondeas, inquam, Dionyſodore? Quid, non reſpondes? ait. An par eſt? inquam. Par, inquit. Qua ratione? inquam. An fortè quia ad nos diſſerturus aduenis, noſtiq; quando reſpondendum ſit, quando non ſit, ideoq; nunc reſpondes nihil, quod reſpondere non decet? Ad hæc ille: Nugaris, inquit, ô Socrates, atq; reſpōdere negligis. Sed ô bone uir, obſequere, & reſponde ei quem ipſe ſapientem eſſe fateris. Parendū eſt, inquam; ſic enim decet, imperitanti. Interroga igitur.

Vtrum, inquit, animam habent, quæcunq; intelligunt aliquid? an & anima carent? Habent, inquã. Nosti ne, inquit, uerbum ullum aliquod animã habens? Nullũ ego profecto inquã. Cur itaq; nuper interrogabas, uerbũ quid sibi uellet? Nõ ob aliud, inq;, nisi ob ignauiam meam, quæ errare coegit. Fortasse uero non erraui, sed recte locutus sum, cum uerbis cogitationẽ tribuo. Tu uero utrum errasse me dicis, necne? Si enim non erraui, neq; tu nunc redargues, sis licet sapiens, nec habes quod opponas. Sin autem erraui, ne sic quidem recte tu loquere, quando dicis errare posse neminem. Atq; hęc quidem nõ aduersus illa quæ anno superiori dicebas, nunc adduco. Sed uidetur mihi, ô Dionysodore Euthydemeq;, sermo hic eodem reuolui: & nunc etiam, ut & quondã solebat fieri, cum deficiat cadere. Quod quidem ut ne ipsi accidat, ab illa arte uestra, licet circa acriorem sermonum diligẽtiam admirabili, nondũ uidetur esse prouisum. Hic Ctesippus, mira dicitis, inquit, ô uiri Thurij, siue Chij, seu quodcunq; aliud agnomen uendicare lubet: quibus delirare perinde est. Ego autem ueritus ne ad contumelias deueniretur, Ctesippum rursus sic mitigaui: Eadem tibi, inquam, ô Ctesippe, nunc dico quæ Cliniæ quoq; dicebam. Neseis enim quàm mirabilis sit horum hospitum sapientia. Nolunt autem nobis illam ostendere prorsus, sed Protei Ægyptij illius sophistæ more præstigijs quibusdã fallunt. Menelaum igitur imitemur, neq; mittamus antè quàm aperiant, quid animi gerant. Pulcherrimum enim quiddam exhibebunt puto, si uere proferant. Quapropter exhortemur, atq; uotis supplices exoremus, ut exhibeant. Sed exponendum rursus uidetur, qualem studiorũ formam ab illis requiram. Conabor hinc ubi suprà destitimus, continuare sermonem, si quo pacto eos prouocem, ut mei miserti, qui tam grauiter occupor, rem deinde serio tractẽt. Tu uero Clinia mihi dic, ubinam orationem abruperimus. nam, ut ego arbitror, hic hæsimus, ubi philosophandum esse confitebamur. nónne? Profecto, inquit. Philosophia uero scientiæ acquisitio est? inquam. Certe, inquit. Quam itaq; potissimũ adipisci scientiam decet? inquam. nónne, ut summatim dicã, illam quæ nobis prodest? Illam ipsam, inquit. An ea scientia maxime nobis prodesset, si sciremus quibus in terris aurum multũ effoditur? Vtiq;, inquit. Atqui dudum id confutauimus, quia nihilo magis prodesset scientia ista, etiam si absq; labore tellus effodiatur, aurum eruatur, uel etiam si in aurum omnia uertantur, dum uti auro nescimus, non recordaris? Recordor, inquit, ac maxime quidem. Neq; ulla ullius rei scientia, siue nummularia, siue medicina, siue quęcunq; alia utilis est, inquã, si facere tantum docet, uti autem non docet. Nónne? Ita prorsus, inquit. Adeò, inquam, ut siqua scientia immortales nos efficeret, uti uero immortalitate non doceat, inutilis sit prorsus, siqua superioribus fides est. Ita nobis hęc omnia uidebantur. Hac igitur, inquam, scientia ingenue puer opus est, in qua operis & effectio & usus conueniant. Apparet, inquit. Permultum igitur inter lyrarum fabros interest, & scientiam pulsandæ lyræ assequutos. Alia enim ars quæ facit, alia quæ utitur his rebus. Nam ars quæ fabricat lyram, & quę lyram pulsat, longe inter se differunt. an non? Sic est, inquit. Neq; rursus, inquam, tibiarum effectrice opus est. Ea siquidem ab illa quæ utitur, differt. Sanè, inquit. Num fortè, inquam, componendæ orationis quærenda facultas, ut beatus euadas? Non arbitror, inquit. Quænam te ratio mouet? inquam. Noui equidem, inquit, quosdam orationum autores, qui orationibus hisce quas condiderunt, uti perinde sciunt, ac lyris fabri lyrarũ, qui in aliorum usum lyras construxerunt, quas & qui illis utuntur, facere nesciunt. Constat similiter & circa orationes aliam esse artem quæ condit, aliam quæ conditis utitur. Euidentissimo argumento ostendisse uideris, inquam, artem illorum qui componunt orationes ad beatitudinem nequaquã sufficere. quanquam sperabam hoc in genere scientiam quam iam diu quærimus, inuenturos. Etenim isti orationum autores Clinia quoties appellaui supra mortales cæteros sapientes uidentur, ipsaq; eorum ars diuina penitus atque excelsa. Neq; mirum. Est enim incantatoriæ illius pars quædam illa haud multo inferior. Incantandi porrò facultas, uiperarum, aranearum, scorpionum, cæterarumq; ferarum, atque morborum mitigatio est. Oratoria uero iudicum, concionatorum, aliarumq; turbarum oblectamentum quoddam & delinitio. An uero tu aliter sentis? Non aliter, inquit: sed ita prorsus ut ais. Quò ergo nos uertemus? inquam, & quam ad artem? Ambigo, inquit. At ego inuenisse arbitror, inquam. Quam? Imperatoria ea potissimum uidetur, quæ beatum adipiscentem facit. Mihi uero non uidetur, inquit.

Quam

Quamobrẽ,inquã.Quia uenatoria quædam hominũ ars,inquit,esse uidetur. Quid tum? inquã.Quia nemo,inquit,uenator uenationis opus ulterius porrigit, ꝯ ad uestigandum capiendumq; :postꝯ comprehenderunt,uti nequeũt.sed & qui canibus uenantur, & qui piscantur,prædam coquis exhibent.Geometræ,item astronomi,logistæ, uenatores quidam sunt.neq; enim figuras descriptionesq; faciunt ipsi,sed cum sint,adinueniunt.Cum itaq; uti illis ipsi nesciant,uenentur aũt solum,quicunq; illorum mente capti non sunt,sua inuenta dialecticis præbent,ut illi his utãtur.Eia pulcherrime & sapientissime Clinia,inquam,sic est? Ita prorsus,inquit.Atq; eadem ratione duces exercitus,postꝯ uel urbẽ,uel exercitum occuparunt,uiris ciuilibus prædam & spolia tradunt.Nam ipsi his quæ cõprehenderunt,uti nesciunt,quemadmodum aucupes,qui postꝯ ceperunt coturnices,nutritoribus tribuunt.Si itaq; ea arte indiges,quæ uel faciẽdo,uel uenãdo quęsitis,uti nesciat, beatosq; efficit possidentes,aliam quærere ꝯ militarẽ oportet. CRIT.Quid ais ô Socrates? nunquid adolescẽtulus ille talia dixit? SOC.Non putas Crito? CRIT.Non per Iouẽ. nam reor illum,si talia dixit,neq; Euthydemi,neq; alterius cuiuslibet hominis disciplina ulterius indigere. SOC. Fortè uero Ctesippus hæc dixit, ego uero non memini. CRIT. Quis Ctesippus? SOC.Saltem hoc memini,neq; Euthydemum attulisse hæc.neq; Dionysodorum.Sed,ô beate Crito,suspicor præstantiorem quempiam uirum præsentem hæc dixisse.nam hæc me audiuisse non dubito. CRIT.Per Iouem,ô Socrates,excellentior aliquis ista protulisse uidetur. Verum post hæc quam tandem artem scrutati estis? Inuenistis ne quam quęrebatis? an non? SOC.Quæris an inuenerimus? Ridiculum quiddam accidit.Etenim puerorum more,qui galeritas siue alaudas insequunt̃, uehementi quodam affectu singulas sciẽtias persequebamur,ac semper quamcunq; capere nos è uestigio putabamus,fallebat nos,repente q; subterfugiebat.Quid enim multas enumerem? Regiam artem aggressi sumus,contemplati esset, nec ne quæ beatos faciat. Sed uelut in labyrinthum delapsi,dum prope finem esse iam sperabamus,retrogressi ad principium rursus reuertebamur,eodem modo affecti quo principio disputatiõis eramus. CRIT. Quo pacto hoc accidit? SOC.Dicam.uisa nobis regia facultas est eadem esse cum ciuili. CRIT. Qui nam? SOC. Cum res militaris ac facultates omnes reliquæ,operum suorum imperium ciuili arti submittere uiderentur,utpote quæ sola uti sciat,nihil nobis impedimẽto fore putauimus,quo minus hæc esset quam quęrebamus,causa recte rempublicam administrandi,& secundum illud Æschyli,puppi sola ciuitatis præsidens, & gubernacula totius tenens,omnibus dominans,omnia utilia reddens. CRIT.An non recte uisum uobis est Socrates? SOC. Ipse iudicabis Crito,si audias quæ deinceps contigerũt. Rursus enim hunc in modum quærebamus.Age,ars illa regia omnibus præsidens,opus aliquod efficit, an non? Omnino aliquod, consensimus omnes. Nónne enim & tu hæc Crito concederes? CRIT.Absq; dubio. SOC.Quod ergo illius opus esse diceres? Vt si te rogem, Medicina dum dominatur omnibus quorum domina est,quod nam opus exhibet? An non sanitatem protinus respondêres? CRIT.Vtiq;. SOC.Agricultura item uestra,dum omnibus quorum est domina dominatur,quod opus facit? Alimentum è terra porrigit, inquies? CRIT,Equidem. SOC.Regia igitur facultas,cum omnibus quorum est domina domine tur,quod opus explet? Fortè non est in promptu. CRIT. Non Hercle ô Socrates. SOC. Neq; nobis ô Crito,sed hoc saltem nosti,si hæc ea est quam exoptamus,utilem esse oportere. CRIT.Summopere. SOC. Nónne igitur boni aliquid afferre nobis eam necesse est? CRIT. Est omnino. SOC. Bonum autem nihil esse aliud quàm scientiam quandam,ego & Clinias consensimus. CRIT.Ita certe dicebas. SOC.Opera uero ciuilis quidem gubernationis,cum multa alia hæc esse uel maxime unusquisq; fateatur, diuites facere ciues,liberos & concordes.Hæc autem omnia neq; bona,neq; mala apparuerunt. Oportet autem eam ut cõstitit,sapientes efficere,scientiamq; tribuere,si modo ea futura sit quæ prosit & beatos efficiat. CRIT. Vera narras.Sic enim tunc inter uos constitit, ut ipse recensuisti. SOC.Nunquid regia disciplina sapientes homines bonosq; facit? CRIT.Quid prohibet Socrates? SOC.Num & omnes,& in omnibus bonos,omnemq; scientiam ipsa præbet? coriariã,fabrilem,& reliquas uniuersas? CRIT.Haud equidem arbitror, ô Socrates. SOC.At quam scientiam? & in qua re iuuabimur? Operũ quidem illorum quę neq; bona sunt,neq; mala,opificem ipsam esse haud oportet.Scientiam uero aliam præbere nullam

quàm

quàm ipſam ſeipſam decet. Dicamus igitur quænã hæc ſit, & à quo iuuemur. Vis ne eam dicamus ô Crito, qua bonos facere cæteros poſſumus? CRIT. Volo equidẽ. SOC. Boni quò conducent? quóue utiles erunt? an dicemus quod alios faciẽt bonos? & illiſpſi alios item? quo aũt boni ſint, nuſquã apparent, poſtq; illa quæ ciuilis artis opera dicunt, reiecimus? planecq; quod prouerbio dicitur, louis Corinthus accidit, atq; ut ſuprà dixerã, æquo Prouerbiũ interuallo, imò etiam longiori q̃ antea ab eius artis inuentione diſtamus, quæ præſtare nobis beatitudinẽ ualeat. CRIT. Per louẽ ô Socrates, in ambiguitatẽ plurimã incidiſſe uidemini. SOC. Ego quidem ô Crito, cum in hanc dubitationem merſus eſſem, q̃ alta potui uoce protinus exclamaui, hoſpites illos tanq; Caſtorem & Pollucem louis filios ſupplíciter obſecrãs, ut nos, me ſcilicet & adoleſcentulũ ipſum è turbulenta fluctuatione ſermonum eriperent, iocisq; omiſſis, ſeria diſputandi ratione nobis oſtenderẽt quæ potiſſimum ſcientia ſit, quam adepti quod uitæ ſupereſt, feliciter tranſigamus. CRIT. Nunquid monſtrare uobis Euthydemus uoluit? SOC. Quid ni? Magnifice nimiũ ô amice, hunc in modũ affari cœpit. Vtrum te, ô Socrates, hanc quã iampridẽ quæritis ſcientiam, doceam? inquit, an habere ipſam te oſtendã? O beate uir, inquã, nũquid hoc potes? Valde, inquit. Oſtẽde igit, inq;, me habere. facilius enim mihi iſtud, q̃ denuo hac in ætate diſcere. Dic age, inquit, ſcis ne quicq;? Scio equidem multa, inquã, ſed parua. Sufficit, inquit. putasne aliquid eorum quæ ſunt, idipſum quod eſt, non eſſe? Nullo pacto, inq;. An nõ ſcire te aliquid aſſeris? inquit. Profecto. An nõ es ſciẽs, ſi modo ſcis? Sum equidem, ſed illius ipſius quod ſcio. Nihil refert, inquit. Non neceſſe eſt ſcire te omnia, ſiqua eorum quæ ſunt ſcis. Non per louem, inq;, quandoquidem & alia multa minime ſcio. Si quid neſcis, inquit, es neſcius? Illius ipſius, inquã, ô amice, quod neſcio. Nihilominus neſcius es, inquit, qui paulo ante ſcium te eſſe prædicabas. Atq; ita fit, ut ille ipſe ſis qui & es, & rurſus nõ ſis, ſimul & ſecundum eadem. Eſto, inquam, Euthydeme. Nam, ut prouerbio fertur, Belle omnia Prouerbiũ dicis. qua igitur ratione, ſcientiam illam quam quærimus, habeo? quia uidelicet impoſſibile eſt, eſſe idem atq; nõ eſſe. Vnde ſi unum quiddã ſcio, cuncta ſcio. neq; enim eſſe poſſum ſcius ſimul & neſcius. quod ſi omnia ſcio, illam quoq; ſcientiam habeo. An nõ ita loquetis? & hoc eſt illud ſapiẽs? Ipſe te redarguis, inquit, Socrates. Quid uero Euthydeme tibi, inquam, nónne idem contigit? nam mihi quidem non multũ moleſtum eſt, quod & tecum unà & cum Dionyſodoro hoc lepido capite patiar. Dic mihi, nónne & uos quædam ſcitis, quædam neſcitis? Minime quidem, ô Socrates, Dionyſdorus inquit. Quid dicitis, inquam, an nihil ſcitis? Immo ſcimus, inquit. Omnia itaq; ſcitis, ſi aliquid ſcitis. Omnia certe, & tu quoq; ſcis omnia, ſi unum aliquid ſcis. Prò Iupiter, inq;, mirabile dictu, & ingens hoc bonum. Num & cæteri omnes ſciunt omnia? uel nihil? Non enim dicendum uidetur, ſcire eos aliqua, neſcire alia, atq; ita ſciẽtes eſſe ſimul & neſcientes. Quid ergo dicemus? Omnes, inquit, planè ſcire omnia, ſiquid unum ſciunt. Dij boni, inq;, nũc demum Dionyſodore ſerio loqui mihi uidemini, & uix tandem ut ſerio ageretis, nũc impetraui. Ipſi reuera ſcitis omnia? & fabrilẽ uidelicet artẽ & coriariã? Omnia prorſus, inquit. Numquid & neruis ſuere ſcitis? Certe, inquit, & calceos quidem. An, inquam, & ſtellarum numerum, & arenæ? Et iſta, inquit. Putas nos iſta concedere, inquã? Hic Cteſippus reſpondens: Coniecturam, inquit, ô Dionyſodore, nobis aliquam talem adducite, qua uos uera loqui cõijciamus. Qualem? inquit. Scis, inquit, quot dentes Euthydemus habet? atq; Euthydemus quot tu habeas cognoſcit? Nõ tibi ſat eſt, inquit, quod omnia ſcimus, audiſſe? Minime, inquit, ſed unum hoc tantũ nobis oſtendite, quod uera loquamini. Nam ſi dixeritis quot dentes habet uterq;, nobisq; poſtea numerantibus, uera dixiſſe deprehendemini, cætera quoq; uobis credimus. Illi uero cum mordere Cteſippum exiſtimarent, reſpondere aliud noluerunt, niſi quod ſcirent omnia, de ſingulis à Cteſippo interrogati. Cteſippus ſiquidem aperte de unaquaq; re, uel minimis quibuſque etiam turpiſſimis ſciſcitatus eſt, num ſcirent, quòd fidem illis non haberet. Illi autem forti animo pariter cõtrà reſpondérunt ſe omnia intelligere, inſtar aprorum qui contra ictum nituntur. Quamobrem ipſe quoq; ô Crito, coactus ſum deniq; Euthydemum interrogare, an etiam ſaltare Dionyſodorus ſciret. Ille uero conſenſit. Non tamen, inquam, ſuper enſes humi inclinato capite trãſilire, & ſuper rotã uolui, tã grandis natu. Eo' ne ſapientiæ promouit? Nihil eſt, inquit, quod neſciat. Tum ego: Num omnia nũc duntaxat cognoſcitis? an & ſemper? Et ſemper.

Num

Num à tenera ætate ſtatimq; nati omnia cognouiſtis? Omnia, reſponderunt ſimul uterq;. Nobis utiq; res incredibilis uiſa eſt. Tunc Euthydemus, Non credis, ô Socrates? Excepto hoc inq;, quod ueriſimile eſt uos ſapientes eſſe. At ſi mihi uoles reſpondere, inquit, oſtendam te quoq; hæc mirabilia confitentem. Gratiſſimum ſit, ſi huius me conuincas: ſi enim cum eſſem ſapiens, neſciui hactenus, tuq; oſtendes, & ſcire me omnia, & ſciuiſſe ſemper, quod maius in uita lucrum nanciſci poſſem? Reſponde iam, inquit. Tanquam reſponſurum, inquã, interroga. Nunquid alicuius ſcius, inquit, es ô Socrates, an nullius? Alicuius, inquam. An eodem ſcis quo ſcius es, an alio quopiam? Quo ſcius ſum. Arbitror enim te animam dicere. Hanc ne intelligis? Nónne te pudet, inquit, ô Socrates, dum interrogaris uiciſſim interrogare? At quid faciam, inquam? Faciam equidem utcunque iuſſeris, cum quod quæris, ignorem. Iubes autem ut reſpondeam quidem, non interrogem. Cogitásne quoquo modo, inquit, id quod quæro? Equidem, inquam. Ad iſtud ergo reſponde quod cogitas. Quid, inquam, ſi tu alia mente interroges, alia ego reſpõdeam, cum aliud quàm tu conceperim, ſatis ne tibi factum putabis, ſi nihil ad rem ipſam reſpondero? Mihi quidem ſat erit, inquit, tibi non, ut arbitror. Tum ego, Per Iouẽ non prius reſpondebo quàm audiam. Non reſpondes, inquit, ad ea ſemper quæ mente concipis: quia nugaris Socrates, & rudior es admodum quàm oportet. Agnoui tunc illum mihi iam ſubiratum, quòd uerba quibus me irretire ſtudebat, diſtinguerem. Venit mihi præterea in mentem Conni, qui ipſe quoque ſæpe mihi indignatur, quotiens ei non cedo: deinde me ſpernit uelut rudem. Poſtquam igitur cogitaui horum doctrinæ me tradere, arbitratus ſum obſequi oportere, ne quis eorum me ut ineptum & indocilem reſpuat. Quocirca & illi inquam, ſi tibi ita Euthydeme uidetur agendum, ita agatur. Tu namque me multo melius diſputandi rationem intelligis, cum artem hanc teneas, ego uero ſim rudis. Ideoq; interroga iterum ab initio. Reſponde rurſus, inquit. Vtrum ſcis aliquo quæ ſcis, an nullo? Anima, inquam. Hic, ait ille, plus quàm rogatus, reſpondet. Non interrogo quo ſcias, ſed utrũ ſcias aliquo, necne. Ego ad hæc: Plus quàm decebat propter imperitiam meam reſpondi. Sed ignoſce mihi obſecro. Reſpondebo iam nunc ſimpliciter, quòd ſcio aliquo ſemper quæcunq; ſcio. Vtrum, ait, hoc eodem ſemper, an tum hoc, tum alio? Semper, inquam, quando ſcio hoc ſcio. Hic ille. Nondum præuaricari deſinis? Ne fortè, inquam, id quod ſemper dicitur, nos falleret, ita reſpondi. Non nos, inquit, dicas, ſed te. Sed reſponde, utrum ſemper hoc ſcias. Semper, inquã, poſtquam ipſum quando, oportet ſubtrahere. Nónne ſemper hoc ſcis? ſemper autem ſciens utrum aliqua hoc ſcias quo ſcis, aliqua alio: uel hoc ipſo omnia? Hoc, inquam cuncta quæcunque ſcio. Hic rurſus tranſgrederis Socrates. Excipiatur, inquam, quod dictum eſt, quæcunque ſcio. Vt excipias, inquit, nihil poſtulo, imò reſponde, poſſes ne omnia ſcire, niſi ſcires omnia? Monſtrum eſſet hoc, inquam. Adijce nunc iam ait, quicquid lubet. Cuncta namq; ſcire fateris. Sic uideor, inquam, poſtquam nullius momenti eſt quod dicitur, quæcunque ſcio, omnia autem ſcio. Nónne & ſemper confeſſus es ſcire hoc quo ſcis? ſiue quando ſcis, ſeu quomodocunque placet. Semper enim ſcire es confeſſus, ac omnia ſimul. Conſtat ergo quod puer ſciebas, & quando genitus es, & quando natus, imò & antequam naſcereris, & ante cœli terræq; ortum ſciſti omnia, ſi modo ſemper ſcis. ac per Iouem ſemper ſcies, & omnia, ſi uoluero. At uoles, inquã, honorande nimium Euthydeme, ſiquidem omnino uera dicis. Sed poſſe te non multum confido, niſi idem tecum uelit frater iſte tuus Dionyſodorus. ſic enim fortè ualebis. Dicite porrò. Cætera quomodo uobis non concedam, neſcio, tam mirabili atque noua ſapientia præditi eſtis, quo minus ego omnia ſciam, quãdoquidem uos aſſeritis. Talia quædam qua ratione ſcire me dicam Euthydeme? quod uidelicet boni uiri iniuſti ſint. Dic enim mihi, ſcio ne iſtud, an neſcio? Scis utiq;, inquit. Quid, inquam. Quod uiri boni iniuſti non ſunt. Iampridem ſciebam hoc, inquam. Verum non iſtud quæro, ſed quod iniuſti ſunt uiri boni, quando didici? Nuſquam, Dionyſodorus ait. Non ergo, inquam, hoc ſcio. Tunc Euthydemus ad Dionyſodorum conuerſus ait: Sermonem deſtruis, apparebitq; iſte ſi ne ſciat, ſciens ſimul & neſciens. Dionyſodorus quidem erubuit, ſed ego. Tu uero quid ais Euthydeme? non uidetur tibi frater tuus uera loqui, quum nouerit omnia? Frater ego ſum Euthydemi, Dionyſodorus ait. Mitte iſthæc, inquam, ô bone uir, dum me Euthydemus doceat, quod ſciam uiros bonos iniuſtos eſſe, neq; hanc mihi doctrinam inuideas.

Fugis

Fugis ô Socrates, ait Dionysodorus, neq; uis respõdere. Non iniuria, inquam, fugio: nam cum alterutro uestrum sim imbecillior, cur non duos fugiam? Hercule quidẽ multo sum imbecillior, qui pugnare simul nõ ualuit aduersus hydram sophisticã, cui propter sapientiam pro uno sermonis capite amputato, multa repullulabant, ac etiã aduersus cancrum sophistam quendam ex mari aduentantem, & nuper, ut arbitror, aduectum naui: à quo cum Hercules ad sinistram angeretur, uerbisq; acriter morderetur, nepotis sui Iolai auxilium implorauit, qui summopere illi succurrit: meus aũt Iolaus Patrocles si uenerit, longe aliter faciet. Respõde autem, inquit Dionysodorus, postquã ipse hæc prædicas, utrũ Iolaus Herculis magis nepos q; tuus fuerit. Operæprecium fore arbitror, ut tibi respondeam Dionysodore. Neq; enim desineres sciscitari, & propter inuidiam quandam interturbare, ne Euthydemus sapiens illud me doceat. Respõde igitur, inquit. Respõdeo, inquam, Iolaum Herculis nepotem fuisse: meum autem, ut uidetur, nequaq;. Neq; enim pater ipsi Patrocles fuit frater meus, sed aliquis nomine proximus Iphicles Herculis frater. Patrocles autem, inquit, tuus? Nimirum, inquam, sed ex matre eadem, non patre. Frater ergo tibi est, inquit, & non frater. Non eodem ex patre, inquã, uir optime. Illius enim pater Chæredemus, Sophroniscus autem meus. Pater autẽ, inquit, erat Sophroniscus atq; Chæredemus? Omnino, ille meus, hic suus. Nónne Chæredemus alius quàm pater erat? Alius scilicet q; pater meus. Nunquid pater erat, cum alius quàm pater esset? an tu idem es quod lapis? Verebar, inquã, ne idem te asserente uiderer. Mihi uero nõ uideor. Nónne igitur alius es quàm lapis? Alius certe. Quòd si alius es quàm lapis, non es lapis. Et si alius q; aurum, nõ es aurum. Sic est, inquam. An nõ eadem ratione Chæredemus quum alius sit quàm pater, pater non erit? Videtur, inquã, non esse pater. Ad hæc Euthydemus adiecit: Haud pater est Chæredemus: rursusq; & Sophroniscus cum alius sit q; pater, non est pater. quapropter sine patre es ô Socrates. Sermonem uero suscipiens Ctesippus, intulit. Pater autem uester cum eadem sibi contigerint, alius est quàm pater meus. Longe abest Euthydemus ait. Num idem? Idem sanè. Non consentirem. Sed utrum meus Euthydeme pater est duntaxat, an & cæterorum hominum? Et cæterorum insuper. Nunquid putas eundem hominem patrem existentem non esse patrem? Putaram equidem, Ctesippus inquit. An & aurum, inquit, aurum existens, nõ esse aurum? & hominem existentem hominem non esse? Tum Ctesippus, non ut fert, Euthydeme, línũ líno connectis. Rem grauem dicis, si pater tuus, pater est omnium. Est tamen. Vtrum hominum duntaxat, an equorum etiam cæterorumq; animalium omnium? Omnium prorsus. An & mater tua, mater omnium? Et mater. Ergo tua mater echinorum marinorũ mater est. Et tua, inquit. Et tu rursus frater es gobiorum, catulorum & porcellorũ. Et tu, inquit. Quinetiam tibi pater est canis. Et tibi insuper. Hic Dionysodorus. Si mihi respondere Ctesippe uolueris, faciam ut ista cõcedas. Dic age, est tibi canis? Et molestus admodum canis, Ctesippus ait. Habet catulos? Tales habet multos. An nõ illorum pater est canis? Prorsus. Signa namq; uidi ex quibus illorum patrem esse conĵcio. Nónne tuus est canis? Est. Nónne igitur pater existens, tuus est? Quare tuus pater fit canis, tuq; catulorũ frater. Sed nequid Ctesippus puer obĵceret, repente adiecit Dionysodorus. Paulum quid ultra responde. Canem hunc uerberas? Arridens Ctesippus ait, uerbero, te autem nequeo. An non igitur tuum patrem uerberas? Longe, respondit, iustius esset ut patrem uestrum uerberarem, qui disciplinam quandã adeptus, adeo sapientes filios genuit. Sed nunquid ô Euthydeme, multa bona ex uestra sapientia uester & catulorum pater est consequutus. Neque ille bonis multis indiget ô Ctesippe, neq; tu. Neq; tu etiam Euthydeme, neq; alius quisquam hominum, inquit. Dic etenim Ctesippe mihi, utrum bonum esse censeas, uel ægrotãti pharmacum bibere quando indiget, an non? uel homini pugnaturo bonum esse ut armatus prodeat, an inermis? Arbitror equidem, inquit. nempe expecto aliquid abs te egregium. Ipse uidebis optime, inquit. Verum responde, postquã confessus es bonũ esse, quando res postulat, pharmacum bibere, nunquid hoc bonum quamplurimum oportet bibere? optimumq; erit si quis terat, & infundat poculo hellebori tantum quantum curru aliquo uehitur? Prorsus ita, Ctesippus ait, si tantus sit qui bibiturus est, quanta est statua Delphica. Nónne similiter & in bello, inquit, si bonum est armis fulciri, plurima arma habẽda sunt, iaculorumq; & clypeorum circumferenda est farcina? quandoquidẽ id bonum est. Et maxime

Hercules aduersus hydrã sophisticam & cancrũ sophistã

Prouerbiũ

xime quidem, Cteſippus ait. Tu uero nō putas Euthydeme, ſed unum duntaxat iaculum eſſe ferendum? Equidem inquit. Ita Geryonem, inquit, Briareumq; armares? ego autem putaui robuſtiorē te eſſe, ſociumq; ſimiliter iſtum, utpote uiros armigeros. Euthydemus quidem tacuit. Dionyſodorus autem aduerſus ea quæ primum Cteſippus reſpōderat, intulit: Bonum tibi eſſe uidetur aurum habere? Valde quidem, reſpondit Cteſippus. An non & habere pecunias ſemper atq; ubiq;? Maxime inquit. Nónne bonum eſſe aurū confiteris? Confeſſi iam ſumus. Semper ipſum habere, & ubiq; oportet, & in ſeipſo quàm maxime? beatiſſimus is eſſet, qui tria auri talenta in uentre haberet, talentum unum ſub capitis oſſe, ſtaterem autem, id eſt nummum quendam, & pondus auri utriſq; in oculis? Ferunt, inquit Cteſippus, ô Euthydeme, apud Scythas eos feliciſſimos optimosq; uiros eſſe, qui in ſui capitis oſſibus aurum multum continēt, quemadmodū tu pauloante canem dicebas patrem. Quodq; magis eſt mirum, ſuis ex capitibus deauratis bibunt, & hæc introſpiciunt uerticē frontemq; ſuam manibus attollentes. Ad hæc Euthydemus. Vtrum Cteſippe uident & Scythæ, & cæteri homines quæ poſſunt uidere, uel quę non poſſunt? Quæ poſſunt plane. Nōne & tu? Et ego ſimiliter. Viden noſtras ueſtes? Video. Poſſunt igitur hæ uidere. Mirifice, Cteſippus ait. Quid porrò? inquit. Nihil. Ipſe uero non putas has uidere? uſqueadeò iucundus es uir? Videris mihi Euthydeme quodāmodo extra ſomnum obdormiſſe, poſſeq; te puto dicentem nihil dicere. Et tu hoc facere uideris. Nunquid impoſſibile eſt, Dionyſodorus ait, tacentem dicere? Impoſſibile, Cteſippus inquit. Dicentē uero tacere? Poſſibile multo minus. Quando igitur lapidem dicis, nonne tacentem dicis? Et quando lignum & ferrum ſimiliter? Haud ſilere tibi ferrea concedam, Cteſippus ait. nam ſi quis pulſet, ſonare illa quidem, & reboare dicuntur. Quare q̄ nihil dicas propter ſapientiam, hic non ſatis animaduertiſti. Sed quod reſtat, oſtēdite, poſſibile uidelicet eſſe, dicentem tacere. Certe mihi uiſus eſt tunc uehementer Cteſippus propter amicum contendere. Quando ſiles, inquit Euthydemus, nōnne omnia ſiles? Equidem. Nónne & rem quamlibet dicentem ſiles? ſiquidem illa quæ dicunt, in numero omniū computantur. Quid uero? interrogauit Cteſippus, non ſilent omnia? Non, ait Euthydemus. An loquuntur omnia uir optime? Immo certe, quæ loquuntur. Non iſtud quærebam, inquit, ſed utrum omnia ſileant uel loquantur. Tunc ſubripiens ſermonem Dionyſodorus ait, Neutra & utraq;. Certe enim ſcio te quid huic reſpōſioni obijcias, ignoraturum. Statim Cteſippus, ut ſolet, effuſus in riſum clamauit. O Euthydeme, tuus frater iam non amplius utrinq; orationem transferet, ſe prodidit & uictus eſt. Clinias quoq; admodum delectatus arriſit. Quare Cteſippus geſtiens longius q̄ in decuplum lætitia creuit. Viſus autē mihi eſt Cteſippus hæc ipſa illis ſeductione quadā per aſtutiam extorſiſſe. Neq; enim ſapiētia talis apud alios eſt noſtri temporis homines. Poſt hæc ego. Quid, inquam, rides ò Clinia, in rebus tam ſerijs, tamq; pulchris? Sed ad me conuerſus Dionyſodorus, Tu uero aliquando rem pulchram uidiſti Socrates? Multas equidem Dionyſodore. Nunquid alias q̄ ipſum pulchrum? an eaſdem? Ego uero paſſim hæſitaui, inquam, nec iniuria me id perpeſſum fuiſſe ſum arbitratus, quippe qui tacere diutius non potuerim. Simul autē reſpondi alias eſſe quàm ipſum pulchrum, pulchritudinē tamen ſingulis quādam adeſſe. Si tibi adſit bos, inquit, nunquid ipſe bos eris? et quia ego tibi nūc adſum, Dionyſodorus es? Bona, inquam, uerba quæſo. Sed ille, Quo pacto alterum adeſt alteri, cum alterum ſit, & alterum? Nunquid tu, inquā, de hoc dubitas? Nempe iam illorum imitari ſapientiam contendebam, utpote cupiditate illius accenſus. Cur non dubitē, inquit, & ego, & cæteri omnes de eo quod nequaq; exiſtit? Quid ais Dionyſodore? nónne pulchrum pulchrum eſt, turpe ue, turpe? Si mihi uideatur inquit. Nónne uidetur? Prorſus inquit. Nónne & idem, idem eſt inquā, & alterum ſimiliter alterum? non tamen quod eſt alterum idem? At ego nec puerum quidē ſuſpicari hoc arbitrabar, quin quod alterum eſt, ſit alterum. Verum ô Dionyſodore, ſponte id omiſiſti. Videmini autem mihi tanquā artifices quibus cōuenit peragere ſingula, diſputādi rationem decore tranſigere atq; tradere. Noſtin, inquit, quid ſingulis opificibus peragere cōueniat? Principio quidē ſcis quem deceat ære cudere? Fabrum, inquam, ærarium. Quem uero luto fingere? Figulum. Quem rurſus iugulare atq; excoriare, & in fruſta inciſas carnes aſſare, uel elixare? Coquum. Nónne quiſquis conuenientia facit, recte facit? Maxime inquam. Conuenit autem, ut ais, coquum inquit, con

cidere & excoriare. Concessisti hæc, nec'ne? Concessi, inquam, sed ignosce precor. Constat igitur inquit, si quis iugulans & incidens coquum elixet asset'ue, conuenientia facere. Quinetiam si quis fabrum ærarium ære cudat, & figulũ fingat, decentia similiter operabitur. O Neptune inquam, iam sapiẽtiæ illi uestræ colophonem imposuisti. Nunquid ista mihi quandoque sic aderit ut propria fiat? Cognosceres'ne, inquit, ipsam ô Socrates, propriam iam effectam? Si ipse uelis, inquam, ego quidem. Quid porrò, inquit, tua putas cognoscere? Equidem, inquam, nisi fortè tu aliud dixeris. Abs te namq; oportet incipere, in hunc autem Euthydemum desinere. An nõ tua illa esse putas, inquit, quorum es dominus? tibiq; uti arbitratu tuo licet, ut boues & oues? hæc'ne tua existimas, quæ uendere potes atq; largiri, & cui uis deorum uouere? quæ uero non potes, non tua? Ego uero arbitratus præclaram aliquam inde quæstionem exoriturum, & audiendi auiditate protinus inflammatus, prorsus ita est inquam. talia nempe quædam mea sunt. Nunquid animalia, inquit, nominas illa quæ animam habent? Illa ipsa inquam. Fateris igitur ex animalibus illa duntaxat esse tua circa quæ potes hæc omnia facere, quæ modo dicebam? Fateor inquam. Hic ille ironice admodum seipsum continuit, quasi magnum quiddam contẽplaturus, deinde ait. Dic age mihi ô Socrates. Est'ne tibi Iupiter patrius? Atqui ego suspicatus eò rediturum esse sermonem quò deuenit, et per ambiguum quoddam diuerticulum secedens, rete quo uelut implicitus iam eram, effugi respondiq;, Non est ô Dionysodore. Miser, inquit, homo es, neq; Athenienſis, cui neq; dij patrij sunt, neque sacra, neque aliud quicquam preclarum atq; magnificum. Mitte inquam, ista Dionysodore, ne male omineris, neq; acriter erudias. Sunt enim mihi & aræ, & sacra domestica patriaq;, & alia quæcunque id genus Athenienſibus adsunt. Cæteris, inquit Athenienſibus, est patrius Iupiter? Non est inquam, apud Ionas talis cognatio, neq; apud eos qui hac ex urbe manarunt, neque apud nos, sed Apollo patrius propter Ionis genituram. Iupiter autem nobis patrius non uocatur, protector urbis tamen & curator tribus est dictus, & tribus curatrix Minerua. Sat est, inquit Dionysodorus. Est enim tibi, ut uidetur, Apollo Iupiter & Minerua. Omnino. An non tui isti erunt dij? progenitores uidelicet, atq; domini? Nónne tui? An non tuos esse confessus es? Confessus sum, inquã. quid tum? Nónne animalia isti dij sunt inquit? Concessisti porrò quæcunq; animam habent, animalia esse: isti uero dij non habent animam? Habent utiq;, inquam. Sunt igitur animalia? Sunt certe. Ex animalibus autem illa tua esse dicebas, quorum apud te esset potestas, ut pro arbitrio uenderes, largireris, dijsq; dicares. Recusare Euthydeme non possum, quin ista concesserim. Statim ille sic intulit: postquam tuum esse Iouem, tuosq; esse & alios fateris deos, licet'ne tibi uendere illos atq; largiri, & pro libidine tua ut animalia cætera quæ tua sunt, tractare? Ego igitur Crito tanquam sermone percussus, obmutui. Ctesippus autem succurrere mihi conatus ait, Papæ, prò Hercules, præclarum sermonem. Ad quem Dionysodorus. Vtrum Hercules papæus est, an papæus Hercules? Tunc Ctesippus ait, Prò Neptune, fortes durosq; sermones. Desisto iam. Inexpugnabiles uiri sunt. Hic profecto amice Crito, nullus præsentium cõtinere ultra se potuit, quin illorum orationem laudibus summis extolleret: & hospites illi Dionysodorus Euthydemusq; risu, strepitu & lætitia exultantes gestiẽtesq; fermè resoluti sunt. In superioribus namq; dum singula proferebantur soli eorum sectatores protinus applaudebant. Hic autem penè ipsæ quoq; Lycæi columnæ cõclamare plaudere, gestireq; uidebantur. Ego quidem sic affectus fui ut assererem, nullos unquam homines pari sapientia me uidisse. Atqui & illorum sapientiæ penitus mancipatus laudare illos & celebrare summopere cœpi. O uiri, inquam, ob miras dotes naturę beati: quippe qui rem tantam tam facile, tamq; breui tempore absoluistis. Multa quidem & alia sunt in uestris sermonibus Euthydeme Dionysodoreq; præclara, in quibus id præcipue magnificum est, quod nulla uobis cura est, aut uulgi, aut etiam illustrium hominum: sed similium duntaxat. Equidem certo scio, paucos esse qui id genus sermonũ diligant, & eos quidem uobis similes, cæteri autem sic illos ignorant spernuntq;, ut erubescant uehementius, si cæteros illis conuincant, quàm si ipsi ab alijs conuincantur. Hoc præterea populare & mansuetum uestri sermones habent: quod quum dicitis rem nullam bonam esse uel malam, neq; albam, neq; aliud quicquam talium, neq; omnino aliquid ab alijs aliud: reuera quemadmodum gloriamini hominum ora planè obstruitis. Quia uero non aliorum tantum

tum ora,ſed ueſtra inſuper,gratioſa res eſt:& ſermonis odium offenſionemq; audiẽtium deuitatis.Maximum uero hoc eſt,quod hæc uſqueadeò uobis artificioſe ſunt adinuenta atq; inſtituta,ut breui cuilibet tradere ualeatis.Cognoui equidem, & Cteſippo mentem adhibeo,cõſideroq; quàm ſubito imitari uos cœperit.Huius rei myſterium quàm ociſſime docere poſſe præclarum eſt,neq; tamen operæprecium fore uidetur,ut coram multis hominibus diſſeratis:immo uero,ſi mihi credideritis,cauebitis prorſus ne in multorũ cœtu loquamini:ne forte quamprimum iſta percipientes,gratias nequaquã habeant.Iſta igitur inter uos tantum inuicem communicate,neq; alius quiſquam ea niſi argẽto expoſito audiat.Idem quoq; ſi ſapitis,ueſtris diſcipulis conſuletis, ne unquam cum alijs quàm ſecum atq; uobiſcum de his loquantur. Quod enim rarum Euthydeme, id honorandum. Aqua enim uiliſſimo precio emitur,cum res ſit natura precioſiſſima,ut ait Pindarus.Sed agite,inquam, Cliniam hũc meq; ſuſcipite.Cum hæc ô Crito, & alia quædam breuia diſſeruiſſemus,abiuimus.Delibera igitur qui mecum unà ad hos uiros accedas. Nam pollicentur omnes ſe docturos,quicunq; argẽtum dare parati ſunt neq; ingenium ullum uel ætatem excipiunt.Quod uero tibi maxime audire expedit, aiunt nihil cumulandæ pecuniæ ſtudium prohibere quo minus quiuis ſapientiam illorum facile percipere poſſit.

CRIT.Equidem ô Socrates,audiendi cupidus ſum,& libentiſſime diſcerem. Videor tamen & ipſe eorum unus eſſe qui Euthydemi ſimiles non ſunt,ſed illorum potius quos tu pauloante dicebas,qui captiunculis huiuſcemodi redargui malunt ab alijs,quàm alios redarguere.Enimuero ridiculus eſſem,ſi admonere te pergerẽ.Nihil tamen prohibet quæ exijs qui cœtu ſoluto à uobis diſceſſerunt, audiui, tibi nunc referre. Deambulanti mihi obuius factus eorum quiſpiam qui in iudicialibus cauſis excellere plurimum æſtimãtur: O Crito,inquit,nihil ex iſtis ſapientibus audiuiſti? Nihil per Iouem,inquã. Audire enim me affectantem frequens turba tumultuſq; prohibuit.Res tamen,inquit, auditu digna. Cur,inquam? Vt audiſſes eos homines diſputantes,qui in hoc ſermonum genere cęteris præſtant.Ad hũc ego.Quid tibi uiſum eſt inquam? Quid aliud,inquit ille,quam quę ſemper exijs hominibus audiuntur,dum nugãtur,ac de rebus nullius momẽti indigno quodam ſtudio inuicem altercantur? nominatim hac oratione eſt uſus.Tunc ego. Veruntamen gratioſa res eſt philoſophia.Quid gratioſa,inquit,ô uir beate? An fortè nullius precij? Atqui ſi pauloante interfuiſſes,erubuiſſes,ut arbitror,amici tui gratia:qui uſqueadeò ineptus erat,ut ſeipſum tradere hominibus cuperet,quibus nihil penſi eſt quid loquant, ſed ſingula captant,obijciuntq; uocabula,cum tamen illi ut ſuprà dicebam, cæteros tales noſtræ ætatis uiros excellãt.Profecto ô Crito,& ſtudium hoc uiliſſimum eſt,& qui in eo uerſantur,ridiculi.Mihi quidem ô Socrates,haud recte rem ipſam improbare uiſus eſt ille,uel quiſquis alius improbet.Quod autem in cœtu multorum cum talibus uiris diſputare quis ſtudeat,merito uituperaſſe ille mihi uidetur. SOC. O Crito, admiratione digni ſunt hi uiri. Verum nondum quod dicturus ſum,noui.Quorum ex numero erat qui tibi obuius philoſophiam uituperabat? Vtrum orator quiſpiam ex his qui in iudiciali cõcertatione ualent? an ex ijs qui tales ædunt conſcribuntq; orationes,quibus oratores in iudicio certant? CRIT. Minime quidem orator,neq; arbitror illum in iudicio unquam oraſſe,ſed rem ipſam iudicialem optime intelligere ferunt,& elegantes orationes componere. SOC. Teneo iam. Atqui & ipſe idem modo dicturus eram. Nempe hi ſunt,ô Crito, quos Prodicus inter philoſophum,ciuilemq; uirum confines ſtatuit.Putant hi quidem ſe eſſe omnium ſapientiſſimos,& uideri præterea tales apud quàmplurimos:ſolos autẽ philoſophos impedimento ſibi eſſe,quo minus ab omnibus æque probentur. Cenſent itaq; ſi cõmunem aduerſus philoſophos opinionem hanc diuulgent,quod nullius precij ſint, ſine controuerſia ſapientię gloriam ſe apud omnes ſummam reportaturos.Eſſe namq; ſe reuera ſapientiſſimos,ſed in priuatis ſermonibus,quum Euthydemi ſectatores aduerſantur,impediri.Quod uero ſapientes ſint,ex eo conſentaneum uideri uolunt,quod ſatis habeant philoſophiæ,ſatis etiam ciuilis peritiæ,& quãtum oportet ſint utriuſq; participes, & extra turbulentos ciuilium negociorum tumultus poſiti ſapientiæ fructibus iucunde fruantur. CRIT. Nunquid dicere aliquid ô Socrates,tibi uiri iſti uidentur? SOC. Nequaquam. CRIT. Veruntamen horum hominum ſermo habet aliquid ueriſimile. SOCR. Habet,ut dicis,ô Crito,ueri ſimilitudinem potius quàm ueritatem. Neq; facile illis perſua-

derí poteſt,quod & homines & cætera omnia quæcũq; duorum quorũdam media ſunt, & utrorumq; participant,ita ſe habeant,ut quæ ex malo & bono ſint,hoc quidem melio ra,illo deteriora fiant:quæ uero ex duobus bonis non ad idem conducentibus,utriſq; de teriora ad opus illud peragendum,ad quod ſpectant utraq; illa quibus fit cõpoſitio.Quę autem ex duobus malis ſint conſtituta,non ad idem tendentibus, hæc ſola meliora ſunt utriſq; illis, quorum participãt.Si ergo philoſophia bona eſt,& ciuilis actio bona, ſed ad aliud atq; aliud utraq; conferens,& hi utrorumq; horum participes,utrorumq; in medio ſunt conſtituti,nihil cõcludunt.nam utriſq; deteriores ſunt.Sinautem unum quidem ho rum bonum,malum uero alterum,hoc quidem meliores,illo deteriores.Quod ſi utrunq; malum,ita demum uera dicerent,aliter uero nequaquam.Neq; uero confeſſuros illos ar bitror mala eſſe utraq;,neq; unum quidem bonum, malum uero alterũ. Sed profecto u trorũq; hi participes utriſq; ineptiores ſunt ad illud, ad quod philoſophia & ciuilis actio pertinet,& cum tertium locum teneant,primum uſurpare non dubitant. Ignoſcendum quidem illorum deſiderio,neq; indignandum, tales tamen eſſe cenſendi, quales & ſunt. Nam unumquenq; diligere debemus,qui modo prudentiæ particeps aliquid dicit, & ui riliter peragit. CRI. Equidem ô Socrates, ut ſæpe tecum loquor, ambigo qua ratione fi lios meos educem.Minor quidem natu tenerior eſt adhuc quàm exigat diſciplina: Crito bolus autem adultus eſt iam,& aliquo indiget,quo dirigatur.Quoties tecum loquor, ita prorſus afficior,ut exiſtimem inſaniam eſſe filiorum gratia per cætera occupatum eſſe ut circa coniugium,nempe qui ex matre generoſiſsima naſcãtur,deinde ut amplum illis pa trimonium relinqueretur,illorum autem educationem negligere. Verum cum ad eos re ſpicio qui erudire homines profitentur,abſterreor, mihiq; conſiderãti unuſquiſq; illorũ longe ab ea re quam prædicat,alienus eſſe uidetur.Et ut uerum tibi fatear,nõ habeo quo pacto filium meũ ad philoſophiam exhorter & prouocem. SOC. O amice Crito,an igno ras in quouis ſtudio uiles & nullius precij homines permultos eſſe? probos uero paucos, eosq; maximo in precio habendos eſſe? Nónne tibi uidetur pulchrum quiddã eſſe gym naſtica,mercatura,rhetorica,res militaris? CRI. Mihi certe. SOCR. Nónne uideas in una quaq; harum artium multos ad opus unumquodque ineptos & deridẽdos? CRI. Ita eſt, ac uera nimium loqueris. SOC. Ergo hac de cauſa ſtudia ne fugies omnia, & illa filio di ſuadebis? CRI. Haud decet ô Socrates. SOCR. Caue ergo ne quod dedecet,agas ô Crito. Mitte curam hanc,utrum boni ſint homines philoſophiæ ſtudioſi,uel mali:rem uero ip ſam diligenter examina. Si inquirenti res praua uidebitur, non ſolum filios, ſed omnes homines abſterreto.Sinautem tibi talis qualis & mihi appareat, ſequere eam uiriliter & exerce,atq; ad idem ſtudium filios cohortare.

In quouis ſtudio uiles permultos, probos uero paucos eſſe

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI in Hippiam minorem.

MIRIFICA Socratis Platonisq; noſtri bonitas cum diligẽtiſsime multis ubiq; modis prouideat ne iuuentus credula ſubdolis ſophiſtarum aucupijs capiatur,captaq; perdatur,non iniuria Hippiam E lienſem ſophiſtarum inſolentiſsimum atq; fallaciſsimũ duobus dialogis agitat, Maiore uidelicet atq; Minore. In maiore quidem demonſtrat Hippiam rerum profeſſorem pulcherrimarum omnino quid ipſa pulchritudo ſit ignorare. In minore uero eundem ſe iactantem quod ante alios mendacem à uerace diſcernat, oſtendit in utriuſq; definitione prorſus errare:ut pateat Hippiã,ut omnium arrogantiſsimus eſt,ita & ignorãtiſ ſimũ eſſe,atq; ineptiſsimum apparere. Mitto nunc quod eũ,ut mos eſt ſophiſtarum,iactabundũ & temerariũ aua rumq; depingit:& cum promittat omnia,in omnibus dantẽ uerba,nihil uero præſtantem:cumq; maximis glorie tur,uel in minimis claudicantem. Sed ut ad mendacis ueraciſq; definitionem redeamus,mendax rite deſcribendus erat,qui maxime uelit,utcunq; poſsit ſciatq;,mentiri. Verax autem contrà,qui maxime uelit utcunq; poſsit & ſci at,uera loqui. At Hippias inertiſsimus artium magiſter omnium,confuſiſsimusq; ueracis mendaciſq; diſcretor,or dine definit oppoſito,dicitq; mendacem qui maxime poſsit ſciatq; mẽtiri quotieſcũq; uoluerit: Veracem uero, qui quandocunq; uoluerit queat & ſciat uera loqui. Vnde cogitur primum fateri mendaces eſſe potentes,ſciẽtes,pru dentes,ſapientes. Deinde & bonos ad illa ad quæ potentes ſunt atque ſapientes. Tertio per artes ſingulas dedu cendo compellitur in qualibet tam re quàm arte fateri eundem eſſe ueracem atque mendacẽ,quod negauerat ab ini tio. Siquidẽ in qualibet ille qui optime callet,idem maxime poteſt & ſcit pro arbitrio uera loqui pariter atq; men

tiri

tiri. Quarto ad concedendum inducitur ueracem nihilo meliorem esse mendace: quandoquidem quàm sufficiẽs bonusq; est uerax ad loquendum uera, tam sufficiens bonusq; appareat mendax ad mentiendum. Post hæc Socrates sophistam in ambiguitatem adducit, uter delinquat grauius, num qui mentitur uolens, an qui nolens. Id uero sophista nescit soluere, neq; Socrates quidem soluere uult sophistæ. Est autem ita soluendum. In his quidem quæ ad intelligentiam pertinent minus errare qui mentiuntur sponte: in his autem quæ ad mores spectant, errare magis. Eum uero qui nolens dicit mendacium, contrà se habere. Deinde ambigitur utri magis errent, num qui dedita opera, an qui infirmitate uel ignorantia peccant. probaturq; longis inductionis ambagibus, in his quæ ad naturam & artem, illarumq; instrumenta pertinent, grauius esse uitium uel impotentia uel ignoratione commissum, quàm malitia perpetratum. Si quidem naturæ bonum in ipsa potentia, bonum uero artis in hac ipsa, atq; insuper in cognitione consistit. Malum igitur in oppositis. Ex his autem extra propositum Socrates Hippiam ad mores transfert, concludens idem in genere morum, quod & in naturæ artisq; genere. Quod quidem & si intelligit Socrates fieri non debere, studet tamen declarare sophistam id nequaquam animaduertere. Profecto in his quæ ad uoluntatem moresq; pertinent, grauius delinquitur malitia, id est quadam uoluntate peccandi quàm si uel per impotentiam uel per ignorantiam delinquatur. Postremo Socrates iustitiam esse dicit uel potentiam uel scientiam uel utrunq;. Addere sciebat, sed nolebat tertium, scilicet uel uoluntatem. Iustitia enim maxime in uoluntate consistit. Id uero declarare uoluit latere sophistam. Sed iam argumentum superioribus præceptis his concludamus. Docẽdum sine inuidia. Absq; rubore discendum. Gratiæ semper habendæ docenti. Aliena inuenta sibi non usurpanda.

HIPPIAS MINOR PLATONIS, VEL DE MENDACIO, TRANSLATVS A MARSILIO FICINO Florentino, ad Petrum Medicem uirum Clarissimum.

EVDICVS, SOCRATES, HIPPIAS.

TV uero quidnam taces Socrates cum tam multa Hippias hic ostenderit? Cur non aut comprobas dictorum aliquid, aut redarguis si quid minus recte dictum tibi uidetur? præsertim cum & ipsi inferiores discesserimus, qui nobis non mediocre philosophiæ studium uendicamus. SOCR. Sunt Eudice nonnulla ex his quæ circa Homerum dicebat Hippias, de quibus percontari cupio. Audiui equidem ex Apemanto patre tuo, Iliadem apud Homerum eo præclarius poema esse Odyssea, quo Achilles Vlysse præstantior. In Achillem nanque poema unum, in Vlyssem alterum aiebat esse compositum. De hoc ergo sciscitari ab Hippia si modo ei placet, affecto, utrum illorum hominum præstantiorem asserat, postquam alia multa ac uaria de Homero, cæterisq; poetis sunt nobis ostensa. EVD. Nulla prorsus inuidia prohibebit quin Hippias interroganti respondeat. Respondebis nec ne Hippia si quid Socrates quærat? HIP. Haud recte agerem Eudice, si nunc Socratis interrogationem respuerem, qui solitus sim semper ex Elide patria ad Olympica festa, quò Græci ad communem celebritatem undiq; confluunt, me conferre, ipsumq; me ibi apud templum præbere cuiq; declarantem quodcunq; demonstrari quis cupiat, & ad interrogationes singulas respondentem. SOC. O quàm felix tibi sors contigit Hippia, si adeo confisus animi sapientia qualibet Olympiade ad sacrũ aduẽtas. Mirarer profecto si quis circa corporis exercitationẽ athleta illuc certaturus accederet tam corporis uirib. quàm tu mentis subtilitate cõfisus. HIP. Merito sic affectus sum Socrates: nam ex eo tempore quo cœpi in Olympicis exerceri, neminem repperi adhuc me aliqua in re superiorem. SO. Præclarũ hercle quod ais Hippia, atq; hæc gloria tua & patriæ & parẽtibus erit quod dam sapientiæ monimentũ. Verum quidnam de Achille & Vlysse iudicas? Vtrũ horum præstantiorẽ, & qua in re putas? Porro dum multi intus essemus, tuq; dissereres, quædam me uerba subterfugerunt: piguit tamen perquirere, tum quod turba erat plurima, tum etiam ne orationi tuæ impedimento forem. Nunc uero postquam pauciores sumus, et Eudicus hic quærere iubet, liquidius nobis ostende quod de his uiris dicebas, quo'ue pacto dijudicabas. HIP. Volo equidem Socrates apertius quàm tunc in præsentia referre, quæ de his & de alijs sentio. Homerum assero omnium qui Troiam obsederũt optimum

uirum finxisse Achillem,sapientissimum Nestorem,apprime uersutum multiformemq; Vlyssem. SOC. Papè ô Hippia. An mihi in hoc gratificaberis: ne me uidelicet rideas,si ad percipiendum tardior fuero,ac sæpius requisiuero? Dignare mihi obsecro,libenter ac facile respondere. HIP. Turpe quidem esset ô Socrates, cum alios eadem doceam, & pro ijs pecunias exigam,si tibi quærenti non indulgerem,nec læto animo respondere. SOC. Præclare admodũ loqueris. Equidem cũ optimum uirũ Achillem fictũ fuisse dicebas,sapientissimum Nestorẽ,uisus mihi sum quod diceres intelligere. Cum uero Vlyssem uersutum & multiformem,ut uerum fatear,quid significare uelles,non intellexi. Atq; mihi dicas: forte enim hinc magis percipiã: nunquid & Achilles ab Homero multiformis uersutusq; inductus fuerit,nec ne. HIP. Minime ô Socrates,sed simplex omnino. Quoniam in supplicationibus ipsis cum eos disceptantes inducit,ita aduersus Vlyssem loquentem facit Achillem.

O multum generose doli fabricator Vlysses,
Conuenit intrepide me uestra refellere dicta,
Vt fieri debere puto,fallacibus ipsum
Ne me figmentis hinc obtundatis & illinc.
Is magis est quoniam quàm nigri ianua ditis
Infensus nobis,aliud qui pectore claudit,
Inde palàm profert aliud quodcunq; uidetur.
Ast ego nunc dicam,credo uelut esse futurum.

His in carminibus morem utriusq; declarat,Achillem esse ueracem atq; simplicẽ, Vlyssem uersutum atq; mendacem. Hæc siquidem apud eum Achilles aduersus Vlyssem infert. SOC. Videor iam quod ais,ô Hippia,intelligere. Versutum enim mendacem uocas, ut apparet. HIP. Maxime quidẽ ô Socrates. Talem nempe Vlyssem sæpe & in Iliade & in Odyssea fingit Homerus. SOC. Ergo existimauit Homerus alium quidem esse ueracem uirum,alium uero mendacem, neq; utrunq; eundem esse. HIP. Quid prohibet Socrates? SOCR. An idem & ipse censes Hippia? HIP. Maxime omnium. Nimis enim errarem,si aliter ipse sentirem. SOC. Homerum quidem mittamus,cum ab eo sciscitari non liceat,quæ eius fuerit in condendis his carminibus sententia. Postquam uero tu causam suscipis,tibiq; ea uidentur quæ dicere Homerũ asseris,pro Homero simul ac teipso respon de. HIP. Fiet. Interroga paucis quod lubet. SOC. Mendaces ne uocas illos qui facere aliquid nequeant,ut inualidos defessos ue,an eos qui facere aliquid possint? HIP. Potẽtes, & maxime quidem,cum in alijs multis,tum etiam in decipiendis hominibus. SOC. Potentes itaq; sunt secundum sermonem tuum,atq; uersuti,nonne? HIP. Certe. SOC. Versuti uero sunt & subdoli stolidítate quadam & imprudentia? an astutia potius atque prudentia? HIP. Astutia maxime omnium atq; prudentia. SOC. Prudentes ergo sunt, ut uidetur. HIP. Valde per Iouem. SOCR. Prudentes uero cum sint, num ignorantes sunt? HIP. Immo scientes maxime. Nam ob hoc alios seducunt. SOCR. Cum ergo scientes sint harum rerum quas sciunt, utrum insipientes sunt,an potius sapientes. HIP. Sapientes uidelicet in his ipsis ad decipiendum. SOC. Siste obsecro,repetamus dicta,ut quid dicas,inspiciamus. Mendaces esse ais,potentes prudentesq;,scientes item & sapientes circa illa de quibus mendaces? HIP. Aio. SOC. Alios autem ueraces esse, alios contrà mendaces,atq; hos inter se longe contrarios? HIP. Aio & ista. SOC. Ex hoc ergo sequitur,ut mendaces ex potentum sapientumq; numero sint. HIP. Maxime. SOCR. Cum uero dicis potentes & sapientes esse mendaces ipsos ad eadem,utrum dicis potẽtes esse ad mentiendum si uelint,uel impotentes ad ea quæ mentiuntur? HIP. Potentes equidem. SOC. Vt ergo summatim dicamus, mendaces sunt qui ad mentiendum potentes sapientesq; sunt. HIP. Plane. SOC. Ergo qui uir mentiri nequit, neq; scit quicquam, non erit mendax. HIP. Sic est. SOC. Potens autem est qui facit quod uult, & quando uult. haud morbo uel quibusdam talibus impeditum, inquam, uerum quemadmodum tu meum nomẽ quotiescunq; uis,scribere potes,ita nunc interrogo. An non hominem sic affectum, potentem uocas? HIP. Sanè. SOCR. Dic ô Hippia,nonne es numerandi computandiq; peritus. HIP. Maxime omnium. SOCR. Siquis ergo te percõtetur ter septingenta quantum compleant numerum, nonne modo uelis,omnium quàm ocissime atq; maxime uera de his re

his respondebis? HIP. Prorsus. SOC. Nunquid ex eo quod circa ista potentissimus & sapientissimus es? HIP. Nempe. SOCR. Vtrum sapientissimus es ac potentissimus duntaxat? an etiam circa eadem optimus, circa quæ sapientia & potentia præstas, hoc est in numeris computandis? HIP. Et optimus insuper Socrates. SOCR. Vera itaq; de his præ cæteris maxime dicere posses, an non? HIP. Reor equidem. SOC. An & falsa circa eadem? Age nunc Hippia, ut & suprà generose magnificeq; responde. Si quis quærat ter septingenta quot sunt, tu ne magis de his mentiere, semperq; secundum eadem falsa de his pronunciabis, mentiri, & nunquam uera proferre uolens? an qui numerorum ignarus est, poterit magis mentiri quàm tu, etiam si mentiri uoles? an contrà potius ignorans sæpe dum uolet falsa proferre, uera fortè præter sententiam proferet, quia rem ipsam ignoret: tu uero quum sapiens sis, semper dum mentiri uoles, similiter mentieris? HIP. Est ut dicis. SOCR. Mendax itaq; utrum circa alia mendax est, non tamen circa numeros, neq; de numero mentietur? HIP. Immo & circa numeros. SOCR. Ponamus igitur hoc Hippia, circa computationem ac numerum aliquem esse mendacem. HIP. Certe. SOCR. Quis hic erit? necesse est ut mentiri possit, ut ipse dicebas, si mendax futurus est. Nempe abste dictum est, si recordaris, eum qui mentiri nequeat, non esse mendacem. HIP. Recordor equidem, atq; ita dictum. SOCR. Nónne paulo ante constitit te esse ad mentiendum in computandis numeris potentissimum? HIP. Ita dictum fuit & istud. SOCR. Num & quàm maxime es ad uera proferenda de numeris ijsdem potens? HIP. Valde. SOCR. Idem ergo potest maxime in computando uera loqui, atque mentiri: is autem est qui bonus est in numeris, uidelicet computator. HIP. Sic omnino. SOC. Quis igitur alius Hippia in computando fit mendax, nisi qui ad idem bonus? Hic enim potens, hic & uerax. HIP. Apparet. SOCR. Cernis eundem ueracem esse in his atq; mendacem, & nihilo meliorem mendace ipso ueracem esse. ijdem namque sunt, neq; ualde contrarij, ut tu nuper existimabas. HIP. Haud certe nunc in his apparet. SOC. Vis ne in alijs quoq; consideremus? HIP. Vt lubet. SOCR. Nonne es & geometriæ peritus? HIP. Sum. SOCR. An non idem in geometria contingit? Porrò idem falsa quàm maxime de figuris pronunciare potest, qui & uera. Est autem is geometra. HIP. Profecto. SOCRAT. An alius ad hæc præter hunc bonus? HIP. Non alius. SOCR. Nónne bonus ac sapiens geometra utraq; potest? Et si quis alius in figuris mendax, is maxime qui in ijsdem est bonus: hic siquidē potens, malus autem ad mentiendum impotens. neq; unquam fit mendax qui est impotens mentiendi, ut est concessum. HIP. Sunt hæc uera. SOCR. Tertium insuper inspiciamus astronomum, quam ipse artem magis etiam quàm superiores, soles Hippia profiteri. sic'ne? HIP. Sic certe. SOCRAT. An non eadem in Astronomia contingunt? HIP. Consentaneum est ô Socrates. SOCR. Quare & in astronomia siquis alius mendax, is erit maximè qui bonus astronomus. HIP. Is namq; mentiri summopere potest. neque enim qui impotens est, is enim insçius est. SOCRAT. Idem ergo & in astronomia uerax erit & mendax. HIP. Videtur. SOCR. Age Hippia, passim ita per omnes scientias cogita, num ita sit, an aliter. nam ante alios omnes plurimis artibus es ornatus. Quemadmodum ego te quandoq; iactantem audiui, quòd sapientia multa exoptandaq; præ cæteris abundares, & in foro inter mensas disputando deambulantem, quum diceres te quondam Olympicum adijsse certamen, corporis ornatu spectandum, & omnia corporis ornamenta propriis manibus confecisse. Primo quidem anulū quem habebas, hinc enim cœpisti, tuum fuisse opus, quasi esses sculpendi peritus. quinetiam sigillum quoddam, tuum opus, & strigilem, & uasculum unguentarium similiter opus tuum, calceos quinetiam tuis consutos manibus, uestem & interulam abs te cōtextam. Quod'ue admodum mirabile uisum est, & singularis sapientiæ indicium, cingulum dicebas ostendisse te opus tuum Persicis precioisq; simile. Item tua quædam poemata, carmina, tragœdias, Dithyrambos, & orationes plurimas, uariasq; stylo pedestri compositas: præterea te illa quæ in superioribus cōmemorabam ante alios omnes tenere, & in rhythmis harmonijsq; & studio literarum ac in cæteris generis huius permultis, si recte recordor, excellere. At uero prætermiserā tuæ memoriæ artificium, quo pollere te mirum in modum existimas. forte uero & alia multa sum oblitus. Verum quod dixi, & in tuas (quæ multæ nimis sunt) & in aliorum artes respiciens, dic age, si repereris unquam ex his quæ inter nos cōcessa fuerunt, à mendace

Refertur Hippias sibi feciſſe anulum, uestes, &c.

ueracem esse diuersum, neq; eundem existere. In qualibet autem sapientia calliditate ue, uel quomodocunq; appellare iuuat, quære. Sed nunquam ô amice inuenies: neque enim est usquam: quod si est alicubi, dicas. HIP. Haud in præsentia inuenio Socrates. SOC. Neque inuenies posthac, ut arbitror. Si autem uera loquor, recordare Hippia, quid ex superioribus sequitur. HIP. Non satis aduerto quod loqueris Socrates. SOC. Nihil opus est in præsentia memoriæ artificio: patet enim quod non putas oportere, sed ego tibi in memoriam reducam. Recordaris dixisse te Achillem uirum fuisse ueridicum, Vlyssem uero mendacem atq; uersutum. HIP. Vtiq;. SOC. Nunc autem sentis eundem apparuisse veracem esse atque mendacem. Ideoq; si mendax erat Vlysses, erat & uerax. Item si ueridicus Achilles, erat & mendax: neque differentes hi uiri inuicem, neq; contrarij immo similes extiterunt. HIP. Semper tu quidem Socrates captiunculas tales contexis, & occupans quod in sermone molestissimum est, ad hoc instas, & miníma quæq; contrectas, neq; aduersus totam rem ipsam de qua est sermo, contendis. Namque si uelis, nunc pluribus argumentis sufficientiq; ratione ostendam tibi Homerum, Vlysse meliorem Achillem veracemq; finxisse: Vlyssem uero subdolum, & in pluribus mentientem, atque Achille deteriorem. At si tibi placet, uicissim responde, cumq; mea orationem tuam compara, qua ostendas alterum meliorem esse: atq; ita præsentes hi magis intelligent, uter nostrum rectius loquutus fuerit. SOC. Haud istud dubito, uel contendo Hippia, quo minus me sapientior uidearis. Cedo equidem tibi. Verum consueui semper cum aliquis de re aliqua disputat, diligenter attendere, præsertim quando qui loquitur, sapiens esse mihi uidetur. Tunc sanè discendi auidus, quæ dicit obseruo, exquiro, connecto ac repeto, ut clarius dicta percipiam. Sin autem dicentem ipsum paruifacio, neque requiro ab eo quicquam, neque quid dicat attendo. Atque hac ipsa coniectura comprehendes, quos æstimem sapientes. Cernes enim me uerba illorum accuratissime auscultantem, sciscitantémque ab illis, ut aliquid discendo in uita proficiam. Et nunc quidem quum dicta tua animaduerterem, quibus illorum carminum testimonio Achillem ostendis aduersus Vlyssem, ut iactabundum dicere, mirum quiddam mihi uisum est, si uera dixeris. Quoniam Vlysses ipse uersutus, mendacij nullius redargui potest: Achilles autem uersutus & uarius secundum sermonem tuum esse uidetur. mentitur enim. Nam cum ea pronunciasset carmina quæ tu nunc recensuisti:

Iliad. I

Is magis est quoniam quàm nigri ianua ditis
Infensus nobis, aliud qui pectore claudit,
Inde palàm profert aliud quodcunq; uidetur. Paulo post addit:
Non mihi uersutus posthac suadebit Vlysses,
Non Agamemnon, Troianis insistere terris.
Sed cras ipse Ioui relíquisq; ubi sacra pararo
Cœlicolis, curuo collectas littore naues
In mare deducam, prima quas luce uidebis
Nare per Hellespontiacum mare piscibus aptum.
In quibus aspicies, cupias modo uisere, fortes
Edoctosq; uiros remis incumbere. nam si
Neptunus uentis implebit uela secundis,
Tertia frugiferis Phthiæ lux sistet in oris.

Item suprà aduersus Agamemnonem iurgans ait:

Iliad. A

Nauibus ecce domum nigris, quia præstat, abibo
In patriam Phthiam: neq; enim mens optat ut hic te
Diuitijs repleam ualidis inglorius armis.

Hæc fatus, tum coram omni exercitu, tum ad eius amicos, nusquam apparet, uel se ad opus accingere, uel naues trahere, ut domum reuersurus, immo parum admodum curare, ut reuera sint quæ loquitur. Equidem Hippia ab initio te rogaui, quum ambigerem uter horum apud Poetam præstantior habeatur, putaremq; utrumq; uirum optimum esse, & difficile cognitu uter horum excellat magis mendacio, & ueritate, aliaq; uirtute. Ambo enim in hoc quam proximi sunt. HIP. Haud recte discernis ô Socrates. Nam quæ mentitur Achilles, nõ ex insidijs, sed inuitus propter exercitus casum mentiri uidetur, coactus

restare

restare atq; succurrere: Vlysses autem sponte ac dolo. SOC. Decipis me chariſſime Hippia, ipseq; imitaris Vlyſſem. HIP. Minime omnium Socrates. quidnam dicis? & qua ratione? SOC. Quoniam Achillem ais nō ex insidijs mentiri, qui usqueadeo seductor erat, atq; insidiator præter ipsam iactantiam, sicut fingit Homerus, ut tanto esset Vlysse callidior, ut ipsi uanitatem absconderet suam, dum coram eo contraria sibijpsi loqui auderet, Vlyssemq; falleret. quocirca aduersus eum nihil inferre uidetur Vlysses, utpote qui mendacium non aduertit. HIP. Quænam ista dicis ô Socrates? SOC. Nescis quod ad Vlyssem inquit, prima luce se discessurum: ad Aiacem uero nō ita, sed aliter? HIP. Vbinam? SOC. His in carminibus:

Diri nulla prius belli me cura tenebit,
Hectora quàm Priami natum uenisse sub armis
Myrmidonum naues tentoria longa petentem
Audiero, premat Argiuos qui Marte subactos,
Quiq; rates ignem posthæc iaculetur in ipsas.
Hectora namq; meas naues, aut castra furentem
Haud reor ausurum dubio contingere bello.

An censes Hippia usqueadeo obliuiosum fuisse Thetidis filium à Chirone sapiētissimo eruditum, ut cum antea in uanos istos iactatores uehementissima oratione inuectus esset, ipse confestim Vlyssi quidem quasi suijpsius oblitus dixerit nauigaturum se, Aiaci uero cōmoraturum: potius quàm insidiatus, cum Vlyssem cognosceret seniorem, commentitijsq; machinamentis & dolis se longe potentiorem. HIP. Haud dolo dixisse ista mihi uidetur Achilles, imò ipsa simplicitate aliter persuasus, aliter cū Aiace quàm cum Vlysse fuisse loquutus. Vlysses autem, seu uera, siue falsa loquatur, semper insidias tendit. SOC. Melior ergo, ut uidetur, est Vlysses Achille. HIP. Minime ô Socrates. SOC. An non suprà uisi sunt qui sponte mendacium dicunt, meliores esse quàm qui non sponte? HIP. Quonam pacto Socrates qui scientes uolentesq; iniuriantur, seducunt, lædunt, meliores esse possunt, quàm qui hæc præter sententiam faciunt? quandoquidem multum ignoscitur illi qui per ignorantiam iniuriam infert, mendacium loquitur, uel aliud quicquam committit mali: leges'que in eos seuerius animaduertunt, qui uolentes mala faciunt, mentiunturq;, quàm qui nolentes. SOC. Vides Hippia uera me loqui, quum dico accuratum esse me ad sapientum uirorum interrogationes: quumq; in cęteris ualde deficiam, hoc tantum habeo boni. Quæ enim natura ipsa rerum sit, nescio. quod hinc maxime conijectare licet, quia quoties cum aliquo uestrum loquor, qui opinione excellitis sapiētiæ, testesq; doctrinæ Græcos omnes habetis, scire nihil appareo. Nunquam enim idem mihi, ut ita dixerim, ac uobis uidetur. Quod autem euidentius est insciticę argumentū, quàm si quis à sapientibus uiris dissentiat? Mirificum tamen hoc habeo bonum, quod me seruat, quoniam sine rubore uerecundiæ ad discendum me præparo. Rogo autem ac scitor, gratiamq; ingentem habeo respondenti, nec ulli unquam ingratus extiti, neque apud auditores unquam uendicaui mihi aliorum inuenta, sed docentem laudibus semper extollo, illi'que apud omnes quæ sua sunt tribuo. Atqui & nunc quæ dicis ipse, nequaquam admitto, immo longe dissentio, & hoc mea culpa contingere certe scio: quippe qui talem esse me fatear qualis sum, ne me extollam. Mihi quidem Hippia omninò contrà ac tibi uidetur. Opinor siquidem eos qui sponte lædunt homines, iniuriātur, mentiuntur, decipiunt, delinquunt, meliores esse his qui non sponte. Nonnunquam uero contrà iudico, & circa hæc oberro, utpote qui rem ipsam ignorem. Ecce nunc animi morbus me quidam inuasit, uidentur'que mihi qui proposito circa aliquid peccant, meliores esse, quàm qui præter sententiam errant. Huius autem mali superiores sermones causam duco, quibus fit ut in præsentia existimem eos qui non sponte peccant, deteriores esse his qui sponte. Ergo tu mihi ignosces, nec ulla inuidia te detineat, quin animum meum cures. Multo mihi maius beneficium conferes, si insciticia liberaueris animum, quàm si ægritudine corpus. Si hoc uelis multis uerbis efficere, prædico tibi hunc in modum te minime curaturum. neq; enim assequar. Sin autem ita ut suprà, respondere uolueris, admodum mihi proderis. Spero autem tibi hoc haud noxium fore. Merito uero te nunc inuocabo Apemanti fili. Nam ipse me induxisti, ut cum Hippia disputarem.

Argumētū insciticæ est à sapientibus dissentire

Docētis atque discētis officia

Quare

Quare si nũc Hippias respõdere noluerit, pro me ipse intercedito. EV. Nil opus est meis ad Hippiam precibus Socrates. Neq; enim id proposuit, ut coactus uidelicet responderet: imò se libenter omnibus responsurum est pollicitus. Nónne hæc sunt Hippia quæ dicebas? HIP. Dicebam equidem. Verum Socrates hic ô Eudice semper dicentes interturbat, & quasi præstigiator quidam esse uidetur. SOC. O uir optime Hippia, haud sponte hæc facio: Essem utiq; sapiens secundum sermonem tuum atq; astutus. Verum præter sententiam ago, quamobrem ignosce mihi. Ais enim non sponte peccanti ignoscendum esse. EV. Haud aliter facias Hippia, sed nostri gratia, & propter ea quę suprà tibi dicta sunt, respondeat ea quæ interrogat Socrates. HIP. Respondebo equidem, cum tu roges. Pete ergo quod lubet. SOCR. Vehementer cupio Hippia, quod modo dictum est, considerare, utri meliores sint, an qui sponte uolentes q; peccant, an qui contrà. Spero autem hũc in modum rectissime posse considerari. Responde iam. Vocas'ne cursorem aliquem bonum? HIP. Equidem. SOCR. Et malum? HIP. Ita. SOCR. Nónne bonus qui bene currit, malus qui male? HIP. Certe. SOCR. An non qui tarde currit, male currit? qui autem uelociter, bene? HIP. Proculdubio. SOCR. In ipso itaque cursu celeritas quidem bonum, tarditas autem malum. HIP. Quid tum? SOCR. Vter ergo cursor est melior? utrum qui sponte currit tarde, an qui secus? HIP. Qui ultro. SOC. Nónne currere est aliquid facere? HIP. Facere utique. SOC. Facere autem aliquid operari? HIP. Profecto. SOC. Ergo qui male currit, malum hoc & turpe operatur in cursu. HIP. Malum. Quid ni? SOC. Male autem currit, qui tarde currit. HIP. Sanè. SOC. Nónne igitur cursor bonus de industria malum hoc & turpe operatur, malus præter propositum? HIP. Videtur. SOC. In cursu igitur deterior est qui præter uoluntatem agit mala, quàm qui uolens. HIP. In cursu planè. SOC. Quid autem in palæstra? uter luctator est melior? num qui dedita opera cadit? an qui inuitus? HIP. Qui dedita opera. SOC. Ita uidetur. Peius autem ac turpius in palæstra cadere, an deijcere? HIP. Cadere. SOC. Et in palæstra igitur qui studio male agit & turpia, melior luctator est, quàm qui imbecillitate atque inertia. HIP. Videtur. SOC. Quidnam in omni reliquo corporis usu? nónne qui corpore robustior atq; aptior est, facere pro arbitrio utraq; potest, tam quæ robusti hominis sunt, quàm quæ debilis, & pulchra & turpia? Quapropter qui habitu corporis præstat, quoties mala secũdum corpus facit, uolens efficit, imbecillis autem inuitus. HIP. Videtur quoq; idem circa robur contingere. SOC. Quid uero de ipsius figuræ cõcinnitate dicendum? nónne formosioris melioris q; corporis est, impensa opera turpes figuras cõfingere, deformis autem contrà? quid tibi uidetur? HIP. Quod & tibi. SOC. Figuræ itaq; inconcinnitas uoluntaria ad uirtutem corporis attinet, contraria ad uitium. HIP. Apparet. SOC. De uoce uero quid ais? Vtram meliorem asseris? ex animi ne uoluntate dissonam, an ex inertia? HIP. Ex animi uoluntate. SOC. Alteram uero peiorem. HIP. Absque dubio. SOC. Vtrum bona optas habere, an mala? HIP. Bona. SOC. Vtrum eligeres pedes habere qui dedita opera claudicarent, an qui inuiti? HIP. Eos planè qui de industria. SOC. Claudicatio pedum nónne uitium est atq; deformitas? HIP. Est. SOC. Hebetudo autem nónne uitium est oculorum? HIP. Vitium. SOC. Vtros igitur potius oculos eliges, eos ne quibus sponte quis confuse uideat uel peruerse inspiciat, an contrà quibus nolens male aliquis uideat. HIP. Eos quibus uolens. SOC. Ex his uero quæ tua sunt, potiora censes illa quæ male agunt sponte, quàm quæ inuita? HIP. Eiusmodi quædam uidelicet. SOC. An non & reliqua omnia, aures, nares, os, omnesq; sensus ratio una comprehendit, quæ docet sensus præter propositum peccantes, eligendos esse nunquam, utpote qui praui sint: eos autem qui ex instituto, tanquam bonos, potius eligendos? HIP. Mihi quidem uidet. SOC. Quorum uero instrumentorum melior usus? utrum quibus uolens aliquis errat, an quibus nolens? Ceu gubernaculum, utrum melius, illud quo de industria quispiam male gubernet, an quo inuitus? HIP. Quo de industria. SOC. Nónne arcus similiter, & lyra, & tibiæ, ac cætera omnia? HIP. Vera loqueris. SOC. Vtra equi anima ad possidendum melior, ea ne qua sponte quis male equitet, an qua inuitus? HIP. Qua sponte. SOC. Est itaq; melior. HIP. Est. SOC. Meliori igitur equi anima mala huius animæ opera uolens quis faciet, contraria uero cõtrà. HIP. Omnino. SOC. Nónne eadem de anima canis cæterorũq; animalium ratio? HIP. Eadem. SOC. Vtrius aũt sagittatoris animam tanquam meliorem eligeres

Vtri meliores qui sponte uolentes peccant, an qui contrà

eligeres? Illius ne qui uolens aberrat à signo, an illius qui nolens? HIP. Illius qui ultro. SOC. An non hæc ad sagittandi artem melior? HIP. Melior. SOC. Quare anima quæ aberrat insciа, deterior est ea quæ sciens aberrat. HIP. In sagittandi uidelicet facultate. SOC. Quid uero in studio medicinæ? nónne quæ medendo dedita opera mala quædam corporibus infert, quo ad medicinæ artem pertinet, peritior est, quàm illa quæ per ignorantiam peccat? HIP. Plane. SOC. Ergo hæc in medicinæ arte est melior. HIP. Melior. SOC. Vtra uero ad citharam pulsandam uel inflandas tibias, & alia uniuscuiusq; artis, uel scientiæ opera est instructior, nónne ad hæc & melior? & si quando præter artem male quid facit, de industria facit: quæ uero deterior, præter sententiam? HIP. Apparet. SOC. Seruorum autem animas eligemus potius quæ scientes circa ministerium peccant, quàm quæ ignorantes, quasi ad hæc opera meliores? HIP. Sane. SOC. Animam uero nostram, nónne quamoptimam exoptamus habere? HIP. Nempe. SOC. An nõ melior erit, si sponte mala facit, atq; delinquit, quàm si nescia? HIP. Graue id esset, ô Socrates, si qui spõte iniuriantur, meliores essent his qui non sponte. SOC. Ex his tamen quæ suprà dicta sunt, sequi uidetur. HIPP. Mihi uero nequaquam. SOC. Putaram Hippia idem tibi quoq; uideri. Responde igitur iterum. Iustitia nónne uel potentia quædã est, uel scientia, uel utrumq;? An non necesse est aliquid horum esse iustitiam? HIP. Necesse. SOCR. Si potentia quædam animæ iustitia est, potentior anima, iustior erit? Melior enim ô uir optime hæc talis nobis apparuit. HIP. Apparuit certe. SOC. Quid uero si scientia iustitia sit? Nónne quę sapientior anima, illa iustior? quæ insipientior contrà iniustior? HIP. Ita est. SOCR. Quid si utrumq;? An non quæ ambo hæc habet, scientiam scilicet & potentiam, iustior erit? quæ non habet, iniustior? Nónne ita rem se habere necessarium est? HIPP. Apparet. SOCR. Quæ uero potentior & sapientior est, ea melior apparuit esse, & ad utraque tam pulchra quàm turpia circa quamlibet actionem peragenda paratior? HIP. Certe. SOC. Quoties itaq; turpia facit, uolens facit propter artem atq; potentiam. Hæc autem, uel ambo, uel alterum, ad iustitiam pertinent. HIP. Videtur. SOC. Enimuero iniuriari, mala facere est: nõ iniuriari, bona. HIP. Sic est. SOC. Nónne ergo potentior ac melior anima, quoties iniuste aget, sponte aget? praua autem contrà? HIP. Apparet. SOC. Nónne uir bonus, qui animã habet bonam? Malus contrà, qui malam? HIP. Absq; dubio. SOC. Quamobrem boni uiri est, sponte iniuriari, mali autem nõ sponte. siquidem bonus uir animam bonam habet. HIP. Habet quidem. SOC. Si quis est igitur hominum qui sponte aberret, turpiaq; & iniusta committat, haud alius est ô Hippia quàm uir bonus? HIP. Concedere tibi ista nõ possum ô Socrates. SOC. Neq; ego ipse mihi Hippia: ueruntamen ex superiori sermone necesse est in præsentia nobis ita uideri. At uero, ut suprà dicebam, circa hæc semper sursum deorsum' ue reuoluor, nec in eadem persisto sententia: neq; mirum est me meiq; similes, rudesq; homines ad contraria circumuagari, si & sapientes uos oberretis. Id autem nobis graue malum, si neq; etiam ad uos profecti errare cessemus.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN Charmidem, uel de temperantia.

STVDIVM *Socratis in hoc dialogo est, omnes quidem ad temperantiam cohortari. Tres uero præcipue, scilicet adolescentes, & nobiles, atq; pulchros. Adolescentes quidem propterea, quod cita morbis adhibenda est medicina. Principijs obsta, sero medicina paratur. Cum mala per longas inualuere moras. Nobiles quoq;, tum ut ostendat ueram in uirtute nobilitatem esse ponendam, tum quia nobiles plerunq; cæteris exemplo sunt, & quotidie ad rempublicam admittuntur, grauissimo si mali sint, humani generis detrimento. Formosos deniq;: nam hi potissimum flagitiosorum consuetudine deprauantur: quo fit, ut magis egeant medicina. Præterea formosi studere debent, ut quemadmodum natura corpori breuem tradidit pulchritudinem, sic ipsi uicissim deo naturæ autori, sempiternam animi restituant pulchritudinem. Neq; uero permittendum est, ut cum exteriora nostra multis sua pulchritudine placeant, interiora interim sua deformitate displiceant. Etsi omnia in hoc dialogo mirificam habeãt allegoriam, amatoria maxime, non aliter quàm Cantica Salomonis: mutaui tamen nonnihil, nonnihil etiam prætermisi. Quæ enim consonabant castigatissimis auribus Atticorum, rudioribus fortè auribus minime consonarent. Ideoq; Aristarchus quidam Homericus, immo uero Platonicus, quæ minus consonãt, diceret nõ Platonis esse, sed Chroni. Tria uero in ipso exordio notanda sunt in pri-*

mis

mis, quæ amorem ab hac forma corporis ad incorpoream transferunt pulchritudinem. Primum, quod inquit Socrates se inter pulchrum hunc, & pulchrũ illum, nihil discernere, sed pulchros sibi cunctos æque placere: quasi dicat, non in unius corporis forma sistendum esse pedem, sed ad ipsam communem speciei totius pulchritudinẽ ascendendum. Quæ cum una sit in multis, ideam pulchritudinis unam refert super multa. Quemadmodum igitur ab indiuiduo ad speciem, & à specie ad ideam cogitando transcendimus, ita & ab amore formæ huius, ad amorem cõmunis formæ primo, deinde ad formæ idealis amorem pergere admonemur. His addidit Socrates corporis pulchritudinem non propter se amandam, sed tanquam diuinæ pulchritudinis imaginem nobis existimandam. Iubet postremo nudare animum, corporisq; forma posthabita, decorem animi tum naturalem inspicere, tum studio comparandum diligentius adhibere. Et interea corripit Chærephontem, qui nescio quid de nudando quasi in palæstra corpore dixerat. Neq; iniuria exhortationem ad temperantiam à pulchritudine corporis exorditur. Hæc enim temperãtia quædam est linearum atq; colorum. Sed ab hac proxime transit ad corporis sanitatem, quæ etiam est temperantia quædam, humorum scilicet atq; membrorum. Tertio ab hac ad animi ipsius ornatum, qui & in affectu temperãtia est, ipsa motionum scilicet moderatio: & in cogitatione quædam similiter est temperantia, in quadam intelligentiæ cum rebus quæ intelliguntur concinna congruitate consistens, ut non immerito Pythagoras temperantiam uirtutem omnium esse dixerit saluberrimã, tam publice quàm priuatim humanæ societatis cõseruatricem, præsertim cum & iustitia temperantia quædam sit, id est conueniẽs in cõmutando distribuendoq; moderatio. Profecto quamuis temperantia proprie circa cohibendas uehemẽtes libidines uoluptatesq; uersetur, tamen similitudine quadam transfertur & ad cupiditates omnes amputandas, & ad actum quemlibet moderandum, ut etiam officium fortitudinis in audaciæ timoriscq; moderatione uersetur, similiter iustitiæ in præmiorum pœnarumq; modo, liberalitatis quoq; in erogandi modo, deniq; totius uitæ salus, ut ne quid nimis. Hinc Pythagoricum illud, Mensura omnium optima. Sed memento illos in Phædone negari temperatos esse, qui corporeæ uoluptatis gratia à uoluptatibus absti nent. Iubet enim actiones mortales ad purgandam mentem referri, consequendæ sapientiæ diuinæq; similitudinis gratia. Tanta uero est excellentia temperantiæ, ut & eam omnes in operibus suis obseruent artifices elegãtes, & ipsius uirtute non solum corpus sub luna quodlibet, uerumetiam cœlum ipsum uniuersumq; seruetur, quod in Gorgia sapientum testimonio confirmatur. Huic illud simile, Disponit deus cuncta suauiter. Item in numero, põdere, mensura cuncta disponit. Sed iam ad dialogum reuertamur. Socrates dum ex sententia magorum uetat curari corpus antequam curetur animus, manifeste eos improbat, qui minima curãtes, maxima negligunt, uelut qui equis & canibus ægrotantibus remedia quæritãt, in sui uero corporis & animi morbis medicos minime consulũt. Minima quæq; supellectilia rite componunt, ipsi interim & animo & corpore incompositi. Intemperato animo citharam temperant. Quotidie aliena curiose tractant, propria deserunt. Omnia uero præter animum ipsum nobis sunt aliena. Ideo corporis medicinam folium appellauit, rem leuem, fragilem, & omnino mutabilem, ac penitus cõtemnendam. Significat etiam multa nobis incommoda tum corporis, tum fortunæ ob intemperantiam frequenter accidere: atq; contrà complurima bona per temperantiã prouenire. Item animo perfecte composito, quæcunq; accidunt, tam & prudenter disponi, & æque tolerari, ut nihil tandem euadat in malum. Incomposito uero animo nihil bene uel in corpore, uel extra posse componi. Exponit autem in Cratylo nomẽ intemperãtiæ græcũ Sophrosynen, quasi salutem quandam conseruationemq; prudentiæ. Putat enim animo uerorum lumina omnium innata fuisse, ideoq; si in seipsum prorsus inspiciat, uera in se omnia conspecturum. At uero quo minus inspiciat, in causa est immoderatus ad corpus corporeaq; affectus: quo fit ut temperãtia opus sit in primis, per quam expulsa perturbationum caligine mens facta serenior, diuini solis lumine abunde circumfundatur, unde sapientiam primo recuperet, deinde prudentiam adipiscatur. Quoniam igitur temperantiam sapientia prudentiaq; comitatur, ideo Plato sæpe alibi, & in hoc dialogo sub ipso temperantiæ nomine sapientiam quoq; uult & prudentiam contineri. Monet autem Socrates Charmidem, ut respiciat in seipsum de temperantia uerba facturus. nam hæc ipsa in seipsum cõuersio, est huius uirtutis officium: & quisquis in seipsum penitus conuersus fuerit, tum per ipsam temperantiæ ideam innatam menti, humanam intelligit temperantiam, tum moderationem ipsam agnoscens, qua deus animæ partes ab initio inuicem temperauit, cognoscet qua ratione sit affectus animi temperãdus. Accedit ad hæc, quod in hoc præcepto significat neminẽ nisi temperatum de temperantia loqui ad persuadendũ uel debere uel posse. Præterea traditur in Timæo, ex consonanti quadam animæ tam ad seipsam quàm ad corpus modulatione, nobis prospera cuncta contingere. Quinetiam Pythagoræi, quos Romanus in hoc sequitur Censorinus, si animus prudẽter motiones singulas tum sui, tum corporis moderetur, perpetuam utriusq; sanitatem, & diuturnam uitam corpori pollicentur. Quod quidem plerisq; sapientibus sanctisq; uiris proueniisse compertum & Censorinus & nos habemus. Ad eandem quoq; causam aut similem diuturnas priscorum uitas nonnulli referrent: Sed additur his aliquid mirabilius: Magos carminibus suis immortalitatem corporibus polliceri. Magicem Zoroastris Plato in Alcibiade, nihil aliud quàm diuinum cultum esse dicit. hic insuper addidit, non magicis tantũ carminibus, uerumetiam philosophicis rationibus & temperari animum, & corpus uel semper, uel diu saltem procul à morte seruari. Profecto oratio illa quæ temperantiam

perantiam audientibus omnino sit persuasura, atq; insuper effectura, duo potissimum exigit, & uim à deo infusam & rationes à philosophis comparatas. Atq; orationem è duobus his compositã Plato incantationẽ nominat magicam. Qua Phœbus primo, deinde Pythagorici morbos ab animo & corpore mirabiliter expellebant. Neq; uero falsum putari debet, corpus sub anima penitus temperata immortale effici posse, & sub intemperata in morbos, et mala labi. Id enim Mosaicũ de primi parentis statu atq; lapsu mysteriũ continet. Atq; Auicẽna sequutus Platonicos et Hippocratem, probat animum ex ipsa sui natura adeo materiam omnem exuperare, ut cum primum in seipsum fuerit restitutus, possit elementa mundi mira quadã uirtute mouere, atq; habere in corpora quæuis imperium: quo fit, ut multo magis possit in proprium. Quod quidem & ab initio Adam poterat experiri, & quidã putãt Enoch & Eliam, & nonnulli suspicantur euangelistam adhuc ratione quadam simili uiuere. Sed de his omnibus in Theologia nostra latissime disputamus. Deniq;, ut summatim dicam, mira in hoc uirtus temperantiæ declaratur, quòd animũ infeliciter in deteriora prolapsum, feliciter sibijpsi restituit. Declaratur & mira potestas animi, à quo omnia tam bona quàm mala in corpus defluant, & quo uolente corpus seruari ualeat incorruptũ. Quod quidem Mosaicis mysterijs ferè undiq; consonat. Post hæc sæpius quid sit temperantia quæritur, quod quidem neq; Charmides neq; Critias unquam absoluit. Ille enim non temperantiam proprie, sed quæ comitantur eam, adducit in medium: hic autem quæ ad prudentiam magis pertinent: & id quidem semper inepte, uidelicet ut declaretur nõ esse cuiusli bet de uirtute tam præclara differere. Interea nota priscos sacerdotes consueuisse in sacris tertiam libationis pateram Ioui seruatori præcipue consecrare, ut declararẽt principia, media, fines omniũ, ut in Legibus Plato refert, sub Iouis prouidentia disponi atq; seruari. Sed ad Critiæ ineptias redeamus, dicentis esse scientiam quandam quæ tam se quàm scientias omnes sciat: res uero ipsas quarũ sunt scientiæ, nesciat. Quod quidem ideo est absurdũ, quia ueritas ipsa ratioq; scientiæ in ipso eorum quæ sciuntur quasi quodam contactu congruentiaq; consistit. Præterea neq; perfectè sciri potest scientia, nisi quæ scientia sit discernatur: Id uero nisi rei cuius sit habeatur, haberi nõ potest. Item confitetur Critias posse aliquem quæ nullo modo cognoscit, interim cognoscere se nõ nosse. Id autem Socrates idcirco non recipit, quoniam quæ nullo modo sciuntur, non possunt interim quodammodo sciri. Quisquis enim animaduertit se aliquid ignorare, eo ipso agnoscit & se carere. Si ita iudicat, ergo iam notionem ipsius quandam in seipso descripsit, per quam iudicet & se carere, & quo præcipue careat. Quo fit, ut quicunq; rem aliquam se ignorare cognoscit, interea rem ipsam nõ prorsus ignoret, immo generali quadam adumbratione describat, generali inquam propterea, quod in speciali rerum distinctione scientia perfecta consistit, quam in omnibus disputationibus suis Plato perquirit. Vbi uero Socratem inducit agnoscentem se nihil scire, indicat eum, & si non speciales, generales tamen rerum descriptiones habere, alioquin ignorantiam suam nõ posset agnoscere: ideoq; dum sciebat nihil, sciebat quodammodo cuncta. Quoniam uero Critias sermonem de temperantia traduxerat ad prudentiam, & id quidem licentia quadam Platonica, Socrates prudentiam asserit, id est boni maliq; scientiam, autoritatem summam ad beatitudinem obtinere, tum quia & bonum finem, & bona ad ipsum media ipsa demonstrat, tum quia omnes tam res quàm artes quatenus ab ipsa reguntur, nobis conducunt ad bonum, contrà uero nequaquã. Postremo docet Socrates nihil difficilius uel definiri uel comparari quàm temperantiã. Difficultas uero definitionis inde procedit, quod uix à cæteris uirtutibus quarum ipsa consonantia quædã est, discerni potest. Adde quod tanto difficilius intelligitur, uerbisq; exprimitur, quanto difficilius intrinsecus possidetur. Profecto cum ex ipso corporis commercio maxime ad uoluptatẽ intemperantiamq; procliues simus, in eaq; ab infantia nutriamur, difficillime temperantiã adipiscimur. Præterea primi sensus affectus uidentur nonnihil interdum uel ad fortitudinẽ per iram audaciamq; conferre, uel ad prudentiam per timorem, uel ad patientiam per dolorem, uel ad iustitiam liberalitatemq; per amorem. Temperantiæ uero semper impetus omnis opponitur. cum enim in summa quadam trãquillitate solum collocari possit, à quouis affectu undiq; impeditur. Auget quoq; difficultatem, quod sicut in corpore cõsonantem omnino humorum membrorumq; temperiem, sic in animo harmonicam suorum omnium temperantiã reperire omnium est difficillimum. Quamobrem non iniuria Socrates tam in epilogo quàm in exordio ad temperantiam cœlesti harmoniæ persimilem consequendã opus esse ait cœlesti uirtute atq; diuina, tum animo, tum rationibus & uerbis infusa. Vbiq; uero admonet contendendum esse potius, ut sub legitimis institutis tẽperati efficiamur, quàm ut sub dialecticis rationibus de temperantia disputemus: quandoquidẽ summa quadam difficultate cognoscitur, & cognita sine usu non modo nihil prodest, sed & obest quamplurimum, atq; id quod maius est, nisi re ipsa possideatur, perfecte cognosci non potest. Impuro enim rem omnium purissimam non licet attingere.

CHARMIDES PLATONIS, VEL DE TEMPERANTIA, TRANSLATVS E GRAECA LINGVA in Latinam à Marsilio Ficino Florentino, ad Petrum Medicem uirum clarissimum.

SOCRATES, CHAEREPHO, CRITIAS, CHARMIDES.

PRIDIE cum uesperi Potidæa ab exercitu redijssem, protinus solita exercitia, utputa quibus diu abfuissem, magna cum uoluptate repetiui, ac Taurei palæstram, quæ ex opposito regij tẽpli est, sum ingressus. Vbi multos comperi partim ignotos mihi, partim notos, & eos quidem plurimos. Qui cum me ex insperato uidissent procul, subito congratulati sunt aliunde alius occurrentes. Chærepho præcipue, uelut insanus esset, è medio statim prosiliens accurrit, ac manu me prehendens, O Socrates, inquit, quo pacto prælio superstes euasisti? Nam paulo ante quàm abiremus, apud Potidæam pugna commissa est, quam hi nuper isthic audierant. At illi ego respondens: Ita, inquam, ut cernis, euasi. Nunciatum est, inquit, pugnam acerrimam fuisse, atq; in ea plurimos nobis notos homines occubuisse. Vera, inquã, uobis nunciata fuerunt. An tu, inquit, prælio interfuisti? Interfui. Sede hic, nobisq; enarra, nondũ enim satis omnia intelleximus. His dictis, sedere me prope Critiam Callæschri filium iussit. Sedens itaq; Critiæ & alijs cõgratulatus sum primo, deinde quæ in belli expeditione contigerant, quod quisq; requirebat (alius enim aliud requirebat magis) recẽsui. Vbi uero hisce de rebus abunde locuti essemus, rursus ego illos interrogaui, quænã esset his temporibus philosophiæ conditio, & qui adolescentes, uel sapientia, uel indole, uel utriusq; clari. Tunc Critias ad fores respiciens, uidensq; adolescentes quosdam ingredientes & inuicẽ altercantes, & post eos turbã aliam, quod de honestis, inquit, ô Socrates, percontabaris, uidere mox cogniturus. Nam qui nunc ingrediuntur, præcursores sunt amatoresq; cuiusdam qui omnium huius temporis honestissimus & speciosissimus iudicat. ac uidetur & ipse iamiam ingressurus. Quisnam iste, & cuius filius, inquã? Nosti, inquit, fortassis & tu. Sed cum hinc abijsti, nondũ adoleuerat. Charmidem noueras filium Glauconis patrui nostri, patruelem meum? Noui equidem, neq; puer tunc contemnẽdus erat. Nunc uero adultum esse illum iam arbitror. Statim intelliges, ait, quantus & qualis euaserit. Dum hæc ille dicit, Charmides ingreditur. Ad me quidem ô amice quod attinet, nihil
Prouerbiũ perpendo. Profecto enim perinde sum erga honesta indole claros, ut alba amussis in albo lapide. Ferme enim omnes ætatis eius homines mihi pulchri uidentur. Præcipue uero tunc & ille corporis proceritate & egregia indole mirãdus apparebat. Cæteri autem omnes capti eius amore uidebant, usq; adeo illius ingressu obstupuerũt turbatiq; sunt. Multi præterea post illum amatores sequebantur. Et quod ad uiros attinet, nil mirum: uerum & pueros etiam animaduerti, quorum nemo ne minimus quidem alium quenquã intuebatur, sed illum unum cuncti tanquam imaginem quandam contemplabant. Hic ad me conuersus Chærepho, qualis tibi ô Socrates adolescens uidetur? an non specioso uultu? Mirifice, inquam. Atqui, inquit, si nudare se uellet, uultum præ illa quæ intus latet forma, deformem diceres. Eadem hæc Chærephonti cæteri etiam consenserunt. Insuperabilem hercle, inquam, uirum narratis, si paululum insuper quiddam huic adesset. Quid istud, inquit Critias. Si optimo, inquam, animi habitu natura decorus esset, qualem esse ô Critia, consentaneũ est uestra è stirpe prognatum. Immo certe quo ingenium spectatur, & pulcherrimus est & optimus. Quid igitur non nudamus, inquam, animũ prius, interioremq; formam potius contemplamur? Nam cum tantus iam sit, disserere gaudebit puto. Certe, inquit Critias. Nam & sapientiæ studiosus est, & ut sibi ceterisq; uidetur, ualde poeticus. Longa, inquam, serie nobilitatem hanc Solonis ex genere trahitis. Verum cur mihi iam adolescentem nõ monstras, huc accersens? Neq; enim dedecet etiam si esset minor natu, cum eo disserere, te patruele eius simul & tutore præsente. Probe, inquit. Vocandus est iam. Atq; his dictis ad eum qui ponè sequebat conuersus: Voca, inquit, Charmidem. Sed heus, dices illi, me uelle medico se cuidam committere ob ualetudinẽ qua de conquestus est nuper. Ad me uero Critias; Nuper, inquit, Charmides cum mane surgeret, caput dolere

lere querebatur. Quid prohibet igitur simulare remedium aliquod contra capitis grauedinem te habere? Nihil prohibet, inquam, modo ueniat. At ueniet. Quod & factum est: uenit enim, risumq; ingentem omnibus concitauit: unusquisq; enim nostrum unà sedentium, locum cedere Charmidi uolens quo sederet, proximum dedita opera impulit. Quo factum est ut eorum qui utrinq; sedebant nouissimi, alterum surgere cogeremus, alterum humi prostratum deiceremus. Ille uero accedens, me inter Critiamq; consedit. Ego uero percontante illo utrum capitis medelam scirem, uix tandem me scire respondi. Quęnam ista? inquit. Folium quoddam, inquam. At insuper addenda est incãtatio quædam. quam siquis adhibeat, folioq; utatur, sanitas restituitur. Absq; incantatione uero folium nil confert. Ad hæc ille: Exscribam equidem hanc te dictante incantationem. Verum si mihi persuaseris inquam? an etiam si non persuaseris? Ille subridẽs ait, Si tibi persuasero Socrates. Hem nomen, inquam, plane tu meum tenes. Teneo, inquit, equidem, nisi iniurius sum. Frequens enim de te inter æquales meos sermo habet. Memini quinetiam cum puer adhuc essem, te cum Critia hoc uersari solitum. Recte tu quidem. Audentius enim incantationis tibi modum ostendã. Paulo uero ante nescieb̃ quo pacto uim illius tibi monstrarem. Est autem talis ô Charmides, ut caput solum curare nequeat: quemadmodum sæpe ex peritis medicis audiuisti, qui quoties aliquis dolore oculorum affectus eos consulit, aiunt non posse oculis mederi, nisi prius capiti medeantur, neq; caput absq; totius corporis medicina posse curari. Hac de causa regulis quibusdam toti conferentibus utuntur, & à toto ad partem transeũt restituendam. an non audisti ita dicere illos, & ita esse? Prorsus inquit. Recte ne loqui tibi uidentur, inquã? sermonemq; hunc approbas? Maxime omnium, inquit. Enimuero cum probari sibi hæc audirem, Talis est, inquã, ô Charmides, incantationis quoq; huius potẽtia. Quam didici ibidem in exercitu à quodam medicorum Thracum Zamolxidis sectatorũ, qui & immortalitatem afferre dicunt. Adiecit prẽterea Thracius ille medicus, etiam Græcorum medicos quæ suprà narrata sunt prædicare. Cæterum Zamolxis, ait, rex noster ac deus tradit: quemadmodum oculos sine capite curare non decet, neq; sine reliquo corpore caput: ita neq; sine anima corpus. Eaq; causa est cur medicos Græcos morbi corporũ multi lateant, quia totum ipsum ignorant, quod in primis curare oportet: quo male affecto impossibile est partem aliquam bene ualere. Omnia namq; uel bona uel mala ab anima in corpus & hominem totum manant, indeq; similiter ut ex capite in oculos effluũt. Illam igitur primũ & maxime curari iubet, si modo caput & uniuersum corpus bene ualere debeat. Animæ uero medelas esse docet incantationes quasdam. Eas præclaris rationibus cõtineri, quibus animæ temperãtia tribuatur: qua inserta atque præsente, facile esse sanitatem capiti totiq; corpori tradere. Ille igitur quum medelam incantationesq; doceret, iussit ut nullis precibus motus alicui cõtra capitis dolorem remedium adhiberem, nisi prius animam incantationibus ipsis purgandam cõmisisset. Hunc sanè nostrorum temporum errorẽ dicebat esse, quod plerique absq; temperantiæ sanitatisq; studio, medici esse contendunt. Me itaq; mirum in modũ præmonuit, mandauitq; cauerem ne quis unquam dives seu nobilis, siue pulcher, mihi ut aliter faciam persuadeat. Illi hoc ego iureiurando interposito me obstrinxi: quamobrẽ necesse est paream. Tibi quoq; obsequar. Nam si uoles secundũ hospitis præcepta, animã tuam prius incantationibus omnibus Thracis illius subijcere, medicinam capiti admouebo: sin minus, non potero ô amice Charmides tibi prodesse. Cum igitur hæc audisset Critias, Lucro, inquit, erit grauedo hæc capitis adolescenti, si huius causa sanitatem mentis lucrabit. Affero autem tibi Charmidem hunc æqualibus omnibus nõ specie tantũ præcellere, uerumetiam eo ipso præstare cæteris, cuius ipse incantationem habere dicebas. An nõ temperãtiæ suprà dixisti? Huius ipsius, inquam. Scito igitur omniũ suæ ætatis adolescentum hũc uideri temperantissimum, & in cæteris omnibus pro ætatis incremento, nullo inferiorem esse. Consentaneum est ô Charmides, inquam, in his quæ dixit Critias, te cæteros antecellere. Neq; enim referre quisquam posset, ut arbitror, duarum apud Athenienses familiarũ coniugium, quo uerisimilius sit pulchram honestamq; prolem nasci, quàm maiorum tuorum coniugio. Nam paternum genus huic Critiæ Dropidi, ab Anacreonte, Soloneq;, aliisq; poetis permultis est illustratum, decore, uirtute, & alia felicitate præcellẽs. Eadem quoq; est materni generis gloria. Nemo enim Pyrilampo auũculo tuo aut pulchrior, aut maior

Præcepta quædam medicinæ

omnium qui continentem habitãt uisus est unquam, quoties ille uel ad regem magnum, uel ad alium in continẽti habitantium legatus accederet. Ac summatim uniuersa hęc domus nulla in re est inferior alia quacunq;. Quare probabile est te tali stirpe creatũ primas partes in omnibus obtinere. Quantum igitur ad eam speciem quæ cernit oculis attinet ô dulcis Glauconis fili, uideris mihi nihil à superioribus tuis degenerasse. quod si & ad temperantiam, & ad alia, ut Critias hic testatur, natura es institutus, beatum te ô chare Charmides mater peperit. Ergo sic se res habet. Si inest tibi, ut ait Critias, temperantia, & sufficienter es temperans, neq; Zamolxidis, neq; Abaridis Hyperborei incãtationibus indiges, sed iam tibi medela est capitis admouenda. Sinautẽ deest temperãtia tibi, incantatio medelam antecedere debet. Responde itaq; ipse mihi, utrum assentiaris Critiæ, & asseras temperantiæ te satis habere, an deesse aliquid recognoscas. Tunc ergo ipsius Charmidis genæ rubore suffusæ gratiorẽ speciem ostenderunt. Nam pudor eam ætatem decet. Deinde admodum generose respondit. Haudquaquã facile est quæ in præsentia quæsita sunt, uel admittere, uel renuere. Si enim me temperantem esse negauero, primo quidem turpe uidebitur quod ipse mihi derogẽ: deinde Critiæ huius aliorumq; multorum quibus temperans esse uideor, tanquã falsam sententiam coarguam. Sinautẽ affirmauero, odiosa uidebitur hæc de meipso iactantia. Quapropter quorsum me uertã nescio. Probe loqui uideris Charmides, inquam: itaq; cõmuniter inuestigandũ puto, utrum quod quæro possideas, necne: ne uel tu aliter quàm uelis loqui cogaris, uel ego temere mederi festinem. Si ergo gratum tibi futurũ est, cupio unà tecum inuestigare; sin minus, dimittendũ arbitror. Imò certe gratissimum, inquit, omnium. Quamobrem ut ipse præstare putas, ita perquire. Hunc in modum, inquã, cõmodior indagatio futura uidet. Constat profecto si inest temperantia tibi, habere te aliquid, quod de hac opineris. Necesse est enim inhærentẽ ipsam tibi si modo inhæret, aliquẽ sui sensum præbere, ex quo aliqua circa ipsam insurgat opinio, qua quid, et quale temperãtia sit cõiectes, nónne putas? Puto equidẽ. Nónne hoc censes? uidelicet postquam scis loqui Græce, dicere utiq; possis quidnã id tibi uidet? Fortassis, inquit. Vt ergo conijciamus utrum tibi insit necne temperantia, dic age, quidnam ex sententia tua temperãtiam esse dicis? Piguit eum primo, neq; libens ad respondendum uenit, demum ita respondit. Temperantiam esse duco decenter agere singula, & quiete per uiam incedere, quiete & loqui, ac summatim quiete omnia facere, & ut breui cõplectar quod quæris, quietudo quædã esse mihi uidetur. Recte, inq;. Ferunt sane quietos homines temperatos esse: sed uideamus an uera loquãtur. Dic igitur nunquid pulchrum aliquid temperãtia sit. Est, inquit, prorsus. Vtrum in illa grammatici facultate pulchrius est easdem literas cito scribere, an quiete? Cito. Legere autem celeriter ne an tarde? Celeriter. Quinetiã pulsare citharam uelociter, & prompte certare pulchrius est, inquam, quàm quiete ac tarde? Est, inquit. Quid uero in pugnorũ brachiorũq; ludis, nónne celeritas ipsa laudatur? Vtiq;. Currere autẽ atq; saltare, & cæteri corporis actus, nónne si propere & prompte fiunt, ad pulchrum spectant? si ignaue remisseq;, ad turpe? Apparet, inquit. Patet ergo quantum ad corpus attinet, non quod tardum, sed quod uelox maxime, esse pulcherrimum. Nónne, inquam? Omnino, inquit. Temperantiam uero pulchrum quid esse constitit? Constitit. Non ergo circa corpus quietudo, imò celeritas ad temperantiã pertinebit, si modo pulchrum quid est temperãtia. Videtur, inquit. Docilitas uero nónne pulchrior quàm hebetudo? Pulchrior certe. Est autem docilitas, inquam, cito perdiscere: hebetudo uero sero atq; lente. Profecto, inquit. Docere alium quamocyssime nónne pulchrius quàm tarde? Proculdubio. Reminisci itẽ, & meminisse sero atq; lente, pulchriúsne an facile atq; prompte? Prompte, inquit. Solertia uero nónne celeritas quædã animi est, inquam, potius q̃ tarditas? Est, inquit. Atqui & intelligere quę dicunt in grãmatici citharistæq; ludis, & cæteris omnibus nõ quamtardissime, sed quãocyssime, pulcherrimũ est. Et hoc, inquit. Quinetiã in ipsis indagationibus, & consultationibus animi non qui quiete, sero, & uix quæsitum inuenit, est laudandus, ut arbitror, sed qui breui potius atq; facillime. Vera hæc sunt, inquit. Ex his colligitur, inquã, ô Charmides, tam in ijs quæ ad corpus, quàm in ijs quæ ad animum spectant, uelocia promptaq; tardis & quietis pulchriora uideri. Sic apparet, inquit. Non igitur quietudo quædam, inquam, temperantia erit, neq; uita quieta temperans, ut hac ratione conijcitur. Quandoquidem quod temperatum est, &

Pudor adolescentes decet

Solertia celeritas quędam animi

& pulchrum esse debet. E duobus enim alterum est. aut nunq̃, aut raro admodum nobis in uita quietæ actiones pulchriores q̃ ueloces & uehementes apparuerunt. quod si non pauciores quietæ actiones quàm ueloces & uehementes pulchritudine præstare reperirentur, nec hac etiam ratione cõficeretur temperantiã esse quiete agere potius quàm uehementer atq; celeriter, neq; in ipso incessu, neq; in sermone, neq; in alio quopiam: neq; uita quieta quàm inquieta decentior esset & temperantior: quippe cũ in superiori sermone suppositum sit pulchrum esse aliquid temperantiam, pulchra uero non minus ipsa uelocia quàm quieta esse constiterint. Recte, inquit, dixisse mihi uideris ô Socrates. Rursus igitur ô Charmides, inquam, attentius teipsum contuere, & cogita qualem te temperantia præsens efficiat, qualis' ue sit ipsa, dum te talem efficit. Hæc autem animaduertens omnia, bene uiriliterq; responde quid esse tibi uidet. Ille protinus seipsum colligens, diligentiusq; contemplatus. Videtur, inquit, temperantia mihi uerecundum quendam ruborem inducere, uerecundumq; hominem facere, pudoremq; esse temperantiam arbitror. Quid ais, inquam: an non pulchrum aliquid paulo ante temperantiam esse dicebas? Dicebam equidem, inquit. Nonne boni homines, inquam, ipsi temperati sunt? Sunt, inquit. An bonum putas, inquam, quod non bonos efficit? Nequaquam, inquit. Non solum itaq; pulchrum, sed & bonum est, inquam. Mihi quidem uidetur, inquit. Non credis, inquam, recte Homerum loqui dicentem, Pudorem uiro egeno bonum non esse? Credo equidem, inquit. Est ergo, ut apparet, inquam, pudor non bonũ, ac bonum. Apparet, inquit. Temperantia uero bonum duntaxat. siquidẽ bonos facit eos quibus adest, malos uero nequaquam. Ita mihi, ut loqueris, esse uidetur, inquit. Ergo temperantia pudor non erit. quandoquidem temperãtia bonum est duntaxat, pudor autem nihilo magis bonum est quam malum. Recte quidem mihi, inquit, dici hoc uidetur ô Socrates. Verum attende obsecro quale tibi uidetur quod rursus adducã. Modo enim recordatus sum quod mihi traditum est à quodam dicente temperantiam esse, ut sua quisq; agat, cõsidera an recte loqui uideatur tibi qui hæc dicit. O fœde, ex hoc Critia illud audisti, uel alio quopiam sapientum? Videtur sanè, inquit Critias, ex alio, nam ex me nunquam audiuit. Quidnam refert, inquit, Socrates, ex quo audiuerim? Nihil, inquam, profecto. neq; enim id considerandum est quis dixerit. Sed utrum uere dicatur, necne. Probe nunc loqueris, inquit. Recte per Iouem, inquam. Mirabor tamen si quomodo hoc se habeat, inuenerimus. nam est ænigmatis cuiusdam persimile. Quamobrem, inquit? Quia non arbitror ita sensisse illum ut uerba sonant, inquam, temperantiam scilicet esse, ut sua quilibet agat. Nihil' ne putas grammaticum agere, quando scribit, uel legit? Puto equidem aliquid agere, inquit. Videturne tibi grammaticus nomen suum tantum scribere ac legere? uel etiam uos pueros erudire? Neq; enim minus inimicorum tunc nomina quàm uestra amicorumq; scribebatis. Certe non minus, inquit. An cum ageretis hoc, inquã, curiosiores eratis quàm decet, & à temperantiæ lege discedebatis? Minime, inquit. At uero non uestra agebatis tantum, si scribere ac legere, agere aliquid est. Est utiq;, inquit. Præterea mederi ô amice, ædificare, texere, & cuiuslibet artis opus explere, agere aliquid est, an nihil? Aliquid prorsus, inquit. An uideretur, inquam, tibi bene illa ciuitas instituta, in qua leges iuberent ut uestem quisque suam texat, lauetq;, calceosq; conficiat suos, & strigilem, & uascula olearia, uel unguentaria, & supellectilia quæq;? aliena quidem attingat nunquam, propria uero ipsemet peragat? Nequaquam, inquit. Veruntamen si temperate dispositа est ciuitas, bene instituta est, inquam. Quid ni, inquit? Ergo temperantia num erit talia quædam agere, & hunc in modum agere sua. Non, ut apparet, inquit. Quare per ænigmata loquebatur, inquam, ut suprà dixi, is qui prædicabat, agere sua temperantiam esse. Neq; enim usqueadeo fatuus fuisse putandus est, ut idem eius fuerit sensus, qui & uerborum sonus. Num fatuus quispiam ô Charmides hoc tibi tradidit? Minime, inquit, omnium. Immo quidam meo iudicio sapientissimus. Omnino igitur sententiam suam obscuris uerbis inuoluit, inquam, ut arduum cognitu sit, quid est agere sua. Fortassis, inquit. Potes' ne aperire nobis, agere sua quid sit, inquam? Ignoro equidem, inquit. Forte etiam qui hæc dixit, quid sibi uellet non satis intelligebat. Dum ita loqueretur, subrisit Charmides, Critiamq; aspexit. Critias autem licet ante ad differendum aduersus Charmidem aliosq; cupiditate gloriæ instigatus, se hactenus continuerat, sed ulterius ad hæc se continere non potuit; uisumq; est mihi ue-

rum esse quod fueram suspicatus, illam scilicet de temperantia superiorem sententiam à Critia Charmidem accepisse. Quare Charmides nolens ipse respõsum tutari, & hunc in Critiam laborem reijcere cupiens, irritauit eum, & quasi redargutum ostendit. Quod ille minime tolerauit, immo aduersus eum haud secus indignatus fuisse uidetur, ac poeta aduersus histrionem inepte sua poemata recensentem. Ideoq; illum intuitus: Itáne putas, inquit, ô Charmides, si tu nequaquam intelligis quis eius fuerit sensus qui agere sua temperantiam esse asseruit, neq; ipsum etiam intelligere? O uir optime, inquam, nihil mirum est hunc adolescentulum non intelligere. Te uero decens est hæc cognoscere, & propter ætatem, & propter studiũ. Si ergo affirmas & ipse temperantiã esse quod hic dixit, sermonemq; hunc susc ipis, libentius tecũ, utrum id uerum sit, necne, indagabo. Affirmo equidem, inquit, & suscipio. Recte facis, inquam. Sed die obsecro: Vtrum quę paulo ante quę rebam, admittis? artifices uidelicet omnes aliquid facere. Equidem, inquit. Videntur, inquam, tibi sua tantum, an aliena insuper facere? Aliena quoq;, inquit. Temperanter agũt itaq; qui non sua tantum faciunt, inquam? Quid prohibet, inquit? Quod ad me, inquam, spectat nihil. Sed uide ne quid apud eum prohibeat, qui cum supposuerit temperantiam esse agere sua, deinde tamen ait nihil obstare, quin & illi qui aliena agunt, temperati sint. Concessi equidem, inquit, eos qui aliena agunt, temperatos esse. An & eos qui faciũt, est concessum? Dic mihi, inquam, Critia, non idem uocas agere atque facere? Non certe, inquit, neq; idem operari atq; facere. nam id ab Hesiodo didici, qui ait, Opus nullum turpe esse. An censes ipsum, si talia quædam opera nominasset, operariq; & agere, qualia tu suprà narrabas, fuisse dicturum opus nullum cuiquam turpe, seu coria incidenti, seu cauponi condimenta obsoniaq; uendenti, siue in taberna sedenti? Haud ita censendum, ô Socrates. Immo uero ille, meo quidem iudicio, effectionem aliud quàm actionem & operationem existimauit, & effectionem quidẽ interdum opprobrio esse, quando quid præter honestum facimus, opus autem nullum unquam dedecori nobis contingere. Quæ enim honeste & utiliter fiunt, opera nuncupauit, operationesq; & actiones, effectiones quasdam huiusmodi. Existimandum præterea illum sola hęc propria esse cẽsere: noxia uero omnia penitus aliena. Quamobrem arbitrari oportet & Hesiodum & alium unumquemq; sanæ mentis uirum, hominem ita sua agẽtem, temperantem uocare. Cum primum ô Critia loqui cœpisti, inquam, percepi te propria & sua cuiusq; bona dicere, bonorũq; effectiones, actiones denominare. Etenim persæpe Prodicum audiui hunc in modum nomina distinguentem. Concedo equidem tibi pro arbitrio nominibus uti, modo id declares, quid nomine quoq; significare uelis. Nunc igitur tecum à principio clarius definito, utrum bonorum actionem uel effectionem, uel quomodocunq; uelis aliter nominare, temperantiam esse dicas. Hoc ipsum, inquit. Non ergo temperãter agit, inquam, qui mala, sed qui bona potius agit. Tibi uero ô bone uir, nónne id uidetur, inquit? Mitte istud in præsentia, inq;: nondum quod mihi uidetur, uerum quod ipse dicis considerabamus. Enimuero nunquam temperate illum agere dicerem, inquit, qui nõ bona, sed mala agat. Nam actionem ipsam bonorum, temperantiam esse manifeste definio. Forte nihil prohibet, inquam, quin uere loquaris: hoc tamen admiror, si homines temperate agentes ignorare putas quod temperate agant. Nequaq; puto, inquit. An non paulo antè abs te dictum est, inq;, quod nihil artifices prohibet aliena etiam facientes, temperanter uiuere? Dictum profecto, inquit, sed quid tum postea? Nihil aliud, inquam. Verum dic utrum medicus tibi aliquis uideat, dum sanum efficit aliquẽ, utilia sibi & illi quem curat, efficere? Mihi quidem, inquit. Nónne agit decentia, inquam, quisquis hæc agit? Certe, inquit. Qui uero agit decentia, inquã, nónne & temperate? Et tẽperate, inquit. Nunquid medicũ necesse est intelligere, quãdo curat utiliter, & quando nõ? & unumquemq; artificẽ quando conducturum sibi est opus ipsum quod efficit, & quando non conducturũ? Forte non, inquit. Quandoq; igitur, inquam ego, cum medicus utiliter operatus est uel contrà, seipsum non cognoscit ut operatus est, si tamen utiliter operatus est, ut ipse fatebaris & temperate. an non ita dicebas? Equidem, inquit. Nónne igitur, inquam, ut apparet, interdũ utiliter operatus agit quidem temperate, & temperatus est, ipse uero ignorat quod tẽperate agat, sitq; temperans? Fieri hoc, inquit, nõ potest ô Socrates. Verũ siquid est in superiorib. dictũ unde hoc sequatur, illud libentius retractabo; neq; me pudebit fateri aliquid aliud non recte dixisse, potiusq; consen

consentire,ut qui seipsum ignorat,sit tẽperatus. Fermè namq; hoc ipsum temperantiam esse arbitror,seipsum cognoscere,illicq; assentior qui præceptũ hoc tẽplo Apollinis ipsius inscripsit.Atqui uidetur hæc inscriptio tancq; Dei salutatio quædam ad homines qui templum ingrediuntur,eius loco quæ gaudere iubet:quasi non probe dicatur,gaude,neq; iubere hoc inuicem deceat, sed temperate potius uiuere.Ita homines templum ingredientes singulari sententia Deus alloquitur, aliterq; quàm homines nos salutat, ut sensit ille, meo iudicio,qui inscripsit.Et ingrediẽti nihil præcipit aliud q̃ uiuere temperate. Verum obscuris hoc præceptum uerbis tancq; uates interserit. Quippe Cognosce teipsum,idem est quod temperate uiue,ut literæ testantur,egoq; interpretor.Forte uero aliud esse putabit quispiam:quod quidẽ contigisse illis qui sequentia apposuerunt,existimo,hoc est,Nihil nimis,& Sponsioni nõ deesse iacturã.Nam illi quidem Cognosce teipsum,consilium quoddam esse putarunt,non Dei ipsius ad eos qui ingrediuntur admonitionem.Deinde ut & ipsi nihilo deteriora consulerẽt,reliqua insuper adiecerunt.Ergo hæc omnia Socrates à me dicta sunt,hoc est quia superiora omnia absq; controuersia tibi concedam.Forte namq; rectius de illis aliquid ipse dixisti,forsitan & aliquid ego.nihil uero ex his quæ diximus,manifestũ.deinceps autem rationẽ huius tibi reddere uolo,si nõ concesseris temperantiam esse seipsum cognoscere.Sic mecum agis,inq;,ô Critia,quasi ego quę interrogo,nosse affirmem:offersq; mihi te,si uoluero,concessurum. hoc autem non ita. Quæro enim tecũ semper de eo quod in medium est adductũ,idcirco quia illud ignoro. Videbo porrò utrum concedam necne. Consiste modo quoad ista considerẽ. Considera,inquit. Ecce considero,inq;.Si temperãtia cognoscere aliquid est,constat eam scientiã aliquam, & alicuius esse:nónne? Est utiq; suiipsius uidelicet. Nónne & medicina est scientia sani? Prorsus,inquit.Si ergo tu quæreres,medicina quum sit sani scientia,quid nobis confert? quid'ue efficit? responderem utiq; prodesse q̃ maxime.sanitatẽ porrò pulchrum opus nobis perficit.Accipis hoc? Accipio,inquit. Ac si rogares iterum,architectura cum sit ædificandi scientia,quodnam opus moliatur:domos utiq; responderẽ,& eadem de cæteris artibus ratione responsum darem.Postquã igitur temperantiam suiipsius scientiam esse dicis,tua interest respondere,si quis hunc in modũ requirat:O Critia, temperantia quæ sui ipsius scientia est,quodnã pulchrũ opus nobis efficit,ęstimationeq; dignũ? dicas,amabo, Non recte,inquit,interrogas Socrates. neq; enim aliarum scientiarũ hæc est similis,neq; aliarum aliæ:tu uero perinde ac si similes essent,interrogas.Nam dic obsecro. Computatricis geometricæ scientiæ quodnam tale opus est quale domus architecturæ,& textorię uestis opus est,aliaq; permulta eiuscemodi,quæ multis artibus quisq; tribuere posset? Potes ne mihi tu harũ eiusmodi aliquod opus ostendere.At nõ poteris. Vera dicis,inq;.hoc tamen monstrare tibi possum,cuius scientia sit harum scientiarũ quælibet,quod aliud est q̃ scientia quæq;.Quemadmodũ computandi peritia paris & imparis multitudinis scientia est,quo pacto ad se & inuicem habeant.an non? Profecto,inquit. Nónne aliud est,inquam par & impar quàm ipsa computandi scientia? Est,inquit. Quinetiã ponderandi facultas grauioris leuioris q̃ põderis libratio est. Graue autem ipsum & leue aliud quiddã est q̃ ars ipsa librandi.Assentiris? Assentior,inquit. Dic itaq;, temperantia cuius potissimum scientia est,quod sit aliud quàm temperantia ipsa? Hoc profecto,inquit,quod modo quæris,illud ipsum est quo temperantia ab alijs omnibus sciẽtijs differt. Tu uero similitudinem aliquam huius ad alias exigis.Sed aliter se res habet.Nempe cęterę omnes alterius cuiusdam scientiæ sunt,suiipsarũ minime.Sola hæc & aliarum scientiarũ, & suiipsius scientia est.Permultum abes ut hæc ignores:uerum arbitror te quod paulo ante negabas efficere:nam me refellere tentas,& illud de quo sermo est prætermittis. Quid agis,inq;? An putas si te redarguero,alterius gratia me id facturum, quàm cuius gratia meipsum examinarem, si quid dicam, metuens ne dum scire puto quod nescio, mea me ignorantia fallat? Et nunc quidem id summopere me facere assero, disserere uidelicet & examinare sermonem meiipsius gratia primum,forte etiam meorum familiariũ causa.An non commune bonum esse hoc omnibus hominibus arbitraris,ut rei cuiusq; cõditio omnibus innotescat? Maxime quidem ô Socrates.Audacter itaq; ô beate,ut tua fert opinio,ad interrogata respondens,ne cures Critias ne sit an Socrates qui redarguitur, sed ad ipsum sermonem attende,quonam redargutus euadat.Sic faciã, inquit; nam probe loqui uideris.

χαίρειν

Confutatio quartæ definitionis

De temperantia quod dicis, age, inq̃, repete. Aio equidem, inquit, ex omnibus alijs scientijs hanc solam & suijpsius & reliquarũ scientiarũ esse scientiam. Nónne & insciticæ scientia est? siquidem & scientiæ. Omnino. Solus itaq; temperans, inquã, seipsum noscet, examinareq; poterit quid nouit, quid ignoret: iudicare insuper ex alijs hominib. quod quisq; nouit, & nosse putat, siquidem nouit, quid ue ignorat ipse & nosse putat: aliorum autem nullus hoc poterit. Atq; hoc est esse temperatũ, & temperantia, seipsumq; cognoscere, intelligere scilicet quæ nouit, quæ ue non nouit. Sunt ne hæc quæ dicis? Sunt, inquit. Tertium igitur, inquã, ut dicitur, Seruatori uelut à principio considerem⁹. Principio utrum fieri hoc possit necne, ut quæ quisq; nouit, & quæ non nouit, nosse, & item non nosse cognoscat. Deinde si id fieri possit, quænam intelligentibus sit futura utilitas. Quærendum inquit. Animaduerte, inquã, Critia, num in his certi quicq; habeas: ego enim nihil: & quæ in re dubito, si uoles, aperiam. Imò uolo, inquit. Sequentur hæc, si stabit quod ipse modo dicebas: Vna quædam uidelicet scientia, quæ nullius alterius q̃ suijpsius, aliarumq; scientiarum scientia sit: atq; insciticæ rursus scientia eadem. Prorsus, inquit. Vide inq̃, amice, q̃ absurdus noster hic sermo sit. Enimuero si hoc idem in alijs quibusdam cõsideraueris, ut arbitror, impossibile tibi uidebitur. Qua ratione, inquit? & ubi? Hic plane cogita utrũ uideatur tibi uisus quidam esse, qui non sit earum rerum uisus, quarũ cæteræ uisiones: suijpsius autem & cæterarum uisionũ, & item nõ uisionis sit uisio: neq; colorem uideat ullum cum uisio sit, seipsam uero duntaxat & alias uisiones inspiciat. Videt ne uisio tibi ulla talis esse? Nulla, inquit. Num & uim, inquam, aliquã audiendi reperire posse confidis, quæ uocem audiat nullam, seipsam uero & auditus alios, & nõ auditus percipiat? Neq; istud possibile, inquit. In summa, sensus omnes percurre, consideraq; utrum sensus inueniri aliquis possit, qui seipsum cæterosq; sensus percipiat, nihil tamen eorum sentiat quæ sensus alij sentiunt. Impossibile & hoc existimo, inquit. An forte cupiditatem aliquam esse censes, quæ uoluptatem affectet nullam, suijpsius autem & reliquarum libidinum sit cupiditas? Nequaquam, inquit. Neq; uoluntatem, inquam, ut arbitror, quæ bonum nullum exoptet, seipsam uero & cæteras uoluntates expetat. Minime, inquit. Amorem quinetiã aliquem talem esse dicis, ut pulchri nullius sit amor, imò suijpsius, cæterorumq; amorum sit ardor? Non equidẽ. Timorem ne aliquẽ excogitasti unq̃, qui seipsum & metus alios expauescat, terribile uero & periculosum nihil exhorreat? Nunq̃ prorsus, inquit. Opinionẽ præterea talem ut opinionũ aliarum & suijpsius opinio sit, nihil autem eorum quæ opiniones aliæ suspicantur, opinetur ipsa? Nullo modo. Veruntamen scientiam quandam eius modi esse dixim⁹, quæ dogmatis nullius scientia est, suijpsius autem & aliarum scientiarum scientia. Diximus certe, inquit. An non mirum, inquã, quiddam, si est? nondum porrò esse negandũ, sed utrum sit considerandũ. Scite loqueris, inquit. Diciam. Est ne scientia hæc alicuius scientia? habetq; uim quandã huiusmodi, qua alicuius sit? Prorsus, inquit. Item maius ne dicim⁹ eam uim habere, qua aliquo maius sit? Habet nimirũ, inquit. Nónne minori aliquo maius, si maius erit? Necessarium est, inquit. Si maius quippiam reperiremus, quod maioribus alijs & seipso maius existeret, neq; tamen maius esset aliquo eorũ quibus cætera sunt maiora, omnino sibi hoc conueniret, ut sicut maius est seipso, ita sit & minus? Necessariũ est ô Socrates. Quinetiam si duplum sit, inquam, aliquid ad alia dupla, & ad seipsum, certe ad seipsum dimidium erit duplum, & ad alia dimidia duplũ. Nempe quicquid duplum est, non alterius est quàm dimidij duplum. Verum est, inquit. Præterea quod seipso plus est, nónne & paucius? & quod grauius, item leuius? quod ue senius etiam iunius? & in cæteris omnibus eodem modo, quicquid suijpsius potentiam ad seipsum habet, nónne & illam habebit essentiam, ad quam est eius potentia? Dico autẽ tale aliquid. Auditum nullius alterius dicim⁹ esse quàm uocis auditum? Profecto, inquit. An non si seipsum audiet, inq̃, uocem se habentem audiet. Neq; enim aliter posset audire. Necessario sequitur, inquit. Visus quoq; ô uir optime, inq̃, si seipsum uidebit, necesse erit eum aliquem colorẽ habere. nam absq; colore uisus cernere nihil potest. Nihil potest inquit. Vides, inq̃, ô Critia, ea quæ narrauimus, partim impossibilia esse, partim incredibilia, quod uim suã habeant ad seipsa. q̃ enim magnitudo & multitudo ac cętera huius generis uim suã habeant ad seipsa, penitus impossibile. nõne? Sic est omnino, inquit. Quod uero uisus & auditus, inq̃, seipsos percipiant, motus se moueat, & se caliditas calefaciat; &

Prouerbiũ

& cætera talia à quibusdam non creditur,nõnullis fore credendum uidetur. Magno quo dam uiro opus est,ô amice,qui satis per omnia id distinguat,utrum nihil omnino uim suã ad seipsum habere ualeat præter scientiam, sed ad aliud: an queant alia,alia nequeant:& si aliqua sint quæ ad seipsa uim habeant, utrum eorum in numero hæc scientia sit, quam temperantiam nominamus. Equidem sufficere me ad hæc discernenda,nequaquam confido. Quocirca neq; asserere possum utrum fieri possit,ut scientiæ scientia sit. Quod & si detur,non prius tamen assentiar esse huiusmodi temperantiam, q̃ inuestigauero utrum prosit quicquam nobis temperantia talis existens,uel nil prosit. Temperantiã enim conferens quiddam ac bonum esse uaticinor. Tu igitur Calleschri fili,quandoquidem temperantiam ponis scientiæ inscitiæq; scientiam,ostende primum possibile hoc esse quod suprà dicebam:postea præter id quod possibile,esse & conferens:atq; ita mihi circa temperantiæ ipsius definitionem forsitan satisfeceris. Critias uero cum hæc audiret, meq; dubitantem uideret,eorum more qui oscitantes intuiti oscitant,ipsi quidem uisus est hæsitante me,similiter hæsitare. Sed utpote gloriosus,præsentes ueritus est,neq; confiteri uoluit, sed ad ea discernẽda quæ obtuleram,nõ sufficere,neq; aperte quicquam protulit, suamq; ambiguitatem occuluit. At ego ut disputatio nostra procederet:Si tibi,inquam,uidetur, ô Critia,dabimus nunc,scientiæ scientiam esse posse. Vtrum uero possit necne,aliàs indagabimus. Veruntamẽ si quammaxime id possibile sit,quid magis possibile est cognoscere quæ nouit aliquis,& quæ nõ nouit? hoc utiq; esse diximus seipsum cognoscere, temperatumq; esse. Nónne? Maxime,inquit,ac sequitur quodammodo Socrates. Nam si quis eam habet scientiã quæ seipsam cognoscit,talis & ipse sit,quale est id quod habet: quemadmodum cum uelocitatem habet quis, uelox: & quando pulchritudinem, pulcher: & quando cognitionem cognoscens. Quare cum cognitionem ipsam suĩpsius quis habet, seipsum tunc cognoscens efficitur. Haudquaquã id ambigo,inquam,quin si quis in seipso habet aliquid sese cognoscens,ipse quoq; se nouerit. Sed quænam necessitas cogit hominem sic affectum,quæ nouit,quæ ue nõ nouit cognoscere. Hæc uidelicet,inquit,quia idem est hoc & illud. Forte sic est,inquam. sed ego semper similis esse uideor, neq; rursus intelligo quomodo idem sit,quæ nouit cognoscere, & cognoscere quæ non nouit. Qui istuc ais,inquit? Ita,inquam. scientia ipsa scientiæ existens,nunquid ultra discernere poterit, q̃ quòd ex his hoc quidẽ scientia est,illud inscitia? Non ultra,sed eatenus,inquit. Idem est igitur,inquam,scientia & inscitia sani,atq; item scientia & inscitia iusti? Nullo pacto, inquit. At uero hoc quidẽ medicina,hoc autem ciuilis peritia,inq̃,hoc nihil aliud q̃ scientia. Quid ni,inquit? Nisi quis nouerit sanum insuper ac iustum,sed solam scientiam,utpote huius solius scientiã habens,quod quidem scit,quod ue scientiã quandam habet,agnoscet tam circa seipsum, q̃ circa alios,nónne? Quod uero cognoscat hac scientia, quanam ratione intelliget? cognoscit enim sanum & salubre medicina,non temperantia, harmonicum musica non temperantia,ædificiũ architectura,non temperantia, & similiter omnia. nónne? Apparet,inquit. Temperantia uero,inq̃, si scientiarum scientia est duntaxat, quomodo intelliget quod sanum salubreq; cognoscit, uel quod ædificiũ? Nullo, inquit. Non ergo intelliget quid cognoscat,hoc ignorans,sed quia cognoscat tantum. Videtur, inquit. Non igitur temperatũ esse erit hoc,neq; temperãtia,intelligere quæ nouit,quę ue non nouit,sed ut uidetur,quia nouit,& quia nõ nouit solum. Apparet,inquit. Neq; poterit etiam hic alium examinare alicuius scientiam profitentẽ,utrum sciat quod pollicetur, an nesciat. Imò hoc solum ut uidetur,inq̃,agnoscet,quod scientiam quandã habet: cuius autem rei scientiam temperantia non ostendet. Non uidetur,inquit. Neq; igitur simulantem medicum à uero discernet,neq; alium quempiam scientem à nescio. Sic autẽ consideremus. si temperans,aut alius quiuis dijudicaturus est uerum & falsum medicum, an nõ sic faciet? De medendi quidem arte cum illo nihil differet. Nihil enim aliud ut dicebamus,intelligit medicus q̃ sanum atq; ægrotũ,salubreq; & noxium,an nõ ita? Ita prorsus, inquit. De scientia porrò nihil nouit,inq̃. hoc enim soli tribuimus temperãtiæ. Sic est,inquit. Neq; de medicina igitur medicus quicq̃ nouit,inquã: quandoquidẽ medicina scientia quædam est. Vera loqueris,inquit. Quod quidem scientiam aliquam habet,temperatus agnoscet,sed alius quispiã medici peritiã considerabit,quænam quorum ue sit. Quod quidem tunc patet,cum scitur quarum sit rerum scientia. An non scientia quæq; determinata

minata est,haud hoc tantum quod scientia est,sed quæ scientia,& quæ scientia sit,cognoscitur,his cognitis quorum scientia est? Sic prorsus,inquit. Medicinæ,inquam, sciẽtia ab alijs scientijs eo distincta est,quod salubris est insalubrisq; peritia? Nempe,inquit. An nõ in his considerare debet,inq;,quisquis medicinam cõsideraturus accedit,in quibus uidelicet ipsa uersatur? Neq; enim in extraneis,in quibus non est,quærenda uidetur. Non certe,inquit. In salubribus itaq; eorumq; contrarijs medicum considerabit inquantum medicum,quicunq; recte hunc perscrutabitur. Videtur, inquit. Nónne in his ita uel dictis uel factis animaduertet, quæ uere dicantur,& quæ recte agantur. Necessariũ,inquit, est. An poterit ullus absq; medicinæ peritia hæc conijcere? Nullus,inquit. Neq; alius,ut uidetur, præter medicũ,neq; temperans igitur. Nam præter id quod temperans,esset & medicus. Vera hæc sunt. Omnino igitur temperantia, si scientiæ insciti'ue scientia est, neq; discernere medicum poterit medendi peritũ,itemq; medicinæ peritiam simulantem,uel sese habere putantẽ,neq; alium quenq; eorum qui aliquid sciunt, præterq; hominem artis eiusdem professorẽ,quemadmodum artifices alij. Sic apparet. Quænam nobis ulterius ô Critia,à temperantia cum talis sit,est prouentura utilitas? Si enim quod in principio supposuimus, cognosceret temperans quæ nouit, quæ' ue non nouit, illa quidem quòd nouit,hæc uero quòd ignorat,& alium sic affectum dijudicare posset,emolumentũ ingens temperantia præditi reportaremus: quippe sine errore uitam ageremus,& nos quicunq; temperantiæ participes, & cæteri omnes quicunque nostro imperio regerentur. Neque enim nos quæ ignoramus,agere aggrederemur,sed scientes homines perscrutati illis utique cederemus: neq; alijs nostræ gubernationi subiectis agere cõcederemus aliud quicquam,nisi quod aggressi recte forent acturi. id est autem,cuius haberent scientiam. Atq; ita per temperantiam,& domus instituta recte gubernaretur, & disposita ciuitas optime regeretur,& aliud unumquodq; cui temperantia ipsa præesset. nam errore sublato,rectitudineq; ducente in singulis actionibus necesse est,ita uiros instructos honeste atq; bene agere,bene autem agentes beatos esse. An non sic ô Critia, de temperantia dicebamus, dicentes quantum bonum sit nosse quæ nouit aliquis,& quæ non nouit? Ita prorsus, inquit. Nunc autem uides nullam scientiam talem esse nobis apparuisse. Video equidem. Nunquid bonum hoc continet eam quam nunc inuenimus,temperantiam esse scilicet et scientiam & insciti am scire: quòd quicquid discendum tentabit,qui hac armatus est,facilius perdiscet,clariora q; omnia illi se offerent,utpote circa omnia quæ discẽda sunt,scientiam ipsam prospiciẽti,aliosq; melius in his rebus examinabit quæ ipse discet. Qui autem absq; hoc examinabunt,imbecillius & ineptius facient. An eiusmodi quædam sunt, ô amice,quæ nobis temperantia confert? Nos autem maius quiddam excogitamus,idq; maius quàm sit,esse requirimus? Forte sic est,inquit. Forsitan,inquam ego,fortassis etiã non nihil conferens indagauimus. Quod quidem inde conjecto,quia absurda quædam sequi uidentur circa temperantiam,si ipsa sit talis. Videamus ergo, si placet, concedentes fieri posse,ut constet scientiam sciri: quodq; in principio posuimus, temperantiam uidelicet esse, cognoscere quæ nouit aliquis, uel non nouit: ea re ne illam priuemus, sed demus potius. Hisq; concessis, diligentius etiam inuestigemus,utrum in præsentia nos iuuet, si talis existat. Quæ enim dicebamus modo,quod ingens quoddam nobis esset temperantia bonum, si talis esset,regens disputationem aliquam, domumq; & ciuitatem,haud recte ô Critia concessisse uidemur. Quamobrem, inquit? Quoniam facile nimium asseruimus bonum ingens fore hominibus,si nostrum singuli quæ quidem cognoscũt,egerint: quæ uero ignorant,scientibus alijs quibusdam dimiserint. Nónne recte hæc asserta sunt? Non,ut mihi uidetur. Absurda reuera loqueris Socrates. Per canem ita in præsentia mihi uidetur,& nuper aduertens, inquam, absurda quædam occurrere, meq; timere ne minus recte consideraremus. Reuera enim si talis est temperantia,haud sane uideo quid nobis afferat boni. Qua ratione,inquit? dicas,ut & nos quid sentias,cognoscamus. Nugatu rum quidem me arbitror. Necesse tamen quod occurrit,considerare: neq; frustra ac teme re præterire,si quis ipsius quoquo modo habet curam. Scite loqueris, inquit. Audi iam meum somnium,siue per cornu,seu per ebur emerserit. Si enim nobis quammaxime dominaretur temperantia talis existens,qualem modo describimus,utiq; secundũ scientias ageret,neq; aliquis gubernatorẽ esse se iactãs,cum minime sit,nos falleret,neq; medicus;

neq;

neq; dux exercitus, neq; alius ullus scientiæ falsus professor nos effugeret. His hũc in modum dispositis, aliud quiddam nobis contingeret: nam melius quàm nunc corporibus ualeremus, & in maritimis militaribusq; periculis tutiores euaderemus. Vasa item & instrumenta, uestes, calceos, uniuersam denicq; supellectilem ex arte magis cõmodiusq; institutam possideremus, ex eo quod ueris artificibus uteremur. Concedamus quoq;, si uis uaticinium futuri scientiam esse, & temperantiam illi præsidentem uanos ostentatores uitare, ueros autem uates ad futurorum prædictionem eligere. Ita profecto genus hominum institutum, quod scite ageret uiueretq;, assentior. Nam custos uitæ hominum, temperantia nunquam subrepere inscitiam, & uiribus uti suis permitteret. quod autem secundum scientiam agentes, bene ageremus, essemusq; beati, nondum percipere possum, ô amice Critia. Haud facile alium bene agẽdi finem perfectionemq; reperies, inquit, si actionem secundum scientiam spreueris. Paulo diligentius inquam, explica secundum quam scientiam. Num secundum scientiam coriariam? Non per Iouem, inquit. An forte ærariam fabricam? Neq; istam, inquit. Num secundũ lanificiũ artificiumq; lignorum, aut quiddam huiusmodi? Neq; istud, inquit. Haud ulterius itaq; eo in sermone standũ uidetur, quo asserebatur beatum esse illum qui secundum scientiã uiueret. nam hi secundum sciẽtiam uiuentes, beate uiuere abs te minime affirmantur. At forte è multis inscienter uiuentibus, unum quendam certa ex scientia scienter uiuentem, beatum determinas. Ac forsitan dicis, quem ego paulo ante dicebam, uatem futurorũ omnium præsciũ. Hunc'ne, an alium inquis? Et hunc, & alium, inquit. Quem, inq;? Nunquid eum hominem qui nõ futura solum, uerum etiam præterita præsentiaq; cognoscat, nihilq; ignoret? Fingamus eiusmodi aliquem: hoc tu neminem alium magis è scientia uiuere dicas, ut arbitror. Neminem prorsus, inquit. Hoc item addatur, quænam scientiarũ potissimum beatũ facit. Num similiter cunctæ? Non similiter, inquit. Verum qualis maxime illa qua quis nouit præsens, præteritum atq; futurum? Nunquid ea qua talis ludere? Quid talos memoras, inquit? An forte qua computare? Nequaq;. Num qua salubria? Hæc quidẽ magis. Illa uero quam dico maxime, qua quid norim? Qua bonum ac malum. O improbe, iamdudum me clàm circuio quodam reflectis retrahisq; ad id, ut beatũ uiuere nõ sit secundum uniuersas scientias uiuere, imò secundum unam quandam boni mali'ue scientiam. Porrò si uelis, ô Critia, ex alijs scientijs hanc excipere, minus & ipsa medicina sanos efficiet? & coriaria calceos minus suppeditabit? minusq; textoria uestes? gubernatoria maritima pericula, militaris belli discrimina declinabit, seruabitq; minus? Nihil minus, inquit. At uero ô amice Critia, inquam, sublata hac ipsa scientia boni scilicet atq; mali, nihil horum bene utiliter'ue agetur. Vera loqueris, inquit. Haud hæc, ut uidet, temperãtia est, sed ea cuius opus est nobis prodesse. Non enim scientiarũ & inscitiarũ sciẽtia est, sed boni mali'ue cognitio. Quocirca si utilis nobis est temperantia, ad aliud quiddam confert. An non prodest & hæc, inquit? Nempe si scientiarum scientia est temperantia, cæterisq; scientijs præsidet, huic quoq; scientiæ bonum malum'ue discernenti similiter imperans nobis proderit. Nunquid bonam corporis ualetudinem præstabit, inquam, hæc potius quàm medicina? cæteraq; artium aliarum opera hæc efficiet, artifices autem singuli à propris cessabunt operibus? An non iampridem inter nos constitit temperantiam esse scientiæ inscitiæ'ue sciẽtiam, nec ullius alterius facultatem? An non ita? Ita prorsus apparet, inquit. Non ergo erit opifex sanitatis, inquam. Non, inquit. Alterius enim artis opus est sanitas. Alterius certe. Neq; utilitatis igitur, ô amice. Nam alteri hoc opus arti paulo ante tribuimus, nónne? Maxime. Quo pacto itaq; utilis nobis temperantia erit, quum utilitatis nullius sit artifex? Nullo modo uidetur ô Socrates. Vides'ne Critia, me suprà non iniuria timuisse, meq; ipsum culpasse, quod nihil magnum & utile de temperantia saperem? Nunquam enim quod omnium habetur pulcherrimum, hoc nobis apparuisset inutile, si quo pacto ad recte inquirẽdum ipse utilis essem. Nunc autem passim succumbimus, neq; inuenire ualemus ad quid potissimum significandum temperantiæ nomen instituit ipse nominum auctor, quanquam multa concessimus à ratione tamen penitus abhorrentia. Porrò scientiæ scientiam esse conuenimus, reluctante ratione, idq; protinus refellente. Quinetiam hac ipsa scientia reliquarum scientiarũ opera nosci concessimus, ratione similiter repugnãte: ut uir tẽperans talis esset, ut quæ nouit, sciat seipsum nosse, & quæ non nouit, ignorare rursus intellígat.

Hoc

Hoc utiq; magnifice nimium libereq; conceſſimus, haud aduertentes impoſſibile eſſe, ut quæ nullo modo quis noſcit, noſcat quodammodo. In hoc autem nos conſenſimus, uide licet aliquem ignorantem aliqua, quod non cognoſcat ipſa cognoſcere: & ſi nihil eſt, ut mea fert opinio, quod hoc uideatur abſurdius. Veruntamẽ ita nos ineptos potius quàm duros pertinacesq; hæc indagatio nacta, nihilo magis ueritatem inuenire poteſt: ſed uſq; adeo ſeipſam irriſit, ut quod iam diu nos communi conſenſu confinximus, & temperantiam eſſe poſuimus, hoc tandem inutile quiddam inſolenter & contumelioſe nimium apparuerit: tua quidẽ id cauſa potius quàm mea ô Charmides ægre fero, ſi tu tam egregia indole ac temperantia animi præditus, nihil tanta uirtute iuueris, nihilq; ipſa in uita tibi proſit. Moleſtius quoq; fero incantationis gratia, quam à Thrace illo didici, ſi in re nullius precij percipienda tantum ſtudium poſui. Hæc itaq; ſic ſe habere haud ſatis credo: immo ignauum eſſe me inueſtigatorem arbitror, quippe qui temperantiam magnum quoddam bonum exiſtimem: quod ſi habes, te beatum eſſe. Verum cogita utrum poſſideas, & incantatione non egeas. Nam ſi habeas, tibi equidem conſulam, ut me delirum putes, & inueſtigandæ ueritatis impotem, te uero quo es temperantior, eo beatiorem. Et Charmides. Neſcio per Iouem, inquit, ô Socrates utrum habeam necne. Nam quo pacto illud intelligam, quod uos, ut ais ipſe, quid ſit inuenire nondum poteſtis? Equidem tibi non multum credo Socrates. Immo indigere incantatione me arbitror, & quantum ad me attinet nihil obſtat quo minus quotidie mihi incantationibus medearis, quoad ipſe ſatis habere me putes. Eſto, inquit Critias: uerum ô Charmides ſi ſic egeris, argumẽto mihi iſtud erit, quòd temperatus ſis, quia incãtationibus Socratis te ſubijcias, nec ab eius latere unquam diſcedas. Pariturum me & paſſim, inquit ille, ſectaturũ exiſtimato. Nempe grauiter peccarem, niſi tibi tutori meo parerem, & quod iubes exequerer. Iubeo equidem, inquit Critias. Efficiam id ſedulo, inquit, hodieq; incipiam. Quidnam hi, inquam, deliberant? Nihil amplius, Charmides inquit. Nempe decretum eſt. Vim' ne inferes inquam: neq; mihi ullum uiciſſim conſultandi relinques arbitrium. Vim prorſus, inquit, illaturũ putato, quandoquidem hic præcipit. Ad hæc tu quoq; quid acturus ſis conſulta. Nullus, inquã, reſtat conſultandi locus. nam tibi agere aliquid affectãti cogentiq; nemo reſiſtere poterit. Neq; tu ergo, inquit, repugna. Haud equidem aduerſabor, inquam.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN Lachetem, uel De fortitudine.

PLATO ſæpenumero magiſtratus optimos legibus anteponit, quòd leges abſq; illis omnino uideantur inutiles: eas enim ſeruabit nullus: Magiſtratus autem optimi ipſi ſint leges. Sed ait magiſtratus non poſſe optimos fieri, niſi ciues uiri ſint optimi: neq; uiros fore tales, niſi adoleſcentes quoq; pueriq; ſint tales. Quapropter in omnibus pene dialogis parentes in primis ad recte educandos filios adhortatur, ſciẽs nõ poſſe genus humanũ abſq; gubernatoribus optimis uel honeſte uiuere, uel feliciter gubernari. Præterea nũquam fore bonos in repub. principes, niſi uiri ſint probatiſsimi, ſtatim uidelicet à tenera ætate diligenter exculti. Cum autem pueritia plerunq; ſub domeſticorũ prouidentia ſatis fermẽ regatur, adoleſcẽtia uero licentiã nacta ſolutiorẽ paſſim abſq; frenis oberret, merito Plato noſter plurimũ de adoleſcentibus corrigendis frenandisq; pertractat, grauiter conqueritur eam ætatẽ, quæ cum mollitie laſciuiaq; petulantiam ſuperbiamq; coniungit, ideoq; in ſummo diſcrimine poſita eſt, tum à domeſticis parum obſeruari, tum à legibus magiſtratibusq; infeliciter negligi, præſertim cum adoleſcentes tam ſe inuicem coinquinent, quàm à grandioribus paſsim inficiantur. Itaq; in Legibus & Repub. magiſtratum inter cæteros proprium adoleſcentiæ præfecit. Qui tanquam, ut ita loquar, epiſcopus exploratores quotidie tam nocte quàm die per totam mittat urbem, ſingulos ſingulorum adoleſcentum mores, uerba, geſtus obſeruaturos, ſingulaq; eorum tum facta tum dicta ad magiſtratum uelut ad paſtorem patremq; fideliter delaturos. Nec tamen neceſſaria adoleſcentiæ diligentia ſoli ex omnibus Platoni fuit curæ. qua quidem in re nec Ariſtoteles ipſe Platonem potuit nõ ſummopere cõprobare. Sed ad dialogum ueniamus. Lyſimachus et Meleſias de filijs cogitant educandis, de ſuis conqueſti parentibus, quod publica curioſius pertractantes, domeſtica filioſq; neglexerint, cum tamẽ prima reip. cura in curanda iuuentute cõſiſtat: & quamuis iam ſenes, tamen ut rectius ea de re deliberẽt, Niciam Lachetemq; etiam ſenes quibus & filij ſunt, ad conſultandum ſimiliter conuocant, ac ne quid minus proſpectum ſit Socratem conſilio adhibent, non modo ſocium, ſed & iudicem. Socratem inquam nihil aliud in omni eius uita tractantem, quàm tum de omni ætate, tum maxime de adole

adoleſcentia rite curanda. Tu uero conſiderabis interea miras Socraticæ uitæ laudes, itẽ ueras eſſe laudes quæ à uiro laude digno proficiſcũtur. At uero quoniam in alijs ciuitatibus inſtitutio legum ad manſuetudinem magis declinat quàm ad audaciam, in alijs uero contrà, Plato utrumq; arbitratus periculoſum, & manſuetudinem audaciæ, & uiciſsim audaciam manſuetudini iubet in Politico pariter commiſceri. Si quis uero Charmidem Lacheti cõiunxerit, exhortationemq; tum ibi ad temperantiam, tum hic ad fortitudinem inuicem copulauerit, adoleſcẽtum animos rite contemperabit. Mitto quod in hac præſentis dialogi ad fortitudinem exhortatione tam Nicias quàm Laches militarem fortitudinem ultra quàm deceat admirantur, & Nicias præter armorum ludos quaſi ad militiam præludia ſummopere neceſſaria, laudibus ſupra modum extollit. Sed hunc non iniuria Laches emendat. Poſt hæc ſententia transfertur ad Socratem. Vbi animaduerte nullam conſonantiam delectare magis, quàm quæ in ſapiente fit ex ipſa animi ſermonisq; concordia. Atq; contrà nullam diſſonantiam magis offendere, quàm ubi lingua mensq; diſſonant. Deinde hominem perditum etiam ſi belle loquatur audiendum nõ eſſe. Neq; licere de moribus loqui, niſi morato. Præterea Socratem ſemper cõſueuiſſe de quacunq; re diſputaretur, diſputationis ſocium eò perducere, ut totius uitæ ſuæ redderet rationem: quaſi aliena fruſtra cognoſcas, niſi teipſum noris. Additur neceſſe in primis eſſe ſe ipſum alicui examinanti ſubijcere, cui ſæpe rationes anteactæ uitæ reddantur. Quod quidem confeſsionem annuam à Chriſtianis inſtitutam ualde confirmat. Additur & tam diu diſcendum quàm diu uiuendum. Socrates autem omnium cautiſsimus iudiciũ ſibi iniunctum ait traducendũ in ſeniores. Sed interea obſecratus à cunctis rem ipſam aggreditur, ante omnia quidẽ diligentiã in filijs educãdis probans, improbans negligentiam. Adiungit nõ poſſe fieri ut quis ad fortitudinẽ aliquem exhortetur, niſi ſciat quid ipſa fortitudo ſit exprimere. Mox interrogatus Laches, quid fortitudo ſit, confidentius reſpõdet eſſe uirtutẽ per quam quis non deſerens ordinem, expugnat hoſtẽ. Quod quidem ideo confutatur, quia poteſt aliquis Scytharum more non minus fugiendo quàm permanendo hoſtem uincere, atq; æque fortis eſſe. Ideoq; Homerus eum appellat fortem qui opportune audere ſcit atq; timere. Paulo poſt ad quamlibet materiam fortitudinis uictoria trahitur, quaſi fortem uirum deceat non modo formidines, uerumetiã dolores, libidines, uoluptates exuperare. Hinc quæritur cõmunis ad hæc omnia fortitudinis definitio. Ad hæc reſpondet Laches, hanc eſſe quandam animi tolerantiam. At quoniam minus ſufficiẽter eſt definitum, Socrates addere cogit, tolerantiam ipſam oportere honeſtam eſſe atq; conferentẽ: eiuſmodi uero nõ erit, niſi prudenter id fiat. Ideoq; compellit Lachetem dicere, fortitudinem proprie tolerantiam prudẽtem eſſe. Siquidem fortitudo pulchrum quiddam eſt atq; bonum. Deinde quæritur quænam tolerantia, & ad quid prudens, id eſt circa quam materiam, quodue officium. Labitur autem Laches quando generatim interrogatur, utrum ubi audacia maior eſt, ibidẽ fortitudo ſit maior, idq; concedit: rurſusq; admittit neceſſario audaciam in eo eſſe maiorem, qui abſq; rei ipſius peritia, cognoſcens tamen periculum, rem ipſam aggreditur, quàm in eo qui peritia incedit inſtructus. Cautius enim tutiusq; is agit. Laches deniq; recipit, ubi plus audaciæ minusue peritiæ prudẽtiæq; eſt, fortitudinẽ eſſe maiorẽ. In qua quidẽ conceſsione & ſibijpſi repugnat, & admittit falſum. Nam fortitudo quidẽ pulchrum quiddam eſt & conferens, audacia uero imprudens eſt, turpis & noxia. Inter hæc nota tritam Socratis Platonisq; ſententiam. Ad illa quiſq; bonus eſt, ad quæ eſt ſapiens: ad illa malus, ad quæ ignorans. Profecto quemadmodum errores omnes, tum manus in apprehendendo, tum pedis in gradiendo ab ipſo uidendi defectu procedũt, ſic errata hominum omnia, tum in eligendo, tum in agendo ex defectu intelligentiæ proficiſci Socrates arbitratur. Nam ubi dux ipſe cæcus eſt uel cæcutiẽs, omnia labuntur in præceps. Poſt Lachetem definit Nicias fortitudinem, metuendarum rerum, & non metuendarum ſcientiam, qua uidelicet ratione & quatenus metuenda inuadendáq; ſunt. Vocat utiq; fortitudinem habitum quendam cum prudentia circa metuenda & inuadenda conſtantem. Audaciam uero ſine prudentia temerariam uocat ferocitatem. Socrates contra Niciam ſic argumentatur. Quorumcunq; aliqua ſcientia eſt, non alia præteritorum eſt ut facta ſunt, alia præſentium ut fiunt, alia futurorum ut optime fieri poſſunt, ſed eiuſdem ſcientiæ eſt hæc omnia intelligere. Si ergo fortitudo ſciẽtia eſt audendi & metuendi circa bona atq; mala, uidelicet ut futura ſunt, nimirum eſt etiam ſcientia eorundem ut præſentia ſunt atq; præterita. omniũ ergo ſimpliciter. Eſt igitur uniuerſa uirtus. Nos aũt fortitudinem ab initio tanquam uirtutis partem aliquam quærebamus. Obiectio hæc non tam refellendi, quàm tentandi Niciæ gratia facta eſt. At Nicias definitionem ſuam neſciuit defendere. Socrates autem inter ſeniores propter modeſtiã doctorem agere nolens, ſimulat ſe definitionẽ ſimiliter ignorare: hortaturq; eos ut unà ſecum uirtutum præceptores ſibi ante perquirant, quàm facultatẽ erudiendæ iuuentutis profiteantur, oſtẽdens in omni ætate moralem diſciplinam eſſe magnopere neceſſariam, ac ſine rubore uerecũdiæ ſemper eſſe diſcendũ. Definitiones uero quas uel hìc de fortitudine, uel in Charmide de tẽperantia quærit, nõ hic, aut ibi, ubi exhortari & admonere duntaxat conſilium eſt, ſed in Repub. & Legib. abſoluuntur. Sed ut de fortitudine ſimul & temperãtia quaſi germanis ſummatim dicam, Plato in Phædro Sympoſioq; uitam hanc noſtram itineri cuidam comparat. In quo quidem dirigendo ratio referat aurigam: affectus uero partim ſuperiores, partim inferiores, geminos referãt equos, album uidelicet atq; nigrum. Atq; ut, quantum ad propoſitam pertinet quæſtionem, commodius diſtinguamus: Diuinam, inquit, prouidentiam ſtatuiſſe nos à turpibus reuocare: ad honeſta cõtinuo prouocare. Ideoq; pudo

rem magnanimitatemq; nobis ingenuisse: ut auriga noster pudore quodã quasi freno, affectus nostros uelut equos à turpibus licet suauibus cohiberet: magnanimitatis uero calcaribus ad honesta quamuis ardua stimularet. Siquidẽ malus quidam dæmon ad turpia lenocinijs allicit uoluptatis: ab honestis amaritudine doloris absterret. Quãobrem & temperantia pudoris usa frenis, efficit ut à turpibus inuita uoluptate semper abstineamus: & fortitudo magnanimitatis freta calcaribus, dat operã ut ad honesta uiriliter contendamus, spreta difficultatis doloris q; formidine. Et quanto difficilius est dolores superare, quàm à uoluptatibus abstinere: tanto forsitan alicui uideri posset fortitudinem temperantiæ anteponendam. Deniq; temperantia quidem facit ne ex homine præcipitemur in bruta: fortitudo uero præter id, ut etiam quodãmodo transferamur in deum omnia superantẽ. Ob hanc præcipue uirtutẽ omnis antiquitas Herculẽ in deorũ retulit numerũ: Herculem, inquã, dum terræ uictor cœlestes scanderet gradus, ita clamantẽ: Ite nunc fortes ubi celsa magni Ducit exempli uia: cur inertes Terga nudatis? superata tellus Sidera donat.

LACHES PLATONIS VEL DE FORTITVDINE, TRANSLATVS A MARSILIO FICINO Florentino, ad Petrum Medicem uirum clarissimum.

LYSIMACHVS, MELESIAS, NICIAS, LACHES, FILII NICIAE ET LACHETIS, SOCRATES.

Occasio dialogi à fortitudine

VIRVM spectastis armis dimicantẽ ô Nicia atq; Laches: quam uero ob causam spectare hunc nobiscum unà ego & Melesias hic uos iussimus, hic quidem minime declarauimus. Nunc autem aperiemus: nam libere uobiscum loquendum existimamus. Sunt enim nõnulli qui hæc deridենt: ac si quis eis consulat, sententiam suam non exprimunt: sed illud quo de consultatur, simul & consultantis mentem tenere se putantes, alia præter ea quæ sentiũt, proferũt. Cum autem uos arbitremur & ad intelligẽdum sufficere, & quæ cognoscitis simpliciter explicare, socios ad eorum quæ referemus deliberationem asciuimus. Est autem quo de altius sum exorsus, eiusmodi. Hi nobis filij sunt, hic quidem huius filius, auito nomine Thucydides nuncupatus: meus item alter, aui similiter nomen seruans: nam Aristidem nominamus. Videturq; nobis quàm diligentissima horum cura suscipienda, neq; agendum putamus quod multi solent, qui filios suos cum primum adoleuerint pro sua sinũt libidine uiuere, immo uero tunc studium diligentius adhibendũ. Cum itaq; esse uobis filios uideamus, iudicauimus uos præ cæteris cogitasse, qua ratione educãdi sint ut optimi fiãt. quod si non multum animaduertistis, in præsentia admonemus uos id negligere nõ debere, exhortamurq; ut unà nobiscũ de filiorũ educatione deliberetis. Quam uero ob causam nobis hæc uideanť ô Nicia atq; Laches, audire decet, quãuis paulo prolixiora sint, quæ sequuntur. Discumbimus enim unà eodemq; conuiuio ego & Melesias hic, atq; hi nobiscum adolescẽtuli. Vnde quemadmodũ in principio sermonis significaui, libere uobiscũ audacterq; loqui licet. Sanè uterq; nostrũ multa potest patris sui præclara tum pace, tum bello gesta narrare, quib. illi uel reipub. suæ, uel socijs profuerũt, à nobis uero gesta referre nulla possumus. Quare & horũ nos pudet, eaq; damnamus, & patrum negligentiam sæpe culpamus, quod nos postquam adoleuimus, in mollicie quadam & delicijs uiuere permiserunt, rebus aliorũ interim intẽti. Eademq; adolescẽtibus his ostendentes, edicimus, si seipsos neglexerint, nostraq; præcepta contempserint, ignobiles eos futuros: si autem curauerint, forte dignos auitis nominibus euasuros. Ipsi uero parituros se nobis respondent. Nobis autem de hoc inuicem consultantibus qua disciplina uel consuetudine potissimũ optimi fieri possunt, exposuit quispiam operæprecium esse ut armis dimicare perdiscant, laudauitq; istum quẽ uos modo certantẽ spectastis, & contueri iussit. Optimum itaq; fore putauimus, ut & nos ad hoc spectaculũ ueniremus, & uos unà conuocaremus, tum ad spectandũ, tum etiam si uultis de adolescentulorum educatione cõmuni consilio deliberandum. Hæc sunt quæ conferre uobiscum cupiebamus. Vestra nunc interest, tam de hac re discenda sit necne consulere, quàm de alijs siquam disciplinam uel studium adolescentis laude dignum habetis: tum de consilio quid facturi sitis, prædicere. NIC. Sententiam profecto ueſtram ô Lysimache & Melesia probo, & uobiscum unà inuestigare paratus

tus sum,similiterq; affectum hunc Lachetem existimo. LAC. Recte putas ô Nicia: profecto enim quod paulo ante referebat Lysimachus de suo & Melesiæ patre, quàm aptissime dictum uidetur aduersus illos,& nos,& omnes quicunq; ciuilia tractant: nam, quod querebatur Lysimachus,illi tam filios quàm cætera domestica negligunt. In his itaq; pro be Lysimache loqueris. Quod autem nos ad consultandum de adolescentum institutione accersis,Socratem autem istum non inuitas,admiror: primo quidem conciuẽ, deinde in eo crebro,quod uel disciplinam,uel studium iuuenũ liberale,quale tu requiris, habet, occupatum. LYS. Quid ais Laches,Socrates hic talia unquam curauit? LAC. Et maxime quidem Lysimache. NIC. Ego quoq; huius rei non deterior quàm Laches testis esse possum. Nuper enim hospitẽ ad me deduxit erudiendi filij gratia Agathoclis discipulum Damonem,musicæ præceptorem,urbanum quidem uirum præ cæteris, atq; peritum nõ in musica solum,sed etiam in cæteris facultatibus, quibus certe dignus sit ut eius disciplinæ consuetudiniq; adolescentes huiusmodi committantur. LYS. Haud amplius ô Socrates, Niciaq;,& Laches,ego atq; æquales mei,iuniores cognoscimus,utpote qui nos domi ob ætatem plurimum continemus. Verum si quid boni, ô Sophronisci fili, conciui huic tuo consulere potes,consule. Decet enim: nam paternus nobis es amicus. Semper enim ego ac pater tuus familiares amiciq; fuimus, ac ille uita prius decessit, quàm ulla inter nos simultas exoriretur. Mihi quoq; quodammodo aures adhuc Socratis nomẽ circumsonat, quod hi pueri domi altercantes inuicem frequenter usurpant, celebrantq; summopere, quos ego nondum percontatus sum utrũ Socratem Sophronisci filium dicant, an alium. Sed ô pueri dicite mihi,hic'ne Socrates ille, quem adeo frequenter cõmemorare soletis? PVE. Iste proculdubio pater. LYS. Bene quidem per Iunonem ô Socrates, quod patrem tuum imitando attollis uirorũ optimũ,& quod nobis propria tua erũt tibiq; nostra. LAC. Ne uirum hunc dimittas Lysimache: nam ego alibi ipsum quoq; animaduerti, non erga patrem tantum,uerumetiã erga patriã mirum in modum officiosum. Porrò in ipsa apud Delum fuga, mecũ unà pedem retulit. Idq; ratum habeas uelim, quod si cęteri similiter se gessissent,haud tantam perpessa fuisset ciuitas nostra ruinã. LYS. Optima hæc laus est ô Socrates,quæ tibi nunc à uiris fidedignis tribuitur,qui in ijsdem laudandi & ipsi sunt, in quibus te laudant. Scito igitur me tua existimatione lætari,tibiq; summa beneuolẽtia esse deinctũ existimato. Oportet ergo te primũ ad nos accedere,domesticosq; ut decet cernere. Quare posthac postquam nos inuicem agnouimus,ne aliter facias, imò beneuolentia quadam domestica complectaris & nos & hos iuniores, ut mutua inter nos amicitia utrinq; seruetur. hæc sane & tu facies, & nos deinceps iterum in memoriã reuocabimus. Ad id aũt quod inquirere cœpimus,quid dicitis? num conducere putatis adolescentibus ut armis pugnare perdiscant? SOC. Conabor equidem ô Lysimache,si quid potero de his consulere, & quæ postulas omnia facere: uerum par esse mihi uidetur,ut quum & iunior his,& ad hæc imperitior ipse sim, audiam primo quid ipsi sentiãt,discamq;,ac si quid præter illorum sententias habuero,tunc demum tibi hisq; aperiam. Ac cur non ipse prior ô Nicia loqueris? NIC. Nihil prohibet Socrates. Videtur mihi peritia hæc passim prodesse iuuenibus,neq; in his immorandum,quibus iuuenes ocium nacti sese dare consueuerũt, sed eam facultatẽ comparare præstat,per quam habitus corporis robustus acquiriť. Nulla enim alia exercitatione inferior hæc est,aut minus laborioſa. Decet præterea liberũ hominẽ maxime exercitatio talis & equestris peritia. Nam in eo certamine cuius nos athletæ sumus,& in his quorum nobis est certamen propositũ,hi soli decertant, qui in eiusmodi belli instrumentis se exercẽt. Conferet quinetiam peritia hæc in ipsa pugna,quoties in acie ordineq; certandũ. Maxime uero tunc proderit,cum acies dissoluentur, & singulari certamine oportebit uel insequi repugnantem,uel inuadentẽ repellere. Nunq; sane qui hac facultate instructus est,uni succumbet,forte uero nec etiam pluribus, immo hac passim exuperabit. Præterea alterius cuiusdam præclaræ disciplinæ facultas hæc desiderium affert. Quilibet enim cum didicerit armis pugnare,disciplinã circa ordinandas acies,quę statim sequitur,affectabit: hæc aũt assequutus, & circa hæc cupiditate gloriæ inflammatus,ad exercitus præfecturã se conferet,ac summatim ad omnia quæ circa hæc uersantur instituta studiaq; præclara & cognitu usuq; digna,sese prima illa ducente cõuertet. Adijciemus item quiddam non contemnendũ,quod unũquemq; in prælio audentiorẽ fortio

Pueros discere debere armorũ disciplinam.

remq; mirum in modum hæc facultas redderet. Neq; illud insuper reticendũ, quamuis leuius uideri possit, quòd & aptiorem ibi uirũ efficies, ubi maxime aptũ promptũq; conspici oportet. Ibidẽ certe ob ipsam dexteritatẽ hostib. terribilior apparebit. Mihi itaq; ô Lysimache & operæprecium esse uidetur, ut hæc adolescẽtes percipiant: & quam ob causam ita putem, exposui. Veruntamẽ libenter audirem, siquid præter hæc Laches uelit afferre.

Deprimitur rationibus armorum disciplina

LAC. Absurdus profecto sermo existimaretẽ ô Nicia, si quis aliquam disciplinam diceret minime comparandam. Præstare enim uidetur scire omnia. Enimuero facultas hæc circa arma, si disciplina quædam est ut ferunt qui eam docent, & talis præterea qualem Nicias prædicat, discenda est. Sinaũt disciplina non est, sed nos decipiunt qui hanc pollicentur, uel disciplina est quidẽ, sed haud multi precij, quid hanc discere necesse est: Hęc ut dicam ex eo fit, quòd ut reor, si alicuius hæc esset precij, nunquam Lacedæmonios latuisset, quibus nihil aliud curæ est in omni uita, quàm ita se in omnibus comparare, ut bello cæteros omnes exuperẽt. Quæ res si forte illos latet, non tamẽ latuisset huius rei magistros, quòd & Spartani armis summopere studeant, & quòd qui propter artem in precio sit, & apud illos, & apud alios pecunias facile cumularet, sic quemadmodũ tragœdiarũ poeta apud nos honoratus. Nempe qui tragœdijs cõfidit suis, haud foris Atticam oberrat, per urbes alias ostentans, sed statim huc aduẽtat, & sua nõ ab re ijs uiris ostendit. Eos uero qui in armorũ exercitatione uersanẽ, uideo Lacedæmonem putare quasi quoddam inaccessibile templũ, neq; summo etiam pede ascendere unquã audere. Imò circumoberrant, & apud alios se potius iactant, præcipue inter illos, qui & ipsi se alijs multis in re militari inferiores esse confiterenẽ. Præterea nõ paucis ô Lysimache generis huius hominib. interfui dimicantibus, & quales sint noui. Quanq; apud sese unicuiq; rem coniectare licet. Quasi enim dedita opera nullus unquã in bello illustris euasit eorum qui his ludis incubuerunt. Quamuis in cæteris omnib. proficiant maxime, qui se frequẽter exercẽt, soli tamẽ hi præter cæteros ad hoc uoti impotes sunt, usqueadeo infortunati uidentur. Etenim Stesileum hunc, quem uos mecum tanta in turba sese ostentantẽ contemplati estis, & mira nimium profitentẽ, alibi quandoq; inspexi certius reuera seipsum haud sponte intuentib. demonstrantẽ. Naui enim in qua uehebatur, onerariã quandam aggrediente, falce cuspidata pugnabat, maxima quidem, maximus & ipse. Reliqua quidem uiri huius gesta haud digna auditu sunt, hoc tamen non est silentio prætereundum, quid contigerit ex tam miro uiri huius machinamento, qui telo falcem addidit. Eo siquidem dimicante falx se nauis fulcimentis implicuit. Trahebat autẽ Stesileus ut explicaret, neq; poterat: nauis autem transibat, interea nauem cursu comitabatur hastam tenens: cum uero nauis nauem iam transiret, & is hastam tenens attraheretur, ad extremum teli manu deuenit. Risus ergo ac strepitus oneraria in naui cõcitus ob Stesilei habitum, & ob id insuper quia lapide iuxta pedes eius in tabulatum iacto, quidam coegit ut hastam dimitteret. Tunc sane & illi qui triremi uehebantur haud ulterius risum continere potuerunt, cum cuspidatam illam falcem naui suspensam intuerenẽ. Forte alicuius hæc precij sunt, ut Nicias asserit, ueruntamen ea quibus interfui talia fuere. Quamobrem ut iam à principio dixi, siue disciplina hæc est, parum prodest: siue non est, sed simulant qui hanc profitentur, haud res studio digna uidetur. ita sane arbitror, siquis timidus facultatem hanc sequatur, audaciorem ob hanc effectum, clariorem fore quàm fuerit. Sinautẽ fortis quispiam eam sectetur, obseruatum ab omnibus si parum quid aberret, magnas calumnias subiturum. Inuidiosa namq; scientiæ huius professio. quocirca nisi uirtute mirum in modum cæteris præstet, qui hãc sibi scientiam uindicat, uitare nõ poterit quin ridiculus habeatur. Eiusmodi uidetur mihi Lysimache huius disciplinæ studium. Oportet autem ut ab initio dicebam, summopere hunc Socratem obsecrare, ut circa propositam quæstionem pro sua ipse sententia consulat. LYS. Rogo equidem Socrates. Nam arbitri cuiusdam sententiam consultatio hæc desiderat: si enim hi inuicem conuenissent, minus eiusmodi consultatione esset opus nũc: postquam uero Laches, ut cernis, & Nicias dissident, præstat audire nunc cuius ipse sententiæ potius suffrageris. SOC. Quid uero Lysimache: hisce tu adhærebis si plures nostrum laudabunt: LYS. Quidnam aliud quis agat ô Socrates: SOC. Nunquid & tu Melesia similiter faceres: Ac si de exercitatione filij consultares, num pluribus nostrum fidem præstares, an potius illi qui sub perito exercitandi magistro didicisset, secq; exercuisset: MEL. Illi merito

Stesileus gladiator

rito Socrates. SOC. Ipsi itaq; maiorem fidem adhiberes uni, quàm nobis quatuor. MEL. Forsitan. SOC. Scientia enim, nõ multitudine iudicare quod recte est iudicandum oportet. MEL. Proculdubio. SOC. Nónne id in primis considerandum est, si quis inter nos peritus ea in re sit qua de nunc deliberamus: an nõ: & si quis talis inueniatur ei credendum sententia cæterorum postposita: Si nullus, alius quidam nobis inuestigãdus: An exigua quadam de re nunc uos periclitare censetis tu & Lysimachus, potius quàm de uestrarum possessionum omniũ pretiosissima: Filijs namq; bene male ue institutis uniuersa domus paterna eodem modo gubernabitur, quo & filij affecti sunt. MEL. Vera loqueris. SOCR. Diligenter igitur huic rei inuigilandum. MEL. Valde. SOC. Quonam igitur pacto quod modo dicebam considerauissemus, si inuenire propositum fuisset quis nostrum sit certando maxime artificiosus: Nónne eum perscrutati essemus qui & didicit & exercuit: cuiq; uidelicet idonei huius rei præceptores extiterunt: MEL. Ita equidem arbitror. SOC. An non prius etiam quid illud sit, cuius præceptores indagaremus: MEL. Qui istuc ais: SOC. Sic clarius forte percipies: nõ uidetur inter nos principio constitisse quid illud sit de quo quærimus, quis nostrũ in eo maxime præstet, & huius gratia præceptores habuerit, quis non. NIC. Nónne quærebamus ô Socrates, utrum oporteat discere adolescentes armis dimicare, necne: SOC. Ita prorsus ô Nicia, sed cum de oculorũ medela quærit aliquis adhibenda ne sit, an non, tunc de medela putas, an de oculis consultari: NIC. De oculis. SOC. Et quando quæritur utrum frenum equo adhibendum necne, & quando, tunc nõ de freno, sed equo potius consultatur: NIC. Verum. SOC. Vt aũt paucis comprehendam, quoties quis aliquid alicuius gratia quærit, de illo ipso consultatio est, cuius gratia aliud quæritur, non de eo quod quæritur alterius gratia. NIC. Necesse est. SOC. Oportet itaq; consultorem examinare, utrum ad eam rem curandã peritus sit, cuius gratia in præsentia deliberamus. NIC. Omnino. SOCR. An non dictum est de disciplina perquiri adolescentum animi gratia: NIC. Dictum. SOC. Ergo num quis nostrum curandorum animorum arte polleat, ualeatq; eos sufficienter excolere, & præceptores eruditos habuerit, inquirẽdum est. NIC. Nunquam' ne uidisti ô Socrates quosdam sine præceptoribus in re quadam peritiores quàm præceptoribus adhibitis euasisse: SOC. Vidi equidem Laches, quibus ipse tamen non crederes si se optimos artifices prædicarent, nisi opus aliquod artis illorum recte constructum & unum & plura monstrauerint. NIC. Verum est quod dicis. SOC. Nos itaq; decet ô Laches & Nicia, postquam Lysimachus atq; Melesias ad consultandum de filijs conuocarunt, cupientes optimos illorũ animos effici, si præceptores nos habuisse fatemur, eos ostendere qui & ipsi primum optimi fuerint, & multorum adolescentum animos eruditierint, postea nos quoq; docuerint. Vel siquis nostrum præceptorem habuisse neget, opera sua monstrare debet, in medium q; afferre quinam Athenienſium, uel hospitum, aut serui, aut liberi, diligentia ipsorum absq; controuersia boni euaserint. Si nautem neutrum ostendere possumus, ut alios consultores adeant, iubere debemus, neq; in amicorum filijs deprauandis id subire periculi, quo apud adolescentũ domesticos accusationem maximam mereamur. Equidem ô Lysimache atq; Melesia de meipso in primis asſero, nullum hac de re mihi magistrum extitisse: quanquã à tenera ætate semper rem hanc affectaui. Veruntamen Sophistis mercedem soluere non ualeo, qui soli polliciti sunt bonum me & clarum efficere. Ipse uero proprio ingenio artem hanc inuenire etiã nunc minime possum, quam si Nicias hic uel Laches inuenit uel didicit, haud equidem admirabor. Etenim pecunijs magis abundant, ut ab alijs discere queant: & seniores sunt, ut iam inuenire potuerint. Videntur autem mihi ad erudiendum sufficere. neq; enim tam intrepide de studijs iuueni commodis aut incõmodis statuissent, nisi putassent satis sibi nota. Ac cætera equidem his credo. quod uero dissentiant admiratus sum. Atqui quemadmodum nuper Laches iubebat ne me dimitteres, sed percontareris, ita nunc ego uicissim te rogo iubeoq; Lysimache, ne Lachetem Niciamq; dimittas, sed ab his sciscitere, dicẽs eis Socratem dixisse, rem se nec intelligere, nec dijudicare posse uter uestrum uera loquatur: quippe cum nec inuentor harum rerum ipse fuerit, neq; ab alio docente ipse didicerit. Tu autem Laches ac Nicia dicite utiq; nobis, quem circa iuuenũ educationem doctissimum conueneritis, & utrum discẽtes ab aliquo sciatis hæc, an ipsi potius inuẽtores sitis. Quod si didicistis, quis utriusq; magister: qui' ue alij artis eiusdem professores: Vt si minus uo-

Quales filij, tales gubernatio

Pulchra regula in cognoscendis reb. de quibus agitur

bis ad hæc à reipublicæ negocijs supereſt ocij, eos adeamus, perſuadeamuscꝫ uel muneribus, uel gratia, uel utriſcꝫ, ut & noſtrorum & ueſtrorum filiorum curam ſuſcipiant, ne improbi facti maioribus ſuis dedecori ſint. Si autem ipſi uos hoc inueniſtis, adducite in medium ſiquos forte alios diligentia ueſtra ex prauis bonos claroſcꝫ homines reddideritis. Enimuero ſi nunc primum docere incipitis, animaduertendum eſt non Carem quendam mercede conductum, ſed & ueſtros & amicorum filios in diſcrimen uos ducere: & profecto, ut habet prouerbium, In dolio figulariam experiri. Dicite itacꝫ, quid ex his adeſſe & competere uobis aſſeritis negatis'ue? Hæc tu ab his ſciſcitare Lyſimache, necꝫ eos dimittas prius quàm reſpondeant. LYS. Probe loqui Socrates, ô uiri, & mihi uidetur. Si ergo uobis gratum futurum eſt, ô Nicia atcꝫ Laches, interrogantibus reſpondere, ipſi uideritis: mihi certe & huic Meleſiæ gratum, ſi uelitis omnia quæ interrogat Socrates, ratione percurrere. Etenim ſtatim à principio dixi idcirco ad conſultandum uos adhibitos eſſe, quòd cogitata uobis hæc iam, ut decẽs eſt, arbitraremur: præſertim cum filios habeatis ut nos ea fermè in ætate iam conſtitutos, in qua de erudiendo ſit cogitandum. Si ergo nihil prohibet, dicite obſecro, unacꝫ cum Socrate hoc conſiderate, & reddentes, & accipientes inuicem rationem. Recte namcꝫ & hoc hic dicebat, de maxima quadam rerum omnium noſtrarum in præſentia nos deliberare. Videte itacꝫ utrum ſic agendũ exiſtimetis. NIC. Videris certe mihi Lyſimache Socratem ex patre tantum cognoſcere, necꝫ cum eo unquam conſuetudinem habuiſſe, niſi fortè dum eſſet puer, patrem ſequutus aliquando uel in templo, uel alio populari conuentu tibi adhæſerit. Virum autem hunc factum nondum, ut apparet, es allocutus. LYS. Cur ô Nicia? NIC. Ignorare uideris quod quicunque ſermone quaſi genere propinquat Socrati, illicꝫ diſputans hæret, licet de alio quoquam cœperit diſputare, cogitur tandem Socratis uerbis adductus ſuæ uitæ reddere rationem, quæ ſit præſentis, quæ anteactæ ipſius uitæ cõditio. Et poſtquam in hæc incidit, non prius eum dimittit Socrates, quàm cuncta hęc ſufficiẽter examinauerit. Ego aũt hoc familiariter uſus ſum, ac neceſſarium eſſe cognoſco huius ex uerbis hæc perpeti, ac quod nunc mihi hoc ſubeundum ſit non ignoro. Delectat me admodum huius, ô Lyſimache, conſuetudo. Necꝫ enim obeſſe puto ut in memoriam reducatur, ſi quid non recte uel fecerimus uel faciamus. Immo uero neceſſe eſt eum qui hæc non refugit, cautiorem in poſterum fieri, exiſtimantem ſecundum illud Solonis tamdiu diſcendum quàm diu uiuitur, necꝫ ſperandum à ſenectute mentem nobis datum iri. Mihi itacꝫ nec inſuetum eſt, nec iniucundum à Socrate hoc examinari. Atqui iampridem id ſciebam, ſermonem nobis non de pueris præſente Socrate, ſed de nobiſipſis futurum. Quamobrem nihil prohibet, quo minus cum Socrate utcunꝫ uult ipſe, diſſeram. Verum conſidera quo pacto Laches erga hæc affectus ſit. LAC. Simpliciter equidem Nicia erga ſermones afficior, immo uero ſi uis duplíciter. Porrò uerborum ſtudioſus uideri cuiquam poſſem, & aliquando contrà. Nam quoties de uirtute, uel de ſapientia quadam aliquem audio diſputantem reuera uirum dignumcꝫ ſermonibus ipſis, mira quadam afficior uoluptate, contemplans dicẽtem ſimul ac dicta quàm congrua inter ſe & conſona ſint. Atcꝫ hic profecto uir muſicus eſſe mihi uidetur, harmoniam ſuauiſſimam modulatus, non lyram, necꝫ iocularia quædam inſtrumenta, ſed uitam reuera contemperans concordia uerborum & operum, concinentem ſecundum Doricam uidelicet melodiam, non Ionicam, aut Phrygiam, aut Lydiam, ſed eã certe quæ ſola Græca eſt harmonia. Talis itacꝫ uir mirifice ſuis me uerbis delectat, facitcꝫ ut uerborum auditor eſſe uidear: tanta attentione dicta illius accipio. Quiſquis autem agit contrà, meas offendit aures, & quo loqui uidetur ornatius, eo magis facit ut uidear à ſermonibus abhorrere. Socratis quidem uerba nondum expertus ſum, opera certe quandocꝫ mihi compertum eſt, hunc præclaris ſermonibus, omnicꝫ libertate loquendi dignum eſſe. Si ergo & hoc habet, cum eo plane conſentio, atque libentiſſime ab eiuſmodi uiro examinabor, neque moleſtum mihi erit ab eo aliquid diſcere. Atqui & Soloni (iſthuc modo adijci patiatur) concedo, nempe à bonis uiris duntaxat multa ſeneſcens diſcere uolo. Hoc igitur ſit mihi conceſſum, ipſum præceptorem bonum eſſe, ne forte dum inuitus diſco, indocilis eſſe uidear. necꝫ mihi curæ eſt, utrum ſit præceptor iunior, uel nondum opinione hominum clarus, uel aliud tale quid habeat. Tibi igitur prædico Socrates, ut me quomodocunque uis, & doceas, & redarguas, & diſcas quod ipſe nouerim.

Cõmẽdatio Socratis

Solonis præceptum

Si

Sic certe erga te affectus sum ex eo die, quo mecum subijsti discrimen, tuæq; uirtutis feci sti periculum, specimen tale præbens, quale exhibere debet quisquis iuste periculum est facturus. Dicas ergo quod lubet, nihil ætatem nostram ueritus. SOC. Ergo incusare uos non poterimus, quasi minus ad confidendũ inuestigandumq; paratos. LYS. Sed nos certe ô Socrates. Vnum enim ego te nostrum reputo. Cogita pro me adolescentum gratia, quod ab ijs quærere nos oporteat, cumq; his differendo consulta: nam mihi quidem multa memoria propter senium exciderunt, ex his quæ perquirere statueram. Nec eorum sane quæ audiam, si qui alij sermones interuenerint, meminero satis. Quapropter uos inuicem quæ proposuimus, percurrite: ego uero audiam, & cum audiuero, unà cum hoc Melesia quicquid statueritis, peragam. SOC. O Nicia atq; Laches, Lysimacho Melesiæq; parendum. Quæ igitur suprà inuestigare contendimus, uidelicet quinam præceptores nobis disciplinæ talis extiterint, uel quos alios ipsi nos meliores fecerim⁹, forte nihil obesset inter nosipsos examinare. Verum eiusmodi quædam consideratio eodem recidet, immo perinde erit, ut à principio. Nam si de aliquo quocunq; tandem compertũ nobis sit, quod id præsens alicui melius efficiat cui sit præsens, tum si hoc illi admouere possemus, etiam illud ipsum quo de consilium caperetur, quo quis pacto quãfacillime sibi acquireret, intelligeremus. Forte non intelligitis, uerum sic facilius comprehẽdetis. Si sciremus quod uisus oculis præsens meliores illos facit quibus adest, rursusq; possemus oculis ipsum adhibere, patet quod etiam quid ipse uisus sit, cognosceremus. De quo aliquãdo consultandum nobis esset, qua ratione quãfacillime & cõmodissime ipsum quis comparet. Si enim idipsum nobis ignotum esset quid uisus, quid auditus sit, nunquã idonei consultores medicinę circa oculos aures'ue essemus, inuestigãtes quomodo optime quis uisum auditũq; recuperet. LAC. Vera narras ô Socrates. SOC. Nónne hi nos in præsentia ô Laches, elegerunt consultaturos qua ratione uirtus animis filiorũ suorum adhibita eos meliores efficiat? LAC. Profecto. SOC. Nónne igitur constare id oportet, uidelicet quid ipsa uirtus sit intelligere? Si enim quid uirtus sit, penitus ignoremus, quo pacto consulere cuiquam poterimus, uiamq; optimam & facillimam ad uirtutem ostendere? LAC. Nullo modo ô Socrates. SOC. Fatemur' ne Laches, quid uirtus sit, intelligere? LAC. Fatemur certe. SOCR. Si intelligimus, certe quid sit etiam exprimere possumus. LAC. Nihil prohibet. SOC. Haud tamen quid uniuersa sit uirtus, statim uir optime, perquiramus. Maius namque id opus. Sed de parte primum aliqua uideamus, utrum satis nobis pateat, atque hunc in modum facilior nobis erit inuestigatio. LAC. Vtcunq; placet, agamus. SOC. Quam itaq; potissimum uirtutis partem eliciemus? an uidelicet eam ad quam ipsa armorum disciplina spectare uidetur? Videtur autem multis ad fortitudinem, nónne? LAC. Et maxime quidem. SOC. Primum ergo quid fortitudo sit, ô Laches, aperire conemur: deinde inuestigabimus quo pacto ab adolescentibus, quoad exercitatione & doctrina fieri potest, comparetur. Quapropter annitere quid fortitudo sit, nobis exponere. LAC. Haud dictu difficile istud ô Socrates. Certo scito illum esse fortem, qui ordinem seruans in oppugnandis hostibus instat, nec refugit. SOC. Bene loqueris Laches. Sed ego forsitan cum uerbis obscurioribus te rogarem, causam dedi ut aliud responderis, quam quod interrogans ipse senserim. LAC. Qua ratione id ais Socrates? SOC. Explicabo si potero. Fortis uticq; est, quem dicis, quicunq; ordinem non deserens aduersus hostes pugnat. LAC. Hunc ipsum dico. SOC. Atqui & ego. Sed nunquid & ille qui non permanens, sed fugiens pugnat? LAC. Quomodo fugiens? SOC. Quemadmodum Scythæ dicuntur non minus fugiendo quàm insequendo pugnare. Vnde & Homerus equos Æneæ laudans ait, celerrime hinc & illinc persequi atque fugere: Æneamq; ipsum similiter ab ipsa metuendi scientia quandoq; laudauit, dixitq; illum esse metuendi fugiendiq; peritum. LAC. Et recte quidem ô Socrates: nam de curribus loquebatur, tu uero de Scytharum equitibus loqueris. equites sane illorum sic dimicant: armaturæ autem Græcæ periti, quemadmodum ipse dicebam. SOC. Præter Lacedęmonios fortasse ô Laches. Nempe Lacedęmonios aiunt in Plateis, cum in scutiferos incidissent, non sustinuisse primum illorum impetum, neq; perstitisse, sed fugisse potius. Postquam uero Persarum solutæ sunt acies, se equitum more conuertisse, atq; ea pugna uictores euasisse. LAC. Vera narras. SOC. Merito ergo dicebam, ex eo quod ego nõ pro re interrogassem, factũ esse, ut tu quoq; nõ recte respõderis.

Hucusq; dialogi occasio

Fortitudinis definitio falsa

Confutatio

Enumeratio fit ut ſimpliciter de fortitudine quæratur

Interrogare enim uolebam,non ſolum de ijs qui circa leuem armaturam fortes ſunt, ſed etiam de equitibus,decꝫ omnibus ſimpliciter in quouis belli genere fortibus, necꝫ in terra duntaxat,ſed in maritimis tempeſtatibus,imò etiam de ijs quicunꝫ aduerſus morbos uel inopiam uel ciuilia negocia fortes ſunt.Necꝫ de his tantum qui aduerſus dolores metus' ue conſtantes ſunt,ſed de illis etiam qui contra uoluptates concupiſcentiasꝫ pugnare fortiter poſſunt,ſiue perſiſtentes,ſiue etiam tergiuerſantes. Sunt namꝫ & in hiſce rebus ô Laches,fortes nonnulli. LAC. Et maxime quidem ô Socrates. SOC. Nónne omnes hi fortes ſunt? Veruntamẽ partim circa uoluptates,partim circa dolores, partim circa cupiditates,partim circa timores fortitudinẽ poſſident:& qui timidi ſunt,circa eadem,utarbitror,timidi. LAC. Sic eſt omnino. SOC. Quid ſit utrumꝫ horum interrogabam.Rurſus itaꝫ pro uiribus exprime quid ipſa fortitudo ſit,quę in his omnibus eadẽ reperiẽ.Nondũ intelligis? LAC. Non ſatis. SOC. Dico autem perinde ac ſi interrogaſſem,quid ſit ipſa uelocitas,quæ currendo citharamꝫ pulſando,& loquendo,& diſcẽdo,cæteriſꝫ permultis in rebus nobis adeſt:quam quidem,ut dictu dignum eſt,uel in manuum, uel pedum, uel oris uociſꝫ,uel intelligẽtiæ motibus poſſidemus.Nónne & tu ſimiliter dicis? LAC. Prorſus. SOC. Ergo ſiquis me percontet,ô Socrates,quid eſſe dicis iſtud quod in omnibus uelocitatem nominas? reſponderem uticꝫ uim breui in tempore multa peragentem,tam circa uocem qꝫ curſum,ac cætera omnia mihi uideri. LAC. Recte. SOC. Conare igitur & tu Laches fortitudinem ſimiliter definire,quænam ipſa potentia ſit in uoluptate, doloreꝫ, & omnibus quibus cõuenire modo dicebamus, eadem fortitudo per ſingula nominata.

Definitio uelocitatis

Fortitudinis definitio mala

LAC. Videt mihi fortitudo tolerantia quædam animi eſſe,ſi quod per omnia fortitudini conuenit,dicendũ. SO. Dicendum profecto,ſi nobis ipſi ad interrogata reſpõdeamus.Arbitror aũt non quamlibet tolerantiã fortitudinẽ te putare.Quod hinc ſane conijcio.Hoc ferme cognoſco Laches,te pulchrũ quiddam fortitudinẽ eſſe putare. LAC. Imò certe pulcherrimum. SOC. Nónne ea tolerantia quam prudentia comitat, & pulchra eſt & bona? LAC. Omnino. SOC. Ea uero quã imprudentia, nónne contra damnoſa ac noxia? LAC. Nempe. SOC. Pulchrum' ne ipſe uocabis quod tale ſit,damnoſum ac noxiũ? LAC. Nefas iſtud ô Socrates. SOC. Non ergo tolerantiã eiuſcemodi fortitudinem nuncupabis,quandoquidem haud pulchra eſt,quum tamen fortitudo ipſa ſit pulchra. LAC. Vera loqueris. SOC. Prudens itaꝫ tolerantia ſecundum orationẽ tuam eſt fortitudo. LAC. Videt. SOC. Videamus ergo quænam tolerãtia,& qua in re prudens,ſit fortitudo.nunquid ad omnia tum magna,tum parua? ueluti ſiquis toleret,dum prudenter argentũ erogat,cognoſcens ex hoc ſumptu ſe lucraturum,hunc' ne fortem dices? LAC. Nequaquam. SOCR. An uero ſiquis medicus,cum filius eius,uel alius quiuis pulmonis anguſtia grauatus,potũ dari cibumꝫ petit,toleret,necꝫ flectatur? LAC. Necꝫ tolerantiam hanc fortitudinẽ appellabo. SOC. At uero in bello tolerantem uirum promptumꝫ ad pugnam,qui prudenter ſingulis circumſpectis præuideat & auxilia affutura,& aduerſus pauciores debilioresꝫ ſibi pugnandum,tum loco cõmodiore uteretur,uirum' ne,inquam,tali cum prouidentia & apparatu tolerantem,fortiorem diceres eo qui in contrario quodã exercitu conſtat ac tolerat? LAC. Imò uero hunc qui in contrario Socrates. SOC. Imprudentior tamen eſt huius qꝫ illius alterius tolerantia. LAC. Vera loqueris. SOC. Ergo & hominem equeſtri ſcientia prædituũ,& in equeſtri certamine tolerantẽ,minus fortẽ dices eo qui expers huius ſcientiæ tolerat? LAC. Mihi quidem ita uidetur. SOC. Atqui & illum præterea qui ſciens funda iacere,arcumꝫ intendere,uel aliud quoduis toleret,minus fortem? LAC. Omnino. SOC. Item quicunꝫ ſine arte natandi in puteũ deſcendentes,eo in opere tolerare ac perſiſtere audent,uel in alio quouis opere ſine arte,eos tu fortiores dices,ijs qui ſunt illarũ artium eruditi? LAC. Quid aliud quis dixerit Socrates? SOC. Nihil, ſi modo ita quis putet. LAC. Puto equidẽ. SOC. Attamẽ imprudentius hi pericula ſubeunt tolerantꝫ, qꝫ illi qui arte hæc aggrediunt. LAC. Vident. SOC. Nónne ſuprà turpis ac noxia nobis audacia tolerantiaꝫ imprudẽs apparuit. LAC. Maxime. SOC. Conſtabat aũt fortitudinẽ pulchrum aliquid eſſe. LAC. Conſtabat plane. SOC. Nunc rurſus conceſſimus turpem illam imprudẽtemꝫ tolerantiã fortitudinẽ eſſe. LAC. Sic apparuit. SO. Recténe loqui tibi uidemur? LAC. Mihi uero minime per louẽ,ô Socrates. SOC. Non ergo ſecundũ Doricam harmoniam,ut uerbis tuis utar,ego ac tu modo cõcinimus.nã opera noſtris uerbis nõ conſonãt.

Re

Re quidem ipſa dicet aliquis fortitudinis nos eſſe participes,uerbis autem minime, ut arbitror,ſi nos in præſentia audiuerit diſputantes. LAC. Veriſſima narras. SOC. Videtúrne tibi pulchrum eſſe ut ſic affecti ſimus? LAC. Nequaquam. SOC. Vis ne ſermoni quem induximus,hoc ſaltem credamus pareamuſq; ? LAC. Quidnam,& cui potiſſimum? SOCR. Sermoni inquam,tolerare iubenti. Si ergo tibi placet,& nos in hac ipſa quæſtione conſtemus toleremuſq;,ne ipſa nos fortitudo derideat, q̃ minus fortiter ipſam inueſtigemus, ſi ſæpenumero tolerantia ipſa cõſtantiaq; fortitudo eſt. LAC. Ego quidem ô Socrates,ſum ad perſeuerandum paratus,quamuis inſueti mihi ſermones ſint:ſed quidam me aduerſus ſuperiora contendendi inſtigat ardor,ac nimium ægre fero, ſi uſqueadeo ineptus ſum ad ea quæ ſentio proferẽda. Nempe mihi uideor quid fortitudo ſit,intelligere.neſcio tamen quo pacto pauloante me ſubterfugerit,ut quid ipſa ſit uerbis cõplecti nequiuerim. SOC. Nónne bonum uenatorem decet amice explorando diſcurrere,& ſagaciter inſequi,neq; ignaue deſiſtere? LAC. Decet profecto. SOC. Vis itaq; Niciam iſtum ad uenationẽ hanc inuitemus,ſi quo pacto is nobis ſit ſagacior? LAC. Quid ni uelim? SOC. Age Nicia,amicis tuis ſermonum fluctu nutantibus ſubueni,uacillantibusq; ſiquam uim habes,accurre. Cernis quantũ noſtra deficiant,ac dubia ſint. Tu ergo explicans quid eſſe fortitudinẽ putes,ambiguitatem ſolue,tuamq; ſententiam ratione confirma. NIC. Videmini ô Socrates,mihi iamdiu non recte fortitudinem definiſſe. Eius porrò ſentẽtiæ quã recte abs te inductam quandoq; audiui,nullam facitis mentionem. SOCR. Cuiuſnam ſententiæ Nicia? NIC. Sæpenumero ex te audiui,quemlibet ad ea idoneum eſſe,in quibus ſapit:inidoneũ, in quibus eſt indoctus. SOC. Vera per Iouem refers ô Nicia. NIC. Nónne igitur ſi fortis uir bonus eſt,eſt & ſapiens? SOC. Audis Laches? LAC. Audio equidẽ, ſed quid dicat,nõ ſatis intelligo. SOC. At ego mihi intelligere uideor. Opinor enim hunc ſapientiam quandam,fortitudinẽ dicere. LAC. Quam ſapientiã Socrates? SOC. Nónne ab hoc iſtud quæris? LAC. Certe. SOC. Age Nicia,huic declara,qualis ſapientia ſecundum orationẽ tuam ſit fortitudo,neq; enim tibicinaria. NIC. Non. SOC. Neq; etiam cithariſtria. NIC. Haud equidem. SOC. At uero quænam tandem,& cuius rei ſcientia? LAC. Recte admodũ interrogas illum ô Socrates:ideoq; exponat quam ſapientiã eſſe dicat. NIC. Scientiã metuendarum rerum,& non metuendarũ tam in bello q̃ in cæteris omnibus. LAC. Quàm abſurde hic ô Socrates, loquitur. SOC. Quamobrem ita dicis Laches? LAC. Quia diuerſa eſt à fortitudine ſapientia. SOC. Non dicit Nicias. LAC. Non hercle,& idcirco delirat. SOC. Quin doceamus illum,omiſſis cõuitijs. NIC. At cupit Laches is ô Socrates,me tanq; nihil dicẽtem redargui,poſtq; ita haud ei pridem hoc ipſum accidit. LAC. Abſq; dubio Nicia,idq; conabor oſtendere. nihil enim dicis. Nónne in morbis medici metuenda cognoſcunt? an uidẽtur tibi fortes iſta cognoſcere? uel tu medicos fortes uocas? NIC. Minime. LAC. Neq; agricultores,ut arbitror,licet hi in agris colendis quæ ſint metuenda, cognoſcant. Quinetiã artifices alij quæ audere decet, & quæ metuere ſuis in artib. ſciunt, qui nihilo magis fortes ſunt. SO. Quid tibi dicere Laches uidetur ô Nicia? NIC. Aliquid certe dicit,nõ tamẽ uerũ. SOC. Quare? NIC. Quoniã medicos arbitratur ulterius quicq; noſſe circa ægrotos,prẽter id quod ægrum noxiumq;,uel quod ſanum & ſalubre. Ipſi uero hoc duntaxat intelligunt. Vtrum uero extimeſcendũ, malumq; alicui ſit eſſe ſanum potius q̃ ægrotare,cenſes hoc ô Laches,medicos intelligere? An non putas præſtare nonnullis ex morbo non conualeſcere q̃ conualeſcere? Dic enim,tu ne aſſeris omnibus præſtare uti uiuant,nec multis conducere mortẽ? LAC. Hoc equidem potius. NIC. Quibus mori præſtat eadem metuenda,malaq; exiſtimas,quæ & illis quibus uiuere? LAC. Nequaq;. NIC. Harum uero rerum iudicium medico tribuis? uel alteri cuidam artifici præterquam metuenda & nõ metuenda intelligenti,quem ego fortem uoco? SOC. Aduertis ne Laches, quid iſte loquat? LAC. Aduerto equidẽ,quod uates fortes nuncupat. Nam quis alius norit quibus mori præſtet q̃ uiuere? Atqui ô Nicia,utrum fateris uatem eſſe te, uel neq; uatem,neq; fortem? NIC. Nunquid uatis officiũ putas,quatenus cedendũ,quatenus audendum ſit,dignoſcere? LAC. Puto equidẽ:nam cuius ſit præterea? NIC. Eius plane quẽ ipſe dico,multo magis uir optime. Quippe ad uatem ſpectat ſolum futurorũ portenta ſignaq; prænoſcere,ſiue mors cuiq; immineat,ſiue morbus:ſeu iactura rerũ,uel uictoria,uel clades in bello,aut alio quouis certamine. Quid aũt ex his cuiq;,aut pati,aut nõ pati præſtet,

Frequens in ore Socratis ſententia de omni uirtute & bonitate

cur

cur uates potius quàm quiuis alius iudicabit? LAC. Nescio quid iste sibi uelit Socrates. ne que enim uatem, neq; medicum, neq; alium quempiam declarat, quem fortem esse dicat, nisi forte deum quendam esse ipsum dixerit. Mihi quidem uidetur Nicias ingenue fateri nolle, se nihil dicere, sursum uero deorsumq; fertur, & ignorantiã suam abscondit. Enimuero & nos paulo ante, ego scilicet ac tu Socrates, tergiuersari similiter poteramus, si dissimulare uoluissemus, adeo ut non uideremur nobisipsis contraria loqui. Si igitur in iudicio nobis esset perorandum, deceret quodammodo hoc efficere. Nunc autem quid opus est in hoc cœtu frustra se uerbis ornare? SOCR. Nihil ut mihi uidetur, Laches. Sed uideamus ne forte Nicias aliquid se dicere putet, neq; uerborũ gratia hæc dicat. Quare ab ipso planius sciscitemur, quid sentiat: ac si quid ueri afferre uidetur, assentiemur: sin minus, docebimus. LAC. Ipse, si uis, interroga Socrates. Ego enim satis percontatus sum. SOC. Nihil prohibet. Cõmunis enim & mihi & tibi erit interrogatio. LAC. Omnino quidẽ. SOC. Dic mihi ô Nicia, imò dic nobis: nam & mihi & Lacheti quæstio hæc est cõmunis: fortitudinem esse dicis metuendorum & non metuendorum scientiam? NIC. Equidem. SOC. Hoc autem dignoscere non cuiuslibet uiri opus esse, postquam neq; medicus, neq; uates hoc sciet, neq; fortis est nisi hanc ipsam scientiam sit adeptus? An nõ ita dicebas? NIC. Ita prorsus. SOC. Quare, ut prouerbio dicitur, Non sus hoc quiuis norit, neq; fortis erit. NIC. Non certe, ut mihi uidetur. SOC. Constat utiq; Nicia, quod neq; Crommyoniã suem fortem fuisse credis. Neq; iocandi gratia hæc dico, uerum arbitror eum qui ita loquitur, nullius bruti admittere fortitudinẽ, neq; concedere brutum aliquod adeo sapiẽs esse, ut quæ perpauci homines propter difficultatẽ cognoscunt, ea leo, uel leopardus, uel aper aliquis nouerit: sed necesse est illum qui ita ut tu fortitudinem definierit, dicere leonem, ceruum, taurum ac simiam, ad fortitudinem eque omnia natura esse instituta. LAC. Per deos recte loqueris Socrates, idq; nobis ô Nicia, reuera declara: utrum sapientiores nobis has feras esse dicas, quas omnes fortes esse fatemur: uel contra omnium opinionem, fortes esse negare audeas. NIC. Equidem Laches, neq; bruta fortia uoco, neq; aliud quicquam ob insciam terribilium nihil formidans, intrepidumq; & fatuum. An pueros omnes fortes uocare me putas, qui ob insciã nihil metuũt? Arbitror equidẽ intrepidũ non idem esse ac fortẽ. Nam fortitudinẽ & prouidentiam in paucis admodum reperiri existimo: ferocitatẽ uero & audaciam metu carentem, omni absq; prouidentia, in multis & uiris & mulieribus, pueriscq; & feris. Quæ igitur & tu & alij multi fortia nominatis, ego ferocia nuncupo: fortia uero quæ prudenter discernũt, quæ audacia, & quæ metu sint digna. LAC. Vides ô Socrates, quàm belle hic uir, ut putat ipse, se uerbis ornat. Eos autẽ fortitudinis munere priuare contendit, quos alij omnes fortes esse consentiunt. SOC. Ego uero nequaquã ô Laches, sed bono animo esto. Aio enim te & Lamachum sapiẽtes esse, si fortes estis, & alios insuper multos Athenienſiũ. LAC. Nihil aduersus hæc inferam, etiam si quid ualeam, ne me reuera calumniatorem quẽdam maledicum esse dicas. SOC. Ne dicas ô Laches: haud enim aduertisse uideris hunc à Damone amico nostro eiusmodi sapientiã accepisse. Damon autem Prodici est admodũ studiosus. Prodicus uero præ sophistis cæteris mirus in explicanda distinguendaq; nominum ui fertur. LAC. Profecto his studijs se extollere Socrates magis sophistam decet, quàm uirum publicis muneribus fungentem. SOC. Decet eum Laches qui res maximas gerit, maximam quoq; habere prudentiã: inquirendum uero nunc censeo ad quid potissimum significandum Nicias fortitudinis nomen instituit. LAC. Tu ipse perquire hæc Socrates. SOC. Efficiam uir optime: ne tamen putes ex communi te disputatione excludi, etiam tu mentem adhibe, & nobiscum dicenda considera. LAC. Esto ita, si ita agendum uidetur. SOC. Imò certe uidetur. Tu autem Nicia, dic nobis rursus ab initio. Scis enim principio sermonis fortitudinem nos ueluti quandam uirtutis partem considerauisse? NIC. Equidem. SOCR. Nónne & tu quod supra est inductum, ut partem aliquam respondisti, tanq; sint & partes aliæ, cunctæ tamen uirtutis nomine nuncupentur? NIC. Quid ni? SOC. An tu easdẽ quas ego partes nominas? Nam ego quidem præter fortitudinẽ, temperantiã iustitiamq;, & talia quædã nomino. num tu quoq;? NIC. Ego quoq;. SOC. Attende iam. hæc enim admittimus. De his aũt quæ metu digna terribilia q; sunt, & de his quæ audacia digna sunt, deinceps cõsideremus, ne forte tu alia esse putes, alia quoq; nos putemus. Quę em̃ nos dicimus, exponemus. Tu uero si dissentis, doce.

Prouerbiũ. uide Plutar. in Theseo

Arbi

Arbitramur terribilia esse quæ metum incutiunt: audenda, quæ metum nullum obiiciũt. Metum uero inferunt non præterita mala, non præsentia, sed quæ expectantur. Metum siquidem futuri mali expectationem uocamus. An nõ & tu idem sentis ô Laches? LAC. Et maxime quidem Socrates. SOC. Audis ô Nicia, terribilia metuenda q̃ futura mala nos dicere: audenda, futura bona uel certe non mala. Tu ne ita de his, an aliter sentis? NIC. Ita certe. SOC. Horum scientiam fortitudinẽ uocas? NIC. Prorsus. SOC. Videamus prẽterea utrum & in hoc tertio nobiscum sentias. NIC. Quid istud? SOC. Dicam equidem. Mihi sane atq; huic uidetur, quorumcunq; scientia aliqua est, non aliam scientiam esse præterito rum ut facta sunt, aliam prẽsentiũ ut fiunt, aliam futurorũ ut optime fieri possint, sed eiusdem scientiæ opus esse hęc omnia nosse. Quemadmodũ circa sanum & salubre per omne tempus non alia scientia, una medicina excepta, prospicit quæ fiunt, quæ facta sunt, quæ fient, quo pacto fiant. & circa illa quæ terra nascunt, agricultura se similiter habet. Quinetiam in bello uosipsi testes eritis, rem militarem subtiliter & alia omnia & futura prospicere. neq; enim subiici illam uaticinio uultis, sed præesse potius, utpote acutius quę in bello fiunt, quæ ue futura sunt præuidentẽ. Atqui & lex ita statuit, nõ uatem præfecto exercitus dominari, sed præfectũ exercitus uati præesse. Asseremus hęc ô Laches? LAC. Asseremus. SOC. An tu nobis consentis ô Nicia, ad eandem scientiã pertinere, eadẽ ut præterita, ut præsentia, ut futura sunt cognoscere? NIC. Equidem: nam ita mihi uidetur ô Socrates. SOC. Nónne uir optime, fortitudo scientia est metuendorum contrariorum q̃, ut ipse prædicas? NIC. Est utiq;. SOC. Constitit autem ea quæ metuimus, futura mala: quæ uero audemus, futura bona esse. NIC. Plane. SOC. Eadem uero scientia est earundem rerũ præteritarum, præsentiũ q̃, & futurarum. NIC. Vera hęc sunt. SOC. Non solum igitur metuendorum contrariorum q̃ fortitudo sciẽtia est, neq; enim futura dũtaxat bona mala ue intelligit, uerum etiã præsentia præterita q̃, & omnia simpliciter ut aliæ sciẽtiæ prospicit. NIC. Ita uidetur. SOC. Partem itaq; tertiam fortitudinis nobis Nicia respondisti, quanquã nos quid uniuersa fortitudo sit interrogauimus. Enimuero ut uidetur in præsentia secundum orationem tuam, non modo metuendorũ contrariorum q̃ fortitudo scientia est, sed bonorum omniũ atq; malorum, omnium q̃ simpliciter quomodolibet sese habentium. Sic ne modo, an aliter iudicas Nicia? NIC. Ita mihi uidetur ô Socrates. SOCR. Putas ô beate uir, huic aliquam deesse uirtutẽ, qui norit bona omnia prorsus ut affecta sunt, fiunt q̃ & fient, mala ue similiter? Eum q̃ uirum indigere temperantia & iustitia putas sanctitatéue, cui soli competit ut tam diuina quam humana bona & mala prudenter intelligat, deuitet hæc, apprehendat illa, quic̃q; recte cum omnibus uiuere norit? NIC. Vera loqui uideris ô Socrates. SOC. Quod ergo abs te inductũ est Nicia, nõ pars uirtutis, sed uniuersa uirtus est. NIC. Apparet. SOCR. Veruntamen fortitudinem diximus partem aliquam esse uirtutis. NIC. Diximus plane. SOC. Quod uero nunc dicit̃, nõ apparet. NIC. Non. SOC. Non ergo inuenimus Nicia, quid ipsa sit fortitudo. NIC. Non uidemur. LAC. Atqui rebar ô amice Nicia inuenturum te, postquã me Socrati respondentẽ despiciebas. Ideoq; sperabam te ex Damonis sapientia hæc nobis declaraturum. NIC. Belle facis ô Laches, qui fortiter contemnis, quod rudis disputationis huius sis: solum uero id curas, utrum ego quoq; talis uidear, neq; quicquã interesse cẽses, modo rerum illarum nihil uterq; intelligamus, quas scire quisq; debet qui esse aliquis uult. Videris ergo reuera humanũ quiddam pati, quod non in teipsum, sed in alios respicias. Ego autem arbitror à me de his rebus esse tolerabiliter dictum. Siquid uero minus est, posthac cum Damone ipso corrigam, quem tu quum nunquam uideris, existimas deridendum: hęc porrò cum alijs, ubi solide assecutus fuero, etiam te citra inuidiam docebo. Nam hac maxime indigere disciplina uideris. LAC. Sapiens quidem es ô Nicia, ueruntamen Lysimacho huic & Melesiæ consulo, ut studium meum ac tuum circa filiorum eruditionem non exigant, sed Socratem hunc, quemadmodum principio dixi, ne negligant. Ego quoq; si mihi adulti essent filij, idem fecissem. NIC. Enimuero & ipse censeo, si modo uelit Socrates curam adolescentũ suscipere, alium neminem esse quærendũ. Nempe Niceratum huic libentissime cõmendarem si ipse acciperet. Verũ quoties de hoc uerba ei facio, alios quosdã ostendit, ipse recusat. Experire ergo Lysimache, num Socrates tibi magis obtemperet. LYS. Par est ô Nicia: quandoquidem & ipse multa uicissim in eum conferre paratus sim, quæ alijs non multis sane facerem.

quid

quid ais ô Socrates? Morem' ne geres, curabisq; ut optimi adolescentes euadant? SOCR. Durum certe id esset Lysimache, si quis eiusmodi curam renueret. quapropter si ego in superiori disputatione sapiens apparuissem, hi autem inscij, merito ad hoc opus ipse præcipue uocandus essem. Cum uero in eadem dubitatione hæreamus, quis nostrum potius eligatur? Mihi quidem nullus præcipue eligendus esse uidetur. Cæterum cum ita hæc se habeant, uidete num recte nobis consulam. Oportere ô uiri existimo, (nam nihil horum efferri uolo) in cõmune omnes inuicem quærere, primum quidem nobisipsis optimum præceptorem, egemus enim: deinde adolescentibus, neq; pecunijs, neq; ullis alijs rebus parcentes. Ita uero uiuere ut nunc uiuimus, & filios ita curare, non consulo. Siquis autem nos irriserit, quòd tam grandes natu præceptoris ludum ingredi statuamus, Homeri illud obijciendum. Ait enim uiro egeno uerecundiam nihil conducere. Quamobrem spretis omnibus detractorum uerbis, communem nostri adolescentumq; curam suscipiamus.

Homeri dictum, Viro egeno uerecundiã non conferre

LYS. Placent mihi quæ dicis Socrates, statuoq; quo senior sum, eo studiosius unà cum adolescentibus discere. Sed heus tu. Cras prima luce domum uenito, ac ne negligito, ut de his rebus consilium ineamus. Nam hodiernus iam soluendus est cœtus. SOCR. Efficiam quod iubes Lysimache: & si deus uoluerit, cras ad te ueniam.

CLITIPHO PLATONIS, VEL EXHORTATORIVS, TRANSLATVS A MARSILIO FICINO FLORENTINO, ad Petrum Medicen uirum clarissimum.

DIMIDIATI DIALOGI PERSONAE.
SOCRATES, CLITIPHO.

Occasio dialogi huius, reliqua desiderantur

NVPER mihi retulit quidam, Clitiphonẽ Aristonymi filium loquẽtem cum Lysia, Socratis quidem consuetudinem uituperare, Thrasymachi uero laudare magnopere solitum. CLIT. Quisquis ille ô Socrates fuerit, haud recte narrauit, quæ de te cum Lysia sum locutus. Nam in quibusdam laudaui te, in quibusdam minime. Postquam uero succenses mihi, quanquã dissimulas quasi nihil cures, libentissime ego ipse tibi illa referam, præsertim cum soli simus, ne adeò te despici putes. Fortè enim nunc non recte audisti, quocirca infensior mihi redditus es q̃ deceat. At si ipse mihi ueniam dederis, animaduerterisq;, libẽtissime rem tibi narrabo. SOCR. At turpe nimiũ esset, si te prodesse mihi uolentem non tolerem. Constat enim ubi intellexero quà malus, quà bon⁹ sim, deteriora declinaturũ esse pro uiribus, meliora prosecuturum. CLIT. Audi igitur. Equidem tecum uersatus, sæpenumero Socrates uehementer obstupui, dum te loquentem audirem, mihiq; uisus es præclarissime omnium dicere, quoties obiurgans homines ueluti è machina tragica Deus subitò exclamares: Quónam ruitis homines? Nescitis quò feramini, neq; opportunum quicq; agitis, qui omni studio pecunijs cumulandis incumbitis: filios autem quibus eas relicturi estis, negligitis, neque ut illis iuste uti sciant, eos iustitiæ præceptoribus cõmendatis, qui doceant iustitiam, si doceri potest, & si exercitatione ac consuetudine comparãda est, diligenter exerceant. Neq; uos etiam ipsos curastis unquam. Sed cum uideatis literas, musicã & gymnasticam uos filiosq; uestros ad sufficientiam consecutos, quam uirtutis disciplinam perfectã existimatis, deinde nihilominus circa pecunias prauos esse, cur nõ præsentem educationem contemnitis? cur non quæritis aliquos qui uos ab hac in musica dissonantia liberẽt? Etenim propter hoc delictum secordiamq; magis q̃ propter pedis ad lyram dissonã motionem, & frater aduersus fratrem, & ciuitas aduersus alias ciuitates immoderata & discordi seditione suborta feruntur, & cõmisso prælio extrema patiuntur & inferunt. Vos autem dicitis, non propter ruditatẽ inscitiamq;, sed sponte iniustos esse eos qui sunt iniusti. Rursusq; asserere non dubitatis, iniustitiã turpem esse rem, Deoq; aduersam. Quam igitur ob causam hoc tantum malum quis eligit? Respondetis, hominem superatum uoluptatibus id subire. Nónne superari præter uoluntatem est, quandoquidem ex uoluntate est superare? Quapropter iniuste agere, præter uoluntatem esse ubiq; ratio dictat. Diligẽtiorem itaq; curam q̃ solẽt adhibere, & uiros omnes priuatim & publice ciuitates decet. Quotiens

Prouerbiũ

tiens ista Socrates audio te dicẽtem, mirũ in modum delector ac laudo, idemq; facio cũ ea quæ sequunt̃ ausculto. Addis enim eos quicunq; corpus quidem exercẽt, animũ uero negligunt, quod natura subiectum est, colere, spernere uero quod imperat. Item unicuiq; usũ eius rei qua uti scit, cõferre. Illi uero qui oculis, auribus, toto corpore nescit uti, præstare neq; uidere, neq; audire, neq; aliter uti corpore, q̃ utcũq;. Similiter & in artib. Quicũq; enim lyra propria uti nescit, patet ut ipse ais, quod neq; alterius lyra scit uti: & qui aliena nescit uti, nescit & sua. Eademq; est de cæteris instrumentis & possessionibus ratio. Atq; eò tandẽ præclare tibi sermo procedit, ut inferas, qui nescit anima uti, præstare huic ut ocium agat anima, neq; uiuat, quàm ut uiuat, & sui iuris in agẽdo ipse sit. Quem siqua necessitas cogit uiuere, melius huic esse ut seruus uitam ducat quàm liber. Est autẽ hoc, tanquam nauis ita cogitationis gubernacula committere alteri cuiquam, qui gubernatoriã humanæ uitæ adeptus sit disciplinam, quã sæpe tu Socrates ciuilem uocas peritiam, eandemq; iudiciariam & iustitiam. His ergo sermonibus aliisq; eiusmodi multis atq; præclaris, uirtutem asserentibus posse doceri, suiq; ipsius in primis suscipere curam iubentibus, nunquã fermè aduersatus sum, neq; ut arbitror in posterum aduersabor. Perutiles enim ipsos existimo, plurimumq; ad exhortationem ualere, & ad homines quasi dormiẽtes excitandos conducere. Adhibui itaq; mentem ut qui essem reliqua auditurus: percontatus sum non te primum ô Socrates, sed æquales tuos, uel contubernales, uel socios, uel quomodocunq; aliter affectos tibi oportet dicere: horum, inquã, eos ante alios qui primi apud te habẽtur interrogaui, quis post hæc sermo potissimũ sequeretur, ac more tuo quodammodo ita præfatus quæstionem exposui. O uiri optimi quo pacto, inquam, Socratica ad uirtutem hortationes accipere deinde debemus? An quasi solum hoc extet, prodire uero ad opus remq; perficere minime? Atqui nostrũ & hoc per omnem uitam erit officium, eos qui nondũ satis incitati sunt, prouocare atq; ita semper inuicem exhortari? An potius & Socratem & nos ipsos, cum non negemus hoc ipsum agendum esse, sic inquirere decet, quid posthac? unde iustitiæ studium incipiemus? Siquis nos ad curandũ corpus hortans, tanquam pueros qui nequaquã aduertunt curam eius gymnasticã atq; medicinam esse, obiurget quod de tritico & hordeo & uitibus semper cogitemus, deq; omnibus quæ corporis gratia quærimus, artem uero et industriam qua bonus corporis habitus fiat, nullam inquiramus, cum tamen sit aliqua, fortè illum rogaremus quas artes circa cultum corporis esse dicat, atq; ille ut arbitror respõderet medicinam atq; gymnasticam. Eodem pacto nunc quam artem circa animæ uirtutẽ uersari cẽseamus, respondeat quisquis peritissimus horum sibi uidetur. Respondet ergo ad hæc, artẽ hanc quam ex Socrate audiuisti, nullam aliam nisi iustitiam esse scias. Tunc ego, non solum, inquam, mihi nomen adducas, sed ulterius sic exponas. Medicina porrò ars quædã dicitur, ab hac duo fiunt: nam & medici ex medicis efficiuntur, & sanitas reparatur. Alterum horum haud amplius ars aliqua est: artis autem docentis perceptæq; opus, quam dicimus sanitatẽ. Ab architectura similiter duo fiunt, ędificium uidelicet & architectura, illud quidem opus, hęc autem doctrina. iustitiæ quinetiam esto iustos alios facere, quemadmodũ superiores artifices. sed opus alterum quod nobis uir iustus efficere potest, quid esse dicemus? declara. Respondit quidam, conferens: alius, decens: alius, conducibile: alius, utile, At ego respõdens obieci in singulis artibus eadem hæc nomina esse: cumq; recte quid sit, utilia, cõducibilia & alia huius generis illic fieri dicique. Illud uero artis cuiusq; proprium ad quod hęc respiciunt. Quemadmodum in arte fabrili quod bene, pulchre, decẽter se habere dicitur, illuc tendit ut ex lignea materia apte supellectilia fiant, quæ quidem ars minime sunt, sed artis opus. Dicatur similiter & iustitiæ ipsius opus. Hic quidã ex tuis familiaribus Socrates respondit, & bellissime quidem loqui uisus est. Opus iustitiæ proprium, inquit, quod nullius ulterius facultatis, est amicitiã in ciuitatibus parere. Ille rursus interrogatus, amicitiam esse bonum quoddam asseruit, malum uero nunquam. Cum uero interrogaretur de puerorũ brutorũq; beneuolẽtijs quas amicitias cõmuniter appellamus, amicitias esse eas negauit, quippe cũ sæpius obsint q̃ prosint: dixitq; illas falso amicitias nuncupari: uera autẽ amicitiam esse proculdubio consensionẽ. Cum aũt quæreretur, utrum assensionem illam uocaret opinionis an scientiæ concursum, opinionem quidem cõtempsit, qua cõcursus opinionum multi inter homines ac noxij sunt: amicitiam uero bonam omnino

opusq; iustitiæ esse concesserat. Quare idem dixit esse cõsensionem & scientiam, non o pinionem. Cum uero huc loquẽdo delati essemus, ambigui auditores aduersus illum pro tinus inclamarunt, quòd eodem sermo reuolueretur: quoniam & medicina sit cõsensio quædam & artes reliquæ, & circa quid uersantur declarare queant. At uero tua hæc iusti tia uel consensio, quò tendit ignorat, quod ue opus sit, latet. Eadem abs te tandem quæsi ui Socrates. Tu uero statim iustitiæ opus esse dixisti prodesse amicis, inimicos lędere. De inde uero uisus tibi est uir iustus nunquã lædere quenquã, sed prodesse in omnibus uni cuiq;. Hæc non semel tantum ô Socrates, aut bis tentata sunt: sed cum diu supplex uos se quutus fuerim, deniq; defessus sum, existimans te ad inflammandos homines ut studium uirtutis capessant, cæteris esse uehemẽtiorem. E duobus uero alterutrum necesse est. aut enim eatenus tantum uales, ultra uero nihil, quod quidem in quauis arte contingere po test: ceu in arte gubernatoria fieri potest, ut qui gubernare nescit, excogitauerit aliquas eius artis laudes, quibus ad eam homines prouocet, quasi dignissima sit, & in cæteris arti bus eodẽ modo. Idem fortasse tibi quis tribuet, quasi nihilo magis iustitiam ipsam cogno scas, etsi præclare eam laudas. Ego autem nõ sic existimo. E duobus enim alterum, inquãt aut nescire te arbitror, aut nolle mecum communicare. Quamobrem ad Thrasymachũ, ut opinor, me conferam, & alió quocunq; potero, sperauero q; à dubitationibus liberari. Neq; uero alió me conferrem, si uelles ipse exhortationibus istis quandoq; facere finem. Porrò quemadmodum si me iam satis ad curam corporis quæ gymnastice est incitasses, pòst exhortationem huiusmodi aperires mihi qualis mei corporis esset affectio, & quali curatione indigeret: ita in præsentia facito: pone Clitophonem tibi cõcedere ridiculum esse ut in alijs rebus quis studium ponat, animam uero cuius gratia in cæteris laboratur, negligat, & alia quæcunq; post hæc sequuntur & dicta modo sunt, retulisse me puta. Ob secro te Socrates ne aliter facias, ne quemadmodum nunc, ita & posthac coram Lysia cę terisq; hominibus, partim quidem laudare te, partim uero uituperare necesse sit. Ei nãq; qui nondum ad uirtutẽ sit prouocatus, conferre te plurimum asseram: Persuaso autem contrà, impedimẽto esse te propemodum, quo minus ad uirtutis finem perueniens, bea tus efficiatur. CAETERA DESVNT.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI
in Cratylum, uel De recta nominum ratione.

SAPIENTIA Platonica semper quidem suspicit excelsa, nec unquam humilia despicit, quan quam uerorum scientia nominum non est humilis, immo excelsa præcipue diuinorum. Hanc sapien tes Hebræi tanti fecerunt, ut eam non modo scientijs omnibus, uerumetiã legi scriptæ prætulerint, affirmantes ipsam à deo patriarchis & Moysi fuisse tributam: Moysi, inquam, eam non literis, sed sanctorum mentibus inscripturo: Mentibus, inquam, succedentium prophetarum, deinceps diuinorum nominũ sa pientiam in mentes eorum qui succederent longa quadam serie propagantium. Horum ergo uirtute nominũ ma iores suos opera miranda feciisse. Præterea nonnulla ex his nominibus scriptis suis inseruisse, sed plerunq; uel sparsa, uel inuoluta: quæ si quis cognoscat, & colligat, & perfecte eadẽq; mentis puritate, qua & cui sunt tributa, pro nunciet, mirabilia similiter effecturum: præsertim in primo dei nomine, quod cum quatuor duntaxat, & his quidẽ uocalibus literis mirabiliter componatur, nimirũ à nullo nisi diuinitus inspirato recte pronũciari potest. Vnde fa teri coguntur Iesum, quem ipsi Nazarenum uocant, fuisse diuinum. Quippe cum eum nominis huius Tetragram maton intelligentia uera, & pronunciatione perfecta feciisse miracula fateantur. Verũ de his in libro De religio ne à nobis satis est dictum. Origenes quoq; cum diuinorum nominum orationumq; uirtutem mirificam cõsideras set, in libris contra Celsum, inquit, in quibusdam sacris nominibus mirandam latere uirtutem, ideoq; hæc ipsa nõ esse ex Hebræa lingua in aliam transferẽda, sed in suis ipsis characteribus conseruãda. Fortè enim quemadmodũ in corpore certa ratione composito uita permanet, quo uel aliter composito, uel permutato nõ permanet: sic uita lem quandam putant diuinis nominibus certo diuinitus modo compositis, inesse uirtutem. Et quemadmodũ ab ini tio docuit Mercurius Trismegistus, ac diu postea Plotinus & Iamblichus, statuis quibusdam ordine certo cõpos tis dæmones quodammodo includuntur. Verbis autem ad cœlestem quandam similitudinem temperatis diuinæ quæ dam dotes distribuuntur, & id quidem prouidente deo, ut quotiens res ipsa postulat, rite possemus diuinũ auxi lium inuocare Quod quidem ab ipso Phœbo atq; Pythagora obseruatum fuisse tradunt, quos ferunt diuinis qui busdam duntaxat uerbis tam animi quàm corporis morbos mirifice curauisse. Qua quidem in re compertũ habe mus

mus totam Zoroastris sapientiam constitisse, quam Plato in Alcibiade diuinam appellat, & in Charmide morborum animi & corporis curatricem. Mitto quòd omnes gentes atq; linguæ præcipuum dei nomẽ quatuor solũ pronunciant literis. De hoc enim latius tractatur à nobis in commentarijs in Philebũ, ubi probatur nõ potuisse in hoc uno gentes omnes nisi diuinitus conuenire. Hinc Aegyptij quem nos deum, Theut nominant: Persæ, Syre: Magi Orsi: unde Oromasis: Hebræi illud quatuor uocaliũ ineffabile nomẽ utcunq; possunt exprimũt per Adonai: Græci Theos: Arabes, Alla: Machomet Abdi: nos accepimus ab angelo Iesum. Sed cur uoluit deus quatuor ubiq; literis inuocari? Forsitan quia & ipse per quatuor gradus cũcta disponit, scilicet essentia, esse, uirtute, actione cõponẽs. Item cœlestia triplicitatibus signorũ quatuor, ignea, aerea, aquea, terrea, & quæ sub cœlo sunt, quatuor similiter elementis. Nemo uero mirabitur tantam in ueris nominibus uim latere si modo cõsiderauerimus ipsam rei uim naturalem, quando uere cognoscimus, peruenire ab obiectis ad sensus, ab his ad imaginationem, ab hac quodãmodo & ad mentem. Deinde à mente cõcipi quidem primum, deinde per uocem exprimi quasi partum. Atq; in hac ipsa uoce suis quibusdam articulis cõstituta uim ipsam rei sub significationis forma quasi uitam latere: uitam, inquã, ab ipsa mente per semina rerum conceptam primo, deinde per uoces editam, postremo per scripta seruatam. Quod si cæterorum nomina uim rerum quodãmodo seruant, ideoq; per illa quasi rerũ imagines ipsæ res agnoscuntur, multo magis diuina nomina ab ipso deo tradita uim suam perpetuo seruant. Nec immerito. Nomen enim uerum ut Platoni placet, nihil aliud est quàm rei ipsius uis quædã mente primũ, ut dixi, concepta, uoce deinde expressa, literis demũ significata, Rei autem diuinæ necesse est uirtutem esse diuinam. Quamobrem dei nomina cũ illis diuina uis insit, Plato & hic & in Philebo uenerari iubet, atq; ut significat in Legibus, multo etiã magis quàm delubra statuasq; diuinas. Expressior enim imago dei in artificio mentis, præsertim afflatæ diuinitus, quàm in manuum operibus reseruatur. Nomina uero dei prima atq; synceriſsima apud mẽtes supernas cœlestesq; esse iudicat, à quibus, expressius deus, ut ita dixerim, ipse concipitur. Secunda uero in dæmonibus purioribus. Tertia in animis hominum eaq; per priscos uiros deo afflatos quasi dei tubas fuisse prolata. Dei itaq; nomina nobis per antiquos sanctosq; tradita, tanquam imagines radijq; dei ipsius esse uidẽtur, per superiora numina, perq; sanctiores hominũ animos penetrantes. Quisquis autem solẽ, ut par est, admiratur, merito ueneratur & solis lumen. ita & deũ colere oportet in primis, simulq; dei radios, uires, imagines in sacrorum nominum significatione latentes. Audiamus ergo Socratem in Philebo ita clamantem. Reuerentia mihi semper erga deorum nomina, nõ humana quædam formido est, sed maximum quenq; timorem exuperat. Audiamus eundem rursus in Phædro se expiantem, quòd in Amorem dei nomen fortè disputando deliquerit. Audiamus Platonem in undecimo Legum, eos qui deorum nomina mendacio & periurijs inquinauerint, sacrilegos omnino censentẽ, iubentemq; illos à quolibet impune cædi: eum uero qui præsens non punierit, tanquam proditorem legum rigide condemnentẽ. Neq; uero nos turbet quod plures sæpe nominet deos. Vnicum enim per seipsum in Parmenide, atq; Timæo probat esse deũ, cæteros uero angelicos, cœlestesq; dei ministros cũ deos nominat, non tam deos quàm diuinos intelligit. Postquã uero in Parmenide ad unũ deum omnia comparauit, nomina quoq; illius spernenda nõ censuit, in quibus cũ mira dei munera lateant, nõ iniuria diuinus ille theologus Dionysius Areopagita omnia theologiæ mysteria in diuinis nominibus exquisiuit. At cur silentio prætermisimus splendorem illum ueritatis Apostolum Paulum dicentem, Sermonem dei esse uiuum atq; efficacem, uehementius omni gladio ancipiti penetrantẽ? Item illud eiusdẽ. Donauit deus illi nomẽ, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestiũ, terrestriũ, infernorũ? Sed iam ad dialogũ redeamus. Hermogenes Parmenidis discipulus & sectator, atq; Cratylus sectator Heracliti, de rectitudine nominum disidẽtes, dum ille quidem nomina solum arbitrio, hic uero naturali quadã ratione habere uim putat, deniq; Socratis se iudicio subigunt. Principio quàm belle tres hic Platonis conueniũt præceptores. Hic enim à Socrate moralia, à Cratylo physica, ab Hermogene potissimum metaphysica, præter illa quæ ipse inuenit, dicitur accepisse. Cratylus quidem sectator est Heracliti, cæterorũq; priscorũ, qui multis ante Heraclitũ seculis philosophati sunt, putaueruntq; nihil usquã stabile, sed omnia in perpetuo motu uersari. unde & nomina rebus ab ipso motu plurimum posuerũt. Hermogenes uero Parmenidis Pythagoræorumq; cultor contrà putantiũ omnia permanere. Eiusmodi cõtrouersiam inter Hermogenem & Cratylum Socrates & Plato ita cõponunt, ut Heracliti quidem sententia in Physicis, Parmenidis uero in metaphysicis sit probãda: siquis autem uel statum rerum ad naturalia, uel motum transferat in diuina, sit penitus improbandus. Sed his omissis, quantũ ad nomina pertinet Socrates in Cratyli sententiã magis declinare uidetur, eam hoc pacto cõfirmans. Orationũ alia uera est, alia falsa: & orationis ueræ partes ueræ sunt: orationis falsæ, partes quoq; sunt falsæ. Partes autem orationis sunt nomina: quo fit ut nominum alia uera sint, alia falsa. Oratio quidẽ uera est quæ res ipsas ut sunt ita dicit: falsa uero, quæ contrà. Quapropter & nomina uera sunt illa quæ res ita ut sunt potius, quàm ut placet arbitrio, proferunt. Quoniam uero Protagoras putat qualia cuiq; uidentur quæq; talia esse, adeo ut res nullæ essentiam habeant propriã, sed hũmana opinio omniũ sit mensura: ideo Socrates cõtra Protagoram infert, alios quidem homines esse optimos, scilicet prudẽtissimos, alios uero pessimos scilicet à prudentia remotissimos. At si, ut putat Protagoras, unicaiq; uera illa sint quæ quilibet opinatur, nullum

Nomen dei apud populos diuersos

certe erit inter prudentem imprudentemq; discrimen. Sed Protagoras subtilissime in libro de scietia confutatur: oportuit tamen & hic breuiter confutari, ut facilius Hermogenis opinio de nominibus illius quodammodo similis refelli posset. Profecto Hermogenes haudquaquam Protagoræ de rebus differenti credit: sed dum nomina rerum ueritatem ex hominũ arbitrio habere fatetur, clam in Protagoricam de rebus declinat sentẽtiam. Latenter quoq; in opinionẽ Euthydemi, dicẽtis omnia omnibus similiter semper adesse. qui ex eo breuiter reprobatur, quod non alij quidem boni essent, alij uero mali, si æque omnibus adesset uirtus & uitium. Tu uero inter hæc nota tritissimam Platonis nostri sententiã, totam uirtutis uim in ipsa prudentia, totam uitij in imprudẽtia collocari. Postquã constituta est Protagoræ & Euthydemi sententia, concluditur res ipsas non pro opinione nostra, sed pro ipsa natura sua in ipso ordine rerum tales, aut tales existere. Quod si naturaliter sese habent essentiæ, naturales quoq; sunt actiones atq; passiones. Itaq; si diuidere uel comburere rem quampiam studeamus, non tam pro arbitrio nostro quàm pro natura rei id faciemus, ut eo modo & instrumento quo diuidi possit aptius, diuidamus, similiterq; comburamus. At dicere & nominare actio quædam esse uidetur, ideoq; propriam debet habere naturã, ut nõ ita sicut placet nobis, sed ut rei modus exigit nominemus. Est enim nomen instrumentum quoddam, quo rem nominatã ab alijs discernimus atq; diuidimus. Eiusmodi uero instrumentum ut patet in cæteris, ad proprium id officium non casu, non pro libidine, sed arte accommodari ita debet, ut ea sit forma dispositum per ipsam artis ideam quæ uelut ad finem ad discernendum aptissime diuidendumq; conducat. instrumentum uero huiusmodi, id est nomen, tum ad res discernendas, tum ad docendos audientes accommodatum, non cuiuslibet est fabricare, sed artificis cuiusdam nomi num conditoris, qui omniũ est rarissimus. Hic autẽ ea ratione nomina fabricat, qua artifex usurus nominibus exigit atq; instruit. Talem uero esse Plato uult dialecticum. At ille qui fabricat, ad ipsam rei ideam mente conceptam in qua uera consistit ratio nominis, componit nomen, certa quadam significatione præditum. Atq; hæc ipsa idealis ratio significatioq; uerum est nomẽ, manetq; idem circa rem eandem in quacũq; literarũ materia fiat, apud quascunq; gentes, modo quid res ipsa sit doceat discernẽdo. Cõclude nomina, si modo uera futura sint recteq; ponẽda, constitui debere à sapiente nominum conditore, atq; id quidẽ dialectico admonente, ut ea forma conflentur qua rerum proprietates pro uiribus imitentur & explicent. Post hæc diligenter inquirens, à quibus discẽda sit nominũ rectitudo, id est propria qua constituta sint ratio, sophistas deridet, traducitq; nos potius ad poetas: non quoslibet, sed diuinos, quasi qui uera rerũ nomina à dijs acceperint, apud quos uera sunt nomina. Inter hæc ostendit Homeri poesim allegoricam esse, etiam ubi historiam narrare uidetur, quemadmodum in nominibus allegorice fictis apparet. Refert autem multa apud Homerũ heroum nomina certa allegoriæ ratione composita. deinde ad deorũ ascendit nomina, quorum rationes ab augustioribus theologis accepit. Prima quidem nominum positione, Cœlius significat animam sphæræ stelliferæ, Saturnus sequentis sphæræ animam. Iupiter uero tertiæ. Secunda uero positione Cœlius significat deum, Saturnus angelicã mẽtem, Iupiter mundi animam atq; cœlestem. Tertia Cœlius dei ipsius significat fœcunditatem, Saturnus eius intelligentiam, Iupiter beneficam uoluntatem omnibus prouidentẽ. Quarta Cœlius in quolibet numine aspectũ ad superiora designat, Saturnus respectũ ad semetipsum, Iupiter prospectum inferioribus prouidentẽ. Prolixior fore cogar, si singulos hic deos theologice interpretari uoluero. atq; id quidem latius in libro De amore, & Theologia tractauimus. Quoniã uero de diuinis tractare non est eius qui semper dicat se nihil scire, conuenienter Socrates ubi de diuinis altius agit dicit eam sapientiam nuper unde nescio at, illuxisse, significans inspiratione opus esse ad ueram diuinorum perceptionẽ. Quod & in Timæo, Conuiuioq; & Phædro confirmat. probat idem & in epistolis. Quod autem diuinorum contemplationẽ ab Euthyphrone accepisse se dicit, ironicum est, deridetq; illum & similes diuini iuris professores ambitiosos. Quo fit ut non immerito, quæ ab illo se fingit audiuisse, asserat fore paulo post dimittenda, admonens confidendum non esse doctrinis ambitiosorum, præsertim ubi iudicant de diuinis, de quibus etiam probatissimus homo, nũquam ut homo loqui possit sed aliquando potius ut tuba dei. Huic illud quodammodo simile, quod Plutarchus ait, legem extare apud Græcos per quam iuberetur libros scelestorum hominum etiam bonos è medio tolli, ut auctorũ memoria deleretur. Significat præterea antiquos cõsueuisse eũ qui inter sacra corripiebatur à dæmone, ne diutius ab eo fatigaretur, paulo post quibusdam precibus sacrificijsq; à dæmone soluere. Docet etiam non esse longum tempus in nominibus cõterendum. Proinde reprehendit illos qui solas mundi sphæras stellasq; putent esse diuinas: quippe cum ab his tanquã aspectui nostro natura propinquioribus atq; mobilibus ad altiora numina ob maiorẽ excellentiã sensibus nostris ignota stabiliaq; sit ascendendum. Narrat præterea deorũ nomina nõ casu: sed partim humana ratione, partim inspiratione diuina inuenta fuisse. Nomina uero heroica & humana sæpe uel ex maiorũ cognomentis, uel ex uoto fuisse posita, ideoq; certam nominum rationem in diuinis nominibus potius quàm in alijs esse quærendã. Descendit post hæc ad dæmones, asseritq; Hesiodi priscorũq; sententia probatissimorum uirorũ animas in aereos dæmones ascendere, qui & rerũ sapientia polleant, & generi humano prouideant. Tu uero hic animaduerte omnẽ bonum esse sapientem, atq; uicissim bonum quidem ideo sapientẽ euadere, quia purgatam serenamq; boni hominis mentem deus sapientiæ suæ lumine implet. Sapientem quoq; idcirco bonũ esse, quia neq; aberrat à fine, neq; in

bis

his quæ ad finẽ cõferũt,fallitur eligendis. Animaduerte heroes semideosq; eosdem existimari, atq; ex mutuo inter deum hominemq; amore nasci. Hinc illud, Sed ex deo nati sunt. Qua in re ostenditur inter genus humanum diuinumq; cognatio. Attende mox officium hominis esse non sentire, sed ea quæ sensit considerare. Deinde statum animæ in corpore esse,non contineri,sed naturã corporis continere: Corpus tamen apud Orpheum carcerem animæ dici atq; sepulchrum, utpote quæ in corpore tanquam mortua iudicetur. Memento & Anaxagoram putauisse mundi machinæ unam ante alias esse animam,unam quoque præesse mentem. Hinc illud: Spiritus intus alit,totamq; infusa per artus Mens agitat molem. Deinde considera piam Platonis modestiam dicentis: Quicunq; sapit agnoscit se deos deorũq; inter se nomina ignorare. Addit orandũ esse deum,ut nobis nomẽ sui propriũ patefaciat: existimandũ quoq; esse nomina quæ nos deo tribuimus,nõ ipsam dei naturã,sed notionem affectionemq; circa deũ nostram significare. Idcirco obsecrandũ esse deum ne ipsi in eo nominando displiceamus. Idem in Philebo,et Parmenide: & Phædro,atq; Timæo. Interpretatur deinde deorum nomina narrans primo illorũ opinionem qui fluere omnia putauerunt,quã deniq; improbabit. Sed in his reuera memento deã Vestam significare essentiam formarum se paratarũ,diuinorũq; stabile fundamentũ,idcoq; Vestæ ante alios deos sacrificare priscos consueuisse. Item nomina quæ in diuinis statũ significant,ad illorũ referri substantiã: quæ uero motũ,ad actionẽ: improprie quidem ad actionẽ intellectualem,proprie uero ad animalem. Rursus nomina deorũ masculina significare in diuinis actũ efficientem,fœminina uero potentiã capientẽ. Præterea quod cœlũ suo motu generet tẽpus consumens,continueq; consumat,imago quædã est referẽs deũ Cœlium, & Rheam,atq; Saturnũ filios deuorantem. In his aũt Cœlius est essentia ipsa diuina,Rhea eiusdem uita: Saturnus mens eiusdem. Saturni filij ideæ sunt rerum,intelligentia diuina intra se genitæ,quæ sicut producuntur à mente,ita & reducuntur in mentẽ,eas in se,ut ita dixerim,absorbentem. Multitudo uero deorum circa diuersas mundi partes distributorũ, & in ipsis earundẽ partiũ cõtinetur ideis, & in angelicis mentibus ideas multifariã contemplantibus, et in animabus sphæras mundi stellasq; regentib. Animaduerte præ cæteris Plutonem hic significare præcipue prouidentiam diuinã ad separatas animas pertinentem,quæ puras animas bonorũ suorũ perpetuis illecebris adeo rapit & detinet,ut nolint ad nos ultra reuerti. Quod quidem infinitis Plotini Proclíq; animarũ periodis nõ consentit. Probat animas penes Plutonẽ ideo uinculo quodam arctissimo & insolubili detineri, quoniã amatorio teneãtur affectu. Vbi confirmatur Platonicũ illud in cõuiuio, Legibusq;,et sæpe alibi,amatoriũ uoluntariumq; nodum cæteris omnibus esse potentiorẽ. neq; id quidem iniuria: nempe qui trahit quempiã per appetitũ,tum potentius trahit,tum retinet firmius, quàm qui per uim aliam conatur attrahere. quia non ab extrinseco tantum rapit,sed ab intrinseco. Præterea quod ita raptũ est, non modo non contendit solui,uerumetiã innititur ligatori,eodemq; uinculo sese arctius implicat. Mitto quòd raptor alius tanquam superior alienusq; occurrit. Amatorius uero raptor,tanquã æqualem domesticumq;, & palàm & clam se nobis insinuat. Hinc Boetius probat ex mente Plotini,deũ ad seipsum omnia potentissime simul & suauissime rapere,sui uidelicet amore boni,quasi esca trahentem. Quod etiam Platonicus cõfirmat Philo. Deus à principio ad finem omnia potenter attingit, suauiterq; disponit. Id uero totum ex quarto Legum acceptũ esse aliàs ostendemus. De Phœbo autem qui apud Orpheum lumen uitale significat,multa atq; præclara sunt in Orphico Apollinis hymno:in sexto De rep. & in oratiõe Platonici Iuliani: & in opusculo nostro de lumine. Hic uero breuiter exponitur nomen Apollo. Quod triplicem significat solem,diuinũ,angelicũ, & cœlestem. In primo quidem,lumen est superius intellectu. In secundo intellectuale lumẽ super uisum. In tertio uisibile lumen. Secũdus appellatur à Platonicis primi filius. Tertius imago dicitur utriusq;. Sed,ut summatim dicã, Apollo significat primo diuinæ angelicæq; substantiæ simplicitatẽ: Secũdo uim per quã deus & angelus lauant animas,ab inferioribusq; purgãt affectibus: Tertio beneficium quo à deterioribus soluunt, melioribusq; coniungunt: Quarto uirtutem ut ita dixerim sagittariã, qua per omnia procul sua munera iaculantur, & aculeis suis iniustos affligunt: Quinto efficaciam omnia tẽperantem, musicisq; modulis conuertentem. In his apparet Apollinis uaticinium, ubi simplex dicitur, & purgando lauans atq; soluens. Ibidem apparet & medicina,item & sagittandi canendiq; peritia,ubi uires suas potẽter extendit per omnia, & suauiter eisdem cuncta contemperat inuicem, & ad seipsum feliciter contemperando conuertit. Similes quoq; dotes atq; affectus uidentur in sole & ad solem tertio atq; cœlesti. Inter hæc Socrates ait se in exponendis deorum nominibus iocari,uidelicet cognoscens se diuinam substantiam his nominibus nõ attingere, sed uel affectus illorum narrare, uel affectus nostros circa illos pro uiribus explicare. Addit & deos interdum iocari ac ludere: Iocamur quidem nos circa diuina,iocantur & dij circa nostra: quatenus uidelicet nostra hæc & illis collata quamminima sunt, & illi hæc nullo labore,sed inæstimabili facilitate gubernãt. Mitto in præsentia Platonicum illud,Homo iocus est ludusq; deorum. Id enim ubi res exiget exponemus. Post hæc tertio iam apprime religiosus homo dicit se uereri de dijs ulterius disputare. Nempe & in ipso disputationis initio timendũ est, ne fortè de deo loquamur sine deo: et in media disputatione rursus, ne temere metiamur immensos: et circa finẽ rursus,ne ulterius sermonem de nominibus producamus, quàm eorundem uoluntas nobis aspiret. Mox nota totam Mercurij uim uersari circa sermonẽ,ut intelligentiæ uim ad Saturnum potius intelligas pertinere. Item quod addit,Pana Mercurij

Nomina m... ris & fœmi... næ quia sign... ficent in d... uinis

filium esse biformem, uidelicet ob geminum sermonem, uerum scilicet atq; falsum: nota ubi Pan ut homo pingitur, sermonem uerum significare: ubi uero ut brutum, falsum: ut hoc admonitus uerearis falsa loqui, ne falsa loquēdo sis falsus homo, uerumq; brutum. Proinde ubi deridet antiquorū multos, quod dum ipsi paterentur uertiginem putabant omnia uerti, admonet ne pro natura præsertim temporali, metiamur æterna. Item ubi dicit temperantiā esse salutem conuersationemq; prudentiæ, ostendit animam corporis perturbationibus ebriam non posse rerum ipsarū præsertim incorporalium percipere ueritatem. Mox ubi boni nomen interpretatur, ostendit tria ad ipsum bonum pertinere: scilicet ut admirandum sit, ut amandum, ut suaue. Admirandum est quando nos excitat, diuertit ab alijs, ad se conuertit. Amandum: cum accedimus ad ipsum atq; hæremus. Suaue cum eo implemur. Paulo post exponēs iustitiæ nomen, docet diuinum iudicium omnia penetrare. Quod & cecinit Orpheus. Deinde significat iustitiā esse apud Anaxagoricos diuam mentem omnium ordinatricem. Quod quidem Socrates nec affirmare audet, neq; negare. Non negat quidem, quoniam ad deum iustitia pertinet. Non affirmat, quoniam accōmodatius diceretur iustitiam esse diuinam uoluntatem, singula pro meritis uel naturæ, uel uoluntatis distribuentem. Aduerte rationē boni ad naturam quandam pertinere sese per omnia diffundentem. Rationem uero pulchri ad sapientiā ordinemq; manantem ab ipsa, & ad se reliqua prouocantem. Deniq; uim amoris ad influxū quendam spectare ab oculis per oculos penetrantē. Post hæc multa de nominibus affert, quæ per superiora satis intelliguntur. Tangit opinionē de nominum origine triplicem, uel quòd à dijs quondam accepta fuerint, uel quod à barbaris, uel quod à longitudine temporis adeo à prima origine permutata, ut primæ nominum positiones minime discernātur. Mox deridet illos qui sequentium scientiā profitentur, cum antecedentia nesciant. Tu uero in sequentibus aureā animaduerte sententiam, Grauissimam omniū deceptionem esse illam qua homo seipsum decipit. In ea enim deceptor à decepto abest nunquam. Quoniā uero Cratylus ad sectam Euthydemi declinat, quæ putat nullū dicere falsa, quia quisquis dicit, quod est dicat, itaq; dicat & uerum: Socrates id hoc pacto redarguit. Sæpe dicimus adesse alicui quædā quæ procul absunt, atq; uicissim abesse quæ adsunt. quod nihil aliud est quàm falsa dicere. Similiterq; conuenienter possumus nominare exprimētes per nomen literarumq; sonos quodammodo naturā actionemq; rei uel passionem, atq; contra incongrue nominare. Posthæc ubi de numeris & qualitatibus mentionem facit, dicit in ordine numerorum semper unitate uel addita uel subtracta numeri speciem permutari, quod in qualitate non accidat. Id autem hac ratione arbitror euenire, quia tota numeri ratio in unitate eiusq; replicatione consistit. In qualitate uero, cū præter unitatē eiusq; replicationē, alia quædā sit natura, merito uno gradu addito uel subtracto, aut etiam pluribus, qualitatis species non mutatur. Similiter in imagine. eatenus enim imago est, quatenus repræsentat: potest aūt magis minus ue referre. Idem fermè nominibus accidit. Nam quædam rerū ipsarum sunt imagines. Præterea cū nominis finis sit rem ipsam referre, præstat ipsum similitudine quadam rei, quàm hominū conuentione referre. Rursum cū nomen cōstet ex literis, rem apte non potest exprimere nisi ex syllabis literisq; proprie ipsam exprimentib. cōponatur. Et quoniam operosa res est literas, syllabas, nomina rebus singulis prorsus accōmodare, imò etiam fieri nequit in numeris, idcirco miscenda est consuetudo naturæ, ut quatenus fieri potest, natura rerum auctoritatem habeat nominum. Vbi uero uel nullo modo uel difficillime per naturæ proprietatem id fieri potest, fiat per consuetudinem conuentionemq; humanā, siue solam, siue naturæ coniunctam. Animaduerte posthæc maximam diligentiam principijs adhibendam, in eisq; constituendis plurimum disputandum. Rursus fallacissima quadam ad scientiā ire uia, quisquis ut monet Cratylus, per nominum proprietates rerum proprietates aucupatur. quādoquidem auctor nominum non talia nomina quales ipsæ res sunt, instituit, sed quales ipse putauit, qui decipi potuit. Adde quod nomina eadē alij aliter possunt interpretari, & ad opposita significanda pari probabilitate traducere. Profecto multa sunt nomina ita posita quasi res fluant, multa quoq; ita quasi maneant. Est igitur fallacissimum, per nomina res iudicare. Paulopost considera: primum qui res nominauit, cognouisse prius eas quàm nominaret: Item priscam opinionem, qua asseritur diuinam quandam uirtutem ab initio hominem instruxisse: rerūq; nomina docuisse. Quod ijs quæ in Protagora & Politico dicuntur, est consentaneum, Fieri enim non potest, ut humanū genus, uel ab initio mundi, uel post ingentes illuuiones aliter quàm diuinitus sit instructum. Quod autē Socrates dicit circa ideas se somniare, declarat tum de hoc ipso Socratem & uulgo, & à comicis solitum irrideri, tum idearum cognitionem per separationem mentis haberi somnij uaticinio similem. Mox probat ideas esse, quia super imperfectas formas oporteat esse perfectas. Item immutabiles ideas esse, si quidē speciales rerū rationes atq; definitiones semper eodem modo se habeant. Addit, si status à rebus omnis auferatur, sequi ut res nulla uere sit aut hoc aliquid, aut tale aliquid, neq; cognoscatur, cum quolibet momēto deceptura sit iudicantem, necessario mentientē. Subdit neq; fore cognitionem, ipsam uidelicet specialem cognitionis idcam, quæ semper eodem modo se habet. Concludit rerum scientiam non à nominibus sed ab ideis esse quærendam, quarum notiones insitæ nobis primæ ueraq; sunt nomina rerum. Deniq; iuuenes admonet, ne de rebus grauibus facile sententiam ferant, immo discant diu, expectentq; ætatem maturiorem antequam iudicent.

CRATYLVS PLATONIS, VEL DE RECTA NOMINVM RATIONE: TRANSLATVS A MARSILIO Ficino Florentino, ad Petrum Medicem uirum clarissimum.

HERMOGENES. CRATYLVS. SOCRATES.

VIS igitur sermonem nostrũ & cum hoc Socrate conferamus? CRAT. Volo equidem, si tibi uidetur. HER. Cratylus hic ô Socrates, rebus singulis ait natura ineſſe rectam nominis rationem, neq; id esse nomen, quod quidã ex constitutione uocant, dum uocis suæ particulam quandã pronunciãt, sed rectam rationem aliquam nominũ & Græcis & Barbaris eandẽ omnibus innatam. Percontor itaq; ipsum, num reuera Cratylus sit eius nomen. Ipse fatetur. Socrati uero quod nomen, inquam? Socrates ait. Nónne cæteris omnibus, inquã, id est nomen quo quenq; uocamus? Ille nõ tibi tamen ait Hermogenes nomen est, neq; etiã si omnes homines te ita uocarint. Dumq; obsecro ut sciscitanti mihi quidnam dicat aperiat, nihil prorsus declarat, sed me ludens, simulat sese aliquid uersare animo, quasi nõnihil hac de re intelligat, quod si uellet exprimere, cogeret me idipsum fateri, eadẽq; dicere quæ ipse dicit. Quamobrem libenter ex te audirem, siqua ratione Cratyli uaticiniũ potes conijcere. libentius tamen sententiam tuam de nominum rectitudine, siquidem tibi placet, audirem. SOC. O Hipponici fili Hermogenes, ueteri prouerbio fertur, Pulchra esse cognitu difficilia. Atqui illa nominũ notitia haud parua res est. Equidem si ex Prodico illã quinquaginta drachmarum demonstrationẽ iam olim audissem, in cuius traditione etiã hæc inerant, ut ipse testatur, nihil prohiberet quin tu statim nominũ rectitudinẽ intelligeres. eam porrò nunq; audiui, sed illam drachmæ unius duntaxat. Quare quid in his uerũ sit, nescio, inuestigare autem tecum simul & cum Cratylo paratus sum. Quod autem dicit tibi non esse reuera nomen Hermogenes, quod à lucro dicitur, mordet te puto quasi pecuniarum auidus sis, & impos uoti. Verum, ut modo dicebam, difficilia hæc cognitu sunt. Oportet autem rationes utrinq; in medium adducendo perquirere, utrum ita sit ut dicis ipse, an potius ut Cratylus ait. HER. Enimuero ô Socrates, licet frequenter cum hoc cæteriscq; permultis iam disputauerim, nondum tamen persuaderi mihi potest aliã esse nominis rectitudinem, q; conuentionem ipsam consensionemq;. Mihi quidẽ uidetur quod cunq; nomen quis cuiq; imponit, id esse rectũ. Ac si rursus cõmutat, aliudq; imponit, nihilominus q; primum, quod illi succedit nomen rectũ existere, quemadmodũ seruis nomina cõmutare solemus: nulli quippe rei natura nomẽ ineſſe, sed lege & usu illorum qui sic uocare consueuerunt. Quod quidem si aliter se habet, paratus sum non à Cratylo tantum, uerumetiã à quouis alio discere atq; audire. SOC. Fortè aliquid dicis Hermogenes. Consideremus itaq;. quodcũq; imponit quis cuiq; nomen uocatq;, id illi nomen esse asseris? HER. Mihi sanè ita uidetur. SOC. Et siue priuatus uocet, siue ciuitas? HER. Affero. SOC. Quid uero si ipse rem aliquã uocem, ueluti si quem nunc hominem uocamus, ego equum nominẽ, quem' ue equum, hominẽ? publice quidem erit eidẽ homo nomen, priuatim equus, & priuatim rursus homo, publice equus. Ita loqueris? HER. Ita uidet. SOC. Dic iterum num aliquid nuncupes uera loqui, aliquid loqui falsa. HER. Equidem. SOC. Nónne illa quidem uera erit oratio, hæc aũt oratio falsa? HER. Ita prorsus. SOC. Illa uero oratio quæ existentia dicit ut existũt, uera est, quæ ut nõ existũt, falsa? HER. Certe. SOC. Est autem hoc, oratione, ea quæ sunt, & quæ non sunt, dicere? HER. Idipsum. SOC. Oratio quæ uera est, utrum tota quidem est uera, partes non ueræ? HER. Imò & partes ueræ. SOC. Vtrũ partes magnæ ueræ, exiguæ uero particulæ falsæ, an ueræ sunt omnes? HER. Omnes arbitror. SOC. Habes orationis partem aliquã minorẽ nomine? HER. Nequaq; hęc eñ pars minima. SOC. Et nomen quidẽ hoc pars orationis ueræ. HER. Proculdubio. SOC. Pars utiq; uera, ut ais ipse. HER. Vera. SOC. Pars autem falsa. HER. Aio. SOC. Licet ergo nomen uerũ, & nomen falsum dicere, siquidẽ & orationem. HER. Quid prohibet? SOC. Quod quisq; cuiq; nomen esse ait, id & cuiq; nomen est? HER. Idipsum. SOC. An etiam quotcunq; quis nomina cuique tribuit, totidem erunt? ac etiam quandocunq; tribuit? HERM. Haud equidem habeo Socrates, aliquam præter hanc nominis rectitu-

Prouerbiũ

Quæ oratio uera, quæ falsa

Orationis pars minima est nomen

dinem,ut uidelicet liceat mihi quidē alio rem uocare quod ipſe impoſui nomine,tibi autem alio quod tu impoſuiſti. Ita equidem in ciuitatibus uideo eorundem ppria quædam haberi nomina,& Græcis ad alios Græcos,& Græcis ad Barbaros. SOC. Animaduertamus Hermogenes,utrum res ipſæ ita ſe habere tibi uideantur, ut propria rerum apud unumquenq; eſſentia ſit,quemadmodum Protagoras tradidit: rerum omnium dicens hominem eſſe menſuram,ita ut qualia mihi quæq; uidentur,talia & mihi ſint:item qualia tibi,& tibi talia. An potius quædam eſſe putes,quæ eſſentiæ ſuæ quandā habeant firmitatem. HER. Quandoq; ó Socrates,dubitans ad hæc deductus ſum,quæ tradit Protagoras. Ita tamen eſſe haud ſatis mihi perſuadeo. SOC. Nunquid & ad hoc aliquando es deductus,ut tibi nequaquam uideretur aliquem eſſe hominem omnino malum? HER. Non per Iouem,imò ſæpenumero ita ſum affectus,ut exiſtimarem homines nonnullos omnino malos eſſe,& quidem plurimos. SOC. Prorſus autem boni nulli adhuc tibi uſi ſunt? HER. Admodum pauci. SOC. Viſi ergo ſunt aliqui. HER. Aliqui. SOC. Qua ratione hoc iudicas? hac ne? omnino quidem bonos eſſe,omnino prudētes: prorſus uero prauos imprudentes omnino? HER. Mihi ſanè ita uidetur. SOC. Si Protagoras uera dixit, eſtq; hæc ipſa ueritas,ut qualia quæq; cuiq; uidentur,talia ſint,fieri ne poteſt,ut alij hominum prudentes ſint,imprudentes alij? HER. Nequaquam. SOC. Atqui hæc, ut arbitror, tibi omnino uidentur,cum uidelicet prudentia quædam & imprudentia ſit,Protagorā haud omnino uera loqui poſſe. Neq; enim alter altero reuera prudētior erit,ſi quæ cuiq; uidentur,cuiq; uera erunt. HER. Ita eſt. At neq; Euthydemo aſſentiris,ut arbitror,dicenti omnia omnibus eſſe ſimiliter ac ſemper. Neq; enim alij boni,alij mali eſſent,ſi ſemper & æque omnibus & uirtus ineſſet & prauitas. HER. Vera loqueris. SOC. Ergo ſi neq; omnia omnibus inſunt ſemper atq; ſimiliter,neq; cuiq; proprium unumquodq;, cōſtat res ipſas eſſe quæ eſſentiam quandam firmam in ſe habent,neq; quo ad nos neq; à nobis per imaginationem ſurſum deorſumq; diſtractæ,ſed ſecundum ſeipſas quo ad ipſarum eſſentiam ut natura inſtitutæ ſunt permanentes. HER. Idem mihi quoq; uidetur ô Socrates. SOC. Vtrum res ipſæ ita natura conſiſtunt,actiones autem illarum non ita,ſed aliter? an & actiones ipſæ ſimiliter quædam rerum ſpecies ſunt? HER. Et ipſæ omnino. SOC. Ergo actiones ipſæ ſecundum naturam ſuam, non ſecundum opinionem noſtram fiunt. Quemadmodum ſi nos rem quampiam diuidere ſtatuamus,utrum ſic diuidēda res quæque eſt,ut nos uolumus,& quo uolumus? an potius ſi unumquodq; diuidamus ſecundum naturam qua diuidere & diuidi oportet,itemq; eo quo ſecundum naturam diuiſio fieri debet,diuidemus utiq; recte,& aliquid proficiemus,ac recte iſtud agemus? Sinautem præter naturam,aberrabimus,nihilq; proficiemus? HER. Mihi quidem ita uidetur. SOC. Atque etiam ſi comburere aliquid aggrediamur, non ſecundum omnem opinionem comburere oportet,ſed ſecundum opinionem rectam. hæc autem eſt qua ratione naturaliter quodq; comburi debet atq; comburere,& quo debet. HER. Vera hæc ſunt. SOC. Nónne eadem de cæteris ratio? HER. Eadem. SOC. An non & dicere una quædam operationū eſt? HER. Eſt plane. SOC. Vtrum recte dicet, qui ut ſibi dicendum uidetur,ita dicit? an potius qui ita dicit,ut ipſa rerum natura dicere diciq; requirit? et ſi quo natura exigit,eo & dicat,aliquid dicendo proficiet: ſin aliter,aberrabit: nihilq; efficiet. HER. Ita equidem ut ais,exiſtimo. SOC. An non dicendi pars quædam eſt nominare? & qui nominant,loquuntur quodāmodo? HER. Omnino. SOC. Et nominare actio quædam eſt? quandoquidem & dicere actio quædam circa res eſt. HER. Prorſus. SOC. Actiones autem nobis apparuerunt haud ad nos reſpicere,ſed propriam quandam ſui habere naturam. HER. Eſt ita. SOC. Nominandū itaq; ea ratione qua rerum ipſarum natura nominare ac nominari poſtulat,& quo poſtulat,nō autem pro noſtræ uoluntatis arbitrio,ſi ſtandum eſt in his quæ dicta ſunt. HER. Sic eſt. SOC. Atq; ita aliquid peragemus, nominabimusq;, aliter uero nequaquam. HER. Apparet. SOC. Quod incidendum eſt, aliquo incidendū. HER. Aliquo. SOC. Et quod texendū,aliquo certe texendū, quod ue perforandum,aliquo perforandū. HER. Plane. SOC. Item quod nominandū, aliquo nominandum. HER. Sic oportet. SOC. Quid illud, quo aliquid perforare oportet? HER. Terebrum. SOC. Quid quo texere? HER. Radius pectenq;. SOC. Quid quo nominare? HER. Nomen. SOC. Bene loqueris,ideoq; inſtrumentum aliquod nomen eſt. HER. Eſt

Sententia Protagoræ circa eſſentiam rerum

Sententia Euthydemi, omnia omnibus eſſe ſimiliter, ac ſemper

Eſt. SOC. Si quærerẽ quod inſtrumentũ eſt radius pectenq́, reſponderes quo texímus? HER. Non aliud. SOC. Texentes uero quid facimus? an non ſubtegmen & ſtamina confuſa, radio diſcernimus? HER. Iſtuc ipſum. SOC. Idem de terebro ac cęteris reſpondebis? HER. Idem. SOC. Potes & circa nomen ſimiliter declarare, quid facimus dum nomine ipſo quod inſtrumentũ eſt, aliquid nominamus? HER. Nequeo. SOC. Nũquid docemus inuicem aliquid, ac res ut ſunt, diſcernimus? HER. Nempe. SOC. Nomen itaq́ rerũ ſubſtantias docendi diſcernendiq́ inſtrumentũ eſt, ſic ut pecten & radius ipſe telę. HER. Sic eſt dicendũ. SOC. Radius porrò textoriũ eſt inſtrumentũ. HER. Quid ni? SOCR. Textor itaq́ radio ac pectine recte utetur, recte, inquã, ſecundũ texendi rationẽ. Ille uero qui docet, nomine utetur, & recte, recte uidelicet ſecundũ docendi propriã rationẽ? HER. Certe. SOC. Cuius artificis opere bene utetur textor, quando radio pectineq́ utetur? HER. Fabri lignarij. SOC. Quiſque ne lignarius faber, an potius qui artẽ habet? HER. Qui habet artẽ. SOC. Cuius item opere recte perforator utetur? HER. Aerarij fabri. SOC. Num quiſq́ eſt faber æràrius? an potius qui habet artem? HER. Qui artẽ. SOC. Age ergo, díc cuius opere ipſe doctor utatur, quoties nomine utitur. HER. Neſcio. SOC. Aſſignare & hoc neſcis? quis nobis tradit nomina quibus utimur? HER. Ignoro & hoc. SOC. Nónne lex tibi uidet nobis nomina ſtatuiſſe? HER. Videtur. SOC. Ergo legislatoris utet opere doctor, quãdo nomine ipſo utetur. HER. Opinor. SOC. Cõditor legis quilibet tibi æque uidetur, an qui arte eſt prædítus. HER. Arte prædítus. SOC. Quare nõ cuiuſcunq́ uiri eſt Hermogenes nomen imponere, uerũ cuiuſdam nominũ autoris. hic autem etiam, ut uidetur, nominũ inſtitutor, qui rarior omni artifice inter homines reperit. HER. Apparet. SOC. Animaduerte obſecro, quò reſpiciens nominũ inſtitutor, nomina rebus imponit: imò ſuperiorũ exempla díjudica, quò reſpiciens faber radium pectenq́ cõficit. nónne ad tale aliquid quod ad texendum natura ſit aptum? HER. Prorſus. SOC. Si in ipſo opere radius hic frangatur, utrum alium iterũ fabricabit ad fracti iſtius imaginẽ? an potius ad ſpeciem ipſam reſpiciet, ad cuius exemplar radium qui fractus eſt, fecerat? HER. Ad ipſam ut arbitror, ſpeciem. SOC. Nónne ſpeciem ipſam merito ipſius radij rationẽ, ipſumq́ radium maxime nominabímus? HER. Opinor. SOC. Siquãdo oportet cõficiendæ ueſti tenui uel craſſiori lineę ſiue laneę, ſiue cuiuis alteri radiũ apparare, radios ſingulos oportet ſpeciem radij ipſius habere: qualis uero cuiq́ naturaliter eſt accõmodatiſſimus, talem ad opus peragendũ, ut natura poſtulat, adhibere. HER. Oportet ſanè. SOC. Eadem de cæteris inſtrumẽtis eſt ratio. Nam quod natura cuiq́ congruit, inſtrumentũ adinueniendum eſt, atq́ id illi attribuendũ, ex quo efficit nõ qualecunq́ uult qui fabricat, ſed quale natura ipſa exigit. Terebrum namq́ cuiq́ accommodatum ſcire oportet in ferro perficere. HER. Patet. SOC. Radium quinetiam ſingulis competentem in ligno. HER. Vera hæc ſunt. SOC. Quippe ipſa ratione naturę alius radius telæ alteri competit, & in alijs eodem modo. HER. Sanè. SOC. Oportet quoq́ uir optime, ut ille nominum inſtitutor nomen natura rebus ſingulis aptũ in uocibus & ſyllabis exprimat, ad idq́ reſpiciẽs quod ipſum nomen eſt, ſingula nomina fingat, atque attribuat, ſi reuera nominum autor eſt futurus. Quod ſi non ijſdem ſyllabis quiſq́ nominum conditor nomen exprimit, animaduertendum eſt, quod neq́ fabri omnes ærarij eodem in ferro id faciunt, quoties eiuſdem gratia idem fabricant inſtrumentum. Verum quatenus eandem ideam attribuunt, licet in alio & alio ferro, eatenus recte ſe habet inſtrumentum, ſiue hic, ſiue apud Barbaros fabricẽt. Nónne? HER. Maxime. SOC. Nónne & eodem modo cenſebis, donec inſtitutor nominum qui apud nos eſt, & qui apud Barbaros, nominis ſpeciem cuiq́ cõpetentem tribuunt, in quibuslibet ſyllabis nihilo deteriorem eſſe unũ altero in nominibus imponendis? HER. Equidem. SOCR. Quis cogniturus eſt utrum conueniens radij ſpecies cuicunque ligno ſit impreſſa? num faber qui efficit? an textor uſurus? HER. Probabile eſt ô Socrates, magis eũ qui eſt uſurus, cognoſcere. SOC. Quis lyræ fabricatoris opere utitur? nónne ille qui fabricantem inſtruere poteſt, & opus recte ne an cõtrà factũ ſit, iudicare? HER. Omnino. SOC. Quis ergo? HER. Citharíſta. SOC. Quis autem opere ſtructoris nauiũ? HER. Gubernator. SOC. Quis item nominũ conditoris operi optime præſidebit, & expletũ díjudicabit & apud Græcos & apud Barbaros? Nónne & qui utet? HER. Is certe. SOC. An nõ is eſt qui interrogare ſcit? HER. Iſte. SOC. Idem quoq́ reſpondere.

Nomen, rerũ ſubſtantias docendi diſcernendiq́ inſtrumentum

Quomõ nominabit qui recte nominabit

HER

Dialecticus nouit recte imposita nomina rebus sint, necne

HER. Nempe. SOC. Eum uero qui interrogare scit atq; respondere, alium uocas & dialecticum? HER. Dialecticum profecto. SOCR. Fabri ita opus est temonem facere gubernatore præcipiente, si bonus futurus est temo. HER. Apparet. SOC. Nominum quoq; autoris nomen, monente dialectico uiro, si modo recte ponenda sunt nomina. HER. Vera hæc sunt. SOC. Apparet ergo Hermogenes haud leue quiddam, ut ipse censes, nominis impositionem esse, neq; id esse imperitorum & quorumuis hominum opus. Nempe Cratylus uera loquitur, cum nomina dicit natura rebus competere, neq; unum quemuis esse nominum autorem, sed illum duntaxat qui ad nomen respicit, quod natura cuiq; conuenit, posteaq; speciem eã literis syllabisq; inserere. HER. Nescio Socrates qua ratione his quæ dixisti, sit repugnandũ: fortè uero non facile est subito sic persuaderi. Videor autem mihi hũc in modum tibi potius assensurus, si ostenderis quam dicas esse natura rectã nominis rationem. SOC. Equidem ô beate Hermogenes, adhuc nullam dico. fermè namq; è memoria excidit quod dixerã suprà, me uidelicet hoc ignorare, uerum unà tecum perquirere. Nunc autem mihi & tibi simul inuestigantibus hoc duntaxat præter superiora compertũ est, rectitudinem aliquã natura nomen habere, nec quemlibet posse nomen rebus accommodare. Nónne? HER. Valde. SOC. Considerandum restat, si nosse desideras, quænã ipsius sit nominis rectitudo, id est ratio recta. HER. Desidero equidem. SOC. Animaduerte igitur. HER. Qua uia inuestigandũ mones? SOC. Rectissima est ô amice, consideratio, ab his qui sciũt hæc perquirere, oblatis pecunijs, & gratijs insuper actis: hi uero sophistæ sunt, quibus frater tuus Callias multis erogatis pecunijs, sapiẽs euasisse uidetur. Postquam uero in res paternas ius non habes, reliquũ est fratrem iupplex ores, ut te doceat nominũ rectitudinem quam à Protagora didicit. HER. Quàm absurda hæc esset petitio Socrates, si cum illam Protagoræ ueritatem nullo modo recipiã, ea quæ ex ue

Veritas nomen scripti, aut ironicũ

ritate illa dicuntur, alicuius precij æstimarẽ. SOC. At uero si tibi hæc non placent, ab Homero cæterisq; poetis est discendum. HER. Quid de nominibus, & ubi Homerus ô Socrates, tradit? SOC. Passim multa, maxima uero & pulcherrima sunt illa, in quibus distinguit circa eadem quæ nomina homines, & quæ dij ipsi inducunt. An non censes ipsum in his magnificum aliquid & mirandum de recta ratione nominũ tradere? Constat enim deos nominibus illis ad rectitudinem ipsam uti, quæ natura consistunt. An non putas? HER. Certe equidem scio, siqua dij uocant, recte eos admodum nominare. Verum quænam ista? SOC. An ignoras quod de Troiano flumine, quod singulari certamine cũ Vulcano pugnauit, inquit: quod Xanthũ dij uocant, uiri Scamandrum. HER. Scio. SOCR. An non censes magnificum quiddam cognitu esse hoc, qua ratione rectius sit flumen illud Xanthũ, quàm Scamandrũ nominare? Item si uis, animaduerte & istud, quod auem eandem dicit Chalcidem quidẽ à dijs, Cymindin uero ab hominibus nominari. Leuem cognitionem hanc putas, ut sciat quanto rectius sit eandem auem Chalcidem quàm Cymindin nuncupare, uel Batieam atq; Myrinen, aliaq; permulta & apud hunc poetam & apud alios talia? Verum istarũ rerum inuentio acutius ingenium quàm nostrũ exigit. Scamandrius autẽ & Astyanax quid significent, humano ingenio, ut mihi uidetur, comprehendi, & facile percipi potest, quam rectitudinem esse Homerus uelit in his nominibus quibus Hectoris filium nuncupat. Scis ea carmina quibus insunt, quæ dico? HER. Omnino. SOC. Vtrum istorum nominũ putas Homerum existimasse conuenire magis puero, Astyanacta'ne, an Scamandriũ? HER. Ignoro. SOC. Sic autem considera: si quis te interrogaret, utrũ putes sapientiores rectius nomina rebus imponere, an minus sapientes, responderes utiq; sapientiores. HER. Sic certe. SOC. Vtrũ mulieres in urbibus sapientiores esse tibi uidentẽ, an uiri? quantũ ad genus attinet. HER. Viri. SOC. Nescis quod inquit Homerus, Hectoris filium à Troianis Astyanacta, à mulieribus Scamandriũ nuncupatum? quandoquidem uiri illum Astynacta uocare consueuerũt. HER. Videtur. SOC. Nónne Homerus Troianos uiros sapientiores, quàm mulieres eorũ existimauit? HER. Arbitror equidem. SOCR. Astyanacta igitur rectius quàm Scamandrium nominatum esse censuit. HER. Apparet. SOCR. Animaduertamus quam ipse denominationis huius causam affert, Solus enim, inquit, ciuitatem ipsis tutatus est amplaq; mœnia. Quapropter decet, ut uidetur, protectoris filium nominare ἀσυάναξτα, id est regem urbis, urbis, inq;, eius, quam pater ipsius seruauit, ut inquit Homerus. HER. Idem mihi quoq; uidet.

SOC.

SOC. Quod aũt hoc maxime, porrò & ipse nondum satis intelligo, ô Hermogenes. Tu uero percipis? HER. Nõ per louem. SOC. Atqui & Hectori ó bone uir, nomen ipse Homerus imposuit. HER. Quamobrem? SOC. Quoniã mihi uidet id nomen Hector Astyanacti esse quàm proximum: fermè enim idem significant, putantq; Græci utraq; hæc nomina regia esse. Cuiuscunq; enim quis ἄνακ, id est rex extitit, eiusdem est & ἕκτωρ, id est possessor. Constat enim dominari illi, possidereq;, & habere. An fortè nihil tibi dicere uideor? meq; fallit opinio, qua Homeri scientiam circa nominum rectitudinem, ceu per uestigia quædam attingere cõfidebam? HER. Nullo modo, ut arbitror. fortè enim non nihil attingis. SOCR. Decet, ut mihi uidetur, leonis filiũ leonem similiter nominare, equi filium equum. haud certe dico, siquid tanquam monstrum ex equo nascatur aliud quiddam quàm equus: sed cuius generis secundum naturam est quod nascitur, hoc dico. Si enim bouis secundum naturam filius equũ gignit, non uitulus qui nascit, sed pullus equinus est nuncupandus. Et si equus præter naturam gignit uitulum, non pullus equinus dicendus est hic, sed uitulus. Neq; etiam si ex homine alia proles quàm humana producit, quod nascitur homo uocari debet. Idemq; est de arboribus, deq; cæteris omnib. iudicandum. Probas hæc? HER. Probo equidem. SOC. Obserua me nequid defraudem. Eadem quippe ratione, si quis ex rege nascitur, rex est nominandus: in alijs uero & alijs syllabis idem significari, nihil interest, neq; refert siue addatur litera aliqua, siue etiã subtrahatur, donec essentia rei significatæ in ipso nomine dominatur. HER. Qui istuc ais? SOC. Nihil mirum nouum'ue dico, uerũ ita ut in elementis fieri cernis. scis enim quod elementorũ nomina dicimus, ipsa uero elementa nequaq;, quatuor duntaxat exceptis. dicimus enim ε & υ ψιλὸν, ο μικρὸν & ω μέγα. Cæteris autem tam uocalibus quàm non uocalibus alias addentes literas, ut βῆτα γ. τ. α. nomina constituimus, atq; ita proferimus. Verum quousq; elementi ipsius uim declaratã inferimus, conuenit nomen illud uocare ipsum quod nobis significet elementum, ut in βῆτα apparet, ubi additis η. τ. α. nihil obstitit quin integro nomine natura elementi illius ostenderetur, cuius nominum autor uoluit: usquea deò scite literis nomina dedit. HER. Vera mihi loqui uideris. SOC. Nónne eadẽ de regeratio erit? Erit ex rege rex, ex bono bonus, ex pulchro pulcher, & in cæteris omnibus similiter ex quolibet genere alterũ quiddam tale, nisi monstrũ fiat, eademq; dicenda nomina. Variare autem licet per syllabas, ut uideantur homini rudi, quæ sunt eadem, esse diuersa. quemadmodũ pharmaca medicorũ coloribus & odoribus uariata sæpe cũ eadem sint, nobis diuersa uidentur: Medico aũt uim pharmacorũ consideranti eadem iudicantur, neq; eum additamẽta perturbant. Similiter fortè qui est in nominibus eruditus, uim illorum considerat, neq; eius turbat iudicium, siqua litera addita est, uel transmutata, uel dempta, uel in alijs literis ac multis eadẽ uis nominis reperitur. Vt ea nomina quæ suprà diximus, Astyanax & Hector, literas omnino diuersas, præter τ solum habent, idem tamen significant. Item quod ἀρχέπολις, id est, princeps ciuitatis dicitur, quam literarum communionẽ cum duobus superioribus habet? Idem nihilominus infert. Multaq; sunt alia, quæ nihil aliud quàm regem significant. Multa præterea sunt, quæ exercitus ducem significant, ut ἄγις, πολέμαρχος, ὑπολέμιος. Alia item quæ medicinæ professorem declarant, ut ἰατροκλῆς, ἀκεσίμβροτος. Aliaq; permulta reperiri possunt, syllabis & literis discordantia, ui autem significationis penitus consonantia. Sic ne & ipse putas, an aliter? HER. Sic certe. SOCR. His profecto quæ secundum naturam fiunt, eadem tribuenda sunt nomina. HER. Omnino. SOCR. Quoties uero præter naturam homines aliqui fiunt in quadam specie monstri, uelut quum ex bono pioq; uiro impius generatur, qui genitus est, non genitoris nomen sortiri debet, sed eius in quo ipse est generis: quemadmodum suprà diximus, si equus bouis prolem generet, non equum eius filium, sed bouem denominandum. HER. Sic est. SOCR. Homini igitur impio ex pio genito, non parentis, sed generis nomen attribuendum. HER. Vera hæc sunt. SOC. Neque igitur θεοφιλὴν, id est Dei amicum, neq; μνησίθεον, id est Dei memorem, uel talem aliquem huiusmodi uocare filium talem decet, sed cõtraria significantibus nominibus appellare, si modo recte nomina instituta esse debent. HER. Sic prorsus agendum ô Socrates. SOC. Profecto Oresti nomen recte, ó Hermogenes, uidetur impositum, siue aliqua sors illi nomen dedit, siue poeta quidã, ferinam eius naturã agrestẽq; & montanã nomine eo significãs.

HER.

HER. Sic apparet, Socrates. SOC. Videtur & patri eius secundum naturam nomen esse. HER. Apparet. SOC. Apparet utiq; talis esse Agamemnon, ut sibi laborandũ censeat, tolerandumq;, & in ijs quæ decreuit, per uirtutem perseuerandũ. Argumentũ uero toleran tiæ suæ apud Troiam tanto cum exercitu perduratio præbuit. Quod igitur mirabilis per seuerantia uir hic fuerit, nomen significat Agamemnon, quasi ἀγασὸς ἠδὲ πλὼ ὦν μονλω. Fortè uero & Atreus recte est nominatus. Nex enim Chrysippi, & crudelitas aduersus Thyesten, noxiũ pernicioſumq; illum demonstrant. Vnde cognominatio parumper declinat, & clàm innuit, ut non quibuslibet naturam huius uiri declarent: his autem qui no minum periti sunt, satis Atrei significatio patet. Dicitur enim secundum ἀτηρὸς, ἄφρονα, ἀτηρόν, quasi indomitus, inexorabilis, noxius contumelioſusq; fuerit. Videtur & Pelopi nomen haud ab re tributum. Hominem quippe quæ prope sunt uidentem, nomen istud congrue significat. HER. Cur illi id conuenit? SOCR. Quoniam in Myrtili cæde, ut fertur, prouidere nihil potuit, neq; eminus ꝓspicere quãta toti generi ex hoc calamitas immineret. Quæ enim ante pedes erant, & ad præsentia tantum respiciebat, hoc autem est prope aspicere: quod & fecit, cum Hippodamiæ coniugium omni conatu inire contendit. Vnde Pelopi nomen à πέλας, id est, prope, & ὄψις, quod ad uisionem pertinet. Tantalo quinetiam nomen natura ipsa uidetur impositum, si uera sunt quæ circunferuntur. HER. Quænam ista? SOC. Quod uiuenti adhuc illi aduersa plurima & grauia contigerunt, tandemq; patria eius omnis subuersa est. Defuncto præterea saxum in caput immittet, sors certe durissima. hæc prorsus cum nomine congruũt, perinde ac si quis nomina re πολύτλητον, id est, infelicissimũ uoluisset, sed paulo locutus obscurius, pro Talantato Tantalum posuisset. Tale utiq; nomen fortuna eius aduersa ipso rumore gentium præbuisse uidetur. Quinetiam patri eius Ioui recte nomen est inditum, neq; tamen facile cognitu. Est enim uelut oratio quædam Iouis nomen, quod quidem bifariã partientes, partim una, partim altera parte utimur. Quidam ζῆνα, quidam δία, uocant. Quæ partes in unum cõpositæ, naturam dei ipsius ostendũt, quod maxime debet nomen efficere posse. Nulla enim nobis cæterisq; omnibus uiuendi magis causa est, quàm princeps, rexq; omniũ. Quapropter decens nomen est hic Deus sortitus, per quem uita semper uiuentibus omnibus inest. Sectum autem in duo est unum, ut dicebam, nomen, in δία uidelicet atq; ζῶα. Hinc Saturni filium cum quis audiat, fortè insolentem contumelioſumq; putarit. Verũ probabile est, magnæ cuiusdam intelligentię prolem Iouem esse. Quod enim κόρῳ dicitur, non puerum significat, sed puritatem mentis ipsius, & synceram integritatem. Est autem is οὐρανὸς, id est, cœli filius, ut fertur. Quippe aspectus ad supera merito οὐρανία uocatur, quasi ὁρῶσα τὰ ἄνω. Vnde affirmant, ô Hermogenes, ij qui de rebus sublimibus agunt, puram mentem adesse, & ἐξανῶ, iure nomen impositum. Si autem genealogiam deorum ab Hesiodo traditam mente tenerem, & quos horum progenitores induxit, recordarer, haudquaq; cessarem ostendere tibi recte illis nomina inscripta fuisse, quo ad huius sapientię periculũ facerem, siquid ipsa proficiat peragatq;, & an deficiat nec ne, quæ mihi tam subito ignoro equidem unde nuper illuxit. HER. Profecto mihi uideris, ô Socrates, instar eorum qui numine rapiuntur, protinus oracula fundere. SOC. Reor equidem, ô Hermogenes, hanc in me sapientiam ab Euthyphrone Pantij filio emanasse. Illi siquidem astiti à matutino assiduus, auresq; porrexi. Patet igitur eum deo plenũ non modo aures meas beata sapientia impleuisse, uerumetiam animum occupasse. Sic utiq; agendum arbitror, ut hodie quidem utamur ipsa, & reliqua quæ ad nomina pertinẽt, indagemus. Cras uero, si in hoc consenserimus, excutiamus eam, expiemusq;, aliquem per scrutati, siue sacerdotem, seu sophistam qui purgare hæc ualeat. HER. Probo hæc maxime Socrates. libentissime nanq; quæ de nominibus restant, audirem. SOC. Ira prorsus agendum. Vnde igitur potissimum exordiendũ iudicas, postquam formulam quandam præscripsimus, ut pernoscamus si etiã nomina nobis ipsa testantur non casu quodam facta fuisse, uerum rectitudinem aliquam continere? Nomina quidem heroum atq; hominum nos fortè deciperent. horum nanq; multa secundum cognomenta maiorum posita sunt, & sæpe nequaq; conueniũt, quemadmodũ in principio diximus. Multa uero ex uoto homines nomina tribuunt, ut δυτυχίδην, σωσίαν, θεόφιλον, aliaq; permulta. Talia itaq; prætermittenda censeo. decens eñ consentaneumq; maxime reperire nos quæ in rebus sempi-

sempiternis & naturæ ordine cõstitutis recte sunt posita. Nam circa ista in condendis nominibus studuisse maxime decet. Fortè uero ipsorũ nonnulla diuiniore quadam potentia q̃ humana sunt instituta. HER. Præclare mihi loqui uideris, ô Socrates. SOC. Nonne par est ab ipsis dijs incipere, rationemq̃ inuestigare qua θεοὶ uocati sunt? HER. Nempe. SOC. Equidem ita conijcio. Videntur utiq̃ mihi Græcorũ prisci deos solos putasse eos, quos etiam his temporibus Barbarorũ plurimi arbitrantur, solem, lunã, terram, stellas, cœlum. Cum ergo hæc omnia perpetuo in cursu esse cõspicerent, ab hac natura τὸ θεῖν, θεοὺς nominasse uidentur, deinde & alios animaduertẽtes omnes eodem nomine nuncupasse. Habet quod dico uerisimile aliquid, nec ne? HER. Habet certè. SOC. Quid post hac inuestigandum? Constat de dæmonibus heroibusq̃ & hominibus quærendum esse. HER. De dæmonibus primum. SOC. Proculdubio Hermogenes. quid sibi uult dæmonum nomen? animaduertenum aliquid dicam. HER. Dic modo. SOC. Scis ne quos Hesiodus δαίμονας esse inquit? HER. Non. SOC. Neq; etiam, quod aureum genus hominum ait in principio extitisse? HER. Hoc equidem noui. SOC. Ait enim ex hoc genere post præsentis uitæ fata fieri dæmones sanctos, terrestres, optimos, malorũ expulsores, & custodes hominum. HER. Quid tum? SOC. Nempe arbitror uocare illum aureum genus, non ex auro constitutũ, sed bonum atq̃ præclarum. quod inde conijcio, genus nostrum ferreum esse dicit. HER. Vera narras. SOC. An non putas si quis nunc ex nostris bonus sit, aurei hunc generis ab Hesiodo æstimari? HER. Consentaneum est. SOC. Boni autem alij q̃ prudentes? HER. Prudentes. SOC. Idcirco, ut arbitror, eos dæmones præcipue nuncupat, quia sapiẽtes δαήμονες q̃ erant. Et ex nostra istud prisca lingua nomen existit. Quã obrem & is, & cæteri poetæ permulti præclare loquuntur, quicunq̃ aiunt uidelicet, post quam bonus aliquis uita functus est, maximam dignitatem præmiumq̃ sortitur, fitq̃ dæmon secundum sapientiæ cognomentũ. Ita & ipse assero δαήμονα, id est sapientem omnem esse hominem, quicunq̃ sit bonus, eumq̃ dæmonicum esse, id est felicem, uiuentem atq̃ defunctũ, rectèq̃ dæmonem nũcupari. HER. Videor mihi ô Socrates, in hoc tecum maxime consentire. SOC. ἥρως autem quid significat? Id nequaq̃ inuentu difficile. paulo enim heroum nomen ab origine distat, indicans generationem illorum ἀπὸ τοῦ ἔρωτος manasse. HER. Qua ratione id ais? SOC. An ignoras semideos heroas esse? HER. Quid tum? SOC. Omnes utiq̃ heroes uel ex amore deorũ erga mulieres humanas, uel amore uirorum erga deas sunt geniti. Præterea si hoc secundũ priscam Atticorum linguam considera ueris, magis intelliges. reperies enim quòd paulisper mutatũ est nominis gratia ex ἔρωτος, unde sunt heroes geniti: quod ue aut hinc heroum nomen est ductum, aut ex eo quòd sapientes, rhetoresq̃ fuerunt. facundi uidelicet, & ad interrogandũ disserendũq̃ promptissimi. εἰρεῖν nanq̃ dicere est: Quare, ut modo dicebamus, Attica uoce heroes rhetores quidam, & disputatores & amatorij uidentur. Vnde rhetorum sophistarumq̃ genus heroica proles existit. Verum nõ istud quidem difficile cognitu, imò illud obscurũ, quam ob causam homines ἄνθρωποι nominantur. habes ipse quid asseras? HER. Vnde id habeã bone uir? Quin si reperire quoquo modo possim, nil cõtendo, ex eo quòd te melius faciliusq̃ quàm me reperturum spero. SOC. In Euthyphronis inspiratione confidere mihi uideris. HER. Absq̃ dubio. SOC. Et merito quidem confidis. Nam belle nimium mihi nunc uideor cogitasse, ac periculũ est nisi caueam, ne hodie sapiẽtior quàm deceat, uidear euasisse. Attende ad ea quæ dicã. Hoc in primis circa nomina animaduertere decet, quòd sæpe literas addimus, sæpe etiam demimus pro arbitrio, dum nominamus, & acuta sæpenumero transmutamus, ut cum dicimus φιλος: hoc ut pro uerbo nomen nobis foret, alterum ι inde excerpsimus, & pro acuta syllaba media, grauem pronũciamus. In alijs quibusdam literas interserimus, alia uero graviora proferimus. HER. Vera refers. SOC. Hoc & in ἄνθρωπος cõtingit, ut mihi quidem uidetur. Nam ex uerbo nomen constitutum est, uno α excepto, grauioriq̃ fine effecto. HER. Quomodo istud ais? SOC. Ita: hominis nomen illud significat, quòd cætera quidem animalia quę uident, non considerant, neq; animaduertunt, neq; contemplantur: homo autem & uidet simul & contemplatur, animaduertitq̃ quod uidet. Hinc merito solus ex omnibus animãtibus homo ἄνθρωπος est nuncupatus, quasi ἀναθρῶν contemplans, quæ ὄπωπε, id est, uidit. Quid post hæc quæram? An uidelicet quod libenter perciperem? HER. Maxime. SOC. Succede-

φιλος

re ſtatim ſuperioribus mihi uidetur de anima & corpore cõſideratio. Nam anima & corpus aliquid hominis ſunt. HER. Sine cõtrouerſia. SOC. Conemur hæc quemadmodũ ſuperiora diſtinguere. Quærendum primo de anima putas, ut recte ψυχὴ nominata fuerit? deinde de corpore? HER. Equidem. SOC. Vt igitur ſubito exprimam quod primum mihi nunc ſe offert, arbitror illos qui ſic animã uocitarunt, hoc potiſſimum cogitaſſe, quod hæc quoties adeſt corpori, cauſa eſt illi uiuendi, reſpirandi, & refrigerandi uim exhibẽs: & cum primũ deſierit quod refrigerat, diſſoluitur corpus, & interit. Vnde ψυχω nominaſſe uidentur, quaſi ἀναψύχον, reſpirando refrigerans. At uero, ſi placet, ſiſte parumper. Videor mihi aliquid inſpicere probabilius apud eos qui Euthyphronem ſequũtur. nam iſtud quidem aſpernarent, ut arbitror, & durũ quiddã eſſe cenſerent. ſed uide an hoc tibi ſit placiturũ. HER. Dic modo. SOC. Quid aliud ϕ anima tibi uidetur corpus continere, uehere, & ut uiuat & gradiatur efficere? HER. Nil aliud. SOC. An non Anaxagoræ credis, rerum naturam omniũ mente quadam & anima exornari ſimul & contineri? HER. Credo equidem. SOC. Par eſt igitur eam potentiã nominare φυσίω, quæ φύσιν, naturam, ὀχεῖ & ἔχει, id eſt uehit & continet. politius autem ψυχὴ proferẽ. HER. Sic eſt omnino, uideturq; mihi iſtud artificioſius eſſe. SOC. Eſt profecto. Ridiculum aũt quia appareret, ſi ita ut poſitũ fuit, nominaret. Quod uero poſt hoc ſequit corpus, nónne σῶμα nũcupas? HER. Certe. SOC. Atqui uidet mihi in hoc nomine pauliſper ab origine declinari. nempe corpus hoc animæ σῆμα, ſepulchrũ quidam eſſe tradunt: quaſi ipſa præſenti in tempore ſit ſepulta: atq; etiam quia anima per corpus σημαίνῃ, ſignificat quæcunq; σημαίνει ſignificare poteſt. idcirco & σῆμα iure uocari. Videntur mihi præterea Orphei ſectatores nomẽ hoc ob id potiſſimũ poſuiſſe, ϕ anima in corpore hoc delictorũ det pœnas, & hoc circũſepto uallo ϕ claudatur, uelut in carcere quodã, ut σώζηται ſeruet. Eſſe itaq; uolunt hoc ita ut nominat, animę σῶμα ſeruandi gratia clauſtrũ, quoad debita quæq; expendat, neq; literam aliquã adijciendam putant. HER. De his ſatis dictum ô Socrates, arbitror. Verũ de nominibus aliquorũ deorum poſſemus ne ita ut de Ioue actum eſt, conſiderare, ſecundum quam rectitudinẽ nomina ſint impoſita? SOC. Per Iouem nos quidẽ ſi mentem haberemus Hermogenes, præcipuũ rectitudinis modũ arbitraremur, fateri nihil nos de diis cognoſcere, neq; de ipſis inquam, neq; de ipſorũ nominibus quibus ipſi ſe uocant. Conſtat enim illos quidem ueris ſe nominibus nuncupare. Secundũ uero rectę denominationis modum exiſtimo, ut quemadmodũ lex in uotis ſtatuit precari deos, quomodocunq; nominari his placet, ita & nos ipſos uocemus, tanq; nihil aliud cognoſcẽtes. Recte nãq;, ut mihi uidetur, eſt decretũ. Quare, ſi uis, ad hanc inueſtigationẽ pergamus, primo quidẽ diis præfati, nos nihilde ipſis conſideraturos: neq; enim poſſe confidimus: ſed de hominibus potius, qua potiſſimũ opinione circa deos affecti nomina ipſis inſtituerunt. Hoc em̃ à diuina indignatione procul. HER. Modeſte loqui uideris ô Socrates, atq; ita prorſus agendum. SOC. Nónne à Veſta ſecundum legem incipiendũ? HER. Sic utiq; decet. SOC. Qua ratione ἑστίαν hanc nominatam dicemus? HER. Per Iouem haud facile iſtud inuentu. SOC. Videntur probe Hermogenes primi nominũ autores non hebetes quidã fuiſſe, uerum acuti ſublimium rerum inueſtigatores. HER. Quamobrem? SOC. Talium quorundam hominum inuentione nomina apparent impoſita, ac ſi quis peregrina conſideret nomina, nihilominus quod ſibi uult, unumquodq; reperiret. quemadmodũ hoc quod nos οὐσίαν, eſſentiam nominamus, quidam ἑστίαν nuncupant, alij ὠσίαν. Primo quidem ſecundum alterum nomen iſtorum, haud procul à ratione uidetur rerum eſſentiam ἑστίαν uocari. & quia nos quod eſt eſſentiæ particeps ἑστίαν uocamus, ex hoc recte ἑστία poſſet denominari. Superiores noſtri quondam οὐσίαν, ἐσίαν uocabant. Quinetiã ſi quis ſacrorũ ritus animaduerterit, exiſtimabit ſic eos putaſſe qui hæc poſuerũt. Etenim ante deos omnes Veſtæ ſacra facere decet eos, qui eſſentiam omnium Veſtam cognominarunt. Qui item ὠσίαν nominarunt, hi fermè ſecundũ Heraclitum cenſuerũt fluere omnia ſemper, nihilq; conſiſtere. Cauſam igitur & ipſorum originem ducem ipſum ὠθοῦν, quod impellit. quapropter merito ipſum ὠσίαν impellentẽ cauſam nominari. De his hactenus ita ſit dictũ, uelut ab ijs qui nihil intelligunt. Poſt Veſtam aũt, de Rhea atq; Saturno conſidera re conuenit, quanq; de Saturni nomine in ſuperioribus diximus. Fortè uero nihil dico.

HER

HER. Cur nam ô Socrates? SOC. O bone uir, sapientiæ quoddam examen animaduerti. HER. Quale istud? SOC. Ridiculum dictu. habet tamen nonnihil probabile. HER. Quid ais? & quo pacto probabile. SOC. Inspicere mihi Heraclitum uideor, iã pridem sapienter nonnulla de Saturno Rheaq; tradentem, quæ & Homerus dixerat. HER. Quid istud ais? SOC. Ait enim Heraclitus fluere omnia, nihilq; manere, rerumq; ipsarum progressum amnis fluxui comparãs, haud fieri posse inquit, ut bis eandem in aquam te mergas. HER. Vera hæc sunt. SOC. An uidetur tibi ille ab Heraclito dissentire, qui aliorum deorum progenitoribus inseruit Rheam atq; Saturnũ? Nunquid putas temere illum nomina istis imposuisse. Quin & Homerus Oceanum deorum originem instituit, & Thetyn genitricem. Idemq; uoluit, ut arbitror, & Hesiodus. Ait præterea Orpheus, Oceanũ primum pulchrifluum cõiugium inchoasse, qui cum Tethy germana se sua commiscuit. Vide q; maxime hæc inuicem cõsonant, omniaq; in opinionẽ Heraclíti redeunt. HER. Videris mihi aliquid dicere Socrates. Tethyos autem nomẽ haud satis quid sibi uelit, intelligo. SOC. Hoc utiq; idem fermè significat: quoniam fontis nomẽ est reconditũ. Nam θεϱόμενον & ἡθούμενον, id est scaturiens & transiliens, fontis imaginem præ se ferunt, ex utrisque uero hisce nominibus nomen τηθὺς est compositum. HER. Hoc quidem bellissimum est ô Socrates. SOC. Quid ni? Verum quid deinceps? De Ioue profecto diximus. HER. Sic est. SOC. Fratres autem eius dicamus Neptunum atq; Plutonẽ, nomenq; aliud quo ipsum uocant. HER. Prorsus. SOC. Videtur Neptunus ab eo qui primum nominauit, idcirco ποσειδῶν uocatus fuisse, quia euntem ipsum maris natura detinuit, neq; progredi ultra permisit, sed quasi uincula pedibus ipsius iniecit. Maris itaq; principem ποσειδῶνα uocauit, quasi ποσίδεσμον, id est pedum uinculũ. ε uero decoris gratia fortè adiectum fuit. Forsitan nõ hoc sibi uult, sed pro ος, λ primo fuit positum, quasi dicat πολλὰ εἰδώς, id est multa noscens Deus. Fortassis ab eo quod dicitur σείειν, id est quatere, σείων id est quatiens est nominatus, cui ω & δ fuit adiectũ. Plutonem autem quasi πλούτου, id est diuitiarũ datorem dicimus, quoniam diuitiæ ex terræ uisceribus eruuntur: ἅιδης uero multitudo interpretatur, quasi ἀειδής, triste tenebrosum'ue. Atq; hoc nomen horrentes Plutonem uocitant. HER. Tu uerò quid sentis Socrates? SOC. Videntur mihi homines circa potẽtiam Dei istius multifariam errauisse, eumq; exhorruisse semper, cum minime deceat. Porrò quisq; ex hoc pertimescit, quòd nemo postquam defunctus est, huc redit, quod'ue anima nudata corpore, illuc abit. Cæterum hęc omnia & regnum & nomen huius dei, eodem tendere mihi uidentur. HER. Quo pacto? SOC. Dicam quod sentio. Dic age. Vtrũ horũ ualidius uinculũ est ad quoduis animal alicubi detinendũ, necessitas'ne, an cupiditas? HER. Longe ô Socrates, præstat cupiditas. SOC. An nõ plurimi, ἅιδιον quotidie subterfugerent, nisi fortissimo uinculo eos qui illuc descendunt, uinciret? HER. Videlicet. SOC. Quare cupiditate quadam eos, ut uidetur, potius q; necessitate deuincit, si modo uinculo nectit fortissimo. HER. Apparet. SOC. Nónne rursus multæ cupiditates sunt? HER. Multę. SOC. Ergo uehemẽtissima oĩnĩũ cupiditate nectit eos, si modo debet insolubili nodo cõnectere. HER. Certe. SOC. Est'ne uehemẽtior ulla cupiditas, q; ea qua quisq; afficitur, dum alicuius consuetudine meliorem se uirũ sperat euadere? HER. Nulla mehercle Socrates. SOC. Hac de causa dicendũ Hermogenes, neminem huc illinc uelle reuerti, neq; etiã Syrenes ipsas, imò & eas & cæteros omnes suauissimis Plutonis orationibus demulceri. Estq;, ut ratio hæc testat, deus is sophista proculdubio disertissimus & ingentia confert his qui penes ipsum habitãt beneficia, qui usq; adeo diuitijs affatim abundat, ut tanta nobis bona suppeditet, unde & Pluto est nuncupatus. An nõ philosophi tibi uidet officium, q; nolit hominibus corpora habentibus adhærere, sed tũc demũ admittat eos, cũ animus illorum est corporeis omnibus malis cupidinibusq; purgatus? Excogitauit nempe hic deus hac ratione se animos maxime detenturũ, si uirtutis eos auiditate uinciret. Eos autem qui stupore & insania corporis sunt infecti, ne pater quidem Plutonis Saturnus ipse, suis illis uinculis coercere ualeret, secumq; tenere. HER. Nonnihil loqui uideris ô Socrates. SOC. Longe abest Hermogenes ut nomẽ ἅιδης, quasi ἀειδὲς id est triste tenebrosum'ue sit dictũ, imò ab eò trahitur quod est εἰδέναι, id est nosse oĩnia pulchra. Ex hoc itaq; deus iste à nominũ conditore ἅιδης est nũcupatus. HER. Quid præterea dicimus de Cereris nomine, Iunonisq;, Apollinis & Mineruæ, Vulcaniq; & Mar-

tis,cæterorumq; deorum? SOC. Ceres quidem δημήτηρ nuncupatur ab ipsa alimentorũ largitione,quasi δίδοῦσα μήτηρ, hoc est exhibens mater. ἥρα uero,id est Iuno,quasi ἐρατή, id est amabilis,propter amorem quo Iupiter in eam afficit. Fortè etiam sublime spectans qui hoc nomen instituit,aeram,ἦρα denominauit,& obscure locutus est,ponens in fine principiũ.quod quidem patebit tibi, si nomen illud frequenter pronũciaueris. φερέφαττα, id est Proserpinam,& ἀπόλλω nominare nõnulli uerent, propterea quòd illis ignota est nominum rectitudo. Enimuero permutantes φερσεφόνη ipsam considerant,graueq; id illis apparet. hoc autẽ deæ ipsius sapientiã indicat. Sapientia utiq; est quæ res fluentes attingit,& assequi potest.Quamobrem φερέπαφα merito dea hæc nominaretur,propter sapientiam,& ἐπαφή, id est contactũ, φερομένου, id est eius quod fertur, uel tale aliquid. Quocirca adhæret illi sapiens ipse ἄδης, quia ipsa talis est. Nunc autem nomen hoc declinant,pluris facientes prolationis gratiam q; ueritatem,ut φερέφαττα nominẽt.Idem quoq; circa Apollinis nomen accidit.nam pleriq; id nomen exhorrent,quasi terribile aliquid prę se ferat.An nõ nosti? HER. Vera penitus loqueris. SOC.Hoc aũt,ut arbitror, huius dei potentię maxime cõuenit. HER. Qua ratione? SOC. Conabor sententiã meam exprimere.Nullũ profecto nomen aliud unum quatuor huius dei potentijs reperiri conuenientius potuisset,quod & cõprehenderet omnes,& ipsius quodammodo declaret musicam,uaticinium,medicinam, & sagittandi peritiam. HER.Aperias iam. Mirum quiddã nomen esse id ais. SOC. Congrue quidem compositũ est, consonatq;,utpote quod ad deum pertinet musicum. Principio purgatio purificationesq; & secundum medicinam, & secundum uaticinium,item quæ medicorum pharmacis peraguntur, ac uatum incantationes expiationesq;, lauacra, & aspersiones, unum hoc intendunt, purum hominem & corpore & anima reddere. HER.Sic omnino. SOC.Nónne deus qui purgat,ipse erit ἀπολύων & ἀπολύων, id est abluens à malis,soluensq;, q; Apollo ipse significat? HER. Absque dubio. SOC.Quatenus itaq; diluit atq; soluit,ut taliũ medicus, ἀπολύων merito nuncupatur.Secundũ uero diuinationem uerumq; & ἁπλοῦν, id est simplex,quod idem est,recte more Thessalicorũ nominare hunc possumus.hi nempe omnes deum hunc ἁπλόν uocãt. Quatenus aũt ἀεὶ βάλλων, id est semper iaculando arcu uehemens est, ἀεὶ βάλλων dici potest,hoc est,perpetuus iaculator.Secundũ uero musicam, de hoc est cogitandũ quemadmodum de eo quod dicit ἀκόλουθον & ἄκοιτις, id est pedissequus,comes, & uxor,in quibus α ut & in alijs multis, idem quod simul significat. Hic quoq; α & πόλησις significant uersionem quæ simul & unà peragitur,quam cõuersionem dicamus.Ea in cœlis est, quæ per eos fit quos πόλους uocamus:in cantu uero ἁρμονία, quam dicimus συμφωνίαν. Quia in his, ut tradunt musicæ & astronomiæ periti, harmonia quadã simul omnia cõuertunt. Hic aũt deus harmoniæ præsidet ὁμοπολῶν,id est simul uertens hæc omnia,& apud deos & apud homines. Quemadmodum igit ὁμοπέλευθον & ὁμόκοιτον, id est simul euntem & simul iacentẽ, uocauimus ἀκόλουθον & ἄκοιτον, o in α permutantes, ita Apollinem nominauimus eum qui erat ὁμοπολῶν, altero λ interiecto, quia æquiuocũ fuisset duro cum nomine.quod & his temporib. suspicati pleriq;, ex eo q; non recte uim nominis huius animaduertũt,perinde hoc metuunt,ac si pernicíem quandã significaret.Sed reuera nomen hoc omnes huius dei uires cõplectitur,quemadmodũ suprà diximus. Significat em̃ simplicem,perpetuũ iaculatorem, expiatorẽ & conuertentem. Musarũ uero & musicæ nomen,ab eo quod dicit μῶσις, id est inquirere,indagationeq; & studio sapientiæ tractũ est. λητώ,id est Latona,à mansuetudine dicit,quia sit ἐθελήμων, id est prompta & expósita & libens ad id quod petit quisq; exhibendũ.Fortè uero ut peregrini uocãt:multi namq; λητώ nominãt,quod nomen tribuisse uident,quia non rigida illi mens,sed mitis,ideo λητώ, quasi λεῶν ἤθους,id est mos lenis & mitis ab illo cognominat. ἄρτεμις, id est Diana,ex eo quòd ἀρτεμές,quasi integra modestaq; sit propter uirginitatis electionẽ. Forsitã etiã quasi ἀρετὴ ἰσότης,id est uirtutis conscíã,uocauit nominis institutor.Fortassis etiã dicta est Artemis,quasi ἄρρενων μισογάμος,id est quasi illa cõgressum oderit uiri cum muliere. Vel enim propter horũ aliquid,uel propter omnia huiusmodi nomen est institutũ. HER. Quid uero διόνυσος & ἀφροδίτη? SO.Magna petis Hipponici fili. Atqui est nominũ ratio his dijs impositorũ gemina,seria uidelicet & iocosa.Seriã quippe ab alijs quære,iocosam aũt níhil prohibet recensere.Iocosi sanè & dij sunt: Dionysusq; est διδοὺς τὸν οἶνον id est uini dator,quasi

tor,quasi δεδινυϑς,ioco quodã cognominatus. Vinum autem merito uocari potest οἰνος quod efficiat ut bibentes plericꝫ mente alienati,οἰκδια νοῦ ἔχειν, id est mentem habere se putent.De Venere Hesiodo repugnare non decet,sed concedere propter ipsam ex ἀφρος, hoc est ex spuma,generationẽ ἀφροδίτη uocari. HER.At uero Mineruã, ô Socrates, Vulcanũcꝫ & Martem,cum sis Atheniẽsis,silentio nõ præteribis. SOC. Haudquaqꝫ decet. HER.Non certe. SOC.Alterũ quidem eius nomen quamobrẽ sit impositũ, haud difficile dictu. HER.Quod? SOC.Palladẽ eam uocamus. HER. Planè. SOC.Nomen hoc censendum est à saltatione in bello ductum fuisse.porrò uel sese,uel aliud à terra attollere,seu manibus aliquid efferre,dicimus πάλλειν, & πάλλεσθαι, id est uibrare, agitareꝯ & agitari,& saltare,& saltationem perpeti. HER.Absꝯ controuersia,Palladem hac ratione uocamus,ac merito. HER.Alterũ eius nomẽ quo pacto interpretaris? SOC. ἀθλωᾶν quæris? HER.Id ipsum. SOC. Grauius hoc amice: uidentẽ prisci ἀθλωᾶν existimare,quemadmodum hi qui his temporibus in Homeri interpretationibus sunt eruditi.Nam istorum plurimi Homerũ exponunt ἀθλωᾶν,tanꝯ mentem cogitationemꝯ finisse. Et qui nomina inuenit,tale aliquid de illa sensisse uidetur,imò etiam altius eam extollẽs,ut Dei mentem induxit, perinde ac si diceret ἀθεονόην, hoc est utens α pro η externo quodam ritu, ι uero & σ detrahens.fortè uero non ita, sed θεᾶνόησις, id est,utpote quæ diuina cognoscat,præ cæteris omnibus θεονοεῖν, id est diuina cognoscentẽ,uocauit.Neqꝫ ab re erit,si dixerimus uoluisse illũ appellare eam ἀθονόεν,quasi ipsa in more intelligentia sit. Ipse postmodũ,uel etiam posteriores in pulchrius,ut uidebat,aliquid producendo,Athenean denominarunt. HER.Quid de Vulcano quem ἥφαιστον nominãt? SOC. Quid ais? Num generosum ipsum φάος ἴσχειν,id est luminis præsidem quæris? HER.Hũc quæsisse uideor. SOC. Hic ut cuiqꝫ patere potest, φάος est,& η sibi uendicat.Vnde ἥφαιστος id est,luminis prẽses est dictus. HER.Apparet:nisi tibi quoqꝫ modo adhuc aliter uideat. SOC.An ne uideatur aliter de Marte,interroga. HER.Interrogo. SOC.Si placet,ἄρης, id est Mars, dicitur secundũ ἄῤῥην,id est masculũ,& ἀνδρεῖον,id est forte. Quinetiã si uolueris ob naturam quandã asperam,duram atqꝫ inuictã,immutabilemꝯ,quod totum ἄῤῥαϑυ appellatur,ἄρη uocatum fuisse,hoc quoqꝫ Deo penitus bellicoso cõueniet. HER. Prorsus. SOC. Deos iam mittamus per deos obsecro.Nã de his differere uereor.Ad alia uero quęcunqꝫ uis,me prouoca,ut quales Euthyphronis equi sunt,noueris. HER.Faciam ut petis,si unũ de me quæsiuero.me siquidẽ Cratylus Hermogenẽ esse negat.Inuestigemus itaqꝫ quid ἑρμῆς,id est Mercurij nomen significet,ut siquid ueri hic loquit̃,uideamus. SOC. ἑρμῆς, id est Mercurius,ad sermonẽ pertinere uidetur,quatenus ἑρμηνεύς est, hoc est interpres & nuncius,furtiuus in loquendo seductor,ac uehemens concionator. Totum id circa sermonem uersatur.profecto quemadmodum in superioribus diximus, εἶρειν sermonis est usus.Sæpe uero de hoc Homerus ait, ἐμήσατο, id est machinatus est. Ex utrisꝫ igitur nomen huius dei componit̃,tum ex eo quod loqui est,tum ex eo quod machinari & excogitare dicenda,perinde ac si nominis autor nobis præciperet:Par est,ô uiri, ut deum illũ qui εἶρειν ἐμήσατο,id est loqui machinatus est,ἐρεμαν uocetis. Nos aũt arbitrati sic elegantius eloqui,ἑρμαν uocamus.Quinetiam ἴεις, ab eo quod εἶρειν,id est loqui,nomen habet, propterea quod nuncia est. HER.Probe mediusfidius Hermogenẽ esse me Cratylus negauisse uidetur. Ad orationis enim inuentionem hebes sum. SOC. Consentaneũ quoqꝫ amice, πᾶν biformem filium esse Mercurij. HER.Qua ratione? SOC. Scis quòd sermo πᾶν,id est omne significat,circuitꝯ & uoluit semper,estꝯ geminus uerus uidelicet ac falsus? HER.Equidem. SOC. An non id quod est in sermone uerum,leue est atqꝫ diuinũ, supraꝯ in dijs habitans? Contrà quod falsum,infrà in hominũ multis,asperũ atqꝫ tragicũ? Hinc enim fabularum cõmenta & falsa ꝯ plurima circa tragicam uitam reperiunt̃. HER. Sic est omnino. SOC.Merito igitur qui est πᾶν, id est totũ nuncians, & ἀεὶ πολεῖν, id est semper uolutans,πᾶν ἀμπόλος biformis Mercurij filius diceret̃, ex superioribus partibus lenis ac delicatus, ex inferioribus asper atqꝫ hircinus.Estꝯ Pan uel ipse sermo,uel sermonis frater,siquidem est Mercurij filius.Fratrem uero fratri similem esse quid mirum? Cęterũ iã ô beate,ut & paulo ante rogabã,sermonem de dijs hunc abrumpamus. HER.Tales quidem deos,si uis,mittamus ô Socrates,huiusmodi uero quædam percurrere quid prohibet? Solem,lunam,stellas,terram,ætherem,aerem,ignem,aquam, uer & annum?

SOC. Multa sunt ac magna quæ postulas. Si tamen gratum tibi futurum est, obsequar. HER. Pergratum plane. SOC. Quid primum poscis? an ut ipse narrabas in primis ἥλιον, id est solem? HER. Profecto. SOC. Manifestius id fore uidetur, si Dorico nomine quis utatur. Dorici enim ἄλιον uocant, atq; ita uocatur secundũ ἁλίζειν, id est ex eo quod congregat in unum homines, cum exoritur. Item ex eo quod circa terram ἀεὶ εἰλεῖ, id est semper reuoluitur. Præterea quia uariat circuitu suo quæ terra nascuntur. Variare autem & ἀυλεῖν idem est. HER. Quid uero de σελήνη, id est luna, dicendum? SOC. Nomen hoc uidetur Anaxagoram premere. HER. Cur. SOC. Quoniam præ se aliquid fert antiquius, quod ille nuper dixit, quod luna à sole lumen haurit. HER. Quo pacto? SOC. σέλας, idem est quod lumen? HER. Idem. SOCR. Lumen hoc perpetuo circa lumen νέον & γέννον est id est nouum ac uetus, si modo Anaxagorici uera loquuntur: nam circũlustrans eam continue renouatur, Vetus autem est mensis præteriti lumen. HER. Vtiq;. SOC. Lunam quidem σελαναίαν multi nominant. HER. Certe. SOC. Quoniam uero lumen nouum ac uetus semper habet, merito uocari deberet σελαγγενοσέλα. Nunc autem concíso uocabulo σελαναῖα uocatur. HER. Díthyrambicum nomen hoc est, ô Socrates. Verum μῆνα, id est mensem: & ἄστρα quomodo interpretaris? SOC. Mensis quidem μείης recte ab μειοῦσθαι, id est à minuendo, iure nuncuparetur. Astra uero ἀστραπῆς, id est coruscationis cognomentum habent. ἀστραπή autem quia ὅταν ὦπας ἀναστρέφει, id est uisum ad se conuertit, ἀναστροπή dici deberet. nunc cõcinniori uocabulo ἀστραωπή nominat. HER. Vnde nomen trahit πῦρ & ὕδωρ, id est ignis & aqua? SOC. Ambigo equidẽ, uideturq; aut Musa me Euthyphronis deseruisse, aut hoc arduum quiddam esse. Aduerte obsecro quò confugiam in omnibus quæcunq; dubito. HER. Quonam? SOC. Dicam tibi. scis ipse qua ratione πῦρ nominat? HER. Non hercle. SOC. Vide quid de hoc suspicer. Reor equidẽ multa nomina Græcos à Barbaris, eos præsertim qui sub Barbaris sunt, habuisse. HER. Quorsum hæc? SOC. Si quis rectam istorũ impositionem secundum græcã uocem quærat, non secundum eam qua est nomen inuentũ, nimirum ambiget. HER. Verisimile id quidem. SOC. Vide itaq; ne nomen hoc πῦρ barbaricum sit. neq; enim facile est istud græcæ linguæ accõmodare, constatq; ita hoc Phrygios nominare parum quid declinantes, & ὕδωρ & κύων, id est canes, aliaq; permulta. HER. Vera hæc sunt. SOC. Ergo distrahere ista nihil oportet, quandoquidem de ipsis nihil dicere quisquã potest. Quapropter nomina illa ignis & aquæ hunc in modum reijcio. ἀήρ autẽ sic est dictus Hermogenes, quia quæ circa terram sunt, αἴρει, id est eleuat. uel quia ἀεὶ ῥεῖ, hoc est semper fluit, uel quia eius fluxu spiritus concitatur. Poetæ quippe flamina ἄνεμος nuncupant. Fortè igitur aer dicitur quasi πνευματόῤῥοων, ἀητόῤῥοων id est spiritus fluens, uel fluens flamen. ἀιθέρα præterea sic exponendum arbitror, quoniã ἀεὶ θεῖ circa ἀέρα ῥέων, id est semper currit circa aerem fluens, quocirca ἀιθεῖν dici potest. γῆ autẽ, id est terra, planius sensum exprimit, si γαῖα dicatur. γαῖα enim recte γεννήτειρα, id est genitrix dici potest, ut ait Homerus. Nã quod γεγάασι dicit, genitum in se, inquit. Quid restat deinceps? HER. Ver & annus, ô Socrates. SOC. ὧραι quidẽ, id est ueris tempora prisca & Attica uoce dicenda sunt, si uis quod conueniens est, cognoscere. Horæ nanq; uocant, quia ὁρίζουσι, id est terminant hyemem atq; æstatem uentosq; & fructus ex terra nascentes. γιαυτὸς aũt & ἔτος, id est annus, idem esse uidet. Quod em̃ in lumen uicissim educit, quęcunq; nascunt̃ fiuntq; ex terra, ipsumq; in seipso examinat & discernit, annus est: & ut supra louis nomen diximus in duo sectũ, ab aliquibus ζῆνα, ab alijs δία uocari, ita & annũ quidam γιαυτὸν uocant, quia in seipso, quidã ἕτος, quia examinat. Integra uero ratio est ipsum q; in seipso examinat. Vnde ex oratiõe una nomina duo selecta sunt. quòd em̃ simul dicit, τὸ γὰρ αὐτῷ ἑτάζον, id est in seipso examinãs, distinctum dicitur γιαυτὸς, & ἔτος, id est annus. HER. At uero ô Socrates, iam longe pgrederis. SOC. Longius equidẽ in philosophia uideor euagari. HER. Quinimò. SOC. Fortè magis cõcedes. HER. Verum post hanc speciẽ libentissime contẽplarer, qua ratione recte nomina ista præclara uirtutũ sint imposita, ut φρόνησις, id est prudentia, σώφροσις, intelligentia, δικαιοσύνη, iustitia, ac reliqua huius generis omnia. SOC. Haud contemnendum genus nominũ suscitas, ô amice. Veruntamen postq; leoninã pellem sum indutus, haud deterreri decet, imò præclara ipsa, ut ais, nomina prudentiæ, intelligentię, cogitationis sciẽtiæ cæterorũq; huiusmodi cõsiderare. HER. Quin profecto prius desistere nullo

nullo modo debemus. SOC. Æ depol nõ male mihi de eo conijcere uideor, quod modo considerabam, antiquissimos uidelicet illos nominũ autores, ut & sapientiũ nostrorum plurimis accidit, ob frequentem ipsam in rebus peruestigandis reuolutionem, præter cæteros in cerebri uertiginem incidisse: quo factum puto ut res ipsæ proferri & uacillare illis apparerẽt. opinionis autem huius causam haud interiorem uertiginem, sed exteriorẽ ipsarum rerũ circuitum arbitrãtur: quas ita natura habere se putãt, ut nihil in eis firmum & stabile sit, sed fluant omnes feranturq́, & omnifariam agitentur, semperq́ gignantur & defluant. Quod quidem in his nominibus, quæ nunc relata sunt, conspicio. HERM. Quo pacto Socrates? SOC. Haud aduertisti superiora nomina rebus quasi delatis, fluentibus, & iugi generatione translatis imposita fuisse? HERM. Nõ satis percepi. SOC. Principio quod primũ retulimus, ad aliquid huius generis attinet. HERM. Quale istud? SOC. φρόνησις, id est prudẽtia est, φορᾶς & ῥοῦ νόησις, id est lationis & fluxus animaduersio. Significare quoq; potest, recipere ὀνησιν φορᾶς, id est lationis utilitatẽ. Tãdem circa ipsam agitationem uersatur. Quinetiã si uis γνώμη, id est cogitatio significat γονῆς νώμησιν, id est generationis cõsiderationem. νωμαῶ quippe cõsiderare est. νόησις autem, id est intellectio, est νέου ἔσις, id est noui desideriũ. nouas uero res esse, significat eas fieri semper. atq; hoc desiderare & aggredi animum, indicat qui nomẽ illud inuenit νεόεσιν. principio nanq; νόησις nõ dicebatur, sed pro η duo ει proferẽda erant, ut νεόεισις, quasi νέου, id est noui ἔσις appetitio & aggressio. σωφροσώνη, id est temperãtia illius quod modo diximus φρονήσεως, id est prudẽtiæ, salus & conseruatio est. ὠκυσήμη, id est scientia, ab eo quod instat & sequit tractum est, quasi res fluentes solas animus persequatur, instetq́ & comitetur: at neq; ex mora posterior, neq; præcursione sit prior. Quare ει interiecto ὠκυσήμλω uocare decet. σώεσις tanquam syllogismus, id est ratiocinatio quædam esse uidetur. Cum autem σωιέναι dicitur, idem intelligitur ac si diceretur ἐπίσασθαι. Nam ostendit cum rebus animum congredi. σοφία, id est sapiẽtia, agitationis est tactus. Obscurius autem, & alienius hoc à nobis. Verum animaduertendũ est in poetis, quoties uolunt aduentantem aliquem & irruentem exprimere, ὀρύθη, id est erupit, prosilijt, dicere. Quin & illustri cuidam apud Lacedæmonios uiro nomen erat σᾶς, id est præpes. Sic enim Lacedæmones cõcitationis impetum indicant. Quasi itaq; omnia perferantur, huius ipsius agitationis, quę eo quod σᾶς dicitur, significatur, ἐπαφλω, id est tactum perceptionemq́ sophia demonstrat. ἀγαθόν, id est bonum cuiusq; naturæ ἀγασόν, id est mirabile, amabile, delectabile significat. Enimuero postq̃ fluunt omnia, partim celeritas, partim tarditas inest. Est igitur non omne uelox, sed ipsius aliquid ἀγασόν. Quod quidẽ ἀγασόν ipsius ἀγαθοῦ nomine declaratur. δικαιοσώνη, idest iustitia, quod δικαίου σώεσιν idest iusti intelligentiam importet, facile conijcere possumus. Quid autem ipsum δίκαιον sibi uelit, difficile cognitu. Videtur autem hucusq; à multis quod dictum est cõcessum, reliquum uero dubium. Etenim quicunq; totum mobile arbitrantur, plurimum agitari ipsum existimãt, perq́ omne aliquid permanare quo singula fiant, quod ue tenuissimum sit & uelocissimum. Neq; enim per omnia discurrere posse, nisi adeo tenue sit ut nihil possit obsistere penetrãti, & adeo uelox, ut cæteris quasi stantibus utatur. Quoniam uero gubernat omnia, δαΐον, id est discurrens & permanans, merito δίκαιον est appellatũ, κ uno politioris prolationis gratia interiecto. Hactenus quod modo diximus, inter plurimos constat hoc esse iustum. Ego autem Hermogenes utpote discẽdi desiderio flagrans hæc omnia perscrutatus sum, & in arcanis percepi quod hoc ipsum iustum sit, & causa. quo enim res ipsæ fiunt, hoc est causa: propterq́ ita uocari istud debere quispiam tradidit. Cum uero ab his iam auditis istis nihilominus diligenter exquiro quid ipsum iustum sit, quando quidem ita se habet, uideor iam ulterius quàm decet exigere, & caueam, ut dicitur, uallũq́ supergredi. Satis enim semper rogasse me & audisse respondent, meq́ uolentes explere alius aliud afferre conantur, neq; ultra cõsentiunt. Quidam ait iustũ hoc, solem esse. Solũ quippe solem discurrendo calefaciendoq́ omnia gubernare. Cum uero hoc alacer cuiquam quasi præclarum audierim, refero, statim ille me ridet, quæritq́ nunquid existimem post solis occasum iustũ nihil hominibus superesse? Percontanti itaq; mihi quid ille sentiret, ipsum ait ignem iustũ existere. neq; id cognitu facile, quare alius, inquit, nõ ignem ipsum, sed ipsum potius innatum igni calorẽ. Alius hæc omnia pro nihilo habet. esse enim iustũ mẽtem illã quã induxit Anaxagoras. Domi

Prouerbiũ

nam certe illam ſuapte natura,nec alicui mixtam exornare omnia inquit, per omnia penetrantem.Hic quidem ô amice in maiorẽ ambiguitatẽ ſum prolapſus,quàm antea dum nihil de iuſtitia ſciſcitabar.Cæterũ ut redeamus ad id cuius gratia diſputãus,nomẽ illi tale propter hæc,quale diximus,eſt tributũ. HER. Videris ô Socrates, ex aliquo audiſſe hæc, neq; ex tua officina ruditer deprompſiſſe. SOC. Quid alia? HERM. Non ita. SOC. Attende igitur, fortè nanq; in reliquis te deciperem, quaſi quæ afferam non audierim.Poſt iuſtitiam quid reſtat? ἀνδρείαν,id eſt fortitudinẽ nondum peregimus.iniuſtitia ſanè obſtaculum eius eſt quod diſcurrit per omnia, ἀνδρία in pugna uerſatur. pugna in rebus ſi quidẽ fluunt nihil aliud q̃ fluxus ipſe contrarius.Quapropter ſi quis δ ſubtraxerit ex nomine hoc ἀνδρία,nomen quod reſtat ἀνεία, opus ipſum declarat.conſtat planè quòd non fluxus cuiuſq; contrarius ῥοὴ id eſt fluxus,fortitudo eſt,ſed oppoſitus illi qui præter iuſtum ſit fluxui.Neq; enim aliter fortitudo eſſet laudabilis.ἄῤῥην autem,id eſt mas, & ἀνὴρ,uir, à ſimili quodã ducũt originẽ,ſcilicet ab ἄνω ῥοῆ,id eſt ſurſum fluxu.γυνὴ uero,id eſt mulier, quaſi γονὴ,id eſt fœcunda & generatrix.θῆλυ,id eſt fœmina.ἀπὸ τῆ θηλῆς,id eſt papilla dicitur.θηλὴ aũt uidetur Hermogenes dici,quia τὸ θηλάζειν,ideſt germinare pullulareq; facit,ut irrigans ea quæ irrigantur. HERM. Sic apparet,ô Socrates. SOCR. θάλλει,id eſt uireſcere, adoleſcere, floreſcere , augmentum iuuenum repræſentat, quaſi uelox quiddam & ſubitum,quod innuit ille qui nomen conflauit ex θεῖν,id eſt currere,& ἅλλεσθαι,id eſt ſaltare. Animaduertis me uelut extra curſum delatũ,poſtquã plana ac peruia nactus ſum? Multa quoq; ſuperſunt quæ ad ſeria pertinere uidenť. HERM. Vera loqueris. SOC. Quorũ unum eſt ut uideamus quid τέχνη,id eſt ars importet. HERM. Prorſus. SOCR. Nonne hoc ἕξιν νοῦ, id eſt habitum mentis oſtendit,ſi τ demitur,interſerit autẽ ο mediũ inter χ & ν, & inter ν & η ἐχονόης? HERM. Aride nimiũ Socrates & inculte. SOC. An ignoras beate uir nomina uetera diſtracta iam eſſe,atq; cõfuſa à ſermonis tragici ſtudioſis,elegantiæ gratia addentibus & ſubtrahentibus literas,ac partim tẽporis diuturnitate, partim exornationis ſtudio undiq; peruertẽtibus? ut ecce in κατόπτρῳ,id eſt ſpeculo,q̃ abſurdũ eſt ῥ ipſius addi tamentũ? Talia certe,ut arbitror,faciũt qui oris illecebras pluris æſtimant q̃ ueritatem. Quamobrẽ cũ multa nominibus ipſis adiecerint,tãdem effecerũt, ut nemo iam nominũ ſenſum animaduertat. Quemadmodũ dum σφίγγα,id eſt mõſtrum quoddã proferunt,cũ σφίγα pronunciare deberẽt,ac cætera multa.Profecto ſi daretur cuiq; arbitratu ſuo & demere & addere,magna utiq; eſſet licentia,& quodlibet nomẽ cuiq; rei unuſquiſq; tribueret. HERM. Vera narras. SOCR. Vera plane, ſed enim mediocritatem quandam atq; decorum ſeruare te decet præſidem ſapiẽtem. HERM. O utinam. SOC. Atqui & ipſe, ô Hermogenes,opto.uerum ne exacta nimium diſcuſſione, uir felix, exquiras, ne uim meam prorſus exhaurias. Aſcendam quippe ad ſupradictorum apicem:poſtq̃ poſt artem cõſiderauerimus μηχανῶ,id eſt machinationẽ excogitationemq; ſolertem. Vidẽt autem ſignificare idem quod multum pertingere & aſcẽdere.Componitur ergo ex his duobus, μήκος,id eſt longe & multum,& ἀνέῃ,id eſt aſcendere,penetrare,pertingere. Sed ut modo dicebam,ad ſummam dictorum perueniendum eſt,quærendumq; quid nomina iſta ſignificant,ἀρετὴ,id eſt uirtus,& κακία,id eſt prauitas.Alterum quidem nondum reperio, alterum patere uidetur.Nam ſuperioribus omnibus conſonat,nempe tanquam eant omnia:κακῶς ἰόν,id eſt male uadens:κακία,id eſt,prauitas erit. quare cum anima male ad res ipſas accedet,communiter praua dicetur. proprie uero ac maxime procedendi hæc facultas in δειλία,id eſt timiditate patet, quam nondum declarauimus. prætermiſimus enim.Oportebat autem continuo poſt fortitudinem ipſam inferre.Multa inſuper alia prę teriſſe uidemur.δῆλία ſignificat durum animæ uinculum.δεσμὸς enim uinculum eſt.λίαν uero forte quiddam durumq; ſignificat.quare timiditas uehemens ac maximum eſt animæ uinculum:quemadmodum & ἀπορία,id eſt defectus,inopia, dubium, malum quiddã eſt,ac ſummatim quodcunq; progreſſus ipſius impedimentum,idq; male progredi uidetur oſtendere,in ipſa uidelicet motione impediri atq; detineri. Quod cum anima ſubit, prauitate plena dicit̃.Quod ſi illud prauitatis nomen talibus quibuſdam cõpetit,contrarium ἀρετὴ,id eſt uirtus ſignificabit.In primis quidẽ facilẽ agilemq; progreſſum, deinde ſolutum & expeditũ animæ bonæ impetum eſſe oportet. Quamobrẽ abſq; impedimẽto obſtaculoq; ἀεὶ ῥέον,id eſt ſemper fluens iure cognominari poſſet ἀῤῥέτη. fortè uero &

ἀπορία

ἀρετὴν uocat quis, quia sit πάντων ἀρετωτάτης, id est maxime eligendæ. Verum collisō uocabulo ἀρετὴ denominatur. Forsitan me fingere dices: ego autem assero, si modo nomen illud prauitatis quod retuli, recte est inductum, recte quoq; & istud uirtutis nomen induci. HERM. At κακὸν, id est malum, per quod in superioribus multa dixisti, quid sibi uult? SOC. Extraneum quiddam per louem, ac inuētu difficile. Itaq; ad hoc etiam machinamentum illud superius afferam. HERM. Quid istud? SOCR. Barbaricum quiddam & hoc esse dicam. HERM. Probe loqui uideris. SOC. Cæterum hæc iam si placet mittamus, nomina uero ista καλὸν & αἰσχρὸν, id est pulchrum & turpe, consideremus. Quid αἰσχρὸν innuat, satis mihi patere uidetur. Nempe cum superioribus conuenit. uidetur qui nomina statuit, passim agitationis impedimentum uituperare. ut ecce, ἀεὶ ἴσχοντι τὸν ῥοῦν, id est semper impedienti fluxum nomen dedit αἰσχόῤῥοων. Nunc uero collidentes αἰσχρὸν appellant. HERM. Quid καλὸν, id est pulchrum? SOC. Hoc cognitu difficilius, quanquam ipsum ita deducitur, ut harmoniæ duntaxat & longitudinis gratia ipsum α sit productum. HERM. Quo pacto? SOC. Nomen hoc cogitationis cognomentum quoddam esse uidetur. HERM. Qui istud ais? SOC. Quam tu causam appellationis rei cuiusq; censes? an nō quod nomina tribuit? HERM. Omnino. SOC. Nónne causa hæc cogitatio est uel deorū, uel hominum, uel amborum? HERM. Nempe. SOC. Ergo καλέσαν, id est quod uocat res, & καλὸν, idem ac cogitatio sunt. HERM. Apparet. SOC. Quæcunq; mens & cogitatio agunt, laudanda sunt: quæ non, uituperanda. HERM. Prorsus. SOC. Quod medicinæ particeps, medicinæ opera efficit: quod fabrilis artis, fabrilia. Tu uero quid sentis? HERM. Idem. SOC. Pulchrum itaq; pulchra. HERM. Decet. SOC. Est autem hoc, ut diximus, cogitatio. HERM. Maxime. SOC. Nomen itaq; hoc καλὸν, id est pulchrum, merito erit prudentiæ cognomentum, talia quædam agentis, qualia affirmantes pulchra esse, diligimus. HERM. Sic apparet. SOCR. Quid ultra generis huius restat inuestigandum? HERM. Quæ ad bonum & pulchrum spectant, conferentia uidelicet, utilia, conducibilia, emolumenta, horumq; contraria. SOC. Quid συμφορὸν, id est conferens sit, ex superioribus ipse inuenies. Nam nominis illius quod ad scientiam attinet, germanum quiddam appareret. Nihil enim præ se fert aliud quàm φορὰν, id est lationem animæ simul cum rebus, quæ ue hinc proueniunt, uocari συμφορόντα & σύμφορα, id est conferentia, ex eo quod simul circumferuntur. HERM. Videtur. SOC. ὠφελιμὸν autem, id est emolumentum: ἀπὸ τοῦ κόρδους, id est lucro. κόρδος uero, si quis ν pro δ nomini huic inserat, quod uult exprimit. Nā bonum alio quodam modo nominat. Quod enim omnibus κορδύνυται, id est miscetur diffusum per omnia, hanc ipsam eius uim significans nomen illud excogitauit δ pro ν apponens, ac κόρδιον pronunciauit. HERM. Quid autem λυσιτελοῦν, id est utile? SOC. Videtur ô Hermogenes, non sicut caupones hoc utuntur, idcirco λυσιτελοῦν uocari, quia ἀνάλωμα ἀπολύει, id est sumptus uitat & minuit: uerum quia cum uelocissimum sit, res stare nō sinit, neq; permittit lationem τέλον, id est finem progressionis accipere atq; cessare: sed soluit semper ab illa fugatq;, si quis terminus superueniat, ipsamq; indesinentem immortalemq; præbet. hac ratione bonum λυσιτελοῦν uocatū arbitror. ipsum enim motionis λύον τὸ τέλον, id est soluens terminum, λυσιτελοῦν uocari uidetur. ὠφέλιμον uero, id est conducibile peregrinum nomē est, quo sæpenumero Homerus est usus. Est autē hoc augendi faciendiq; cognomētum. HER. Quid de horū contrariis est dicendū? SOC. Quæ per negationem istorum dicuntur, tractare nequaquam oportet. HER. Quænā ista? SOC. ἀσύμφορον, ἀνωφελὲς, ἀλυσιτελὲς, ἀκερδὲς. HERM. Vera loqueris. SOC. Sed βλαβερὸν & ζημιῶδες, id est noxium & damnosum. HERM. Certe. SOC. βλαβερὸν quidem βλάπτον τὸν ῥοῦν esse dicit, id est quod uult ἅπτειν, id est impedire & coercere: ῥοῦν id est fluxum: hoc autem passim uituperat: quodq; uult ἅπτειν τὸν ῥοῦν, recte βλαπτερὸν appellaret. uerum ornatus gratia βλαβερὸν arbitror nominatū. HERM. Varia tibi suboriūtur, ô Socrates, nomina. atqui mihi uideris in præsentia, quasi Palladiæ legis præludiū quoddā præcinuisse, dum nomen βλαπτερὸν pronunciares. SO. Nō ego in causa sum Hermogenes, sed qui nomē ipsum instituerunt. HERM. Vera loqueris. Verum ζημιῶδες quid? SOC. Quid esse debeat ζημιῶδες dicam Hermogenes: & uide q̄ uere loquar, quoties dico quòd addētes ac demētes literas lōge nominū sensum uariant, adeo ut sæpe exiguū quid mutantes, cōtrariā significationē inducāt. quod apparet hoc in nomine δέον, id est opportunū. uenit hoc nu

per

per mihi in mẽtem de eo quod dicturus sum cogitanti. Recẽs est profecto uox nobis pulchra illa, coegitq; cõtrarium sonare nobis δεσμόν & ζημιῶδες, sensum ipsum cõfundens. Vetus autem quid nomen utrunq; uult, explicat. HERM. Qui istuc ais? SOC. Dicam equidem. haud præterit maiores nostros frequenter ι & δ uti solitos, nec rarius mulieres, quæ maxime priscam uocem seruant. Nunc autem pro ι uel ipsum ε uel η adhibent, pro δ uero ζ, quasi hæc magnificentius quiddam sonent. HERM. Quo pacto? SOC. Vt ecce uetustissimi uiri ἰμέραν diem uocabant, posteriores autem partim ἔμεραν, partim ἡμέραν, uocant. HERM. Vera hæc sunt. SOC. Scis igitur uetusto illo nomine tantum mentem eius qui nomen imposuit declarari. Nam ex eo quod ἱμείρεσιν, id est desiderantibus hominibus gratulantibusq; è tenebris lumen emicuit, diem ἡμέραν cognominarunt. HERM. Apparet. SOC. Nunc autem illa tragicis decantata quid sibi uelit ἡμέρα, nequaquam intelligas. quanquam arbitrantur nõnulli ἡμέραν dici, quod ἥμερα, id est mãsueta quæq; efficiat. HERM. Ita mihi uidetur. SOC. Neq; te fugit ueteres ζυγόν, id est iugum, δυογόν uocauisse. HERM. Planè. SOC. Enimuero ζυγόν nihil aperit. at δυογόν, δυοῖν ἀγωγόν, id est duorũ conductionem ligandi simul gratia, monstrat. Idemq; est de multis alijs iudicandũ. HER. Patet. SOC. Eadem ratione δεσμόν ita pronunciatum cõtrarium nominum omniũ quæ ad bonum spectant ostendit. porrò boni species existens, δεσμόν δεσμός, id est uinculum quoddam & impedimẽtum processionis esse uidet, tanquam βλαβερόν, id est noxij affine quiddam. HERM. Ita maxime apparet, ô Socrates. SOC. Verum nõ sic in nomine ueteri, quod uerisimilius est recte institutum fuisse, quàm nostrum. Nempe cum superioribus bonis consenties, si pro ε, ι uetus restituas. Neq; enim δεόν, sed δέον bonum illud significat, quod semper nominũ laudat inuentor: Atq; ita secũ ipse nõ dissidet, imò ad idem spectãt, δεόν, quasi δέον, ὠφέλιμον, λυσιτελοῦν, κερδαλέον, ἀγαθόν, συμφορόν, εὔπορον, id est facile ad progressum. uniuersũ hoc diuersis nominib. innuit aliquid per omnia penetrãs, omniaq; perornans, idq; ubiq; laudatũ: q̃d uero obstat & detinet, improbatũ. Quinetiã nomine hoc ζημιῶδες, si ueterũ more δ pro ζ posueris, apparebit tibi nomen istud δεῦντι ὸν ἴον, id est liganti sistentiq; quod pergit, impositum. unde & δημιῶδες cognominandum est. HERM. Quid ἡδονή, λύπη, ἐπιθυμία, uoluptas scilicet, dolor, cupiditas, Socrates, & huius generis reliqua? SOC. Haud nimis obscura mihi uidentur Hermogenes. ἡδονή, id est uoluptas siquidem actionis illius nomen est, quæ ad ὄνησιν, id est utilitatem emolumentumq; tendit. δ uero adiectum facit, ut pro eo quod est ἡονή, ἡδονή proferatur. λύπη, id est dolor, à διαλύσεως, id est dissolutione corporis trahi uidetur. Nam in huiusmodi passione corpus dissoluitur. ἀνία, id est tristitia, quod impedit ἰέναι, id est ire, demonstrat. ἀλγηδών, id est cruciatus, peregrinum nomen uidetur, ab ἀλγεινῶς dictum. ὀδυνή, id est dolor & afflictio, ab ἐνδύσεως, id est ingressione doloris denominatur. HERM. Videtur. SOC. ἀχθηδών, id est mœror languorq;, lationis grauedinem tarditatemq; significat. ἄχθος enim onus est. ἴον uero pergens. χαρά uero, id est lætitia gaudiumq;, à διαχύσεως, id est profusione, & εὐπορίας, id est facilitate, ῥοῆς, id est motionis animæ, dicitur. τέρψις, id est delectatio, ab τέρπω, id est oblectamento ducitur. τέρπον autem à πνοή, id est inspiratione delectationis in animã. Quare merito uocaretur ἑρπνόν, id est inspirans. Temporis autem interuallo ad τέρπνὸν deuentum est. εὐφροσύνη, id est hilaritas & alacritas, quam ob causam dicatur, assignare nihil opus. Nam cuiq; patet hoc nomen trahi ab eo quod dicitur εὖ, id est bene. συμφορέω, id est unà sequi, quasi dicat anima bene res assequi. Vnde εὐφροσύνη uocari deberet: tamen εὐφροσύνην appellamus. Sed neq; difficile est assignare quid ἐπιθυμία, id est cupiditas sibi uelit. Nomen quippe hoc uim tendentem in θυμόν, id est animam & iram & furorem ostendit. θυμός autem à θύσεως & ζέσεως, id est flagrantia, feruore, & impetu animę. proinde ἵμερος, id est suauis & blanda perfusio, dicitur, ῥεῦμα, id est fluxu animam uehementer alliciente. ex eo enim quod ἱέμενος ῥεῖ, id est incitatus rerumq; appetens fluit, animam uehementer attrahit propter impetum siue incitamẽtum fluxus. ab hac tota ui Himeros est nuncupatus. Præterea Pothos uocatur, id est desiderium, quod sanè præsentem suauitatem nõ respicit, quemadmodũ ἵμερος, sed absentem ardet. Vnde πόθος dicitur quasi ἀπόντος, id est absentis cõcupiscentia. Idemq; ipse in id quod gratũ est animi nixus, præsente eo quod cupitur ἵμερος, absente πόθος denominatur. ἔρως autem, id est amor, quia εἰσρεῖ, id est influit extrinsecus, neq; propria est habẽti ῥοή, id est fluxio ista, sed insusa per

oculos

oculos. Quapropter ab ἐσρεῖν, id est influere, ἔσρος, id est influctio, amor ab antiquis nostris appellabat̃. nam ο pro ω utebantur. nunc autem ἔρως dicitur, ω pro ο interpositio. Verum quid deinceps considerandum præcipis? HERM. δόξα, id est opinio, & talia quædã, unde nomen habent? SOC. δόξα, uel à διώξει, id est persecutione dicit̃, qua pergit & prosequitur anima, conditionem rerum inuestigans: uel à τόξου βολῆ, id est arcus iactu. uidetur autem hinc potius dependere. οἴκησις, id est existimatio, huic consonat. ostendit quippe οἴσιν, id est ingressum animæ in unumquodq; considerandum, οἷον, id est quale sit: quẽ admodum & βουλῆ, id est uoluntas, à βολή, id est iactu dicitur: & βούλεσθαι, id est uelle, propter ipsum attingendi nixum significat etiam ἐρᾶν, id est cupere: & βουλεύεσθαι, id est cõsulere. Omnia hæc opinionem sequentia, βολῆς ipsius, id est iactus & nixus imagines esse uidentur. quemadmodum contrarium, ἀβουλία, id est priuatio uoluntatis, defectus quidã consequendi impos apparet, quasi non contendat, neq; etiam quod intendit, uult, cupit, inuestigat, adipiscatur. HERM. Frequentiora hæc congerere uideris, ô Socrates. Quare finis iam sit fauente deo. Volo tamen adhuc, ἀνάγκλω & ἐκούσιον, id est necessarium & uoluntarium declarari. Nempe superioribus ista succedunt. SOCR. ἐκούσιον equidem est εἶκον, id est cedens neq; renitens. hoc siquidem nomine declaratur εἶκον βεβιωτι, id est cedens eunti, quod'ue ex uoluntate perficitur. ἀναγκαῖον uero, id est necessarium & obsistens, cum præter uoluntatem sit, circa errorem insciitiamq; uersabitur. describitur autem ex processu secundum necessitatem, quoniam in uia aspera densa incessum prohibent. Vnde ἀναγκαῖον dictum est, quasi per ἄγκος ἰόν, id est per uallẽ uadẽs. Quousq; uero uiget robur, ne deseramus. Quamobrẽ interroga amabo, neq; desistas. HERM. Ecce rogo quæ maxima sunt & pulcherrima: ἀλήθειαν, id est ueritatem; & ψεῦδος, id est mendacium, & ὄν, id est ens, & quare id quo de hic agimus, ὄνομα, id est nomen, dicitur. SOCR. Quid uocas μαίεσθαι? HERM. Voco equidem inquirere. SOC. Videtur nomen hoc ex sermone illo conflatum, quo dicitur ὄν, id est ens esse, cuius nomen inquisitio est. Quod clarius certe comprehendes in eo quod dicimus ὀνομαστόν, id est nominandum. hic enim exprimitur nomen quid sit, entis uidelicet inquisitio. ἀλήθεια uero sicut & alia componi uidet̃. Nam diuina entis latio, nomine hoc includitur, ἀλήθεια, quasi existens θεία ἄλη, id est diuina quę dam uagatio. ψεῦδος autem contrarium motionis. Rursus hic usurpatur agitationis obstaculum, quod'ue sistere cogit. Nam à καθεύδω, id est dormio dicitur. ψ uero adiectum sensum nominis occulit. ὄν uero & οὐσία, id est ens & essentia, cum ἀληθείᾳ, id est ueritate, congruunt: si ι apponatur. nam ἰόν, id est uadens significat. At οὐκ ὄν, id est non ens, quidam nominant ὀκιόν, id est non uadens. HERM. Hæc mihi uideris, ô Socrares, fortiter admodum discussisse. Verum si quis te percontetur quæ sit recta istorum interpretatio, quæ dicuntur ἰόν, id est uadens: ῥέον, id est fluens, δοῦν, id est ligans ac detinens, quid illi potissimum respondebimus? habes'ne? SOCR. Habeo equidem. profecto nuper succurrit nobis aliquid, cuius responsione quicquam uideamur afferre. HERM. Quale istud? SOC. Vt quod minime cognoscimus, barbaricum esse dicamus. fortè enim partim reuera talia sunt: fortè uero partim, ac præsertim nomina prima, temporum confusione inscrutabilia. Etenim cum passim uocabula distrahantur, nihil mirum esset si prisca lingua cum nostra collata nihilo à barbarica uoce differret. HERM. haud alienum est à ratione quod dicis. SOCR. Consentanea quidem affero, non tamen idcirco certamen excusationem uidetur admittere. Sed conemur hæc disquirere, atq; ita considerabimus: siquis semper uerba illa per quæ nomen dicitur, quæreret, rursusq; illa per quæ dicuntur uerba, sciscitaretur, pergeretq; ita perquirere, non'ne qui respondet, defatigari tandem & renuere cogeretur? HERM. Mihi sanè uidetur. SOCR. Quando itaq; qui responsum denegat, merito cessabit? An non postquam ad nomina illa peruenerit, quæ cæterorum sunt & sermonum & nominum elementa? Hæc utiq; si elementa sunt, ex alijs nominibus composita uideri non debent. quemadmodum supra ἀγαθὸν, id est bonũ diximus, ex ἀγαστῶ, id est iucundo amabiliq;, & θοῶ, id est ueloci compositum. θοὸν rursus ex alijs constare dicemus, illaq; ex alijs. sed postquam ad id peruenerimus quod ultra ex alijs nominibus nõ cõstituitur, merito nos ad elementũ peruenisse dicemus, nec ulterius hoc in alia nomina referendum. HERM. Scite mihi loqui uideris. SOC. An non ea de quibus paulo ante interrogabas nomina elemẽta sunt? oportetq; rectam illorũ rationem aliter quàm reliquorum

rum inueſtigare? HER. Probabile id quidem. SOC. Probabile certe Hermogenes. Superiora itaq; omnia in hæc redacta uidentur: ac ſi ita ſe res habet, ut mihi uidetur, rurſus age hic unà mecum conſidera, ne fortè delirem dum rectam primorum nominum rationem exponere tento. HERM. Dic modo. ego nanq; pro uiribus meditabor. SOC. Arbitror equidem in hoc te cõſentire, unam eſſe rectam & primi & ultimi nominis rationem, nullumq; illorum eo quod nomen eſt, ab alio diſcrepare. HERM. Maxime. SOC. Etenim omnium quæ ſuprà retulimus nominum recta ratio in hoc cõſtitit, ut qualis quæq; res ſit indicaretur. HERM. Proculdubio. SOC. Hoc utiq; non minus prioribus quàm poſterioribus competere debet ſi nomina futura ſunt. HERM. Prorſus. SOC. Atqui poſteriora nomina per priora hoc efficere poterant. HERM. Apparet. SOC. Prima uero quibus alia nõ præcedunt, quo pacto quam maxime res ipſas nobis oſtendẽt, ſi nomina eſſe debẽt? Ad hoc mihi reſponde. ſi uoce & lingua caruiſſemus, uoluiſſemusq; res inuicem declarare, nonne perinde ac nunc muti, manibus capiteq; & cæteris membris ſignificare tentauiſſemus? HERM. Haud aliter Socrates. SOC. Ergo ſupernũ quippiam ac leue demonſtraturi, cœlum uerſus manum extuliſſemus, ipſam rei naturam imitantes: inferiora uero & grauia deiectione quadã humi innuiſſemus. quinetiã currentem equũ uel aliud quicquam animalium indicaturi, corporum noſtrorum geſtus figurasq; ad illorum ſimilitudinem quamproxime quiſq; finxiſſet. HERM. Neceſſariũ quod ais eſſe mihi uidetur. SOC. Hunc in modũ ut arbitror his corporis partibus oſtenſum eſſet, corpore uidelicet quod quiſq; monſtrare uoluerat imitante. HERM. Ita certe. SOC. Poſtquã uero uoce, lingua, & ore declarare uoluimus, nónne ita demum per hæc oſtenſio fiet, ſi per ea circa quodlibet, facta fuerit imitatio? HERM. Neceſſarium puto. SOC. Nomen itaq; eſt, ut apparet, imitatio uocis, qua quiſquis aliquid imitatur, per uocem imitat̃ & nominat. HER. Idem mihi quoq; uidetur. SOC. Nondum tamen recte dictum exiſtimo. HERM. Quamobrẽ? SOC. Quoniam hos ouiũ & gallorum cæterorumq; animalium imitatores fateri cogeremur nominare eadem quæ imitantur. HERM. Vera loqueris. SOCR. Decere id cenſes? HERM. Nequaquam. ſed quænam ô Socrates imitatio nomen erit? SOC. Non talis imitatio qualis quæ per muſicam fit, quamuis uoce fiat, neq; etiã eorundem quorum & muſica imitatio eſt, neq; enim per muſicam imitationem nominare uidemur. Dico autẽ ſic: Adeſt rebus uox & figura colorq; plurimus. HERM. Omnino. SOC. Videtur mihi ſiquis hæc imitetur, neq; circa imitationes iſtas nominandi facultas cõſiſtere. hæ ſiquidem ſunt partim muſica, partim uero pictura. nonne. HERM. Planè. SOC. Quid ad hoc? nonne eſſentiã eſſe cuiq; putas, quemadmodũ colori & cæteris quæ ſuprà diximus? an nõ ineſt colori ac uoci eſſentia quædam, & alijs omnibus quæcunq; eſſendi appellatione ſunt digna? HERM. Mihi quidem uidetur. SOC. Siquis cuiuſq; eſſentiam imitari literis ſyllabisq; ualeret, nonne quid unumquodq; ſit declararet? HERM. Maxime quidem. SOC. Quem hunc eſſe dices? ſuperiores quidem partim muſicum, partim pictorem cognominabas, hũc uero quomodo uocabis? HERM. Videtur hic mihi ô Socrates quem iamdiu quærimus nominandi autor. SOC. Si uerum hoc eſt, conſiderandum iam de nominibus illis quæ tu exigebas, ῥοῆς, id eſt fluxu, ἰέναι, id eſt ire, ἵστασις, id eſt detentione, utrum literis ſyllabisq; ſuis reuera eſſentiam imitantur, nec'ne. HERM. Prorſus. SOC. Age uideamus nunquid hæc ſola prima nomina ſint, an ſint & alia præter hæc. HER. Alia equidem arbitror. SOC. Conſentaneum eſt. cæterum quis diſtinguendi modus unde imitari incipit imitator? Nónne quãdoquidem literis ac ſyllabis eſſentiæ ſit imitatio, præſtat primũ elementa diſtinguere? quemadmodum qui rhytmis dant operam, elementorum primo uires diſtinguunt, deinde ſyllabarum tantum, rhythmos tandem ipſos aggrediuntur, prius nequaquam. HERM. Vtiq;. SOC. An non ita & nos primo oportet literas uocales diſtinguere, poſtea reliquas ſecundum ſpecies, mutas & ſemiuocales? Ita enim in his eruditi uiri loquuntur. ac rurſus uocales quidem, non tamen ſemiuocales, & ipſarũ uocalium ſpecies inuicem differentes. Et poſtquam hæc bene omnia diſcreuerimus, rurſus inducere nomina, conſiderareq; ſi ſunt in quæ omnia referuntur, quemadmodum elementa, ex quibus cognoſcere licet & ipſa, & ſi in ipſis ſpecies continentur eodem modo ſicut in elementis. His omnibus diligenter cogitatis, ſcire oportet afferre ſecũdum ſimilitudinem unumquodq;, ſiue unum uni ſit admouendum, ſeu multa inuicem commiſcenda: ceu pictores

ctores ſimilitudinem uolentes exprimere, interdum purpureum duntaxat colorẽ adhibent, interdum quemuis alium colorem, quandoq; multos cõmiſcent, ueluti cum imaginem uiri quàm ſimilimam effingere uolunt, uel aliud quiddã huiuſmodi, quatenus imago quęq; certis coloribus indiget. haud ſecus & nos elementa rebus accõmodabimus, & unum uni, quocunq; egere maxime uideatur: συμβολαϛ, id eſt conjecta conficiemus, quas ſyllabas uocant. Quas ubi iunxerimus, ex eiſq; nomina uerbaq; conſtituerimus, rurſus ex nominibus ac uerbis magnum iam quiddam & pulchrum & integrum conſtruemus: & quemadmodum totum ipſum compoſitum pictura animal uocat, ita nos contextum hunc integrũ, orationem uel nominandi peritia, uel rhetorica fabricatam, uel alia quauis quæ id efficiat arte. Imò nõ nos iſtud agemus. modũ namq; loquendo tranſgreſſus ſum, quippe ueteres ita conflarunt, ſi ita eſt conſtitutum. Nos autem oportet, ſi modo artificioſe conſideraturi ſumus, ipſa omnia ſic diſtinguentes, ſiue ut conuenit prima nomina & poſteriora ſint poſita, ſiue non, ita excogitare. Aliter autem cõnectere uidendũ eſt ô amice Hermogenes, ne forte ſit error. HER. Forte per louem ô Socrates. SOC. Nun quid ipſe cõfidis ita te poſſe diſtinguere? Ego enim me poſſe diffido. HER. Multo igitur magis ipſe diffido. SOC. Dimittemus igitur? an uis utcunq; ualemus experiamur, et ſi parum quid horum noſſe poſſumus, aggrediamur, ita tamen ut ſuprà, dijs præfati: utq; illis edixímus, nihil nos ueri intelligentes opiniones hominũ de illis conijcere: ita & nũc pergamus nobiſipſi ſimiliter prædicentes, quod ſi quàm optime diſtinguenda hæc fuiſſent, uel ab alio quopiam, uel à nobis, ſic certe diſtinguere oportuiſſet: nunc autem, ut fertur, ꝓ uiribus iſta nos tractare decebit. Admittis hęc? uel quid ais? HER. Sic prorſus opinor. SOC. Ridiculum uiſum iri ô Hermogenes, arbitror, quod res ipſæ imitatione per literas ſyllabasq; facta manifeſtæ fiãt. Neceſſarium tamen: neq; enim melius hoc habemus quicquam, ad quod reſpicientes de ueritate primorum nominũ iudicemus: niſi forte quemadmodum Tragici quoties ambigunt, cõmentitijs quibuſdam machinamentis ad deos cõfugiunt, ita & nos ocyus rem expediamus, dicentes deos prima nomina poſuiſſe, & idcirco recte inſtituta fuiſſe. nunquid potiſſimus nobis hic ſermo? an ille, quod ipſa à barbaris quibuſdam accepimus? Nobis quippe antiquiores ſunt barbari, uel quòd ob uetuſtatem ita ea diſcerni nequeunt ut & barbara? Tergiuerſationes hæ ſunt, & belliſſimæ quidem, illorum quicunq; nolint de recta impoſitione primorum nominũ reddere rationem. Etenim quiſquis rectam primorũ nominum rationem ignorat, ſequentium cognoſcere nequit. hæc porrò ex illis declaranda ſunt, illa autẽ is ignorat. quin potius neceſſe eſt ſequẽtium peritiam profitentem, multo prius & abſolutius antecedentia comprehendiſſe, poſſeq; oſtendere, aliter autem ſcire debet ſe in ſequentibus deliraturũ. an aliter ipſe cenſes? HER. Haud aliter Socrates. SOC. Quæ ego ſenſi de primis nominibus, inſolentia ridiculaq; admodum eſſe mihi uidentur, eaq; tecũ, ſi uelis, cõmunicabo. Siquid uero tu melius inueneris, mecum & ipſe cõmunica. HER. Efficiam. ſed dic iam forti animo. SOC. Principio ipſum ϱ uelut inſtrumentum omnis motus eſſe uidetur. Cur autem motus κίνησις appelletur, non diximus. patet tamen quod ἴεσις, id eſt itio eſſe uult. Non enim ε quondam, ſed ι utebamur. principiũ autẽ ab λίειν, id eſt ire, quod peregrinum nomen eſt, & ἰέναι, id eſt ire ſignificat. Quare ſi priſcum eius nomen reperiatur in uocem noſtram translatum, recte ἴεσις appellabitur. Nũc autem ab λίειν nomine peregrino, & ipſius ν conmutatione, & ν ipſius interpoſitione κίνησις nuncupatur. Oportebat autem κιείνησιν uel ἴεσιν dicere. στάσις, id eſt ſtatio, negatio ipſius ἰέναι, id eſt ire eſſe uult. ſed ornatus cauſa στάσις denominatur. Elementũ itaq; ipſum ϱ opportunũ motus inſtrumentum, ut modo dicebã, uiſum eſt nominum autori ad ipſam lationis ſimilitudinẽ exprimendã: paſſim itaq; ϱ ad motus expreſſionẽ utitur. In primo quidem ipſo ῥεῖν & ῥοῦν, id eſt fluere, fluxuq; per literam ϱ lationẽ imitatur, deinde in τρόμω, id eſt tremore, & τραχὺ aſpero. item in uerbis huiuſmodi, λεῤῥάϝ percutere, θεῤῥώσειν uulnerare, ὀῤῥάϝ trahere, θεῦ πτάϝ frangere eneruareq;, ἁῤῥαττίζϝ incidere, ῥεμβάϝ uacillare, irritare, & circumuerſare. Hæc omnia ut plurimũ per ϱ ad ſimilitudinẽ motionis effingit. Mitto enim quod lingua in hac litera pronunciãda minime immoratur, quin potius cõcitatur. Quocirca ad iſtorũ expreſſionẽ ipſo ϱ potiſſimũ uſus fuiſſe uidet. Vſus eſt & ι, ſcilicet iota, ad tenuia quæq; per omnia maxime penetrantia, idcirco ἰέναι & ἴτεον, id eſt ire progrediq; per ι imitatur. Quẽadmodũ per ψ, σ, ζ, quæ

literæ uehementioris ſpiritus ſunt,talia quædam nominum autor exprimit, ψυχρὸν frigidum,ζεον feruens,σείεσθαι concuti,& communiter σεισμὸν, concuſſionẽ quaſſationemq; quotieſcq; uehemens quippiam & ſpiritu plenum imitari uult nominum inſtitutor, tales ut plurimum literas adhibet.Quinetiam ipſius δ cõpreſſionem ac τ,& linguæ uelut hærentis retractionem ,peropportunã exiſtimaſſe uidetur ad uinculi & ſtationis potentiã exprimendam.Et quia in λ proferendo maxime lingua prolabitur,idcirco per hoc uelut ex ſimilitudine quadam nominauit λεῖα, id eſt lenia & ὀλισθάνειν labi,& πολλῶδεις liquidum,λιπαρὸν pingue,cæteraq; huiuſmodi.Quia uero labentem linguam γ remoratur eo interiecto formauit γλίσχρον lubricum, γλυκὺ dulce, γλοιῶδεις uiſcoſum, lutulentum. Animaduertens quoq; ipſius ν ſonum imo in gutture detineri,eo nominauit τὸ ἔνδον & τὰ ἔνδοθεν,id eſt qd intus eſt, & quæ intrinſecus ſunt, ut res per literas repræſentaret.Ipſum uero ω, μεγαλῶ,id eſt magno tribuit & ipſum η μήκει, id eſt longitudini, quoniam magnæ literæ ſunt.in nomine autem στρογγύλον, id eſt rotundum,ipſo ο indigens, ο ut plurimum miſcuit. Eademq; ratione cętera ſecundum literas ac ſyllabas rebus ſingulis accommodare uidetur nominum autor,ſignũ nomenq; conſtituẽs,ex his deinde ſpecies iam rę liquas per ſimilitudinem conſtituere.Hæc mihi Hermogenes recta uidetur eſſe nominũ ratio,niſi quid aliud Cratylus hic afferat. HER.Etenim ô Socrates,ſæpe me turbat Cratylus hic, ut à principio dixi,dum eſſe quandã aſſerit rectam nominũ rationem, quæ uero ſit,non explicat, ut diſcernere nequeam utrum de induſtria, nec ne adeò ſit obſcurus. In præſentia igitur ô Cratyle,coram Socrate dicas , utrum placeant ea tibi quæ Socrates de nominibus prędicat,an pręclarius aliquid afferre poſſis:quod ſi potes,adducas in medium,ut uel à Socrate diſcas,uel nos ambos erudias. CRAT. Videturne tibi Hermogenes facile eſſe tam breui percipere quoduis atque docere,nedum rem tantam,quæ maximum quid de maximis æſtimatur? HER.Non mihi per Iouem , quinimò ſcite loquutum Heſiodum arbitror,quod operęprecium ſit paruum paruo addere. Quare ſi quicquam licet exiguum perficere uales , ne graueris,ſed & Socratem iſtum iuua , & me inſuper.debes enim. SOC.Equidem ô Cratyle,nihil eorum quæ ſupra cõmemorauí,aſſererẽ. Nempe utcunq; uiſum eſt, cum Hermogene hoc indagaui.quocirca aude ſi quid melius habes,exprimere,tanquã ſim libenter,quod dixeris,ſuſcepturus.Neq; enim mirarer ſiquid tu hiſce haberes præclarius. Videris porrò & ipſe talia quædã conſideraſſe, & ab alijs didiciſſe. Siquid ergo præſtantius dixeris,me inter diſcipulos tuos circa rectam nominũ rationem unum connumerato. CRAT. Certe mihi ô Socrates,ut ais, curæ hæc fuerunt, ac forte diſcipulum te efficerem. Vereor tamen ne contrà omnino ſe res habeat. Conuenit mihi nunc idem erga te dicere,quod aduerſus Aiacem in ſacris Achilles inquit.Generoſe,ait,Aiax Telamonie populorũ princeps,omnia mea ex ſententia protuliſti.Ita tu quoque ô Socrates,noſtra ex mente uaticinari uideris , ſiue ab Euthyphrone fueris inſpiratus,ſiue Muſa quædam tibi pridem inhærens nunc te protinus concitauerit. SOC. O uir bone Cratyle, ego quoq; ſapientiam meam iampridem admiror,neq; nimis confido.quare examinãdum quid dicam,exiſtimo.Nam à ſeipſo decipi grauiſſimum eſt . nimis enim periculoſa res eſt,quum ſeductor abeſt nunquam,ſemperq; deceptum proxime comitatur.Oportet itaq; ſuperiora frequẽter animaduertere,& ut poeta ille ait, ante illa retroq; conſpicere.Atqui & in præſenti uideamus quid à nobis ſit dictum. Rectam diximus nominis rationem,quæ qualis quæq; res ſit, oſtendit.Nunquid ſufficienter eſſe dictũ aſſerimus? CRAT. Ego quidem aſſero . SOC. Docendi igitur gratia nomina ipſa dicuntur? CRAT. Prorſus. SOC. An non & artem eſſe hanc dicimus , & ipſius artifices? CRAT. Maxime. SOC. Quos. CRAT. Quos à principio tu legum & nominum conditores cognominabas. SOC. Vtrum hanc artem ſimiliter atq; alias ineſſe hominibus, an aliter arbitramur? Id autem eſt quod uolo.pictores quidam deteriores ſunt,quidam præſtantiores? CRAT.Sunt. SOC.Nónne præſtantiores opera ſua pulchriora faciunt , figuras uidelicet animalium? cæteri contrà ? Aedificatores quoq; ſimiliter partim pulchriores,partim turpiores domos efficiũt? CRAT.Sic eſt. SOC. Nónne & legum ipſarũ autores partim opera ſua pulchriora,partim turpiora efficiunt? CRAT. Haud amplius iſtud admitto . SOC. Non ergo leges aliæ meliores,deteriores aliæ tibi uidentur. CRAT.Non. SOC.Neq; etiã nomen ut apparet,aliud melius,aliud deterius impoſitum arbitraris. CRAT, Neq; iſtud.

Iliados 9

SO-

SOC. Ergo omnia nomina recte posita sunt. CRAT. Quęcunque uidelicet nomina sunt. SOC. Quid de huius Hermogenis quod suprà dictum est, nomine? Vtrum dicendū non esse illi istud impositum, nisi quod ἑρμογενίσεως, id est Mercurij generationis illi competat? An impositum quidem, non tamen recte? CRAT. Neq; impositum esse ô Socrates, arbitror, sed uideri. esse autem alterius cuiusdā nomen, cui natura ineſt quæ nomine continetur. SOC. Vtrum neque mentitur quisquis Hermogenem esse eum dicit? Neq; enim hoc est dubitandum, quin eum dicat Hermogenem esse, cum non sit. CRAT. Qua ratione id ais? SOC. Nunquid ex eo quod non datur dicere falsa, sermo tuus constat, & circa id uersatur? permulti nempe ô amice Cratyle, & nunc prædicant, & quondam asserue runt. CRAT. Quo pacto ó Socrates, dum dicit quis quod dicit quod non est dixerit? An non hoc est falsa dicere, quæ nō sunt dicere? SOC. Præclarior hic sermo amice, quàm conditio mea & ætas exigat. Attamen mihi dicas, utrum loqui falsa non posse aliquis tibi uidetur, fari autē posse? CRAT. Neq; fari. SOC. Ac etiam neq; dicere, neq; apppellare, salutareq;? Quemadmodum siquis tibi obuius hospitalitatis iure manu te prehendens dicat Salue hospes Athenienſis, Smicrionis fili Hermogenes, ille loquereť ista, uel fari dicere tur, uel diceret, uel salutaret, appellaretq; ita, non te quidem, sed hunc Hermogenem, aut nullum? CRAT. Videtur mihi ô Socrates, incassum hæc iste uociferare. SOC. Sat habeo. utrū uera uociferat, qui ita clamat, an falsa? An partim uera, partim falsa? Nam hoc quoque sufficiet. CRAT. Sonare hunc ego dicam seipsum frustra mouentem, ceu siquis æra pulset. SOC. Animaduerte Cratyle, utrum quoquo modo conueniamus. Nōne aliud nomen, aliud cuius nomen est, esse dicis? CRAT. Equidem. SOC. Et nomen rei ipsius imitationem quandam esse? CRAT. Maxime omniū. SOC. Et picturas alio quodam modo rerum quarundam imitationes? CRAT. Certe. SOC. Age uero, fortè ego quid dicas, non satis intelligo, tu autem forsitā recte loqueris. possumus has imitationes utraſq; & picturas & nomina rebus his quarū imitationes sunt, attribuere, nec ne? CRAT. Possumus. SOC. Aduerte hoc in primis, nunquid possit aliquis uiri imaginē uiro, & mulieri mulieris tribuere, & in alijs eodem pacto? CRAT. Sic certe. SOC. Num & contrà, uiri imaginem mulieri, & mulieris uiro? CRAT. Et hoc. SOC. An utræque distributiones huiusmodi rectæ sunt? uel potius altera, quæ cuiq; proprium simileq; attribuit? CRAT. Mihi quidem uidetur. SOC. Ne igitur ego ac tu cum simus amici, in uerbis pugnemus, aduerte quod dico. Talem ego distributionem in imitationibus utriſq; tam nominibus q̄ picturis rectā uoco. & in nominibus nō rectam modo, sed ueram. Alteram uero dissimilis ipsius tributionem illationemq; non rectam, & in nominibus præterea falsam. CRAT. At uide ô Socrates, ne fortè in picturis duntaxat id contingere possit, ut quis male dispertiat, in nominibus autem minime, sed necessariū sit recte semper adscribere. SOC. Quid ais? quo ab illo hoc differt? Nōne fieri potest ut cuipiam uiro quis obuius dicat, hæc tua figura est, ostendatq; illi fortè uiri illius figuram, fortè etiā mulieris? Ostendere, inquam, sensibus oculorum offerre. CRAT. Certe. SOC. Nónne iterum ut eidem factus obuiam dicat, nomen id tuum est? Imitatio quippe aliqua nomen est, quemadmodū & figura. Dico autē ita. Nónne licebit illi dicere, nomen hoc tuum est? deinde in aurē idem infundere, fortè eius imitationem dicendo quod uir est, fortè uero fœminæ cuiusdā generis humani imitationē dicendo quod mulier? Non uidetur tibi hoc aliquādo fieri posse? CRAT. Concedere tibi uolo, ô Socrates, sic esto. SOC. Recte facis amice. ac si id ita se habet, controuersia iam tolletur. Porrò si in his huiusmodi quædā partitio fit, alterū uere loqui, alterū loqui falsa uocamus. Si hoc accidit, & possumus non recte nomina distribuere, & quæ non propria sunt cuiq; reddere, similiter in uerbis aberrare licebit. Si nautem uerba nominaq; ita congerere datur, necesse est & orationes similiter. Oratio quippe, ut arbitror, est uerborum & nominum cōpositio. Quid ad ista Cratyle? CRAT. Quod & tu. probe namq; loqui uideris. SOC. Quinetiā si prima nomina ad literas ipsas quadā imitatione referimus, cōtingere potest in his quemadmodū in picturis, in quibus accidit ut congruas omnes figuras coloresq; adhibeamus. Itemq; ut non omnes, sed partim superaddamus, partim subtrahamus, pluraq; & pauciora exhibeamus. Nōne fieri hoc potest? CRAT. Proculdubio. SOC. Qui cōuenientia oīa tribuit, pulchras literas & imagines reddit. Qui uero addit, uel aufert, literas quidem ac imagines & ipse facit, sed malas. CRAT. Nempe. SOC. Qui autem

per literas ac syllabas rerum essentiam imitatur,nonne eadem ratione si competētia omnia tribuit,pulchram imaginem efficit? Id autem nomen existit.sinautem in paucis deficiat uel excedat,imago quidem efficietur,sed non pulchra? Quamobrem nomina quædam bene instituta erunt,quædam contrà. CRAT. Fortè. SOC. Forsitan ergo nominum hic bonus erit artifex,ille malus. CRAT. Profecto. SOC. Nonne huic nomen erat nominum cōditor? CRAT. Plane. SOC. Erit itaq; in hoc quemadmodū in cæteris artibus conditor nominum bonus unus, alius uero non bonus,si modo superiora illa inter nos constant. CRAT. Vera hæc sunt. Verum cernis ô Socrates, quotiens has literas α & β & quoduis elementorū nominibus per artē grammaticam attribuimus, siquid auferimus, uel addimus, uel etiam permutamus,quod nomen quidem scribimus,non tamen recte, imò uero id nullo modo scribimus,quin potius statim aliud quiddā est,cū primum horū aliquid patitur. SOC. Videndū Cratyle,ne fortè minus recte hoc pacto consideremus. CRAT. Quo pacto? SOC. Fortassis quæcunq; aliquo ex numero constare uel non cōstare necesse est,id quod ais perpetiuntur,quemadmodū decem,aut quiuis alius numerus. Nam quilibet numerus quocūq; addito uel ablato,alius statim efficitur. Fortè uero qualitatis cuiuslibet & imaginis haud eadē ratio est,sed diuersa. Neq; enim omnia imago habere debet quæcūq; illud cuius imago est,si modo est imago futura. Animaduerte num aliquid dicam. An duo quædam hęc erunt,Cratylus uidelicet,& ipsius imago,siquis deorum nō modo colorem tuum figuramq; expresserit,ut pictores solent,sed interiora quoque omnia similia tuis effecerit,mollitiem eandem,caloremq;,motum,animā, sapientiā, & ut breui complectar,talia prorsus effinxerit omnia,qualia tibi insunt? Vtrum, inquā, alterum istorum Cratylus erit,alterum Cratyli ipsius imago? An Cratyli potius gemini? CRAT. Cratyli ô Socrates,ut arbitror,duo. SOC. Cernis amice aliam imaginis rationem esse quærendam,quàm illorum quæ paulo ante diximus? necq; cogendum esse siquid uel additum,uel ablatum fuerit,ut non amplius sit imago? An non sentis quantū deest imaginibus,ut eadem habeant quæ & illa quorū imagines sunt? CRAT. Equidem. SOC. Ridiculum aliquid Cratyle ex nominibus contingeret his quorum nomina sunt,si prorsus illis similia redderentur. Gemina quippe omnia fierent,neutrumq; illorū utrum esset potius dici posset,res ne ipsa an nomen. CRAT. Vera loqueris. SOC. Ingenue itaq; fatearis ô uir generose,nominum aliud bene,aliud contra positum esse:neq; cogas omnes literas continere,adeò ut penitus tale sit,quale & id cuius est nomen:sed mitte literā quoq; minus congruam afferri quādoq;:si literam,& nomen similiter in sermone:si in sermone nomen,sermonem insuper nequaq; connenientem rebus tribui,& rem ipsam nihilominus nominari dicíq;,quoad rei ipsius cuius sermo est figura,insit:quemadmodū in elementorum nominibus quæ nuper ego & Hermogenes cōmemorauimus,si recordaris. CRAT. Recordor equidem, SOC. Bene hercle igitur quandocunq; hoc inerit,quamuis non omnia conuenientia prorsus adsint,dicetur.bene quidem,cum omnia:male uero,cum pauca. Dici itaq; ô beate,mittamus,ne quemadmodū qui in Aegina noctu circumuagātur, sero iter peragūt,ita & nos hoc pacto ad res ipsas reuera serius quàm deceat, peruenisse uideamur,uel salutem aliam quandā exquiras rectam nominis rationem,neq; confitearis declarationem rei literis ac syllabis factā,nomen esse. Porrò si ambo hæc dixeris, tibi ipse constare & consentire non poteris. CRAT. Videris mihi probe loqui ô Socrates. atque ita pono. SOC. Postquam de his consentimus, quod restat discutiamus. Si bene nomen positum esse debet,oportere diximus literas sibi cōuenientes ineſſe. CRAT. Plane. SOC. Conuenit autem ut literæ rerum similes insint. CRAT. Omnino. SOC. Quæ igitur recte sunt posita,ita posita sunt. Siquid autem non recte positum est ut plurimum quidem ex conuenientibus similibusq; literis constat,si quidem imago est,habet autē & aliquid non conueniens,propter quod non rectū est,neq; recte nomen est institutū. Sic ne an aliter dicimus? CRAT. Nihil est ô Socrates,ut arbitror,contendendū:neq; enim mihi placet,ut nomen quidem esse dicatur,non tamē recte positū. SOC. Vtrum hoc tibi non placet,quod nomē rei ipsius declaratio sit? CRAT. Placet. SOC. At uero nomina partim ex primis constituta esse,partim esse prima non probe dictū putas? CRAT. Probe. SOC. Enimuero prima si quorundā declarationes esse debent, habes ne modū commodiorē quo id fiat, & si talia fiāt,qualia illa sunt quæ declarari uolumus? An modus iste potius tibi pla-

bi placet, quẽ Hermogenès alijq́ plurimi tradunt, quòd uidelicet nomina conuentiones quædam sint ijs qui ita cõstituerunt, ac res ipsa præcognouere, aliquid referentes: rectaq́ nominis ratio in cõuentione consistat, neq́ interest utrum quis ita ut nunc statutũ est decernat, an contrà: ut uidelicet ο, quod nunc ο paruũ uocatur, ο magnum cognominetur, ω uero quod modo ω magnum, ω paruum dicatur? Vter istorum magis tibi modus placet? CRAT. Pręstat omnino ô Socrates, similitudine referre quod quis ostendere uult, q̃q́ quouis alio. SOC. Scite loqueris. Nõne si nomen rei simile est, necesse est elemẽta ex quibus prima nomina cõponuntur, natura ipsa rebus esse similia? Sic autem dico: an aliquis quandoq́ picturã q̃q́ suprà diximus, rei cuiusquã similem effinxisset, nisi colores ipsi quibus cõstat imago, essent natura rei illius similes quam pictoris studium mitatur? An nõ impossibile? CRAT. Impossibile plane. SOC. Eadem ratione nomina ipsa nunq̃q́ alicuius similia fierent, nisi illa quibus nomina cõponuntur, similitudinem aliquam haberent earum rerũ, quarum nomina imitationes sunt. Ea uero quibus constant nomina, elementa sunt. CRAT. Sane. SOC. Iam tu sermonis eius esto particeps, cuius nuper Hermogenes. An recte dicere tibi uisi sumus, quod ipsum ρ lationi, motui, asperitati congruit? CRAT. Recte mihi quidem. SOC. Ipsum aũt λ leni & molli, ac cæteris quæ narrauimus? CRAT. Profecto. SOC. Scis ne quod idem, id est asperitas ipsa nobis quidẽ σκληρότης uocatur, Eretrien sibus uero σκληρότυγς? CRAT. Vtiq́. SOC. Vtrũ ambo hæc ρ & σ, eidem similia uidentur, idemq́ ostendũt tam illis per ipsius ϱ determinationẽ, quam nobis per σ nouissimũ, uel alteris nostrum nihil referunt? CRAT. Vtrisq́ plane demonstrant. SOC. Vtrum quatenus similia sunt ρ & σ, uel quatenus dissimilia? CRAT. Quatenus similia. SOC. Nunquid penitus similia sunt, ad lationẽ æque significandã? quin & ipsum λ iniectum, cur non contrariũ asperitatis ipsius significat? CRAT. Fortè non recte iniectũ est ô Socrates, quamadmodũ ea quæ tu in superioribus cum Hermogene hoc tractabas, dum & auferebas & inferebas literas ubi maxime oportebat. Ac recte mihi facere uidebaris. & nunc forte pro λ, ϱ apponendũ est. SO. Probe loqueris. Quid uero nunc ut loquimur, nihil percipimus inuicẽ, quando quis σκληρὸν pronunciat? neq́ tu quid nunc ego dicã, intelligis? CRAT. Intelligo equidem propter consuetudinẽ. SOC. Ouir lepidissime, cum consuetudinem dicis, quid aliud præter conuentionem dicere putas. An aliud consuetudinem uocas, quàm quod ego cum id pronuncio, illud cogito, tu quoq́ quod ipse cogitẽ percipis? Non hoc dicis? CRAT. Hoc ipsum. SOC. Si id me pronunciante cognoscis, per me tibi fit declaratio, ex dissimili uidelicet eius quod ipse cogitans profero: quãdoquidẽ ipsum λ dissimile est eius quo tu σκληρότητα, id est asperitatem uocas. Si hoc ita se habet, profecto ipse ad id teipsum assuefacis, & ex hac conuentione rectam tibi nominis rationem proponis, postq́ tibi idem tã dissimiles q̃q́ similes literæ repræsentãt propter ipsum consuetudinis & conuentionis accessum. Si nautem consuetudo conuentio minime sit, haud adhuc recte dici poterit similitudinẽ esse declarationem, imò cõsuetudinem dicere oportebat. Siquidẽ ex similitudine & dissimilitudine consuetudo declarat. His utiq́ cõcessis, ô Cratyle (nempe silentiũ tuum pro cõcessione ponam) necesse est consuetudinẽ aliquid conuentionẽq́ cõijcere, conferreq́ ad eorũ quæ sentimus & loquimur expressionem. Nam si uelis, optime uir, ad numerorũ considerationem descendere, quo pacto speras, adeò propria reperturũ te nomina ut singulis numeris simile nomen attribuas, si nõ permiseris cõcessionem tuam, conuentionemq́ autoritatẽ aliquam circa nominũ rationem habere? Mihi quidẽ et illud placet, ut nomina quoad fieri potest, rebus similia sint. Vereor tamen ne fortè, ut dicebat Hermogenes, tenuis quodãmodo sit istius similitudinis usurpatio, cogamurq́ & onerosa hac re, cõuentione uidelicet uti, ad rectã nominum rationem: quoniã tunc fortè pro uiribus optime diceretur, cum uel omnino, uel maxima ex parte similibus, id est cõuenientibus diceremus, turpissime uero cũ contrà. Hoc autẽ post hæc insuper mihi dicas: quã nobis uim habẽt nomina, quid'ue pulchrũ per hęc effici nobis asserimus? CRAT. Docere mihi quidẽ nomina uidentˉ, ô Socrates, idq́ simpliciter asserendũ, quòd quisquis nomina scit, & res itidẽ sciat. SO. Fortè ô Cratyle, tale quiddam dicis, q̃ cũ nouerit aliquis quale sit nomẽ, est aũt tale qualis & res existit, rem quoq́ ipsam agnoscet, quandoquidẽ nominis est res similis. Ars aũt una eademq́ est omniũ inter se similiũ. Hac ratione inductus dixisse uideris, quod quisquis nomina cognoscit, res

quoq; ipſas agnoſcet. CRAT. Vera loqueris. SOC. Age, uideamus quis modus docenda rum rerum iſte ſit, quem ipſe nunc dicis, & utrum alius præterea ſit, hic tamen potior habeatur, uel alius præter hunc nullus. utrum iſtorum potius arbitraris? CRAT. Hoc certe, quòd nullus uidelicet alius ſit, ſed hic ſolus & optimus. SOC. Vtrum uero & res ipſas ita reperiri cẽſes, ut quicunq; nomina reperit, ea quoq; quorum nomina ſunt, inueniat? An quærendum potius alium modum quendã, huncq; diſcendũ? CRAT. Maxime omniũ ſecundum iſta hunc ipſum & quærendũ & inueniendum. SOC. Age, ita conſideremus, ô Cratyle: ſiquis dum res inueſtigat, nomina ipſa ſequitur, rimaturq; quale unũquodq; uult eſſe, uides & maximum deceptionis periculũ ſubit? CRAT. Quo pacto? SOC. Quoniam qui principio nomina poſuit, quales eſſe res opinatus eſt, talia quoq; nomina, ut diceba mus, effinxit. Nonne ita? CRAT. Ita prorſus. SOC. Si ergo ille nõ recte ſenſit, & ut ſenſit, inſtituit, nõne & nos ſequentes eius ueſtigia deceptos iri exiſtimas? CRAT. Haud ita eſt imò neceſſe ſcientem fuiſſe illum qui nomina poſuit. Aliter autem, ut iamdudũ dicebam, nomina nequaq; eſſent. Euidentiſſimo autem argumento id eſſe tibi poteſt, haud à ueritate aberrauiſſe nominum autorẽ, quòd ſi male ſenſiſſet, nequaq; ſibi ita omnia conſonarent. An non aduertiſti & ipſe, cum diceres omnia in idem tendere? SOC. Nihil iſta ô bone Cratyle, ualet defenſio. Quid enim mirum eſt, ſi primo deceptus nominũ inſtitutor, ſequentia rurſus ad primum ui quadã traxit, & ipſi conſonare coegit? Quemadmodũ circa figuras interdũ exiguo quodam primo ignoto falſoq; exiſtente, reliqua deinceps multa inuicem conſonant. Debet enim quiſq; circa rei cuiuſq; principium ſtatuendũ, diſſerere multa, diligentiſſimeq; conſiderare, utrum recte decernat, nec ne. quo quidem ſufficien ter examinato, cætera iam principium ſequi debent. Miror tamen, ſi nomina ſibimet con gruunt. Conſideremus iterum quæ ſuprà retulimus. diximus profecto ita nomina eſſentiam ſignificare quaſi omnia currãt, ferantẽ & defluant. Ita ne ſignificare cenſes? CRAT. Ita certe. & recte quidẽ. SOC. Videamus itaq; ex illis aliqua repetentes. Principio nomẽ hoc ὠνομάσθη, id eſt ſcientia ambiguum eſt, magisq; ſignificare uidetur, quod ἴσασιν, id eſt ſiſtit in rebus animam, & quod cum rebus pariter circumfertur: rectiusq; eſſe uidetur, ut principium eius ut nunc ὀνομάζω dicamus, & per ε ipſius eiectionem, & pro ε, ι potius adijciamus. Deinde βέβαιον, id eſt firmum dicitur, quoniam βάσεως & στάσεως, id eſt firmamenti, & ſtatus potius quàm lationis eſt imitatio. Præterea ἰσχεία ad fortè ſignificat quod ἴσχει τὴν ῥοὴν, id eſt ſiſtit fluxum, & ipſum πιστὸν, id eſt credendum, ἰσᾶν, id eſt firmare omnino ſignificat. Quinetiã μνήμη, id eſt memoria, oſtendit prorſus quod in anima nõ agitatio eſt, ſed μονὴ, id eſt quies, ſtabilisq; permanſio. Atqui ſi quis nomina ipſa obſeruet ἡ ἁμαρτία & συμφορὰ, id eſt error & cõtingentia caſusq;, idem uidebunt inferre, quod σώφρων & ὀνομάζειν, id eſt intelligentia atq; ſcientia, & cætera nomina quæ præclaris ſunt rebus impoſita. Item ἡ ἀμαθία & ἀκολασία, id eſt inſcitia & intẽperantia, proxima his uidentur. ἀμαθία quidẽ importare uidetur, ἅμα θεῷ ἰόντος πρόιαν, id eſt ſimul cum deo euntis progreſſum. ἀκολασία uero omnino quandam ipſarum rerum ἀκολουθίαν, id eſt perſecutionem atq; cõgreſſum. Atq; ita quæ rerum turpiſſimarũ nomina eſſe putamus, nominum illorũ quę circa pulcherrima ſunt, & ſimillima uidebuntur. Arbitror & alia multa reperiri poſſe, ſiquis ad hæc incumbat, ex quibus iterum iudicabit nominũ autorẽ nõ currentes delatasq; res, imò ſtabiles indicare. CRAT. Verũtamen multa ô Socrates, ſecundũ agitationis ſignificationẽ uides illum conſtituiſſe. SOC. Quid agemus ô Cratyle? Nunquid ſuffragiorũ calculorumq; inſtar nomina ipſa dinumerabimus? atq; ad hanc normã de recta ratione nominũ iudicabimus, ut ea tandem uera ſint, quibus ſignificationes plurium nominum ſuffragantur? CRAT. Haud decet. SOC. Non certe amice. Sed his iam omiſſis, redeamus illuc unde digreſſi ſumus. Dixiſti nuper, ſi recordaris, neceſſariũ eſſe, illũ qui nomina ſtatuit, prænouiſſe ea quibus nomina tribuebat: perſtas adhuc in ſententia, nec ne? CRAT. Adhuc. SOC. Nunquid & illum qui prima nomina poſuit, nouiſſe ais dum poneret? CRAT. Nouiſſe. SOC. Quibus ex nominibus res uel didicerat, uel inuenerat, quando necdũ prima nomina fuerãt inſtituta? cum dictũ ſit impoſſibile eſſe res uel inuenire, uel diſcere, niſi qualia nomina ſint, didicerimus, uel ipſi nos inuenerimus. CRAT. Videris mihi nonnihil ô Socrates, dicere. SOC. Quo igitur pacto dicemus eos ſcientes nomina poſuiſſe? uel legum & nominũ conditores ante poſitionem cuiuslibet nominis extitiſſe

Circa principium ſtatuendũ diſſerere multa oportet

extitisse,eosq; res antea cognouisse,siquidem nõ aliter quàm ex nominibus discí res possint? CRAT. Reor equidem Socrates ueriſsimum eum esse sermonem quo dicitur excellentiorem quandam potentiam quàm humanam prima rebus nomina præbuisse,quo necessarium sit ut recte fuerint distributa. SOC. Nunquid putas cõtraria sibijpsi posuisse nominum autorẽ si dæmõ aliquis uel deus extitit? an nihil tibi suprà dixisse uidemur? CRAT. Fortè nondum alterum istorum nomina erant. SOC. Vtra igitur erant uir optime? num quæ ad statum uergunt? an quæ ad motum potius? Neq; enim, ut modo diximus,multitudine iudicabitur. CRAT. Sic decet Socrates. SOC. Cum itaque dissentiant contendantq; de ueritate inuicem nomina,& tam hæc quàm illa uero propinquiora esse se asserant,cuius ad normam dijudicabimus? Quò nos uertemus? Neq; enim ad alia nomina confugiemus,quia præter hæc nulla. Verum alia quædam præter nomina quærenda sunt,quæ nobis ostendant absque nominibus,utra istorum uera sint, rerum uidelicet monstrantia ueritatem. CRAT. Ita mihi uidetur. SOC. Si hæc uera sunt Cratyle, possunt,ut uidetur, res sine nominibus percipi. CROT. Apparet. SOC. Per quid potissimum aliud speras res ipsas percipere? Nónne per quod consentaneum ac decens est? per mutuam illarum communionem, scilicet siquo modo inuicem cognatæ sunt, & per seipsas maxime. Quod enim aliud est ab illis, aliud quiddam non illas significat. CRAT. Vera loqui uideris. SOC. Dic obsecro nónne iam sæpe concessimus, nomina quæ recte posita sunt,similia illorum esse quorum sunt nomina,rerũq; imagines esse? CRAT. Concessimus planè. SOC. Si ergo licet res per nomina discere, ac etiam per seipsas, quæ præstantior erit lucidiorq; perceptio? Num si ex imagine cogitetur, & imago ipsa utrum recte expressa sit,& ueritas cuius hæc est imago? An potius si ex ueritate tam ueritas ipsa quàm ipsius imago,nunquid decenter imago ad eam fuerit instituta? CRAT. Si ex ueritate. SOC. Qua ratione res uel per doctrinam uel per inuentionẽ comprehendendę sint; iudicare,maioris quàm meum ac tuũ sit,ingenij opus esse uidetur. Sufficiat autem nunc inter nos constitisse quod non ex nominibus,immo ex se ipsis potius discendæ quærendæq; sunt. CRAT. Sic apparet ô Socrates. SOC. Animaduertamus & hoc præterea,ne multa hæc nomina in idem tendentia nos decipiant,cũ qui illa imposuerunt, currere omnia semper fluereq; putauerint,atq; ea cõsideratione posuerint: uidentur nempe mihi ita existimasse: quorũ tamẽ opinio si talis extitit,falsa habẽda est. profecto illi uelut in quandam delapsi uertiginem,& ipsi uacillant iactanturq;, & nos in eadem rapientes immergunt. Cõsidera uir mirifice Cratyle quod ego sæpe numero somnio, utrum dicendũ est esse aliquid ipsum pulchrum ac bonum,& unum quodq; existentium ita,nec ne. CRAT. Mihi quidem ô Socrates esse uidetur. SOC. Illud igitur ipsum cõsideremus, non si uultus quidam aut aliquid taliũ pulchrum est,quippe hæc omnia fluunt: sed ipsum pulchrũ dicimus,nónne semper tale quale est perseuerat? CRAT. Necesse est. SOC. Nunquid possibile est ipsum recte denominare si semper subterfugit, ac primo quid illud sit deinde quale sit dicere? uel necessariũ est,dum loquimur aliud ipsum statim fieri, iugiterq; diffugere,nec tale amplius esse? CRAT. Necessarium. SOC. Quo pacto aliquid illud erit, quod nunquam eodem modo se habet? Si enim quandoq; eodem modo se habet, eo in tempore minime permutatur: sin autem semper eodẽ modo se habet, idemq; existit, quo modo transit uel mouetur, cum ideam suam non deserat? CRAT. Nullo pacto. SOC. Præterea à nullo cognosceretur. dum enim cognitura uis ipsum aggrederetur, aliud alienumq; fieret. quare quid sit aut quale cognosci nõ posset. nam cognitio nulla ita rẽ percipit, ut nullo modo se habentem percipiat. CRAT. Est ut ais. SOC. Sed neq; cognitionem ipsam esse affirmandũ est ô Cratyle si decidunt omnia,nihilq; permanet. Si enim cognitio ex eo quod cognitio est non decidit,permanebit semper,ac semper erit cognitio: sinautem cognitionis species ipsa discedit,simul & in aliam cognitionis speciem delabetur,neq; cognitio erit. Quod si perpetuo migrat, semper non erit cognitio. Atq; hac ratione neq; quod cogniturum est,neq; quod cognoscendum,semper erit. Sinautem semper est quod cognoscit,est quod cognoscitur,est pulchrũ,est & bonum, estq; denicq; existentium unũquodq; quæ in præsentia dicimus,fluxus lationis similia non uidentur. Vtrum uero hæc ita sint,an ut dicebant Heraclíti sectatores, alijq; permulti, haud facile discerni potest. Neq; hominis sanæ mentis est seipsum animumq; suũ nominibus credere,

& autorem nominum ſapientem aſſeuerare, atq; ita de ſeipſo rebuſq; omnibus male ſentire, ut putet nihil integrum firmumq; exiſtere, ſed omnia uelut fictilia fluere atq; concidere, & quemadmodum homines deſtillationibus capitis ęgrotantes, ſimiliter quoq; res ipſas affici iudicet, adeo ut deſtillatione & fluxu omnia comprehendantur. Fortè ô Cratyle ita eſt, fortè etiã aliter: forti animo & diligenti ſtudio inueſtiganda res eſt. neq; enim facile aſſentiendum. Iuuenis adhuc es, atque tibi ſufficit ætas. Et ſiquid inueneris indagando, mihi quoq; impartiri debes. CRAT. Nauabo operam Socrates. Ac certe ſcito me etiam in præſentia non torpere, immo cogitãti mihi & multa animo reuoluenti multo magis ita ut dicebas ipſe, quàm ut Heraclitus, res ſeſe habere uidentur. SOC. Deinceps amice poſtquam redieris me doceto. Nunc autem ut conſtituiſti, in agrum perge. Atqui & Hermogenes hic te comitabitur. CRAT. Fiet ut mones Socrates. Verum tu quoque iam de his cogita.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI IN GORGIAM

CVM duo quædam in animo potiſsima ſint, cognitio & affectus, cognitionem quidẽ ſophiſtæ ſub ueritatis ſpecie ad falſa detorquent, affectum uero populares poetæ ſub concinnæ uoluptatis eſca in diſſonas perturbationes ſæpe præcipitant. Oratores deniq; populares tum cognitionẽ falſis decipiunt coniecturis, tum affectum in motus uarios concitant. Quapropter cum horum opera mentes hominũ, tũ falſis opinionibus, tum perniciosis affectibus ægrotare cogantur, Plato humanorum medicus animorũ nos à ſophiſtis quidem omnino, ab oratoribus quoq; atq; poetis quodammodo procul abducit. profecto ſophiſtas & undiq; & omnes exterminat: poetas autem neq; omnes, ſed illos qui uel turpia de dijs & fingunt, uel perturbatos animos aerius imitantur & referunt: neq; undiq; ſed ex urbe, id eſt ex iuuenum ignorantumq; turba, qui in perturbationes admodum ſunt procliues, & allegoricum poetarũ nõ penetrant ſenſum. Quamobrem in libris De republica poetas iubet uel expelli, uel cogi de deo honeſte loqui, neq; perturbationibus audientes aſſuefacere, ſed & diuinos hymnos canere, & leges patrias magnorũq; geſta uirorũ grauiter recenſere. Sed ut reuertamur ad oratores, hos quoq; non omnes Plato uituperat, ſed eos duntaxat, qui ad id incumbũt aſsidue, ut quicquid libuerit, quacunq; uarieant ratione audientibus perſuadeant abſq; delectu, ſiue malum id eſt, ſiue bonũ, ſeu falſa ſit ratio ſeu uera, uel commiſeratio, uel concitatio, uel coniectura. Quale fuerat Lyſiæ Thebani, atq; Tiſiæ, necnõ Gorgiæ Leontini propoſitum. Anteponit uero alijs Periclem in Phædro atq; Iſocratem, propterea quod eloquentiam cum philoſophia cõiunxerint. Additq; legitimum oratorem oportere rerũ intelligere rationes, morum leges, uerborũ uires, naturas ingeniorum, uerbaq; certa quadam ratione componere ingenijs audiẽtium quoad fieri poteſt accõmodata, cõmunis boni perſuadendi gratia: neq; tam ad id incumbere, ut ea quæ dicis hominibus grata ſint, quàm ut accepta deo. Eum uero qui Tiſiæ Gorgiæq; more non ueritatem ipſam atq; iuſtitiam, ſed coniecturam turbæ duntaxat ueriſimilem probabilemq; ſequitur, tanquam hominẽ ciuitati ante alios noxiũ deteſtatur, quaſi eloquentia ſine ſapientia ſit enſis acutus in manibus furioſi. Duos autem exagitat ante alios, Lyſiam quidem in Phædro, hic uero Gorgiã. Nam quanto maioris autoritatis erant, tanto periculoſiores erant. Adducitur hic in mediũ & Polus orator Gorgiæ ſectator, & Callicles eorum aſtipulator. Socrates autem primo per Chærephontem agit familiarem ſuum, & id quidem aduerſus Polum. Deinde ipſe per ſe cõtra Gorgiam. Quoniã uero hi in aliarum rerum rationibus aſſignandis apud populum mirum in modum gloriari ſolebant, oſtenditur eos, ut ipſis omnis adimatur fides, neſcire ſuæ profeſsionis rationes afferre. Interrogatus enim Polus quæ ſit ars Gorgiæ, cum debuiſſet eam ſolum per neceſſaria definire, & quæ ſit explicare, per ſuperflua circũſcripſit & qualis, & id quidẽ affectato nimium ſtylo, quo uti conſueuiſſe, in Phædro ubi de oratorum ſtylis agitur, confirmatur. Deinde interrogatus ipſe Gorgias quæ ſit ars eius, inepta quadã iactantia reſpondit eſſe rhetoricam. Rogatur deinceps quid ſit rhetorica definire. Meminiſſe uero debemus rem quamlibet in eo quod ipſa eſt, partim quidẽ cum rebus alijs conuenire, partim uero differre: atq; id per quod conuenit nominari genus: per quod diſcrepat, differentiam. hinc fit, ut definitio quæ idipſum quod res eſt comprehendit, per genus eiuſmodi, differentiamq; debeat aſsignari. Gorgias ergo utpote qui artem ſuam neſciat definire, genus ipſius et id quidem inepte profert. Differentiam uero quam mox in eadem reſponſione unà cum genere debebat adducere, uix tandem poſt multas interrogationes extorquente Socrate in medium afferre cõpellitur. Principio reſpondet rhetoricam eſſe artẽ circa ſermones. Et quoniam aliæ quoq; ſunt ſimiles, interrogatur circa quos quales ue ſermones, ut qua in re ab alijs artibus differat, diſcernatur. Reſpondet autẽ circa ſermones qui dicendi uim præſtant. Iterum id alijs artibus eſt commune. unde rurſus adiungere cogitur, rhetoricam uerſari quàm plurimum circa ſermones, uimq; dicendi. Sed quoniam id quoq; commune cum multis, urgetur iterum addere circa ſermones, ſcilicet de rebus maximis. Cum uero & id cõmune, iam neſcio quid diſtinctius afferre compellitur, id eſt per oratoriam nos conſequi ut nulli ſeruiamus, ſed alijs dominetur, atq; eſſe oratoriam artẽ perſua-

persuasionis pro arbitrio effectricem. Interea Socrates admonet, ut in disputando non tam ad personã qua cum disputatur, quàm ad rem ipsam & sermonem & animum intendamus. Deinde uero quoniam omnis ars aliqua de re persuadet, quæritur qua de re, & qualis sit rhetoris persuasio. Mox in duo distinguitur persuasio. In eam scilicet quæ scientiam, & in eam quæ facit fidem. Cõcluditurq; oratoriam persuasionem non scientiam afferre, sed fidem, non circa quælibet proprie, sed circa iusta atq; iniusta, non ubiq;, sed in turba potissimum, ac de rebus quæ præcipue ad rempublicã pertinent. Additur quinetiam oratorem de rebus insuper ad artes alias proprie pertinentibus suadentius quàm artifices ipsos posse loqui, non quidem inter artium ipsarũ peritos, sed imperitos. Inter hæc admonemur ne potentia unquam arteq; abutamur. Item ne in disputãdo ubi ad ueritatem percipiendã necessaria est tranquillitas, perturbemur. Rursus æquo animo atq; libentissimo redargutionem esse recipiendam, præsertim in moribus corrigendis, Nihil deterius enim esse quàm de moribus falsa sentire. Post hæc concedit Gorgias nõ pertinere ad oratorem scire qua ratione res ipsæ se habeant, sed machinationem quandam sic ad persuadendum excogitare, ut ipse quamuis ignoras, tamen apud ignorantes magis intelligere quàm ipsi scientes appareat, officiumq; eius esse, de quolibet in turba strenue loqui non docendo sed persuadendo. Concedit quoq; oratorem scire id debere & posse quod sit uerisimile, etiam si id quod uerum est nesciat. quod quidem fieri nullo modo potest. Nisi enim rem ipsam cognoueris, nunquam quid illius simile sit, agnosces. Proinde quæritur utrum sicut ad oratorem alia scire non attinet, ita neque etiam quid bonum, honestum, iustum sit intelligere. Gorgias uero cum aliàs dixerit, oratorem ad hæc atq; illa similiter se habere, hic sibi repugnans, scire hæc saltem oportere consensit. Hinc Socrates argumentatur. Si orator scit iusta, ergo est iustus, tentans uidelicet Gorgiam nunquid uim consequentiæ teneat. Ille uero admittit statim, cum proprie in scientijs artibusq; ad intelligẽtiam pertinentibus id sequatur, scit astrologica uel fabrilia, ergo astrologus est uel faber: in ijs tamen quæ ad uoluntatẽ moresq; pertinent non sequatur, scit iusta, ergo iustus. Opus enim ad iustitiam est uoluntate, Veruntamen si quis diuinam quandam de iustitiæ scientiam habeat, quod quidem spirante deo fieri quandoq; posse Plato uult, recte sequetur. Quisquis enim certissime sciuerit quantum bonum iustitia sit, quantumue præmium maneat: atq; contrà quantum iniustitia malum, quatumue huic supplicium debeatur: is proculdubio iniustitiam fugiens, iustitiam complectetur. Quacunque uero ratione sese res habeant, Gorgias sibimet cogitur contradicere. Quippe cum in superioribus, oratorem iniustum esse aliquando posse concesserit, hic uero neget. Post hæc Socrates ex arrogantia Poli sub quadam ironia & iuniores improbat, si quando seniores corripiant arroganter, & præcipit omnibus ut emandari à quolibet facile patiantur. Cæterum ut quæ sequuntur plane intelligantur, aduertendum est, oratoriam uel in genere uel in speciebus, posse considerari: atque in genere quidem definiri, industriam ad persuadendum in materia ciuili promptissimam, tum quadam probationis facultate, tum uel maxime eloquij gratia. Ideoq; inter artem quandam dissertendi poeticamq; esse quodammodo constitutam. Hactenus oratoria intellectui quidem bonum est, uoluntati uero neq; bonum est neque malum. Huius autem duæ sunt species, philosophica, & popularis siue adulatoria: illa bonum, hæc uero malum. Illius quidem finis est, certis rerum, uerborum, morum rationibus, audientes ad commune bonum perducere. Quam maxime laudat in Phædro ex philosophia poesiq; grauiori compositam. Alterius autem finis est, per coniecturas turbæ uerisimiles, concitationesq; animorum, quodcunq; libuerit impetrare. Hanc inter sophisticam uulgaremq; poesim ponimus ex utrisque permixtam, quam in hoc dialogo detestatur. Diuidit autem artes ipsius hominis proprie curatrices in duo præcipue genera. Quorum primum curat animũ, secundum uero corpus. In animo legalem facultatem ait legum conditricem morumq; moderatricem, animum ipsum in habitu quodam naturæ consentaneo formare atq; stabilire: artem uero iudicialem animum, si quando hinc lapsus fuerit, restituere. In corpore quoque geminas ponit artes, similiter corporis curatrices, gymnasticam quidem huius exercitandi magistram in bona ipsum habitudine pro uiribus confirmantem. Medicinam uero corpori amissam sanitatem restituentem. Quapropter qualis est legalis in animo, talis in corpore uidetur esse gymnastica. Item qualis iudicialis in animo, talis in corpore medicina. Has omnes appellat artes, quia certa ratione perducant ad bonum. Subdit naturam quandam siue peritiam, adulatoriam, seruilem, atq; fallacem, quæ falso has quatuor æmulatur. Per sophisticam quidem simulat legalem, per oratoriam scilicet uulgarem fingit iudicialem, per fucatoriam præ se fert gymnasticam, per coquinatoriam medicum repræsentat. Totum uero hoc adulandi genus negat esse artem, quia non ratione certa ad uerum bonum, sed lenocinijs contendit ad gratiam. Sed ne quis existimet Platonem longe omnium eloquentissimum legitimam eloquentiam coquinariæ comparare, legat Phædrum, in quo & eam probat, & finem officiumq; & præcepta eius subtilissime tradit, asseritq; ipsam esse similẽ medicinæ. Quoniam uero Polus oratoriam uim extollens, oratores ait ex eo maximam habere potentiam, quod pro arbitrio ualeant aduersarios carceri mortiq; damnare, uel expoliare bonis, uel urbe priuare: Socrates duobus potissimum argumentis probat iniustos non esse potentes. Primo quidem quoniam potentia exoptanda est unicuique tanquam bonum: constat uero licentiam quodcunque libuerit faciẽdi, iniustis hominibus ueluti mente captis non modo non bonam esse, sed malam, atque tandem perniciosam. Deinde maxima potestas est posse idipsum

quod

quod uelis efficere. Patet autem omnes uerum uelle bonum. At malos uerum bonũ uel agere uel consequi nunquã. Adde quod mala mens eo ipso quod mala est, discors in seipsa & insana censetur, iamq; ab his quæ afferũtur sensibus superata. Quis ergo dixerit mentem & languidam & more mancipij suis seruientem mancipijs, esse potentem? Interea humana omnia distinguuntur in tria, scilicet in bona, malaq;, & media. Bonorum primum est sapientia. Secũdum, optanda corporis habitudo. Tertium, fortunæ commoditas. Sed hæc duo eatenus iudicantur bona, quatenus commodum menti exhibent ministerium. Horum uero opposita dicuntur mala, sed horum media tanquã indifferentia sunt, quæ non magis ad bonum declinant quàm ad malum, ut ire, sedere, atq; similia. Additur neminem uelle aut mala aut media, aut ea quæ agit proprie, immo duntaxat ea quorũ gratia mouetur & agit. Non ergo qui iniurias faciunt, ipsas uolunt iniurias, sed bonum cuius gratia faciunt. Bonum uero non consequuntur, non assequuntur ergo quod uolunt: Non ergo potentes. Deinceps uero Socrates ex errore Poli communi cum multis nactus occasionem sancta nobis tradit præcepta. Cui peccare grauiter licet, prope miser est: qui peccat grauiter iam est miser: qui peccati non luit pœnas, est miserior. Iniurias pati eligendum est potius quàm inferre. Licentia quodcunque libuerit faciendi non est potentia, nisi id nobis sit deniq; conducturum. Conducet autem iuste duntaxat utentibus. Iniusti etiam si totius orbis imperio potiantur, infelices sunt, immo infeliciſsimi. Quo enim magis peccare licet, & quo minus peccati datur pœna, eo infeliciores habentur. Felicitas in sapientia iustitiaq; consistit, infelicitas in contrarijs. Quoniam uero Polus ueritatis iudicium quod ad iudicis qualitatem potius quàm ad iudicantium numerum referri debet, in quorumlibet testium multitudine collocat, ideo Socrates optimum probandi modum esse respondet, si unicum in causa testem adduxeris, aduersarium scilicet ratione conuictum: alioquin coaceruatam undiq; testium multitudinem, parui ad ueritatem esse momenti. Præterea quia Polus ait iniuriã quidem facere turpius esse, pati uero peius: Socrates id arguit, asserens idem in rebus humanis moribusq; bonum esse atq; pulchrum siue honestum: idem malum atq; turpe. Deinde idipsum pulchrum uel propter uoluptatem, uel utilitatem, uel utrunque puta existimari, turpe uero contrà. Hinc argumentatur: si facere iniuriam turpius est quàm pati, non ex eo quidem quod sit molestius, ex eo igitur quod sit damnosius. si ita, ergo deterius iudicatur. Mox adiungit oportere seipsum rationi tanquam medico curandum committere. Affirmat quoq; iustam peccatorum punitionem, ei qui punitur prodesse plurimum. Hæc enim si iusta est, ergo pulchra atq; honesta. Si ita, ergo bona: si bona, confert animo, uidelicet tanquam medicina corpori, multoq; magis. à morbo enim animi liberat, qui grauissimus est morborum omnium atq; malorum. Inter hæc animaduerte theologorum sententiam, nihil magis necessarium esse utiliusq; peccatoribus quàm confiteri peccata, affici pœnitentia, pœnas à iudice petere, æquo animo ferre ut purgetur animus, antequam insanabilis morbus eius euadat. Posthæc audies facillimum esse nobis affectum illi nostrum significare qui simili laborat affectu. Item Socratem philosophiæ amore captũ illi semper obtemperare. Præterea eligendum potius esse ut cætera nobis dissonent omnia, quàm ut animus intra se dissonet. Proinde ubi Callicles Socratem corrigit quasi argutiarum nimium studiosum, intellige sub persona Socratis Sophistas à Platone redargui. Tangit postea Callicles Thrasymachi multorumq; prophanam opinionem, dicentiũ mores & leges non naturæ ordine, sed sola hominum uel opinione uel fictione consistere. Quod in libris De republica & in sequentibus confutatur. Quod uero afferre uidetur Callicles contra philosophos, intellige non contra legitimos philosophos esse dicta, sed partim aduersus ignauissimos sophistarum, partim aduersus eos qui philosophiæ studio abutuntur: dum uel ita solam logicam sectantur, ut partes speculationis alias deserant: uel ita solam speculationem capessunt, ut philosophica morum præcepta institutaq; ciuilia negligant. Nonnulla uero in ipsa Callicles inuectiua falsa dicuntur, quæ in sequentibus refellentur. Post hæc autem præcipitur omnem in animæ nostræ examine atq; probatione esse diligentiam adhibendam, aq; ad id tanquam iudicem unum eligendum esse. in quo sapientia sit rei ipsius qua de agitur, & beneuolentia qua libentius consulat, & audacia insuper, per quam quod profuturũ putet, non uereatur exprimere. Deinde nos admonet Socrates, cum rationales natura simus, ne irrationali casu & fortuna uiuamus, sed certum uitæ finem diligentissime præscribamus, uiasq; ad ipsum eligamus commodiores. Deniq; dum sæpius obsecrat Calliclem ut ipsum libere audacterq; redarguat, admonet nos nihil inquirere impensius oportere quàm animi medicinam. His actis Callicles cõcedit idem esse natura potentius ualidiusq; & melius, aitq; naturalem iustitiam uelle, eum qui potentior est habere quæcunq; inferiorum sunt, eisq; dominari, legemq; illius naturaliter esse iustam. Ad hæc Socrates ita infert. Si idem est potentius, ualidius, melius, atque multitudo ualidior est quàm unus, ergo & potentior atq; melior. Multitudinis ergo leges cum potentioris meliorisq; sint, iustæ naturaliter erunt. At huius leges statuunt esse iustum seruari inter omnes æqualitatem, atq; esse turpius iniuriam inferre quàm pati. Quamobrem non solum lege turpius est facere iniuriam quàm pati, atq; iustum est æquitatem seruare, ut in superioribus dixerat Callicles, sed etiam ipsa natura. Præterea quia Callicles in superioribus potentiores illos esse putauerat, qui astutia, audacia, uiolentia, cæteros anteirent: Socrates paulatim hunc emendat, cogitq; fateri potentiorem esse, qui prudentior fortiorq; sit ad rempublicam gubernandam: Significat quoque inter hæc se eadem semper eisdem de rebus adducere, probans uidelicet constantiam, improbans

bans leuitatem. Iam uero Calliclem conatur ultra prudentiam fortitudinemq; ad temperantiam quoq; perducere. At hic quemadmodum supra Thrasymachum imitatus circa iustitiam potentiamq; errauerat, ita nunc sequutus Aristippum circa tẽperantiam similiter errat, eam appellans stupidã ingenij seruilis ignauiam, atq; in fouendis explendisq; sensuum libidinibus uirtutem asserens felicitatemq; consistere. Socrates autem mox ad demonstrandum sese accingit, temperantiã non opinione humana, sed ordine naturæ constare. Profecto naturalis ordo requirit ut inferiores animæ partes superioribus pareant, totusq; animus consonans undiq; sit & sanus & pulcher, neq; agat frustra, sed finem propositum consequatur, qualis est habitus uitaq; temperati. Contrà uero in homine intemperato ratio regina hominis seruili seruit concupiscentiæ, dissonat quoq; & languet, opusq; inexplebile molitur, incomparabiliq; molestia uolantem sequitur uoluptatem. Id totum Socrates Pythagoræorũ præsertim Philolai & Empedoclis sententijs explicat, duplici præcipue uia, scilicet per fabulam & exemplum: in quibus ipse considera, animam in hoc corpore omnem quidem esse mortuam, intemperantem præterea inferis deputari, irrito assiduoq; labore miserabiliter agitatam, dum quodam perforato uase, id est deprauato fallaciq; iudicio cõtinue machinatur perforatum quoq; uas alterum, id est concupiscentiã inexplebilẽ fluentibus oblectamentis implere. Post hæc quia Callicles non solum uirtutem, sed etiam felicitatem in assidua libidinum expletione constituit, affirmatq; idem esse uoluptatem atq; ipsum bonum, dolorem quoq; idem atq; malum, idcirco Socrates id pluribus rationibus confutat. Prima, constat uoluptatem non esse ipsum bonum, cum sæpe & turpissima sit, & turpissimis hominibus adsit. Secunda, bonum & malum ut pote contraria in eodem simul esse non possunt. At uoluptas & dolor in eodem sunt simul, quando uidelicet quis sitiens bibit. tunc enim sitiendi molestia cũ bibendi uoluptate concurrit. Tertia, bonum & malum sicuti cætera contraria solent, non simul abeunt ab eodem. Voluptas autem doloriq; tunc ab eodẽ simul abeunt, quando quis eodem in tempore dũ bibit cessat simul & sitire pariter & delectari bibendo. Quarta, unusquisq; præsentia quidem boni fit bonus, mali uero præsentia fit malus. At neque præsente uoluptate boni fiunt homines dissoluti, neq; dolore probi homines mali fiunt. Quinimmo cum sæpe æque gaudeant, aut doleant boni atque mali, & aliquando magis mali gaudeant, & boni magis doleant, certe si uoluptas quidem bonum esset, dolor uero malum, sequeretur ut frequenter tam boni quàm mali pariter boni forẽt aut mali, ac nonnunquam boni magis mali quàm ipsi mali, atq; econuerso. Inter hæc animaduerte præceptum Socratis obseruandũ, scilicet non esse ad grauissima festinandum nisi leuiora prius fueris consequutus. Afferuntur deinde nonnulla ex quibus confirmare quis possit, uoluptatem non esse ipsum per se bonum. propterea quod multæ reperiantur uoluptates malæ, noxiæ uidelicet & animo simul & corpori, nosq; à rebus optimis diuertentes. quòd si uoluptas ipsum per se bonũ esset, nulla esset mala uoluptas. proinde distinguntur iterum facultates, & quæ uelut artes ad bonum utileq; certa ratione procedunt, & quæ tanquam adulationes, nulla ueri boni adhibita ratione uoluptatem solam aucupantur: quarum in numero poesim & musicam, communemq; oratoriam collocat. Tu uero inter differendum hanc nota sententiã. Virtutem corporis sanitatemq; in ordine quodam & ornatu consistere, similiterq; in ordine ornatuq; suo animi uirtutem atq; sanitatem. Ex quo fit, ut quemadmodum uirtus corporis uitiumq; non in opinione, sed in re ipsa uel naturæ consentanea uel opposita reperitur, sic uirtus uitiumq; animi non ad humanam opinionem, sed ad naturæ legem dijudicetur. Conclude tandem, quantum naturaliter præstat corpus habere sanum quàm ægrotum; tantum præstare similiter temperatum quàm intemperatũ animum posidere. Præterea confirmatur in sequentibus sententia Pythagorica: omnibus in rebus esse optimam temperantiam. Quæ quidem prima omnium adolescentibus est tradenda, per quam præcedens pueritiæ intemperantia corrigatur, totusq; animus temperetur, quam mox sequi cæteras uirtutes existimat. Siquidem temperatus erga deum atque homines agit decentia, pius est iustusq; & fortis. Deinde concluditur in sola uirtute felicitatem, in sola im probitate esse miseriam, omniaq; humana ad uirtutem uelut ad signum certissime referenda. Præterea sicut ad beatitudinẽ necessaria uirtus est, sic & uitiorum castigationem punitionemq; necessariam esse, quasi morborum animi medicinam. Deniq; intemperatũ neq; hominibus, neq; deo, neq; sibimet amicum esse posse. Vt autem naturalem temperantiæ excellentiam nobis ostendat, ex Pythagoræorum Orphicorumq; mente subiungit, uniuersum temperantia atque etiam concordia & iustitia, quæ continentur in ipsa temperantia, contineri: ideoq;, quod & Pythagoras inquit, intemperantiam in omnibus tanquam perniciosissimam esse totis uiribus fugiendam. Quoniam uero ad hanc simul atq; iustitiam æqualitas præcipue pertinet, æqualitatem in primis præcipit obseruari, quam asserit in dijs & hominibus ualere quamplurimum. Aequalitatem, inquam, geometricam, per quam unicuiq; æqualis ita fit distributio, ut pro capacitate meritisq; cuiusq; æqualiter distribuatur, æqualiter, inquam, id est neq; magis neque minus quàm uel capacitas uel mèritum exigere iudicetur. Aequalitas quidem geometrica in quadam congrua portione consistit. Arithmetica uero in numero utrinque pari. Neq; uero eadem est hæc & illa. Sane excessus sex ad quatuor, itẽq; excessus quatuor ad duo, apud arithmeticum numeros considerantem, est æqualis: per duo enim uterq; perficitur. Verum apud geometrum portionis iudicẽ est inæqualis. Nam senarius numerus quaternarium proportione sesquialtera superat, in quá maior numerus minorem & semel continet totũ & insuper eius dimidiũ. Quaternarius uero binariũ proportione

tione ſuperat dupla. Eiuſmodi uero æqualitate quæ nõ numerantis more tantum ponderis uni tribuit quantum alteri, ſed metientis ritu, neq; magis neq; minus quàm cuiq; cõgruat tribuit unicuiq;, ait cũcta ſeruari. in hac etenim & iuſtitia dei in operibus ſuis, & hominis ad homines continetur. Vtrobiq; enim pro menſura capacitatis & meriti cuiq; diſtribuitur. His dictis aſſerit theologica fundamenta morum firmiſsimis eſſe rationibus cõfirmata. præcipue peius eſſe iniuriam facere quam pati, omnium uero peſsimum cum iniuriam feceris, non dare pœnas, quibus quaſi medicamentis ab omnium maximo iniuſtitiæ morbo animus liberetur. Nullum enim detrimentũ maius cogitari poſſe quàm quod animo infertur à uitio, adeo ut quemadmodum homini cum omnino ægroto corpore non expedit uiuere, ita neq; cum animo uitijs ægro. Item non multifaciendam eſſe uitam in corpore, ſed uirtutem, peiuſq; eſſe ſeipſum flagitioſis hominibus ob morum ſimilitudinem præſtare perſimilem, quàm ab illis interfici. Inter hæc monet ne res ullas quarũ ignari ſimus, tractandas aggrediamur, præſertim grauiores, maxime publicas. Omnino uero oratoriam paruifacit, ſi nullam poſsit uel priuatim uel publice ſalutẽ afferre animo, ſed corpori duntaxat rebuſq; ad ipſum pertinentibus conſulat. Deridet & eos, qui cũ diu Reipub. tenuerint gubernacula, ſemper quidem ciuitatem externis bonis auxerint. animos uero ciuium temperantia & iuſtitia formare neglexerint: quod quidẽ ſolum ſit legitimi gubernatoris officium. Concluditq; non modo non prodeſſe, ſed obeſſe plurimum ciuitati gubernatores, qui fortunæ potius quàm animi bonis proſpiciant. Præterea potentiam omnem ſapientiamq; uiri in eo cõſiſtere, ut animam à peccatis erga deum & homines conſeruet intemeratam. Nam huius quidem uitæ iacturam leuiſsimam eſſe, æternæ uero ſalutis eſſe grauiſsimam. Cæterum ut quæ de futuris uel uirtutum præmijs uel uitiorum ſupplicijs Plato affirmat, intelligas, ſcito Saturnũ apud Platonem intelligi ſupernam intelligentiam, in qua ſit uniuerſalis omnium lex atq; prouidentia circa omnium eſſentias & uias ordinesq; formarum. Huic autem ſubeſſe ordines tres præcipuos numinum, in quibus Saturnina prouidentia in tria potiſsimũ officia diſtribuitur. Ex his quæ numina ad diſtribuendas eſſentias proprie ſubminiſtrant, communi quodã Iouis nomine nuncupat. Quæ uero ad uitas ſuggerendas conferunt, ap pellatione Neptuni. Quæ ad formarum ordines diſponendos, nomine Plutonis appellat. Prometheum uero numinum gradum his aliquanto inferiorem, qui formalem ordinem naturæ duntaxat rationali præſertim in hac uita diſtribuit. Deniq; tres Iouis filios, Aſiæ, Europæ, Africæ iudices, tria uult intelligi numina ad id maxime miniſtra Iouis atq; Plutonis, ut formalis ordo iuſtitiæ in ſeparatis à corporibus animis expleatur. His autem animaduerte diuinam legem delebiles uitiorum maculas certis temporibus puniẽdo diluere, indelebiles uero pœnis ſempiternis affligere. Quod quidem tranſmigrationem animarum per corpora ſempiternã improbare uidetur. Quod autẽ dicit quondam errauiſſe iudices in uiuentibus iudicãdis, duo nobis ſignificat. Primum quidem non diuinum, ſed humanum circa uirtutes & uitia iudicium decipi. Secundum uero, diuinam prouidentiam in ſeipſa præuidiſſe iudicia fore falſa ſi à uiuentibus in hoc corpore uiui iudicarentur. Ideoq; non ex quodam tempore, ut uerba ſonant, ſed ab æterno, iudicium poſt hanc uitam fieri ſtatuiſſe. Interea memento animam uitiorũ uirtutumq; affectiones & habitus ſecum ferre. Deniq; Socratem hæc penitus affirmare, nihilq; aliud expaueſcere, niſi eiuſmodi animæ detrimentum, iudiciſq; diuini conſpectũ. Propterea concludit in nullo certamine nobis acrius quàm in hoc contendendum, ut puriſsimam iudici cuncta inſpicienti animam offerre poſsimus: cæteraq; omnia quæ homines admirantur, eſſe penitus contemnenda, ſolaq; ex omnibus honoranda, quæ ad ſalutem animæ conferant ſempiternam.

GORGIAS PLATONIS, VEL DE RHETORICA.

CALLICLES, SOCRATES, CHAEREPHO, GORGIAS, POLVS.

Occaſio dialogi. Prouerbiũ, Poſt feſtum uenimus tardius

SIC ad bellum & pugnam cum itur ô Socrates ferunt eſſe cunctandum. SO. Nunquid poſt feſtum ut dici ſolet, uenimus tardiores. CAL. Equidem poſt feſtum mire iocundum. multa enim & præclara pauloante Gorgias nobis expoſuit. SOC. Tarditatis huius cauſa hic Chærepho ô Callicles fuit: qui trahere nos moram in foro coegit. CHAER. Nihil id quidem incommodi ô Socrates fuerit. remedium enim adhibeo, cum mihi amicus ſit Gorgias, qui ſiue nunc ſiue aliàs mauis, nobis eadem demõſtrabit. CAL. Quid ô Chærepho? num Socrates audire Gorgiam cupit? CHAER. Ob id ipſum certe aderamus. CAL. Quando igitur cunq; uobis ad me libuerit ingredi, licebit: apud me enim diuertit Gorgias, qui aperiet quod cupitis & explicabit. SOC. Bene loqueris Callicles. Sed num uellet in præſentia nobiſcum diſſerere? Cupio enim ab ipſo percontari, quæ nam artis ſuæ uis ſit & potentia, quid'ue ipſe

ipſe profiteatur ac doceat. Cæterarum uero rerum quemadmodum dicis expoſitionem nobis aliàs afferat. CAL. Haud moleſta erit interrogatio Socrates. nam id quoque in ſua demonſtratione continebatur. Iuſsit ergo pauloante omnes qui intus aderant, ut quam quiſq; uellet quæſtionem induceret, ſe ſingulis reſponſurum promittens. SOC. Rem certe præclaram narras. Itaq; Chærepho interroga ipſum. CHAER. Quidnam interrogem? SOC. Quiſnam ipſe ſit. CHAER. Quonam pacto dicis? SOC. Veluti ſi artifex calceorum foret, reſponderet certe ſe coriarium eſſe. an quod dico nondum etiam intelligis? CHAER. Intelligo ſanè, & iam rogabo. Dic mihi ô Gorgia, num uere dicit Callicles te profiteri reſponſurum ad omnia, de quibus quilibet ſciſcitetur? GOR. Vere ait ô Chærepho. Nempe modo id ipſum prædicabam, atq; adeo nihil noui à me quēquam multis annis percontatum eſſe dico. CHAE. Haud igitur difficulter reſpondes Gorgia. GOR. Licet huius rei Chærepho periculum facere. POL. Licet per louem, ſed commodius in me ſi uelis ô Chærepho, nam Gorgias quidem iam in dicēdo defeſſus mihi uidet, ut qui multa pauloante diſſeruit. CHAE. Quid tu Pole? Num accuratius te q̄ Gorgiam reſponſurum arbitraris? POL. Quidnam uter reſpondeat intereſt, dum modo ſatis tibi fiat? CHAE. Nihil, quoniam uis reſponde. POL. Interroga. CHAE. Iam interrogo: ſi Gorgias eius artis peritus eſſet, quam frater eius Herodicus callet, quo ipſum nomine rectiſsime nuncuparemus? Nônne eodem quo illum? POL. Prorſus. CHAE. Medicum ergo uocantes recte uocaremus? POL. Ita. CHAE. Si autem eam artem quam Ariſtopho filius Aglaophontis, aut frater eius, haberet perceptam, quem recte ipſum appellaremus? POL. Certe pictorem. CHAE. Nunc autem cum artis alicuius peritus ſit Gorgias, quem ipſum recte uocabimus? POL. O Chærepho multæ quidem artes inſunt hominibus ex peritia perite adinuētæ. Peritia enim efficit ut uia noſtra per artem incedat: imperitia uero ut per fortunam temere circumuagetur. Illarum artium alij alias & alias aliter atq; aliter conſequuntur, optima uero optimi, quorum ex numero hic eſt Gorgias, arte pulcherrima prædītus. SOC. Præclare quidem ô Gorgia uidetur Polus ad dicendum inſtructus. Veruntamen quod promiſit Chærephonti, non præſtat. GOR. Quid nam potiſsimum ô Socrates? SOC. Ad interrogationem quidem non ſatis reſpondiſſe mihi uidetur. GOR. At tu rurſus ſi uoles ipſum rogato. SOC. Quod ſi tu Gorgia reſpondere mihi non dedigneris, à te ipſo libentius quàm à Polo quærerem. Conſtat enim Polum per ea quæ modo reſpondit, rhetoricæ quam uocant, magis quàm diſſerēdi arti operā dediſſe. POL. Quid ita ô Socrates? SOC. Quia cum interrogaſſet Chærepho cuius artis peritus eſſet Gorgias, laudaſti tu quidem ô Pole eius artem, quaſi quis eam uituperaſſet: quę uero illa ſit, non expoſuiſti. POL. Nônne pulcherrimam eſſe reſpondi? SOC. Prorſus quidem, ſed nemo qualis ea eſſet, quærebat: ſed quænā, & quē oporteret Gorgiam uocari: quemadmodum prius quodammodo à Chærephonte fueras inſtructus, ac pulchre breuiterq; illi tu reſpondebas. Nunc ergo eadem ratione dicas, quænam ars, & quem Gorgiam ſimus appellaturi, immo uero tu Gorgia nobis oſtende quem nominari te deceat, & cuius artis peritum. GOR. Rhetoricæ ô Socrates. SOC. Rhetorem ergo te appellare debemus? GOR. Et bonum quidem, ſi me, quod iacto eſſe, ut ait Homerus, nominare uelis. SOC. Volo equidem. GOR. Nomina ergo. SOCR. An dicemus alios quoque te facere poſſe? GOR. Hæc equidem non apud uos ſolum, uerumetiam apud omnes profiteor. SOC. Sed nunquid uelles Gorgia quemadmodum incepimus diſputationē peragere: partim quidem interrogando, partim etiam reſpondendo, prolixitatem illam uerborum qua uti cœperat Polus in aliud tempus reſeruans? Verum quod mihi promiſeris obſeruato, atq; ad interrogata quàm breuiſsime reſpondeto. GOR. Sunt quidem ô Socrates quædam longioribus uerbis neceſſario exequenda, operam tamen dabo ut quam breuiſsime tibi reſpondeatur. Hoc ipſum namq; ex his eſt quæ profiteor, neminem compendioſius me rem eandem explicare poſſe. SOC. Hac mihi Gorgia opus eſt breuitate, hancq; mihi cōmonſtres oro: copiam uero aliud in tempus differto. GOR. Faciam equidē ut neminem dicas unquam te audiuiſſe me breuiorem. SOC. Age iam. rhetoricæ artis te habere ſcientiam dicis, alioſq; poſſe rhetores facere: ipſa uero rhetorica circa aliquid uerſatur, ueluti textoria circa ueſtium confectionem. Nônne? GOR. Ita. SOCR. Nônne & Muſica circa melodiæ perfectionem? GOR. Sanè. SOCR. Per louem ô Gorgia reſponſiones hæ tuæ mirifice

Ad quācūq; interrogationē ſe reſpōſurū profeſſus eſt Gorgias

Peritiā ars, imperitiam fortuna ſequitur

Muſica circa melodiæ perfectionē uerſatur.

mirifice me oblectant, quãdo eas quàm breuissimis absoluis. GOR. Spero me tibi in hoc uoto satisfacturum tuo. SOC. Recte ais. Sed & de rhetorica similiter responde: quorum nam scientia sit. GOR. Sermonum. SOC. Qualium ô Gorgia sermonum? Num eorum qui ostendunt qua uictus ratione ægrotantes conualescere possint? GOR. Non. SOC. Non igitur circa sermones omnes uersatur rhetorica. GOR. Nequaquam. SOC. Verumtamen circa eos qui dicendi facultatem præstant. GOR. Proculdubio. SOCR. Nunquid rhetorica in quibus dicendi, in eisdem & intelligendi uim præbet? GOR. Quid ni? SOC. Nónne medicina de qua modo dicebamus, efficit ut ægrotantium curationem & intelligere, & differere etiam de ea queamus? GOR. Necesse est. SOC. Et medicina igitur ut apparet circa sermones uersatur. GOR. Sic est. SOC. Eos uidelicet qui ad morbos pertinent. GOR. Maxime. SOC. Nónne & gymnastica circa sermones est de bona maláue corporum habitudine? GOR. Certe. SOC. Atqui & aliæ artes ô Gorgia eadem ratione se habent. Quælibet enim earum uersatur circa sermones eos qui ea de re habentur in qua ipsa occupari solet. GOR. Apparet. SOC. Cur ergo artes alias non appellas rhetoricas, cum circa sermones sint? siquidem hanc ipsam quæ sit circa sermones rhetoricam constituis. GOR. Quia cæterarum quidem artium scientia omnis ô Socrates circa manuaria opera actionesq; huiusmodi, ut ita dixerim, uersatur. Rhetoricæ uero nullũ est opus eiusmodi, sed omnis actio eius atq; potestas in dicendo consistit. Vnde rhetoricã esse artem circa sermones arbitror, idq; recte dicere me affirmo. SOC. Intelligo quam uelis eam dicere, fortè uero clarius comprehendam. Sed responde: sunt nobis artes, an non? GOR. Sunt. SOC. Ex omnium numero artium alias esse arbitror, quæ in opere plurimum uersantur, uerbis autem parum admodum indigent: alias uero quæ nullis, sed etiam per silentium perfici possunt: queamadmodũ ars pingendi, & statuaria & aliæ multæ. Ex taliũ numero negare uideris esse rhetoricã. GOR. Recte admodum Socrates accipis. SOC. Aliæ præterea artes sunt quæ uerbis totum peragunt: opere uero aut nullo, ut ita dicam, aut certe perexiguo opus habent. Qualis est arithmetica, cõputatoria, geometria, & tesserarum talorũq; ludus, & aliæ multæ artes: quarũ quædã uerba actionibus fermè adæquãt: plurimæ ijs etiã superant, atq; omnino omnis earum actio actuis in eiusmodi uerbis consistit. Talem aliquam uideris mihi rhetoricam dicere. GOR. Et uere uideor. SOC. Attamẽ harum nullam arbitror te rhetoricam appellare, quamuis dixeris artem in dicẽdo uim habentem esse rhetoricam. Nam si quis cauillari uellet, sic argumentationem susciperet. Ergo arithmeticam rhetoricam nuncupas? Non opinor tamẽ te uel arithmeticam uel geometriam rhetoricam dicere. GOR. Vere putas Socrates, & recte quæ dico capis. SOC. Age nunc & tu responsionem quam petebam perfice: cum rhetorica sit ex earum numero artium quæ ut plurimum uerbis utuntur, sint uero & aliæ tales, conare nobis exprimere, quæ nam ars & circa quid in dicendo uim præcipuã habeat rhetorica. Veluti si quis in artibus quas supra cõmemorabam, me interroget, quænam illarum diceretur arithmetica: responderem utiq; ueluti tu modo aiebas, eam esse earũ, ex artium numero, quæ uerbis plurimũ assequunt. Ac si rursus percontaretur, circa quid uersatur, dicerem circa paris imparisq; cognitionẽ, quot utraq; sint. Quinetiam si requirat iterum, cõputatoriam uero artem quam appellem, respondebo hanc quoq; inter eas artes connumerari, quæ totum uerbis absoluunt negocium. Rursus si roget circa quid uersetur, respondebo eorum more qui decreta conscribunt in populo: uidelicet cõputatoriam per cætera quidem ab arithmetica nihil differre. Nempe circa idem utraq;, par scilicet atq; impar uersatur: sed in hoc dissimiles, quoniam computatoria consideret par & impar, quam & ad se & inuicem quantitatis conficiant summam. Præterea si quis me dicente astronomiam in earum artium genere collocari quæ totum uerbis absoluunt, rursus percontaretur circa quid potissimum tendant astronomiæ uerba: subijcerem circa astrorum motum solisq; & lunæ: qua inuicem ratione illorum se habeant cursus. GOR. Recte profecto ô Socrates responderes. SOC. Age iã & tu ô Gorgia. Profecto rhetorica ex illis est artibus quæ uerbo tractãt omnia & perficiunt. Nónne? GOR. Profecto. SOC. Dic ergo quid ex omnibus id sit potissimum, de quo hi sermones habentur, quibus utitur rhetorica? GOR. Maxima & optima rerum humanarum negocia. SOCR. Atqui & hoc quoq; ambiguum est Gorgia, nec ullo modo clarũ. Arbitror equidẽ te cantilenam illam quæ circum in cõuiuijs canitur audiuisse

Prima definitio mala

diuiſſe, in qua cantores ita connumerant: Optimam rem eſſe omnium proſperam eſſe ualetudinem, Secundo egregiam formam, Tertio diuitias, ut ipſius poetæ uerbis utar, nulla fraude quæſitas. GOR. Audiui ſanè, ſed quorſum hæc. SOC. Quoniam ſubito tibi rerum quæ in ea cantilena laudantur artifices occurrerent, medicus uidelicet & pædotriues, & nummator. primuſq; ſtatim diceret medicus. Decipit te Gorgias ô Socrates. Non enim ars eius ad maximum hominũ bonum ſpectat ſed mea. Vbi ſi ego ab eo quiſnam ſit ipſe perquiram, diceret fortè eſſe ſe medicũ. quid ais ergo? An tuæ artis opus maximum eſt bonum? Quid ni? reſponderet: cum opus eiuſmodi ſanitas ſit, nihil uero ſanitate ſit præſtantius. Poſt hæc forſitan pædotriues uehementer admiretur num plus ineſſe boni in tua q̃ in ipſius arte comprobare poſsis. quem ſi ego rogarem: & tu quis es? quod tuum eſt opus? Pædotriues ſum diceret: eſt aũt meæ profeſſionis corpora hominũ formoſa robuſtaq; reddere. Deinde uero nummator cæteros, ut puto, contẽnens ſic obij ciat. Animaduerte Socrates an diuitijs excellentius ullum eſſe bonum exiſtimes, uel apud Gorgiam uel apud alium quemlibet. eum ego in hunc modum rogarem. Tu ne ergo tanti boni es autor? Eſſe uero ſe affirmaret. Quiſnam es ergo? nummator ſum. quid uero? putas ne ſummũ hominibus bonum eſſe diuitias? Quid ni putem? inquiet. Ego uero ita ſubijciam. Hic tamen Gorgias contendit artem ſuam maioris boni cauſam eſſe q̃ tuam. Conſtat itaq; eum poſt hæc interrogaturum, Quidnam iſtud eſt bonum? demonſtret ipſum Gorgias. Quamobrem age mi Gorgia, finge te & ab illis & à me ſic eſſe interroga tum, atq; reſponde: quidnam eſt iſtud quod ipſe maximum hominibus bonum eſſe cenſes, teq; autorem eius eſſe profiteris. GOR. Quod eſt ô Socrates maximum reuera bonũ, & cauſa ut & ipſi liberi ſimus, & cæteris in noſtra paſsim Repub. dominemur. SOC. Quid ergo iſtud eſſe dicis? GOR. Poſſe uerbis perſuadere, & in iudicio iudicibus, & in conſilio conſulentibus, & in concione cõcionantibus, atq; in alia qualibet congregatione ciuili. Iam uero ob huiuſmodi facultatẽ ſeruiet tibi medicus, ſeruiet pædotriues: quinetiam ipſe nummator, non ſibi ſed alteri, id eſt tibi dicendi & uulgũ perſuadendi arte prædito, diuitias ſuas cumulauiſſe cõperietur. SOC. Nunc mihi uideris quam artem iudicas eſſe rhetoricam proxime oſtendiſſe. Ac ſi recte te capio, artem perſuaſionis effectricem ais eſſe rhetoricam, eiuſq; omnem diligentiam & ſummam in hoc finiri? An quicquam amplius habes, quod de artis iſtius facultate referre poſsis, q̃ ut perſuaſionem audientiũ animis afferat. GOR. Nihil aliud habeo Socrates, ſed abunde mihi definijſſe uideris. Hęc enim eius eſt ſumma. SOC. Audi ô Gorgia: certum habeto, ſi quis alius cum alio diſputet, uolens id ipſum noſſe de quo diſſeritur, me quoq; ut mihimet perſuadeo, eſſe talem. iudico autem merito te quoq; ita affectum. GOR. Quorſum hæc? SOC. Dicam nunc: haud equidẽ ſatis aperte cognoſco quæ nam ſit quibus ue de rebus illa quam dicis à rhetorica proficiſci perſuaſio. Et quamuis ſuſpicer quam & de quibus ipſe dicere conſtitueris, nihilominus abs te requiram, quam dicas perſuaſionem & quibus de rebus à rhetorica fieri. ſed & cauſam huius rei quæ ſit quamuis iam ipſe ſuſpicer, nihilominus tamen à te petam, potius quàm ipſe exprimam: profecto non tui cauſa ſed ſermonis ipſius, quo ita procedat, ut maxime nobis id de quo agitur, explicet. Attende itaque num iuſte rurſus interrogare te uidear. ueluti ſi percontatus eſſem, quiſnam pictorum ſit Zeuſis: tuq; reſpondiſſes animalia pingens: nonne iuſte peterem, qualia potiſsimum animalia & quo pacto pingat? GOR. Iuſte admodum. SOC. Num propterea quia & alij ſunt pictores, alia ſimiliter animalia multa pingentes? GOR. Ob hoc ipſum. SOC. Quod ſi alius nullus præter Zeuſim pingeret, recte undiq; reſpondiſſes. GOR. Quid ni? SOC. Age iam & rhetorica dicas utrum ſola hæc uideatur perſuadere, an aliæ quoq; artes. Eiuſmodi uero quidpiam dico: quiſquis aliquid docet: utrum quod docet idem etiã perſuadeat nec ne? GOR. Perſuadet profecto. SOC. Rurſus autem in eiſdem artibus quas pauloante commemorabamus, ita conſideremus. Arithmetica nonne quæcunq; ad numerũ pertinent, docet: arithmeticusq; ſimiliter? GOR. Proculdubio. SOC. Nonne & perſuadet? GOR. Certe. SOC. Ergo & arithmetica perſuaſionem efficit. GOR. Apparet. SOC. Proinde ſiquis interrogauerit quam perſuaſionem, & circa quid efficiat, reſpondebimus, præceptoriam uidelicet circa par & impar, quot utraq; ſint. Poterimus ſimiliter cæteras quoq; artes quas modo referebamus, oſtendere perſuaſionis effectrices eſſe & cuius et circa quid

Optimũ bene ualere
Secũdũ forte moſum eſſe
Tertiũ habere diuitias nulla fraude quæſitas

Altera definitio Rhetorices mala

Trãslatio diſputationis

maxime,nónne? GOR. Ita. SOCR. Quamobrem non ſola rhetorica perſuaſionis eſt artifex. GOR. Vera narras. SOCR. Cum ergo non ſola id faciat, ſed & artes aliæ,haud iniuria, quod de pictore, ſi deinceps de rhetorica quoque percontaremur: qualis perſuaſionis, & circa quid effectrix ſit rhetorica,percontaremur,nónne iuſta tibi uidetur interrogatio? GOR. Mihi quidem. SOCR. Reſponde igitur ô Gorgia, quandoquidem tibi uidetur. GOR. Huius equidem ô Socrates magiſtram dico rhetoricam quæ in iudicijs cœtibuſq; alijs ut pauloante dicebam, atq; de iuſtis & iniuſtis adducitur. SOC. Atqui & ipſe perſuaſionem hanc te dicere ſuſpicabar. ſed ne admireris ſi deinceps tale aliquid te rurſus interrogauerim. quod quamuis uideatur eſſe perſpicuũ tamen repetam.nam ut dixi, non tui cauſa id requiro,ſed ut diſputatio ſuo quodam ordine peragatur: ne aſſueſcamus ſubintelligendo ea inuicem quæ forent diſcutienda prærípere. GOR. Et recte quidem facere mihi uideris. SOCR. Age uero & hoc conſideremus. num uocas aliquid diſcere? GOR. Voco. SOC. Quid rurſus? aliquid credere? GOR. Et hoc. SOCR. An igitur diſcere idem quod credere eſſe putas,idemq; diſciplinam atq; credulitatem,an aliud? GOR. Aliud equidem eſſe arbitror. SOC. Recte quidem putas. Hinc uero cognoſces: ſi quis enim percontetur eſt ne credulitas quædã falſa & quædam uera,ut arbitror conſentires. GOR. Certe. SOC. Quid uero? ſcientia eſt uera & falſa? GOR. Nequaquam. SOC. Conſtat igitur non eſſe idem. GOR. Conſtat. SOC. Veruntamen & illis qui didicerunt, & illis qui credi derunt, iam eſt perſuaſum. GOR. Sic eſt. SOC. Vis' ne ergo duas perſuaſionis ſpecies eſſe ponamus,quarum altera quidem abſque ſcientia præſtat fidem,altera uero ſcientiam? GOR. Prorſus. SOC. Vtram uero perſuaſionem affert rhetorica in iudicijs alijsq; cœtib. de iuſtis iniuſtis' ue rebus? Num ex qua homines abſq; ſcientia credant,an ex qua ſciant? GOR. Perſpicuum eſt ex qua audientes ad fidem adducantur. SOC. Itaq;,ut uidetur, rhetorica perſuaſionis eius eſt artifex quæ credulitatem potius quàm doctrinã circa iuſtum uel iniuſtum præſtat. GOR. Certe. SOCR. Orator ergo non docet in iudicijs alijsq; turbis iuſta, & iniuſta, ſed fidem duntaxat inducit. Neque enim poſſet turbam tantam res tam grandes tam breui tempore edocere. GOR. Non certe. SOC. Age iam quid de rhetorica dicendum ſit, uideamus. Ego enim nondum ſatis quid dicturus ſim intelligere poſſum. quando enim publice de medicorum electione tractabitur:aut de nauium aliarum' ue rerum opificibus eligendis, tunc fortè conſultare ad oratorem non pertinebit. Patet enim in huiuſmodi electionibus peritiſsimum quenq; eius artis eligendũ eſſe, neq; rurſus cum de conſtruendis muris,uel portuum diſpoſitione,uel nauium apparatu conſultabitur:oratoris officium erit conſulere, ſed architecti. Quinetiam neq; cum de eligendo imperatore, aut de exercitu aduerſus hoſtes inſtruendo, aut de occupandis locis deliberabitur: ſed ad duces exercitus conſultatio pertinebit,ad oratores uero nequaq;. Quid ad hæc dicis Gorgia? Nempe cum & rhetor eſſe profiteaˢis, & alios poſſe rhetores facere, præſtat nimirũ ea quæ tuæ artis ſunt à teipſo ſciſcitari atq; accipere. Et me quidẽ nunc rem tuam agere putato. Fortè enim inter eos qui intus ſunt adeſt aliquis qui diſcipulus tuus eſſe cupiat:quales ego quoſdã & quidem frequẽtes ſentio: quos hæc à te quærere fortè deterret pudor. A me ergo rogatus ab illis quoq; hunc in modum interrogari exiſtimato. Quidnam reportabimus ſi in tuã nos tradiderimus diſciplinam? quibus de rebus Reip.conſulere poterimus? nunquid de iuſto ſolum & iniuſto? an præterea de his quæ modo Socrates adducebat? Da operã ergo Gorgia ut his reſpõdeas. GOR. Conabor equidẽ omnem tibi rhetoricæ facultatẽ planius explicare, ipſe enim perbelle ad id nos deduxiſti. Scis uticq; hæc naualia & mœnia Athenarum portuſq; diſpoſitionem partim Themiſtoclis,partim Periclis non opificum conſilio eſſe conſtructa. SOC. Feruntur hæc ô Gorgia de Themiſtocle. Periclem uero ipſe audiui de muro medio conſtruendo ciuitati perſuadentem. GOR. Præterea quoties de electionibus quas tu modo referebas deliberatur,uides oratores ipſos conſulere,eorumq; in his rebus præferri ſententias. SOC. Hæc equidẽ admirans iamdudum à te de rhetoricæ poteſtate perquiro. Nã hæc cogitanti mihi diuina quædam poteſtatis eius magnitudo uideˊ. GOR. O ſi cũcta eius artis perſpecta eſſent tibi Socrates cernas profecto hanc omẽs,ut ſummatim dicam,ſub ſe uires ac facultates cõplecti, cuius quidem rei magnũ tibi afferam argumẽtum. Sæpe iam cum fratre meo alijsq; medicis ad aliquem ægrotantium ingreſſus, cum ille uel pharmacũ nollet bibere,uel ſecãdum urendum' ue

Perſuaſio duplex

Cõcluditur Rhetorica perſuadere ſolum non docere

dum' ue ſe medico non permitteret,neq; perſuaderi poſſet à medico: ego perſuaſi nõ alia quàm rhetoricæ facultate. Quo magis aſſero, ſiquam urbem rhetor acceſſerit atq; medicus,certeturq; inter eos uerbis in cõcione uel in alio quouis cœtu, uter ſit pro medico eligendus,rhetorne an medicus, fore ut medicus quidem nuſquam appareat: eligatur autẽ ſi modo uelit,dicendi peritus. Eademq; ratione ſi aduerſus alium quemuis artificem rhetor decertet,obtinebit ut ipſe potius q̃ alius quicunq; tandem ſit eligatur. Nihil enim eſt de quo non maiori cũ perſuaſione rhetor q̃ quiſquã artificum uulgo loquatur. Potentia ergo artis huius tanta eſt atq; talis.decet tamen ita rhetorica uti quemadmodum & omni alia facultate certandi. Neq; enim is quis pugnis lacertis' ue & armis ita pugnare didicerit ut amicis & inimicis ſuperior poſsit euadere,ob hos aduerſus oẽs æque certare debet, ut amicos etiã percutiat, pungat, occidat:nec etiam per Iouẽ ſiquis palæſtra exercitatus pugil corporis robur acquirat, deinde parẽtes aut aliquẽ alium domeſticorũ & amicorũ pulſet: propterea pædotriuas & eos qui armis pugnare docent, odio habere,& ex urbibus expellere decet.Illi enim hæc tradiderunt,ut hęc ubi didiciſſent,contra hoſtes & eos qui inferrent iniuriam uterentur,auertentes uidelicet nõ inferẽtes.Nõnulli uero hæc peruertunt ac robore arteq; abutunt:ſed non propterea qui docuerũt improbi ſunt iudicandi,neq; ars culpãda malaq; habẽda,ſed meo quidẽ iudicio qui ſiniſtre utũtur: eadẽ quoq; de rhetorica ratio eſt.Poteſt enim aduerſus oẽs & qualibet de re orator dicere,adeo ut apud multitudinẽ facile admodũ de re qualibet perſuadẽdo fiat ſuperior. At uero ſi quiſpiam adeptus rhetoricã deinde iniuſte parta facultate utatur, non eum qui docuit odiſſe atq; urbe expellere decet:ut qui ad iuſtum uſum tradiderit, hic uero in partẽ contrariã ſit uſus.Qua,ppter eum qui abutit' odiſſe, in exiliũ mittere & interimere etiã par eſt: præceptorem uero nequaq̃. SOC. Arbitror te Gorgia multis diſputationibus interfuiſſe, idq; in eis iam cõpertum habere,eos uidelicet qui inter ſe diſputant,haud facile poſſe cum diſcrepare cœperint,ſic abire rem ipſam definientes ut ſe inuicẽ ſolũ doceãt atq; diſcãt:ſed ſi de aliquo cõtendant,neq; cõcedãt alter alteri,ut uel uere uel perſpicue loquant',excandeſcunt,& per inuidiã dictũ putant,certantes ſimul, non aũt quod erat propoſitũ perquirentes. Nonnunq; uero tandẽ adeo turpiter diſcedunt cum iurgijs mutuisq; maledictis, ut etiam pœniteat pigeatq; auſcultantes q eiuſmodi homines audiẽdos putauerint. Sed quorſum hæc? dices.quoniã non mihi uideris ſatis nunc cõſentanea & cõſona dicere his quæ prius de rherorica ꝓtuleras. Vereor tamẽ arguere, ne me arbitreris nõ tam rei declarandæ,q̃ tui gratia decertare. Quod ſi ex eorũ numero es,è quorũ ſum ego,libenter abs te quę inſtitui perquirã,ſin minus,dimittã. Verũ ſi quorũ ego ex numero ſim quæras, reſpondebo ex ijs qui libẽter redargui patiunt',ſi quid falſum ineptũue dicãt,libẽter etiã redarguũt, ſi quid ab alio minus uere dicat', quibusq; nõ minus reprehẽdi q̃ reprehendere gratũ eſt. Tanto em̃ maius id eſſe bonũ exiſtimo, quanto maius bonũ eſt maximo quodã liberari malo, q̃ alios liberaſſe. Nihil enim tam pernicioſum hominibus arbitror q̃ opinionem falſam,in his uidelicet rebus de quibus prẽſens à nobis ſermo eſt inſtitutus. Itaq; ſi & te eſſe talẽ affirmas,age diſputemus:ſin uero dimittendũ cenſes,dimittamus iam,cœtumq; ſoluamus. GOR. Dico profecto ô Socrates me quoq; eiuſmodi eſſe, qualem modo deſcribebas:ſed fortè aliorũ qui adſunt,ratio eſt habẽda. Iamdudum enim antequam uos accederetis,his multa narraui.Et nũc fortè ſi diſputare pergamus,mora longior protrahetur. Quãobrem cauendũ eſt ne hos dum aliud facere quippiam inſtituunt, detineamus. CHAE. Clamorẽ Gorgia & Socrates diſſertationi huic intereſſe cupientiũ auditis, mihi certe nullum negotiũ tanti ſit ut diſputationi huic à uobis inſtitutæ quid aliud anteponam. CAL. Per Iouẽ ô Chærepho ego quoq; cum multis diſputationib. interfuerim, neſcio an unquã æque ac nunc fuerim delectatus:ideoq; etiã ſi diem totã diſputando cõtriuerint erit mihi pergratũ. SOC. Atqui ô Callicles quantũ ad me attinet,nihil modo uelit Gorgias obſtabit. GOR. Turpe quidẽ ô Socrates deinceps mihi fuerit, ſi diſputationẽ detrectem: præſertim cũ ab initio iuſſerim omẽs de quo quiſq; uellet interrogare. Itaq; ſi placet præſentibus,diſputa & quicquid libuerit percõtare. SOC. Audi iam ô Gorgia quę in tuis uerbis admirer. Fortè enim cũ tu recte dicas, ego ſecus accipio. ais rhetorẽ poſſe te,ſiquis à te diſcere uelit,efficere. GOR. Aio equidẽ. SOC. Non ut de omnibus in turba probabiliter dicere ualeat docendo ſed ſuadẽdo. GOR. Ita prorſus. SOC. Addebas præ-

Mos Socratis in diſputatione

Malũ maximum hominibus opinio falſa

terea rhetoricũ de ſanitate plus ꝙ medicũ perſuadere. GOR. Dixi profecto, ſed in turba. SOC. Idem eſt itaq; in turba, q̃d inter ignorãtes? Nunquã enim apud eos qui ſciũt, magis ꝙ medicus de ſanitate perſuaderet. GOR. Vera narras. SOC. Nónne ergo ſi plus ꝙ medicus perſuadẽdo ualebit, ſciẽtia etiã prædituũ perſuaſione ſuperabit? GOR. Omnino. SOC. Ipſe tamen nõ medicus. GOR. Nõ. SOC. Ac ſi nõ medicus, ergo & inſcius eorũ quæ intelligit medicus. GOR. Proculdubio. SOC. Quare imperitus ſciente apud neſciẽtes facilius perſuadebit, quando rhetor medicũ ſuadendo excellit. ita ne ſequit? GOR. In his certe ita ſequitur. SOC. Nónne in cæteris quoq; artibus rhetor atq; rhetorica ſe habet ſimiliter: ut ad rhetoris facultatẽ nihil attineat cuiuſmodi res ſit noſſe, ſed artem quandã ſic ad perſuadendum excogitare, ut apud imperitos magis ſcire ꝙ ipſi rerum ſingularũ artifices appareat? GOR. Nõne magna eſt hęc facultas? eos uidelicet qui alias nunquã artes attigerint, ſed hanc ſolam, nihil tamen alijs cognitione eſſe inferiores. SOC. Vtrum orator ob hanc unã facultatẽ cæteros excellat uel ſupereſ ipſe, paulo poſt inquiremus, ſi quid cõducere diſputationi uidebit. Nunc aũt hoc prius cõſideremus, an in iuſto & iniuſto, honeſto & turpi, bono & malo, ita cõparatus ſit orator, quẽadmodũ in ſalubrib. atq; alijs quæ ad alias artes attinent cæteri: ut ſcilicet utrũ bonũ ne an malũ ſit quidpiã ignoret, pulchrumq; uel turpe, aut iuſtũ uel iniuſtũ: perſuaſionẽ uero quandã ita de rebus huiuſmodi machinetur, ut ignorãs ipſe inter imperitos ſcire magis ꝙ ſcientes uideat: an forte neceſſe eſt hæc eum noſſe, oportetq; hac facultate iã parta ad te ꝓficiſci qui ſit futurus orator. Qd ſi huiuſmodi rerũ ſciẽtiã nõ afferat ſecũ, tu quidẽ præceptor rhetoricę talia nõ docebis: nõ em̃ tui id eſt officij hæc ut doceas: efficies aũt ut uulgo rerũ eſſe eiuſmodi uideat peritus, cũ neſciat: appareatq; bonus cũ ſit minime. An om̃ino rhetoricã docere nõ poteris, niſi priꝰ horũ ueritatẽ fuerit cõſequutus? aut quo ſe modo hæc habẽt Gorgia? precor per louẽ ut quẽadmodũ pauloante cœpiſti rhetoricę nobis tandẽ poteſtatẽ aperias. GOR. At em̃ ſi forte quis ignoret, eũ à me percepturũ ea arbitror. SOC. Subſiſte, recte em̃ dicis: ſi quẽ tu rhetorẽ feceris, oportet eũ iuſta iniuſtaq; ſcire uel anteq; ad te accedat, aut poſtea à te perdiſcere. GOR. Om̃ino. SOC. Quid uero? qui ea quæ ad fabricã ſpectant didicerit, nõne faber eſt? GOR. Eſt. SOC. Et qui muſicã, muſicus? GOR. Ita. SOC. Et qui ea quæ ad medicinam pertinẽt, medicus? Atq; in cęteris eodẽ pacto: quiſquis didicerit aliquid, talis euadit qualẽ cuiuſq; ſciẽtia reddit? GOR. Om̃ino. SOC. Nõne igit̃ per hãc rationẽ iuſtus erit qui cunq; iuſta didicerit? GOR. Maxime. SOC. Iuſtus aũt iuſta facit. GOR. Ita eſt. SOC. An nõ ergo neceſſe eſt rhetorẽ eſſe iuſtũ? iuſtũ uero uelle iuſta agere? GOR. Apparet. SOC. Nũquã ergo uolet iuſtus iniuriã facere. GOR. Nunq̃. SOC. Rhetoricũ quidem neceſſe eſt ex præcedẽti ratione iuſtũ eſſe. GOR. Neceſſe. SOC. Reminiſcere te pauloante dixiſſe nõ oportere pędotriuas criminari atq; expellere: ſi quis pugil certamine pugilatorio male utatur inferatq; iniuriã: atq; eodẽ pacto, ſi qs orator iniuſte utat̃ rhetorica, nõ illũ qui docuerit eſſe accuſandũ & expellendũ, ſed iniuſta agentẽ, neq; rhetorica recte utentẽ. Dicta' ne hæc ſunt, an nõ? GOR. Dicta. SOC. Nũc aũt ipſe orator nunquã uideť facturus iniuriam. GOR. Nunquã. SOC. Atqui in ſuperioríb. dictũ eſt, circa ſermones uerſari rhetoricã, non de pari quidẽ & impari, ſed de iuſto atq; iniuſto. GOR. Certe. SOC. Ego igitur cũ tu hæc diceres, rhetoricã nunquã eſſe rem iniuſtã exiſtimaui: quæ ſemper de iuſtitia uerba faceret. Poſtq; uero paulopoſt diceres, ſi orator iniuſte rhetorica uteret: ſtatim admiratus, atque ratus nõ eſſe cõſentanea inter ſe quæ abs te dicebant̃, hũc protuli ſermonẽ: ut ſi redargui nõ inutile fore putares, ueluti ego puto, operæpreciũ foret ut diſſererem⁹: ſin minus, dimitteremus. Deinde uero re propius pẽſiculata, ut te nõ latet, in cõfeſſo fuit, fieri non poſſe ut rhetor rhetorica utat̃ iniuſte, uelitq; iniuriã inferre. Ad hæc aũt ſatis qua ratione ſe habeãt diſcernẽda, per canẽ Gorgia nõ parua opus fuerit diligẽtia. POL. Etiam' ne aũt ſic de rhetorica ſtatuis, ut nũc ais, an aliter? an magis putas Gorgiã pudore quodã adductum cõceſſiſſe tibi rhetorẽ iuſta, honeſta, & bona etiã noſſe: tum ſi quis earũ rerũ imperitus ad ipſum accedat, eum ſe eſſe docturũ? Ex qua forſitan cõceſſione deinde contrariũ aliquid in diſputãdo ſequutũ eſt. Hoc tu quidẽ nimium ſtudioſe captas ô Socrates, dum interrogando ad huiuſmodi reſpõſa perducis. Nam quẽ arbitraris negaturũ fuiſſe tibi iuſta ſe ſcire, alioſq; eſſe docturũ? Verũ magna ruſticitas eſt ad hæc interrogãdo deducere. SOC. Ob hanc ipſam cauſam pulcherrime mi Pole amicos nobis & filios comparamus: ut

ut si quando in senectute peccemus, iuniores uos præsentes uitam nostram & uerbis & operibus corrigatis. Et nũc si quid me & Gorgiam in disputando fefellit, ipse præsens emenda. Sic enim debes, atq; ego lubens tibi permitto, ut si quid eorum quæ cõcessa sunt, non recte concessa putes, id tuo arbitratu permutes, dummodo mihi id unum deuites. POL. Quid hoc ô Socrates? SOCR. Prolixitatem sermonis illam quam ab ipso disputationis initio incœptabas. POL. Quid ita? nónne mihi quantum uoluero loqui licebit? SOC. Graui nimiũ iniuria afficereris ô Pole, si profectus Athenas ubi totius Græciæ maxima est loquendi libertas, solus ipse hoc in loco potestatem loquendi pro arbitrio nõ haberes. At è diuerso, uidelicet si te prolixe loquente, neq; uolente ad interrogata respondere, non liceret abire mihi, teq; audire nolle: nõne ego quoq; grauia paterer, si nõ abire mihi, tuæq; orationi auscultare nolle permitta? potestas? Verum siqua tibi disputationis huius est cura, eamq; corrigere uoles, quemadmodũ modo dicebam, retractans quod tibi retractandum uidetur, rogansq; uicissim atq; respondens, ut ego Gorgiasq; fecimus, redargue me, ac te redargui patiare. An autem te quoq; scire, quæ & Gorgias se scire profitet, affirmas? POL. Dico equidem. SOC. Et iubes ut de quo quisq; uelit, à te quærat, tanq; ab homine qui respondere sciat? POL. Certe. SOC. Nunc ergo alterutrum tuo arbitratu facias, uel quære, uel responde. POL. Faciam equidem, atq; mihi respõde ô Socrates: quando Gorgias circa rhetoricã tibi nõ satisfacit, tu ipsam quam esse dicis? SOC. Interrogas ne quam artem esse putem? POL. Idipsum. SOCR. Nullam ô Pole, ut uera tibi loquar. POL. Quid igitur tibi uidetur esse rhetorica? SOC. Res quã tu dicis fecisse artẽ in eo libro quẽ nuper legi. POL. Quidnam dicis? SOC. Peritiam quandam. POL. Peritia ergo tibi uidetur esse rhetorica? SOC. Mihi quidem, nisi tu aliud dixeris. POL. Cuius uidetur rei peritia? SOC. Gratiam quandam uoluptatemq; pariendi. POL. Nónne igitur pulchrum quiddã existimas esse rhetoricam, cum apud homines comparare gratiã possit? SOC. Quid ô Pole? audiuisti iam quid illam esse dicam, quid deinceps interrogas utrum pulchram esse putem? POL. Nónne te audiui dicentem esse peritiam quandam? SOC. Vis ne igitur quãdo quidem gratiã magnifacis, paulum quid mihi gratificari? POL. Volo. SOC. Interroga me nunc, quam artem esse coquinariam putem. POL. Ecce interrogo: quænam ars coquinaria est? SOC. Nulla. POL. At quid? SOC. Peritiã quandam esse dico. POL. Quænam peritia est? SOC. Gratiam uoluptatẽq; pariendi. POL. Idem ne est coquinaria atq; rhetorica? SOC. Nullo pacto, sed eiusdem studij particula. POL. Cuius studij? SOC. Vereor ut sit durius ueritatẽ dicere Gorgiæ causa, ne fortè me suum uituperare studiũ arbitretur. Ego ẽm utrum hæc rhetorica sit quam Gorgias exercet, nescio: nam ex hac disputatione nihil nobis patefactũ est, quid tandẽ ipse putes. Sed quod ego appello rhetoricã, rei cuiusdã particula est nequaq; honestæ. GOR. Cuiusnã Socrates? dic age, nihil mea causa ueritus. SO. Videtur mihi studium esse quoddã, non artificiosum quidẽ, sed sagacis animi aptiq; natura atq; potentis ad humanam consuetudinẽ sibi conciliandam. Appello autem summam caputq; eius adulationẽ. Huius autem studij multa uidentur mihi esse membra. Vnũ quidem coquinaria, quæ quãuis esse ars uideatur, meo tamẽ iudicio nulla est, sed peritia quædam usu comperta. Eiusdẽ præterea particulam rhetoricã quoq; esse dico: & fucatoriam, quæ mangonica dicit, & sophisticã. Has utiq; particulas quatuor, ad res quatuor pertinere. Si ergo Polus quærere uult, quærat. Nondũ enim audiuit qualẽ adulationis particulã rhetoricã esse dicam: nec animaduertit ad id me nondũ respondisse. Itaq; interrogat utrũ pulchram existimẽ, nec ne. Ego uero utrum pulchrũ aliquid uel turpe rhetoricã esse rear, non prius respondebo, q̃ quid ipsa sit, aperuerim. Non enim aliter respõdere decet Pole. Quod si audire uoles, percontare qualẽ adulationis particulam rhetoricã esse dicam. PO. Quæro iam abs te, qualis particula? SOC. An me respõdẽte perdisces? Est, ut opinor, rhetorica particulæ ciuilis simulachrũ. POL. Quid ergo? pulchrũ ne, an turpe quiddã ais esse? SOC. Turpe: siquidẽ mala esse turpia dico, quando quidẽ tibi, tanq; eorum quæ iam dico non ignaro, me respondere oportet. GOR. Per Iouem non satis quæ dicis, intelligo. SOC. Nec iniuria quidẽ Gorgia, nondũ ẽm satis expressi. Polus aũt iste iuuenis est. GOR. At hũc mitte, mihi uero responde quo pacto dicas rhetoricã ciuilis particulæ simulachrũ esse. SOC. Conabor exprimere quid mihi uideat esse rhetorica. Sin uero aliter se habeat negocium, Polus iste redarguat. Corpus appellas aliquid atq; animam? GOR. Quidni?

Rhetorica ars nulla est

Rhetorica est peritia gratiã quandam uoluptatẽq; pariendi

Studium quoddã inartificiosum

Coquinaria, rhetorica, fucatoria, sophistica particulæ sunt inartificiosi studij, cuius caput summa est adulatio

Rhetorica particulæ ciuilis simulachrum

SOC. Horum uero nonne putas aliquam utriuſq; bonam habitudinem? GOR. Puto equidem. POC. Præterea habitudinẽ aliquam apparere bonam, cum minime ſit? Dico autem nonnihil eiuſmodi: multi corpus bene affectum habere uidẽtur: quorum malam ualetudinem habitudinemq; haud facile quiſquam præter medicum, gymnaſiiq; magiſtrum deprehendat. GOR. Vera narras. SOC. Tale quiddam & in corpore & in anima eſſe dico, quod quidem facit ut & corpus & anima recte ualere uideant̃, cum non bene ſe habeant. GOR. Ita eſt. SOC. Age uero ſi potero, clarius quod dixi, explicabo. Cum res duæ ſint, artes eſſe geminas arbitror: & artem quidem ad animam pertinentem, ciuilem nuncupo: eam uero quæ ad corpus, nomine uno nominare non poſſum: ſed huius artis unius quæ curat corpus, duas pono particulas: alteram quidem gymnaſticam, alteram medicinam. In ciuili uero nomotheticam, ſcilicet conditricem legum pono correſpondentem gymnaſticæ: & iuſticiam ſcilicet iudiciariam, medicinam quodammodo referentem. Communicant uero inuicem, utpote quæ circa idẽ ſunt, medicina atq; gymnaſtica, rurſusq; iudiciaria atq; legalis. Veruntamen inter ſe etiam differunt. Cum uero hę quatuor ſint, ſemperq; quod optimum curent, hæ quidem corpus, illæ animam: facultas adulatoria id ſentiens, non cognoſcens quidem, ſed coniectans, ſe quadrifariam diuidit, ſingulasq; ſubit particulas, ſimulans id ſe eſſe quod ſubijt: & optimi quidem nullam habet curam, ſed ſemper eo quod dulciſſimum eſt, quaſi hamo incautam illaqueat mentem, & uſqueadeo decipit, ut plurimi apud eam æſtimanda uideatur. Medicinam quidem coquinaria ſubiens, ſimulat optimos ſe cibos corpori adhibere. Quamobrem ſi uel inter pueros, uel uiros admodum pueriles contendere oporteret coquum atq; medicum, uter eorum de bonis malis ue cibis plus intelligat, medicus quidẽ fame periret. Id ergo adulationem uoco, ac turpe ô Pole, quiddam exiſtimo: Id enim aduerſus te dico. Propterea q; abſq; ulla optimi ratione uoluptatem aucupatur. Neq; artem eam eſſe dico, ſed peritiam quandam: quoniam nullam eorum quæ affert qualia ſint natura habet rationẽ: quo fit ut nullius rei cauſam poſſit afferre: quare artem nõ appello, quæ careat ratione. de quibus tamen ſi ambigis, rationem me tibi polliceor redditurum. Ita q; medicinã, ut dixi, coquinaria adulatio ſubit: Gymnaſticam uero ſimiliter fucatoria, res noxia, fallax, ingenerosa, illiberalis, figuris, coloribus, lineamẽtis, ſenſu quodam ita decipiens, ut propter extrinſecũ fucum propriam ueramq; formam quæ fit per gymnaſticam, negligamus. Cæterum ne ſim prolixior, more geometrico dicam. ſic enim forte iam aſſequeris. Profecto quod fucatrix ad gymnaſticam, id ad medicinam eſt coquinaria: immo uero ſic. Quod fucatrix ad gymnaſticam, hoc ſophiſtica ad legalem: rurſusq; quod coquinaria ad medicinam, id rhetorica eſt ad iudiciariã. Veruntamen, ut dicebam, ita natura diſtinguuntur: ac etiam tanquam propinquæ miſcentur inuicem in eodem & circa eadem, ſophiſtæ uidelicet & rhetores: nec utilitatem reſpiciunt aliquam, quam uel pro ſeipſis, uel pro alijs ſequantur unquam. Nam ſi animus corpori non præeſſet, ſed ipſum ſibi: neq; ab eo perſpiceretur, diſcerneretur q; coquinaria & medicina, ſed corpus ipſum gratia uoluptateq; ſua hæc perpẽderet, illud Anaxagoræ prorſus accideret amice Pole: horum enim habes peritiam: omnia uidelicet in eodem indiſcreta cõmiſcerentur, & quæ ad medicinam pertinent & ſalutem, & quæ ad coquinariam attinent. Audiuiſti iam quid ego rhetoricam eſſe dicam: rem uidelicet coquinariæ reſpondentem, talemq; in anima qualis illa eſt in corpore. Fortaſſis abſurde feci qui tibi prolixitatem prohibens, ſermonem ipſe longum extenderim: ubi tamen uenia dignus ſum: quia ſi breuius eſſem loquutus, minime percepiſſes, neq; reſponſio tibi mea ſatisfeciſſet: ſed expoſitione rurſus indiguiſſes. Si ergo nec ego te reſpondente aſſequi ualeo, tu quoq; extende ſermonem. Si ualeo, permitte me reſponſione tua uel mea (ſic enim æquum eſt) pro arbitrio uti. Et nunc quidem ſi quo pacto reſponſione hac opportune uti potes, utere. POL. Quid igitur ais? adulatio ne tibi uidetur eſſe rhetorica? SOC. Equidem adulationis particulam eſſe dixi. Non meminiſti Pole, quum ſis huius ætatis? quid forte poſthac facies? POL. An boni rhetores uidentur tibi quemadmodũ adulatores in ciuitate contemni? SOC. Interrogationem hanc facis? an orationem aliquam exordiris? POL. Interrogo equidem. SOC. Nulla exiſtimatione mihi digni uidentur. POL. Quomodo nulla? nónne plurimum in ciuitatibus poſſunt? SOC. Minime. ſi potentiam bonum aliquid eſſe dicis ei qui poteſt. POL. Dico certe. SOC. Oratores ergo minimum omnium in re-

Quod caret ratione non eſt ars

Ars omnis cũ ratione

Adulationes ſubeunt artes

Coquinaria

Fucatoria

Sophiſtica

Rhetorica

Medicina

Gymnaſtica

Legalis

udiciaria

in repub. posse mihi uidentur. POL. Quid ais? Nónne quemadmodum tyranni occidunt quem uolunt, & expoliant patrimonio, pelluntq; ex urbe? SOCR. Per canem in singulis quæ dicis, ambigo, utrum sententiã explices tuam, an quæras meam. POL. Quæro equidem tuam. SOC. Esto amice: deinde duo simul à me quæris. POL. Quonam pacto duo? SOC. Nõne dicebas modo oratores occidere tyrannorum more quoscunq; uelint, & fortunę bonis expoliare, atq; etiam in exilium eijcere? POL. Equidem. SOC. Dico itaq; tibi, has duas interrogationes esse, respondeoq; ad utrasq;. Assero equidem tam rhetores q̃ tyrannos minimam in ciuitatibus obtinere potentiam: quemadmodum pauloante dicebã. Nihil enim, ut ita dixerim, facere ex his quæ uolunt, facere tamen quod sibi opinantibus optimum uideatur. POL. Nonne hæc magna potentia? SOC. Certe, ut ait Polus. POL. An ego nõ dico? Dico equidem certe. SOC. Per Iouem non dicis, quando quidẽ magnam potentiam dixisti ei qui potest, esse bonum. POL. Id quidem dico. SOC. Bonum ne igitur esse ais, si quis ea fecerit quæ sibi optima uideantur mente capto, atque id magnam dicis esse potentiam? POL. Non certe. SOC. Nónne igitur ostendendũ tibi est, oratores habere mentem, atq; rhetoricã non adulationẽ quidem esse, sed artem, quo me conuincas? Alioquin nisi id ostendens me arguas, oratores & tyranni facientes quicquid faciendũ sibi uidetur in ciuitate, nullum propterea bonum consequentur. Siquidem potentiam habere, ut ipse ais, est bonum: Facere uero quicquid uideatur absq; mente, ipsemet confiteris esse malum. Nónne ita? POL. Ita certe. SOC. Quonam igitur pacto oratores uel tyranni magna in repub. possunt: nisi Socrates conuinctus à Polo, illos quæ uolunt facere, fateatur? POL. En uir. SOC. Nego eos facere quæ uolunt: tu uero me redargue. POL. An non pauloante confitebaris, quæ sibi bona uidentur, eos facere? SOCR. Et nunc rursus confiteor. POL. An nõ ergo faciunt quæ uolunt? SOC. Non, ut arbitror. POL. Faciunt tamen quæ sibi uidẽt. SOC. Concedo. POL. Molesta ô Socrates, & incredibilia dicis. SOCR. Ne me accuses pulchre Pole, ut appellem te secundũ te. Verum siquid habes quod inquiras, errorem meum redargue: sin minus, ipse responde. POL. Sed respondere malo, ut quid dicas intelligã. SOC. Vtrũ ergo tibi uidẽt homines id uelle quod ubiq; agũt? an potius illud cuius gratia agunt? ueluti qui pharmaca à medicis accepta bibunt, utrum tibi id uidẽtur ipsum uelle quod faciunt, uidelicet pharmacũ bibere, & asperitatem eius perferre: an sanitatem potius cuius gratia bibunt? POL. Manifestũ est eos fieri sanos uelle, cuius gratia potionem sumunt. SOC. Nõne & qui nauigant, aut aliud negociũ lucri causa obeũt, non id uolunt quod faciunt? quis enim nauigare, subire pericula, molestias habere uelit? sed illud uolunt, ut arbitror, cuius gratia nauigant. diuitias scilicet, harum enim gratia nauigant. POL. Maxime. SOCR. An non in omnibus quoq; similiter, quisquis aliquid alicuius agit gratia, nõ id uult quod agit, sed illud cuius gratia agit? POL. Ita uidetur. SOC. An est ex omnibus aliquid, quod non aut bonũ sit, aut malum, aut horũ medium, neq; bonũ scilicet, neq; malum? POL. Nihil omnino. SOC. Nonne bonum quidem dicis sapientiam, sanitatẽ, diuitias, aliaq; generis eiusdem? Mala uero horũ contraria? POL. Equidẽ. SOC. Quæ uero neq; bona sunt, neq; mala, talia quædam dicis, quæ quandoq; boni, quandoq; mali participia sunt, quãdoq; neutri: ueluti sedere, ire, currere, nauigare. Rursus ueluti lapides, ligna, cæteraq; similia. Nónne talia quædam esse dicis: quæ neq; bona appelles, neque mala? POL. Talia certe. SOC. Vtrum igitur media hæc bonorũ agunt gratia, quoties agunt: an bona gratia mediorum? POL. Media bonorũ gratia. SOC. Ergo sequentes bonum, uadimus, præstare id existimantes: & uicissim quiescimus, quãdocunq; quiescimus, ob idipsum bonum. Nonne ita? POL. Ita prorsus. SOC. Præterea si quos occidimus, eiusdẽ gratia occidimus: similiterq; expellimus, atq; rapimus, putantes præstare ut talia à nobis fiant. POL. Proculdubio. SOC. Quamobrẽ boni gratia hæc faciunt omnia quæcunq; faciunt. POL. Assentior. SOC. An non inter nos conuenit, non quæ alicuius gratia agimus, uelle, sed illud cuius hæc gratia agimus? POL. Maxime. SOC. Itaq; non iugulare simpliciter omninoq; uolumus, neq; expellere, neq; pecunias rapere: uerũ si conducant hæc, facere uolumus: si noceant, nolumus. Bona enim uolumus, ut ipse ais. Quę uero neq; bona, neq; mala sunt, nõ ꝓprie uolumus, neq; mala. Videor ne tibi Pole, uera loqui? an nõ? Quid nõ respondes? POL. Vera. SOC. Quãobrem si in his cõsentimus, si quis quempiam interfecerit, uel urbe eiecerit, uel priuauerit patrimonio, siue tyrannus ille sit, siue orator, putans

Quisquis aliquid alicuius gratia agit: non id uult quod agit, sed illud cuius gratia agit. Negatiua disiunctiua ponitur: ut quęratur de aliquo ꝙ fortè non sit in disiuncti ua

putans id melius sibi fore, cum tamen sit peius, is utique faciet quæ sibi uidentur, nónne? POL. Certe. SOC. Nunquid etiam quæ uult, siquidē hæc sint mala? quid non respondes? POL. Non uidetur mihi quæ uult facere. SOC. Quanam igitur ratione uir talis magnā habet in repub. potestatē? siquidem magna potestas bonum quiddam est, ut ipse etiam confiteris. POL. Nullo pacto. SOC. Vera ergo dicebam, fieri posse ut sit qui in ciuitate quæ sibi uidentur, efficiat, neq; tamen magnam potentiam habeat, neq; quæ uelit, agat. POL. Quasi uero tu non optes licentiā habere faciēdi quicquid tibi uideatur in ciuitate potius q̄ non habere, neq; affectes talis esse quales nonnullos uides, uel interficientes, uel expoliantes, uel conīcientes in uincula quoscunq; et quandocunq; sibi uidetur. SOC. Iuste ne dicis, an iniuste? POL. Quomodocunq; id fiat, nónne utrunq; optandum? SOC. Bona uerba quæso, ô Pole. POL. Quid ita? SOC. Quoniam non decet uel uitam minime optabilem exoptare, uel miseram, imò potius misereri. POL. Quid uero? Itane se habere eos de quibus loquor, existimas? SOC. Quid ni? POL. Quicunq; igitur perimit quemcunq; opinatur iuste necādum, infelix tibi miserabilisq; uidetur? SOC. Non mihi quidem, neq; tamen conditio eius optanda. POL. An non pauloante miserum dicebas esse? SOC. Amice, dicebam equidem, sed iniuste occidentem, eundemq; insuper miserabilem. Eius uero qui iuste interficit, conditionem non esse optandam. POL. An non qui iuste occiditur, miserabilis est atq; infelix? SOCR. Minus q̄ uel interfector, uel is qui iuste necatur. POL. Quid ita ô Socrates? SOC. Quoniam inferre iniuriam, malorum omnium maximum est. POL Quónam pacto id maximum? Nonne peius est iniuriam pati? SOC. Minime. POL. Ipse igitur, malles ne pati iniuriam q̄ inferre? SOC. Equidem neutrum uellem. At si necesse foret, aut facere iniuriam, aut pati, accipere iniuriam q̄ inferre malim. POL. Non ergo tyrannidem eligeres. SOC. Non, si tyrannidem similiter atq; ego definis. POL. Ego uero id esse dico tyrānidē, quod pauloante, uidelicet licentiam in ciuitate habere quicquid uideatur perpetrādi, siue interficere quempiam, siue expellere libeat, cæteraq; omnia pro libidine facere. SOCR. Sed ô beate, quæ dicam accipe. Si enim ego in foro ac frequēti hominum multitudine assumpto sub ala pugione, apud te gloriarer me potentiam tyrannidemq; mirabilem nuper esse nactum: nam siue aliquis istorum hominū quos cernis, mihi uideatur occidendus, subito perimetur, siue alicuius frangendū caput, repente frāgetur, siue discindenda uestis, subito discindetur, tantum ego in hac ciuitate possum: proinde tibi minus id credenti ostenderem pugionem, fortè eo cōspecto, tu sic obiiceres: At isto ô Socrates, modo omnes magnam haberent potentiam, siquidem & quaslibet domos incendere, & Athenienſium naualia, & triremes, cunctaq; nauigia, ac summatim tam publica q̄ priuata quiuis posset. Verum hæc non est magna potestas, quicquid tibi quomodocunq; uideatur facere, an tibi uidetur? POL. Certe non hoc pacto potentiam approbo. SOC. Potes ne dicere quam ob causam eiusmodi nō approbes potestatē? POL. Possum equidem. SOCR. Cur ergo? dic iam. POL. Quoniam necesse est eum qui ista perpetrauerit, pœnam luere. SOC. Pœnam uero dare, nónne malum? POL. Omnino. SOCR. Nonne igitur ô uir mirabilis, magnam rursus potentiam iudicas, si modo qui agit quæcūq; sibi uidentur, assequitur ut utiliter agat, atq; ita bonum consequitur, idq; est magna posse? Contrà uero, malum id est, paruaq; potentia? Verum id quoq; consideremus. dicimusne aliâs præstare ea facere quæ modo dicebamus, uidelicet interficere, expellere, spoliare, aliâs autem minime? POL. Sic omnino. SOCR. Hoc iam mihi, ut uidetur, tibiq; conuenit. Vtrum igitur & quo pacto dicis ipse melius esse hæc facere? dic age, quem terminum statuas. POL. Tu uero ô Socrates, id definias. SOC. Ego igitur si à me audire mauis, dicam, uidelicet cum quis hæc iuste facit, melius esse: quando uero iniuste, peius. POL. Quasi uero arduum sit te refellere, cum id puer etiam quiuis possit. SOC. Magnam illi puero habebo gratiam, tibi quoq; non minorem, si me refutando ab errore eiusmodi liberaueris. Te igitur oro, ne tibi molestum sit beneficium hoc in amicum cōferre, sed iam refelle. POL. Atqui ô Socrates, nihil opus est antiquis exemplis ad te confutandum. Siquidem recēti bus atque adeò externis manifeste pleroſq; iniustos esse felices comprobari possit. SOC. Quænam ista? POL. Archelaum Perdiccæ filium Macedoniæ imperare uides? SOC. Et si non uideo, saltem audio. POL. Felix ne igitur tibi an infelix uidetur? SOC. Nescio equidem Pole. nunquā enim illi fum conuersatus. POL. Quid autem? si eius consuetudinem habuisses

Inferre iniuriam maximum malorum

habuisses, iam cognosceres? Aliunde uero felicitatem eius non deprehendis. SOC. Non per Iouem. POL. Constat igitur ô Socrates, similiter te dicturũ ignorare utrum magnus Persarum rex sit felix. SOC. Et uera quidem dicam, ignoro enim quo pacto, uel eruditione, uel iustitia sit instructus. POL. Nunquid in hoc tota beatitudo consistit? SOC. Certe meo iudicio. assero enim honestũ bonumq; uirum & mulierem esse felicem: iniustum uero & turpem, esse miserũ. POL. Miser ergo iuxta tuum sermonẽ est Archelaus. SOC. Nimirum, si iniustus. POL. At uero quonã pacto negari id potest? Is enim ex ancilla Alcetæ Perdiccæ fratris natus est: ideoq; Macedoniæ regnum quod nunc possidet, ad eum mini me pertinebat: sed ipso iure Alcetæ seruus erat: eoq; si iusta agere uoluisset, ipsi Alcetæ seruisset: atq; eo pacto ex ratione tua esset felix. Nunc uero q̃ mirabiliter ad miseriam tandem redactus est, postq; maximas intulit iniurias. Is enim primo hunc ipsum dominũ patruumq; suum Alcetam accersitũ ad se quasi regnum quod Perdiccas abstulerat, redditurus, conuiuio uinoq; grauatum, ipsumq; & filium eius Alexandrũ patruelem æqualemq; suum coniectos in plaustrũ, nocteq; asportatos trucidauit atq; deleuit. Nec tamen his perpetratis, suam agnouit miseriam, nec id fecisse pœnituit: sed paulopost fratrem suum legitimum Perdiccæ filium, puerum annorũ septem, ad quem pertinebat regnũ, noluit ut felix uiueret, iuste alere, atq; ipsi regnum tradere, sed in puteum præcipitẽ dedit, atq; suffocauit. Cleopatræ uero eius matri nunciauit puerum dum persequereẽ anserem, cecidisse in puteum, mortemq; obijsse. His ergo tam magnis iniurijs perpetratis, Macedonum omnium miserrimus est, an potius felicissimus? Num est ullus Athenienſium ut à te exordiamur Socrates, qui malit alius quisquam Macedonum esse quàm Archelaus? SOC. Et ab ipso disputationis exordio Pole, te tanquam bene instructum ad orandum laudaui, artẽ uero differendi dixi te neglexisse. At nunc, hæc ne illa ratio est, per quam quiuis etiam puer, ut ipse dicebas, me refellat? Atq; ego abs te, ut ipse iudicas, hac in præsentia ratione conuictus sum, qui dixerim iniuriantem beatum esse nõ posse? Vnde uero hęc bone uir? atqui nihil tibi horum quæ tu dicis, assentior. POL. Neq; enim assentiri libet, quanquã tibi uera uideantur. SOC. O beate, oratorum more conuincere me contendis, quemadmodum in iudicio fieri solet, ubi alij alios tum conuincere se opinantur, cũ pro sua causa multos celebresq; adducãt testes: aduersarius uero, aut nullum, aut unum aliquem producat, cum eiusmodi probatio nullius ad ueritatem sit momẽti. Sæpe enim ob falsorum testium multitudinem, atq; eorum etiam qui alicuius rei & precij esse uidentur, quis iniuste opprimitur: atque in præsentia si de his quæ dicis, uelis contra me testes producere, omnes fermẽ & Athenienses & peregrini tecum sentient, me uero afferre falsa tibi attestabuntur: siue Niciam accersas Nicerati filium fratresq; eius secum, quorum sunt in Dionysio tripodes ordine quodam dispositi, siue Aristocratem Scellij filium, cuius in Pythio munus extat pulcherrimũ, seu totam Periclis domũ, seu aliam quamlibet Athenienſiũ familiam uelis in testimoniũ aduocare. At ego unus tibi non assentior: non enim me rationibus cogis, sed falsis testibus contra me productis, ex ipsa ueritatis substãtia deijcere me moliris. Ego uero nisi te ipsum tẽstem unum adduxero mihi assentientem, nihil existimatione dignum in his quæ tractamus, perfeciſse me arbitror. Nihil etiam te profecturum puto, nisi ego unus solusq; tibi consentiam, tuq; dimissa aliorum testium multitudine, idipsum efficias. Est igitur, ut dixi, unus iste arguendi modus quemadmodum tu alijq; multi putatis, est & alter quem ego puto. Eos igitur inuicem comparantes, utrum & quo pacto inter se discrepent, diligenter consideremus. Non enim de rebus paruis instituta nobis est disputatio: sed de his quas & scire pulcherrimũ est, & nescire turpissimum. Caput enim & summa eorũ quę perquirimus, est uel cognoscere, uel ignorare quis beatus sit, q̃s miser. Principio quidẽ in ijs quæ perquirimus, tu fieri posse existimas, ut qui iniuriã facit, iniustusq; est, sit beatus. siquidem Archelaum esse quidem iniustum confiteris, sed beatũ. nunquid ita te opinari existimare debemus? POL. Omnino. SOC. Ego uero id fieri nõ posse dico. Vnũ igitur hoc est de quo ambigimus. Esto igitur, iniustus aũt eritne felix, si pœnas iniustitiæ dederit? POL. Minime quidẽ, imò miserrimus. SOC. At uero si iniustus pœnas effugerit, ut ipse ais, beatus erit. POL. Aio equidẽ. SOC. Secundũ uero sententiã meam ô Pole, qui iniuriatur iniustusq; est, omnino est ante alios miser: miserior autẽ si iniuriarũ pœnas nunquã luat; minus uero miser, si luat, supplicijũq; iustum dijs hominibusq; reportet.

Iustus uir & bonus felix Iniustus turpis & miser Archelaus ex ancilla Alcetæ ortus est

Iniuriãtem beatum esse non posse

Locus à testib. & rationibus

PO-

POL. Quàm absurda dicere audes. SOC. Dabo equidem operam amice, ut ipsè quoq; me cum sentias: amicum enim esse te mihi puto. nunc ergo ea de quibus dissentimus, eiusmodi sunt, attende uero & tu. Dixi equidem in superioribus iniuriam inferre, peius esse quàm pati. POL. Ita dixisti. SOC. Tu uero contrà, pati peius esse quàm facere. POL. Proculdubio. SOC. Præterea eos qui iniuriam faciunt, ego miseros appellabam: atque à te redargutus sum. POL. Ita per louem. SOC. Tuo quidem iudicio. POL. Ac fortè uero. SOC. Tu uero iniuriantes tunc felices esse dicebas, cum pœnas minime darent. POL. Et maxime quidem. SOC. Ego uero istos esse dico miserrimos: eos autem qui puniantur, miseros esse. Vis'ne id quoq; refellere? POL. At istud difficilius altero ad redarguendum. SOC. Haud difficile istud, imò impossibile iudicare debes. quod enim uerũ est, refelli nũquam potest? POL. Quid ais? Siquis tyrãnidem per iniuriam moliri deprehensus fuerit, captusq; torqueatur, excarnificeturq;, eiq; inurantur oculi, aliisq; multis, uariis grauibus pœnis afficiatur: uideat præterea liberos & uxorem pati eadem, & tãdem in crucem agatur, aut pice adhibita, comburatur: an hæc qui patietur, felix erit? uel potius si euadat, tyrannidemq; assequutus arbitratu uiuat suo: adeò ut uitæ suæ status exoptandus felixq; à ciuibus & peregrinis existimetur? Hęc'ne dicis confutari non posse? SOC. Perterrefacis me nunc rursus generose Pole: non autem refellis: paulo uero ante atteſtabaris. Veruntamen redige mihi parumper in memoriam, an iniusta capessere tyrãnidem dixeris? POL. Equidem. SOC. Neuter eorum felicior unquam erit: neq; qui tyrãnidem iniuste adeptus fuerit: neq; qui deprehensus pœnas dederit. Nempe è duobus miseris neuter altero felicior est dicendus: miserior tamen qui potitus tyrannide supplicium deuitauerit. Quid rides? alia rursus hæc refellẽdi species est, cum quis aliquid dicat deridere, nõ autem arguere. POL. At non putas refelli ô Socrates, cum talia dicas, qualia nullus unquã mortalium diceret? Quære ab istorum aliquo. SOC. O Pole, equidem non sum ex his qui in republica uersantur. Et superiori anno cum tribus mea prerogatiuam haberet, ac fortè oporteret me computare suffragia, & ad consiliũ referre, concitaui risum, quia facere id nesciui. Nolens ergo iubere ut ad consilium præsentium referam. Cæterũ nisi meliorem arguendi uiam habes, quemadmodũ modo dicebam: uicissim mihi cõcede, atq; experire qualem ego redargutionem esse arbitror oportere. Eorũ enim quæ dico, unum producere testem scio, illum ipsum qui cum mihi sermo est institutus: multitudinem autem missam facio: & unius sententiam rogo, multitudini uero ne uerbum quidem facio. Vide igitur utrum mihi uicissim arguendi locum uelis cõcedere, tuq; ad quæsitum respondere. Arbitror equidẽ & me & te & alios homines existimare: peius esse facere iniuriam quàm accipere, ac pœnas effugere quàm subire. POL. Ego autem neq; me, neq; alium prorsus ullum: quandoquidem tu solus iniuriam perpeti malles quàm inferre. SOC. Imò uero & tu & cæteri omnes. POL. Permultum abest: imò nec ego, nec tu, nec alius quisq;. SO. Vis'ne respondere? POL. Volo equidem: cupio enim quid tandem dicturus sis, intelligere. SOC. Respondeita q; mihi, ut intelligas, tanquam si à principio interrogem. Vtrum putas deterius esse: facere'ne iniuriam, an perpeti? POL. Perpeti. SOC. Vtrum uero turpius? responde quæso. POL. Iniuriam facere. SOC. Nónne & peius, si turpius? POL. Minime. SOCR. Intelligo iam. Nempe nõ putas, ut uidetur, idem esse pulchrum atq; bonum: idemq; turpe atq; malum. POL. Non certe. SOC. Quid autem pulchra omnia scilicet corpora, colores, figuras, uoces, studia, nunquid ipse ad nihil respiciẽs, appellas pulchra, an ad aliquid? Vt ecce primo quidem corpora pulchra, nónne aut propter utilitatẽ dicis esse pulchra, atq; ad id pulchra cuius usui seruiunt: aut propter aliquam uoluptatem, uidelicet quòd delectent aspicientes? An habes prẹterea quicquam aliud quod de corporis pulchritudine dici possit? POL. Nihil aliud. SOC. Nónne & alia similiter omnia siue figuras, siue colores, uel propter aliquam uoluptatem, uel utilitatem, aut utraq;, pulchra appellas? POL. Ita prorsus. SOC. Et uoces præterea, & quæ ad musicam pertinent, cuncta similiter? POL. Ita. SOCR. Quinetiam statuta legum & studia non ob aliam causam pulchra sunt, quàm quòd aut conferunt, aut delectant, aut utrunq; efficiunt. POL. Ob aliam certe nullam. SOC. Denique de disciplinarũ pulchritudine idem existimamus? POL. Idem prorsus. & pulchre quidem nunc desinis, ô Socrates, pulchrũ delectatione & conferente bono definiens. SOC. Nonne turpe contrario, scilicet dolore, ac malo id est detrimento definiendũ? POL. Necesse

Peius esse iniuriã inferre quam pati

In senatu risum cõmouit Socrates, quòd reliquos iubere ferre cõputum suffragiorum nesciret

Proponitur disputandũ utrum deterius sit facere iniuriam an pati

Pulchra sunt quæcũq; aut utilitatem, aut uoluptatẽ, aut utrunq; afferunt

ceſſe eſt. SOC. Quoties igitur è duobus pulchris alterum pulchrius eſt, uel altero illorũ, aut ambobus excedẽs pulchrius eſt, ſcilicet aut delectatione, aut utilitate, aut ambobus? POL. Prorſus. SOC. Rurſus quando duorum turpium alterum turpius eſt, uel dolore, uel detrimento excedens eſt turpius. An non neceſſe eſt? POL. Ita. SOC. Age itaq; quomodo paulo ante de inferenda accipiendaq; iniuria dicebatur? an non dicebas pati iniuriam eſſe deterius: facere uero turpius? POL. Dicebam equidem. SOC. Si ergo facere turpius eſt quàm pati: aut moleſtum quidem eſt, ac moleſtia ſuperans turpius eſt, aut detrimẽto, aut utriſq; non'ne id etiam neceſſarium? POL. Quid ni? SOC. Primo quidem conſideremus an moleſtia ſuperet: doleãtq; magis qui inferunt, q̃ qui patiũtur iniuriã. POL. Nullo pacto. SOC. Quare nõ excedit dolore. POL. Non apparet. SOC. Si non dolore, nec etiam ambobus. POL. Nõ uidetur. SOC. Ergo altero. POL. Altero. SOC. Malo igitur atq; detrimento. POL. Apparet. SOC. Quamobrẽ iniuriam facere excedens detrimento deterius erit quàm pati. POL. Manifeſtũ eſt. SOC. Non'ne & à multis hominibus, & abs te ſuprà concedebatur turpius eſſe inferre iniuriam q̃ accipere? PO. Ita. SOC. Num etiam apparuit eſſe deterius? POL. Apparuit. SOC. Eligas'ne tu magis id qd' deterius turpeq; eſt, q̃ id quod minus? Ne pigeat reſpõdere Pole: nihil enim obfuerit: ſed te rationi tanq̃ me dico committas ingenue: atq; reſpondendo aut concede quæ dico, aut nega. POL. Nunquam ô Socrates, iſtud eligerem. SOC. Alium uero quenq̃ id recepturum putas? POL. Mihi quidem per hanc rationem non uidetur. SOC. Quamobrẽ uera dicebam: neq; me, neq; te, neq; alium quenq̃ recepturum facere iniuriam magis q̃ pati. utpote quod ſit deterius. POL. Apparet. SOC. Vides ergo Pole, facta argumentorũ comparatione, ea inter ſe maxime diſcrepare. Nam tibi quidem alij præter me omnes aſſentiuntur: mihi uero ſolus ipſe ſufficis aſſentiendo atq; teſtificando, cuius ſolius ſuffragium ſententiamq; rogaui, cæteros uero dimitto. Atq; id quidem ſic habeto. Poſt hæc autem quod ſecundo loco inter nos dubitabatur, iam conſideremus, utrum iniuriantem pœnas dare maximum ſit malorum, ut ipſe putabas. an maius non dare, quæ mea erat ſententia. Conſideremus autem hoc pacto. Dare pœnas iniuriarũ, atq; iuſte puniri, num idem appellas? POL. Idem. SOC. An potes negare iuſta omnia quatenus iuſta ſunt, eſſe pulchra? Et uide ut reſpondeas prouide. POL. Mihi quidem æque ac tibi uidetur. SOC. Id quoq; animaduerte, an ſi quis agat quippiã, neceſſe ſit eſſe aliquid patiens ab ipſo agente. POL. Videtur. SOC. An ergo & hoc pati oportet, quod agẽs agit: & tale inſuper quale agit ipſum? Ceu ſi quis pulſet, neceſſe eſt aliquid inde pulſari? POL. Neceſſe. SOC. Atq; ſi uehemẽter, aut uelociter pulſet, ſimiliter pulſari pulſatũ? POL. Similiter. SOC. Talis ergo paſſio ineſt pulſato, qualem efficit pulſans? POL. Omnino. SOC. Et ſi quid comburat quis, oportet aliquid inde comburi? POL. Oportet. SOC. At ſi uehementer exurat, &, ut ita dixerim, acerbo cum dolore, ſimiliter & uri quod uritur, quemadmodũ urit urens? POL. Prorſus. SOC. Similiter ſi quis ſecat? Secatur enim aliquid. POL. Ita. SOC. Ac ſi lata uel profunda, doloroſa ſit ſectio, tali neceſſe eſt quod ſecatur ſectione ſecari, quali ſector ipſe ſecat? POL. Videtur. SOC. Conſidera uero ſummatim, an quod modo dicebam, in cunctis cõfiteare: uidelicet quale aliquid agens agit, tale quiddam pati patiens. POL. Confiteor. SOC. His ergo conceſſis reſponde, num pœnas dare, ſit pati aliquid, aut agere. POL. Pati. SO. Nõne & à quodam agente? POL. Conſtat, ab ipſo uidelicet puniente. SOC. Qui aũt recte punit, nõne iuſte punit? POL. Iuſte. SOC. Iuſta faciẽs, nec'ne? POL. Iuſta. SOC. Ergo qui punitur, dum iniuſtitiæ dat pœnas, iuſta patitur. POL. Apparet. SOC. Iuſta uero dictũ eſt eſſe pulchra. POL. Prorſus. SOC. Horum igitur alter quidem pulchra facit: alter uero, ſcilicet punitus, pulchra patitur. POL. Sic eſt. SOC. Quòd ſi pulchra, etiã bona. Nam uel iocũda illa ſunt, uel utilia. POL. Neceſſe eſt. SOC. Bona ergo patitur quiſquis iuſte punit. POL. Videtur. SOC. Id ergo ſibi prodeſt. POL. Confert. SOC. An non, ut quo pacto iudico explicẽ, meliorem reportat animũ, ſiquidem iuſte punitur? POL. Conſentaneum eſt. SOC. Ergo qui luit pœnas, à prauitate animę liberatur. POL. Certe. SOC. Itaq; maximo liberat malo. Eodem aũt pacto conſidera: in pecuniarũ collectione aliud'ne hominis malũ uideas q̃ paupertatem? POL. Hanc ipſam. SOC. In corpore aũt malum dices imbecillitatẽ, morbũ, deformitatem, cæteraq; eiuſmodi? POL. Equidẽ. SOC. Nõne & in anima malũ aliquod eſſe cenſes? POL. Quid ni? SOC. Id uero nonne uocas iniuſtitiã, inſcitiã, timiditatem: & alia

Vtrũ ſit maximũ malorũ, inferentẽ iniurias, pœnas dare, an non dare

Quale aliquid agens agit, tale quiddã pati patiens

generis eiusdem? POL. Maxime. SOC. Cum igitur hæc tria sint, pecunia, corpus, animæ tria horum esse dixisti mala: paupertatẽ, morbum, iniustitiã. POL. Certe. SOC. Horum uero malorum quodnam turpissimũ? Nónne iniustitia? &, ut summatim dicam: animæ uitium. POL. Maxime. SOC. Quod si uitium animi turpissimũ est: ergo & pessimum. POL. Qua ratione hoc ais, ô Socrates? SOC. Hac utiq; semper quod turpissimũ est, uel quia dolorem, uel quia detrimentũ infert maximum, uel quia facit utraq;, turpissimũ est: quemadmodum ex ijs quæ in superioribus cõcessa sunt, apparet. POL. Sane. SOC. Turpissimum uero esse iniustitiã & omne animi uitium, nónne nobis concedebatur? POL. Certe. SOC. Quare aut quia molestissimũ est, & molestia superans, iccirco horum turpissimũ est: aut quia detrimentũ affert, aut propter utrunq;. POL. Sic oportet. SOC. Nunquid molestius est iniustum esse, intemperatũ, ignauum, imperitum q̃ paupertate morboq; premi. POL. Non certe quantũ ex his cõijcitur. SOC. Quoniam igitur incredibili quadam mirabiliq; magnitudine detrimenti atq; mali uitium animæ cætera superat mala, iccirco omniũ est turpissimum: quandoquidem non dolore excedit, ut ipse ais. POL. Sic apparet. SOC. Iam uero quod maximo excedit damno, maximum omniũ est malorum. POL. Ita est. SOC. Quamobrem iniustitia, intemperantia, cæteraq; improbitas animæ, malũ est omniũ maximum. POL. Videtur. SOC. Quænam ars à paupertate nos liberat? Nónne quæstuaria? POL. Hæc ipsa. SOC. Quæ uero à morbo? an non medicina? POL. Hæc sane. SOC. At quænam à prauitate & iniustitia? Sin minus id tibi succurrit, ita considera: quonam, & ad quos potissimũ ducimus morbis corporeis laborãtes? POL. Ad medicos Socrates. SOC. Quò autem iniuriantes atq; dissolutos? POL. Ad iudices. SOC. Vt uidelicet puniantur. POL. Assentior. SOC. Nónne qui recte puniunt, iustitia quadam freti puniũt? POL. Proculdubio. SOC. Quæstuaria ergo pellit paupertatẽ: Medicina uero abigit morbos; ludicria deniq; intemperantiã & iniustitiam amouet. POL. Sic apparet. SOC. Quid ergo horũ est pulcherrimũ? POL. Quorũ dicis? SOC. Quæstuariæ, medicinæ, iudiciariæ. POL. Multo inter has excellit iudiciaria Socrates. SOC. Ergo uel uoluptatẽ affert plurimã, uel utilitatẽ, uel utrunq;, siquidem pulcherrima est. POL. Sic habet. SOC. An ergo curari à medico delectabile est? & inter manus medici oblectantur, dum curantur infirmi? POL. Non apparet. SOC. Conducit tamen. nónne? POL. Confert. SOC. Quoniam uidelicet magno liberantur malo. Quapropter utile est tolerare dolorem, ut sanus euadas. POL. Proculdubio. SOC. An ergo felicissimus quantum ad corpus attinet, is fuerit qui per medicinã curatus, conualescat: uel potius qui à principio non ægrotauerit? POL. Certe qui non ægrotarit. SOC. Nempe non in hoc consistere uidetur felicitas ut liberemur à malis: sed ut ab ipso initio simus incolumes. POL. Ita est. SOC. Cęterũ si duo male uel corpore, uel animo affecti sint, uter horum miserior: num qui curatus liberatur à malo, an qui minime? POL. Qui non curat. SOC. Nónne in iudicio puniri, à maximo quodã malo, id est à prauitate liberatio erat? POL. Erat certe. SOC. Quippe cum pœna iusta moderet, iustioresq; efficiat tanq; medicina quædam improbitatis. POL. Ita est. SOC. Felicissimus ergo qui nõ habet animi uitium: quandoquidẽ id maximum apparuit esse malum. POL. Absq; dubio. SOC. Deinde autem qui à malo eiusmodi liberat. POL. Apparet. SOC. Hic uero est qui correptus perterritusq; pœnas dederit. POL. Is ipse. SOC. Pessime ergo uiuit qui iniustus est, nec ab iniustitia soluitur. POL. Apparet. SOC. Nõne hic est qui maximis perpetratis iniurijs, maximaq; usus uiolẽtia, effecerit ut neq; corripiat, neq; puniatur, neq; persoluat pœnas: quemadmodũ effecisse dicis Archelaũ, aliosq; tyrãnos & oratores atq; potẽtes? POL. Apparet. SOC. Fermè enim eiusmodi homines uir optime, perinde faciũt, ac si quis morbo correptus grauissimo, det operam, ne uitiorum quæ in corpore sunt, sub medico pœnas reportet, neq; curetur: puerorũ more ustionẽ atq; sectionem, tanq; rem molestam formidans. Nõne & tibi quoq; ita uidet? POL. Mihi quidem. SOC. Quoniã uidelicet quanti sit sanitas corporis q; uirtus ignorant. Videntur autem per ea quæ modo cõcessimus, tale quiddã facere ô Pole, illi qui iudiciũ fugiunt: ad dolorem quidẽ eius aspicere: ad utilitatem uero cæci esse: atq; ignorare quanto miserius sit animo esse non sano, sed fracto, iniusto, impio, q̃ ægrum corpus circumferre. itaq; dant operam ne iudiciũ subeant, ne' ue maximo soluantur malo. Eaq; de causa pecunias cumulant, comparant amicos, eloquentiæ studeant. At enim si uera inter nos sumus confessi, sentis quæ ex hac disputatione tandem

sequantur

sequantur? Ea'ne uis ut singula ordine colligamus? POL. Vt libet. SOC. Nonne constitit maximum esse malum iniustitiã atq; iniuriam? POL. Videtur. SOC. Præterea mali huius solutionem esse pœnas luere? POL. Apparuit. SOC. Eas uero effugere mali perseuerantiam? POL. Certe. SOC. Igitur inter mala magnitudine secundũ obtinet locum inferre iniuriam. Efficere autem ne iniuriarum subeatur pœna, omnium natura maximum est, primumq; malorũ. POL. Videtur. SOC. Hoc est igit ô amice, de quo ambigebamus. Tu quidem Archelaum esse felicem affirmabas: qui cum maximas perpetrarit iniurias, nullas tamen pendit pœnas. Ego autem sentiebam diuersum: uidelicet siue Archelaus, siue alius quisquam mortalium iniuriarũ supplicia nõ ferat, eum uel præcipue esse miserum: ac semper eum qui intulit eo qui sustinet iniuriã, esse miseriorem. Deniq; illum qui nõ luat pœnas, illo qui luat. An non hæc erant quæ à me dicebantur? POL. Hæc ipsa. SOC. Nónne demonstratum est uere hæc dicta fuisse? POL. Apparet. SOC. Age igitur Pole, si uera hęc esse constat, quidnam opus est rhetorica? Nempe ex superioribus sequitur oportere diligentissime obseruare nosipsos primum quidem ne cui iniuriam inferamus, tãquam satis mali ob hoc ipsum habituros. nónne ita habet? POL. Ita certe. SOC. Deinde uero siue per nos, siue per alium quempiã nobis charum inferatur iniuria, sponte nostra iudici nos puniendos, tanquã medico festinanter offerre: ne antiquatus iniurię morbus, sic inficiat animum, ut insanabilem reddat. Quonam alio pacto dicemus ô Pole, si maneant priora illa inter nos concessa? Nónne hæc ita illis necessarijs consonant, nec secus habere possunt? POL. Quid igitur porrò dicere possumus? SOC. Ad defendendũ igitur aut excusandum iniustitiam nostram, uel parentum, uel amicorum, aut filiorum, aut patriæ iniuriãtis nihil utilitatis nobis confert rhetorica. Nisi quis iudicet contrà oportere rhetorica uti, ad accusandum uidelicet: primo quidem nosipsos, deinde domesticos familiaresq; et alios: siquis eorum qui nobis chari sunt, iniurias perpetrauerit: ne lateant eorum crimina, sed producantur: unde pœnas illi persoluant, saniq; euadant. Præterea ad compellendum seipsum & alios ne torpeant, ne'ue expauescant: sed forti animo & quasi cõniuentibus oculis iudici tanquam medico secandos urendosq; se tradant, bonum ipsum honestumq; sequentes dolore contempto. Itaq; si uerberibus digna commiserint, uerberandos sese tradãt: si uinculis, uinciendos: si mulcta, mulctandos: si exilio, expellendos: si nece, necãdos. Quæ quidem in re unusquisq; sui ipsius sit suorumq; accusator: atq; ad hoc oratoria facultate utatur, ut patefactis iniurijs à maximo iniustitiæ malo soluantur. Ita ne Pole, an aliter dicimus? POL. Absurda quidem ista Socrates mihi uidentur. Veruntamen tibi forte superioribus consonant. SOC. Nunquid aut superiora illa conuelli, aut hæc sequentia concedi necesse est? POL. Ita se res habet. SOC. Contrà uero reputando, si alicubi malefacere oportet siue inimico, siue alij cuipiam: id duntaxat cauendum est, ne ipse ab aduersario iniuriam patiatur: ac si alijs iniuriam fecerit inimicus, omni studio prouidendũ est et uerbis & operibus, ne luat pœnas, ne'ue trahatur ad iudicẽ: uerum ad eum si rapiatur, forte annitendum ut inimicus euadat, nec sumatur de ipso supplicium. Imò si aurum multum abstulerit, id ut ne restituat, sed possidens ipse in se, atq; suos iniuste impieq; profundat: sin morte digna commiserit, ne moriatur unquã, si fieri potest, sed immortalis sit malus. Sin autem minus id fieri potest, saltem ut in ea prauitate plurimum tẽporis uiuat. Ad hæc & huiusmodi mihi uidetur Pole, conferre rhetorica. Illi uero qui non sit illaturus iniuriam, haud magno esse emolumento uidetur: si modo ullum in ea est uel commodum, uel utilitas. Nam in his quę superius dicta sunt, nihil eiusmodi prorsus apparebat. CAL. Dic mihi Chærephon, serio'ne hæc loquitur Socrates, an iocatur? CHAER. Mihi quidem uidetur Callicles mirum in modum loqui serio. haud tamen importunum fuerit ab ipso requirere. CAL. Cupio per deos scire Socrates, utrum te nunc serio loqui an iocari existimare debeamus. Nam si seria hæc sunt & uera quæ dicis: peruersa proculdubio nobis est uita, atque omnia contrà quàm decet, agimus. SOC. O Callicles, nisi nobis inesset affectus, & si alijs quidem alius, tamen in pleriscq; cõmunis, sed aliquis è nobis propriam quandam singularemq; præter cęteros haberet affectionem: haudquaquã facile foret, quod in se quisque sentiret, alijs explicare. Quorsum hæc? Nempe animaduerto idem quoq; nobis accidere: quumq; duo simus duo quædam amare. Nam ego Alcibiadem & Cliniam, ac philosophiam amo: tu uero populum Athenienſem & Pyrilampum. Sentio itaq; si in con-

Vult hic Socrates, ut amicos iniuriæ accusemus, atq; iudici detegamus

cione tibi quamuis prudenti populus contradixerit, te consueuisse mutare sententiã, atque ea dicere quæ illi placere intelligas: nec ullo modo posse uoluntati eius obsistere. Quamobrẽ si quis illa quæ tu gratia populi dicis, admiratus, absurda esse obiecerit, respõdebis forsitan, modo uera fateri uelis, nisi is quem tu amas, populus mutet sententiam, nec unquam te mutaturum. Idem tibi forte contingat erga priuatum quendam, si quem uehementer ames. Arbitrare igitur talia à me quædam te audire, nec talia me dicere admireris, sed da operam ut philosophia quam amo, hæc uelle desistat. Dicit enim illa, ô dulcis amice, semper quæ à me audis. Etsi familiarium quidam aliâs mihi loquitur aliter, philosophia tamen semper eadem. Dicit autem quæ tu nunc admiraris: modo enim præsens audisti. Aut ergo illam, quod nuper dicebam, redargue: atq; ostende iniuriam facere, nec dare pœnas, non extremum esse malorum. Aut si hoc stare sinis, prædico tibi ô Callicles, per canem Aegyptiorum deum, nunquam te Callicli consensurum, sed in omni uita repugnaturum. Atqui ego ô uir optime, præstare iudico, ut lyra mihi discordet & dissonet, chorusq; quem ducam, ac multi præterea homines contradicant, quàm ut ego unus mihimet dissonem atque repugnem. CAL. O Socrates, uidetur hæc tua iuuenilis quædam in disputando iactantia, ac reuera uulgaris quidam appares concionator. & nunc quidem in his quoq; concionatorem agis: quum idem Polo euenerit, quod eueniſſe Gorgiæ paulo ante erga te accusabat. Nam Gorgiam quodam in loco à te interrogatum, si pergeret ad ipsum aliquis rhetoricam percepturus, sed iuris ignarus, an illum doceret: rubore adductum inquit Polus, affirmauisse illum se esse docturum: idq; ob ipsos hominum mores, qui grauiter ferrent, siquis talia non concederet. Ob huiusmodi deinde concessionem coactum esse Gorgiam sibimet contradicere, tibiq; id mirifice gratum esse. Quare te quidem iuste tunc meo iudicio irrisit, quod huiusmodi ineptias sequereris. Nunc uero rursus Polo eadem contigerunt: quem in hoc minime probo, quòd tibi concesserit, iniuriam turpius esse facere quàm pati: ob eam enim concessionem impeditus à te, quæ cogitauerat, explicare non potuit. Tu uero reuera ô Socrates, in scrupulos concionalesq; difficultates audientes adducis, dum ueritatem sequi te profiteris. Affers utiq; in medium quæ natura quidem pulchra non sunt, sed lege. Plerumque uero accidit ut contraria sint inter se lex atque natura. siquis igitur rubore suffusus, non audeat quæ sint exprimere, contraria sibimet fateri compellitur. Tu uero id astutius animaduertens, insidiaris in uerbis. Siquis enim secundum legem loquatur, tu deinceps secundum naturam interrogas. Si uero secundum naturam ille, ipse secundum legem, quemadmodum de inferenda, uel sustinenda iniuria modo fecisti. Cum enim Polus secundum legem inferre turpius esse diceret, ipse legem es persequutus. Natura enim quicquid peius est, idem & turpius, quale est iniuriam pati, lege uero inferre. Non enim uiri est iniurias pati, sed mancipij cuiusdam, cui mortuum esse quàm uiuere præstet: quod quidem contumelijs iniurijsq; affectum, neque sibi, neq; suis potest opitulari. Verum, ut ego arbitror, qui leges condunt, imbecilliores sunt pleriq;. Itaq; utilitati consulentes suæ, leges constituunt. præterea laudes uituperationesq; disponunt, metu potentiorum adducti, ne qua in re excedere eos possint. Itaq; aiunt turpe iniustumq; esse alijs plus habere, idq; definiunt iniuriam facere: plus uidelicet quàm alij ut habeas, quærere. Satis enim sibi factum putant, si quum inferiores sint, æquam habeant portionem. Ob hanc igitur rationem lege quidem id iniustũ turpeq; dicitur, quærere ut plus quàm cæteri possideas: atq; hanc uulgo iniuriam nominant. Natura uero ipsa, ueluti puto, demonstrat æquum esse, ut præstantiores potentioresq; omnia cæteris habeant superiora. Ostendit uero multis hæc modis, tum in cæteris animantibus, tum in cunctis ciuitatibus atq; gentibus, apud quas iustum esse censetur, ut potentior infirmiori dominetur, plusq; possideat. Nam quo iure Xerxes aduersus Græcos duxit exercitum, uel pater eius contra Scythas, aut innumerabiles alij, quos referre quis posset? Sed hi, ut arbitror, iuxta naturã iuris ipsius, ac per louem ipsius naturæ legem hæc agunt: non tamen fortasse iuxta leges has à nobis conditas, per quas præstantissimæ ac ualidissimæ indolis adolescentes ab incunabulis tãquam leones uincientes, quasi quibusdam magicis carminibus fascinamus, seruilemq; in modũ subijcimus: dicentes æquitatem esse seruandam, idq; pulchrum iustumq; esse. At siquis præstantis naturæ uir insurgat, ac literas, fascinationes

nationes,incantationesq; huiusmodi uestras pessundans atq; discindens, legesq; omnes quæ descíscunt à natura,subuertens,cæteris dominetur,in eo iam naturæ ipsius ius efful geret. Videtur autem mihi Pindarus hæc eadem in quodam cantu ostẽdere:ubi legẽ ait omnium esse reginam mortalium atq; immortaliũ:eamq; ius agere uiolenter præpotenti manu.Idq; coniectare se dicit ex rebus gestis ab Hercule:qui & si carmen ipsum haud satis memoriter teneo,memini tamen ipsum dicere:Herculem neq; emptos,neq; donatos Geryonis boues abegisse:utpote naturali ipso iure dictãte,& boues,& cætera oĩa quę ab hominibus possidentur,illius qui præstantior sit atq; ualẽtior esse debere. Veritas igitur ita se habet.idq; plane cognoscas,si ad maiora te iam dimissa philosophandi cura conuerteris:Nam philosophia quidẽ ô Socrates,gratiosa res est,& uenusta:si quis illam moderate in adolescentiaq; attingat.Sinautem supra modum tempus in ea continuerit, hominum est corruptela.Quamlibet enim quis bono à natura sit ingenio præditus, tamen si diutius per ætatẽ iam prouectam philosophetur,necessario omnium rerũ imperitus euadet:quarum omnino clarum,bonum,excellentẽ uirum habere peritiam oportet.nam & legum ciuilium,& uerborum quibus in consuetudine cœtuq; hominũ tam publice q̃ priuatim uti decet,uoluptatum præterea cupiditatumq; humanarum,& ut breuiter comprehendam,morum prorsus fiunt ignari.Quocirca quoties ad aliquam rem gerendã,uel publicam uel priuatam sese conferant,habẽtur ridiculi,quemadmodum & ciuiles uiri,si in uestras exercitationes disputationesq; descẽdant.Euenit enim illud Euripidis, qua in re clarus quisq; est,ad eam properat:& diei partem illi plurimam impartit,ut ipse se superet.Vbi uero inferior sit,inde fugit,illudq; uituperat:aliud uero laudat,quadam sui ipsius beneuolentia existimans seipsum ita laudare. Verum præstare arbitror amborum particípem fieri,philosophiæ quidẽ quatenus disciplinæ gratia deceat,nec turpe quidẽ est adoscenti philosophari.sed cum grandior natu philosophiæ adhuc incumbit, res est Socrates ualde ridicula.Equidem similiter affectus sum erga illos qui philosophiæ dant operã, atque illos qui balbutiunt ac ludunt. Quoties enim aspicio puellum cui decorum adhuc est loqui ita balbutientem ludentemq;, delector:festiuumq; & liberale mihi uidetur,puerilemq; decere ætatem. Quoties uero puellum audio uerba expeditius exprimẽtem, molestum quiddam mihi oboritur,auresq; offendit meas:atq; seruile quippiam præ se ferre uidetur.Cæterum quum uirum quis uel audit balbutientem,uel uidet ludentem,ridiculum id quidem,à uiroq; alienum,ac dignum plagis apparet.Idem igitur erga philosophãtes mihi euenit.In adolescente enim philosophiam dum cerno,ualde delector, decensq; iudico,atq; ingenuum esse hominem hunc existimo: eum uero qui non philosophetur, illiberalem,nec unq̃ præclarum aliquid ac generosum de seipso præstiturum.Sed quando grandiorem natu philosophantem animaduerto,neq; dum studia eiusmodi deserentem:uerberibus iam hunc uirum Socrates indigere censeo. Quippe quod, quemadmodum modo dicebam,huic accidat homini,ut etiam si ingenuæ indolis sit, tamen seruilis euadat.fugit enim mediam ciuitatem,forensesq; cõsuetudines,in quibus poeta inquit uiros fieri præstantissimos:absconditq; sese cum tribus uel quatuor pueris,& in angulis susurrando uitam ducit,nihil unquam liberale aut magnificum probaturus. Erga te autem Socrates bene amice affectus sum. Itaq; idem mihi erga te quod & Zetho erga Amphionem apud Euripidem,cuius modo mentionem feci,accidit.talia enim nunc mihi quædam aduersus te dicere uenit in mentem:qualia aduersus fratrẽ ille dicit.Profecto ea Socrates negligis,quæ curæ esse tibi conueniebat,atq; adeò generosæ mentis præstantiam specie quadam puerili conformas,utpote qui nec in iudicijs cõsultationibusq;,si usus poscat,uerba recte facere,neq; conueniens quicquam probabileq; eligere, nec alijs prompte consulere possis.Quare amice Socrates,ne mihi succenseas . Beneuolentia enim erga te mea ad hæc proferenda nunc me adducit. Nónne turpe ducis sic comparatũ te esse,quemadmodum arbitror,& te & alios omnes qui philosophiam diutius persequuntur? Nempe si te nunc quis,aut alium è cœtu uestro quempiam comprehendat, inq; carcerem trahat,atq; te iniuriam quamuis nullam inferas,inferre tamen accuset: certe quid ageres,non haberes:sed uacillares oscitaresq;,defensionis tuæ prorsus ignarus . proinde adductus in iudiciũ,uel ab ignauo abiectoq; accusatore,ultimo supplicio,si modoilli placeret

Oratio Calliclis de philosophia

ceret,afficereris.Iam uero quomodo id ad ſapientiam ſpectat ô Socrates:ſi qua ars ingenuæ mentis nacta uirum,reddit deteriorẽ:adeò ut nec ipſe ſibi opem ferre ualeat: nec ex grauiſſimis periculis ſe,aut alium quenquam ſeruare,ſed inimicorum raptorumq; expo natin iniurijs ingloriũ in ciuitate degentem? Iam uero eiuſmodi uirum, & ſi dictu ſit agreſtius,licet ſuper genã impune pulſare.Quamobrẽ bone uir me audi, ac iam in uanis uerſari argutijs deſine:decora rerum gerendarũ exerce officia,atq; ea ex quib. ſapere uidearis:iſta uero arguta,ſiue deliramenta appellari oportet,ſiue nugas,unde uacuæ habitandæ tibi domus ſunt,alijs relinque.denicq; imitare non eos qui hæc exigua captant,ſed eos quibus uictus & gloria,& alia bona adſunt complurima. SOC. Si aurea mihi ô Callicles, anima foret,nõne arbitraris me libenter reperturũ aliquẽ ex his lapidibus.per quos probari aurum ſolet optimũ.ad quem animam admouẽs mecum,ſi ab ipſo quaſi recte educata approbaretur,certo ſcirem me ſatis habere,nec probatione ulterius alia indigere? CA. Quorſum hæc ô Socrates? SOC.Dicam equidẽ.Nempe arbitror, cum te nactus fuerim, me iam precioſum hunc lapidem eſſe nactum. CAL.Quam ob cauſam? SOC. Quoniam certo ſcio ea quæ tu mecum ſenſeris,in his quę meus animus opinatur,fore proculdubio uera.Cenſeo namq; in eo qui alicuius probaturus ſit animam,utrum illa quidem recte inſtituta ſit,nec ne,tria potiſſimũ requiri,quæ in te ſunt omnia:ſcientiã primo: deinde opinionem,prudentis ſcilicet atq; beneuoli:tertio audaciam.Nam multos equidem reperio qui me propterea recto examine probare non poſſunt,quòd ſapientes non ſunt, quemadmodum tu eſſe uideris.Alij uero ſapientes quidem ſunt,ſed ueritatem mihi dicere nolunt,ex eo quod mei curam non gerunt, ut tu geris . Peregrini uero iſti, Gorgias & Polus,ſapientes quidem ſunt,meq; diligunt:uerum deeſt eis audacia, ueręturq; ultra quàm oporteat.Quod quidem cuinam dubiũ eſſe poſſit? Quippe cum eo uſq; proceſſerint uerecundiæ,ut utriq; ob ipſam uerecundiam in præſentia multorum hominũ auſi fuerint ſi bijpſis de rebus maximis contradicere.Quibus omnibus quum alij careant, ipſe habes. Principio es abunde liberaliter inſtitutus:quod multi ſi opus ſit,confirmarent Athenienſes,mihiq; beneuolus.quod qua coniectura intelligam,tibi dicam.Noui equidem Callicles quatuor uos in ſapientiæ ſtudio ſocios:te ſcilicet & Thyſandrũ Aphidnæum, & Androne Androtionis,Nauſicydemq; Cholargeum:atq; cum aliquando inter uos agitaretur,quouſq; ſapientiæ ſtudendum foret,eiuſmodi apud uos uiciſſe ſententiam audiui: nõ eſſe ad exactam philoſophiæ diligentiam contendendũ,ſed cauẽdum ne ultra quàm deceat,ſapientes facti clàm uoſipſos deprauaretis.Quum igitur audio idem te mihi dare conſiliũ,quod amiciſſimis tuis,abunde magnum argumentũ eſt ueri amoris erga me tui. Poſtremo quod non deſit audacia, nec te pudor impediat, & tu ipſe affirmas, & oratio quam paulo ante hic habuiſti,teſtatur.Cum hæc igitur ita ſe habeant,ſiquid tu mihi in diſputando conceſſeris,ſatis iam nobis probatum erit:neq; oportebit ad examẽ aliud id referre:alioquin tu nunquam id mihi conceſſiſſes,uel de ſapiẽtiæ defectu,uel uerecũdia adductus,uel decipiendi cauſa.Amicus enim mihi es,ut ipſe ais.Reuera igiẽ mea tuaq; confeſſio finem iam ueritatis habebit.Harum uero cõſideratio rerum in quibus me ipſe corripuiſti,omnium Callicles pulcherrima eſt:qualem eſſe uirum deceat:quidq;,& quouſq; tam in iuuentute q; in ſenectute exercere conueniat.Ego uero ſiquid in uita mea minus recte ago,certum habeto me nõ ſponte mea,ſed inſcitia potius aberrare.quamobrem tu quemadmodũ admonere cœpiſti,perge quæſo, planeq; mihi demõſtra quidnã ſit iſtud, & qua uia conſequi ualeam,quod mihi quærendũ arbitraris.Quod ſi me conſentientem tibi nunc habebis,poſtea uero quæ aſſenſus fuerim,minus præſtare deprehendas, ſocordem omnino ignauumq; me putato,neq; ulterius in me admonẽdo quaſi omnino perdito operam perdas.Reſume uero mihi ab initio,quemadmodũ tu & Pindarus dicebatis, iuſtum id eſſe natura,potentiorẽ per uim auferre ea quę imbecilliorum ſunt,& dominari meliorem deteriori,plusq; habere eum qui præſtantior ſit,quàm qui abiectior.Nunquid aliud dicis eſſe iuſtum? an recte memini? CAL.Hæc & tunc dicebam,& nunc dico. SOC. Vtrum uero meliorem uocas eundem atq; potentiorem? Neq; enim tunc plane quid diceres,intelligere potui.num ualidiores appellas potentiores:oportetq; ualidioribus infirmiores obtemperare? Quemadmodũ tunc uideris demonſtrauiſſe,cum diceres magnas ciuitates

Tria debet habere probaturus animam alicuius.ſcientiã, beneuolentiã, audaciã

Sentẽtia Calliclis & amicorum: Nõ eſſe ad exactam philoſophiæ diligentiam cõtendendum

Quarũ rerũ cõſideratio pulcherrima

ciuitates aduersus paruas naturali iure insurgere, propterea quòd potentiores atque ualidiores essent: quasi idem sit potētius, ualidiusq; & melius. An fieri potest ut aliquis melior quidem sit, inferior tamen atque imbecillior? Similiterq; ut potentior sit, deterior tamen. Vel eadem melioris atq; potentioris est definitio? Hoc ipsum mihi apertius explica, idem'ne an aliud sit potentius, & melius, atq; ualentius. CAL. Equidem manifeste tibi assero idem esse. SOC. Nónne multitudo ipsa natura uno potentior est? quæ quidem leges constituit super unum, quemadmodū nuper ipse dicebas. CAL. Quid ni? SOC. Multitudinis ergo leges potentiorum sunt. CAL. Omnino. SOC. Nónne igitur & meliorum? Qui enim potentiores sunt, ut ipse ais, multo sunt meliores. CAL. Sic certe. SOCR. Nónne horum institutiones natura sunt rectæ, cum potentiores sint? CAL. Sic affirmo. Nónne multitudo statuit, quemadmodum nuper ipse dicebas, iustum esse seruari inter omnes æqualitatem: atq; esse turpius iniuriam inferri quàm pati? Est'ne ita, an aliter? Ac uide ne hic tu quoq; ob uerecundiam capiaris. Constituit multitudo ista, nec'ne: uidelicet iustum esse seruari æquitatem, non autem alium alio plus habere: atque turpius esse facere iniuriam quàm accipere? Nulla te Callicles inuidia, quæso, quo minus ad hæc respondeas, detineat: ut si mecum sentias, abs te confirmer tanquam uiro ad iudicandum abunde sufficiente. CAL. Sic utique statuit multitudo. SOC. Non ergo lege sola, & turpius est facere iniuriam quàm pati, & iustum est æquitatē seruare: sed etiam ipsa natura. Quapropter uideris in superioribus non uere dixisse, neque me recte accusauisse: cum contrarias esse inter se legem atq; naturam affirmares, meq; hæc animaduertentem solere in uerbis insidiari: atq; siquis secundum naturam loquatur, ad legem: siquis uero secundum legem, ad naturam deducere. CAL. Hic uir nunquam desinet in nugis uersari. Dic mihi Socrates, nónne te pudet, tam grandem natu, uenari nomina? Atque si quis uerbo excidat, tanquam id tibi lucro ueniat, impense captare? Putas me aliud dicere potentiores esse quàm meliores? Nónne dudum dico idem esse melius atq; potentius? An putas me dicere, si fex seruorum hominumq; undiq; uilissimorum in unum confluat, hos præterquam fortasse corporis uiribus esse potentiores: & quæ hi statuant esse iura? SOC. Agedum ô sapientissime Callicles, ita'ne dicis? CAL. Et maxime quidem. SOC. At ego beate uir iamdudum coniecto tale aliquid te potentius appellare: atq; interrogo cupiens quid uelis aperte cognoscere. Nónne enim duos meliores esse uno iudicas? neq; seruos tuos te meliores, quia uidelicet robustiores sint? Verum rursus à principio dicas quos tandem uelis esse meliores, quando non ualidiores: & uide precor ô uir mirifice, ut mitius me doceas, ne à scholis tuis aufugiam. CAL. Ironice loqueris. SOCR. Non per Zethum Callicles, quo tu fretus multa usus aduersus me nunc es ironia. Verum dic age, quos nam meliores appellas? CALL. Præstantiores equidem. SOCRAT. Vides ergo te nomina duntaxat dicere: ostendere uero nihil? non aperis meliores potentioresq;, utrum prudentiores an alios quosdam esse dicas. CALL. Per Iouem hoc dico, & maxime quidem.

SOC. Sæpe igitur unus prudens compluribus imprudentibus iuxta sermonem tuum potentior est: atque hunc par est dominari, cæteros uero subesse, plusq; habere eum his quibus imperat. Hoc enim dicere mihi uelle uideris (neque uerba aucupor) siquidem unus sit multis potentior. CALL. At hæc ipsa sunt quæ dico. Hoc enim arbitror ius esse natura: eum uidelicet qui melior prudentiorque sit, imperare, atque plus inferioribus possidere. SOCRAT. Siste parumper. Quid tandem sentias si in hoc loco, ut nunc, congregati essemus multi: forentque nobis communia esculenta, & poculenta complurima: nos uero ex uariis hominum generibus essemus conflati, partim quidem ualidi, partim uero imbecilles: unus autem nostrum omnium circa hæc prudentissimus, fortasse medicus: ac foret hic, ut consentaneum est, aliis quidem robustior, aliis uero debilior: nónne hic prudentior, præterea melior quantum ad hæc pertinet, & potentior erit? CALL. Omnino. SOC. Vtrum uero horum esculentorum propterea plus illum quàm nos, quia sit melior, habere decet? An potius ob eius præstantiam omnia distribuere debet, neq; in distribuendo pro se plus retinere: alioquin mulctandus sit: sed de aliis plus, aliis minus habere: ac si omnium debilissimus sit, minimum sibi quamuis optimo tribuendum est Callicles? nónne ita bonum est dicendum? CAL. De esculentis & poculentis &

medicis atq; huiusmodi nugis uerba facis: ego uero nõ de his loquor. SOC. Vtrum igitur prudentiorem esse meliorem dicis, necne? Responde. CAL. Equidem. SOC. At nõ oportet, ut melior plus accipiat? CAL. Non, de cibis atque potionibus. SOC. Intelligo. Forte enim de uestibus. Atque oportet eum qui sit in conficiendis uestibus peritissimus, magnam habere tunicam, ac multis preciosisq; ornatum incedere uestibus. CAL. Quas tu uestes mihi narras? SOC. At forsitan in calceis oportet eum plus accipere qui in eis prudẽtior sit & melior: ac forsitã ipse coriarius maximos pluresq; habere debet calceos, multosq; suis pedibus circumferre. CAL. De quibus calceis nunc deliras? SOC. Quod si non talia, saltem eiusmodi quędam dicis, ceu uirum in colendis agris prudentem honestumq; & bonum, debere plus reportare seminis, plurimoq; in suis agris uti. CAL. Quàm semper eadem dicis ô Socrates? SOC. Non solum eadem Callicles, sed eisdem quoque de rebus. CAL. Per deos, semper tu cerdones, coriarios, fullones, coquos, medicos habes in ore, quasi de his instituta nobis disputatio fuerit. SOC. Nónne ergo ipse dices aliquando, quibus in rebus potentior atq; prudentior iuste possidere plus debeat? Vel neq; me permittes dicere, neq; ipse dices? CAL. At ego id iam diu dico: primo quidẽ qui potẽtiores sint. non enim cerdones dico neq; coquos, sed eos qui in administrãda republica sint prudentes: neq; prudentes solum uerum etiam fortes, qui ad ea quæ excogitauerunt perficienda aptissimi sint, neq; animi mollitie ulla succumbant. SOC. Aduertis ne Callicles nõ de eisdem me abs te, atq; uicissim te à me accusari? Tu quidem me accusas quasi semper eadem repetam: ego uero te contrà tanquam de rebus eisdem nunquam eadem afferentem. siquidem aliàs meliores atq; potentiores esse definis ualidiores, aliàs autem prudentiores. Nunc præterea aliud quiddam affers. Fortiores enim nunc quidã abs te potentiores melioresq; nominantur. Verum age tandem explica, quos potissimum & ad quid meliores potentioresq; appellas. CAL. Iam dixi, prudentes uidelicet in rebus publicis atq; fortes. Hos enim decet ciuitatibus imperare: idq; iustum est, ut plus aliis habeãt dominantes uidelicet subiectis. SOC. Quid uero? sibi ne ipsis ulla ratione dominari, siue parere decet? CAL. Quemadmodum dicis? SOC. Dico num sibi quisq; debeat imperare: an nihil opus sit, ut sibi quidem imperet, sed aliis duntaxat. CAL. Quomodo sibimet imperare dicis? SOC. Nihil obscurum dico, sed quemadmodum dicunt multi, temperatum, & sui ipsius compotem, uoluptatibus suis cupiditatibusq; imperantem. CAL. Quàm festiuus es Socrates? stupidos homines nominas temperatos. SOC. Quid ais? nemo est quin norit me id minime dicere. CAL. Immo ualde quidem ô Socrates. nam quomodo beatus esse potest qui alicui seruiat? Cæterũ hoc est natura iustũ atq; pulchrũ, quod tibi nunc audacter dico, oportere illum qui recte uitam acturus sit, permittere cupiditates suas summopere augeri, nec eas ullo modo cohibere: atq; his quammaximis quicquid petunt subministrare ob fortitudinem atq; prudentiam: & quemlibet earũ affectum prorsus explere. Quod quidem quia multi consequi nequeunt, eos uituperant qui id assequuntur, ob uerecundiam suam impotentiam abscondentes: feruntq; intemperantiam esse turpem, quemadmodum in superioribus ipse dicebam. Præterea in seruilem habitum deducunt melioris naturę homines: ipsiq; cum libidines suas explere nequeant, temperantiam atq; iustitiam probant propter ignauiam. Verum si his à principio contigisset, ut uel regum essent filij, uel ipsis natura sufficeret ad imperium aut tyrannidem, aut potestatẽ aliquam sibi comparandam, profecto turpius peiusq; esset, ut huiusmodi temperantia uterentur: qui cum liceret ipsis frui bonis, nec impedirentur ab ullo, ipsi sibi dominam præfecerint multitudinis legem sermonemq; & uituperationem. Quo enim modo non miseri sint? siquidem propter quãdam iustitiæ temperantiæq; honestatem, nihil plus amicis quàm inimicis tribuerent, etiam dum in ciuitate sua dominarentur. Cæterũ ô Socrates ueritas ipsa quam te sequi affirmas, ita se habet: luxuria, intemperantia, libertas, modo facultas suppetat, uirtus est atq; felicitas. Cætera uero isthæc speciosa præter naturã adinuenta, hominum deliramenta sunt, & nugæ penitus contemnendæ. SOC. Non ingenerose ô Callicles, audacia usus in disputando procedis. Sanè aperte nunc ea dicta sunt abs te, quæ alij cogitant quidem, dicere tamen nolunt: quamobrem te ut nullo modo desistas obsecro, ut reuera certiores efficiamur, qua sit ratione uiuendum. Dic ergo mihi, cupiditates ais nõ esse coercendas

ercendas: siquis optet esse talis, qualem oportet esse: imò permittendum illas summopere augeri, atq; earum expletionem aliunde cõparandam: idq; ais esse uirtutem? CAL. Aio equidem. SOC. Si ita esset, non recte dicerent beati, qui nullius indigeant. Alioquin, lapides & mortui felicissimi forent. Veruntamen & illa quã tu dicis, grauis est uita. Neq; admirarer si ea de re uerum Euripidis dictum, Quis nouit utrum uiuere quidẽ mori sit: mori aũt uiuere? Et nunc fortè reuera mortui sumus. Audiui iam equidem à sapiente quodam nos nunc mortuos esse, corpusq; nostrum sepulchrũ esse nobis: partẽq; illam animæ in qua cupiditates sunt, perinde se habere ac si persuadendo uicissimq; dissuadendo, sursum deorsumq; agitetur. Itaq; elegans quidam uir Siculus fortasse uel Italus in his confabulatus, hanc animi partem propter suasionem credulitatemq; lubricam alludens nomini, dolium appellauit: Dementes uero prophanos atq; damnatos. Horum autẽ hanc animi partẽ quæ libidinibus agitatur, tanquam futilem ob incontinentiã inexplebilẽ perforatum esse doliũ, inquit. Quamobrem hic uir contrariũ tibi ostendit: eorum qui apud obscuros sunt inferos, eos esse miserrimos, qui tanq; omnino prophani damnati sunt, atq; aquam in uas perforatum alio etiam perforato uase inferre coguntur. Esse autem hoc aliud uas, siue cribellum, ut dicebat is qui me docuit, dementiũ animum. quem ideo perforato uasi assimilauit, quòd propter inuidã affectionẽ obliuionemq; nequeat infusum aliquid continere. Videbuntur hæc alicui quodammodo mira: demonstrant tamen quod uolo, siqua ratione ualeam, persuadere tibi, ut pro inexplebili & incontinenti uitã moderatam præsentibusq; semper contentã rebus eligas. Sed utrum per hæc tibi aliquid persuadeo? ut mutata sententia beatiores qui temperate uiuant, quàm qui intẽperate putes? An nihil etiam proficio? atq; licet multa simili ratione confabuler, nihilo magis es sententiam mutaturus? CAL. Hoc ô Socrates uerius subiunxisti. SOC. Agedum tibi similitudinem aliquam ex eodem gymnasio adducam. Attende utrum perinde de utriusq; uita, temperati scilicet atque intemperati statuas, ac de duobus qui multa haberent uasa: & alter quidem integra atq; plena partim uini, partim mellis, partim lactis, aliaq; similiter aliorum: sint uero singuli hi liquores rari quidem, & inuẽtu difficiles, multisq; & grauib. laboribus comparati. Is ergo cui plena sunt uasa nihil superinfundere omnino curet: sed quantũ ad hæc attinet quietem agat. Alteri uero liquores sint quemadmodum alteri: qui comparari quidem, sed tamen cũ difficultate possint: uasa uero perforata atq; fracta, ac die nocteq; continue illa implere cogatur, aut extremis molestijs agitetur. Quare cum talis sit utriusque uita, temperati ne an intemperati beatiorem esse ais? An persuadeo tibi his uerbis, ut uitam hominis moderati meliorẽ esse immoderati concedas? uel nondũ persuadeo? CAL. Nequaquam ô Socrates. Nam illi cui plena sunt omnia, nulla amplius est uoluptas: sed quemadmodum modo dicebam, quasi lapis uiuit, postquam semel impleuerit: neq; uoluptatem sentit amplius neq; molestiã. Dulcedo aũt uitę in multa continuaq; infusione consistit. SOC. An nõ necesse est si multum influat, multum uicissim effluere? lataq; effluxui patere foramina? CAL. Prorsus. SOC. Charadrij auis, id est uoraginis cuiusdam tu rursus uitam dicis: non autem mortui aut lapidis: atq; mihi responde, num tale aliquid dicas uelut esurire, atq; esurientem comedere. CAL. Dico equidem. SOC. Et sitire sitientemq; bibere. CAL. Dico equidem: atque reliquis similiter cupiditatibus affectum esse explereq; eas posse cum uoluptate, beatam esse uitam affirmo. SOC. Euge uirorum optime, perge ut cœpisti, nec te pudeat. Oportet autem, ut uidetur, me quoque pudore non detineri. ac primum mihi dicas, utrum scabiosum qui sese fricet, idq; continue facere queat, beate uiuere putandum sit. CAL. Quàm ineptus es ô Socrates, ac reuera uulgaris concionator. SOC. Profecto ô Callicles Polum quidem & Gorgiam conterrui, & erubescere compuli. Tu uero caue ne terrearis, neque pudore impediare. Fortis namque es, sed duntaxat responde. CAL. Dico utiq; fricantem quoq; uoluptuosè uiuere. SOC. Nónne si uoluptuosè, etiam beatè? CAL. Proculdubio. SOC. Vtrum si caput duntaxat fricet, uel amplius aliquid, à te quæro. Vide quid respondeas Callicles, si quis te deinceps quæ consequuntur interroget: atq; his quasi capitalibus concessis cinædorum istorum uita nequaquam grauis, turpis, infelix, dicenda erit: an ipse audebis eos beatos dicere si ad uotum his quæ cupiunt potiantur? CAL. An non te pudet ô Socrates ad ista sermonem deducere? SOC. Egóne ô generosè uir deduco? an ille potius qui adeo impudenter asserit eos qui oblectantur

Euripid. de uita & morte

ctantur,quocunq; modo oblectentur,esse beatos:neq; distinguit quæ uoluptatum bonæ sint,& quæ malæ? Verum nunc saltem dic, utrum idem esse asseras uoluptatem atq; bonum:an esse aliquid uoluptuarium quod non sit bonum. CAL. Vt mihi proculdubio ratus sit sermo,si aliud esse dixero,idem esse dico. SOC. Peruertis Callicles illa quæ prius dicta sunt:nec amplius idoneus es ad illa quæ perscrutamur inuestiganda, siquidem aliter quàm tibi uidetur es responsurus. CAL. Enimuero tu quoq; Socrates. SOC. Atqui neque ego recte facio,si id facio:neque tu.Sed ô beate uide ne hoc sit bonum omnino gaudere: alioquin quæ nunc subducta sunt,multa & turpia atq; alia insuper quamplurima euenire uidentur,si hoc ita se habeat. CAL. Vt tu quidem putas ô Socrates. SOC. Tu autem reuera hæc affirmas? CAL. Affirmo equidem. SOC. Vis ergo quasi te serio loquente, disputationem aggrediamur? CAL. Volo certe. SOC. Age iam cum huiusmodi sententiæ sis, distincte ad hæc mihi responde. Vocas ne aliquid scientiam? CAL. Voco. SOC. Nónne fortitudinem quandam paulo ante cum scientia esse dicebas? CAL. Dicebam sanè. SOC. Nunquid aliud fortitudinem q̃ scientiã,quasi duo hæc sint,dicebas esse? CAL. Maxime. SOC. Voluptatem uero atq; scientiam,idem ne an aliud esse? CAL. Aliud sapientissime uir dicebam. SOC. Num & fortitudinem à uoluptate differre? CAL. Quid ni? SOC. Age itaq;,ut hæc meminerimus. Callicles quidem Acharneus uoluptatem bonumq; idem esse dixit:sed scientiam & fortitudinẽ tum inter se,tum à bono differre. Socrates autẽ Alopecetes ista non concedit. CAL. An non concedit? SOC. Arbitror autem neq; Calliclem talia concessurum,ubi seipsum recte considerauerit. Dic mihi felices, & infelices nónne contrario modo affici putas? CAL. Puto equidem. SOC. An nõ si contraria hæc eorumq; affectiones inuicem sunt,necesse est ea ita se habere quemadmodũ sanitas atq; morbus? non enim aliquis sanus simul est atq; ægrotat,neq; simul cessat sanitas atq; morbus. CAL. Quo pacto dicis? SOC. Assumpto toto si uis corpore ita considera, ægrotant ne alicuius oculi eo morbo qui ophthalmia nominat? CAL. Esto. SOC. Nunquid simul sani sunt? CAL. Non. SOC. Quando uero eo morbo quis liberatur, nunquid tunc sanitas oculorum cessat? & tandem morbus simul sanitasq; discedunt? CAL. Minime. SOC. Mirum namq;,ut arbitror,absurdumq; id foret. CAL. Nimium quidem. SOC. Sed, ut puto, uicissim capit,& amittit utrumq;. CAL. Assentior. SOC. Robur quoq; imbecillitatemq; similiter. CAL. Certe similiter. SOC. Velocitatem cursus,& tarditatem. CAL. Certe. SOC. Nónne & bona felicitatemq;,& horum contraria mala uidelicet atq; miseriam, per uices accipit utraq;,per uices amittit? CAL. Omnino. SOC. Siqua ergo reperiamus à quibus aliquis liberatur simul & habet:nimirum hęc non ita se habent, ut alterum quidem eorum bonum sit,alterum uero malum. hæc ne confitemur? Quid responsurus sis considera diligenter. CAL. Fateor proculdubio. SOC. Age utique ad illa quæ prius concessimus reuertamur. Esurire uoluptuariũ dixisti esse,an molestum? De fame ipsa interrogo. CAL. Molestum equidem:attamen famescentem comedere,uoluptuarium. SOC. Ego quoq; intelligo,at uero fames ipsa molesta est,an non? CAL. Molesta. SOC. Nónne & sitis? CAL. Vehementer. SOC. Vtrum ergo amplius à me quæri uis? an confiteris indigentiam omnem atq; cupiditatem doloris esse participem? CAL. Confiteor:ne ultra quæras. SOC. Esto. Sitientem uero bibere,uoluptuarium esse dicis? CAL. Dico. SOC. Ex hoc ergo quod ais,sitientem quidem esse,doloroſum est. CAL. Est. SOC. Bibere uero expletio est indigentiæ atq; uoluptas. CAL. Ita. SOC. Nunquid ergo qua ratione bibit,gaudere dicis? CAL. Maxime. SOC. Quatenus uero sitit,dolere? CAL. Certe. SOC. Sentis igitur quid sequaꝛ? uidelicet fateri te,dolentem gaudere simul,quando sitientẽ dicis bibere? an non simul id euenit eodem in loco atq; tempore? siue animã, siue corpus respicias. Nihil enim refert,ut arbitror. Ita ne est,an aliter? CAL. Ita. SOC. Veruntamen felicem esse simul & infelicem,impossibile esse dixisti. CAL. Equidẽ. SOC. At uero dolentẽ gaudere posse confessus es. CAL. Apparet. SOC. Quapropter gaudere non idem est atq; esse felicẽ:neq; dolere idem quod infelicẽ esse. Ideoq; aliud uoluptas est q̃ bonũ. CAL. Nescio quid commenteris. SOC. Immo scis, sed fateri non libet:at perge quæso respondendo,ultro enim deliras:ut quàm sapiens sis agnoscas qui me castigas. Nónne unusquisq; nostrũ sitire desinit,atq; simul gaudere propter potum? CAL. Nescio quid dicas. GOR. Nequaquam ita ô Callicles;Imò responde nostri gratia,ut disputatio concludatur. CAL. At enim semper

talis

talis est Socrates. Exigua enim & nullius momenti perquirit atq; redarguit. GOR. Quid tua refert? Non enim hoc tuum officium est, sed permitte ut arguat arbitratu suo. CAL. Quære igitur Socrates de angustis ac uilibus istis, quando id Gorgiæ placet. SOC. Sicci-ne beatus es, ut magna consecutus mysteria sis prius quàm parua? Ego uero id fas esse nõ iudicabam. Sed iam resumens ubi reliquisti responde. An non simul desinit quis sitire atque gaudere? CAL. Concedo. SOC. Nónne & famescere aliasq; cupiditates habere simul atque uoluptates desinit? SAL. Ita est. SOC. An non ergo dolores, & uoluptates simul animi? CAL. Ita. SOC. Veruntamẽ à bonis & à malis nõ simul cessat: ut tu modo fatebaris. Nunc uero non confiteris. CAL. Equidem. Sed quid tum? SOC. Nempe non eadem sunt ô amice bona, & uoluptuaria: neque mala eadem atque molesta. Ab illis enim quis simul cessat, ab illis uero nequaquam, utpote alijs. Quanam igitur ratione uoluptuaria eadem sint atque bona? uel molesta eadem atque mala? Iam uero si uis hoc rursus pacto considera. Arbitror enim nec per hunc modum tibi consentiri. Attende igitur: bonos uiros nónne bonorum præsentia bonos uocas? quemadmodũ pulchros eos quibus pulchritudo adsit appellas? CAL. Equidem. SOC. Quid uero? bonos uiros appellas dementes, & timidos? non certe paulo ante, immo fortes prudentesq; dicebas. Nónne hos ipsos nuncupas bonos? CAL. Omnino equidem. SOC. Dementem autem puerum uidisti unquam uoluptate perfundi? CAL. Vidi. SOC. Virum autem dementem uidisti aliquando affici uoluptate? CAL. Opinor me uidisse. Sed quorsum hæc? SOC. Nihil refert: sed responde. CAL. Vidi. SOC. Quid uero? sanæ mẽtis uirum dolentẽ uidisti atq; gaudentem? CAL. Certe. SOC. Vtri uero magis gaudent atq; dolent, prudẽtes ne, an imprudentes? CAL. Haud multum differre arbitror. SOC. Satis est istud. In bello autẽ uidisti ne unquam uirum timidũ? CAL. Quid ni? SOC. Quid uero cum recederẽt hostes: utri uidebantur tibi magis gaudere: timidine, an fortes? CAL. Vtriq; mihi magis gaudere, uel saltẽ propè. SOC. Nihil refert. gaudent igitur & timidi. CAL. Magnopere. SOC. Et dementes, ut apparet. CAL. Et isti. SOC. Cum uero hostes aduentant, soli ne dolent timidi, an etiam fortes? CAL. Vtriq;. SOC. Num similiter? CAL. Fortè magis timidi. SOC. Abeuntibus autẽ nónne magis gaudent? CAL. Fortè. SOC. Non igitur dolent atq; gaudẽt imprudentes atq; prudẽtes, timidiq; et fortes similiter: ut ipse ais: magis tamẽ timidi q; fortes. CAL. Aio equidem. SOC. Veruntamen prudentes quidem, et fortes boni sunt: timidi uero atq; imprudentes mali. CAL. Ita est. SOC. Quamobrem æque gaudent atq; dolent & boni & mali. CAL. Assentior. SOC. An ergo æque boni maliq; sunt hi qui boni sunt, & qui mali? an potius boni duntaxat qui boni sunt, mali uero qui mali? CAL. Per Iouẽ nescio quid inuoluas. SOC. An ignoras dixisse te bonorũ præsentia esse bonos, malos uero malorum? Bona autem uoluptates esse, mala uero dolores? CAL. Equidem. SOC. Nónne igitur his qui oblectantur adsunt bona, uidelicet uoluptates? siquidem oblectant? CAL. Quid prohibet? SOC. Num præsentibus bonis boni sunt qui delectantur? CAL. Sunt. SOC. Et dolentibus assunt mala, scilicet ipsi dolores? CAL. Assunt. SOC. Malorum uero copia malos esse dicis qui mali sunt. nõne adhuc dicis? CAL. Equidem. SOC. Boni ergo sunt hi qui gaudent, mali uero qui dolent. CAL. Maxime. SOC. Et qui magis nimirum magis, qui uè minus, & hi minus, & qui pariter, æque. CAL. Ita. SOC. Nunquid ais ita gaudere atq; dolere prudentes ut imprudentes, rursusq; timidos atq; fortes? an magis etiã timidos? CAL. Aio. SOC. Reputa igitur unà mecũ quid nobis ex his quæ cõcessa sunt eueniat. Bis enim atq; ter pulchrum esse ferunt ea quæ pulchra sunt dicere atq; cõsiderare. Bonum quidem esse prudentem fortemq; diximus, necne? CAL. Diximus. SOC. Malum uero imprudentem & timidum? CAL. Prorsus. SOC. Bonum autem rursum eum qui gaudeat? CAL. Ita. SOC. Malum uero eum qui doleat. CAL. Necesse est. SOC. Dolere uero atque lætari bonum malumq; similiter: fortè etiam magis malum? CAL. Certe. SOC. Similiter ergo quis bonus fit, & malus bono, uel potius ipse malus fit bonus. an non hæc & superiora illa sequunt̃, si quis uoluptaria eadẽ esse dixerit atq; bona? An nõ necessario hæc sequunt̃ Callicles? CAL. Iamdudũ te auscultо Socrates, tibiq; concedo, obseruans siquis uel ioco, aliquid tibi dederit, id puerorũ more libentius te arripere: quasi uero existimare debeas, uel me uel alium quenq; non arbitrari alias uoluptates esse meliores: alias uero deteriores. SOC. Vhi uhi ô Callicles q; astutus es? me quasi puerum ludis, quãdoq; in hunc modum

rem

rem habere asserens, quandoq; aliter, me decipis. atqui non arbitrabar ab initio ultro deceptum iri abs te, cum sis amicus. Nunc autem nimium me fefelliſti: atque, ut uidetur, quemadmodum uetus habet prouerbium, necessario adducor ut præsenti sorte pro uiribus bene utar: & quod tu das accipiam. Est autem, ni fallor, quod nunc affers, eiusmodi: uoluptatum alias quidem bonas esse, alias uero malas: nunquid? CAL. Proculdubio. SOC. Bonæ uero nónne quæ utiles? Malæ autem quæ noxiæ? CAL. Ita certe. SOC. Vtiles autem quæ boni aliquid afferunt. Noxiæ uero quæ mali nonnihil? CAL. Assentior. SOC. Num igitur tales dicis, uelut in corpore, quas modo dicebamus, edendi bibendiq; uoluptates? Nunquid enim ex his illæ quæ ualetudinem præstant corpori, aut robur, aut aliam quandam corporis uirtutem, bonæ sunt: quæ contrariæ, malæ? CAL. Prorsus. SOC. Et dolores eodem pacto alij boni sunt, alij mali? CAL. Nihil prohibet. SOC. Bonas quidem uoluptates, & dolores bonos eligere oportet & prosequi. CAL. Prorsus. SOC. Contrà uero nequaquam. CAL. Manifestum est. SOC. Nempe bonorum gratia agenda esse omnia ego & Polus consensimus, an meminisți? & tibi similiter uidetur, hic esse finis omnium actionum: ipsum scilicet bonum, eiusq; gratia cætera omnia facienda, non autem ipsum gratia reliquorum? An tertius in hanc sententiam nobis accedis? CAL. Equidem. SOC. Quamobrem bonorum gratia oportet & alia & uoluptates sequi, non autem bona gratia uoluptatum. CAL. Prorsus. SOC. An ergo cuiusque uiri est eligere quænam ex rebus quæ delectant bonæ sunt, quæ ue malæ? An potius artificiosi uiri opus est utrumq;? CAL. Artificiosi. SOC. Recordemur ergo illorum quæ ad Polum Gorgiamq; dixi. Nam si meminisți, esse facultates quasdam præparatrices dicebam: alias quidem usque ad uoluptatem duntaxat, quid melius deteriusue sit ignorantes, alias uero quid bonum malumue sit cognoscentes. Ponebam præterea earum quæ circa uoluptates uersantur, coquinariam circa corpus peritiam, sed non artem: earum uero quæ ad bonum intendunt, medendi artem. Et per louẽ amicabilem precor ô Callicles, ne aduersus me ioceris: neq; quicquid tibi occurrit respondeas, neq; etiam rursus hæc à me ueluti iocum accipias. Vides enim ea de re nobis esse sermonem, qua nihil magis nosse uir sanæ mentis contendat: quemadmodum uidelicet sit uiuendum: utrum quemadmodum tu hortaris, illa agendo quæ uiri dicis esse officia: uersantem in populo atq; orantem: rem præterea publicam gubernantem, ceu uos in præsentia gubernatis: an potius uita sit hæc philosophica capessenda, & qua in re hæc uita differt ab illa. Fortè uero operæprecium est, quemadmodum inceperam paulo ante, distinguere: atq; deinde cum nobis de distinctione cõuenerit, si hæc duplex uita est, cõsiderare quid interſit, & qua potius uiuendũ. Sed fortassis nondũ quid dicam intelligis. CAL. Nondum certe. SOC. At planius dicam, postquam confessi utercq; sumus, esse quidem aliquid bonum, esse quoq; aliquid uoluptariũ: sed aliud uoluptarium esse, quàm bonum: atq; utriusq; horum studiũ, & præparationẽ quandam esse ad ea comparanda: alteram uidelicet uenationem boni, alteram uoluptatis: hoc ipsum primo antequam ulterius procedam, assentiris mihi, necne? CAL. Assentior. SOC. Age & illa quæ ad hos dicebam mihi assentire, si modo uera tunc loqui tibi sum uisus. Constanter enim affirmabam nõ uideri mihi coquinariam esse artem, sed peritiam quandam. Medicinam uero esse artem, propterea quòd medicinæ facultas illius quod curat naturam & causam eorum quæ agit expendit: ac horum cuiusq; reddere rationem potest. Altera uero uoluptatis facultas ad ipsam uoluptatem circa quam totum eius uersatur studium, omnino absq; arte procedit, neq; uoluptatis ipsius naturã considerans, neq; causam: temeraria prorsus, ut ita dixerim, neq; pensi habens quicquã, sed usu quodam atq; experientia, & memoria eius quod accidere consueuerit solũ freta, uoluptates studiose parat. Hæc ergo primum perpende, num sufficienter tibi dicta uideantur. Nunquid præterea esse putes tales quasdam circa animam facultates, alias quidem artificiosas, uidelicet eius quod sit animę optimum curam gerentes: alias uero id negligentes, dum solum cogitant quemadmodum & de corpore diximus, quo pacto oblectare animum queant. Quæ quidem utrum melior an deterior sit uoluptas, minime cogitant: neq; aliud quicquã curant, quàm ut oblectent, siue melius id sit, siue deterius. Mihi quidem uidentur esse tales aliquæ facultates, uniuersumq; id ministerium adulationem esse duco, tam circa animã quàm circa corpus: & omnino circa illud quodlibet cuius uoluptatem quis affectat, nulla prorsus melioris deterioris ue

Prouerbiũ

Quare medicina sitars

Vide quæ sint in ipsa peritia

risúe adhíbita ratione. Tu uero utrum in eandem nobíscum sententiã cõuenis, an dissentis? CAL. Minime quidẽ, imò consentio, ut tibi quandoq; disputatio cõcludatur, & huic Gorgiæ gratificer. SOC. Nunquid hoc circa unam quidem est animam? Circa uero duas, uel plures non est? CAL. Non ita, sed & circa duas, & circa multas. SOC. Nónne & multis in unum cõuenientibus, gratificari quis potest absq; ulla eius quod est optimum ratione? CAL. Sic arbitror. SOC. Potes ne dicere quæ studia sint quæ hoc efficiant? Imò si uis me quærẽte, eam quidem quæ talis tibi uidetur, concede esse talem. Quæ uero non talis, nega. Principio tibicinarũ consideremus, an non tibi hæc uidetur esse talis, ut aliud nihil quàm aures delectare curet? CAL. Mihi quidem. SOC. Num & aliæ omnes eiusmodi quales citharistica qua in certamínibus utuntur? CAL. Certe. SOC. Quid doctrina chori dithyramborumq; poesis, nónne eiusmodi tibi esse uidetur? An putas Cinesiam Meletis filium, ut tale aliquid dicat, unde audiẽtes meliores reddantur, spectare? Vel potius unde theatrali turbæ placere possit? CAL. Manifestum quidem hoc est ô Socrates, de Cinesia. SOC. Pater uero eius Meles, an ad id quod optimum esset, prospicere uidebatur, cum ad citharam caneret? Vel ipse profecto ne ad uoluptatem quidem? nam molestus audientibus erat. Verum considera, nónne citharœdica facultas omnis, dithyramborumq; poesis oblectandi gratia tibi uidetur inuenta? CAL. Mihi quidem. SOC. Quid autem præclara hæc tragœdia atq; admirãda poesis molitur? Nunquid studium eius conatusq; ad audientium uoluptatem solum tendit? uel si quid uoluptuarium quidẽ atq; gratum sit, sed tamẽ malum, id cauebit ne unquam dicat? Contrà uero, si quid molestum, attamẽ utile fuerit, id & dicet, & canet, oblectentur, nec ne audientes? Sed quidnam tragœdorum poesis elaborare maxime tibi uidetur? CAL. Constat eam ad uoluptatẽ gratiamq; spectantium potius declinare. SOC. Hocipsum paulo ante adulationem esse diximus. CAL. Plane. SOC. Age utiq;, si quis auferat ex tota poesi cõcentum, & rhythmum, atq; mensuram, aliud'ne quidquã præter sermones quosdã supererit? CAL. Idipsum. SOC. Profecto ad turbam populumq; hi sermones habentur. CAL. Proculdubio. SOC. Popularis ergo oratio quædam est poesis. CAL. Apparet. SOC. Nónne rhetorica quoq; popularis est oratio? An nõ rhetorica in theatris uti poetæ tibi uidentur? CAL. Mihi quidem. SOC. Nunc ergo inuenimus rhetoricam quandam ad populum talem, qualis est puerorum simul, & mulierum uirorumq;, & seruorum atq; liberorũ. Quam quidem haud ualde probamus, quippe cum adulatoriam eam esse cõfessi sumus. CAL. Sic est profecto. SOC. Agedum, quid de ea dicemus rhetorica, qua ad Atheniensem aliarumq; ciuitatum populos ex uiris liberis conflatos utuntur? Qualis ea est? Vtrum tibi uidentur oratores ad id semper quod optimum sit, uerba dirigere: id duntaxat spectantes, qua ratione ciues quàm optimi ex eorum orationibus euadant? an potius hi quoq; gratiam auditorum aucupantur boni dũtaxat proprij gratia, publico interim neglecto commodo. Nam perinde atq; pueros, populum tractant, intenti duntaxat ad gratiam: nihil uero curantes, utrum ob hoc meliores, aut deteriores reddantur. CAL. Haud simplex id est quod interrogas. Sunt enim qui in orãdo utilitati ciuium cõsulunt: sunt & alij tales quales ipse narras. SOC. Satis est. Si enim & hoc est duplex, alterum quidem eius membrum adulatio erit, turpisq; concionatio: alterũ uero pulchrum, studere uidelicet, ut animi ciuium quàm optimi fiant, semper pro audientium utilitate certando, siue placeant, siue displiceant quæ dicuntur. Verum tu certe oratoriam eiusmodi uidisti nunquam. Quod si inter oratores talem quempiã habes, cur non & eum mihi ostendisti? CAL. Per Iouem ex oratoribus qui nunc sunt, talem habeo nullum. SOC. Num autem inter ueteres aliquem indicare potes, per quem Athenienses facti aliquãdo sint meliores, postquam ille orare cœperit, cum praui antea fuerint? Ego enim quis sit talis, ignoro. CAL. Quid uero Themistoclem non audis uirum bonum fuisse? & Cimonem, & Milciadem, atq; Periclem hunc nuper uita functum? quem ipse quoque orantẽ audisti. SOC. Siquidem est ô Callicles, uera uirtus quam in superioribus ipse dicebas, cupiditates uidelicet suas, aliorumq; explere. At si id aliter habet, atq; ueluti postea in disputando fateri compulsi sumus, cupiditates illas quæ meliorem efficiũt uirum exequi oportet, alias uero minime, atq; huius rei cum ars quædã extet, artificem'ne eius aliquem demonstrare mihi potes? CAL. Non habeo equidem quid dicam. SOC. At uero si rite quæsiueris, inuenies. Videamus iam sic plane cõsiderantes, num aliquis horum

Poesis sine cõcentu & numeris, nõ aliud est quàm sermo popularis

Ostenditur rhetoricæ adulatio

talis extiterit. Dic age,bonus uir atq; ad id quod optimum sit, uerba faciens, non temere dicet, sed ad aliquid certe prospiciet. quẽadmodũ & alij omnes artifices, quorum suum quisque opus obseruat,nec casu quod ad usum opus conferat,eligit,sed quemadmodum ad propositum sibi exemplar opus speciem aliquam cõsequatur. Veluti si intueri placet pictores,& architectos,& fabros nauiũ, aliosq; omnes artifices: quiuis eorũ in ordinem quendam singula ubiq; disponit,cogitq; alia alijs cõuenire atq; congruere,donec totum constituatur quodam ordine exornatum. Id ergo omnes agunt artifices,atq; hi quos in superioribus dicebamus pædotriuæ & medici similiter faciunt circa corpus. Ornãt enim ipsum atq; componunt. Confitemur id ita se habere,nec ne? CAL. Sit ita. SOC. Domus igitur ornatum & ordinem assecuta, bona erit: si minus, mala. CAL. Assentior. SOC. Et nauigium eodem pacto. CAL. Eodem. SOC. Atqui & corpora nostra similiter. CAL. Similiter. SOC. Quid uero animus,si ordinis fuerit expers,num bonus erit? an potius si ordinis ornamẽtiq; compos? CAL. Necessarium est ex superioribus hoc quoq; fateri. SOC. Quod ergo nomen est ei quod in corpore ex ordine ornatuq; efficitur? CAL. Sanitatem, & uires fortasse dicis. SOC. Dico equidem. quod uero nomen ei quod in animo ex ordine fit atq; ornatu,conare inuenire atq; exprimere,huius quemadmodum & illius. CAL. Cur non ipse dicis Socrates? SOC. Si ita tibi placet,dicam: tu uero si uera loqui uidebor, concedito: sin minus,reprobato: nec ullo modo condonato. Mihi quidem uidetur ordinationi corporis nomen esse sanum, ex quo in ipso fit sanitas, aliaq; corporis uirtus. Ita ne est,an aliter? CAL. Ita. SOC. Animi uero ordinationi atq; ornatui, legitimũ lexq; esse nomen,unde legitimi fiunt homines atq; decori. hæc uero sunt iustitia atq; temperãtia. Assentiris,nec ne? CAL. Esto. SOC. An non igitur ad hæc artificiosus ille rhetor bonus respiciens,uerba sua hominum animis adhibebit: actionesq; omnes,& quicquid uel cõcedet aliquando,uel negabit,ad id semper intendet,ut ciuium animis iustitia quidem insit,iniustitia uero absit: rursus adsit temperantia,intemperantia uero eijciatur,cæteraq; uirtutes colantur,prauitas expellatur? Concedis,nec ne? CAL. Concedo equidem. SOC. Quidnã confert ô Callicles,corpori ægrotanti maleq; affecto,cibos multos suauissimosq; præbere,aut potum,aut aliud quippiam quod non sit profuturũ? hoc est plus uel minus uel contrarium quàm iusta dictat ratio. Sunt hæc uel non? CAL. Sint. SOC. Non enim prodesse arbitror homini,in afflicto corpore uiuere. Sic enim necesse est uiuere male. nõne ita est? CAL. Ita. SOC. Nónne cupiditatibus satisfacere, ueluti esurientem comedere quantum uult,uel sitientem bibere quatenus placet, sanum quidem hominem medici plerũq; permittunt: ægrotantem uero nunquam,ut ita dixerim, appetitus suos implere permittunt? Cõcedis hoc & ipse? CAL. Cõcedo. SOC. Ad animum quod attinet,an nõ eadem est tractio? Quatenus enim prauus est & demens, atq; intemperans iniustusq; & impius, coercendus nimirũ est à cupiditatibus,neq; permittendus alia facere quàm illa ex quibus euadat melior. Consentis nec ne? CAL. Consentio. SOC. Ita enim ipsi animo expedit. CAL. Prorsus. SOC. Nónne coercere, est ab his quæ cupit, continere? CAL. Est. SOC. Continentia igitur melior est animo quàm incontinentia, quẽadmodum ipse modo statuebas. CAL. Nescio quid dicas Socrates. itaq; alium quemuis interroga. SOC. Hic non sustinet ut ipsi quod utile sit,afferatur,atq; eam de qua nunc sermo habetur,continentiam consequatur. CAL. Nulla omnino tuorum mihi uerborum cura est, ô Socrates, atq; hactenus Gorgiæ gratia tibi respondi. SOC. En quid ergo agemus? nunquid sermonem medium abrumpemus? CAL. Ipse uideris. SOC. At nefas esse aiunt, mancas dimittere fabulas, imò colophonem imponendum esse, ne absq; capite oberrent. Responde ergo ad reliqua, ut sermo hic noster caput sortiatur. CAL. Quàm uiolentus es ô Socrates? Profecto si mihi credis, hanc disputationem iam dimittes,uel cum alio disputabis. SOC. Quisnam uult alius,ne imperfectum relinquamus sermonem? CAL. An non ipse sermonẽ potes percurrere,uel enarrãdo,uel tibimet respondendo? SOC. Ne mihi Epicharmi illud accidat, quæ prius narrabant duo, nunc ad illa unus sufficiam. Verũtamen uidetur sic omnino necessarium esse. Si tamen id faciemus, puto equidẽ oportere nos omnes certatim ad id contendere,ut quid in his quę dicimus uerum, quid'ue falsum sit,cognoscatur. Commune enim est hoc in omnibus bonum,ut hic unicuiq; cõstet: prosequor igitur ego ipse sermonem, quo pacto se habere uidetur. Quòd sicui uestrum fortè mihi ipsi quæ uera non sint, uidebor con

Sanũ in ordinatione corporis

Legitimũ & lex in ordinatione animi, quę iusti tia & temperantia est

Proverbiũ Nefas est mancas dimittere fabulas

bor cõcedere,uestrum erit obijcere atq; redarguere. neq; enim tanquam sciens dico illa, sed uerum uobiscum cõmuniter indagãs. Quapropter siquid recte dicere uidebitur qui me reprehenderit,ego primus assentiar. Hæc tamẽ ea mente dico,si modo sermonẽ perficiendum esse putatis. Sin minus,omittamus iam atq; abeamus. GOR. At enim nondum mihi abeundum uidetur,imò disputationem à te esse perficiendam. Puto autem cæteris quoq; idem uideri,& ipse percupio reliqua ex te ipso audire. SOC. Atqui ô Gorgia, libẽter adhuc cum Callicle disputarem, donec pro Zethi Amphionis dictum illi redderem. Sed quando tu Callicles disputationẽ recusas perficere mecum, saltem ausculta atq; argue,si quid minus recte dicere tibi uidebor: quòd si me conuiceris,haud infestus ero tibi quemadmodum mihi tu, sed pro maximo beneficio id adscribam. CAL. Dic tu ipse bone uir,et quod instituisti,absolue. SOC. Audi me igitur disputationẽ ab initio repetentẽ. An idem est uoluptas atq; bonum? certe non idem, ut ego & Callicles confessi sumus. An uoluptatẽ boni gratia, uel bonum gratia uoluptatis sequi debemus? uoluptatem certe gratia boni. Est autem uoluptas qua præsente gaudemus. Bonum uero quo præsente boni sumus. Prorsus. Boni uero sumus, & nos & quæcunq; alia ob præsentem uirtutem quandam. Sic enim ô Callicles,necessariũ esse mihi uidetur. At uirtus cuiusq; siue instrumenti,siue corporis, siue animæ,non temere utiq; adest, sed ordine rectitudineq; & arte quæ horum cuiq; tradita sit. Nunquid hæc ita se habent? Mihi quidẽ sic se habere uidentur. Quamobrem ordine ordinatum ornatumq; esse est cuiusq; uirtus. Nempe sic ego faterer. Itaq; ornatus quidam proprius unicuiq; insitus, quodlibet efficit bonum. Mihi quidem sic apparet. Quapropter anima quæ proprium habet ornatum, melior est illa quę ornatus est expers. Necesse est. Iam uero quę habet ornatum,ornata est atq; modesta. Quid ni? Talis uero est & temperans. Necesse est omnino. Quæ uero temperans, est & bona. Equidem ô amice Callicles,quo pacto aliter dicam,nõ inuenio. Tu uero siquid habes aliud,doce. CAL. Dic tu bone uir. SOC. Dico igitur,si temperatus animus bonus est,consequi ut qui contrà atq; temperatus affectus est,sit malus. Est uero talis intemperatus animus & incontinens. Sic est omnino. Temperatus autem agit decentia erga deos atq; homines. Non enim temperatus esset, nisi decorũ seruaret. Necesse est sic esse. Proinde qui decẽtia inter homines agit,iuste agit: & agens similiter erga deos,agit pie. Eum uero qui iusta piaq; agit,necesse est esse iustum atq; pium. Sic ueritas habet. Præterea fortem hunc esse necesse est. Non enim temperati uiri est, uel prosequi, uel fugere aliter quàm decet. imò oportet & res singulas & homines ipsos & uoluptates atque molestias tum fugere, tum prosequi tum etiam tolerare ubi sit opus. Quamobrem omnino necessariũ est temperatum uirum,cum,ut diximus,iustus & fortis sit & pius,esse perfecte bonum. Bonum uero bene honesteq; agere quicquid agat. Eum autẽ qui bene agit, felicem esse atq; beatum. Improbũ uero ac male agentem esse miserum. Talis autem est qui aliter est affectus quàm temperatus: uidelicet qui intemperatus est, quem ipse laudabas. Ego igitur hęc ita statuo,& esse uera sentio. Quamobrem si ita res se habet, quicũq; optat beatus fore, temperantiam sequi exercereq; debet: intemperantiam uero fugere, quantum cuiusque nostrum pedes ualent: atq; ita sese comparare ut non indigeat castigatione atq; pœna: si uero indigeat uel ipse,uel alius quiuis familiarium,siue priuatus,siue ciuitas,adhibita pœna coercendus est,si modo futurus sit beatus. Hoc mihi uidetur esse signum ad quod prospicientes dirigere uitam debemus,omnia tam publica quàm priuata ad hoc referẽtes,ut iustitia & temperantia illi adsit qui futurus sit felix: non autem cupiditatibus omnia permittenda sunt: quas explere conari,inexplebile malum est, latronisq; more uitam agere. Neque enim cuiquam hominum is qui eiusmodi est,charus unquam erit,neq; Deo: quippe cui societas cum alijs nulla esse possit. Cui uero non sit societas, ei nec amicitia etiam unquam constabit. Tradunt autem sapientes,cœlum & terram,deosq; & homines societate quadam & amicitia,modestoq; ornatu,& temperantia & iustitia contineri: atq; id uniuersum præterea mundum ornatumq; appellant, non immunditiam, neq; intemperantiam. Quæ tu quamuis sapiens, mihi uideris animaduertisse nunquã. Nam te latuit geometricam æqualitatem in deis atq; hominibus ualere quãplurimum. At uero tu in rebus omnibus prærogatiuam exercendam putas: Geometriam namq; contemnis. Age itaq;, uel refellendus est sermo ille noster, quasi non iustitiæ temperantiæq; possessione beati

fiant quicunq; beati, prauitatis uero miseri: uel si uerus est, considerandũ est quid sequatur. Nempe priora illa cõsequentur omnia, in quibus à me an serio loquerer, inquirebas. Ego uero accusandum esse & seipsum & filium & amicum, siquid iniuste fuerit perpetratum, atq; ad id utendum esse rhetorica, asserebam. Et quæ tu Polum uerecundia adductum putabas concessisse, uera utiq; erant: uidelicet iniuriam facere, quanto turpius est quàm sustinere, tanto esse etiam deterius: atq; eum qui rectus futurus sit orator, oportere iustum esse, & quæ iusta sunt, scire. Quod quidem rursus Gorgiam ob uerecundiam concessisse Polus ait. Cum uero hæc ita se habeant, considerabimus quæ sunt illa in quibus me ipse uituperas: num recte dicatur, nec'ne: me uidelicet non posse uel mihi, uel amicis atque domesticis opem ferre, neque ex maximis periculis liberare, at esse me in potestate libidinęq; cuiusque, quemadmodum abiectissimi quique solent, siue pulsare uelit quis, ut tu iactabundus dicebas, super genam, siue pecunias rapere, siue urbe expellere, siue ultro supplicio afficere. Ita uero comparatum esse, rem turpissimam omnium esse dicebas. Mea uero sententia iam sæpius dicta, atq; rursus nihilo prohibente dicenda, contrà se habet: uidelicet non esse turpissimum iniuste genam percuti, uel corpus marsupiumúe cædi, sed percutere iniuste atq; cędere mihi meisq; turpius atque deterius. Item furari, & in seruitutem adducere, murosq; suffodere, atq; summatim quamlibet iniuriam facere, esse ei qui facit deterius simul & turpius quàm accipere. Hęc superius à nobis concessa, ut ego assero, continentur atq; uinciuntur, & si dictu rusticius est, ferreis adamantinisq; rationibus: quibus, ut ita sentiam, adducor. Quas nisi tu aut aliquis te robustior dissoluat, fieri non potest ut aliter quàm ut nunc ipse dico, recte dicatur. Nam mihi quidem semper idem permanet sermo: me uidelicet hæc nescire quo pacto se habeant: at tamen nullum eorum qui cum hactenus loquutus sum, quẽadmodũ modo uobiscum, potuisse unquam aliter dicendo non ridiculum apparere. Quamobrem hæc iterum statuo ita se habere. Quod si ita se habeãt, atq; iniuria maximum qui eam facit est malorum: illud insuper maius est iudicandum, uidelicet ipsum qui fecerit, nunquam dare pœnas: quod tandem auxilium erit illud, quod quisquis cum sibimet afferre non possit, reuera sit contemnendus? Nónne hoc quidem maximum à nobis amoueat detrimentum? Profecto necesse est hoc esse turpissimum, non posse auxilium eiusmodi præstare sibi ipsi, amicisq; ac propinquis. Secundum uero auxilium aduersus malum secundum: tertium contra tertium, cæteraq; similiter, prout cuiusq; mali magnitudo se habet ita & pulchrum est opem afferre posse, & turpe non posse. Nunquid aliter quàm sic res se habet Callicles? CAL. Certe non aliter. SOC. Cum igitur hæc duo sint, facere iniuram, ac pati: maius utique malum esse dicimus inferre, minus autem pati. Quodnam igitur auxiliũ sibi comparans aliquis, utrunq; potissimũ cõsequeretur, ut neq; inferat iniuriã, neq; accipiat? utrum potentiam an uoluntatem? Sic autem dico, utrum si nolit pati, iniuriam non patietur: an si potentiam sibi comparauerit, ita duntaxat nõ patietur. Constat certe si potentiã. Quid autem in inferendo? utrum si quis iniuriari nolit, satis erit remedij. Neq; enim iniuriam inferet. An ad hoc insuper potentia quædam & ars est comparanda, quam nisi quis didicerit atq; exercuerit, iniuriam faciet? Cur nõ mihi ad id saltem respondes Callicles? utrum ego atq; Polus tibi uidemur recte superioribus coacti rationib. fuisse nec'ne? quãdo confessi sumus, neminem uolentem iniuriam facere, sed inuitos hanc inferre quicunq; inferant. CAL. Esto tibi id ita Socrates, ut disputationem hanc concludas. SOC. Ad hoc ita q; potentia quædam & ars comparanda uidetur, ne cui faciamus iniuriã? Omnino quidem. Quænam igitur ars est ad facultatem comparandam, per quam uel nullam quis, uel minimam iniuriam patiatur? Cõsidera utrum tibi idem uideatur quod & mihi. Mihi quidem ita uidetur, uel oportere principatũ in repub. obtinere, uel usurpare tyrannidem, uel cum præsenti gubernatione habere cõmercium. CAL. Vides ô Socrates, quàm paratus sim, siquid recte dixeris, comprobare. Profecto id mihi recte nimiũ abs te dictum fuisse uidetur. SOC. Considera præterea hoc, si recte tibi dicere uideor. Amicus mihi uidetur quisq; esse cuiq; maxime, quẽadmodum antiqui sapientesq; tradunt, ut maxime similis est, nónne & tibi? CAL. Mihi quidem. SOC. Nõne ubi tyrannus ferus rudisq; dominatur, siquis ea in urbe multo melior sit, tyrannus hunc formidat, atq; huic nunq; tota mente amicus esse poterit? CAL. Sic accidit. SOC. Neq; si multo sit deterior? cõtemnet enim eum tyrannus, neq;

nus,neq; unquam tanquam erga amicum afficietur. CAL. Vera narras. SOC. Solus ergo amicus huic esse poterit apud eum existimatione dignus,qui cum moribus similis sit,eadem q; laudet atq; uituperet,subesse uelit domino & parere. Hic nimirum magnam in ea ciuitate habebit potentiam:hunc iniuria impune nullus afficiet.nónne ita se res habet? CAL.Ita. SOC.Siquis ergo in hac urbe ex ipsa iuuẽtute cogitet, qua potissimum ratione magnam comparare potentiam ualeat:adeò ut nullus iniuriã sibi queat inferre:hæc ipsa, ut uidetur,illi uia est:statim ab adolescentia seipsum assuefacere,ut eisdem gaudeat atque doleat,quibus & dominus:atq; ita se comparare ut illi sit quammaxime similis.nõne ita? CAL.Ita. SOC.Hic ergo ut præsens sermo significat,assequetur, ut iniuria inferri sibi non possit,magnamq; habeat in ciuitate potentiam. CAL. Prorsus. SOC. Nunquid etiam assequetur ut iniuriam inferat nemini? an potius multum abest? siquidem iniusto principi similis erit,magnæq; autoritatis apud eum. Verũ puto eiusmodi uitę statum huic ad id ac cõmodatissimum esse,ut quammaxime facere iniurias possit, pœnasq; iniuriarum penitus deuitare.nónne ita? CAL.Apparet. SOC.An nõ hic malo occupabitur maximo,cum flagitiosus sit, animumq; infectum habeat ob imitationem domini similemq; potẽtiam? CAL.Nescio quomodo sermonem ô Socrates,sursum deorsumq; uertas. An nescis eum qui sic imitatur,posse eum qui non imitatur,occidere, modo uelit, patrimonioq; expolia re? SOC. Scio equidem ô bone Callicles, nisi surdus sim : cum non solum abs te,uerumetiam à Polo nuper, & à cæteris fermè omnibus in ciuitate idem frequenter audiuerim. at ipse me audi.profecto interficiet, modo uelit:sed malus honestum atq; bonum. CAL. At hoc ipsum grauiter est ferendum. SOC. Non certe uiro mente ac ratione prædito, ut & tuus sermo significat. An putas in hoc ipso multum ab homine laborandũ, ut quàmdiutissime uiuat,easq; artes meditet, quæ nos seruare semper à periculis possint,qualis rhetorica est,ad quam tu me capessendam exhortaris:eo quod in iudicijs nos sæpe seruet. CAL.Per Iouem tibi recte consulo. SOC. Quid uero uir optime? nandi peritia præclara tibi uidetur? CAL.Non per Iouem. SOC. Attamen seruat hæc homines ab interitu, quotiens illuc inciderint ubi eiusmodi arte sit opus. Quòd si hæc tibi uidetur exigua,ego maiorem hac adducam,gubernatoriam scilicet, quæ nõ solum uitam, uerũetiam corpora & pecunias ab extremis seruat periculis,non secus q; rhetorica. atq; hæc tamen humilis est atq; modesta,non iactabunda,neq; ampullosa,quasi mirabile aliquid cõsecuta. Sed cum eadem efficiat quæ rhetorica,si ab Ægina hucusq; nos seruet,duos duntaxat exigit nummos. Si uero ex Ægypto,uel Ponto salua reduxerit quæ modo dicebã, nos & filios uxoresq; & diuitias,duas drachmas expostulat:atq; ipse hac arte prędítus,quíue hæc perfecerit, descendens, in littoreq; secus mare nauemq; deambulans,nequaq; se effert,neq; inflatur. Animaduertit enim,ut arbitror, incertum esse utrum profuerit uel obfuerit illis quos seruauit,ne fluctibus mergerentur:intelligens se nihilo uel corpore, uel animo meliores reduxisse illos q; acceperit ab initio nauem ingrediẽtes. Cogitat ergo si quis magnis insanabilibusq; morbis corporis pressus in mari non pereat,hunc ideo miserum esse, quia nõ perijt,nec ullam ab ipso suscepisse utilitatẽ. Siquis aũt animo qui corpore pretiosior est, multos insanabilesq; habet morbos: nunquid huic uiuendũ est? eiq; utilitatẽ afferret, siue ex mari,siue ex iudicio,siue aliunde quis ipsum seruet? Sed profecto nouit, flagitioso homini ut uiuat nõ expedire. Necesse est enim ut male uiuat. Quamobrẽ nulla extat lex per quam gubernator quamuis nos seruet,gloriari possit, atq; in honore haberi. Cæterũ ipse machinarũ faber,qui ne dum gubernatore,sed etiam exercitus duce,uel quouis alio non minus interdũ seruare potest,eo q; ciuitatibus interdum totis salutẽ pręstet, nũquid causidico æquiparandus esse uidetur? Qui si uellet hic quẽadmodũ uos rem suam extollere,nimirũ uos uerbis obrueret, exhortans omnes ut fabri machinarũ efficiantur : quasi nullius momenti sint cætera.Non emẽ sibi deesset materia. Veruntamen hunc ipse artẽq; eius nihilo minus cõtemneres, ac ueluti per cõtumeliã machinarium uocitares, nec eius filio collocare in matrimonium filiam tuam uelles,neq; etiã filiam tu eius ducere. Quamuis ex quibusnam rationibus facultatẽ tuam laudas? quonam pacto uel machinariũ, uel alios quos paulo ante cõmemoraui,iuste poteris aspernari? Dicturũ te arbitror, meliorẽ esse te,atq; ex melioribus ortum.Ipsum uero quod melius dicitur,si nõ est id quod ego dico:sed hoc ipsum uirtus est,seruare seipsum qualiscũq; sit,atq; sua:certe ridicula tibi uitu-

peratio est aduersus machinariũ, uel medicũ, alias ue artes, quotcunq; salutis gratia sunt inuentæ. Cæterum ô beate, uide ne aliud sit generosum atq; bonum, q̃ seruare atq; seruari. Neq; enim uiuere hic quantumcunq; tempus, optandum est uiro qui uere sit uir: neq;

Mulierũ dictũ neminẽ uitare posse fatum

uita hæc amanda est, sed hęc Deo cura relinquenda: mulieribusq; adhibẽda fides, quæ dicunt neminem uitare posse fatum: id in primis consideret quisq;, qua ratione hoc ipso tẽpore quo uita fungitur, quãoptime uiuat. Nónne id fiet si ciuibus quibus cum uiuit, persimilem se præstet? & nunquid oporteat te nunc simillimũ euadere Athenien sium populo, si amicus huic sis futurus, magnęq; inter illum autoritatis? Cõsidera igitur utrum id tibi mihiq; expediat, nec ne: Ne ue id nobis ô beate uir, eueniat, quod Thessalicis mulieribus deducentibus lunã euenire tradunt, cum amicissimis optio nobis sit huius potentię. Si autem ipse putas quempiã hominum artem quandam eiusmodi traditurũ, per quam in ciuitate hac potens efficiaris, quamuis gubernationi publicę sis dissimilis, siue melior, siue deterior, haud quaq; recte, ut mihi uidet, ô Callicles, cogitas. Non enim imitatorem, uerum ipsa natura persimilẽ esse ijs oportet, si magnum aliquid ad beneuolentiam Athenien sis populi cõparandam sis consecuturus, ac per louem insuper Pyrilampi. Quisquis te his efficiet similem, is faciet quẽadmodum cupis, ut ciuilis sis atq; rhetoricus. Nempe omnes ijs uerbis quæ suis moribus consentanea sunt, delectãtur, diuersisq; turbant̃, Nisi tu forte, ô lepidum caput, aliud afferas. Dicemus ne aliquid ad hæc Callicles? CAL. Nescio quomõ bene dicere mihi uideris ô Socrates. Euenit mihi tamen, q̃d multis accidere alijs cõsueuit: nam haud magnã tibi habeo fidem. SOC. Amor populi ô Callicles, tuo insitus animo, restitit mihi: uerum si sæpius melius q; hæc eadem cõsiderauerimus, tibi forte probabilia uidebunt̃. Recordare igit̃ duas à nobis narratas esse prę parationes, tam ad corpus q̃ ad animũ pertinentes. Quarum altera quidẽ tendat ad uoluptatẽ, altera uero ad id quod melius est, nõ gratificans, sed repugnãs. Nónne hæc in superioribus definiuimus? CAL. Prorsus. SOC. Et quæ declinat ad uoluptatẽ, seruilis: neq; quicquã aliud q̃ adulatio est. nónne ita? CAL. Esto. siquidẽ ita tibi placet. SOC. Altera uero studet ut q̃ optimũ fiat, siue anima sit, siue corpus id quod curamus. CAL. Omnino. SOC. Igitur sic reip. ciuiumq; capessenda nobis est cura, ut ciues ipsos bonos efficiamus. Alioquin quẽadmodum supe rius meminimus, nihil prodest beneficiũ aliud conferre, nisi honesta & bona sit mens eorum qui accepturi sunt uel pecunias multas, uel imperium, uel aliam quamlibet potestatem. Ponimus sic esse, nec ne? CAL. Prorsus, si tibi placet. SOC. Si ergo nos inuicẽ ô Callicles, cohortaremur, publice ciuilia pertractantes ad murorum, uel naualiũ, uel templorum ingentia ædificia: nunquid necesse considerare nosipsos atq; dispicere, primum quidem an eius artis peritiam habeamus, nec ne: et à quo didicerimus? an ita oporteret id fieri aut minus? CAL. Prorsus. SOC. Secundo uero, siquando priuatim nobis uel amicis, aliquod construximus ædificium: id ne pulchrum sit uel turpe. Quod si inuenerimus magistros nobis bonos præstantesq; fuisse, multaq; ædificia atq; præclara, tum unà cum magistris, tum à nobis ipsis ædificata, tunc demum rationi consentaneum esset ad publica nos conferre. At si neq; magistrum nostrum possimus ostendere: ædificia quoq; aut nulla, aut non bene constructa: stultum certe foret, opera aggredi publica, nosq; ad ipsa inuicẽ cohortari. Fatemur recte hæc dici, nec ne? CAL. Prorsus. SOC. Nõne similiter & in cæteris omnibus, atq; si in ciuilium rerum tractatione inuicẽ cohortemur, quasi idonei simus me dici, examinare nos mutuo hunc in modum conueniet: Age per deos, ipse Socrates quonam pacto affectum ad sanitatẽ corpus habet, uel quisnam alius Socratis opera euasit à morbo, siue liber, siue seruus? Me quoq; de te eadem ratione iudicare deceret: atq; nisi alium per nos uel peregrinorum, uel ciuium, siue uirum, siue mulierẽ sanatum esse comperiamus, per louem ualde ridiculũ foret eò amentiæ prouehi, ut nullis priuatim tẽtatis,

Prouerbiũ

nullisq; perfectis rebus, necdum arte exercitata, figulariã, ut dici solet, in ipso uase discere aggrediamur, & ipsi ad rempub. accedentes, & ad eam alios prouocantes. Nõne id conari stulti hominis esse putares? CAL. Nimirũ. SOC. At ô uirorum optime, cum nuper admi nistrare rempub. cœperis, ac me insuper exhorteris, quod ue id non faciam, reprehendas: nõne ita inter nos cõsiderare debemus. Agedũ Callicles, quẽnam suorum ciuium reddidit meliorẽ? Est ne quisq;, qui cum antea improbus & iniustus & incõtinens atq; imprudens esset, tandẽ uero Calliclis opera honestus bonusq; euaserit, siue peregrinus, siue ciuis, siue

uis,siue seruus,siue liber:Dic si quis id abs te exigat,quidnam sis responsurus? quē addu ces aliquando factum tua cōsuetudine meliorem? An exponere piget si aliquod eiusmo di est opus priuatim à te confectum prius,quàm ad rempub. te conferres? CAL. Conten tiosus es Socrates. SOC. At non contentionis causa id requiro, sed reuera cupiditate di scendi quemadmodum administranda nobis publica censeas:an alia curanda sunt remp. adeuntibus quàm ut optimi ciues efficiantur? an nō sæpius iam id esse confessi sumus,ci uili homini faciendum? Num confessi sumus? Responde quæso.profecto cōfessi sumus, ut ego pro te respondeam. Si igitur ad id in sua ciuitate uirum bonum incumbere decet, nunc in memoriam reuocans mihi dicas uelim, nunquid illi quos in superioribus cōme morasti,adhuc tibi uiri boni fuisse uideantur,Pericles,Cimon,Milciades, Themistocles. CAL. Mihi quidem. SOC.Nónne si uiri fuere boni, unusquisq; illorum ciues ex deterio ribus reddidit meliores? Nónne ita. CAL. Ita. SOC. Si ita est:ergo quando Pericles pri mo orare cœpit ad populum,deteriores erāt Athenienses, quàm cum postremam ad eos habuit orationem. CAL.Forsitan. SOC. Non licet uir optime dicere forsitan. Nam ex his quæ concessimus necessario sequitur : siquidem bonus ille ciuis fuit. CAL. Quid tum? SOC. Nihil : uerum ad hæc id mihi dicas : nunquid dicantur Athenienses Periclis opera meliores esse redditi,aut omnino cōtrà ab illo corrupti.Sanè Periclem audio Athenien ses fecisse pigros,timidos,loquaces,auaros:primumq; mercenaria stipendia induxisse. CAL. Ab his qui fractas habent aures hæc audis ô Socrates. SOC. At hæc non amplius audio,sed apertissime scimus uterq; : uidelicet Periclem ab initio magno in precio fuisse habitum. neq; turpem sententiam aduersus eum ullam tulisse Athenienses,dum praui e rant: postquam uero honesti & boni ab ipso facti sunt, in extremo eius uitæ furti ipsum condemnauisse : parumq; abfuisse quin ultimo supplicio quasi malum uirum afficerent. CAL.Quid tum? malus ne propterea Pericles uir extitit? SOCR. Talis quidem asino rum curator & equorum atq; boum malus uidetur:si cum eos acceperit,neque calcitro sos,neq; cornupetentes,neq; mordaces, effecerit ut hæc ob feritatem habeant uitia. An non tibi uidetur ille cuiuslibet animalis malus esse curator,qui cū acceperit mansuetum, magis ferum reddiderit quàm accepit? Videtur tibi nec ne? CAL. Concedo equidem ut tibi gratum faciam. SOCR. In hoc præterea gratificare mihi, respondens utrum ho mo unum sit animalium nec ne. CAL. Quid rogas? SOC. Non ne hominum curam Pe ricles habebat? CAL. Habebat. SOC. Quid ergo? an non oportebat ipsos quemadmo dum modo consensimus,iustiores ex iniustioribus ab illo fuisse factos? siquidem ille qui curabat eos in rebus ciuilibus peritus erat. CAL. Prorsus. SOC. Non ne iusti mansueti sunt,ut ait Homerus? tu uero quid ais? non ne similiter. CAL. Aio. SOC. Veruntamen fe ros magis ipsos reddidit quàm acceperat:idq; aduersus seipsum,quod quidē minime uo luisset.. CAL. Vis ne tibi assentiar? SOCR. Si uideor tibi uera loqui. CAL. Sint ista. SOC. Proinde si magis feros, ergo iniustiores atq; deteriores. CAL. Esto. SOC. Quam obrem non bonus ad rempub. administrandam ciuis Pericles erat,ut ratio hæc ostendit. CAL. Non ut ipse ais. SOC. Per Iouem neq; ut tu inquis, per ea quæ confiteris. Rursus autem mihi de Cimone dicas:non ne relegauerūt eum illi quos ipse curauerat,ut uocem eius decennio non audirent? Præterea aduersus Themistoclem idem fecerunt, atq; exi lio insuper damnauere. Milciadē uero qui in Marathone pugnauit, in carceris barathrū detrudere decreuerant,ac nisi obstitisset magistratus, proculdubio incidisset. At uero si boni,ut tu ais,hi fuissent uiri, talia nunquam perpessi fuissent. Etenim aurigæ boni, non ab initio quidem nō excidunt:postquā uero equos curauerint, eiusq; artis fuerint perītio res,tum nō excidūt. id enim neq; in aurigaria,neq; in alio quouis opere accidere solet:an tibi uidetur? CAL. Minime. SOC. Vera igitur erant quæ à nobis in superioribus dice bantur,nullum uidelicet in hac ciuitate nos uirū scire extitisse, qui in rep. bonus ciuis es set habendus. Tu uero confessus es nullum ex his qui nūc sunt,esse talem : ex his autē qui præcesserūt,extitisse nōnullos,atq; inter eos quidē hos uiros præ cæteris elegisti. Hi uero nō aliter se habere hac in re q; qui nunc sunt, apparuerunt. Quapropter si hi oratores fue rūt,neq; uera rhetorica usi sunt,alioquin nunquā cecidissent,neq; adulatoria. CAL. Mul tum tamē abest ô Socrates ut quisquā eorū qui nūc sunt talia gesserit, qualia istorum qui uis gesit. SO,O beate nec ego,quantū ad ciuitatis administrationē pertinet,istos uitupe

ro.immo uero hac in re mihi uidentur diligẽtiores quàm hi noſtri fuiſſe,aptioresq́ ad illa conficienda,quæ ciuitas cupiebat. Verum in eo quod caſtigare ciuium cupiditates oportet,neq́ illis obſecundare, ſed & perſuadendo & cogendo ad hoc ipſum perducere unde meliores reddãtur ciues:nihil,ut ita loquar, inter hos atq́ illos intereſt. quod quidem ſolum eſt boni ciuis officium. Attamen tibi confiteor illos his aptiores fuiſſe ad naues,naualia,mœnia,aliaq́ eiuſmodi multa reip.comparanda.in rem ergo ridiculam diſputando reuoluti ſumus:ſiquidem in omni hac diſputatione in idem aſsidue circũferimur,quid dicamus ignari.Ego enim te ſæpius cõceſsiſſe arbitror,atq́ cognouiſſe geminam hanc eſſe facultatem circa corpus & circa animã curatricem.Et alteram quidem miniſtrã, per quã quæ corpus cupiat,cõparentur:ueluti ſi fameſcat,cibi:ſi ſitiat,potus:ſi frigeat,ueſtes,ſtramenta,calcei,cæteraq́ quæ ad uſum corporis exigũtur.Et profecto dedita opera eaſdem per imagines tibi loquor,ut facilius intelligas,horum eſſe paratorem,uel cauponem, uel mercatorem aut opificem alicuius iſtorũ: uidelicet piſtorẽ,aut coquum,aut textorẽ,aut calceorum ſutorem,infectoremq́ coriorũ, nec mirũ eſt eum qui talis ſit, uideri corporis curatorem,tam ſibi quàm alijs imperitis, eſſe præterea artem quandam gymnaſticã atq́ medicinam,in quibus curatio corporis reuera conſiſtit. Quam decet huiuſmodi artibus imperare,earumq́ operibus uti, propterea quòd ſciẽtiam habeat boni atq́ mali quãtum ad corporis pertinet alimenta atq́ ualetudinem:quod quidem ab his alijs omnibus ignoratur. Quam ob cauſam dicendum eſt,has quidem ſeruiles miniſtrasq́ & illiberales eſſe circa corporis cultum:gymnaſticam uero & medicinam his merito dominari.Hęc igitur eadem eſſe etiam circa animum uideris mihi interdum cognoſcere:mihiq́ concedis tanquam quid dicam intelligas. Verum paulopoſt adducis in medium uiros pręclaros & bonos in hac ciuitate quondam fuiſſe:atq́ me quærente quinam iſti fuerint, uideris ſimillimos proferre homines circa rempub.ac ſi me percontãte qui nã fuerint aut ſint boni circa gymnaſticam corporum curatores,reſpõderes mox idq́ ſerio,Thearion piſtor:& Mithecus qui de Siculorum arte coquinaria ſcripſit, & Sarambus caupo:quaſi hi mirabiles corporum cultores extiterint:quorum hic ſuaues panes,ille epulas, ille uinum præparabat.Fortaſſe igitur indigne ferres,ſi gymnaſticam te non intelligere dicerem.Nam miniſtros in medium affers,cupiditatumq́ aſſertores:qui quid honeſtum bonumue ſit in his, nequaquam dijudicant,ſed utcunq́ contingit corpora hominum implent eaq́ ſaginant. Hi laudantur ab ipſis,cum tamen ob nimiam impletionem carnes illas ueteres abſumpſerint.Atq́ poſtea cum ingruunt morbi,qui ita nutriti ſunt, eos quidem qui deinceps conſuluerunt ob ignorantiam accuſant: eos uero qui ad libidinem nutriuere nequaquam. Cum,inquam,repletio talis tanquã immoderata tandem infert morbum,tunc præſentes conſultores criminantur & improbant,atq́ iniuria inſuper ſi queant afficiunt:priores uero illos qui cauſam morbi dedere,laudibus efferunt.Et tu nũc ô Callicles ſimillimũ quiddam facis,dũ eos laudas qui hos nutriuere,atq́ his rebus quarũ cupido inceſſerat,impleuere,quos aiunt magnam effeciſſe ciuitatẽ. quòd autẽ tumẽs & intus male ſana iã ſit ob antiquos illos,nõ ſentiunt.Abſq́ enim temperantia & iuſtitia,portibus,naualibus, mœnibus,tributis,uectigalibus,& huiuſmodi nugis ciuitatẽ hanc impleuerũt.Quãdo igitur morbus erũpit,tunc illi qui in præſentia gubernãt remp.improbant. Themiſtocles uero ipſe & Cimo & Pericles qui malorũ cauſa fuere,laudantur.Quamobrẽ tu forſitan niſi caueas capieris,& amicus meus Alcibiades,quando præter illa quæ acquiſita erant, uetera quoq́ ſuerint amiſſa,quãuis malorum cauſa uos non ſitis,ſed unà cum cæteris cauſa. Atqui ego rem ſtultam & nunc cerno & de antiquis illis audio. Sentio enim quando ciuitas aliquẽ ex his qui in repub.uerſant iniuſtitiæ damnare aggreditur, grauiter eos ferre atq́ diſcruciari animo,quaſi iniqua patiantur qui beneficia in remp.multa contulerint. Nempe aiunt iniuſte ſe ab illa damnari.Quod omnino falſum eſt.Nunquam enim reip.gubernator iniuſte damnatur ab ea cui præeſt ciuitate. Videtur autẽ idem euenire his qui in repub.uerſantur,atq́ ſophiſtis.Sophiſtæ enim quãuis in cæteris ſapiẽtes,in hoc tamen uno abſurde ſe gerunt:quod cũ ſe docere uirtutes affirmẽt,ſæpe tamẽ diſcipulos uelut ingratos accuſant atq́ iniuſtos,qui cũ bona ab eis reportarint, mercedẽ tamẽ nullã aut gratiã referant.Quo quidẽ ſermone nihil à ratione eſt alienius,quòd uidelicet uiri boni iuſtiq́ facti,& ab iniuſtitia præceptoris opera remoti,atq́ iuſtitia prædiți,iniurias ea ipſa iniuſtitia

tia quam non habent præceptoribus inferant. an non uidetur tibi ô amice id absurdum? Reuera concionari me coegisti, dum respondere recusas. CAL. Tu uero per teipsum dicere non potes nisi quis tibi respondeat? SOC. Videor equidem, & nunc frequentes iam extendo sermones, dum ipse mihi non respondere dignaris. Sed ô bone uir per louē amicabilem mihi dicas, an nō præter rationem tibi uidetur, ut is qui dicat se bonum aliquem reddidisse, de eodem conqueratur, quasi qui bonus ab ipso factus est, sit & malus? CAL. Mihi quidem uidetur. SOC. Nónne audis illos qui docere uirtutē profitentur, talia conqueri? CAL. Equidē, sed quidnam de hominibus nullius precij dicere potes? SOC. Quid uero de illis diceres qui reipub. præesse se aiunt, atq; ut illa q̄ optima sit diligenter excogitare: rursusq; ipsam accusant prout accidit, tanquā pessimam? putas ne hos ab illis differre? Idem profecto est sophista ac rhetor, uel propinquum aliquid atq; simile: quemadmodum ad Polum dicebam. Tu autem propter ignorātiam præclarum quiddam putas esse rhetoricam, sophisticam uero contemnis. Sed reuera pulchrior est sophistica quàm rhetorica: quo & pulchrior est conditrix legum quàm iudiciaria, & gymnastica quàm medicina. Solis autem concionatoribus & sophistis minime arbitror concedendum ut de eo quod ipsi docent, quasi sibi sit malum, conquerantur. Alioquin in eadem ipsa accusatione seipsos pariter criminentur, quasi nihil eis profecerint quibus utilitatem attulisse se dicunt, non ne ita se res habet? CAL. Ita prorsus. SOC. Et contulisse beneficium absque mercede, ut consentaneum est, solis istis conueniebat, siquidem uera dicerent. Nam alia quidem beneficia cum quis acceperit, ueluti per gymnasii magistrum celer factus, fortè utiq; gratiam non referret, nisi caueretur ut mercedem solueret quàm primum celer satis euaserit. Non enim tarditare, ut arbitror, homines sed iniustitia iniuriam faciunt. Nónne? CAL. Ita. SOC. Si quis igitur hoc ipsum auferat, scilicet iniustitiam, discrimen iam iniuriæ deuitauerit. Verum per id solum in tuto collocari beneficiū potest, si quis eos quibus confert, bonos reuera possit efficere. Non ne? CAL. Consentio. SOC. Propterea ut uidetur in alijs contractibus turpe non est sibi cauere, ueluti pro ędificijs cęterisq; artificijs. CAL. Apparet. SOC. Pro hac autem facultate, scilicet ut bonus quis fiat, optimeq; familiam suam gubernet atq; rempub. turpe existimatur nihil prius uelle docere, quàm de pecunia caueatur. Non ne? CAL. Certe. SOC. Cōstat enim hanc esse causam: quia solum hoc ex alijs beneficijs eum qui acceperit facit referendæ gratiæ cupidū. Quapropter præclarum uidetur esse argumentum, si is qui officium eiusmodi præstiterit, uicissim ipse recipiat: contrà uero nequaquam. Num hæc ita se habent? CAL. Ita. SOC. Ad utram igitur me cohortaris ciuitatis curam? age mihi definias. ad eam ne per quam Athenienſibus repugnem, contendamq; ut quàm optimi fiant tanquam medicus. an ad eam per quam tanquam minister uoluptatis illorum gratia studeam: Et mihi uera dic ô Callicles. decet enim te quemadmodum incepisti audacter prosequi, mihi libere exprimendo quæ sentis. Et nunc ergo bene generosęq; respondē. CAL. Ad ministerium profecto te exhortor. SOC. Ad adulationem ergo me ô uir generosiss. prouocas. CAL. Si mauis ô Socrates Mysijon uocari, uocaberis utiq;, nisi mihi crediderīs. SOCR. Ne obijcias mihi nunc quod iam sæpius obiecisti, uidelicet interficiet te ô Socrates, quicūq; uoluerit, ne ego iterum ita respondeam: at malus bonum. neq; iterum dicas: auferet tibi ô Socrates quilibet siquid habes, ne ego quoq; respondeam: at uero qui auferet, nescit illis tanquā sibi utilibus uti, sed quemadmodum iniuste à me abstulerit, sic ipse utetur iniuste. quòd si iniuste, ergo & turpiter. deniq; si turpiter, male. CAL. Videris mihi opinari, nihil eiusmodi accidere tibi posse: perinde ac si procul hinc habites, neq; deduci posse in iudicium putas ab ignauissimo qnoq; nulliusq; precij homine. SOC. Amens certe forem ô Callicles nisi putarem in hac ciuitate unumquenq; quodlibet eiusmodi pati posse. Hoc tamen certo scio, si in iudicium uenero periclitans ob ea quę tu affers, improbum fore qui me accusauerit. Nullus enim bonus hominem accusat insontem. Profecto nihil mirum foret si morte damnarer. uis tibi dicam quam ob causam hæc expectem? CAL. Volo equidem. SOC. Arbitror equidem me unà cum paucis Atheniēsibus, ne dicam solum, ciuilem disciplinā reuera tractare, meq; solū ex omnibus qui nūc sunt ciuilia exercere: utpote qui nō ad gratiam uerba facio, quę & frequētissime facio, sed ad id potius quod optimū sit q̄ quod dulcissimū: neq; ea ad quæ quasi præclara quædam tu nūc monēdo exhortaris, recipio me facturum

Nullus bonus accusat insontem

cturum,nimirum quod potissimum iudicio dicam,non habeo. Et nunc quidem recurrit mihi rursus in mẽtem quod ad Polum dixeram. Ita enim de me iudicaretur,quemadmodum inter pueros de medico quẽ accusauerit coquus. Considera enim qua se ratione defenderet medicus,die sibi apud pueros dicta,siquis eum his uerbis accuset. Vir iste ô pueri,multa uobis intulit mala. Nam & uos & minores etiam uestros secando urendoq; contorquet,& attenuans suffocansq; affligat. præterea amarissimos præbet potus,& ad famem sitimq; uos urget. Ego uero contrà multa & uaria suauiaq; uobis paro. Si hæc,inq;, coquus deferat accusator,quidnam censes hoc circũuentum malo medicum responsurũ? an fortè uera fatebitur dicens: hæc equidem ô pueri,sanitatis uestræ gratia feci? At enim q; uehementer putas iudices eiusmodi reclamaturos? CAL. Vehementer fortasse putandum est. SOC. Nõne igitur maxima eum ambiguitate inopiaq; suæ defensionis tunc detineri existimas? CAL. Prorsus. SOC. Idem mihi scio,si in iudiciũ traherer,eueniret: neq; enim uoluptates ullas à me ad eorum libidinẽ inuẽtas cõmemorare possem,quas ipsi beneficij utilitatisq; loco existimant: ego uero nequaq;. Nec ministros quidem earum probo,neq; eos ob id quibus præbent,feliciores existimo. Præterea si quis me dicat uel corrumpere iuuentutẽ in ambiguitatem inopiamq; deducẽdo,uel improbare seniores mordacibus quibusdã uerbis uel priuate,uel publice, nõ dabit mihi ueri dicendi facultas: me uidelicet iuste hæc omnia dicere,eorumq; ipsorum duntaxat utilitati cõsulere: neq; aliud quicq; afferre facile potero. Quamobrẽ forsitan nihil est quod aduersus me non decernetur. CAL. Videt ergo tibi bene se habere qui in ciuitate talis sit,ut sibijpsi nequeat præsidio esse? SOC. Modo hoc sit in ipso ô Callicles,quod tu sæpius consensisti,ut sibimet id auxilij præstare possit,quo neq; aduersus homines,neq; aduersus deos iniuste aliquid fecerit,aut dixerit. Hoc enim auxilij genus præstare sibi,sæpius iam cõsensimus optimum esse. Si quis igitur me conuincat,eiusmodi auxiliũ mihi uel alijs afferre non posse,procul dubio erubescerẽ siue inter multos,siue inter paucos,siue solus à solo fuerim redargutus. Itaq; si propter hanc impotentiã morerer,grauiter ferrem. Sinautẽ ob adulatoriæ rhetoricæ defectũ ultimo supplicio afficerer,certò scio me mortem perfacile ferentem te perspecturum. Nam mori quidem nullus formidat,nisi omnino rationis expers atq; ignauus,iniuste autem agere ueretur. Multis enim peccatis refertam animam ad inferos descẽdere,extremum omniũ est malorum. Proinde si quamobrẽ sic se res habeat,cognoscere cupis,rationem tibi exhibebo. CAL. Imò uero cum cætera perfeceris,hoc etiam perfice. SOC. Audi igitur,ut aiunt,pulcherrimũ sermonem,quem te arbitror fabulam putaturum: ego uero non fabulam,sed sermonem. Nam tanq; uera quæ dicturus sum,tibi narrabo. Profecto quemadmodũ ait Homerus,Iupiter, Neptunus & Pluto, regnum quod acceperunt à patre, inter se diuiserunt. Extabat autem lex de hominibus sub Saturno, & semper, & nunc etiam extat apud deos: ut quicũq; homines iuste pieq; uitam egissent, cum è uita migrarent,ad beatorũ insulas profecti,in omni felicitate uiuerẽt,à malis longe seiuncti: qui uero iniuste impieq; uixissent,in punitionis iustiq; supplicij carcerẽ, quod appellant Tartarum,irent. Horum uero iudices sub Saturno,atq; etiam sub ipso Ioue regnare nuper incipiente, uiuentes erant atq; uiuentium, atq; eadem die qua mortem quis obiturus fuerat,iudicabant. quapropter iniuste iudicabatur. Igitur Pluto atq; beatarum curatores insularum Iouem adeuntes retulerũt,indignos ad eos utrinq; homines deuenire. Ad quos sic inquit Iupiter. At ego remedium adhibebo. Nunc enim propterea iudicatur inique, quòd uestiti atq; circumdati singuli iudicantur, quoniam ante obitum iudicantur. Itaque multi prauas circumferentes animas circumdati sunt corporis forma, & genere atq; diuitijs. Preterea quando iudicium imminet, cõfluit multitudo testium asserentium eos iuste uixisse. Quo fit ut iudices ob hæc obstupescant. Accedit quod & ipsi uestiti atque circumdati iudicant, oculos & aures & totum corpus quasi animæ uelamen habentes. Hæc enim omnia illis obstacula sunt,uidelicet tam sui quidam quàm eorum qui iudicantur, amictus. Principio prouidendum est, inquit, ne homines mortem suam præsentiant: nunc enim præuident, & mandatum est Prometheo, ne eos præsentire permittat. Deinde nudi his omnibus sunt iudicandi. Sunt enim iudicandi post obitum. Iudicem quoq; ipsum esse nudum oportet, mortuũ uidelicet: & ipso duntaxat animo animũ ipsum inspicientem statim post insperatũ cuiusq; obitum,animum inquã,à suis omnibus

deſertum, omnemq; ornatum exteriorem relinquentem in terra, ut iudicium iuſte procedat. Ego igitur utpote qui ante uos hæc præuideram, cõſtitui iam meos filios iudices, duos quidem ex Aſia, Minoem uidelicet, & Radamãthum: unum uero ex Europa Aeacũ. Hi ergo poſtquam mortui fuerint, iudicabunt in prato quodam, ibiq; in triuio, ex quo gemínæ tendunt uiæ: altera quidem ad tartarum, altera uero ad inſulas beatorum. Et Aſiaticos quidem Radamanthus; eos uero qui ab Europa uenient, Aeacus iudicabit. Minoi autem id munus iniũgam ut ipſe dijudicet ſi quid alijs ambigutũ fuerit, ut iuſtiſsime, rectęq; de tranſmiſsione animarum iudicetur. Hęc ſunt ô Callicles quæ audiui, ueraq; eſſe credo, atq; ex his ſermonibus adductus ita mecũ reputo. Mors quidẽ eſt ut mihi uidetur nihil aliud q̃ rerum duarum, animæ ſcilicet atq; corporis, à ſe inuicem diſſolutio. Cum uero duo hæc diſiuncta ſunt inuicem, non multum abeſt quin utrunq; ipſorum habitum ſeruet eundem quem uiuente homine poſsidebat. Príncipio corpus tam naturã ſuam quàm culturã paſsionesq; præfert. Veluti ſi magnũ erat alicui corpus uel natura, uel alimonia, uel utriſq; dum uiuebat: mortuo etiam homine erit magnum. Item ſi craſſum fuerat, erit & craſſum, cæteraq; ſimiliter. Præterea ſi comãdi ſtudioſus homo fuerat, ſeruabit comã. Rurſus ſi quis erat uerbero, multaq; plagarũ ueſtigia corpori habebat impreſſa uel à uerberibus, uel à uulneribus dum uiueret, huius quoq; mortui corpus eadem retinere uidemus. Et ſi qua in parte fractum erat aut diſtortum, eo quoq; mortuo eadem hęc apparẽt: atq; ut ſummatim dicam, qualecũq; uiuẽtis erat corpus, talia ipſius mortui omnia uel plurima ad tempus apparent. Idem quoq; mihi uidetur Callicles de anima ſentiendum: cuncta enim apparent in anima cum corpus exuerit, tam quæ ex natura, quàm quæ ex affectibus inerant, quæ ob rei cuiuſq; ſtudiũ in eam homo contraxit. Cum igitur ad iudicẽ peruenerunt, Aſiatici quidem ad Radamanthum, Radamanthus eos ſiſtens uniuſcuiuſq; animam intuetur, cuius tamen anima illa fuerit non animaduertit. Sed plerũq; magni Perſarum regis aut alterius regis ſiue potentis obuium animũ contemplatus nihil in eo reperit ſani: ſed periurijs atq; iniuſtitia quaſi quibuſdã uerberibus cicatricibusq; infectũ, qualia cuiuſq; actio contraxit impreſsitq; animo, omniaq; obtorta mendacijs atq; uanitate, nihilq; recti habẽtem, quia ſine ueritate fuerat educatus: præterea ob peccandi licentiam & petulantiam mollemq; laſciuiam & in actionibus ſingulis intemperantiam, incõpoſitum penitus atq; turpem. Animum igitur contemplatus ſic affectũ, ſtatim ignominioſe extra cuſtodiam illuc tranſmittit, ubi meritas ſubire pœnas oportet. Conuenit autem omnem qui ab aliquo recte punitur, uel ipſum fieri meliorem utilitatemq; percipere, uel cæteris exempla dare, ut alij pœnas eius conſpicientes meliores ob timorẽ efficiantur. Qui uero apud deos & homines ita dant pœnas ut utilitatem inde aliquã referãt: hi ſunt qui peccata ſanabilia commiſerunt, quibus dolor cruciatusq; prodeſt & apud homines & apud inferos. Non enim aliter quis poteſt ab iniuſtitia liberari. Qui autẽ extrema iniuſtitia detinentur, ac propter eiuſmodi delicta ſunt inſanabiles, ex his exempla ſumuntur, ipſiq; nullam amplius utilitatem inde reportant, utpote qui ſanari non poſsint: ſed proſunt duntaxat alijs per exemplum, qui eos intuẽtur propter flagitia maximis acerbiſsimisq; & terribiliſsimis pœnis omni tempore cruciatos, tanquam exemplum monimẽtumq; & ſpectaculũ apud inferos in carcere prębentes iniuſtis omnibus qui ad ea loca deſcendunt. Quorum unum dico fore Archelaum, ſi uera narrat Polus, & alium quicũq; tyrannus talis extiterit. Arbitror autem in eorum numero qui ſolum exempla tradũt, plurimos eſſe tyrannos, reges, potentes, ciuitatũ gubernatores. Quippe cum hi ob ipſam peccandi licentiam grauiſsima prophaniſsimaq; peccata committant. Atteſtatur autẽ nobis Homerus, qui reges & potẽtes inducit apud inferos omni tempore cruciatos, ceu Tantalum, Siſyphũ, & Tityum. Therſitem uero & ſi quis alius priuatim fuit malus, nullus unquam uelut inſanabilem magnis fecit pœnis torqueri, quippe cum licentiam, ut arbitror, non habuerit. quamobrem felicior erat illis, quibus licentia ſceleris perpetrandi dabatur. Profecto Callicles ex his qui potentiam licentiamq; habent, ſunt qui nimium praui fuerunt. Nihil tamen prohibet inter hos etiam bonos quoſdam eſſe uiros: & certe qui talis fuerit, mirifice eſt colendus. Nempe arduum eſt ô Callicles ingentiq; laude dignum, ut quis in magna peccandi licentia conſtitutus iuſtam tranſigat uitam: paucíq; tales reperiuntur. Fuere tamen & hic & alibi, atque ut arbitror, erunt nonnulli præclari bonique uiri, hac uidelicet

licet uirtute prædíti, per quam ea quorum ſibi conceſſa eſt autoritas, iuſta tractarent. Vnus autem Græcorum omnium probatiſsimus Ariſtides Lyſimachi filius extitit. Plures autem ô uir optime potentum improbi ſunt. Quamobrem ut dicebam quando Rhadamantus aliquem eiuſmodi deprehẽdit, nihil aliud in ipſo nouit, neq; quiſnam ſit, neq; ex quibus ortus, ſed utrum ſit malus: cumq; id compererit, dimittit in Tartarum, obſignans utrum ſanabilis uel inſanabilis uideatur. Ille uero illuc tranſmiſſus meritas ſubit pœnas. Interdum uero alium intuitus animum uel priuati, uel alicuius alterius qui pie atq; integre uixerit: quod quidem philoſophis potiſsimum contingere arbitror, rem ſuam agentibus neq; multis ſe negocijs implicantibus: applaudit huic, tranſmittit ad inſulas beatorũ. Hæc eadem Aeacus efficit. Vtercq; uero ipſorũ uirgam tenet, dum iudicat. Minos autem conſiderans ſedet ſolus, aureum habens ſceptrũ, quemadmodũ de hoc apud Homerum inquit Vlyſſes, uidelicet illum uidiſſe ſceptrũ aureum tenentem, iuracq; mortuis dantem. Ego igitur ô Callicles ab huiuſmodi ſermonibus flector, & iam conſidero qua ratione iudici ſaniſsimum animum oſtendere poſsim. Quamobrem omnes populi ſpernens honores, ueritatemq; conſiderans, conabor reuera, quàm maxime potero bonus uiuere atq; mori. Cohortor autem & cæteros omnes quantũ poſſum. Te quoq; ad huiuſmodi uitam reuoco atq; certamen: quod equidem aſſero præ alijs certaminibus in hac uita eſſe homini ſubeundum. Quapropter & te obiurgo qui nõ poteris tibijpſi opem ferre quando de te iudicabitur, inſtabitq; ſententia quam modo dicebam, Sed cum perueneris ad iudicem Aeginæ filium, illeq; te apprehenſum ducet: oſcitabis uacillabisq; illic non minus quàm ego hic apud iudices ueſtros. Ibi forſitan percutiet te aliquis turpiter ſuper genam, & cõtumelia iniuriaq; prorſus afficiet. Hæc forſitan anilis quædam fabula tibi uidetur, & quæ dicta ſunt contemnis: ſed profecto nihil mirabile foret hæc ſpernere, ſiquo pacto perquirentes meliora his & ueriora inuenire poſſemus. Nunc uero uides, cum tres uiri ſitis omnium qui nunc ſunt Græcorum ſapientiſsimi, tu ſcilicet, & Polus, & Gorgias, non poſſe uos tamen oſtendere alia eſſe ratione uiuendum, quàm ea quæ illuc quoq; conducere uideatur. Immo uero in tot ſermonibus cum cæteri redarguti fuerint, ſolus hic remanet firmus: ſcilicet cauendum eſſe iniuriam facere magis quàm pati: idq; uiro præ cæteris omnibus meditandum, non ut bonus quidem uideatur, ſed ut reuera ſit bonus publice atq; priuatim: Si quis autem malus quodam modo fuerit, eſſe puniendum. Idq; ſecundo loco bonum eſſe, poſt id quod eſt eſſe iuſtum, uidelicet fieri caſtigatione bonum, pœnasq; iniuſtitiæ luere: omnem præterea adulationem circa ſeipſum & alios, ſiue paucos, ſiue multos fugiendam eſſe: Rhetorica denicq; omnicq; alio actionis genere pro iuſtitia dũtaxat utendum. Quas ob res mihi credens, ſequere me illuc, quò cum perueneris, & uiuens & mortuus beatus eris, quemadmodum tuus quoq; ſermo ſignificat. Atq; permitte ut aliquis te contemnat ut ſtultum, iniurijsq; ſi libet afficiat, ne'ue cures, ſi ignominioſe percutiaris. Nihil enim graue patieris ſi reuera honeſtus bonusq; ſis uirtutemq; exerceas. Poſtquam uero ſic unà exercitati fuerimus, tunc ſi tibi operæpretium eſſe uidebitur, ad publica iam nos negocia conferemus, aut ad quodcunque nobis deliberantibus tum, quando melius deliberare poterimus, uiſum fuerit. Turpe enim eſt cum tales ſimus, quales nunc eſſe uidemur, iactare ſe uerbis quaſi aliquid ſimus: quibus nunquam de rebus eiſdem & quidem maximis eadem iudicantur, intantum proceſsimus ruditatis. Hanc igitur rationem, quæ nunc nobis innotuit, tanquam ducem ſequamur, oſtendentem nobis, hunc optimum eſſe uiuendi modum, ut iuſtitiam cæterasq; uirtutes per totam uitam exerceamus. Huic igitur obtemperemus, aliosq; ad hanc adhortemur. Non autem pareamus illi, qua tu confiſus ad eandem me exhortaris.

Nullius enim eſt precij.

COMMENTARIVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN CONVIVIVM PLATONIS DE AMORE.

CAPVT I

PLATO philosophorũ pater annos unum & octoginta ætatis natus, septimo Nouembris die, quo ortus fuerat, discumbens in conuiuio remotis dapibus expirauit. Hoc autem conuiuium, quo & natalicia, & anniuersaria Platonis pariter continentur, prisci omnes Platonici, usq; ad Plotini & Porphyrij tẽpora, quotannis instaurabant. Post uero Porphyriũ mille ac ducẽtos annos, solennes hæ dapes prætermissæ fuerunt. Tandem nostris temporibus uir clarissimus Laurentius Medices Platonicum conuiuiũ innouaturus, Frãciscum Bandinum Architriclinũ constituit. Cum igitur septimum Nouembris diem colere Bandinus instituisset, regio apparatu in agro Caregio nouem Platonicos accepit conuiuas: Antonium Allium episcopum Fesulanum. Ficinum Medicum. Christophorum Landinum poetam. Bernardum Nutium rhetorem, Thomam Bencium, Ioannem Caualcantem familiarem nostrum: quem propter uirtutẽ animi, & egregiam indolem Heroem conuiuæ nuncupauerunt. Marsupinos duos, Christophorum Carolumq; Caroli poetæ filios. Me deniq; nonum Bandinus esse uoluit, ut Marsilio Ficino superioribus addito musarum numerus impleretur. Remotis dapibus Bernardus Nutius Platonis accepit librum, qui cõuiuium de amore inscribitur: legitq; omnes Symposij huius orationes, quibus lectis reliquos conuiuas orauit, ut singuli singulas orationes exponerẽt. Assensere omnes: iactisq; sortibus, prima illa Phædri oratio, Ioanni Caualcanti obtigit exponenda. Pausaniæ oratio, Antonio Theologo, Eryximachi Medici, Ficino Medico. Poetæ Aristophanis, Christophoro Poetæ. Agathonis adolescentis, Carolo Marsupino. Thomæ Bencio data est Socratis disputatio. Alcibiadis uero Christophoro Marsupino. Sortem huiusmodi probauere omnes. Verum episcopus ac medicus, alter ad animorũ, alter ad corporum curam abire coacti, partes in dicendo suas Ioanni Caualcanti reliquerunt. Cæteri ad hunc cõuersi sunt, paratiq; ad audiendum conticuere. Tunc heros ille in hunc modum est exorsus

QVA REGVLA LAVDANDVS SIT AMOR.

Quæ sit eius dignitas & magnitudo CAP. II

GRATISSIMA mihi optimi conuiuæ sors ista hodie obtigit, qua effectum est, ut personam Phædri Myrrhinusij gererem. Phædri illius, inquam, cuius familiaritatem tanti fecit Lysias Thebanus summus orator, ut oratione lucubrationibus multis composita, cum sibi conciliare contenderit: cuius indolem Socrates usq; adeo admiratus est, ut eius splendore quandoq; iuxta Ilyssum fluuium concitus altiusq; sublatus mysteria diuina cecinerit: qui antea non solum cœlestium, sed inferiorum quoq; omniũ se inscium prædicauerat. Cuius ingenio adeo delectatus est Plato, ut primitias studiorum suorum Phædro dicauerit. Ad hunc epigrammata, ad hunc elegiæ Platonis, ad hũc primus eius de pulchritudine liber, qui Phædrus inscribitur. Cum igitur huius Phædri me similem, non ego quidem, non enim tantum mihi arrogo: sed sortis casus primo, & uester deinde applausus iudicauerit, his felicibus auspicijs eius in primis orationem libẽter interpretabor. Deinde Antonij & Ficini partes pro ingenij uiribus exequar. Tria in omni re uiri optimi philosophus quisq; Platonis imitator considerat, quæ antecedunt, quæ comitantur, & quæ sequũtur. Hæc si bona sint, rem ipsam laudat: sin mala, uituperat. Ea igitur perfecta laudatio est, quæ præcedentem rei recensет originem, præsentem formã narrat, sequentes ostendit euentus. Ab antecedẽtibus res quæq; laudatur, ut nobilis: à præsentibus, ut magna: à sequẽtibus, ut utilis. Quare ex tribus illis tria hæc in laudibus cõcluduntur: Nobilitas, magnitudo, atq; utilitas. Ideo Phædrus noster in primis præsentem Amoris excellentiam cõtemplatus, Magnum deum uocauit: adiunxit, Dijs hominibusq; mirandum. Nec iniuria. Nam ea proprie quæ magna sunt admiramur. Magnus ille quidẽ, cuius imperio homines & dij, ut aiunt, omnes subijciuntur. Nam tam dij apud ueteres quàm homines amant, quod Orpheus Hesiodusq; significant, dicentes mortalium & immortalium mentes amore domari. Admirandus præterea dicitur, quoniam illud quisq; amat, cuius pulchritudinem admiratur. Dij quidem siue ut nostri dicunt, Angeli, diuinam pulchritudinem: Homines corporum species admirantur, & amant. Atq; hæc quidem laus Amoris est à præsenti excellentia quæ ipsum comitatur deducta. Laudat deinde ab antecedentibus Phædrus, cum deorum omnium esse asserit antiquissimum. In quo nobilitas amoris effulget, cum prisca eius origo narratur. Laudabit & tertio à sequẽtibus, ubi mirifica eius ab euentu apparebit utilitas. Sed de prisca & nobili eius origine primum: deinde de futura utilitate tractabimus. Orpheus in Argonautica, cũ de rerum principijs corã Chirone heroibusq; cãtaret, Mercurij Trismegisti theologiam sequutus: Chaos ante mundum posuit, & ante Saturnum, Iouẽ, cæterosq; deos. Amorem in ipsius Chaos sinu locauit, laudauitq; his uerbis.

Qualis fuerit Phædrus

Quæ proba laudatio

Orpheus de rerum principio

ORIGO AMORIS EX CHAOS. CAP. III

ANTIQVISSIMVM, seipso perfectum, consultissimumq; Amorem, Hesiodus in Theogonia: & in libro De natura Parmenides Pythagoricus, Acusileusq; poeta, cum Orpheo & Mercurio consenserunt. Plato in Timæo chaos describit similiter: & in eo locat amorem. Atq; idem in conuiuio Phædrus recensuit. Chaos Platonici informem mundũ uocant: Mundum uero formatum chaos. Tres apud eos mundi sunt, tria itidem Chaos erunt. Primum omnium est deus uniuersorum autor, quod ipsum bonum dicimus. Hic mentem primo creat angelicam: deinde mundi huius animam, ut Plato uult: Postremo mundi corpus. Summum illum deum, non mundum dicimus: quia mundus ornamentum significat ex multis compositum, ille uero penitus simplex esse debet: sed mundorum omnium principium atq; finem ipsum asserimus. Mẽs angelica primus mũdus est à deo factus. Secũdus uniuersi corporis anima. Tertius tota hæc quam cernimus machina. In ijs itaq; mundis tribus, tria & chaos considerantur. Principio deus mentis illius creat substantiam: quam etiam essentiam nominamus. Hæc in primo illo creationis suæ momento informis est, & obscura. Quoniam uero à deo nata est, ad deum sui principium ingenito quodam appetitu conuertitur. Conuersa in deum, ipsius radio illustratur. Radij illius fulgore ille suus appetitus accenditur. Accensus appetitus deo totus inhæret: inhærendo formatur. Nam deus qui potest omnia, in mente sibi inhærente creãdarum rerum naturas effingit. In ea igitur spiritali quodammodo pinguntur, ut ita loquar, omnia quæ in corporibus istis sentimus. Illis cœlorum elementorumq; globi, sydera, uaporum naturæ, lapidum, metallorum, plantarum, animalium formæ gignũtur. Huiusmodi rerum omnium species dei fomento quodam in superna illa mente conceptas, Ideas esse non dubitamus: & formam illam ideamq; cœlorum, sæpe deum Cœlum uocamus. Formam planetæ primi Saturnum deum: Secundi Iouem, atq; in sequentibus planetis eodem pacto. Ignis quoq; huius ideam illam, Vulcanum deum: Aeris Iouẽ atq; Iunonem: Aquæ Neptunum: Terræ Plutonem. Quare dij omnes certis inferioris mundi partibus assignati, Ideæ illarum partium sunt in superna illa mente collectæ. Sed eam idearum conceptionem à formante deo perfectam præcessit illa mentis ad deum appropinquatio. Hanc præcessit appetitus incendium, hoc infusio radij, hanc prima illa appetitus conuersio, hanc informis mentis essentia. Porrò essentiam istam nondum formatam chaos esse uolumus. Primam ipsius in deum conuersionem, amoris ortum: radij infusionem, amoris pabulum: incendium sequẽs, amoris dicimus incrementum: appropinquationem, amoris impetum: formationem, amoris perfectionem. Formarum omnium, idearumq; complexionem, Mundum latine, Græce κόσμον, id est ornamentum uocamus. Huius ornamenti gratia pulchritudo est. Ad quam amor ille statim natus traxit mentem: atq; perduxit mentem ante deformem, ad mentem eandem deinde formosam. Ideo amoris cõditio est: ut ad pulchritudinem rapiat, ac deformem formoso coniungat. Quis igitur dubitabit, quin amor statim chaos sequatur, præcedatq; mundum: & deos omnes, qui mundi partibus distributi sunt? Cum mentis ille appetitus ante sui formationem sit, & in mente formata dij mundusq; nascantur. Merito igitur antiquissimũ hunc Orpheus nominauit. Præterea seipso perfectũ: quasi dicat seipsum perficientem. Quoniam primus ille mẽtis instinctus suapte natura à deo perfectionem suam haurire uidetur: atq; eam menti, quæ inde formatur, & dijs qui inde gignuntur, præbere. Consultissimum insuper nominauit, nec iniuria. Nam omnis sapientia cuius proprium est consilium, ideo menti data est: quia amore in deum conuersa, ipsius fulgore refulsit. Eodemq; modo mens ad deum, quo ad lumen solis dirigitur oculus. Hic enim aspicit primo, uidet deinde solis lumẽ: tertio in solis lumine rerum colores figurasq; comprehẽdit. Quare oculus obscurus primo, et chaos instar informis, lumen amat dum aspicit, irradiatur aspiciendo, radium accipiendo rerum coloribus figurisq; formatur. Quemadmodum uero in deum mens illa statim nata & informis amore conuertitur & formatur: sic mundi anima in mentem, deumq; illinc genita se reflectit. Et cum primo informis sit, & chaos amore in mentem directa acceptis ab ea formis fit mundus. Non aliter & mundi huius materia, cum principio sine formarum ornamento informe chaos iaceret: illico amore sibi ingenito, in animam se direxit, seq; illi obedientem præbuit: atq; hoc amore conciliante, ab anima formarum omnium quæ in mundo uidentur nacta ornamentum, mundus ex chaos effecta est. Tres igitur mundi, tria & chaos. In omnibus deniq; amor chaos comitatur, præcedit mundum, torpentia suscitat, obscura illuminat, uiuificat mortuos, format informia, perficit imperfecta. Quibus laudib. nullæ fermè maiores aut dici, aut excogitari possunt.

DE VTILITATE AMORIS. CAP. IIII

SED de origine eius, & nobilitate hactenus. De utilitate iam arbitror differendum. Singula quidem amoris beneficia generi humano collata referre superuacuum est: præsertim cũ summatim cõprehendi omnia possint. Omnia enim in eo consistunt, ut uitatis malis bona sequamur. Mala hominis & turpia eadem sunt. Bona itidem eadem atq; honesta. Profecto nihil aliud leges & doctrinæ omnes contendunt, quàm ita homines instituere, ut declinẽt à turpibus, agant honesta. Hoc autem ipsum

ipſum,quod innumerabiles pene leges & artes uix tandem longo tempore aſſequũtur,Amor ipſe unus breui tẽ pore perficit.Nam à turpibus pudor abſterret:ad honeſta excellendi ſtudiũ prouocat.Duo hæc nihil aliud faci= lius,ac citius quàm amor hominibus exhibet.Cũ amorẽ dicimus,pulchritudinis deſideriũ intelligite . Hæc enim apud omnes philoſophos amoris definitio eſt.Pulchritudo uero gratia quædam eſt,quæ ut plurimum in cõcinni= tate plurium maxime naſcitur,Ea triplex eſt:ſiquidem ex plurium uirtutũ concinnitate in animis gratia eſt.Ex plurium colorum linearumq; concordia in corporibus gratia naſcitur.Gratia item in ſonis maxima ex uocũ plu rium conſonantia.Triplex igitur pulchritudo,animorũ,corporum atq; uocum.Animorum mente cognoſcitur, Corporum oculis,Vocum auribus ſolis percipitur.Cum ergo mens,uiſus,auditus,ſint quibus ſolis frui pulchritu dine poſſumus:Amor uero ſit fruendæ pulchritudinis deſiderium:Amor ſemper Mẽte,Oculis, Auribus eſt cõten tus.Quid olfactu?quid guſtu?quid tactu opus eſt?Odores,Sapores,Calorẽ,Frigus,Mollitiem & duritiem,ho= rumq; ſimilia ſenſus iſti percipiunt.Iſtorum nullũ humana pulchritudo eſt,cum formæ ſimplices ſint : humani au tem corporis pulchritudo membrorum requirat diuerſorũ concordiam.Amor tanquam eius finẽ fruitionem re= ſpicit pulchritudinis:iſta ad mentẽ,uiſum,auditum pertinet ſolũ.Amor ergo in tribus ijs terminatur. Appetitio uero,quæ reliquos ſequitur ſenſus,non amor ſed libido rabieſq; uocatur.Præterea ſi amor erga hominem pul= chritudinem ipſam deſiderat:humani autem corporis pulchritudo in quadam concinnitate conſiſtit:concinnitas temperantia eſt:ſola quæ temperata,modeſta,decora ſunt,exigit amor.Voluptates itaq; guſtus & tactus , quæ uſq; adeo uehemẽtes furioſæq; ſunt,ut mentẽ è ſuo ſtatu dimoueãt,hominẽq; perturbẽt:amor non modo non cu= pit,ſed abominatur & fugit,utpote quæ propter intẽperantiã pulchritudini ſunt contrariæ.Rabies uenerea ad intemperantiã trahit,ideoq; ad inconcinnitatẽ:quare ad deformitatem ſimiliter uidetur allicere : Amor autẽ ad pulchritudinẽ.Deformitas & pulchritudo contraria ſunt.Motus igitur huiuſmodi,qui ad ea rapiunt,inter ſe ui dentur eſſe contrarij.Quapropter libido coitus,& amor non modo non ijdem motus,ſed & contrarij eſſe mon ſtrantur.Teſtantur hoc & theologi ueteres,qui amoris nomen deo tribuerunt.Quod etiam poſteriores theolo gi ſummopere confirmarunt.Nullum uero deo congruũ nomen cum rebus turpibus eſt commune.Ideo ſanæ men tis quiſq; cauere debet,ne amorem,diuinum nomen,ad inſanas perturbationes temere transferat.Erubeſcat Di= cæarchus,& ſi quis alius Platonicam maieſtatem quod amori nimium indulſerit,carpere non ueretur.Nam de= coris,honeſtis,diuinis affectibus,nec nimium,nec ſatis unquã poßumus indulgere.Hinc efficitur, ut omnis amor honeſtus ſit,& omnis amator iuſtus.Pulcher enim eſt omnis atq; decorus,et decorũ proprie diligit.Turbulẽtus autem ardor,quo ad laſciuiam rapimur,cum ad deformitatem trahat,amori contrarius iudicatur . Vt igitur ad amoris utilitatem aliquando redeamus:pudor qui à turpibus nos abſterret,& ſtudium quod ardentes efficit ad honeſta,ab amore facile,citoq; proficiſcuntur.Primo quoniam amor,qui pulchra petit , decora ſemper appetit atq; magnifica:& qui odit deformia,neceßario turpia obſcœnaq; fugit.Deinde ſi duo aliqui ſe mutuo diligunt, alterutrum ſe obſeruant & placere ſibijnuicem cupiunt.Prout alter ab altero obſeruatur,utpote qui teſte nun= quam careant,à turpibus abſtinent. Prout ſibijnuicem placere conantur,magnifica ſemper ardenti ſtudio aggre diuntur,ne contemptui amato ſint,ſed amoris uiciſſitudine digni putentur.Sed hanc rationem copioſiſsime ex= plicat Phædrus:ubi exempla ponit amorum tria.Vnum amoris fœminæ ad maſculum: ubi de Alceſte Admeti u= xore loquitur,quæ pro marito mori uoluit.Alterum amoris maſculi ad fœminam,ut Orphei ad Eurydicen.Ter tiũ amoris maſculi ad maſculũ,ut Patrocli ad Achillẽ:ubi oſtendit nihil fortiores homines reddere,quàm amorẽ. Allegoriam uero,uel Alceſtis,uel Orphei,in præſentia perſcrutari non eſt conſilium.Vehemẽtius enim iſta uim amoris & imperium exprimunt,ſi tanquam hiſtoria geſta narrentur , quàm ſi per allegoriam dicta putentur. Ergo amorem eſſe Deum magnum atq; mirandum,nobilem præterea & maxime utilem , ſine controuerſia fa= teamur:atq; ita amori indulgeamus,ut fine ſuo,qui pulchritudo ipſa eſt,cõtenti ſimus.At nos ea parte fruimur, qua cognoſcimus,cognoſcimus Mente,uiſuq; & auditu . His itaq; fruimur, cæteris ſenſibus non pulchritudine, quam deſiderat amor,ſed quouis alio potius quo corpus indiget,utimur.Igitur his tribus uenabimur pulchritu dinem:& per eam quæ in uocibus corporibusq; elucet,tanquam per ueſtigia quædam,animi decorem inueſtiga bimus.Illam laudabimus quidem,iſtum probabimus:ac ſemper id obſeruare conabimur,ut tantus amor ſit,quan ta fuerit pulchritudo.Et ubi corpus quidem pulchrum,animus minime,tanquam umbratilem & fluxam imagi= nem pulchritudinis uix & leuiter diligamus.Vbi ſolus animus pulcher,ſtabilem hunc decorem animi ardenter amemus.Vbi uero utraq; pulchritudo concurrit,uehementius admiremur : atq; ita ex Platonica familia reuera nos eſſe teſtabimur:ea quippe nihil nouit niſi feſtum,lætum,cœleſte,ſupernum . Sed hæc iam de Phædri oratione ſufficiant.Ad Pauſaniam ueniamus.

SECVNDA ORATIO.

DEVS BONITAS, PVLCHRITVDO, IVSTITIA, PRINCIpium, medium, finis. CAPVT I

TRINITATEM Pythagorici philosophi rerum omnium mensuram esse voluerunt, ob eam arbitror rationem quòd deus ternario numero res gubernat, atq; etiam res ipsæ ternario numero terminãtur. Hinc Maronis illud, Numero deus impare gaudet. Nempè summus ille auctor, Primo singula creat: secundo rapit: tertio perficit. Singula quoq; in primis ab illo perenni fonte effluunt, dum nascuntur. deinde in eundem refluunt, dum suam illam originem repetunt. postremo perficiuntur, postquam in suum principium redierunt. Hoc vaticinatus Orpheus, Iouem principium, medium, & finem uniuersi uocauit. Principium ut producit: Mediũ ut producta retrahit ad seipsum: Finem prout redeuntia perficit. Hinc regem illum uniuersorum, Bonum, Pulchrum, Iustũ, quod sæpe apud Platonem dicitur, possumus nuncupare. Bonũ, inquam, ubi creat: ubi allicit, pulchrum: ubi pro cuiusq; merito perficit, iustum. Pulchritudo igitur, cuius allicere proprium est, inter bonitatẽ iustitiamq; locatur: à bonitate quidem effluit, Profluit ad iustitiam.

QVO PACTO DIVINA PVLCHRITVDO AMOrem parit. CAP. II

DIVINA uero hæc species in omnibus amorem hoc est sui desiderium procreauit. Quoniam si Deus ad se rapit mundum, mundusq; rapitur: unus quidem continuus attractus est à deo incipiens, transiens in mundum, in Deum deniq; desinens: qui quasi circulo quodam in idem unde manauit iterum remeat. Circulus itaq; unus & idem à Deo in mundũ, à mundo in Deum, tribus nominibus nuncupatur. Prout in Deo incipit & allicit, pulchritudo: prout in mundũ transiens ipsum rapit, amor: prout in auctorem remeans ipsi suum opus coniungit, uoluptas. Amor igitur in uoluptatem à pulchritudine desinit. Id sibi uoluit Hierothei & Dionysij Areopagitæ hymnus ille præclarus: ubi sic hi theologi cecinerunt. Amor circulus est bonus à bono in bonũ perpetuo reuolutus. Necessario enim bonus est amor cũ à bono natus reuertatur in bonum. Idem enim deus est: cuius speciem desiderant omnia: in cuius possessione omnia requiescunt. Inde igitur desiderium nostrum accenditur, ibi amantiũ ardor quiescit, nec extinguitur, sed impletur. Nec iniuria soli Deum comparat Dionysius: quia quemadmodum sol illuminat corpus & calefacit: ita Deus animis ueritatis claritatem præbet, & charitatis ardorẽ. Hanc utiq; comparationẽ ex Platonis libro De repub. sexto hoc quo dicam modo colligimus, Sol profecto corpora uisibilia, & oculos uidentes procreat: oculis ut uideant lucidũ infundit spiritum: corpora ut uideantur coloribus pingit. Neq; tamen proprius oculis radius, proprijue corporibus colores ad uisionem perficiendam sufficiunt, nisi lumen ipsum unum supra multa, à quo multa & propria lumina oculis & corporibus distributa sunt, adueniat, illustret, excitet atq; roboret. Eodẽ modo primus ille actus omnium, qui deus dicitur, speciem, actumq; rebus singulis producendo largitus est. Qui sane actus cũ in re creata & in subiecto patiente susceptus fuerit, debilis est, & ad operis executionem impotens. Sed diuini solis perpetua & inuisibilis lux una semper omnibus adstat, fouet, uiuificat, excitat, complet & roborat. De quo diuine Orpheus, cuncta fouens atq; ipse ferens super omnia sese. Vt est actus omnium roboratq;, bonum dicitur. Vt uiuificat, lenit, mulcet & excitat, pulchrum. Vt in obiectis quæ noscenda sunt tres illas cognoscentes animæ uires, Mentem, Vimulcet & excitat, pulchrum. Vt in obiectis quæ noscenda sunt tres illas cognoscentes animæ uires, Mentem, Visum, Auditum allicit, pulchritudo. Vt in cognoscente potentia eam applicat cognito, ueritas. Deniq; ut bonũ, procreat, regit, & complet: Vt pulchrum, illuminat, gratiamq; infundit.

PVLCHRITVDO EST SPLENDOR DIVINAE BONITATIS, & deus est centrum quatuor circulorum. CAP. III

NEQVE ab re theologi ueteres, Bonitatem in centro, pulchritudinem in circulo posuerunt. Bonitatem inquam in centro uno, In circulis autẽ quatuor, Pulchritudinem. Centrũ unum omnium Deus est. Circuli quatuor circa id assidue reuoluti, Mens, Anima, Natura, Materia. Mens stabilis circulus. Anima per se mobilis. Natura mobilis in alio, non ab alio. Materia ab alio & in alio mobilis. Cæterum cur Deum quidem centrũ, Quatuor illa cur circulos appellemus exponã. Centrum circuli punctum est, unum, indiuisibile, stabile. Inde lineæ multæ diuiduæ, mobiles ad earum similem circũferentiam deducuntur. quæ sane circumferentia diuisibilis circa centrũ quasi cardinem uoluitur. atq; ea est cẽtri natura, ut licet unum indiuiduum, immobile sit, in multis tamẽ, immo in omnibus lineis diuiduis & mobilibus, ubiq; reperiatur. Vbiq; enim est in linea punctum. Quoniã uero à dissimili suo attingi nihil potest, lineæ à circũferentia

tia ad centrum usq; deductæ, medium huiusmodi punctum singulæ sui quodam puncto uno simplici & immobili co gũtur attingere. Quis negat Deum centrũ omniũ merito nominari: cũ omnibus insit unus penitus, simplex, atq; immobilis: cũcta uero ab ipso producta, multa, cõposita, & mobilia sint, atq; ut ab eo manant, ita in eum instar li= nearum & circũferentiæ refluant? Ita mens, anima, natura, materia procedẽtes à deo in eundem redire nitũtur: seq; undiq; pro uiribus in illum circumferunt. Atq; ut centrum punctum ubiq; in lineis & in toto circulo reperi= tur, perq; punctum suum singulæ lineæ medium circuli tangunt punctum: ita deus omnium cẽtrum, qui unitas sim plicissima est, actiusq; purissimus, sese inserit uniuersis: non ob id solum, quia cunctis est præsens, uerumetiã quia omnibus à se creatis partem aliquam, uel potentiã intimam, simpliciſsimam, præstantissimam indidit: quæ rerum unitas nominatur: à qua & ad quam tanquã à centro & ad centrum suum rei cuiusq; partes & potentiæ reliquæ pendent. Ad hoc planè suum centrum, ab hanc propriã unitatem se colligant creata prius oportet, quàm suo hære ant creatori: ut per proprium centrũ, quod iam sæpe repetimus, centro omnium hæreant. In apicem suum caputq; mens angeli antè consurgit, quàm ascendat in deum. Anima quoq; & reliqua eodem pacto. Atq; illorũ inuisibili= um circulorum, mentis scilicet, animæ, naturæ, uisibilis mundi circulus est imago. Corpora enim animarum menti umq; umbræ & uestigia sunt. Vmbra uero & uestigiũ figura eius, cuius umbra est, & uestigium refert. Quapro pter quatuor illa, non iniuria circuli quatuor appellantur. Sed mens immobilis orbis propterea, quod tam opera tio eius quàm substantia semper eadem permanet, & similiter operatur: intelligit semper eodẽ modo, ultq; simi liter. Mobilis autem quandoq; mens ex eo solum dici potest, quòd quemadmodum cætera omnia à deo procedens in eundem se uertit. Anima mundi, & alia quæuis, circulus mobilis. Hæc enim sua natura discurrẽdo cognoscit, & temporum curriculis operatur. Discursio autem ab alio in aliud, & operatio tẽporalis, motus proculdubio nomi natur. Si qua uero in animæ cognitione stabilitas est, mentis cõstat potius quàm animæ beneficio. Natura etiã mo bilis est circuitus. Cum animam dicimus, priscorum more theologorũ uim in ratione et sensu positã intelligimus: cum naturam, uim animæ in generando locatam. Vim illam in nobis hominem proprie uocauerunt: istam hominis idolum & simulachrum. Hæc sanè generandi facultas ideo mobilis dicitur: quia tẽporis spacijs suum opus exequi tur. Verum in hoc ab illa animæ proprietate discrepat: quòd anima per se, & in se mouetur. Per se, inquam, quia principiũ motus existit, In se etiam, quia in ipsa animæ substãtia rationis & sensus remanet operatio. Ex ijs opus nullũ ne= cessario resultat in corpore. Generãdi uero uis illa quã uocamus naturã, per se quidẽ mouetur: cum animæ per se motæ uis quædam sit. Moueri autem in alio dicitur: quia in mole corporis omnis eius operatio terminatur. Corpus enim nutrit, augetq; & generat. Materia uero & corporis moles, orbis est ab alio, et in alio mobilis. Ab alio quidem, quoniã ab anima necessario agitatur, In alio autẽ, quia in loci spacio motus corporis agitatur. Iã igi= tur quam ob causam bonitatem in centro, in circulo pulchritudinẽ, theologi collocẽt, aperte intelligere possumus. Bonitas siquidem rerum omnium unus ipse est deus, per quem cuncta sunt bona. Pulchritudo autẽ dei radius, qua= tuor illis insitus circulis circa deum quodãmodo reuolutis. huiusmodi radius omnes rerum omniũ species in qua= tuor illis effingit: species illas in mente ideas, in anima rationes, in natura semina, in materia formas appellare sole mus. Idcirco quatuor in circulis, quatuor splendores esse uidentur. Idearum splendor in primo: Rationum in secũ do: in tertio seminum: Formarum in ultimo.

QVOMODO PLATO DE REBVS DIVINIS EX= ponatur. CAP. IIII

HOC mysteriũ in epistola ad Dionysiũ regem Plato significauit: cum deum affirmauit pulchrorũ omnium causam: quasi totius pulchritudinis principium & originem. Circa omnium, inquit, re= gem cuncta sunt: ipsius gratia omnia: ipse causa est pulchrorum omnium: Secũda circa secũdum, Tertia circa tertium. Humanus autẽ animus affectat qualia illa sint intelligere: aspiciẽs in ea quæ sibi cognata sunt: quorum nihil sufficienter se habet. Circa uero ipsum regẽ & ea quæ dixi, nihil est tale: quod autẽ post hoc est, animus dicit. Circa regem, non intra regẽ, sed extra significat. In Deo enim nulla est cõpositio. Quid uero dictio illa circa significat, exponit Plato, cum addit: Eius gratia omnia: ipse causa est pul chrorum omnium, Quasi dicat, ideo circa regem omnia sunt, quia ad illum tanquam ad finẽ pro natura sua omnia reuoluuntur, quemadmodum ab illo tanquam principio producta sunt omnia. Pulchrorũ omniũ, id est, totius pul chritudinis: quæ supradictis in circulis emicat. Formæ enim corporum per semina: hæc per rationes, hæ per ideas reducuntur in deum, & ijsdem à deo gradibus producuntur. Proprie uero cum dicit Cuncta, ideas intelligit: nam in his reliqua includuntur. Secunda circa secundum: Tertia circa tertium. Tres mundi principes posuit Zoroa= stes, trium ordinum dominos: Oromasin, mithrin, arimanin. Hos Plato, deum, mentem, animam nũcupat. Tres au tem ordines in diuinis posuit speciebus, ideas, rationes & semina. Prima igitur, id est ideæ, circa primum, id est circa deum, quoniam à deo menti tributæ sunt, & in eundem mentem cui sunt datæ reducunt. Secunda circa secun= dum, id est rationes circa mentem: quandoquidem per mentem in animam transeunt, & in mentem animã dirigũt.

Tertia circa tertium, id est semina rerũ circa animam: nam per animã transeunt in naturã, in illam scilicet generandi potentiam, rursusq; naturã animæ copulant. Eodẽ ordine à natura in materiã formæ descẽdunt. Sed eas Plato in ordine posito non connumerat, quia de diuinis à Dionysio interrogatus tres ordines ad incorporales species pertinẽtes tãquàm diuinos induxit: Formas autẽ corporum prætermisit. Noluit aũt deum regẽ primũ uocare, sed omniũ regẽ: ne si primũ diceret, cum unà cũ sequẽtibus ducibus in aliqua numeri specie, cõditionisq; paritate collocare forsitã uideretur. Neq; dixit prima circa illũ, sed cũcta: ne crederemus eũ ordinis alicuius potius quàm cunctorũ gubernatorem. Humanus animus affectat qualia illa sint intelligere. Scite post illos tres diuinæ pulchritudinis splendores tribus in circulis emicantes amorem animi ad illos adiecit. Illinc enim animi ardor accẽditur. Quippe par est ut diuinus diuina desideret: aspiciẽs in ea, quæ sibi cognata sunt. Quoniã humana cognitio à sensibus oritur: per ea quæ in corporibus præstantiora uidemus, diuina iudicare sæpenumero consueuimus: per corporalium rerum uires, dei potentiã: per ordinem, sapientiam: per utilitatem, dei bonitatem inuestigamus. Vocat autẽ formas corporũ animæ cognatas, quasi proxime natas. Sequenti enim gradu post animam formæ corporum disponuntur. Quorum nihil sufficienter se habet. Formæ huiusmodi neq; sufficienter sunt, neq; sufficienter nobis diuina ostendunt. Veræ nanq; res, ideæ, rationes, & semina sunt: Corporũ uero formæ, umbræ rerũ potius quàm ueræ res esse uidentur. Quemadmodũ uero corporis umbra exactã atq; distinctam corporis figuram nõ indicat, ita corpora diuinorũ naturam propriã non demonstrant. Circa ipsum regem & ea quæ dixi, nihil est tale. Quo enim pacto mortalia immortalibus, & falsa ueris similia sunt? Quod autem post hoc est, animus dicit: id est, animus dum diuina per mortalia iudicat, falso de diuinis loquitur: neq; diuina pronunciat, sed mortalia.

PVLCHRITVDO DIVINA, PER OMNIA SPLENDET, & amatur in omnibus. CAP. V

PVLCHRITVDO actus quidam siue radius inde per omnia penetrans: Primo in angelicã mentem: Secundo in animam totius & reliquos animos: Tertio in naturam: Quarto in materiã corporum. Mentem idearum ordine decorat: animam rationũ serie complet: naturam fulcit seminibus: Materiam formis exornat. Quemadmodũ uero solis radius unus corpora quatuor, ignẽ, aerem, aquam, terramq; illustrat: sic unus dei radius mentem, animã, naturam, materiamq; illuminat. Atq; in his quatuor elementis quicunq; lumen inspicit, solis ipsius aspicit radium: perq; ipsum ad supernam solis lucẽ intuendam conuertitur. Ita quisquis decorem in quatuor istis, mente, anima, natura, materia contemplatur, amatq;, dei fulgorem in his, perq; fulgorem huiusmodi Deum ipsum intuetur & amat.

PASSIONES AMANTIVM. CAP. VI

HINC efficitur ut corporis nullius aspectu uel tactu amatoris impetus extinguatur. Non enim corpus hoc aut illud desiderat: sed superni luminis splendorem per corpora resulgentem admiratur, affectat & stupet. Quapropter quid cupiant, aut quærant amantes ignorant. Deũ nanq; ipsum ignorant: cuius sapor occultus odorem quendam sui dulcissimum operibus suis inseruit. Quo quidem ardore quotidie excitamur. Odorem quidẽ sentimus: Saporem proculdubio iguoramus. Cũ igitur odore manifesto illecti saporem latenter desideremus, merito quid cupiamus, patiamurq; nescimus. Hinc etiam semper accidit: ut amantes amati aspectum timeant quodammodo atq; uenerentur. Quod etiam fortes, dicam equidem, & si uereor ne quis uestrum hæc audiens erubescat, & sapientes inquam uiri, coram inferiore quouis amato pati consueuerunt. Nempe non humanum est quod eos terret, quod frangit, quod occupat. Humana enim uis in fortioribus sapientioribusq; semper est excellentior. Sed diuinitatis fulgor ille in formosis emicans quasi dei simulacrum amantes obstupescere, contremiscere, & uenerari compellit. Eadem ratione propter amati præsentiam amator diuitias & honores contemnit, et pro nihilo habet. Par enim est, ut diuina humanis anteponantur. Illud quoq; euenire sæpenumero solet, ut se in amati personam quisq; trãsferre cupiat. Nec immerito. Deus nãq; pro homine fieri cupit, atq; conatur. Quis autem pro Deo hominem non cõmutet? Fit etiã ut amore illaqueati uicissim suspirent & gaudeant. Suspirant quod seipsos amittunt, quod perdũt, quod perimunt. Gaudent quod in melius quiddam se transferunt. Calent quoq; uicissim & frigent: instar eorũ, quos tertiana febris inuadit. Merito frigent: quia calore proprio deseruntur: necnon & calent, cum superni radij fulgoribus accendantur. Frigiditatem timiditas: caliditatem audacia sequitur. Ideo timidi quoq; uicissim & audaces apparẽt. Hebetissimi præterea quiq; acutiores amando redduntur. Quis enim cœlesti radio aspirante, non acutissime uideat? Verum de amore ipso, & pulchritudine, eiusq; origine, amantium affectibus ista sufficiant.

DE DVOBVS AMORIS GENERIBVS, AC DE duplici Venere. CAP. VII

DEINCEPS de duobus Amorum generibus breuiter disputandum. Cupidinem Veneris comitem esse apud Platonem Pausanias asserit. Totidēq; esse Cupidines quot sint & Veneres, necessarium arbitratur. Veneres autem duas cōmemorat: quas itidem gemini Cupidines comitentur. Venerem alteram quidem cœlestem ponit: alteram uero uulgarem. Cœlestem illam Cœlo sine matre natam: Vulgarem ex Ioue & Dione genitam. Cœlum Platonici summū deū ideo uocāt, quia sicut cœlum istud sublime corpus omnia corpora regit & cōtinet, sic summus ille deus omnes spiritus superemīnet. Mentē uero plurimis nominib. nūcupant. Saturnū enim modo, modo Iouem, modo Venerē uocant. Est nanq; mens illa, uiuit, intelligit. Essentiam suam Saturnū, Vitam Iouem, Intelligentiā Venerē appellare cōsueuerunt. Animam præterea mundi, Saturnū similiter & Iouē uocamus & Venerem. Prout superna intelligit, Saturnū. Prout cœlestia mouet, Iouē. Vt inferiora generat, Venerē. Venus prima, quæ in mente est, Cœlo nata sine matre dicitur: quoniā mater apud Physicos materia est. Mens autē illa à materiæ corporalis cōsortio est aliena. Secūda Venus, quæ in mundi anima ponitur, ex Ioue & Dione genita. Ex Ioue, id est, ex ea uirtute ipsius animæ, quæ cœlestia mouet. Ea siquidē istam creauit potentiā, quæ inferiora hæc generat. Matrē quoq; illi deo tribuūt: quia materiæ mundi infusa cum materia cōmercium habere putatur. Deniq; ut summatim dicam, duplex est Venus. Vna sane est intelligentia illa quā in mente angelica posuimus. Altera uis generādi animæ mūdi tributa. Vtraq; sui similē comitē habet amorē. Illa enim amore ingenito ad intelligendā dei pulchritudinē rapitur. Hæc itē amore suo ad eandē pulchritudinē in corporibus procreandam. Illa diuinitatis fulgorē in se primū complectitur: deinde hūc in Venerē secundam traducit. Hæc fulgoris illius scintillas in materiā mundi transfundit. Scintillarū huiusmodi præsentia singula mundi corpora, pro captu naturæ, speciosa uidentur. Horū speciem corporū humanus animus per oculos percipit. Qui rursus uires geminas posidet. Quippe intelligēdi uim habet. Habet & generandi potentiā. Hæ geminæ uires duæ in nobis sunt Veneres, quas & gemini comitantur amores. Cum primū humani corporis species oculis nostris offertur, mēs nostra quæ prima in nobis Venus est, eam tanquā diuini decoris imaginem, ueneratur & diligit: perq; hanc ad illū sæpenumero incitatur. Vis autē generandi, secūda Venus, formam generare huic similē concupiscit. Vtrobiq; igitur amor est. Ibi contēplandæ, hic generandæ pulchritudinis desideriū. Amor uterq; honestus atq; probandus. Vterq; enim diuinā imaginē sequitur. Quid igitur in amore Pausanias improbat? Dicam equidē. Siquis generationis auidior cōtemplationē deserat, aut generationē præter modum cum fœminis, uel contra naturæ ordinem cum masculis prosequatur, aut formam corporis pulchritudini animi præferat, is utiq; dignitate amoris abutitur. hunc amoris abusum uituperat Pausanias. Quo qui rectē utitur, corporis quidem formam laudat: sed per illam, excellentiorem animi mentisq; et dei speciem cogitat, eāq; uehementius admiratur, & amat. Generationis autem & congressus officio eatenus utitur, quatenus naturalis ordo legesq; ciuiles à prudentibus statutæ præscribunt. De his diffusius Pausanias.

EXHORTATIO AD AMOREM. DE AMORE SIMPLICI, ac de mutuo. CAP. VIII

NOS autē amici hortor & obsecro, ut amorē rē profecto diuinā totis uiribus cōplectamini; neq; uos illud deterreat quod de amāte quodā Platonē dixisse ferūt. Ille, inquit, amator animus ē proprio in corpore mortuus: in alieno corpore uiuens. Neq; uos etiam turbet quod de amara miseráq; amantiū sorte cecinit Orpheus. Hæc enim quomodo accipiēda sunt, & quā uia his succurrēdum, quæso deinde si placet, diligēter attēdite. Amorē Plato rem amaram uocat: nec iniuria, quia moritur quisquis amat. Hūc & Orpheus γλυκύπικρον, id est dulce amarū nominat. Quippe cū amor mors uoluntaria sit. Vt mors est, amara res est. Vt uoluntaria, dulcis. Moritur autē quisquis amat. Eius enim cogitatio, sui oblita semper in amato se uersat. Si de se non cogitat, in se certe nō cogitat. Ideo nec in seipso sic affectus animus operatur: cum præcipua operatio animi ipsa cogitatio sit, Qui nō in se operatur, nec in seipso est. Aequa enim inter sese hæc duo, esse, et operatio sunt: nec esse sine operatiōe ē, nec operatio esse ipsū excedit: nec operatur quisquam ubi nō est: & ubicunq; est operatur. Non ergo in se amantis est animus: quia in seipso non agit. Si in seipso non est, nec uiuit etiā in seipso: qui non uiuit, mortuus est. Quare in se mortuus est quicūq; amat. Num uiuit saltē in alio? Profecto. Amoris illæ duæ sunt species: amor unus simplex, mutuus alter. Simplex amor ubi amatus nō amat amantē. Ibi omnino mortuus est amator: nā nec uiuit in se, ut satis iā demōstrauimus, nec in amato etiā cū ab eo reijciatur. Vbi ergo uiuit? nūquid in aere, uel aqua, uel igne, uel terra, aut aliquo bruti corpore? Nequaquā. Animus enim humanus, nō in alio uiuit corpore quā humano. An fortè in alio quodā corpore hominis nō amati uitā ducet? Nec istud quidē. Nā si in eo nō uiuit ubi uiuere uehemētissime cōcupiscit, quonā pacto uiuet in alio? Nusquā ergo uiuit qui amat aliū ab alio nō amatus. Propterea omnino mortuus est nō amatus amator. Nec reuiuiscet

unquam nisi indignatio suscitet. Vbi uero amatus in amore respõdet, in eo saltẽ uitã agit amator. Hic certe mirares fit: quoties duo aliqui mutua se beneuolentia complectũtur, hic in illo, ille in hoc uiuit. Vicissim huiusmodi homines se cõmutant, & seipsum uterq; utriq; tribuit, ut accipiant alterum. Quomodo seipsos tribuant dum sui obliuiscũtur, uideo. At quomodo accipiant alterũ, non intelligo. nam qui seipsum non habet multo minus alium possidebit. Immo uero habet seipsum uterq;, & habet alterũ. Hic quidem se habet, sed in illo. Ille quoq; se possidet, sed in hoc. Equidẽ dum te amo me amantem, in te de me cogitante me reperio, & me à me ipso negligentia mea perditum in te conseruante recupero. Idẽ in me tu facis. Mirũ rursus et hoc apparet. Nam ego postquã meipsum amisi, si per te me redimo, per te me habeo: si per te habeo, te prius ac magis habeo quàm meipsum: tibi propinquior, quàm mihi sum. Quippe cũ mihi nõ aliter quàm per te mediũ inhæresca. In hoc utiq; uis Cupidinis à Martis discrepat uiolẽtia. Nempe imperiũ sic, amorq; differũt. Imperator per se alios possidet, amator per aliũ se complectitur: & uterq; amantiũ longior à seipso, fit propinquior alteri: ac in se mortuus, in alio reuiuiscit. Vna uero dunta xat in amore mutuo mors est, reuiuiscẽtia duplex. Moritur enim qui amat, in seipso semel cum se negligit. Reuiuiscit in amato statim cum amatus eum ardẽti cogitatione complectitur. Reuiuiscit iterum, cum in amato se deniq; recognoscit, & amatum se esse non dubitat. O felicem mortem quam duæ uitæ sequuntur. O mirum commercium: quo quis seipsum tradit pro alio, nec habet, nec habere se desinit. O inextimabile lucrum, quando duo ita unũ fiunt, ut quisq; duorũ pro uno solo, duo fiat: & tanquam geminatus qui unã habuerat uitam una interueniente morte duas iam habeat. Nam qui semel mortuus bis reuiuiscit, pro una uita geminam, pro se uno, se duos est consequutus. Iustissima certe est in mutuo amore uindicta. Homicida morte plectendus. Quis enim homicidam esse neget qui amatur, cum animã ab amante seiungat? Quis iterũ mori similiter eundem neget: cum similiter amat amantẽ? Debita nimiũ hæc restitutio est: quãdo hic illi, & ille huic reddit animã quam accepit. Vterq; amando suã tradit: & redamando per suam, restituit alienã. Quapropter iure ipso amare debet quisquis amatur. Qui uero non amat amantẽ, homicidij reus est habendus. Immo uero fur, homicida, sacrilegus. Pecunia à corpore possidetur, corpus ab animo. Qui ergo animũ arripuerit, à quo tam corpus quàm pecuniæ possidentur, animum simul corpusq; & pecunias arripit; à quo tã corpus quàm pecuniæ possidentur. Quo fit ut tanquã fur, homicida, sacrilegus, triplici morti sit obnoxius: ac uclut infamis penitus atq; prophanus impune à quolibet interfici possit: nisi ipsemet spõte sua legem illam impleat, amet uidelicet amatorem. Vbi cum semel moriẽte, semel ipse similiter moritur: cum bis reuiuiscente bis itidem reuiuiscit. Superioribus rationibus ostensum est, amatum uicissim amatorem amare debere: nõ solum uero debere, sed cogi, sic ostenditur. Amorem procreat similitudo. Similitudo natura quædam est in pluribus eadem. Nam si ego tibi similis sum, tu quoq; mihi es necessario similis. Eadẽ ergo similitudo, quæ me ut te amẽ cõpellit, te quoq; amare me cogit. Præterea amator se sibi aufert, deditq; amato. Hunc ergo amatus tanquã rem suã curat. chariss:ma enim sua cuiq; sunt. Accedit quòd amans amati figurã suo sculpit in animo. Fit itaq; amantis animus speculũ: in quo amati relucet imago. Iccirco amatus cum in amante se recognoscat, amare illum cõpellitur. Vicissitudinem amoris inter illos præcipuam esse astrologi arbitrãtur, in quorũ genesi luminum, id est solis & lunæ cõmutatio fuerit. Videlicet si me nascente sol in ariete, luna in libra. Te nascẽte sol in libra, luna in ariete. Aut quibus signũ idem similé ue, idemq; planeta similis ue ascenderit: aut benigni planetæ similiter angulum oriẽtis aspexerint, aut Venus in eadem natiuitatis domo, eodemq; gradu fuerit constituta. Addunt Platonici, quorũ uitam dæmon idem, aut certe similis ducat. Physici uero moralesq;, Complexionis, Nutritionis, Eruditionis, Consuetudinis, Consilij similitudinem similis affectus causam esse uolũt. Deniq; ubi causæ plures cõcurrunt, ibi uicissitudo uehementior reperitur. Vbi omnes, illic Pythiæ & Damonis, Pyladis & Orestis, resurgunt affectus.

QVID QVAERANT AMANTES. CAP. IX

QVAERVM quid isti quærũt cum se mutuo diligunt? Pulchritudinẽ quærunt. Amor enim frucndæ pulchritudinis desiderium est. Pulchritudo autem splendor quidam est humanum ad se rapiens animũ. Nẽpe corporis pulchritudo nihil aliud est, quàm splendor ipse in colorũ linearũq; decore. Animi quoq; pulchritudo fulgor in doctrinæ & morũ cõcinnitate. Lucẽ illam corporis, nõ aures, nõ olfactus, nõ gustus, nõ tactus, sed oculus percipit. Si oculus solus agnoscit, solus fruitur. Solus igitur oculus corporis pulchritudine fruitur. Cũ uero amor nihil aliud sit, nisi fruendæ pulchritudinis desiderium, hæc autem solis oculis comprehendatur: solo aspectu amator corporis est contentus. Tãgendi uero cupido, non amoris pars est, nec amantis affectus, sed petulantiæ species, & seruilis hominis perturbatio. Lucẽ præterea illam & pulchritudinem animi sola mente comprehendimus. Quare solo mentis intuitu contentus est: qui animi pulchritudinem expetit. Pulchritudo deniq; inter amantes pro pulchritudine commutatur. Iunioris amati pulchritudine uir oculis fruitur. Viri pulchritudinem iunior mente consequitur: et qui solo corpore formosus est, hac consuetudine fit & animo speciosus: qui solo animo est decorus, corporis oculos explet corporis pulchritudine. Mirifica plane commutatio est, utrique honesta, utilis & iucunda. Honesta, siquidem par in utroque: æque

enim

enim honestum est & discere, & docere. Iucunditas in seniore maior, qui aspectu & intelligẽtia delectatur. In iuniore uero maior utilitas: quo enim præstantior est animus corpore, eo precioſior est pulchritudinis animi, quàm corporis consecutio. Pausaniæ hactenus, nunc Eryximachi orationem interpretemur.

ORATIO TERTIA.

AMOR IN OMNIBVS, PER OMNIA, CREATOR omnium, magister omnium. CAPVT I

TRIA nobis deinceps ex nostri Eryximachi mẽte tractanda uidentur. Primũ quòd amor omnibus insitus per cuncta porrigitur. Alterum quòd omnium quæ secundum naturã sunt operũ, effector est atq; seruator. Tertiũ quòd artiũ singularũ est magister & dominus. Tres profecto rerum gradus in natura cõsiderantur, Superiora, Inferiora, Aequalia, Quæ supra sunt, inferiorũ sunt causæ. Quæ infrà, superiorũ opera. Quæ æqualia, eadẽ inter se natura sunt prædita. Causæ uero opera sua tanquã sui partes & imagines diligunt. Opera quinetiã causas tanquã sui cõseruatrices expetũt. Quæ autẽ in eo ordine locata sunt, ad sese inuicem quasi unius & eiusdẽ similia mẽbra mutua charitate afficiũtur. Ideo deus angelos, & angeli cũ deo simul animas, anima cũ illis una corpora beneuolẽtia quadã regũt atq; gubernant. In quo superiorũ ad inferiora dilectio plane cõspicitur. Rursus corpora animis suis & iungũtur auidissime, & ab eis molestissime seiungũtur. Animi nostri cœlestiũ beatitudinem cupiunt: cœlestes superni numinis maiestatem feliciter uenerantur. atq; hic inferiorũ ad superna est amoris affectus. Item omnes ignis partes libenter inuicẽ cohæresc unt. Terræ rursus, aquæ, & aeris partes inuicem: & in qualibet animaliũ specie, eiusdẽ speciei animalia sese mutua consuetudine semper adsciscũt. Vbi amor ad æqualia similiaq; conspicitur. Cuinam igitur dubiũ erit, quia amor omnibus ad omnia sit ingenitus? Atq; id est quod Dionysius Areopagita in lib. De diuinis nominib. ex Hierothei mente ijs uerbis significauit. Amorem siue diuinum, siue angelicum, siue spiritualem, siue animalẽ, siue naturalem dixerimus, insitiuam quandam intelligimus cõmiscentemq; uirtutem: quæ superiora quidem ad inferiorum prouidentiã mouet: æqualia rursus ad socialem sui inuicẽ cõmunionem cõciliat: ac postremo inferiora quæq; admonet, ut ad potiora sublimioraq; conuertantur. Hæc ille.

AMOR EST AVTOR OMNIVM ET SERVATOR. CAP. II

SECVNDVM uero illud nostræ orationis membrũ, quo amor effector omniũ & seruator est dictus, ita probatur. Cupiditas perfectionis propriæ propagãdæ amor quidã est. Absoluta perfectio, in summa dei est potẽtia. Eam diuina intelligẽtia contẽplatur, atq; inde uoluntas eadem cupit extra se propagare: ex quo propagãdi amore creata ab eo sunt omnia. Idcirco Dionysius noster, Diuinus, inquit, amor non permisit regẽ omniũ sine germine in seipso manere. Idem propagationis instinctus omnibus ab illo primo autore est inditus. Per hũc sancti illius spiritus cœlos mouẽt, et sequẽtibus omnibus sua munera largiũtur. Per hunc sydera lumen suũ in elemẽta diffundunt. Per hunc ignis sui caloris cõmunione aerem mouet, aer aquam, aqua terrã: ac uersa uice terra ad se trahit aquam, hæc aerem, ille ignẽ. Herbæ quoq; & arbores cupidæ sui seminis propagandi sui similia gignunt. Animalia quoq; bruta & homines eiusdẽ cupiditatis illecebris ad procreandam sobolem rapiuntur. Quod si amor omnia facit, seruat etiã omnia. Eiusdem enim semper est affectionis & conseruationis officium. Nempe similia similibus cõseruantur. Amor autem simile ad simile trahit. Terræ partes singulæ amore mutuo copulante, ad partes alias terræ sui similes sese cõferunt. Tota etiã terra ad simile sibi mundi centrũ illius auiditate descendit. Aquæ partes ad sese inuicem similiter & ad locũ sibi cõuenientem cum toto aquæ corpore perferuntur. Idem partes aeris ignisq; faciunt: ac etiam duo hæc elemẽta ad supernam regionem sibi congruam & similem regionis illius amore trahuntur. Cœlum etiã, ut Plato in lib. De regno inquit, innato mouetur amore. Anima enim cœli tota simul est in quibuslibet cœli pũctis. Cœlum ergo animæ fruẽdæ cupidũ ideo currit: ut per omnes sui partes ubiq; tota anima perfruatur. Aduolat aũt rapidissime, ut quoad fieri potest, totũ sit simul ubiq;, ubicunq; tota simul est anima. Præterea sphæræ maioris concaua superficies minoris sphæræ locus est naturalis. Et quia quælibet huius sphæræ particula æque cum qualibet illius particula conuenit, quælibet omnes appetit particulas illius attingere. Si quiescat, singulæ tangent singulas, non quælibet cũctas. Currendo fermè assequitur quod assequi quiescendo non posset. Currit autẽ uelocissime, ut quælibet pars eodẽ pene tempore pro uiribus cunctas attingat. Quinetiam unitate partium suarum cuncta seruantur, dispersione partiũ pereunt. Vnitatem uero partium mutuus earundem efficit amor. Quod in humoribus nostrorum corporũ & mũdi elementis intueri licet, quorum concordia, ut ait Empedocles Pythagoreus, & mundus & corpus nostrum constat, discordia dissipatur. Concordiam uero illis pacis atq; amoris præstat uicissitudo. Hinc Orpheus μῶν@ γῆ τῶτωρ πάντωρ οἴηκα κρατύνῃς, id est, Solus horum omnium tu regis habenas.

QVOD SIT MAGISTER ARTIVM ET gubernator CAP. III

RESTAT post hæc ut quo pacto magister artium omnium & gubernator sit exponamus. Magistrum quidem artium esse intelligamus: si modo considerabimus neminem unquam artem aliquam aut inuenire, aut discere posse, nisi inuestigationis oblectatio, & inueniẽdi desideriũ incitet: & qui docet, discipulos diligat, ac discipuli eam doctrinam auidissime sitiant. Gubernator præterea merito nominatur. Artis enim opera diligenter exequitur, atq; exacte cõsummat, quicunq; & artificia ipsa & personas quibus illa fiũt, maxime diligit. Accedit quòd artifices in artibus singulis nihil aliud quàm amorẽ inquirunt & curant. Eas in præsentia nos artes breuiter percurremus: quas Eryximachus apud Platonem commemorat. Quid enim aliud Medicina considerat, quàm quomodo humores quatuor corporis amici inuicem fiant, atq; permaneãt? quos cibos ac potus, cæterosq; uiuendi, aut medẽdi usus amat natura atq; requirat? Duos illos hic quoq; amores, Cœlestẽ & uulgarẽ, quos Pausanias supra distinxerat, per similitudinem quandam Eryximachus adinuenit. Tẽperata enim affectio corporis moderatũ, atq; ad res moderatas, cõuenientesq; habet amorẽ. Intẽperata contrariũ, & ad contraria continet. Illi quidem indulgendũ, Huic nunquã obtẽperandum. In gymnastica etiã exercitatione inuestigandũ: qui corporis habitus, quos exercẽdi modos, quos gestus amet & expostulet. In agricultura, quod solum, quæ semina, qualẽ ue culturã exigat: quis ue colẽdi modus à singulis arboribus diligatur. Idẽ in musica obseruatur: cuius artifices, qui numeri, quos numeros, aut magis, aut minus diligãt, inuestigant. Ii inter unũ ac duo, atq; unũ & septem minimũ amorem inueniunt. Inter unũ uero, tria, quatuor, quinq;, sex, amorem uehementiorẽ reperiunt. Inter unũ & octo uehementissimũ. Ii uoces acutas, et graues natura diuersas certis interuallis & modulis sibi inuicẽ magis amicas faciunt. Ex quo harmoniæ compositio & suauitas nascitur. Tardiores etiam motus & uelociores ita inuicem temperant, ut amici potissimum fiant, & rhythmum concinnitatẽq; exhibeant. Musicæ autem melodiæ genera duo tradũtur. Est enim graue quoddam & constans: est & aliud molle atq; lasciuum. Illud utentibus utile: hoc noxium & libris De repub. & legibus Plato iudicat. Illi in conuiuio Vraniam musam, huic Polymniã præfecit. Alij primum illud genus, alij secundum amant. Iliorum amori obtemperandũ, adhibendiq; soni sunt, quos expetunt: horum appetitui obsistendum. Illorum nãq; amor cœlestis est: horũ uero uulgaris. Inest syderibus & elementis quatuor amicitia quædã, quam astronomia cõsiderat. In his duo illi quodammodo amores reperiuntur. Est enim his moderatus amor quando inuicẽ mutuis uiribus temperatissime consonant. Est & amor immoderatus, quãdo unũ aliquid illorum seipsum amat nimiũ, alia quodammodo derelinquit. Ex illo aeris grata temperies, aquæ tranquillitas, terrarũ fertilitas, animaliũ sanitas: ex hoc cõtraria proficiscuntur. Vatum postremo, Sacerdotũq; facultas in hoc potissimũ uersari uidetur, ut quæ hominum officia deo amica sint, qua ratione homines deo amici fiant, nos doceãt: qui amoris, charitatisq; modus ad deum, ad patriam, ad parentes, ad alios tam ad uiuos, quàm ad defunctos sit adhibẽdus. Idem in cæteris artibus coniectari licet, atq; summatim concludere amorem in omnibus ad omnia esse omnium autorem, seruatorẽq; existere, & artium uniuersarũ dominum & magistrũ. Hunc merito diuus Orpheus appellauit Solertem bigenium, omnium claues habentem. Quomodo enim geminæ naturæ sit à Pausania primũ: deinde ab Eryximacho audiuistis. Qua etiam ratione claues mundi tenere dicatur ab Orpheo, ex superioribus satis cõprehendere possumus: quippe sicut ostendimus desideriũ hoc perfectionis propriæ propagandæ cunctis ingenitum, latentem implicatã cuiusq; fœcunditatẽ explicat: dum semina in germẽ pullulare compellit; & uires cuiusq; eius educit sinu, fœtusq; concipit, & quasi clauibus quibusdam conceptus aperiendo producit in lucem: quamobrem omnes mũdi partes, quia unius artificis opera sunt, eiusdem machinæ mẽbra inter se in essendo & uiuendo similia, mutua quadã charitate sibi inuicem uinciuntur, ut merito dici possit amor nodus perpetuus & copula mũdi, partiũq; & eius immobile sustentaculum, ac firmum totius machinæ fundamentum.

NVLLVM MVNDI MEMBRVM ODIT ALIVD membrum. CAP. IIII

QVOD si ita est: nulla operis huius membra inimica esse inter se ullo pacto possunt. Non enim ignis aquam, aquæ odio fugit: sed suijpsius amore: ne ab aquæ frigore extinguatur. Neq; ignem aqua odio ignis extinguit: sed quodã amplificandi proprij frigoris appetitu trahitur ad aquam sibi similẽ ex ignis corpore procreandam. Nam cum omnis appetitio naturalis ad bonũ nullaq; ad malum tẽdat: aquæ propositũ est, non ignẽ extinguere, quod est malum: sed aquã sui similem, quod bonũ est, generare. Quod si absq; ignis interitu expleri posset, ignem utiq; nõ cõsumeret. Eadẽ de cæteris quæ cõtraria & inimica uidentur, ratio assignatur. Porro agnus lupi uitam, figurãq; non odit, sed sui perniciem quæ à lupo infertur, exhorret. neq; lupus agni odio, sed amorẽ sui eũ lacerat atq; deuorat. Neq; homo hominẽ sed uitiũ

uitia hominis horret, neq; potentioribus, aut acutioribus dotes suas illorum odio, sed nostri beneuolentia inuidemus, metuentes ne illis penitus succũbamus. Quapropter nihil obstat quin amor in omnibus sit peráq; omnia penetret. Hunc igitur tantum deum, quia ubiq; est, omnium insidet penetralibus, tanquam potẽtem dominum cuius imperium effugere non ualemus, tanquam sapientissimum iudicem quem cogitationes nostræ latere nõ possunt, proculdubio metuamus: hunc quia creator est omnium atq; seruator, tanquam patrem ueneremur, tanquam tutorem, præsidiumq; colamus: hunc, quia artes singulas edocet, tanquam præceptorem sequamur: quo autore sumus & uiuimus: quo seruatore perpetui permanemus: quo præside & iudice gubernamur. Quo præceptore ad beate uiuendum instruimur, & formamur.

NARRATVR TEXTVS PLATONIS
De antiqua hominum natura.

ORATIO QVARTA CAPVT I

HIS dictis familiaris noster uerbis finem imposuit. Eum Christophorus Landinus uir doctrina excellens, quem potissimum cognouimus nostris temporibus Orphicum Platonicũq; poetam, sequutus est in hunc modum, obscuram & implicatam Aristophanis sententiã explicaturus. Quanquam Ioannes Caualcantes sua nos diligentia longis disputationum ambagibus liberauit: Aristophanis tamen sententia uerbis obscurissimis inuoluta enodationẽ adhuc aliquam lucẽq; requirit. Est, inquit Aristophanes, amor præ cæteris dijs summopere generi humano beneficus, curator & tutor hominũ, atq; medicus. Oportet primũ qualis hominum quondã fuerit natura: quæ ũe illius passiones animaduertere. Neq; enim qualis nunc est olim erat, sed longe diuersa. Principio tria hominum erant genera: non solum quæ nunc duo, mas & fœmina: uerumetiam tertium quoddam aderat ex utriusq; compositum. Præterea integra erat cuiusq; hominis species, atq; rotunda, dorsum & latera circum habens: manus quatuor: & paria manibus crura. Vultus itẽ duos tereti ceruice cõnexos & omnino consimiles. Masculinum genus sole genitum erat: Fœmininũ terra: Lunæ promiscuum. Vnde elato erant animo robustoq; corpore: quare cum dijs pugnare tentabant, & in cœlum ascendere. Ideo Iupiter singulos in longum secuit: duosq; fecit ex uno, instar eorum qui oua in longum capillo secant: atq; iterum si fastu in deos insanire uideantur minatus est eos rursus se similiter partiturum. Postquã natura hominum ita diuisa fuit, quisq; sui dimidium cupiebat. Igitur concurrebant, iactisq; circum brachijs sese inuicem complectebantur, redigi in priorem habitum affectantes. propterea fame & torpore defeciſſent, nisi deus congressui modũ imposuisset. Hinc utiq; mutuus hominibus innatus est amor priscæ naturæ conciliator, annitens unum ex duobus efficere, hominũq; naturæ mederi. Est enim quisq; nostrum dimidiũ hominis utpote sectus, quemadmodũ pisciculi qui psettæ & auratæ uocantur, sciſsi ex uno duo efficiuntur. quærit autem sui quisq; dimidiũ. Quoties itaq; dimidium suũ alicui, cuiuscunq; sexus auidus sit, occurrit, uehementissime concitatur, ardenti inhæret amore, neq; momentum quidem ab illo patiatur seiungi. Totius itaq; reficiẽdi cupido, nixus amoris nomen accepit. Qui nos præsenti in tempore summopere iuuat, dum in sui dimidiũ olim amicissimum quenq; cõducit: & in posterũ spem summam inijcit nobis deum pie colentibus in ueterem figuram restituendo medendoq; se nos beatissimos effecturum.

EXPONITVR OPINIO PLATONIS DE ANTIqua hominis figura. CAP. II

HAEC Aristophanes & alia narrat permulta, monstris portentisq; similia: sub quibus quasi uelaminibus quibusdam diuina mysteria latere putãdum. Mos enim erat ueterum theologorum sacra ipsorum puraq; arcana ne à prophanis et impuris polluerentur figurarũ umbraculis tegere. Nos autẽ quæ in figuris superiorum, & alijs describũtur, singula exacte ad sensum pertinere nõ arbitramur. Nam Aurelius Augustinus, non omnia inquit, quæ in figuris fingũtur significare aliquid putanda sunt. Multa enim propter illa quæ significant ordinis & connexionis gratia sunt adiuncta. Solo uomere terra proscinditur. Sed ut hoc fieri possit, cætera quoq; huic aratri membra iũguntur. Quæ igitur nobis exponẽda proponitur hæc est summa. Homines quondam tres sexus habebant, Masculinũ, Fœmininũ, Promiscuũ, Solis, Terræ, Lunæq; filios. erant & integri. Sed propter superbiam cum deo æquare se uellent sciſsi in duo sunt: iterũ si superbiant, bifariam discindendi. Sectione facta, dimidium amore ad dimidiũ trahitur, ut integritatis restitutio fiat, qua cõpleta beatũ genus hominũ est futurũ. Summa uero nostræ interpretationis erit huiusmodi. Homines, id est hominũ animæ quondã, id est quãdo à deo creantur, integræ sunt, duobus sunt exornatæ luminibus, ingenito & infuso: ut ingenito æqualia & inferiora, infuso superiora conspicerẽt. Deo æquare se uoluerũt, ad unicũ lumen ingenitũ sereflexerũt. Hic diuisæ sunt. Splendorẽ infusum amiserũt, quãdo ad solũ ingenitũ sunt cõuersæ: statimq; in corpora cecidere. Superbiores factæ iterũ diuidẽtur: id est si naturali nimiũ cõfidãt ingenio, lumẽ illud ingenitũ

&

& naturale, quod reſtitit, quodãmodo extinguetur. Tres ſexus habebant, Mares ſole, Fœminæ terra, Promiſcuæ luna genitæ. Dei fulgorem aliæ ſecundum fortitudinem, quæ maſcula eſt, aliæ ſecundum tẽperantiam, quæ fœmina, aliæ ſecundum iuſtitiam quæ promiſcua, ſuſceperunt. Hæ tres in nobis uirtutes aliarum triũ quas deus habet, ſunt filiæ. Sed in deo tres illæ, Sol, Luna, Terra: in nobis Mas, Fœmina, Promiſcuum nuncupãtur. Sectione facta dimidium amore ad dimidium trahitur. Animæ iam diuiſæ & immerſæ corporibus, cum primũ ad annos adoleſcentiæ uenerint, naturali & ingenito lumine, quod ſeruarunt, ceu ſui quodã dimidio excitãtur ad infuſum illud diuinũq; lumen, olim ipſarum dimidiũ, quod cadentes amiſere, ſtudio ueritatis recipiendum. Quo recepto iam integræ erunt, & dei uiſione beatæ. Hoc igitur erit interpretationis noſtræ compendium.

HOMO EST IPSA ANIMA, ET ANIMA EST immortalis. CAP. III

CORPVS cum ex materia conſtet & quantitate, & ad materiã ſuſcipere, ad quantitatem diuidi ſolum extendiq; pertineat, atq; ita ſuſceptio & diuiſio paſsiones ſint: conſequẽs eſt, ut ſuapte naturæ paſsioni tantum ſit & corruptioni ſubiectum. Siqua uero actio corpori competere uideatur, nõ inquantum corpus eſt agit, ſed in quantum illi uis quædam quodãmodo incorporea et qualitas ineſt, ut in ignis mole caliditas, in aquæ materia frigus, in corpore noſtro complexio. Ex quibus certe qualitatibus operationes corporum proficiſcuntur. Non enim quia longus, aut latus, aut profundus eſt ignis, ſed quia calidus, calefacit. Neque qui extenſior ignis, calefacit magis, immo propter diſperſionem minus, ſed qui calidior. Cũ igitur uirium, & qualitatum beneficio operationes proueniãt, ac uires ipſæ & qualitates ex materia & quãtitate nõ conſtent, licet in materia quantitateq; ſint, ſequitur ut pati ad corpus, agere ad aliquid incorporale pertineat. Vires utiq; hæ inſtrumenta quidem ſunt operandi. Ipſæ uero per ſe nequaquam ſufficiunt ad operandum, quia non ſufficiunt ad exiſtendum. Quod enim in alio iacet, ſeq; ipſum ſuſtentare nõ poteſt, ab alio certe dependet. Quo fit, ut qualitates, quia à corpore neceſſario ſuſtinẽtur, ab aliqua ſuperiori ſubſtãtia, quæ neq; corpus ſit, neq; in corpore iaceat, fiant atq; regãtur. Huiuſmodi anima eſt, quæ corporibus præſens & inſidẽs ipſa ſe ſuſtinet, & qualitatẽ uimq; complexionis corporibus tribuit, per quæ tãquam inſtrumenta in corpore, & per corpus uarias operationes exercet. Hinc generare, nutrire, augere, currere, ſtare, ſedere, loqui, artis opera fabricare, ſentire, intelligere, homo aſſeritur. Omnia uero hæc anima ipſa facit, ideoq; anima erit homo. Si generare, augere, nutrire hominẽ dicimus, anima tanquã pater & artifex corporis, ipſum gignit, auget, atq; nutrit. Si ſtare, ſedere, loqui, anima corporis mẽbra ſuſtinet, flectit, & uibrat. Si fabricare, currere, anima manus porrigit, & pro arbitrio torquet, pedes agitat. Si ſentire, anima per ſenſuum inſtrumẽta, quaſi feneſtras, & foramina exteriora corpora percipit. Si intelligere, anima per ſeipſam ſine aliquo corporis inſtrumento uarietatem aſſequitur. Omnia igitur quæcũq; homo facere dicitur, animus ipſe facit, corpus patitur. Quapropter homo ſolus eſt animus, corpus autem hominis opus & inſtrumentum. Eo maxime, quod animus operationem eius potiſsimã, intelligentiã ſcilicet, ſine ullo corporis inſtrumento exercet, cum res per illam incorporales intelligat, per corpus uero ſola corporalia cognoſcantur. Itaq; ſi animus per ſe agit quicquã, per ſe certe eſt, & uiuit. Viuit autem ſine corpore quod ſine corpore operatur. Si per ſe eſt, eſſe ſibi quiddam proprium conuenit corpori non commune. propterea poteſt proprium ſibi ſeorſum à corporis mole ſortiri hominis cognomentum. Quod ſanè nomen quia de uno quoque noſtrum per omnem uitam dicitur, quiſq; enim in omni ætate uocatur homo, ideo aliquid ſignificare uidetur quod ſtabile permanet. Corpus iugiter fluit, creſcendo, decreſcendo, reſolutione continua, liquefactione, calore uiciſsim, & frigore permutatum. Anima ſemper eadem permanet, quod liquido nobis oſtendit ueritatis inquiſitio, boniq; uolũtas ſemper eadem, & firma memoriæ conſeruatio. Quis ergo uſq; adeo demens erit, ut hominis appellationẽ in nobis firmiſsimam corpori fluẽti ſemper & undiq; permutato potius, quàm animo ſtabiliſsimo tribuat? Ex his perſpicuũ eſſe poteſt, cum homines Ariſtophanes nominauit, more Platonico animas noſtras ſignificaſſe.

QVOD ANIMA EST DVOBVS ORNATA LVMINIBVS, ET quare in corpus deſcendit creatio animæ cum duobus luminibus. CAP. IIII

PORRO anima ſtatim ex deo nata naturali quodam inſtinctu in deum parentem ſuum conuertitur, quemadmodum ignis in terra ſuperiorum ui genitus confeſtim naturæ impetu ad ſuperiora dirigitur, conuerſa in eum eius radijs illuſtratur. Sed primus hic fulgor in animæ ſubſtantia per ſe prius informi receptus, fit obſcurior, atq; ad illius tractus capacitatẽ proprius ipſi et naturalis euadit. ideoq; per eum utpote ſibi æqualem, ſeipſam & quæ infra ſe ſunt, id eſt, corpora omnia anima uidet quidem: Deum uero & alia ſuperiora non uidet. Sed enim per primam hanc ſcintillam deo facta propinquior aliud iterum clarius accipit lumen, quo etiam ſuperna cognoſcat. Lumen igitur habet geminum: Naturale alterum, ſiue ingenitum

nitum: Diuinum alterum & infusum: quibus una coniunctis ceu duabus alis per sublimem peruolare ualeat regiõ. Ac si diuino illo semper uteretur, semper diuinis hæreret: Terra rationalibus esset animalibus uacua. Cæterũ diuina prouidentia decretũ est ut anima suijpsius sit domina, posítq; tũ utroq; simul lumine uti, tum altero. Hinc fit ut natura duce ad propriũ sui lumen conuersa prætermisso diuino seipsam uiresq; suas quæ ad fabricam corporis spectant, animaduertat: cupiatq; uires huiusmodi in fabricandis corporibus exequi. Hac ut aiunt, cupiditate grauata, descendit in corpus: ubi generandi, mouendi & sentiẽdi uires exercet: suaq; præsentia terrã infimã mundi sedẽ exornat: quæ ideo ratione carere nõ debuit nequa pars mundi esset rationaliũ uiuentium præsentia destituta: quemadmodũ & illius autor ad cuius similitudinem mundus factus est, totus est ratio. Cecidit autem animus noster in corpus, cũ prætermisso diuino, solo suo usus est lumine: ac seipso cœpit esse cõtentus. Solus deus cui deest nihil, suprà quem nihil, seipso contentus permanet, sibi sufficiens. quapropter deo se parem fecit tunc animus, cũ se solo uoluit esse contentus, quasi non minus quàm deus sibi ipse sufficeret.

QVOT VIIS ANIMA AD DEVM REDIT CAP. V

HANC plane superbiam causam fuisse Aristophanes ait, ut animus qui natus est ïnteger, secaretur, id est ex geminis luminibus altero posthac uteretur, alterum uero negligeret. Hic in corporis barathrum ceu letheum flumen immersus, suiq; met ad tempus oblitus, sensibus & libidine, quasi satellitibus & tyranno raptatur. Verum adulto corpore, purgatis sensuum instrumentis conferẽte doctrina pabulum, respipiscit: ubi naturalis emicat fulgor, naturaliũq; rerum ordinẽ indagat: qua inuestigatione architectum ingentis huius machinæ aliquem esse persentit: eum & uidere cupit & posidere: illè solo diuino splendore cõspicitur. Ideo mens propriæ lucis indagine ad diuinam lucem recuperandã uehementissime instigatur. Instigatio uero, appetitioq; huiusmodi uerus est amor: quo duce dimidium hominis alterum, alterum eiusdem dimidiũ concupiscit, quia naturale lumen, quod animi dimidium est, lumen illud diuinum quod alterum eiusdem dimidiũ dicitur, olim neglectũ accendere rursus in animo nititur: atq; id est, quod in epistola ad Dionysiũ, inquit Plato. Humanus animus affectat qualia diuina sint intelligere, aspiciens in ea, quæ sibi cognata sunt. Verũ cum deus lucem suam infudit in animum, ad id potissimum eam accommodauit, ut homines ad beatitudinẽ, quæ in ipsius possessione cõsistit, perduceret. Ad hãc quatuor uirtutibus perducimur, Prudentia, Fortitudine, Iustitia, Temperantia. Prudentia primo beatitudinẽ nobis ostẽdit. Tres illæ uirtutes reliquæ, quasi uiæ tres ad beatitudinẽ ducunt. Scintillã itaq; suam in uarijs animis deus ad finem huiusmodi uarie tẽperat: ita ut prudẽtia duce, alij per fortitudinis, alij per iustitiæ, alij per tẽperantiæ officia suum repetant autorem. Nẽpe alij huius muneris gratia, pro dei cultu, pro honesto, pro patria pericula mortẽq; forti animo subeunt. Alij sic uitam iuste instituũt, ut nec iniuriã cuiquã inferant, neq; inferri pro uiribus sinãt. Alij uigilia, inedia, labore libidines domãt. Hi tribus quidẽ procedũt callibus: sed ad eundem beatitudinis finẽ prudentia hunc illis monstrante peruenire conantur. proinde tres hæ uirtutes in dei quoq; ipsius prudẽtia continentur. Harum desiderio accensi hominum animi per earum officia ad eas cupiũt peruenire: illis hærere, perpetuoq; potiri. Fortitudinem hominum masculam robur & audaciam nuncupamus. Temperantiam fœminam propter remissum quendam & frigidiorẽ desiderij habitum, miteq; ingenium. Iustitiam promiscuam: fœminam quidem prout innocẽtia sua iniuriam infert nemini: masculam uero prout alij inferri non sinit, & seueriori cẽsura in homines iniquos animaduertit. Quia uero maris dare, fœminæ suscipere proprium est, iccirco solem qui lumen à nullo accipiens exhibet omnibus, marem uocamus: Lunã quæ accipiens à sole dat elementis, à dando & accipiendo promiscuam: Terram cum accipiat quidem ab omnibus, tribuat nulli, fœminam nuncupamus. Quamobrem, Sol, Luna, Terra, Fortitudo, Iustitia, Temperãtia, merito maris, promiscui, fœminæ signãtur cognomine: atq;, ut excellentiorem deo appellationem exhibeamus has uirtutes in illo, Solem, Lunam, Terram: in nobis masculinum sexũ dicimus, promiscuum, fœmininum. Quibus autem lux illa diuina à dei sole cũ fortitudinis affectu in sui ortu fuit infusa, his masculã dicimus lucẽ fuisse cõcessam. Quibus à dei luna cum affectu iustitiæ, promiscuam. Quibus à dei terra cum affectu temperantiæ, fœminam. Luccm illam infusam, atq; diuinam statim ad naturalem reflexi negleximus. Altera ergo posthabita seruauimus alteram: ubi dimidium nostri tenemus, dimidium prætermisimus. Certo uero ætatis tempore à naturali lumine ducti diuinum affectamus quidem omnes, sed diuerso modo diuersi ad eius adeptionem procedimus. per fortitudinem, qui à dei fortitudine illud olim cum affectu fortitudinis acceperunt: per iustitiam alij, temperantiam ue similiter. Denique; suum illud dimidium quisq; ut acceperat quærit. Et alij per masculam quidem dei luccm amissam olim, iam recuperatam, dei uolunt mascula fortitudine perfrui: alij per promiscuam lucem similiter uirtute promiscua: alij per fœminam eodem pacto. Munus profecto tantum hi cõsequuntur, qui postquam adulta ætate scintilla in ipsis naturalis eluxit, eam non esse ad diuina iudicanda sufficientem existimant, ne scintillæ naturalis iudicio, aut animarum aut corporum affectus diuinæ tribuant maiestati, putentq; illam non eße corporibus animis ue præstantiorem. In quo sane pleriq; errasse traduntur: qui in diuinorum inuestigatione ingenio naturali confisi, aut deum nõ

esse dixerunt,ut Diagoras:aut dubitauerunt,ut Protagoras:aut corpus iudicauerunt:ut Epicurei, Stoici, Cyrenaici,alijq; permulti:aut animam quandam,ut Marcus Varro,Marcus Manilius,alijq; nonnulli. Hi tanquã impij non modo diuinum lumen olim neglectũ non recuperauerunt,sed & naturale propter eius abusum deprauauere: quod deprauatũ est,fractum non iniuria scissumq; putatur. Ideo illorum animi,qui tanquam superbi & fastu tumidi suis confidunt uiribus,secantur,ut ait Aristophanes,iterum:cum etiam naturale lumen,quod illis erat reliquũ, opinionibus falsis obscurant,& moribus iniquis extinguunt. Itaq; naturali lumine recte utuntur, quicunq; mancum illud,& mutilatum esse recognoscentes ad naturalia iudicanda satisfacere quodammodo arbitrantur: ad ea uero,quæ supra naturam sunt,sublimiori lumine opus esse putantes exactissima quadam animi purgatione ita se præparant,ut diuina lux iterum illis effulgeat:cuius radijs recte de deo sentient,& in pristinam illam integritatem restituentur.

AMOR ANIMAS REDVCIT IN COELVM, BEATITVDINIS distribuit gradus,gaudium largitur æternum. CAP. VI

HVNC uos conuiuæ præstantissimi deum,quem præ cæteris dijs generi humano beneficum esse Aristophanes ait,omni sacrificiorum genere uobis propitiũ facite:hunc pijs precibus inuocate: hunc toto corde capessite. Hic animos sua beneficentia primum ad cœlestem ducit mẽsam, ambrosia & nectare abundantem:deinde singulos singulis accõmodat sedibus:postremo suauiter detinet in æternum. Nulli enim cœlum repetũt,nisi qui cœlorũ regi placuerunt:placent illi, qui eum summopere diligunt. Cognoscere quidem illum uere,omnino præsenti in tempore impossibile est. Vere autẽ amare quoquomodo cognitũ,& possibile est,& facile. Qui deum cognoscunt,nondum illi placent nisi cognitum diligant:qui cognoscunt diligunt,nõ quia cognoscunt,sed quia qui diligunt,amãtur à deo. Nos enim non eos qui nouerint,sed qui nos amauerint,charitate cõplectimur. Multos nanq; qui nos cognoscunt,hostes habemus. Quod ergo nos cœlo restituit,non dei cognitio est,sed amor. Discumbentiũ præterea ordo in mensa cœlesti diuersos sequitur gradus amantiũ. Nam qui deum excellentius dilexerunt,dapibus excellentioribus ibi uescuntur. Nempe qui per opera fortitudinis dei fortitudinem coluerunt,ea ipsa fruuntur. Qui iustitiam uero,iustitia:temperantia similiter,qui temperantiã:atq; ita uarijs diuinæ mentis ideis & rationibus uarij animi pro uario amoris raptu fruuntur. Toto autem deo fruũtur omnes,quia totus in singulis est ideis. Sed deum totum præstãtius possident,qui eum in præstantiori idea conspiciũt. Quisq; uero ea dei uirtute potitur,quã dilexit. Ideo liuor,ut Plato inquit in Phædro,abest à diuino choro. Cum enim omnium iucundissimũ sit,re amata potiri:quilibet in eo potiũdo quod amat contentus plenusq; uiuit. Quippe si amatores duo delitiarum suarum compotes fiant,uterque in amata sui possessione quiescit:neq; curã quidem ullam habebit,ne alter pulchriori potiatur amato. Quapropter amoris beneficio factum est,ut in diuersis felicitatis gradibus portione sua quilibet sine ulla inuidia sit cõtentus. Fit etiam ut sine ulla satietate animi ijsdem uescantur dapibus in æternũ. Vt enim oblectentur conuiuæ,non epulæ non uina sufficiũt, nisi fames,sitisq; ad uescendũ alliciant:ac tandiu oblectatio quandiu & auiditas permanet. Auiditatem uero quis amorem quendam esse negauerit? Aeternus igitur amor quo semper in deũ afficitur animus,efficit ut deo semper tanquam nouo spectaculo gaudeat. Amorẽ hunc eadem dei bonitas semper accendit in animo:quæ & beatum facit amantem. Tria igitur,ut breui complectar,amoris beneficia collaudabimus,quod nos olim diuisos in integrum restituendo,reducit in cœlum:quod suis quenq; collocat sedibus,facitq; omnes in illa distributione quietos: quod omni expulso fastidio suo quodam ardore oblectamentum quasi nouum iugiter accendit in animo, redditq; illum blanda & dulci fruitione beatum.

ORATIO QVINTA.

AMOR EST BEATISSIMVS QVIA PVLCHER EST & bonus, CAPVT I

CAROLVS Marsupinus,musarum dulcis alumnus,Landinum poetam secutus, Agathonis orationem sic aggreditur. Amorem deum noster Agatho beatissimum,quia pulcherrimus sit & optimus,arbitratur. Quæ ad hoc ut sit pulcherrimus,quæ item ut optimus,exiguntur,diligenter enumerat:in quibus enumerandis amorem ipsum effingit. Postremo postquam qualis est enarrauit,beneficia ab eo generi humano tributa cõnumerat.atq; hæc disputationis illius est summa. Nostra interest in primis inquirere,quam ob causam ut beatũ ostenderet,pulchrum ualde esse dixit & bonum:quod ue sit inter bonitatẽ,pulchritudinemq; discrimen. Beatũ in Philebo Plato uult esse, cui nihil deest:idq; esse illud quod sit ab omni parte perfectum. Est autem perfectio interior quædam, est & exterior. Interiorẽ,bonitatem,exteriorem,pulchritudinem dicimus. Propterea quod bonũ penitus est & pulchrum

pulchrum, id tanquam ab omni parte perfectũ, beatissimum nuncupamus. Hanc utiq; differentiam omnibus in rebus animaduertimus. Nẽpe in lapillis ut physici uolunt temperatissima quatuor elementorum permixtio quædã interior, nitorẽ parit exteriorem. Herbas præterea et arbores innata radicibus medullisq; fœcunditas, florũ & foliorũ gratissima uestit uarietate. In animalibus autem salubris humorum complexio iucundam lineamentorum & colorũ speciem procreat. Virtus etiam animi decorem quẽdam præ se ferre uidetur in uerbis, gestibus, operibus, honestissimũ. Cœlos quoq; sublimis eorum substantia clarissimo lumine circũfundit. In his omnibus interna perfectio producit externã. Illam bonitatem, hanc pulchritudinẽ poßumus appellare. Quo circa bonitatis florẽ quendam esse pulchritudinẽ uolumus: cuius floris illecebris, quasi esca quadã, latens interius bonitas allicit intuentes. Quoniam uero nostræ mentis cognitio à sensibus ducit originẽ, bonitatẽ ipsam in rerum penetralibus insitam nec intelligeremus unquã, neq; appeteremus, nisi ad eã speciei exterioris indicijs manifestis prouehere-mur. Qua in re mirabilis admodum formæ huius, comitisq; ipsius apparet utilitas. Per hæc satis ostensum arbitror, tantũ inter bonitatẽ & speciem, quantũ inter semen & flosculum interesse: atq; ut flores arborum seminibus orti semina ipsi quoq; producunt: ita speciem hanc bonitatis florem ut ex bono pullulat, sic & ad bonum amantes perducere: quod quidem noster hic heros abunde in superioribus demonstrauit.

QVOMODO PINGITVR AMOR, ET QVIBVS ANIMAE partibus pulchritudo cognoscitur, & generatur amor. CAP. II

POST hæc diffusius enumerat Agatho quot ad eius dei formosam speciem requiruntur. Iuuenis inquit est, tener, agilis, concinnus, & nitidus. Nobis autem primo quærendum quid hæc ad pulchritudinem conferant. Deinde cũ deo huic attribuuntur, quo pacto intelligi debeãt. Rationem homines habent & sensum. Ratio per seipsam rationes rerum omnium incorporeas comprehendit. Sensus per quinq; sui corporis instrumẽta corporum imagines & qualitates attingit: Colores per oculos, per aures uoces. Odores per nares, per linguam sapores, per neruos qualitates simplices elemẽtorum, calorem uidelicet, frigusq; & reliqua. Propterea sex ad cognitionẽ pertinentes, quantum ad propositã attinet quæstionẽ, uires animi numerãtur: Ratio, Visus, Auditus, Olfactus, Gustus et Tactus. Ratio numini summo, Visus igni, Aeri auditus, Vaporũ odori Olfactus, aquæ gustus, Tactus terræ tribuitur. Ratio siquidem cœlestia indagat nec propriã in membro corporis aliquo sedem habet: quemadmodũ neq; certam habet sedem in ulla mũdi parte diuinitas. Visus in sublimi parte corporis uelut ignis in suprema mundi regione locatur, & lumẽ natura sua percipit, quod ignis est proprium. Auditus uisum nõ aliter quàm purus aer ignẽ secutus uoces haurit: quæ & in aere facto gignũtur: & per aeris interuallum aures illabuntur. Olfactus caliginoso aeri, uaporibusq; ex aere & aqua mixtis omnino assignatur: quia inter aures & linguã, quasi aerem & aquam, positus, uapores eos apprehendit facile & diligit maxime, qui ex aeris & aquæ mixtione proueniunt: quales sunt herbarũ, florũ, pomorũ odores, naribus suauissimi. Quis dubitet gustum aquæ liquoribus cõparare: qui olfactui tanquã aeri crassiori succedit, & iugi saliuæ liquore perfusus, potu uehemẽtissime delectatur, humidisq; saporibus? Quis itẽ ambigat terræ tactũ ascribere: cum per oẽs terreni corporis partes fiat: in neruis qui terreni maxime sunt, explea tur: facillime tangat quæ soliditatem habent & pondus, quod terra corporibus tribuit? Hinc etiam accidit ut tactus, gustus, olfactus, solũ proxime ipsis apposita sentiãt, & patiantur admodum sentiendo: licet olfactus remotiora, quàm gustus & tactus apprehendere uideatur. Auditus autem remotiora cognoscit, neq; ita offenditur. Quo etiam longius prospicit uisus: & momento facit, quod aures tempore: prius enim coruscatiõ cernitur, quàm tonitrus audiatur. Ratio remotissima capit: neq; enim quæ in mundo sunt solum, & quæ præsentia, ut sensus: sed etiam quæ supra cœlum, & quæ fuerũt aut futura sunt, percipit. Ex his patere cuiq; potest, sex illarũ animæ uiriũ, tres ad corpus & materiã potius, Tactum scilicet & Gustum, & Odoratum: tres autem alias, rationem uidelicet & Visum & Auditum ad spiritũ pertinere. Ideo tres illæ ad corpus potius declinãtes corpori magis quàm animo congruũt: & ea quæ ab illis percipiũtur, cũ corpus sibi congruũ moueant, uix ad animam usq; perueniunt, minimeq; illi tanquam minime similia placent. Tres uero superiores à materia remotissimæ, animæ multo magis cõueniunt: resq; eas capiũt, quæ corpus quidem parum admodum, animum uero uehemẽtissime moueant. Quippe odores, Sapores, Calor, atq; similia, corpori aut nocent plurimum, aut prosunt, paulum quid ad animi aut admirationem, aut iudiciũ conferunt, ac modice ab illo desiderantur. Ratio incorporeæ ueritatis, colores, figuræq; & uoces, corpus aut nihil, aut uix & minimũ mouent: Animi uero aciem ad indagandum potissimum acuunt: atq; eius ad se desiderium rapiũt. Animi cibus est ueritas. Ad eam inueniendam oculi, ad discendam aures magnopere conferunt. Igitur quæ ad rationem, uisum, auditum pertinent, gratia suijpsius affectat, quasi proprium alimentum. Quæ uero sensus tres alios mouent, corpori uel nutriendo, uel fouendo, uel generando magis necessaria sunt. Ea itaq; animus, nõ sui, sed alterius, id est corporis causa quærit. Amare autem ea dicimur, quæ propter nosmetipsos desideramus: quæ autem propter aliud quiddam cupimus, minime. Merito igitur amorem ad sciẽtias, figuras, &

uoces duntaxat uolumus pertinere: atq; iccirco gratia illa solum, quæ in tribus his reperitur, animi uirtute, figura, uoce: quia maxime animũ prouocat, ἀπὸ τοῦ καλεῖν, quod uoco significat, προκλησις, id est prouocatio nominatur, κάλλος uero græce pulchritudinẽ latine significat. Gratus quidẽ nobis est mos uerus & optimus animi: grata corporis speciosi figura: grata uocum concinnitas. cumq; tria hæc animus, utpote sibi cognata, & quodammodo incorporea pluris admodum quàm tria reliqua faciat, consentaneũ est, ut auidius asciscat, ardentius cõplectatur, uehemẽtius admiretur. atq; hæc ipsa, seu uirtutis, seu figuræ, siue uocũ gratia, quæ animũ per rationem uel uisum uel auditum ad se uocat, & rapit, pulchritudo rectissime dicitur. Atq; hæ tres illæ gratiæ sunt, de quibus sic Orpheus. ἀγλαΐητε, θάλεια καὶ εὐφροσύνη πολύολβε. Splendor, uiriditas, lætitiaq; uberrima. Splendorem quidẽ uocat gratiam illam & pulchritudinem animi, quæ in ueritatis & uirtutis claritate consistit. Viriditatem uero, figuræ, coloris q; suauitatem. hæc enim summopere in iuuẽtutis uiriditate florescit. Lætitiam deniq; sincerum illud & salubre, & perpetuum, quod in musica sentimus, oblectamentum.

PVLCHRITVDO EST ALIQVID INCORporeum. CAP. III

VM hæc ita se habeant, necessariũ est pulchritudinẽ esse aliquid uirtuti, figuræ, uocibusq; cõmune. Non enim quodlibet istorum trium pulchrum similiter uocaremus, nisi una his tribus inesset pulchritudinis definitio. Quo fit ut ipsa pulchritudinis ratio corpus esse non possit: quoniam uirtutibus animi quæ incorporeæ sunt, pulchritudo si esset corporea, minime conueniret. At qui tantum abest ut corpus sit pulchritudo, ut non modo quæ uirtutibus animi, sed etiam quæ corporibus, & uocibus ineat, nequeat esse corporea. Quamuis enim corpora quædam speciosa dicamus, non tamen sunt ex ipsa sui materia speciosa. Siquidem corpus hominis unum atq; idem hodie formosum, cras autem casu aliquo fœdante deforme: quasi aliud sit esse corpus, aliud esse formosum. Neq; etiam sunt ex ipsa quantitate formosa: quandoquidem grãdia nonnulla atq; item breuia quædam formosa uidentur: ac sæpe magna deformia, parua formosa: & contrà parua turpia, magna gratissima. Nonnunquam etiam accidit, ut similis sit in magnis quibusdam, & paruis corporibus pulchritudo. Si itaq; stante sæpenumero eadem quantitate casu quodam pulchritudo mutatur, & mutata aliquando quantitate permanet pulchritudo, ac similis in magnis paruisq; uidetur, certe duo hæc pulchritudo, & quantitas debent esse omnino diuersa. Quinetiam si corporis cuiusq; formositas in ea ipsa sui corporis crassitudine quodammodo corporea esset, non tamen ut corporalis esset, intuenti placeret. Placet animo personæ alicuius species, non prout in exteriori iacet materia, sed prout eius imago per uisum ab animo capitur uel concipitur. Imago illa in uisu & animo, cum isti sint incorporei, corpus esse non potest. Quo enim pacto cœlum, ut ita loquar, totum parua oculi pupilla caperetur, si modo corporali reciperet? Nullo profecto. Sed enim spiritus in puncto omnem corporis amplitudinem spiritali modo & incorporea imagine suscipit. placet utiq; animo ea duntaxat species, quæ ab illo suscipitur. Hæc autem licet exterioris corporis simulacrum sit in eo, tamen est incorporea. Ergo species incorporea placet. Quod placet, id cuiq; gratum: quod gratum, hoc deniq; pulchrum. quo efficitur ut amor ad incorporeum aliquid referatur: atq; ipsa pulchritudo spiritale quoddam potius rei simulacrum sit, quàm corporea species. Sunt autem nonnulli qui certam membrorum omnium positionẽ, siue, ut eorum uerbis utamur, commensurationem & proportionem cum quadam colorum suauitate, esse pulchritudinem opinentur. Quorum nos opinionem propterea non admittimus, quia cum huiusmodi partium dispositio in solis sit rebus cõpositis, nulla essent simplicia speciosa. Nunc autẽ puros colores, lumina, uocem unam, fulgorem auri, & argenti candorem, scientiam, animam, quæ omnia simplicia sunt, pulchra uocamus: nosq; ista mirifice tanquã reuera sint pulchra delectant. Accedit ad hæc quod proportio illa cuncta includit corporis composita membra, neq; est in singulis, sed in cunctis. Singula itaq; membra per se pulchra non erunt. Ex singulis autem particulis totius compositi proportio nascitur. Vnde nonnihil sequitur absurdissimum: ut quæ suapte natura speciosa non sunt, pulchritudinem pariãt. Sæpenumero etiam accidit, ut manente eadem membrorum proportione, atq; mensura, corpus æque ut ante non placeat. Eadem porro hodie, quæ anno superiori corporis uestri figura, gratia uero non eadem. Nihil tardius quàm figura, nihil citius senescit quàm gratia. Ex quo liquido constat, non idem esse pulchritudinem & figurã. Sæpe quoq; uidemus rectiorem in uno quodam quàm in alio dispositionem partium mensuramq; membrorum: alius tamen, nescimus qua de causa, nobis formosior iudicatus amatur ardentius. quo satis admoneri uidemur, ut aliud quiddam formositatem quàm dispositionem partium censeamus. Eadem nos ratione admonet ne formam suspicemur esse colorum suauitatem. Plerunque enim color in seniore clarior: in iuniore gratia maior. Et in æqualibus fit nonnunquam, ut qui colore superat alterum, gratia tamen ab illo & pulchritudine superetur. Neque tamen audeat quispiam mixtionem quandam ex figura coloribusq;, pulchritudinem affirmare. Sic enim neque scientiæ, neque uoces quæ colore & figura carent, neque colores & lumina quæ certam nullam figuram habent, amore digna iudicarentur. Præterea cuiusque cupiditas, eo habito quod uolebat, expletur. Nempe fames & sitis

sitis, cibo potuq; sedantur: amor nullo impletur aspectu corporis uel amplexu. Nullam igitur naturam corporis ardet: pulchritudinem certe sectatur. Quo fit ut ea corporeum aliquid esse non possit. Ex omnibus his colligitur, eos qui amore accensi pulchritudinem sitiunt, si modo uelint liquore hoc hausto ardentissimam sitim extinguere, alibi quàm in materiæ fluuio, aut quantitatis aut figuræ, aut colorum quorumlibet riuulis, dulcissimum pulchritudinis huius humorem, quo sitis eorum accenditur, quærere oportere. Quo uos tandem miseri uertetis amantes? Quis uestri cordis flammas extinguet accrrimas? Quis tantum sedabit incendium? Hoc opus, hic labor. Dicã protinus. Sed attendite.

PVLCHRITVDO EST SPLENDOR DIVINI uultus. CAP. IIII

DIVINA potestas omnia supereminens statim à se natis angelis, atq; animis suum illum radium in quo fœcunda uis inest omnium creandorum, tanquam filijs clementer infundit. Hic in eis utpote sibi propinquioribus totius mundi dispositionem, et ordinem multo pingit exactius, quàm in mundi materia. Quamobrem hæc mundi pictura quã cernimus uniuersa, in angelis et animis lucet expressior. In illis enim sphæræ cuiusq; figura, solis, lunæ, & syderum reliquorũ, elementorum quoq;, lapidum, arborum, animalium singulorum. Picturæ huiusmodi in angelis exemplaria & ideæ: in animis rationes, & notiónes: in orbis materia, formæ atq; imagines à Platonicis nominantur: claræ quidem in orbe: clariores in animo: in angeli mente clarissimæ. Vnus igitur dei uultus tribus deinceps per ordinẽ positis lucet in speculis, Angelo, Animo, Corpore mundi: In illo tãquam propinquiore clarissime: in hoc remotiore obscurius: in hoc remotissimo, si ad cætera compares obscurissime. Proinde sancta mens angeli nullo impedita corporis ministerio in seipsam reflectitur, ubi dei uultum illum sinu suo insculptum introspicit: inspectum illico admiratur: auidissime illi semper inhæret, Vultus illius diuini gratiam, pulchritudinem dicimus, Auiditatem angeli, dei uultui penitus inhærentem, uocamus amorem. O utinam nobis idem contingeret. Sed enim animus noster ea conditione genitus, ut terreno corpore circumdetur, ad officium generandi declinat. Qua inclinatione grauatus thesaurum penetralibus suis absconditum negligit. Deinde terreno corpore inuolutus diutissime seruit corporis usui: ad hoc opus sensum quidem semper, rationem quoq; diutius quàm decet, accommodat. Hinc efficitur ut diuini uultus illius candorem in se perpetuo enitentem, nõ prius animaduertat, quàm adulto iam corpore, & ratione expergefacta dei uultum in dei machina refulgentem, & oculis manifestum cogitatione consideret. Qua quidem consideratione prouehitur ad eum qui intus emicat, intuendum. Quoniam uero parẽtis uultus gratus est filijs necesse est animis dei patris uultum esse gratissimum. Vultus huius, ut idem sæpius repetam, nitor, & gratia, siue in angelo, siue in animo, siue in mundi materia, pulchritudo uniuersalis est appellanda: impetusq; ad illam uniuersalis dicendus est amor. Vtique incorpoream esse hanc pulchritudinẽ non ambigimus. In angelo enim & in animo eam corpus aliquod non esse nemini dubium. In corporibus etiam esse incorporalem, & suprà monstrauimus, & ad præsens ex eo potissimum intelligimus, quod oculus nil aliud, nisi solis aspicit lumen. Figuræ nanque, & colores corporum nunquam nisi lumine illustrata perspiciuntur, neq; ipsa cum materia sua ad oculos ueniunt. Necessariũ tamen esse uidetur ea in oculis esse, ut ab oculis uideantur. Vnum itaq; solis lumen corporum omnium ab eo illustratorum coloribus figurisq; depictum sese oculis offert. Sic affectum lumen oculi suo quodam radio adiuuante percipiunt: perceptum ipsum, & quæ in eo sunt omnia uident. Quare totus hic mundi qui conspicitur ordo, non eo modo quo in materia corporum, sed quo in luce oculis infusa est, cernitur. In ea luce cum à materia secretus sit, necessario est corporis expers. Quod ex hoc etiam euidenter apparet, quod lumen ipsum corpus esse non potest, cum momento ab oriente in occidentem totum ferme impleat orbem: aeris & aquæ corpus sine ulla offensione undiq; penetret: sordibusq; immixtum nusquam inficiatur. Hæc uero corporum naturæ nullo modo conueniunt. Corpus siquidem non momento mouetur sed tempore: neq; alterum absq; sui, uel alterius, aut utriusque offensione penetrat alterum: ac duo inuicem corpora mixta mutua se contagione inficiunt. Quod in aquæ & in uini, ignis & terræ confusione conspicimus. Cum igitur solis lumen incorporeum sit, quicquid suscipit, naturæ suæ suscipit modo. Propterea colores, & figuras corporum modo suscipit spiritali: eodemq; pacto ipsum ab oculis susceptum inspicitur. Quo factum est, ut totus hic mundi decor, qui tertius est dei uultus, per incorpoream solis lucem incorporeum sese oculis offerat.

QVOMODO NASCITVR AMOR ET ODIVM, QVOD'VE pulchritudo eſt incorporea. CAP. V

EX his omnibus ſequitur, ut omnis diuini uultus gratia: quæ uniuerſalis dicitur pulchritudo: non in angelo ſolum, & animo incorporea ſit, ſed in aſpectu etiam oculorum. Neq; faciem hanc ſimul totã ſolummodo, uerumetiam partes eius admiratione cõmoti diligimus. Vbi particularis amor ad particularem pulchritudinem naſcitur. Sic & ad hominem aliquem ordinis mundani membrum afficimur: præſertim cum in illo perſpicue diuini decoris ſcintilla refulget. Affectus huiuſmodi duabus ex cauſis naſcitur: tum quia paterni uultus nobis placet imago: tum etiam quia hominis apte cõpoſiti ſpecies, & figura, cum ea humani generis ratione, quam animus noſter ab omnium autore ſuſcipit, & retinet, aptiſsime cõgruit. Vnde hominis exterioris imago per ſenſus accepta, trãſiẽsq; in animũ, ſi hominis figuræ quã poſsidet animus, diſſonat, eueſtigio diſplicet, & odio tanquã deformis habetur. Si cõſonat, illico placet, et tãquã formoſa diligitur. Quo fit, ut nõnulli nobis obuij cõtinuo placeãt, uel diſpliceãt: nosq; affectus huiuſmodi cauſam neſciamus. Quippe cum animus corporis miniſterio impeditus intimas illas ſui formas nequaquã reſpiciat. Verũ naturali, & occulta quadã incongruitate, uel cõgruitate fit: ut forma rei exterior imagine ſua eiuſdẽ rei formam in animo pictã pulſans diſſonet aut cõſonet: atq; occulta hac offenſione uel blanditie motus animus, rẽ ipſam, aut oderit, aut amet. Integrã ſane creandi hominis configurationẽ uis illa diuina, in angelo animoq; ingenuit: in mundi uero materia, utpote ab illo opifice remotiſsima, hominis cõſtitutio ab integra illa ſui figura degenerat. In materia tamẽ melius affecta ſimilior: in alia diſsimilior prouenit. Quæ ſimilior prouenit, ut dei ui, angeliq; ideæ, ſic animi rationi quadrat & congruit. Animus hanc probat congruitatẽ. In ipſa profecto congruitate pulchritudo: in ea probatione, amoris cõſiſtit affectus. Quoniã uero idea, & ratio ſunt à materia corporis aliena, hominis cõſtitutio illius nõ ex materia, uel quantitate, ſed ex aliquo potius incorporeo ſimilis iudicatur. Vt ſimilis, illis congruit: ut cõgruit, pulchra eſt. Iccirco diuerſa ſunt corpus, & pulchritudo. Quod ſi quis quæſierit quonam pacto corporis forma, animæ mẽtisq; formæ, & rationi ſimilis eſſe qucat: is oro cõſideret ædificiũ architecti. Principio architectus ædificij rationẽ, & quaſi ideã animo cõcipit. Deinde qualem excogitauit domũ, talem pro uiribus fabricat. Quis neget domũ corpus exiſtere: eamq; ideæ artificis incorporeæ, ad cuius ſimilitudinem effecta eſt, eſſe perſimilem? Porro propter incorporalem ordinem quendam potius, quàm propter materiam eſt architecto ſimilis iudicanda. Age igitur materiam ſubtrahe ſi potes: potes autẽ cogitatione ſubtrahere: ordinem uero relinque: nil tibi reſtabit corporis, nihil materiæ, Imò uero idem erit penitus, qui ab opifice prouenit ordo, & qui remanet in opifice. Idem in quouis hominis corpore facias. Reperies illius formam animi rationi quadrantem, ſimplicem eſſe, materiæq; expertem.

QVOT REQVIRVNTVR VT RES PVLCHRA SIT, & quòd pulchritudo eſt ſpiritale donum. CAP. VI

QVID tandem eſt corporis pulchritudo? Actus uiuacitas, & gratia quædam ideæ ſuæ influxu in ipſo refulgens. Fulgor huiuſmodi in materiam non prius quàm aptiſsime ſit præparata, deſcendit. His uero tribus, ordine, modo, ſpecie, conſtat uiuentis corporis præparatio. Ordo partiũ interualla: Modus, quantitatẽ: Species, lineamẽta, coloremq; ſignificat. In primis enim oportet ut membra quæq; corporis naturalem ſitum habeãt: ſuo aures loco ſint, oculiq;, & nares, et cætera: ac paribus interuallis oculi naſo ſint proximi: paribus item aures utræq; diſtent ab oculis. Neq; hæc interuallorũ ad ordinẽ pertinens parilitas ſufficit, niſi partiũ modus accedat, qui mediocrẽ debita totius corporis proportione ſeruata, membris ſingulis tribuat magnitudinẽ: ut naſi tres in longum diſpoſiti, uultus unius impleant longitudinẽ: auriũ utrarunq; ſemicirculi unà cõiuncti, oris aperti circulum faciant. Idem quoq; cõiunctio ſuperciliorum efficiat. Longitudo naſi, longitudinẽ labij cõpleat: auriſq; ſimiliter. Gemini oculorũ orbes unum æquent oris hiatum. Capita octo proceritatẽ corporis comprehendant. Eandem quoq; monſtret brachiorũ in latus extenſio, cruruq; ſimiliter atq; pedũ. Neceſſariam præterea ſpeciem ducimus, ut linearũ attractus artificioſi, rugæq;, & oculorum ſplendor, ordinem illum modumq; partiũ decorent. Atqui tria hæc licet in materia ſint, pars ulla corporis eſſe non poſſunt. Ordo membrorũ, membrum quidem eſt nullum. Ordo enim membris omnibus ineſt: nullum uero membrũ in membris omnibus reperitur. Accedit quod ordo nihil eſt aliud quàm decens partiũ interuallũ. Interuallum uero, quid aliud dicemus quàm diſtantiam partium? Diſtantia deniq;, aut nihil eſt, aut uacuum prorſus inane, aut tractus aliquis linearũ. Lineas autẽ quæ latitudine profunditateq; carẽt, quæ corpori neceſſaria ſunt, quis corpora dixerit? Modus item nõ quantitas, ſed terminus quãtitatis. Termini uero ſuperficies ſunt lineæq; & puncta: quæ cum profunditatis craſsitudine careant, corpora non putãtur. Speciem quoq; in luminum, umbrarum, linearum iucunda concordia, non in materia collocamus. Ex his omnibus patet pulchritudinem uſqueadeo eſſe à mole corporis alienã, ut nunquam ipſi materiæ ſe communicet, niſi tribus illis incorporalibus præparationibus

nibus, quas narrauimus, sit affecta. Harũ uero fundamentum est elementorũ quatuor temperata cõplexio: ut corpus nostrũ cœlo, cuius est tẽperata substãtia, sit simillimũ, neq; aliquo humorũ excessu ab animi formatione desciscat. Sic enim & cœlestis fulgor facile lucebit in corpore cœlo persimili: & forma hominis illa perfecta, quam habet animus in pacatã obedientemq; materiam, resultabit expressior. Ad pulchritudinem præterea suam accipiendam, uoces ferme similiter disponũtur. Ordo nanq; illarum est à graui uoce ad octauam ascensus, atq; inde descensus: Modus, debita per tertias, quartas, & quintas, & sextas uoces, tonos item & semitonos, progressio: Species canora claræ uocis intẽsio. His utiq; tribus ceu quibusdam elementis corpora ex mẽbris multis cõposita, & arbores, & animalia, ac uocũ plurium congregatio ad suscipiendam pulchritudinem disponuntur. Corpora uero simpliciora, ut elemẽta quatuor, lapides & metalla, itemq; uoces singulæ, interiori quadã naturæ suæ temperie, facunditate & claritate, ad eandem sufficienter aptantur. Animus autẽ eo potissimum ad illam est natura sua accõmodatus, quod & spiritus est, & quasi speculũ deo proximum, In quo quemadmodum in superioribus diximus, diuini uultus elucet imago. Igitur quemadmodum auro, ut appareat speciosum, nihil prorsus addendum: sed terræ sordes siquæ inhæserint, secernendæ: ita nullis adiunctionibus indiget animus, ut formosus appareat: sed deponenda corporis cura, & solicitudo tam anxia: cupiditatis & timoris perturbatio depellenda. confestim naturalis animi species emicabit. Cæterum ne lõgius digrediatur oratio, ex supradictis breuiter concludamus: pulchritudinem esse gratiam quandam uiuacem & spiritalem, dei radio illustrante angelo primum infusam: inde & animis hominum, corporumq; figuris, & uocibus: quæ per rationem, uisum, auditum, animos nostros mouet atq; delectat, delectando rapit, rapiendo ardenti inflammat amore.

DE AMORIS PICTVRA. CAP. VII

AGATHO uero poeta ueterum poetarum more deum istum humana uestit imagine: pingitq; ipsum hominum instar formosum, iuuenem, tenerũ, flexibilem siue agilem, apte cõpositum atq; nitidum. Quorsum hæc? præparationes hæ quidẽ sunt ad formosam indolem potius quàm formositas. Nam ex quinq; his partibus tres primæ complexionem corporis temperatam, quod primũ est fundamentum, significant: duæ reliquæ ordinem, modum, & speciem indicant. Physici temperatæ corporationis indicium teneræ carnis lenem & firmam æqualitatem demonstrauere. Vbi calor excedit nimium, aridum, & hirsutũ corpus: ubi frigus, rigidum: ubi siccitas, durũ & asperũ: ubi humiditas, fluxũ, lapsum, inæquale, contortũ. Aequalis igitur, & firma corporis teneritudo, affectionem eius indicat in quatuor humoribus moderatã. Hanc ob causam Agatho mollem, delicatum & tenerum appellauit. Cur iuuenem? Quia non solum naturæ, sed ætatis etiã beneficio temperies hæc habetur. Temporis enim diuturnitate partibus humorum subtilioribus resolutis partes restant admodũ crassiores: ignéq; & aere exhalato, aquæ et terræ regnat excessus. At cur agilem & flexibilẽ? Vt aptum ad motus omnes promptumq; intelligat: ne forte putes cum mollem diceret, aquæ mollitiem, muliebrẽ, languidam, & ineptam dicere uoluisse. Ea siquidem est moderatæ complexioni contraria. Post hæc adiecit: Apte compositũ, id est ordine & modo partium honestissime figuratum. Adiecit & nitidum, id est suaui colorum specie refulgentem. Præparationibus his præpositis, quod reliqtum erat reticuit Agatho. Nostrum est enim post hæc aduentũ gratiæ subintelligere. Hæ quinq; partes in hominis figura ita ut diximus: in amoris autẽ potentia aliter intelligendæ uidentur: eius enim uim & qualitatẽ ostendunt. Iuuenis ideo dicitur: quia iuuenes ut plurimũ amore irretiuntur, eiusq; insidijs irretiti ætatem appetunt iuuenilẽ. Mollis, quia mitia ingenia facilius capiũtur: & qui capti sunt licet ante feroces, mansueti redduntur. Agilis & flexibilis, quia & influit clàm, & similiter effluit. Concinnus atq; compositus: quoniã formosa & ordinata desiderat, fugitq; contraria. Nitidus, quoniam in florida & nitente ætate hominis aspirat ingenio, & florida concupiscit. Hæc quoniam copiosissime exequitur Agatho, breuiter perstrinxisse sufficiat.

DE AMORIS VIRTVTE. CAP. VIII

EA etiam quæ de quatuor uirtutibus ab Agathone dicuntur ad amoris bonitatem significandam, sic accipienda sunt, ut iustus ideo affirmetur: quia ubi integer ac uerus est amor, ibi et beneuolẽtiæ uicissitudo, quæ nullã admittit contumeliam uel iniuriã. Huius charitatis tanta uis est, ut ea sola humanum genus tranquilla possit in pace seruare, quod neq; prudentia, neq; fortitudo, neq; uis armorum, legum, & eloquentiæ sine beneuolentia potest efficere. Vocat præterea Temperatum, quia turpes domat cupiditates. Amor enim cum pulchritudinem quærat, quæ in ordine quodam, temperantiáq; consistit, uiles & immoderatas concupiscentias aspernatur: à turpibus gestibus semper abhorret: quod à principio satis ab heroe audiuistis: atq; ubi huius regnat affectus, omnes cupiditates aliæ contemnuntur. Subiunxit, fortissimum. Quid enim audacia fortius? Quis item audentius quàm amator pro amato pugnat? Dijs alijs,

id est planetis alijs, Mars fortitudine præstat: quia fortiores homines efficit. Venus hũc domat. Quãdo enim Mars in angulis cœli, uel secũda natiuitatis domo, uel octaua constitutus nascenti mala portendit. Venus sæpe coniunctione sua, uel oppositione, uel receptione, aut aspectu sextili, aut trino, Martis, ut ita dicamus, compescit maligni tatẽ. Rursus quãdo Mars in ortu hominis dominatur, magnitudinem animi iracũdiamq; largitur. Si proxime Venus accesserit, uirtutẽ illam magni animi à Marte datam non impedit: sed uitium iracũdiæ reprimit: Vbi clementiorem facere Martẽ & domare uidetur. Mars autem Venerem nunquam domat. Illa siquidem si dux fuerit, amoris præstat affectũ. Si Mars proxime duxerit, suo calore Veneris impetum reddit ardentiorem: ita ut si nascente aliquo Mars in Veneris domo, Libra, uel Tauro fuerit, propter martis præsentiã qui tunc natus est, acerrimis uratur amoribus. Mars iterũ sequitur Venerem: Venus Martem non sequitur. quoniã audacia amoris pedissequa est, non amor audaciæ. Nõ enim ex eo quòd audaces sunt, amore homines illaqueãtur: sed ex eo plerunq; quòd amore saucij sunt, audacissimi fiunt ad quæq; pericula propter amatũ intrepide subeunda. Deniq; fortitudinis eius omnibus excellentis euidentissimũ illud est argumentum, quòd amori omnia parent, ille nulli. Nempe cœlestes amant, & animalia, & corpora omnia. Fortes item & sapientes. Diuites uiri regesq; maximi colla subdũt amoris imperio. Amor autem nullis istorũ subijcitur. Neq; enim diuitum munera amorẽ emunt, neq; potentum minæ uiolentiæq;, ut amemus, uel desistamus amare, nos cogere possũt. Amor enim liber est, ac sua spõte in libera oritur uoluntate: quã neq; deus etiam coget, qui ab initio liberam fore decreuit. Quo fit, ut amor, qui uim omnibus infert, omniũ effugiat uiolentiam. Huius tanta libertas est, ut cæteræ animi affectiones uel artes operationesq; præmium aliquod, ut plurimũ, à se diuersum exoptent: Amor seipso tanquã suijpsius præmio sit contentus, quasi non sit præmium aliud præter amorem quod amore sit dignũ. Nam qui amat, amorẽ amat præcipue. Id enim uult ab amato potissimũ, ut uicissim amet amantem. Est etiam sapientissimus. Qua ratione amor rerum omnium creator sit atq; seruator, & artiũ singularũ magister & dominus, satis in Eryximachi oratione arbitror disputatum. In quibus sapientia amoris ostenditur. Ex omnibus his cõcluditur amorem idcirco & beatissimum esse, quia pulcherrimus sit, & optimus. Esse uero pulcherrimũ ex eo constat, quia pulcherrimis tanquam sui similibus delectatur. Optimum propterea, quod optimos facit amantes. Optimum uero esse illum necesse est, qui alios optimos efficit.

DE DONIS AMORIS. CAP. IX.

QVID amor sit ex nostra illa discursione apparuit. Qualis sit, ex uerbis superioribus Agathonis. Quæ munera largiatur, facile ex dictis discitur. Est enim amor alter simplex: mutuus alter. Simplex ille quemcũq; comprehenderit prudentem reddit ad prouidendum: acutum ad differendum, facundum ad eloquendum: ad res gerendas magnanimum: ad iocos facetum: ad ludos promptum, ad seria quæq; fortissimum. Mutuus periculis pulsis securitatem: submota dissensione concordiam: uitata miseria præstat felicitatem. Vbi enim mutua charitas, ibi nullæ insidiæ, ibi cõmunia omnia: ibi lites & furta, homicidia cessant, & prælia. Tranquillitatẽ huiusmodi nõ animalibus solum sed cœlis etiã, elementisq; ab amore mutuo tribui, & hic tãgit Agatho, & supra in Eryximachi oratione diffusius est ostensum. In oratione huius clare dicitur amor cantu suo mentes deorum hominũq; mulcere. Quod plane intelliget quisquis meminerit in superioribus demonstratum fuisse amorem in omnibus esse, atq; ad omnia porrigi.

AMOR CAETERIS DIIS ET ANTIQVIOR EST, & iunior. CAP. X

SED antequam finem faciam optimi uiri, tres pro ingenij uiribus quæstiones: quæ in Agathonis disputatione suboriuntur, absoluam. Primo enim quæritur cur Phædrus seniorem Saturno & Ioue amorem: Agatho uero dixerit iuniorem. Secundo quid apud Platonem regnum necessitatis significat: Quid amoris imperium. Tertio qui dij quas artes regnante amore repererint. Pater omniũ deus mentes illas sui ministras, quæ Saturnum, Iouem, cæterosq; planetas mouent, amore quodam sui seminis propagandi, & benignitate prouidentiæ genuit. Mentes iterum cuestigio natæ parentem suum recognitum diligunt. Amorem illum quo creantur cœlestes, seniorem illis: eum uero quo creatori suo afficiuntur, dicimus iuniorem. Præterea Saturni planetæ, & aliorum ideas angelica mens à patre suo non prius accepit quàm ad eius faciem amore ingenito flecteretur. Ea rursus postquam illos accepit, flagrãtius parẽtis munus amauit. Sic ergo angeli illius in deum dilectio, partim antiquior est ideis, quæ dij dicuntur: partim etiam iunior. Igitur amor principium est & finis, deorum primus atq; nouissimus.

AMOR ANTE NECESSITATEM REGNAT. CAP. XI

VERVM ut quæstio secunda soluatur, hic ante necessitatem ideo regnare dicendus: quoniam diuinus amor omnibus ex se natis dedit originem: in quo nulla necessitatis uiolentia ponitur. Nam cum nihil supra se habeat, non coactus, sed sponte quodlibet operatur. Mens autem quæ illum sequitur, ferente illo necessario pullulat. Ille igitur amore producit: hæc necessitate producitur. Ibi amoris, hic necessitatis incipit dominatio. Hæc licet à summa dei bonitate nascatur, ideoq; sit bona: tamen quia extra deũ processit, necessario ab infinita parentis perfectione degenerat. Nunquam enim effectus totam suscipit causæ bonitatem. In hac utiq; necessaria effectus tum processione, tum etiam degeneratione, necessitatis consisteret imperiũ. Sed enim mens uestigio genita suum, ut diximus, diligit autorem: ubi regnũ resurgit amoris. Nam & illa amore in deum erigitur: & deus amore eam ad se conuersam illuminat. Verũ hic rursus necessitatis potentia surrepit. Quippe cum lumen illud à deo descendens non tanta claritate recipiatur à mente natura sua obscura, quanta à deo tribuitur. Cogitur enim pro naturæ suæ capacitate recipere. Ideo uiolentia naturæ suscipientis fit lumẽ obscurius. Huic necessitati, amoris succedit iterum principatus. Illa siquidem primo hoc dei fulgore accensa, ardentius in eum reflectitur, & hac re quasi scintilla luminis instigata totã expetit luminis plenitudinem. Hinc & deus prouidentiæ suæ benignitate ultra primum illud naturale lumen diuinum quoq; largitur: atq; ita sibi inuicem alterne succedit amoris necessitatisq; potẽtia. Quæ quidem successio, in diuinis naturæ origine fit: in alijs, tẽporis interuallis: ita tamẽ, ut amor primus sit omnium atq; nouissimus. De animo quoq; et cæteris quæ à deo fiũt, quo ad duo hæc imperia similiter iudicandũ. Iccirco si absolute loquatur, antiquius est amoris quàm necessitatis imperiũ: cũ in deo illius, huius in reb. creatis potestas incipiat. Si de rebus à deo creatis intelligamus, necessitatis tyrannis regnũ antecedit amoris: cũ res ipsæ prius necessitate procedãt atq; degenerẽt procedẽdo, quàm ad patrẽ suũ amore se uertant. Duo hæc imperia, duobus hymnis cecinit Orpheus. Necessitatis imperiũ ita in noctis hymno. Ἀλλὰ γὰρ ἀνάγκη πάντα κρατοῦσι, id est Grauis necessitas omnibus dominatur. Amoris aũt regnũ, ita in Veneris hymno. καὶ κρατεῖς βιοτῶν μοιρῶν, γόνιμος ἣ τὰ πάντα δόσασ' ἐν ὀρφῇ ἐσὶ καὶ ἐν γαίῃ πολυκάρπῳ. Tribus fatis imperas, & generas omnia, quæ in cœlo sunt, & quæ in terra, & quæ in mari. Diuine Orpheus duo regna posuit, & ea inuicem comparauit, præposuitq; amorem necessitati, cum dixit illũ tribus fatis, in quibus consistit necessitas, imperare.

QVO PACTO REGNANTE NECESSITATE SATURNUS castrauit Cœlium: Iupiter uero ligauit Saturnum. CAP. XII

QVO autem pacto dominante Necessitate sequentes dij parentes suos aut castrare aut ligare hic ab Agathone dicãtur, ex dictis facilè intelligimus. Non enim hæc ita accipiẽda sunt, ut mens angeli deũ ipsum, sed munus sibi à deo tributũ in seipsa diuidat & discerpat. Satis pauloante mõstrauimus munera dei in recipiente spiritu necessario à summa dei perfectione decidere. Quo fit, ut fœcunditas illa naturæ in deo quidẽ integra, sed in angelo cõminuta, & quodãmodo mutilata, merito castrata fuisse dicatur. Quod quidẽ regnãte Necessitate cõtingere dicitur, quia neq; dãtis, neq; accipientis uoluntate, sed necessitate qua effectus causæ suæ æquari nõ potest, necessario accidit. Sic enim Saturnus, id est angelus, Cœliũ, id est summũ deũ castrare uidetur: Iupiter quoq;, id est anima mũdi ligare Saturnũ, id est uim ab angelo acceptã in seipso naturæ suæ defectu angustiorib. limitib. coarctare. Amplior enim est illius quàm huius potẽtia. Ideo potẽtia, quæ in illo expedita propter amplitudinẽ, et soluta, in hoc propter angustiã ligata iam & coarctata censetur. Omitto quod astrologi opinãtur: Planetæ Saturni malignitatẽ Iouis cõiunctione, uel receptiõe, uel oppositione, aut aspectu sextili, aut trino sæpissime coerceri. Sed de his hactenus. ad quæstionẽ tertiam descendamus.

QVI DII, QVAS ARTES HOMINIBVS LARGIVNTVR CAP. XIII

ARTES à dijs propter amorẽ humano generi traditas Agathon arbitratur. Regnãdi ab Ioue. Sagittandi, diuinandi, medendi artem ab Apolline: Fabricam ærariam à Vulcano: Texendi artificium à Minerua: à Musis deniq; musicam. Duodecim Zodiaci signis numina præsunt duodecim. Arieti Pallas: Tauro Venus: Apollo Geminis: Cancro Mercurius: Leoni Iupiter: Virgini Ceres: Libræ Vulcanus: Scorpio Mars: Diana Sagittario: Vesta Capricorno: Aquario Iuno: Piscibus uero Neptunus. Ab his artes omnes generi nostro traduntur. Signa illa in corpus: Numina quæ illis præsunt in animam uires suas ad singulas artes infundunt. Ita Iupiter per Leonem hominem ad gubernationem deorum & hominum, id est ad res tam diuinas quàm humanas præclare gerendas reddit aptissimum. Apollo per Geminos uaticinium, medicinam, & arcus industriam exhibet. Pallas per arietem texendi peritiam. Vulcanus per Librã ærariam fabricam: & artes reliquas alij. Quia uero prouidentiæ benignitate sua nobis munera magnifice largiuntur, amore instigante dicimus elargiri. Præterea uelocissima illa & ordinatissima cœlorum conuersione musicam

ſicam naſci conſonantiã arbitramur, atq; octo circulorũ motibus tonos octo: ex c unctis autem nonũ quendam pro duci concentũ. Nouem itaq; cœlorũ ſonos, à muſica concordia muſas nouem cognominamus. Huius muſicæ ratione noſter olim donatus eſt animus. Cui enim eſt origo cœleſtis, merito cœleſtis innata dicitur harmonia. Quã deinde uarijs inſtrumentis & cãtibus imitatur. Idq; munus ſimiliter diuinæ prouidẽtiæ nobis eſt amore conceſſum. Hunc ergo nos uiri clariſsimi deũ, quia pulcherrimus eſt amemus: quia optimus imitemur: quia beatiſsimus uenemur: ut ſua nobis clementia & largitate concedat pulchritudinis, bonitatis, beatitudinis ſuæ poſſeſsionem.

ORATIO SEXTA.

INTRODVCTIO AD DISPVTATIONEM de amore. CAPVT I

HACTENVS Carolus Marſupinus. Thomas aũt Bencius Socratis diligens imitator ad Socraticorum uerborũ commentationem libenti animo, & hilari uultu ſe contulit. Socrates inquit noſter Græcorũ omnium ſapientiſsimus oraculo Apollinis iudicatus amandi artem præ cæteris profiteri ſolebat, quaſi ob artis huius peritiam potiſsimũ & Socrates & alius quiuis eſſet ſapientiſsimus iudicandus. Artem huiuſmodi nõ ab Anaxagora, Damone, Archelao phyſicis, non à Prodico Chio, & Aſpaſia rhetoricæ profeſſoribus: nõ à Cono muſico: à quibus multa didicerat, ſed à Diotima fatidica muliere diuino afflata ſpiritu ſe accepiſſe dicebat. Mea quidẽ ſententia, ut oſtenderet ſola diuinitatis inſpiratione: quid uera pulchritudo ſit: quid legitimus amor: qua ratione amandũ homines intelligere poſſe. Tanta eſt amatoriæ facultatis potẽtia, tanta ſublimitas. Ergo procul ab his cœleſtib. epulis abeſte: procul inquã abeſte profani: qui terrenis obruti ſordibus & Baccho Priapoq; prorſus emãcipati, amorẽ cœleſte munus, in terram porcorum ritu cœnũq; proſternitis. Vos autẽ conuiuæ caſtiſsimi: & alij omnes Dianæ & Palladi cõſecrati: quì animi puriſsimi libertate perpetuoq; mẽtis gaudio exultatis, adeſte feliciter: diuinaq; myſteria Socrati à Diotima reuelata diligẽter audite. Sed antequã Diotimã audiatis ſoluenda eſt cõtroueꝛſia quædã, inter eos qui de amore in ſuperioribus tractauerũt, & eos qui tractaturi ſunt, orta. Superiores nanq; amorẽ pulchrũ, bonum, beatũ, deum, uocauerunt: Socrates & Diotima negant, atq; illum inter pulchrũ & turpe, bonum & malum, beatum & miſerum, deum & hominem medium collocant. Nos utranq; ſententiam, licet alia ratione, ucram exiſtimamus.

AMOR EST MEDIVS INTER PVLCHRITVDINEM ET turpitudinem: atq; inter deum & hominem. CAP. II

IERRO magnes lapis ſuam quandam inſerit qualitatem: qua ferrum magneti factũ perſimile ad hũc lapidem inclinatur. Inclinatio huiuſmodi prout à lapide orta uergit in lapidem, lapidea certe inclinatio dicitur: prout in ferro eſt, & ferrea eſt pariter, & lapidea. Eſt enim in ferri materia non pura illa quidem: ſed per qualitatẽ lapidis iam formata. Ideo utriuſq; retinet proprietatem. Ignis etiam, ut loquamur apertius, qualitate ſua, id eſt calore linũ accendit. Linum caloris qualitate ſuſpenſum ad ſupernã ignis euolat regionẽ. Volatum huiuſmodi prout ab igne excitus uergit ad ignem: igneum plane cognominamus: prout in lino eſt non mero quidem, ſed iam ignito, ab utriuſq; tam lini quàm ignis natura, lineũ æque ac igneum dicimus. Figura hominis ſæpenumero propter bonitatem interiorẽ feliciter à deo cõceſſam, aſpectu pulcherrimum, ſplendoris ſui radium per oculos intuentium transfundit in animam. Hac utiq; ſcintilla tanquã hamo quodã tractus animus properat ad trahentem. Hũc nos tractum qui & amor eſt: quoniam à pulchro bono felici dependens in idem reflectitur: pulchrum, bonum, beatum, deum Agathonis cæterorũq; ſuperiorum ſententia nominare non dubitamus. Quoniã uero in animo eſt per radij illius pulchri præſentiã iam accenſo, affectum inter pulchrum & non pulchrum medium cogimur nominare. Quandoquidem animus, qui nullam adhuc pulchræ rei ſuſcipit imaginem, rem illam tanquam incognitam nondum amat: & qui totam poſſidet pulchritudinem, amoris ſtimulis non uexatur. Quis enim quæ habet affectat? Reſtat, ut tunc ardenti flagret amore, quando ſpecioſum aliquod rei pulchræ ſimulacrũ nactus, ea præguſtatione ad plenam poſſeſsionem pulchritudinis inſtigatur. Cum igitur amantis animus rem ipſam pulchrã partim habeat quidem, partim uero non habeat: non iniuria partim pulcher eſt, partim nõ pulcher. Atq; ita amorem ex huiuſmodi mixtione medium quendã affectum eſſe uolumus inter pulchrum & non pulchrũ, utriuſq; participem. Ob hanc utiq; rationem Diotima ut ad eam iam ueniamus, amorem dæmonẽ appellauit: quia ſicut dæmones inter cœleſtia & terrena ſunt medij: ſic amor inter informitatem & formam mediũ obtinet. Mediam hanc eius regionem inter informem formoſamq; naturam Ioannes in prima & ſecunda eius oratione ſatis aperuit.

DE SPHAERARVM ANIMIS ET DAEMONIBVS CAP. III

SED quomodo mediam plagam cœlum inter & terram dæmones habitent, ex uerbis Diotimæ in conuiuio, Socratis in Phædro atq; in Philebo, Athenienſis hoſpitis in legibus & Epinomi, ita cognoſcite. Vniuerſam huius mundi machinam anima quadam regi, atq; moueri Plato exiſtimat. Si quidem mundi corpus totum quoddam corpus eſt, ex totis quatuor elemẽtis compoſitũ, cuius particulæ ſunt omnium animantium corpora. Nam animalis cuiuſq; corpuſculũ mũdani corporis particula eſt. Neq; ex toto ignis, aeris, aquæ, terræ elemento: ſed horum elementorũ partibus quibuſdã componitur. Quanto igitur totum parte perfectius eſt, tanto mũdi corpus perfectius eſt ſingulorum animantium corpore. Abſurdum eſſet imperfectũ quidem corpus habere animam, perfectum uero neq; habere animam, neq; uiuere. Quis enim adeo mente captus eſt, ut partẽ uiuere dicat, totum neget? Viuit igitur totum mundi corpus, cum animalium corpora quæ partes illius ſunt, uiuant. Vnam eſſe oportet totius animam, ſicut & una eſt materia, una cõſtructio. Cum ergo duodecim ſint mundi ſphæræ: ut Platoni placet: octo cœli, & elementa ſub cœlo quatuor: atq; duodecim hæ ſphæræ diſcretæ inuicem ſint, ſpecie, motibus, & proprietate diuerſæ, duodecim neceſſe eſt illis adeſſe animas, ſpecie & uirtute diuerſas. Vna igitur erit unius primæ materiæ anima. Duodecim circulorum, animæ duodecim. Quis terrã, aut aquã neget uiuere, quæ uitã animalibus ex ſe genitis tribuũt? Quod ſi feces hæ mũdi uiuũt, uiuentiũq; ſunt plenæ: cur nõ aer, & ignis excellentiores mundi partes uiuant, uiuentiáq; in ſe ſimiliter habeãt, cœliq; ſimiliter? Sed animalia illa cœleſtia, quæ ſydera ſunt, & terrena, aquatiliáq; uidemus quidẽ, ignea uero & aerea non uidemus. Quippe cum neq; purũ ignis, aut aeris elementum perſpiciamus. Hoc autem intereſt: quod in terra duo ſunt animantiũ genera: bruta & rationalia: ſimiliterq; in aqua: cum aqua corpore terræ præſtantior, non minus quàm terra cõpos eſſe debeat rationis. Globi uero decem ſuperiores propter eorũ ſublimitatem ſolis ſunt rationalibus exornati. Animã mundi, id eſt materiæ primæ: & duodecim ſphærarum, & ſyderũ animas deos Platonici nominant, tanquã angelicæ mentis ſummiq; dei pediſſequas. Animalia quæ ignis ætherei ſub luna locati, aut puri aeris, aut nebuloſi aeris aquæ proximi regionem habitant, dæmones. Quæ terram incolunt rationalia, homines. Dij etiã immortales, et impatibiles ſunt: homines patibiles, atq; mortales ſunt. Dæmones immortales ſunt quidem, ſed patibiles. Neq; paſsiones dæmonib. corporis, ſed animi affectus quoſdam attribuũt: quibus bonos homines amant quodãmodo, malos oderunt: ſeq; ipſos propius & ardentius rebus inferioribus præcipue humanis gubernandis immiſcent. ij omnes ex hoc officio boni uidẽtur. Eſſe uero alios quoſdam malos dæmones Platonici non nulli, & Chriſtiani theologi uoluerunt. Sed de malis dæmonibus nulla ad præſens nobis eſt diſputatio. Bonos autẽ noſtri cuſtodes proprio nomine angelos inferioris mũdi gubernatores, Dionyſius Areopagita, quod à Platonis mente minime diſcrepat, uocare ſolet. Quinetiã quos deos & ſphærarum ſyderumq; animos Plato nuncupat, angelos dei miniſtros Dionyſii more poſſumus appellare. quod etiã à Platone ob eam cauſam non diſſentit: quia huiuſmodi animos ut in decimo legum apparet, ſphærarum clauſtris haud quaquã perinde illigat, ut corporibus animas terrenorum. Sed tanta uirtute à deo ſummo donatos affirmat, ut dei uiſione gaudere ſimul ualeant, & ſine ullo labore, aut ſolicitudine globos mũdi pro patris ſui uoluntate regere & mouere, hisq; mouẽdis inferiora facile gubernare. Quare inter Platonem & Dionyſium uerborum potius eſt, quàm ſententiæ diſcrepatio.

DE SEPTEM DONIS QVAE A DEO HOMINIBVS per medios ſpiritus tribuuntur. CAP. IIII

RERVM omnium ideis, quas diuina mens continet, ſequentes dij, deorum muneribus dæmones ſubſeruire dicuntur. A ſummo nanq; ad imum omnia per media tranſeunt: ita ut ideæ illæ diuinæ mentis cõceptiones, per deos, et dæmones, ſua hominibus munera largiãtur. Horũ ſunt præcipuæ ſeptem. Contemplationis acumen. Gubernãdi poteſtas. Animoſitas, Claritas ſenſuum. Amoris ardor. Interpretandi ſubtilitas. Fœcũditas generandi. Horum uim deus primo in ſe continet. Deinde ſeptem dijs, qui planetas ſeptem mouent, angeliq; à nobis uocãtur, horum potẽtiam tribuit, ita ut ſinguli ſingula præ cæteris capiant. Illi ſeptem dæmonum ordinibus eis ſubſeruiẽtibus ſingulis præcipue ſingula exhibent. Iſti tradunt hominibus. Profecto deus hæc animis ſtatim à ſe natis infundit. hi ex orbe lacteo per cancrum labentes in corpus, cœleſti quodam lucidoq; corpore inuoluuntur: quo circumdati terrenis corporibus includuntur. Ordo enim naturæ requirit, ut puriſsimus animus in corpus hoc impuriſsimum, non prius quàm medium quoddam et purum tegmen accepit, decidere ualeat. Quod cum animo craſsius ſit, hoc autem corpore purius & ſubtilius, cõmodiſsima à Platonicis iudicatur animæ cum terreno corpore copula. Hinc itaq; fit, ut planetarum animæ noſtris animis, corpora uero corporibus noſtris ſeptem illorum munerum uires à deo datas ſtatim ab initio, atq; aſsidue confirment & roborent. Eidem officio præſunt naturæ dæmonum totidem, inter cœleſtes & homines mediæ. Contemplationis donum Saturnus per Saturnios dæmones roborat. Gubernandi & imperandi potentiam Iupiter

Iouialium

Iouialium dæmonũ ministerio. Magnitudinẽ animi Mars per dæmones Martiales. Sensum, opinionisq; claritatẽ, unde uaticiniũ sequitur, Sol dæmonũ solariũ adiumento: Amorẽ per Venereos Venus inspirat. Pronunciandi & interpretandi solertiã Mercurialibus intercedẽtibus Mercurius adiuuat. Luna postremo lunaribus dæmonibus conferentibus fouet generationis officiũ. Horum facultatẽ licet hominibus cunctis impertiant: illis tamẽ præcipuè, in quorũ conceptione et ortu ex cœli dispositione possunt plurimũ. Quæ quidẽ licet infusa diuinitus honesta sint, possunt tamẽ in nobis quãdoq; propter abusum uideri deformia. quod est in gubernationis, animositatis, amoris generationis usu perspicuũ. Amoris instinctũ ne lõgius digrediamur, à deo summo, & à Venere, quæ dea dicitur, & à dæmonibus Venereis habuimus. Quoniã à deo descendit, deus: quoniã à dæmonibus cõfirmatur, dæmõ est appellandus. Qua propter iure apud Agathonẽ deus, apud Diotimã dæmon est dictus. Dæmon, inquam Venereus.

DE ORDINE DAEMONVM VENEREORVM, ET quomodo iaculantur amorem. CAP. V

DAEMON autẽ Venereus, triplex est amor. Primus in Venere cœlesti à Platonicis ponitur. In ipsa scilicet angelicæ mentis intelligentia. Secũdus, in uulgari Venere, In ea uidelicet potentia, quam habet mũdi anima generandi. Qui duo propterea dæmones appellantur, quia inter informitatem & formam sunt medij, ut suprà tetigimus, et paulo post latius explicabimus. Tertius ordo dæmonũ planetam Veneris comitantium. Horum quoq; scilicet dæmonum Venereorũ, triplicem ordinẽ ponimus. Alij purissimi aeris, alij crassioris & nebulosi aeris elemento sunt assignati, omnesq; à græco uocabulo ἔρως, quod amorem significat, Heroes, id est amatorij nominãtur. Primi in eos homines amoris aculeos iaculãtur: in quibus bilis, humor cholericus & igneus dominatur. Secũdi in eos in quibus sanguis, humor aereus. Tertij uero in eos in quibus pituita, & atra bilis, aqueus, & terreus imperat humor. Cupidinis autẽ sagittis cum omnes homines, tũ quatuor maxime illorum uulnerãtur. Nam animas Iouis Phœbi Martis Iunonis, id est Veneris pediſſequas uulnerari potissimũ Plato in Phædro significauit: easq; ab ipsis generationis primordijs ad amorem pronas, eosq; summopere homines amare solere, qui sub ijsdem sint orti syderibus: Hinc Iouiales Iouialibus, Martialibus Martiales, atq; alijs similiter alij uehementer afficiuntur.

QVOMODO CAPIAMVR AMORE CAP. VI

QVOD de uno dicam exemplo, de tribus alijs intelligite. Quicunq; animus sub Iouis imperio in terrenum corpus delabitur, certam quandam in ipso descensu sibi concipit hominis fabricandi figuram Iouis astro conuenientem. Hanc in æthereo sui corpore tanquam optime affecto exprimit exactissimam. Si nactus in terris semen fuerit similiter temperatum, in eo quoq; tertiam figuram pingit primæ secundæq; simillimam. Sin contrà, non ita persimilem. Sæpenumero accidit, ut duo quidem animi licet diuersis temporum interuallis, Ioue tamen regnante descenderint: alterq; illorum semen in terra nactus idoneum corpus secundum priores ideas illas rectissime figurauerit: alter uero propter materiæ ineptitudinem, idem opus inchoauerit quidem, sed non tanta ad sui exemplar fuerit similitudine executus. Corpus illud isto formosius. Ambo sibi propter quandam naturæ similitudinẽ mutuo placent. Sed placet magis, qui inter eos formosior iudicatur. Quo fit ut non formosissimos quosq;, sed suos, id est similiter natos etiã si minus quàm alij multi formosi sint, quilibet maxime diligant. Proinde qui, ut diximus, eodem sub astro sunt orti, ita se habent, ut pulchrioris eorum simulacrum, per oculos in alterius animum manans, consimili cuidam simulacro, tam in corpore æthereo, quàm in animi penetralibus ab ipsa generatione formato quadret, & undiq; consonet. Ita pulsatus animus obuium illud simulacrum tanquam suum aliquid recognoscit. Quod quidem si tale est pro uiribus quale & ipse iam olim intra se possidet, & suo in corpore cum uellet effingere, minime potuit: illud suo interiori protinus admouet: & si quid illi deest ad perfectam corporis Iouialis effigiem, instaurat reformando: ipsum deinde reformatum simulacrum tanquam opus proprium diligit. Hinc accidit, ut amantes ita decipiantur: ut formosiorem quàm sit, existiment. Nam procedente tempore amatum non in mera eius imagine per sensus accepta perspiciũt: sed in simulacro iam ab anima ad ideæ suæ similitudinem reformato, quod ipso corpore pulchrius est, intuentur. Desiderant insuper corpus illud unde primo manauit simulacrum intueri quotidie. Quamuis enim animus absente corpore illius apud se conseruet imaginem, idq; sibi fermè sit satis: spiritus tamen animæ instrumentũ oculusq; non seruant. Tria profecto in nobis esse uidentur: Anima, Spiritus, atq; corpus. Anima & corpus natura lõge inter se diuersa spiritu medio copulantur, qui uapor quidam est tenuissimus & perlucidus, per cordis calorẽ ex subtilissima parte sanguinis genitus. Inde per omnia membra diffusus animæ uires accipit & transfundit in corpus: Accipit iterũ per organa sensuũ, corporũ externorũ imagines: quæ in anima propterea figi nõ possunt, quiá incorporea substantia, quæ corporibus præstãtior est, formari ab illis per imaginem susceptionum non potest. Sed enim anima utiq; spiritui præsens imagines corporũ in eo tãquã in speculo relucẽtes facile inspicit, perq; illas corpora

pora iudicat: atq; hæc cognitio sensus à Platonicis dicitur. dum eas inspicit, similes illis imagines multo etiam puriores sua ui concipit in seipsa. huiusmodi conceptionem, imaginationem, phantasiamq; uocamus. hic conceptæ memoriter seruantur imagines. Per has animi acies sæpenumero incitatur ad uniuersales rerum ideas quas in se continet intuendas. Idemq; unũ quendam hominem & sensu cernit & imaginatione concipit. Intellectu rationẽ, definitionẽq; hominibus omnibus communem per innatam illi humanitatis ideam communiter contemplatur, & quæ fuerint contẽplata conseruat. Animo igitur formosi hominis simulachrum conceptum semel apud se reformatumq; memoriter conseruanti satis esset amatũ quandoq; uidisse. Oculo tamen & spiritui, quæ ueluti specula præsente corpore imagines capiunt, absente dimittunt, perpetua formosi corporis præsentia opus est, ut eius illustratione continue luceſcant, soueantur & oblectentur. Igitur & isti propter indigẽtiam suam præsentiam corporis exigunt, & animus ijs, ut plurimum, obsequutus eandem cogitur affectare.

DE AMORIS ORTV CAPVT VII

SED iam ad Diotimam redeamus. Hæc igitur cum amorem in dæmonum numerum ob eas quas enarrauimus causas retulisset: eius hunc in modum originem Socrati demonstrauit. In Veneris natalibus discumbentibus dijs Consilij filius Porus potu nectaris ebrius, cum Penia in Iouis horto se miscuit: ex eo congressu natus est amor. In Veneris natalibus, id est, quando mens angeli, & mũdi anima: quas Veneres ea ratione quam alias diximus, nominauimus, ex summa Dei maiestate oriebantur: Dij discumbebant, id est Cœlius & Saturnus & Iupiter bonis proprijs uescebantur. Nam cum in angelo intelligentia, & in mundi anima uis generandi, quas proprie Veneres geminas appellamus, prodibant in lucem: iam erat summus ille Deus quem uocant cœlum: Essentia præterea, & uita in angelo, quos Saturnum uocamus & Iouem, atq; etiam in mundi anima inerat supernorum cognitio, & cœlestium corporum agitatio: quos iterum Saturnum Iouemq; uocamus. Porus & Penia, affluentiam & egestatem significant. Porus Consilij filius, id est, summi dei scintilla. Deus nempe consilium, & consilij fons appellatur, quia ueritas omnium est & bonitas. Cuius splendore omne consilium uerum efficitur. Ad cuius bonitatem omne tendit consilium. Iouis hortum, angelicæ uitæ fœcunditatem intelligit: in quam cum descendit Porus, id est ille dei scilicet radius, Peniæ, id est, priori huius indigentiæ mixtus creat amorem. Principio angelus per deum est & uiuit: quo ad hæc duo essentiam & uitam, Saturnus & Iupiter nominatur. Habet insuper intelligendi potentiam, quam esse Venerem arbitramur. Potentia huiusmodi sua natura informis est & obscura, nisi à deo illuminetur: quemadmodum oculi uis ante solis aduentum. hanc obscuritatem Peniam scilicet quasi inopiam & luminis defectum esse putamus. Cæterum uis ea intelligendi naturali quodam instinctu ad suum reflexa parentem, diuinũ ab eo radium, qui Porus est & affluentia, suscipit. In quo ueluti semine quodam, rationes rerum omnium includuntur. Huius radij flammis naturalis ille instinctus accenditur, hoc incendium hic ardor ex obscuritate priori, & accedente scintilla exoriens, amor est ex inopia natus & affluentia, in horto Iouis, id est umbra uitæ progenitus. Quippe cum post uitæ uigorem statim ardor ad intelligendum exoriatur. Sed cur ebrium nectare Porum inducunt? quia ratione diuinæ uiuacitatis exuberat. Cur partim diues, partim egenus est amor? Quia neq; quod perfecte possidemus, neq; quo caremus omnino, ardere solemus. Cum enim id quærat quisq;, quo caret: qui totam rem possidet, quid ultra perquirat? Quin etiam cum incognita nemo desideret, necesse est ut aliquo modo cognitum nobis ante fuerit quod amemus: neq; cognitum solum: multa enim nota nobis odisse solemus: sed ut tanquam bonum nobis & iocundum fuerit iudicatum. Neque id ad flagrantem beneuolentiam satis esse uidetur: nisi facile consequi posse quod iocundum fore censuimus iudicemus. Quisquis igitur aliquid amat, illud quidẽ re ipsa nondũ integerrime possidet. Animi tamen cogitatione idipsum cognoscit, iocundum iudicat, consequi posse confidit. Hæc ipsa cognitio, iudicatio, spes, quasi præsens aliqua absentis boni anticipatio est. Non enim arderet nisi idipsum placeret, nisi esset quodammodo prægustatum. Ergo cum amantes partim quod optant habeant quidem, partim uero non habeant, haud ab re ex indigentia quadam, & affluentia mixtus est amor. Hac utiq; ratione Venus illa superna per primam ipsius diuini radij gustationem accensa amore fertur ad integram totius luminis plenitudinem: hoc nixu parenti efficacius hærens plenissimo statim illius fulgore coruscat, rerumq; rationes illæ confusæ, quæ in radio, quem Porum dicimus ante fuerãt implicatæ, explicantur, iam impotentia illa ueneris inhærente, & clarius distinctæ luceſcunt. Quemadmodum uero se habet ad deum angelus, ita ad angelum deumq;, anima mundi. Ea enim ad superna se flectens ab illis similiter & radium accipit, & accenditur, gignitq; amorem affluentiæ inopiæq; participem. Hinc formis rerum omnium exornata ad earum exemplar cœlos mouet, perq; potentiam generandi similes illis formas in elementorum materia generat. Venerem hic geminam rursus aspicimus. Alteram sanè uim animæ, huius ad superna cognoscenda. Alteram uero uim eiusdem inferiorum procreatricem. Illa quidem non est animæ propria: sed contemplationis angelicæ imitatio: hæc autem naturæ animæ propria. Ideo quoties unã in anima Venerem ponimus, uim eius peculiarem, Venerẽ eius propriam intelligimus. Quoties duas, alteram cõmunem cum angelo, alterã ipsius

animæ propriam. Sint igitur duæ in animo Veneres: prima cœlestis, secunda uero uulgaris. Amorem habeãt amẽbæ: Cœlestis ad diuinã pulchritudinem cogitandam: Vulgaris ad eandem in mundi materia generandam. Qualem enim uidet illa decorem, talem uult hæc pro uiribus mundi machina tradere. Imò uero utraq; fertur ad pulchritudinem generandã: sed suo utraq; modo. Cœlestis Venus intelligentia sua effingere in seipsa exactissimam supernorum pulchritudinem nititur: Vulgaris diuinorũ seminũ ubertate conceptam apud se diuinitus pulchritudinem in mundi materia parere. Amorem illum quandoq; deum iccirco uocamus, quoniam ad diuina dirigitur: Vt plurimũ dæmonem, quoniam inter inopiam copiamq; est medius. Amorem alterum semper dæmonem, quoniam affectum aliquem ad corpus habere uidetur, & ad inferiorem mundi plagam esse procliuior. Quod quidem à deo alienum est: dæmonum naturæ conueniens.

IN OMNIBVS ANIMIS DVO SVNT AMORES, IN nostris uero quinq;. CAP. VIII

GEMINAE autem Veneres hæ geminiq; amores non solum in anima mundi, uerumetiam in sphærarum, siderum, dæmonum, hominumq; animis insunt. Cumq; animæ omnes ad primam illam competenti naturalis ordinis serie referantur, necesse est amores quoq; omniũ ad illius amorem ita referri ut aliquo modo ab illo dependeant. Propterea hos quidem simpliciter dæmones: illum uero magnum dæmonem appellare Diotima consueuit. Qui per uniuersum mundum omnibus imminens torpere corda nõ sinit: sed passim suscitat ad amandum. In nobis autem non duo tantum, sed quinq; amores reperiuntur. Duo quidem extremi dæmones: medij tres, non dæmones solummodo sed affectus. Profecto in hominis mente æternus est amor ad diuinam pulchritudinem peruidendam: cuius gratia, philosophiæ studia, & iustitiæ, pietatisq; officia sequimur. Est etiam in generandi potentia occultus quidam stimulus ad sobolem procreandam, isq; amor perpetuus est, quo assidue incitamur, ut supernæ pulchritudinis illius similitudinem in procreatæ prolis effigie effingamus. Hi duo amores in nobis perpetui, duo sunt dæmones illi, quos Plato nostris animis semper adesse uaticinatur: quorum alter ad superna erigat, alter deprimat ad infirna: alter calodæmon, id est bonus dæmon sit, alter cacodæmon, id est malus sit dæmon. Reuera utriq; sunt boni, quoniam tam sobolis procreatio, quàm indagatio ueritatis necessaria et honesta censetur. Verum secundus ideo dictus est malus, quia propter abusum nostrum sæpe nos turbat, & animũ à præcipuo eius bono, quod in ueritatis speculatione consistit, auertit maxime, & ad mysteria uiliora detorquet. Horum medium amores in nobis tres obtinent: qui cum non sint in animo æque ut isti firmissimi: sed incipiant, crescant, decrescant & desinant: rectius motus atq; affectus quàm dæmones uocabuntur. Horum unus æquis interualis ab utrisq; distat extremis. Reliqui duo in partem alterutram inclinantur. Porro corporis alicuius figura propter materiæ præparationem talis est maxime, qualem in eius idea diuina mens continet tunc oculis obuia: perq; oculos in spiritum penetrans, animo cuestigio placet, cum illis consonet rationibus, quas ueluti rei ipsius exemplaria tum nostra mens, tum generandi potentia olim diuinitus accepta conseruat. Hinc triplex, ut diximus, subrepit amor: aut enim ad contemplatiuam, aut actiuam, aut uoluptuosam uitam prompti, & procliues geniti educatiue sumus. Si ad contemplatiuam, statim à formæ corporalis aspectu ad spiritualis atq; diuinæ cõsiderationem erigimur. Si ad uoluptuosam, subito à uisu ad concupiscentiam tangendi descẽdimus. Si ad actiuam atq; moralem: in sola illa uidendi atq; conuersandi oblectatione perseueramus. Illi tam ingenioſi sunt ut altissime prouehantur: isti tã hebetes ut deprimantur ad infima: hi tanquàm medij in media remanent regione. Amor itaq; omnis incipit ab aspectu. Sed contemplatiui hominis amor ab aspectu ascẽdit in mentem. Voluptuosi ab aspectu descendit in tactum. Actiui remanet in aspectu. Illius amor ad supremum dæmonẽ magis quàm ad infimũ se conuertit: istius ad infimũ potius quàm ad supremũ deflectitur: huius ab utroq; interuallis distat æqualibus. Tres isti amores, tria nomina sortiuntur. Contemplatiui hominis amor, diuinus: Actiui, humanus: Voluptuosi ferinus cognominatur.

QVAE PASSIONES AMANTIBVS INSVNT, PROPTER amoris matrem. CAP. IX

AMOREM esse dæmonem ex copia & inopia genitum, & quinq; in species diuidi, hactenus declarauimus: quales autem in amantibus affectus ex huiusmodi amoris natura nascantur, deinceps ex Diotimæ uerbis tractabimus. Quoniã inquit amor in natalibus Veneris progenitus est, Venerem sectatur & colit, ac pulchri desiderio capitur: cum Venus ipsa pulcherrima sit. Quia inopiæ filius est, aridus est & macilẽtus & squalidus. nudis pedibus, humilis, sine domicilio, sine stramentis & tegmine ullo, ad fores in uia sub diuo dormiens, ac deniq; semper egenus. Quia copiæ filius est, pulchris ac bonis insidiatur. Virilis est, axudax, feroq;, uehemens, callidus, sagaxq; uenator, noua semper machinamẽta contexens, prudentiæ studiosus, facundus, per omnem uitam philosophans, incantator, fascinatorq; potens, uenificus, atq; sophista. Neq; immortalis omnino secundum naturã, neq; mortalis. Sed interdũ eadem die pullulat atq;

uiuì

uiuit quoties exuberat: interdum deficit atq; iterum reuiuiscit ob patris naturam: quod uero acquisitum est subterfugit: quocirca neq; mendicus est amor unquam, neq; etiam opulentus. Quinetiam in mẽdio sapientiæ & insciliæ cõstituitur. Hæc Diotima. Nos ea quàm breuissime poterimus, explanabimus. Hæc licet omnibus insint amorum generibus: in tribus tamen medijs tanquam nobis manifestioribus clariora uidentur. In Veneris natalibus genitus Venerem sequitur, id est cum supernis illis spiritibus, quos uocauimus Veneres, genitus, hominũ animos ad superna reducit: ac pulchri desiderio capitur, cũ Venus ipsa pulcherrima sit, id est animas accendit summæ diuinæq; pulchritudinis desiderio: cum ipse sit in illis spiritibus ortus, qui deo proximi dei decore summopere illustrantur, atq; ad eosdem nos radios erigunt. Præterea cum uita omnium animantium atq; arborũ & terræ fertilitas in humore & calore consistat, ad demonstrandam amoris inopiam utrumq; deesse illi tam humorem quàm calorem Diotima innuit, cum aridum & macilentum dixit & squalidũ. Quis enim ignoret arida & sicca esse illa, quæ deserit humor? Quis item pallorem dicat et squalorẽ aliunde quàm sanguinei caloris defectu uenire? Quinetiam diuturno amore pallidi & macilenti mortales efficiuntur. Quippe ad duo simul opera uis naturæ ferme nõ sufficit. Animi amantis intentio in assidua amati cogitatione tota se uersat. Illic & naturalis complexionis uis omnis intenta est. Ideo neq; cibus in stomacho perfecte coquitur. Quo fit ut maior pars in superfluas reliquias emittatur, minor & ea quidem cruda trahatur ad iecur. Illic etiam eadem ratione male concoquitur. Ideo sanguis paucus crudusq; inde per uenas diffunditur: quare membra omnia inopia cruditateq; alimenti extenuantur & pallent. Præterea quocunq; animi assidua fertur intẽtio, illuc et spiritus qui animæ siue currus, siue instrumẽta sunt, aduolant. Spiritus in corde ex subtilissima sanguinis parte creantur. In amati imaginẽ phantasiæ infixã ipsumq; amatum amantis animus rapitur. Eodem trahuntur & spiritus. Illuc euolantes assidue resoluuntur. Quapropter frequentissimo puri sanguinis fomite opus est ad consumptos spiritus recreandos: ubi subtiliores quæq; et lucidiores partes sanguinis quotidie in reficiendis spiritibus exhalantur: propterea puro et claro sanguine resoluto, maculosus, crassus, aridus restat & ater. Hinc exiccatur corpus & squalet: hinc & melancholici amantes euadunt. Ex sicco enim crasso atroq; sanguine melancholia, id est atra bilis efficitur: quæ suis caput uaporibus opplet, cerebrum siccat, animam tetris horrendisq; imaginibus diu noctuq; sollicitare non cessat: quod Lucretio philosopho epicureo propter amorem legimus accidisse. Qui amore primum, insania deinde uexatus, sibi tãdem ipsi manus iniecit. Hæc illis accidere consueuerũt, qui amore abusi quod cõtemplationis est ad amplexus cõcupiscentiã trãstulerunt. Videndi enim desideria facilius quàm & uiuendi & attrectandi cupidinem toleramus. Quæ cũ medici ueteres obseruassent, amorem esse dixerũt passionem morbo melancholico proximã, eamq; Rasis medicus coitu, ieiunio, ebrietate, deambulatione curari præcepit. Neq; solum tales amor homines reddit, uerumetiã quicũq; natura sunt tales ad amorem procliuiores existunt. Tales autem sunt ij in quibus bilis, quam choleram uocãt, uel atra bilis quam melancholiã, cæteris humoribus præualet. Bilis calida & sicca est. Atra bilis sicca & frigida. Illa ignis, hæc terræ locũ in animantiũ corpore tenet. Aridi ergo melãcholici & sicci ad terræ similitudinẽ: Squalidi & pallentes cholerici ad similitudinẽ ignis intelliguntur. Cholerici propter igneci humoris impetum in amorem præcipites perferuntur: melancholici ob terrei humoris pigritiã tardius amant. Verum propter humoris ipsius stabilitatem, postquã illaqueati sunt diutissime perseuerant. Merito igitur aridus & squalens fingitur amor, cũ homines qui tales sunt, præ cæteris amori soleant indulgere. Quod ex eo potissimum fieri arbitramur, quia cholerici bilis incendio exurũtur. Melancholici atræ bilis corroduntur asperitate: quod Aristoteles in septimo libro de moribus affirmauit. Molestus itaq; humor semper angit utroq;, cogitq; solamen aliquod maximum atq; continuum, contra cortinam humorũ molestiam quærere. Huiusmodi sunt musicæ, amorisq; delitiæ. Nullis enim alijs oblectamẽtis tam assidue operam impendere possumus quàm musicæ uocumq; delinimentis, pulchritudinisq; illecebris. Reliqui enim sensus cito replentur. Visus autem aut auditus diutius uoculis & pictura pascũtur inani. Neque solum horum sensuum firmiores sunt uoluptates: uerumetiam humanæ complexioni cognatiores. Quid enim humani corporis spiritibus conuenientius est, quàm uoces hominum & figuræ: eorum præsertim qui nõ modo naturæ similitudine, sed etiam pulchritudinis gratia placent. Quamobrem cholerici & melancholici homines tanquam unicum remedium & solamen molestissimæ ipsorũ complexionis, cantus & formæ oblectamenta sectãtur. Ideoq; sunt ad Veneris illecebras proniores. Et Socrates, quem Aristoteles melancholicum iudicauit, ad amandi artem ut ipsemet profitebatur, erat omniũ properissimus. Idemq; de Sappho melancholica ut ipsa testatur, possum iudicare. Necnon & Maro noster quem cholericũ fuisse eius effigies indicat, quamuis pudicus, fuit tamẽ procliuior ad amandum. Nudis pedibus. Talem propterea Diotima pinxit amorem, quoniam amator adeo in rebus amatorijs occupatus est, ut in cæteris uitæ officijs tam priuatis quàm publicis non cautus quidem incedat ut decet, sed absq; ulla discriminum prouidentia temerarius quocũq; feratur. Ideo in suis progressibus frequentia incurrit pericula, non aliter quàm qui pedes suos corio non suffulciunt: unde crebris sentibus & calculis offenduntur. Humilis. Græcum Platonis uocabulũ humi & per infima uolans significat. Vidit enim sæpenumero propter amoris

abusum sine sensu uiuere amantes, & leuibus curis magna perire bona: hi sanè amatis seipsos usqueadeò dedunt ut in eos penitus transire nitantur, eosq; tam uerbis quàm gestibus in seipsis effingant. Frequētissima uero puerorū & puellarū imitatione, quis non effœminaretur? quis non puer, fœmina ue euaserit? Sine domicilio. Humanæ cogitationis domicilium anima ipsa est. Animæ domicilium spiritus. Domiciliū spiritus huius est corpus. Tres habitatores sunt: Tria sunt domicilia. Quisq; horum naturali amisso exulat domicilio. Nam cogitatio omnis non ad animi sui disciplinam & tranquillitatem, sed ad dilecti hominis se uertit obsequia: & anima corporis sui deserit ministerium, in amati corpus nititur transilire. Spiritus animæ currus, dum aliò properat animus, alio quoq; euolat exhalando. Propterea itaq; domo exit cogitatio, exit anima, exit & spiritus. Primum exitum insania & inquietudo: Secundum debilitas mortisq; formido: Tertium trepidatio, pauor & suspirium comitatur. Quo circa proprijs laribus, naturali sede, optata quiete, priuatus est amor. Sine stramentis & tegmine ullo. Vbi enim quiescat, & quo tegatur non habet. Cum enim res quæq; suam originem repetant, amoris igniculus à formosi corporis obiectu in appetitu amantis accensus, in corpus idem reuolare conatur. Quo quidem impetu, & appetitum & appetentem secum euehit euolando. O crudelem amantium sortem. O uitam omni morte miseriorem: nisi fortsitan uester animus hac amoris uiolentia proprio ex corpore raptus negligat insuper amati figuram, atq; in diuini splendoris ædc, ubi tandem quiescet, ubi explebitur, se recipiat. Quis item neget amorem sine tegmine nudūq; uagari? Quis enim celet amorem, quē toruus, taurinus, affixus prodit intuitus? quem interceptus sermo declarat? rubor, pallorq; uultus, crebra suspiria, iactatio membrorum, perpetua querimonia, importunæ laudationes, subita indignatio, iactantia, procacitas, petulantia, uana suspitio, & uilissima indicant ministeria? Sicut in sole & igne calorem lux radij comitatur: sic intimum amoris incendium externa sequuntur indicia. Ad fores dormit. fores animi oculi & aures esse uidentur: hinc enim multa in animū inuehuntur, & animi affectus & mores clarissime per oculos emicant. In figuris spectandis & uocibus audiendis amantes ut plurimum immorantur. Raro illorum mens in seipsam se colligit. Sæpius per oculos, auresq; uagatur. Idcirco ad fores dicuntur procumbere. Dicuntur & in uia iacere. Nam corporis species, uia quædam esse debet, per quam ad speciem incipiamus altiorem ascēdere. Qui autem turpibus libidinibus se prosternunt, aut etiam in aspectu ultra quàm decet uersantur, in uia ipsa restare uidentur, ad eius terminum minime proficisci. Sub diuo. Merito. Vna enim in re penitus occupati, nihil in rebus agendis considerant. Itaq; casu uitam agentes, omnibus fortunæ periculis, tanquam qui nudi sub diuo uitam ducunt, omnibus tempestatibus sunt expositi. Propter matris naturam semper egenus. Sane cum prima origo amoris ab indigentia fuerit, & quod naturale est penitus extirpari non possit, semper egenus, semper sitibūdus est amor. Quā diu enim deest ad consequendū aliquid, flagrat æstus amoris. Cum totum undiq; possidetur, cessante indigentia potius desinit ardor, quàm sine egestate perduret.

QVAE DOTES AMANTIVM PROPTER AMORIS patrem. CAP. X

HAEC inopiam amoris matrem sequuntur, copiam uero patrem eius contraria. Quæ uero contraria sint intellectis superioribus, quiuis agnoscet. Supra descriptus est simplex, incautus, uilis, inermis: horum hic cōtraria inducūtur. Callidus enim dicitur: Venator sagax. Machinator. Insidiator, prudentiæ studiosus, philosophus, uirilis & audax, uehemens, facundus. Magus atque sophista. Idem amor, qui in cæteris negotijs incuriosum et inertem facit amantē: in rebus amatorijs astutum reddit & callidum, qui miris modis amati gratiā aucupetur, seu dolis implicet, seu captet obsequijs: siue eloquio mulceat, siue cantu deliniat. Idem furor, qui obsequio blandum fecerat: idem inquam furor arma ministrat: Indignantibus aduersus amatum ferocitatem, pro eo pugnantibus securitatem roburq; inuictum. Amor ut diximus ab aspectu ducit originem. Aspectus inter mentem & tactum est medius: hinc semper amantis distrahitur animus & sursum uicissim deorsumq; iactatur. Interdum amplexus cupido suboritur: interdum uero pudicum cælestis pulchritudinis desiderium, & modo illa, modo hoc peruincit & ducit. In his qui honestissime educati sunt, & ingenij pollent acumine, hoc: in alijs illa sæpius superat. Quicunq; in feces corporis se prosternunt, merito aridi, nudi, humiles, inermes & inertes esse censentur. Aridi, quia semper esuriunt, implentur nunquam. Nudi, quia tāquam temerarij omnibus subiecti periculis, tanquam impudentissimi & inculti infames habētur. Humiles, quia nihil altum, nihil magnificum cogitant. Inermes, quia flagitiosæ succumbūt cupiditati. Inertes, quoniā adeo hebetes sunt ut quò amor eos trahat, ignorent, & in uia restent, ad terminum non perueniant. Contrarij uero contra uidētur affecti: nam solidis animi bonis uescentes implentur magis & trāquillius diligunt, pudorem seruant, umbratilem corporis speciem negligunt atq; altius eleuantur: ac uelut armis muniti, inanes à se libidines fugant, & sensus rationi subijciunt. Hi tanquam solertissimi omnium & prudentissimi ita philosophantur, ut per corporum figuras quasi quædam uestigia, siue odores prouidentissime gradiantur: ex his sacrum animi numinūq; decorem sagaciter inuesti-

ter inuestigent: atq; ita prudenter uenando, quod cupiunt feliciter assequantur. Tantum profecto munus amoris à patre ipsius copia proficiscitur: quoniã pulchritudinis radius qui & copia est & pater amoris, hãc habet uim, ut illuc unde uenerat reflectatur secumq; trahat amantem. Descendit autem à deo primum: inq; angelũ & animã quasi uitreas materias transiens, & ab anima in corpus eius susceptioni paratum facile demanãs, ab eo ipso iunioris hominis corpore, præsertim per oculos animi fenestras lucidissimas emicat: aduolat per aerem protinus & senioris oculos penetrans transfigit animam, appetitum accendit, sauciam animam, appetitumq; accensum in medelam eius & refrigeriũ ducit, dum eodem rapit secum unde ipse descenderat, gradatim quidẽ in corpus amati primum, in animam secundo, tertio in angelum, postremo in deum, primam splendoris huius originem. Hæc utilis uenatio, hoc felix amantium aucupium. Hanc utiq; uenationem apud Platonem in Protagora Socrati nostro familiaris quidam eius attribuit. Vndenam inquit ô Socrates? Arbitror equidẽ à uenatione illa redire te ad quã honesta Alcibiadis indoles prouocare te solet. Præterea Sophistam amorem uocat & magum. Sophistam Plato in sophistæ dialogo ambitiosum & subdolum definit disputatorem, qui captiuncularum uersutijs falsum pro uero nobis ostendit, cogitq; eos qui secum disputant sibimet in sermonibus contradicere. Hoc tam amantes, quàm amati quandoq; perpetiuntur. Siquidem amantes amoris nebulis occæcati falsa sæpe pro ueris accipiunt, dum dilectos suos formosiores, acutiores, meliores quàm sint arbitrantur. Sibimetipsi propter amoris uiolentiam contradicunt. Aliud enim ratio consulit, aliud concupiscentia sequitur. Consilia sua ad amati imperium mutant: sibijpsi, ut morem gerant alijs, aduersantur. Sæpe etiam formosi amatorum astutia irretiuntur, & faciles fiunt qui antea fuerant pertinaces. Sed cur magum putamus amorem? quia tota uis magicæ in amore consistit. Magicæ opus est, attractio rei unius ab alia ex quadam cognatione naturæ. Mundi autem huius partes, ceu animalis unius membra, omnes ab uno autore pendentes, unius naturæ cõmunione inuicem copulantur. Ideo sicut in nobis cerebrum, pulmones, cor, iecur, & reliqua membra à se inuicem trahunt aliquid, seq; mutuo iuuant, & uno illorum aliquo patiente cõpatiuntur: ita ingentis huius animalis membra, id est, omnia mundi corpora connexa similiter mutuant inuicem naturas & mutuantur: ex communi cognatione communis innascitur amor, ex amore communis attractio. Hæc autem uera magica est. Sic ab orbis lunæ concauitate propter naturæ congruitatem sursum trahitur ignis: ab ignis concauitate aer: à mundi centro terra ad infima trahitur: à loco etiam suo rapitur aqua. Hinc & magnes ferrum, & electrum paleas, ignem sulphur, sol flores multos ad se uertit & folia: luna aquas, Mars uentos ciere solet, & herbæ uariæ uaria quoq; ad se inuitant animantium genera. In rebus etiam humanis trahit sua quenq; uoluptas. Magicæ igitur opera, naturæ opera sunt: Ars uero ministra. Ars enim ubi naturali cognationi deest aliquid, per uapores, numeros, figuras, qualitates opportunis supplet temporibus: quemadmodum in agricultura natura segetes parit, ars præparat. Hanc artem ueteres dæmonibus attribuerunt: quia intelligũt qualis sit rerum naturalium societas, quid cuiq; congruat, quomodo concordia rerum, sicubi desit, instauretur. His nonnulli uel naturæ similitudine quadam amici, ut Zoroaster & Socrates: uel cultu dilecti, ut Apollonius Tyaneus, & Porphyrius, fuisse traduntur. Ideo uel uigilantibus signa uoces atq; portenta, uel dormientibus oracula, & simulachra à dæmonibus contigisse narrantur. Qui amicitia dæmonum magi euasisse uidentur: quemadmodum dæmones magi sunt rerum ipsarum amicitiam cognoscentes: & natura omnis ex amore mutuo maga cognominatur. Quinetiam formosus quisq; teneris nos fascinat oculis. Viri eos eloquentiæ uiribus & carminum modulis quasi quibusdam incantationibus deliniunt, sibiq; conciliant: cultu præterea & muneribus non aliter quàm ueneficijs placant & capiunt. Quapropter nemini dubium est, quin amor sit magus, cum & tota uis magicæ in amore consistat, & amoris opus fascinationibus, incantationibus, ueneficijs expleatur. Neq; mortalis est omnino, neq; etiam immortalis. Non mortalis, quoniam duo amores in nobis, duo illi quos dicimus dæmones, insunt perpetui. Non immortalis, quoniam tres horum medij mutantur quotidie, crescunt atq; decrescunt. Præterea in hominũ appetitu à uitæ primordijs inextinguibilis innatus est feruor, qui animum quiescere non permittit, ac semper impellit, ut ad certum aliquid studiose se applicet. Diuersa hominum ingenia sunt, nec uoto uiuitur uno. Vnde continuus ille concupiscentiæ feruor, qui naturalis est amor, alios ad studia literarum: ad musicam alios uel figuras: alios ad honestatem morum seu uitam religiosam: alios ad honores: nonnullos ad pecunias cumulandas, plerosq; ad uentris luxuriam, alios impellit ad alia: nec non eundem hominem in diuersis ætatibus ad diuersa. Idem itaq; feruor & immortalis dicitur & mortalis. Immortalis, quia nunquam extinguitur, mutatq; materiam potius quàm euanescat: mortalis, quia non ad idem semper incumbit: sed aut ex naturæ mutatione, aut ex diuturna rei eiusdem frequentatione orta satietate noua requirit oblectamenta: & qui in re una ferme defecit, in alia quodammodo reuiuiscit. Dicitur etiam ob eam causam immortalis: quod dilecta semel figura semper amatur. quamdiu enim eadem in eodem homine permanet, in eo ipso diligitur: cum uero ab eo defluxerit, non amplius eadem in illo figura est, quam prius amabas. Nouam hanc non ardes quidem, quia nec arseras ante, priorem uero illam amare non desinis: hoc tamen interest, quod illam prius prospiciebas in alio: iam uero in teipso inspicis solum, eademq; memoria semper insi-

xam ſemper & amas, & quoties animi oculis occurrit, toties te urit amantem. Ideo quoties illum nobis olim charissimum habemus obuium, toties commouemur, uel ſaliunt, trepidant ue præcordia, uel liqueſcit iecur, uel tremunt oculi, uariosq; trahit uultus aduerſo illo colores. Eius enim præſentia latentem mente figuram animi ſuggerit oculis, ac uelut ſopitos ſub cineribus flando ſuſcitat ignes. Hac de cauſa amor dicitur immortalis. Sed hic etiã ideo immortalis habetur, quia licet maneant ſemper infixi pectore uultus, non tamen æque ſe mentis oculis offerunt, quocirca feruere uiciſsim beneuolentia atq; referuere uidetur. Accedit ad hæc quod & ferinus & humanus amor ſine indignatione eſſe nunquam poteſt. Quis illi non indignetur, qui ipſi abſtulerit animum? Vt enim præ cæteris grata libertas, ita ſeruitus onerosa. Itaq; formoſos odis ſimul & amas: odis tanquam fures & homicidas: tanquam ſpecula cœleſti fulgore micantia mirari cogeris, & amare. Quid agas miſer? Quo te uertas, neſcis heu perdite neſcis. Cum tui homicida eſſe nolles, nolles etiam ſine beato ſpectaculo uiuere. Cum hoc eſſe non potes, qui te perdit, qui necat: ſine hoc non potes uiuere, qui tam miris illecebris te tibi furripit, qui totum te ſibi uendicat. Hunc fugere cupis, qui ſuis te flammis adurit: huic etiam cupis hærere, ut ipſi te poſsideti proximus tibi quoq; cohæreas. Teipſum miſer extra te quæris, hæresq; raptori, ut captum quandoq; te redimas. Amare quidẽ nolles inſane, quia emori nolles: nolles etiam non amare, quippe qui cœleſtium ſimulachro iudicas ſeruiendum. Quapropter hac alteratione ſit, ut ſingulis (ut ita dicam) momentis areſcat amor & reuireſcat. Ponitur etiam à Diotima inter ſapientiam & ignorantiam medius. Porro amor, quæ pulchra ſunt ſequitur. Omnium pulcherrima ſapientia eſt. Appetit igitur ſapientiam. Qui ſapientiam appetit, eam omnino non poſsidet. Quis enim præſentia quærat? Neque etiam caret omnino. In eo enim uno ſaltem eſt ſapiens quod ſuam inſcitiam recognoſcit: qui uero ignorare ſe neſcit, tam res ipſas, quàm ſuam ignorat inſcitiã, neq; ſcientiam expetit, cuius eſſe ſe neſcit expertem. Amor igitur ſapientiæ, quia partim ſapientia priuatus eſt, partim eſt ſapiens, inter ſapientiam ignorantiamq; locatur. Hæc inquit Diotima, eſt amoris conditio, ipſius autem pulchri, id eſt ſupremæ pulchritudinis natura eſt, ut delicatum ſit, perfectum atq; beatum. Delicatum, inquantum ſua quadam ſuauitate ad ſe allicit omniũ appetitum: Perfectum, inquantum quæ illexit accedentia illuſtrat radijs ſuis & perficit: Beatum, inquantum illuſtrata bonis implet æternis.

QVAE VTILITAS AMORIS EX EIVS DEFINITIONE. CAP. XI

POST QVAM uero quæ ſit amoris origo, & qualis ipſe ſit, Diotima enarrauit, iam quorſum tendat, & ad quid cõducat hominibus, aperit. Omnes quidem bona habere cupimus: nec habere ſolum, ſed ſemper habere. Singula uero mortalium bona mutantur atq; deficiunt, ac cito cuncta uaneſcerent, niſi abeuntiũ loco noua quotidie fierent. Vt ergo bona ſemper nobis quoquo modo perdurent, pereuntia cupimus recreare. Generando recreatio fit. Hinc innatus eſt omnib. generationis inſtinctus. Generatio aũt cum mortalia diuinis cõtinuatione ſimilia reddat, munus eſt profecto diuinum. Diuinis utpote pulchris, deformia contraria ſunt: formoſa ſimilia & amica. Iccirco generatio diuinũ opus in eo quod pulchrum eſt perfecte & facile cõſummatur, in contrario contra. Quapropter generationis ille conatus formoſa poſcit, contraria refugit. Quid hominum amor ſit poſtulatis? ad quid conducat? Cupido generationis in pulchro ob ſeruandam uitam mortalibus in rebus perpetuam: hic hominum in terra uiuentium amor eſt, hic noſtri finis amoris. Enimuero eo ipſo in tempore quo animaliũ unumquodq; uiuere dicitur, idemq; eſſe, ut à pueritia ad ſenectutem, quamuis idem dicatur, nunquam tamen in ſe eadem continet: ſed nouum ſemper efficitur, ut Plato inquit, & uetera exuit ſecundum pilos, carnem, oſſa, & ſanguinem, et corpus penitus uniuerſum. Neq; in corpore ſolum, ſed etiã in anima id contingit. Mores, conſuetudines, opiniones, cupidines, uoluptates, dolores, atq; timores iugiter permutantur: nec aliquid ex iſtis idem & ſimile perſeuerat: priora quidem abolentur, noua ſuccedũt atq; adoleſcunt. Quinetiam quod mirabilius eſt, ſcientiæ quoq; non ſolum aliæ euaneſcunt, aliæ ſurgunt, neq; ſemper ſecundum ſcientias ijdem ſumus: uerumetiam una quæuis ſcientiarum ferme idem patitur. Meditatio enim & reminiſcentia, quaſi prætereuntis ſcientiæ reſumptio eſt. Obliuio namq; ſcientiæ exitus eſſe uidetur. Meditatio uero nouam ſemper memoriam abeuntis loco reſtituens, ſcientiam ſeruat, ut eſſe eadem uideatur. Hoc utiq; pacto quæcunq; in animo uel corpore mutabilia ſunt, ſeruantur: non quia ſemper omnino eadem ſint: hoc enim diuinorum eſt proprium: ſed quoniam quod tabeſcit & abit, & nouum & ſimile ſibi relinquit. Hoc certe remedio mortalia immortalibus redduntur ſimilia. Eſt igitur in utraq; animæ parte, tum ea quæ ad cognitionem ſpectat, tum ea qua regitur corpus, amor generationis innatus ad uitam perpetuo conſeruandam. Amor qui in hac parte eſt ad corpus regendum accommodata, ſtatim ab initio nos impellit ad cibum potumq; ſumendum, ut his alimentis generentur humores: quibus quod à corpore iugiter defluit, reſumatur. Qua generatione nutritur corpus & creſcit. Adulto corpore ſemen ipſum laceſsit, & procreandæ ſobolis libidinem prouocat, ut quod in ſeipſo

ſemper

semper manere non potest, reseruatum in prole sibi persimili maneat sempiternũ. Amor etiam generationis parti animæ cognoscẽti tributus, efficit ut anima ueritatẽ, alimoniam propriã cõcupiscat, per quam suo modo nutriatur & crescat: ac si quid per obliuionem animo excidit, aut torpet propter desidiam & incuriam, recordationis & meditationis studio quasi regenerat, reuocatq; in mentem quod per obliuionem perierat, uel torpuerat per ignauiam. Adultum uero iam animum flagrantissima docendi atq; scribendi stimulat cupiditate, ut scientia uel in scriptis, uel in discipulorum animis generata, præceptoris intelligentia, & ueritas inter homines æterna permaneat. Atq; ita amoris beneficio cuiusque hominis tam corpus quàm anima in rebus humanis post mortẽ semper superesse posse uideatur. Amor uterq; pulchra sectatur. Nẽpe qui corpus regit atq; gubernat, corpus propriũ ex epulis quàm delicatissimis, iucundissimis, & pulcherrimis alere concupiscit, & prolem formosam cũ specioſa fœmina generare: & qui ad animum pertinet, cũ ornatissimis grauissimisq; disciplinis studet imbuere, ac sciẽtiam suæ simillimam scribendo ornato pulchroq; in stylo edere, & docẽdo in animo quodã pulcherrimo generare: puro inquam animo, acuto & optimo. Animum quidem ipsum non cernimus: ideo neq; eius inspicimus pulchritudinem. Corpus autẽ umbram animi, imaginemq; uidemus: itaq; ex eius imagine suspicãtes in corpore formoso speciosum esse animum coniectamur. Quamobrem formosos homines libentius erudimus.

DE DVOBVS AMORIBVS, ET QVOD ANIMA NAscitur prædita ueritate. CAP. XII

DE AMORIS definitione satis iam diximus: nunc autem quæ apud Platonem sit ex animi corporis ue fœcunditate de amore distinctio, declaremus. Omnium, inquit, hominum prægnans & grauidum corpus est, prægnans & animus. Corpori semina suorum omnium ab initio sunt inserta. Hinc statutis curriculis temporum dentes erumpunt, prodeunt pili, barba profunditur, procreationis semina defluunt. Si fœcundum corpus est, grauidũmq; seminibus, multo magis animus præstantior corpore uberrimus est, atq; suorum omnium ab initio semina posſidet. Igitur morum, artium, disciplinarum rationes iamdiu sortitus est animus, suosq; fœtus inde, si recte colatur, statutis temporibus promit in lucẽ. Quod autem rationes suorum omnium ingenitas habeat, ex appetitu eius, inquisitione, inuentione, iudicio, cõparatione cognoscimus. Quis neget animũ statim à tenera ætate, uera bona, honesta, utilia exoptare? optat autem nullus incognita. Ergo insunt istorum aliquæ etiam antequam appetat, in animo notiones: per quas ceu formas rationes ue ipsorum, ea iudicat appetenda. Idem ab inquisitione & inuentione probatur: si in turba hominum quærat Socrates Alcibiadem, sitq; illum aliquando reperturus, necesse est Socratis menti aliquã Alcibiadis inesse figuram, ut sciat quem hominem quærat præ cæteris, ac repertum in cœtu multorum, Alcibiadẽ ab alijs discernere ualeat. Ita neq; indagaret ea quatuor animus, neq; aliquando inueniret, nisi haberet illorum, id est Veritatis, Bonitatis, Honestatis, Vtilitatis, aliquã notionem, per quam illa quæreret inuenturus, ut quoties reperit quæ inuesti gauerat, recognoscat, atq; ab eorum discernat contrarijs. Neq; solum ab appetitu, indagatione, inuentione, sed etiam à iudicio id probamus. Quicunq; enim aliquem sibi amicum iudicat, uel inimicũ, quid amicitia, quid ue maleuolentia sit, non ignorat. Quonam igitur pacto multa uera uel falsa, bona uel mala, ut solemus, quotidie iudicaremus, & recte iudicaremus, nisi esset nobis ueritas quodammodo bonitasq; præcognita? Quomodo rursus structuræ, musicæ, picturæ & artium cæterarũ opera, necnon inuenta philosophorum, multi etiam in his artibus nõ uersati probarent sæpissime recte & reprobarent, nisi illarũ rerum forma quædam esset, et ratio illis à natura tributa? Comparatio quoq; idem nobis ostendit. Quicũq; enim mel uino comparans alterũ altero pronunciat dulcius, quis dulcis sit sapor agnoscit: & qui Speusippũ & Xenocratem conferens ad Platonem, Xenocratem censet Platonis similiorem, quàm Speusippũ, Platonis figuram proculdubio nouit. Eodem modo cum è multis bonis aliud alio melius recte existimemus, & maiori minori ue bonitatis participatione aliud alio melius deterius ue appareat: necesse est bonitatẽ nõ nos ignorare. Præterea cũ è multis diuersis philosophorũ aut etiã aliorũ opinionibus, quæ ueri sit similior & probabilior, sæpe optime iudicemus, oportet non deesse nobis aliquem ueritatis intuitũ, ut quæ sint illius similiora non nesciamus. Quapropter nõnulli in adolescẽtia, aliqui etiã sine præceptore, pleriq; ex pauciſsimis doctrinæ rudimentis à præceptoribus demonstratis doctissimi euasisse traduntur: quod nunquam nisi multum, ut diximus, iuuãte natura, fieri potuisset. Hoc abũde Socrates Phædoni, Theæteto, Menoni, pueris demonstrauit: docuitq; posse pueros recte in singulis artibus respondere, si quis prudenter eos interroget: quippe cum à natura sint artium disciplinarumq; omnium rationibus præditi.

IN ANIMA EST VERITATIS LVMEN CAP. XIII

QVO autem modo huiusmodi sint in animo rationes, apud Platonem uidetur ambiguum. Si quis eos libros sequatur, quos iunior scripsit Plato, Phædrum, Menonem & Phædonem, putabit forsitan ita ferme illas esse in animi substantia pictas tanquam in pariete figuras: quod in superioribus sæpe & à me & à uobis est tactum: sic enim ibi uidetur innuere. In sexto autem de Republica libro, diuinus ille uir totam rem aperit, dicitq; lumen esse mentis ad intelligenda omnia, eundem ipsum Deum, à quo facta sunt omnia. Solem nāq; & Deū ita inuicē comparat, ut quemadmodū se habet sol ad oculos, ita ad mentes se Deus habeat. Sol oculos generat, uimq; illis præstat uidendi. Quæ frustra esset, & sempiternis obruta tenebris, nisi solis lumen adesset corporum pictum coloribus & figuris: in quo oculus corporum colores uidet atque figuras. Neque aliud quicquam nisi lumen, oculus intuetur. Videtur tamen uaria intueri, quia lumen ipsi infusum uarijs externorū corporum formulis est ornatum. Hoc quidem lumen in corporibus reflexum, oculus percipit: ipsam uero in fonte suo lucem minime sustinet. Eodem pacto Deus animam procreat, eiq; mentem, uim ad intelligendum largitur: quæ uacua esset atq; obscura, nisi Dei sibi lumen adesset: in quo rerum omnium inspiciat rationes. Vnde per Dei lumen intelligit, atq; ipsum diuinum duntaxat lumen agnoscit. Diuersa tamen uidetur agnoscere, quia sub diuersis rerum ideis & rationibus ipsum intelligit. Quando quis oculis uidens hominem, in phantasia hominis imaginem fabricat, diutiusq; in ea iudicanda reuoluitur, mentis suæ aciem tollit ad hominis rationem in diuino lumine existētem suspiciendam: inde scintilla in mente protinus emicat: ac reuera natura ipsa hominis intelligitur, atq; de cæteris omnibus eodem pacto. Itaq; per Dei lumen omnia intelligimus, ipsum uero purum lumen eiusq; fontem hac in uita uidere non possumus. In hoc plane tota animæ consistit fœcunditas, quod in eius penetralibus lux illa Dei fulget æterna, rerum omnium rationibus ideisq; plenissima, ad quam anima quoties uult, uitæ puritate, & summa studij intentione conuertitur, conuersa scintillis emicat idearum.

VNDE AMOR ERGA MASCVLOS, VNDE ERGA fœminas. CAP. XIIII

INTA prægnans hominum corpus, ut Plato uult, prægnans & animus, & ambo amoris incitamentis stimulantur ad partum. Cæterum alij uel propter naturam, uel propter educationem ad animi fœtus sunt quàm corporis aptiores: alij & quidem plurimi, contrà. Illi cœlestem sequuntur amorem, hi uulgarem. Illi natura iccirco mares, & illos quidem iam pene adultos potius quàm fœminas, aut pueros amant: quoniam in eis magis admodum uiget mentis acumen, quod ad disciplinam, quam illi generaturi sunt, propter excellentiorem sui pulchritudinem est aptissimum. Alij contrà, propter congressus uenerei uoluptatem, & corporalis generationis effectum. Quoniā uero genitalis illa uis animi, utpote cognitionis expers, sexuum nullum habet discrimen: natura tamen sua toties incitatur ad generandum, quoties formosum corpus aliquod iudicamus: contingit plerunq; ut qui cum masculis conuersantur, quo genitalis partis stimulos sedent, illis se misceant: Hi præsertim in quorum genesi Venus in signo masculino & cum Saturno fuerit, uel in Saturni finibus, uel Saturno oppositа. Oportebat autem animaduertere genitalis partis illius incitamēta, non irritum hoc iacturæ opus, sed serendi & procreandi officium affectare, atq; à masculis ad fœminas eam traducere. Huiusmodi quodam errore nefārium scelus illud exortum putamus: quod in legibus suis Plato tanquam homicidij speciem acerrime detestatur. Quippe non minus homicida censendus est, qui hominem præripit nasciturum, quàm qui natum tollit è medio. Audacior quidem qui præsentem abrumpit uitam, crudelior autem, qui lucem inuidet nascituro, & nondum natos suos filios enecat.

SVPRA CORPVS EST ANIMA, SVPER ANIMAM angelus, super angelum Deus. CAP. XV

VERVM de gemina ubertate animæ, geminisq; amoribus hactenus. Deinceps quibus gradib. Diotima Socratem ab infimis ad superna euehit, differamus: à corpore in animam, ab anima in angelū, ab angelo reducit in Deum. Hos quatuor rerum gradus in natura esse debere ita licet argumētari. Omne corpus ab alio quodam mouetur, mouere autem seipsum natura sua non potest, quū nec agere per sequicquàm ualeat. Sed propter animæ præsentiā seipso moueri uidetur: & propter animā uiuere. Et præsente quidē anima seipsum mouet quodāmodo: absente uero, ab alio dūtaxat mouetur, utpote quod hāc ex seipso naturā nō habeat, sed anima proprie uim seipsam mouēdi possideat. Nā cuicūq; adest, uim ad seipsum mouendum impertit: quod autem ipsa sui præsentia impertit alijs, hoc ipsa multo prius magisq; debet habere. Est igitur anima supra corpora: utpote quæ seipsam secundum essentiam suam mouere queat: atq; iccirco super illa debeat esse, quæ nō ex seipsis, sed aliorum præsentia ut se moueāt assequuntur. Cum dicimus seipsa moueri animā, non transitiue

sitiue, ut ita dixerim, quemadmodum à Platone accipi uoluit Aristoteles, sed absolute uerbum illud proferimus, ut cum stare per se Deum, lucere solem per se, calere ignem asseueramus. Non enim pars animæ mouet, pars agitatur: sed tota ex se, id est sua natura mouetur: hoc est ab alio in aliud ratione discurrit, ac nutritionis, augmenti, generationis opera per interualla temporũ trãsigit. Tẽporalis ista discursio ex seipsa competit animæ: quia quod sit per eam est, non alijs momentis alia, sed uno æternitatis pũcto simul intelligit omnia. Quapropter recte primus à Platone motus, & primũ temporis interuallũ in anima ponitur: unde & motus & tempus in corpora transeunt. Quoniã uero ante motum statum esse necessariũ est, cum status sit ratione perfectior, supra motionem animæ mobilem oportet stabilẽ aliquam intelligentiam reperiri, quæ secundum se totam intelligentia sit, & actu semper intelligentia. Anima enim nõ se tota, neq; semper, sed ex quadam sui parte, & quandoq; intelligit: neq; certam habet, sed ambiguam intelligẽdi uirtutem. Vt ergo quod perfectius est, illud quod est imperfectius antecedat, supra mentem animæ, quæ mobilis est, quæ pars, quæ intermissa, quæ dubia, ponenda est angeli mens stabilis tota, continua, atq; certissima: ut quemadmodum corpori ab alio agitato, anima per se mota præcedit, ita animæ per se agitatæ mens stabilis per se præcedat. Et quemadmodũ corpus per animam habet ut sese moueat: atq; ideo non omnia corpora, sed animata spõte sua moueri uidentur: ita anima per mentem habet quòd semper intelligat. Si enim sua pte natura animæ intellectus inesset, omnibus etiam bestiarũ competeret animabus: quemadmodũ suijpsius agitãdi potestas. Non igitur animæ intellectus per se, primoq; competit: quare eam antecedat oportet, quod per se primoq; mentis est compos: huiusmodi angelus est, animis excellentior. Sed enim angeli mentem, rerum illud principium, summũq; bonum, quod in Parmenide Plato ipsum unũ uocat, necessario supereminet. Quippe super omnẽ rei compositæ multitudinẽ unũ ipsum simplex debet esse natura: ab uno enim numerus, & à simplicibus compositio tota conflatur. Mens autem illa licet immobilis sit, nõ tamen unum ipsum purũ simplex existit. Intelligit enim seipsam: ubi diuersa inter sese quoquomodo uidentur hæc tria: quod intelligit, quod intelligitur, intellectio. Alia enim ipsius ratio est, prout intelligit, prout intelligitur alia: alia item prout intellectio est. Habet præterea cognoscendi potentiam ante cognitionis actum per se prorsus informem: cognoscendo formatur, quæ intelligendo ueritatis lumen cupit & capit: quo uidetur antequam intelligeret caruisse. Habet quoq; in se idearum omnium multitudinem. Cernit quanta sit, quàm uaria in angelo multitudo atq; compositio. Itaq; ipsi purum unum & simplex præponere cogimur. Ipsi autem uni Deo nihil possumus anteponere, quia uerum unũ omnis multitudinis, omnis compositionis est expers. Quod si supra se quicquã haberet, ab illo utiq; fieret: quare ab eo dependens in hoc ipso ab eodẽ degeneraret, ut à causa omnis solet effectus. Ideoq; non unũ iam esset & simplex, sed saltem ex duobus cõpositum, scilicet ex causæ suæ munere, proprio ue defectu. Ipsum itaq; unum, ut Plato uult & Dionysius Areopagita confirmat, omnia supereminet: excellentissimũq; Dei nomen, unum ipsum ab utroq; censetur. Huius sublimitatem ratio quoq; illa nobis ostendit, quod eminentissimæ causæ donum esse debet amplissimum, uirtutisq; suæ præstantia se ad cuncta protendere. Vnius munus per uniuersa se propagat. Nam nõ mens solũ una est, & anima quælibet una, corpus quodlibet unũ, sed etiam informis ipsa materies, rerumq; priuatio una quodãmodo dicitur. Nam unum silentium dicimus, unam obscuritatem: Mortem unam. Mentis tamen & animæ munera ad eam usq; non extenduntur. Mens enim speciẽ artificiosam ordinemq; largitur: Anima uitam præstat & motum, informis uero & prima mundi materia, rerũq; priuatio speciei & uitæ est expers. Ita ipsum unum mentem & animam antecedit: cum munus eius latius diffunditur. Eadem ratione mens animam uidetur excedere: quia uita, munus animæ, non omnibus datur corporibus. Omnibus tamen his speciem ordinemq; mens tribuit.

QVAE COMPARATIO INTER DEVM, ANGELVM, animam, corpus. CAP. XVI

ERGO à corpore in animã, ab hac in angelũ, ab hoc in Deum ascendimus. Deus super æternitatẽ est: Angelus in æternitate est totus. Sanè tam eius operatio quàm essentia, stabilis permanet. Status autem æternitatis est proprius. Anima partim in æternitate est, partim in tempore. Eius enim substantia eadem semper absq; ulla incrementi aut detrimẽti mutatione perdurat. Operatio aũt, ut paulo ante monstrauimus, per temporis interualla discurrit. Corpus tẽpori omnino subijcitur. Nam & substantia eius mutatur, & operatio eius omnis temporis spaciũ exigit. Igitur ipsum unum, supra statum motum ue existit: Angelus, in statu: Anima, in statu pariter atq; motu: Corpus solo in motu locatur. Vnum rursus super numerum, motum locumq; manet: Angelus in numero super motum & locum ponitur: Anima in numero motuq;, sed super locum: Corpus numero, motui, loco subijcitur. Siquidem ipsum unum, neq; numerum ullum, aut compositionem partium habet: neq; ullo pacto ab eo quod est, mutatur: neq; loco clauditur ullo. Angelus numerũ quidem habet partium uel formarum, sed à motu locoq; est liber. Anima partium habet & affectuum multitudinẽ, & ratiocinationis progressione, perturbationumq; uarietate mutatur: sed à loci limitibus est exempta. Corpus autem his omnibus est obnoxium.

QVAE

QVAE COMPARATIO INTER PVLCHRITVDINES Dei, Angeli, Animæ, corporis. CAP. XVII

EADEM uero inter quatuor hæc, & eorum formas est comparatio. Nempe corporis forma in multarũ partium cõpositione consistit, loco astringitur, tempore labitur. Species animi, temporis quidem uicissitudines patitur, & partium continet multitudinẽ, sed à loci terminis est absoluta. Angeli uero species, numerũ habet solum, à duobus alijs immunis existit. Dei autẽ, nihil istorũ perpetitur. Corporis utiq; formam uides. Vis' ne animi quoq; speciem intueri? Detrahe corporali formæ ipsius naturæ pondus, limitesq; locorũ, relinque cætera: animi iam speciem habes. Vis & angeli? De me obsecro non loci spatia solum, sed temporis quoq; progressum, compositionem multiplicem retine, eam protinus nanciscêris. Cupis etiam Dei pulchritudinẽ cernere? Auferas insuper multiplicem illam formarum compositionem: simplicem prorsus relinque formam, confestim Dei speciem fueris consecutus. Verum quid mihi tandem subtractis istis reliquum supererit? An tu esse aliud quàm lucem, pulchritudinem ducis? Porrò corporũ omnium pulchritudo lumen istud est solis quod uides, tribus illis infectum: formarum multitudine, (Nam multis id aspicis figuris coloribusq; depictum) loci spatio, temporali mutatione. Tolle sedem eius in materia, ut præter locum reliqua duo retineat: huiusmodi prorsus est animi pulchritudo. Tolle hinc temporis, si lubet, mutationẽ, mitte reliquum: lumen restat sine loco, sine motu clarissimum: sed omnibus insculptum rerum omnium rationibus. Id angelus est, id angeli pulchritudo. Tolle postremo diuersarum illum numerum idearum, unam simplicem ac meram relinque lucem: instar lucis eius, quæ in globo solis ipso permanet, per aerem non dispergitur: iam Dei pulchritudinem quodammodo comprehendis: quæ tantum saltem formas reliquas antecellit, quantum lux illa solis in seipsa mera, una, inuiolata, splendorem solis per nubiloſum aera disiectũ, diuisum, infectum, obscuratũ exuperat. Fons itaq; totius pulchritudinis Deus est. Fons itaq; totius amoris est Deus. Lumen præterea solis in aqua umbra quædam est ad clarius eiusdem lumen in aere. Splendor in aere, umbra similiter ad eiusdem in igne fulgorem. Fulgor in igne, umbra ad lucem solis eodẽ ipso in sole fulgentẽ. Eadem est inter quatuor illas, corporis, animi, angeli, Dei, pulchritudines cõparatio. Deus nunquam ita decipitur, ut suæ speciei umbram in angelo amet quidẽ: propriam sui ac ueram negligat pulchritudinẽ. Neq; angelus usqueadeo capitur animæ specie quæ ipsius est umbra, ut sui umbra detentus figurã propriam deserat. Anima tamen nostra, quod summopere dolendum est: hæc enim est totius nostræ infelicitatis origo: Anima, inquam sola ita corporalis formæ blanditijs delinitur, ut propriam posthabeat speciem: corporis uero formam, quæ suæ umbra est, suijpsius oblita sectetur. Hinc crudelissimum illud apud Orpheum Narcissi fatum. Hinc hominum miseranda calamitas. Narcissus quidem adolescens, id est, temerarij & imperiti hominis animus, sui uultum non aspicit: propriam sui substantiam, & uirtutem nequaquam animaduertit: sed eius umbram in aqua prosequitur, & amplecti conatur: id est, pulchritudinem in fragili corpore, & instar aquæ fluenti, quæ ipsius animi umbra est, admiratur. Suam quidem figuram deserit, umbram nunquam assequitur: quoniam animus corpus sectando se negligit, & usu corporis non impletur. Non enim ipsum reuera appetit corpus: sed suijpsius speciem, à corporali forma, quæ speciei suæ imago est, illectus, quemadmodum Narcissus affectat: cumq; id minime aduertat, dum aliud quidem cupit, aliud sequitur, desiderium suum explere nõ potest. Ideo in lachrymas resolutus consumitur, id est, animus ita extra se positus & delapsus in corpus, pernicioſis perturbationibus cruciatur: corporisq; infectus sordibus quasi moritur: cũ iam corpus esse potius quàm animus uideatur. Quam utiq; mortem ut Socrates deuitaret, Diotima ipsum à corpore ad animum, ab hoc in angelum, ab eo reduxit in Deum.

QVOMODO ANIMA A CORPORIS PVLCHRITVDIne ad Dei pulchritudinem eleuetur. CAP. XVIII

AGITE conuiuæ charissimi, Diotimam fingite ita Socratem alloquentem. Nullum corpus ô Socrates, undiq; pulchrum. Nam aut in hac parte formoſum, illa deforme: aut hodie formoſum, aliâs minime: aut ab alio pulchrũ, ab alio turpe censetur. Ergo corporis pulchritudo turpitudinis contagione coinquinata, pura, uera, & prima pulchritudo esse non potest. Quinetiã pulchritudinẽ turpem esse nemo aliquando suspicatur: quemadmodũ neq; sapientiam esse insipientẽ: Corporum uero dispositionẽ quandoq; speciosam, quandoq; turpem putamus: eodemq; tempore de illa alij aliter sentiũt. Nõ igitur prima et uera est in corporibus pulchritudo. Adde quod multa corpora, uno pulchritudinis uocãtur cognomine. Vna igitur est in corporibus multis pulchritudinis natura communis, per quam similiter pulchra denominantur. Vnam uero naturã huiusmodi, sicut in alio est, id est in materia, sic ab alio dependere putato. Quod enim in seipso sustentari non potest, multo minus à seipso dependere. Nunquid à materia dependebit? minime. Nihil enim deforme & imperfectum seipsum ornare potest atque perficere. Quod autem unum est, ab uno debet oriri.

Quapro-

Quapropter una multorũ corporum pulchritudo ab uno aliquo incorporali pendet artifice. Artifex unus omniũ Deus est, qui per angelos atq; animas pulchram quotidie reddit omnem mundi materiam. Propterea ueram illam pulchritudinis rationẽ in Deo eiusq; ministris potius, quàm in mundi corpore reperiri putandum. Ad eam rursus his gradibus facile, ut arbitror, ascẽdes ô Socrates. Si oculos tibi lynceos natura dedisset mi Socrates, ut aspectu quælibet occurrentia penetrares: formosissimum illud extrinsecus Alcibiadis tui corpus tibi turpissimum uideretur. Quantum est quod amas amice? Superficies duntaxat, immo color te rapit: immo quædam reflexio luminum, & umbra leuissima. Seu te uana imaginatio decipit: ita quod somnias potius quàm quod uides, amas. Cæterum ne tibi uideat penitus aduersari, sit sane Alcibiades iste formosus. At enim quota parte formosus? omnib. profecto membris præterquam naso simo, & elatioribus quàm deceat supercilijs. Hæc tamen in Phædro speciosa sunt. Sed crurum in eo crassitudo non placet. Decora hæc apud Charmidem, nisi gracile te collum offenderet. Ita si homines singulos obseruabis, nullum ex omni parte laudabis. Quicquid ubiq; rectum est, colliges: figuram apud te integram ex obseruatione omnium fabricabis: ut absoluta humani generis pulchritudo, quæ in multis reperitur sparsa corporibus, in animo tuo sit unius imaginis cogitatione collecta. Cuiusq; hominis figuram paruipendes ô Socrates, si ad istam contuleris. Istam uero non tam corporum, quàm animi tui beneficio possides. Itaq; istam potius quam tuus animus fabricauit, & animum ipsum eius artificem, quàm exteriorem illam mancam, dispersamq; amato. Quid autem in animo amare te iubeo? animi pulchritudinem. Lux autem est pulchritudo corporum: lux est animi pulchritudo: lux animi ueritas: quam solam amicus tuus Plato in uotis suis à deo postulare uidetur. Da mihi, inquit, Deus ut meus animus pulcher efficiatur: & quæ ad corpus attinent, animi pulchritudinem non impediant: solum sapientem diuitem putem. In his Plato declarat pulchritudinem animæ in ueritate sapientiaq; consistere: eam à Deo hominibus tribui. Veritas una est, & eadem nobis à Deo tributa: in uarijs eius affectibus uarierum uirtutum cognomenta sortitur. prout diuina demonstrat sapientia, quam à Deo præ cæteris Plato poposcit: prout naturalia, scientia: ut humana, prudentia: ut æquos facit, iustitia: ut inuictos, fortitudo: ut tranquillos, dicitur temperantia. Ex his duo uirtutum genera numerantur. Morales, inquam, uirtutes, et intellectiuæ illis præstãtiores. Intellectiuæ sunt, Sapientia, Sciẽtia, Prudentia: Morales, Iustitia, Fortitudo, & Tẽperãtia. Morales propter operationes earum ciuiliaq; officia notiores sunt: Intellectiuæ propter reconditã ueritatem occultiores. Præterea qui honestis moribus educatur, utpote purior alijs facile ad intellectiuas uirtutes erigitur. Ideo pulchritudinem animi quæ consistit in moribus primam considerare te iubeo, ut intelligas unam esse morum omnium rationem: per quam similiter honesti uocantur. Vnam scilicet uitæ purissimæ ueritatẽ: quæ Iustitiæ, Fortitudinis, Temperantiæ actionibus, ad ueram nos perducit felicitatem. Vnam igitur hanc ueritatem morum, lucemq; animi speciosissimam primam diligito. Scito quinetiam supra mores ad sapientiæ, scientiæ, prudentiæ lucidissimam ueritatem te protinus ascensurum: si considerabis hæc animo optimis moribus educato concedi, atq; in eis normam moralis uitæ rectissimam contineri. Quamuis autem uarias Sapientiæ, Scientiæ, Prudentiæq; doctrinas contuearis: in cunctis tamen unicam esse ueritatis lucem existimato: per quam omnes pulchræ similiter appellantur. Eam tibi utpote supremam animi pulchritudinem summopere amare præcipio. Sed enim una hæc in doctrinis plurimis ueritas, primo omnium ueritas ideo esse nequit, quoniam in alio est, quum sit in multis distributa doctrinis. Quicquid autem iacet in alio, ab alio certe dependet. Neq; tamen ueritas una à doctrinarũ multitudine nascitur. Quod enim unum est, ab uno debet oriri. Quare oportet unam quandam esse super animam hominis sapientiam, quæ nõ per diuersas sit diuisa doctrinas, sed una sapientia sit: à cuius unica ueritate ueritas hominum multiplex oriatur. Illam ô Socrates, unicam unicæ sapientiæ lucem, angeli pulchritudinem esse memento, quæ tibi super animi speciem sit colenda. Ea ut in superioribus demonstrauimus, corporum speciem antecellit: quia neq; loco astringitur, neq; secundum materiæ partes diuiditur, neq; corrumpitur. Antecellit & animi speciem, quia æterna est penitus, neq; temporali discursione mouetur. Quoniam uero angeli lux in idearum complurium serie micat, ac supra multitudinem omnem unitas sit oportet, quæ est numeri totius origo: necesse est eam ab uno rerum omniũ principio, quod ipsum unum uocamus, effluere. Ipsius itaq; unius lux penitus simplicissima infinita pulchritudo est: quia nec materiæ sordibus inquinatur, ut corporis species: neq; ut animi forma temporali progressione mutatur, neq; ut angeli species multitudine dissipatur. Omnis autem qualitas ab extraneo additamento secreta, dicitur apud Physicos infinita. Si in seipso sit calor, frigore & humore non impeditus, materiæ pondere non grauatus, calor dicitur infinitus, quia uis eius libera est, neq; ullis additionis limitibus coarctatur. Similiter lumen ab omni corpore liberũ infinitum: nam sine modo ac termino lucet, quod natura lucet sua, quãdo ab illo minime terminatur. Itaq; Dei lux & pulchritudo, quæ mera est, prorsus ab alijs omnibus absoluta, absq; dubio infinita dicitur pulchritudo. Infinita uero pulchritudo immensum quoq; requirit amorem. Quapropter te obsecro Socrates, ut certo quodam modo et termino cætera diligas. Deum uero amore diligas infinito, neq; ullus diuino modus adsit amori.

QVO=

QVOMODO DEVS AMANDVS CAP. XXI

HAEC Diotima Socrati. Nos autem uiri clariſsimi non ſolum ſine modo Deum, ut iubere Dioti= ma fingitur, ſed Deum ſolum amabimus. Ita enim mens ad deum, ut ad ſolem acies oculorum. Oculus autem non modo lumen præ cæteris, ſed ſolum appetit lumen. Si corpora, ſi animos, ſi angelos diligemus, non hæc quidem, ſed Deum in his amabimus. In corporibus quidē Dei umbram, in animis Dei ſimilitudinem, in angelis eiuſdem imaginē. Ita Deum ad præſens in omnibus diligemus, ut in Deo tandem omnia diligamus: Nam ita uiuentes eò proficiſcemur, ut & Deum & in Deo omnia uideamus, amemuſq; & ipſum, & quæ in ipſo ſunt omnia. Et quiſquis hoc in tempore ſeſe Deo charitate deuouerit, ſe deniq; recuperabit in Deo. Nempe ad ſuam, per quam creatus eſt, redibit ideā: ibi rurſus, ſi quid ipſi defuerit, reforma= bitur: ideæ ſuæ perpetuo cohærebit. Verus autem homo et idea hominis, idem. Ideo quiſq; noſtrum in terris à Deo ſeparatus, non uerus eſt homo, cum à ſui idea ſit formaq; diſiunctus: ad eam nos diuinus amor, pietaſq; perducit: cum hic diſcerpti ſimus & mutilati. Ideæ tunc noſtræ amando coniuncti, integri homines euademus: ut Deum primo in rebus coluiſſe uideamur, quo res deinde in Deo colamus, resq; in Deo ideo uenerari, ut nos ipſos præ cæteris amplectamur, & amando Deum nos ipſos uideamur amauiſſe.

ORATIO SEPTIMA

CONCLVSIO SVPRADICTORVM, ET OPINIO GVIDO= nis Caualcantis philoſophi. CAP. I

POSTREMO Chriſtophorus Marſupinus uir humaniſsimus, Alcibiadis perſonam geſturus, his ad me uerbis conuertitur. Gratulor equidem Marſili Ioannis tui familiæ plurimū: quæ inter multos & doctrina & rebus geſtis clariſsimos equites Guidonē philoſophū peperit de repub. benemeritū, & aculeis dialecticæ cunctis ſuo ſeculo præcellentem: qui hunc amorem Socraticum tam moribus quàm carminibus imitatus, breui quæcūq; à uobis ſunt dicta, perſtrinxit. Phædrus enim amoris originem tetigit ex chaos uiſceribus emanantē. Pauſanias iam natum amorē geminam diuiſit in ſpeciem, cœleſtem ſcilicet & uulgarem. Eryximachus eius aperuit amplitudinem, dum cunctis in rebus eum ſic ineſſe monſtraret in partes geminas diſtributum. Ariſtophanes quid agat in ſingulis tam ampliſsimi Dei præſentia, declarauit, oſtendēs per hūc fractos homines reſarciri. Agatho quāta ſit eius uirtus, potentiaq; tractauit, cum ab eo ſolo beatos fieri homines diſputaret. Socrates tandē à Diotima edoctus, ſummatim quid ſit amor, & qualis, & unde ortus, quot habeat partes, quorſum tēdat, & quantū ualeat, explicauit. Guido Caualcātes philoſophus, omnia hæc artificioſiſsime uidetur carminibus ſuis inſeruiſſe. Quemadmodū ſolis radio ſpeculū modo quodā percuſſum ſplendet iterum, & proxime ſibi appoſitā lanam reflexione illa ſplendoris inflammat: ita ille partē animæ, quam obſcuram phantaſiā uocant, atq; memoriam ceu ſpeculum, pulchritudinis ipſius ſolis locum habentis ſimulachro tanquā radio quodam per oculos hauſto cenſet ita pulſari, ut ipſa ſibi ex illo alterum effingat ſimulacrum, quaſi ſimulacri primi ſplendorē: quo appetendi uis non aliter quàm lana accendatur & amet. Addit amorem hunc primum in appetitu ſenſus accenſum à forma corporis per oculos inſpecta creari: ſed eam ipſam formam nō eo modo, quo in corporis materia eſt, in phantaſiā imprimi, ſed ſine materia: ita tamen ut certi cuiuſdam hominis ſignato in loco & tēpore poſiti ſit imago. Rurſus imaginis huiuſmodi ſpeciem aliquam ſtatim in mente lucere: quæ nō amplius unius cuiuſdam humani corporis ut erat in phātaſia, uideatur eſſe ſimilitudo: ſed totius æque generis humani ratio cōmunis & deſinitio. Itaq; ſicut ex phantaſiæ imagine à corpore ſumpta, in appetitu ſenſus corpori dedito amor ad ſenſum procliuis exoritur: ita ex hac mentis ſpecie rationeq; cōmuni, tāquam à corpore remotiſsima, amor alius in uoluntate naſcitur à commercio corporis alieniſsimus. Illum in uoluptate, hunc in contemplatione locauit. Illum circa particularē corporis unius formam reuolui putat, hunc circa uniuerſalem totius humani generis pulchritudinem. Hos utiq; amores ſibijpſis in homine repugnare, & illum deorſum ad ferinam & uoluptuoſam depellere, hunc ſurſum ad angelicam uitam contemplatiuamq; attollere: hunc abſq; perturbatione uult eſſe, & in paucis reperiri: illum multis paſsionibus anxium, ac plurimos occupare. Ideo iſtum paucis uerbis abſoluit, in alterius paſsionibus enarrandis prolixior. Quoniam uero eadem apertiſsime, quæ & uos in ſuperioribus narrauiſtis, hic explicat: ea in præſentia recenſere opus eſſe non cenſui. Verū cognouiſſe ſufficiat philoſophū hūc aliquā chaos informitatē, qualē ſupra uos poſuiſtis, in amoris procreatione miſcuiſſe, dum diceret obſcuram phantaſiam illuminari: atq; ex illius obſcuritatis & huius luminis mixtione, amorem originem ducere. Amorem præterea geminum illum cœleſtem atq; uulgarem quis in eius uerbis non uideat? Originem quinetiam illius primam in diuinorum, ſecundam in corporum collocat pulchritudine. Solem namq;, Dei lucem: radium, corporum formam intelligit. Finem poſtremo ſuum uult eiuſdem principijs reſpondere: dum alios uſq; ad formam corporis, alios uſq; ad Dei ſpeciem amoris prouehit inſtigatio.

SOC=

SOCRATES FVIT VERVS AMATOR ET CVPIdini similis. CAP. II

DE amore hactenus. Ad Alcibiadem & Socratem ueniamus. Postquã cõuiuae satis amantium deum laudauerant, reliquum erat ut dei huius cultores legitimi laudarentur. Maxime omniũ legitime amasse Socrates ab omnibus perhibetur. Is cum per omnẽ uitam palàm sine ulla prorsus dissimulatione in castris Cupidinis militasset, à nullis unquam notatus est quasi minus honeste quẽquam dilexerit. Huic uitæ seueritas & alienorum scelerũ correptio frequens, multos & magnos uiros, ut solet ueritas, infensos reddiderat, Anytum, Melitũ, Lyconem præsertim ciues in repub. potentissimos: Thrasymachum, Polium & Calliã oratores. Aristophanem præterea comicũ acerrimũ habuit insectatorẽ. Sed neq; ciues illi in accusatiõe, qua Socratẽ in iudiciũ traxere, inhonestos amores iscripserũt: neq; oratores eius hostes tale quicquam Socrati obiecere: neq; Aristophanes Comicus, licet alia multa & absurda in Dionysijs colligat in Socratem maledicta. An censetis eum si tam fœda se labe coinquinasset, imò nisi fuisset ab huius criminis suspicione remotissimus, uenenosas talium detractorum linguas euasurum fuisse? Nunquid optimi uiri illud in superioribus animaduertistis, quòd dum Plato ipsum fingit Amorem, Socratis omnẽ pingit effigiem, ac numinis illius figuram ex Socratis persona describit, quasi uerus amor, ac Socrates simillimi sint, atq; ideo ille præ cæteris uerus sit legitimusq; amator? Agite iam Amoris picturam in animũ reuocate. Videbitis in ea Socratẽ figuratum. Socratis personã ante oculos ponite. Macilentum, aridum, squalidumq; nidebitis: hominẽ scilicet natura melancholicũ ut fertur, atq; hirsutũ. Extenuatum inedia. Incuria sordidum. Nudum præterea, id est simplici & ueteri opertum palliolo. Sine calceis incedentem. Ita semper solitum incedere Socratem apud Platonem Phædrus ostendit. Humilem perq; infima uolantem. Humi semper Socratis defixus erat aspectus, ut ait Phædo. Loca insuper uilia frequentabat: aut enim in Simonis coriarij, aut in sculptorũ officinis obuersabatur. Rusticis & incomptis utebatur uocabulis: quod illi obijcit Calicles in Gorgia. Adeo præterea mitis, ut multis lacessitus iniurijs, sæpe etiã pulsatus, ne cõmotus quidẽ animo fuisse tradatur. Sine domicilio. Interrogatus Socrates cuiâs esset: Mundanus inquit. Ibi enim patria, ubi bonũ. Sed neq; huic proprij lares, neq; mollis lectus, neq; delicatus uictus, neq; speciosa supellex. Ad fores in uia sub diuo dormiẽs. Hæc apertũ pectus & cor patens omnibus in Socrate nostro significant. Præterea quòd & uisu delectabatur atq; auditu, quæ fores animi sunt: quòd etiam securus & intrepidus incedebat, iacebatq; etiã si oportuisset pallio obuolutus ubiq;. Semper egenus. Quis nesciat Socratem sculptoris & obstetricis fuisse filium? & usq; ad senectutem in sculpendis lapidibus manu propria uictum quæsisse, nec habuisse unquam unde se satis & filios aleret? Hic inopiã suæ mentis passim confitebatur, interrogans omnes, nihil scire se prædicans. Virilis: erat enim constantis animi, in uictæq; sententiæ, qui etiam Archelaum Macedonem, & Scopam Cranonium, Eurilochumq; Larissẽũ aspernatus est alto animo: cum ab eis missas pecunias non acceperit: neq; ipse ad eos uoluit proficisci. Audax, feroxq;. Quanta eius fuerit in rebus bellicis fortitudo, Alcibiades in conuiuio explicat copiosissime: cui Socrates cum in Potidea uicisset, uictoriã sponte dicitur concessisse. Vehemens: erat quippe ut recte Zopyrus Physionomus iudicauerat, concitatissimus. Sæpe uero inter loquendum agente id orationis uehementia iactare digitos solebat, et crines uellere. Facundus. Huic rationes in utranq; partem ferme pares dum differeret, suppetebãt. Hic licet incõptis uerbis uteretur, ut in cõuiuio Alcibiades ait, magis tamen quàm Themistocles & Pericles, omnesq; cæteri oratores audientiũ animos cõmouebat. Pulchris & bonis insidiatur. Insidiatum sibi semper fuisse Socratem Alcibiades inquit. eorum quippe qui honesta indole præditi uidebantur, amore captus, eosdem rationibus suis ad Philosophiæ studia Socrates capiebat. Callidus sagaxq; Venator. Socratem uenari solitum ex corporis forma diuinam speciem, in superioribus satis est dictum: & in Protagora Plato testatur. Machinator. Multis modis, ut indicant Platonis dialogi, sophistas confutabat: adolescentes exhortabatur, modestos uiros erudiebat. Prudentiæ studiosus. Fuit enim tanta prudentia, & in præsagiendo tam perspicax: ut quisquis contra eius consilium quicquam auderet, perderetur. quod in Theage à Platone narratur. Per omnem uitam philosophans. Hic in sua illa apud iudices defensione iudicibus edixit, si ea conditione eum morte absoluerent, ut nunquam postea philosophetur, se mori malle quàm philosophari desinere. Incantator, fascinator, ueneficus atque sophista. Nam Alcibiades ait se magis Socraticis uerbis quàm Marsiæ Olympiq; excellentium musicorum melodia mulceri. Dæmonem uero illi fuisse familiarem, & accusatores sui & amici testantur. Sophistam quoq; Socratem Aristophanes comicus appellauit, atq; etiam sui accusatores. Quippe cui æqua esset hortandi & dehortandi facultas. Inter sapientiam & insciti am medius. Cum omnes homines ignorantes sint, inquit Socrates, hoc ego tantum à cæteris differo, quòd meam ignorantiam non ignoro: cum alij prorsus ignorent. Ita erit inter sapientiam & ignorãtiam medius: quia licet res ipsas nesciret, suam tamẽ ignorantiam cognoscebat. Quas ob res Socratem amori simillimum ideoq; uerissimum amatorẽ post amorẽ ipsum laudandum Alcibiades iudicauit, ut in eius laude intelligamus omnes qui similiter amant, esse laudatos. Quæ Socratis laudes sint hic audistis, & in Platonis uerbis Alcibiadis ore patent clarissime: quo etiam pacto amabat Socrates cognoscere potest qui Diotimæ doctrinæ meminerit. Ita enim amauit Socrates, ut suprà Diotima docuit.

DE AMORE FERINO, QVOD INSANIAE *ſpecies eſt.* CAP. III

VERVM *interroget forte quiſpiam: Quid hominum generi Socraticus amor iſte conducat: cur tantis ſit laudibus celebrandus, quid obſit contrarius. Dicam equidem altius aliquanto exorſus. Plato noſter furorem in Phædro mentis alienationem definit. Alienationis autem duo genera tradit. Alteram ab humanis morbis, alteram à deo prouenire exiſtimat. Inſaniam illam: hãc diuinum furorem nuncupat. Inſaniæ morbo infra hominis ſpeciem homo deijcitur: & ex homine brutum quodammodo redditur. Inſaniæ duo ſunt genera. Vnum cerebri, alterum cordis uitio naſcitur. Cerebrũ ſæpe aduſta bili, ſæpe ſanguine aduſto, nonnunquam atra bili nimium occupatur. hinc dementes homines quandoq; reddũntur. Qui aduſta bili uexantur: uel à nemine laceſſiti uehementiſsime iraſcuntur: alte uociferantur: in obuios irruunt: ſeipſos & alios cædunt. Qui ſanguine aduſto laborant, effuſos nimium in riſus prorũpunt: præter omnium conſuetudinem ſe iactant: mirabilia de ſe pollicentur: cantu geſtiunt, exultantq; tripudio, Qui bili premũtur atra, mœrent perpetuo: ipſi ſibi ſomnia fingunt, quæ uel præſentia expaueſcant, uel futura formident. Atq; hæ quidem tres inſaniæ ſpecies cerebri fiunt defectu. Quando enim humores illi retinentur in corde, anguſtiam & ſolicitudinem pariunt, non dementiam: tunc uero amentiam, quando caput oppreſſerint. ideo cerebri uitio dicuntur contingere. Cordis autem morbo eam proprie inſaniam fieri arbitramur, qua affliguntur hi qui perdite amant. His falſo ſacratiſsimum nomen amoris tribuitur. Verum ne forte nimis contra multos ſapere uideamur, diſpoſitionis gratia nos etiam nomine ad iſtos utamur.*

AMOR VVLGARIS EST FASCINATIO *quædam.* Cap. IIII

VOS *autem aurium, ac mentis intentionem dicendis accommodate. Sanguis in adoleſcentia ſubtilis eſt, clarus, calidus atq; dulcis. Procedente enim ætate ſubtilioribus partibus reſolutis, fit craſsior: propterea fit & obſcurior. Nempe quod tenue rarumq; eſt, purum eſt atq; perlucidum: contrarium uero contrà. Cur calidus atq; dulcis? quia uita, & uiuendi initium, ipſa ſcilicet generatio, in calore & humore conſiſtit, ac ſemen prima uiuentium genitura calidum eſt & humidum: natura talis in pueritia & adoleſcentia uiget. In ſequentibus ætatibus paulatim in contrarias qualitates ſiccitatem & frigiditatem neceſſario permutatur. Ideo ſanguis in adoleſcente ſubtilis eſt, clarus, calidus atq; dulcis: quia ſubtilis, clarus: quia recens, calidus atque humidus: quia calidus & humidus eſt, ideo dulcis eſſe uidetur. Dulcedo enim fit in calidi & humidi mixtione. Quorſum hæc? nempe ut intelligatis ſpiritus in hac ætate ſubtiles & claros, eſſe calidos atq; dulces. Hi enim cum à cordis calore ex puriori ſanguine generentur, tales in nobis ſunt ſemper, qualis eſt & ſanguinis humor. Quemadmodum uero ſpirituum uapor huiuſmodi creatur ex ſanguine: ita & ipſe ſimiles ſibi radios per oculos quaſi uitreas feneſtras emittit. Atq; etiam ſicut cor mundi ſol ſuo circuitu lumẽ, perq; lumen uirtutes ſuas ad inferiora demittit: ſic corporis noſtri cor, motu ſuo quodam perpetuo proximum ſibi ſanguinem agitans ex eo ſpiritus in totum corpus, perq; illos luminum ſcintillas, per membra diffundit quidem ſingula, per oculos autem maxime. Ad altiſsimas quippe corporis partes ſpiritus maxime cum ſit leuiſsimus euolat: eiusq; lumen per oculos cum ipſi perſpicui ſint atq; omnium partium nitidiſsimi, uberius emicat. Ineſſe uero oculis & cerebro lumẽ aliquod licet exiguũ, animalia multa quæ noctu uident teſtimonio eſſe poſſunt, quorum in tenebris coruſcãt oculi. Ac etiam ſi quis certo quodammodo oculi angulum digito preſſerit, contorſeritq;, circulum quendam uidetur intra ſe lucidum intueri. Fertur & diuus Auguſtus oculos adeo claros & nitidos habuiſſe, ut cum acrius quẽquam intueretur, cogeret eum quaſi ad ſolis fulgorem uultum ſubmittere. Tiberius quoq; prægrandibus fuiſſe oculis traditur, & qui quod mirum eſſet, noctu etiam & in tenebris uiderent: ſed ad breue, & cum primo è ſomno patuiſſent. deinde rurſus hebeſcebant. Quod autem radius emiſſus ab oculis uaporem ſecum ſpiritualem trahat, & uaporis ſanguinem, ex eo perſpicimus quòd lippi & rubentes oculi ſpectantis proxime oculos radij ſui emiſsione cogũt morbo ſimili laborare. Vbi apparet & radium uſq; ad obuium illum protendi, & cum radio unà uaporem corrupti ſanguinis emanare: cuius contagione oculus ſpectantis inficitur. Scribit Ariſtoteles mulieres quando ſanguis menſtruus defluit, intuitu ſuo ſpeculũ ſanguineis guttis ſæpe fœdare. Quod ex eo fieri arbitror, quia ſpiritus qui uapor ſanguinis ẽ, ſanguis quidã tenuiſsimus uidetur eſſe, adeo ut aſpectũ effugiat oculorũ: ſed ĩ ſpeculi ſuperficie factus craſsior, clare perſpicitur. Hic ſi in rariorem materiam aliquã ceu pannũ, aut linũ incidat, ideo nõ uidetur, quia in ſuperficie rei illius non reſtat, ſed penetrat. Si in denſam quidem, ſed aſperam, ſicut ſaxa, lateres, et ſimilia, corporis illius inæqualitate diſſipatur & frangitur. Speculum autem propter duriciem ſiſtit in ſuperficie ſpiritum: propter æqualitatem, lenitatemq; ſeruat infractum: propter nitorem, ſpiritus ipſius radium iuuat & auget: propter frigiditatem rariſsimam illius nebulam cogit in guttulas. Eadem ferme ratione quoties hiantibus faucib. obnixe anhelamus in uitrũ,*

eius

eius faciem tenuissimo quodam saliuæ rore cõspergimus: siquidem halitus à saliua euolans, in ea materia cõpressus relabitur in saliuam. Ergo quid mirum si patefactus oculus & intẽtus in aliquem, radiorũ suorum aculeos in adstãtis oculos iaculatur? atq; etiam cum aculeis istis, qui spirituum uehicula sunt, sanguincum uaporem illum, quẽ spiritum nuncupamus, intendit? Hinc uirulentus aculeus transuerberat oculos: cumq; à corde percutientis mittatur, hominis perculsi præcordia, quasi regionẽ propriã repetit: cor uulnerat: inq; eius duriori dorso hebescit, reditq; in sanguinem. Peregrinus hic sanguis à saucij hominis natura quodammodo alienus, sanguinem eius proprium inficit: infectus sanguis ægrotat. Hinc duplex sequitur fascinatio. Aspectus fœtidi senis, & mulieris mẽstrua patiẽtis, puerum fascinat. Aspectus adolescentis fascinat seniorem. Quoniam uero senioris humor frigidus est atq; tardissimus, uix dorsum cordis attingit in puero: & ineptus ad transitum, cor nisi propter infantiam sit mollissimum, parum admodum commouet. Hæc ideo leuis fascinatio est: illa uero grauissima, per quam iunior transfigit præcordia senioris. Hoc illud est amici optimi de quo Platonicus Apuleius conqueritur. Causa, inquit, omnis & origo præsentis huius doloris, etiam medela ipsa, & salus unica mihi tute ipse es. Isti enim tui oculi per meos oculos ad intima delapsi præcordia, acerrimum meis medullis commouent incendium. Ergo miserere tua causa pereuntis. Ponite obsecro ante oculos Phædrum Myrrhinusium, & Thebanum illum eius amore captum Lysiam oratorem. Lysias in Phædri uultum inhiat: Phædrus in oculos Lysiæ scintillas suorum defigit oculorum, cumq; scintillis unà transmittit & spiritum, Radius Phædri radio Lysiæ facile copulatur: spiritui quoq; facile iungitur spiritus. Vapor huiusmodi à Phædri corde genitus Lysiæ statim petit præcordia: quorum hebetudine fit compactior, & in priorẽ Phædri relabitur sanguinem: ita ut Phædri sanguis, quod mirum est, iam in corde sit Lysiæ. Hinc ad clamorẽ confestim prorumpit uterq;: Lysias ad Phædrum: Cor meum Phædre, charissima uiscera: Phædrus ad Lysiam: O spiritus meus, ô meus sanguis Lysia. Sequitur Phædrus Lysiam, quia cor suum poscit humorem. Sectatur Phædrũ Lysias, quia sanguineus humor uas proprium postulat, suam exigit sedem. Verum Lysias Phædrum sectatur ardentius. Facilius enim cor sine minima humoris sui particula quàm humor ipse sine corde proprio uiuit. Riuus fonte magis quàm fons riuulo indiget. Igitur ut ferrum qualitate magnetis accepta, ad lapidem hunc trahitur quidem, lapidem uero non attrahit: ita Lysias Phædrum magis quàm Phædrus Lysiam sequitur.

QVAM FACILE AMORE IRRETIAMVR. Cap. V

AN potest dixerit quispiam, tenuis radius, leuissimus spiritus, pauculus sanguis Phædri, tam cito, tam uehementer, tam pernicioſe totum Lysiam inquinare? Hoc utiq; mirum non uidebitur si cæteros morbos, qui contagione nascuntur, cõsidcrabitis, si pruritũ, si scabiẽ, si lepram, pleuresim, phthisim, dysenteriam, lippitudinẽ, epidimiã. Amatoria uero cõtagio facile fit, & grauissima omnium pestis euadit. Quippe spiritualis uapor ille sanguisq; ab adolescẽte seniore prorsus iniectus, quatuor habet ut suprà diximus qualitates. Clarus est, subtilis, calidus atq; dulcis. Quia clarus, oculorũ & spirituũ claritati in seniore maxime consonat, blanditur & allicit: quo fit ut auide ab illis hauriatur. Quia subtilis, celerrime cõuolat in præcordia: inde facillime per uenas & arterias in corpus permanat uniuersum. Quia calidus, uehementer agit & mouet, et fortius senioris sanguinẽ inficit, cumq; in suã cõuertit naturã. quod Lucretius ita tetigit:

Hinc in te primum Veneris dulcedinis in cor
Stillauit gutta: & successit frigida cura.

Præterea quia dulcis, fouet uiscera quodã modo, pascit atq; oblectat. hinc fit ut totus uiri sanguis in iuuenilis sanguinis naturã mutatus, iunioris illius appetat corpus, quo suas uenas inhabitet, & recẽtis sanguinis humor, uenas quoq; recentes & teneras illabatur. Fit etiam ut uoluptate simul & dolore æger hic tangatur. Voluptate propter uaporis illius, & sanguinis claritatẽ atq; dulcedinem. Illa siquidem allicit, hæc oblectat. Dolore propter eius subtilitatem atq; calorem. illa quippe uiscera diuidit & discerpit: hic homini quod suum est aufert, & in alterius mutat naturam. per quam sane mutationem cum in se quiescere non permittit: sed ad eum semper à quo infectus est trahit. Hoc ita Lucretius innuit.

Idq; petit corpus mens unde est saucia amore.
Nanq; omnes plerunq; cadunt in uulnus: & illam
Emicat in partem sanguis unde icimur ictu.
Et si comminus est hostem ruber occupat humor.

In his carminibus Lucretius non aliter uult sanguinem hominis oculorũ radio uulnerati in uulnerantem prolabi, quàm hominis gladio cæsi sanguis prolabitur in cædentẽ. Huius, ut ita dicam, miraculi si rationem requiritis afferam. Vulnerat Hector Patroclum, ac perimit. Patroclus Hectorem inspicit uulnerãtem. Vnde eius cogitatio iudicat ulciscendum. confestim ad uindictam bilis accẽditur, ab ea sanguis inflammatur, & ad uulnus euestigio properat, tum ut partem illam corporis foueat, tum etiam ad uindictam. eodem concurrunt et spiritus: ij quia leues sunt, ad Hectorem usq; uolantes in eum migrant, eius calore seruantur ad tempus puta ad horas septem: eo ipso in tẽpo

re si Hector cadaueris uulnus cominus intẽtus inspiciat, uulnus cruorem uersus Hectorem eijcit: potest enim cruor uersus hostem quodammodo effluere, tum quia nondum calor omnis extinctus est, nondum agitatio quieuit interior, tum quia pauloante in eum concitus fuerat, tum deniq; quia sanguis spiritus repetit suos, atq; etiã spiritus suũ attrahant sanguinem. Simili quodam pacto hominis amore saucij sanguinem festinare in ferientem & Lucretius innuit, & nos summopere comprobamus.

DE MIRO QVODAM EFFECTV VVLGARIS AMORIS Cap. VI

DICAM ne uiri castissimi, quod sequitur, an potius prætermittam? Dicam certe postquam res ipsa postulat, & si dictu uidetur absurdum. At quis turpia non turpiter dixerit. Tanta permutatio senioris hominis urgens ad iunioris similitudinem facit, ut hic totum suum corpus in illum transferre & totum illius in se transfundere studeat, ut uel recens humor uasa recẽtia, uel uasa teneriora teneriorem consequantur humorem. Hinc multa inter se turpissime facere cõpelluntur. Cũ enim genitale semen à toto corpore defluat, solo huius iactu, uel tractu totũ corpus tradere se posse confidũt, & totum accipere. Id in seipso philosophus Epicureus ille persensit Lucretius amantium omnium infelicissimus.

Sic igitur Veneris qui telis accipit ictus,
Siue puer membris muliebribus hunc iaculatur
Seu mulier toto iactans de corpore amorem,
Vnde feritur, eò tendit gestitq; coire:
Et iacere humorem in corpus de corpore ductum.
Affigunt auide corpus iunguntq; saliuas
Oris: & inspirant pressantes dentibus ora
Nequicquam: quoniam nil inde abradere possunt
Nec penetrare & abire in corpus corpore toto.
Nam facere interdum uelle & certare uidentur.
Vsq; adeo cupide Veneris compagibus hærent,
Membra uoluptatis dum ui labefacta liquescunt.

Hæc Lucretius Epicureus. Quod etiam totum in se capere amatum amantes cupiant, Artemisia Mausoli regis Cariæ uxor ostendit: quæ supra affectionis humanæ fidem uirum suum amauisse dicitur: eiusq; defuncti corpus redegisse in puluerem: & aquæ inditum ebibisse.

VVLGARIS AMOR EST SANGVINIS PERturbatio. CAP. VII

ESSE uero hanc in sanguine passionem illud argumento est, quod æstus huiusmodi alternare quie caret. Continua uero febris à physicis in sanguine ponitur. quæ autẽ horas sex quieti relinquit, in pituita: quæ diem unum, in bili: quæ duos, in atræ bilis humore. In sanguine igitur illam merito collocamus. In sanguine uidelicet melancholico: ut in oratione Socratis audiuistis. hunc sanguinem contagionis semper affixio comitatur.

QVOMODO AMANTES FIVNT AMATI similes. CAP. VIII

IDEO nemo uestrum miretur si quem amantem audiuerit amati sui similitudinem aliquam uel figuram suo in corpore contraxisse. Prægnantes sæpe mulieres uinum quod auidissime cupiunt, uehementer excogitant: uehemens cogitatio, spiritus mouet interiores, atq; in his excogitatæ rei pingit imaginem. Isti sanguinem mouent similiter, & in mollissima fœtus materia, uini imaginem exprimunt. Amator autem ardentius quàm prægnantes, suas cupit delicias: uehemẽtius quoq; & firmius cogitat. Quid mirum si usq; adeo hærentes & infixi pectore uultus ab ipsa cogitatione purgantur in spiritu: à spiritu statim in sanguine infigantur? præsertim cum in Lysiæ uenis iam mollissimus sanguis Phædri sit genitus, ut facillime possit Phædri uultus in suijpsius sanguine relucere. Quoniam uero mẽbra corporis singula ut quotidie arescunt ita sumpto alimoniæ rore quotidie reuiuiscunt: sequitur ut in dies corpus cuiusq; hominis, quod sensim exaruit, paulatim reficiatur. Reficiuntur autem membra à sanguine ex uenarum riuulis emanante. Ergo miraberis si certa similitudine pictus sanguis eandem membris impresserit: ut Lysias tãdem Phædro in nõnullis uel coloribus uel lineamentis, aut affectibus, aut gestibus euasisse similis uideatur.

A QVIBVS PRAECIPVE IRRETIAMVR Cap. IX

QVAERET forsitan aliquis: à quibus præcipue & quo pacto illaqueentur, & quomodo soluantur amantes. Fœminæ profecto uiros facile capiunt: facilius autem illæ, quæ masculam quandam indolem præ se ferunt: & tanto facilius masculi, quanto similiores sunt uiris quàm fœminæ, & sanguinem spiritumq; habent lucidiorem, calidiorem, subtiliorem: qua in re amatoria consistit illaqueatio. Exmaribus autem illi uiros, seu meliores uelocissime fascinant, qui sanguinei sunt potissimum, & quadam ex parte cholerici, oculos amplos habent, glaucos atque nitentes: præcipue uero si casti uiuant, neque per coitum claro humorum succo exhausto serenos uultus fœdauerint. Hæc enim ad ipsas sagittas proprie emittendas quæ cor uulnerant, ut suprà tetigimus, requiruntur. Irretiuntur præterea cito quibus nascẽtibus Venus fuerit in Leone, uel Luna Venerem uehementer aspexerit, & qui eadem complexione sunt præditi. Phlegmatici in quibus dominatur pituita, nunquam: Melancholici, in quibus atra bilis, uix quidem capiuntur: sed capti, nunquam postea liberantur. Quando sanguineus deuincit sanguineum, leue iugum est, suaue uinculum. similis namq; complexio mutuum creat amorem. Huius præterea humoris suauitas spem & fiduciam præstat amanti. Quando cholericus cholericum, intolerabilior seruitus. Vicissitudinem quidem nonnullam beneuolentiæ in his facit complexionis similitudo: sed igneus ille bilis humor crebra illos iracundia turbat. Quando sanguineus cholericum, aut contrà, propter suauis simul et acris humoris commixtionem alternatio quædam prouenit iracundiæ & gratiæ, uoluptatis atq; doloris. Cum sanguineus melancholicum ligat, nodus perpetuus non miserrimus. Sanguinis quippe dulcedo melancholiæ amaritudinem temperat. Cum uero cholericus illaqueat melancholicum, pestis omnium pernicioſissima. Acutissimus adolescentis humor senioris uiscera passim illabitur. Est mollis flamma medullas. Vritur infelix amator. Cholera ad iracundiam cædesq; prouocat. Melancholia ad mœrorem & perpetuam querimoniam. Iis sæpe idem qui Phyllidi, Didoni, Lucretio, amoris est exitus. Phlegmaticus autem seu melancholicus adolescens propter sanguinis & spirituum crassitudinem capit neminem.

MODVS ILLAQVEATIONIS Cap. X

QVO autem pacto fascinentur amantes, satis suprà dixisse uidemur, si modo illud addamus, mortales tunc summopere fascinari, quando frequentissimo intuitu aciem uisus ad aciem dirigentes, lumina iungunt luminibus, & longum miseri combibunt amorem. Huius profecto morbi, ut Museo placet, causa omnis & origo est oculus. Ideo si quis nitore polleat oculorum, licet minus in reliquis membris cõpositus sit, sæpius intuentes ea ratione qua diximus, insanire compellit. Qui contra dispositus est, ad moderatam quandam beneuolentiam inuitat potius quàm ardorem. Reliquorum præter oculos membrorum concinnitas non causæ uim ad ægrotationem huiusmodi, sed occasionis impulsam uidetur habere. Talis quippe compositio eminus prospicientem ut propius accedat, hortatur: deinde cernentem cominus in ipsa sui consideratione diutissime detinet: immorantem uero solus ipse ferit intuitus. Ad moderatum autem amorem illum diuinitatis participem, de quo in hoc conuiuio ut plurimum disputatur: non oculus solus, ut causa: sed partium cunctarum concordia iucunditasq; concurrit.

CVRATIO AMORIS CAP. XI

HACTENVS quomodo & à quibus irretiamur, tractauimus: restat ut quomodo soluamur, paucis doceamus. Solutio uero duplex: altera quidem naturæ: altera diligentiæ. Naturalis est, quæ certis temporis interuallis perficitur. Quæ non ad hunc solum, sed ad omnes attinet morbos, siquidẽ in cute pruritus eatenus permanet, quatenus tabidi sanguinis fex in uenis, aut salsedo pituitæ uiget in membris. Defecato sanguine & pituita demollita pruritus desinit: & fœdæ cutis maculæ abolentur. Euacuationis tamen matura diligentia confert plurimum. Repentina euacuatio, uel unctio periculosissima iudicatur. Inquietudo quoque amantium tamdiu necessario perseuerat, quandiu infectio illa sanguinis per fascinationem iniecta uisceribus permanens graui cor premit cura. Vulnus alit uenis: cæcis membra flammis adurit. à corde siquidem in uenas: à uenis in membra fit transitus. hac denique expurgata amantium, immo uero amentium cessat inquietudo. Id longum in omnibus requirit temporis spatium: in melancholicis uero longissimum: præsertim si Saturni influxu fuerint irretiti. adde & amarissimum: si Saturno retrogrado: uel Marti coniuncto: uel soli oppositio mancipati sint. Aegrotant & illi diutissime: in quorum natiuitate Venus in domo Saturni fuerit: uel Saturnum Lunamq; uehementer aspexerit. Addenda est naturali huic purgationi diligentissimæ artis industria. Cauendum in primis ne immatura euellere, uel amputare tentemus: neq; summo cum periculo discindamus, quæ tutius dissuere possumus. consuetudinis intermissio facienda. Summopere uero cauendum ne lumina oculorum luminibus coniungantur. Si quid in amati animo uel corpore uitij est, diligenter animo reuoluendum.

Plurimis,uarijs,grauibus negocijs animus applicandus:sæpe minuendus sanguis est:uino utendum claro,nonnunquam etiam ebrietate,ut ueteri sanguine uacuato,nouus sanguis accedat,nouus & spiritus. Exercitatione sæpe ad sudorem usque uti præstat: per quam corporis meatus ad expurgationem faciendam aperiantur. Ea insuper omnia quæ Physici ad cordis præsidium adhibent & cerebri alimentum,prosunt quàmplurimum. Sæpe etiam coeundum Lucretius præcipit.

Sed fugitare decet simulacra:& pabula amoris
Absterrere sibi atq; aliò conuertere mentem,
Et iacere humorem coniectum in corpora quæq;,
Nec retinere semen conuersum unius amore.

QVAM NOXIVS VVLGARIS AMOR Cap. XII

SED ne diutius de insania loquentes insaniamus,sic breuibus concludamus. Insaniæ species quædã est anxia illa solicitudo,qua uulgares amantes diu noctéq; uexãtur:qui amore durante bilis incẽdio primum,deinde atræ bilis adustione afflicti,in furias, ignemq; ruunt: & quasi cæci quò præcipitentur ignorant. Quàm pernicioſus adulterinus hic amor tam amatis quàm amantibus sit, Lysias Thebanus & Socrates apud Platonem in Phædro demonstrant. Hoc itaq; furore homo in bestiæ naturam deuoluitur.

QVAM VTILIS DIVINVS AMOR, ET DE QVATUOR eius speciebus. Cap. XIII

DIVINO autem furore super hominis naturam erigitur,& in Deum transit. Est autem furor diuinus illustratio rationalis animæ:per quam Deus animam à superis delapsam ad infera,ab inferis ad superaretrahit. Lapsus animæ ab ipso uno rerum omnium principio ad corpora, per quatuor gradus efficitur,per mẽtem,rationem,opinionem atq; naturam. Nam cum in omni rerum ordine sex gradus existant,quorum summum tenet ipsum unum,infimum corpus,media uero sunt quatuor quæ prædiximus: necesse est quicquid à primo ad ultimum labitur,quatuor per media cadere. Ipsum unum rerum omnium terminus & mensura,confusionis & multitudiuis expers. Mens angelica multitudo quidem idearum,sed stabilis & æterna. Ratio animæ multitudo notionum argumentationumq; mobilis,sed ordinata. Opinio autem inordinata,& mobilis imaginum multitudo:sed substantia punctisq; unita:cum anima ipsa in qua est opinio,una substantia sit nullum occupans locum. Natura,id est nutriendi uis ab anima,& animalis complexio similiter,nisi quòd per corporis puncta diffunditur. Corpus autem indeterminata partium & accidentium multitudo subiecta motui,& substãtia punctis momentisq; diuisa. Hæc omnia respicit anima nostra,per hæc descendit,per hæc & ascendit. Vt enim ab ipso uno quod omnium principium est,producitur,unitatem quandam sortita est: quæ omnem essentiam eius uires operationesq; unit:à qua & ad quam ita cætera quæ in anima sunt,se habent,sicut à centro & ad centrum circuli lineæ. Vnit uero non modo animæ partes inuicem & ad totam animam:sed animã totam ad ipsum unum rerum omnium causam. Vt autem diuinæ mentis radio claret,rerum omniũ ideas per mentem actu stabili cõtemplatur. Vt seipsam respicit,rationes rerũ uniuersales cogitat:& à principijs ad cõclusiones ratiocinatione discurrit. Vt corpora respicit,particulares rerum mobilium formas atq; imagines per sensus acceptas opinione uolutat. Vt materiam attingit,natura uelut instrumento utitur,quo unit materiã,mouet & format. Vnde generationes,augmenta,& eorum contraria proficiscũtur. Cernitis igitur ab uno quòd super æternitatem in æternam multitudinem labitur:ab æternitate in tempus,à tempore in locum atque materiam. labitur inquam,quando ab ea puritate,qua nata est, lõgius corpus amplectendo discedit.

QVIBVS GRADIBVS DIVINI FVRORES ANIMAM extollunt Cap. XIIII

QVAPROPTER sicut per quatuor descendit gradus,per quatuor ascendat necesse est. Furor autem diuinus est,qui ad supera tollit,ut in eius definitione constitit. Quatuor ergo diuini furoris sunt species. Primus quidem poeticus furor. Alter mysterialis. Tertius uaticinium. Amatorius affectus est quartus. Est autem poesis à musis, Mysterium à Dionysio, Vaticinium ab Apolline, Amor à Venere. Redire quippe ad unum animus nequit,nisi ipse unum efficiatur. Multa uero effectus est: quia est lapsus in corpus in operationes uarias distributus, & ad corporalium rerum multitudinem respicit infinitam. Ex quo partes eius superiores pene obdormiunt,inferiores alijs dominantur. Illæ torpore,hæ perturbatione afficiuntur. Totus autem animus discordia & inconcinnitate repletur. Poetico ergo furore primum opus est,qui per musicos tonos quæ torpent suscitet: per harmonicam suauitatem quæ turbantur, mulceat: per diuersorum denique consonantiam,dissonantem pellat discordiam, & uarias partes animi temperet. Neque satis hoc est. Multitudo enim

adhuc

adhuc & diuersitas restat in animo. Accedit ergo mysterium ad Dionysium pertinens: quod expiationibus, sacrisq;, & omni cultu diuino partium omnium intentionem in mentem, qua Deus colitur, dirigit. Vnde cum singulæ animi partes ad unam mentem redactæ sint, iam totum quoddam unum ex pluribus factus est animus. Tertio uero ad hoc opus est furore, qui mentem ad unitatem ipsam animæ caput reducat, hoc Apollo per uaticinium efficit. Nam cum anima supra mentem in unitatem assurgit, futura præsagit. Demum cum anima facta est unum, unum inquam quod in ipsa natura & essentia animæ est, restat ut illico in unum quod est super essentiam, id est deum se reuocet. Hoc cœlestis illa Venus per amorem, id est diuinæ pulchritudinis desiderium, boniq; ardorem explet. Primus itaq; furor inconcinna & dissonantia temperat. Secundus temperata unum totum ex partibus efficit. Tertius unum totum supra partes. Quartus in unum quod super essentiã, & super totum est ducit. Plato in Phædro, mentem diuinis deditam, in anima hominis aurigam uocat: Vnitatem animæ, aurigæ caput: Rationem, opinionemq; per naturalia discurrentem, equum bonum: Phantasiam confusam, appetitumq; sensuum, malum equum: Animæ totius naturam, currum. quia motus suus tanquam orbicularis à se incipiens in se deniq; redit, dum suipsius naturam animaduertit. Vbi consideratio eius ab anima profecta in eandem reuertitur. Alas uero tribuit, per quas in sublime feratur: quarum alteram putamus indagationem illam esse, qua mens assidue ad ueritatem annititur: Alteram boni desiderium, quo nostra uoluntas semper afficitur. Hæ partes animæ suum amittunt ordinẽ, quando perturbante corpore confunduntur. Primus itaq; furor bonum equum, id est rationem opinionemq;, à malo equo, id est à phantasia confusa & sensuum appetitu distinguit. Secundus malum equum bono, bonum aurigæ, id est menti subijcit. Tertius aurigam in caput suum, id est in unitatem mentis apicem dirigit. Postremus caput aurigæ in caput rerum omnium uertit. Vbi auriga beatus est, & ad præsepe, id est ad diuinam pulchritudinem sistens equos, id est accommodans omnes sibi subiectæ animæ partes, obijcit illis ambrosiam, & super ipsam nectar potandum, id est uisionem pulchritudinis, & ex uisione lætitiam. Hæc quatuor furorum opera sunt. De quibus generatim in Phædro disputat, proprie uero de poetico furore in Ione, de amatorio, in Cõuiuio. Omnibus his furoribus occupatum fuisse Orpheum libri eius testimonio esse possunt, Amatorio maxime Sappho, Anacreontem & Socratem fuisse correptos accepimus.

OMNIBVS HIS FVRORIBVS AMOR PRAESTANTIOR EST. Caput XV

OMNIVM potentissimus & præstantissimus est amatorius. Potentissimus inquam, propterea quod omnes alij ipso necessario indigent, neq; enim poesim, neq; mysteria, neq; uaticinium sine ingenti studio, flagranti pietate, & sedulo diuinitatis cultu consequimur. Studium uero, pietatem, cultum quid aliud dicimus quàm amorem? Igitur omnes amoris potentia constant. Est etiam præstantissimus, quoniam ad hunc tanquam ad finem alij referuntur. Hic autem proxime deo, qui nos copulat. Hos utiq; furores quatuor, totidem adulterini affectus falso imitari uidentur. Poeticum quidem musica ista uulgaris, quæ auribus duntaxat blanditur. Mysterialem, uana multorum hominum superstitio. Fatidicum, fallax peritiæ humanæ coniectio. Amatorium, libidinis impetus. Verus enim amor nihil est aliud quàm nixus quidam ad diuinam pulchritudinem euolandi ab aspectu corporalis pulchritudinis excitatus. Adulterinus aũt, ab aspectu in tactum præcipitatio.

QVAM VTILIS AMOR SOCRATICVS. CAPVT XVI

QVAERITIS quid amor Socraticus conferat? Primo quidem ipsi Socrati plurimum ad alas illas recuperandas, quibus in patriam reuolet. Deinde ciuitati suæ magnopere ad honeste feliciterq; uiuendum. Ciuitatem profecto non lapides sed homines faciunt. Homines uero à tenera ætate quemadmodum arbores à tenerioribus curandi sunt, & ad frugem optimam dirigendi. Puerorum curam parentes habent & pædagogi. Adolescentes autem limites parentum & pædagogorum non prius transgrediuntur, quàm iniqua uulgi consuetudine deprauentur. Superiorem quippe uiuendi normam domi imbibitam sequerentur, nisi ab ea improborum hominum, eorum præsertim qui illis blandiuntur, usu, consuetudineq; deflecterentur. Quid ergo Socrates faciet? Num permittet ut flagitiosorum contagione adolescentia, quæ futuræ reipublicæ semen est corrumpatur? At ubi patriæ charitas? Succurret itaque patriæ Socrates, filiosq; illius, suos autem fratres hac pernicie liberabit. Leges fortasse conscribet, quibus lasciuos uiros ab adolescentũ cõsuetudine segregabit. Sed non omnes Lycurgi, aut Solones esse possumus. Paucis legum condendarum datur autoritas, paucissimi legibus latis obtemperant. Quid ergo? uim inferet, & manu iniecta seniores à iuuentute depellet? At solus Hercules cum monstris dicitur decertasse, cæteris periculosissima est huiusmodi uiolentia. Forsitan scelestos homines monebit, corripiet, obiurgabit. Cæterum perturbatus animus monentis uerba contemnit, & quod deterius est, sæuit in monitorem. Qua de causa ab alio pugno, ab alio calce, dum id tentaret, percussus est Socrates. Vnica restat iuuentuti uia salutis, Socratis consuetudo. Huic ergo Græcorum ille sapientissimus charitate deuinctus sese miscet

ubiq; & magna incedit adolescentum comitante caterua. Ita uerus amator, utpote pastor, agnorum gregem à falsorum amantium, ceu luporum uoragine, ac peste tutatur. Quoniam uero pares cum paribus facillime congregantur, parem se facit iunioribus puritate uitæ, uerborum simplicitate, ludis, iocis ac facetijs. Seq; ex sene puerum facit, in primis ut pueros quandoq; reddat domestica & iucunda familiaritate seniles. Ad uoluptatem prona iuuentus sola uoluptate tenetur, rigidos effugit præceptores. hinc nostræ adolescentiæ tutor ad patriæ suæ salutẽ rerum suarum administratione neglecta iuniorum suscipit curam, eosq; primum iucundæ consuetudinis captat suauitate. Ita illaqueatos, monet deinde seuerius. Postremo censura rigidiori castigat. Hoc pacto Phædonem adolescentulum lupanari publico prostitutum ab ea calamitate redemit, fecitq; philosophum. Platonem poesi deditum coegit tragœdias igni tradere, & studia preciosiora capessere. Xenophontem à uulgari luxu ad sapientum traduxit sobrietatem. Aeschinem & Aristippum ex pauperibus diuites, Phædrum ex oratore philosophum, Alcibiadem ex ignorante doctissimum reddidit. Charmidem grauem fecit & uerecundum, Theagem iustum, fortemq; in republica ciuem. Euthydemum ac Menonem à Sophistarum captiunculis ad ueram transtulit sapientiam. Quo factum est, ut non tam iucunda quàm utilis fuerit Socratis consuetudo, ac multo ardentius ab adolescentibus, ut Alcibiades ait, dilectus fuerit Socrates quàm dilexerit.

QVOMODO AGENDAE SVNT GRATIAE SPIRITVI sancto, qui nos ad hanc disputationem illuminauit atq; accendit. Cap. XVII

IAM igitur Conuiuæ optimi quid amor sit, quis uerus amator, quæue amantis utilitas ex uestra primum, ex mea deinde disputatione feliciter comperisse uidemur. Huius autem inuentionis felicissimæ causam & magistrum eundem ipsum amorem, qui & compertus est, fuisse proculdubio existimate. Amore namq;, ut ita dixerim, inueniẽdi amoris accensi, amorem quæsiuimus & inuenimus, ut eidem inquisitionis & inuentionis pariter habenda sit gratia. O miram numinis huius magnificentiam. O incomparabilem amoris benignitatem. Cætera siquidem numina uix tandem postquam diu quæsieris se parumper ostendunt, Amor etiam quæsituris occurrit. Quapropter huic multo magis quàm cæteris homines se debere fatentur. Sunt autem qui diuinam potentiam sæpe audeant execrari, scelerum nostrorum fulminatricem. Nonnulli etiam sapientiam oderunt nostrorum omnium exploratricem flagitiorum. Amorem uero diuinorum bonorum omnium largitorem non amare non possumus. Nos autem amorem hunc adeo nobis propitium ea mente colemus ut ueneremur sapientiam & potentiam admiremur, ut amore duce totum, ut ita loquar, deum habeamus propitium, ac totum amoris flagrantia diligentes, toto etiam deo amore perpetuo fruamur.

PLATONIS CONVIVIVM VEL DE AMORE, A MARSILIO FICINO TRANSLATVM, ad Laurentium Medicem uirum clarissimum.

APOLLODORVS. FAMILIARES APOLLODORI. GLAVCO. ARISTODEMVS. SOCRATES. AGATHO. PHAEDRVS. PAVSANIAS. ERYXIMACHVS. ARISTOPHANES. DIOTIMA. ALCIBIADES.

VIdeor mihi in his quæ petitis, satis præmeditatus esse. Heri enim cum domo ex Phalero in urbem redirem, quidam mihi notus à tergo me aspiciens, eminus uocauit, & inter uocandum iocatus: O Phaleree, inquit, Apollodore, non expectas? Ego autem expectaui. Tum ille: Quærebam te modo, audire cupiens qui de amore sermones habiti sunt in ea cœna ad quam Agatho, Socrates, Alcibiades, nonnulliq; alij conuenerunt. Retulit quidem mihi & alius quidam qui à Phœnice Philippi filio audiuerat, addititq; te scire. Verum nihil certi ea de re afferre poterat. Quare tu mihi referas. Tua enim interest sermones amici tui narrare. Id autem primum dicas, Ipse affuisti cum disputarent, an non? Reuera, inquam, certi nihil retulisse tibi ille uidetur, siquidem conuenisse illos adeo nuper existimas, ut ego potuerim interesse. Existimabam equidem, inquit ille. Vndenã istud? inquã ego, nescis ô Glauco multis iam annis huc Agathonem nõ accessisse? Ex eo uero tempore quo cum Socrate uersari assidue cœpi, eiusq; tum dicta tum facta diligentius obseruare, nõdum tres anni fluxere. Antea uero quocunq; cõtingebat oberrãs, existimãsq; aliquid agere, omniũ miserrimus eram perinde ac tu nunc, qui quodlibet aliud agendum censes potius q; philosophandũ. Ne mordeas, inquit ille, sed quo tempore conuiuium celebratum sit, enarra. Ad hæc inquam

quam. Dum pueri adhuc essemus, in primo tragœdię certamine uictoriã reportauit Agatho. Sequẽti aũt die post palmã sacraq; uictoriæ gratia celebrata, parato conuiuio disputatio instituta fuit. Longum, inquit, certe id tempus est. Sed quis tibi narrauit? Nunquid ipse Socrates? Non per Iouem, inquam. immo idem qui & Phœnici Aristodemus quidam Cydatheneus, qui exiguo corpore erat, et nudis semper pedibus ibat. Interfuit enim disputationi: quippe qui maxime omnium qui tunc erant, Socratem, ut mihi uidetur, amaret. Quinetiam Socratem ipsum de nonnullis quæ ille retulerat percontatus sum, qui in his cum illo consentiebat. Cur ergo, inquit, mihi non refers? Apta quidem uia est quæ ducit in urbem, & ad audiendum pariter, & ad dicendum. Sic itaque inter eundum de illis uerba fecimus. Quapropter quemadmodum à principio dixi, in his rebus satis prę meditatus sum. Quod si iterum uobis recenseri hæc uultis, iterum recensebo. Nam quoties uel ipse de philosophia sermonem habeo, uel dicentes alios audio, præter id quod prodesse mihi id putem, mirifice lætor. Quoties autem sermones alios audio, uestros præsertim, qui cumulandis pecuniis studetis semper, & ipse angor, & uestri misereor, quòd efficere aliquid existimetis, cum nihil efficiatis. Fortè etiam uos me infelicẽ putatis, quos & ipse de me uera putare arbitror. Ego autem uos nõ puto quidem, sed certo scio. FAM. Semper Apollodore æque tibiipsi & aliis detrahis, ac uideris, proculdubio te quidem in primis, deinde alios omnes præter unum Socratẽ infelices putare. Vnde uero insani cognomen tibi exortum sit, nescio. Semper enim loquendo te & alios improbas, Socratem unum probas. APOL. O dilectissime uir, ex eo insanire & delirare me constat, quòd ita de me ac uobis existimem. FAM. De his in præsentia contendere Apollodore nequaquã decet: sed precibus nostris obsequere, & qui sermones illi fuerint nobis expone. APOL. Tales utiq; tibi illi fuerũt. Imò uero à principio eodem ordine quo Aristodemus retulit, uobis ipse nunc recensere conabor. Inquit enim Socratẽ se offendisse & lotum & calceis pedes ornatũ, quæ ille raro faciebat: interrogasse uero quónam ita ornatus iret. & respondisse Socratẽ, Agathonis in domum cœnatũ. hesternã uero cœnam uitasse, q; turbæ propter Agathonis palmã concursum ueritus esset, promisisse aũt sequenti die se affuturum. Ea uero de causa se ornasse, ut pulcher ad pulchrum iret. Quęsisse insuper, quonam pacto tu Aristodeme ad cœnam proficisceris non uocatus? Vt tu iusseris, dicebam, inquit. Sequere igitur, inquit, me, ut prouerbium perdamus, illud in hunc modum mutantes, q; ad bonorum cœnas boni etiam non inuitati proficiscuntur. Homerus quidem uidet non modo nõ obseruare, sed & uiolare prouerbium. Nam cum Agamemnonem in re militari strenuum uirum finxisset, Menelaum uero mollem, conuiuium celebrante post sacrificium Agamemnone, Menelaum inducit ultro ad mensam Agamẽnonis uenientẽ. Vbi deteriorem ad præstantioris uiri mensam nõ accersitũ uenire fecit. Hæc audiens fortè & ipse ô Socrates dicebã, inquit, nõ talis, qualem tu inquis, sed quemadmodũ induxit Homerus, uilis homunculus ad sapientis uiri cõuiuium ultro uenire uidebor. Cum ergo me ducas, uide quam aduentus mei rationem assignes. Ego enim me spõte uenire non confitebor, sed abs te inuitatum dicam. In ipso itinere, inquit, quid dicturi simus, duo cum simus, fortasse consultabimus. Sed eamus iam. Talia quædã inter se cum disputassent iuisse dicebat: & Socratem cogitabundum lento nimis passu gradientem relictumq; cum expectasset, tandem iussisse ut præiret. Cum uero ædibus Agathonis appropinquaret, apertã ianuam inuenisse, & contigisse ridiculum quiddam: in ipso enim limine famulum quendam occurrisse, & eò ubi accumbebant alij introduxisse, quos iam cœnaturos reperit. Seq; ut uidit Agatho, O Aristodeme dicere, oportune uenisti ut nobiscum cœnes. Si uero aliud quicquam uis, in aliud tempus differas. Equidem heri te quærens inuitaturus te nusquam uidi. Sed cur Socratem ad nos non ducis? Et ego, inquit, cõuersus nusquam Socratem uidi, respondiq; Agathoni: Equidem cum illo ueni ab eo uocatus huc ad cœnam.

Recte, inquit, fecisti. sed ubinã Socrates? Post me modo incedebat. Quare ipse quoque admiror, & ubi sit, nescio. Quæres Socratem puer dixisse Agathonem, & ad nos introduces. Tu autem Aristodeme iuxta Eryximachum accumbe. Heus tu dato huic manibus aquam, ut iam sedeat. Tunc ingressum puerum quendam nunciasse dicebat Aristodemus, Socratem ipsum in uestibulũ proximum secessisse, & accersitum ingredi nolle. Absurdum quiddam narras, inquit. Voca iterum, neq; dimittas quousq; uenerit. Non

sic

sic ô Agatho respondisse dicebat Aristodemus, sed mittite illum. mos enim Socratis iste. Nonnunquam desistens, ubicunq; accidit cõsistere solet. Veniet autem cito, ut arbitror. Ne turbetis ipsum, sed suo arbitratu uenire permittite. Ita si tibi uidetur, dixisse Agathonem, agendum est. Cæterum uos ô pueri, alijs epulas afferte, & quodcunq; lubet apponite. Vobis siquidem nullus præsidet. Id quidem nunquam feci. Quapropter existimantes nunc me unà cum alijs conuiuio à uobis exceptum, curate omnia diligenter, ut uestram operam comprobemus. Post hæc addebat Aristodemus cœnare eos cœpisse, & Socratẽ Agathonis iussu sæpe uocatum non prius intrasse quàm aliquantum se more suo exercuisset, mediaq; in cœna uenisse. Ad quem, Agathonẽ qui ultimus sedebat & solus, Huc ad me Socrates dixisse, ut te tangẽs sapienti illa sententia fruar, quam in uestibulis excogitasti. Constat enim inuenisse illam te atq; habere. Neq; enim prius destitisses. Sedisse itaque Socratem, dixisseq; : Bene se res nostræ haberent Agatho, si sapientia talis esset, ut in uacuum hominem ex pleniore ipso cõtactu proflueret, quemadmodum aqua ex pleno calice in uacuum per lanam influens. Si enim sapientia ita se habet, permulti facio q; apud te sedeo. Repleri quippe abs te uberrima & præclara sapiẽtia puto. Mea siquidem tenuis est & ambigua insomnij cuiusdam instar, tua uero luculenta admodum atq; præpollens, utpote quæ in adolescentia tua heri in conspectu plus quàm triginta milium Græcorum, tam clare emicuit & effulsit. Contumelioſus, inquit Agatho, es ô Socrates. Atqui hæc posthea de sapientia ego ac tu dijudicabimus Dionysio iudice. nunc autem cœna. Post hæc, inquit Aristodemus, Socrate simul & alijs discumbentibus, libare inuicem & degustare uina sacrificantium ritu, deumq; cantare cœpisse, & alia quædam, ut mos est, facientes ad potum se conuertisse. Vnde Pausaniam ita locutum: Videndum est, ô uiri, quo pacto leuius suauiusq; bibamus. Nam ut de me in primis uerum fatear, grauatũ adhuc hesterno mero me sentio, & intermissione quadã indigeo. Opinor quoq; & plurimos uestrũ similiter affectos esse. heri enim affuistis. Considerate itaq; quomodo leuius salubriusq; bibamus. Et mox Aristophanẽ respõdisse: Scite loqueris Pausania, potui moderationẽ quandam adhibendam esse. Ego quoq; ex his sum qui heri ingurgitarunt. Cum hæc audisset Eryximachus Acumeni filius, Probe dicitis, inquit. Atq; hoc insuper à uobis audire desidero, quantum bibendo ualeat Agatho. Minime quidem, Agathonem dixisse. Confert id sane nobis, mihi inquã & Aristodemo & Phædro, atq; his alijs, quòd uos qui ad bibendum ualetis plurimum, nunc tanquã bibendo defessi prohibeatis. Nos enim semper imbecilles excepto Socrate, qui ad utrumq; idoneus est. Quocirca quodcunq; agamus, perinde erit. Hic Eryximachum dixisse. Postquam præsentium nullus ingurgitare mihi uelle uidetur, fortè si uera de ebrietate dixero, minus ero molestus. Id siquidem ex medicinæ peritia apud me constat, graue quiddam esse hominibus ebrietatem. Nec enim sponte superuacue bibere unquã uellem, nec alteri consulerem, præsertim siquis hesternũ merum adhuc oleat. Huic Phædrũ Myrrhinusium dixisse Aristodemus inquit: Equidem semper tibi fidem habui, in medicina præsertim. Nunc similiter, modo cæteri quoq; consentiant. Hæc cum audissent omnes, concessisse inquit, non ad ebrietatẽ in præsenti conuiuio, sed ad uoluptatẽ esse bibendũ. Tum Eryximachus: Postquã uisum est in cuiusq; arbitrio fore quantum bibat, neminem uero suprà quàm uelit cogi, quod restat exponam. Tibicinam quæ modo ingressa est, abigendam puto, sibijpsi tibia personãtem, uel si uelit, mulieribus quæ sunt intus. Nos autem confabulari inuicem debere hodie iudico. Qui uero esse sermones nostri debeant, si uultis aperiam. Ad hæc omnes explicare iusserũt. Eryximachus deinde: Mei, inquit, sermonis exordium secundum Euripidis Melanippen erit. Neq; enim mea fabula est quam incœpturus sum, sed Phædri. Phædrus hic mecum sæpe cõqueritur, absurdum quiddam asserens, quod cum in cæteros deos cantilenas & hymnos poetæ finxerint, in amorem tamen tantum talem'ue deum nullus unquam ex tot poetis laudem aliquam scripserit. Atqui si uis, inquit, ô Eryximache, quærere, inuenies profectò sophistas disertos soluta oratione Herculem aliosq; laudasse, quemadmodum peritissimus Prodicus. quanquam hoc minus alicui mirum uideri debet. Sed & ego legi quandoque sapientis uiri librum, in quo sal ad uictus utilitatem miris laudibus extollebat: aliaq; huius generis multa reperire licet, laudibus celebrata. In his itaque studioſe uersari, Amorem uero tantum deum à nullo adhuc in hunc usq; diem pro dignitate laudari, sed

ubiq;

ubiq; contemni, cui non grauissimum uideatur? Mihi quidem oratio hæc Phædri uera uidetur. Quare & huic munus id conferre gratificariq; cupio, & deum hunc honorari à nobis decens esse censeo. Quod si & uobis uidetur, congrua disputatio inter nos oriet̃. Laudandum quippe amorem ab unoquoq; nostrum pro uiribus arbitror, ad dexteram alterum, alios deinceps alijs succedendo. Incipiat autem Phædrus, cum & primus sedeat, & huius sit sermonis inuentor. Tum Socrates: Nullus tibi ô Eryximache, inquit, repugnaret. Ego enim qui istuc renuerem, cum nihil præter amatoria scire profitear? Nec etiam Agatho & Pausanias aduersabunt̃, & Aristophanes multo minus, cuius omne studium circa Dionysium Veneremq; uersatur, nec alius ullus eorum quos nunc intueor. Quanquam non æqua sors nobis obtigit, qui extremi discumbimus. Nam si priores scite abundeq; depinxerint, sat nobis erit. Verum Phædrus felicibus auspicijs iam exordiat̃, Amoremq; honoret. His omnes quæ Socrates dixerat, assensere, similiterq; iusserunt. Singula uero singulorum dicta, nec Aristodemus memoria tenebat, nec ego quæ ille recẽsuit, singula teneo. Eorum igitur orationem uobis nunc referam, qui memoratu digna dixerunt. Principio dixerunt Phædrum hunc in modum exorsum fuisse.

PHAEDRI COLLAVDATIO IN AMOREM.

MAgnus deus est amor, & apud deos hominesq; mirandus, cũ propter alia multa, tum maxime propter eius originẽ. Cum em̃ ex antiquissimorũ deorum numero sit, honore dignus apparet. Id autem ex eo cõstat, q̃ parentes Amoris à nullo uel poeta uel alio quouis tradunt̃. Sed Hesiodus principio Chaos extitisse his uerbis asserit: Terra ampla stabilisq; semper omnium sedes, atq; amor: post Chaos: uidelicet asserẽs duo hæc extitisse, Terrã atq; Amorẽ. Parmenides aũt de generatione illius inquit: Ante deos omnes primũ generauit Amorẽ. Acusileus quoq; cum Hesiodo sentire uidet̃. Atq; ita passim Amorẽ ex antiquissimis esse concedit̃. Cum uero talis sit, maximorũ bonorũ nobis est causa. Nam quid melius accidere possit adolescenti, q̃ optimus amator: aut amatori q̃ amatus optimus, non inuenio. Duo quidem sunt quæ à pueritia per omnẽ uitam ducere illum debent qui sit præclare victurus, In rebus turpibus uerecundia, honestis studiũ. hæc autẽ nobis, neq; genus neq; diuitiæ, neq; honores præstare citius ac melius, q̃ amor possunt. neq; absq; his duobus, aut ciuitas unq̃, aut priuatus præclarum aliquid & magnificũ perficere poterit. Assero equidẽ amatorem, si turpe aliquid agere uel pati ab aliquo per ignauiam, nec repugnare & ulcisci deprehendatur, seu à patre, siue ab amicis, siue ab alio quouis homine, haud tam uehementer angi quàm si fortè ab amato deprehenderetur. Similiter adolescentẽ tunc maxime erubescere cernimus, cum amator eum turpe quid committẽtem offendit. Si quo pacto fieri ciuitas uel exercitus posset partim ex his qui amant, partim ex his qui amantur, supra quàm dici possit fortiter agerent administrarentq; singula, dum per uerecundiam à turpibus abstinerent, & ad honesta quasi quadam æmulatione contenderent: talesq; homines uel pauci numero, uniuersos, ut ita dixerim, homines prælio superarent. Amator sane uel deserere ordinem uel arma abijcere coram amato, uehementius q̃ coram cunctis alijs hominibus erubescceret. Immo obire sæpenumero mallet, quàm dilectum derelinquere, & in periculis nõ succurrere. Nec quisquam adeo ignauus est, quem amor non inflammet, & ad uirtutẽ diuinum reddat, ut uiro fortissimo par euadat. Etenim quod Homerus inquit, uim furoremq; à deo quibusdam heroum inspiratum, hoc amor amantibus dedit. Quinetiam pro alio mori amantes soli eligunt, non uiri tantum, sed etiam mulieres Cuius sermonis testimoniũ Græcis Alceste Peliæ filia manifestũ exhibuit, quæ sola elegit pro uiro suo perire, cum tamẽ et pater & mater illi adessent. quos illa propter amorem charitate adeo superauit, ut eos extraneos & nomine duntaxat filio suo coniunctos essẽ monstraret. Quod quidem facinus tam præclarum non tantum ab hominibus, uerumetiam à dijs est iudicatum, ut cum è multis qui multa & egregia gesserant, dij reuiuiscendi munus paucis admodum & præstantissimis attribuissent, hanc ab inferis continuo suscitarint, tam egregio facinore delectati. Tanti studium uirtutemq; circa amorem dij æstimant. Orpheum uaro Oeagri filium uoti impotem ex inferis emiserunt. Neq; enim fœminam cuius gratia descenderat, restituere, sed illius phantasma monstrarunt, cum non

auderet

auderet,ut Alceſte,amoris gratia mori,ſed utpote citharœdus,mollitie quadam abſterre retur,& machinamenta quædam excogitaret,quibus uiuens ad inferna deſcenderet. Cuius delicti pœnas eum pendere decreuerunt,iuſſeruntq; à fœminis lacerari.Achillem autem Thetidis filium honorarunt,& in beatorum inſulas miſerunt, quia cum accepiſſet à matre,ſi Hectorem occidiſſet,ſtatim ſibi moriendum fore:ſin minus,in patriam ſe reditu rum,& ſenē deniq; moriturū:audacter elegit pro Patroclo amatore ſuo pugnare, eiusq; mortem ulciſci,nec pro illo mori ſolum,ſed & perempto illo interfici.Quod quidem magnopere probantes dij,inſigni eū gloria decorarūt,quia tanti amatorē ſuum feciſſet. Æſchylus plane delirat,cum Patroclū ab Achille dicit amatū,qui non Patroclo tantum,uerumetiam cunctis heroibus forma præſtabat,eratq; adhuc imberbis,multoq; natu minor ut inquit Homerus.Reuera uirtutē hanc in amore dij plurimi faciunt. Vehementius autem admirantur delectanturq;,ac maiora beneficia cōferunt,quando amatus amatorē tutatur & diligit,q; cum amator amatum.Diuinior enim eſt amator amato,cum diuino ſurore ſit raptus.Quamobrem Achillem magis quàm Alceſten honorarunt: illum quippe in beatorum inſulas tranſmiſerunt.Ex his omnibus amorem aſſero deorum omnium antiquiſſimum,atque ſummopere uenerandum,& maxime omnium ad uirtutem & beatitudinem conſequendam hominibus tam uiuentibus quàm defunctis conducere.Talem fuiſſe ſermonem Phædri narrauit. Poſt Phædrum uero alios quoſdam fuiſſe loquutos, ſed è memoria excidiſſe.Eos igitur prætermittens,hanc quam modo referam orationem Pauſaniæ retulit.

PAVSANIAE COLLAVDATIO.

Videtur mihi Phædre haud ſatis recte ſermo ille nobis eſſe propoſitus, quo amorem ſimpliciter laudare iubemur.Nam ſi unus eſſet amor, probe dictum fuiſſet:cū uero nō unus ſit duntaxat,ſatius eum prius qui ſit laudādus, expri mere.hoc itaq; emendare conabor.Primo enim quemadmodum laudare deceat explicabo,deinde pro dei iſtius dignitate extollere nitar. Neminē profecto latet,abſq; amore Venerem nunq; eſſe.quare ſi una eſſet Venus,unus & amor.quoniam uero duæ ſunt Veneres,geminū quoq; amorem eſſe neceſſe eſt. Geminā aūt deam hanc eſſe quis neget? Nónne una quædam antiquior eſt & ſine matre Venus, cœlo nata, quam cœleſtem Venerem nuncupamus? Altera uero iunior è Ioue & Dione progenita, quam uulgarem cōmunemq; uocamus? Neceſſariū itaq; amorem Veneris illius comitē, cœleſtem uocari,huius uero uulgarē.Laudare quidem deos omnes decet: ſed utriuſq; amoris opera diſtinguenda.Actionis cuiuslibet hæc eſt cōditio,ut ſuapte natura neq; honeſta ſit,neq; turpis,ut ea quæ nunc nos agimus,bibere,canere,diſputare.Nullum ex his ſeipſo turpe uel honeſtum.Sed agendi modus actioni certū tribuit cognomentū. Quod enim bene rectēq; agit̄,honeſtum:quod nō recte,turpe reſultat.Eadē ratione non quilibet amor & quiuis amandi modus,honeſtus eſt & laudandus.Imò ille ſolus,qui honeſte amare nos hortatur.Etenim uulgaris cōmunisq; Veneris amor, reuera eſt & ipſe uulgaris,& quodcunq; contingit,peragit.Atq; is eſt quo prauí abiectiq; homines amāt. Amāt porrò fœminas non minus q; maſculos,& corpora magis q; animos,& ſine mente homines potius q; prudentes. Ad explendum ſane deſiderium inhiant:honeſte uero nec ne expleant,omnino non curant.quo fit,ut quodcunq; ſors illi offert,exequantur,& bonum ſimiliter atq; malum . Affectus enim huiuſmodi à Venere illa iuniore, & utriuſq; ſexus in generatione participe profluit.Amor autē qui cœleſtem ſequitur Venerē, quæ nō fœminæ,ſed maſculi tantum ſexus in generatione eſt particeps, ipſe quoq; genus reſpicit maſculum.Deinde quoniā antiquioris Veneris pudicæq; eſt comes, & ipſe petulantiæ omnis eſt expers.quocirca quicunq; amore ab hoc inſpirati ſunt,genus maſculum natura robuſtius & generoſius,& mētis magis particeps diligunt.Et qui amore hoc ſyncere perfecteq; ſunt rapti,ex hoc perſpicue dignoſcuntur,q; pueros nō amāt,ſed adoleſcētes, cum mente ualere iam cœperint.Huiuſmodi uero genus exercendæ mēti propinquius eſt,ad eamq; exercendam familiaritas inter illos initur.Parati em̄ ſunt,arbitror,qui ſic amare incipiunt,per omnē uitam ſimul & cōmuniter uiuere,neq; amatū decipere, neq; ab uno in alterū amandum abire.neq; enim pueros adhuc mētis expertes amant, quos deinde exoletos irrideant & relinquant. Oportet autē legibus inſtitutum eſſe, ne quis pueros amet,

ne

ne in re ambigua frustra tantum studium poneretur. Incertum enim est quò aut corpus, aut anima puerorũ tam secundum uirtutem q̃ secundum uitium postremo euadat. Probi quidem uiri legem hanc sibijpsis sponte proponunt. Oportet quoq; eidem legi uulgares illos amatores adhibita necessitate subijcere, quẽadmodũ illos ipsos pro uiribus amare mulieres liberas prohibemus. Nam hi sunt qui occasionem conuicijs & quorundam sententiæ præbuerunt, qui amatori obsequi turpe dicunt: qui quidem de uulgaribus amatoribus ista loquuntur, quia importunitatẽ iniustitiamq; illorum agnoscunt & improbãt. Nihil autem quod modeste & legitime fit, uituperare decet. Lex utiq; de amore in ciuitatibus alijs instituta, intellectu facilis est, quoniam simpliciter traditur. Apud nos autẽ & Lacedæmonios uaria extat. In Elide nanq; & apud Bœotios, & ubi dicendi arte homines carent, simpliciter lege statutum est, morem amantibus esse gerendum: nec apud eos quisquam aut iuuenis aut senex, turpe id prædicant. Quod quidem ea de causa ab illis arbitror esse factum, ne in persuadendis adolescẽtibus elaborandũ illis esset, utpote qui ad orandum inepti sunt. In Ionia uero & apud alios multos qui Barbaris subiecti sunt, omni no turpe hoc lege censetur. Nam inter Barbaros quidem propter tyrannides turpe istud habetur, & sapientiæ præterea atque gymnasticæ studium. Neq; enim tyrannis conducunt ea studia, quæ subditorum mentes acutas generosasq; reddunt quęúe amicitias inter eos indissolubiles, societatesq; frequentes pariunt: quæ cum ab alijs, tum uel maxime ab amore gigni consueuerunt. Hoc autem ipso euentu tyranni nostri didicerunt. Nam Aristogitonis amor & Harmodij amicitia cõfirmata, illorum tyrãnidem dissipauit. Atq; ita ubicunq; Amoris indulgentia funditus sublata est, prauitate illorum qui leges condiderunt, est uetita, principũ quidem iniquitate et uiolentia, subditorum ignauia. Vbi uero penitus permissa est, propter eorum qui sic statuerũt secordiam & segnitiem est permissa. Hic uero multo rectius est institutũ: sed ut dicebam, nõ facile cognitu. Concedi plane uidetur, siquis animaduertat, quod dicitur, præclarius esse palàm amare quàm clãculum, eosq; præcipue qui generosi & optimi sunt, etiam si minus formosi q̃ alij uideantur. Fauet quoq; amatori quamplurimũ cõmunis omnium cohortatio, quasi nihil turpe aggrediatur. Nam cõmuniter siquis amatum capiat, pulchrum quiddam uidetur: si non capiat, turpe. Et lex ad amatum sibi conciliandũ amatori mira quædam machinamenta cõcedit, laudariq; permittit: quæ siquis aliquando cuiusuis gratia tentare auderet, maximas apud philosophos uituperationes incurreret. Siquis em̃ accipiendæ ab aliquo pecunię, uel magistratus potentię gratia, aggrediatur illa quæ erga amatos amantes, passim occurrat, supplex oret, obtestetur, ad fores noctu iaceat, & sedula quadam obseruantia seruiat, & in omnibus obsequatur, quę seruus aliquis agere nec uellet, nec etiam cogeretur, ab inimicis pariter & amicis obiurgabitur. Illi adulationes seruilesq; assentationes uituperabunt. Isti corripient, eosq; seruitutis amici sui pudebit. Amator autem dum ista facit, gratiã adipiscitur, & quasi præclarum aliquid agat, à lege absq; ulla infamiæ nota facere ista permittitur. Quodúe permaximum est, uulgo fertur, quod solis amatorijs periurijs dij dant ueniam. Venereum quippe iusiurandum nihil ualere aiunt. Itaq; tam dij q̃ homines omnem amanti licentiam præstiterũt, ut lex nostra testatur. Si ad ista quæ dicta sunt, respiciamus, pręclarissimum quiddam in hac ciuitate existimari uidebitur amor, quod ue amanti amatus indulgeat. Si rursus ea quæ dicam, animaduertamus, turpissimum hoc apud nos haberi putabimus. Nam parentes pędagogis filios cõmendant, qui amatos cum amantibus loqui prohibeant. Socij quoq; & ęquales quotiens tale quid uident, uituperant, eosq; dum talia carpunt, senes non reprehendunt, neq; eos quasi errent, corripiunt. Quapropter ita hoc habere se arbitror, ut ipsum secundũ se, sicut principio dictum est, neq; honestum sit, neq; turpe. Neq; enim simplex est, sed recte factum honestũ, contrà, turpe. Turpe quidẽ est, prauo ac turpiter obsequi. Honestum uero bono, atq; honeste. Prauus autem est amator ille uulgaris, qui corpus magis q̃ animum amat. Neq; stabilis est, cum rem sequat̃ minime stabilem. Nam cum primum corporis species quàm cupierat, defloruit, abit nihil eorum quæ promiserat, seruans. Bonorũ uero morum amator, per omnem uitam in amicitia perseuerat, utpote qui rem stabilem sectabat̃. Istos utiq; nostra lex diligenter examinare præcipit, & his morem gerere, illos fugere. Et hos quidem sequi iubet, illos fugere, dijudicans & examinans quæ quis amet, & quæ in quouis amentur. Atq; ob hãc causam

Solis amatorijs periurijs dij dant ueniam

primum facile, citoq; capi, turpe censetur, ut tempus intercedat, quod ad examinandos mores exigitur. deinde aut pecuniarum copia, aut magistratuũ potentia capi, absurdum, siue timore quodã potius quàm uoluntate irretiatur, siue acceptis pecunijs, ciuilibusq; muneribus acquisitis non contemnat. Nihil enim ex ijs solidum firmumq; esse uidetur, præter id quod ab ijs amicitia generosa oriri nequit. Vna itaq; secũdum legem nostram uia restat, qua amati amantibus iure gratificari possint. Etenim quemadmodum apud nos de amantibus lex illa relata est, qua dicitur, nullum uoluntarium amatoris in amatum obsequium, adulatorium & infame putandum: sic & alia quædam secũdum legem uoluntaria seruitus restat, quæ infamiam nullam subit. Hæc autem est quæ circa uirtutem uersatur. Nam nostris legibus est institutum, siquis uelit aliquem colere, putans per illum uel sapientia quadam, uel in alia quauis parte uirtutis proficere, hanc rursus uoluntariam seruitutem neque dedecori seruienti fore, neq; adulationem uocari debere. Oportet autem has leges in idem conducere, illam scilicet de amatoribus, & hanc de philosophia, aliaq; uirtute conscriptam, si ulla ratione contingere debet, ut deceat amatos amatoribus obsequi. Quotiens enim in idem concurrunt amator atq; amatus, utriq; legem habentes, hic quidem obsecuturis amatis iuste in omnibus ministrare seruireq; paratus, ille rursus scientiæ morumq; præceptori suo iuste in singulis pariturus: & hic quidem ad sapientiam, aliasq; uirtutes conferre potens: ille autẽ eruditione & sapientia indigens, tunc sanè in unum his legibus concurrentibus duntaxat euenit, ut honestum sit amatos amatoribus morem gerere: aliàs aũt nullo modo. In hoc utiq; falli, turpe non est. In alijs autẽ omnibus obsequium huiuscemodi turpe censetur, siue obsequentem fallat opinio, siue non fallat. Si enim quis amatori tanquam diuiti diuitiarũ causa gratificatus, fallitur, neq; uoti compos efficitur, quum pauper sit amator, nihilominus uituperatur. Videtur enim hic seruilem animi sui habitum ostẽdisse, quòd pecuniarum gratia in singulis rebus cuiuis seruiret: quod quidem minime est honestum. Eadem ratione si quis tanquam bono gratificatus, ipse hac consuetudine sperans euadere melior fallitur, cum ille prauus esse deprehendatur, honesta quædam deceptio est. Nam uidetur affectum suum demonstrasse paratum ad omnia ministeria uirtutis consequendæ gratia toleranda. Quod sanè præclarissimum iudicatur. hac itaq; ratione uirtutis auiditate gratificari, atq; seruire semper honestum. Hic autem est ipsius cœlestis dei amor, cœlestis & ipse: qui tam priuatim, q; publice preciosus est, & amantem pariter atq; amatum uirtutis curam studiumq; suscipere cogit. Cæteri uero amores Veneris uulgaris sunt comites. Hæc in præsentia ô Phædre, uelut ex tempore de Amore uobiscum confero. Cum Pausanias pausam, id est finem dicendi fecisset: sic enim alludere uocabulo sapientes me docent: oportere inquit Aristodemus Aristophanem dicere. uerum singultu uel propter repletionem, uel propter aliam causam contingente, impeditum fuisse. Quo circa ad Eryximachum medicum continuo post ipsum sedentem, ita loquutum. O Eryximache tua nunc interest, aut singultũ reprimere, aut pro me loqui donec cesset. Ad ea Eryximachũ respondisse. Vtrumq; efficiam. Equidem uicem tuam sumens, pro te dicam, tu uero pro me, postquam singultus abierit. Interim dum ipse loquor, si uis aliquandiu spiritum cohibere, singultus cessabit. Si minus id placet, saltem aqua multa intus allue fauces. Et si fortè uehemẽs est, nares cõmode stimula ut sternutatio irritetur. Nam si id semel, aut bis feceris, etiam si frequentissimus sit, tolletur. Antequam finem dicendi feceris, inquit Aristophanes, quæ iubes, efficiam. Eryximachum igitur ita loquutum.

Carpitur & deridetur Aristoph.

Remedia singultus

ERYXIMACHI COLLAVDATIO

NEceſſarium inquit mihi uidetur, postquã Pausanias recte exorsus, finem imposuit minus sufficientem, quod deest à me nunc impleri. Distinctionẽ quidem illam qua in duo distributus est Amor, approbo. Verũ nostra hac medicinę arte comperisse mihi uideor, non solum animis hominũ erga pulchros Amorem inesse: uerumetiam ad alia multa, atq; in alijs tum corporibus animalium omniũ, tum his quæ ex terra nascuntur: ac deniq; in omnibus, ut ita dixerim, quę in rerum natura cõsistunt. Magnum quoq; atq; mirabilem hunc deum per omnia tam humanà q; diuina latissime se porrigere. A medicinę peritia primo exemplum capiam, ut artem meam uenerer. Corporũ sanè natura Amorem hunc geminũ continet. Quod enim in cor-

in corporibus noſtris bene ualet, & quod male, aliud atq; diſſimile eſſe conſtat. Quod uero diſſimile eſt, diſſimile cupit & amat. Alius ergo qui in ſano corpore Amor, alius qui in ægroto. Et, ut paulo ante Pauſanias aſſerebat, tẽperatis hominibus gratificãdum eſſe, intemperatis uero nequaquã: ita & in ipſis corporibus bonis quidem ſanisq; obſequendum eſt, in quo maxime ratio medicinę conſiſtit: malis autem ęgrotisq; minime, ſi modo artificioſus quis uult medicus eſſe. Eſt autem, ut ſummatim dicam, medicina ſcientia qua amatorij affectus corporis quo ad repletionem euacuationemúe noſcuntur. Et quiſquis pulchrum & deformẽ in his amorem diſcernit, is medicus peritiſſimus ſit. Quiue ita permutare hæc poteſt, ut pro altero amore naſcatur alter: aut quibus abeſt Amor, adeſſe autem oportet, immittere ualeat, & inſitũ extirpare: eruditus ſit artifex. Poſſe autem oportet, quę in corpore inimica maxime ſunt, cõciliare, & amorem illis inſerere mutuum. Inimica uero maxime ſunt, quæ contraria maxime, frigidum calido, amarum dulci, humido ſiccum, cæteraq; huiuſmodi. Cum Amorem his mutuum concordiãq; inſerere ſciret noſter ille progenitor Æſculapius, ut hi poetæ teſtanẽ, quibus & ipſe credo, artem noſtram compoſuit. Medicina itaq; omnis ea ratione qua loquor, ab hoc deo gubernatur. Similiter quoq; agricultura atq; gymnaſtica. Quod autem eadem ſit & de muſica ratio, perſpicuum eſſe cuiuis poteſt, qui uel pauliſper aduerterit. Quod Heraclitus forſitan ſentit, uerbis tamẽ parum explicat. Vnum quidem, inquit, ſecum ipſo diſcrepans cõuenire, ut harmonia, arcus & lyræ. Atqui abſurdum dictum eſt, harmoniam diſcrepare, atq; ex diſcrepantibus quamdiu diſſonãt eſſe. Sed hoc fortè ſignificare uolebat, quod ex his quę prius diſcrepabant, graui ſcilicet & acuto, deinde per artem muſicam conſonantibus, harmonia conficitur. Nunq; enim ex graui & acuto dum diſcrepant, harmonia conflatur. Harmonia nanq; concentus eſt. Concentus uero concordia quædam. Concordia antem ex diſcrepantibus donec diſcrepãt, fieri nunquam poteſt. Quod uero diſcrepat, neq; eſt concors, cõcinere nequit, quẽadmodum rhythmus ex ueloci & tardo antea diſcrepantibus, poſtea uero concinentibus conſtituitur. Et quẽadmodum humoribus medicina concordiam, ita uocibus muſica conſonantiã tribuens, Amorem conſenſumq; mutuum gignit. Atqui eſt muſica ſciẽtia circa harmoniam & rhythmum, affectus amatorios uiresq; dijudicans. Sanè in ipſa harmoniæ & rhythmi cõpoſitione uis amatoria facile percipi poteſt: uerum geminus Amor nõdum hic diſtinguitur, ſed tunc demum, cum ad alios rhythmo & harmonia eſt utendum: uel fingendo, quam melodiæ factionem uocant, uel utendo recte his quæ facta ſunt, melodijs & metris, quam diſciplinam nominant. Vbi difficilis obſeruatio eſt, & perito eſt opus artifice. Huc iam ſuperior ille ſermo reuertitur, quod uidelicet modeſtis hominibus, & his qui nondum ſatis modeſti ſunt, ut fiant, gratificandũ, horumq; ſeruandus eſt amor. Atq; hic eſt decorus ipſe & cœleſtis Vraniæ muſæ Amor. Polymniæ uero muſæ, uulgaris. Cui ſumma cautione indulgendum eſt, ut uoluptatem quidem homines hauriant, incontinentiã uero deuitent. Sicut in arte noſtra arduum eſt, cupiditatibus quæ ad ſuaues coquorum epulas nos allicĩũt, recte uti adeo ut abſq; bonę ualetudinis detrimento ſuauiter his ueſcamur. Quamobrem & in muſica, & in medicina, et in alijs omnibus, tam humanis quàm diuinis, utrunq; amorem qui oñibus ineſt, pro uiribus obſeruare debemus. Quinetiã anni temporum conſtitutio utriſq; his plena eſt. Nam quotiens illa quæ modo dicebam, calida & frigida, ſicca & humida, congruũ inter ſe ſortiuntur amorem, & harmoniam temperiemq; opportunam ſuſcipiunt, ſalubrem & fertilem annum hominibus, animantibus omnibus, atq; plantis afferunt, neq; quicquam lædunt. Contrà uero cum petulans & contumelioſus amor in anni temporibus præualet, iniuria multa corrumpit. Peſtes ſiquidem ex his oriri conſueuerunt, aliiq; morbi permulti & uarijs brutis ac plantis innaſci. Quoniam pruina, glacies, grando, ſegetumq; rubigines, & putredines ex immoderato & excedente qualitatũ amore proueniunt: horumq; & cœli motus, & anni temporum ſcientia, aſtronomia uocata eſt. Prętera ſacrificia omnia, & illa quibus uaticinium præeſt, communiones uidelicet deorum hominumq; inuicem, circa nihil aliud uerſantur quàm amoris curationem atq; cuſtodiam. oñis enim impietas tunc accidit, quando quis modeſto amori haud indulget, nec illum honorans in omnibus ueneratur, ſed circa amorẽ alterum peruagatur, nec officio congrue erga parentes uiuos & defunctos, & erga deos utitur. Hos amores diſcernere atque curare uaticinij

Medicina

Vaticinium propositum est. Et insuper uaticiniũ amicitiæ inter deos & homines opifex, ex eo quod intelligit qui potissimum ex humanis amoribus fas aut nefas attingit. Atq; ita multam & amplam, imò uero omnem uim summatim quidem omnis cõtinet amor: sed qui circa bona cum temperantia & iustitia tam erga nos quàm erga deos uersatur, uim summam habet, omnemq; nobis beatitudinem exhibet. Nam & nos inuicem cõmuni uita conciliat, & dijs humana natura præstantioribus amicos efficit. Fortè & ipsa multa quæ ad laudandum Amorem pertinent, prætermitto. neq; sponte tamen. Quod aũt deest, tuum est Aristophanes adimplere. Vel si aliter hũc deum honorare uis, honora, quum singultus ipse cessauerit. Iam sedatus est, dixisse Aristophanẽ, non tamen prius quàm sternutamento repressus. Quo fit ut admirer, si congrua corporis affectio huiusce modi strepitu & titillatione indiget, qualis est sternutatio. Hæc enim mox expulit. Vide ô bone Aristophanes, quid agas, respondisse Eryximachũ. Risum cõtra te moues, dum alios irrides, cũ iam dicturus sis, & obseruatorẽ me fieri cogis sermonis tui, siquid fortè ridendũ protuleris, cui loqui secure licuisset. Iterũ taxatur Aristophanes Probe loqueris Eryximache, Aristophanẽ dixisse. Sint ista mihi non dicta, ne nobis insidieris obsecro, neq; enim uereor ne quid quod risum moueat, in mediũ afferam. hoc enim musæ nostræ lucrum propriumq; esset. sed ne deridenda proferam, timeo. Emisso, respondisse Eryximachũ, in nos iaculo Aristophanes ausugere speras. At mentẽ dicendis adhibe, tanquam rationem dictorum omniũ redditurus: fortè uero, si uidebitur, te dimittam.

ARISTOPHANIS LAVDATIO

ALiter de Amore quàm tu & Pausanias loqui cogito. Mihi plane uidentur homines Amoris uim omnino hactenus ignorasse. Nã si eam nossent, delubra illi insignia, aras & hostias dedicarent: quorũ nihil his temporibus agitur, cum erga illum maxime omnium obseruare hæc deceat. Est enim præcæteris dijs summopere generi humano beneficus, curator & tutor hominum, atq; medicus, quibus sanatis, summam genus nostrum felicitatẽ nanciscereturCo-
nabor itaq; uim illius uobis exponere. Vos autẽ quæ à me hodie percipitis, alios deinde docebitis. Oportet in primis qualis hominum quondã natura fuerit, quę ue illius passiones, animaduertere. Neq; enim qualis nũc est, olim erat, sed longe diuersa. Principio tria hominum erant genera, non solum quæ nunc duo, mas & fœmina, uerum etiam tertium quoddam aderat, ex utrisque compositum. Cuius solum nobis restat nomen, ipsum periit. Androgynum quippe tunc erat & specie & nomine, ex maris & fœminæ sexu commixtum. Ipsum profecto defecit, nomen solum infame relictum. Præterea tota cuiusque hominis species erat rotunda, dorsum & latera circum habẽs, manus quatuor, totidemq; crura, uultus item duos tereti ceruice cõnexos, & omnino consimiles. Caput utrisq; uultibus contra uersis, unum. Aures quatuor, genitalia duo, & alia singula, ut ex his quisque cõuenienter excogitare potest. Incedebat tunc & rectus, ut nũc, in utram uellet partem: & quotiens celerius ire cõtenderet, instar eorum qui prono capite crura sursum circumferentes circularem choream exercent, tunc octo membris innixus celeri circulo ferebatur. Ob hanc uero causam tria genera & talia erant, quia masculum Sole genitum erat: Fœmina, Terra: promiscuum deniq;, Luna. Vtriusq; enim luna est particeps. Sphærica uero erant & figura, & motu, quia parentum similia. Vnde & robusto corpore, & elato animo erant. Quare cum dijs pugnare tentabant, & in cœlum ascendere, quẽadmodum de Ephialto & Oto scribit Homerus. Iupiter igitur unaq; dij cæteri quid agendum esset, consultauerunt, Quà in re non parua inerat ambiguitas. Nam neq; fulminare homines illos ut gigantes placebat. extincto enim hominũ genere, humanus deorum cultus ueneratioq; periret. neq; in tanta insolentia perseuerare illos permittendum censebant. Tandem sententiam Iupiter suam explicuit. Inueni, inquit, qua ratione fieri possit ut & sint homines, & modestiores sint. Idq; erit si imbecilliores fiant. Vnumquenq; nunc duas in partes diuidam. Ex quo & debiliores erunt, & nobis etiam magis id conducit. Numero siquidem plures erunt qui nos colent. Recti duobus cruribus ibunt. Quod si rursus impie insurgere uideantur, iterum in duo secabo, ut unico crure nixi, utpote claudi, saltare cogantur. Hæc fatus bifariam partitus est singulos, instar eorum qui oua diuidunt, ut sale condiant

condiant,uel qui capillo oua secant. Mandauitq; Apollini,ut partitione statim facta, cuiusq; uultum ceruicisq; dimidium in eam partem qua sectus est,uerteret,ut scissionem suam considerans modestior fieret,reliquis autem mederi iussit.Ille continuo uultũ uertit, & contrahens undiq; cutem in eum qui nunc uenter uocatur, tanquã contracta marsupia & os unum faciens,medio in uẽtre ligauit. Quem quidem nexum umbilicũ uocant. Et alias quidẽ rugas maxima ex parte leuigauit, pectoraq; articulatim distinxit, organo quodam tali utens,quali coriarij cum corij rugas super pedis formulam poliunt: nonnullas uero circa medium uentrem umbilicumq; reliquit,ut quasi cicatrices quædam passionem nobis ueterem semper repræsentarẽt. Postquã natura hominum ita diuisa fuit,cum quisq; dimidium sui agnitum cuperet,inter se concurrebãt,circumiactisq; brachijs se inuicem cõplectebantur, conflari in unum affectãtes. Vnde fame,& torpore deficiebant, eo quod nunquam seiungebantur. Et cum dimidium unum moriebatur, restabatq; alterum,quod supererat rursus aliud ascisebat,similiterq; congrediebatur, siue solius cuiusdam totiusq; fœminæ dimidium esset,quam fœminam nũc uocamus,seu uiri. Atq; ita genus hominum deperibat.Quocirca miseratus Iupiter,remedium aliud excogitauit, permutauit genitalia,& quę prius retro erant,ad anteriores partes trãstulit. Antea siquidem cum ad nates hæc haberent,non inuicem,sed in terram spargentes semina cicadarum instar cõcipiebant,atq; generabant. Cum uero ad anteriora transposuissent, per hæc generationem in seinuicem fecit expleri:per masculum quidem in fœmina,hac de causa,ut si in amplexu uir fœminæ cõmisceretur,genita prole speciem hominũ propagarent. Sin aũt masculo masculus,satietate ab amplexu amouerentur, & ad res gerendas conuersi uictum curarent. Hinc utiq; ex illo tempore mutuus hominibus innatus est amor, priscæ naturæ cõciliator, annitẽs unum ex duobus efficere, hominũq; naturæ mederi. Est igitur quisq; nostrum,dimidium hominis,utpote sectus,quemadmodũ piscículi qui Psettę uocantur, scissi ex uno duo efficiuntur.Quærit autem sui quisq; dimidium : quamobrem quicunq; ex uiris promiscui generis portio sunt, quod olim Androgynum uocabatur,mulierosi sunt adulteriaq;,ut plurimũ,ex his patrantur.Ex hoc sanè genere mœchi ducũt originẽ.Rursus quæcunq; mulieres uirorũ cupidæ mœchæq; sunt,hac stirpe nascuntur. Quæ uero mulieres mulieris pars existunt,haud multum uiros desiderant,sed fœminas magis affectãt, atq; hinc fœminæ quæ fœminas cupiunt nascuntur.At uero qui maris portio sunt,mares se quuntur.At dum pueri sunt,utpote qui maris particula sunt,uiros diligũt,uirorũq; familiaritate assidua congressuq; gaudent:hiq; sunt puerorum adolescentulorũq; omnium generosissimi,quippe qui natura præ cęteris omnibus sunt uiriles.Hos quidam impudicos falso appellant.Neq; enim impudentia ulla,sed generositate,& fortitudine quadam mascula uirilitq; natura hoc agunt:nam simili suo congratulantur. Huius euidens argumentum est,q; cum adoleuerint,soli ad ciuilem administrationem cõuersi,uiri præstãtes euadunt,& in ętate uirili constituti,ipsos adolescentes diligunt,matrimoniũ uero filiorumq; generationẽ natura spernunt, nisi lege cogantur. Cælebs porro uita his placet. Omnino igitur uir talis mares diligit,amicorũq; studiosus efficitur,cognato semper cõgratulatus. Quotiens itaq; dimidium suum alicui cuiuscunq; sexus auidus sit,occurrit,uehementissime concitantur,& obstupescũt,amicitiaq; & familiaritate & amore ardent,neq; momentum quidem,ut ita dixerim,seiungi à seinuicem patiuntur. Atq; hi sunt,qui per omnem uitam amare pergunt,neq; quid potissimũ à se uicissim expetant,exprimere possunt.Neq; enim uenereus coitus id esse uidetur, cuius gratia alter alterius consuetudine tantopere delectatur.Aliud quiddam est profecto,quod animus utriusq; cupit,nec exprimere ualet,sed uaticinatur potius conijcitq;, & affectum insitum uestigijs signat obscuris. Atqui si unà iacentibus illis superne Vulcanus cum suis instrumẽtis adstans interrogaret, quid est ô homines,quod à uobis uicissim exigitis? & ambigentibus illis iterum percõtaretur: Nunquid hoc exoptatis,in unum idemq; maxime congredi, adeo ut neq; die neq; nocte inuicem separemini? Si hoc affectatis,colliquefaciam uos confundãq; in idem,ut ex duobus unum efficiamini, & tam in hac uita, quàm apud inferos unum semper perseueretis. Videte an hoc sit quod ardetis,satisq; futurum sit uobis,si huius compotes efficiamini.Si ita,inquam, Vulcanus quæreret,constat quod nemo renueret,aut aliud quàm hoc expetere uideretur. Reuera enim quod olim cupierat, audisse se quisq; putaret,congressu uidelicet

delicet cõmixtioneq; cum amato unum ex duobus confici. Huius causa est, quia prisca hominũ natura hæc erat, integriq; eramus.totius itaq; reficiendi cupido nixusq;, amoris nomen accepit.Olim quidem,ut suprà narrabam,unum quisq; nostrum erat.Deinde propter iniustitiã à Deo scissi fuimus,quẽadmodum à Lacedæmoniis Arcades. Verendum est præter ea ne si minus modesti quàm deceat in deos simus, iterum diuidamur, talesq; efficiamur, quales qui in columnis figurantur, nates secti euadamus similes tenuissimorum quorundã animaliũ quæ Lispæ uocantur. Sed horum gratia unumquenque decet summa pietate deos colere, & alios ad hoc exhortari, ut hæc uitemus, adipiscamur illa, quemadmodũ nos dux noster amor & imperator admonet, cui nullus repugnare audeat.Repugnat autem huic,quia aduersatur diis. Nam si Deo reconciliati eum propitium habuerimus,singuli dimidium suum exoptatũ reperiemus & consequemur. Quod quidem pauci his temporibus agunt. Neq; sermonem hunc meum Eryximachus iste corripiat,quasi Pausaniam Agathonemq; dicam,fortè enim & isti ex his sunt, & natura ambo mares existunt.Assero equidem de omnibus uiris ac fœminis,ita demum genus nostrum fore beatum,siquando amoris impetum impleamus,& suis quisq; delitijs potiatur, in antiquam naturam penitus restitutus.Si hoc felicissimũ quiddam est,sequitur ut ex ijs quæ nunc nobis tributa sunt,quod huic proximum est, id sit & optimum: hoc est, ut quilibet eos qui natura ipsi cordi sunt,nanciscatur. Cuius utiq; causam Deum laudãtes, amorem iure laudare debemus, qui in præsenti tempore nos summopere iuuat, dum in suum ingniculum quenq; conducit, & in posterum spem summam porrigit nobis deos pie colentibus,in ueterem figuram restituendo medendoq; se nos beatissimos effecturũ. Hic meus est Eryximache de amore sermo,à tuo diuersus:quem,ut suprà oraui,ne carpas, ut audiamus quid quisq; reliquorũ afferat,imò quid uterq;.Nam Agatho duntaxat et Socrates restant. Morem tibi geram, dicere Eryximachũ. Nam mihi oratio tua placet. Et nisi cognouissem Socratem, & Agathonem in amatorijs esse facundos, dubitassem ne uerba illis deficerent,eo quod multa uariaq; sunt dicta. Verum adhuc illis confido. Strenue & ipse certasti ô Eryximache, Socrates inquit dicebat. Verum si in eo gradu constitutus esses in quo nunc ego sum,imò in quo ero cum Agatho quoq; scite dixerit,perinde ut ego nunc maxime formidares,& angustijs undiq; premereris. Incantationibus circũuenire me uis ô Socrates, Agathonem respondisse, ut in conspectu uestro pauescam,quod magna apud uos tanquam in theatro de me expectatio sit,quasi elegantissime sim dicturus. Nimis ô Agathon,obliuiosus essem,dixisse Socratem,si te nunc coram paucis trepidaturum putarem, quem heri tam fortiter, tamq; generose ascendisse pulpitum tragicum unà cũ histrionibus uiderim,& sine ullo terroris motu coram tanta spectantiũ multitudine carminum periculum feciisse. Ne me adeo,dicere Agathonem, theatri studio sum eiusq; fauori deditum putes, ut ignorem prudenti uiro paucorũ sapientũ, magis q; multorum insipientium iudicium esse uerendum. Inique iudicarẽ Agatho, Socratem dicere,siquid in te rusticũ existimarem.Noui equidem, quod si quos offenderes tuo iudicio sapientes,magis eos q; uulgus curares. Sed uide ne ipsi tales miníme simus. Interfuimus ibi & ipsi, uulgarium numero computati. Sinautem alijs occurreres sapientibus, ne quid in eorum conspectu inepte faceres,formidares.Nunquid aliter dicis? Non. Vera enim refers, dicere Agathonem. Vulgus aũt non metueres, dicere Socratem, siquid ineptum cõmittere te putares.Hic Phædrum ô amice Agathon, subiecisse, si Socrati respondere pergis,nihil curabit quomodocunq; cætera hic agantur,modo habeat quicum disputet, pulchro præsertim. Equidem libenter Socratẽ audio disputantẽ. Veruntamen curãdum mihi est,ut amor à singulis ordine certo laudetur. Laudate igitur & uos Deum primo, postea arbitratu uestro inuicem disputabitis.

Prudẽti uiro paucorũ sapientũ magis quàm multorum insipiẽtũ iudicium esse uerendum

SECVNDA ORATIO

Recta ratio laudandi

PRæclare loqueris Phædre, Agathonem dixisse, neq; me quicq; dicere prohibet. Cum Socrate quidẽ sæpe aliâs disputare licebit. Ego uero nũc primũ quatenus dicendũ sit,mõstrabo,postea dicã. Videnť mihi qui hactenus locuti sunt, nõ ipsum Deũ laudasse, sed beneficia quæ feliciter ab illo cõferunť, hominibus narrauisse. Qualis uero ipse sit qui horũ bonorũ causa est, nullus adhuc expressit. Recta autẽ laudandi ratio sola in omnibus illa est, qua illius de quo agitur

agitur natura prius ostenditur, postea quorũ causa est declaratur. Sic & in præsentia qualis ipse sit amor primum ostẽdere decet, deinde munera illius exponere. Assero equidem cum dij omnes beati sint, amorem, si modo fas est & tolerabile dictu, esse omnium beatissimum, quippe cũ pulcherrimus omniũ optimusq; existat. Quod uero pulcherrimus sit, ex eo primum patet, quod deorũ omnium maxime iuuenis est. cuius ipse euidens argumentum præbet, cum senectutem fugiat, uelocem uidelicet, quæ citius quàm oportet aduentat, eamq; amor natura odit, fugitq;, iuuenibus uero se miscet. Scite quidem ueteri prouerbio fertur, simile simili semper hærere. Et cum multa Phædro cõcedo, in hoc uno minime assentior, quòd amor Saturno & Iapeto sit antiquior. Immo prę cæteris dijs iuuenem esse aio, semperq; iuuenem: prisca uero deorum gesta, quæ Hesiodus Parmenidesq; describunt, necessitati potius quàm amori attribuenda, si modo illi uera narrarunt. Neq; enim castrari inuicem, & uinciri, aliaq; uiolenta permulta dijs olim contigissent, si amor illis tunc adfuisset: sed beneuolentia, & pax summa regnasset, quemadmodum nunc, ex quo imperare dijs amor incepit. Ergo iuuenis est, & tener præterea, mollisq;. Opus autẽ est tali quodam poeta qualis Homerus extitit, ad teneram amoris mollitiẽ demonstrandam. Homerus quidem Aten, id est calamitatem deam inquit esse, & mollem. Vtq; illius pedes teneros esse ostenderet, ait nunquam pauimenta calcare, sed per capita hominum incedere: perspicua sanè coniectura quod tenera sit, usus fuisse uidetur, quia per dura non graditur, sed mollia tangit. Eodem nobis utendum est argumento, quod tener sit Amor ostendere cupientibus. Neq; enim per terram, & saxa uadit, quæ aspera sunt, sed mollissimis omnium rebus se infigit atq; permanet. In animis quippe deorum & hominum sedem suam locat. neq; tamen in quibuslibet animis: nam si durum animi offenderit habitum, aufugit: sinautem mitem mollemq;, inhabitat. Cum itaq; mollissimarum rerum mollissimas semper partes pedibus totoq; tangat, tenerrimum esse amorem necesse est. Quapropter & iuuenis est, & tener præ cæteris amor. Quinetiam aquæ instar liquidus est, & lubricus. Non enim undiq; per omnem animam circunfluere posset, & clam influere, & effluere clam, si durus ac rigidus esset. Aptæ uero, compositæ, flexibilisq; formæ, argumento esse formositas potest, hoc est figuræ concinnitas, qua amor omniũ maxime proculdubio decoratus est. Inter deformitatẽ porro & amorem est pugna perpetua. Coloris quoq; decorem assidua inter flores habitatio huius dei significat. In eo siquidẽ quod floribus caret aut defloruit, siue corpus, siue animus, seu quoduis aliud sit, Amor ipse nõ insidet. Vbicunq; uero floridus, & odorifer est locus, gratissime conquiescit. De huius dei pulchritudine permulta insuper afferri possent, sed ista sufficiunt. Deinceps de uirtute amoris est dicendum. Quod in primis maximi faciendum est, Amor nec iniuriam infert deo, uel homini, nec à deo, uel homine iniuriam patit̃. Non enim ipse qui patitur, si quid patitur. Nam uiolentia non tangit amorem. Neq; ui facit, si quid faciat. Quisq; enim sponte amori in singulis paret. Quæcunq; uero uolens quispiam cum uolente ultro cõtrahit, iusta habentur, ut regiæ ciuitatis leges statuunt. Nec iustitiæ solum, uerumetiam summæ est temperantię particeps. Siquidẽ inter omnes conuenit, temperantiam esse, libidinibus & uoluptatibus dominari, nullãq; uoluptatẽ esse amore potẽtiorem. Quod si uoluptates omnes amore imbecilliores sunt, ab illo utiq; superãtur, ille uero dominatur. Amor itaq; quoniã libidinibus, & uoluptatibus dominatur, mirum in modũ est tẽperans. Quod ad fortitudinẽ præterea neq; Mars equidẽ Amori resistit. Neq; enim Mars amorem, sed amor Veneris (ut fertur) Martem detinet. potentius aũt est quod detinet quàm quod detinetur. Qui uero cęterorum fortissimo dominatur, omnium absq; dubio fortissimus iudicandus est. De iustitia igitur, temperantiaq;, & fortitudine huius dei satis est dictum. De sapientia deinceps dicendum restat, quod quidem pro uiribus est exequendum. Principio, ut & ipse artem meam, perinde ac suam Eryximachus, honorem, hic deus poeta est adeo sapiens, ut alios quoq; poetas possit efficere. Quilibet enim licet antea rudis, poeta euadit cum primum amor afflauerit. Ex quo perspicue coniectare licet amorem peritum esse poetam, omnesq; summatim musicos poesis numeros continere. Nam quæ nec habet aliquis neq; noscit, alteri dare, uel monstrare non potest. Quod utique per amoris sapientiam animalia cuncta gignantur atq; nascantur, quis dubitet? Artium præterea facultatem, nónne ab hoc deo tradi uidemus? eumq; hominem cuius hic est præceptor,

Prouerbiũ Simile simili gaudet.

Omnes uoluptates ab amore superari

Quæ quis non habet nec nosci, alteri dare uel minis trare non potest

quauis in arte præcellere, clarumq; euadere? contrà uero eum qui ab amore nõ tangitur, in obscuro iacere? Sagittandi namq;, medendi, & diuinãdi peritiam appetitu atq; amore duce inuenit Apollo, qui est Amoris discipulus. Musicam similiter Musæ. Fabricã Vulcanus ærariam. Texendi artificium Minerua. Iupiter deorum hominumq; gubernationem. Quocirca res deorum amore interueniente dispositæ sunt, amore, inquam, pulchritudinis: deformitatem quippe non sequitur amor. Antea uero, ut suprà dicebam, permulta atq; atrocia inter deos propter necessitatis regnum, ut dicitur, contigerunt. Postquã uero deus hic ex pulchrorum desiderio natus est, bona omnia tam ad deos quàm ad homines prouenere. Ita mihi uidetur ô Phædre, amor ipse primum pulcherrimus optimusq; esse, deinde talia quędam cæteris quoq; largiri. Succurrit mihi in prędentia metricũ quiddam atq; concinnum. Hic deus est qui pacem largitur hominibus, qui mari tranquillitatem, qui uentis requiem, cubile uiuentibus omniumq; securum. Hic rusticitatem à nobis amouet, hic nos familiaritate conciliat, cœtus huiusmodi omnes congregans. In solennibus festisq; diebus, in choris, in sacrificijs, dux nobis & præsidens. Mansuetudinem quidem porrigens, exterminãs feritatem. beneuolentiæ largitor, maleuolentiæ omnis expulsor, propitius, beneficus, spectandus sapiẽtibus, dijs placidus, exoptãdus expertibus, participantibus possidendus atq; tuendus. Delitiarum, mollium illecebrarum, gratiarũ dulcis perfusionis & desiderij pater. Bonorum studiosus, malorum spretor: in labore, in timore, in desiderio, in sermone gubernator, perfectus adiutor, seruatorq; præcipuus. Cunctorum deorum atq; hominum decus, & dux pulcherrimus atq; optimus. Quem profecto sectari debet, prędarisq; hymnis uenerari uir quisq; cantilenæ illius particeps, quam Amor ipse concinit, mentem deorum hominumq; permulcens. Hæc igitur oratio mea Phædre deo uoueatur, partim iocis, partim serijs rebus pro ingenij mei facultate referta. Dum hæc Agatho dixisset, quemadmodũ retulit Aristodemus, conuiuæ omnes summo quodam applausu orationem ipsam comprobauerunt: utpote quæ sicut & Agathone & deo dignũ erat, habita uideretur. Quapropter Socrates ad Eryximachum conuersus, inquit. An non merito ô Acumeni fili Eryximache, suprà timuisse nunc uideor, quod reuera contigit uaticinatus, quòd Agathon elegantissime loqueretur, unde mihi uerba defore putabam? Vnum quidem, Eryximachum respondisse, recte uaticinatum te puto, sci te locuturum Agathonem: tibi uero defuturam facundiam, minime. Qui non, dixisse Socratem, & ipse ô beate, & alius quiuis à dicendo absterreatur, cui post tam luculentam copiosamq; orationem sit loquendum? Et cætera quidem quamuis apte composita, non adeo miranda uidentur: elegantiam uero nominum atq; uerborum qua in orationis calce est usus, siquis animaduerterit, protinus obstupescet. Quandoquidem & ipse cum intelligerem non posse me eloquentia prope accedere, parum abfuit quin uerecundia motus hinc aliò, si quò licuisset, abirem. Etenim Gorgiæ me sermo admonuit, quod illud mihi Homericum contigisset. Extimui nempe ne finem uerbis imponens Agatho, Gorgiæ facundi caput è sermone suo in meum transmittens, mutum me factum, lapidem pro homine redderet. Tunc demum temere promisisse me agnoui, amorem uobiscum pro uirili mea collaudaturum, & inepte amatoria professum fuisse, quum omnino nescirem qua quidq; sit ratione laudandũ. Putabam equidem ob ruditatem meam, de quocunq; quod laudatur à nobis uera oportere referri, & hoc quidem adesse atq; licere, ex his autem pulcherrima seligentes quàm decentissime ascribere nos debere. Quocirca ingenti quadam spe elatus sum, quasi recte dicturus, quandoquidem ueram laudandi rationẽ, ut uidebatur, haberem. Tandem uero haud congruus laudationis hic modus apparuit. Oportere namq; uidetur, maxima quæq;, & prędarissima rei quam laudamus, ascribere, siue reuera illi adsint, siue nõ adsint. Nihil enim referre falsa ne an uera sint, cum propositum sit nõ quomodo amor ipse laudetur, imò ut quisque amorem laudare quàm maxime uideatur. Quapropter uniuersa amori tribuitis, talemq; eum esse, & talium tantorumq; causam affirmatis, ut quàm pulcherrimus optimusq; appareat, ignorantibus uidelicet. Nunquam enim intelligentibus laus huiusmodi recta, & pura iudicaretur. Equidem laudationis huius modum penitus ignorabam. Nescius itaq; uobiscum conueni me quoq; inter alios collaudaturum. Lingua ergo pollicita est, mens uero nequaquam. Absit igitur à me ista laudatio. Neq; enim sic illum extollere possem. Veruntamen si uultis, ritu meo uera loqui cu-

Reprehenditur collaudatio, in qua ut cũcta & maxima referãtur, falsa proferũtur

qui cupio,& ad meipſum reſpicere potius,quàm cũ orationibus ueſtris certare,ne riſum moueam. Vide itaq; Phædre,utrum uobis placeat orationem huiuſmodi nũc audire quę de amore uera duntaxat enarret,uerborũ nominumq; utcunq; accidit compoſitione procedens. Phædrũ igiť,Mihi ſanè & alijs placet,dicere,ut tuo arbitratu loquaris. Cõcede mihi ô Phædre,dicere Socratem,ut pauca quædam Agathonem rogem, ut ab illo confirmatus loquar. Concedo equidem,Phædrum reſpondiſſe:Interroga modo, Socratem.

SOCRATIS ORATIO

INde Phædrũ ſic exorſum dicebat. Optima ô amice Agatho orationis tuæ fundamenta iecisſe uideris, cum diceres primo quid amor ſit oſtendendũ, poſtea illius opera numerãda.Hoc equidem principium ualde probo.Age itaq; poſtquam de amore cætera ornate atq; magnifice es elocutus, hoc inſuper circa illius naturam mihi declara, utrũ talis ſit amor, ut alicuius amor ſit,an nullius.Haud peto utrum matris alicuius patris'ue ſit.Ridicula nanq; interrogatio eſſet,utrum amor patris matrisúe ſit amor.Verum ſi interrogaſſem, nunquid pater alicuius pater eſſet,an non,reſpondiſſes utiq;,ſi modo cõgrue loqui uoluiſſes, patrem filij aut filiæ patrem eſſe.An non? Prorſus, Agathonem dixiſſe. Nónne & matrem alicuius eſſe matrem. Et iſtud conſenſiſſe. Reſpõde præterea, Socratem dixiſſe, pauca quædam,ut quod ſentio magis intelligas.Frater nunquid ipſum quod eſt, alicuius eſt frater? Eſſe dicere. Nónne fratris aut ſororis? Horum profecto. Conare ſimiliter de amore nobis oſtendere,num amor alicuius ſit amor. Alicuius certe. Hoc itaq; memoriter ſerua,cuius ſit recordatus.Atq; ad hoc reſponde,utrum amor, illud ipſum cuius eſt amor, appetat,necne. Et maxime quidem. Nunquid hoc ipſum apud ſe habet,& tamen quod habet appetit atq; amat? An potius non habet quod & amat, & appetit?

Veriſimile eſt non habere. Aduerte præterea utrum pro eo quod ueriſimile eſt, neceſſarium ſit ita quicquid appetit, id quo eget appetere: & ſi non eget,nec cupere. Mihi quidem mirum in modum hoc placet, ut neceſſariũ ſit.Tibi uero quid uidetur Agatho, dixiſſe Socratem. Quod & tibi, reſpondiſſe Agathonem. Bene loqueris. An uellet magnus quiſpiam magnus eſſe,& robuſtus aliquis,eſſe robuſtus? Ex his quæ ſuprà cõceſsimus fieri nõ poſſe mihi uidetur. Neq; enim indigus eſſet eorum quæ in ſeipſo iam contineret. Vera dicis. Etenim ſi ille qui robuſtus eſt,uult eſſe robuſtus, & qui uelox,eſſe uelox,& ſanus denicq; ſanus, fortè quiſpiam crederet, & hos, & alios quoslibet, ea quæ habent appetere.Ne igitur hic decipiamur.Hæc ſi diligenter animaduertas Agatho,neceſſarium eſſe uidebis quæcunq; præſenti in tempore hi habent,eadem in tempore eodem habere, ſeu uelint, ſiue nolint, hoc ipſum uero quiſpiam cuperet? Cum uero quis addit:at ego ſanus dum ſum,uolo equidem ſanus eſſe:& diues dum ſum, eſſe diues: atq; idcirco,quæ habeo cupio:huic protinus reſpondemus.O bone uir,ipſe diuitias, ſanitatem, roburq; adeptus,uis hæc & in futuro tempore poſsidere:quoniam in præſenti uelis nolis'ue habes. Vides ergo cum dicis,quæ mihi adſunt cupio,nũquid aliud quàm hoc inferas,quæ mihi nunc adſunt, & in futuro adeſſe exopto. Cenſes hunc hominem Agatho hoc an aliud reſponſurum? Nihil aliud, dicere Agathonem. Amor profecto huiuſmodi,illud reſpicit quod nondum in promptu eſt nec habetur, adeſſe uidelicet & ſeruari illa in tempore quod ſequatur. Sic eſt omnino. Et hic igitur, & alius quicunque appetit, quod nondum expoſitum paratum eſt,appetit, quod'ue non adeſt, nec habet, & quod ipſe non eſt,quo'ue indiget. Talia quædam ſunt illa quorum eſt appetitus, & amor. Talia proculdubio. Age dixiſſe Socratem,quæ ſuprà dicta ſunt repetamus.Primo quidem amor, aliquorum dictus eſt amor,deinde illorum potiſsimũ quibus indiget.

Certe,reſpondiſſe. Recordare præterea,quorum eſſe amorem aſſeruiſti.Ego tibi in memoriam ſi uis reducam. Equidẽ ita dixiſſe te arbitror: A diſs omnia propter pulchrorum amorem fuiſſe diſpoſita. Turpium quippe amorem omnino nullum eſſe. An non ita dicebas? Ita profecto. Probabiliter quidem loqueris ô amice. Et ſi ita eſt, amor certe pulchritudinis amor eſt,turpitudinis uero minime. Cõſentio. Non'ne conceſſum eſt, id quo eget nec habet, amare? Conceſſum plane. Ergo pulchritudine indiget amor, eamq; non habet. Neceſſarium. Quid uero? Num pulchrum uocas quod

pulchri-

pulchritudinis indigum est,nec eam habet? Nequaq̃. Nunquid ulterius, si hæc ita se habent,amorem pulchrum asseris? Nihil eorum quæ suprà dixi, intellexisse uideor.

Recte dixisti.Sed responde dixisse parumper ulterius, nunquid ipsa bona pulchra esse uidentur? Mihi uero. Si igit̃ amor pulchris caret,bona uero pulchra sunt,bonis quoque caret. Repugnare tibi ô Socrates,nullo modo possem. Esto igitur,ut tu ais. Veritati quidem dicere nũquam ô dilecte Agatho,aduersari posses, Socrati uero facillime.

Diotima fatidica

VErum Agathonem iam dimittam,uobisq̃ ô conuiuæ, referam sermonẽ de Amore,quem olim accepi à fatidica muliere Diotima,quæ & harum rerum perita erat,& alia multa sapienter intelligebat,& Athenien sibus olim sacris decennio ante pestem peractis morbi dilationem dedit. Illa me in amatoria facultate instruxit.Quæ igitur illa dixit,conabor uobis ex meipso secũdum ea quæ inter me & Agathonem conuenerunt,exprimere. Oportet aũt primo ô Agatho, ut & tu exposuisti,quid & quale sit amor ostendere,deinde opera illius enumerare. Præstat,ut mihi uidetur, eodem ordine uobis nunc referre quo hospes illa me examinãs pertractauit.Fermè enim eadem ego illi quæ mihi Agatho, prædixerã. Magnum esse deum amorem,& ad pulchra respicere.Eisdemq̃ rationibus me redarguit,quibus hunc ipse, q̃ neq̃ pulcher esset amor,ut dicebam,neq̃ bonus. Ad quam ego tunc. Quid ais ô Diotima,inq̃. Turpis ne igitur ac malus est amor? Et illa:dic meliora quæso.an putas necessarium esse,ut quicquid pulchrũ non est, sit turpe? Maxime. Et quod non sapiens, ignorans. An non aduertisti,esse quoddã sapientiæ & ignorantiæ mediũ? Quid istud? Recte opinari,hoc est ueri absq̃ certa ratione participẽ esse.hoc siquidẽ neq̃ scientia est: nam sine ratione scientia nunq̃.Neq̃ ignorantia rursus.Quod enim ueri cõpos est,ignorantia non uocatur.huiusmodi quiddam est opinio recta,inter sapientiam, & ignorantiã medium. Vera,dicebam ego,narras. Ne cogas igitur,inquit, quod pulchrũ non est, esse turpe:quod ue non bonũ,esse malum.Eadẽ ratione quamuis amorem,neq̃ pulchrũ, neq̃ bonum esse concedas, non tamen putare debes turpem necessario esse, uel malum, sed inter ista medium. At uero in hoc omnes cõsentiunt,magnum esse deum amorem. Ignorantesne dicis,inquit,omnes? An scientes? Cunctos,inquam. Quonam pacto ridicule magnum esse deum hi confitentur,qui nec deum quidẽ esse uolunt? Quinam isti, inquam ego? Vnus quidem tu es,inquit.Ego altera. Quonam pacto dixisse me hoc asseris? Facile tibi ostendã. dic age. Nónne deos omnes,pulchros ac beatos affirmas? Nunquid auderes deorum quempiã non pulchrum beatum ue dicere? Non per Iouem. Beatos autem nõne illos uocas, qui bona pulchraq̃ possident? Illos dun taxat. Atqui amorem in superioribus admisisti propter pulchrorum bonorumq̃ inopiam hæc ipsa quorum indigus est,appetere. Admisi equidem. Quonam igitur modo deus est,inquit,qui pulchrorum bonorumq̃ est expers? Nullo pacto, ut uidetur, inquam. Vides ne quod & ipse amorem deum esse non putas? Quid ergo inq̃: Num mortalis est amor? Minime. Quid igitur? Superiorũ instar, mortalis immortalis ue medium. Quid inquam est, ô Diotima? Magnus ô Socrates dæmon.Et enim omnis natura dæmonum inter mortales deos ue est media. Quam uim habet? Interpretat̃, inquit,& traijcit humana ad deos,diuina ad homines: horum quidem preces, & sacrificia,illorum præcepta sacrosq̃ solennes,institutiones, & ordinem.In utroq̃ medio consti tuta totum complet, ut uniuersum secum ipso tali uinculo connectatur. Per hanc uaticinium omne procedit,sacerdotumq̃ diligentia circa sacrificia expiationesq̃,& incãtationes,& diuinationem omnem,atq̃ magicam.Deus quidem homini non miscetur,sed per id medium cõmercium omne atq̃ colloquium inter deos hominesq̃ conficitur,& uigilantibus nobis,& dormientibus. Quicunq̃ harum rerum peritus est δαιμόνιος, id est felix uir,& sapiens nuncupatur:qui uero alias artes,& facultates quæ manibus explentur, callent,mercenarij nominantur.Enimuero hi dæmones multi atque uarij sunt.Ex his unus est amor. Quinam parentes,inquam,amoris? Quamuis dictu prolixum sit, inquit:exponam tamen. Quando nata est Venus, parato conuiuio discubuerunt dij cæteri,& μήτιδος, id est consilij filius, πόρος, id est affluentiæ deus. Cum cœnati essent, πενία id est paupertas mendicatura cibum,utpote epulis illic abundãtibus uenit,& circa fores obuersabatur. Porus quidem nectare ebrius,uinum namque nõdum erat,Iouis hortum ingressus

Inter sapientiã & ignorãtiam media est recta opinio

Qualis sit opinio recta

Amor est medius inter turpe & pulchrum

Natura dæmonum

Munia & officia dæmonum

Diuinatio & magica cõceditur per dæmones

Amor unus ex dæmonibus

ingressus est, & somno grauatus dormiebat. Penia uero inopia cõpulsa quo pacto filium quasi quibusdam insidijs ex Poro conciperet, excogitauit. Quare iuxta illum accubuit, Amoremq; concepit. Vnde natus est amor sectator cultorq; Veneris, propterea quod in Veneris natalibus est progenitus. Quinetiã natura, pulchri desiderio capitur, quum Venus ipsa sit pulchra. Quoniam uero Pori ac Peniæ amor est filius, sortem huiusmodi nactus est. Principio aridus est, & squalidus, nudis pedibus, semper humi uolans, sine domicilio, sine stramẽtis, & tegmine ullo, ad fores in uia sub diuo dormiens, naturamq; matris seruans, semper egenus. Secundum uero patris stirpem, pulchris ac bonis insidiatur, uirilis, audax, & uehemens sagaxq; uenator, noua semper machinamenta cõtexens, prudentię studiosus, facundus, per omnem uitam philosophans, incantator, fascinatorq; potens, ueneficus atq; sophista. Neq; immortalis omnino secundum naturam, neq; mortalis: sed interdum eodem die pullulat atq; uiuit, quotiens exuberat: interdum deficit, atq; iterũ reuiuiscit ob patris naturam. Quod uero acquirit, continue subterfluit. Quocirca neq; mendicus est amor unquam, neq; etiam opulentus. Quinetiam inter sapientiam & insciti am constituitur. Sic enim res se habet. Nullus deorum philosophatur, aut sapiens fieri cupit. Est enim. Nec alius quiuis sapiens philosophatur. Neq; omnino ignorantes philosophantur, neque sapientes fieri cupiunt. hoc enim habet ignorantia pessimum, quando qui nec pulcher nec bonus est, neq; sapiẽs, sufficienter hæc habere se censet. Nunquã igitur expetit illa quorum se indigum non aduertit. Qui ergo potissimum, inquam, Diotima philosophantur, si neq; sapientes, neq; ignorantes id agunt? Hoc profecto uel puer intelliget, inquit, quod hi uidelicet qui inter istos sunt medij, è quibus est amor. Sapientia nempe pulcherrimum quiddam est, amor autem circa pulchrum uersatur. Ex quo necessario sequitur Amorem esse philosophum: cumq; philosophus sit, medium ignorantis sapientisq; tenere. Horũ in causa eius genitura consistit. Nam ex patre sapiente & opulento est genitus, matre uero minime sapiente, & certe paupere. Natura itaq; dęmonis ô amice Socrates, ista. Nec mirum est talem te amorem finxisse ex ea opinione, quam de natura eius habebas. Nam, ut ex tuis dictis conijcio, non amantem, sed amatum amorem esse putabas, & idcirco pulcherrimum tibi amorem esse uisum existimo. Amabile quidem ipsum reuera pulchrum est, delicatum, perfectum & certissimum. Amans autem aliam talem ideam habet, qualem in superioribus figurauí. Esto, inquã, ut ais, hospes. præclare enim loqueris. Cum uero talis sit amor, ad quid conducit hominibus? Hoc deinceps ô Socrates, docere conabor. Talis quidem est, & ita genitus amor. Est autem pulchrorum, ut ipse inquis. Verum si quis ita quærat, cuius gratia amor pulchrorum est, ô Socrates atq; Diotima? Imò sic clarius: Qui pulchra amat, quid ab his potissimum expetit? Quid respondebimus? Adesse uidelicet sibi. At hæc responsio quæstionem huiusmodi ultra requirit. Quid erit illi cui pulchra aderunt? Nihil in promptu quod respondeam habeo. Siquis uero inquit, mutatis uocabulis, & bono pro pulchro utens, percontetur. Qui amat bona, quid expetit? Adesse sibi, inquã. Quid huic erit, cui bona aderunt? Facilior ad ista responsio, inquam. Felix enim erit. Possessione sanè bonorum beati sunt quicunq; beati, neq; requirere ulterius opus est, ad quid felix esse uelit, qui felicitatem optat, sed finem iam responsio habere uidetur. Vera loqueris, inquam. Nunquid hanc uoluntatem amoremq; cunctis cẽses hominibus esse cõmunem? omnesq; uelle bona sibi semper adesse? Cõmunem plane. Cur ergo non omnes ô Socrates, amare dicimus, siquidẽ omnes & eadem & semper amant? sed quosdam amare, alios minime? Admiror & ipse.

Sed ne mireris. Nam speciem quandam amantiũ seligentes, Amorem denominamus, totius nomen attribuentes. In alijs autem, nominibus alijs utimur. Exemplo, inquam, quodam declara. Vt ecce. Scis utiq; facere, amplum quiddã esse. facere siquidem generatim dicitur causa qua unumquodq; ex nõ esse ad esse procedit. Quapropter omnes cuiusque artis actiones, effictiones sunt, & artifices omnes poetæ, id est, factores. Vera narras, inquam. Vides tamen quod non uocantur poetæ, sed alia nomina sortiuntur. ex omni uero factione, una selecta particula, quæ scilicet circa musicam carmina'que uersatur, totius nomine nuncupatur. Poesis enim, id est, effictio, hæc sola uocata est: qui ue hanc effictionis particulam habent, poetæ. Vera hæc sunt, inquam. Idem quoque circa amorẽ accidit. Nam summatim quidem omnis bonorũ felicitatisq; appetitio,

maximus

maximus & insidiator amor est cuiq;. Verum qui ad bonum studio pecuniarum uel gymnasticæ uel sapientiæ proficiscuntur, nec amare nec amatores cognominantur. Qui uero secundum certam speciem ad id contendunt, totius nomen subeunt, amorem uidelicet, & amare, & amatores. Recte loqui uideris. Nonnulli ferunt, eos qui dimidiũ sui per quirunt, amare. Ego autem, neq; dimidij, neq; totius amorem affero, nisi aliquo pacto sit bonum: quandoquidẽ & manus & pedes, si uideantur mala, uel à seipsis homines abscindere uolunt. Non enim suum quisq; diligit: nisi fortè quispiam quod bonum est, suum ac proprium cuiusq; uocet: quod uero malum, potius alienum. Quippe cum nihil aliud præter bonum homines ament. Nonne sic & tibi uidentur? Sic utiq;. Simpliciter ergo dicendum est, homines bonum amare? Proculdubio. An non addendum quod adesse sibi bonum cupiunt? Addendum. Nec adesse solum, sed & semper adesse? Et semper. Est igitur summatim amor appetitio qua bonum sibi semper esse quis cupit.

Vera nimium loqueris. Postquam huiusmodi quiddam semper uniuersalis est amor, potes'ne dicere quę potissimũ appetendi conditio, qui'ue prosequendi modus, & in quali uel actione uel studio, Amor proprie nominetur? Si id ostendere potuissem, nunquam sapientiam tuam admiratus essem Diotima, neque discendi gratia ad te uenissem.

At ego dicam. Est, inquã, hoc partus in pulchro, tam secundum animã quàm secundum corpus. Vaticinio opus est ad id quod ais intelligendum. hoc enim nullo modo percipio. Dicam equidem planius. Omnium ô Socrates hominum pregnans & grauidum corpus est, pregnans & anima. Et cum primum ad certam ætatem peruenerimus, parere nostra natura cupit: parere uero in turpi nequit, in pulchro potest. Viri sanè mulieris q; congressu fœtus partus q; prouenit. Est autem opus hoc diuinum, & in animali ipso mortali, immortale hoc est, conceptio scilicet & generatio. Hæc in eo quod sine proportione & dissonum est, expleri nequeunt. Dissonum autem est quod turpe, ab omni quod est diuinum: pulchrum uero diuino consonum. Parca igitur & Lucina generationi pulchritudo ipsa est. Quocirca quotiens pulchro quod grauidum est adhæret, lætitia gestit, hilaritate & uoluptate diffunditur, pariter q; & generat. Contrà uero cum turpi propinquat, tristitia quadam & dolore contrahitur, absterreturq; & cohibetur, nec gignit, sed fœtum retinens angitur. Quapropter quod concepit, & iam luxuriat, adultumq; ad generationem anhelat, circa pulchrum ut plurimum obuersatur, quoniam inde acri anxietate leuatur. Est enim amor non pulchri Socrates, ut tu putas. At cuius, inquam.

Generationis partus q; in pulchro. Reuera? Reuera, inquam. Cur generationis? Quia amor sempiternum quiddam est & immortale, quemadmodum in ipso mortali generatio: immortalitatem autem unà cum bono appetere necesse est, ex illis quæ suprà concessimus, quandoquidem amor est appetitio, qua bonum sibi quisq; semper adesse desiderat. Ex his concluditur Amorem immortalitatis quoq; desiderium esse. Hæc omnia mihi Diotima tradidit, cum de amatorijs sermonem habuit. necnon sic interrogauit. Quam huius amoris cupiditatis q; causam ô Socrates arbitraris? An non uides quam grauiter afficiuntur animantes omnes, & quæ gradiuntur & quæ uolant, cum ad generationem toto impetu proferuntur, & amoris ardore insaniunt? Primo quidem generationis causa quàm uehementer congredi cõcupiscunt. Deinde quantum circa natorum alimenta laborant. Horũq; causa imbecillia etiam animalia aduersus robustissima prælia poscunt, & pro illis occumbere parata sunt, ac fame deficere, modo filios nutriant, & aliud quodlibet audacter aggrediuntur. Homines quidẽ fortè putaret quispiã rationis discursu hæc agere, brutis autem quænam amoris tam ardentis causa est? Assignare hanc potes? Minime, inquam. Credis'ne, inquit, in amatorijs peritus fore dum hæc ignoras? Ob hanc, inquam, causam ad te ô Diotima, ut suprà dixi, confugio, quia præceptore me indigere cognosco. horum itaq; precor, & aliorum quęcunq; ad amorem attinẽt, causam afferas. Si credis illius naturæ amorem esse cuius sæpe iam diximus, ne mireris. Ex hoc enim similiter ut ex superioribus, natura mortalis semper & immortalis esse prouiribus nititur: hoc autem generatione duntaxat assequitur, quoniam semper alterum iuuenem ueteris loco substituit. Enimuero eo ipso in tempore, quo animalium unumquodq; uiuere dicitur, idemq; esse, ut à pueritia ad senectutem, quamuis idem dicatur, nunquã tamen in seipso eadem continet, sed nouum semper efficitur, & uetera exuit, secundum pilos, carnem

Amor est immortalitatis desiderium

Assidua mutatio in corpore & anima

carnem, ossa ac sanguinem, & uniuersum corpus. Neq; in corpore solum, uerum etiam in anima id cõtingit. Mores, consuetudines, opiniones, cupidines, uoluptates, dolores, atq; timores, continue permutãtur, neq; quicquam ex istis idem, & simile perseuerat, sed prio ra quidem abolentur, noua uero succedunt. Quinetiam quod mirabilius est, scientię quo que non solum aliæ euanescunt, aliæ surgũt, neq; semper secundũ scientias ijdem sumus, uerumetiam una quæuis scientiarũ idem patitur. Quod enim dicitur meditari, quasi exie rit scientia dicitur. Obliuio namq; scientiæ exitus est. Meditatio uero nouã memoriã sem per abeuntis loco restituens, scientiam seruat, ut esse eadem uideatur. Hoc utiq; pacto o- mne mortale seruatur, non quia semper omnino idem sit, ut diuinum, sed quia quod tabe scit, & abit, nouum & simile sibi relinquit. Hoc remedio Socrates quod mortale est siue corpus, seu quodlibet aliud, particeps immortalitatis euadit: quod uero diuinũ & immor tale, alia ratione. Quamobrem mirari non debes, si omnia germen suum natura chariſſi- mum habeant. Nam immortalitatis gratia nixus huiusmodi atque amor cuilibet inest. Cum hæc audissem, admiratione commotus, inquam: Siccine Diotima sapiens reuera de ijs iudicandum? Tum illa, ut perfecti sophistæ solent, Certo scito, inquit, ô Socrates. Etenim si gloriæ studium quod hominibus inest, considerare uolueris, admiraberis rudi- tatem tuam, quòd ea quæ dixi, non satis cõprehenderis. Cernes equidem quàm uehemẽ- ter exoptent, notos sese omnibus exhibere, & in futurum immortalem gloriam cõsequi. Nam huius gratia magis cẽ filiorum, pericula subeunt, pecunias erogãt, laboresq; nullos respuunt, ac denicq; sese morti exponunt. An censes Alcesten pro Admeto mori uoluis- se, aut Achillem in ultione Patrocli occumbere, aut uestrum Codrum pro filiorũ regno perire, nisi immortalem uirtutis memoriam, qualis apud nos extat, consecuturos se prę sa gissent? Longe abest, inquã. Imò pro immortali uirtute & honesta opinione cuncta hęc, ut arbitror, agunt: & quo meliores homines sunt, eo magis ad ista contendunt. Nam im- mortalitatem amant. Quicũq; igitur corpore fœcundi sunt, ad fœminas se magis conuer tunt, atq; ita amant, & filiorum generatione immortalitatem, memoriam, felicitatem, per omne tempus assequi sperant. Sunt & qui animã grauidam atq; fœcundam magis quàm corpus habeant. hi sanè concipiunt ea quæ animæ & concepisse & concipere conuenit. Sed quidnam conuenit? Prudentiam uidelicet, aliasq; uirtutes, quarum rerum poetæ om nes genitores sunt, necnon artifices illi qui inuentores dicunt. Maxima uero, & omnium præstantissima prudentia est, qua ciuilia & domestica gubernantur, cuius nomen est tem perantia atq; iustitia. Quisquis ergo uirtutum huiusmodi natura plenus & grauidus est, ideoq; diuinus, ætate debita imminente parere iam generareq; affectat, & idcirco passim uagatur, quęritq; pulchrũ, in quo generet. in turpi namq; minime generaret. Quapropter corporibus speciosis magis cẽ deformibus gratulatur, utpote prægnans. Quod si animã pręterea pulchram, generosam, docilemq; reperiat, utraq; pulchritudine cõcurrente, mi- rifice delectatur, & coram homine illo cõfestim de uirtute loquẽdo facundia pollet, qua lis esse debeat uir bonus edisserens, quod' ue sit eius officiũ, atq; hac doctrina imbuere il- lum studet. Adhærens quippe pulchro, eoq; familiariter utens, quæ quondam concepe- rat, parit & gignit, illius tam in absentia, cẽ præsentia memor: quod' ue inde nascitur, cum illo cõmuniter nutrit atq; educat. Vnde anguſtiorẽ communionem, firmioremq; amici- tiam uicissim contrahunt, cẽ mortalium filiorum parentes, utpote qui in filijs immortali- bus magis pulcrioribusq; unà cõmunicãt. Etenim huiusmodi filios quilibet potius cẽ hu manos eligeret, præsertim qui Homerum Hesiodumq; consideret, & poetas alios æmule tur, dum cernit quales filios reliquerunt: qui cum immortales sint, immortalẽ quoq; glo- riam memoriamq; parentibus prębuerunt: qualesq; Lycurgus Lacedæmonijs reliquit fi- lios, Lacedęmoniæ ac totius penè Greciæ seruatores. Honoratur & apud uos propter ge nerationem legum ipse Solo, alijq; permulti alibi apud Grecos & Barbaros, qui multa at que præclara opera demonstrarũt, uirtutem omnem progenerantes, Quibus sacra ac tẽ- pla multa, ob huiusmodi sæpe natos dicata sunt, ob humanos uero adhuc alicui nunquã. In his utiq; amatorijs ô Socrates, ipse forsitã industria tua initiareris. Vtrum uero ulterius procedas, ac perfecta demum amatoria, quę' ue sublime spectãt, quorum gratia hęc sunt, animaduertas: Vtrum, inquã, pergere ualeas, necne ignoro. Dicam tamen, omniq; stu- dio tibi opitulabor. Tu uero pro uiribus sequi me nitere. Oportet eum qui ad hoc recto

ſit tu amite progreſſurus, ſtatim ab adoleſcẽtia pulchra corpora contemplari: & primum quidem ſi modo recte ducatur, unũ corpus amare, ibiq; rationes pulchras producere, cogitare deinde pulchritudinem quæ corpori cuilibet ineſt, alterius corporis eſſe germanã. Et ſi ſequi decet quod in ſpecie pulchrum, abſurdum eſt credere eam quæ omnibus corporibus ineſt, non unam eandemq; pulchritudinem eſſe. Et qui hoc aduertit, omniũ ſimpliciter pulchrorũ corporum amator euadere debet, amoris autem erga unum uehemẽtiam hac ratione remittere, atq; unius ſpeciem paruifacere. Poſt hæc pulchritudinẽ quæ animis ineſt, illa quæ in corpore præſtantiorẽ exiſtimet, adeo ut ſiquis animi ingenui ſit, quamuis forma corporis alijs quibuſdam cedat, ſufficere tamen arbitretur, & amet, cureturq;, & rationes huiuſmodi pariat, quæratq; ſermones omnes qui reddere meliores adoleſcentes poſsint: ut hinc ad pulchritudinẽ quæ in officijs ac legibus reperitur, inſpiciendam ducatur, intelligatq; illam omnem ſibiipſi uniformem cognatamq; exiſtere, ut eam quæ circa corpus eſt, pulchritudinẽ paruifaciat. Poſt officia legesq;, adſcientias tranſeat, ut ſcientiarum pulchritudinem contempletur: dumq; id quod ampla exuberat pulchritudine, contuetur, haud amplius tanquam mancipium unius pueli ſpeciem admiretur, neq; unius hominis uel officij pulchritudine ſit cõtentus. Nã quiſquis in hoc delinquit, exilis & abiectus eſt ſeruus. Verum in profundum pulchritudinis ſe pelagus mergat, ubi ipſo intuitu multas præclaras atq; magnificas rationes intelligẽtiasq; in philoſophia abũ de pariat, donec ibi confirmatus & roboratus, ſcientiam iam unam talem intueatur, quæ pulchri talis exiſtit. Aciem uero nunc mentis pro uiribus adhibe. Quicunq; hucuſq; per amatoria gradatim deducitur, recto ordine pulchra intuitus, ad finem iam amatorij affectus perueniens, ſubito quandam natura mirabilem inſpiciet pulchritudinem: Hoc illud cuius gratia labores omnes præcedentes ſubiuimus. Principio quidẽ ſemper eſt, nec fit, nec interit, neq; creſcit unquã, neq; decreſcit: præterea non hac ex parte pulchrum, ex illa turpe, uel tum pulchrũ, tum minime. Neq; ad hoc quidem pulchrũ, turpe uero ad illud. Vel hic pulchrum, ibi turpe, ut quibuſdam pulchrũ ſit, quibuſdam uero nequaquã. Neq; rurſus imaginatione quadam ipſum pulchrum ita fingetur, quaſi uultus pulcher, uel pulchræ manus, aut aliud quiddã cuius corpus eſt particeps. Neq; ut oratio quædam, uel ratio, aut ſcientia quædam. Neq; in alio iacere putabitur, uelut in animali, uel terra, uel cœlo, aut alio quopiam, ſed idipſum per ſeipſum cum ſemetipſo uniforme ſemper exiſtens. Cætera uero omnia quæ pulchra ſunt, illius participatione pulchra, ea ſcilicet cõditione, ut naſcentibus & intereuntibus alijs, nihil ſubtrahatur illi, aut addatur, neq; paſſionẽ ullam incurrat. Quando uero ab his aliquis legitime amando aſcendens, illud ipſum pulchrum ſuſpicere incipit, fermè iam finẽ attingit. Hoc eſt profecto ad amatoria recte pergere, uel ab alio duci, quando uidelicet quis ab his pulchris gratia pulchri illius aſcendere incipit, quaſi quibuſdã gradibus utens, atq; ab uno primũ in duo trãſiens, & à duobus in omnia quæ pulchra ſunt corpora, ab his in omnia officia pulchra, à pulchris officijs ad doctrinas pulchras conuerſus, à doctrinis deniq; multis in illã doctrinã perueniens, quæ nõ alterius eſt quàm illius ipſius pulchri doctrina: atq; ita demum quid ipſum pulchrum ſit, contemplatur. In hoc utiq; uitæ ſtatu ô Socrates, ſi uſquã alibi, homini uidelicet ipſum pulchrum ſpectanti uiuendum. Quod ſi quãdo uideris, ſupra quàm dici poſſit precioſius auro, ornatisq; ueſtibus & pulchris pueris adoleſcentibusq; cenſebis. Quos nunc & tu & alij multi, dum ſpectatis, nimium obſtupeſcitis, & ſi fieri poſſet, eligeretis inter illos ſemper cibo potuq; neglecto uerſari. Quàm felix illud ſpectaculum fore putamus, ſicui contigerit, ut ipſum pulchrum intueatur, ſyncerum, integrum, purum, ſimplex, non humanis carnibus, coloribus, non alijs mortalibus nugis contaminatum, ſed ipſum ſecundum ſe pulchrum diuinũ inſpiciat. Num uitam huiuſmodi paruifacias? hominis uidelicet ipſius qui illuc ſuſpicit, qui tam præclarum ſpectaculum contuetur, qui illi cohæret. Nonne cogitas quod ſibi ſolum cernens ille eo oculo pulchrum quo percipi poteſt, nõ imagines uirtutis ulterius, ſed uirtutes ipſas pariet? quippe cum non ſimulachrum, ſed rem ipſam attingat. Cumq; uirtutem ueram pariat, atq; alat, Deo amicus efficietur, & ſi quis alius hominum, is maxime immortalis exiſtet. Hæc Socratem referebat, ô Phædre alijq; cõuiuæ, Ariſtodemus dixiſſe ſibi relata à Diotima. Cui fidem adhibeo, atque alijs perſuadere ſtudeo, hominum naturam haud facile poſſe ad beatæ immortalitatis poſſeſſionem quicq; legitimo

legitimo amore conducibilius inuenire. Quamobrem honorandū amorem ab omnibus hominibus censeo. Equidem amatoria colo, meq; summopere in his exerceo, aliosq; exhortor. Et nunc quidem ac semper pro ingenij facultate amoris uim & fortitudinem laudo. Hunc ó Phædre sermonem, si uis, quasi laudationem quādam amoris existima: sinautem aliter appellare placet, appella. Cum hæc dixisset, ut retulit Aristodemus, reliqui omnes probarunt. Aristophanes solus repugnare tentauit, quia mentionem sermonis illius suprà fecerat. Sed repente uestibuli ostium percussum sonitum dedit, & clamor debacchantium iuuenum tibicinæq; auditus. Tum Agathonem, uidete dicere ministri, quinam homines aduentarint, & si quis familiaris noster intersit, ad uos accersite. Si nullus, nos haud amplius bibere, sed iam quiescere nunciate. At paulo post uocem Alcibiadis audierunt, ebrietate insultantis, altiusq; in uestibulo clamantis. Qui ubi esset Agathonem flagitasse, ad seq; duci iussisse. Eum igitur tibicina aliiq; contubernales ducebāt, & ad fores uestibuli sistebant, corona quadam ex hedera uiolisq; cōserta redimitum, uittisq; multis caput circumdatum, clamantemq;, Saluere uos iubeo uiri, ebrium ualde hominem compotatorem suscipite. Vel abeamus, Agathonē solum coronantes, cuius gratia uenimus. Heri equidem interesse nequiui, hodie ueni uittas ferens, ut à meo capite sapientissimi pulcherrimiq; caput, si ita dicam, reuincirem. An me uelut ebrium deridebitis? ego uero, rideatis licet, uera tamen loqui me scio. Respondete clare, nunquid ad hæc ingredi permittatis? compotetis, an non? Hic acclamasse omnes, iussisseq; ingredi, atq; accumbere. Accersiuit & Agatho, contubernales igitur adducebant. ille uittas tollens & Agathonis caput circumdaturus, Socratem licet in conspectu esset, non uidit. Prope Agathonem igitur assedit, inter hunc & Socratē medius. Ei namq; Socrates cesserat. Cum sedisset, Agathoni congratulatus est, coronauitq;. Agatho, suscipite, inquit, Alcibiadem pueri, ut sic uelut tertius accumbat. prorsus dixisse Alcibiadem, & quis tertius conuiua esset, interrogasse. cōuersumq; Socratem uidisse, cumq; resiliisset, Prò Hercules dixisse, quid hoc est? hic etiam insidiatus mihi ô Socrates, cōsedisti? Sic semper soles, ubi minime omnium expectarem, protinus mihi occurrere. & nunc cur huc ueneisti? Cur hic potius quàm apud Aristophanem sedes? aut si quis alius ridiculus hic est, uideriq; uult? Sed callide excogitasti, qui iuxta conuiuarum pulcherrimum hic sederes. Socratem autem ad Agathonē conuersum Vide, dicere, Agatho si quo pacto mihi succurrere potes. Amor quippe huius hominis, haud leue quiddam mihi extitit. Ex eo namq; tempore quo hunc amare cœpi, nunquam mihi licet aut aspicere pulchrū aliquem aut alloqui, quin iste zelotypus, id est amatoria suspitione captus, & inuidens mira quædam tentet, conuicieturq;, imò uix se continet quin manus inferat. Vide igitur ne in præsentia tale quid agat, sed nos concilia: uel si uim inferre conetur, opitulare. Nam huius furor & amatorius impetus me maxime terret. Ad hæc Alcibiades, Inter me ac te conciliatio nulla cadit, sed horum causa alias ulciscar: nunc autē Agatho mihi aliquas ex his uittis impartias, ut & huius mirabile hoc caput exornem, ne mihi succēseat quòd te coronauerim, nō ipsum qui omnes homines sermonibus superat, non heri tantum ut tu, sed semper. Acceptis itaq; uittis, coronauit Socratem, ac sedit. sedens autem inquit. Nimium mihi sobrij conuiuæ uidemini, neq; permittendum uobis id censeo. bibendum est enim. Nam inter nos id conuenit. Ergo bibendi principem donec satis biberitis, me uobis propono. Ferri iube Agatho si quod adest amplum poculū. sed nihil opus est. imò feras huc puer uas illud, quod plures quàm octo pateras capere uidetur. Cum uas impleuisset, prior ipse bibit, Socrati deinde infundi iussit, & inquit. Aduersus Socratem ô conuiuæ, dolo hoc nihil promoueo. Quātumcunq; quis iusserit, ebibet, nec ebrium unquam uidebitis. Socrates, cum infudisset puer, bibit. Tum Eryximachus, quid agimus Alcibiades? Ita nec loquimur quicquam super calicem, neq; canimus, sed quasi sitientes ingurgitamus? Ad quem Alcibiades, Salue optime Eryximache, optimo & frugi admodū patre nate. Et tu salue, Eryximachus subiunxit. uerum quid nobis agendum? Quod inquit Alcibiades tu præceperis. Tibi quidem parendum est. Vir medicus multis aliis æquabitur unus. Impera ergo quodcunq; lubet. Audi iam, inquit Eryximachus. Antequam ingredereris, uisum fuit ab unoquoq; præsentium facto in dexteram circuitu deinceps Amorem pro ingenij facultate laudandum. Nos quidem singuli diximus, tu quoq; cum non dixeris, biberis autem, iure dicere debes: & cum dixeris, tunc

ris,tunc demum Socrati quicquid uolueris,imperabis.Socrates quoque illi qui ad dexteram succedit similiter, cæteriq; deinceps. Preclare loqueris,inquit, Eryximache. Sed non æqua ratio uideri debet,ut ebrius cum sobriorum oratione uerba sua conferat. Sed ô beate uir,persuasit ne tibi Socrates quicquã ex his quæ paulo ante narrauit? Vel scis contra esse omnino? Hic enim si eo præsente quenquã laudauero, uel Deum,uel hominem alium quàm hunc ipsum,manus non continebit. Bona uerba quæso,dixisse Socratem.

Nihil adhæc dicas, respondisse Alcibiadem: per Neptunum enim neminem alium te præsente laudarim. Sic agendum, inquit Eryximachus,uidetur,& si uis Socratem lauda. Quid ais? inquit Alcibiades, Oportere uidetur Eryximache,hunc uirum aggrediar, & coram uobis ulciscar. Quid cogitas,dixisse Socratem,de ridiculis quibusdã me laudabis? An quid ages? Vera loquar,inquit Alcibiades,permittis ne? Vera quidem,dixisse Socratem,loqui permitto,ac etiam iubeo. Parebo, inquit Alcibiades,quamlibentissime,modo id assequi possim. Verum tu obserua,& siquid minus uerum refero,interpella ut lubet,mendaciumq; redargue.Nunquam enim sponte mentiar. Neq; mireris, si aliud aliunde utcunq; redit in memoriã,reuoco. Nam haud facile est homini sic affecto, miros tuos mores facunde certoq; ordine numerare.Socratem ô uiri conuiuæ, per imagines laudare conabor. Iste igitur forte suspicabitur, ne ad ridicula sermonem conuertam. Sumetur autem imago ueri non ridiculi gratia.

ALCIBIADES COLLAVDANS SOCRATEM

SOcratem assero persimilem Silenis istis,qui sedentes inter alias imagines à sculptoribus figurantur,ita ut fistulas tibias ue teneant. Qui si bisariam diuidantur,reperiuntur intus imaginem habere deorum.Satyro quoq; Marsyæ similem esse dico.Et quod aspectu quidem his es persimilis,ne tu quidem ô Socrates,negabis.Quod uero in alijs quoq; similitudinẽ eorum habes, deinceps iam audi.procax & contumelioſus es,an non? si non fateris,equidem testes adducã. An non tibicen? Et tibicen quidem Marsya longe præstãtior.Ille enim instrumentis quibusdam homines demulcebat oris potentia,& nunc etiam siquis modulatione illius utitur.Nam illa quæ Olympus modulatus est, Marsyam qui docuit modulatũ dico.Eius igitur harmonia seu uir quidam bene,seu fœmina male utatur,sola animos attrahit, & quia diuina est,ostendit quinã dijs mysterijsq; indigeant.Tu autem in hoc duntaxat differs ab illo,quòd sine ullo instrumẽto nudis quidẽ uerbis hoc idem efficias. Nos certe quotiens alium audimus alterius uerba referentem, & si nimiũ boni oratoris, tamen nullius,ut ita dixerim,illa facimus.At cum te quis audit, aut tua uerba quouis alio referente, quamuis ineptus ille sit qui refert,& siue uir seu fœmina,siue adolescẽtulus audiat,obstupescimus quidem,ac mente corripimur.Equidem nisi suspicarer,ne fortè nimis ebrius uidear, iure iurando interposito affirmarẽ,qualia mihi aliâs ab huius uerbis cõtigerunt,contingantq; etiam nunc quotiens hunc audio. Multo magis q̃ hi qui Corybantum more deferuntur, cor in me concitatur ad huius uerba, lachrymasq; effundo,uideoq; multis alijs hoc idem contingere.Et cum Periclem audiebã, cæterosq; oratores bonos,uidebantur illi quidem mihi præclare dicere,sed nihil tale mihi contingebat,neq; concitabatur animus,neque se ipsum quasi seruiliter uiuentem condemnabat. Sed ab hoc Marsya nostro sæpe ita inflector,ut existimem nullo modo in hoc statu uitę mihi esse uiuendũ. Hæc ô Socrates,ne negaueris.Quinetiã certo scio,si in præsentia aures illi præstare uelim,minime tolerarẽ, sed eadem illa mihi euenirent.Cogit enim me fateri,quòd cum ipse ego in multis deficiã, tamen meipsum negligo,remq; populi Athenienſiũ curo. Vi ergo quasi aduersus Sirenas obturans aures,hunc fugio ac uito, ne apud eum sedens consenescam.Patior autem erga hunc solum quod nemo existimaret, ut cuiusquam pudore ac uerecundia detinerer.Atqui hunc solum uereor. Conscius enim mihi sum, defendere me nõ posse,quin sint agenda quæ iubet:sed cum ab eo discedo,populari ambitione me superari. Fugio igitur hunc atq; uito,et quotiens ipsum intueor,uerecundia me quia promissa nõ seruauerim, capit, ut sæpe cupiam hunc è uita decedere: Rursus uero si acciderit, scio me longe id iniquius toleraturum.Itaq; quò me uertam,aut quemadmodũ hoc utar,nescio. Et à modulationibus quidem Satyri huius talia mihiq; & multis alijs cõtigerunt. Cætera uero audite. ut si-

milis

milis sit quibus ego similem esse dicebam, & uim quàm mirabilem habeat, intueamini. Scitote neminem uestrum Socratem cognoscere. Sed ego uobis ostendam, quandoquidem dicere iam incepi. Cernitis quàm uehementer Socrates erga pulchros afficitur: tem perq; inter eos uersatur & obstupescit: ignorat omnia, nihil nouit. figura prosecto hæc Si lenis est persimilis. Scitote igitur eum hac habitus forma exterius amiciri, tanquam sculptum quendam Silenum. Intus uero si aperiatur, mira ô uiri conuiuæ, castimonia & integritas inest. Neq; enim pulchritudinem corporis cuiusquam quicquam æstimat, neq; diuitias, neq; honores, neq; cætera quæ uulgus admiratur, sed ea cuncta suprà quàm existimari queat, longe spernit, ac pro nihilo ducit. Quocirca nullius nos esse apud eum uobis assero: fingit tamẽ ironicus aliter, ac iocari palàm de his rebus nunquam cessat. Serio aũt agentis atq; intus aperti, nescio utrum quisquam uestrum diuinas quæ intus latent imagines unquam inspexerit. Ego certe quandoq; eas conspexi, atq; mihi uisæ sunt usqueadeo diuinæ, & aureæ, & formosæ, & mirabiles, ut nullo modo fas existimem aliter quàm Socrates præcipit, agere. Ego iam aliquando ô uiri conuiuæ, Socratem arbitratus mea specie reuera admodum delectari, occasionem hanc mirificam felicemq; ad id quod affectabam, me nactum esse putaui. Gratificari quippe Socrati constituí, ut quæcunq; ille nouerat, mecum cõmunicaret. Nam magnum aliquid & mirificum formositatem meam existimabam, eaq; plurimum fidebam. Cumq; antea nunquã sine comite cum eo loqui consueuissem, quandoque dimisso comite, solus cum eo restiti. Vera uobis omnia aperienda sunt. Attendite obsecro. Si mentior Socrates, ipse redargue. Restiti equidem ô uiri conuiuæ, solus cum solo, sperans eadem hunc mihi dicturum, quæ amatores amatis cum soli sunt, loqui solent. Qua spe ualde lætabar, horum uero nihil actum est, sed ut solitus erat, cum ad uesperam usq; differuisset, abijt. Post hæc ad palæstram hunc citaui exercuiq;, quasi in hac aliquid perfecturus. soli itaq; sæpe nos simul gymnastica exercuimus. Quid multis opus est uerbis? Nihil mihi successit. Postquam uero hac nequaquã successerat, durioribus machinamentis uirum hunc aggredi statui, nec ab inceptis desistere. Audite quàm uehementer huic insidiatus sum. Cœnatum accersiui tanquam amator amatis insidiatus. Is non facile nec primo paruit, tandem uero obsecutus est. Venit ergo: sed sumpto cibo cõfestim abiturus surrexit. Tunc ego pudore detentus, abire permisi. Sed alias uehementiores insidias tendens, post cœnam ad multam noctem sermonẽ protraxi: cumq; uellet discedere, obijciens intempestam noctem, manere coegi. Quieuit igitur in proximo lecto, super quem sedens cœnauerat, nec alius prẽter nos ullus ibi ea nocte dormiuit. Quæ hactenus dicta sunt, sine rubore ubiq; proferri possunt. Quæ uero sequuntur, non prius audietis quàm prouerbiũ illud recensuerim. Vinum & cum puerítia, & sine puerítia est ueridicum. Prouerbiũ Quinetiam iniustum uidetur, ut is qui Socratem laudat, superbum & inuictũ facinus illius silentio prætereat. Prẽterea nõ aliter affectus sum quàm ille quẽ uipera mordet. Illum quippe ferunt qualis sit eius passio aperire nolle nisi his qui similiter ægrotant, quasi hi soli, utpote mali non ignari, ignoscãt, siquis cruciatu compulsus, & loqui & agere cuncta non dubitet. Ego igitur præ cæteris astrictus uehementiori philosophiæ morsu, qui omnium est acerrimus, & siue cor, siue animum, siue quomodocunq; id appellandum sit, saucius cupiditate in philosophia sermonum, qui acrius quàm uipera mordent, & occupant siquando attigerint iuuenilem animum qui nõ penitus ignauus sit, compelluntq; ad quicquid tandem sit, faciendum atq; dicendum, nihil intentatum relinquere statui, quo Socratem ad explendam hanc sitim mihi quàm coniunctissimũ facerem. Nõ dicerem ea quæ dicturus sum, nisi apud eos conuiuas loquerer, quos semper quasi uesano quodam philosophiæ furore correptos bacchantesq; prospexi, Phædros, Agathones, Eryximachos, Pausanias, Aristodemos, Aristophanes, Socratem denicq; ipsum, & cæteros. hæc enim mihi nisi saucijs, eodemq; modo affectis, narranda non essent. Quare uos audientes, mihi ueniam dabitis pro his quæ tuncà me facta, & nunc dicta fuerint. Famuli autem, & siquis alius adsit prophanus & agrestis, aures obstruant. Extincto lychno, famulisq; absentibus, uisum mihi ô uiri conuiuæ, haud amplius dissimulãdum differendumq;, sed ingenne quod sentirem aperiendum. Tetigi itaq; illum dicens, Socrates dormis?

Nondum, inquit. Scis'ne quid hactenus mihi uisum fuerit? inquam. Qua de re, & quid rogas? inquit. Tu mihi solus amator me dignus extitisse uideris, inquam, uerecun

dior tamẽ in amore fuisse. Equidem cum ita se res habeat, egoq; talis sim, stultum esse ducerem, nisi in hoc quoq; tibi gratificarer, & in cæteris omnibus, siue meis rebus, siue amicis indigeas. Mihi quidem nihil est antiquius, quàm ut optimus uir euadam. Ad hoc nemo me magis quàm tu iuuare potest. Ego autem tanto uiro non obsecutus, uehementius sapiẽtum increpationes uererer, quàm obsecutus insipientium uerba. quæ cum audisset, solita ironia dissimulans, ita respondit. O amice Alcibiades, uideris reuera nõ ignauus uilisq; esse, si uera sunt quę de me refers, & ineſt mihi uis quædam per quam ipse melior effici possis, & miram in me pulchritudinem conspicis, tua forma longe prę stãtiorem. Si ista cognoscens, communicare mecum exoptas, & pulchritudinem pulchritudine commutare, tanquam fœnerator multo plus quàm ego reportare contendis. Nam pro opinione ueritatem pulchrorũ lucrari conaris, & aurum pro orichalco recipere. Sed ô beate, diligentius animaduerte, nec te mea cõditio lateat, cum nullius sim precij. Tunc sanè mentis oculus acute incipit cernere, cum primum corporis oculus defloresci t. Tu uero ab hac ætate es procul. Mea quidem talia sunt, qualia dixi, inquam. Neq; enim in ore unum, in corde aliud habeo. Tu autem ita delibera, ut & tibi & mihi melius fore censes. Probe, inquit, loqueris: ergo posthac inuicem consultantes agemus, quod utriſq; tam in his quàm in cæteris omnibus maxime conducturũ putabimus. Cum hæc audissem, & obiecissem, quasi iaculo quodam saucium existimaui. surgensq; ne uerbũ quidem ulterius loqui permisi: & hunc amictum quẽ uidetis, circumdans, erat enim hyems, substrato huius pallio ueteri recubui: & hisce brachijs felicem hunc sapientemq; uirum penitusq; mirãdum amplexus, noctem sic totam quieui. Hæc scio nõ negabis ô Socrates. Is tamen formam qua ego maxime fidebam, spreuit omnino quasi ridiculam, superbeq; contempsit. Deos omnes deasq; testor ó Iudices, estis enim Socraticæ superbiæ iudices, me non aliter surrexisse, ac si cum patre, uel fratre natu maiore iacuissem. Quam mihi mentem post hæc fuisse putatis, cum me quidem contemptum existimarem, eius autem ingenium, temperantiam & fortitudinem admirarer, uirum talem nactus, qualem me prudentia & tolerantia reperturũ esse nullum credideram? Quapropter qua ratione illi succensere, ab eoq; discederem, haud inueniebã, neq; rursus quibus illecebris ipsum mihi conciliarem. Noueram equidem difficilius hunc pecunijs, q̃ Aiacem ferro domari posse, & id quo facilius irreti rí illũ speraueram, me fefellit. Ambiguus itaq;, & huic uiro magis q̃ alius quisquam alteri mancipatus, circumuagabar. Hæc omnia tunc à me facta sunt. Procedente posi hæc tẽpore militia illi simul mihiq; obuenit aduersus Potidæam, fuimusq; Socrates & ego in eo exercitu contubernales. Primum quidem laborũ patientia non me solum, sed alios omnes longe superabat: & siquo in loco, ut accidere solet in bello, cõmeatus deficeret, nulli pares huic reperiebantur ad famem sitimq; perferendam. Rursus uero in abundantia rerum & comessatione mensaq; militari, solus hic frui posse uidebatur. Et quamuis bibere nollet, tamen si cogebatur, omnes protinus bibẽdo longe uincebat: & quod mirabile est, ebrium quisquam eum nunquam conspexit. Sed hoc mihi adhuc in posterum redargui posse uidetur. Aduersus autem hyemes & frigora, quæ illis in locis asperrima sunt, mirabilia faciebat. Quandoq; enim gelu maximo intolerabiliq; facto, ita ut nulli exire de tabernaculis auderent, & siqui exibant, nõ nisi suffarcinati admodum, pedesq; & crura pellibus pannisq; laneis diligenter circunuoluti: Socrates per hoc ipsum tempus ita exibat cum cæteris militibus, ut nihil ad eam uestẽ adiungeret, quã primo ferre solitus erat. Nudis uero pedibus per glaciem facilius incedebat, q̃ cum calceis alij. Milites uero hæc intuentes, se contemni ab eo suspicabant. Et in his quidẽ talis erat Socrates. Quid autẽ fecerit tolerantissimus uir in eodem exercitu, operæpreciũ est audire. Nam cum aliquãdo cogitatio quędam incidisset, stetit cogitans eodem uestigio à matutino tempore: cumq; explicare id quod cogitabat nõ daretur, perstabat cogitans, nec dimittebat. & iam meridies erat, militesq; id senserant, ac mirabantur, alterq; narrabat alteri Socratem ab aurora stetisse cogitantem. Demum uero ab Ionia quidam milites, cum nox iam immineret, cœnati prius, erat enim tunc æstas, circa eũ strata posuerunt, iacueruntq; sub diuo illum obseruantes, an per noctẽ quoq; perseueraret. Socrates uero stetit usq; ad auroram sequentẽ, ac solis exortum. Postea uero abijt, cum iam solem nascentem salutauisset. In prælijs quoque qualis fuerit, non est silentio prætereundũ. Nam cum ea pugna fuit, ex qua me quasi optimum

optimum pugnatorem duces exercitus donauerunt, nemo alius me seruauit quàm Socrates. Videns enim me grauiter uulneratum, nequaquam deseruit, sed ante me prosiliens, meipsum atq; arma mea protexit, ab hostibusq; seruauit. Atq; ego tunc ista prędicãs conatus sum, ut non mihi, sed Socrati huic, à quo seruatus eram, dona illa traderentur. Neq; ista confutaueris, neq; ueluti falsa negaueris Socrates. Tunc sanè duces ad meam respicientes dignitatem, donare me maluerunt, te in primis ô Socrates obsecrante, ut mihi non tibi honor exhiberetur. Illud quoq; dignũ est memoratu, quẽadmodum fuga nostrorum apud Delium facta, se Socrates gesserit. Nam interfui quoq; huic prælio, & quidem ex equo pugnãs, cum Socrates ipse pedes esset. Profligatis igitur nostris, ac fuga iam omnium facta, Socrates unà & Laches pedem referebant. Atque ego cum in hos casu incidissem, bono animo esse iussi, meq; nunquam deserturum eos dixi. Hic igitur eo melius aspicere potui Socratem quàm apud Potidæam, quo & ipse confisus equo, minus formidabam. Primum igitur intueri licebat, quanto cautione ac præsenti animo Lachem superaret. Deinde mihi uisus est ô Aristophanes, quod & ipse ais, ibi non aliter q̃ hic incedere, superbus, & oculis quiete omnia circumlustrans, cauteq; examinans singula. Hostes siquidẽ ciuesq; uicissim respiciebat, oculis & aspectu præferens ostendensq; uel remotioribus, si quis eum inuadat, non esse id impune facturum. Itaq; tute abibat & ipse & alter. fermè enim qui ita incedunt, nemo eos inuadit, sed eos qui effusa fuga deseruntur. In multis quidẽ alijs mirifice laudari Socrates potest, sed talia sunt, ut cæteri quoque forsan nonnulli eandem laudem mereantur: uerum illa præcipua in hoc, per quæ neminí aliorum hominum, neque antiquorum, neq; nouorum esse similis reperitur. Nam qualis Achilles fuit, talem coniectet forsan aliquis fuisse Brasidam, & alios quosdam: & qualis Pericles, tales Antenorem atque Nestorem. Sunt alij quoq; qui hoc modo conferri inuicem possunt. Sed qualis Socrates est, qualisq; eius mira dicendi ratio, nemo prope ad eius similitudinem accedit, neq; ueterũ, neq; eorum qui nunc sunt, nisi ut ego nunc dixi, atque assimulaui. Quippe nulli hominũ, sed Silenis & Satyris similis ipse est, eiusq; sermones. Nam & hoc à me prætermissum erat prius, sermones eius persimiles esse imaginibus Silenorum ab artificibus factis, deinde apertis. Siquis enim huius sermones audiat, uidentur prima, ut fertur, facie nimium esse absurdi. Nomina quippe & uerba exteriori aspectu Satyri cuiusdam contumelioſi habitum præse ferunt. Asinos enim fabrosq; ærarios, & sutores calceorum, coriariosq; semper habet in ore, eademq; semper dicere de eisdem uidetur, ut omnes ferè qui minus experti periti ue sint, uerba illius irrideant. Verum si intus aspiciat quis eius sermones, primo quidem reperiet sensuum profunditatem habere solos aliorũ omnium, & insuper diuinissimos esse, ac plurimas uirtutũ specio sissimas imagines continere, atq; ad plurima sese extendere: immo omnia præcepta comprehendere, quibus instrui debet is, qui sit honeste beneq; uicturus. Hæc sunt ô uiri conuiuę in quibus Socratem laudo, ac etiam de quibus cõqueror. Audistis eñ interim quas mihi iniurias intulit, Nec aduersus me solum ita se gessit, uerum etiam aduersus Charmidem filium Glauconis, & aduersus Euthydemum Diocle natum, aliosq; permultos eadem fecit, quos ipse sub specie amatoris fefellit: nam pro amatore amatus euasit. Quamobrem te quoq; Agatho admoneo, ut huius simulationes dissimulatiõesq; caueas, & ex his quæ ego sum passus, hunc cognoscens, rem tuam cures, neq; secundum prouerbium, infantium instar accepto incommodo sapias. Cum hæc Alcibiades dixisset, eius audacia & loquendi libertate risum omnibus cõcitatum esse Aristodemus narrabat, quoniam uisus est & amore Socratis esse captus. Sobrius mihi uideris ô Alcibiades, Socratem dixisse. Alioquin nunquam ita artificioſe longo uerborum circuitu facto occulte id studuisses cuius gratia cætera omnia dixeras: quod in orationis calce, ut præter propositum profere uidereris, tandem apposuisti, quasi non omnia idcirco dixeris, ut me ab Agathone disiungeres. Arbitraris me neminem præter te unum amare debere, Agathonem uero à nullo alio quàm abs te amari. Verum non latuit nos quid sibi uellet tuum illud Saryricũ Silenicumq; figmentum. Sed ô amice Agatho danda opera est, ut nec isti sua machinamenta proficiant, nec ullius calumniæ inter me ac te iactæ dissidium faciant. Vera ô Socrates, Agathonẽ respondisse, loqui uideris. Nam ut nos seiungeret, inter te ac me se medium interposuit. Sed nihil hoc illi proderit, hinc enim surgẽs, prope te sedebo. Sic agen-

dum profecto, dixisse Socratem hic infra me sede. Pro Iupiter exclamasse Alcibiadem Qualia perpeti me uir cogit. In omnibus superare me uult. Medium saltem hic Agathonem sedere permitte. Nequaquam decet, respondisse Socratem. Tu enim me laudasti. Oportet autem me nunc ad dexteram hunc sedentẽ laudare. Si ergo post te maneat Agatho, haud me rursus laudabit, prius quàm à me laudetur. Sed dimitte uir felix, neque huic meas laudes inuideas. Equidem laudare illum uehementer desidero. Hui hui Alcibiades, Agathonem ibi dixisse. Quid hic moror? Hinc iam discedo ut me Socrates laudet. Mos is Socratis est, Alcibiadem respondisse, uti eo præsente nemini liceat alteri formosos sibi conciliare. Vide nunc obsecro quàm facile & quàm probabili ratione hunc ad se traxerit. Surrexit ergo Agatho, ut apud Socratem requiesceret. Tunc subito debacchantes multi patentes fores nacti, nam paulo ante quis contrà exierat, ingressi sunt, & circa illos consederunt. Quorum strepitu turbata sunt omnia, nec ullus post hæc modus in bibendo seruatus. Eryximachum, ac Phædrum, aliosq; nonnullos abijsse, Aristodemus recensuit, seq; diu dormisse, nam longæ tunc noctes erant, & circa auroram gallis iam cantantibus surrexisse. Somno excitum inuenisse, quòd alij quidem partim dormiebant, partim discesserant. Agatho uero, & Aristophanes, atq; Socrates soli adhuc uigilabant, bibebantq; ampla quadam phiala facto in dexterã circuitu sibi inuicem succedentes, Socrates autem assidue disserebat. Neq; aliorum se recordari Aristodemus, inquit, neq; enim ab initio adfuisse, & somno fuisse grauatum. Summam uero disputationis illius extitisse, quòd Socrates illos fateri cogebat, eiusdem uiri officium esse tragœdiam, comœdiamq; componere, eumq; qui arte tragicus est esse quoq; comicũ. Cum hæc illi coacti potius quàm persuasi concessissent, se somno dedisse Aristophanem primo Agathonem deinde exorta iam luce. Socratem uero dormientibus illis in Lyceum, ipso ut cõsueuerat comitante, fuisse profectum, & lotum solito se more diem totum exercuisse, ac demum ad uesperam domi requieuisse.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN PHAEDRVM.

PLATO *noster poeticæ musæ, quam à tenera ætate, immo ab apollinea genitura sectatus est, furore grauidus, primum peperit liberum totum pene poeticum, & candidissimum candidissimus, & de pulchritudine simul atque Amore uir pulcherrimus, omniumq; amore dignissimus, ut merito cæteros quoque liberos deinceps ædiderit uenustatis & gratiæ plenos à uenerea Musa exordium felix auspicatus, solusq; omnium uenustatẽ ubiq; cum dignitate coniunxerit. Quoniam uero plurima huius libri mysteria in Theologia & libro de Amore exposuimus, argumentum eius breuissime perstringemus. Sympositum de Amore quidem præcipue tractat, consequenter uero de pulchritudine. At Phædrus gratia Pulchritudinis disputat de amore. Neque ab re omnino inserta est oratio Lysiæ, atque oratoria disputatio. Pulchritudo enim & ad mentem, & ad uisum, auditumq; pertinet. Quo fit, ut ubi de animorum nominumq; pulchritudine agitur, itemq; de pulchritudine corporis, merito de orationis pulchritudine disputetur. Statim uero in ipso exordio Socrates inter iocandum seria nimium tradit præcepta, Omnia ob sapientiæ studium penitus contemnenda, Potissimum sapientiæ studium considerare seipsum. Inter hæc artificiosissima loci descriptio allegorice significat Academiam: Platanus, Platonem: Castum arbustum, amoris Platonici & Socratici castitatem: Fons, in communicanda sapiẽtia largitatem: ornamenta cætera oratorios poeticosq; flores quibus Academia Platonis abundat. Reprehẽditur iurẽ Lysias quod qualis sit amoris affectus inquirat, neq; prius amorẽ ipsum definierit neq; distinxerit. Considera inter hæc amoris Socratici pudicitiam: nonnulla enim minus honesta pronuncia turus obuoluto capite exorditur. Mox inuocat Musas, ut rem minus honestam ipsæ suo saltem splendore elocutionis honestent. Sed antequam turpem uituperet amatorem, ne in eodem sit quo Lysias crimine, turpem amorẽ desinit esse cupiditatem quandam siue libidinem à ratione rebellem, quæ superet opinionem ad recta tendentẽ, & ad formæ rapiat uoluptatem. Sed dum ad definiendum pergit, duos nobis tribuit duces, unum quidem appetitum uoluptatis ingenitum, alterum uero legitimam quandam opinionem acquisitam paulatim per disciplinam, & ad honesta ducentem. Verum hos nobis intrinsecos duces, extrinseci duo mouent, Dæmon quidam aereus opinionem, aqueus uero libidinem. Postquam uero definiuit, multis rationibus adolescentes à turpibus amatoribus segregat. Tum uero interea mirabile nota mysterium, Mosaico mysterio simile. Malorum plurimis in ipso statim principio, dæmon aliquis immiscuit uoluptatẽ. Quoniã uero non tam philosophicã quàm poeticã agit personã, subdit se correptum*

reptum à dæmone, quod Amorẽ dei nomen uituperauerit. Idq; facit, ut distincturus Amorẽ, poetico potius quàm dialecticò more distinguat. In his animaduertes grauissimum peccatum esse in dei nomen delinquere. Rursus in animo esse præsagium. Deinde poeticis quibusdam ambagibus artem à furore secernit. Furorem in diuinum diuidit & humanum. Diuinum in quatuor, scilicet in uaticinium, mysterium, poesim atq; amorem. Prouidentiam religionemq; confirmat. Sapientiam diuino furore infusam humanæ sapientiæ longissime anteponit. Antequam peragat animarum tractatum particularium, animas in medium communes adducit, scilicet mundi animam, quam nominat Iouem, atq; sub ea duodecim animas sphærarum duodecim mũdanarum, quibus subdit totidem ordines dæmonum, totidemq; particularium animarum. Singulis uero currus accommodat, id est cœlestia corpora atq; sempiterna. De rationalibus animabus disputat, diuinis atq; humanis, de circuitu utrarunq;, et qua ratione hominũ animæ tam in cœlo animarũ cœlestium contemplationem comitentur, quàm super cœlum angelicum sequantur intuitũ. Quid uero in anima Currus uehiculum, alæ, auriga, equi, Fatum, casusq; in corpus, quid iterum Iupiter in cœlo magnus, cæteriq; dij sequẽtes, in Theologia exponimus. Satis uero tibi fuerit in præsentia intelligere, geminas alas esse geminum instinctum menti ingenitum, ad superna animum eleuantem: in intellectu quidem instinctum ad diuinum uerum, in uoluntate uero instinctum ad diuinum bonum pro uiribus conuertentem. Quãdo uero hi quidem remittuntur, inclinatio autem uegetalis naturæ intẽditur ad corpora gubernanda, animas fractis iam alis in elemẽta descendere Pythagorici putant. Post hæc cadentem de cœlo animam in nouem distribuit gradus. In his omnibus & poetica licẽtia utitur, & Pythagorica potius quàm propria narrat. Inter hæc animaduerte similem animarum describi casum à Pythagoricis, atque dæmonum à prophetis. Numerum quoq; nouenarium, tam choris angelicis, quàm lapsis inde dæmonibus cõuenire. Mitto nunc quod similem quendam casum Pherecydes Syrius narrat dæmonibus accidisse. Additq; Ophionem, id est serpentem dæmonicum fuisse caput exercitus rebellantis à mente diuina. Huic & simile, quod in mysterijs diuinis continetur, Iouem scilicet inferiores dæmones ad inferos deturbasse. Sed ad dialogum redeamus. Denique uirum purgata mente deo deditum, omnibus inde bonis impleri, solumq; sapientẽ esse, quamuis quasi extra se positus, uulgo derideatur uelut insanus. Post hæc descendit ad diuinum legitimi amoris furorem, quem accendi putat in animo quando pulchram aspiciens corporis formam, diuinæ pulchritudinis, quam quondam contemplatus fuerat, facile recordatur, illiusq; recuperandæ desiderio inflammatur, & furit. Sed contrarium huic describit furorem quasi ferinum, à forma corporis non ad diuinum intuitum ascendentem, sed ad uenereum congressum turpiter descendentem. Describit rursus humanum quẽdam furorẽ inter diuinum atq; ferinum, in eius accensum animo qui admiratione formæ corporeæ occupatus, neq; obliuioni diuinam tradit omnino, neque penitus recordatur. Quo fit, ut neque intemperatus sit omnino, neq; etiam temperatus, sed modo quasi incontinens, modo continens uideatur. Quærens postea causas ob quas alij alios, aut magis minusue ament, confugit ad sidera, quorum ab initio sint comites animæ. Tot enim animarum ordines humanarum in Timæo disponit, quot in cœlo sunt stellæ. Hinc reuertitur iterum ad uires animæ diuidendas: & rationem quidem aurigam uocat, geminos uero appetitus equos geminos: appetitũ rationalem equum bonum, appetitũ irrationalem equum malum. Sed in hoc genere appetitum uergentẽ ad iracundiam, minus malum: declinantẽ uero ad concupiscentiam, magis malum. Deinde passiones animantium tam continentium quàm incontinentium, mutuumq; amorẽ quasi poeta depingit. Quo fit, ut non aliter his allegorice indulgendũ sit, quàm canticis Salomonis. His actis, cum de pulchritudine quæ ad mentem, & quæ ad uisum pertinet, tractauisset, iam ad examinandam orationẽ Lysiæ pergit, atq; oratoris officium demonstrandum, ut pateat qualis orationis pulchritudo sit, quæ pertinet ad auditum. Pulchritudinem orationis in ordine collocat, uidelicet ut caput habeat à fine differens, habeat & media, capiti & fini et inuicẽ necessario copulata. Huiusmodi ordinem in primis ab oratore præcipit obseruari. Probat autem neminem oratorẽ uerum esse posse, nisi rerum præsertim humanarũ, animorũq; scientiam habeat. Quo autẽ orator id assequi possit, præcipit ut à dialectico facultatem discat diuidendi atq; cõponendi, quem esse uult præcipuum ueritatis indagandæ inueniendæq; instrumentum, & in Philebo dei nuncupat donum, propterea quod sicut in mũdo perpetuũ dei officium est diuidere atq; componere, ita & dialectici est in arte. Ideoq; consummatum dialecticum, id est metaphysicum iudicat tanquam deum esse colendum. comparat post hæc inuicem oratores, uituperatq; eos, qui ueri similem uero anteponentes, populum fallunt atq; seipsos, stulteq; confidunt quid ueri potissimum simile est etiam absq; ueri ipsius notitia posse cognoscere. Mox optima quædam nota præcepta. Tria primum oratori necessaria sunt, Ingenium, Doctrina, Exercitatio. Philosophia opus est ad ipsam maximæ cuiusq; artis perfectionẽ. Ab exercitatione dialectica, rerumq; contemplatione sublimium, tandem mentis sublimitas uisq; ad agendum efficax cõparatur. Quæ quidem duo in artiũ maximarum perfectiõe magnopere necessaria sunt. Deinde comparat oratorem non legitimum coquis, adulatoribusq; quẽadmodum in Gorgia: legitimum uero medico. Proinde regulam tradit qua tã animi quàm corporis, immo rei cuiusq; natura sit cognoscenda, statimq; redit ad oratoris officiũ. Subdit ob ipsum scribendi officiũ literas in Aegypto à dæmone quodã Teuthe unà cũ cæteris disciplinis inuẽtas fuisse. Deridet præterea scribendi studiũ, in eo uidelicet qui per literas indubitatã posteris cõfidat patefacere ueritatem. Atq;

Pythago-

Pythagoræorum more probat contemplationem traditionemq; ueritatis in animos, potius quàm in libros. Quod in Epistolis quoq; confirmat. Deniq; solum oratorem laudat, qui ingenio sit studioq; philosophus. Concludit uero dialogum oratione, uotisq; pulchritudinem animi à deo petentibus. In qua considera Socratem cæteris omnino spretis sola pulchritudine animi, id est sapientia esse contentũ, ueruntamen indicare, hanc ipsam non tam humano studio, quàm diuino munere comparari.

PHAEDRVS, VEL DE PVLCHRO

A MARSILIO FICINO TRADVCTVS, AD LAVRENtium Medicem uirum Magnanimum.

SOCRATES ET PHAEDRVS



AMICE Phædre, quónam & unde? PHAED. A Lysia ô Socrates, Cephali filio. Pergo autẽ deambulãdi gratia, extra urbem. Plurimum enim tempus cum eo sedens à matutino ad hanc usq; horam illic constiti. à tuo aũt meoq; sodali Acumeno persuasus deambulando exerceor. quod quidem exercitationis genus facilius salubriusq; ille q̃ currendi certamen existimat. SOCR. Probe ille quidem ô amice, monet. At enim Lysias erat, ut uidet̃, in urbe. PHAED. Erat. Nam apud Epicratem diuertit in hanc Olympio proximã Morychi domum. SOC. Quid rei agebatur illic? An uidelicet orationis epulo Lysias uos accepit? PHAED. Scies, modo tibi otium sit obambulanti unà mecum audire. SOC. Quid uero? nónne putas me iuxta Pindarũ negotio etiam anteferre, tuam & Lysiæ collocutionem audire? PHAED. Perge igitur. SOC. Dicas modo. PHAED. Atqui disputatio illa ô Socrates, tuis auribus cõgrua. Sermo nanq; fuit qui habitus est, nescio quo modo, amatorius. scripserat enim Lysias solicitatũ ex pulchris istis quendam, sed nõ ab amatore, in eoq; ipso sese ostẽtauit, quod probet non amanti magis q̃ amanti gratificandũ esse. SOC. O generosum uirum. Vtinã scriberet inopi potius q̃ opulento, & seni q̃ iuueni, & in cæteris omnibus ita affecto, ut ego & nostrum complurimi sumus, esse gratificandum. Siquidem urbana & publice utilis foret oratio. Me tamen cupido tanta cœpit audiendi, ut si Megaras usq; deambulando proficiscare, atq; Herodici more ubi ad murum accesseris, protinus inde recedas, nõ te relinquam. PHAED. Quid ais optime Socrates? An putas quæ Lysias multo tempore per otium cõposuit disertissimus omniũ qui nunc sunt scribẽdi, ea me rudem ita ut illo dignum est cõmemoraturum? permultum certe absum. atqui mallem equidẽ id mihi q̃ multum auri adesse. SOC. O Phædre, si ego Phædrum ignoro, mei quoq; oblitus sum. sed horum sanè neutrum est. Id enim certe scio, q̃ non semel tãtum ille Lysię sermonem audiuit, sed iussit sæpius recenseri. Lysias autem parebat libens, Nec uero Phędro id satis fuit, uerum sumpto demum libro, quæ maxime cupiebat, considerauit. Quod cum feciſſet illic à matutino usq; sedendo fatigatus, deambulatũ abscessit, per Canem, ut equidem reor, memorię mandans, nisi fortè prolixior erat oratio. Tendebat autẽ modo extra muros, ut ea ipsa meditaretur. Obuians uero homini sermonũ amore insano, eo conspecto lętatus est quia congaudentem coexultantẽq; foret habiturus, ac pergere unà iussit. Deinde uero ab homine ipso sermonum auido rogatus dicere, simulabat grauari, quasi non cuperet referre: tandem uero & si nemo sponte audire uellet, erat ad audiendũ illata ui coacturus. Te ergo Phædre rogarim, quod etiam nõ rogatus facturus es, mihi nunc ut facias. PHAED. Satius est igitur utcumq; possum dicere. Videris enim non prius me dimissurus, quàm prouiribus dixero. SOC. Vere nimium tibi uideor. PHAED. Sic igitur faciam. Sed enim uerba quidem ipsa ô Socrates, non edidici: sententias autem penè omniũ, quibus amãtem ostendit à non amante differre, teneo equidem, easq; breuiter referre tibi per ordinẽ pergo. SOC. Ostende amabo, prius quid in sinistra habes sub pallio. Suspicor enim te librum ipsum habere. Id si sic est, ita cogita, me quidem te magni facere, attamen præsente Lysia, me tibi auditorem prębere non est consilium. sed age ostende. PHAED. Desistas. Magna de spe me deiecisti ô Socrates, quam in te habui, nempe ingenium unà tecum exercitarus. Sed ubi uis sedentes legamus? SOC. Huc circa Ilyssum fluuium diuertamus. postea ubi uidebit̃, sedentes requiescemus. PHAED. Peropportune decalciatus sum: nam tu quidem

dem ſemper. Facile igitur erit nobis per aquulam ipſam uadere, & non iniucundum præ ſertim hac anni hora atq; diei. SOC. Perge igitur, & ſimul cõſpice ubi ſedeamus. PHAED. Vides illam altiſſimam platanum? SOC. Video. PHAED. Ibi & umbra, & uentus modi cus, & mollis herba, ubicunque ſedere uel etiam recumbere uelimus. SOC. Perge igitur. PHAED. Dic mihi ô Socrates. Nónne hic olim fertur Boreas ab Ilyſſo Orithyam rapuiſ- ſe? SOC. Fertur quidem. PHAED. An nõ hic grata, pura & nitida apparet aquula, puella rumq; apta ludis? SOC. Nequaquam, ſed paulo inferius ad duo uel tria ſtadia, ubi Dianæ templum offendimus, atq; ibidem ara quædam eſt Boreæ. PHAED. Non adeo noui. Sed dic per Iouem Socrates tu ne hanc fabulam putas ueram fuiſſe? SOC. Iam ſi nõ putarem, ut ſapientes, abſurdus non eſſem: deinde rem cõmentans uentum Borcæ dicerem proxi- mis è petris cum Pharmacia ludẽtem Orithyam deieciſſe, atq; ita mortuam, raptam hinc à Borea fingi, uel ex Areopago. Eſt enim & alia fama non ex hoc loco, ſed ex illo raptam fuiſſe. Ego autem ô Phædre, iucunda quidem hæc exiſtimo, ſed curioſi nimiũ atq; anxij, nec porrò fortunati uiri, non ob aliam cauſam quàm quòd ei neceſſe ſit Centaurorum et Chimerę formam interpretari. Atq; etiam confluit turba Gorgonum & Pegaſorum, alia rumq; monſtroſarum multitudo formarum: Itaq; ſi quis hæc non ita ut narrantur, eſſe cre dat, ſed ad cõuenientem ſenſum ſingula uelit traducere, ruſtica quadam ſapientia fretus, ocio nimiũ indigebit. Mihi uero ad hęc ocium non eſt ob eam ô amice, cauſam, quia non dum queo ſecundum Delphicum præceptum meipſum cognoſcere. Ridiculum igitur puto, cum mea ipſe ignorem, aliena perſcrutari uelle. Quare his dimiſſis, atque exiſtima- tioni quam de his paulo ante narrabam, fide adhibita, non ipſa quidem, ſed meipſum con ſidero, utrum ego ſim beſtia aliqua Typhone multiplicior, ardentiorq;, & furioſior, ſiue placatius quoddã & ſimplicius animal diuinæ cuiuſdam mitisq; ſortis natura particeps. At ô amice, nõne hęc ad quam inter loquendum peruenimus, ea erat arbor ad quam nos ducebas? PHAED. Hæc certe ipſa. SOC. Per Iunonem præclara diuerſio. Nam platanus iſta patulis admodum ramis & procera eſt, & altitudo uiticis illius, opacitasq; pulchra ni- mium & amœna, ac præcipuum nunc habet floreſcendi tempus, ut omnis circum locus ſuauitate compleatur odoris. Fons quoq; nitidiſſimus ſub platano fluit aquæ nimium fri gidæ, ut ex tactu pedis coniectare licet: quem nymphis & Acheloo ſacrum eſſe à puppis & imaginibus iſtis coniecto. An non aduertis præterea quàm iucunda & dulcis hic aura ſpiret? Æſtiuum inſuper quiddam & canorũ cicadarum ſubreſonat choro. Sed omnium ſcitiſſimum eſt, herbam ipſam aſpicere, ut in prato ſuauiter accliui recumbentis caput ſit molliter ſuſcipere apta. Itaq; tu per ẽq; optime me quaſi hoſpitem deduxiſti, ô amice Phæ- dre. PHAED. O admirabilis uir, abſurdiſſimus quidã uideris: & profecto quod ais, hoſpi ti cuidam deducto, non incolæ ſimilis es: ita neq; fines noſtros tranſiſſe unquã, neq; extra mœnia ipſa egreſſus appares. SOC. Ignoſce mihi optime Phædre. Nam diſcendi cupidus ſum, agri uero & arbores nihil docere me poſſunt, ſed homines qui in urbe uerſantur. Tu autem uideris mihi exeundi incitamentum inueniſſe. ut enim fameſcentibus animalibus frondes aut fructus porrigẽtes ea ducunt, ita tu mihi librum porrigens, per totã Atticam & aliò quò uelis, perduceres. Iam igitur cum huc peruenerimus, recumbere mihi placet. Tu autem in qua potiſſimum figura uidebitur cõmodiſſime poſſe legere, ea aſſumpta le- ges. PHAED. Audi igitur. Mearum quidẽ rerum ſtatus ſic ſe habet, & id maxime nobis, ut audiſti, conducturum puto. Arbitror autem me non minus ob id abs te ſiquid petiero conſequi debere, quod amore tui captus minime ſum. Nam amatores cum primum libi- dinem expleuerunt, collati beneficij pœnitet: eos uero qui amore irretiti non ſunt, nõ eſt cur pœnitere conueniat unquam. non enim coacti, ſed ſponte cum optime de ſuis rebus conſultauiſſent, pro rerum ſuarum facultate beneficia cõtulere. Præterea amatores men te quandoq; reuoluunt, quàm negligẽter res ſuas propter amorem adminiſtrauerint, & quæ ſuo damno contulerint beneficia, quosúe labores ſubierint, ideoq; dignã amatis gra tiam retuliſſe exiſtimãt. Sed hi qui amore decepti non ſunt, neq; rei domeſticę negligen- tiam, neq; labores præteritos, neq; propinquorũ diſcordias ſe incurriſſe amici cauſa con queruntur. Quamobrem tantis malis ſublatis, nihil aliud reſtat, niſi ut prompti ſint ad o- mnia quæ grata illis fore exiſtiment, peragẽda. Aiunt pleriq;, amatores idcirco pluris fa- cere oportere, quod maxima erga amatos charitate deuincti ſint, ſemperq; parati, tum di ctis

Ridiculũ eſt quum quis ſua ignoret aliena ſcru- tari

Quod inter homines, nõ inter ar bores uiuen dum

Oratio Ly ſiæ contra amatores

ctis,tum factis amatis obsequi,etiamsi ex hoc cæteros omnes offenderint. Quorum sententiam ueram non esse hinc facile coniectamus, quod translata ab alijs in alios beneuolentia, posteriores amatos prioribus anteponunt: ac si recentiores iusserint, superiores hostiliter insequuntur. Atqui quanam ratione decet tale quid illi concedere, qui ea calamitate affectus est,quam nunquam expertus quisquam concesserit? Enimuero & ipsi insanire potius quàm sapere confitentur,& nosse prẽterea insaniam suam,sed continere se minime posse. At uero qui sapiunt,quonam pacto eorum qui sic affecti sunt,consilia uoluntatesq; probabunt.Præterea si ex amantibus optimum eligere uelis, ex paucis tibi optio dabitur:sin autem ex alijs commodissimum tibi sodalem quẽsiueris,ex multis sanè licebit eligere. Maior uero spes est,hominem amicitia tua dignum inter multos quàm inter paucos repertum iri. Si igitur ex legum cõstitutione publicam uereris infamiam, meminisse oportet,amatores qui ita se amandos censent, ut ipsi alios amant, solere palàm q; non frustra inuigilauerint, gloriari. Eos uero qui non amant, quoniam continere se possunt,solere quod optimum est,potius quàm rumorem multitudinis quærere. Adde quod uulgus cum sentiat amatores amatos sequi assidue,atq; hoc operæprecium putare,suspicatur ne turpis eos cupiditas ceperit,aut fortè iam capiat. Non amantium uero familiaritatem improbare non audet: Scit enim necessarium esse homines inuicem uel amicitiæ uel commoditatis alicuius causa sæpe uersari. Proinde si te metus inuaserit putantem difficile fore ut maneat amicitia, immo simultate orta accidere cõmunem utriscp iacturam: te uero concedente ea quæ multi facis, maxime læsum iri: non iniuria amatores ualde timebis. multa enim illos offendunt, atq; omnia in sui detrimentum accidere arbitrantur. Quapropter amatos uersari inter alios prohibent,metuentes ne diuites eos opibus superent,aut docti uiri intelligẽtia præstent: atq; omnino siqui egregium aliquid in se habere uideantur,ab ijs amatos procul arcere conãtur. Ita ut ab ijs abstineant persuadentes, amicis omnibus priuant. Tu uero si rerum tuarum ratione habita melius quàm illi deliberaueris,ab eis dissenties atq; abibis. Qui autem amore tui capti non sunt, sed propter uirtutem quæ oportet efficiunt,aliorum tibi familiaritatem minime inuidebunt:sed potius oderint eos qui tibi hærere noluerint, arbitrantes ab illis quidem te despici, à familiaribus uero iuuari. Quamobrem multo maior spes est amicitias ex hoc commercio quàm inimicitias prouenire. Accedit ad hæc quòd amantiũ plurimi prius corpus cupiunt, quàm aut mores aut alia quæuis ad amatum pertinentia nouerint. Quo efficit,ut dubium sit an extincta cupiditate in amicitia perseuerent. Non amantibus autem, qui cum prius etiam amici essent,non agebant oblectamenti gratia omnia, consentaneum est non adeo ardentem conflari beneuolentiam,sed ipsorum officia monimenta futurorum accipi. Quineti am melior euades si mihi credideris,quàm si amatori præbueris aures. Nam amantes prẽter modum dicta & facta tua laudibus efferunt,partim quia uerẽtur ne te offendant,partim quia propter cupiditatis ardorem in iudicando falluntur. Talia enim quædam amor designat. infortunatos quidem, ea etiam quæ alijs molestiam nullam præbent, tristia putare compellit: fortunatos autem & uoti sui compotes,quæ lætitia digna non sunt,cogit tanquam iucũda laudare. Quapropter miserari eos magis oportet quàm diligere. Quod si mihi credideris,primo quidem non ob præsentem uoluptatem,sed ob futuram utilitatem adero tibi, non amori mancipatus, sed mihi imperans: neq; ob minimas causas aliquando graues inimicitias suscitabo, immo uero ob maximas uix tandem commotus, inuoluntarijs erratis ignoscam, uoluntaria emẽdare & deuitare conabor. Hæc sunt duraturæ amicitiæ argumenta. Si autem tibi uidetur non posse firmam nisi amore amicitiam nasci, animaduertere debes, quòd hac ratione neque filios multi faceremus,neq; parentes neq; filios eos haberem⁹ amicos,qui nõ ex amoris huius ardore, sed alijs quibuslibet studijs facti essent amici. Ad hæc si egenis gratificandum est maxime, conuenit omnino non meliores homines,sed pauperrimos iuuare. maximis eñ liberati malis gratias ingẽtes habebũt. In proprijs quoq; & priuatis sumptibus non cõuocandi amici erunt, sed esurientes & supplices. hi enim beneficium maximi facient, te sectabuntur, ad fores opperientur, applaudent, gratias ingentes agent, uota pro te fundent. Cæterum decet forsitan non egenis maxime indulgere,sed his potius qui referre gratiam possunt: neq; amantibus solum,sed beneficio dignis:neq; his qui forma tua delectãtur,sed qui tibi etiam seni profuturi

profuturi sint: nec illis qui uoti sui compotes facti, palàm sese iactabũt, sed qui uerecundi tacebunt: neq; illis qui breue ad tempus te colent, sed qui per omnem uitam similiter diligent: neq; illis qui extincto cupiditatis ardore, inimicitiarũ occasiones inquirent, sed qui forma defloreſcente, uirtutẽ suam constantiamq; ostendent. Tu igitur quæ dixi, memento, atq; id cogita, quòd amãtes ab amicis increpantur, quasi turpe quiddam sit amor. At eos qui non amant, nullus familiariũ ob id uituperat, quòd hoc pacto male sibijpsi consulãt. Forsitan me rogabis, nunquid omnibus nõ amantibus obtemperare te moneam. Ego autem puto neq; ipsum quidem amatorem iussurum esse te erga omnes amantes hanc eandem mentem habere. Neq; enim accipienti, id pari gratia dignum, neq; tibi cæteros latere uolenti, similiter facile. Oportet autem iacturam quidem ex hoc nullam, utilitatem uero ad utroscq; aliquã prouenire. Ego iam dicta sufficere arbitror: siquid autem tibi addendum uidetur, interroga. Quid tibi uidetur, ô Socrates? Nónne mirifice oratio hæc & cæteris rebus & uerbis composita est? Mirum in modum, ô amice, ita ut obstupuerim. atq; ita, ô Phædre, propter te affectus sum, dum te respicerem, quia mihi uidebare in legenda oratione gestire. Putans ergo te talia magis quàm me cognoscere, tibi obsecutus unà tecum, ô diuinum caput, ipse quoq; bacchatus sum. PHAED. Siccine tibi uidet iocandum? SOC. Ego tibi iocari uideor? An non serio loqui? PHAED. Nullo modo, ô Socrates. sed uerum dic per eum qui amicis præest, Iouem, putas quenquam Græcorum hac ipsa de re plura atq; maiora dicere posse? SOC. Quid uero? laudandum scriptorem eo solum censemus, quia ea dixerit quæ oportuerit? ac non eo solum, quia dilucide & rotunde & elegan ter singula uerba posuerit? Si enim uis, tui gratia concedendũ est. nam me quidẽ ob ignauiam meam & imperitiam latuit. Eloquentiæ enim dicẽtis solum intendi. ad id uero nec Lysiam quidem ipsum sufficere se existimare putabã. Profecto mihi uisus est, ô Phædre, nisi tu aliud dicas, bis & ter eadem repetisse, quasi deesset illi copia eadem de re multa dicendi, uel quasi nulla sibi de hoc cura esset. Ac mihi uisus est sese ostentare, quòd posset eandem rem aliter & aliter dicendo utroq; modo luculente dixisse. PHAED. Nihil ais, ô Socrates, hoc enim maxime oratio habuit. Nam quæ erant in re de quibus commode dici posset, eorum nihil prætermissum est, ut prẽter illa quæ ab hoc dicta sunt, nemo eadem de re plura aut probabiliora dicere possit. SOC. Id ego nõ iam amplius confiteri possum. Prisci enim sapientesq; uiri & mulieres qui de his dixerunt scripseruntq;, redarguent me, si tui gratia concessero. PHAED. Quinam isti? & ubi tu meliora audiuisti? SOC. In præsentia quidem nõ satis memini, sed profecto alicubi audiui, uel Sapphus pulchræ, uel sapientis Anacreontis, uel scriptorũ aliorũ. Vnde uero hoc ipse coniecto? quia plenum, ô beate mihi sentio pectus aliorũ, & nõ deteriorum quę dici possunt. quòd uero ex meipso nihil tale cognouerim, intelligo, meq; inscitiæ cõscius. Restat igitur me instar uasis hęc ex aliorum fontibus hausisse, sed iterum ob ruditatem meam & quomodo & à quibus perceperim, oblitum esse. PHAED. Optime, ô generose, dixisti. A quibus acceperis, & quomodo, neq; etiam si iussero, dicas. At illud dicas quod profiteris, rursus habere te plura & præstãtiora his quæ à Lysia scripta sunt, quod si feceris ab istis abstinens, auream tibi promitto in Delphis statuam æquilibrem, quod nouem illi principes solent, non meã solum, sed tuam etiam ponere. SOC. Amicissimus es, & reuera aureus, ô Phædre, si me dicere putas Lysiam omnino aberrauisse, ac posse præter hæc omnia meliora alia dici. hoc enim ne deterrimo quidem scriptori arbitror euenire. Principio quãtum attinet ad id de quo sermo habetur, putas ne aliquem probare uolentem non amanti magis quàm amãti gratificandum esse, nisi probauerit nõ amantem prudentem esse, amantem uero insanum, & illum quidem laudauerit, hunc uituperauerit, quæ sanè necessaria sunt, alia deinde quæ dicat habiturum? Sed existimo hæc talia sinenda, & scriptoribus cõcedenda esse, nec inuentionem horum, sed dispositionem esse laudandam. at illorum quæ non sunt necessaria, & difficulter reperiuntur, non dispositionem solum, sed inuentionem etiam laudandam puto. PHAED. Cõcedo quod ais: tolerabiliter enim dixisse uideris. faciam igitur & hoc ipse modo. Amantem enim quàm non amantẽ magis ægrotare, præsupponere tibi permittam. In alijs autem, si plura & præstãtiora quàm Lysias dixeris, iuxta Cypselidas in Olympia aureus stabis. SOC. Serio id accipis, ô Phædre, quòd uirũ mihi dilectissimũ reprehendi. Ego uero tecum iocabar. Ac me putas reuera hoc aggressurum esse, ut aliud quiddam

præter illius sapientiam ornatius dicam. PHAED. Hac de re ô amice, in easdem ansas peruenisti. dicendum tibi omnino est, utcunque poteris. Ac, ne molestam illam rem comœdorum sæpius inuicem respõdere compellamur, caue ne' ue illud me dicere cogas. Si ego ô Socrates Socratẽ ignoro, mei quoq; ipsius oblitus sum. Et cupiebat quidem, sed simulabat grauari. Demum ita cogita, non esse nos prius abituros hinc, quàm tu dixeris quæ habere aiebas in pectore meliora. Sumus enim soli, & quidem in solitudine. Ego aũt iunior & robustior. Ex his omnibus intellige quid dicam, nec uelis coactus potius quàm sponte loqui. SOC. At enim ô beate Phædre, ridiculus ero, si ipse rudis cum optimo illo scriptore contendero, ac de rebus eisdem ex tempore disputauero. PHAED. Scis ut se res habet? Missa isthæc facias mecum. Fermè enim inueni per quæ te compellã. SOC. Ne dicas obsecro. PHAED. Ne dicam? Imò uero iam dico. Ad iusiurandum me uertam. Iuro enim tibi per aliquẽ deum, uel si uis per hanc platanũ, nisi tu dicas in eius conspectu, me nunq; posthac cuiusquam orationem tibi ostensurũ esse, uel nunciaturum. SOC. Papæ ô inuenuste, q; pulchre reperisti qua arte uirum orationis auidum, ad quiduis agendum compelleres? PHAED. Quid ergo cum talis sis tergiuersaris? SOC. Minime amplius, quando quidem tu ita iurasti. qui enim quirẽ ab his epulis abesse? PHAED. Dic igitur. SOC. Scis quid agam? PHAED. Qua de re dicis? SOC. Obuolutus dicam, ut celerius transcurram sermonem, nec ad te respiciens, ob pudorem impediar. PHAED. Dicas modo. cætera ut uis, sic facito. SOC. Iam agite ô Musæ dulces, siue propter cãtus speciem, siue propter musicum genus illud suauium & stridularũ cognomen habetis, meum adiuuate sermonem, quem me dicere optimus iste compellit, ut eius sodalis qui primo huic sapiens uidebatur, nunc magis etiam uideatur. Erat puer quidam, imò uero adolescentulus egregia indole præditus: huic autem erant amatores complurimi: quorum unus uir sanè uersutus cum nihilo quàm cæteri minus eum amaret, persuasit puero se nõ amare. Cumq; flagitaret aliquãdo ipsum illud ipsum non amanti potius q̃ amanti gratificandũ esse persuasit, atq; ita inquit, In omnibus ô puer, unicũ principium ijs qui bene consulere uolũt, est intelligere quid illud sit de quo consulatur, uel omnino aberrare necesse, pleroscq; uero latet quòd nesciant rei substantiam. Tanquam igitur scientes, in dispositionis principio non declarant. procedentes uero quod par est, consequitur, ut nec sibi, nec alijs consentanea loquantur. Tibi igitur & mihi ne accidat quod in alijs damnamus, postquam nobis discrepatio est, utrum cum amante potius quàm non amante, amicitia sit ineunda, quid amor ipse sit, & quam uim habeat, definitione ex consensu posita cognoscamus: atq; ad id respicientes referentesq; consideremus, emolumentum' ne an detrimentũ afferat. Quod igitur cupiditas quædam sit amor, omnibus manifestũ: quòd uero etiam qui non amant, pulchra seu bona cupiunt, non ignoramus. Vt igitur quo amans à non amante discernitur, intelligamus, scire oportet duas in unoquoq; nostrum ideas esse dominantes atq; ducentes, quas sequimur quocunq; ducunt. Altera quidem est innata nobis uoluptatũ cupiditas. Altera uero acquisita opinio optimi affectatrix. Hę autem in nobis quandoq; consentiunt, quandoq; in seditione & discordia sunt: & modo hæc, modo altera peruincit. quando igitur opinio ad id quod optimum est, ratione ducit ac superat, hæc ipsa uiuendi potestas temperantia nominatur. Quando uero cupiditas absq; ratione ad uoluptates trahit, nobisq; imperat, imperium hoc libido uocatur. Libido autem cum multiformis sit, multarumq; partiũ, multas utiq; appellationes habet, & harum formarum quæ maxime in aliquo exuberat, sua illum appellatione nominatũ reddit, nec ullum suis decorũ aut dignum tribuit cognomentum. Circa cibos eñ superatrix rationis & aliarũ cupiditatũ cupiditas, ingluuies appellatur: & eũ qui hanc habet, hac ipsa appellatione nuncupatũ reddit. Rursus quæ circa ebrietatem tyrannidem exercet, ac eum quem possidet, hac ducit, patet quod habebit cognomen. atq; alia horum germana, & germanarũ cupiditatũ nomina, ubi aliqua maxime dominatur, quomodo ponenda sint, manifestum est. Cuius aũt gratia superiora omnia diximus, ferè iam patet: siue tamen dicatur, siue non, magis quàm si prætermissum sit, patebit. Nam cupiditas absq; ratione quæ superat opinionem ad recta tendentem, rapitq; ad uoluptatem formæ, & à cognatis cupiditatibus circa corporis formam uehementer corroborata peruincit & superat, ἀπ' αὐτῆς τῆ ῥώμης, id est robore & uehementia, ἔρως, id est amor appellata est. Num tibi ô amice Phædre, quemadmodũ mihi, uideor diuinum quiddam

dam passus fuisse? PHAED. Profecto quidem ô Socrates, præter solitum profluens quædam amplitudo te cœpit. SOC. Silentio igitur me audi. Nam reuera diuinus hic uidetur locus. Quare si sæpius nymphis procedente sermone corripior, ne mireris. Ea certe quæ modo canebam, à dithyrambis nõ multum distant. PHAED. Verissima narras. SOC. Horum equidem tu causa es. sed audi cætera, ne abeat id quod superuenit. At uero Deo curæ erunt, nos disputando ad puerum reuertamur. Age igitur ô optime, quid sit id de quo consulitur, dictum & definitũ est. Respiciẽtes ergo ad hoc quod reliquum est, uideamus quid emolumenti uel damni ab amante & non amante, ei qui obsequitur, sit merito prouenturum. Hominem libidini mancipatũ, & uoluptatibus seruiẽtem necesse est amatum suum pro uiribus sibi q̃ iucundissimũ reddere, Aegrotanti uero quicquid nõ repugnat, iucundum: quod uero melius, aut æquale molestum. Quare neq; præstantiorem, neq; parem amator amatum sponte unquam patietur esse. Inferiorẽ autem indigẽtioremq; quo ad poterit, semper efficiet. Deterior ignorans sapiente, forti timidus, ineptus ad dicẽdum rhetorico, hebes acuto. Hæc & plura insuper animi mala cũ natura insunt uel fiunt amato, gaudet amator, atque alia insuper inferre conatur. Alioquin uoluptate priuatur. inuideat ergo necesse est amator amato, atq; eum ab omni consuetudine studioq; unde uir excellens euadere possit, amouens, uehementer officiat. Maxime tamẽ ex priuatione illius obest, quod prudẽtissimum efficit. Prudentissimũ uero diuina facit philosophia, à qua amator procul abducere amatum compellitur, metuens ne ab eo, si fiat sapientior, cõtemnatur. Denicq; omnia efficit, quibus ille omnium ignarus euadat, admireturq; amantem. Qualis cum fuerit, amatori quidem iucundissimus erit, sibi autem ipsi pernicioſissimus. Atq; ita in his quæ ad intelligentiam pertinent, noxia est cum amatore consuetudo. Post hac uidendũ quo pacto is qui bono dulce anteponere cogitur, corpus illius quem amat, si commissum sibi fuerit, sit curaturus. Optabit profecto corpus non solidum, sed molle & delicatum, non sub sole, sed umbra nutritum, quod procul à periculis & laboribus siccisq; sudoribus, muliebri & delicato uictu fuerit educatum, coloribus alienis extraneisq; ornamentis ex propriorum defectu ornatum, cæterisq; horum similibus consuetũ. Quæ omnia cum prolixius recensere indignum sit, summatim in præsentia concludemus, ut relíqua prosequamur. Talem sanè corporis habitum in prælijs & quauis alia ingenti necessitate, hostes quidem audacter inuadunt, amici autẽ ipsiq; amatores huic maxime metuũt. Sed hoc iam tanquam manifestum dimittendum est. Deinceps uero dicẽdum quid nobis emolumẽti uel damni in rebus externis amantis familiaritas & custodia præbeat. Atqui hoc omnibus amatori præsertim est manifestum, quòd amicissima charissimaq; et diuinissima possessione orbum fieri amatum desiderat. Parentibus enim, necessarijs, amicis, priuari eum exoptat, existimans eos dulcissimæ ipsius cum amato consuetudini impedimento fore. Puerum præterea uel auri, uel cuiusuis possessionis ditissimum, neq; facile capi posse putat: neq; si captus fuerit, detineri. Quamobrem necesse est amatorem tanq; inuidum amati prosperitate dolere, aduersitate gaudere. Quinetiã sine uxore, sine filijs, sine domo, diu exoptat uiuere adolescentem, cupiẽs plurimum tempus propria dulcedine perfrui. Sunt alia quoq; mala, sed horum plurimis in ipso statim principio dæmon aliquis uoluptatem immiscuit: ueluti adulatori grauissimæ bestiæ maximeq; calamitati inseruit natura oblectamentũ aliquod inconcinnum. Vituperabit quoq; scortum aliquis utpote noxium, & alia huiusmodi animalia atq; studia, quę nos ad præsens delectare cõsueuerunt. Amans uero præter q̃ quod noxius, est etiam sua consuetudine omnium molestissimus. Pares enim cum paribus ueteri prouerbio iucundissime cõgregantur. Nam æ- Prouerbiũ
qualitas temporis cum ad æquales uoluptates propter similitudinem trahat, amicitiã parit. Veruntamẽ his etiam nimiam satietatem affert. proinde necessitas omnibus in rebus cuiq; grauis est. quę quidem simul cum dissimilitudine in amãte ad amatum est maxime. Iuniori enim senior adhærens, neq; die ulla, neq; nocte ab eo sponte recedit, sed necessitate & furore rapitur. qui illum quidem uoluptatũ illecebris trahit uidentem, audientẽ, tangentem, & omnino amatum sensu quolibet attingentẽ, ita ut ingenti cum uoluptate illi assidue obsequatur. Amatũ uero qua uoluptate, quóue solatio æquale tempus adeo detinebit, ut extrema molestia nõ uexetur? cum faciem senilem deformẽq; aspiciat, cæteraq; similiter, quæ nõ factu solum, uerumetiã auditu molesta sunt, necessitate quadã ad ipsum

captādum ſemper propoſita,dum ſedulis paſſim inſidijs obſeruatur,auditq; importunas immoderatasq; tum laudes,tum uituperationes quibus amās ipſum proſequitur:quæ in ſobrietate quidem intolerabiles ſunt,in ebrietate uero non intolerabiles ſolum,uerumetiam ob nimiam aperte loquēdi licentiam turpiſſimæ.Pręterea dum amat,pernicioſus et importunus eſt.Cum uero amare deſierit,in poſterum infidus aduerſus illum quem multis iuramentis,precibus atq; promiſſis uix tandem induxerat, ut præmiorū ſpe infeſtam eius conſuetudinem ſuſtineret.Demum cum rependere deceat,principem alium in ſe ac præſidem accipit,mentem temperantiāq; pro amore atq; inſania,factusq; iam alius amatum fallit.Tunc amatus eorum quæ dicta quōdam & facta ſunt memor,beneficiorū gratiam exigit,putans cum eodem uerba ſe facere.Sed alter ob uerecundiā, neq; audet mutatum eſſe ſe confiteri,neq; inuenit qua ratione prioris illius principatus inſani iuramenta & promiſſa perſoluat,mentis iam & temperantiæ compos effectus,ne ſi eadem quę & antea fecerit,ſimilis idemq; ac fuerat ante,rurſus euadat.Hinc efficitur, ut qui ante amauerat,iam aufugiat,mutatusq; abeat,quaſi teſta in aduerſum cadente:alter uero perſequi cogatur,grauiter ferens,ad imprecationesq; conuerſus. Qui ſanè ab initio deceptus eſt, cum ignorauerit nō decuiſſe,amanti neceſſario amēti gratificari,imò homini multo magis ab amore libero mentemq; habenti.Alioquin neceſſariū fore,ſeipſum cōmittere homini infido,moroſo,inuido,moleſto,pernicioſo ad rerum poſſeſſionē,pernicioſo ad corporis habitum,longe uero ad animi diſciplinā pernicioſiſſimo,qua nihil apud deos et homines reuera aut eſt,aut erit unquam uenerabilius.Hæc ô puer,conſideranda ſunt,atq; illud inſuper animaduertendū,amatoris amicitiā non beneuolentia ulla,ſed auiditate quadam expletionis quaſi fame conſtare.

Vt lupus ipſe agnum,puerum ſic ardet amator.

Hoc illud eſt quod prædixerā,ô Phædre.Nec dicētem me ulterius audies,ſed iam finem habeat ſermo,quanq; putabam dimidium diſputationis tranſactū eſſe, ac reſtare tantundem de nō amāte dicendū,quod illi potius indulgere deceat,ad idq; quot illi bona inſunt enumerāda. PHAED.Cur ergo deſiſtis ô Socrates? SOC.Animaduertiſti Phædre,carmina me iam nō dithyrambos amplius canere,quāuis in uituperādo mea uerſetur oratio? quod ſi laudare alterum pergā,quid facturū me putas? An nō ſentis à nymphis, tum opera tua,tum diuina prouidentia me afflari? Quare ſummatim dico, tot bona ineſſe alteri, quot mala in altero numerauimus.Sed quid multis opus eſt uerbis? De utriſq; enim ſufficienter dictū.Atq; ita quod decet fabula patietur.Ego iam trāſmiſſo flumine abeo,prius q; ad maius aliquid abs te cōpellar. PHAED. Nondū ô Socrates, prius q; æſtus abſcedat An nō uides ut iam plane meridies ſit,in qua hora intenſus eſt calor? Sed interim morantes,ac de his quæ diximus,colloquentes,cum primū refrixerit,tunc abeamus. SOC.Diuinus es circa ſermones ô Phædre,ac uere mirabilis. Arbitror equidē orationū quę his temporibus habitæ ſunt,neminem pluribus autorem cauſamq; fuiſſe q; te,ſiue ultro dicēdo, ſiue quoquo modo alios compellēdo.Simmiam Thebanū excipio.Alios uero lōge antecellis.Et nunc uideris in cauſa fuiſſe, ut aliqua à me oratio habeatur. PHAED. Non tu bellum ſanè denuncias:ſed quonam modo,& quæ oratio? SOC.Cum flumen tranſiturus eſſem,dæmoniū & ſolitum mihi fieri ſignum factum eſt:quod ſanè quotiēs accidit,quod facturus eram,agere prohibet.hinc uocem audire uiſus ſum,quę abire me uetat,antequā expiauerim,quaſi aliquid deliquerim erga deum.Sum igitur uates quidē,at nequaquam bonus,ſed quemadmodū qui male ſciunt literas,quantum ad meipſum ſufficiens. Clare itaq; iam intelligo delictū meum.Siquidem ò amice,pręſagij quiddā etiam eſt in animo. Me enim cōmouit & antea dum loquebar.unde quodammodo uerebar,ne cum fortè ſecundum Ibycum apud deos deliquerim,apud homines gloriam conſequar.Nunc ſentio in quo deliquerim. PHAED.Quid eſt? SOC.Grauem ô Phædre,grauem,inquam, ſermonem & tu attuliſti,& me dicere compuliſti. PHAED.Quonam pacto? SOC. Stultum & quodammodo impium:quo quis grauior eſſe poteſt? PHAED. Nullus, ſi tu uera narras. SOC.Quid enim Amorem? nōne Veneris filium,& deum aliquem putas? PHAED. Dicitur quidē. SOC.Non tamen à Lyſia,neq; ex ſermone tuo qui per os meum abs te quaſi quadam incantatione deductus,prolatus eſt.Si aūt eſt,ut certe eſt,deus aut diuinū quiddam amor,malū utiq; nō eſſet.At ſermones de illo quaſi malū eſſet,habiti ſunt. In hoc ergo ad

go aduersus Amorẽ deliquimus. Atqui ualde ineptæ disputationes hę nostrę uidẽt, quã uis urbanæ: quæ cum nihil syncerũ uerumq; cõtineant, gloriant tamen tanq; plurimũ ualeant, si homunculis nonnullis deceptis approbẽt. Mihi igitur ô amice, expiari necesse est. Est aũt his qui confabulando peccant, expiatio quædã uetus, quam Homerus non nouit, sed Stesichorus. Oculis enim priuatus ob Helenæ uituperationẽ, non ignorauit cæcitatis causam ut Homerus, sed utpote musicus eam agnouit. Itaq; statim illa fecit carmina:

Non uerus sermo ille fuit, nec nauibus altis
Existi fugiens, nec adisti Pergama Troiæ.

Atq; ita ædito poemate, quam παλινῳδίαν, id est recantationẽ, uocant, confestim uisum recuperauit amissum. Ego autem in hoc ero utrisq; sapiẽtior, quod antequã accidat mihi quicquam mali ob Amoris uituperationem, conabor illi palinodiam reddere, et quidem aperto capite, non ut suprà, ob uerecundiam uelato. PHAED. His uero ô Socrates, nihil mihi gratius efficere posses. SOC. Etenim meministi ô Phædre, q; impudẽter ex libro lectum est, & à meipso quoq; de amatore dictũ. Quòd si generosus aliquis uir et modestus, qui similem sibi alium amet amauerit ue, nos audiat cum dicimus amãtes ob minimas sæpe causas maximas inimicitias suscitare, & inuidos amatis pernicioso sq; esse homines, audire se arbitrabitur in nauibus educatos, qui liberalem aliquem amorem nunq; inspexerint, neq; ullo modo nobis cõcedet, quę in amoris uituperationem adducimus. PHAED. Fortè per Iouem ô Socrates. SOC. Hunc ego hominem ueritus, & Amorem ipsum metuens, cupio ueluti potabili oratione salsum illum auribusq; nostris noxium sermonẽ diluere. Consulo quinetiam Lysiæ, ut q; primum scribat amanti potius q; non amanti ex similibus indulgendum. PHAED. Ita futurum certo scito. Nam postq; tu amatorem laudaueris, necesse erit Lysiam ut eadem scribat à me compelli. SOC. Istuc equidẽ credo, quandiu tu, qui nunc es, fueris. PHAED. Dic age forti animo. SOC. Eia ubi mihi puer ille adest, ad quem superiorẽ sermonem habui, ut hunc etiam audiat: ne si minus q; audierit, temere non amanti obtemperet. PHAED. Is tibi proximus semper adhæret, quoad cupis. SO. Sic ergo egregie puer, cogita, priorem sermonem Phædri Pythocle geniti Myrrhinusii fuisse: sequentem uero Stesichori Euphemi filij, uiri amabilis fore. huius hoc erit exordium. Non uerus sermo ille est, qui præsente amatore non amanti magis iubet gratificari, quia amans furit, non amans uero sanus est. Si enim simpliciter uerum esset, furorẽ esse malum, recte à nobis dictum fuisset. Nunc autem maxima bonorum nobis fiunt per furorem diuino quodam munere concessum. Nam & quæ in Delphis futura prædicit uates, & quæ in Dodona sacerdotes, furentes quidem multa ac magna cõmoda priuatim et publice Græcis hominibus attulerunt: sanæ uero dum sunt, exigua aut nulla. Quòd si referamus Sibyllam, & alios quicunq; diuino usi sunt uaticinio, q; multa prædicentes in futurum profuerint, prolixũ nimis extenderemus sermonem, & rem manifestam omnibus proferremus. Illud tamen dignũ est testificari, qd ueteres qui nomina rebus imposuerũt, non turpe quiddã, neq; ignominiosum putauerunt furorẽ. Non enim præclarissimæ arti qua futurum discernitur, hoc nomen annectentes, eam μαντικὴν, id est furorem nominassent, sed tanq; bonum quiddã sit furor, quãdo diuina sorte prouenit, honestæ arti nomen huiusmodi indiderunt. At nunc iuniores isti interiecta τ litera, imperite nimiũ, μαντικὴν dixerunt. Sanè inuestigationes futuri sanorum hominũ per aues & alia ostenta, utpote à coniectura humanæ intelligentiæ procedentes, mentem historiãq; auguralem cognominarunt. Quam deinde posteriores o paruum in magnum uertentes, honestiori uocabulo exornant. Quanto igitur perfectius præstantiusq; uaticiniũ augurali coniectione, & nomen nomine, opusq; opere, tanto testificant antiqui furorem ex deo profectum q; humanam prudentiã præclarius esse. Atqui aduersus morbos & labores maximos ob antiqua delicta quandoq; diuina indignatione mortalibus imminentes gentibus quibusdã alicũ de furor aduenies, ac prædicens quibus opus erat, remedia adinuenit, cõfugiens ad uota cultusq; deorum: unde expiationes propitiationesq; consecutus, incolumem reddidit possidentem & in præsens tempus & in futurũ, absolutionem præsentiũ malorum recte furenti occupatoq; adeptus. Tertia uero à Musis occupatio & furor suscipiens teneram intactamq; animam, suscitat illam atq; afflat. Vnde per cantus aliamq; poesim infinita antiquorum gesta exornans, posteros instruit. Qui autem absq; furore Musarũ poeticas ad

Maxima bona fiunt per furorem diuinitus concessum

οἰονοϛικὴν
οἰωνιϛικὴν

fores accedit, confidens arte quadam poetam se bonum euasurũ, inanis ipsę quidem atq; eius poesis præ illa quæ ex furore procedit: qua uidelicet hæc quæ ex prudentia fit, euanescit. Tot equidem ac etiam plura diuini furoris præclara opera referre possum. quare hoc ipsum ne formidemus, ne'ue ulla nos ratio absterreat, ostendens prudentem & sanum potius q̃ concitatum amicum esse diligendum. At ille insuper ostendat si potest, ac uictoriã reportet, non pro utilitate amantis & amati amorem à dijs esse concessum. Nobis uero nunc ostendendum est contrà, pro felicitate maxima huiusmodi furorem à dijs hominibus esse datum. Demonstratio autem erit contentiosis quidem incredibilis, sapientib. uero contrà. Oportet autem nos prius de natura animæ diuinæ & humanæ, affectus & opera intuentes, uera nouisse. Hoc uero demonstrationis huius principium sit. Anima omnis immortalis. quod enim semper mouetur, immortale est: quod uero aliud mouet, ab alioq; mouetur, cum terminum habeat motus, terminum habet & uitæ. Solum ergo quod seipsum mouet, quia nunquam se deserit, nunquam cessat moueri. Imò uero & alijs quæcunq; mouentur, id fons & principium est mouendi. Principium autem sine ortu est. Ex principio enim necesse est quicquid generatur oriri, ipsum autem ex nullo. Nam si principium oriretur ex aliquo, ex principio utiq; non oriretur. Cum uero sit absq; ortu, & absq; interitu sit necesse est. Nam si principiũ interiret, neq; ipsum ex alio, neq; ex ipso aliud nasceret. Siquidem ex principio omnia orianť oportet. Sic ergo principiũ motus est, quod seipsum mouet. Hoc aũt neq; mori neq; nasci potest. Alioqui omne cœlum, omnisq; generatio concidat desinatq; necesse est, neq; rursus unquã constare possit, unde hæc motũ nacta orianť. Cum igitur appareat immortale esse quod seipsum mouet, animæ substantiam & rationem hanc ipsam qui dixerit, non erubescet. Omne enim corpus cui motus extrinsecus incidit, inanime est. Cui uero intus ex seipso id inest, animatum, tanq; hæc animæ natura sit. quod si ita est, ut nõ sit aliud quicq; quod seipsum moueat præter animã, necessario ingenita & immortalis est anima. De immortalitate animæ satis est dictũ. de idea uero ipsius in hunc modum est dicendũ. Quale id omnino sit, diuinæ penitus prolixæq; narrationis foret: similitudinẽ uero eius quandã describere, humanæ & breuioris. hoc igitur modo dicamus. Similis esto cognatæ potentiæ subalati currus & aurigæ. Deorũ equi & aurigæ omnes boni sunt atq; ex bonis, aliorum uero permixti. Principio quidem nostri princeps bigas habenis moderatur: deinde equorum alter bonus & pulcher, & ex talibus, alter cõtrarius & ex contrarijs. quo fit ut dura & difficilis necessario sit uectura nostra. qua uero ratione mortale et immortale animal appellatum est, conandum est dicere. Omnis anima totius inanimati curam habet, totumq; percurrit cœlũ, aliàs uidelicet alias sortita species. Perfecta quidem dum est & alta, sublimis incedit, ac totum gubernat mundum. Cui uero alæ defluxerint, ferť quoad solidũ aliquid apprehẽderit, ubi habitaculum sortita, corpus'ue terrenũ suscipit, sese mouere apparens propter illius potentiã: animalq; totum uocať, anima simul corpusq; compactũ, & mortale animal cognominatur: immortale autem ex nulla ratiõe discursu percepta, sed quæ fingiť: quippe cum neq; uiderimus, neq; satis intellexerimus deum, immortale quoddã animal, habẽs quidem animã, habens etiam corpus naturaliter omne tempus coniuncta. Sed hæc iam uti deo placet, ita se habeant & dicanť, per quam uero causam alæ abijcianť, decidantq; ab anima, nũc dicamus, Est aũt talis quædam. naturalis alarũ uis est, graue in sublime attollere, ubi deorum inhabitat genus. Omniũ uero quæ sunt circa corpus, maxime particeps diuini est animus. Diuinum aũt pulchrum, sapiens, bonum, & quicquid tale dici potest. His utiq; alitur maxime, augeturq; ipsa alatio animi: turpi aũt & malo contrarijsq; huiusmodi deficit atq; interit. Magnus utiq; dux in cœlo Iupiter citans alatũ currum primus incedit, exornans cuncta, prouideq; disponens. Hunc sequiť deorum dæmonumq; exercitus per undecim partes ordinatus. Permanet autem Vesta in deorum æde sola. Aliorum uero deorũ quicũq; in duodecim numero censenť, suę quisq; functioni pręest ut quisq; est ordinatus. Permulta igitur beataq; spectacula discursusq; intra cœlum existunt, quibus deorum genus beatorum intendit suum quisq; officiũ peragens. Sequitur aũt semper uolens & potens. Liuor enim à diuino choro procul abest. Cum uero ad conuiuium ac dapes uadunt, in summum cœli fastigiũ sublimes eunt. Deorũ quidem uehicula apta habenis, ęqualiterq; libra ta facile gradiunť, aliorum uero ægre. Grauať enim prauitatis particeps equus, ad terram uergens

De animæ immortalitate

De idea animæ

Quo pacto fit animal

uergens atq; trahens, cuicunq; aurigarũ equus non bonus nutritus fuerit. Vbi iam labor & certamen extremũ animæ proponitur. Quæ enim immortales uocantur, cum ad summum peruenerint, extra progressæ in cœli dorso consistunt. Ibi constitutas circũferentia ipsa circũfert, atq; illæ intuentur quæ sunt extra cœlum. Locum uero supercœlestẽ, neq; quisquam nostrorũ laudauit adhuc poetarũ, neq; unquam pro dignitate laudabit. habet se uero in hunc mondum. Audendũ est enim uerum dicere, præsertim de ueritate loquenti. Sine colore, sine figura, sine tactu, sine essentia uere existens, animæ gubernatore solo intellectu cõtemplante utitur, circa quam ueræ scientiæ genus hunc habet locum. Vtpote igitur dei cogitatio intellectu et scientia immaculata se uertens, cogitatio quoq; omnis animæ quæcunq; conuenientẽ sibi conditionẽ susceptura est, intuita per tempus id quod est, contenta ueritatis contemplatione nutritur & gaudet, donec circulo in idem circumferentia referat. In hoc aũt circuitu conspicit ipsam iustitiam, conspicit temperantiã, conspicit scientiã, non qua adsit generatio, nec qua alia alicubi sit in alio, quales uidelicet sunt eorum quæ nos entia nũc appellamus: sed illam quæ in eo quod est ens uere, scientia est: & alia eodem modo quæ uere sunt speculata atq; his enutrita, subiens rursus intra cœlum domum reuertit. Cum autem redierit, auriga ad præsepe sistens equos, obijcit illis ambrosiam, & post ipsam nectar potandũ. atq; hæc deorum est uita. Cæterarũ uero animarũ alia optime deum secuta, similisq; effecta, extulit in supercœlestẽ locum aurigę caput, & cum ipsa circũferentia simul delata est, sed perturbata ab equis, et uix ea quę uere sunt, intuita. Alia uera modo caput extulit, modo submisit: at ob uiolentiã equorum, partim uidit quidem, partim uero non uidit. Aliæ aũt animæ affectantes quidem omnes superiorẽ locum sequuntur: cum uero nequeant, submersæ circũferuntur: calcantes sese inuicem atq; incumbentes, alia aliam præire cõtendens. Tumultus igitur & certamen & sudor fit extremus. Vbi quidem aurigarũ uitio multæ claudicant, multæ multas pennas confringunt, omnes uero magno implicatæ labore, expertes eius quod uere est intuẽdi, discedunt: post discessum uero alimento utuntur opinabili. Cuius quidẽ gratia multus inest conatus, ueritatis campus ubinã sit, intueri. Nam ex huiusmodi prato optima uis animæ conuenientem accipit alimoniã, & alarum natura qua anima eleuatur, hoc alitur. Regulaq; Adrastię deæ, id est ineuitabilis numinis, hæc est: ut quæcunq; anima deum comitata aliquid uerorum inspexerit, ea usq; ad circuitũ aliũ sit indemnis: & si semper hoc facere queat, sit semper illæsa. Si uero impotens assequendi non inspexerit, & casu aliquo usa, repletaq; oblitione & prauitate grauetur, grauata autem pennas confregerit, in terrãq; ciderit, tunc prohibet lex hanc in prima generatione in aliquam brutalem ire naturam: sed iubet eam quæ plurima uiderit, in genesim uiri philosophi, aut pulchritudinis cupidi, aut musici, atque amatorij: eam uero quæ secundo loco, in regem legitimũ, aut bellicosum uirum & imperatorium descendere. Tertio in gubernatorẽ reipub. aut rei familiaris dispensatorẽ uel quæstuariũ. Quarto in laboriosum gymnasticũ, aut circa medelam curamq; corporis uersaturum. Quinto in eos qui uates futuri sunt, & circa mysteria quædam. Sexto in poetam uel alium quemuis eorũ qui apte in imitatione uersant. Septimo in artificem uel agricolã. Octauo in sophistã & popularem. Nono in tyrannicũ. In his autem omnibus quicũq; iuste uitam egerit, sortem postea nancisciturmeliorẽ: qui uero iniuste, deteriorem. In idem enim unde profecta est cuiusq; anima, annis decem millibus non reuertitur. Nam alas ante hoc spacium nõ recuperat, præter illius animã qui philosophatus est sine dolo, uel unà cum sapientiæ studio pulchritudinẽ amauit. Hæ quidem tertio ambitu mille annorum, si ter hanc ipsam deinceps elegerint uitam, sic recuperatis alis, post tria millia annorum euolant abeuntes. Aliæ uero animæ primæ uitæ finem consecutæ, iudicãtur. Iudicatæ autem aliæ sub terra in iudicij locum euntes, meritas illic pœnas sustinẽt. Aliæ in cœli quendam locum per iudicium eleuatæ, ita degunt, ut dignum est ea uita qua in hominis figura uixerunt. Millesimo anno ambæ redeuntes sortem & electionem secundæ uitæ suscipiunt, delligit unaquæq; eam uitam quam uelit. Hic & in bestię uitam humana anima transit, & ex bestia rursus in hominem, si modo anima quandoq; prius fuerit hominis. Nam quæ nunquam ueritatem inspexerit, in hanc figuram uenire non poterit. Oportet uero hominem intelligere secundum speciem, ex multis procedentem sensibus in unum ratiocinatione conceptum. Hoc autem est recordatio illorum, quæ olim uidit anima nostra cum Deo

Vide ut Plato ponit alia qua extra cœlum

Intellectus animæ gubernator

Nouem animarum conditiones

Ad idẽ reuertitur anima post decẽ millia annorum

Humãæ animæ trãsmutatio

perfecta, & illa deſpiciens quæ nunc eſſe dicimus, & ad id quod uere eſt ſurſum reflexa. Quapropter ſola philoſophi cogitatio merito recuperat alas. Nã illis ſemper quantũ fieri poteſt, memoria inhæret, quibus deus inhærens diuinus eſt. Talibus autem commentationibus qui recte utitur, perfectisq; myſteriis ſemper imbuiť, perfectus reuera ſolus euadit. Ab humanis autem ſtudijs ſegregatus, diuinoq; inherens, carpitur à multitudine quaſi extra ſe poſitus, ſed ipſe deo plenus multitudinẽ latet. Tendit igiť huc totus ſermo, qui eſt circa quartum furorem, quo quando quis uiſa hic pulchritudine aliqua ueræ illius reminiſcens, alas recipit, receptisq; euolare nititur. Cum uero id facere nequeat, tanq; auis ſuperna ſuſpiciens, & inferiora cõtemnens, crimen reportat quaſi furore correptus. Hæc itaq; diuina alienatio omnium alienationũ optima, atq; ex optimis ſit & habenti & participanti: & qui hoc tenetur furore, cum amet pulchra, amator uocatur. Vt enim dictũ eſt, omnis anima hominis ea quæ uere ſunt, intuita eſt, alioquin in hoc animal non ueniſſet. Recordari uero ex his quæ hic ſunt, illorum, non facile eſt omnibus, nec quot ex illis breue tempus illuc inſpexerunt, neq; quot huc deſcendentes infortunatæ fuerunt, ita ut qui buſdam conſuetudinibus deprauatæ, ſacrorum quæ aliquando inſpexerant, obliuionem ſuſceperint. Quamobrẽ paucæ reſtant, quibus ſatis memoriæ ſuperſit. Hæ uero quando hic ſimilitudinẽ aliquam eorum quæ illic inſpexerant, intuentur, obſtupeſcunt, & quaſi extra ſe ponunť: quæ tamen ſit hæc affectio ignorant, quia nõ ſatis omnino perſentiunt. Iuſtitiæ quidẽ & temperantiæ & aliorum quæcunq; in animis precioſa ſunt, ſplendorem nullum in his imaginibus cernimus, ſed per obſcura quædam inſtrumenta uix & perpauci in eorum imagines accedentes eius quod repræſentať genus aſpiciunt. At pulchritudinem tunc licebat uidere clariſſimam, quãdo cum beato illo choro felicem uiſionem contemplationemq; ſecuti cum Ioue quidem nos, alij uero cum alio quodam deorum, uiderunt & initiati ſunt ſacris, quę fas eſt dicere ſacrorũ omnium beatiſſima: quę operamur integri quidem nos & malorum expertes, quot in poſterũ manebant, integra quoq; & ſimplicia immobiliaq; et beata ſpectacula initiati inſpectantes pura in luce puri et immacula ti, ſolutiq; ab hoc quod nunc circumferentes, corpus uocamus, in modum oſtreæ huic alligati. Hæc autem memoriæ ſunt accepta ferenda, propter quam deſiderio illorum quæ quondam uidimus, nunc ſermonem extendimus. Pulchritudo autem quemadmodũ diximus, & cum illis progrediens effulgebat tunc, & huc profecti percepimus eam per ſenſum noſtrorum perſpicaciſſimũ clariſſime refulgẽtem. Viſus enim nobis peracutiſſimus eſt ſenſuum omniũ qui per corpus fiunt, quo ſapientia non cernitur. Ardentes enim excitaret amores, ſiquod tale ipſius ſimulacrum manifeſtũ oculis proueniret. Eadẽ eſt de cæteris quę ſunt amabilia, ratio. At uero pulchritudo ſola hãc habuit ſortem, ut maxime omnium & perſpicua ſit & amabilis. Qui ergo non eſt myſterijs nuper initiatus, aut potius eſt deprauatus, haud celeriter hinc illuc ad ipſam pulchritudinẽ excitatur, ſimilitudinem hic quandam quæ ab illa denominatur aſpiciens. Quapropter non ueneratur dum aſpicit, ſed quadrupedis ritu deditus uoluptati, aggredi & concumbere nititur: petulanterq; congrediens, nec timet, nec erubeſcit uoluptatem præter naturam ſectari. Sed qui nuper expiatus eſt ſacris, quiť ue aliquando eſt plurima cõtemplatus, quando uultum diuina forma decorum uidet, apte ipſam pulchritudinem imitatum, uel aliquam corporis ſpeciem, primo quidem horret, metusq; uetus aliquis in eum reuoluitur: deinde inſpiciens tanquã deum colit: ac niſi uereretur uehementis inſaniæ crimen, ſacra amatis nõ aliter quàm dei ſtatuæ faceret. Intuentem uero ipſum uelut ex horrore, permutatio, ſudor, & ardor inſoliti occupat. Quando enim pulchritudinis influxum per oculos accipit, calefit, quo pennarum natura irrigatur: poſtquam uero incaluit, liqueſcunt quæ ad pullulandum ſpectant, quæq; diu præ duritie compacta, exitum germinis cohibebant. Vbi autem influxerit alimonia, pennarum germina iam ab ipſis radicibus tumeſcentia impetu quodam per animæ ſpeciem totam nituntur erumpere. tota enim erat olim pennis ſuffulta. Feruet itaque tunc omnis & proſilit: atq; ut infantes quum dentes emittunt, prurítu & dolore gingiuarum uexantur: ita & pennas emittentis anima feruet, & titillatione, moleſtiaq; afficitur. Itaq; cum pueri ſpeciem intuetur, cupidinemq; inde effluentem imbibens irrigatur caleſcitq;, dolere iam deſinit, atq; lætať. Cum uero procul abfuerit, exaruerintq; meatus qua parte ſcaturire nititur ala, aridi & conſtricti, pennarum germen cohibent.

Pulchritudo ſola maxime omnium amabilis

hoc

hoc intus unà cũ cupidíneo íllo ínfluxu occluſum tumeſcentiumq́ moré reſiliens, ípſum ſibimet ſuos meatus undiq́ obſtruit pungitq́. Tota igiť anima undiq́ ſaucia ſtímulo con citatur & angiť, rurſuſq́ memor pulchrítudinís delectať. Ex utríſq́ uero permíxtís paſſi-onis huiuſmodi uehementia & nouitate uexať, & anxía furit atq́ ínſanit. Sic affecta, præ furore neq́ nocte dormíre poteſt, neq́ die uſquã cõſiſtere, ſed paſſim díſcurrit deſiderío pulchrí uidẽdi perculſa. Vídens aũt & ínfluxũ íllum cupídineũ hauriẽs, abſtruſa príus & concluſa, iam aperit & reſoluit. Cum uero iam reſpírauerít, ſtímulís anguſtijſq́ liberatur. Hac utiq́ ſuauiſſima uoluptate in præſenti uſqueadeo delinitur, ut nunq́ ab eius illecebris ſponte díſcedat, neq́ quenquam pluris facit q̃ amatum, ſed parẽtes, fratres amícoſq́ omnes obliuioni tradit, ac diſſipato per ínuriã patrimonío mínime cõmouetur, patrías quoq́ conſuetudínes & dignitates quíbus gloriarí ſolebat, penitus aſpernatur, & ſeruíre & iacere parata ubicunq́ permittiť, modo ígniculo ſuo ínhæreat. Non enim colit ſolum-modo & ueneratur formoſum, ſed medicum etíam hunc grauiſſimorũ morborũ ſibi ſolum ínuenit. Hunc utíq́ affectum ingenue adoleſcens, ad quem meus eſt ſermo, homines ἵμερον, id eſt amorem appellant. Quo autem modo díj nominant, ſi audíeris, merito propter iuuentutem rídebis. Tradunt Homerící quídam, ut arbitror, ex reconditis carmi níbus, ín Amorem carmína duo, quorum alterum ualde petulans, neq́ ſatís concínnum. Sic autem aíunt. Hunc quídem mortales ἵμερον, id eſt amorẽ uocant uolatílem: Immortales autem alatum, propter uolandí neceſſitatem. His partím licet credere, partím non licet. Atquí cauſa affectioq́ amantíum hæc ípſa eſt. Quotcunq́ ígitur ex Iouis pediſſequis capti fuerínt, grauíus conſtantíuſq́ alati, íllíus onus ferre poſſunt. Qui uero Martem coluerunt, cumq́ íllo circũuagati ſunt, amore íllaqueati, ſiquã ab amato ſibí ínferrí íniuríam putant, ín cædem facile prouolant, præcípitesq́ tum ad ſeípſos, tum ad amatos necandos feruntur. Atq́ ita ſecundum quemq́ deorũ cum quo quílíbet chorum egit, eundem honorat ímitaturq́ ſemper ín uita pro uírib. quoad permanet íncorruptus, & hoc pacto prímam hic uitæ generationem ducit, talemq́ ſeípſum ad amatos et alíos exhíbet. Amorem ergo pulchrorum ex ſuo quíſq́ delígit more, & tanquam deus ſibi ílle ſit, quaſi ſtatuam fabricat & exornat utpote honoraturus atq́ ſacrificaturus. Iouis itaq́ cultores eum ſibi amandum quærunt, cuius louialís ſit animus. Quare conſíderant utrum ad philoſophiam & imperium natura ſit aptus: & quando íllum amant ínuentum, omní opere contendunt quo ílle talís euadat. Ac niſí príus quod exoptant, ingreſſí fuerínt, ſtudío ſuo tunc cõtendunt admodum, diſcũtq́ undecunq́ alíquid poſſunt, atq́ ípſí etíam ad hoc opus progrediuntur. Inueſtigantes ex ſeipſis dei ſui naturam, uoti tandẽ compotes fiunt, ex eo quòd ſumma quadam attentione mentis aciem in deum erígere compellãtur: deínde cum per memoríam íllum attíngant, díuínitate afflantur, atq́ ex eo mores & ſtudía, quatenus homíní licet dei partícipem fieri, capiunt. Quoníam uero horum omnium cauſas referũt in amatum, dilectione ardentíus accenduntur. Ac ſi ab Ioue hauríant, bacchantíum ſacerdotum more, in amatí animum transfundentes, proprío deo quoad poſſunt, ſimíllimum reddunt. Quícunq́ uero Iunonem ſecutí ſunt, regium quærunt, quo ínuẽto ſimíliter affecti eadem erga íllum omnía faciũt. Apollínís prẽterea relíquorũ ue cultores deorũ ſingulí deos ſíngulos ímitantes, eodem modo affectum natura adoleſcentẽ quærũt, eoq́ comparato & ípſí ímitantes, & adoleſcentíbus perſuadentes, moderantesq́ ín numínís ípſíus ſtudíum & ídeam pro uirí bus agunt. Non inuidía, nõ íllíberalí maleuolẽtía in adoleſcentes ſuos utuntur, ſed omní ſtudío íllos ad perfectam tum ſuí, tum dei quem colunt ſímílítudinem formare conantur. Cura ígitur finisq́ uere amantíum, ſí modo quod cupíunt, fuerínt aſſequuti, talís eſt profecto qualem deſcripſímus: & ínſignis admodum felixq́ ab amico propter amorem furente, dílecto ſuo, ſí captus fuerít, prouenit. Comprehenditur autem quiſquis capítur, hoc pacto. Quamlíbet animam ab ínítío huius fabulæ trifariam diuiſímus: atq́ equorum equidem formas geminas, duas quaſdam ſpecíes poſuimus: aurigam uero ſpeciem tertíam: eademq́ nobís ín præſentía maneant. Equorum autem alter bonus, alter non. Quæ autem aut boní equí uírtus, aut malí prauitas ſit, nondum plane díximus, nunc uero dicendum. Bonus excellentíorí habítu eſt, ſpecie rectus, membris expreſſus, ardua ceruíce, naríbus modice aquilínís, nitído colore, nigrís oculís, honoris cupídus, temperantiæ pudoriſq́ particeps, ac ueræ opinionis amicus, nullís ſtímulís

multis indigẽs,sed cohortatione sola rationeq; regitur. Alter intortus & multiplex temere delatus,fususq; & confuse compositus,rigenti & dura ceruice, atq; demisso collo,simo uultu,fusco colore,oculis cæsiis sanguineq; suffusis,morosus & cõtumax,hirsutis auribus atq; surdis,uix flagello stimulisq; obtemperans. Quando igitur auriga amatorium aspiciens uultum,totamq; sensu inflammãs animam titillationis & desiderij stimulis concitatur,tum qui aurigæ obediens est equorũ,ut consueuit,pudore cohibitus seipsum continet ne prosiliat in amatũ. Alter neq; stimulis,neq; uerberibus coerceri potest, sed exultat,ac uiolentia delatus cõiunctum sibi equum aurigamq; perturbat, rapitq; ad Veneris uoluptatem. At illi ab initio aduersantur, indignati quòd ad grauia & iniqua trahantur. Tandem cum malum id minime cesset,compulsi feruntur, ceduntq; iam & consentiunt quod iussi sunt facere.hinc hærent igniculo,aspectumq; ipsius coruscũ inspiciunt.Quem intuitus auriga,pulchritudinis ipsius naturam memoria repetit, rursusq; illam cum temperantia cernit,in casto fundamento firmiter collocatam. Videns aũt metuit,ac præreuerentia recidit resupinus:ubi simulq; cogitur usqueadeo habenas retrahere,ut equi ambo femoribus aut natibus humi resideant:sed alter quidem sponte,quia minime reluctatur, procax autem equus alter prorsus inuitus.Longius uero discedentes, alter quidem propter uerecundiam admirationemq; sudore totam animam madefacit,alter uero à dolore liberatus,quem & frenum & casus incusserat,uix tandem respirat, atq; respiscens indignatione motus aurigam equumq; cõiunctũ increpat, quòd timiditate atq; ignauia constitutum ordinem deseruerint.Rursusq; nolentes accedere cogens, uix tandem cõcessit illis differri in posterum exorãtibus. Accedente autem statuto tempore,cuius esse immemores illi quidem simulant,hic uero illis cõmemorat,urgens hinniensq; & trahens,compellit iterũ eisdem uerbis amatos affari.Postq; uero prope accesserũt,inflexus extẽsa cauda,frenum mordet, & impudentissime rapit. Sed auriga multo magis eadem passus, & quasi à carcere statim humi decumbens,habenas longe uehementius trahit,& dentes equi flagitiosi reprimit,atq; impurã linguam maxillasq; cruentans,crura natesq; humi defigit,ac pœnas dare compellit.Quod cum sæpe iam prauus equus ille perpessus est,lasciuire destitit,mansuefactus iam aurigæ obtẽperat prouidentiæ:atq; etiam cum uidet pulchrum,formidine contremiscit,adeo ut quandoq; contingat amatoris animam iam cum reuerentia quadam & metu adolescentum uestigia sequi. Vtpote igitur omni cultu,tanquam deo æqualis adolescens obseruatus ab amatore,haud quidem simulante,sed reuera sic affecto,præsertim cum & ipse honoratus natura colentis sit amicus,in idem postremo cum amatore conspirat:ac etiam si antea à familiaribus suis cõdiscipulisq; & alijs per calumniam deceptus fuerit,dicentibus turpe esse amanti hærere,ideoq; amantem reiecerit,tandem uero procedente tempore ætas & naturæ debitus ordo eũ in consuetudinem amantis inducunt.Nunquam enim fato decretum est uel malum amicum malo, uel bonum bono non amicum esse.Ergo cum adolescens colloquio & consuetudine receperit amatorem,tunc amãtis illius beneuolentia iam facta propinquior,amatum ipsum admirari compellit,animaduertentẽ necessariorum amicorumq; omniũ aliorum beneuolentiam,si cum amico diuinitus afflato conferatur,nullius fore momenti:ac si senior ille diu sic pergat,hæreatq;,& in gymnasiis cæteris'ue similibus tãgat,tunc iam fluxus liquorisq; illius fons,quem ἵμερον,id est cupidineũ influxum Iupiter Ganymedis amore captus uocauit,qui in amantem uberrimus influxit,partim in ipsum infusus est,partim foris effluit cum exuberauit.ac ueluti aer & Echo à leuibus solidisq; repulsa corporibus eodem unde uenerunt,iterum reflectuntur:ita pulchritudinis ille fluxus rursus in pulchrũ per oculos refluens,quà penetrare in animã consueuit,adeo pennarum meatus irrigat,ut & possint & incipiant pullulare, atque ita amati animum mutuo implet amore. Amat igitur, quid uero amet,ambigit,affectumq; suũ nec nouit,nec eloqui potest:sed perinde ac si lippi alicuius aspectu oculos similiter sit infectus,præsentis morbi assignare causam nescit, nec animaduertit quòd seipsum in amatore tanquã in speculo respicit. Itaq; præsente illo, dolere ut ille similiter desinit,absente uero desiderat uicissim desideratus, mutuum amorem tanquam Amoris simulacrum possidens,nec amorem ipsum,sed amicitiã & uocat & putat. Cupit ergo fermè ut ille,quamuis moderatius,uidere atq; assidua consuetudine perfrui,& ut par est,posthac protinus hæc facit.In ipsa igitur cõsuetudine amatoris quidem

quidem intemperãs equus aurigam compellans,breuem efflagitat pro multis laboribus uoluptatem: adolescentis autem equus eidem quid dicat, ignoret, sed percitus anxiusq; amantem mutua prosequitur beneuolentia,amantissimo suo cõgratulatus,atq; in ipsa familiaritate paratus est pro uirib.amatoris desiderio obtemperare. Coniugatus aũt equus simul & auriga cum pudore & ratione his in rebus huic aduersantur. Quare si secundum rectam uitæ institutionem & philosophię studia meliores cogitationis partes obtineant, beatam atq; concordem præsentem uitam agunt,suiipsorũ domini,atq; modesti ea parte subiecta cui animę uitium inest,ea contrà liberata ad quam probitas pertinet. In huius autem uitæ fine recuperatis alis præpetes euolant,cum triũ certaminũ uere Olympicorum unum peruicerint. Quo quidem nullum præstantius bonũ aut humana temperantia, aut diuinus furor hominibus afferre potest. Quod si impudentiorẽ quandam uitam,philosophiæ expertem,alioquin ambitiosam sequuti sint,fortè in ebrietate, aut alia quauis desidiosa licentia,intemperati illorũ equi incautas animas inuadunt, easq; in idem illud oblectamenti genus conducentes,sectari compellunt quod uulgo beatissimũ iudicatur, inq; eius desiderij expletione iam deinde uersantur. Hac tamen idcirco raro utũtur, quia non omnis in hoc cõsentit animi cogitatio. Amici ergo & isti, licet minus q̃ illi superiores,tũ feruente amore,tum restincto degũt,fidem sibi inuicem firmissimã & dedisse & accepisse putantes. nefas enim esse ducunt,fidem frangere,& inimicos quandoq; ex amicis euadere. Demum cum naturæ concesserint,sic affecti abeunt,ut alati quidem nondũ sint,sed pennas emittere quodãmodo cœperint. Quamobrem præmiũ amatorij furoris non paruum reportant. Nam in tenebras locumq; sub terram descẽdere illos qui iam iter sub cœlis agere cœperãt,lex prohibet:sed claram uitam agentes beatos fieri iubet, dum unà pergunt,& simul alas emittunt.atq; hæc amoris gratia fiunt. Tot igitur ac talia ô puer, tamq; diuina,amatoris tibi amicitia conferet. Eius autẽ qui non amat,familiaritas temperãtiæ mortali cõiuncta,mortalibusq; & exilibus ministerijs dedita,illiberalitatẽ illam quę uulgo uirtus habet,in sodalis sui animo generabit,efficietq; ut nouẽ annorũ millia super terram,& sub terrã demens pererret. Hãc tibi ô dilecte Amor,q̃ pulcherrime optimeq; ualuimus poeticis tum uerbis,tum figuris impulsu Phædri palinodiã cecinimus. Quare & ante dictis ignoscens,& hæc grata à nobis accipiens,benignus propitiusq; mihi adsistes: amatoriam artem abs te cõcessam,neq; auferas indignatione aliqua,neq; etiam minuas. Quinetiã da ut magis q̃ nunc apud honestos in precio sim. Tum siquid numine tuo indignum à Phædro & à me dictum sit,Lysiam disputationis huius autorem accusans, ab huiusmodi sermonib. desistere facias,& ad philosophiã quemadmodũ frater eius Polemarchus uersus est,ita illum conuerte,ut & hic eius amator Phædrus haud amplius ut nunc, modo huc,modo illuc se transferat,sed in amoris simul & sapientiæ studio prorsus uitam agat. PHAED. Hæc ego quoq; si præstat ita fieri ô Socrates,deum oro. Tuum uero sermonem iampridem admiror,quod longe superiorem antecellat:ut iam uerear ne Lysias mihi humilis uideatur,si se cum alio conferre studeat. Atqui eum nuper ciuis quispiam ô uir mirifice,hoc ipso nomine uituperauit,tota accusatione quendam orationum compositorem uocans. Fortè igitur uel ob ambitionem à scribendo dẽinceps abstinebit. SOC. Ridicula hæc ô adolescens,sententia est,& ab amici mente longe aberras,si eum usq; adeo meticulosum putas. fortè uero obtrectatorẽ eius existimas recte dixisse quæ dixit. PHAED. Ita profecto uisum est ô Socrates:neq; te fugit potentes in repub. præstantesq; uiros uerì orationes componere,suaq; scripta relinquere,ne sophistæ fuisse posteris uideantur.

SOC. Prouerbiũ illud,dulcis cubitus ô Phædre,te latuit, à lõgo cubito qui prope Nilum est,ductum fuisse. neq; id solum,sed illud quoq; te fugit,quòd excellentes prudẽtia ciues in conscribendis posteritatiq; relinquẽdis orationibus summopere studeant,qui usq; adeo laudatores suorum operum diligunt,ut primos eos adscribant,qui scripta ubiq; laudent. PHAED. Quomodo ais? Non enim intelligo. SOC. Nescis quod in exordio libri à ciuili uiro compositi,primus est laudator adscriptus? PHAED. Quo pacto. SOC. Probatum est,inquit,scriptum senatui,aut populo, aut utrisque: & ille qui dixit seipsum, ambitiose nominans,extollensq; sententiæ autorem. Deinde etiam dicit posthæc,suam ostentãs laudatoribus sapientiam. Idque sæpe postquam prolixam orationem habuerit. An aliud quicquam tibi istud uidetur,quàm scripta oratio? PHAED. Non aliud certe. SOC. Quòd

si approbetur, gestiens ex theatro discedit tanquam poeta: sinautem reprobetur excludatúrq; à scribenda sententia, neq; dignus cuius sentẽtia mandetur literis habeatur, mœret ipse eiusq; amici. PHAE. Et maxime quidem. SOC. In hoc plane demonstrant se minime aspernari studium huiusmodi, sed multi facere. PHAE. Summopere. SOC. Quid uero si orator quispiam, aut rex eam nactus sit facultatem, ut quemadmodũ Lycurgus aut Solo, aut Darius immortalis in ciuitate scriptor haberi possit, an non & ipse æqualem se deo adhuc uiuentem existimat: & posteri monimenta eius considerantes, de illo similiter iudicant? PHAE. Vehementer. SOC. An igitur censes talium quempiam, uel quantumcunq; maleuolum Lysiæ studium eius hoc scribendi uituperaturum? PHAE. Ex his quæ tu dicis id consentaneum non uidetur: nam suum quoq; studium, ut uidetur, uituperaret. SOC. Ergo ex hoc perspicuum esse cuique potest, non ob hoc ipsum quod scribat, quenquam esse uituperandum. PHAE. Quid enim? SOC. At illud est, ut arbitror, turpe, turpiter ac male & loqui & scribere. PHAE. Manifestum id quidem. SOC. Quænam igitur & bene, & non bene scribendi ratio est? Nunquid opus est nobis, ô Phædre, de his, à Lysia, uel ab alio scisciari, qui uel quandoq; scripserit aliquid, uel sit scripturus, seu ciuile publicum opus, siue priuatum, aut carmine ut poeta, aut tanquam priuatus oratione solutа? PHAE. Rogas an opus sit? Cuius enim gratia, ut ita dicam, uiuat quispiam, nisi huiusmodi uoluptatum? Nõ enim illarum gratia, quas dolor necessario antecedit, alioquin uoluptas minime prouenit: quod omnes pene uoluptates corporis habent. Quare seruiles non iniuria sunt appellatæ. SOC. Ocio utiq; abundamus, ac etiam mihi uidentur uelut in æstu super caput nostrum cicadæ canentes, & inuicem disputãtes nos cõtueri. Si ergo nos uiderent, quemadmodum & alios multos in meridie nõ disputantes quidem, sed dormitantes, ab ipsis ob mentis desidiam delinitos, merito deriderent existimantes mancipia quædam ad eas illuc diuertisse, inq; ipso secessu tanquam pecudes sub umbra secus fontem meridiano somno teneri. Sinautem uiderint differẽtes nos, minimeq; ab illarum quasi Sirenum illecebris captos quo minus portum uersus enauigaremus, fortè nobis libentissime præmium illud tribuerent, quod deorum concessione traducere ad homines possunt. PHAE. Quidnam muneris istud est quod possident? Nunquam enim audisse uideor. SOC. Non tamẽ decet Musarum studiosum uirum rerum huiusmodi ignarum esse. Fertur autem hos olim homines ante Musas fuisse. Natis deinde Musis cantuq; monstrato, illorum nõnullos uoluptate cantus usqueadeo delinitos fuisse, ut canentes cibum potumq; negligerent imprudenterq; perirent: ex quibus deinceps cicadarum genus sit natum, munus hoc à Musis nactum, ut alimonia non indigeat, sed absq; cibo potuq; quandiu uixerit cantet, postea uero ad Musas proficiscatur, quam quis hominum Musam hic colat, renunciaturum. Ergo Terpsichoræ nunciantes qui præcipue illam in choris cœtibusq; celebrauerint, eam ipsis propitiam reddũt. Erato autem eos qui in rebus amatorijs honorauerint. atq; alijs eodem modo pro sua cuiq; uenerationis specie. Calliopæ aũt antiquissimæ, eamq; sequenti Vraniæ, eos qui in philosophia uiuunt coluntq; ipsarum musicam, referũt: quæ præ cæteris Musis circa cœlum, atq; sermones tam diuinos quàm humanos uersantur, uocem pulcherrime modulantes. Itaq; multis de causis dicendũ est aliquid, neq; in meridie dormitandum. PHAE. Dicendum certe. SOC. Igitur quod modo statueramus, iam disserẽdum est. qua uidelicet ratione quis recte, aut nõ recte & loquatur & scribat. PHAE. Proculdubio. SOC. An non necesse est eum qui recte dicturus sit, ueram in ea re de qua loquatur, intelligentiam habere? PHAE. Audiui equidem, ô Socrates amice, non esse futuro oratori necessarium quæ reuera iusta sunt discere, sed quæ iudicantium multitudini uideantur: neq; reuera bona aut honesta, sed quæ sic appareant. Ex his enim potius quàm ex ueritate posse persuadere. SOC. Nunquam, ô Phædre, sapientum contemnenda sunt dicta, immo diligenter quid sibi uelint consideranda. Itaq; quod modo dicebas, prætereundũ esse nõ arbitror. PHAE. Probe loqueris. SOC. Sic igit̃ istud consideremus. PHAE. Quo pacto? SOC. Hoc plane. Si tibi suaderem, hostes te equo expugnaturum, utriq; uero equum ignoraremus, sed ego id tantum de te scirem, quòd Phædrus equum putat esse illud animal quod ex omnibus domesticis auriculas maximas habet. PHAE. Ridiculum id quidem esset, ô Socrates. SOC. Nondum istud, sed quando obnixe tibi persuadere conarer, oratione in asini laudes composita, equum illum uocans, affirmansq;

affirmansq; præstantissimũ animal esse, utile domi & foris, ad bellum promptissimũ, ad sarcinas ferendas aptum, & ad multa alia commodissimũ. PHAE. Valde id absurdũ. SOC. Nónne præstat ridiculũ amicũ esse, quàm grauem & inimicũ? PH. Videtur. SOC. Quãdo igitur orator boni malicq; ignarus ciuitati similiter affectæ suadeat, non oratione quidem in umbræ asini laudem tanquam equus illa sit composita, sed de malo tanquam bonum id sit differens, uulgicq; opiniones aucupatus, mala facere pro bonis inducat, qualem putas oratorem huiusmodi segetem quã seuit messurum? PHAE. Haud sane bonam. SOCR. Num, ô bone uir, rusticius quàm deceat dicendi artem uituperauimus? Illa uero forsitan dixerit: Quid, ô uiri mirabiles, deliratis? Ego enim neminem ueritatis ignarum discere orare compello: sed siquis consilio meo usus, percepta ueritate me capiet. Hoc sane affirmo esse maximum, quod absq; me etiã si quis res nouerit, nihilo magis persuadendi uim tenebit. An non iure hæc dixerit? PH. Fateor equidem, si modo sequẽtes rationes artem esse illam testentur. Audire nanq; mihi uideor rationes nonnullas quæ asserunt, mentiri eam, neq; artem esse, sed aliquem sine arte usum. Veram autem dicendi artem absq; ueritate, inquit Laco, neq; esse aliquam, neq; unquam fore. Has rationes, ô Socrates, sed huc eas adducens, quid dicant, & quomodo discute. SOC. Adeste animalia generosa, ac Phædro honesto adolescenti persuadete, nisi sufficienter philosophetur, eum nunquam aliqua de re sufficienter esse dicturum. Respondeat Phædrus Socrati interroganti. An non rhetorica omnino ars erit alliciens animam per sermones, non in iudicijs modo cæterisq; publicis cœtibus, uerumetiã in priuatis cõgressibus eadem de magnis quibusq; rebus & paruis? Nihil enim honorabilius in magnis q; in exiguis ex recta artis ratione se gerere. Nunquid tu hæc audisti? PHAE. Nõ ita prorsus per louem. Verũ circa iudicia præcipue ars ista dicitur, scribiturq;, necnõ circa cõciones, ultra uero eam porrigi nõ audiui. SOC. Nunquid artem dicendi qua Nestor & Vlysses apud Iliũ usi sunt, audisti? eam uero qua Palamedes, audisti nunquam? PHAE. Et per louem Nestoris orationes audiui: nisi forte Gorgiam, Nestorem fingis esse, aut Thrasymachũ Theodorumq; Vlyssem. SOC. Forsan, sed hos mittamus. Tu uero responde. Quid in iudicijs aduersarij faciunt? Nõne contradicunt? An quid aliud dicemus? PH. Hoc ipsum. SOCR. Num de iusto atq; iniusto? PHAE. Ita. SOC. Nõne qui arte id agit, efficiet ut idem eisdem tum iustum, tum iniustum appareat? PH. Quid prohibet? SOC. Et in concione, ut eadem ciuitati modo bona, modo contraria uideantur? PHAE. Certe. SOC. Enimuero Eleatem Palamedem artificio suo efficere solitum accepimus, ut eadem audientibus similia & dissimilia, unum & multa, manentia & fluentia uiderentur. PHAE. Maxime. SOC. Facultas ergo contradictoria, nõ in iudicijs solum & concionibus, uerumetiã in omnibus, ut apparet, quæ dicũtur, quandoquidem una quædam ars est, uersatur: qua quis poterit omnia omnibus, & quæ possunt, & quibus possunt, similia fingere, & alio similia ista occulẽte in lucẽ educere. PHAE. Quónam pacto id ais? SOC. Hoc equidem. Num deceptio in his quæ multum, an quæ parum differũt, accidit? PHAE. In his quæ parũ. SOC. Atqui si paulatim transieris, latebis magis dum ad contrariũ uenies, q; si subito trãsilieris? PHAE. Quidni? SO. Oportet igit eũ qui cunq; decepturus sit alium ipse minime decipiẽdus, similitudinem & dissimilitudinem rerum exquisite dignoscere. PHAE. Necessariũ est. SOC. Nunquid igitur singulorum ueritatis inscius poterit eius quod ignorat similitudinem in uniuersis paruam aut magnã dijudicare? PHAE. Impossibile id quidem. SOC. Ergo illos qui præter rerum naturam opinãtur falsiq; sunt, cõstat propter similitudines aliquas sic esse affectos. PH. Sic accidit. SOC. Num igitur poterit quisquam si rem quamcunq; ignorauerit, artificiose aliquẽ sensimq; à uero in contrarium per similitudines aliquas sigillatim traducere? aut errorem hunc in seipso uitare? PHAE. Nunquam. SOC. Quamobrem, ô amice, quicunq; ueritatem ignorat, & opinionibus ducitur, dicendi quoq; facultatem, ut uidetur, inertem exhibet atq; ridiculam. PHAE. Ita uidetur. SOC. An uis in oratione Lysiæ quam in manibus habes, & in nostra disputatione uidere ubi artificiose, & ubi sine arte agitur? PHAE. Maxime omnium. Nude enim in præsentia loquimur, cum exemplis perspicuis careamus. SOCR. At enim fortuna quadam rationes dictæ sunt, ut uidetur, exemplo monstrantes, compotem ueritatis uirum dum uerbis locatur trahere auditores. Atq; ego ô Phædre, locales deos huius rei causas arbitror. Forte etiam Musarum interpretes super capita nostra can-

Præstat ridiculum amicũ esse quàm grauem & inimicum

Ars recte dicendi non absq; ueritate

Circa quæ uersetur recta ratio dicendi

Deceptio in ijs quæ parum differunt

Decepturus alium quid nosse debeat

Concluditur oratoriã sine ueritate esse deridendam

tores munus hoc nobis inspirauerunt. Ego enim dicēdi artem habeo nullā. PHAE. Esto ut ais. Solū quod dicis ostende. SOCR. Age itaq; , procœmiū orationis Lysiæ lege. PHAE. Mearum quidem rerū status sic, ut intellexisti, se habet: itaq; cum ita sit, quemadmodum nobis conducere putem audisti. Arbitror equidem me non minus ob id abs te siquid petiero consecuturum, quod amore tui captus minime sum. Nam amatores cū primū amare desierint, collati beneficij pœnitet. SOC. Desine. In quo iste delinquat, & quid sine arte faciat, dicendū. Nónne? PHAE. Profecto. SOCR. An non cōstat cuiq;, quod in alijs, dum loquimur, idem sentimus omnes, in alijs uero nō idem? PH. Quamuis quod ais intelligere uideor, planius tamen ut dicas cupio. SOC. Quando quis ferri nomen, uel argenti pro nunciat, idem omnes protinus intelligimus. PH. Prorsus. SOC. Quid cum iusti, uel boni nomen? nónne alius aliò fertur? atq; cum alijs, & nobiscum ipsi ambigimus? PH. Magnopere. SOCR. In alijs ergo consentimus, in alijs dissentimus. PHAE. Sic est. SOCR. Vbinam facilius falli possumus? & in quibus horū rhetorica plurimū ualet? PH. Patet, in quibus ambigimus. SOCR. Oportet igitur eum qui rhetoricā sit assecuturus, primū hæc ordine discreuisse, & quæ utriusq; speciei figuræ sint percepisse, & ubi maxime falli ambiguitate multitudo potest, ubi non potest. PH. Præclaram quandam, ô Socrates, agnosceret speciem, qui cogitatione id caperet. SOCR. Deinde oportere arbitror, eum nihil late re, cum ad singula uenerit, sed acute persentire, id de quo dicturus sit, utrius sit generis. PHAE. Cur nō? SOC. Quid porrò amorem? utrū ambigui generis, an alterius esse dicemus? PHAE. Ambigui prorsus. SOC. An putas eum tibi illa de se dicere concessurū quæ supra dicebas? quod uidelicet amato simul atq; amāti pernicios us est, ac rursus quod omnium maximū est bonorū? PHAE. Scite loqueris. SOC. Sed id quoq; dicas. ego eñ propter diuinā illam occupationē non admodū memini, num amorem in disputationis principio definierim. PH. Per Iouem mirifice. SOC. O quanto solertiores Acheloi nymphas, & Pana Mercurij filiū Lysia Cephali filio ad orationes componendas esse demonstras. An uero nihil dico? sed Lysias quoq; in amatorij sermonis exordio coegit nos intelligere Amorē, certū aliquid esse quod ipse uolebat, atq; ad id sequentia referens orationem omnē peregit? Vis ne principiū rursus legamus? PH. Vt lubet, quāuis ibi quod quæris, minime sit. SOC. Lege, ut illū ipsum audiā. PHAE. Mearū quidem rerū status, sicut intellexisti se habet: atq; cū ita sit, quemadmodū nobis conducere putē audisti. Arbitror equidem non minus ob id abs te siquid petiero consecuturū, quod amore tui captus minime sum. Nam amatores cū primū amare desierint, collati beneficij pœnitet. SOC. Permultū abesse uidetur, ut quod quærimus, faciat. siquidem non à principio sed à fine modo quodam conuerso, & resupino sermonē transigere nititur, incipitq; ab illis quæ amator extincto amore adolescentibus obijcit. An forte nihil dixi, ô Phædre mi lepidū caput? PH. Finis est profecto, ô Socrates, de quo sermonē habet. SOCR. Quid alia? nónne sparsim disiecta omnia uidentur? An censes quod secundo loco positū est necessitate quadā ita esse subiunctum? aut aliquid aliud ab illo dictorū? Nam mihi quidem utpote omniū ignaro uidetur non ingenerose quicquid incidit à scriptore dictum fuisse. Tu uero necessitatem scribendi aliquam habes, per quam ille sic ea inuicē deinceps disposuit? PHAE. Optimus es, ô Socrates, siquidem me putas scripta adeo subtiliter posse dijudicare. SO. Sed hoc arbitror te dicturum, oportere orationem omnem tanquam animal quoddam constitui, ut suum quoddam habeat corpus, quod neq; sine capite sit, neq; pedibus careat, sed habeat media atq; extrema sibi inuicem & toti conuenientia. PHAE. Quid ni? SO. Considera quæso, utrum amici tui oratio sic se an aliter habeat. Reperies eam nihilo ab eo epigrammate discrepare, quod Midę Phrygio inscriptū nōnulli fuisse tradunt. PHAE. Quid istud, & quale? SOC. Audi.

Aenea uirgo, Midæ regis sum imposta sepulchro,
Dumq; fluunt fontes, arbos dum celsa uiresc it,
Aeternum durans lugubre insisto monumentum,
Atq; Midam uiatori narro hic esse sepultum.

Quod uero nihil interest quālibet eius partem ut primam, uel ut ultimā ponere, ut arbitror, tu ipse uides. PHAE. Orationem nostrā mordes, O Socrates. SOC. Hanc ergo ne nobis succenseas dimittamus, quamuis in ea multa reperiri posse exempla uideantur, quibus

bus inſpectis utilitas nobis ex hoc prouentura ſit, ne talia imitemur. Verũ ad orationes alias deſcendamus: habebant illæ quidem nonnihil, ut arbitror, quod à uiris dicendi ſtudioſis ſit obſeruandum. PHAE. Quid illud? SOC. Erant utiq; contrariæ. altera ſiquidem amanti, altera non amãti inhærendum aſſeuerabat. PH. Ac ſtrenue quidem. SOC. Quod uerius eſt, te reſponſurum putaram, uidelicet ac furioſe quidem. Cæterum quod quærebam id ipſum eſt. Furorem quendam Amorem uocauimus. An non? PH. Certe. SOC. Furoris autem duas ſpecies ponimus. Alteram ab humanis morbis. Alteram ex alienatione diuina, qua extra conſuetam uitæ conſtitutionem quis rapitur. PHAE. Omnino. SOC. Diuinæ autem partes quatuor, ut etiam diĳ præſunt quatuor. Et uaticinĳ quidem inſpirationem Apollini, myſteria Dionyſio, poeticam Muſis, amatorium furorem Veneri & Amori omnium optimũ tribuimus. Ac neſcio quo modo, dum amoris affectum per imagines quaſdam effingeremus, ueritatem forte aliquam attigimus, forte etiã aliò tranſgreſſi ſumus. Ideóq; miſcentes orationem non penitus improbabilem, fabuloſum quendam hymnum compoſuimus, & quaſi ludentes meum ac tuum, ô Phædre, dominum Amorem pulchrorum præſidem puerorũ, modeſte laudauimus. PHAE. Hæc mihi auditu non iniucũda. SOC. Hoc itaq; inde accipiamus, quo pacto à uituperatione ad laudes diſputatio pertranſiuit. PHAE. Quónam modo id ais? SOC. Mihi quidem uidemur cætera reuera luſiſſe. At ſiquis duarum ſpecierum in quas modo fortuna incidimus, uim arte comprehenderit, opus non ingratum fuerit conſecutus. PHAE. Quas ſpecies dicis? SOC. Vt in unam ideam conſpiciens paſsim diſperſa conducat: quo ſingula definiens, manifeſtũ reddat ſemper id de quo agitur. Quemadmodum nos in præſentia quid Amor ſit definiuimus, ſiue bene ſiue male id factum ſit. Certe hinc diſputatio noſtra claritatem in ſe habuit, cõſtantemq; ſibĳpſi concordiã. PHAE. Alteram uero ſpeciem quã dicis, ô Socrates? SOC. Vt rurſus ſecundum ſpecies articulatim pro rerum natura incidat, neq; imperiti coqui ritu ulla membra confringat, ſed perinde faciat, ut ſuperiores ſermones fecerunt, qui concitationẽ mentis unam cõmunem ſpeciem acceperunt. Quemadmodum uero in uno corpore membra gemina eodem nomine nuncupãtur, dextrum unum, ſiniſtrum alterum, ſic & concitationis ſpeciem in nobis natura unam ſermones illi exiſtimauerunt. Et prior ille quidem partem ſiniſtram diuidens, ac rurſus hanc partiens non prius deſtitit, quàm ibi ſiniſtrum quendam reperiret amorem, inuentumq; ut par eſt, improbaret. Sequens alter in dextrã furoris partem nos duxit, ubi Amorem nomine priori ſimilem, ſed diuinum inueniens, & amplificãs laudauit tanquam bonorum nobis cauſam maximorum. PHAE. Veriſsima loqueris. SOC. Huiuſmodi ego diuiſiones collectionesq;, ô Phædre, amo, quo & intelligendi, & loquendi ſim compos. Ac ſi quem alium unum & multa pro rerũ natura perſpicere poſſe arbitror, eius ego ueſtigia uelut numinis cuiuſdã ſequor. Atq; eos qui id facere poſſunt, recte ne an contrà cognominem, deus ipſe nouit. Voco autem hactenus dialecticos. Nunc uero dic obſecro quo nomine tuã Lyſiæq; ſententiã nuncupari oporteat. An hæc dicendi ars eſt, qua Thraſymachus, alĳq; uſi, ſapientes & ipſi in dicendo fuerunt, cæteroſq; reddiderunt tales, quicunq; illis tanquã regibus offerre munera uolunt? PH. Regĳ quidem illi uiri, non tamen earum rerũ periti, de quibus interrogas. Sed hanc ſpeciem recte ſane dialecticã appellare uideris, rhetorica uero adhuc nos fugit. SO. Quomodo iſtud ais? Pulchrum' ne aliquid erit, quod ab ĳs alienum, arte tamen percipiatur? Haud quaquam ſpernendum id tibi mihiq; eſt, ſed dicendum quid ſit reliquum in rhetorica. PHAE. Permulta ô Socrates, in libris de arte dicendi compoſitis tradita. SOC. Opportune commemoraſti. Proœmium arbitror primã orationis partem eſſe uocandam. Talia quædam egregia illa ornamenta artis appellas? PHAE. Sane. SOCR. Sequitur ſecundo loco narratio, teſtimoniorumq; aſſertio. Tertio coniecturæ. Quarto ueriſimilia. Probationem quoq; & approbationem, ut arbitror, optimus orationum faber Byzantius uir induxit. PHAE. Eximium dicis Theodorum? SOCR. Equidem. Hic etiam inuenit quo pacto in accuſatione & defenſione fieri, & geminari redargutio poſsit. Egregium uirum autem Euenum Pariũ cur in mediũ non adducimus? qui ſubdeclarationes primus inuenit, collaudationes præterea. nec deſunt qui dicant uituperationes huiuſmodi quaſdam carminibus memoriæ gratia illum inſerere. Vir enim ſapiens eſt. Lyſiam uero Gorgiamq; ualere ſinemus, qui ueriſimilia

Furoris ſpecies
Diuini furores quatuor

Qui diuidere poteſt pro rerum natura, is dialecticus eſt, id eſt Metaphyſicus

λογοδαίδαλος.

milia ueris antepoſuerunt, ac ui orationis efficiunt,ut parua eſſe magna,& magna uiciſſim parua, uetera item noua, & nouiſſima uetera uideantur. Breuitatem quoq; loquendi conſciam, rurſusq; infinitam uerborum prolixitatem adinuenerunt. Quæ cum olim ex me audiret Prodicus,riſit,ſeq; ſolum inueniſſe aſſeruit, quibus uerbis ars illa indigeat. Egere autem neq; paucis neq; multis, ſed mediocrib. PHAE. Sapientiſſime reſpondiſti Prodice. SOCR. Hippiam uero nequaquam commemoramus. Arbitror enim cum ipſo Elienſem quoq; hoſpitem conſentire. PHAE. Cur non? SOCR. Quid porrò de muſica Poli concinnitate dicemus? Qui geminationem uerborum, inſignes ſententias, comparationes, ſimilitudinesq; inuexit,nominumq; uſum ad orationis ſplendorem,prout à Licymnione didicit. PHAE. Protagoræ autem ſcripta nónne talia quædam erant, ô Socrates? SOC. Recta ſanè ac propria, ô puer, Protagoræ eloquutio, & multa in ſtylo præclara.In cõmiſerationibus autem à ſenectute & paupertate cõmouendis Chalcedonius orator excelluit,in ira item concitanda & ſedanda potens,quaſi incantatione,ut inquit,mulceret,in conficiendis ſoluendisq; calumnijs unde opus fuerit,ſummus.De fine autem orationis omnes conuenire uidentur,ſed hũc alij repetitionẽ, alij aliter nominant. PHAE. Finem dicis ſummatim ſupradicta omnia in orationis calce in memoriam auditoribus reuocare? SOC. Hæc inquam, & ſiquid tu aliud habes quod de hac arte dicas. PHAE. Exigua quidem habeo,neque memoratu digna. SOCR. Mittamus exigua, ſed hæc in lucem potius educamus,ut quam,& quando artis uim habeant uidere poſſimus. PHAE. Et maximam quidem, ô Socrates, in hominum cœtibus potentiam habent. SOCR. Habent profecto. Sed, ô beate, tu etiam uide utrum tibi horum ueſtis quemadmodum mihi rara diſſutaq; uideatur. PHAE. Oſtende modo. SOCR. Dic age. Si quis amico tuo Eryximacho,uel patri eius Acumeno dicat in hunc modum: Ego quidem illa ſcio corpori admouere,quibus & caleſcat pro arbitrio meo,& frigeat,uomitum quoque rurſusq; deiectionem,& expurgationes alias ,uocare,cæteraq; huiuſmodi multa teneo,quibus cognitis, & medicum me eſſe profiteor, & alium quemlibet medicum me facere poſſe: quid illos reſponſuros exiſtimas? PHAE. Quidnam aliud quàm percontaturos,nunquid etiam ſciat quibus, quando, quouſq; ſingula horum ſint adhibenda? SOC. Ergo ſi dicat nullo modo ſe id intelligere, ſed oportere eum qui ab ipſo didicerit talia quædã facere poſſe, quid reſpondebunt? PHAE. Certe huiuſmodi hominem inſanire, qui cum ex aliquo medicorum libro audiuerit quandoque aliquid,& in medelas nonnullas inciderit,neq; quicquam artis intelligat, medicum euaſiſſe ſe putat. SOCR. Quid uero ſi ad Sophoclem, & Euripidem diceret quis, ſcire ſe parua de re prolixam orationem habere,& contrà de magna breuiſſimam, & quotiens uelit miſericordiam mouere, atq; eius contrarium,horrorem,& minas incuttere,cæteraq; ſimilia,atq; his docendis tragicam poeſim ſe docere putaret? PHAE. Et hi,ô Socrates,ut opinor,illum riderent, qui tragœdiam aliud quicquàm putaret eſſe, quàm horum compoſitionem, & partibus inuicem, & toti conuenientem. SOC. Non tamen ruſtice,ut arbitror,increparent,ſed facerent perinde ac muſicus aliquis offendens hominem,credentem ſe muſicũ eſſe ex eo quod ſciat quo pacto fides tum grauiſſimæ reddantur, tum acutiſſimæ. hic enim non acerbe quidem diceret, ô miſer inſanis:ſed utpote muſicus ſic mitius admoneret,O uir optime,neceſſe eſt omnino hęc illum tenere qui futurus ſit muſicus.Nihil autem prohibet eum,qui ſic affectus eſt ut tu, de harmonia nihil penitus intelligere. nempe quæ ante harmoniã neceſſaria ſunt agnoſcis, harmoniam prorſus ignoras. PHAE. Rectiſſime. SOC. Sic & Sophocles illum ſibi obuium, quæ tragœdiam antecedunt potius quàm tragœdiam habere diceret:& Acumenus medicus medicinæ præcedentia, non medicinam. PHAE. Ita prorſus. SOCR. Quid uero? ſi mellifluus Adraſtus, aut Pericles audirent, quæ nunc ipſi referebamus egregia uerborum artificia, breuiloquia, ſimilitudines, & reliqua illa quæ in lucem producta conſideranda iudicabamus, nunquid cenſemus illos quemadmodum nos præ ruſticitate aſperrime illis ſuccenſuros qui talia ſcripſerint docuerintq;, tanquam rhetoricam facultatem? An potius utpote nobis ſapientiores, nos ita increpaturos? O Phædre atque Socrates, non ſuccenſendum eſt, ſed ignoſcendum, ſiqui differendi ignari definire quid rhetorica ſit non poſſint: atque ita affecti, dum artem antecedentia poſſident rudimenta, rhetoricam inueniſſe ſe iactent,& ea docentes oratoriam artem abſolutam tradere profiteantur.

De ui dicendi & tẽpore

Singula

Singula uero istorum ad persuasionem disponere, totamq; orationem cõtexere, quasi in his præceptore opus nõ sit, oportere discipulos suos propria industria cõparare. PHAE. Talis profecto, ô Socrates, ars illa uidetur esse, quam isti tanquam rhetoricam docent, & scribunt. Ac mihi uideris uera dixisse. Verum oratoris persuasoriscq; ueri artem quonam pacto, & unde nobis uendicare poterimus? SOC. Censentaneum est ô Phædre, forte etiam necessarium, quemadmodum in cæteris, ita & in hoc certamine peragendo perfectũ esse. Quippe si tibi natura ut sis orator tribuerit, accedente doctrina & exercitatione excellens eris orator. Si quid uero tibi horum defuerit, mancus eris. Quanta uero ars huiusmodi sit, non ea uia quã Gorgias & Thrasymachus sequuti sunt, sed alia potius cõstare uidetur. PHAED. Quanam maxime? SOC. Videtur ô uir optime, non iniuria Pericles oratorum omnium perfectissimus extitisse. PHAED. Cur? SOC. Magnæ quælibet artes exercitatione dialectica, contemplationeq; sublimium in natura rerum indigent. Ipsa enim mentis sublimitas, & uis efficax in quauis re perficienda, hinc quodammodo proficisci uidentur: quod Pericles ad ingenij acumen adiunxit. Anaxagoræ nanque huiusmodi rerum indagatoris familiaritate fretus, contemplationi se tradidit, mentisq; que & dementiæ naturam illam comprehendit, de qua Anaxagoras diffuse disseruit. unde ad dicendi artem quod ipsi conducere uidebatur, traduxit. PHAED. Quomodo id ais? SOC. Medendi artis atq; dicendi eadem fermè ratio est. PHAED. Quonam pacto? SOC. In utrisque partiri naturam oportet, corporis quidem in una, in altera animæ: si modo non exercitatione solum & usu, uerumetiam arte corpori medicinas, & alimenta ita sis præbiturus, ut & sanum & robustum efficias: animæ autem per rationes legitimasq; institutiones persuasionem affatim uirtutemq; adhibiturus. PHAED. Ita ueri simile est ô Socrates. SOC. Animæ uero naturam absq; totius natura sufficienter cognosci posse existimas? PHAE. Si Hippocrati Aesculapij successori credendum est, neq; etiam corporis naturam sine doctrina huiusmodi cõprehendi posse putabimus. SOC. Scite loquitur, ô amice. Oportet autem præter Hippocratem considerare utrum disputatiõis nobis ratio consonet. PHAED. Assentior. SOC. De naturæ igitur perscrutatione quid Hippocrates, & uera ratio dicat, attende. An non ita cuiusq; natura cogitanda est? Primo quidẽ utrum simplex illud sit an multiplex, de quo & ipsi habere artem, & alijs dare posse desideramus. deinde si est simplex, inuestigandum: quam, & ad quid agendo: rursusq; quam, & à quo patiendo natura uim habeat. Quod si species habet multas his dinumeratis in singulis similiter ac in uno naturalis & agendi & patiendi uis inquirẽda. PHAED. Sic apparet ô Socrates. SOC. Sine his uero progressio tanquam cæci iter esse uidetur. Non tamen cæco uel surdo, qui arte tractat aliquid, est comparandus. Sed patet quod quisquis arte alicui sermones accommodat, naturam substantiæ illius exquisite monstrabit cui sermones adhibet, id autem est anima. PHAED. Absque dubio. SOC. Nonne ad id studium illius omne contendit, ut huic pœnitus persuadeat? PHAED. Prorsus. SOC. Constat igitur quod Thrasymachus & quicunq; alius tradendæ incumbit rhetoricę, primo quidem summa diligẽtia describere declarareq; debebit, utrum anima naturaliter unum, & quiddam simile sit, an secundum formam corporis multiplex. hoc enim esse dicimus naturã ostendere. PHAED. Omnino. SOC. Secundo quid facere cuique, quidue à quoque pati queat, ostendere. PHAED. Certe. SOC. Tertio distinctis sermonum animæque generibus atque affectibus causas omnes percurrere, singula singulis accommodans, docẽsq; qualis anima, qualibus sermonibus, quamue ob causam necessario hæc quidem mouetur, illa uero nequaquam. PHAED. Præclarissimum, ut uidetur, hoc esset. SOC. Neque igitur hoc, ô amice, neq; aliud quicquã si aliter tractetur, artificiose unquam tractabitur. Nostri uero in hac arte scriptores, quos ipse audisti, callidi sunt, & animæ naturã pulcherrimæ cognoscentes nos celant. Nos uero prius quàm hoc modo loquantur, & scribant, nunquam ex arte eos scribere confitebimur. PHAED. Quem dicis modum? SOC. Verba quidem ipsa non facile dixerim. Quo autem modo scribere oporteat, si arte scripturi simus, quoad fieri potest exponam. PHAED. Dic obsecro. SOC. Postquam dicẽdi facultas quædam animi tractio & oblectatio est, futurum oratorẽ necesse est quot species animus habet cognoscere. hæ uero tot talesq; sunt, unde tales alij, alij tales efficiũtur. His ita distinctis sermonum quoq; tot talesq; sunt species. Tales igitur animi, talibus quibusdã

Quando excellens orator

Magnæ artes exercitatione dialecticæ, & contẽplatione indigent. Pericles Anaxagoræ auditor

Vtrũ oporteat præter autoris sententiã & rationem quærere.

De naturæ ratione

Quo modo arte dicendum

sermonibus certa quadam de causa ad talia quædam facile persuadentur: aliter uero esse ei aliquã ob causam, minime. Oportet itaq; eum qui hæc satis perspexerit, postea in ipsis negocijs animaduersa deprehensaq; momento posse signare, & sensu consequi: alioquin nondum quicquam plus quàm uerba sibi quondam à doctoribus tradita habet. At cum sufficienter potest dicere, quis quibus sermonibus capiatur, præsentemq; hominem acute persentit eo ingenio præditum esse, de quo antea fuerit disputatum, sic' que ipsum esse talibus sermonibus ad talia compellendum: is ita instructus tunc demum perfecte artem hanc erit consequutus, cum ad superiora hæc adiunxerit, ut opportunitatem loquendi tacendiq; calleat, & usum abusum'ue breuiloquij, commiserationis, uehementiæ acrioris, amplificationisq; cæterarum' que partium orationis à præceptoribus traditarum recte cognoscat, antea uero nequaquam. Eum uero qui horum quocunque caruerit dicendo, aut docendo, aut scribendo, dixeritq; ex arte uerba se facere, qui nõ persuadetur, exuperat. Cæterum scriptor ita forsitan nos compellabit. O Phædre atque Socrates, itáne prorsus an aliter dicẽdi artem capessendam esse censetis. PHAED. Impossibile est Socrates, aliter, quamuis non paruum id opus appareat. SOC. Vera loqueris, atque horum causa oportet omnibus sursum deorsumq; sermonibus reuolutis perquirere nunquid uia ad illam ulla facilior breuiorq; occurrat, ne temere per longam & asperam pererremus, cum liceat per breuem & planam incedere. Quare si quam tu opem afferre potes per ea quę à Lysia, uel aliquo alio accepisti, reuoca in memoriam, & expone. PHAED. Experiũdi causa possem quidem, non tamen ad præsens. SOC. Vis' ne ego tibi & sermonem recenseam quem aliquando de huiusmodi rebus audiui? PHAED. Quid ni? SOC. Igitur quod uulgo dici solet, dicẽdum est etiam si lupus sit eius quod dicimus autor. PHAE. Ac tu ita facias. SOC. Aiunt itaq; nihil opus esse hæc adeo tollere: neque ab alto nimisq; procul disputationem repetere. Quippe sicut disputationis principio diximus, oratorem futurum non oportere ueritatem nosse de iustis, & bonis, siue rebus, siue hominibus, natura, uel educatiõe talibus. Nam in iudicijs nulli prorsus horum ueritatem unquam, sed persuasionem, curæ esse solere. Id autem esse uerisimile, ad quod mentem intendere debeat, qui sit arte dicturus. Neq; facta dicenda esse aliquando, nisi probabile sit facta fuisse, sed tam in accusatione quàm defensione semper uerisimilia inducenda: & omnino dicentem, uerisimile quidem persequi, uerum autẽ negligere. hoc enim si in omni oratione seruetur, perfectam artem oratoriam exhiberi. PHAE. Ea narrasti ó Socrates, quæ dicunt qui artem rhetoricam profitentur. Memini enim id nos in superioribus breuiter attigisse. Videtur autem hoc magnũ quiddam esse his qui in hac arte uersantur. Sed & Tisiam ipsum grauiter pessundedisti. SOC. Dicat ergo id quoq; nobis Tisias, nunquid aliud probabile, & uerisimile nuncupet, quàm quod uulgo uidetur. PHAED. Quid' nam aliud? SOC. Hoc præterea scitum, & artificiosum inuenisse & scripsisse uidetur, quod si quis imbecillis & audax cum robustum quendam timidumq; uerberibus cæsum spoliauerit in iudicium deducatur, neutrum horum uerum confiteri oportet: sed timidum quidem dicere non à solo audace illo esse cæsum: audacem uero hoc refellere, solos fuisse monstrantem, atq; ad tale quiddam cõfugere. Quónam pacto imbecillis cum sim, robustum hunc inuasissem? Ille autem timiditatem suam non dicet, sed falsum aliquid excogitans forte aduersarium arguet. Atque in alijs etiam talia quædam sunt quæ arte dicuntur. An non sic est ô Phædre? PHAED. Ita prorsus. SOC. O quàm callide abstrusam artem adinuenisse uidetur Tisias, uel quicunq; alius fuerit, uel quocunq; alio cognomine delectetur. Sed nũquid hoc, ô amice, dicemus, an non? PHAED. Quid istud? SOC. O Tisia iampridem antequam accederes affirmabamus probabile istud, & uerisimile uulgo non aliter quàm per ueritatis similitudinem fieri. Similitudines autem ueri ab eo qui ueritatem nouit aptissime ubiq; reperiri posse assereba mus. Quapropter si aliud quicquam de hac arte dixeris, auscultabi mus quidem: sin minus, his quæ pauloante diximus, fidem præstabimus, quòd uidelicet nisi auditorũ quis ingenia nouerit distinxeritq;, atq; res ipsas in species suas discreuerit, rursusq; singula idea una comprehenderit, nunquam dicendi artem quoad homini licet, adipiscetur. Hoc autem sine longo studio assequetur nunquam, In quo non ideo insudabit uir prudens, ut dicere & agere ad homines possit, sed ut ea potius & loqui & facere quæ dijs grata sint ualeat. Viri enim nobis sapientiores, ô Tisia, uirum mentis compotem

Prouerbiũ

tem aiunt non id meditari debere, ut conseruis suis, nisi prout contigerit, obsequatur, sed ut dominis bonis atq; ex bonis obtemperet. Quamobrem si longior sit circuitus, ne mireris. Non enim ut ipse putas, sed magnarum rerum gratia circumeundum. Erunt autem, ut ratio dictat, si quis uoluerit, hæc pulcherrime ex illis effecta. PHAED. Perpulchre admodum dici hoc uidetur, ô Socrates, modo aliquis assequi possit. SOC. At præclarum est ad præclara semper anniti, & quicquid contigerit tolerare. PHAED. Valde. SOC. De arte hactenus, & inscitia orationis sit dictum. PHAED. Satis profecto. SOC. Reliquũ est ut scribendo quid deceat, quid dedeceat dicamus. PHAED. Plane. SOC. Scis'ne quo pacto maxime de sermonibus dicendo uel agendo deo placere potes? PHAED. Minime. Tu uero? SOC. Audiui equidem nonnulla à ueteribus tradita: uerum autem ipsi intelligunt. Id uero si nos inueniremus, nunquid humanarum deinceps nobis opinationum cura nulla futura sit? PHAE. Ridicula sane interrogatio. sed quæ audisse dicis recense. SOC. Audiui equidem circa Naucratim Ægypti priscorum quendam fuisse deorum, cui dicata sit auis quam ibim uocant, dæmoni autem ipsi nomen Theuth. hũc primum omnium numerum, & numeri cõputationem inuenisse, geometriamq;, & astronomiã, talorũ rursus alearumq; ludos, & literas. Erat tunc totius Ægypti rex Thamus, & in eminentissima amplissimaq; ciuitate, quas Græci Ægyptias Thebas appellant, deumq; ipsum Ammonem uocant. Ad hunc Theuth profectus, artes demonstrauit suas, dixitq; eas distribui deinceps Ægyptijs cæteris oportere. Verum ille quæ cuiusq; utilitas foret, interrogauit: & ipso referente, quod bene dictum uidebatur, probabat quidem: quod contrà, uituperabat. ubi multa de qualibet arte in utramq; partem Thamus fertur Theuti ostendisse, quorum singula si enarrare pergamus, prolixior erit oratio. Cum uero ad literas descendissent, Disciplina hæc, inquit Theuht, ô rex, sapientiores & memoria promptiore Ægyptios faciet. Memoriæ nanq; & sapientiæ remedium id est inuentum. At ille, O artificiosissime Theuth, inquit, alius quidem ad artis opera fabricanda idoneus est, alius ad iudicandum promptior quid emolumenti damniue sint utẽtibus allatura. Atqui & tu literarum pater propter beneuolentiam contrarium quàm efficere ualeant affirmasti. Nam illarum usus propter recordationis negligentiã obliuionem in animo discentium pariet: quippe qui externis literarum confisi monimentis, res ipsas intus animo non reuoluent. Quamobrem non memoriæ, sed monitionis remedium inuenisti. Sapientiæ quoque opinionem potius quàm ueritatem discipulis tradis. Nam cum multa absq; præceptoris doctrina perlegerint, multarum rerum periti uulgo cum ignari sint, uidebuntur. Consuetudine quoq; molestiores erunt, utpote qui non sapiẽtia ipsa sint præditi, sed opinione sapientiæ subornati. PHAED. Facile tu, ô Socrates, Ægyptios, & alios cuiusuis gentis sermones facis. SOC. At ô amice, qui in Iouis Dodonæi templo uersantur, ex quercu sermones primos fatidicos erupisse asserunt. Priscis itaq; illis, utpote qui nõ ita ut uos recentiores, sapientes erant, satis erat ob eorum inscitiã petras & quercus audire, modo uera promerent. Tu forsitan interesse censes, quisnam cuias'ue sit, qui dixerit. Non enim id solum considerас uerane an falsa dicantur. PHAED. Recte admodum increpuisti, ac mihi uidetur ita in literis euenire, ut Thebanus ait. SOC. Igitur quicunq; se putat sic artem aut mandare literis, aut mandatã suscipere, ut certum quiddam & firmum ex literis sit futurum, admodum ineptus est, ac reuera Ammonis uaticinium prorsus ignorat, cum plus aliquid in scriptis esse credat, præter id quod scienti res ipsas quę in literis significantur, commemorant. PHAED. Rectissime. SOCR. Graue id habet, ô Phædre, scriptura, & picturæ reuera persimile. Picturæ nanque opera tanquam uiuentia extant: siquid uero rogaueris, uerecunde admodum silent. Non aliter sermones putabis fortasse quasi aliquid ipsos intelligentes dicere. Verum si sciendi auidus ab ijs dictorũ aliquid sciscitaberis, idem in his semper, & unum significatur: omnisq; sermo cum semel scriptus est, passim reuoluitur æque apud intelligentes, atq; alios, inter quos minime decet, nescitq; dicere quibus oportet & quibus non oportet. Iniuria uero immerito contumeliaq; affectus patris semper eget præsidio. Ipse enim neque aduersario repugnare, neq; opem ferre sibijpsi potest. PHAED. Hæc quoque recte abs te dicta uidentur. SOCR. Quid porrò? Alium uidemus sermonem huius fratrem, quemadmodum legitimus sit, & quanto melior atq;

De scribendi decore

lior atq; potentior quàm is nascatur? PHAE. Quem istum? & quomodo fieri dicis? SOC. Eum, inquam, qui in animo discentis cum scientia scribitur, quia sibijpsi auxiliari potest, intelligitq; apud quos loquendum sit, apud quos tacendum. PHAE. Scientes sermonem dicis uiuentem, & animatum, cuius oratio scripta simulacrum quoddam nõ iniuria nuncupabitur. SOC. Omnino, sed hoc quoq; mihi dicas. Mentis compos agricola nunquid charissima sibi semina, quorũ fructus expectat, æstate in Adonidis hortis summo studio & diligentia sparget, ut octo diebus speciosos inde flores aspiciat? An potius si quãdo id egerit, festi cuiusdam diei ludiq; gratia faciet? At ubi serio agens agriculturæ studium adhibuerit, seret quidem ubi conuenit, & satis se consecutum putabit, si octo mensiũ interuallo satio sua ad fruges peruenerit? PHAED. Ita prorsus, ô Socrates, illa quidem ioco, ut ais, hæc autem serio faciet. SOC. Hominem uero iustorum, honestorum, bonorumq; scientiam possidentem agricola imperitiorem ad semina sua spargẽda putabimus? PHAE. Minime omnium. SOC. Non igitur in aqua nigra studiose ipsa calamo cum sermonibus seminabit, cum succurrere illis periclitantibus nequeat, nequeat & ex ipsis ueritatẽ sufficienter ostendere. PHAED. Certe id non est consentaneum. SOCR. Non sane. Cæterum hortos quidem literarum, ut ludi causa, ut uidetur, seret atq; describet, & postquam scripserit tanquam monimenta thesaurosq; ad senectutis futuræ obliuionem, tam sibi, quàm cæteris uestigiorum eorundem sectatoribus, lætabitur utique natos iam tenellos suos fructus inspiciens: cæterisq; hominibus ludos alios sequentibus, & conuiuia horũq; similia celebrantibus, ipse interim his omissis in sermonum oblectamentis uitam ducet. PHAE. Præclarissimum præ aliorum uilissimo narras ô Socrates, eius ludum, qui potest in sermonibus ludere, ac de iustitia, & alijs quæ tu dicis, confabulari. SOCR. Est ita profecto, amice Phædre. sed multo mea sententia in his præclarius studium, quando quis arte dialectica utens animam nactus idoneam sermones cum scientia plantat, & seminat, qui & sibijpsis, & satori suo afferre opem possunt fructus'ue producunt, & semina reddunt. Vnde alij in moribus alijs nati id semper munus immortale seruare possunt, atque eum qui hæc habet, beatissimum quoad homini licet, efficiunt. PHAED. Multo id quoq; præclarius. SOC. Nunc iam illa, ô Phædre, his concessis discernere possumus. PHAED. Quænam? SOCR. Ea uidelicet quorum cognoscendorum gratia hucusq; descendimus, ut uituperationem Lysiæ discuteremus in ipsa scribendi arte, sermonesq; ipsos, qui uel arte, uel sine arte scribũtur: artificiosum quidem, & artis expers, satis iam declarasse uidemur. PHAED. Sic apparet. SOC. Meminisse rursus oportet non prius posse aliquem dicendi artem ad summum callere ad persuadendum atq; docendum, ut ratio superior nobis ostendit, quàm ueritatem earũ rerum quas dicit aut scribit cognouerit, uniuersamq; rem definire, & definitione posita rursus secũdum species usq; ad indiuidua diuidere nouerit: atq; hac ratione animam contemplatus, & quid cuiq; ingenio congruum est aucupatus, ita maxime disponat exornetq; sermonem, uariæ quidem animæ uarios, & harmonia multiplices, simplici uero simplices sermones accommodans. PHAED. Sic prorsus apparuit. SOCR. Quid autem de illa quæstione dicemus quam supra tetigimus? honestum'ne an turpe sit orationes cõponere, & quomodo studiũ hoc iure uituperari queat, quomodo nequeat. Num superiora nobis hoc satis declarauerunt? PHAED. Quænam illa? SOC. Quippe, siue Lysias, siue alius quispiam scripsit quandoq;, aut scribit, scribetq; priuatim quicquam, uel publice ciuiles quasdam constitutiones, ita ut suis in scriptis magnam quandam stabilitatem & certitudinem putet inesse, turpe id esse scriptori, siue dicatur à quoquam, siue non dicatur, putandum est. Siquidem ignorare quid uerum sit, quid falsum, de iustis, & iniustis, de bonis & malis, etiam si uulgus uniuersum laudauerit, fieri nunquam potest quin sit reuera turpissimum. PHAED. Turpissimum. SOCR. Contra qui in oratione quacunq; de re scripta ludum iocumq; necessarium putat, orationem'que nullam aut solutam, aut strictam numeris magno componendi studio dignam esse ducit, instar eorum qui sine dijudicatione & doctrina persuadendi tantum gratia carmina recitare consueuerunt: sed reuera sermonum illorum optimos cõmonendi peritos causa compositos fuisse: in sermonibus autem his, qui docendi discendiq; causa dicũtur, ac uere in animo de iustis, honestis, & bonis scribuntur, duntaxat perspicuitatem perfectionemq;

ctionemq; ineſſe,eosq; ſolos ſtudio dignos exiſtimat:iudicatq; ſermones huiuſmodi filios ſuos legitimos eſſe uocandos,eum ante omnia qui ipſi ineſt,ſi modo ſit inuentus,deinde quicunq; ex hoc fœtu filij,fratresq;,uel in ipſius,uel in alijs aliorum mentibus,ſicut decet,nati ſunt,reliquos autem omnes poſtponit:hic uir, inquã,talis ô Phædre, uidetur eſſe,quales eſſe nos exoptaremus. PHAE. Equidem ut dicis,cupio prorſus, & uoto precor. SOC. Sed hæc iam ſatis à nobis de arte dicendi,quaſi ludentib. dicta ſint. Quare Lyſiæ dicas,nos ad nymphæ fontem Muſarumq; cœtum profectos,ſermones quoſdam audiſſe,qui dicere iuſſerunt Lyſiæ,cæterisq; orationum ſcriptoribus,Homero præterea,& ſiquis alius nudam poeſim,uel cantu exornatam compoſuit, Soloni poſtremo,& omnibus qui ciuiles inſtitutiones literis mandauerunt:quod ſi ueritatis conſcij talia compoſuerunt,poſſuntq; ſua in diſcuſſionem tracta defendere,ac dicendo efficere, ut præ uerbis ſcripta uileſcant,non utique ab his quæ calamo luſerunt,ſed ab illis potius quæ ſerio excogitarunt,cognominandi uidentur. PHAE. Quæ nam cognomina,& quo pacto accommodas? SOC. Sapientis cognomen,ô Phædre,magnum ſolicq; Deo conuenire uidetur. Philoſophi uero,aut ſimilis alicuius cognomine eiuſmodi uiros quales modo deſcripſimus,conuenientius modeſtiusque nuncuparemus. PHAE. Certe non dedecet. SOC. Eum igitur qui nulla habet in ſe præſtantiora ijs quæ conſcripſit,& ſurſum deorſumq; retorquens,diuturna emendatione addendo uel ſubtrahendo cõpoſuit, iure poetam uel orationum legumue ſcriptorem cognominabis? PHAE. Quid ni? SOC. Hæc itaq; amico referas tuo. PHAE. Tu uero quid facies? necq; enim amicus tuus prætermittendus.

SOC. Quis iſte? PHAE. Iſocratem probum, inquam. Quid illi nunciabis? ô Socrates. Quem eſſe dicemus? SOC. Iuuenis adhuc Iſocrates eſt,ô Phædre. Quid autẽ de illo præſagiam,non præteribo. PHAE. Quidnam? SOC. Videtur mihi præſtantiori ingenio eſſe, quàm Lyſiam ſua ſcripta demonſtrent. Præterea moribus generoſioribus preditus. Quam obrem nihil mirum putarim, ſi creſcentibus annis in arte dicendi cui nũc incumbit,magis quàm uiri pueris,omnibus qui eloquentiæ unquam ſe tradiderunt, excellat, atq; his etiam ſtudijs non cõtentus, ad maiora diuiniore quodam inſtinctu feratur. Ineſt enim,ô amice,ex ipſa natura philoſophia quædã illius ingenio. Hæc ergo ab ijs dijs accepta,Iſocrati mihi dilectiſſimo nuncio. Tu illa Lyſiæ tibi chariſſimo. PHAE. Ita fiet. Sed abeamus hinc cum æſtus nõnihil iam efferbuerit. SOC. Vota prius his facienda ſunt quàm abeamus. PHAE. Quid ni? SOC. O amice Pan,& alij omnes qui locum hunc colitis dij, date mihi ut pulcher intus efficiar:& quæcunq; extrinſecus habeo intrinſecis ſint amica. Diuitem aũt ſapientem ſolum exiſtimem. Tantum uero mihi ſit auri, quantum nec ferre, nec ducere queat alius, niſi uir temperans. Nunquid aliud orandum cenſes? ô Phædre: mihi enim ſatis eſt precatum. PHAE. Mihi quoq; eadem opta. Amicorum enim communia omnia. SOC. Abeamus.

ARGVMENTVM MARSILII IN APOLOGIAM.

ANTIQVI gentium Theologi in treis diuiſi ſunt ſectas. Alij quidem dæmonibus ſolum ſacrificabant, diffidentes, ut arbitror, uota hominum ad cœleſtia peruenire. Alij uero cœleſtia quoq; colebant, putantes illa non uiuere ſolum atq; intelligere, ſed etiam radijs ſuis circumſpicere cuncta atque audire, ideoq; tam ſacrificiorum ritus ab eis proſpici, quàm ſupplicũ laudes preceſq; exaudiri: ueruntamen animorum in corporibus his uiuentium uota, ad deos illos qui nullum cũ corporibus cõmercium habeant, peruenire non poſſe. Alij deniq; hos ipſos deos in primis uenerabantur iudicantes à ſummis rerum cauſis effectus omnes etiam humanos tam cognitiõe quàm uirtute perfectiſsime cõtineri. Deos uero uocabant tum uiſibiles, id eſt, cœleſtes, tum inuiſibiles, id eſt, ſupercœleſtes, quos noſtri uocant angelos, & ipſi deos quaſi proximos ſummi Dei contemplatores atq; miniſtros. Præterea triplicem hi prouidentiam eſſe putant. Vniuerſalem quidem in Deo, per quam omnibus omnia proſpiciat atque præbeat. Minus uero in dijs uniuerſalẽ, per quam omnibus quidem conſulant, non omnia tamen munera, ſed quædam omnibus exhibentes. Particularem denique in dæmonibus, qua uidelicet quædam quibuſdam iam largiantur. Et dæmones quidem in totidem diſtribuunt ordines, quot in cœlo ſunt ſtellæ, ut alij Saturnij ſint, alij Iouiales, alijq; ſimiliter. Cunctos autẽ ordines et in igne collocãt, ſed ignea ratione, & in aere puro, ſed ratione aerea, & in aere craſſo, ratione uidelicet aquea. Hos

aqueos

aqueos arbitrãtur alios alijs ſpeciebus uiuentiũ præſidere, ſenſualiq; et uegetali ubique naturæ fauere. Quos Plato inquit, ſtatim ab initio malorum plurimis uoluptatem immiſcuiſſe. Aereos autem dæmones rationali potius fauere potentiæ, eamq; à uegetali ſenſualiq; natura quodammodo ſegregare. Igneos tandem diſcurſum rationis ad ſublimiora contemplanda conuertere. Atque hoc pacto uoluptuoſæ uitæ dæmones aqueos, actiuæ aereos, contemplatiuæ igneos dominari. Cum uero deos immortales atque impatibiles arbitrentur, homines uero mortales atq; patibiles, dæmones omnes quidem affectu patibiles, ſuperiores uero mediosq; etiã immortales, infimos uero longæuos. Præterea in omnibus affectus erga corporea collocant: ſed in primis ſecundum quendam tranquillæ prouidentiæ morem: in ſecundis humanos quidem, ſed moderatos: in tertijs ad perturbationes noſtras iam declinantes. Item dæmones alios naturales ab initio cõſtitutos, alios peregrinos, ſcilicet hominum animos in aerea translatos corpora, hominesq; ea qua antea conſuerant ratione curantes. Præterea alios dæmones plagis terræ maioribus, alios anguſtioribus urbibusq; præeſſe. Quoſdam etiam homines ſingulos gubernare, quos animæ labentes in corpus fuerint pro uitæ electione ſortitæ, deinceps electæ uitæ duces & exploratores & iudices. Proinde animas hominum alias Saturniorum dæmonum, alias Iouialium, alias aliorum tum ſiderum, tum dæmonum naturis accommodari. Corporum quoque noſtrorum complexiones ſimili quadam ratione diſtingui. Animalia item & plantas, metallaq; & lapides ad ſiderum ſimiliter dæmonumq; uarietatem inter ſe natura diſcerni, ut alia inter hæc ſolaria ſint, alia uero lunaria, cæteraq; ſimiliter. In his quæ diximus, Platonici omnem ſacrificiorum, oraculorum, diuinationũ uim conſiſtere arbitrantur. Profecto & ipſe Plato antiquiores theologos imitatus, & Platonici omnes oraculorum hiſtoriam ubiq; tanquam ueram accipiunt, rationibusq; confirmãt. Mitto quantam his in Phædrò adhibeat fidem, quantam & in Timæo, in Phædro quidem humanam ſapientiam præ illa quæ ab oraculis furoribusq; diuinis habetur nihili pendens: in Timæo autem dicens eatenus à philoſopho de rebus diuinis affirmandum eſſe, quatenus diuinis oraculis confirmetur. Mitto quàm plurima apud Platonem ſimilia. certe in Apologia totam Socratis ſui defenſionem ab oraculis uaticinijsq; auſpicatur: immo uero, quod maximum eſt, totam Socratis & ſapientiſſimi & iuſtiſſimi uitam aſſerit tum ad Apollinis oraculum, tum ad ſui cuiuſdam dæmonis uaticinium inſtitutam. Si quæras qualis Socratis dæmon fuerit, reſpondebitur igneus, quoniam ad contemplationem ſublimium erigebat. Item Saturnius, quoniam intentionem mentis quotidie mirũ in modum abſtrahebat à corpore. Attributus quoque ab initio, non acquiſitus. Nam ſibi à puero dicit aſpirauiſſe. Non prouocabat unquam, quia nõ Martius: ſed ſæpe ab actionibus reuocabat, quia Saturnius. Item nõ adhibebat calcaria uiro ſatis per ſe ad honeſta propenſo, ſed cohibebat freno, ubi in eligendis ad finem uijs ob coniecturarum fallaciam poſſe decipi uideretur. Aſpirabat menti, oſtenta oculis, uoces auribus ſuggerebat. Sed quibus oculis, atq; auribus? uiſui uidelicet atque auditui, qui per omne æduntur corpus æthereum ſub manifeſto hoc corpore latens. Poterat autem Socrates per æthereos ſentire ſenſus, ab elementalibus ſenſibus ſe facile ſeuocans. Oſtenſa cernebat per eoſdem ſenſus & ſomnians pariter atque uigilans. Similiter Auicenna probat prophetas angelorum & ſpecies cernere, & uoces audire. At cur Socrates pauciq; ſimiles dæmonem ſuum animaduertunt? Quoniam pauci uel genitura, uel diſciplina dæmonici ſunt, plures humani, plerique ferini. Cur item aliàs dæmonem, aliàs deum uocat Quia ſublimis dæmon Socratem quaſi Dei interpres nunciuſque afflabat. Sed nunquid ipſum Socratis intellectum poſſumus dæmonem nuncupare? Poſſumus certe. Nam Timæus inquit, Deum nobis ſupremam animi partem tanquam dæmonem tribuiſſe. Rurſus in Sympoſio ipſe mentis amor ad diuinam pulchritudinem contemplandam, dæmon cognominatur. Verum præter hæc neceſſe eſt ſuperiorem nobis ſubſtantiam dæmonis præſidere, propterea quod ut in Sympoſio Legibusq; probatur, humanum genus utpote à diuinis maxime diſtans, media quadam natura indiget, qualis eſt dæmonica, quaſi conciliatrice. Neque iniuria diuina prouidentia, ut in Politico Protagoraq; probatur, dæmones nobis præfecit propinquiores quaſi paſtores, ſiue ut in Critia dicit gubernatores. Homo ſiquidem in hac ignorantiæ caligine conſtitutus, innumerisq; fortunæ uel malis agitatus, uel diſtractus illecebris, ad conſtitutum ſibi à Deo finem abſque perpetuo Dei auxilio peruenire non poteſt. Hinc probat Deum nos dæmonibus puriori bus quaſi rectoribus cõmendaſſe, qui uaticinijs, augurijs, ſomnijs, oraculis, uocibus, ſacrificijs, inſpirationibus adiuuarent. Horum uero ex numero eſſe uult familiarem Socratis dæmonem à mente Socratica differentem. Hæc enim Socratem ſæpe prouocat, ille uero prouocat nunquam. Item hæc niſi loquatur, aut ſcribat, docere non poteſt. Ille uero ut in Theage probatur, multos etiam ſilendo docebat. Præterea quod & uoce & ſignis Socratem corrigat, ſignificat dæmonem hunc aliquid eſſe præter mentem. At ſi minus tibi placet & familiarem hominis ducem dæmonem appellare, ſaltem, ut placet noſtris, bonum angelũ appellato. Poſt hæc Apologia nos cogit nonnihil de oraculis ſtatuisq; tractare. Principio ſi quæras quam ob cauſam dæmones ſolita illa quondam miracula noſtris ſeculis non efficiant, reſpondebitur, Chriſtum & dæmones malos ſuo illo imperio priuauiſſe, & hominibus tum omnem dæmonum cultum, tum artem dæmonicã ſuſtuliſſe. Si rurſus interroges, qua ratione uel in ſtatuas uel in homines dæmonum trahantur influxus, diligenter attende. Trahitur quotidie aliquid naturale per artem: ceu quo-

ceu quoties lignũ quod propter densissimam crassitudinem accendi à tenui quadam flamma non poterat, uel oleo illiniunt, uel inficiunt sulphure, rapiuntq; in fomite flammam. Trahitur & quotidie diuinum aliquid per naturam, quando fœtus tener in aluo certo affectus figuratusq; modo sic per naturam à deo humanam haurit animam, ut per magicam statua à mundo accipit dæmonem. Vnde Aegyptij naturam quoque magam appellauerunt, uim ipsam magicam in attractu quodam similium per similia, uel conuenientium saltem per conuenientia collocantes. Emittis quotidie uocem, emittis & tui uultus imaginem. At non ubique uox in te tua & imago remittitur. Paries duntaxat ita dispositus, sic oppositus uocem per echo reflectit, & speculare corpus tuam tibi reddit imaginem. Esto igitur specularis & ille paries, subito totus, ut ita dixerim, eris in illo. Ibi enim uideberis, audieris, intelligeris, ferme ut in statua dæmon. Si Trismegistum consulueris, disces ex proprijs mundi materijs certo cuidam dæmoni congruentibus compositam rite statuam confestim per dæmonem congruum animari. uel per dæmonem, inquit, uel per angelũ. intellige uel per impuriorem uel per puriorem spiritum afflari solere. Audies quoq; Mercurium hunc ueteres plerosque damnantem, quod diffidentes uel esse numina super cœlum, uel terrenorum uota ad cœlestia superioraq; peruenire, fabricauere statuas habitacula dæmonum, quos quasi familiares colerent deos. Putabat sane, quamuis interdũ in delubra dæmones salutares aduocarentur, sæpe tamen descendere noxios. Audisti paucis tractum dæmonum in corpora statuarum. Audi quoque paucis raptum in corpora hominum. Quando uel per atram bilem uel aliquid simile aut uitium totus in imaginationem cõuertitur animus, facile fit inferiorũ dæmonum domicilium, quorum præsentia & insaniat, & animo simul uexetur & corpore. Quando per philosophicam purgationem transfertur totus in rationem, euadit ædes dæmonum mediorum, à quibus humanarum rerum sæpius, quandoque etiam naturalium miras accipiat rationes. Quando per pietatem erigitur totus in mentem, sublimium dæmonum fit spiraculum, seu potius angelorum, quibus utique ducibus mirum in modum arcana penetret diuinorum. Optas uideo intelligere, quibus potissimum oraculis, siue per statuas, siue per homines æditis, Plato confidat. Scito his duntaxat, quæ certa ratione compertum sit non per fallaces dæmones, sed per ueridicos, siue per angelos potius promisisse. Nam & ab ipsis Aegyptiorum mysterijs acceperat: Iouem impuriores dæmones ad inferos deturbasse, qui & homines similiter pro uiribus ad ima detorqueant: & à Pherecyde Syro, multos ab Ioue dæmones rebellasse, quorum exercitus Ophioneus duxerit serpentinus. Ab his ergo maleficis cauendum esse diligentissime iudicabat. Socrates autem proprijs rationibus atque singulis adductus, & oraculo cuidam, & suo cuidam dæmoni se committebat pro arbitrio perducendum. Denique utcunque sit, ita suam ad hæc instituit uitam, ut æterna semper temporalibus anteponeret: iniustitiam magis timeret, quàm mortem: pro ueritate, pro pietate, pro charitate, non dubitaret labores, penuriam, contumelias, iniurias, uerbera, mortemq; subire. Huic apud homines ueritas falsas calumnias peperit, charitas odium, pietas accusationem impiam atq; mortem. Sed hæc omnia parui, immo nihili pendit, sperans apud diuinum iudicem pro bonis bona mereri. Ergo hac spe & fiducia fretus, & libenter accessit ad iudices, neque excusauit se, sed iudices accusauit: atque tanquam uates, quod uenire ait his qui sunt prope mortem, pœnitentiam illis pœnamq; prædixit post falsum iudicium secuturam, & ipse interim mira mentis lætitia & uultus alacritate ad iudicem migrauit æternum. Statueram hic satis honestum argumento, seu potius commentariolo finem imponere. Sed duo parumper me dubia remorantur. Primum Socraticum illud & hic & sæpe alibi repetitum: Hoc equidem unum scio, quod nihil scio. Multa tamen & hic & alibi affirmat quasi sciens. Sed hoc illi simile est: Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax. Ait itaque Socrates: Ego abstractus à corpore, raptus à dæmone, illustratus à Deo, scio equidem in diuino lumine hoc unum, uidelicet quod alioquin cõiunctus corpori nihil in lumine naturali scio. Nescio, inquã, in naturali lumine res ipsas per ipsum affirmationis modum. Eiusmodi enim scientia, Dei propria est, qui & naturas ipsas, & naturarum causas comprehendit, quum ipsemet fecerit. Scio tamen multa per quendam negationis modum. Veluti quod Deus non sit corpus, potius quàm quid sit. Item quod anima non sit mortalis, magis quàm quid sit. Rursus quod bonum absolutum non hoc est, aut illud bonum, potius quàm quid sit. Atq; hoc pacto Socrates & scit, & docet multa. Hoc illud insuper quod dæmon eum reuocat, non prouocat, id est, ad negandum illuminat eum potius quàm affirmandum. Nonnunquam uero affirmat quædam, & illa quidem magna tanquam uidelicet non à dæmone tantum raptus, sed Deo iam plenus. Affirmat quoq; ubi sanctorum adducit ueterum testimonia, uel animas hominum à mortuis resurgentium citat in testimoniũ. Sequitur altera dubitatio: quam ob causam Socrates, cum nunquam soleat dubitare, quin animus sit immortalis, in fine tamen Apologiæ hac utitur disiunctione: Aut nullus post mortẽ supersit sensus, aut supersit aliquis. Respondeo primo quidẽ, non de omni sensu, id est de omni cognitione, sed de nostrarũ rerum sensu, uel nostro simili dubitare. Quod quidẽ significatur per illa quæ in parte disiunctiõis altera deinde subduntur, ubi idem quod & in Repub. dicit, separatas uidelicet animas eodẽ pacto sese illic, quo & hic solebãt agnoscere. Vbi considera dictum contra illos qui dicũt animas de corporibus in corpora transmigrare. Deinde tutius quoq; ita respondeo, Socratem hac in præsentia disiunctione non uti, quia de illo censeat dubitandũ, quod ubiq; tũ per scientiam negatiuam, tum per diuinam inspirationem approbationemq; cõstantissime tenet, sed aduersariorũ

suorum

ſuorum perſonas in præſenti reſpicere, qui cum obeſſe illi omnino ſtuderent, inferebant ei mortem tanquã procul dubio malam. Socrates ergo contrà infert, nullo modo eſſe malam, ſiue ſic, ſiue aliter ſe noſtræ res habeãt. Vbi illud quod de mortalitate apparet ambiguum, propter illos eſt adiunctum, qui tanquam tyranni Epicureo more deridere Socratem potuiſſent, quaſi facile poſſet decipi, ſi ex eo ſolo affirmauiſſet mortẽ non eſſe malam, quod poſt hanc uitam alia ſuperſint bona. Quæ quidem æterna bona, & ſi conſtabant Socrati, illis tamen nullo modo conſtabant, neq; in anguſta illa temporis breuitate poterãt demonſtrari, quæ in Phædone & ſæpe alibi demonſtrantur. Tu uero nota certam Socratis noſtri fiduciam, amicis prope finem Apologiæ dicentis: Bene de morte ſperare debetis. Nihil enim mali bono uiro uel uiuẽti uel defuncto poteſt accidere. Res enim hominis quodammodo deo ſimilis à deo non negliguntur. Quod autem extrema ad iudices uoce clamauit: Ego quidem hinc abeo moriturus, uos uero uicturi: utri uero noſtrum in melius eant, ſoli deo eſt certum: intellige nõ dubitare illum quod paulo ante affirmabat, ſed dicere ſoli deo certum eſſe per ſeipſum affirmationis q; rationem: poſſe tamen homini certũ fieri per ipſum deum negationis q; rationem. Adde quod affirmare non audet ſe tam purgato tunc animo emigrare, ut præſentem migrationem affirmet omnino animum ſuum ſtatim cœleſti patriæ reddituram.

APOLOGIA SOCRATIS

QVA VOS ratione, ô uiri Athenienſes, affecerint accuſatores mei, neſcio equidem: me certe ſic affecerunt, ut mei ipſius penè oblitus fuerim, tanta perſuaſione dicere uiſi ſunt: quamuis nihil, ut ita loquar, ueri ad uos detulerunt. Sed ex multis quæ falsò aſſeuerabant, id ſum potiſſimum admiratus, quod uobis cauendum eſſe monuerũt, ne à me quaſi eloquẽte deciperemini. Quod enim aſſerere id minime erubuerint, cuius ego mox redargutionem opere ipſo facturus eram, quandoquidem in præſentia uobis appareo longe ab eloquentia alienus: hoc, inquam, mihi ſuper omnia uiſum eſt impudentiſsimũ, niſi fortè eloquentem, iſti uocant uera dicentẽ. Si enim ita dicant, profiterer equidem me, quamuis non eorum more, rhetorẽ eſſe. Quippe cum hi, ut equidem dico, ueri nihil dixerint, à me uero uos uera omnia audituri ſitis. Neq; uero per louem, ô uiri Athenienſes, fucatam à me orationem, quemadmodũ ab iſtis, uerborum nominumq; elegantia, neq; aliter exornatam, ſed ex improuiſo ut coaceruatam audietis. Confido enim me iuſta dicturum, neq; quiſquam ueſtrum ſperet me aliter eſſe dicturum: alioquin neq; ætatem hanc, ô uiri, deceret, adoleſcentulorũ more uerbis ſtudioſe formatis huc ad uos ingredi. Quinimo uehementer, ô uiri Athenienſes, id oro, & obſecro, ut ſi ijſdem me uerbis in reſpõdendo utentem audietis, quibus & in foro apud argentariorum menſas, ubi plerique ueſtrum me nonnunquã audierunt, & alibi, uti ſoleo, ne admiremini, neue grauiter id feratis. ſic em̃ res ſe habet. uenio equidẽ nunc primũ in iudiciũ, plures quàm ſeptuaginta annos natus. ex quo fit ut in hac iudiciali cauſa reuera ſim peregrinus. Et profecto quemadmodũ ſi peregrinus Athenas ueniſſem ignoſceretis uti que mihi peregrina uoce & forma loquenti, pro educationis meæ cõſuetudine: ita & in præſentia uos precor, neq; id quidem iniuria, ut loquẽdi formam minime attẽdatis, quæ prout contingit, tum melior, tum deterior eſſe poteſt, ſed idipſum conſideretis, huc mentem adhibeatis, iuſta' ne, an iniuſta dicam. Hoc enim iudicis officiũ eſt. rhetoris autẽ officium, uera loqui. Iuſtum eſt autem ô uiri Athenienſes me primo quidem ad accuſationem primam falſo confictam, & ad primos accuſatores reſpondere: deinde ad nouiſſimam atque nouiſſimos. Me quidẽ multi iam multis annis falſo apud uos accuſarunt, quos equidem magis formido, quàm Anyti aſtipulatores, quanquam & hi ſunt in perſuadendo potentes. Sed illi potentiores ô uiri, qui pleroſq; ueſtrum à pueritia occuparunt, accuſantes me procul à ueritate, atq; uobis perſuadentes: eſſe uidelicet Socratem quendam ſapientem, eorum quæ ſuper aerem, quæq; ſub terra fiunt, perſcrutatorẽ, qui ſoleat cauſam deteriorem, diſſerendo meliorẽ efficere. hi profecto ô uiri Athenienſes, qui hunc de me rumorem diuulgauerunt, mei accuſatores potentiſſimi ſunt. Qui enim hęc audiunt opinantur harum rerum perſecutores nõ credere deos eſſe. Profecto accuſatores huiuſmodi & permulti ſunt, & longo iam tempore me accuſant, & in ea ætate uobis ſuaſerunt, in qua plerique ueſtrum pueri aut certe adoleſcẽtuli perfacile credidiſtis, deſerta in cauſa, nemine me defendente. Atq; id quod à defenſionis ratione omnium alieniſſimũ eſt, neq; nomina quidem

quidem illorum scire licet,atq; proferre,præterquam si quis illorum comœdus sit.Quot cunq; uero per inuidiam & calumniam hæc uobis rursus persuaserunt, qui ue ipsi persua si persuaserunt aliis,hi omnes infiniti omnino sunt,nec eorum quenquã in iudicium traducere,nec redarguere licet,sed necesse est aduersus istos tanquam in nocte pugnare defendendo,atq; refellendo nemine respondente.Existimate ergo & uos,quemadmodum dicebam,accusatores meos duplices extitisse,& qui nuper accusarũt,& qui iamdiu,quales modo describebam. Atq; iudicate me quidem oportere prius respõdere illis,quos & ipsi prius multoq; magis audiuistis.Sed iam respondendũ mihi est,ô uiri Athenienses,illis criminibus,conandumq; in hoc tam breui tempore opinionem istam eximere, quam uos per calumnias decepti,longo iam tempore contra me concepistis. Opto autẽ ita demũ aduersarios refellere,atq; obtinere,si modo id uobis & mihi melius sit futurũ. Quanquam difficile id fore arbitror.Neq; admodum quale id sit me latet. Verum, ut deo placet,ita succedat.Nos autem legi parere oportet,ac defensionem pro nobis afferre.Repetamus igitur ab initio quæ sit accusatio,ex qua aduersus me nata est illa calumnia, qua cõfisus Melitus mihi diem dixit.Quid ergo aiunt accusatores mei? tanquam enim si in iudicio adessent,eorum recitetur accusatio,in qua contra me iurãt, quæ & uicissim à me exigit iuramentum.Socrates iniuste agit,atq; nimium curiose perquirit quę sub terra & quæ in cœlo sunt,inferioremq; causam reddit superiorem.Præterea alios eadem docet. Talis utiq; est accusatio.Nempe talia quædam & uos uidistis in Aristophanis comœdia:Socrates enim illic persona circumfertur,affirmans se per aerem peruagari:& complures eiusmodi nugas. Quarum ego rerum neq; multum neq; parum quicquam scio.Neq; hæc dico quasi harum rerum scientiã paruifaciam,siquis in huiusmodi rebus sit sapiẽs, quo minus tanti criminis reus à Melito accuser:sed quia reuera,ô uiri Athenienses, horum nihil scio.Testes autem huius plerosq; uestrum adduco.Oro uos docere & exponere inuicem uelitis,quot me colloquentem aliquando audiuistis.Audiuistis autem plerisq; uestrũ.Recensete igitur inuicem,nunquis uestrum aliquando iis de rebus quicq;,siue multum,siue parum audiuerit,disputantem:atq; ex hoc denicq; cognoscetis eiusmodi esse cætera, quæ multi de me circumferunt.At enim horum nihil est uerum.Quinetiam à quopiam audiueritis me homines docere,atq; inde pecunias cumulare.neq; id quidem uerũ est. Atqui præclarum id mihi uidetur,siquis docere homines possit,quemadmodũ Gorgias Leontinus,& Prodicus Chius,& Hippias Eleus.Quorũ unusquisq; eam facultatem habet,per quam ad singulas profecti ciuitates,adolescentibus quibus liceret in patria suorum se ciuium disciplinæ gratuito cõmendare,persuadent ut se aliorum disciplina relicta sectent, ac data pecunia,gratiam insuper habeãt.Est & alius quidam uir hic sapiens Parius, cuius ego ad nos aduentu sum admodum delectatus. contigit enim ut in eũ aliquando uirum inciderem,qui plus pecuniarũ in sophistas expendit q̃ cæteri omnes, Calliam, inquam, Hipponici filium.Hunc ergo ita interrogaui.Duos enim habet filios.O Callia, inquam, si filij tui pulli equini aut taurini essent,haberemus aliquem quem illis mercede adhibita præficeremus,qui eos pulchros & in suo utrunq; genere excellentem efficeret. Esset uero talis aut equestriũ aliquis,aut agricolarũ.Nunc uero cum filij tui sint homines.quemnam cogitas illis præficere? Et quisnã huius humanæ ciuilisq; uirtutis scientiã habet? Arbitror id te cum filios habeas cogitauisse.Est ne,inquã,talis aliquis, an nõ? Est profecto, inquit,ille.Quis inquam est? & unde? & quanta mercede docet? Euenus,inquit,est ô Socrates Parius,merces uero quinq; minæ.Atq; ego Euenũ felicem iudicaui, si reuera hanc habet artem,atq; adeo diligenter docet.Nam & ipse quoq; si talia scirem,admodum gloriarer,& magni me facerem.Sed certe ô uiri Athenienses hæc quidem nescio. Requirat igitur forsan aliquis,quidnã ô Socrates,tuum est opus? Et unde aduersus te exortæ sunt hæ calumniæ? nisi enim aliquid præter aliorum consuetudinem ageres, nunquam tãtus de te rumor cõcitatus esset.Nam unde de te sermo tam frequẽs,nisi egisses aliquid à cæteris alienum? Dic ergo nobis quid tandem id sit, ne nos de te temere aliquid iudicemus. Iusta sanè hæc mihi uidetur interrogatio:atq; ego uobis conabor ostendere quidnã id sit, quod mihi & nomen hoc & calumniam pepererit. Sed audite iam, & si uereor ne forte quibusdam uestrum iocari uidear. Veruntamen existimate me uobis uera omnino dicturum.Equidem,ô uiri Athenienses,non ob aliud certe quàm ob sapientiam quandam

eiuſmodi nomen nactus ſum. Sed ob quam ſapientiã? Fortè ob eam quæ humana ſapientia eſt. Nam hac reuera ſapiens eſſe uideor. illi uero quos paulo ante cõmemorabam, maiorem fortè quandam humana ſapientiã habent. uel quid dicã, non habeo: neq; enim ego ea præditus ſum. Quod ſi quis me hanc poſſidere dicat, mentitur, & in meam calumniam hæc dicit. Sed ne uobis moleſtum ſit, ô uiri Athenienſes, ſiquid uobis magnum dicere uidear. neq; enim ex me duntaxat dicam, ſed teſtem uobis afferam fidedignum. Profecto ſi qua mihi eſt ſapientia, qualis ea ſit, teſtem adhibebo uobis Delphicũ deum. Chærephontem certe nouiſtis. Ille familiaris mihi erat ab iuuentute, & Athenienſi populo amicus, ac unà nobiſcum fugit, & ſimul in urbem reuerſus. Nouiſtis plane qualis erat Chærepho, q; uehemens quamcunq; ad rem ſe cõuertiſſet. Hic ergo quãdoq; profectus in Delphos uaticinium id experiri auſus eſt. Ne grauiter feratis, ô uiri, quod in præſentia ſum dicturus. Interrogauit utiq; an eſſet ullus me ſapientior. Reſpondit Pythia, ſapientiorem eſſe nemi nem. De his quidem ipſius hic frater uobis teſtificabitur: nam ipſe Chærephon uita functus eſt. Conſiderate uero quorum gratia hæc dicã. Debeo enim uobis aperire unde hæc aduerſum me calumnia ſit exorta. Profecto cum hæc audiſſem, ita mecum ipſe reputaui. Quidnã deus ait? aut quid hoc ſibi uoluit? Ego enim mihi conſcius ſum, neq; in magnis, neq; in paruis eſſe me ſapientẽ. quid igitur ſibi uult, cum me aſſerit ſapientiſſimũ? Deum quidem mentiri non eſt credendũ, neq; enim id fas eſt deo. Atq; ita diu ambiguus ſcrutabar quid oraculũ innuiſſet. Ac uix tandem poſt longas ambages uiam eiuſmodi inueni. Aggreſſus enim quendam ex his qui ſapientes uidentur, ſperans, ſi uſquam, in hoc uaticinium coargui poſſe, oraculoq; oſtendi non me quidem quem præfecerat, ſed illum eſſe ſapientia præferendũ. Dum ergo illum examinarem: huius uero nomen promere nõ eſt neceſſarium: erat autem quidam ex his qui in repub. uerſantur. illum, inquam, dum examinarem, unaq; diſſererem, ô uiri Athenienſes, hunc in modũ affectus ſum: uiſus mihi eſt uir ille uideri quidem ſapiens, tum alijs, tum uel maxime ſibijpſi, eſſe uero nequaquam. deinde conatus ſum illi oſtendere, putare quidem eum eſſe ſe ſapientẽ, ſed minime eſſe. Quapropter & ille infenſus mihi redditus eſt, & multi qui aderãt, grauiter id tulerunt. Itaq; ad meipſum reuerſus, ita mecum ipſe reputaui: Ego profecto ſum hoc homine ſapiẽtior. apparet enim neuter noſtrum pulchrum bonumq; aliquid noſſe. Sed hoc intereſt, quod hic quidem cum ſciat nihil, ſcire putat aliquid: ego uero quemadmodũ neſcio, ita neſcire me puto. Videor ergo in hac tãtula re hoc homine ſapientior eſſe, quod quæ ignoro, neq; ſcire me arbitror. Poſt hæc alium audiui, ex his qui illo inſuper ſapientiores habentur, in eoq; conſiderando omnino ſimiliter iudicaui, atq; illum alioſq; multos mihi reddidi infenſos. Proinde ſimiliter deinceps proceſſi ad alios, non ignorans quantum aduerſus me odium concitarem, ideoq; nõ abſq; dolore quodam timoreq; procedebam. Veruntamẽ neceſſarium mihi uiſum eſt oraculum diuinũ omnibus anteferre, paſſimq; progredi perſcrutaturum quid ſibi uelit oraculum, huiusq; gratia omnes quotcunq; aliquid ſcire uidentur, adire. Et per canem, ô uiri Athenienſes, oportet eñ uobis uera fateri, tale aliquid mihi contigit hæc ex diuino oraculo perquirẽti, ut qui opinione hominũ maxime probabantur, eos quaſi omnium imprudentiſſimos inuenirem: qui uero inferiores habebantur, eos quantum ad prudentiam ſpectat, probabilius ſe habere. Operæpreciũ eſt referre uobis errores laboresq; meos quos equidem propterea ſuſtinui, dum à me oraculum adeo probaretur, ut redargui iam deinde non poſſet. Poſt ciuiles homines ad poetas me contuli, tragœdiarum & dithyramborum aliorumq; carminum autores, quaſi hic perſpicue admodum deprehẽſurus, eſſe me his rudiorem. Acceptis itaq; eorum libris, in quibus elaborauiſſe maxime uidebantur, ſciſcitatus ſum eorum ſenſa, ut nonnihil ab ipſis perdiſcerem. Erubeſco ô uiri, uerum hic uobis aperire. dicendum eſt tamen. Alij penè omnes præſentes, ut ita dixerim, melius de rebus his loquerentur, de quibus ipſi poemata conſcripſerunt. Deprehendi igit breui id in poetis, eos uidelicet non ſapientia facere quæ faciũt, ſed natura quadam ex diuina animi cõcitatione, quemadmodũ & hi qui diuino furore afflati uaticinantur. Nam & hi multa quidem dicunt atq; præclara: ſed eorũ quæ dicunt, nihil intelligunt. Tali quodam pacto poetæ affecti fuiſſe mihi uidentur, & ſimul animaduerti eos in alijs quoq; propter poeſim omnium ſe ſapientiſſimos iudicare, in quibus non ſunt ſapientes. Abij ergo, & hinc eadem omnino ſententia qua & à ciuilibus uiris abieram. Tandem uero

rō me ad artifices cōtuli, utpote bene mihi cōscius quàm nihil iſtic, ut ita dicam, ſcirem. hos autem noueram multa & pulchra ſcire, neq; in hoc equidem deceptus ſum. Sciebant enim quæ ipſe neſciebam, & hac in parte me ſapiētiores erant. Sed ô uiri Athenienſes, in eodem errore quo & poetas, peritos artifices deprehēdi. Nam ob hoc ipſum quod ſua rite perficiebant, unuſquiſq; eorum ſe in cæteris quoq; uel maximis ſapientiſſimū eſſe putabat. Atqui hic error illam quoq; quæ ipſis inerat ſapientiam, offuſcabat. Quamobrem ſi meipſum oraculi loco interrogarē, utrum eligam, ita ne me habere ut habeo, uidelicet neq; ſcientem quæ illi ſciunt, neq; meam inſcitiam ignorantem, an utraq; habentem quæ illi habent, plane mihiipſi ſimul atq; oraculo reſpōderem, præſtare ita ut habeo me habere. Ob hanc utiq; inquiſitionē meam ô uiri Athenienſes, inimicitiæ multæ difficillimæ, atq; grauiſſimæ aduerſus me coortæ ſunt, ex quibus multæ ſunt calumniæ cōſecutæ. Nomen uero ſapientis mihi propterea exortum eſt, quòd præſentes plurimū illa me putant ſcire, in quibus alios refello. Videtur autem ô uiri Athenienſes, reuera ſolus deus ſapiens eſſe, atq; in hoc oraculo id ſibi uelle, humanam uidelicet ſapientiam parui, imò nihili, pendendam eſſe. Quod uero Socratem nominat ſapientē, ob id facere, quo nomine meo tanquam exemplo quodam utens, quaſi ſic dicat: Is ô uiri, ſapientiſſimus eſt, qui quemadmodum Socrates, nouit reuera ſapientiam ſuam eſſe nihili pendendā. Hæc igitur ego ſic affectus, & nūc perquirere paſſim deo obſecutus, & perſcrutari nō deſino, cōueniens quem cunq; aut ciuium, aut peregrinorum eſſe exiſtimo ſapientem. Ac ſi quando mihi ille talis non uideatur, tunc ipſe deo ſuffragatus, illum ſapientem non eſſe demonſtro. Atq; ob occupationes eiuſmodi nullum mihi fermè relinquitur ocium uel ad publicū aliquid agendum, uel priuatum, ſed in extrema paupertate ob dei cultū ſum conſtitutus. Præterea adoleſcentes maxime opulenti, qui'ue à negociis uacant, me ultro ſequentes delectant, cum refelli à nobis homines ſpectant. Quinetiam ipſi nonnunq; me imitati, alios deinde confutare contendunt. Qua quidem in re plurimam reperiunt turbam hominū aliquid ſe ſcire putantium, cum aut nihil ſciant, aut perparum. qui uero ab his conuincuntur, non tam illis q; mihi redduntur infenſi, clamantq; eſſe Socratem quendam ſceleſtiſſimum, iuuentutiſq; corruptorem. At ſi quis ab eis ſciſcitetur, quidnam uel agendo, uel docendo corrumpat, nihil quidem aſſignare poſſunt, imò prorſus ignorant. Sed ne deeſſe illis materia uideatur, ad iſta confugiunt quæ cōmuni uoce facile philoſophantibus obiici ſolent, eos ſcilicet neq; ſublimia ſuper terram, neque profunda ſub terra, neq; deos eſſe putare, rationemq; inferiorem quaſi ſuperiorem oſtendere. uera enim, ut puto, fateri nolunt, ſe ſcilicet indignatos, propterea quòd cōuicti fuerint ſimulare ſe illa ſcire quæ neſciunt. Vtpote igitur ambitioſi & uehementes, & multi, ac uelut ex cōpoſito, atq; obnixæ diligentiſq; perſuaſionis ſtudio me criminātes, ueſtras aures impleuerunt, & iamdiu & nuper calumniis in me ſedulo confictis. Ex his autem Melitus, & Anytus, & Lycon contra me ſurrexerūt: Melitus quidem ob poetas mihi infeſtus, Anytus uero ob artifices atq; reipublicæ gubernatores, Lycon denique gratia rhetorum. Quamobrem quemadmodum ab initio dicebam, admirarer equidem, ſi opinionem iſtam tantis conceptam calumniis tam inueteratam nunc in tam breui tempore amouere à uobis poſſem. Hæc equidem ô uiri Athenienſes, uera uobis loquor, neq; celo, neq; ſubtraho aut magnum quicquā, aut paruum, quamuis fermè norim in his dicendis me eiſdem fore moleſtum. Quod quidem argumentum uobis eſt, me uera loqui, atq; hanc eſſe calumniam contra me exortam, eiuſq; cauſas eiuſmodi eſſe. Et ſiue in præſentia, ſiue in poſterum hæc inquiretis, ita eſſe inuenietis. Ad illa igitur quæ primi accuſatores detulerunt, hæc mihi ſufficiens apud uos ſit defenſio. Ad Melitum uero bonum, & ut ipſe ait, patriæ amatorem, reliquoſq; accuſatores deinceps reſpondere pergam. Ac rurſus tanquam alij quidam accuſatores ſint, accuſationem iuramento calumniæ uitandæ gratiæ præſtito ſuſceptam in medium adducamus. Habet uero in hunc fermè modum. Socrates iniuſtè agit, iuuentutem deprauans, ac deos quos ciuitas putat, ipſe non putans, ſed alia quædam noua dæmonia. Accuſatio quidem eſt eiuſmodi. huius autem accuſationis unamquamq; partē diſcutiamus. Iuuenes deprauare me obiicit, atque in hoc iniuriam facere: ego uero ô uiri Athenienſes, contra iniuriari Melitum dico, propterea quòd ſerio ludit, tam facile homines in iudicium trahens, ſimulāsq; ſerijs ſe rebus incumbere, earumq; rerum habere curam, quæ ipſi nunquam curæ fuerūt.

Hoc autem ita esse conabor & uobis ostẽdere. Heus Melite, respõde mihi, nunquid ipse maxime cures, ut quamoptimi adolescentes euadant. Curo equidem. Age ergo his nunc dicas, quisnam iuuenes meliores efficiat. Constat enim scire te, cum tibi id curæ sit. Me certe corruptorem eorum, ut ais, iam deprehẽdisti, accusasti his, in iudicium traxisti. ergo age, & eum qui efficit meliores dic his, & quisnã sit, ostende. quidnam, ô Melite, taces? Vides ne nihil te habere quod dicas? Atqui nónne turpe id tibi uidetur esse, ac sufficiens argumentũ eius quod ipse dico, te hæc nunquam curasse? Verum dic iam bone uir, quisnam eos efficit bonos? Leges. At uero nõ istud interrogo, ô uir optime, sed quis homo qui & primum ipsum norit, leges scilicet quibus illi meliores fiant. Hi ô Socrates iudices. Quid uero ô Melite, ais? Isti ne erudire iuuenes possunt, bonosq; reddere? Et maxime quidem. Vtrum omnes? An alij quidem possunt, alij uero nequaquam? Omnes. Bene per Iunonem loqueris, & magnam eorum qui prosint iuuenibus copiam. Verum quidnam hi qui audiunt? Faciunt ne & ipsi meliores, an non? Ipsi quoque. Quid uero senatores? Et senatores. Sed enim ô Melite, cauendum est ne concionatores fortè adolescentes corrumpant. An uero & hi omnes similiter faciunt meliores? Hi quoq;. Omnes igitur ut uidetur Atheniẽses honestos bonosq; reddunt præter unum me. Ego enim corrumpo solus. Itáne ais? Ita certe, & quidem uehementer.

Magna tu quidem me damnas infelicitate. Proinde mihi responde, an & de equis idem putes, omnes scilicet homines equos bonos efficere, unũ uero duntaxat esse qui eos corrumpat. An omnino contrà unum esse, uel certe perpaucos equitãdi peritos reddere meliores equos: quamplurimos autem esse, qui si inter equos uersentur, illisq; utantur, deprauant? Nonne ita se res habet, ô Melite, & de equis, & de cæteris omnibus animantibus? Penitus ita, siue tu & Anytus non confiteamini, siue confiteamini. Etenim permagnam iuuenes nacti essent felicitatẽ, si unus duntaxat eos posset peruertere, cæteri uero omnes prodessent. Cęterũ, ô Melite, satis demonstrat te nullam iuuentutis curam habuisse unq;, ac plane declaras incuriam tuam, teq; nunquam meditatũ fuisse ea de quibus me accusas. Præterea obsecro te per Iouem, ô Melite, respõde nobis, utrum melius uersari possumus inter bonos ciues, an inter malos. Respõde amabo. Nihil enim difficile te rogo, nõne mali semper mali aliquid agunt his quibus conuersantur? boni autem bonum? Proculdubio. Est ne ullus qui detrimentum suscipere potius q; emolumentũ uelit ab his quibus familiariter utitur? Responde, ô bone uir. Lex enim respondere te iubet. estne quisquam qui damnum pati uelit? Nullus. Age ergo, tu me huc in iudicium uocas quasi iuuentutis deprauatorẽ. an dicis me id uolentem facere, uel nolentem? Equidem uolentem dico. Nunquid tu, ô Melite, longe minor natu usque adeo me grãdiori sapientior es, ut plane cognoscas tu quidem malos obesse familiaribus, bonos uero prodesse? Ego autem in tãtam insaniam prolapsus sim, ut neq; id cognoscam, si quem ex familiaribus peiorem reddidero, periclitaturum me ne quid ab eo mali perpetiar, atq; hoc tantum mihi ipsi malum, ut ais, uolens inferam? Hæc equidem tibi, ô Melite, non credo. Arbitror quoq; nemi nem tibi alium concessurum. Sed aut non deprauo adolescentes, uel si deprauo, inuitus facio. Quapropter tu in utroq; mentiris. At si inuitus corrumpo, nõ huc in iudicium inuoluntaria delicta lex trahi iubet, sed priuatim doceri atq; castigari. Constat enim si didicero, non amplius me id facturum, quod per ignorantiam faciebam. Tu autem familiariter me emendare noluisti, sed in iudicium rapis: quò eos trahi lex iubet, qui pœna indigẽt potius quàm disciplina. Iam uero ex his manifestum est, ô uiri Athenienses, quod modo dicebam, nullam huic Melito aut magnam aut paruam erudiendæ iuuẽtutis curam fuisse. Nunc age, dic qua ratione me asseras, ô Melite, peruertere iuuentutem. An uidelicet quemadmodum in accusatione scripsisti, quia doceam non putare deos quos ciuitas putat, sed alia quædam noua dæmonia? An non in his docẽdis affirmas iuuenes me corrumpere? Omnino quidem ac uehementer hæc affero. Per deos ipsos, ô Melite, de quibus nunc nobis sermo est, apertius & mihi & his enarra. Nam ego quidem nondum plane intelligo, utrum dicas docere me iuuenes ut putent aliquos quidem deos esse. quod si ita est, ego deos esse puto, neq; omnino sum absq; deo, neque in hoc iniuste ago, quamuis non eos quos habet ciuitas, sed alios esse doceam. Vtrum, inquam, hoc est in quo me criminaris, quod uidelicet deos alios introducam? An me ais omnino negare deos, rursusq;

ut

ut negent alios quoq; docere? Asſero equidem te omnino negare deos. O admirabi lis Melite, cur nam iſta dicis? Neq; ſolem igitur, neq; lunam eſſe deos credo ut homines alij. Per louem ita, ô iudices. Nam ſolem quidem lapidem eſſe dicit, lunam uero ter-ram. Anaxagoram tu quidem, ô amice Melite, accuſandum cenſes, atq; ita hos paruí facis, exiſtimans eos literarum ignaros eſſe, quaſi neſciãt libros Anaxagoræ Clazomenij eiuſmodi opinionibus eſſe plenos. Iuuenes ais hæc à me diſcere, quæ liceret interdum e-tiam ſi multa ſint, unius drachmæ precio emere ex orcheſtra? Socratemq; deridere ſi ſua eſſe fingeret, præſertim quum tam abſurda ſint? Sed per deum, ô Melite, putas ne reuera nullum me deum exiſtimare? Nullum per louem. Incredibile eſt, ô Melite, quod di-cis: & quidem ut mihi uidetur, etiam tibijpſi. Mihi enim, ô uiri Athenienſes, nimis contu melioſus ac petulans iſte uir, ipſamq; accuſationem contumelia quadam & petulantia & iuuenili temeritate proculdubio conſcripſiſſe apparet. Videtur enim ceu ænigma quod-dam componere, tentans an Socrates ſapiens deprehendat ipſum quaſi ludentem, ſibiq; ipſi contraria proponentem, uel Socrates unà cum auditoribus ipſis decipiatur. Hic nan que repugnare ſibimet in ipſis accuſationis uerbis mihi uidetur, ceu ſi dixerit, Contra le ges agit Socrates deos non putans, ſed deos putans. Quæ quidem iocantis nugæ eſſe ui-dentur. Animaduertite, ô uiri, quo pacto Melitus mihi uidetur hæc dicere. Tu reſponde nobis, ô Melite. Sed uos quod ab initio orani, ne ægre feratis ſi pro more meo uerba fa-cio. Eſt ne quiſquam, ô Melite, qui humana quidem eſſe putet, homines uero nequaquã? Reſpõdeat mihi ô uiri, neq; modo in his, modo in illis perturbet. eſt ne aliquis qui equos non putet eſſe, ſed equeſtria? uel tibicines quidem non eſſe, ſed tibicinum officia? Non eſt quiſquam ô uirorum optime. Ego enim pro te & tibi & his alijs reſpondeo. ſiquidem ipſe nõ uis reſpondere. Sed ad hoc ſaltem quod magis ad rem pertinet, reſponde. An eſt quiſquam qui dæmonum quidem opera opinetur eſſe, dæmones autem minime? Nul-lus. Quàm tarde & uix reſpõdiſti ab his coactus? Nónne igitur dæmonum opera con-fiteris me & putare & docere ſiue noua, ſiue antiqua ſint? omnino enim ut confiteris dæ-monia ego aſſero, atq; hæc quidem in reſpõſione iurabo. Quod ſi dæmonia puto, neceſ-ſarium eſt omnino putare me dæmones quoq; eſſe. An non ita ſe res habet? Ita certe. Po-no enim te confitentem, quandoquidem reſpondere non uis. Dæmones autem, nónne aut deos arbitramur eſſe, aut deorum filios? Fateris ne hoc, an negas? Prorſus. Nón ne ſi dæmones eſſe arbitror, ut ipſe concedis, dæmonesq; dij quidam ſunt, id euenit quod modo dicebam? ænigma proponere, et quaſi nugari dicendo me deos nõ exiſtimantem, deos tamen rurſus exiſtimare, quandoquidem dæmones eſſe duco? Rurſus ſi dæmones deorum filij ſint, ſpurij uidelicet quidam, aut ex Nymphis, aut ex alijs quibuſdam, ut fer-tur, quiſnam hominum filios quidem deorum eſſe putet, deos uero neget? Perinde enim id abſurdum foret, ac ſi quis equorum quidem filios uel aſinorũ mulos eſſe putet, equos autem & aſinos eſſe non putet. Sed ô Melite, uideris proculdubio accuſationem iſtam id circo ita inſtituiſſe, uel ut ingenij noſtri periculum faceres, uel quia in quo reuera me cri-minareris, nihil haberes. Tu uero quanam ratione perſuaderes alicui uel minimum qui-dem mentis habenti, nõ eſſe eiuſdem uiri dæmonia ſimul & diuina putare, ac rurſus eiuſ-dem neq; dæmones, neq; deos, neq; heroas? Nulla certe ratione fieri poſſe aliter oſtendi poteſt. Cæterum ô uiri Athenienſes, quod quidem ego nõ deliquerim, quemadmodum Melitus accuſat, haud magna mihi purgatione opus eſſe uidetur, ſed ea quæ dicta ſunt, ſufficere iudico. Quod autem ab initio dixi, maleuolentiam plurimam eſſe contra me a-pud plurimos concitatam, id profecto ueriſſimum eſt, & hoc me perimet, ſiquidem peri-mar, non Melitus, neque Anytus, ſed multorum calumnia & inuidia. Quæ quidem alios quoque multos uiros bonos peremit hactenus, &, ut arbitror, perimet. Nihil enim graue uel mirum ſi in me obeſſe non deſinat. Forſitan uero ita me quiſpiam interrogabit: Nón-ne te pudet Socrates, tale quiddam exercere, ex quo continuo in periculum uenias mo-riendi? Equidem huic obiectioni iuſtam hanc reſponſionẽ dabo. Haud recte ô uir loque ris, ſi putas magnam aut uitæ aut mortis habendam eſſe rationem homini cuius uel par-ua quædam utilitas ſit: ac non illud potius duntaxat conſiderandũ, quoties aliquid agit, utrũ iuſta agat, an iniuſta, aut boni uiri opera ſiue mali. Alioquin ex hac ratione tua ſper-nendi fuiſſent ſemidei omnes quotcunq; apud Troiam occubuerunt, & alij, & in primis

ipse Thetidis filius: qui usqueadeo mortis contempsit periculum, ne turpem subiret infamiam, ut cum sibi dea mater properanti ad Hectorem occidendum prædixisset, his fermè, ut arbitror, uerbis: O fili, si pro uindicta Patrocli amici tui ab Hectore interfecti, Hectorem interfeceris, ipse peribis. inquit enim: Subito post Hectorem infelix tibi fors imminet. Cum, inquam, ab ea hæc accepisset, usqueadeo discrimen mortemq; contempsit, ut multo magis timuerit turpem uitam amicorum inultis iniurijs quàm mortem: statimq; responderit mori se malle pro iusta amici uindicta, quàm moras trahentem apud naues ridiculum contemptumq; uiuere. Hunc ergo periculi mortisq; curam habuisse, quisnam dixerit? & profecto ita res se habet, ô uiri Athenienses. Quo quisq; in loco uel seipsum constituit, arbitratus id optimum esse, uel à superiore iubetur consistere, in eo, ut mihi uidetur, permanere oportet, periculumq; subire, neque mortem, neq; aliud quicquam magis quàm turpitudinem formidantem. Equidem ô uiri Athenienses, grauiter aberrarem, si cum illis paruerim præfectis, quos ipsi mihi præposuistis & in Potidæa, & in Amphipoli, & in Delio: tunc enim ubi illi me consistere iusserunt, ibi constiti ut quisquã alter, mortisq; discrimen subiui: ubi deus me posuit, permanereq; uoluit, ut opinatus sum atq; existimaui, uidelicet philosophantem me uiuere, ac meipsum aliosq; scrutari, ibi ob mortis alterius'ue rei metum ordinem desererẽ. Pergraue, inquam, id esset delictum, & tunc reuera me iuste quis in iudicium traheret, quasi deos non putantem, uidelicet oraculo non parentem, atque mortem timentem, putantemq; me sapientem esse, quum sapiens minime sim. Nam mortem timere ô uiri, nihil aliud est quàm sapientem uideri eum qui non sit sapiens. Quippe cum id sit scire uideri quæ nesciat. Nemo enim scit utrum mors summum bonorum omniũ contingat homini. metuunt autem perinde ac si eam scirent maximum esse malorum. Cui uero dubium esse debet, quin hæc ipsa insscitia sit maxime uituperanda, per quam aliquis se putat scire quæ nescit? Ego autem ô uiri, in hoc forsan à multis hominibus differo: ac si qua in re sapientiorem me aliquo esse dicerem, in hac utiq; dicerem, quod cum haud sufficienter quæ sunt apud inferos norim, similiter me non nosse cognosco. Iniurias autẽ inferre, superioriq; non obedire uel deo uel homini, malum turpeq; esse scio. Hæc igitur quæ nescio, utrum bona sint, nunquam magis timebo atq; fugiam quàm illa quæ mala esse cognosco. Quamobrem si me nunc absoluatis, non credentes Anyto, qui dixit aut me in iudicium ab initio uocandum non esse, aut uocatum necessario esse damnandum. Nam si à uobis absoluerer, fore ut filij uestri Socratis sequuti uestigia, omnes omnino corrumperentur. Si inquam, ad hæc uos ita dicatis: O Socrates, Anyto non credimus, teq; sententijs nostris absoluimus, hac tamẽ conditione, ut nunquam posthac in hac inquisitione philosophiaq; uerseris: ac si id facere deprehendare, mortem obeas. Si igitur, ut dicebam, his conditionibus dimittere me uelitis, respõdebo utiq; uobis: O uiri Athenienses, diligo uos equidem atque amo, deo tamen parere malo quàm uobis. Et quamdiu spirabo, uiresq; suppetent, philosophari nõ desinam, exhortans & docẽs quemcunq; nactus fuero, sicut soleo in hunc modum: Quid tu ô uir optime, cum ciuis sis Athenienſis, ciuitatis amplissimæ ac sapientia & potentia præstantissimæ, non erubescis in eo omnem operam ponere, quo tibi pecuniarũ & gloriæ & honoris quamplurimum sit: ut autem prudentia & ueritas, & optimus animi habitus in te sit, neque cogitas, neq; curas? Ac si quis uestrum mecum contenderit, id se curare asseuerans, haud statim dimittam illum, neq; recedam, sed scisscitabor, examinabo, redarguã. Quòd si mihi nõ uideatur possidere, uirtutem attamen profiteri, obiurgabo quod ea quæ plurimi precij sunt, nihili pendat, uilissima uero plurimi faciat. Hoc equidẽ officium præstabo iuniori & seniori quemcunq; nactus fuero, rursusq; peregrino & ciui, magis autem ciuibus, quanto mihi genere propinquiores estis. Hoc enim deus ipse iubet. Reor autem quod & uos latere nõ debet, nullum adhuc bonum uobis in hac urbe maius contigisse quàm hoc meum ministerium, quod deo parens exhibeo. Nihil enim aliud agens circumeo, quàm suadens iunioribus, senioribusq; uestrum, neq; corporum, neq; pecuniarum, neq; aliarum omnino rerum curam prius uehementiusq; quàm animi habendam esse, ut quàm optimus sit, docens non ex pecunijs uirtutem, sed ex uirtute pecunias, aliaq; bona omnia & priuatim et publice hominibus prouenire. Si igitur hæc docens peruerto iuuenes, essent certe perniciosa. At si quis dicat me alia quàm hæc docere, nihil dicit. Horum gratia ô uiri Athenien

ſes,profiteor equidem ſiue credatis Anyto,ſiue nõ credatis,ſiue dimiſeritis me, ſiue non dimiſeritis,profiteor me nihil aliud eſſe facturũ,nec ſi mihi ſit pluries moriendũ. Ne con turbemini ô uiri Athenienſes.Sed quemadmodum ab initio rogaui,me æquo animo audiatis:erit enim uobis,ut arbitror,utile ſi quæ nunc dicturus ſum,audietis. Equidem uobis nonnulla dicturus ſum,quæ audientes forſitan ad clamorem in præſentia prouocemini,ego uero ſilentium à uobis expoſco. Scitote ſi me occideritis talem qualem uobis modo dicebam,non me leſuros eſſe uos magis quàm uoſipſos. Me quidem neq; Melitus,neque Anytus unquam lædet.Neq; enim poſſet.Siquidem nefas eſt, ut arbitror, meliorem uirum à deteriore lædi.Interficere tamen poteſt uel pellere,uel contumelia quadam afficere.atq; hæc iſte quidem & alius aliquis ingentia putet eſſe mala.ego uero nõ puto, ſed multo peius eſſe illa facere quæ nunc iſte facit,aggrediens iniuſte uirum occidere. quam ob rem ô uiri Athenienſes,nõ tam mihi nunc opus eſt defenſionem pro meipſo meditari,ut aliquis exiſtimaret, quàm uobis ne quid me condemnantes contra id munus quod deus uobis tribuit,delinquatis.Si enim me interfeceritis,haud alium talem reperietis,uere quidem,& ſi fortè id dictum ridiculum eſt,ciuitati ueſtræ à deo adhibitum,uelut equo cuidam magno & generoſo,ſed ipſa mole pigriori,atq; à tabano aliquo excitari indigenti:qualem uidetur me deus ciuitati addidiſſe,qui ſingulos exſuſcitans & monẽs & obiurgans,non ceſſo diem totam ubiq; uobis aſſiſtere.Talem uero alterum nõ facile nanciſcemini ô uiri Athenienſes.Ergo ſi mihi crediderit is,me ueſtris ſententijs abſoluetis.At uero ſi fortè dormitantium more grauiter ferentes uos exuſcitari,me,ut uult Anytus, temere occideritis,reliquum omne tempus dormietis,niſi forſan deus uobis proſpiciẽs alium quẽdam miſerit.Me uero eſſe talem,ut à deo ciuitati tributus fuiſſe uidear, hinc poteſtis animaduertere.Non humanum certe id eſſe uidetur, quod ego mea quidem omnia omnino neglexerim,atq; in hac rei familiaris negligẽtia tot annos iam perſeuerarim, ueſtro ſemper intentus bono,dum ſingulos adeo tanquam pater,aut frater natu maior,ſuadens curam uirtutis habere.Quod ſiquam pro officio meo mercedem reciperẽ,humanã quandam id rationẽ haberet.Nunc uero quod & uos plane uidetis,accuſatores iſti mei quanquam impudentiſſime alia contra me omnia coaceruarunt,hoc unum tamẽ ſolita illa impudentia nequaquã auſi ſunt pertentare, teſtesq; adhibere qui probent me unquam pro his mercedem ullam exegiſſe aut petiſſe.Huius autẽ rei ſufficientẽ uobis, ut arbitror, teſtem affero,paupertatẽ meã.Sed forſan abſurdum alicui uideri poteſt, me priuatim hæc conſulere ſingulis anxie nimis circumeuntem,publice uero in concionibus auſum non fuiſſe hoc idem ciuitati cõſulere. Huius autem cauſa eſt de qua ſæpe me paſſim dicentem audiuiſtis,diuinum uidelicet quiddam atq; dæmonicũ in uoce quadã mihi adeſſe.Quod quidem Melitus in accuſatione deriſit.ſed mihi quidẽ ab ipſa pueritia hoc adeſt,uox ſcilicet quædam,quæ quoties fit,me prohibet agere quod acturus eram,prouocat uero nunquam.hoc inquam eſt quod mihi repugnet,quo minus me ad publica conferam.& recte admodum mihi aduerſari uidetur.Conſtat enim ô uiri Athenienſes,ſi quondam negocia publica aggreſſus fuiſſem,iamdiu mihi fuiſſe pereundum:itaq; nullam uel uobis,uel mihi attuliſſem utilitatem.Ne mihi ſuccenſeatis,oro,uera dicenti.Nemo enim diu ſaluus eſſe poteſt, ſi aut ueſtro, aut alteri cuiquam populo legitime aduerſetur, quo multa iniuſta atque iniqua quæ fieri ſolent in ciuitate,prohibeat.Sed neceſſe eſt eum qui reuera pro iuſtitia pugnat, ſi modo breui ſaluus futurus ſit,priuatim degere, neque rempublicam attingere.Horum equidem magna uobis afferam argumẽta,non uerba quidem,ſed, quod uos multi facitis,facta.Audite iam quæ mihi contigerint,ut planius perſpiciatis,nulli mẽ quicquam contra iuſtitiam ob mortis metum conceſſurum fuiſſe, atque non concedentem,ſimul fuiſſe periturum.Referam uobis equidem moleſta quædam atque iudicialia, uera tamen.Ego enim ô uiri Athenienſes,nullo adhuc publico functus ſum munere,niſi quòd ad conſilium ſum electus. Contigit autem tribum meam Antiocheam eo tempore præſidere quo uos decem illos exercitus duces,quia nauali pugna interemptos nõ ſuſtuliſſent,damnare ſimul omnes properaſtis,iniuſte quidem,ut cunctis poſtea uobis notum fuit.Tunc ego ſolus ex omnib.præfectis me uobis oppoſui,ne quid ageretis præter leges,meisq; ſuffragijs reſtiti.Quo tẽpore cũ oratores multi parati eſſent deferre meum nomẽ,atq; in iudiciũ trahere,uosq; ipſi ingẽti idẽ clamore iuberetis,exiſtimaui oportere

me magis pro lege atq; iustitia subire periculum, quàm uobiscum sentire, non sentientibus iusta ob metum carceris aut mortis. Et hęc quidem facta sunt ciuitate adhuc sub libertate populi constituta: postquam uero ad paucorum potentiam deuentum est, rursus triginta illi qui rempublicam occuparunt, uocantes me unà cum alijs quatuor in Tholum, iusserunt Leontam Salaminium ex Salamine adducere quo ille necaretur, qualia uidelicet multa illi, & alijs multis eo tempore mandabant, ut complures criminibus suis inuoluerent. Tunc ego nō uerbis quidem, sed re ipsa rursus ostendi, nihil omnino, quamuis dictu rusticius uideatur, curare mortem: illud uero omnino curare, ne quid iniustum, ne ue impium facerem. Me uero potestas illa terribilis nequaquam ita conterruit, ut iniuste aliquid facerem. Sed ubi Tholo egressi sumus, reliqui quatuor in Salaminam aduentantes, captum Leontam duxerunt, ego uero domum abiui: ac forsan propterea me illi interfecissent, nisi breui eorum potestas dissoluta fuisset. Atq; horum testes uobis erūt permulti. An ergo putatis tot annos me uiuere potuisse, si publica tractauissem, boniq; uiri officio fungens, iustitiæ suffragatus essem, atque, ut oportet, unum id officium omnibus prætulissem? Permultum abest ô uiri Athenienses. neq; enim alius quisquam hominum, ita se gerens, diu saluus esse potuisset. At ego per omnem uitam sicubi publica tractaui negocia, talem me præstiti, & priuatim idem ipse nemini unq̄ præter id quod iustum est, concedens, uel alijs, uel horum alicui quos ij qui me criminātur, meos affirmant esse discipulos. Ego autem nullius unquam præceptor fui. Sed siquis dicentem me ac tractantem audire desiderauit, siue iunior, siue senior, nulli unquā id negaui. Neq; uero is ego sum, qui pecunijs acceptis disputem, non acceptis uero taceam, sed pariter diuiti atq; pauperi interrogandum me præbeo, ac etiam si quis respondendo audire uelit quæ dico. Et si quis horum probus fiat, uel non, haud iuste crimen subirem: quippe cum nulli unquam doctrinam uel tradiderim ullam uel promiserim. Quod si quis dixerit priuatim à me quicquam uel didicisse, uel audisse, quod nec alijs omnibus commune fecerim, non uerum dicit. Sed quam ob causam quidam mea consuetudine oblectentur, ô uiri Athenienses, audite. Omnino uerum est quod uobis suprà dicebam, delectari homines cum redargutioni eorum adsunt, qui se cum non sint, existimant sapientes. Est enim res non iniucunda: mihi uero, ut dixi, à deo iniuncta & per uaticinia, & per somnia, & per omnem modum, per quem aliqua alia sors diuina homini quicq̄ mandarit agendum. Hęc ô uiri Athenienses, & uera sunt, & facile arguenda. Enimuero si ego iuuenū alios quidem nunc corrumpo, alios uero iamdiu corrupi, consentaneū esset ut nūc illorum aliqui seniores facti, quoniam intelligerēt me sibi adolescentibus male consuluisse, contra me insurgerent, ac pœnas deposcerent. At si ipsi nollent, saltem necessarios illorum aliquos, patres, & fratres, et alios cognatos, si quid mali à me eorum necessarij passi fuissent, cōmemorare nūc, & pœnas exigere. Sed adsunt hic quos cerno illorum permulti. Primum quidem Crito iste æqualis meus atq; contribulis Critobuli huius pater. Deinde Lysanias Sphettius Æschini huius pater. Præterea Antipho Cephisieus, pater Epigenis. Adsunt & alij, quorum fratres familiariter me usi sunt: Nicostratus Zotidi filius, Theodoti frater. Et Theodotus quidem defunctus est, ut fratrem precari non possit. Et Paralus hic filius Demodici, cuius Theages frater erat. Adimantus quoq; filius Aristonis, cuius frater est iste Plato. Deniq; Æantodorus, cuius Apollodorus hic est frater. Alios permultos referre possum, quorū unum aliquem præsertim in eius oratione oportuit à Melito testem produci. At uero si tunc oblitus est, nunc saltem producat, ego permittam. Afferat, inquam, si quid tale habet, in medium. Sed contrà omnino se res habet, ô uiri Athenienses. Omnes enim, ut uidetis, conuenerūt libenter ad opem mihi ferendam, qui corrupisse eorum necessarios, detrimentumq̄ attulisse, à Melito Anytoq̄ accusor. Quod si ipsi qui deprauati sunt, mihi opitularentur, nihil mirum esset: at propinqui eorum seniores à me nunquam deprauati, qua tandem ratione mihi suffragantur, nisi recta quadam & iusta? quippe cum & Melitum mentiri, & me uera loqui cognoscant. Quæ igitur pro defensione mea, ô uiri Athenienses, habeo, ferme hæc sunt, & alia fortè similia. Sed forsan uestrum aliquis ad se moresq̄ solitos se recipiens, grauiter ferat, quòd cum leuioribus etiam in causis reus multis cum lachrymis soleat deprecari, atq; supplicare, ac filios in iudicium producere, ut cōmiseratione cōmoueāt, & alios domesticorū amicorumq̄ permultos: ego nihil horum faciam

ciam,quamuis in extremo ut uidet discrimine constitutus. His ergo offensus aliquis contra me pertinacius irritetur,atq; ipsa in ira sententiam cõtra me ferat. Siquis ergo inter uos eius mẽtis est,ego tamẽ non censeo obsecrandum,sed hac ratione potius æque me hunc allocuturum. Sunt & mihi ô uir optime cognati quidam. Neq; enim,ut inquit Homerus, ex quercu uel petra,sed ex hominibus natus sum. Itaq; & cognatos habeo,ô uiri Athenienses,& filios tres,quorum unus iam adolescit,duo autem sunt paruuli. Nullum tamẽ eorum huc adducam,supplicaturus eo pacto à uobis absolui. Curnam igitur nihil horum faciam? Non pertinacia ulla,neque contemptu uiri Athenienses: utrum uero audacter me habeam erga mortem,an non,alia ratio est. Ad existimationem tamen & mei & uestri & ciuitatis totius non arbitror pertinere,ut hæc faciam hac ætate, & hoc nomine quod nactus sum, siue id uerum sit, siue falsum. Attamen iam opinione hominum persuasum est Socratem inter multos præcipuo quodam excellere. Si ergo hi qui inter uos sapiẽtia, uel fortitudine,uel quauis alia uirtute præstare existimãtur, tales erũt quales sæpe quosdam cum de illis iudicaretur uidi,turpe nimium erit. Qui cum esse alicuius precij existimarentur,attamẽ in iudicio mirum in modum cõmiserationi studebãt,quasi graue aliquid passuri,si ex hac uita decesserint,perinde ac immortales essent futuri, si uos illos non occidatis. Atqui hi mihi uidẽtur ciuitati dedecus afferre,propterea quod existimare peregrinorum aliquis potest,eos qui inter Athenienses uirtute præstãt, in magistratibusq; cæterisq; honoribus superiores habentur,nihil à mulieribus differre. Hæc autem, ô uiri Athenienses,nec uos qui alicuius autoritatis esse uidemini,facere decet,neq; etiam si nos facere uelimus,permittere: sed hoc ipsum ostendere,uos eum multo magis damnaturos esse, qui commiserationes eiusmodi introducens,ridiculam reddiderit ciuitatem,quàm illum qui quietus iudicium expectauerit. Proinde,ô uiri Athenienses,accedit ad ea quæ de ciuitatis existimatione dicta sunt,quòd nec iustum mihi uidetur esse iudicem precari,neq; precando absolui,sed docere atq; suadere. Non enim ad hoc sedet iudex,ut per gratiam concedat,sed ut iudicet secundum leges. Atq; id iureiurando promisit,,non per gratiam cuicunq; libuerit condonare,sed iudicare secundum leges. Non igitur licet uel nobis assuefacere uos deierare,uel uobis assuefieri. Neutri enim nostrum religionem seruarent. Nolite ergo,ô uiri Athenienses,exigere talia me apud uos agere,quæ neque honesta,neq; iusta, neq; sancta esse puto: & id quidem omnino,prẽsertim uero per Iouem,cum impietatis erga deum à Melito hoc accuser. Profecto si pergerem persuadere uobis,precãdoq; flectere cum iuraueritis,docerem utiq; uos non putare deos esse,ac reuera dum pro me defensionem paro,meipsum interim accusarem,quasi deos nequaquã existimãtem. Sed multum abest ut ita se res habeat. Existimo namq; esse deos,ô uiri Atheniẽses, magis q̃ quisquam meorum accusatorum,ac uobis deoq; permitto de me iudicare,ut & mihi & uobis sit conducturum. Quod uero nõ grauiter feram,ô uiri Athenienses,me à uobis esse damnatum,& alia multa faciunt,& illud in primis, quòd non præter spem id accidit, uerum multo magis admiror utrorumq; numerũ calculorum. Siquidem non putabam tam pauco calculorũ numero ab absolutione abesse. Nunc autem,ut uidetur, si tres solum calculi aliter cecidissent,euadebam. Melitum certe nunc euasisse uideo, neq; euasisse solum,sed unicuiq; constat, nisi surrexissent Anytus & Lyco me accusantes, mille drachmas illum fuisse pensurum,quoniam partem quintam calculorum non accepisset. Capitis igitur uir iste reum me facit,esto. Sed ego,ô uiri Athenienses,cuius me reum existimem? An nõ uidelicet eo quo dignus sum? Quid ergo? Quidnam dignum est pati me aut pendere,ob id quod quæ didici,non siluerim,sed neglexerim quæcunque multifacit uulgus, quæstum, rem familiarem,præfecturas,conciones,cæterosq; magistratus: præterea uitauerim coniurationes atque seditiones,quæ in republica contigerunt,arbitratus meipsum reuera ad æquiora officia esse natum, quàm ut ab his salutem meam pendere existimarem? Ad hęc inquam,me non contuli,quibus occupatus,neque uobis, neque mihẽpsi profuturus eram. Sed uni huic officio duntaxat incubui,ut priuatim unumquemq; uestrum salutans, maximam ut equidem existimo,afferrem utilitatẽ,suadens uidelicet unicuiq; nihil ex rebus suis prius quàm seipsum esse curandum, ut quamoptimus prudentissimusq; euadat: nec res ciuitatis curandas esse prius quàm ciuitatem ipsam,& aliarum item rerum curam eadem ratione esse habendam. Quid igitur cum sim talis,à uobis reportare dignus sum?

Bonum

Bonum certe ô uiri Atheniẽſes,ſi modo pro dignitate reuera exiſtimetis,ac tale quidem bonum quale mihi conueniat.Quid igitur conuenit uiro egeno beneficoq́, cui uacarè à cæteris occupationibus expediat,quo uos ad uirtutẽ cohortari queat? Nullum certe eſt aliud præmium,ô uiri Athenienſes,quod magis uirum talem deceat, quàm in Prytaneo publico ſumptu nutriri,& multo quidem magis quàm ſiquis ueſtrum equo aut bigis,aut quadrigis Olympia uicerit.Nam ille quidem facit,ut felices uideamini, ego uero ut ſitis. Præterea ille nutritione non indiget,ego indigeo.Itaq́ ſi pro dignitate ac iuſtitia æſtimari oportet,ego me hoc dignum exiſtimo,alimonia ſcilicet publice in Prytaneo mihi exhibenda.Fortè uero hæc uobis dicens,ita proteruus uideor,ut in ſuperioribus uiſus ſum, ubi cõmiſerationes ſupplicationesq́ deteſtabar.id aũt haud tale eſt,ſed eiuſmodi potius ô uiri Atheniẽſes.Perſuaſum eſt enim mihi,ut nemini ſponte iniuriam faciam.quod quidem idcirco uobis non perſuadeo,quia breue tempus habuimus colloquẽdi. Verum ſi lex talis apud uos eſſet,qualis apud cæteros,ut ubi mors pœna ſit,in eo iudicio nõ diem unam, ſed plures diſceptetur,uobis,ut arbitror,perſuaſiſſem. Nunc uero haud facile fuit in tam breui tempore calumnias magnas diluere. Cum igitur mihi perſuaſum ſit, nemini faciendam eſſe iniuriam,permultũ abeſt ut mihi ipſi ſim facturus.Quid ergo? nunquid ueritus ne id ſubeam quo Melitus me dignum cenſet, quod equidem aio neſcire me utrum bonum ſit,an malum,ut hoc deuitem,eligam eorum aliquid quæ planè mala eſſe ſcio,atque hoc me dignum eſſe cenſebo? Vtrum ergo uincula? Ecquid oportet me in carcere uitam agere,ſemper undecemuiris ſeruientẽ? Vtrum pecunias ſoluere, atq́ donec ſolutæ ſint, in uinculis permanere? At uero id tantundem eſt atq́ quod ſuprà dicebam, cum mihi deſit unde pecunias perſoluam.An fortè exilium? fortè enim hoc dignus eſſe cenſebor: nimia tamen ô uiri Athenienſes, me cupiditas uitæ teneret, ſi adeo imprudens eſſem, ut ſi uos ciues mei conſuetudinẽ meam ſermonesq́ perferre nõ potuiſtis,ſed uſqueadeo grauis inuidioſaq́ uobis fuit mea conſuetudo atq́ oratio,ut mox liberare uos ab illa iam decreueritis,alios tamen facile me putem toleraturos.Permultum abeſt ô uiri Atheniẽſes. Præclara ſcilicet mihi uita foret in hac ætate exulanti,& aliam ex alia ciuitatẽ permutanti,& in continua repulſa uiuenti.Equidem ut plane intelligo,quocunq́ proficiſcar,audituri me ſicut & hic ſequentẽ adoleſcẽtes:ac ſi eos repellam,ipſi uiciſſim ſenioribus id perſuadentes me repellent.Si nõ repellam,eorum patres & cognati ob hos ipſos me expellent.Forſitã uero dicet aliquis:nónne potes ô Socrates,in exilio ſilentiũ & quietem agere? At hoc omnium eſt difficillimũ aliquibus ueſtrum perſuadere.ſiue enim reſpondero, id eſſe non parere deo,propterea q́ me nõ poſſe quieſcere,nõ credetis mihi quaſi per ironiam loquẽti:ſiue dixero me ab hoc officio nolle uacare,quia id homini maximum contingit bonum,diebus uidelicet ſingulis de uirtute uerba facere,atq́ de alijs de quibus me quotidie loquentem uos auditis,atq́ ita meipſum alioſq́ ſcrutari,uitamq́ incõſideratam reſpuendam eſſe cenſere,hæc etiam multo minus mihi credetis.Hæc uero ô uiri Athenienſes,ita ut dico,ſe habent, ſed haud facile perſuaderi poſſunt. Et ſimul nunquam malo dignari me conſueui.Quod ſi mihi forent pecuniæ, iudicium pecunijs licerer quantumcunq́ ſoluere poſſem,neq́ obeſſet mihi illas amittere.nũc uero nõ adſunt,niſi fortè quantum ualeo ſoluere,tanti æſtimari uelitis. Poſſum uero fermè argẽti minam. Tanti ergo iudicium liceor.Plato autem hic ô uiri Athenienſes,& Crito,& Critobulus,& Apollodorus iubent me triginta minis liceri.Ipſi uero tantũ uobis promittere parati ſunt.liceor ergo tanti.Promiſſores uero argenti huius hi uobis erunt ſufficientes.Non multi temporis gratia ô uiri Athenienſes,criminandi materiam præbuiſtis uolentibus ciuitatem uituperare, qui ſcilicet Socratem occideritis, uirum ſapientem. Dicent enim illi,licet non ſim, me ſapientem,qui uos uituperare uolent.Si ergo breue tempus expectauiſſetis,abſq́ ueſtra opera me contingebat mori. Videte ætatem meam quàm procul iam ſit à uita, morti uero propinqua.Neq́ uero hæc aduerſus uos omnes dico,ſed aduerſus eos tantũ qui me morte damnarunt.Dico etiam hæc ad hos ipſos. Forſan putatis me, uiri Athenienſes,in iudicio concidiſſe talium uerborum inopia,quibus utiq́ perſuaſiſſem uobis,ſi omnia facienda dicendaq́ putauiſſem,quibus à uobis abſoluerer. Longe uero ſe res aliter habet: Certe ob paupertatẽ damnatus ſum,non uerborum quidẽ,ſed audaciæ atq́ impudẽtiæ, & quia talia apud uos dicere nolui,qualia uobis auditu gratiſſima contigiſſent, audientibus

bus uidelicet me deflentem atq; lamentantem,& alia facientem multa atq; dicentem, ut dixi,me indigna,qualia frequenter ab alijs audire consueuistis. Sed neq; ab initio censui decere ob periculum deuitandum illiberale aliquid facere,neq; nunc me pœnitet hac defensionis ratione usum fuisse. Malo equidem tali quadam defensione fretus,mortem obire,quàm contraria superuiuere. Neq; enim in iudicio,neq; in bello uel mihi uel alteri,omnia quibus uitemus mortem sunt facienda. Nam in prælijs sæpe constat interitum uitari, siquis abiectis armis supplex ad insequentes se cõuertat. Alia quoq; in singulis periculis machinamenta sunt,quibus interitum quis effugiat,siquem non pudeat facere quælibet atq; dicere. Sed considerate ô uiri Athenienses,haud id quidem difficile esse,mortem effugere,sed multo difficilius prauitatem. uelocius enim illa currit quàm mors. Atqui ego nunc utpote ob senectutem tardior à tardiori captus sum,accusatores autem mei utpote uehementes atq; ueloces ab ea quæ uelocior est prauitate. Et nunc quidem ego abeo damnatus à uobis mortem subiturus:isti uero à ueritate ipsa damnati, prauitati iniustitiæq; obnoxij. Atq; ego quidem pœnæ acquiesco,& isti. Hæc igitur fortè sic oportebat se habere,arbitrorq; ea habere se mediocriter. Post hæc aũt uobis qui me condemnastis,cupio diuinare. Nam illuc mihi iam peruentum est,ubi solent homines diuinare,quãdo uidelicet sunt prope mortem. Prædico enim equidẽ uobis,ô uiri Athenienses,si me interfeceritis, supplicium uobis statim post mortem meam esse uenturũ,ac per Iouem multo durius eo quo me affeceritis. Nunc enim id egistis,putantes liberare uos,quo minus rationem uitæ uestræ redarguẽti cuiq; reddere cõpellamini. Id uero contrà omnino uobis accidet. nam plures futuros arbitror,qui uos redarguant,quos ego compescebã,& si uos id non sentiebatis:tantoq; illi infestiores erunt,quanto & iuniores:ideoq; uos grauius id feretis. Profecto si putatis per interfectionem hominũ à uituperatione uos absoluere, nimium aberratis. Non enim est hęc liberatio uel ualida satis uel honesta. Sed illa tam facillima q; optima est,nõ disturbare quidẽ alios,sed seipsum comparare ut q; optimus euadat. Hæc ergo uobis qui me condemnastis,uaticinatus,finem facio. Vobis autem qui me absoluistis,libenter de huiusmodi re quæ contigit,uerba facerem,quamdiu magistratus negocio distinentur,necdum eò uado ubi me oportet mori. Sed, ô uiri, assistite mihi id tempus. Nihil enim prohibet inuicẽ dum licet confabulari. Nempe uobis tanq; amicis demonstrare uolo quod mihi modo accidit,quidnã menti significet. Mihi quidem ô iudices, uos enim iudices recte appellare possum,mirabile quiddã contigit. Vox enim illa dæmonis uaticinatrix,mihi semper in superiore tempore frequenter omnino offerre se consueuit, & in rebus quidem leuissimis se opponẽs,siquid minus recte facturus fuissem. Nunc aũt ea mihi quæ uidetis,acciderũt,quæ profecto putaret aliquis atq; existimaret extrema esse malorum. Sed mihi neq; domo exeunti,mane dei signũ aduersatũ est,neq; dum in iudicium ueniebã,neq; in aliqua sermonis parte dum uerba faciebã, quamuis aliàs frequẽter dum loquerer in medio sermonis cursu consueuerit cohibere. Nunc aũt in hac re nusquam uel agenti uel loquenti est aduersatũ. Quam uero huius rei causam esse putem,uobis aperiã. Apparet enim mihi quod contigit bonum esse. Nec recte ullo modo iudicatur à nobis, quicunq; mortem opinamur esse malam. Cuius quidem rei magna apud me hæc est coniectura,quod signum mihi ut consueuit,repugnauisset,nisi bonum quid acturus fuissem. Cogitare autem hoc pacto possumus:spem multam esse id esse bonum. Duorũ enim alterum mors est. Nam aut tanquã nihil omnino sit,sensum nullum ullius rei retinet is qui decessit è uita:aut quemadmodũ dicitur, permutatio quædam & transmigratio animæ ab hoc in alium locum. Siue ergo nullus remanet sensus,sed tanquã somnus quidam est, in quo quis somnium cernit nullum,admirabile lucrum erit in morte. Reor equidẽ,siquem oporteat ad eam noctem quam natura transigit quiete, ut ne insomnium quidem ullum uideret,alias noctes diesq; uitæ totius cõferre,atq; dicere quot ipse noctes atq; dies in uita melius dulciusq; peregerit:reor,inquã,nedum priuatum aliquem,sed nec magnũ quidem regem,aliquas numerare posse. Si ergo tale quiddam est mors,lucrum esse equidem dico. Etenim nihil plus hoc pacto totum tempus q; nox una esse uidet. Sin autem mors est tanquam transmigratio quædam hinc in alium locum,ac uera sunt quę dicuntur,uidelicet in alio seorsum à nobis loco omnes defunctos esse, quidnam melius q; hoc esse potest ô iudices; siquis enim illuc profectus liber ab ijs qui se profitentur iudices esse,ueros re-

pererit

pererit iudices qui iudicare illic perhibentur, Minoem, Rhadamanthũ, Æacum, Tripto lemum, aliosq; quotcunq; semidei iuste uixerunt, nunquid eiusmodi transmigratio paruipendenda censebitur? Rursus Orpheum Musæumq; conuenire & Hesiodũ, & Home rum, quàm multo aliquis nostrum redimeret? equidem si hæc uera sunt, sæpius mori uelim. Quippe cum mihi in primis mirifice grata sit futura habitatio illa atq; consuetudo: quandoquidem unà cum Palamede futurus sum, & Aiace Telamonis filio, & alijs antiquorum quicunq; falso damnati iudicio decesserunt è uita: apud quos meos casus cum illorum casibus conferre utrinq;, ut arbitror, non iniucundum foret. Illud præterea maximum, illic degere scrutantem singulos atq; examinantem quemadmodum hic feci, quisnam illorum sapiens sit, & quis cum non sit, se tamen existimet sapientem esse. Proinde quanti faciendum ô iudices perscrutari ducem qui tantum ad Troiam duxit exercitum? uel Vlyssem, uel Sisyphum, aliosq; quãplurimos, quos referre quis potest uirosq; & mulieres, quibus cum loqui atq; examinando uersari, inæstimabilis prorsus felicitas esset? Si quidem huius causa qui illic degunt haud amplius moriũtur, suntq; illi nobis & in rebus alijs beatiores, & in eo insuper quod reliquũ iam tempus permanent immortales, si quidem uera sunt quæ dicuntur. Vos quoq; ô iudices bene de morte sperare debetis, idq; unum cogitare uerum esse, uiro uidelicet bono nihil mali accidere posse, neq; uiuẽti, neq; defuncto, neq; res illius à dijs negligi. Neq; uero mea nunc casu aliquo acciderunt, sed mihi id constat, mori iam & à laboribus liberari, mihi melius extitisse. Atq; hanc ob causam diuinum illud signum mihi nõ obstitit. Equidem haud admodum his indignor qui accusarunt me uel condemnarunt, quãuis non hac mente accusauerint me atq; damnauerint, sed quia detrimentum mihi inferre sperabant. Ob hoc utiq; illis est succensendũ. Sed iam ad eosdem illos reuersus, sic eos alloquor. Tantum tamẽ uos precor ô uiri, ut meos quoq; filios cum adoleuerint, si ipsi similiter atq; ego uobis molesti sint, pœnis similiter afficiatis, præsertim si uideantur uobis uel pecuniarũ, uel alterius cuiusquam rei maiorẽ q; uirtutis curam habere: atq; si uideri uelint putẽt ue se alicuius esse precij, cum nullius sint, illos obiurgetis, quemadmodũ ego uos, quod non illis incumbant quibus est incumbẽdum, ac existimẽt cũ nullius precij sint, se aliquid esse. Quod si hęc feceritis, iusta à uobis passus fuero egoq; & filij. Sed iam hora est hinc abire, me quidem ut moriar, uos autem ut uitam agatis. Vtri uero nostrum in melius eant, omnibus præterquam deo est incertum.

Immortalitas animorũ

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI in Critonem, ad Laurentium Medicem uirum magnanimum.

QVEMADMODVM Apologiæ, ita Critonis quoq; tam ordinata, tam plana dispositio est ut argumento non egeat. Aduerte tamen in primis Socratem, sicut in Apologia uigilans uaticinatus est, sic in Critone dormientem uaticinari, ut cognoscas sapienti pioq; uiro deum & uigilanti & dormienti semper adesse. Ex omnibus autem collige euangelicæ doctrinæ confirmationẽ. Approbationem martyrum. Exemplar iustitiæ. Incomparabilem fortitudinem. Contemptum mortalium. Desiderium æternorum. Religionis deniq; fundamentum. Quid memorem uulgi opinionem contemnendam esse, sapientis duntaxat sententiam, immo ueritatem ipsam esse colendam? Quid rursus, non uiuere quidem, sed bene uiuere exoptandũ? Item inimicis maleficiendum esse nunquam, neq; iniurias ulciscendum? Rursus & periculũ mortis interitumq; subeundum potius quàm peccandum? Quid referam obseruantiam legum singularem? & inextimabilem patriæ charitatem? Quam & parentibus & uitæ proculdubio anteponit, ob hanc, ut ipse inquit, rationem, quo in alteram profectus uitam, ualeat æterno iudici æquam anteactæ uitæ reddere rationem, neq; leges quæ illic imperãt humanarũ legum sorores expaueſcere compellatur. Concludit deniq; rationes iustitiæ fauentis mentis suæ auribus usq; adeo insonare, ut alia audire non possit, frustraq; conaturũ, quicunq; pergat dissuadere. Addit ea solum uia esse pergendum, qua deus, id est ratio diuinitus infusa, perducit.

CRITO VEL DE EO QVOD AGENDVM

SOCRATES CRITO.

CVR hac hora ueniſti, ô Crito? An non ualde adhuc eſt ante lucem? CRI. Valde quidem. SOC. Quando uero maxime? CRIT. Profunda aurora. SO. Admiror quemadmodum ipſe cuſtos carceris tibi obtemperare uoluerit. CRIT. Familiaris iam mihi eſt, ô Socrates, ob crebrum huc aduentum meum. Præterea beneficij à me nonnihil accipit. SOCR. Veniſti ne modo? an iam eſt dudum? CRIT. Satis dudum. SO. Proinde cur non ſtatim me excitaſti, ſed ſilentio aſſediſti? SOC. Nunquam per Iouem, ô Socrates, excitaſſem. Neq; enim ipſe uellem in tanto dolore euigilare. Sed te iamdudum admiror, ſentiens q; ſuauiter dormias. Et conſulto non excitaui te, ut quàm placidiſſime degeres. Equidē & per omnem uitam ob huiuſmodi morem beatū te iudicaui, maxime uero in præſenti calamitate, quòd eam tam facile ac placide feras. SOC. Perabſurdum eſſet ô Crito, ſiquis tam grandis natu imminentem mortem moleſte ferat. CRIT. Sed & alij, ô Socrates, æque ſenes ſimilibus calamitatibus opprimūtur, quos tamen ætas ab afflictione quā ſors preſens affert ſecū, non liberat. SOC. Ita eſt. Sed cur nam adeo mane ueniſti? CRIT. Nunciū, ô Socrates, ferens acerbum: non tibi quidem, ut mihi apparet, ſed mihi potius & familiaribus tuis omnibus & acerbum & grauem. Quod equidem inter grauiſſima, ut arbitror, numerauerim. SOCR. Quid nam hoc? Nunquid nauis ex Delo iam rediit? qua reducta mihi eſt moriendum. CRIT. Nondum rediit quidem, ſed reditura uidetur hodie, quēadmodum nunciant nonnulli è Sunio uenientes, qui ibi eam reliquerunt. Conſtat ergo ex his nunciis, hodie eſſe uenturam, ideoq; neceſſarium fore te cras, ô Socrates, è uita decedere. SO. Bona ô Crito, fortuna. Si ita diis placet, ita eſto. nō tamen exiſtimo illam hodie rediturā. CRIT. Vnde nam id coniectas? SO. Dicam equidem, ſiquidem poſtridie quàm nauis redierit, mihi eſt obeundū. CR. Sic utiq; aiunt hi, penes quos rei huius poteſtas eſt. SO. Itaq; non hac die uenturā puto, ſed altera. Coniecturā uero ex ſomnio quodam accipio, quod paulo ante hac ipſa nocte mihi uiſum eſt, opportuneq; uideris ſomnū mihi nō perturbaſſe. CR. Sed quale id ſomniū erat? SO. Videbatur mihi mulier quædam adueniens pulchra & aſpectu grata, ueſtes habens candidas, uocare me, atq; dicere, O Socrates, tertia hinc die Phthiam peruenies latiglebā. CR. Quàm mirū id inſomniū, Socrates. SOCR. Manifeſtum tamen, ut mihi uidetur. CR. Manifeſtū certe. Sed, ô beate Socrates, etiam nunc crede mihi, ac ſaluus eſſe uelis. Mihi enim ſi tu obieris, non una tantū calamitas imminet: ſed præter id quod te orbatus fuero tali neceſſario, qualem alterum nunquam reperiā, uidebor utiq; multis qui neutrū noſtrum ſatis nouerint, cum potuiſſem te ſeruare ſi minus pecuniis pepercíſſem, te penitus neglexiſſe. Atqui quænā maior poteſt eſſe infamia, quàm uideri pluris feciſſe pecunias quàm amicos? Non enim poterit perſuaderi cōpluribus te hinc abire noluiſſe, nobis quo id ageres omni ſtudio contendentibus. SOC. Quid uero à nobis, ô beate Crito, tanti uulgi opinio extimatur? Probatiſſimi enim uiri, quorū magis habenda ratio eſt, hæc ita geſta eſſe ut geſta ſunt, arbitrabuntur. CR. Attamen uides, ô Socrates, compelli nos opinionem quoq; uulgi curare. Præſentia enim hæc declarant poſſe uulgus non minima malorum, imò ferè maxima, ſi quis in populo calumniis agitetur, inferre. SOCR. Vtinam, ô Crito, poſſet uulgus maxima inferre mala, ut uiciſſim maxima poſſet bona. & bene quidem ſe res haberet. neutrum uero poteſt, quippe cum neque prudentem, neq; imprudentem efficere ualeat. Faciunt uero quod libet, utcunq; contingit. CR. Hæc quidem ita ſe habeant, Ad id uero Socrates mihi reſponde, num forte mei cæterorumq; neceſſariorum tuorum reſpectus te retinet, ne ſi hinc euaſeris, calūniatores nos poſtea uexent, quaſi te hinc furati fuerimus, cogamurq; uel totum patrimonium, uel permultas pecunias amittere, uel præter hæc aliud quippiam pati. Siquid tale times, curam eiuſmodi pone. Iuſtum nanq; eſt, nos tuæ ſalutis gratia non hoc ſolum, uerum etiā ſi opor tuerit maius aliud ſubire periculum. Verum mihi obtempera, neq; aliter facias. SOCR. Et hæc equidem & alia multa, ô Crito, conſidero. CRIT. Ne igitur hæc uereare. Neq; enim multum eſt argentum quod poſtulant hi qui ſeruare te atq; hinc educere pollicentur. Vides præterea quàm tenues ſint calumniatores tui, ut non magna ad eos placandos largi-

tione sit opus. Tibi uero pecuniæ adsunt meæ ad hoc, ut opinor, sufficientes. Proinde si quo mei respectu adductus nõ putas meas pecunias erogandas, adsunt hospites hi parati persoluere, quorũ unus etiã huc attulit sufficientẽ pecuniã ad hoc ipsum paratã Simmias Thebanus. Ad hoc ipsum promptus est & Cebes, aliíq; permulti. Quamobrem, ut modo dicebã, nihil tale metuas, quo minus serues teipsum. Sed neq; etiã illud quod in iudicio dixisti, te remoreẽ, si hac urbe exires, quò te ipsum uerteres te minime habiturũ. Aliís eñ multis in locis quoeũq; profectus fueris te homines colent: ac si uelis in Thessaliam te cõferre, reperies illic hospites meos, qui te libentes libentissime cõplectentur, tutumq; præsidio suo adeo reddẽt, ut nemo in Thessalia tibi iniuriã sit facturus. Accedit ad hæc, ô Socrates, quod rem minime iustã aggredi uideris, si cum saluus esse possis teipsum perdas, taliaq; contra te facere studeas, qualia inimici ipsi tui cõtenderent, cõtenderuntq; te perdere properãtes. Proinde filios quoq; tuos perdere mihi uideris. quos cum liceat tibi educare atq; erudire, deseris omnino, & quantũ in te est, eorũ mores fortunæ cõmittis. Accident uero eis uerisimiliter qualia euenire orphanis cõsueuerunt. Profecto oportebat nõ genuisse filios: aut in eis educandis eruditionẽq; laborẽ nõ recusare. Tu uero mihi uideris quæ elegisset uir segnis ac piger, nũc elegisse: decebat aũt cõtrà uiri boni fortisq; eligere, præsertim te per omnem uitam uirtutis studiũ profitentẽ. Itaq; non possum tua nostraq; uice familiariũ tuorũ non erubescere, ueritus ne tota hæc res tua ignauia quadã nostra sic tractata fuisse uideat. Et primũ quidem ille tunc in iudicium ingressus cum liceret non ingredi, deinde concertatio ipsa iudicij similiter acta, & extremus hic finis, tanq; ridiculum quiddam per ignauiam segnitiẽq; nostrã effugisse nos uidebit, quod nec nos te seruaueri mus, neq; tu ipse te, cũ id fieri absq; magna difficultate potuerit, si uel parũ in nobis usus industriæq; fuisset. Hæc igitur, ô Socrates, considera, ne præterq; quod mala sunt etiã dedecori tibi nobisq; sint, sed tibi cõsule: Imò uero nõ iam amplius cõsulendi tẽpus, sed consultũ iam esse oportuit. Vnicũ uero consiliũ est, uidelicet uenienti hac nocte cuncta hæc facta esse oportere. Sin aũt ultra tardamus, nihil omnino fieri ulterius poterit. Quamobrem omnino mihi adhibe fidem, ô Socrates, nec ullo modo aliter facias. SO. O amice Crito studiũ hoc tuum permulti faciendum esset, si qua ratione recta susceptum esset. Sin minus, quanto uehementius est, tanto molestius. Considerandum est igitur, agenda ne hæc nobis sint, an non. Nam ego is sum non modo nunc sed & semper, qui meorum nulli patream præterq; rationi quę ratiocinanti mihi optima uideaẽ. Rationes itaq; illas quibus superioribus temporibus usus sum, nec nunc quidem postq; in hanc fortunã incidi reijcere possum, sed similes mihi ferme apparẽt, easdemq; in præsentia quas & prius ueneror atq; profiteor, adeo ut nisi nũc meliores afferre possimus, planè scire debeas me tibi non concessurum, non si etiã plura q; nunc multitudinis potentia cõminata nos tanquam pueros laruali terribilicq; facie perterrere conetẽ, pœnam, & damna, catenas, cædes obijciens. CR. Qua' nam igitur ratione paululum considerabimus? SOC. Hac utiq;, si id quod tu de opinionibus paulo ante dicebas, resumamus, utrum semper recte se habeat nec ne, oportere scilicet quarundam opinionũ rationem habere, quarũdam uero minime. An forte prius quàm in periculum mortis inciderem, recte id dicebaẽ: nunc uero constat frustra disputationis gratia ita dictũ fuisse, cũ reuera ioco cuidam nugisq; esset addictũ. Cupio equidẽ, ô Crito, unà tecum considerare, nunquid sermo ille prior alienus appareat mihi nunc in hac fortuna constituto, an prorsus idem qui & prius: atq; utrum dimittendus sit à nobis, uel ipsi obtemperandũ. Considera igitur an non sufficienter tibi dici uideẽ non oportere omnes opiniones hominũ sequi, sed alias quidẽ sequi, alias uero negligere, neq; omniũ quidem, sed duntaxat quorundam. Quid ergo dicis? hæc nõ recte dicuntur? CR. Recte. SOC. An non bonas honorare decet, malas uero contemnere? CR. Ita decet. SOC. Bonæ autem nónne prudentum? Malæ contrà sunt imprudentum? CR. Quid ni? SOC. Age uero quo' nam modo rursus talia dicebantur. Qui in gymnasiis se exercet, utrum cuiuslibet hominis laudi uel uituperationi mentem adhibebit, an illius tantum qui medicus sit aut gymnasii magister? CR. Huius solius. SOC. An non timere decet uituperationes, & optare laudes illius unius potius quàm multorum? CR. Proculdubio. SOC. Hac itaq; ratione illi agendum est exercendumq; & edendum atq; bibendum, qua illi unico uideatur qui præsideat intelligatq;, potius q; ut uidetur uulgo. CR. Vera hæc sunt. SOC. Quid uero si illi uni

illi uni non pareat, opinionemq; eius & commendationes nihili pendat, honoret uero multorum ignorantumq; commendationes, nunquid à malo tutus erit? CRIT. Minime. SOC. Quid autem est id malum, & quo nam tendit, & in quam non obedientis partem? CRIT. In corpus uidelicet, hoc enim corrumpitur. SOC. Recte dicis. Nonne & de alijs, ô Crito, eadem ratio est? Ne omnia percurramus, de iustis inquam iniustisq;, de turpibus & honestis, bonisq; & malis, de quibus in præsentia nobis consultatio est utrum multorum opinionem sequi uereriq; debeamus, an unius potius qui intelligat, quem decet & uenerari & timere magis quam cunctos alios. Cui nisi obtemperauerimus, lædemur & corrumpemur in eo quod iusto quidem melius fieri, iniusto autem corrumpi soleat. An nihil id est? CRIT. Id quidem, ô Socrates, arbitror. SOC. Age uero, si id quod à salubri quidem fit melius, ab insalubri uero corrumpitur, corruperimus imperitorum potius quam peritorum sequuti iudicia, an nobis eo destructo uiuendum erit? Est autem id corpus, nonne. CRI. Corpus. SOCR. Nunquid ergo uiuendum nobis cum deprauato corpore atq; destructo? CRI. Nullo modo. SOC. An forte cum illo uiuẽdum est nobis corrupto, quod iniusto quidem lædit, iusto uero iuuatur? Nunquid uilius illud quàm corpus existimamus, quicquid illud est è nostris, circa quod iustitia iniustitiaq; uersatur? CRIT. Nullo modo. SOC. Sed precioſius? CR. Valde. SOC. Non igitur, ô uir optime, admodum nobis curandum est, quid de nobis multi loquantur, sed quid dicat is unus qui intelligit iusta & iniusta, atq; ipsa ueritas. Quamobrem primo quidem non recte adduxisti, opinionem uulgarem de rebus iustis & honestis & bonis harumq; contrarijs esse alicuius existimandam. At uero dicet aliquis, posse uulgus nos interficere. CRI. Nimirũ dici id potest, ô Socrates. SOCR. Vera loqueris. Sed ô mirabilis, hæc ratio quam percurrimus superiori similis esse uidetur. atq; hanc rursus considera, utrum nobis maneat nec ne, uidelicet, non multi faciendum esse uiuere, sed bene uiuere. CRIT. Manet quidem. SO. Sed hoc quoq; manetne? bene & honeste & iuste uiuere idem esse? CR. Constat. SOC. Igitur ex his quæ confessi sumus, hoc considerandum, utrum iustum sit conari me hinc exire Athenienſibus non dimittentibus, uel iniustum: ac si appareat iustum esse, tentemus, si minus, omittamus. Quas uero tu affers cõsiderationes de pecuniarum sumptu, de uulgari opinione, de filijs educandis: cauendum est, ô Crito, ne excogitationes reuera horum multorum sint, qui facile interficiunt, atq; eorum qui similiter inquam, si possent, reuiuiscerent, & id quidem absque mente. Nobis uero quandoquidem sic exigit ratio, nihil aliud attendendum est quàm quod modo dicebamus, utrũ agemus iusta pecunias largiendo, gratiamq; habendo his qui me hinc educant: utrum inquam in hoc agamus iusta nos quidem educti, illi uero educentes, an potius utrinq; in his omnibus agendis agamus iniuste: atque si appareat nos iniqua aggredi, ne excogitandum quidem id est, sed mansuete subire decet & mortem & quoduis aliud supplicium prius quàm quicquam agamus inique. CR. Recte loqui uideris Socrates. Considera tamen quid agamus. SOC. Consideremus, ô bone uir, unà. Ac siqua in parte me dicentem redarguere poteris, redargue. ego enim assentiar. Sin minus: desine quæso, ô uir beate, iam totiens eadem uerba repetere, oportere scilicet me hinc Athenienſibus inuitis abire. Equidem multi facio persuaso te hęc agere, nõ autem inuito. Attende itaq; nunquid considerationis initium tibi sufficienter dictum sit, conareq; quod rogatus sis ita respondere, ut maxime censeas respondendum. CR. Conabor equidem. SOCR. Dicimus sanè nullo modo sponte esse iniuriandum. An forte quodam pacto iniuria facienda est, aliter uero nequaquã? uel potius iniuriari nullo modo uel bonum est, uel honestũ, quemadmodum in superiori tẽpore sæpe confessi sumus? Quod quidem & nuper est confirmatum. An forte omnes illæ superiores conuẽtiones nostræ in paucis his diebus prorsus euanuerũt, ac iamdiu nos tam grandes natu homines, ô Crito, tamq; studioſe inuicem differẽtes latuit nihil à pueris nos differre? An potius sic prorsus res se habet, ut iamdiu dicebamus, siue affirmet id multitudo, siue neget, & siue grauiora præsentibus, siue leuiora subire cogamur? Attamen iniuriã facere, omnino malum turpeq; esse fatemur illi ipsi qui facit, an non? CR. Fatemur certe. SOC. Quamobrem nullo modo iniuriandum est. CR. Nullo equidem. SOC. Neq; si iniuriam passus fueris, ulciscendum, ut uulgus putat. siquidem nullo modo iniuriandum. CRIT. Ita uidetur. SOCR. Quid uero? mala alicui facere decet ô Crito, an non? CRIT. Non certè, ô Socrates. SOC.

Quid autem qui mala patitur, num mala uiciſſim referre illi debet qui intulit, ut uulgo uidetur? Iuſtum ne id eſſet an iniuſtum? CR. Iniuſtum. SOC. Nempe mala inferre hominibus non diſcrepat ab iniuria. CR. Vere loqueris. SOC. Nec igitur ulciſci decet, nec malefacere cuiquam hominũ, quodcunq; ab aliis ipſe paſſus fueris. Et uide, ô Crito, nequid dum hæc concedis, præter ſententiam tuam nobis aſſentiare. Perpaucis enim, ſcio quid loquar, ſic uel apparet uel apparebit. At uero quibus ſic apparet, & quibus aliter, his non eſt cõmunis deliberatio, ſed neceſſe eſt eos cum ultro citroq; conſilia ſua reſpiciunt, inuicem ſe deſpicere. Animaduerte igitur & tu diligenter, utrum tibi mihiq; cõmunis ſit hæc opinio, mecumq; ſentias, atq; utrum ab hoc principio exorſi deliberemus, quaſi nunquã rectum ſit uel iniuriari, uel ulciſci iniuriam, uel malum referre in eum qui intulit. An hic diſcedis à nobis in hoc principio non conſentiens? Mihi quidem & iamdiu, nunc ita uidetur. Quod ſi tibi apparet aliter, dic, & doce. Sin autem in ſuperioribus permanes, iam quid ſequatur audi. CR. Conſentio equidem & permaneo, dic igitur. SOC. Dico ergo deinceps, imò potius interrogo, utrum quæ quis confiteatur alicui iuſta eſſe, facere debeat, an fallere? CR. Facere. SOC. Ex his iam ita conſidera. ſi nos hinc abeamus præter ciuitatis conſenſum, utrum male aliquibus faciemus, & his quidem quibus minime decet, uel non: & utrum in his permanebimus quæ iniuſta eſſe conuenimus, uel contrà. CRI. Nequeo equidem, ô Socrates, ad hæc reſpondere. Nec enim intelligo. SOC. Verum ita conſidera, perinde ac ſi uolentibus nobis hinc ſiue aufugere, ſiue quomodocunq; hoc uocandum eſt, ueniant leges, ciuitatisq; huius reſpublica, & inſtantes nobis ſic inquiãt. Dic nobis, ô Socrates, quidnam cogitas facere? An non intelligis hac re quam aggrederis, te nobis legibus, totiq; patriæ quantũ in te eſt interitum machinari? An putas ciuitatem ullam amplius ſtare poſſe, ac non ſubuerti in qua iudicia publica nullam uim habeant, ſed à priuatis hominibus contemnantur atq; frangantur? Quid ergo dicemus ad hæc ô Crito aliaq; huiuſmodi? Permulta enim in hanc ſententiam afferre quis poteſt, præſertim orator pro lege ita ſoluta declamans, quæ quidẽ ſententias publico iudicio latas iubet ratas eſſe. An reſpondebimus illis ciuitatem nõ recte iudicãdo nobis iniuriam intuliſſe? Ita ne an aliter? CR. Ita per Iouem, ô Socrates. SOC. At enim leges ipſæ ſic reſponderent. O Socrates nónne nobis tecũ id cõuenit, ſtandum tibi eſſe iudicijs, quæ ciuitas tulerit? Quod ſi leges ita loquentes admiraremur, forte dicerent: Noli Socrates quę modo diximus admirari. imò reſponde, cum tibi & interrogare & reſpondere ſit cõſuetũ. Dic age quid nã nobis ciuitatiq; ſuccenſeas, quo diſſoluere nos cõtendas. Principio nónne te genuimus? atq; per nos pater tuus matrẽ accepit tuã, & produxit te? Dic ergo, an has inter nos leges quæ ſunt circa cõiugia improbes, atq; his aliqua in parte quaſi minus rectis ſuccẽſeas. Nihil ſuccenſeo dicerẽ. Sed an his legibus quæ educationi eruditioniq; natorũ prouidẽt, in qua ipſe quoq; eruditus es? an non recte diſpoſuerunt hæ leges ad hoc officium conditę, cum iuberent patrem tuũ in muſica te & gymnaſtica erudire? Recte diſpoſuiſſe concederem. Age ergo, poſtquam per nos genitus es educatusq; ac eruditus, primo quidem nũ potes negare te noſtrum eſſe & natum & ſeruum, ipſumq; te & progenitores? Deinde cum id ita ſe habeat, an putas ius ex æquo tibi atq; nobis eſſe, & quæ nos tibi facere aggrediamur, eadem uiciſſim in nos abs te referri iuſtum eſſe iudicas? An cum nec ad patrem, nec ad dominum ſi eum habeas, tibi ius ex æquo ſit, ut quæ ab illis patiare in eos referre poſſis, nec ſi iurgio hi te laceſſant, contra iurgare, nec ſi te uerberent, uiciſſim uerberare, nec alia eiuſmodi in eos tentare liceat: contra patriam uero ac leges tibi licebit? Adeo ut ſi nos iudicantes id eſſe iuſtum, interficere te uelimus, tu uiciſſim nos leges & patriam pro uiribus coneris occidere, dicasq; te in his agendis iuſta facere, qui uirtutis curam reuera habere profiteris. An ſic es ſapiẽs ut te latuerit et patri & matri & progenitoribus omnibus patriã eſſe anteponendã? atq; eſſe uenerabilius quiddã ſanctiusq; et in ſuperiori ſorte, tum apud deos, tũ apud homines mentis cõpotes eſſe patriã collocandam, colereq; eam oportere magis, eiq; obedire, ac rigidius ſe gerenti mitius aſſentiri quàm patri, & ſiquid iubeat uel diſſuadere illi quantum liceat, uel facere, & patientiſſime ſuſtinere quicquid iuſſerit patiendum? Ac ſiue mandauerit uerberari te, ſiue in uincula conijci, ſiue in prelium miſerit ad uulnera excipienda mortemq; ſubeundam, obediendum eſt omnino. Ius enim ita dictat, & nec tergiuerſandum, nec fugiendum, nec ordinem deſerendum,

ſed &

ſed & in bello, & in iudicio, & prorſus ubicꝙ ea ſunt quæ reſpublica patriaꝙ iuſſerit, facienda: aut certe uerbis quatenus iuſtum eſt, uti licet ad perſuadendum illi, eamꝙ placandam. Vi autem uti nefas eſt, uel contra matrem, uel contra patrem, maxime uero omnium contra patriam. Quid nam ad hæc dicemus Crito, uera ne loquí leges, an contra? CRIT. Mihi quidem uidentur. SOCRAT. Proinde leges forte dicent animaduerte, ô Socrates, utrum uere dicamus te iniuſta contra nos aggredi. Nos quidem quæ te & alios ciues genuimus, educauimus, nutriuimus, participes bonorum omnium quæ in noſtra erant poteſtate effecimus: tamen permiſimus cuilibet Athenienſium cognitis iam ciuitatis moribus legibusꝙ & reipublicæ gubernandæ forma, ſi cui non placeamus, licere acceptis ſuis quocunque placuerit hinc abire. Nec ulla ex nobis legibus impedit aut denegat, ſiue quis ueſtrum cui nos ciuitasꝙ minime placeamus, in coloniam aliquam hinc uelit diſcedere, ſiue habitationem aliò transferre cupiat, quo minus id pro arbitrio facere ualeat, ſecumꝙ ſua perferre. At uero quicunꝙ ex uobis, poſtquam cognouerit quemadmodum nos iudicia diſponimus, & in cæteris omnibus regimus ciuitatem, permanſerit tamen, hunc iam aſſeueramus opere ipſo conueniſſe nobiſcum quæcunque iuſſerimus ſe facturum. Atꝙ eum qui non paruerit, tripliciter iniuriari cenſemus, & quod genitricibus nobis non obtemperat, & quod nutricibus non obſequitur, & quod pactus nobis obedire, neꝙ obedit, neque perſuadere nobis ſtudet, ſi quid minus recte facere uideamur. Cumꝙ præcepta noſtra libere proponamus, neꝙ mandemus rigide, ſed permittamus alterum è duobus, aut uerbis perſuaderi nobis, aut mandata explere, tu horum neutrum facis. His ergo criminibus te, ô Socrates, obnoxium iudicamus fore ſi quæ cogitas feceris, nec minime Athenienſium te, ſed maxime omnium. Ac ſi cauſam requiram ob quam præ cæteris ſim obnoxius, forte iuſte me remorderent, dicentes me maxime omnium Athenienſium ciuitatis legibus conſenſiſſe. ſic enim inferrent. Magna nobis, ô Socrates, horum ſunt argumenta, tibi nos ciuitatemꝙ placuiſſe. Nunquam enim maxime omnium Athenienſium continuas in ea moras traxiſſes, niſi tibi mirifice placuiſſet. Itaꝙ nec ſpectaculi gratia, urbe unquam egreſſus es, niſi ſemel in Iſthmum, nec aliò uſquam niſi in militia, neꝙ aliam feciſti peregrinationem unquam, quemadmodum cæteri ſolent, neꝙ alterius ciuitatis te cepit cupiditas aliarum ue legum: ſed nos tibi noſtraꝙ ciuitas ſatisfecimus, uſqueadeo uehementer probaſti nos, noſtrisꝙ moribus uictu rum te conſenſiſti, tum in cæteris rebus, tum quia in ea filios procreaſti, utpote quæ tibi placuerit. Quinetiam licebat tibi in ipſo iudicio exilium poſtulare ſi uoluiſſes, atꝙ quod nunc inuita ciuitate aggrederis, tunc ea uolente poteras facere. Tu uero uerbis tunc te extuliſti, quaſi non grauiter ferres ſi mori te oporteret. Quinimo mortem ipſam, ut dicebas, potius quam exilium elegiſti. Nunc uero nec uerba illa tua erubeſcis, neꝙ nos leges uereris, ſed nobis interitum machinaris. Facis autem quod deterrimus faceret ſeruus fugam arripere tentans contra pactiones conuentionesꝙ, in quibus conueniſti nobiſcum noſtris te præbens inſtitutionibus gubernandum. Primum reſponde nobis, num idipſum uere dicamus, conſenſiſſe non uerbis ſed re ipſa moribus noſtris gubernari debere. An non uera hæc ſunt? Quid ad hæc dicemus Crito, an non confitebimur? CRIT. Neceſſe eſt, ô Socrates. SOC. Nónne igitur, leges inquient, conuenta nobiſcum & pacta tranſgrederis, quæ neꝙ coactus es nobiſcum inire, neꝙ deceptus, neꝙ ad breue tempus deliberare ad hæc eligẽda es cõpulſus, ſed annos ſeptuaginta deliberare licuit? Quo in tempore licuit & abire, niſi tibi placuiſſemus, conuentionesꝙ iuſtæ tibi uiſæ fuiſſent. Tu uero nec Lacedæmonem, neque Cretam nobis antepoſuiſti, quas ipſe urbes aſſidue prædicas recte gubernari, neꝙ aliam ullam, uel Grẽcarũ ciuitatum, uel Barbararum. Imò ex hac rarius peregrinatus es quàm claudi & cæci mancíꝙ alij ſoleant. Vſqueadeo Athenienſis tibi præ cæteris ciuitas placuit, atꝙ nos, uidelicet leges. Cui enim placere poteſt ciuitas, cuius non placeant leges? Nunc uero non permanes in his, in quibus iamdiu nobis tibiꝙ conuenit. Permanebis certe ſi nobis crediderís, ne egrediens urbe deridendus euadas. Conſidera rurſus ſi hæc tranſgreſſus fueris, & ea quæ inique cogitas perpetraueris, ad quid tandem id uel tibi, uel neceſſarijs tuis conducet, cuíꝙ enim conſtat in periculo neceſſarios tuos fore, ne ipſi quoꝙ in exilium expellantur priuenturꝙ ciuitate, & patrimonio

trimonio ſuo expolientur. Tu autem ſiquam in ciuitatem finitimam te contuleris, uel Thebas, uel Megaras, utræque enim gubernantur recte, hoſtis primum rei publicę illius accedes, & omnes quibus curæ eſt patria, deſpicient abominabunturq; te, corruptorem legum exiſtimantes. Ideoq; confirmabis eorum qui te damnarunt opinionem, ut recte contra te tuliſſe ſententiã uideantur. Quiſquis enim corruptor eſt legum, is potiſſimum & iuuenum imperitorumq; hominum uidebitur eſſe corruptor. Quid ergo? ciuitates ne quæ recte gubernantur, & modeſtiſſimos quoſq; homines deuitabis? Atqui ſi id feceris, uitane dignus eris? an forte impudenter te his admiſcebis, nec erubeſces de eiſdem apud eos diſſerere, de quibus apud nos conſueuiſti? uirtutem uidelicet & iuſtitiam, legesq;, & inſtituta legum plurimi eſſe exiſtimanda? neque putas abſurdum, & ab his diſſonans apparere Socratis factum? Proculdubio putandum eſt. Forte uero ciuitates has declinans in Theſſaliam ad Critonis hoſpites abibis. Illic enim abſque ordine & temperantia uiuitur. Ac forſan libenter illi te audient, narrantem quemadmodum è carcere ridicule fugeris: ut faſcem quendam tibi ſuperimponens, aut corio tegens, uel alijs quibuſdam te inuoluens, quemadmodum ſolent qui fugam furripiũt, & in alienam figuram te tranſmutãs illinc aufugeris. Quemadmodum uero uir ſenex paruo admodum tempore ut ueriſimile eſt uicturus, auſus fueris ob uiuendi cupiditatem in tam ſordida inopia uiuere, maximas tranſgreſſus leges, nullus ne dixerit? Forte ſi neminem offenderis. Alioquin multa, ô Socrates, atq; indigna te audies. Viues autem obnoxius cunctis hominibus atque deſeruiens. Quid uero facies in Theſſalia? Conuiuia ne frequentabis? utpote qui in Theſſaliam quaſi ad cœnam aliquam aduentaueris? Diſputationes uero illæ de iuſtitia, cæteriſq; uirtutibus ubinam ulterius nobis erũt? Enimuero filiorum gratia uiuere cupis ut nutrias eos atq; erudias. An ergo in Theſſaliam eos perduces, ut illic nutrias eos, atq; erudias, hoſpites eos efficiens, ut hoc inſuper commodi abs te reportent? An id quidem non facies, hic uero relicti melius te uiuo alentur, atq; erudientur à neceſſarijs tuis te abſente? Vtrum uero ſi in Theſſaliam abibis, tui id curabunt: ſin autem in alteram tranſibis uitam, non curabunt? Profecto ſiquid opis eſt in his qui aiunt ſe tuos neceſſarios eſſe, credendum eſt curaturos. Cæterum, ô Socrates, fidem nobis adhibens nutricibus tuis, neq; filios tuos, neq; uitam, neque aliud quicquam pluris facias quàm iuſtitiam, ut cum in uitam alteram tranſmigraueris, ualeas illic præſidibus horum omnium reddere rationem. Nempe ſi leges tranſgreſſus hæc feceris, neq; melius, neq; iuſtius, neq; ſanctius id uel tibi continget, uel tuis, neque illuc tibi profecto conducet. Quin potius iniuriam paſſus abito, ſi abieris, non à nobis quidem legibus, ſed ab hominibus. Verum ſi adeo turpiter aufugeris, etiam uerſa uice iniurias malaq; referens, conuentiones nobiſcum initas & promiſſa tranſgreſſus, atq; lędens eos quos minime oportebat, teipſum ſcilicet & amicos & patriam, nosq; leges, nos utiq; & uiuenti tibi infenſæ hic erimus, & in altera uita leges quæ illic ſunt noſtræ ſorores, haudquaquam te benigne recipient, ſcientes te nos pro uiribus diſperdere conatum fuiſſe. Quamobrem ne Crito aliter tibi quàm nos perſuadeat, caueto. Hæc equidem ô dulcis amice Crito, audire uideor, quemadmodum Corybantes tibias audire ſe putant. Atq; in me ſermonum eiuſmodi ſonitus adeo reboat, ut alia audire non poſſim. Vides quæ in præſentia mihi apparent: quibus ſiquid contradicere aggrediaris, fruſtra conabere. Veruntamen ſiquid te profecturum confidis, dicas. CRIT. Ego uero quod dicam, ô Socrates, nihil habeo. SOC. Deſine ergo Crito, & pergamus hâc quã doquidem hâc nos Deus ipſe ducit.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI IN PHAEDONEM.

NOSTER *de religione liber rem ſatis per ſe notam probat, Chriſti uitam eſſe uirtutis totius ideam. Octauus autem Epiſtolarum noſtrarum liber, Socratis uitam, uitæ Chriſtianæ imaginem quandam, aut ſaltem umbram eſſe demonſtrat: & teſtamentum quidem Vetus per Platonem confirmat, nouum uero per Socratem. Quod autem ad Socraticam hanc ſpectat ſimilitudinem, ſi quis dubitat, Xenophontem atq; Platonem legat, & cæteros qui dicta ſimul actaq; Socratis*

Socratis conscripserunt, præcipue Platonis Gorgiam, & Apologiam, Critonem atque Phædonem. Huius ergo Phædonis deinceps argumentum passu, immo saltu celeri percurremus. Eius enim mysteria satis in theologia exposuisse uidemur. Vnum hoc in primis admonebimus, ne quis admiretur Socratem inter argumentationes ad immortalitatem animæ pertinentes, prætermisisse hic illam, qua sola confidit in Phædro, Animam scilicet esse principium motionis, unde sequatur eam per se perpetuoq; moueri, sempercq; uiuere. Id enim ideo factum est à Socrate, quoniam eiusmodi ratio non solum nostris, sed cœlestibus etiam, atque dæmonicis animis est communis. In Phædone uero rationes nobis magis propriæ requiruntur. Sed iam ad dispositionem dialogi breuissimam ueniamus. Principio obseruandum est, quàm mirifice Socrates consoletur amicos, qui eo præcipue die quo uenenum bibiturus erat, in carcere quasi consolaturi eum salutauerunt. Deinde quàm religiose obseruet uel somniorum præcepta quasi quædam oracula: & quàm in eo apprime cautus sit, ne minimum quid circa diuina mandata delinquat. Tertio memoriæ mandandum est, homines sub assidua Dei esse custodia, neque licere nisi quando Deus uoluerit, hinc emigrare. Quarto aduertendum est diligenter quid sibi uelit, ubi ait sperare quidem se in obitu ad bonos uiros, deosq; alios bonos iturum: sed magis affirmare ad bonos deos quàm ad bonos uiros iturum. Primo quidem quod dicit deos alios atq; ualde bonos, intelligit præter sphærarum animas esse mentes angelicas sphæris sublimiores. In quarum familiaritatem animas quoque nostras quandoque admitti posse sperat: neque tamen audet asserere, propterea quod plerisque sapientibus uidebatur satis fore animæ factum, si ad consortium animarum cœlestium quandoque recipiatur. Immo uero dubitatio proprie super eam partem cadit, quæ bonos appellat uiros. Non enim audet deinde hominum animos affirmare eadem ratione bonos, qua deos dixerat bonos. Post hæc seipsum simul amicosq; sub persona philosophantis consolaturus, ait: Quum totum philosophantis studium sit quædam à corpore separatio, per eamq; perficiatur quotidie, nimirum separationem à corpore quæ fit per mortem, non modo non timere debet, sed optima cum spe lætitiaq; expectare. Mox duobus modis ostendit philosophum à corpore animum separare. Primo quidem à perturbationibus per moralis disciplinæ purgationem, deinde à sensibus atque ipsa imaginatione per contemplationis ipsius intentionem. Medici sapientes duplici utuntur purgatione. prima quidem leniendo. Secunda uero soluendo: scientes neque satis esse lenire, neque tutum soluere antequam lenias. Similiter apud philosophos moralis antecedit purgatio quasi leniēs. Non enim interiores imaginationis morbos, id est deceptiones extirpat. Sequitur purgatio speculatrix imaginationis quandoq; pro uiribus discutiens nebulas. Ante uero moralem purgationem aggredi speculationis officium non est tutum, ne quis uitiorum morbis infectus ipso speculationis acumine abutatur ad iniustitiam impietatemq; defendendam. Ex his concludit philosophum mentis aciem quatenus à corporeis segregat, eatenus incorporeis rationibus ideisq; coniungere. Sed cum multa quæ à corpore animo inferuntur incommoda numerasset, subiunxit extremum maximumq; malorum esse fallaciam illam, qua imaginatio mentem ad incorporea se eleuantem, interim ad imagines quasdam corporum sæpissime distrahit, cogitq; ipsa modo quodam corporeo cogitare. Post hæc & ex eo quod animus ipsam separatarum rerum ueritatem quam naturaliter appetit, corpori coniunctus assequi nequit, per disiunctionem infert, aut nunquam assequi, aut post mortem. Nunquam uero assequi non est consentaneum: quippe quam ab omni mente perpetuo appetatur. Proinde improbat illos qui temperantiam esse putant abstinere à minoribus corporis uoluptatibus, ut maiores deinde uoluptates corporis consequantur. Rursus qui fortitudinem definiunt, superare timores quosdam eorum timorum gratia qui nos iam superauerint. Vult enim omne moralis uirtutis officium in quadam animi purgatione uersari sapientiæ gratia. Alioquin nullam esse uirtutem. Immo uero humanam quoq; sapientiam nominat purificationem quandam, perinde quasi existimet nihil aliud sapientiæ nostræ meditatione nos consequi, quàm puritatem quandam, quam mox illuminatio diuina sequatur, quæ proprie sapientia sit. Significat præterea non tam habitum aliquem nostris laboribus acquisitum, quàm purificationem ipsam nos Deo coniungere. His actis immortalitatem animæ probaturus ait, ex uno contrariorum genere in alterum progressionem fieri atq; uicissim regressionem. Ideoq; sicut ex uiuentibus fiunt mortui, sic ex mortuis uiuentes quandoq; resurgere. Vbi uidetur mortuorum resurrectionē uaticinari, quam & in Politico comprobat. Præterea per longas ambages innuere, sicut & substantia cœli & elementorum materia infinite de dispositione alia uicissim pertransit in aliā: sic & animam rationalem, quæ principium motus & uitæ generationisq; est, posse infinite cōiungi corpori, uicissimq; separari. Siquidem & multæ natura substantiæ diuturna uicissitudine qualitates mutant, & ubiq; uirtute animæ fit circuitus sempiternus. In sequentibus tandem ingenti quadam fiducia resurrectionē quam innuerat, asserit. Aggreditur deinde rationem de reminiscentia, idem quod & pauloante probantem, animam & ante corpus uiuere, & post corpus. Tu uero eiusmodi ratiōes esse intellige Pythagoricas. Atq; ex illis quod ad ueritatem magis conducat, eligito. Ait ergo: Si disciplina reminiscentia est, uixerūt animæ ante corpus. Reminiscentiam uero esse, duobus præcipue probat modis. Primo, quia recte interroganti, sæpe uera de his quæ nunquā didicimus, respondemus. Deinde quoniam ex notitia eorum quæ sentiuntur, subita quadam abstractione ad notitiā ascēdimus idearum, ceu cognoscendo hæc æqualia in ipsius æqualitatis cognitionem. Vbi cognoscimus deficere hæc ab illis;

atq; anniti similia fieri: rursus quantum accedant, & quæ magis, quæue minus. Quumq; id per omnem agamus uitam, necesse est ideam ipsam ante ortum nos habuisse. Non enim perfectæ rei notitiam subito ex imperfectis accepimus. Ostendit autem duobus modis ideas esse. Primo. Quodlibet subiectum quod appellatur æquale, potest etiã dum per substantiam manet idem, inæquale & fieri & uideri. Aequalitas autem nequit unquam inæqualitas uel fieri uel uideri. Præterea æqualia hæc uelut imperfecta inæqualitatem participant, æqualitas uero ipsa nequaquam. In sequentibus nota quanta asseueratione affirmet ideas, addatq; idearum essentiam esse nostram. Atq; cum animus noster singula referat ad ideas, ipsum ostendere se unà cum idearum essentia sempiternum esse, atq; eam agnoscere tanquam suam. Nota insuper nulla in re magis elaborandum esse, quàm ut per immortalitatis demonstrationem mortis metum, quasi morbum grauissimum, expellamus. Confestim aliam aggreditur rationem à proportione intellectus ad intelligibile ductam. Intelligibile uero ipsum, ideam ipsam incorpoream sempiternamq; appellat. Cumq; intellectus cum ipsa uelut obiecto proprio cõgruat, concludit hunc incorporeum sempiternumq; esse, præcipue quum dominetur corpori, mortalibusq; repugnet. Proportionem uero mentis cum idea confirmat, ex eo quod quotiens non impeditur, ad eam sese confert, eiusq; commercio gaudet, atq; perficitur. Quod autem postquam dixit animam esse omnino indissolubilem, subiunxit, uel rei omnino indissolubili propinquam, hoc addi tum intellige, quoniam in Timæo probatur, Deum solum omnino indissolubilem esse: cætera uero si comparentur ad Deum, dissolubilia quodammodo iudicari, quia quodammodo & composita: quamuis illa quæ optime composita sunt, id est seorsum ab elementali materia, non dissoluantur unquam. Animæ igitur tam nostræ quàm diuinæ indissolubili Deo propinquæ sunt, ipsæ quodammodo solubiles, sed dissoluendæ nunquam. Præterea uocat id omnino indissolubile, in quo neq; essentiæ, neq; actionis partes ullæ sparguntur. Anima igitur & si secundum essentiæ partes non spargitur, tamen per actionis partes diffunditur. Tempore enim & mobiliter agit. Proinde subdit puram animam post obitum ad pura & æterna redire, impuram uero terrenisq; infectam ad similia retrahi atq; terrena, sæpeq; uideri. Profecto affectio erga corpora in anima remanens, non per se proprie facit ut anima uideatur, cum affectio non sit uisibilis: efficit tamen ut anima nonnihil uisibile secum trahat, id est inuolucrum quoddam, uel aereum, uel ex spiritibus uaporibusq; corporis sui conflatum, ut uult Proclus, uel nuper ex circumfuso aere congregatum. Certe hic Plato significat quod uult Proclus, scilicet inter corpus æthereum, quod & immateriale est, & simplex, & sempiternum, atque corpus terrenum, quod est materiale compositumq;, & ad breue perdurans, esse corpus aereum, materiale quidem, sed quodammodo simplex & longioris æui, in quo animæ diutius habitent etiam post discessum: quod hoc dissoluto, corpus iterum compositum induantur, uidelicet si purgatæ non sint: si uero purgatæ, cum solo æthereo cœlum petant. Quod animarum transitus narrat in bestias, Pythagoricum est. Idq; intellige, uidelicet animas nostras non tam uiuificare corpora bestiarum, quàm purgatorij gratia per brutam imaginationem suam quodammodo brutorum imaginationi misceri, quemadmodum impuros aiunt dæmones insanorum imaginationi sæpe permixtos. Sic utiq; excepto Plotino pleriq; exponunt Platonicorum. Quod quidem patet ex eo, quod non dicit animam fieri bestiam, sed induere, subire, transire. Concludit solos in Deum recipi, qui per ueram philosophiam purgati decesserint. Audi præter hæc uinculum animæ cum corpore nihil esse aliud quàm amorem, scilicet naturaliter prouidentem. Item quoties anima per instrumentum agit circa formas in subiecto iacentes, nihil syncere cognoscere, sed solum quando per seipsum conuertitur ad formas in seipsis simpliciter existentes. Disce hic quoq; animam ex eo quod rebus corporeis oblectatur & pascitur, euadere corporalem: atq; hinc usqueadeo falli, ut sola corporea iudicet esse uera, quum omnino sit contrà: fallaciam eiusmodi malorum omnium esse grauissimum. Accedit quod anima iam facta corporea, post obitum quoq; ab incorporeis seorsum circa corporea labitur. Conclude animum suæ puritati penitus restitutum, nullo modo suæ immortalitati diffidere. Cygni fabula Pythagorica est, atq; allegorica. Pythagorica quidem, ubi dicit cygni animam superuiuere. Allegorice uero intelligitur cygnum in numero solarium animalium contineri, & Socratem solarem esse, tum quia Phœbi oraculo approbatus est, tum quia mentibus hominum medebatur. Adde uaticinium esse quadruplex, diuinum, dæmonicum, humanum, naturale. Idq; ultimum in bestijs fieri quodam instinctu naturæ. Intellige etiam cygnos innocentes sine philosophia homines: qui quum mortem sæpe minime timeant, significant philosophos absolutos timere eam nullo pacto debere. Animaduerte deinde difficillimum esse in hac uita substantiam animæ intelligere, quoniam uidelicet sub corporea eam specie intuemur. Idcoq; tutissimam rationem ad animam comprehendendam esse, tum moralem purgationem, tum metaphysicam abstractionem. Vbi uero minus id sufficiat, opus esse diuino quodam uerbo, id est reuelationibus diuinitus factis atq; miraculis. Nos uero hic diuini uerbi mysterium à Platone significatũ considerare debemus. Tradit deinde duo in disputando præcepta. Primum, ne rationibus ullis absq; longa examinatione credamus. Postquam uero rationi cuidam sufficienti examine crediderimus, ne facile inde ob quaslibet obiectiones similitudinesq; amoueamur. Secundum, ne aut propriam, aut alienam in disputando personã, sed rationem duntaxat ueritati consonã cogitemus. Sequuntur dubia contra animã, ne forte consonantia quædã sit humorũ, atq; uel prius corpore, uel unà cum ipso, uel inde ad tempus aliquod dissoluatur.

Quæ

Quæ quidem dubia Socrates ita soluit. Si disciplina reminiscentia est, ideoq; ante corpus uixit anima, nequit anima esse corporis consonantia. Quippe quum consonantia partes ex quarum concursu fit, non antecedat, sed consequatur. Si eadem est consonantiæ ratio, atq; animæ, sicut altera anima non magis anima est quàm altera, ita neque consonantior erit. Temperans igitur anima nihilo plus consonabit quàm intemperans. Si consonantia necessario ea sequitur, ab eisq; ducitur ex quibus ipsa conflatur, non potest anima corporis consonantia esse, quod quotidie ducit, cui sæpe repugnat. Cæterum antequam dubitationes absoluat, rationesq; immortalitatis omnino perficiat, longo discursu damnat illos qui rerum causis assignandis ad materias quasdam & instrumenta confugiunt, asserens totam historiam naturalem insufficienter per eadem naturalia confirmari: quippe quum hæc omnia omniumq; motus à diuinis causis efficientibus finalibus idealibusq; omnino dependeant. Optat in primis finalem cuiusq; rei causam atq; uniuersi, id est bonum cuiusq;, & uniuersi bonum, cuius quidem boni potestatem causam esse dicit efficientem. Quoniam uero ipsam boni amplitudinem comprehendere nequit, secundo eligit loco ideales diuinæ intelligentiæ rationes, ad quarum similitudines in mundi materiam expressa sunt omnia. Inter hæc nota Mosaici mysterij confirmationem, sicut & in Timæo. Vidit Deus singula esse bona, etiam cuncta ualde bona. Ita omnia ipso bono connecti. Rursus animum corporea intuentem, interim ad incorporeum obtuitum obcæcari. Neque posse ueritatem rerum haberi, nisi ad ideas confugiamus. Præterea formulas idearum inesse mentibus nostris, ad quarum congruitatem uel contrà, singula uera esse, uel contrà censentur. Socratem nunquam certam idearũ contemplationem intermittere consueuisse, solasq; affirmare solere. Certam rerum causam in ideis esse sitam, immortalitatem quoq; animæ ab ideis potissimum demonstrari. Processum inter ideas à minus communi per medias ad communissimam fieri. Atq; descensum ab ideis ad effectum earum. Demum rationẽ disponit immortalitatis ex eo quod rationalis anima corpori præstat uitam, non ut accidentalis forma inhærens corpori, sed ut substantialis in se ipsa permanens, ex se formaliter uiuens quasi quædam uitæ corporalis idea, atq; per se efficienter corpus uiuificans. Ideoq; concludit animam non posse suscipere mortem, cum mors uitæ opposita sit, anima uero & uitam propriam habeat, & maneat in seipsa, adeo ut neq; per se proprie, neq; per subiectum aliud mortem suscipere ualeat. Post hæc ex eo quod anima sit immortalis, cohortatur omnes ad moralem speculatiuamq; disciplinam, ut animus & per uoluntatem & per intellectum purgatus atq; perfectus, his quasi duabus alis in cœlestem patriam reuolet. Confirmat interim animam esse immortalem, quia neq; uirtus tãdem obesse, neq; uitium prodesse debeat. Obesset autem laboriosa uirtutis uita bonis, atq; contrà prodesset uoluptuosa malis uita, nisi foret animus immortalis. Ac ne quis fortasse neget posse post hanc uitam uel uitium obesse, uel prodesse uirtutem, subiungit animam affectiones & habitus tam uoluntatis quàm intelligentiæ comparatos, siue bonos, siue malos secum ferre, subito uel læsuros, uel profuturos. Dæmonem namq; ducem omnes ad diuinum iudicem uitæ repente perducere in locum communi iudicio deputatum, in aerem scilicet minus puros, & in ætherem puriores, ibiq; iudicatos ab alio rursus dæmone per triuium ad sua, id est sibi similia singulos trahi. Per triuium, inquam, quia alij mittuntur in cœlum, alij in tartarum, alij uero in medias regiones. Ducit autem eos dæmon, in bonis quidem intelligentiam mouens, in malis autem imaginationem affectumq; perturbans. Quod autem dicit iniquos absq; duce errare, absq; benefico intellige duce. Adde quod neq; quò trahantur, agnoscunt, & uiolentia rapiuntur. Cæterum antequam animarum distribuat sortes, orbem terræ describit, dicens esse quasdam terræ plagas, atque illas quidem amplissimas, & usqueadeo altas, ut uentis & imbribus non pulsentur. Vbi temperatissimus aer sit, sub quo preciosissima quæq; nascuntur, homines acutissimi sensibus, uitaq; longæui. Sunt qui uelint & homines & alia illic nascentia quamplurimum ex æthere aereq; componi, quamminimum uero ex crassioribus elementis: ut hominum corpora quasi aerea sint, fructibusq; maxime aereis nutriantur. Quod ne quis tanquam impossibile neget, Olympiodorus Aristotelis adducit historiam, in qua Aristoteles uidisse se inquit hominem qui solo aere nutriebatur & sole. Quod autem terræ sublimis faciem in duodecim diuidit plagas, inde prouenit, quia duodecim congruit zodiaci signis, duodecim sphærarum regitur animabus, & duodecima est mundi sphæra, atq; ueluti totius fundamentum dodecaedram illam sibi usurpat figuram, quam Timæus attribuit mundo. Sed de hac ipsa figura, deq; alijs terræ proprijs quæstionibus, in Timæo dicemus. Tu uero terræ huiusmodi habitationem terrestri Moysi paradiso similem esse memento. Proinde flumina sub terra describit, quibus animæ nutriuntur. Quæ quisquis secundum nostri corporis humores animiq; perturbationes in hac uita nos affligentes exponit, nonnihil adducit simile uero, ueruntamen ueritatem integram non assequitur. Plato enim & hic & in Republica significat præmia uirtutum & supplicia uitiorum ad alteram uitam potissimum pertinere. Acheron igitur sub terra flumen, locus est purgatorius, atq; ad curã pertinet & mœrorem. Respondet quoq; aeri, partiq; mundi meridianæ. Phlegeton igni respondet atq; orienti, uimq; puniendi continet per calorem, & iræ cupiditatisq; feruorem punit. Styx Cocytusq; respondet terræ, atque occasui, odiumq; per luctum fletumq; puniunt. Differunt uero hoc inter se solum, quod Styx exoriens appellatur, Cocytus uero progrediens. Tartarum infimum tenere uult inferni locum, in quo scelestissimi non medicinæ, sed exempli gratia affligãtur, quemadmodum hic & in Republica legitur, & in Gorgia. Addunt quidam

ad hæc

ad hæc flumina Oceanum quoq; quodammodo pertinere, aquæ ſeptentrionięq; reſpondentem, in quo diſtinguendi definiendiq; uirtus intelligatur. Tu uero quod de fluminibus dicitur, potiſsimum de dæmonibus numinibusq; intelige, flagitioſos tali quodam ordine punientibus. Profecto peccata facile ſanabilia ſunt, quæ nondum in habitum ſunt conuerſa. Difficile uero ſanantur quæ iam habitum genuerunt: ueruntamen unà cum quadam rationis repugnantia committuntur, & committentes afficiunt pœnitentia. Inſanabilia uero ſunt omnino, quorum habitus & repugnantiam & pœnitentiam procul fugat. Prima purgantur in Acheronte. Secunda, ſi ad prima uergant, puniuntur in Phlegetonte: ſi ad tertia, in Styge, atq; Cocyto. Tertia affliguntur in Tartaro, ex quo, ut Plato inquit, nunquam egrediuntur. Quo uero pacto alij aliter id exponant, in præſentia libentius prætermitto. Affligi uero poſſunt animæ non tantum per imaginationem infeliciter à dæmonibus agitatam, ſed per aerea quædam corpora, quæ uehiculi & cymbæ nomine deſignantur. Præmia uero ſic Plato diſtinguit. Animæ quæ iuſte & ſancte ſine philoſophia uixerunt, ſublimia terræ, qualia ſuprà deſcripſimus, aſcendentes, in tenuiſsimis ſpiritalibusq; ibi corporibus habitant. Quæ uero ciuiliter propterea philoſophatæ ſunt, cum ſplendidis cœleſtibusq; corporibus cœlum colunt. Sed quæ per exactam philoſophiam perfecte purgatæ ſunt, in locum ſupercœleſtem euolant, ubi abſq; corporibus omnino, ut Plato hic inquit, totum per tempus uiuunt. Qua uero id ratione exponant nonnulli, conſulto nõ recenſebo. Porphyrius certe atq; Iamblichus tradunt animas deo perfectiſsime reſtitutas nunquam cadere. Quod quidẽ congrue reſpondet oppoſitis, quæ ex Tartaro nunquam emergere iudicantur. Quod quidem ſi ita ſit, circuitus iam infiniti tollentur: Temporales uero circuitus exhiberi purgationis cuiuſdam gratia uidebuntur. Socrates tandem gallum Aeſculapio ſacrum ſe debere fatetur, reddiq; diligentiſsime iubet. Priſci Aeſculapio medico Phœbi filio gallum ſacrificabãt diei ſoliſq; nunciũ, id eſt diuinæ beneficentiæ morborũ omnium curatrici, quæ diuinæ prouidentiæ filia nominatur, diem, id eſt uitæ lumen debere ſe fatebantur. Eiuſmodi medicum in ſuperioribus perquirere iuſſerat morborũ animi curatorẽ. Et quaſi iam omni dubitationis metuſq; morbo liberati ſint, gratiam uictimamq; deo referri iubet. Præterea oracula priſcorum tradunt, animas remeantes in cœlum, pæana, id eſt, triumphalem cantilenam canere Phœbo. Reddit ergo deo uotum, ut alacer pæana canens, cœleſtem patriam repetat.

PHAEDO, VEL DE ANIMI IMMORTALITATE, VEL DE ANIMA, AD LAVrentium Medicen uirum magnanimum.

ECHECRATES, PHAEDO, APOLLODORVS, SOCRATES, CEBES, SIMMIAS, CRITO, MINISTER VNDECIMVIRORVM.



IPSE' ne, ô Phędo, affuiſti qua die Socrates uenenum bibit in carcere? an ab alio audiuiſti? PHAE. Equidem, ô Echecrates, affui. ECHEC. Quæ nam ſunt ea quæ uir ille antequam moreretur, loquutus eſt? Et quomodo è uita diſceſſit? Libenter enim audirem. Nam neque quiſquam Phliaſiorum ciuium frequenter proficiſcitur nunc Athenas, neque iam diu hoſpes aliquis inde ad nos acceſſit, qui certum aliquid ea de re nũciare nobis poſſet, niſi illum potato ueneno è uita migraſſe. De cæteris uero nihil quid referrent, habebant. PHAE. Nec ergo quæ ad iudicium pertinebant, quo pacto tractata fuerint, audiuiſtis? ECHEC. Audiuimus. hæc enim nobis quidam retulit. Et admirati profecto ſumus, quod iam peracto iudicio, diu poſtea obiiſſe uideatur. Quid' nam in cauſa fuit, ô Phædo? PHAE. Sorte quadam id Socrati, ô Echecrates, accidit. nam pridie quàm iudicaretur, ornari contigit puppim nauis eius, quam mittunt Athenienſes in Delum. ECHEC. Id uerò quidnam ſibi uult?

PHAE. Hæc eſt illa nauis, ut aiunt Athenienſes, in qua Theſeus olim bis ſeptẽ illos ſecum tulit in Cretam, ſeruauitq; illos, & ille ſeruatus eſt. Vouerat autem, ut fertur, Apollini, ſi ſeruarentur, quotãnis in Delum ſpectaculũ quoddam mittere. Quod quidem nunc etiam ac ſemper ex illo tempore ſingulis ad Deum mittunt annis. Cum igitur ſpectaculi principiũ agitur, ex lege interim luſtrant urbem, neminemq; eo tempore publicè necant, donec Delum perueniat nauis, rurſusq; Athenas reuertatur ex Delo. Id uerò nonnunq; longo peragitur tempore, quando eos occupant uenti. Initium uerò ſpectaculi eſt, poſtquam Apollinis ſacerdos nauis illius coronauerit puppim. Id uero, ut modo dicebã, pridie quàm iudicaretur, factum erat. Quamobrem longum tempus Socrates fuit in carcere iudi-

re iudicium inter atq; mortem. ECHEC. Circa uero mortem ipſam, ô Phædo, quænam ſunt ab eo dicta, quæ facta, qui' ue familiarium aderant? An forte magiſtratus adeſſe non permittebant? atq; ita orbatus deceſſit amicis? PHAE. Permittebant quidem. Ideóque aderant aliqui, & quidem multi. ECHEC. Hæc igitur omnia para te quàm planiſſime nobis referre, niſi quid negocij te impediat. PHAE. Ocioſus quidem ſum, atque enarrare uobis conabor. Quippe cum meminiſſe Socratis ſiue ipſe loquar, ſiue loquentes alios audiam, mihi ſemper omnium ſit dulciſſimum. ECHEC. Similiter ô Phædo, hos qui te audituri ſunt, affectos habebis. Sed iam pro uiribus diligentiſſime refer omnia. PHAE. Atqui mira quadam ratione, ô Echecrates, illic præſens affectus eram. Neq; enim miſericordia me habebat, ut familiariſſimi uiri morti præſentem. Sane beatus uir ille mihi, ô Echecrates, uidebatur, tum animi illius habitum, tum orationem conſideranti: adeo intrepide generoſeq; migrabat è uita, ut uideretur mihi illum in uitam alteram, non abſque diuina ſorte migrare, ſed illic quoq; beatum fore, ſiquis unquam alter. Quamobrem neq; admodum commouebar, ut conſentaneum uideretur hominem rei præſentem lugubri commoueri: neq; rurſus afficiebar lætitia, quemadmodum ſolebamus aliàs quum in philoſophia uerſabamur. Nam ſermones quidem eiuſmodi erant, ſed reuera affectus quidam mirus atque inſolita uoluptatis doloriſq; permixtio me inuaſerat, conſiderantem illi paulo poſt moriendum fore. Et quicunque aderamus, ferme ſimiliter eramus affecti, aliàs quidem ridentes, aliàs uero lachrymantes. Vnus autem præ cęteris Apollodorus: noſti enim uirum, eiuſq; morem. ECHEC. Quid ni? PHAE. Ille igitur ita prorſus erat affectus, atq; ego ipſe aliiq; omnes diſtractum ſimiliter perturbatione animum habebamus. ECHEC. Sed quinam forte aderant, ô Phædo? PHAE. Ciues quidem & indigenæ aderant, ipſe Apollodorus, & Critobulus, paterq; eius Crito: rurſus Hermogenes, Epigenes, Æſchines, Antiſthenes. Aderat & Cteſippus Pæaneus, & Menexenus, atque alij quidam indigenæ. Plato autem, ut arbitror, ægrotabat. ECHEC. Sed num aliqui aderant peregrini? PHAE. Aderant & peregrini, Simmias Thebanus, & Cebes, & Phædondes: Megarenſes uero Euclides, & Terpſion. ECHEC. Ariſtippus autem & Cleombrotus nunquid aderant? PHAE. Non. In Ægina enim dicebantur eſſe. ECHEC. Aderant ne inſuper alij? PHAE. Hos ferme quos narraui, interfuiſſe exiſtimo. ECHEC. Dic uero quales fuerunt ſermones? PHAE. Conabor equidem à principio tibi omnia enarrare. Solebamus quotidie diebus ſuperioribus ad Socratem proficiſci ego atq; alij, conuenientes mane in illa curia in qua & iudicium factum fuerat. Carceri enim erat proxima. Colloquentes igitur inter nos operiebamur ſemper illic quoad carcer aperiretur. Aperiebatur enim haud admodum mane. Eo autem aperto, ingrediebamur ad Socratem, & ad plurimum diem cum ipſo confabulabamur. Tunc ergo prius ſolito conuenimus. Pridie namque eius diei quum è carcere egreſſi eſſemus, ueſpere nauem ex Delo audiuimus redijſſe. Itaque ediximus inuicem ſummo mane nobis fore ad locum ſolitum redeundum. Cum uero reuerſi eſſemus, exiens nobis obuius ianitor qui nos ſolebat admittere, expectare iuſſit, nec prius ingredi quàm ab ipſo accerſiremur. Soluunt enim, inquit, Vndecimuiri Socratem, illiq; denunciant hodie mortem eſſe obeundam. Neq; deinde admodum commoratus redijt ad nos. iuſſitq; intrare. Itaq; introeuntes Socratem quidem inuenimus compedibus paulo ante ſolutum. Xanthippen uero, noſti mulierem, iuxtà ſedentem, puerumq; eius manibus tenentem. quæ nos quum uidiſſet, eiulare cœpit, & qualia mulieres ſolent exclamare: O Socrates, inquit, nunquam amplius affabuntur te tui familiares, neque tu illos. At Socrates Critonem intuitus, O Crito, inquit, deducat quis hanc domum. Et illam quidem reduxerunt quidam Critonis domeſtici, uociferantem atque plangentem. Socrates autem ſedens in lectica, contraxit ad ſe crus, manu' que perfricuit, atque inter fricandum ſic inquit: Quàm mira uidetur, ô uiri, hæc res eſſe quam nominant homines uoluptatem, quamq; miro naturaliter ſe habet modo ad dolorem ipſum, qui eius contrarius eſſe uidetur. quippe cum ſimul homini adeſſe nolint. Attamen ſi quis proſequitur capitq; alterum, ſemper ferme alterum quoq; accipere cogitur, quaſi ex eodem uertice ſint ambo connexa. Arbitror equidem Æſopum, ſi hæc animaduertiſſet, fabulam fuiſſe facturum: uidelicet Deum ipſum cum ipſa inter ſe pugnantia uellet conciliare, neq; id facere poſſet, in unum ſaltem eorũ apices cõiunxiſſe, propterea q; cuicunq; adeſſe

alterum

alterum,eidem mox alterum quoq; adesse.quod quidem mihi accidit in præsentia. Siqui dem modo crus propter uincula afficiebatur dolore,sed huic succedere uoluptas iam uidetur.Ad hæc Cebes,Per Iouem,inquit,ô Socrates,opportune id mihi in memoriam reuocasti. Cum enim poemata composueris,sermones intendens Æsopi scripto in Apollinem proœmio,tum alij multi me interrogauerunt,tum Euenus paulo ante,quónã consilio postquam in carcerem deueneris,ea feceris,quę prius feceras nunquam.Si igitur tibi curæ est ut habeam quid respondeam Eueno,quando iterum ex me quæsierit,quod certo scio facturum,dic quæso,quid ei sit respondendum. Vera, inquit, ô Cebes, responde, me id effecisse,nõ ut uel ipsi gratificarer,uel cum ipsius carminibus decertarem: sciebam enim facile id non esse:uerum ut insomnia quædam experirer me simul expians,num forte hæc sit ea musica quam sæpius iam exercere me iubent. Nam frequenter superiori tempore insomnium idem, licet alia atque alia forma sese mihi offerens, eadem semper ita præcepit. Fac ô Socrates, musicam, atque exerce. Ego igitur quod in superiori tempore faciebam, hoc mihi præceptum arbitrabar: & quemadmodum currentes adhortari solemus, sic quod ipse antea faciebam,ad idem me insomniũ cohortari putabam, quasi philosophia maxima musica foret. Postquam uero facto iam de me iudicio,mori me interim dei festiuitas inhiberet, censui oportere, si forte insomnium toties iubeat popularem hanc musicam exercere, non negligere eius præceptum. Tutius enim fore arbitratus sum,antequam è uita migrarem,expiare animum, atque ut monet insomnium, poemata facere.Quamobrem primo equidem cecini deum ipsum, cuius tunc sacra celebrabantur: atque post deum iudicans oportere eum qui poeta futurus sit, non sermones, sed fabulas facere,me uero non esse fabulatorem,nonnullas ex fabulis Æsopi quas sciebam,magisq; in promptu habebam,ut in quamque prius incidi,modulatus sum.Hæc igitur ô Cebes,refer Eueno,& ualere iube.Atq; consule,ut si probe sapit,me sequatur. Migro enim hinc hodie.Sic enim Athenienses iubent.Tunc Simmias, Quale id est, inquit, ô Socrates,quod Eueno mandas? Sæpe equidem cum illo fui, & quantum de illo sentio, nullo pene modo libens ille tibi parebit. Quid uero,inquit? nónne philosophus est Euenus? Mihi quidem uidetur, inquit Simmias. Volet igitur & Euenus, & omnis quicunque huius rei digne est particeps. Non tamen forte sibi uim inferet. Non enim fas esse aiunt.Et simul hæc dicens, crura è lectica demisit in terram.Atq; ita sedens, deinceps reliqua disputauit.Quæsiuit igitur ab eo Cebes, quónam id modo ais, ô Socrates? fas quidem non esse seipsum uiolare,philosophum tamen optare morientem sequi? Quid ô Cebes,inquit,nónne tu Simmiasq; talia quædam audiuistis à Philolao,quo familiariter utebamini? Manifesti quidem,inquit Cebes, nihil ô Socrates. Atqui ego quoque de his rebus,inquit Socrates,ex auditu loquor. Quæ igitur forte ipse audiui, referre uobis nulla inuidia prohibebit. Etenim forte maxime decet illò migraturum considerare atque effingere qualis fore putanda sit hæc ipsa migratio.quid enim aliud usque ad solis occasum quis faciat? Quam ob causam, inquit Cebes,ô Socrates, nefas esse aiunt sibimet manus inferre? Iam enim quod modo quærebas,ego à Philolao audiui,quum apud nos uersaretur, & ab alijs insuper nonnullis, non decere id facere: apertum tamen hac de re quicquam nihil ab aliquo unquam audiui.Sed attentione opus est,inquit. Nam & si audiueris,mirum tamẽ forte uideri possit,si hoc solum ex alijs omnibus simplex sit, nec accidat unquam homini quemadmodum cætera,quando & quibusdam melius mori quàm uiuere. Itaque mirum tibi forte uidebitur, si his quibus præstat mori, non liceat sibimet prodesse,sed alium oporteat expectare qui prosit. Tunc Cebes subridẽs, Prò Iupiter,inquit, Thebanorum more. Atqui uideri quidem, inquit Socrates, potest id sic absurdum. Fortasse etiam quandam habet rationem. Profecto sermo ille qui de his arcanis habetur, in quadam custodia esse homines,neq; decere quenquam ex hac seipsum soluere,neque aufugere,magnus quidem mihi uidetur, neque cognitu facilis. Veruntamen id mihi ô Cebes,recte apparet dictum, deos quidem curam habere nostri, nos uero homines unam quandam ex possessionibus esse deorum. An non ita tibi uidetur? Mihi quidem, inquit Cebes.Nónne igitur,inquit, & tu si quod ex mancipijs tuis seipsum perimeret, quum tu nullo modo id permisisses,irascereris utiq; illi? Et si potestatẽ haberes,pœna quadam afficeres? Omnino,inquit.Forte igitur hac ratione haud præter rationem est, nõ prius de-

cere

certe seipsum interficere quàm deus necessitatem aliquam imposuerit, qualem nobis im posuit in præsentia. Consentaneũ id quidem apparet, inquit Cebes. Quod uero dicebas modo, philosophos perfacile uelle mori, absurdum o Socrates, uideꝛ esse, siquidem quod nunc diximus, rationem habet, deum uidelicet nostrum esse curatorem. Nos uero in re bus eius positos esse. Nullam enim id rationem habet, prudentissimos uidelicet homines nõ ægre ferre ab ea cura se amoueri, quam sibi præstant dij optimi omnium rerum guber natores. Nunquam enim putaret uir prudens ipsum se melius esse curaturum, si liber eua serit: sed demens aliquis forsitan id putaret, fugiendum scilicet esse à domino, neq; cogita ret nõ esse id quod bonũ est fugiendũ, sed in eo maxime permanendũ. Ideoq; absq; ratio ne fugeret. Qui uero mentem habet, semper apud eum qui sit melior esse cupit. Atq; ita o Socrates, contrà omnino conueniens esse uidetur, quàm quod paulo antè dicebatur, Sapientes quidem decere grauiter mortem ferre, Insipientes uero libenter. Socrates igi tur cum hæc audisset, delectari uisus est argutia Cebetis. Conuersusq; ad nos, Semper, in quit, hic Cebes rationes quasdam perscrutatur, neq; admodũ facile quod quiuis dixerit, uult admittere. Tunc Simmias, Mihi quoq;, inquit, nonnihil uidetur Cebes dicere. Quo enim consilio sapientes uiri eos qui meliores reuera quàm ipsi sunt, fugiant, illisq; carere facile patiantur? Atqui mihi uidetur Cebes sermonem in te intendere, quòd tam facile et nos relinquas, & deos, ut tu ipse fateris, principes bonos. Iusta dicitis, inquit Socrates. Ar bitror enim uos dicere meipsum tanquam in iudicio oportere purgare. Et maxime qui dem, inquit Simmias. Age uero, inquit. Conabor nunc apud uos accuratius quàm nuper apud Athenienses iudices fecerim, me defendere. Equidem o Simmia atq; Cebes, nisi me migraturum putarẽ, primum quidem ad deos alios sapientes & bonos, deinde ad ho mines defunctos his qui hic sunt meliores, iniusta agerẽ, non molestè ferẽs mortẽ. Nunc certũ habetote, sperare me ad bonos uiros iturum, sed hoc quidem haud omnino asseue rarem. Quod uero ad deos dominos ualde bonos iturus sim, certũ habetote si quid aliud eiusmodi & hoc utiq; me affirmaturũ. Propterea haud similiter mortem molestè fero: sed bono animo sum, speroq; superesse aliquid his qui defuncti sunt, atq; ut iam diu dicitur, multo melius bonis fore quàm malis. Quidnã o Socrates, cogitas, inquit Simmias? Nun quid ipse cum isthac sententia hinc abire? An nos quoq; participes eius relinquere? Nem pe cõmune nobis quoq; id bonum arbitror esse debere. Præterea ita demum te apud nos purgaueris, si quæ dicis, nobis etiam persuaseris. Dabo equidem operam, inquit. Sed Cri tonem prius auscultemus. Videtur enim mihi iamdudum nõnihil significare uelle. Quid nam putas aliud o Socrates, inquit Crito, quàm quod iamdudum mihi dicit is qui tibi ue nenum est daturus? iubet enim te moneri ut quàm parcissime loquaris, dicens eos qui di sputant, nimium incalescere, nihil uero tale bibituris uenenum conuenire. Alioquin eos qui id fecerint, cogi interdum bis, quandoq; ter uenenũ bibere. Mitte ipsum, inquit. Tan tum id quod officij eius est paret, tanq; bis, & si oportuerit ter præbiturus. Et antea qui dem, inquit Crito, fermè id responsurum sciebam. Sed ille me iamdudum stimulat. Mitte ipsum, inquit. Ego uero o iudices, rationem uobis iam reddere uolo, ob quam mihi uidea tur uir qui per omnem uitam incubuerit philosophiæ, merito magna cum fiducia immi nentem expectare mortem, atq; bona spe esse, se ibi postquam hinc migrauerit, maxima bona reportaturũ. Quemadmodum igitur id ita se habeat o Simmia atq; Cebes, conabor equidem aperire. Quicunq; philosophiam recte aliquando attigerũt, nimirum uidentur latuisse cæteros homines, quòd nihil aliud ipsi commentarentur q; mori, atq; esse se mor tuos. Quòd si id uerum est, perabsurdũ foret, si cum nihil præter hoc aliud per omnem ui tam studuerint, hoc ipso adueniente quod iam diu agitabãt exercebãtq;, grauiter ferrẽt. Hinc Simmias arridens, Per Iouem, inquit, o Socrates, mihi quidem haud multum ride re cupienti risum expressisti. Nam multos arbitror fore qui si id audierint, aptissime in phi losophos dictum putent, nostrosq; homines consensuros & ualde quidẽ, philosophos re uera mori, nec tamen ignorare quàm digni sint morte. Fortè id recte o Simmia, inquit, di cerent, præterq; quod non ignorare addunt. Latuit sanè eos, qua ratione ueri philosophi & mori studeant, & morte sint digni. Sed iam relinquamus illos, nobisq; ipsis loquamur. Putamus'ne aliquid esse mortem? Aliquid certe, inquit Simmias. Nunquid aliud, inquit, quàm animæ à corpore solutionem? Esseq; id mortuũ esse, scilicet solutum ab anima cor-

pus per se seorsum esse? Seorsum quoq; à corpore animã solutam ipsam per seipsam existere? Nunquid mors præter hoc aliud est? Nihil aliud, inquit Simmias. Cõsidera, inquit, bone uir, num tibi idem quoq; & mihi uideatur. In his enim uos arbitror planius quę per quirimus, inuenturos. Videtur ne tibi philosophi officium esse sectari eas quæ appellant uoluptates, quales sunt epularũ atq; poculorũ? Minime quidem o Socrates, inquit. Sed nunquid uenereorũ? Nullo modo, inquit. Quid reliquum corporis cultum, an multifacere philosophus tibi uidetur? ut habere uestes egregias, calceosq; & alia quæ circa corpus sunt ornamenta, utrũ multifacere tibi uidetur, an nihilipendere, nisi quatenus magna cogat necessitas illis uti? Mihi quidem uidetur uerus philosophus hæc omnia floccipendere, inquit Simmias. An non tibi uidetur, inquit, eiusmodi studiũ haud ad corpus quidem declinare, sed quantum fieri potest ab illo discedere atq; ad animum se conuertere? Mihi quidem, inquit Simmias. Nonne igitur in eiusmodi rebus primũ manifeste apparet philosophus præter cæteros homines animum q̃ maxime potest à cõmercio corporis segregare? Apparet, inquit. Putant uero pleriq; o Simmia, eum hominẽ cui nihil talium dulce sit, neq; illis fruatur, reuera uiuere existimandum non esse, sed penè mortuum, cum uoluptates corporis non percipiat. Verissima narras, inquit. Quid autem circa sapiẽtiæ ipsius acquisitionem? inquit Socrates. Vtrum impedimẽto est corpus, si quis ipsum socium ad inuestigandum assumpserit, necne? Quale utiq; tale aliquid dico. Habẽt ne uisus & auditus ueritatem in hominibus aliquã? An talia quædam ipsi quoq; poetæ semper canũt, nihil nos audire, nihil uidere syncerum? Atqui si ij corporis sensus synceri certiq; non sunt, neq; etiam alij: quippe cum cæteri omnes his quodammodo deteriores sint. An non tibi uidentur? Prorsus, inquit. Quando igitur animo ueritatem attingit? inquit. Quãdo enim aliquid cum corpore tentat inuestigare, proculdubio decipitur à corpore. Vere loqueris, inquit. An non sicubi proprie in ipsa ratiocinatione fit sibi aliquid eorũ quæ uere sunt manifestum? Ita est, inquit. Ratiocinatur autem tunc optime, quando horum nihil eum perturbat, neq; auditus, neq; uisus, neq; dolor, neq; uoluptas: sed quammaxime seipsum in se recipiẽs, deserit corpus, neq; quicquam quoad fieri potest cum illo cõmunicans, neque attingens, ipsum quod uere est, affectat. Est ita, inquit. Nonne, inquit Simmias, & in hoc philosophi animus maxime contemnit corpus, ab eoq; aufugit, quæritq; secundum seipsum uiuere? Apparet, inquit. Quid uero hæc o Simmia? inquit. Dicimúsne iustum ipsum esse aliquid, an nihil? Aliquid per louem, inquit. Rursus ipsum pulchrum ipsumq; bonum aliquid esse? Quid ni? Num aliquando horum aliquid oculis percepisti? Nunq;. An alio quodam sensu corporis attigisti? Loquor autem de omnibus, ueluti de ipsa magnitudine, de sanitate, de robore ipso, ac summatim de cæterorum omnium essentia, id est, quod unumquodq; sit, nunquid per corpus quod in his uerissimum est, perspicitur? An ita se res habet? Quicunq; nostrum maxime & synceríssime cogitare mente se comparat ipsum quod aggreditur cogitandum, hic proxime ad cognitionem ipsius accedit? Prorsus. Nonne igitur ille puríssime faceret, quicunq; ipsa mentis excogitatione quammaxime se ad unumquodq; conferret, neq; uisum in excogitando adhibens, neq; sensum prorsus ullum ratiocinationi coniungens: sed ipsa secundum seipsam mentis excogitatione syncera utens, ipsum per se quodlibet syncerum existens studeret uenari, ab oculis, ab auribus, & ut summatim dicam, à toto corpore liber, utpote perturbante animum, neque permittente ueritatem, sapientiamq; assequi, siquando in communionem recipiatur? An non hic erit o Simmia, si quis unq; alius ipsius quod uere est compos? Mirifice uero loqueris o Socrates, inquit Simmias. Nonne igitur, inquit, ex his omnib. necessario sequit, opinionem eiusmodi legitimis philosophis usqueadeo constare debere, ut ad se inuicem ita loquantur? Necessaria iam ratione concluditur nos quadam rationis ipsius uia ad id considerando perduci, uidelicet donec corpus habemus, animusq; noster tãto malo erit admixtus, nunquam nos id quod desideramus, uere ad uotum cõsecuturos. Impedimenta enim penè innumerabilia corpus præbet, propter necessariam eius alimoniam. Præterea morbi nobis hinc incidentes, inuestigationem ueritatis impediunt: amoribus, cupiditatibus, timoribus, multiplicibusq; imaginibus multis deniq; nugis nos implet, ut uerissime dicatur nihil pensi unquam ac ueri nobis afferre. Nam ad bella, ad seditiones, ad pugnas nihil aliud quàm corpus multiplexq; eius cupiditas impellit. Omnia enim pecuniarum

Corpus impedimento esse philosophanti

Quod sensus non capiat quicq; syncere

rum gratia fiunt. Pecunias autem quærere cogimur, corporis gratia, usui eius inseruientes. Atq; ita fit ut propter hæc omnia à philosophię studijs abstrahamur. Extremum uero omnium est, quòd siquid ab ipso ocij nobis cõtingat, nosq; ad considerandũ aliquid conferamus, inuestigantibus nobis rursus ubiq; sese opponens, tum uultu quodam perturbat animum, & quasi percutiens reddit attonitũ, adeo ut hoc obstaculo impediti, uerum perspicere nequeamus. Cæterum nobis reuera demonstratum est, siquando optamus pure aliquid intelligere, recedere à corpore oportere, atq; ipso animo res ipsas considerare. Atq; tunc, ut apparet, compotes euademus eius quod affectamus, cuiusue amatores profitemur nos esse, scilicet sapientiæ, cum uidelicet mortui fuerimus, quemadmodum significat ratio: dum autem uiuemus, nequaquam. Nempe si nihil cum corpore pure discerni potest, è duobus alterum: aut nullo modo possumus scientiam consequi, aut post mortem. Tunc enim animus ipse per seipsum erit seorsum à corpore, prius uero nequaquam. Atque dum uiuimus, ita ut uidetur, proxime ad scientiam accedemus, si quamminimum cum corpore cõmercium habuerimns, neq; quicquam cum illo communicauerimus, nisi quantum summa cogat necessitas: neq; huius natura replebimur, sed ab eius contagione cauebimus, quoad deus ipse nos soluat: atq; ita puri, & à corporis insania liberati, ut consentaneum est, cum talibus erimus, cognoscemusq; per nos ipsos syncerum quodlibet, id est forsitan ipsum uerum. Nam impuro quidem purum attingere nefas est. Talia equidem o Simmia, iudico necessarium esse omnes discendi cupidos loqui inuicem, atq; opinari. An non tibi uidetur? Et maxime quidem, inquit Simmias, omnium o Socrates. Si hæc igitur, inquit, uera sunt, o amice, magna spes est eunti illuc quò nunc ego proficiscor, sicubi & ibi sufficienter eius rei se compotẽ fieri, cuius gratia tantum nos negocium in superiori uita suscepimus. Hanc ergo migrationem in præsentia mihi iniunctam, bona spe suscipio, similiterq; quiuis alius, qui modo putauit præparatam sibi mentem tanquam purificatam. Ita prorsus, inquit Simmias. Purificatio uero, inquit, nónne in hoc consistit quod iamdudum dicebamus, uidelicet ut quammaxime possumus, seiungamus à corpore animum: hoc est & in præsenti tempore, & in futuro à corpore tanquam à uinculis resolutum. Maxime quidem, inquit. Nonne igitur hæc mors appellatur solutio animæ, separatio à corpore? Prorsus. Soluere uero ipsum quẽadmodũ confitemur, omni tempore maxime ac soli student qui recte philosophantur. Atq; hæc ipsa philosophorum meditatio est, animum à corpore soluere atq; separare. Nonne ita? Ita uidetur, inquit Simmias. Quamobrem, ut in principio dicebam, ridiculum foret, si uir qui se in uita sic comparauit, ut quamproxime ad mortem accederet, ea deinde adueniente, perturbaretur. Nonne ridiculum? Quid ni, inquit Simmias. Reuera igitur, inquit, recte philosophantes mortem cõmentantur, atq; ab ea minime omniũ perterrentur. Ita uero cõsidera. Cum enim corpus quidem ubiq; aspernẽtur, animũ uero ipsum cupiant secundum seipsum habere, nonne summa esset absurditas, si tunc quando id euenit, expauescant, molesteq; ferant, neq; libenter illuc proficiscantur, quò quum peruenerint, spes est eo quidem quod amabant in uita, potiri, amabant autem sapientiam: eo autem cuius commercium moleste ferebant liberari? An uero amatis & mulieribus & filijs defunctis, multi iam sponte uoluerunt ad inferos proficisci, sperantes eos ibi uisere, cum eisq; uersari quos amauerant? Sapientiæ autem uerus amator uehementer in hanc ipsam spem adductus, non aliter eam pro dignitate ulla se comparaturum quàm si moriatur, imminentem mortem ægre feret, an non libenter hinc illuc emigrabit? Arbitrari quidem o amice oportet, si uere philosophus sit, magnopere apud ipsum hanc opinionem ualere, ut non alibi puram sapientiam posse assequi speret, quàm in futura post mortem uita. Si autem hoc ita se habet, nonne quemadmodum modo dicebam, præter rationem foret omnino, si mortem uir eiusmodi formidaret? Per Iouem, inquit Simmias, contra rationem. Sufficiens ergo cõiectura erit, inquit, si quem uideris moleste mortem ferre, eum non esse philosophum, sed φιλοσώματον quendam, id est corporis amatorẽ, atq; eundem fermè φιλοχρήματον, & φιλότιμον, id est pecuniarum honorumq; cupidum, ac talem, ut alterum horum affectet, aut utrumq;. Omnino ita est ut ais, inquit Simmias. Proinde quæ o Simmia, fortitudo nominatur, an non uiris eiusmodi maxime conuenit? Maxime. Nonne & temperantia, cuius plerique aiunt officium esse, nequaquam prosternere

se libidinibus,sed paruipendere illas,modestiamq; seruare,his duntaxat cõuenit, qui cor pus despiciunt maxime,atq; in philosophia uiuunt? Necesse est. Si enim cõsiderare uelis fortitudinem temperantiamq; aliorum,tibi perabsurda uidebitur. Quanam o Socrates ratione? Scis utiq; cæteros omnes mortem unum ex maximis malis existimare.

Et maxime quidem. Nonne igitur maiorum metu malorum,quicunq; inter eos fortes sunt,sustinent mortem quando sustinent? Hoc pacto. Metuendo igitur,atq; metu fortes ita sunt omnes præter philosophos: & si absurdum est metu uel timiditate aliquem esse fortem. Nimium certe,inquit Simmias. Quid autem? qui inter eos moderati dicuntur, inquit, nonne simili quodam pacto affecti sunt, intemperantia uidelicet quadam temperati? quanquam impossibile id esse dicimus,ueruntamen illis euenit affectio quædam huic similis,in isthac eorum fatua temperantia. Timentes enim ne alijs careant uoluptatibus,easq; appetentes,à cæteris abstinent,ab alijs superati: & si uocant intemperantiam à uoluptatibus superari.ueruntamẽ accidit eis,ut superati à uoluptatibus, alias superent uoluptates.Iam uero id illi simile est quod modo dicebat, scilicet quodam modo per intemperantiã fieri temperatos. Simile quidem,inquit Simmias. Animaduertendum est o beate Simmia,inquit,ne hæc haudquaq; recta sit ad uirtutem uia, uoluptates uidelicet uoluptatibus,dolores doloribus,& metum metu, & maius minori tanq; nummos commutare:sed ille duntaxat rectus sit nummus, cuius gratia hæc omnia oporteat commutari,atq; uenundari,scilicet sapientia,prudentia, pro qua, & cum qua omnia empta ac uendita reuera sit & fortitudo,& temperantia,& iustitia,ac summatim uera uirtus,cum sapientia siue prudentia,et accedentibus,& recedentibus uoluptatibus,& timoribus,cæterisq; generis eiusdem.Sin autem à sapientia segregata inuicem commutatur, adumbratio quædam sit eiusmodi uirtus ac reuera seruilis,nihil sani uericq; possidens:uirtutis autem ueritas in horum omnium purificatione reuera consistat: & temperantia,& iustitia,& fortitudo,& sapientia ipsa sit purificatio quædam. Quamobrem hi qui mysteria nobis constituerunt,minime contemnendi uidentur, sed reuera iamdudum occulte nos admonere,quicunq; non expiatus,neq; initiatus migrabit ad inferos, eum iacere in luto:quicunq; uero purgatus atq; initiatus illuc accesserit, cum dijs habitare. Sunt enim quemadmodum dicunt,thyrsigeri quidem multi,Bacchi uero pauci.Hi uero, ut equidẽ opinor,non alij sunt quàm qui recte philosophati sunt: quorum quidem in numero esse me,neq; inferiorem quidem omni studio pro uiribus conatus sum.An uero recte cõtenderim, aliquid ue profecerim, cum illuc peruenerimus, certò sciemus, si deus uoluerit, paulo post,ut mihi uidetur.Hæc igitur mea excusatio est,o Simmia & o Cebes,quam uidelicet ob causam cum uos eosq; qui hic sunt,dominos relinquam, merito non ægre feram, neq; perturber. Spero enim me & illic non minus q̃ hic bonos dominos amicosq; inuenturum.Multi uero id minime credunt.Si igitur defensio mea uobis magis q̃ Atheniensibus iudicibus persuasit,bene se res habet.Cum hæc Socrates dixisset,suscipiens sermonem Cebes,sic inquit:Cætera quidem o Socrates,recte dicta uidentur. Quantum uero ad ipsam animam spectat,ualde ambigunt homines,ne anima à corpore separata nusquam sit ulterius,sed ipsa die qua homo mortem obierit,intereat,statimq; seiuncta à corpore dissoluatur,atq; exhalans quasi uentus aut fumus, dissipetur atq; euanescat,neq; usquam ulterius omnino sit aliquid. Profecto si esset alicubi collecta in semetipsam, & ab his malis quę tu modo narrabas liberata,multa nimirum bonaq; spes esset,o Socrates,uera quæ dicebas fore. Cæterum ad id fortasse persuasione fideq; non parua opus est,ut credatur superesse animam post interitum hominis,atq; aliquam uim intelligentiamq; habere. Vera o Cebes loqueris,inquit Socrates. Verum quid agendum censes? an forte de his ipsis confabulandum,utrum ita fore,an aliter probabile sit? Libenter equidem,inquit Cebes,audirem de his rebus quid sentias. Neminem arbitror,inquit,hæc audientem,ne si comœdus quidem sit, esse dictum nugari nunc me,ac de quibus minime oporteat uerba facere.Si ergo placet,oportetq; cõsiderare,id hoc pacto consideremus,utrum uidelicet apud inferos sint mortuorum animæ necne. Vetus quidem hic extat sermo,cuius memores sumus,abire quidem illuc animas defunctorum,rursusq; huc reuerti,fiericq; ex mortuis.Atqui si hoc uerum est, ut ex mortuis iterum uiuentes fiant, essent animæ illic nostræ.Neq; enim rursus fierent, si alicubi non essent. Atq; hæc sufficiens coniectura est

Proponitur discutiendũ an anima hominis sit post obitũ

est,ita esse,si reuera constet haud aliunde uiuentes fieri quàm ex mortuis. At uero nisi id sit,alia opus erit ratione. Omnino,inquit Cebes. Neq; uero id in hominibus solum, inquit,si planius intelligere uis,consideres,sed in animalibus omnibus,& plantis,atq;,ut summatim dicam,in omnibus quæ gignunt,in his,inquam,omnibus consideremus nunquid omnia sic fiant,neq; aliunde quàm ex contrarijs contraria,quibuscunq; tale aliquid contingit:quemadmodum pulchrum turpi quodammodo contrarium est, & iustum iniusto,aliaq; eiusmodi quamplurima uidemus.Ergo utrum necessariũ sit,cuicunq; aliquid est contrarium,nullo modo aliunde id quàm ex suo contrario fieri? Veluti quando quid maius efficit,necesse est ex eo quod ante fuerat minus, postea maius euadere. Ita est, inquit Cebes.Nonne et si minus aliquid fiat,ex eo quod ante maius erat,postea fiet minus? Sic omnino,inquit Cebes.Quinetiam ex robustiori debilius,ex tardiori uelocius? Prorsus.Quid uero? Si quid euadat deterius,nonne ex meliori? Et si iustius,ex iniustiori?

Quid ni? In omnibus igitur satis id exploratum habemus,omnia ita fieri, contraria uidelicet ex contrarijs. Prorsus,inquit Cebes. Quid rursus,inquit? Estne mediũ aliquid inter contraria duo? Duæ uidelicet inter illa generationes,siue progressiones ab altero quidem in alterum,atq; in alterũ uicissim ab altero? Sanè inter maius atq; minus medium obtinet incrementum, & decrementum, dicimusq; id quidem crescere, illud uero decrescere. Ita,inquit Cebes. Nonne similiter discerni uicissim,atq; confundi, frigescere,& incalescere,omniaq; eodem pacto? Et si nomina nobis desunt alicubi,ubiq; tamen ita necesse est fieri,uidelicet omnia ex contrarijs inuicem,generationemq; esse utriusque uicissim in alterum? Omnino quidem,inquit. Quid uero? ei quod est uiuere, est ne aliquid contrarium? Quemadmodum ei quod uigilare est,dormire contrarium? Sic est omnino,inquit Cebes. Quidnam? Mori. An non ex se inuicẽ hæc fiunt? siquidem contraria sunt.Cumq; duo sint, duæ quoq; inter hæc generationes mutuæ siue progressiones? Nihil prohibet. Alteram quidem coniugationem eorum quæ modo dicebam,ego tibi dicam,tam ipsam quàm generationes eorum.Tu uero mihi aperies alteram.Dico autem illud quidem dormire,illud autem euigilare, atq; ex somno uigiliam fieri,& ex uigilia somnum: horumq; generationes hanc quidem conniuere, illam uero expergisci.Satisfeci tibi nec ne? Satisfeci certe,inquit Cebes. Dic tu mihi quoque similiter de uita atq; morte.An non contrarium uiuere dicis esse atq; mori? Equidem.

Et ex se inuicem fieri? Ita. Ergo ex uiuente quidnam fiet? Mortuum. Quid autem ex mortuo? Necesse est confiteri uiuens. Igitur ex mortuis ô Cebes,uiuentia fiunt atq; uiuentes. Apparet. Sunt igitur apud inferos animæ nostræ. Videtur.

Nónne ergo & generationum quæ circa hæc sunt, altera quidem manifesta est? Mori enim manifestum est.nónne? Ita prorsus. Quidnam igitur faciemus? Non reddemus uicissim generationi huic contrariam,sed hac in re duntaxat mancam dicemus naturam esse? An uero necesse est reddere ei quod mori est contrariam quandam generationem? Omnino. Quam uero istam? Reuiuiscere. Nónne igitur si reuiuiscentia est,progressio quædam hæc est ex mortuis ad uiuentes? Est utiq;. Conuenit ergo nobis hac insuper ratione,uiuentes ex mortuis fieri nihilominus quàm mortuos ex uiuentibus.Quod cum ita sit,sufficientem coniecturam hinc haberi animas mortuorũ necessario alicubi esse,unde iterum reuertantur. Videtur mihi ô Socrates hoc ex his quæ concessa sunt,necessario sequi. Animaduerte ergo,inquit, ô Cebes,haud ab re nos hæc, ut arbitror,concessisse. Nisi enim continue altera uicissim alteris redderent quasi quodam circulo remeantia,sed directa quædam progressio foret duntaxat ex altero in eius oppositum,neq; rursus reflecterentur in alterũ,facerentq; regressum,omnia tandem, mihi crede,eandem subirent figuram atq; passionem,fierique cessarent. Quónam id pacto dicis, inquit Cebes? Haudquaquã intellectu difficile est,inquit,quod loquor. Perinde enim ac si in somnum caderetur quidem,ab eo uero in uigiliam nunquam resurgeretur, minime te latet omnia tandẽ eò deuentura,ut Endymion ridicula quędam fabula uideatur,neque appareat usquam,tum cętera quoq; uniuersa somno similiter opprimantur.Proinde si confunderentur quidem omnia,nunquam uero discernerentur, Anaxagoræ illud repente contingeret,uniuersa uidelicet esse simul. Eadem ratione ô amice Cebes, si quæcunq; uitam acceperint,moriantur,mortua uero cum fuerint,mortua relinquantur, neq;

iterum reuiuiſcant,an non neceſſarium eſt omnino, cuncta demum interñſſe, nihilq; uiuere? Nam ſi ex alijs quidem uiuentia fierent,poſtea uero perirent,quid obſtaret quo minus in interitũ cuncta conſumerentur? Nihil prorſus ô Socrates,inquit Cebes,ſed mihi omnino uera loqui uideris. Eſt certe ô Cebes,inquit,maxime omnium ita ut mihi uidetur:neq; nos hæc ipſa quaſi decepti confeſſi ſumus,ſed reuera reuiuiſcentia eſt, atq; ex mortuis uiuentes fiunt,mortuorũq; ſuperſunt animæ.Atq; bonis quidem melius eſt,malis uero peius. Atqui & ſecundum illud ô Socrates,inquit Cebes,quod frequenter uſurpare ſoles,ſi modo uerum eſt,diſciplinã uidelicet noſtrã nihil eſſe aliud quàm reminiſcentiam:& ſecũdum hoc inquam,neceſſe eſt nos in ſuperiori quodam tempore, ea quorum nunc reminiſcimur,didiciſſe.Id uero fieri non poſſet,niſi prius anima noſtra fuiſſet alicubi quàm in hanc humanã ſpeciem deueniret.Quamobrẽ & hac ratione immortale quiddam anima uidetur eſſe. At quales huius rei demonſtrationes, inquit Simmias, habes ô Cebes? Commemora nobis eas.non enim ſatis in præſentia memini. Vna quidem ratio eſt pulcherrima,inquit Cebes,quod interrogati homines ſi quis eos recte interroget, ipſi omnia quemadmodũ ſunt reſpondent. Atqui nunquam id facere poſſent,niſi ineſſet ipſis ſcientia rectaq; ratio. Deinde ſi quis eos ad geometricas figuras deſcriptionesq;,uel ſimile aliquid conuerterit,ibi manifeſte cõperiet id ita ſe habere. Si hęc ô Simmia ratio, inquit Socrates,tibi non ſatisfacit,attende an ſic tibi conſiderãti idem quod nobis uideatur. Diffidis enim eam quam diſciplinam uocant,reminiſcentiã eſſe poſſe. Haud equidem diffido,inquit Simmias. Veruntamen id expedit mihi diſcere de quo ſermo eſt,ſcilicet reminiſci. Ac fermè ex his quæ Cebes cœpit dicere,iam recordor & credo. Nihilo minus tamen & à te ô Socrates,qua ratione id modo probare ipſe aggrediebaris, perlibenter audirem. Hac equidem ratione,inquit Socrates.confitemur ſanè quodammodo, ſi quis alicuius reminiſcatur,oportere ipſum prius aliquãdo id ſciuiſſe. Prorſus,inquit Simmias. Nunquid ergo & hoc confitemur,inquit,quoties ſcientia hoc modo prouenit,reminiſcentiam eam eſſe? Dico autem hoc pacto.Siquis aliud quiddam uiderit uel audiuerit,uel alio perceperit ſenſu,neq; ſolum idipſum cognoſcat,uerum etiam cognoſcat aliud quiddam,cuius non una eademq;,ſed alia ſcientia ſit,nónne merito dicemus hũc eius rei reminiſci,in cuius peruenerit notionẽ? Quónã pacto id dicis,inquit Simmias? Hoc, inquit Socrates. Alia quodammodo hominis ſcientia eſt,alia lyræ. Quid ni,inquit Simmias. An ignoras hoc amantibus euenire,cum lyram aut ueſtem,aut quid aliud ex his aſpiciant quibus uti eorum amatæ conſueuerũt.Nam & agnoſcunt lyram,& ſimul mente formam recolunt puellæ cuius erat lyra.Hoc uero eſt reminiſci. Ceu ſi quis cum Simmiam uiderit ſæpe,Cebetis recordetur,& cætera eiuſdem generis infinita. Infinita per Iouem,inquit Simmias. An nõ igitur,inquit,tale quiddam recordatio quædam eſt? Maxime uero ſi id nobis in illis contingat rebus, quas longitudine temporis,& negligentia obliuioni iam tradiderimus? Ita certe,inquit Simmias. Quid uero, inquit Socrates. Contingit'ne,ut qui equum pictum uiderit,pictamq; lyram,reminiſcatur hominis? Atq; cum pictum aſpexerit Simmiã,ueniat illi in mentẽ & Cebes? Sic utiq;,inquit. Nónne euenit etiam,ut qui Simmiam inſpexerit pictum, ipſius quoque Simmiæ recordetur?

Oſtenditur noſtra ſcientia eſſe reminiſcentia

Quid reminiſcentia

Quo pacto fiat reminiſcentia

Euenit certe. An non ſecundum hæc omnia contingit, tum à ſimilibus, tum à diſſimilibus reminiſcentiam prouenire? Contingit. Verum quoties à ſimilibus quiſpiam reminiſcitur,an non neceſſe eſt id inſuper intelligere,utrum deficiat hoc ſecundum ſimilitudinem,necne, ab illo cuius repetita memoria eſt? Neceſſe eſt. Attende ſanè,nunquid hæc ita ſe habeant. dicimus aliquid eſſe æquale? nõ dico lignum ligno,neq; lapidem lapidi,neq; aliud eiuſmodi quicq;,ſed præter hæc omnia aliud quiddam æquale.ipſum dicimus'ne aliquid eſſe,an nihil? Dicimus per Iouem, & quidem mirifice. An ſcimus & ipſum quod eſt æquale? Omnino quidem. Vndenam ſcientiam eius accepimus? An nõ ex his quæ modo diximus,uidelicet cõſpicati uel ligna,uel ſaxa, uel alia quædam æqualia,ex his illud excogitauimus,quod aliud eſt q̃ hæc? An non aliud quiddam apparet? Conſidera uero & hoc pacto. Nónne ſaxa, uel ligna æqualia dum eadem ſunt, aliàs æqualia,aliàs inæqualia nobis apparent? Penitus. Quid autem ipſa æqualia? poſſunt inæqualia tibi uideri? uel æqualitas,inæqualitas? Nunquã ô Socrates. Quamobrem non idem ſunt hæc æqualia atq; ipſum æquale. Nullo modo idem mihi apparent ô Socrates

crates. Veruntamen ab his æqualibus quæ alia sunt ꝙ ipsum illud æquale, ipsius simul excogitasti scientiam atq; percepisti. Verissima loqueris. An non siue simile ipsum sit, siue dissimile? Omnino. Nihil sane refert. quatenus ẽ aliud conspicatus, ex hac ipsa perspectione aliud intellexeris, siue simile, siue dissimile, necesse est hinc reminiscentiam prouenire. Et maxime quidem. Quid uero ad id? An sic nos habemus circa quæ sunt in his quæ modo dicebamus æqualia, lignis, saxisq; & alijs? Videntur ne ita æqualia hęc esse, ut ipsum quod est æquale? an deesse potius aliquid quo minus talia sint quale est ęquale ipsum, an nihil? Permultũ certe deest. Nónne confitemur quando quis aliquid intuens, animaduertat appetere quidem hoc quod in prẹsentia uidet, esse tale quale quiddam aliud ex his quæ sunt, uerũ deficere, neq; posse tale esse æquale, quale sit illud, sed deterius esse, necesse esse eũ qui animaduertit, ante cognouisse illud cui dicit hoc quodammodo simile fieri, sed ad plenam similitudinẽ non accedere? Necesse est. Quid ergo? tale ne aliquid cõtingit & nobis necne? circa hæc æqualia ipsumq; æquale? Quamplurimum. Necesse est ergo nos æqualis ipsius scientiã ante illud tempus habuisse, in quo primum uidentes æqualia, agnouimus conari quidem hæc omnia talia euadere quale est ipsum, attamen à pertectione ipsius abesse. Ita est. Atqui & hoc cõfitemur, nos neq; aliunde id agnouisse, neq; agnoscere posse, ꝙ ex uisu, uel tactu, uel alio quodam sensu. similiter enim de his omnibus iudico. Similiter ô Socrates, ad id se habẽt de quo agitur, ostendendum. Atqui à sensibus quidem intellexisse oportet, omnia quæ subiecta sunt sensibus, illud quod est æquale appetere, quamuis ipsum nõ assequant. an aliter dicimus? Haud aliter. Ante enim ꝙ inciperemus uidere, aut audire, alijsq; uti sensibus, oportuit nos æqualis ipsius scientiam possedisse, uidelicet quid ipsum sit, si modo æqualia hæc quæ sensibus subiacent, ad ipsum adeo relaturi simus, ut iudicemus anniti quidẽ hæc omnia talia quale ipsum est euadere, ueruntamẽ deteriora relinqui. Necessario, inquit Simmias, ex superioribus id, ô Socrates, sequit. An nõ statim, inquit, nati uidimus, & audiuimus, aliosq; sensus exercuimus? Omnino. Oportuit aũt, ut diximus, ante hæc ipsius æqualis scientiam habuisse. Oportuit. Quamobrem, ut uidetur, necesse est antequam nasceremur eam comprehendisse. Sic apparet. Nónne si eam sortiti ante natiuitatẽ ipsam iam habentes nati sumus, sciuimus & ante ortum, atq; statim nati non solum ipsum æquale maiusq; & minus, uerum etiam eiusdem generis omnia? Non enim de æquali magis nũc nobis est sermo, quàm de ipso pulchro, de ipso bono, de ipso iusto atq; sancto, &, ut dico, de omnib. quibus proprie hoc ipsum quod est assignamus, & interrogationibus interrogantes, & responsionibus respondẽtes, ut necessarium sit nos anteq; nasceremur horum omnium scientiam habuisse. Est ita. Ac si acceptis scientijs, nõ semper obliuisceremur, oporteret & cum ipsis nasci, semper etiam per omnem uitam scire. Nam scire, id est acceptam alicuius rei scientiam retinere, nec amisisse. An non obliuionem scientiæ iacturam esse dicimus? Ita prorsus ô Socrates. Si nautem acceptam ante ortum scientiam, nati amisimus: deinde uero freti sensibus circa ipsas scientias, illas quas ante habueramus, recipimus: nónne id quod discere appellamus, esset scientiam propriam recuperare, atq; id reminisci nominantes, recte nominaremus? Recte. Fieri enim id posse apparuit. Videlicet, ut cum quis aliquid senserit, uel uidendo, uel audiẽdo, uel aliter sentiendo, aliud quiddã ex hoc agnoscat cuius erat oblitus, cui quidem hoc quodãmodo propinquabat, siue simile sit id, siue dissimile. Ita quod iampridẽ dico, è duob. alterum. Aut enim scientes nati sumus, scimusq; per omnem uitam omnes: aut quos deinde dicimus discere, duntaxat reminiscunt, atq; disciplina reminiscentia est. Sic omnino se res habet, ô Socrates. Vtrum igitur eligis ô Simmia? uel cum scientia nos esse natos, uel reminisci posstea quorum prius scientiã acceperimus? Ambigo utrum in præsentia Socrates eligã. Quid uero, potes ne eligere quid de hoc uideat tibi? Vir sciens potest ne eorũ quæ scit reddere rationem, an contrà? Necesse est ô Socrates posse. An uero tibi uident omnes rationem de his quæ modo tractabamus, afferre posse. Optarem equidem. sed multo magis uereor ne cras nullus hic homo sit, qui pro dignitate id sciat efficere. Nõ igitur ô Simmia, putas omnes hoc intelligere? Nullo modo. Reminiscunt ergo quę aliquando didicerãt. Necesse est. Quando uero acceperunt animæ nostræ scientiã? Non em postquã homines nati sumus. Non certe. Ergo prius. Ita. Erãt igit Simmia ani-

mæ etiam prius quàm in humanam ſpeciem deuenirent, ſeorſum à corpore, intelligentiamq; habebant. Niſi fortè ô Socrates, dum naſceremur ipſas ſcientias acceperimus. Nam id etiam tempus reliquũ eſt. Eſto ſic ô amice. Sed quonam alio tempore eas amiſimus? Non enim habentes iam eas naſcimur, ut modo confitebamur. An in eodem perdidimus, quo & accepimus? an aliud tempus efferre potes? Nullo ô Socrates modo, ſed nihil me dicere minime aduertebam. An ergo ſic nobis ſe res habet, ô Simmia? Siquidem ſunt ea quæ quotidie prædicamus, pulchrum ſcilicet quiddam atq; bonum, & omnis eiuſmodi eſſentia, ad quam omnia ſenſibus percepta referimus, quæ & prius erant noſtra, & tanquam noſtram quærentes inuenimus, atq; ad ipſius exemplar referimus, neceſſe eſt ita ut & ipſa ſunt, noſtram quoq; animam prius etiam quàm naſceremur, extitiſſe. At ſi hæc non ſunt, fruſtra utiq; ratio hæc tractata eſſet. An non ita ſe habet, atq; par neceſſitas eſt, & ipſa eſſe, & animas noſtras antequam naſceremur, & niſi ipſa ſunt, neq; hęc utiq; ſunt. Mirifice ô Socrates. Eadem mihi uidetur eſſe neceſſitas, atque pulcherrima huc ratio nos perducit, ut ſimiliter tam animam noſtram quàm eſſentiam ipſam quã modo dicebas, antè quàm naſceremur extitiſſe confiteamur. Nihil enim tam certum habeo, quàm eſſe eiuſmodi omnia et quidem maxime, ſcilicet pulchrum ipſum, et bonum, aliaq; omnia quæ tu modo dicebas. Et quantum ad me attinet, ſatis eſt demonſtratum. Quid uero uidetur Cebeti? Oportet enim illi quoq; perſuadere. Satis & illi arbitror perſuaſum, inquit Simmias, quamuis omnium repugnantiſſimus ſit, & ad credendum tardiſſimus. Opinor tamẽ ſufficienter illi probatum, ante ortum noſtrum animam extitiſſe. An uero poſt interitũ noſtrum etiam futura ſit, nec mihi quidem ipſi ô Socrates, ſatis adhuc uidetur oſtenſum. Sed nunc etiam reſtat multorum dubitatio illa quam in medium Cebes adduxerat, ne uidelicet homine moriẽte, ſimul anima diſſipetur, atq; ita eſſe deſinat. quid enim prohibet fieri quidem illam & aliunde conſtitui, atq; eſſe prius etiam quàm in corpus hominis laberetur: poſtquam uero ab eo diſceſſerit, tunc illam inſuper interire?

Recte loqueris Simmia, inquit Cebes. Videtur enim quaſi dimidiũ eius quod oportet probatum, antè uidelicet quàm naſceremur, noſtram animam extitiſſe: oportere autem id quoque oſtendere, poſtquam mortui fuerimus, non minus fore, quàm eſſet antequam naſceremur, ſi modo finem ſuum demonſtratio ſit habitura. Demonſtratũ quidem eſt, inquit Socrates, iſtud ô Simmia & ô Cebes, etiam nunc, ſi modo uelitis, & id quod modo probatum eſt, & illud quod antè conceſſeramus, uidelicet omne uiuens ex mortuo fieri, in unum cõnectere. Si enim eſt anima prius: & quum in hanc uenit uitam, fitq; homo, neceſſe eſt nõ aliunde eam quàm ex mortuis proficiſci: cur non neceſſarium ſit, ut etiam poſt mortem corporis maneat, quum oporteat ipſam ad hanc uitam reuerti? Demonſtratum igitur & nunc eſt quod dicitur. Veruntamen uidemini tu atq; Simmias cupere idem rurſus diligentius pertractari: ac forſitan puerorum more formidatis, ne reuera corpore egredientem uentus diſſoluat, atque diſpergat, præſertim ſi uentis uehementius flantibus exeat. Ad hæc Cebes ſubridens, tanquam nobis id formidantibus, inquit, ô Socrates, contrà perſuadere conare. imò uerò nõ tanquam formidantibus nobis, ſed fortè eſt inter nos puer aliquis talia metuẽs: huic ergo annitamur perſuadere, ne mortem ceu laruas pertimeſcat. Oportet certe, inquit, huic mederi carminibus quotidie, quoad ſanus efficiatur. Sed ubinam, inquit Cebes, medicum eiuſmodi nanciſcemur, ô Socrates, quum tu deceſſeris? Ampla eſt, inquit, ô Cebes, Græcia, in qua ſunt uiri præſtantes, quamplurimæ ſunt barbaræ nationes, per hos omnes eiuſmodi medicum debetis perquirere, neque pecuniis parcentes, neque laboribus. Nihil eſt enim pro quo commodius omnia quis expendat. Perſcrutandum quoq; eſt etiam inter uoſipſos. fortè enim non facile inuenietis qui melius quàm uos id queat efficere. Fiet quidem, inquit Cebes, ſed redeamus iam, ſi tibi placet, unde digreſſi ſumus. Mihi quidem placet, inquit. Quid enim prohibet? Recte reſpondes, inquit Cebes. An non tale aliquid, inquit, à nobiſipſis ſciſcitari debemus? Cuinam & quali conueniat ea paſſio per quam diſſolui poſſit. Et cui qualiq; ſit metuendum ne id patiatur. Et ſecundum quam qualemq; eius partem: deinde conſiderare cuiuſmodi anima ſit: demum ex his animæ noſtræ gratia uel confidere, uel timere. Vera loqueris, inquit. Nónne igitur ei quod componitur, iamq; compoſitum eſt, natura id pati conuenit, ut quatenus eſt compoſitum, diſſoluatur?

Siquid

Si quid uero non sit compositum, huic soli potissimum nulla accidit dissolutio? Mihi quidem sic apparet, inquit Cebes. An non quæ semper secundum eadem eodemq; modo se habent, inquit, hæc maxime esse conuenit simplicia? quæ uero aliàs aliter, nec unq; secundum eadem, hæc esse composita. Ita equidem opinor. Redeamus iam ad illa, ad quæ in superiori disputatione processimus. Ipsa essentia cuius interrogando respondendoq; definitionem hoc ipsum quod est assignauimus, utrum eodem modo, & secundum eadem se semper habet? an aliàs aliter? uidelicet & ipsum æquale, ipsum pulchrũ, ipsum unumquodq; quod est ens, utrum mutationem aliquando aliquam ipsa recipiũt, an ipsorum unumquodq; semper id quod est uniforme existens ipsum per seipsum, eodem modo & secundum eadem se habet, neq; unquam, neq; usquam, nec ullo pacto mutationem aliquam suscipit? Necesse est o Socrates hęc, inquit Cebes, eodem modo, & secundum eadem se semper habere. Quid autem dicemus de multis, inquit, quæ similiter pulchra dicunt, scilicet hominibus, equis, uestibus, uel alijs quibuscunq; talibus, quæ uel pulchra dicuntur, uel æqualia, uel etiam de omnibus quæ illis synonyma sunt? num hæc secũdum eadem se semper habent? An potius omnino contrà quàm illa, uidelicet neq; ipsa sibimet, neq; inuicem unquam, ut simpliciter loquar, ullo pacto secundum eadem eodemq; modo se habent? Hæc o Socrates, inquit Cebes, nunquã eodem modo sunt. Et hæc quidem tangi, uideri, alijsq; sensibus attingi possunt. Quę uero semper secundum eadem permanent, sola intelligentiæ ratione percipiuntur, suntq; inuisibilia quæ talia sunt, neq; cernuntur unquam. Vera omnino loqueris, inquit. Vis ergo duas rerum species ponamus, alteram uisibilium, inuisibilium alteram? Ponamus, inquit. Et inuisibile quidem modo semper eodem esse, uisibile uero nonnunquam eodem? Hoc quoq; ponamus, inquit. Age iam, aliud ne in nobis est quàm hinc quidem corpus, inde uero anima? Nihil aliud, inquit. Vtri nam speciei corpus esse similius cognatiusq; dicimus? Nemini dubium, inquit, quin uisibili. Quid uero anima? Visibile ne aliquid est, an contra? Non hominibus quidem o Socrates, inquit. Atqui nos de ijs duntaxat quæ ab hominum natura uideri uel non uideri possunt, loquebamur. An de ijs quæ ad aliam naturam spectant, tractabamus? De ijs duntaxat quæ ad humanam, inquit. Quid ergo de anima dicebamus? Nunquid uisibilem esse? Non uisibilem. Inuisibilem ergo? Ita. Anima igitur inuisibili speciei similior est quàm corpus. Corpus uero uisibili. Necessarium id est omnino. An non & hoc euenire in superioribus dicebamus? Vt cum anima ad aliquid considerandum socium sibi corpus assumit, uel per uisum, uel per auditum, uel per alium sensum: hoc enim est per corpus considerare, quia per sensus id agitur: tunc quidem à corpore trahatur ad ea quæ nunquam eodem modo sunt, atque ipsa aberret, perturbeturq;, quasi ebria uacillet, utpote quæ talia quædam attigerit. Prorsus

Duæ rerum species, uisibile & inuisibile

At uero quoties ipse animus per seipsum excogitat, illuc se confert ad purum, sempiternum, immortale, semper eodem modo se habens: & tanquam ipsius cognatus semper inhæret illi, quoties ipse redierit in seipsum, eiq; liceat, cessetq; ab errore: & circa illa semper secundum eadem eodem modo se habet, utpote qui talia iam attigerit. Atq; hæc eius affectio, sapientia siue prudentia nominatur. Præclare, inquit, ac uere omnino loqueris ò Socrates. Vtri igitur speciei rursus tibi uidetur, ex his quæ & in superioribus & modo dicta sunt, anima esse similior atq; cognatior. Arbitror equidem o Socrates, quemlibet, inquit, uel indocilem prorsus, & pertinacẽ ex hac discursione cõcessurum, animam & per totum atq; per omne, similiorem esse ei quod semper eodem modo est quàm oppositio. Quid autem corpus? Alteri speciei. Considera rursus hoc pacto. Quamdiu in eodem sunt anima atq; corpus, hoc quidem seruire atq; subesse natura iubet, hanc uero præesse atq; dominari. Secundum hæc rursus utrum tibi uidetur simile esse diuino, utrum mortali? An non putas diuinum quidem tale esse natura, ut præsit & ducat: Mortale uero, ut subijciatur ac seruiat? Puto equidem. Vtri igitur horum est anima similis? Constat o Socrates, animã quidem similem esse diuino, corpus uero mortali. Animaduerte iam o Cebes, num hæc ex omnibus quæ dicta sunt, consequanť. Videlicet ipsi diuino, immortali, intelligibili, uniformi, indissolubili, semper eodem modo & secũdum eadem seipsum habenti, animam esse simillimam: humano uero, mortali, nec intelligibili, multiformi, dissolubili nunq; eodem modo sibimet se habenti, simillimum esse corpus.

Argumentum ab actionibus

Possumus

Possumus' ne o amice Cebes, hæc præter aliud quicquã afferre, quo minus ita sit? Non possumus. Quid ergo? Cum hæc ita se habeant, nonne corpori conuenit ut breui soluatur? Animæ uero, ut omnino indissolubilis sit, uel aliquid rei omnino indissolubili propinquum? Quid ni? Cernis igitur postquam mortuus homo fuerit, quod in eo uisibile est corpus & in loco uisibili positũ, quod cadauer appellamus, cui conuenit ut dissoluatur, concidat, diffluat, nihil horum subito pati, sed multũ aliquando tempus supersse, si quis corpore perbelle affecto decesserit. Corpus enim seruatum, & rebus quibusdã ad durationem curatum, quemadmodum in Ægypto faciunt, incredibile quoddã tempus fermè integrum manet: Quinetiam si putrescat, tamen nonnullæ corporis partes, ossa uidelicet neruiq; atq; similia, ut ita dicam, immortalia permanent. An non? Ita. Anima uero quæ inuisibile quiddam est, in similem quendam aliumq; locũ migrans, excellentem, purum, inuisibilem, nobis occultũ, reuera ad bonum sapientemq; deum, quò si deus uoluerit, paulo post meo quoq; animo est migrandum: anima inquam talis, taliq; natura prędita, nunquid cum primum à corpore liberata fuerit, dissipabit atq; interibit, ut multi putant? Permultum abest o dilecte Cebes atq; Simmia, imò multo magis ita se res habet, si quidem pura discesserit, corporeũ nil secum trahens, utpote quæ sua cum illo inuita communicauerit, sed fugerit illud semper, seq; in se collegerit tanq; semper id meditata: quod quidem nihil est aliud quàm recte philosophari, mortemq; reuera facile commentari. an non hæc est meditatio mortis? Est omnino. Anima, inquam, si sic affecta discesserit, nonne ad aliquid sibi simile diuinum abit? diuinum, & immortale, & sapiens? quò cum peruenerit, euadit felix, ab errore, dementia, timoribus, durisq; amoribus, cęterisq; humanis liberata malis: & quemadmodũ de initiatis dici solet, reuera reliquum tempus uitã cum dijs agit? Ita'ne dicendum est o Cebes, an aliter? Ita per louem, inquit Cebes. Sin autem polluta impuraq; decedat, utpote quæ corpus semper amplexa ipsum duntaxat coluerit, & amauerit, eiusq; uoluptatibus & libidinibus quasi ueneficijs quibusdam delinita fuerit, & usqueadeo capta, ut nihil aliud putet esse uerum, nisi quod corporeum sit, quod tangi, quod uideri possit, quod'ue bibat, & quod edat, & quo in uenereis utatur: quod uero oculis quidem occultum & inuisibile sit, ueruntamen intelligibile, & philosophia comprehendendum, habere odio consueuerit, tremereq; & fugere: sic, inquam, institutam animam, putas' ne ipsam per se syncerã euadere? Nullo modo, inquit. Sed infectam inuolutamq;, ut arbitror, contagione corporea, quam consuetudo congressusq; cum corpore propter continuã familiaritatẽ, plurimumq; eius cultum effecit quasi congenitam? Ita putamus. Ponderosum uero o amice, id putandũ est, & graue terrenumq;, & uisibile, quod anima eiusmodi secum trahit: ideoq; ab eo grauatur, & ad uisibilem trahitur locum metu inuisibilis, atq; occulti: & quemadmodũ fertur circa monumenta sepulchraq; uersaẽ, circa quæ iam nonnulla apparuerunt animarum umbrosa phantasmata, qualia præferunt simulacra tales animæ, quæ uidelicet nõ puræ decesserũt à corpore, sed uisibile aliquid trahentes: quo fit ut uideri possint. Consentaneum est o Socrates. Consentaneum tamen o Cebes, non esse has bonorum animas, sed malorum, quæ circa hæc oberrare coguntur, pœnas dantes uitæ improbe actæ. Itaq; tam diu circumuagantur, quoad cupiditate naturæ corporeæ comitante, rursus induant corpus. Induunt autem, ut decens est, eiusmodi mores quales in uita exercuerũt. Quales dicis mores o Socrates? Eiusmodi. Eos quidem qui uentri dediti per inertiam atq; lasciuiam uitam egerunt, neq; quicquam pensi pudoriscq; habuerunt, decens est asinos similiaq; subire. An non putas? Consentanea loqueris. Qui uero iniurias, tyrannides, rapinas, præ cæteris secuti sunt, in luporum, accipitrum, miluorum genera par est pertransire. num aliò has migrare dicendum est? Ita potissimũ, inquit Cebes. Similiter & in cæteris. abeunt enim in genera quælibet, quibus in uita mores similes contraxerunt. Manifestum id quidem. Nonne horum felicissimi sunt, & in optimum proficiscuntur locum, quicunq; popularem ciuilemq; uirtutem, quam temperantiam & iustitiam nominant, exercuere absq; philosophia quidem atq; mente, sed ex consuetudine exercitationeq; acquisitam? Quonam pacto hi felicissimi sunt? Quoniam decens est hos in tale quoddam genus iterũ ciuile miteq; demigrare quodãmodo apum, aut uespariũ aut formicarũ, atq; deinde in idem rursus genus humanũ, modestosq; ex illis homines fieri. Ita decet. In deorũ uero genus nulli fas est peruenire, pręter eos qui discẽdi cupiditate

Aegyptijdiu seruãt cadauera medicamentis

Animasprauorũ uersari circa sepulcra atq; umbrosas imagines apparere

cupiditate flagrantes,& philosophati sunt,& puri penitus discesserunt. Horũ quidem gratia o amice Simmia atq; Cebes qui recte philosophantur,ab omnibus corporis cupiditatibus abstinent,atq; ita perseuerant,nec se illis unquam tradunt, neq; familiæ iacturam paupertatemq; formidãt,quemadmodum multi pecuniarum cupidi,neq; rursus contemptum atq; ignominiam,quemadmodum qui magistratus ambiunt et honores,deinde ab his abstinent.Neq; enim deceret o Socrates.Non per Iouem.Quamobrem hi qui animum suum colunt,neque corpori fingendo uiuunt, spretis his omnibus haudquaquã ea gradiuntur uia qua superiores illi quos narrauimus,qua uidelicet quo proficiscantur ignorent.Ipsi uero existimantes philosophiæ eiusq; solutioni repugnandum non esse,hanc ea sequuntur uia qua eos ipsa ducit.Quonam pacto o Socrates?Dicam equidem.Cognoscunt profecto uiri scientiæ cupidi,quemadmodum eorum animam suscipit reuera ligatam in corpore,atq; implicitam, ac per ipsum quasi per carcerem quendam res considerare coactam:cumq; per seipsam id non faciat,omni prorsus insciția inuolutam:cognoscunt præterea,quemadmodum philosophia perspiciens q̃ callide corporeũ uinculum astringat animam:quippe cum per ipsam fiat concupiscentiam,per quam deuinctus animus adiutor sit ad seipsum deuinciendum: cognoscunt inquam uiri scientiæ cupidi,quemadmodum philosophia eorum animam ita constitutam suscipiẽs, paulatim instruit,soluereq; aggredit̃,ostendens quàm fallax oculorum, quàm fallax aurium, cæterorumq; sensuum sit iudicium,suadens ab his discedere, quatenus hærere illis summa non cogat necessitas,seq; in seipsam reuocare atq; colligere, nec ulli credere præterquam sibi,quatenus uidelicet ipsa per seipsam intelligat quodlibet eorum quæ sunt,existens per seipsum. Quod uero ipsa per alia consideret existẽs in aliis aliud,nihil existimare uerum:esse uero eiusmodi quidem sensibile atq; uisibile: quod autem ipsa se consideret,intelligibile atq; inuisibile.Huic ergo solutioni ueri philosophi animus repugnandum non esse iudicans,sic à uoluptatibus,cupiditatibus,doloribus,timoribus,pro uiribus abstinet,iudicans quando quis uehemẽter delectetur, uel metuat,uel doleat,aut cupiat,haud tantũ ab his duntaxat pati malum, quantũ quis forsan existimarit,uidelicet si propter concupiscentias uel ægrotet quispiam,uel pecunias consumpserit,sed quod malorum omnium maximum,extremum, turpissimũ est perpeti,neq; tamen illud animaduertere. Quidnam hoc o Socrates est,inquit Cebes. Quod uidelicet omnis anima cogitur delectari,uel dolere circa aliquid uehementer,si mulq; putare illud circa quod hoc maxime patitur, manifestissimũ esse atq; uerissimũ, cum longe sit secus.Hęc aũt maxime sunt quæ uisibilia sunt.nónne?Omnino.An non in hac passione anima quammaxime ligatur à corpore?Quonam pacto?Quoniã omnis uoluptas atq; dolor quasi clauum tenens animã corpori affigit,atq; connectit,efficitq; corpoream adeo, ut iam opinetur ea esse uere quæ suadeat corpus. nempe ex eo quòd eadem opinetur cum corpore,eisdemq; oblectetur,cogitur,ut puto,eiusdem moris,eiusdemq; alimoniæ fieri:ut nunquã possit pura in uitam alteram proficisci,sed semper plena corporis labe egrediatur.ideoq; cito cadat rursus in aliud corpus, & quasi sata iterum innascatur,atq; propterea à commercio diuinæ,puræ,uniformis essentię aliena prorsus euadat. Verissima,inquit Cebes, narras o Socrates. Horum igitur gratia o Cebes iusti scientiæ studiosi temperantiam,fortitudinemq; sequuntur,non autem illorum,quorũ gratia censet uulgus.An tu putas?Minime quidem.Non certe. Sed ita ueri philosophi animus cogitaret,nec ullo modo arbitrarẽt,cum ipsum philosophia soluisset,oportere iterum uoluptatibus doloribusq; se dedere,iterumq; uinciri, atq; irritũ opus facere,quasi telam Penelopes retexentem.Imò uero horum tranquillitati studẽs sequensq; rationem,ac semper in ea permanens,uerum, & diuinum, opinionemq; supereminens contemplatur:à quo nutritus ita uiuendum censet quamdiu uiuat, atque sperat se ubi decesserit in cognatũ atq; tale migrantẽ ab humanis eximi malis.ex huiusmodi quidẽ educatione nõ est cur metuat o Simmia et Cebes,ne cũ recedat à corpore, distrahatur & dissipetur,omnisq; in uentos uita recedat,& supersit nihil quicquam.

Cum

VM hæc Socrates dixisset,longum factum est silentiũ.& ipse quidem Socrates quæ dicta fuerant secum ut uidebatur repetebat,idemq; plerique nostrum faciebant.Cebes autem & Simmias parumper insuper inuicẽ collocuti sunt.Hos ergo intuitus Socrates,Quidnã uobis,inquit,de his quę dicta sunt,uidet? An forte aliquid insuper in his desideratis?Multę enim adhuc dubitationes obiectionesq; supersunt,si quis sufficiẽter ea sit tractaturus.Si igit aliud quiddã inter uos agitatis,nihil dico:sinautẽ in his quæ dicta sunt hæsitatis,ne uereamini loqui atq; percurrere,si qua in parte putatis melius dici posse. Quinetiã sociũ me assumite,si mecũ id cõmodius fieri posse existimatis. Verum equidẽ,inquit Simmias,tibi ô Socrates,fatebor.Iamdudum ambigens uterq; nostrum impellit alterum,iubetq; interrogare propter audiendi cupiditatẽ.Veremur autem ne id tibi ob præsentẽ calamitatẽ rogitando simus molestiores.Hæc Socrates audiẽs,leniter arrisit dicẽs,Papæ ô Simmia,q; difficile alijs persuaderem hanc me fortunam haudquaquã aduersam existimare,quãdo ne uobis quidẽ id persuadere possum.quippe cum metuatis ne difficilior mœstiorq; sim in præsentia,q; in superiori fuerim uita.Atq;, ut apparet, deterior cygnis ad diuinandũ uobis esse uideor.Illi quidẽ quando se breui præsentiunt morituros,tunc magis admodũ dulciusq; canunt q; antea consueuerint,congratulantes quòd ad deum sint cuius erant famuli,iam migraturi.Homines uero cum ipsi mortẽ expauescant,cygnos quoq; falso criminant,quòd lugentes mortem ob dolorem cantum emittant.Profecto haud animaduertunt nullam esse auẽ quæ cantet,quando esuriat,aut rigeat,aut quouis alio afficiatur incõmodo.Non ipsa philomela,nec hirũdo,nec epops, quas ferunt per querimoniã cantare lugentes.At mihi neq; hæ aues præ dolore uidentur canere,neq; cygni:sed quia Phœbo sacri sunt,ut arbitror,diuinatione prædĩti prę sagiunt alterius uitæ bona: ideoq; cantant alacrius gestiuntq; ea die, q; superiori tempore.Equidem & ego arbitror me cygnorũ esse conseruũ,eidemq; deo sacrum, neq; deterius uaticinium ab eodem domino habere q; illos,neq; ignauius è uita decedere.Qua propter licet uobis huius gratia dicere,& interrogare quicquid libet,quoad Athenien sium undecemuiri sinunt.Præclare loqueris,inquit Simmias. Itaq; & ego tibi aperiam qua in re dubitẽ,et rursus hic Cebes quidnã ex superiori disputatione minus admittat. Mihi quidẽ ô Socrates,quemadmodũ fortasse tibi quoq;,uidetur de his quidem rebus manifesta ueritas in uita præsenti, aut nullo modo, aut summa cũ difficultate intelligi posse.Quæ porrò de his dicunt,ea nõ omni modo & explorare,& nõ prius desistere q; examinando omnia,animũ despõdeas,mollis nimium iudico esse uiri.oportet em̃ circa hæc alterutrum efficere:aut discere inuenireq; quemadmodũ se habeant:aut si hæc fieri nequeant,optimã atq; tutissimam humanarũ rationum eligere,qua quis tanquam rate uehat,atq; ita procellas huius uitæ pertrãseat,si nequeat firmiori quodam uehiculo,uel diuino aliquo uerbo tutius ac minori cũ periculo tranare.Atq; ego nunc non uerebor interrogare,præsertim cum ad hoc ipse nos adhorteris,ne forte meipsum quandoq; sim culpaturus,q; nũc quæ mihi uideant minime dixerim.Profecto mihi ô Socrates unà cum hoc Cebete tua dicta reputanti haud satis cõfirmata uident.Forsan,inquit Socrates,uerè o amice,opinaris.Sed dic qua in parte minus sufficiẽter dicta fuisse censeas.In hac utiq;,inquit Simmias.Nempe de harmonia & lyra & fidib.idẽ posset quispiam dicere,harmoniam uidelicet esse inuisibile quiddam,& incorporeum, & perpulchrum atq; diuinũ in lyra rite temperata:ipsam uero lyrã fides q; corpora esse, atq; corporea & cõposita terrestriaq; et mortali cognata.Cum igitur aliquis uel lyram fregerit uel fides inciderit,siue disruperit,poterit quis eadẽ qua tu ratiõe probare, necessarium esse illam supereſse harmoniã neq; disperdi.Nulla enim machinatio foret lyrã quidem esse adhuc fidibus iam disruptis,atq; ipsas fides mortalis generis:harmoniam uero quę diuini & immortalis cognata erat,prius q; mortale illud interisse. Ille uero diceret adhuc esse alicubi harmoniã,atq; prius ligna & fides putrefieri q; illa aliquid patiat. Arbitror equidẽ o Socrates,te animaduertisse,nos tale aliquid potissimũ esse animã cogitare.Esse uidelicet in corpore nostro intentionẽ,& complexionem quandam ex calido, frigido,sicco,humido,cæterisq; talibus,horumq; temperantiã cõsonantiamq; animam esse,resultantẽ uidelicet in corpore postquã hæc ipsa bene moderateq; inuicem temperata

rata fuerint. Si ergo anima harmonia quædam est, quoties horum natura in corpore propter morbos aliaq; mala immoderate uel remittitur uel intenditur, necesse est animã quidem, quamuis diuinissimam subito interire, sicut solent cæteræ consonantiæ, siue quæ in uocibus, siue quæ in alijs artificum operibus fiunt: reliquias autem corporis cuiusq; diutius permanere, quousq; uel ardeant, uel putrefiant. Considera igitur quid huic rationi sit respondendum, si quis censeat animam temperamentũ quoddam esse eorum quę sunt in corpore, prioremq; in morte perire. Tunc Socrates quemadmodũ sæpe solebat, intuens acrius atq; ridens: Iuste, inquit, tu quidẽ loqueris Simmia. Si quis ergo uestrum me facundior est, cur his non respondebat? Non enim ignaue rationem attigisse uidetur. Iudico tamen antequam Simmiæ respondeatur, quid Cebes quoq; damnet, esse audiendũ, ut tempore interiecto deliberandi habeamus facultatem. Deinde his auditis, uel his concedendum, si consentanea uero uideantur afferre: sin uero minus, rationem superiorem defendendam esse atque retinendam. Quamobrem dic age, ô Cebes, quidnam potissimum te turbet, quo minus assentiaris. Dicam, inquit Cebes. Mihi quidem uidet̃ eodem reuolui, eidemq; quod in superiorib. diximus, crimini obnoxia esse. Quod enim fuerit anima nostra prius quàm in humanam descenderet speciem, haud equidem retracto, quin bellissime dictum fuerit: ac nisi dictum esset graue, sufficienter demonstratum asseuerarem. Attamẽ nobis mortuis superfore, non sic assentior. Neq; tamen Simmię concedo obijcienti non esse animam ualidiorem corpore atq; diuturniorẽ. Videtur profecto mihi his omnibus anima præstare quamplurimũ. Hic ergo ratio superior ad me conuersa, sic inquiet: Quidnam ulterius ambigis? cum uideas homine defuncto, quod in eo imbecillius fuerat supersesse, quur non concedis oportere etiam quod ualidius diuturniusq; erat, hoc ipso in tempore supersesse? Sed aduerte iam quanti momenti sit, quod ad id respondeo. Similitudine mihi quoq; opus est, quemadmodũ Simmiæ. Profecto mihi perinde hæc dici uidentur: ac si quis de homine textore sene defuncto diceret, nondum interisse illum, sed fortè alicubi supersesse: coniecturamq; afferret uestis, qua ipse cum texuisset, usus fuerit, asseretq; eum adhuc esse incolumem, neq; interisse: ac si quis id nõ credat, interrogaretur ab eo, utrum diuturnius sit hominis genus, an uestis qua quotidie quis utat̃. quòd si respondeat genus humanum diuturnius esse, tunc demonstratũ id esse putaret, uidelicet multo propterea magis sospitem esse hominem, quandoquidem quod in eo erat fragilius, nondum perierit. Hoc autem ô Simmia ita se habere non arbitror. Sed considera tu quoque quid dicam. Profecto quiuis intelligeret inepte illud adduci. Nam hic textor qui multas contriuerit uestes, multasq; texuerit, multis quidem posterior obijt, ultima uero prior: neque propterea magis sequitur hominem esse ueste uiliorem atq; debiliorẽ. Eandem fieri similitudinem animæ ad corpus posse arbitror: ac si quis de his duobus eadem illa adducat, congrue dicere uideretur: uidelicet animam quidem esse diuturniorem, corpus uero debilius minusq; diuturnum: uerum diceret quemlibet animorum plura consumere corpora, præsertim si multos uiuãt annos. Si enim fluat corpus, homineq; etiam uiuente dissoluatur, anima uero quod consumitur, retexat continue, necessarium tamẽ erit quando perierit anima, tunc ultimam habere uestem, eaq; sola priorem perire. Cum uero perierit anima, tunc demum imbecillitatem naturæ suæ corpus ostendere, cito putrescẽs atq; euanescens: ut hac ratione nondum confidere ualeamus tunc etiam cum decesserimus animam nostram superfore. Nam si quis dicenti etiam plura quàm quæ tu dicis, concesserit, nec solum ante ortum nostrum animã extitisse, uerum etiam nihil prohibere etiam post obitum quorundam nostrũ remanere, sępiusq; accedere ac decedere fateatur: adeo enim naturam animæ ualidam esse, ut sæpius corpori indita se corpusq; seruet: his tamen concessis, nondum illud tibi daret, non defatigari in multis generationibus animam, sed tandem aliqua ex pluribus morte diceret omnino deleri. Quinetiam adderet neminem mortem illam dissolutionemq; corporis quæ animæ quoq; interitum infert, posse discernere: esse enim impossibile ut quisquã nostrum id sentiat. Quod quidem si ita se habeat, nemo non stulte in morte confidit, nisi demonstrare possit animam omnino immortalem atq; indissolubilem esse. Alioquin consentaneũ est necessarium esse, ut qui moriturus est, animæ metuat suæ, semperq; sit sollicitus ne in ea quę proxime imminet, corporis disiunctione prorsus intereat. Omnes igitur cum hæc audiuissemus, cõturbati sumus, ut postea in-

uicem aperuímus, quòd cum ſuperiori diſputatiõe nobis fuiſſet magnoperè perſuaſum, uiderentur nos ab eo ſtatu in præſentia deturbaſſe, atq; eò iam deieciſſe, ut nedum rationibus iam adductis, ſed & dicendis inſuper, fidẽ ullam adhíberemus, uerentes ne uel nos nequaquã boni eſſemus iudices, uel res ipſæ fide eſſent indignæ. ECHEC. Veniã equidem per Iouem do uobis, ô Phædo. Nam mihi quidẽ modo te audienti, tale quiddam ueniebat in mentem. Cuinam deinde rationi credemus? quippe cum ratio illa Socratis uſq; adeo paulo ante probabilis, iam fidem amiſerit. Mirum eſt enim quantum apud me contrà poſſit ratio illa, ſemperq; potuerit, quæ animam noſtram harmoniã quandam eſſe probat: & nunc quidem audita me ſubito in memoriam reuocauit, quãtum mihi quoq; aliàs perſuaſerit. Quo efficitur ut alia quadam ratione iterum tanquam ab initio prorſus indigeam, quæ mihi perſuadeat animam cum corpore non interire. Dic ergo per Iouem precor, quo pacto diſputationem peregerit Socrates, & utrum ipſe quoq;, quemadmodũ de uobis ipſe fateris, grauiter id ferre uiſus fuerit, an contrà benigne ſuam defenderit rationem: præterea utrum ſatis necne eam tutatus fuerit: hæc nobis quàm potes diligẽtiſſime refer omnia. PHAED. Equidem ô Echecrates, ſæpe admiratus Socratem, nunquam maiori cum uoluptate quàm tunc præſens ſum admiratus, meq; affuiſſe ibi mirifice gaudeo. habuiſſe quidem illum quod obiectionibus reſponderet, fortè non eſt mirandũ: ſed hæc in eo potiſſimum ſum admiratus, primo quidem q̃ iucunde, benigne, amice adoleſcentium uerba recepit: deinde quàm ſagaciter ſenſit nos illorum rationibus fuiſſe commotos: demum quàm opportune nobis adhibuit medicinam, & quaſi fugientes atq; uictos reuocauit nos, conuertitq; ad proſequendum atq; conſiderandum. ECHEC. Quonam pacto? PHAED. Dicam equidem. Sedebam fortè ad dexteram eius in ſubſellio quodam humili, iuxta lectulũ. Ipſe uero Socrates ſedebat longe ſuperior. Attrectans igitur caput meum, comprimensq; crines ſuper ceruicẽ: conſueuerat enim nonnunq; ubi cõtigiſſet, in meos crines ludere: cras forſitan inquit, ô Phædo, iſtas pulchras incides comas. Sic arbitror, inquam, ô Socrates. Non certe, ſi mihi aſſenſus fueris, inquit. Quid hoc, inquam ego.

Imò hodie, & ego meas, & tu tuas, ſi nobis ratio intereat, neq; enim ipſi ſuſcitare poſſimus. Atqui ſi ego tu eſſem, ac me fugeret ratio, more Argiuorum iurarem, non prius comam nutriturum q̃ uiciſſem Simmiam, Cebetemq; expugnauiſſem. At uero, inquam ego, contra duos ne Hercules quidem dicitur ſuffeciſſe. At tu me Iolaum dum lux eſt, aduoca, inquit. Aduoco equidem, inquam, ſed non tanquã Hercules Iolaum, imò tanquam Iolaus Herculem. Nihil refert, inquit. In primis uero cauendum ne id nobis accidat. Quidnam, inquam? Ne rationum, inquit, oſores euadamus, quemadmodũ non nulli hominum oſores fiunt. Nullum enim maius q̃ hoc malum nobis poſſet accidere, uidelicet ſi rationes odio habuerimus. Fit autem eodem pacto odium & aduerſus rationes et aduerſus homines. Odium quidem contra homines tunc maxime ſubit, quando alicui nimium credimus abſq; arte, putamusq; ipſum omnino uerum et ſyncerũ fidumq; uirum eſſe, deinde uero mox prauum infidumq; deprehendimus, rurſusq; alium eodem pacto. Itaq; quando quis ſæpius offenſus ita decipit, præſertim ab iis quos præcipue familiariſſimos amiciſſimosq; exiſtimabat, odit tandẽ plurimũ uniuerſos, putatq; nihil oñino apud quenquam eſſe ſyncerum. An te latuit id ita accidere conſueuiſſe? Animaduerti equidem, inquam. An nõ turpiter, inquit, & abſq; humanarũ rerum arte hic aggreditur hominibus uti? ſi enim ex arte uti ſtuderet, cogitaret utiq; rem ipſam ita ut ſe habet habere, uidelicet homines uehementer bonos aut malos perpaucos eſſe, medios uero plurimos.

NeHercules quidem cõtra duos

Quo id pacto, inquam, dicis? Quemadmodũ uidelicet in rebus contingit ualde aut paruis, aut magnis, inquit. An tu arbitraris quicquam eſſe rarius q̃ ualde magnũ, aut ualde paruum reperire hominem, uel canem, uel quoduis aliud? Atq; rurſus celerrimum, & tardiſſimum, pulcherrimũ, turpiſſimum, albiſſimum, nigerrimũ? An ignoras in his omnibus extremorũ ſumma, rara quidem & pauca eſſe, media uero frequẽtia atq; multa? Sic arbitror, inquã. Nónne igitur arbitraris, inquit, ſi improbitatis proponeret certamen, admodum paucos in hoc genere ſummos inueniri? Conſentaneũ eſt, inquã. Conſentaneum quidem, inquit, uerum non hoc pacto ſimiles rationes ſunt atq; homines, ſed te nunc ducentem proſequutus ſum: imò uero in hoc ſimilitudo conſiſtit, quando uidelicet quis abſq; rationũ arte, crediderit rationẽ aliquam eſſe uerã, ſed paulo poſt appareat falſa

ſa: quę quidem aliquando talis eſt, aliquando minime, & rurſus altera ſimiliter atq; altera. Præcipue uero illis id euenit, qui plurimum rationes cõtradictorias agitãt. hos enim ſcis putare tandem ſe ſapientiſſimos euaſiſſe, ſolosq; animaduertiſſe neq; in rebus, neq; in rationibus eſſe ſanum aliquid aut firmũ, ſed omnia reuera tanquam in Euripo ſurſum deorſumq; iactari, nullumq; tempus in aliquo permanere. Vere nimium loqueris, inquam. Nónne, inquit, ægritudo hęc Phędro miſerabilis eſſet, ſi cum ratio aliqua uera firmaq; ſit, comprehendiq; ualeat, poſtea tamen auditis huiuſcemodi rationibus, quæ modo afferre uera, modo falſa uidentur, aliquis hinc in ambiguitatem deductus, nõ ſeipſum, neq; eius inertiam ob id accuſet, ſed tandem uelut æger libenter culpam omnem à ſeipſo, in ipſas transferat rationes, & in reliqua uita eas odio habeat, atq; uituperet, rerum iam ipſarũ ueritate ſcientiaq; priuatus. Perlouem miſerabilis, inquã, ægritudo. In primis igitur, inquit, diligenter id caueamus, ne perſuadeamus nobis nihil in rationibus eſſe ſanum, ſed multo magis nondum eſſe nos ſanos. Itaq; totis uiribus ut ſani efficiamur eſt annitendũ: tibi quidem & alijs totius reliquæ uitæ gratia, mihi uero gratia mortis, qui in periculo ſum, ne in hoc ipſo tempore, non ut philoſophum me geram, ſed ut contentioſum atq; pertinacem, quod quidam homines à diſciplina alieniſſimi facere ſolent. Illi enim ubi aliqua de re amb igitur, non ut res ipſa de qua agitur, ſe habeat, curant, ſed ut quæ poſuerunt ipſi præſentibus uideantur uera, obnixe contendunt. Atq; ego mihi uideor in hoc duntaxat in præſentia ab illis differre, quòd non ut præſentibus probem ea quæ dico, annitar, niſi quatenus fortè contigerit, ſed ut mihijpſi uera quammaxime uideantur. Sic enim cogito dulcis amice, & uide quanto cum lucro ſit ratio mea. Si fortè uera ſunt quæ dico, operæprecium eſt ita credere: ſinautem nihil ſupereſt poſt mortem, attamen hoc ipſum tempus ante obitum præſentibus minus ero moleſtus, minusq; deplorabo. Hæc autẽ ignorantia minime perſeuerabit mecum, malum id quidem eſſet, ſed paulo poſt delebit. Sic equidem ô Simmia & Cebes, paratus reuertor ad diſputandum. Vos tamen, ſi mihi aſſentiamini, non Socrati cedite, ſed ueritati. Si enim uera uobis loqui uidebor, concedite: ſin minus, omnino contradicite, diligenter cauentes ne ego dum annitor, meipſum ſimul uosq; decipiam, & uelut apes aculeo in uobis relicto, abeã. Sed iam accedendũ eſt. Primũ quidem redigite in memoriã mihi quę dicebatis, ſi minus meminiſſe uobis uidebor. Simmias qui dem, ut arbitror, diffidit ac metuit, ne anima, quãuis diuinior pulchriorq; corpore, prius tamen pro harmoniæ natura intereat. Cebes aũt mihi uiſus eſt concedere diuturniorem eſſe animam corpore, ſed is addidit ſcire poſſe neminem, ne cum multa ſæpius cõſumpſerit corpora, tandem quandoq; poſtremum relinquẽs corpus, ipſa quoq; pereat, atq; mors eiuſmodi tantum ſit interitus animæ, corpus uero diſſolui continue conſueuerit. An non hæc ſunt ô Simmia & Cebes, quæ nos oportet conſiderare? Confitebantur ambo. Sed nunquid omnia quæ dicta in ſuperioribus fuerãt, negatis? An quædam negatis quidem, ſed concedítis alia? Quædam, inquiunt, quædam non. Quid igitur, inquit, de eo quod diſciplinã diximus reminiſcentiam eſſe, atq; ſi ita res habeat, neceſſario conſequi, alicubi fuiſſe animam prius quàm corpore clauderetur? Mihi quidem, inquit Cebes, iſtud dum diceres, mirifice placuit, atq; nunc ſi qua unquã in alia, in hac maxime ſententia permaneo. Similiter ego quoq;, inquit Simmias, affectus ſum, uehementerq; admirarer, ſi mihi unq; hac de re aliter uideretur. At uero neceſſe eſt, inquit, hoſpes Thebane, aliter tibi uideri, ſi in hac opinione permanſeris, harmoniam uidelicet eſſe compoſitum quoddam, animam uero harmoniam quandam ex his quæ per corpus intenſa ſunt, conſtitutam. Nunquam enim admittes conſonantiam compoſitam prius eſſe quàm illa ex quibus componi conſonantiam oportebat. Nunquid admittes? Nullo, inquit, ô Socrates, modo. Animaduertis igitur, inquit, cogi te id confiteri, quando dicis animum quidem eſſe prius quàm in humanam ſpeciem corpusq; deueniret, atq; eſſe corporis conſonantiã, uidelicet ex his quæ nondum ſunt eam conſtitui. Neq; enim talis tibi eſt conſonantia, cui tu ſimile eſſe dicis. Immo uero prius eſt ipſa lyra, & fides, & ſoni adhuc inconcinni: tandem uero ex omnibus componitur conſonantia omnium poſtrema, primaq; diſperditur. Hic itaq; ſermo quonam pacto tuo illi concinet? Nullo modo, inquit Simmias. At uero ſicubi, inquit, uerba concinnitatem ſeruare debent, præcipue decet eſſe concinna ubi de concentu tractatur. Decet nimirum, inquit Simmias. Hic igitur ſermo tibi diſſonat, inquit.

Prouerbiũ Velut apes relicto aculeo abis

Sed uide utrum ex his duobus eligas, disciplinam ne reminiscentiam esse, an potius animum esse concentum? Primum quidem potius eligo, inquit. Id namq; alterum absq; demonstratione admisi ex uerisimili quadam conuenientia, quemadmodũ uidetur & multis. Ego autem ea uerba quæ per id quod conuenit, demonstrationes faciunt, semper inania iudicaui: ac nisi quis caueat, ualde decipiunt, & in geometria, & in cæteris omnibus. Ratio uero de reminiscentia atq; disciplina, fundamento innititur fidedigno. Dictum est enim animam nostram ita esse alicubi, prius etiam quàm laberetur in corpus, ut illa ipsius essentia habeat eius quod uere est cognomentũ. Ego uero hanc, ut mihimet persuadeo, sufficiẽter rectèq; admisi, propterea q; neq; mihi, neq; alijs, animam appellantibus harmoniam assentiri possum. Quid uero Simmia? Videtur ne tibi uel consonantiæ, uel alteri cuiquam compositioni congruere, ut aliter se habeat quàm illa ex quibus conflatur?

Nullo modo. Neq; etiam ut aliud quicquam, ut arbitror, patiatur aut agat, quàm illa uel agant, uel patiantur. Assentior, inquit. Non igitur conuenit consonantiã eam ducere ex quibus composita est, sed sequi. Opinor ita. Quare permultum abest, ut harmonia in contrarium moueatur, aut sonet, aut quicquam aliud edat partibus suis aduersum. Permultum proculdubio. Quid uero consonantia? nónne eatenus pro natura sua consonantia est quatenus temperatã? Haud satis intelligo. Nónne si magis plusq; contemperetur, si modo id admittit, magis plusq; consonantia est? Sin uero minus atque perpaucum, minus perpaucumq; similiter? Omnino. Nunquid de anima id dici potest? Vt uel in minima quadã re alia anima hoc ipsum quod est anima uel magis uel plus aut contrà sit quàm alia? Minime. Dic age per Iouem precor, num animam dicimus aliam quidem habere mentem uirtutemq;, atq; esse bonam: aliam uero dementiam & praui tatem, malamq; esse? hæc ne, inquam, uere dicuntur? Vere quidem. Eorum ergo qui animã esse asserunt harmoniã, quis quidnã dicet esse in animabus? hæc scilicet, uitiũ & uirtutem? an aliam quandam consonantiam atq; dissonantiam? & bonam quidem esse consonantem: & cum ipsa consonantia sit, alteram in se consonantiam possidere: malam uero dissonantem & ipsam esse, nec aliam in se habere? Quid respondeam, non habeo. Constat tamen eum qui animam esse consonantiam posuisset, talia quædam responsurũ.

At uero iam cõcessum est nihilo magis aut minus aliam alia animam esse. Eiusmodi uero concessio est, neq; magis, neq; plus, neq; minus, neq; sub paucioribus gradibus aliam alia consonantiã esse. Nónne? Prorsus. Eã uero quæ neq; magis, neq; minus cõsonantia est, nimirum neq; magis, neq; minus esse contemperatam. Est ita? Est. Quæ uero neq; magis, neq; minus temperata est, potest ne pluribus paucioribus ue gradibus particeps consonantiæ esse? An potius æque? Æque potius. Quapropter anima, siquidẽ neque magis, neque minus alia quàm alia secundum animæ naturam anima est, consequenter neq; magis, neq; minus est temperata. Est ut dicis. Cum uero sic affecta sit, nihilo magis consonãtiæ est, uel dissonantiæ particeps. Nihilo magis. Præterea cum ita comparata sit, num plus aliquid prauitatis uel uirtutis alia quàm alia possidet? siquidẽ prauitas quidem dissonantia est, uirtus uero consonantia. Certe plus nihil. Quinimmo secundum rectam Simmia rationẽ, nulla usquã anima prauitate erit affecta, si fuerit consonantia. Quando quidẽ consonantia uera secundum id quod consonantia est, nunquam fit dissonantiæ particeps. Nunquã certe. Neq; igitur anima quæ omnino sit anima, prauitate inficietur. Quo enim modo per ea quæ dicta sunt, id fieri posset? Hac igitur ratione omnes animalium omnium animæ bonæ similiter erunt, si secundum animæ ipsius naturam similiter animæ sint. Mihi quidem Socrates ita uidetur. Nunquid recte sic tibi dici uidetur, atq; hæc sequi, si uera esset illa positio, animam consonantiã esse?

Nullo modo. Quid uero? ex omnibus quæ in homine sunt, aliud ne præter animam asseris dominari, præcipue prudentem? Nihil aliud. Vtrum corporis perturbationi bus indulgentem, an potius repugnantem? Dico autem tale quiddam: ueluti si sub æstu sitis angat, interea tamen aduersatur animus, retrahitq; in cõtrarium ne bibat: similiterq; si premat fames, ne edat: in alijsq; quamplurimis uidemus corporis affectibus repugnantem. Nónne. Et quidem maxime. Nónne in superioribus confessi sumus animam si consonantia fuerit, nunquam dissonaturam his quibus intenditur, uel remittitur, uel euibratur, uel quodcunq; aliud patiantur illa, ex quibus ipsa conflatur: sed secuturam illa,

nunquam

nunquam uero ducturam? Confessi sumus. Quid uero nunc? nónne contrà omnino uidetur agere? quatenus ea ducit omnia ex quibus dixerit aliquis ipsam constitui? atque fermè omnibus per omnem uitam repugnat, multisq; dominatur modis, interdum rigidius quodam cum supplicio puniens per gymnasticam, atque medicinam, interdum uero mitius castigans comminando, aut monendo aduersus cupiditates & iras atque timores, tanquam altera quædam res contra alteram loquens, quemadmodum Homerus tradidit in Odyssea:

Tum pectus pulsans, cor sic affatur Vlysses:
Hoc quoq; cor perfer, namq; & grauiora tulisti.

An putas Homerum hæc dixisse tanquam harmonia quædam sit, ac talis ut corporis passionibus subijciatur, nõ autem ducat atq; dominetur? an potius quasi quiddam longe diuinius quàm harmonia sit animus? Diuinius per Iouem, mihi uidetur significauisse.

Non ergo uir optime, recte harmoniam esse animam diceremus. Sic enim, ut apparet, neq; Homero diuino poetæ, neque nobis ipsis consentiremus. Sic est. Age harmoniam Thebanam satis, ut uidetur, iam placauimus. Rationem uero Cadmeam ô Cebes, quonam pacto, & qua ratione placabimus? Tu mihi ô Socrates uiam, inquit Cebes, inuenturus uideris. Nempe rationem hanc aduersus harmoniã mirifice præter opinionem nostram excogitasti. Cum enim audirem Simmiam dubitantem, ualde admirabar si quis rationibus eius resistere posset. Itaq; summæ mihi fuit admirationi, ipsum nec primũ quidem potuisse rationis tuæ impetum sustinere. Quapropter non admirarer, si Cadmeus quoq; sermo idem pateretur. Parcius ista bone uir, nequa inuidia nobis sequẽtia interturbet. Sed hæc quidem deo curæ erunt, nos autem, ut ait Homerus, comminus cõgressi, periculum faciamus an fortè quid dicas. Summa uero eorum quæ perquiris, est eiusmodi. Demonstrandũ esse iudicas animam nostrã indissolubilem immortalemq; esse, ne uir philosophus in morte securus, magnaq; cum fiducia speras, in alia uita longe beatiorem ob philosophiæ studium se futurum, insipiens sit, stulteq; confidat. Ostendere autem uali dum quiddam esse animam, atq; diuinis persimile, priusq; etiam quàm nos extitisse, nihil impedimento esse ais, quo minus hæc omnia nõ immortalitatem quidem significent, sed duntaxat animam corpore diuturniorem esse, multaq; ante nos secula fuisse, nouisseq; & egisse permulta, nihilo tamen magis ob hoc immortalem esse existimandam. immo hunc ipsum in humanum corpus ingressum, quasi morbum quẽdam interitus eius initium esse: adeo ut & in hac uita sit misera, & in corporis morte depereat. Nihil autẽ differre censes, siue semel tantum, siue sæpius labatur in corpus, ut quiuis nostrum pertimescat. Merito namq; timendum esse, nisi stultus sit, ei qui neq; sciat, neq; assignare queat immortalitatis animæ rationem. Talia quædam sunt quæ dicis, ô Cebes, egoq; ea consulto sæpius repeto, ne quid nos fugiat, siue addere his quicquam uelis, siue demere. Nihil equidem in præsentia habeo, inquit Cebes, quod aut minuam, aut adiungam, atq; hæc sunt quę dico. Tunc Socrates cum aliquantum se recepisset, ad se conuersus, haud leue quiddam requiris, inquit ô Cebes, sed cuius gratia oporteat generationis corruptionisq; causam pertractare. Ego igitur, si uis, ea tibi quæ mihi euenerunt, enarrabo. Deinde si quid eorum quæ dixero ad quæstionis tuæ ueritatem aperiendam conducere putabis, utere. Volo equidem, inquit. Audi igitur iam narrantẽ. Equidẽ ô Cebes, cum essem iuuenis, mira quadam eius sapientiæ cupiditate flagrabam, quam naturæ uocant historiã. Præclarissimum enim esse censebam, causas intelligere, per quas singula fiant atq; intereant, & qua sint ratione: sæpiusq; me sursum deorsumq; iactaui talia quædam primo considerans, nunquid postquam calidum et frigidum putrefactionẽ aliquam acceperunt, quemadmodum non nulli dixerunt, tunc animalia conualescant. Præterea utrum sanguis sit quo sapimus, uel aer, uel ignis: aut nihil horum sit, sed cerebrum, quod præbeat sensus audiendi, uiuẽdi, olfaciendi, ex his autem memoria & opinio fiat, ex memoria uero & opinione quietẽ accipiente, per hæc scientia oriatur. Proinde horũ corruptiones considerans, atq; eas quæ circa cœlum terramq; passiones contingunt, tandem adeo mihi ad hæc consideranda uisus sum hebes ut nihil magis. Coniecturam uero ad id afferam tibi sufficientem. Nempe ob eiusmodi considerationẽ usqueadeo sum occæcatus, ut ea etiam quę prius manifeste sciebam, ut mihi alijsq; uidebatur, dediscerem, & alia uidelicet multa quæ antea me scire putabam

tabam,& qua ratione homo creſcat. Id nanq; opinabar ante eſſe cuilibet manifeſtum, hominem uidelicet per cibũ potumq; augeri. Quando enim per hæc carnes carnibus,oſſaq; oſſibus adduntur,eodemq; modo in alijs quando ſua cuiq; adhibentur,tunc ſanè molem primo paruam,deinde magnam euadere,atq; ita paruũ hominem effici magnum. Sic ergo tunc opinabar,nônne ſatis belle tibi uideor? Mihi quidẽ,inquit Cebes. Animaduerte hæc inſuper. Arbitrabar eñ ſatis recte mihi uideri quoties hominẽ uel equũ magnũ paruo propinquũ,alterum altero iudicaram capite ipſo eſſe maiorem. Atq; multo etiam euidentius decẽ plura apparebãt mihi q̃ octo, propterea q̃ denarius duo præter octonariũ contineret. Præterea bicubitũ cubitali maius,quoniam dimidio ſuperaret. Nunc uero, inquit Cebes,de his quid iudicas? Procul equidem per Iouẽ abeſſe mihi uideor, ut alicuius horum cauſam intelligere putem,qui nondũ mihijpſi perſuadere poſſum,ut quando quis uni addat unũ,tunc uel illud unum cui unũ adiunctum eſt,fiat duo: uel & adiunctum,& illud cui adiunctũ eſt,propter alterius ad alterũ adiunctionẽ euadat duo. Admiror equidẽ,ſi cum utrumq; horum ſeparatũ erat, utrumq; unũ erat, neq; erant tunc duo, poſtq̃ inuicem cohæſerunt,hæc ipſa cauſa fuerit ut duo fierent, congreſſio uidelicet per quam propius iam poſita ſunt. Neq; etiam ſi quis unum diuidat, adhuc poſſum perſuaderi hanc ipſam diuiſionẽ cauſam eſſe ut duo euadant. Contraria enim tũc atq; ſuperius cauſa fit qua duo fiant. Tunc enim quia coniungebanť propius inuicem, alterumq; admouebatur alteri: nunc uero quoniã remouet alterũ ab altero atq; ſeparat. Neq; propter quid unum fiat,adhuc ſcire me arbitror,neq;,ut ſummatim dicam,aliud quicq̃ quare fiat, aut pereat,aut ſit,per hanc ipſam uiam me noſſe profiteor: ſed alium quendã ipſe modum fruſtra miſceo,hunc uero nullo modo admitto. Verũ cum audiſſem aliquãdo ex libro,ut ille aiebat Anaxagoræ,legentem quendam hanc Anaxagoræ ipſius ſententiã,uidelicet mentem omnia exornare,omniumq; cauſam eſſe: hoc utiq; cauſæ genere magnopere ſum delectatus,exiſtimãs quodãmodo conſentaneũ mentem eſſe omnium cauſam: putabamq; ſi id ita eſſet ut mens omnia exornaret,ſingula per hanc ita eſſe diſpoſita,ut optime diſponi potuerant. Propterea ſi quis uellet cauſam inuenire qua ſingula fiant, atq; pereant,aut ſint,hoc ipſum eſſe inueniendũ, qua uidelicet ratione optimum ſit unicuiq;, aut eſſe,aut quoduis aliud pati,uel agere. Atq; hoc pacto nihil aliud conſiderãdum homini uel de ſeipſo,uel de alijs,niſi quod potiſſimũ ſit & optimum. Neceſſe uero eſt eum qui id norit, illud quoq; quod eſt deterius,cognouiſſe. Quippe cum eadem horũ ſcientia ſit. Hæc utiq; mecum ipſe reputans,gaudebã, inueniſſe ratus Anaxagorã magiſtrum, qui me id quod tantopere cupiebam,cauſas rerum doceret,primũq; mihi diceret,utrũ plana ſit terra, uel rotunda. Et cum hęc dixiſſet,ſubiungeret mihi cauſam atq; neceſſitatẽ,afferens uidelicet idipſum quod melius eſt,meliusq; fuiſſe eam eſſe talem. Proinde ſi terram diceret in mundo mediam eſſe,mox exponeret melius extitiſſe,ut media eſſet. Quod ſi ille hæc oſtenderet,ita me comparabã,quaſi nullam amplius cauſarũ ſpeciem poſiturus. Præterea de ſole & luna cæteriſq; ſtellis,earumq; inter ſe uelocitate conuerſionibusq;,& de huiuſmodi omnibus,me ſimiliter quæſiturum auditurumq; comparauerã, q̃ uidelicet & qua ratione hæc melius ſit ſingula uel facere,uel pati,quodcunq; agant uel patiantur. Neq; enim putabam cum ab initio dixiſſet,mente omnia exornari,ipſum aliã poſtea cauſam rebus aſſignaturum,prętereq; quòd optimum ſit eas ita ſe ut habent habere. Itaq; arbitrabar eum in reddendis ſingulorũ,tum cunctorum cõmuniter cauſis,ſingulis quidem aſſignare quod unicuiq; optimũ,cunctis uero cõmune bonum. Neq; uero ſpes ipſe meas paruifaciebã, ſed ſummo quodam ſtudio acceptos libros q̃ uelociſſime poteram lectitaui,ut ocyſſime quid optimum,quid ue eius contrariũ eſſet,cognoſcerem. Hac igitur mirabili ſpe ductus cum legere pergo,uideo hominẽ mẽte quidem nullo modo utentem, nec cauſam ullam ad ipſum rerum ornatũ referentem,ſed aereas naturas & ęthereas aqueasq; & talia multa incredibilia pro rerum cauſis aſſignantem. Qua quidem in re ille mihi perinde uiſus eſt agere,ac ſi quis diceret Socratẽ quæcũq; facit,mẽte facere. deinde uolens ſingulorũ quæ facio cauſas explicare, dicat primũ quidem nunc me hic propterea ſedere,quoniã corpus meum ex oſſibus neruiſq; componit: & oſſa quidem ſolida ſunt,& iuncturarũ interualla inuicem habent: nerui autem ſic inſtituti,ut & extendi & contrahi ualeant, complectantur oſſa cum carnibus atq; cute,quæ res illa continet. Elatis igitur oſſibus in ſuis coniunctionibus

ctionibus,nerui qui & intendũt & remittunt cõmode, faciunt ut flectendi cuiuſq; membri habeam facultatem,atq; hanc ob cauſam hic inflexus ſedeam. Ac rurſus diſputationis meę alias quaſdam eiuſmodi cauſas aſſignaret,uoces & aerem & auditum aliaq; generis eiuſdem quãplurima,cauſas ueriſſimas negligens:uidelicet quoniam Athenienſibus melius uiſum fuerit me condemnare,ideoq; mihi etiam melius ſit uiſum hic ſedere,iuſtiuſq; iudicarim expectantem dare pœnas quas illi iubeant. Profecto per Canem iam diu,ut arbitror,hi nerui,atq; hæc oſſa apud Megarẽſes,aut Bœotios eſſent ipſius quod optimum eſt,optione delata,niſi iuſtius honeſtiuſq; cenſuiſſem pœnas ciuitati pendere quaſcunq; à me exigat,quàm ſubterfugere atq; exulem uiuere. Verum talia quædam cauſas appellare à ratione eſt remotiſſimũ. Siquis autem dixerit abſq; oſſibus & neruis atq; ſimilibus non poſſe me quæ mihi facienda uideantur implere,uere utiq; dicet. Attamen aſſerere propter hæc me facere quæcunq; facio,dum ipſa mente ago,non autem eius quod optimum ſit optione,multa magnaq; ſermonis negligẽtia eſſet. Nam qui ſic eſt affectus,nequit diſcernere aliam quidem eſſe ueram rei alicuius cauſam,aliud uero illud ſine quo ipſa cauſa eſſe non poteſt cauſa. Quod quidem multi mihi uidentur quaſi in tenebris attrectantes alieno appellare nomine dum cauſam nuncupant. Quapropter nonnulli uertiginem circumponentes terræ,ſub cœlo eam ſtabilem faciunt. Alij uero tanquam latum piſtoris alueum aere uelut baſe ſuffulciunt. Potentiam uero ipſam qua nunc ita diſpoſita ſit ut optime diſponi poterat,neq; perquirunt,neq; dæmonicam quandam habere uim putant,ſed Atlantem quendam robuſtiorem & immortaliorem,magiſq; omnia continentem inueniſſe ſe opinantur. Ipſum autem bonum atq; decens connectere atq; continere reuera nihil exiſtimant. Ego igitur libentiſſime cuiuſuis eſſem diſcipulus, ut quemadmodũ ſe habeat hæc ipſa cauſa diſcerem. Poſtquam uero hac priuatus ſum,neq; ipſe inuenire,neque ab alio diſcere potui,ſecundam nauigationem ad cauſam inueſtigandã molitus ſum. Vis ne, ô Cebes,hanc tibi à me demonſtrari? Mirifice cupio, inquit Cebes. Cenſui tandem cum in rebus conſiderãdis iam defeſſus eſſem,cauendum fore ne mihi idem accideret, quod accidere illis ſolet, qui in ſolem deficientem defigunt intuitũ. Orbant enim non nunquam uiſu,niſi in aqua,uel in eiuſmodi aliquo imaginẽ eius aſpiciant. Tale quiddam ego reputaui,timuiq; ne animus mihi prorſus occæcaret,ſi oculis res aſpicerem, ſenſuq; quolibet attingere illas aggrederer. Quapropter operæprecium fore cenſui, ut ad rationes confugerem,atq; in illis rerum ueritatem conſiderarem. Fortè uero noſtra hæc ſimilitudo non omni ex parte congruit. Non enim prorſus aſſentior eum qui res in rationibus contemplatur, in imaginibus aſpicere potius quàm qui in operibus intuetur. Veruntamen hac uia iter direxi meum,ſupponensq; rationem ſemper quam eſſe iudico ualidiſſimam,quæcunq; huic conſonare uideantur,pono equidem tanquam uera,idq; ago & circa rerum cauſas,& circa reliqua omnia:quæ uero diſſonant,uera eſſe nego. Volo equidẽ quæ dico,tibi apertius explanare. Puto enim te nondum intelligere. Per Iouem haud multum,inquit Cebes. Verum nouum nihil adduco,ſed quæ & ſæpe aliàs in ſuperiori diſputatione dicere nunquam deſtiti. Pergo iam igitur demonſtrare tibi cauſæ ſpeciem quam continue pertractaui,ac redeo ad illa iam ſæpius decantata,ab eisq; exordior,ſupponens aliquid eſſe ipſum per ſe pulchrum,& bonũ, & magnum, & cætera omnia. Quæ quidem ſi tu mihi dederis,eaq; eſſe conceſſeris,ſpero tibi ex his ipſam cauſam demõſtrare,itemq; inuenire eſſe animam immortalem. At uero quaſi iam tibi conceſſerim,nihil tibi opus eſt præludio,quo minus iam concludas. Conſidera iam quæ ſequuntur deinceps,utrum in his mihi conſentias. Arbitror enim, ſi quid eſt aliud pulchrum præter ipſum pulchrum,non ob aliud quippiam eſſe pulchrum, quàm quia pulchri ipſius eſt particeps. Atque omnia dico ſimiliter. Nunquid ob hanc cauſam recipis? Recipio equidem,inquit. Ergo nondum ultra percipio, neque poſſum cæteras iſtas præclaras cauſas cognoſcere. Si quis autem mihi dixerit quare pulchrum ſit quodlibet, uidelicet quia uel colorem habeat floridum,uel figuram,uel aliud quoduis talium, cætera quidem ualere ſino: in cæteris enim omnibus ſoleo perturbari:id uero unum ſimpliciter atque procul dubio, & fortè iam inepte penes me teneo, nihil aliud eſſe quod aliquid faciat pulchrum,quàm ipſius pulchri,ſiue præſentiam,ſiue communionem, ſiue qualicunque ratione,& quocunque modo id proueniat. Neque enim id adhuc affirmarem: ſed pulchro

pulchra omnia esse pulchra, id mihi uidetur tutissimum tam mihi quàm alijs respondere: atq; huic fundamento innixus, puto nunquam cadere, sed & me & quemuis alium tuto respondere posse, quæcũq; pulchra sunt, ipso pulchro fieri pulchra. Nónne & ipse consentis? Consentio equidem, inquit Cebes. Ergo & quæ magna sunt, ipsa magnitudine esse magna: & quæ maiora sunt, similiter esse maiora: & quæ minora, paruitate esse minora. Ita est. Igitur neq; tu quidem assentieris, si quis aliquem dixerit alio quodam capite esse maiorem: atq; eum qui minor est, eodem capite esse minorem: sed testificaberis te quidem nihil aliud esse dicturum, quàm omne maius alio non alia re ulla quàm magnitudine esse maius, atq; ob hoc maius, ob ipsam scilicet magnitudinem: minus autem, nullo similiter alio quàm paruitate, & propter hoc esse minus, propter ipsam uidelicet paruitatem: metuens, ut puto, ne si quem dixeris capite maiorem esse uel minorem, quispiam tibi sic obijciat: primũ quidem eadem re & maius fore maius, & minus fore minus: deinde quòd capite quæ res parua est, maiorem affirmes esse maiorem. Hoc autem dicet monstro esse persimile, ut paulo aliquo magnum quiddam esse dicas. Nónne hæc metueres? Tunc Cebes subridens, equidem inquit. Nónne similiter quoque metueres dicere, inquit, decem plura quàm octo esse duobus, atque ob hanc causam superare, potius quàm multitudine, atq; propter multitudinẽ? Ac similiter bicubitum cubitali maius esse dimidio potius quàm magnitudine? Id enim similiter est metuendũ. Omnino. Quid uero si uni addatur unum, additamentũ ipsum esse causam ut duo fiant, uel si diuidatur, diuisionem ipsam duorum esse causam, dicere non formidares? Altiusq; exclamares, nescire te quonam alio pacto quicquam fiat, nisi participatione quadam essentiæ unicuiq; proprię, cuius sit particeps: atq; in his nullam aliam habere te causam, cur duo fiant præter duitatis ipsius participationem: sed oportere huius participia fore, quæcunq; futura sunt duo: & similiter unitatis quodcunq; futurum sit unum? Has uero diuisiones adiũctionesq; & cæteras eiusmodi argutias ualere sineres, relinqueresq; sapientioribus te per eas pro arbitrio responsuris: tu uero tuam, quemadmodũ dici solet, metuẽs umbram & imperitiam, atq; innixus tutissimæ illi positioni, sic utiq; responderes? At uero siquis eandem positionem complexus instaret, ualere sineres, neq; prius responderes, quàm quæ inde manant, considerasses, utrum consonent inuicem, aut dissonent? Vbi uero illius ipsius rationem oporteret afferre, eodem modo afferres, atq; aliam rursus positionẽ adduceres, quæ superiorum optima uideretur, quoad ad aliquid sufficiens peuenires? Nunq; uero simul confunderes contentiosorũ more, ubi & de principio, & de his quæ à principio deducuntur, disputas, si modo uelles eorum aliquid quæ uere sunt, inuenire? Nam illis fortasse nullus hac de re sermo est, nulla cura. Possunt enim præ sapientia & simul omnia cõmiscere, & tamen sibimet placere. Tu uero si ex philosophorum numero es, quæ dico, ut arbitror, facies. Verissima loqueris, inquit Simmias & Cebes. ECHEC. Per Iouem ô Phædo, merito admodum consenserũt. mirifice enim ille mihi uidetur rem ipsam uel hebetissimo cuique explanasse. PHAE. Sic prorsus ô Echecrates, præsentibus omnibus similiter uisum fuit. ECHEC. Quid mirum? cum nobis quoq; qui nõ interfuimus, nunc similiter audientibus uideatur. Verum quænam post hæc dicta fuerunt? PHAE. Vt equidem arbitror, postquam hæc illi Socrati concesserunt, consenseruntq; speciem quamlibet aliquid esse, & quæ harum participia sunt, ipsarum denominationẽ habere, deinceps hunc in modum interrogauit. Si hæc ita se habent, nónne quando Simmiam dicis Socrate quidem maiorem essẽ, Phędone uero minorem, tunc affirmas in Simmia utrũq; esse, & magnitudinem simul & paruitatem? Equidem. Attamen Simmiam confiteris excedere Socratem, non ita reuera ut uerba sonant. Non enim ita natura institutũ esse existimas Simmiam, ut ea ratione superet qua est Simmias, sed magnitudine quam habet: neq; rursus Socratem eo quod Socrates est, excedi, sed quia paruitatẽ præ magnitudine illius habeat. Vera loqueris. Similiter nec à Phædone superari, eo quod Phædo sit Phædo, sed quia Phædo præ Simmiæ paruitate magnitudinẽ habet. Ita est. Sic itaq; Simmias denominationem parui habet et magni, siquidẽ in amborũ medio positus, alterius quidem paruitatem magnitudine superat, alterius uero magnitudini paruitate cedit. Et simul subridens inquit: Videor equidẽ affectatius descripsisse. ueruntamen est ut dico. Sic apparet. Dico aũt propterea, quia cupio uideri tibi quod & mihi uidet. Opinor enim non solum magnitudinem

Prouerbiũ, Tuam umbrã metuis

gnitudinem ipſam,nunquam uelle magnam ſimul paruamq; eſſe;uerumetiam neq; hanc quæ in nobis eſt magnitudinẽ unquam recipere paruitatẽ,neq; ſuperari uelle: ſed è duobus alterum accidere:uel fugere,ſeq; ſubtrahere quando aduentat contraria paruitas: uel cum aduenerit interire: nolle autem expectare, atq; in paruitate recipienda aliud eſſe q̃ erat.Quemadmodum ego cum ſuſceperim ſuſtinuerimq; paruitatem, quãdiu is ipſe ſum qui ſum,ſic ipſemet ſum paruus.Illud autem magnum quod ipſum eſt, nũquam ſuſtinuit eſſe paruum:ſimiliter paruum quod eſt in nobis,nunquam uult magnum aut fieri,aut eſſe.Neque aliud quicquam contrariorum,quamdiu eſt id quod erat,patitur ſimul contrarium fieri aut eſſe,ſed aut abit,aut perit cum aduentat contrarium. Ita prorſus exiſtimo inquit Cebes. Tunc quidam eorum qui aderant,hæc audiens,quis autem ille fuerit,nõ ſatis memini, Diĳ boni, inquit, nónne in ſuperioribus contrarium eorum quæ dicuntur, nobis eſt conceſſum,uidelicet ex minore maius fieri,atque ex maiori minus, eſſeq; proculdubio generationem contrariorum ex contrariĳs? Nunc autem uidemini fieri id non poſſe dicere.Cum uero Socrates admouens caput,auſcultaſſet, Viriliter,inquit,id recordatus es:non tamen intelligis differentiam inter id quod modo dictum eſt,atque illud ſuperius.Tunc enim dicebatur ex contraria re,rem contrariam fieri,nunc uero contrarium ipſum ſibimet contrariũ fieri nunquam,neq; quod in nobis,neq; quod in natura contrarium eſt.Talia quidem ô amice,de his quæ habent contraria dicebamus,hæc illorum cognomine appellãtes.At nũc de illis ipſis loquimur quæ his inſunt,quorũ ue præſentia cognomen habent ea quæ nominantur.Illa uero iam dicimus nunquam uelle mutuam inter ſe generationem ſuſcipere.Et ſimul Cebetem intuitus,inquit:Num te quoque Cebes aliquid eorum quæ nunc obiecta ſunt,perturbauit? Haud equidem, inquit Cebes, ita ſum affectus,ac tibi affirmo nõ multum me turbari. Id ergo ſimpliciter, inquit, confeſſi ſumus,contrarium nunquã ſibimet fore contrarium. Omnino. Aduerte præterea nunquid & in hoc mecum ſentias. Vocas'ne aliquid calorem atq; frigus? Voco equidem. Num tanquam niuem atq; ignem? Non per louem. An aliud quiddam calorem eſſe quàm ignem,& aliud frigus q̃ niuem? Ita. Sed hoc quoq; tibi uideri puto,niuem quamdiu nix eſt,nũquam ſuſcepturam eſſe calorem, quemadmodũ in ſuperioribus dicebamus:ac eſſe niuem ut erat prius ſimulq; calidam;ſed aduentante calore,aut ſubterfugere,aut interire. Penitus. Similiter & ignem ſubintrãte frigore, aut ſubterfluere, aut extingui,nec unquam poſſe & ſuſcipere frigus,& ſimul eſſe ignem ſicut prius erat,& frigidum. Vera narras. Sunt igitur quædam eiuſmodi, ut non ſolum ſpeciem ipſam nomine ſuo dignentur per omne tempus,ſed & aliud quiddam, quod quidem nõ eſt primum illud,habet uero quamdiu eſt illius formam.In hoc rurſus tibi quod uolo,fortè manifeſtius erit.Impar enim ſemper oportet nomen id quod nũc dicimus, poſſidere. Nónne? Oportet ſanè. Num id ſolum ex omnibus? hoc enim quæro: an & aliud quidq̃, quod quidem eſt non idipſum impar,attamen hoc oportet una cum ſuo nomine, hoc inſuper nomine alio ſemper appellari,propterea quod ita natura ſit inſtitutũ, ut nunquam ab impari deſeratur? Dico autem hoc effectum eſſe ceu ternarium,aliaq; permulta.Conſidera uero de ternario.An nõ tibi uidetur hunc & ſuĳpſius nomine ſemper nuncupandũ eſſe,& ſimul nomine imparis? Quod quidem impar non idem eſt quod eſt ternarius. Veruntamen ita natura comparatus eſt,& ternarius,& quinarius,& omnis medietas numeri,ut quamuis non idem ſit quod impar,ſemper tamen eorum quiuis ſit impar. Præterea duo & quatuor,omnisq; alter numeri ordo,quamuis idem quod par non ſit,ſimul tamen quilibet illorum par ſemper exiſtit.Concedis, necne? Quid ni? Contemplare ergo quid uelim.eſt autem eiuſmodi:uidentur quidem nõ ſolum ipſa inter ſe contraria ſeſe inuicem non recipere,uerumetiam quæcunq; talia ſunt, ut licet contraria inter ſe non ſint, ſemper tamen contraria poſſideant,nunq; recipere ſpeciem illam quæ ipſi ſpeciei quam in ſe habent,contraria ſit,ſed hac adueniente,aut perire protinus, aut abire.An non dicimus tria & deficere,& aliud quoduis pati prius quàm ſuſtinere ut quatenus tria ſunt, paria fiant? Ita prorſus. Non tamen contraria eſt duitas trinitati. Non certe. Non ſolum ergo ſpecies ipſæ contrariæ nunquam inuicem ſe recipiunt,ſed etiam alia quędam cõtrariorum ingreſſum mutuum nõ ſuſcipiunt. Veriſſima narras. Vis'ne igitur hæc ſi poſſumus,qualia ſint,definiamus? Volo equidem. An non Cebes hæc erunt, quæ

quodcunq;

quod cunq; occupant, tale reddunt, ut non ſolum ſuiipſius ideam retinere cogatur, ſed etiam contrario illi ſit opus? Quonã pacto dicis? Quemadmodũ paulo ante dicebamus. Scis enim quæ trium continẽtur idea, oportere non ſolum tria, ſed etiam imparia eſſe. Certe. Ad hoc tale uticq; dicebamus ideam contrariam formæ illi quæ id perficit, nunquam accedere. Nunc̃q;. Perfecit aũt imparis ideam. Hæc ipſa. Contraria uero huic paris idea. Ita eſt. Ergo ternario numero idea paris ſe nunquam inſinuabit.

Nunquam. Quapropter ternarius numerus paris eſt expers. Expers. Trinitas ergo eſt neceſſario impar. Eſt. Quod ergo definiendum aſſumpſerã, qualia uidelicet ſint, quæ & ſi alicubi nõ ſunt contraria, ipſum tamen contrariũ non admittunt, perinde ſe habet ut trinitas: quæ cum pari non ſit contraria, nihilo tamen magis ipſum accipit, propterea quòd ſemper eius contrariũ affert. Similiterq; binarius ad impar, & ignis ſe habet ad frigidum, aliaq; quãplurima. At uide iam num ita definiendũ putes, ut non modo contrarium non admittat contrarium, uerumetiã illud quod aliquid afferat cõtrarium illi ad quod ipſum accedat, ipſum uidelicet quod affert, nunquam cõtrariam eius quæ affertur recipiat formam. Rurſus aũt recordare: neq; enim inutile ſæpius admonere. Neq; quinq; paris ſpeciem admittẽt, neque decem imparis, quod eſt duplum. Hoc quidem ipſum alĩ contrarium, ſpeciem tamen imparis accipiet nunquam. Neq; etiam numerus ſeſquialter, neq; alia huiuſmodi quæ dimidium habent, formam totius ſuſcipiũt, ſimiliterq; numerus qui parem habet tertiam, atq; eiuſdem generis alia, ſi modo aſſequeris iſta, atq; conſentis.

Omnino equidem conſentio atq; aſſequor. Rurſus tanquam à principio mihi dicas. Nec tamen per id quod nunc interrogo, ſed per aliud quiddam mihi reſpondeas me imitatus. Dico autem præter tutam reſponſionẽ illam à principio poſitam, iuxta tutam quoque reſponſionẽ, aliam per ea quæ modo dicta ſunt, adinuentã. Nempe ſi me interroges, ô Socrates, quidnam in corpore ſit, ſi caleſcet corpus, non tutam reſponſionem illam rudemq; tibi dabo, uidelicet ſi caliditas, ſed exquiſitiorem ex præſentibus uerbis, ut ſi inſit ignis. Similiter ſi me interroges, quid ſi in corpore ſit ægrotabit, nõ reſpondebo ſi ægrotatio, ſed ſi febris. Rurſus ſi perconteris, quid ſi inſit numero fuerit impar, nõ dicam ſi imparitas, imò ſi unitas, atq; in cæteris eodẽ pacto. Sed uide an dũ quid uelim plane cognoueris. Planiſſime. Reſponde igitur: quidnam ſi in corpore ſit erit uiuum? Si anima

Nónne id ſemper ita ſe habet? Semper. Anima igitur quicquid occupat, ſemper ad illud uitã affert? Affert proculdubio. An eſt aliquid uitæ contrariũ, nec ne? Eſt utiq;. Quid iſtud? Mors. Anima uero contrarium eius quod ipſa ſemper adducit, ſubibit nunc̃q;, quemadmodũ ex ſuperioribus eſt conceſſum. Sic eſt omnino. Quid uero? quod paris ideam non accipit, quonã modo paulo ante nominabamus? Impar omnino. Quod uero nõ accipit iuſtitiã, quod ue non capit muſicam? Iniuſtũ dicimus & immuſicũ. Age iam, quod non ſubit mortem, quomodo appellabamus? Immortale.

Et anima quidẽ mortem nõ ſuſcipit. Nequaq;. Eſt igitur anima immortalis. Immortalis quidẽ. Age utiq;, hocne iam demonſtratũ dicemus? An aliter tibi uidet? Et ſufficiẽtiſſime quidẽ ô Socrates. Quid ergo Cebes? Si neceſſe foret quod omnino eſt impar, & interitus neſciũ fore, nõne tria interitus neſcia forẽt? Quid ni? Præterea ſi quod incaleſcere neſcit, neceſſe foret interitus neſciũ eſſe, quãdo quis ad niuem calidum admoueret, nix quidẽ incolumis illiquefactaq; ſubterfugeret: neq; eã uel periret, uel permanens calorẽ admitteret. Vera narras. Simili, ut arbitror, ratione, ſi quod frigeſcere neſciũ, etiam interitus neſciũ eſſet, quãdo in ignem aduentat frigus, nõ extingueretur & euaneſceret ignis, ſed abiret incolumis. Ita neceſſe foret. Eodem pacto de immortali quoq; neceſſe eſt dicamus. Si eã quod eſt immortale, interire nequit, impoſſibile eſt animã imminente morte perire. Nam mortẽ quidem quemadmodũ ex ſuperioribus conſtat, nõ recipiet, neq; interierit: quemadmodũ ternarius nunc̃q;, ut diximus, par erit, neque rurſus impar erit par, neq; ignis frigidus, neq; caliditas quæ ineſt igni, frigiditas unq; erit. Cæterum dicet quiſpiam, quidnam prohibet, quo minus ipſum impar, par quidẽ non fiat aduenĩente pari, quemadmodũ inter nos cõuenit, attamen eo diſſoluto, par pro ipſo ſuccedat? Ita dicenti repugnare nõ ualeremus, quin ſit deſtructũ. Quippe cum non idem ſit impar atq; indiſſolubile. Alioquin ſi nobis id cõſtitiſſet, facile obtineremus, inuadẽte pari, impar ternarium q; ſaluũ diſcedere, ſimiliterq; de igne & calido cæteriſq; aſſereremus.

Nónne

Nónne ita? Prorſus. Iam uero de immortali, ſi nobis id conſtat quod eſt immortale, eſſe etiam interitus neſcium, conſequens eſt animam præter id quod eſt immortalis, interitus quoq; neſciam eſſe. Sin uero minus id concedatur, ratione alia opus erit. Sed nihil opus eſt, quãtum ad id ſpectat alia ratione. Siquidem quidnam aliud indiſſolubile poſſet eſſe, ſi immortale ipſum & ſempiternum diſſolueretur? Deum uero & ipſam uitæ ſpeciem, & ſi quid aliud eſt immortale, indiſſolubile quoq; eſſe omnes confiterentur. Vniuerſi per Iouem homines, & multo magis ipſi, ut arbitror, dij. Cum igitur quod immortale eſt, etiam incorruptibile ſit, quidnam prohibet animam, ſi fuerit immortalis, incorruptibilem quoq; fore? Neceſſario ſequit. Imminẽte igitur homini morte, quod mortale quidẽ in eo eſt interit: quod uero immortale, incorruptũ, ſoſpesq;, morti ſe ſubtrahit.

Manifeſtũ eſt. Itaq; maxime omniũ ô Cebes, anima immortalis incorruptibilisq; eſt, eruntq; apud manes animæ noſtræ. Nihil equidẽ ô Socrates, aduerſus hæc habeo quo minus rationibus tuis aſſentiar. Verum ſiquid aut hic Simmias, aut alius quiſquam habet quod dicat, operæpreciũ fuerit non ſiluiſſe. Neſcio enim in quod aliud quis differat tempus, ſiquid de reb. eiuſmodi uel dicere uel audire deſideret. Atqui nec ego, inquit Simmias, habeo quicq; quo minus ſuperioríb. aſſentiar rationibus. Veruntamen rei ipſius qua de agitur magnitudinem, & humanam imbecillitatẽ conſiderans, cogor intra me dictis nondum acquieſcere. Quinimmo & hæc bene dicis Simmia, & poſitiones primæ quamuis fide uobis dignæ uideant, diligentius tamẽ conſiderandæ: atq; ſi illas ſufficienter, ut arbitror, ſuſceperitis, hanc ſequemini rationẽ quantũ fieri ab homine poteſt. quod ſi hoc ipſum fuerit manifeſtum, nihil ulterius perquiretis. Vera loqueris, inquit.

Hoc aiunt, ô uiri, iuſtum eſt cogitare, ſi anima ſit immortalis, eam non ſolum temporis huius in quo uiuere dicimur, uerumetiam uniuerſi gratia curatione plurimum indigere. Nam graue periculum fore putandũ eſt, ſi quis neglexerit animam. ſi enim mors totius diſſolutio eſſet, nimirum improbi lucrarentur, cum & à corpore, & ab eorum prauitate cum anima liberarẽtur. Nunc autem cum anima immortalis appareat, nulla ſupereſt malorum declinatio, nulla ſalus, niſi ut optima & prudentiſſima fiat. Nihil enim aliud cum migrat ad manes anima ſecum transfert præter eruditionem atq; educationem. Quæ quidem ſtatim in principio tranſmigrationis illius plurimum uel prodeſſe, uel obeſſe dicuntur. Ferunt enim quemlibet hinc illuc emigrantem, ab eo dæmone quem uiuens ſortitus fuerat, in locum quendam duci, ubi oporteat omnes unà collectos iudicari, ac deinde ad inferos proficiſci eo duce, cui mandatum erat ut hinc decedentes ad illa loca traducat. Sortitos uero illic quæ oportebat ſortiri, tempusq; debitum commoratos, ab alio quodam duce rurſus huc reduci poſt multos temporis longosq; circuitus. Eſt autem iter non tale quale ait Telephus apud Æſchylum. Ille ſiquidem ſimplicem inquit uiam ad inferos ferre. Ego uero, neq; ſimplicem, neque unam eſſe puto. Alioquin nullis ducibus opus eſſet. Quippe quum unica uia aberrare poſſit nemo. Quinimmo multos tramites multosq; anfractus habere. Quod quidem ex ſacrificijs & ritibus coniectare licet. Animus ergo moderatus & prudens ducem ſponte ſequitur, neq; ignorat præſentia. Sed qui cupiditate corporis eſt infectus, quemadmodum ſuprà dixi, per multum tempus ad ipſum ardenter afficitur: & circa locum uiſibilem multis reluctatus modis multaq; perpeſſus, uix tandem ab eo adducitur dæmone, cui eius cura erat iniuncta. Cum uero ad alia loca ubi alij quoque animi ſunt peruenerit, quiſquis admodum immundus eſt, & huiuſmodi obnoxius crimini, qui uel iniuſtis ſe contaminauerit cædibus, uel alia his ſimilia, ſimiliumq; animorum opera perpetrauerit, hunc quidem animum omnes fugiunt atq; declinant, nec reperitur ullus, qui uel ſocius, uel dux eius fieri uelit. Itaque omni auxilio deſtitutus, eo uſque pererrat, quoad certa temporum curricula impleantur. Quibus tandem impletis, in habitationem ſibi conuenientem ab ipſa neceſſitate transfertur. Qui uero puram moderatamq; tranſegerit uitam, deos ſocios ducesq; nactus ibi habitat, ubi unicuique conuenit. Multa uero ſunt, mirabiliaq; terrarum loca, ipſaq; terra neque talis, neque tanta eſt, qualem aut quantam hi qui de terra loquuntur, exiſtimant, quemadmodum mihi à quodam traditum eſt.

Quanam ratione, inquit Simmias, hæc ais, ô Socrates? Equidem de terrarũ orbe multa audiui; non tamen hæc quæ tanq; uera accepiſſe te ais. Libenter igitur ex te audirem.

Atqui

Ars Glauci

Atqui ô Simmia, nequaquam mihi uidetur ars Glauci quæ ea sint narrare, sed quòd uera sint probare, artis Glauci facultatem mihi uidetur excedere. Præterea ego forsan non sufficerem. Quinetiam si id scirem, hæc tamen uita mea ô Simmia, longiori huic narrationi nequaquã sufficeret. Formam tamen orbis terræ eiusq; loca cuiusmodi esse rear, nihil prohibet dicere. Satis erit, inquit Simmias. Persuasum mihi quidem est, primo si est terra in cœli medio rotũda, nihil ei opus esse uel aere, uel alia necessitate eiusmodi ad hoc ut nunquam decidat. Sed ad eam sustinendam satis id esse, quod & cœlum undiq; sibiipsi simillimum est omnino, & terra undiq; æquilibris. Res enim æquilibris in similis alicuius medio posita, nec magis nec minus potest in partem aliquam inclinari. Cumq; similiter se habeat, ab inclinatione permanet aliena. Primo igitur mihi esse ita est persuasum. Et recte quidem, inquit Simmias. Præterea ingentem esse terrarum orbem, nosq; à Phasi de ad columnas Herculeas habitare, in parua quadam eius particula, ceu formicas atque ranas circa paludes atque mare. Esse uero & alios in similibus multisq; locis multos habitatores. Esse enim passim per terras multas uariasq; concauitates secundum formas & moles in quas aqua, nebulæ, aerq; confluant. Puram uero ipsam terram in puro iacere cœlo, in quo sunt astra, quem pleriq; eorum qui hæc tractant, ætherẽ nominant. Et quidem sub iecta quasi residendo hæc esse, semperq; in hiatus terræ confluere. Nos itaq; in his concauitatibus habitantes, adeo falli, ut in terræ superficie alta nos habitare credamus. Perinde ac si quis in profundo pelagi habitans, putet se altiora maris incolere: atq; solem cæteraq; astra per mare prospiciens, mare ipsum esse cœlum existimet: quippe cum propter tarditatem imbecillitatemq; nunquam ad summum maris euaserit, neq; caput undis extulerit. planeq; aspexerit quãto hic locus profundo illo purior pulchriorq; sit; quinetiam nec ab illo qui hunc intuitus sit, acceperit. Hoc igitur idem & nobis accidere, qui in quadam orbis terreni concauitate habitantes, altam incolere superficiem arbitremur, atq; aerem nominemus cœlum, utpote qui per ipsum quasi cœlum astrorũ motus intueamur. Idq; nobis accidere propterea, quòd propter imbecillitatem tarditatemq; ad supremum usq; aerem transcendere nequeamus. Quòd si quis ad summum euaderet, uel alis fretus eò uolaret, hinc prodeuntem inde iam prospecturũ: quemadmodum pisces emergẽtes è mari nostra hæc aspiciunt. Ac si natura ad inspiciendum sufficeret, cogniturum protinus cœlum illud esse uerum, ueramq; lucem, ueram quoq; terram. Siquidẽ quæ à nobis incolitur terra, hiq; lapides, totusq; hic locus abesa sunt atq; corrupta, ut ea quæ in mari sunt à salsedine. neq; nascitur in mari quicquam existimatione dignum: atq;, ut ita dixerim, nihil est in ea perfectum, sed cauernæ, arena, limus incredibilis, atq; sordes ubicunq; sit & terra. quæ quidẽ ad has nostras pulchritudines nullo modo sunt cõferenda. Illius uero loci pulchritudo hãc nostrã multo magis apparebit excedere. Proinde si fabulã quoq; narrare oportet perpulchram, operæpreciũ Simmia est audire quales sint hæ terrarum plagæ quæ sub iacent cœlo. Imò uero, inquit Simmias, libentissime hanc fabulã audiemus. Ferunt igitur ô amice, inquit, primum quidem talem uideri terræ illius faciem si quis superne despiciat, quales sunt hæ pilæ quæ ex corijs duodecim cõtextæ sunt, uarijs scilicet distinctã coloribus: quorum hi nostri colores quibus pictores utũtur, similitudinem quandam retinẽt. Illic uero uniuersam terram ex talibus multoq; etiã nitidioribus ac purioribus esse, partim quidem purpuream mira pulchritudine præditam, partim uero coloris aurei, partim gypso et niue candidiorem. Præterea ex coloribus alijs similiter exornatam, ac etiam pluribus pulchrioribusq; quàm in nostram notitiam peruenerunt. Enimuero has ipsas ipsius cõcauitates aqua aereq; repletas speciem quandam coloris splendidam in primis afferre inter cæterorum oculorum uarietatem, ut una quędam species eius uaria semper appareat. In huiusmodi uero terra conueniẽti ratione similes nasci arbores, & flores, & fructus. Præterea montes & lapides ibidem simili ratione habere perfectionem atq; perspicuitatem, coloresq; admodum pulchriores. Quorum quidem particulæ quædam sint lapilli qui apud nos habentur in precio, sardia, iaspides, smaragdi, cęteriq; eiusmodi. Illic uero nihil esse quod non tale sit, aut etiam pulchrius. Cuius quidem rei causa sit, quoniam lapides illi puri sint, neq; quemadmodum nostri à putredine salsugineq; attriti atq; corrupti, quibus in hunc locum confluentibus, lapides & tellus animaliaq; & plantæ inficiuntur, atq; ęgrotare coguntur. Terram uero ipsam his omnibus exornari, atq; auro etiam & argento

Nihil dignũ nascitur in mari

Fabula de terra pura & quæ in ea sunt.

argento cæterisq; similibus. Præfulgentia quidē hæc ibi nasci & multa & magna, perq; omnem terram, ut eam uidere spectatorum felicium sit spectaculum. Proinde ibi esse animalia multa, & homines partim regionem mediterraneā incolentes, partim circa aerem quemadmodū nos circa maris littora, partim etiam insulas quę haud procul à continenti positæ aere circūdantur. Sed ut summatim dicam, quod nobis aqua est & mare ad usum nostrum, idem illic esse aerem: quod uero nobis aer, id illis ætherem esse. Tempora uero apud illos tantam habere temperiē, ut illi & sine morbo continue & longe diutius quàm nostri uiuant. Item uisu, auditu, prudentia, cæterisq; talibus nobis tantum præstare, quantum & aer aquæ, & æther aeri puritate præstat. Præterea illic esse deorū templa & lucos, in quibus reuera dij familiariter habitent, & responsa & diuinationes, deorumq; sensus familiaritatesq; eiusmodi hominibus ad deos esse. Solem quoq; & lunā stellasq; alias quales reuera sunt, apud eos uideri: cæteris in rebus beatitudinem eos his rebus congruam possidere. Itaque uniuersam terram sic natura institutam, & quæ circa eam sunt, similiter tradunt. esse præterea in ipsa per eius concauitates loca in circulum multa, partim quidem profundiora, atque ampliora quàm sit regio à nobis culta, partim uero profundiora quidem, sed hiatum angustiorem habentia nostra hac regione: esse & alicubi minus profunda, sed ampliora quàm nostra. Hæc autem omnia sub terra sibi inuicem obuiare, atque irrumpere multis undiq; modis, tum per angustiora, tum per ampliora, discursusq; habere & exitus quibus magna aquarum copia ex alijs in alia uelut in crateres confluat. Item perpetuorum fluminum sub terra incredibiles magnitudines aquarum, tum calidarum, tum etiam frigidarum, plurimumq; ignem, & ignis ingentes amnes: multos quoq; lutulenti humoris partim quidem purioris, partim uero sordidioris. ceu torrens luti qui in Sicilia est, & iuxta ipsum amnes lutei inde fluentes. Quibus singula compleri loca quacunq; eos contingit perfluere. Hæc autem omnia sursum deorsumq; ferri ueluti uase pensili quodam sub terram posito, atq; ita librato, ut utrinq; uicissim inclinet atq; attollat. Est autem id uas pensile ob naturam quandam eiusmodi. Vnus aliquis ex terræ hiatibus est profecto quàm maximus, perq; uniuersam terram traiectus & patens. de quo Homerus. Longe nimis barathrum stat sub tellure profundum. Quod & ipse alibi, & multi poetarum Tartarum appellarunt. In hoc uti receptaculum omnia confluunt flumina, atq; inde rursus effluunt. Talia uero sunt singula, per quales labuntur terras. Quod autem hinc effluant omnia rursusq; refluant, hæc est causa, quod hic humor nec fundamentum habet nec firmamentum. Itaq; eleuatur, & sursum deorsumq; redundat. Idemq; facit aer & spiritus qui circa ipsum uersatur. Sequitur enim ipsum, & quando ad superiora terræ, & quando ad hæc nostra perlabitur. Et quemadmodum in respirantibus flatus continue expirat atque respirat, sic & ibi spiritus una cum humore elatus uehementes quosdam uentos & incredibiles commouet, siue influat siue effluat. Quapropter cum aqua in locum inferiorem delabitur per meatus terræ iuxta eiusmodi riuos influit, passimq; per eos exundat, & implet uelut hi qui hauriunt. Cum uero illinc huc erumpit, hęc quoq; iterum loca cōplet. Plena uero cum sint, per riuos terræq; meatus exuberat. Et cū humores singuli illuc profluxerint, quo quisq; profluit opportunius, maria, lacus, flumina, fontes efficiunt. Proinde rursus hinc relabentes per terram, partim quidem per longiores pluresq; anfractus, partim uero per pauciores atq; breuiores rursus in Tartarum cōfluunt: alij certe multo profundius quàm hausti fuerint, alij uero paulo, omnes autem inferius influunt q̄ effluxerint: & alij per cōtrariam partem elabuntur q̄ elapsi fuerint, alij uero per partem eandem. At quidam passim circūfluentes aut semel aut sæpius, spirasq; circa orbem terrarum instar anguium replicantes, quantū fieri potest infra relapsi iterum cōmiscentur. Licet autem utrinq; ad mediū usq; defluere, ultra uero nequaquā. ulterior enim prolapsus utrinq; foret ascensus. Proinde sunt & alia multa & magna uariaq; fluenta, sed præcipua quatuor. Quorum quidem maximum atq; extimum, terram circundans Oceanus appellatur. E contraria uero huius regione fluit Acheron: qui per deserta alia fluens loca, atq; per subterranea, in paludem defluit Acherusiam. Quò plericq; defunctorum deueniunt animi, ibiq; per fatalia quædam temporum curricula cōmorati, partim quidem lōgiora, partim uero breuiora, rursus in generationes animaliū relabuntur. Tertius uero fluuius horum medius duorum interfluit. Nec admodum longe progressus in locum cadit ua-

ſtum multo igne flagrantem,efficitq́ paludem noſtro mari maiorem,aqua lutoq́ ferue tem.Hinc uero turbidus lutulentusq́ circumfluit,terraq́ circumdata, & alibi, & ad extrema paludis Acheruſiæ peruenit, nec tamen illius aquæ miſcetur, ſed ſub terra ſæpius reuolutus abſorptusq́ defluit infra tartarum.Hunc fluuium Pyriphlegethontem nominant,cuius riui quidam inde uelut euulſi quacunq; terrarum contigerit manant. E contraria uero huius regione fluuius quartus primum in locum erumpit ferum & aſperum ut ferunt.colorem uero locus talem habet totus,qualis eſt cyaneus: quem Stygium nominant.hic autem fluuius prolapſus paludem efficit Stygem. In hunc uero incidens locum uiresq́ uehementes in aqua aſſumens ſub terram ſe condit,circumuolutusq́ aduerſus Pyriphlegethontem labitur,& in Acheruſia palude è contraria parte illi fit obuiam. Nec ulli huius aqua miſcetur,ſed reuolutus in gyrum contra Pyriphlegethontem irrumpit in tartarum.Poetæ uero hunc appellant Cocytum. Cum uero hæc ita natura diſpoſita ſint,quando in eum locum defuncti peruenerint, quò dæmon unum quenque perducit,primo illic iudicantur,& qui honeſte ſanctéq;,& qui aliter uixerint. Itaq; quicunq; in uita quodammodo tenuiſſe medium quoddam comperiuntur, ad Acherontem profecti uehiculis quæ unicuiq; adſunt, in paludem perueniunt Acheruſiam,ibiq́ habitant purganturq́ pœnas dantes iniuriarum:& cum purificati ſunt abſoluuntur, rurſusq́ pro merito ſinguli benefactorum præmia reportant. Qui uero ob ſcelerum magnitudinem inſanabiles eſſe uidentur,qui uidelicet ſacrilegia multa & magna, uel cædes iniquas uel alia horum ſimilia perpetrauerint, hos omnes conueniens ſors mergit in tartarum,unde nunquam egrediuntur.Qui autem ſanabilia quidem peccata ſed ingentia commiſerunt, ueluti ſiqui contra patrem,uel matrem irati per uim aliquid fecerint, ſed pœnitentia ducti eos in cætera uita coluerint,uel qui ſimili quodam pacto fuerint homicidæ,eos in tartarum quidem neceſſe eſt cadere,ſed ibi per annum commorati à fluctu eiciuntur, homicidæ quidem per Cocytum,parentum uero uiolatores per Pyriphlegethontem.Poſtquam uero ab his delati fluminibus ad paludem Acheruſiam peruenerunt, clamant illic uocitantq́ eos quos uel necauerunt uel iniurijs affecerunt, ſupplicíterq́ rogant atq; deprecantur,ut eos permittant progredi per paludem,ibiq́ abſolui:ac ſi impetrauerint, penetrant illuc finemq́ malorum accipiunt:Sin minus queant perſuadere,referũtur in tartarum,atq; inde rurſus in flumina,neque per hæc mala deferri prius ceſſant, quàm ab his quos affecerant iniurijs impetrauerint.Hęc enim pœna illis à iudicibus eſt impoſita.Qui autem pie præ cæteris uixiſſe inueniuntur,hi ſunt qui ex his terrenis locis tanquam è carcere ſoluti, atque liberati,ad altiora tranſcendunt,puramq́ ſupra terram habitant regionem.Inter has autem quicunq; ſatis per philoſophiam purgati ſunt,abſq; corporibus omnino totum per tempus uiuunt,habitationesq́ his etiam pulchriores nanciſcuntur. Quarum pulchritudo,neq; facilis dictu eſt,neq; præſens tempus ad dicendum ſufficeret. Sed horum quæ narrata ſunt gratia ô Simmia omni ſtudio eſt adnitendum,ut in hac uita uirtutem,& prudentiam ſapientiamq́ conſequamur.Præmium nanq; pulchrum eſt, & ſpes eſt ingens.Hæc igitur eo ſe pacto prorſus habere,quo ego diſpoſui,non decet uirum ſanæ mentis aſſerere:eſſe tamen uel hæc uel talia quædam circa animos noſtros, eorumq́ habitationes,quandoquidem animus ipſe immortalis apparet,& decere mihi uidetur,et dignum quaſi periclitantes iſta exiſtimare.honeſtum enim periculum eſt, oportetq́ hæc quaſi carmina quædam magorum ritu mẽtibus noſtris infundere:quamobrem ipſe iam diu protraho fabulam.Sed horum gratia bonam ſpem de animo ſuo habere debet, quicunq; uoluptatibus ornamentisq́ corporis neglectis tanquam alienis,ad diuerſumq́ declinantibus,uoluptates quæ in diſcendo percipiuntur ſtudioſe ſectatus fuerit,animumq́ non alieno,ſed ſuo decorauerit ornamento,temperantia, iuſtitia, fortitudine, libertate, ueritate,ſic ex hac uita migrationem expectans, tanquam cum fatum uocauerit migraturus. Vos quidem ô Simmia & Cebes,aliiq́ præſentes,in poſterum qnodam in tempore ſinguli tranſmigrabitis.Me uero nunc,ut tragicus aliquis diceret,iam uocat fatum. Ac ferme tempus eſt,ut ad lauandum diuertam.Præſtat enim ut puto, poſt lauacrum uenenum bibere,ne in lauando cadauere moleſtiam mulieribus præbeamus. Cum hæc dixiſſet Socrates Crito ſic inquit.Dic age ô Socrates,quidnã his aut mihi mandas agendum, uel erga filios tuos uel circa cętera? Quid ue agendo maxime tibi gratũ fecerimus? Nihil

equidem

equidem,inquit,noui præcipio,sed quod semper uobis prædico: uidelicet si uestri curam habebitis,& mihi & uobisipsis grata euadent quæcunque feceritis, etiam si nunc uerbis non concedatis.At uero si uosipsos neglexeritis,nolentes secundum ea quæ nunc & superiori tempore dicta sunt,quasi per uestigia uitam dirigere,nihil prorsus proficietis,etsi multa nobis nunc disputantibus cõcedatis.Ista quidem,ait Crito,curæ nobis erunt. Sed quemadmodum sepeliri te iubes? Vtcunq;,inquit,libet:si tamen me apprehendetis,ac ni si ego uos effugero.Et simul subridens,& ad nos conuersus,non persuadeo inquit Critoni,me esse hunc Socratem qui nunc disputo,& singula dicta dispono.Sed opinatur me illud esse,quod paulo post uidebit cadauer. Itaq; interrogat quemadmodum me sepeliat. Quod autem iam diu plurimis uerbis contendo,postquam uenenum bibero, haud ulterius apud uos me esse futurum,sed ad beatorum profecturũ felicitates, hoc quidem mihi uideor frustra Critoni dixisse,cõsolãs uos simul atq; meipsum. Fideiubete igitur pro me Critoni contraria quadam fideiussione quàm ipse iudicibus fideiussit. Ille enim me iudicio sistere,uos autem me non sistere cum obiero fideiubete, sed abiturum, ut Crito obitum facilius meum ferat,ne ue meum corpus uel cremari cernens uel sepeliri, me deploret quasi dira patientem.Neq; dicat in funere proponi Socratem, aut efferri, aut sub terram condi.Certum id habeto optime Crito quod maledictum est non solum in hoc ipso delinquere,uerumetiam animis nonnihil officere.At enim confidere oportet atq; dicere corpus sepeliri meũ,atq; ita sepeliri,ut tibi placebit, maximeq; iustum esse censebis. His dictis surrexit intrauitq; cubiculum quoddam quasi lauaturus.Crito autem sequutus est. Nos uero expectare iussit. Expectabamus ergo de his quæ dicta erant inter nos colloquentes,rursusq; considerantes. Præterea conquerebamur fortunam nostram, qui tanquam parente orbati reliquum uitæ tempus orphani futuri essemus. Cum Socrates lotus esset, delati sunt ad eum pueri sui. Duos enim filios habebat paruulos, unũ uero iam grandem. Venerunt & mulieres domesticæ. Ad eas Socrates cum præsente Critone uerba fecisset,& quæ uolebat mandauisset,mulieres quidem & pueros abire iussit,ipse uero ad nos rediit,iam circiter solis occasum: per multum enim temporis spacium intus fuerat commoratus. Cum uero ad nos uenisset lotus,cõsedit. Nec multa post hæc locutus erat, cum uenit undecimuirorum lictor.Qui illi adstans,ô Socrates, inquit, non arbitror eam in te nouitatem me deprehensurum,quam deprehendere in cæteris soleo. Illi enim indignantur mihi atq; execrantur quando illis denuncio uenenum esse bibendum, ita magistratibus compellentibus. Te uero cognoui præsertim in hoc tempore generosissimum; mansuetissimumq; & optimum uirum omnium qui unquam hunc in locum deuenerũt: & nunc equidem certo scio te mihi haud infestum fore,sed illis penes quos rei huius causam esse cognoscis.Nunc ergo scis quem tibi nuncium afferam. Vale, atq; annitere, quæ necessaria sunt pro uiribus facile ferre,& simul his dictis abibat lachrymans.Socrates autem in eum respiciens, & tu, inquit, uale, & nos id faciemus.Simulq; ad nos conuersus, quàm urbanus est homo hic, inquit. Neq; solum in hoc, sed in superiori etiam tempore me salutabat, colloquebaturq; nonnunquam, fuitq; semper uirorum optimus. Et nunc quàm ingenue me deplorat? Sed age ô Crito illi pareamus,ac si iam tritum est uenenum, aliquis huc afferat:si nondum est tritum,conterat ille. At reor equidem,inquit Crito,ô Socrates, nondum solem reliquisse montes,nec occidisse. Et noui alios postquam id sibi nunciatum est ualde sero bibere illud consueuisse,largiter cœnatos atq; potos, interdum uero etiam illorum potitos,quorum amore afficiebantur.Quamobrem ne adeo festines. adhuc enim supereſt tempus.Tum Socrates, Meritò, inquit,ô Crito illi ista faciunt. Putant enim hæc facientes lucrari. Atq; ego meritò ista non faciam. Nihil enim me lucraturum spero,si paulo posterius uenenum bibero,nisi ut mihiipsi sim ridiculus tanquam uitæ cupidus,atq; parcus eius rei seruator, cuius nihil iam amplius mihi adest. Sed age iam mihi obtempera,nec aliter facias.Crito uero his auditis annuit puero, qui longe non aberat.Ille uero egressus,& aliquantulum commoratus,rediit, eum qui uenenum daturus erat,secum ducens.attulit autem in calice id attritum. Hunc aspiciens Socrates, Cedo, inquit,bone uir, tu enim harum rerum peritiam habes, quid me facere oportet? Nihil, inquit, aliud quàm post potionem deambulare quoad grauari tibi sentias crura, postea uero iacere;atq; ita tu facies. Hæc dicens porrexit calicem Socrati. Socrates uero hilari-

ter admodum ô Echecrates,accepit,nihil omnino cõmotus,neq; colore,neq; uultu mutato.Sed quemadmodum consueuerat taurine illum aspiciens, quid ais, inquit: licet ne ex hoc poculo nõnihil spargendo sacrificare? Tantum,inquit, ô Socrates, contriuimus, quantũ satis fore putauimus.Intelligo, inquit. Sed & licet,& oportet orare deos, ut felix sit trãsmigratio nostra.Quod equidem obsecro,atq; utinam ita fiat. Et simul his dictis ad mouens,facile admodum alacriterq; ebibit.Plericq; nostrum eo usq; retinere quodammodo lachrymas potueramus.At postquam & bibentem uidimus & bibisse, ulterius nõ potuimus,sed me quidem dolor adeo superabat,ut lachrymæ largiter iam mihi profluerẽt. Quapropter me protegens deplorabam,non illum quidem,sed fortunam meam,qui tali amico orbatus essem.Crito autem etiam prius quum lachrymas nequiret continere, surrexerat.Sed Apollodorus nec in superiori quidem tẽpore unquam lachrymare cessauerat:Tunc uero præcipue uociferãs,seq; ipsum afflictans, neminem reliquit præsentium, cuius uicem non deploraret,præter unius Socratis uicem.Ille uero hæc animaduertens, Quidnã,inquit,ô uiri mirabiles,agitis? Atqui ego maxime hanc ob causam mulieres abegeram ne talia facerent,Audiueram enim cum gratulatione & applausu esse ex hac uita migrandum.Quiescite igitur atq; tolerate. Nos uero hæc audientes erubuimus, destitimusq; à lachrymis.Sed ipse quum inter deambulãdum crura iam grauari sentiret, iacuit resupinus:sic enim qui uenenum præbuit, iusserat. Qui paulo post eum tangens, pedes & crura considerauit.Deinde grauius comprimens pedem eius,quæsiuit an sentiret.negauit Socrates.Ille rursus pressit tibias,paulatimq; manu ascendens, ostendit nobis frigere eas atq; rigere.Et ipse attigit rursus,aitq; quum ad cor peruenerit, tunc esse decessurũ. Iam igitur friguerant ei præcordia,cum detegens,erat enim ueste coopertus, dixit, quæ uox illi extrema fuit.O Crito, Aesculapio gallum debemus,quem reddite, neq; negligatis.Fiet,inquit Crito,quod iubes.Sed uide num quid aliud uelis. Hæc interroganti nihil ultra respondit.Sed cum paruo tempore interquieuisset,commotus est.Et minister detexit eum,atq; ipse lumina fixit.Quod quum Crito cerneret,ora oculosq; composuit. Hic finis fuit amici nostri,ô Echecrates,uiri nostro quidem iudicio,omnium quos experti sumus optimi,& apprime sapientissimi atq; iustissimi.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI IN MENEXENVM, ad Laurentium Medicem uirum Magnanimum.

CONSILIVM Platonis in Menexeno est,cohortari omnes ad summam patriæ charitatem, idemq; facit,quamuis aliter in Critone, & legibus,atque Republica. Hic uero duobus præcipue id efficit modis.Primo quidẽ,dũ laudat illos, qui pro salute patriæ pericula mortemq; intrepide subeũt.Deinde dum ipse patriæ suæ antiquitatẽ uirtutesq; laudibus miris extollit.Tu uero statim ab initio nota,philosophiam scilicet moralem uiro rempublicam gubernaturo esse summopere necessariam.Mox præclarum esse in bello occũbere,scilicet pro salute patriæ,idq; confirmari ex eo,quod hoc apud omnes gentes maxime omniũ honoretur.Deinde occasione sumpta ex laudibus oratorijs,animaduerte quàm pernicioſa sit adulatio.Communem siquidem oratoriam in Gorgia adulationis speciem esse iudicat.In Phædro autem adulatorem appellat bestiam humano generi pestilentem.Similemq; affirmat impuro dæmoni,incautos animos sub noxiæ uoluptatis esca continuo corporis sordibus inquinanti.Hic præterea præstigiatoribus ueneficisq; adulatorem tam priuatum quàm publicum iudicat esse persimilem: quippe qui tanquam fure & homicida deterior & iniquior,non pecunias,non ipsam corporis uitam duntaxat nobis auferat,immo uero tanquam sacrilegus rem sacram,iudicium scilicet rationis sub boni specie furripiat atque subducat. Et uide quàm ualde decipiat. Non enim in rebus solum occultis,sed id quod mirum est, in manifestissimis artificiosissime fallit. Cui enim non euidentissima sit auita paternaq; origo? Item ipsa sui corporis magnitudo atque forma? Veruntamen in his quoque adulatores uenefici nos circumueniunt,tanto Circe crudeliores,quanto grauius inferunt detrimẽtum.Illa enim suis poculis exteriora hominis fertur in bestias transformasse: hi uero lenocinijs suis interiora transformant. Proinde deridet Socrates oratores,quod gratiam popularem omnibus machinamentis aucupentur,laudentq; alios supra modum,quo ipsi laudentur,remq; adeo leuem graui quodam studio & diuturna præmeditatione pertractent. Aggreditur præterea quod statuerat ab initio, omnes uidelicet ad defendendam patriam cohortari, laudando uidelicet eos qui pro patria occubuerunt. Hic enim erat mos uetus Athenienſium, publica concione illos laudare quotannis,atque insuper inferias celebrare. Verum ne supra quàm par est oratoriæ tribuat facultati,asserit se orationem eiusmodi ab alio,& quidem à muliere Aspasia,accepisse:præsertim cum Socratici ingenij non sit oratorum more concionari

concionari. Quo potissimum ordine laudandum sit, præsertim in oratione funebri, manifeste declarat. Quod autem homines ait ab initio in Attica regione solum atq; solos ex terra sponte progenitos: ex alijs uero regionibus, è terra similiter solum bruta: utcunq; placet, accipito, siue tanquam à philosopho, siue potius oratore. Scito tamen Platonicam esse sententiam, post uastas terræ illuuiones, ex abundanti humore atq; calore sequenti post diluuium, terram adeo fœcundam reddi, ut ex ea non animalia tantum pusilla, qualia nunc, sed grandia etiam, atque ipsi insuper homines ultro nascantur. Quod quidem & hic & alibi sæpe confirmat. Idq; pleriq; senserunt Aegyptiorum atq; Græcorum, & Arabes multi, denique confirmarunt præcipue Algazeles atque Auicenna. Qua quidem sententia Aristoteles in quæstionibus naturalibus usus ex antiquorum mente inquit: Quemadmodum in paruis temporum mutationibus parua quædam ex terra pullulant animalia, ita in maioribus quoque maiora, in maximis denique maxima atq; perfectissima. Plato autem ubicunq; ex ipsis terræ uisceribus eruit animantes, deos artifices adhibet mundani architecti ministros. Deos, inquam, id est ideas specialesq; rationes in ipsa mundi uita diuinaq; intelligentia consistentes: per quas & statim post diluuia, & quotidie animantium formentur species, ubicunq; corporeum speciei eiusdem semen abesse uideretur. Quod quidem fieri oportere satis in theologia probauimus. Vbi uero nascitur homo, nõ solum sicut cæteris deorũ adhibet manus, sed etiam quoddã Dei summi spiraculũ expressioremq; imaginem. Deinde statim natis deos ipsos saltem in primis seculis tanquam duces præficit atque præceptores. Tu uero ex his omnibus quæ Mosaicæ sapientiæ magis consonãt, prudenter eligito. Profecto id Moysi maxime congruit, quod hic, & in Protagora, & in Politico, atque Critia uult hominem aliquando ex terra auctore Deo ad Dei ipsius similitudinem fuisse progenitum. Quales autem illuuiones sint, & quando, & quam ob causam docebimus in Timæo. Post hæc insignis pietate uir patriæ suæ laudes mirifica quadã tum charitate, tum arte prosequitur, ab origine prima, ab ipsa reipublicæ forma, à disciplina quotidiana, à rebus egregie gestis, quæ & hinc & aliunde ex alijs scriptoribus manifestissimæ sunt. Quamobrem argumentũ nostrum paucis concludamus, eiusmodi sententias annotantes. Virtuti omnia parent. Prosperitas primo æmulatioue parit, deinde inuidiam, demũ dissensiones & prælia. Omnis possessio absq; morali uirtute non solum inutilis est, sed noxia. Scientia seorsum à uirtute morali, non sapientia, sed calliditas quædam est iudicanda. Maiorum splendor in filijs obscurus euadit, quando per ipsorum ignauiam in posteros non transfunditur. Non est optandum, ut omnia succedant ad uotum. Obseruandum est in omnibus prouerbiũ uetus, Nihil nimis. Qui ita se cõparauit ut ex seipso pendeãt omnia quæ ad beatitudinẽ conferunt, uel quãproxime ad hoc accedit, hic optime uitam instituit. Noli uel lætitia exultare, uel dolore deijci. Parentes iudicare debent se genuisse filios, non ut immortales, sed ut boni forent. Lugubres lamentationes domesticorum molestæ sunt defunctis, si quidẽ illas audiant. Perpetuo quodam solenni honore prosequi decet eos, qui pro salute patriæ strenue se in bello gesserunt: eorum filij cura publica educandi, colendi quoq; parentes. Ne res ipsæ nobis iniquæ sint, æquo sunt animo perferendæ.

MENEXENVS PLATONIS, VEL DE ATTICA ANTIQVITATE, VEL EPITAPHIVS TRANSlatus à Marsilio Ficino Florentino, ad Iulianum Medicem uirum clarissimum.

SOCRATES MENEXENVS

HEROD. IMPER. GEP.

FORO uenis Menexene? An unde? MEN. E foro ô Socrates, & à Senatu. SOC. Quid tu ad senatum? An forte quia disciplinæ philosophiæq; finem adeptũ iam & satis profecisse te putas, maiora posthac aggredi studes, nobisq; senioribus ipse adeo iunior imperare, ut familia uestra semper sicut solita est, aliquem nobis exhibeat consultorem? MEN. Si ipse permittis ô Socrates, consulisq;, operam dabo. Sin contrà, nequaquam. Nunc uero idcirco ad consilium profectus sum, quoniam audiueram eligendum esse aliquem qui laudibus defunctos ornet. Nam, ut scis, inferias facturi sunt. SOC. Audiui equidem, sed quem potissimum elegerunt? MEN. Nullum. Nam in crastinum distulerunt. Arbitror autem Archinum uel Dionem electum iri. SOC. Videtur Menexene apud plurimas gentes præclarum esse in bello occumbere. Etenim qui sic è uita migrat, funere & sepulchro magnificentissimo honoratur. Et siue pauper quis ita decedat, laudatione nõ caret, siue etiam uilis quispiam & ignauus, rursus à sapientibus uiris extollitur: qui non temere, sed multo tempore composita & consulta oratione tam egregie laudant, ut dum et quæ sunt, & quæ non adsunt, de aliquo prædicant, uerborum elegantia auditoribus ani-

Præclarũ in bello occũbere

mos quasi præstigijs ueneficijs ue quibusdam surripiant atq; subducãt. Ciuitatem quoq; interim ut lubet, exornãt, & eos qui in armis occubuerunt, maiorumq; retexunt nostrorum originem. Nos quoq; ipsos adhuc uiuentes extollunt. Quapropter ego quidem Menexene ab illis laudatus, nescio quomodo generosum quiddam de me concipio: cumq; illis passim aures præbeo, mirifica suauitate demulceor, statimq; me maiorem, generosiorem, pulchriorem quàm antea reputo: ac sæpenumero hospites aliqui mecum hæc audiunt, egoq; apud illos euestigio præstãtior quàm antea reddor. nempe & illis idẽ quod mihi uidetur accidere tam erga me quàm reliquam ciuitatem. Nam ab oratore protinus persuasi, mirabiliorem quàm prius ciuitatem existimant. Atqui gloriosa hæc uenustas mihi plusquam triduum manet. adeo concinna oratio canoraq; uox oratoris ore demanãs, auribus meis infunditur, ut uix tandem quarta post die uel quinta mei ipsius reminiscar, & ubinam gentium sim, agnoscam. Ac tunc demum fuisse deceptum animaduerto, cum me ante putauerim in beatorum insulis constitutum. usqueadeo Rhetores apud nos ingenioſi sunt. MEN. Semper Rhetores ludis ô Socrates. Nunc autem uereor, ne illi qui eligetur defutura sit dicendi facultas. subita namq; obtigit optio. Quamobrem cogetur forte quisquis dicturus erit, ex improuiso quodammodo uerba facere. SOC. Quinam ô bone uir? singulis enim istorum sunt orationes dudum in hoc compositę. Tum nec arduum est de his rebus absque meditatione dicere. Si enim oporteret uel in Peloponneso Athenienses, uel Peloponnesiacos Athenis orare, facundo tunc oratore opus esset, qui & persuaderet, & probaretur. Quando autem apud eosdem se quis exercet, quos & laudat, facile eius uerba laudantur. MEN. Facile ne istud existimas Socrates? SOCR. Equidem. MEN. An speras eloqui posse te, si opus fuerit, & Senatus consulto eligaris? SOC. Quid mirum Menexene, me ad dicendum sufficere, qui magistram haudquaquam imperitam in Rhetorica nactus fuerim, quæ & alios multos eloquentes reddidit oratores, & unum Græcorum omnium præstantissimũ filium Xanthippi Periclem? MEN. Quænam ista. Nunquid Aspasiã dicis? SOC. Et hanc dico, & filium Metrobij Connum. Hi namq; duo præceptores mihi sunt, Cõnus quidem Musicæ, Aspasia uero Rhetoricæ. Ita igitur eruditum uirum nihil mirum est in his eloquẽtem esse. Quinimo & siquis etiam deterius q; ego doctus fuerit, musicam quidem à Lampro, Rhetoricam uero ab Antiphonte Rhamnusio, is tamen poterit inter ipsos Athenienses, Athenienses laudando, sic eloqui, ut eius ab auditoribus oratio probetur. MEN. Quidnam habes quod in medium afferas, si te uerba facere oportuerit? SOC. Ex me quidem fortasse nihil. Sed heri Aspasiam ipsam audiui funebrem de his orationem dictantem. Audiuerat enim quæ & ipse dicebas, Atheniensis aliquem electuros esse qui de his orationem haberet. Deinde partim mihi ex improuiso quæ dicenda forent, partim meo quidem iudicio præmeditata exponens, funebrẽ orationem contexuit, quam dixit Pericles reliquias quasdam ex illa componens. MEN. Nũquid recordareris quæ dicebat Aspasia? SOC. Equidẽ, nisi iniurius sim. Ab ea namq; edidici, parumq; abfuit quin propter obliuionem plagis illa me cæderet. MEN. Cur non refers? SOC. Vereor ne magistra mihi subirascatur, si orationem illius edidero. MEN. Nullo pacto Socrates, Verum gratificare mihi, seu Aspasiæ, siue cuiuslibet alterius orationẽ dicere placet, dicas modo. SOC. Forte me ridebis, si senex adhuc iocari tibi uisus fuero. MEN. Absit ô Socrates. Dic amabo. SOC. Mos tibi gerendus est. Ferme namq; si nudatum me saltare iuberes, quando quidem soli sumus, obsequerer. Sed audi iam. Hũc enim in modum, ut arbitror, loqui cœpit, sumens ab ipsis defunctis exordium.

Vt qui in bello ceciderãt laudatiõe ornabantur & funere

Quòd oratores sint deceptores

Oratio funebris

RE quidem ipsa iusta his apud nos exhibita sunt, quę iam assequuti iter fatale peragunt, tam publice à ciuitate, quàm priuatim à suis magnifico sumptu, et frequenti concursu dimissi. Verbis uero laudationem addi lex iubet, ac profecto ita decet. Bene siquidẽ reb. gestis ex ipsa uerborũ exornatione, ad eos qui gesserunt apud auditores memoria perẽnis splendorq; prouenit. Ea uero opus est oratione, quæ defunctos satis laudet, superstites benigne moneat, filios eorũ fratresq; ad uirtutis ipsorũ imitationẽ hortet: parẽtes aũt, et maiores alios si qui supersunt, consolet. Quę igitur nobis talis erit oratio? uel unde potissimũ præclaros laudare uiros incipiemus, qui uiuentes uirtute propria suos mirifice delectauere, & pro salute uiuentium offerre se morti nõ dubitarũt? Videt itaq; mihi oportere secundũ naturã ut boni effecti

sunt

sunt,ita eos laudare: boni autem ideo prouenerunt, quia ex bonis traxerunt originem. Quapropter generosam primo illorum stirpem laudemus. Deinde educationem & disciplinam. Postremo narremus,ita ab eis fuisse res gestas,ut maxime decebat eos,qui essent ex talibus oriundi,& ita postmodum educati. Prima quidem generis horũ laus est, quod maiorum origo haud peregrina fuit,neq; successores hos ita hic reliquit uelut inquilinos nouosq; homines ex aduenis genitos: sed indigenas acreuera in patria habitantes,uiuentesq; & nutritos non à nouerca quidem,ut alij,sed ab ipsa matre ipsorũ regione quam habitarunt: in qua & nunc conduntur uita functi,ipsis uidelicet in uisceribus eius quæ peperit eos,& nutrijt & excepit. Par est enim matrẽ ipsam ante omnia honorare: nam ita maxime horum genus excolitur. Est autem regio hæc nõ solum nobis,sed omnibus hominibus celebranda, cum alijs multis de causis,tum ex hoc præcipue,quia dijs charissima est. Quod testatur deorum de hac inter se concertatio. Ea uero quæ à dijs laudata est,cur non à cunctis hominibus collaudetur? Altera eius laus erit,quod eo tempore quo tellus omnia animalia omnigena producebat,feras, & pascentia omnia, terra duntaxat nostra ad hæc sterilis erat,agrestibusq; animalibus uacua. Proprie uero ex omnibus animantibus hominem genuit,qui cæteris intelligentia præstat,solusq; ius ac deos animaduertit. quod uero hæc regio,et eorũ quos pro cõcione celebramus et nostros maiores progenuit,hinc euidentissime licet cognoscere,quia omne quod gignit,alimentũ conueniẽs genito continet. Quo plane discernitur mulier illa quæ peperit,ab ea quæ infantem simulando supposuit: nam quæ peperit,lacte abundat ad eius quod genitũ est alimoniam, alia uero nequaquã. Tellus itaq; nostra materq; perspicuũ argumentum præbet,quod homines procreauerit. Nam & sola & prima tunc pabula humana porrexit,tritici hordeiq; fruges,quibus cõmodissime genus hominum alitur,utpote quæ uere animal id produxerit. Potius autem de terra q; de muliere coniectare id licet. Neq; enim terra mulierem conceptu partuq;,sed terram mulier imitatur. huiusmodi uero pabulum sine inuidia non hominibus solum abunde,uerumetiam brutis subministrauit. Post hæc oleum laborum subsidiũ natis suis suppeditauit. Nutritis autem adultisq; filijs principes præceptoresq; deos induxit quorum nunc prætermittenda sunt nomina. Neq; enim nos latet qui uitam nostram munierint,tam artium inuẽtione ad quotidianum uictum spectantium,quàm traditione peritiaq; armorum ad regionis ipsius custodiam. Ita maiores horum geniti atq; educati rem publicam instituerunt. qua de recte habet si paucis dicamus. Res enim publica hominũ educatio est,bona quidem bonorum,contrariorum uero contraria. Quod ergo in præclara repub. enutriti sunt nostri maiores,declarandum est,per quam & illi hi boni uiri,ex quibus sunt qui è uita migrarunt. Eadem namq; respub. quondam & nunc,optimatum uidelicet gubernatio,sub qua & his temporibus ac ferme semper ex eo tempore degimus. Eam quidam popularem uocant,alij aliter,utcunq; placet. Est autem reuera hæc optimatum cum quadam autoritate populi gubernatio. Semper enim nobis reges sunt, aliàs generis successione,aliàs electione creati,sed autoritatis ciuitatis plurimũ apud populum, qui semper his qui optimi iudicantur magistratus impertit. Vbi neq; parentum debilitate uel paupertate uel ignobilitate quisquam reijcitur,neq; cõtrarijs de causis honoratur, ut in alijs ciuitatibus fieri solet. Sed hæc est summa. Quicunq; sapiens aut bonus habetur,dominatur & imperat. Causa nobis gubernationis huiusmodi, ex æquo generatio est. Aliæ siquidem ciuitates sunt ex uarijs dissimilibusq; generibus constitutæ: quo fit, ut inæquales sint & gubernationes,tyrannides,paucorumq; potẽtię. In quibus ita homines uiuunt,ut se inuicem partim dominos partim seruos existiment. Nos aũt nostriq; una ex matre omnes,fratres inuicẽ geniti,haud arbitramur inuicem nos dominos & seruos esse: sed generationis æqualitas nos inducit,ut & legis quæramus æqualitatẽ,neq; rei prorsus ulli nisi opinioni uirtutis prudẽtiæq; cedamus. quapropter & nostri & horũ parẽtes,& hi honeste creati,& in omni libertate nutriti,multa atq; præclara facinora apud omnes gentes notissima priuatim & publice ediderunt, existimantes libertatis gratia tam aduersus Græcos pro Græcis alijs quàm aduersus barbaros pro cunctis Græcis esse pugnandum. Enimuero quo pacto in bello iuuerint Argiuos quondam aduersus Cadmios, & Heraclidas aduersus Argiuos,cum Eumolpus & Amazones,ac etiã cum his superiores regionem inuaderent,nimis angustũ tempus est pro dignitate referre,& poetę illorũ uirtutem

Attica tellus hominẽ primo produxit

eleganter muſica celebrantes in omnes gentes diuulgauerunt. Quare ſi nos eadem rurſus ſermone repetere nunc aggrederemur, forte uideremur illis eſſe ſecundi. Hæc igitur ob hanc cauſam arbitror dimittẽda, quandoquidem pro dignitate iam ſatis celebrata uidentur. Quæ uero nondum ut rerum dignitas exigit, à poetarum aliquo decantata ſunt, necdum tamen ab obliuione quiſquam uindicauit, hæc nobis prædicanda nũc arbitror, ut & nos ea laudemus & adiuuemus, prouocemuſq; alios ad eadem odis aliſq; carminibus ut decens eſt exornanda. Eorum autem quæ dico, prima hæc extant. Perſas profecto cum Aſiæ imperarent, & Europæ dominarentur, regionis huius homines primi inhibuerunt, hinc quidem oriundi, noſtri autem progenitores: quorũ meminiſſe, uirtutemq; laudare & oportet in primis & decet. Eam nanq; noſſe oportet, ſi quis ſufficiẽter laudaturus ſit res ab illis eo in tempore geſtas, quo Aſia omnis tertio iam regi ſeruierat. quorum primus Cyrus magnitudine quadam animi ciues ſuos Perſas in libertatẽ redigens, ſimul dominos Medos ſubiecit, totiq; Aſiæ uſq; ad Ægyptum imperauit. Filius autem eius Ægypto quoq; & Libyæ, quouſq; penetrare dabatur. Tertius Darius, pedeſtri pugna uſq; ad Scythas extendit imperium. Nauali autem, mari, & inſulis eſt dominatus. Quo factum eſt, ut repugnare illi nullus auderet. Animi quidem hominum omnes ſeruili quadam formidine abiecti iam erant: adeo multæ, frequentes, & bellicoſæ gentes ſub Perſarum imperio tenebantur. Nos autem Eretrienſesq; accuſans Darius, quaſi Sardibus inſidiaremur, & hanc belli occaſionem nactus, quingenta hominum milia claſſibus miſit, naues uero trecentas, hiſq; Datim præfecit, atq; illi mandauit, ut captiuos ad eum Eretrienſesq; & Athenienſes duceret, ſi caput illi ſuum charum eſſet. Ille nauibus aduectus Eretriam, ubi uiri non pauci erant, ac præterea in rebus bellicis inter Græcos eorum temporum illuſtriſſimos numerabantur, triduo eos captiuos fecit, ac omnem regionem ſic explorauit, ut ne ulli eſſet effugiendi locus: hoc ſcilicet modo. Nempe ad fines Eretriæ profecti milites eius, & à mari in mare ſeſe extendentes, diſcurrentesq; iunctis inuicem nauibus uniuerſam regionem protinus percurrerunt, ut regi referre poſſent, neminem ſe ſubterfugiſſe. Eodem conſilio ex Eretria Marathonem deſcenderunt, utpote quod illis ad id aptiſſimum erat, ut Athenienſes unà cum Eretrienſibus quaſi ſub eodem iugo ducerent captiuos. His autem partim quidem ita peractis, partim uero tentatis, nullus Græcorum præter Lacedæmonios Eretrienſibus Athenienſibus ue ſuccurrit. Et ij ſequenti poſt pugnam die uenerunt. Cæteri autem omnes perterriti ſunt, ac bene ſecum agi putantes, ſi periculum præſens euaderent, quieuerũt. Ex hoc intueri licet quanta illorum uirtus fuerit, qui in Marathone barbarorum impetum ſuſtinuerunt, eorumq; ſuperbiam domuerunt. Primi ſane de barbaris triumpharunt, & exemplo reliquis oſtenderunt, Perſarum uim haud inexpugnabilem eſſe, imò uero & multitudinem omnem, & diuitiarum copiam uirtuti parere. Eos equidem uiros non modo noſtrorum corporum genitores, ſed & libertatis tum noſtræ, tum omnium qui in huiuſmodi habitant continenti, autores arbitror extitiſſe. His namq; exemplis prouocati poſteriores Græci in ſequentibus bellis pericula omnia pro ſalute ſua ſubire non dubitarunt, diſcipuli profecto illorum qui in Marathone Perſas profligauere. Primam itaq; palmam oratione tribuere illis decet, ſecundam uero ijs qui circa Salaminam Artemiſiumq; hoſtes prelio nauali uicerunt. Multa nempe ab his uiris geſta narrare poſſemus, quanta pericula terra mariq; imminentia ſuſtinuerint, ſuperauerintq;. quod autem præ cæteris egregium puto, nunc referam. Nam quod reſtabat poſt bellum Marathonicum, perfecerũt. Siquidem qui in Marathone certarunt, hoc tantum Græcis demonſtrauerunt, quod terreſtri pugna pauci quidem Græci multorum impetum barbarorum frangere poſſent. Maritima uero victoria adhuc incerta, exiſtimabanturq; Perſæ in maritimis prælijs, & multitudine & diuitijs arteq; & robore inexpugnabiles eſſe. Hoc itaque in his qui tunc nauibus pugnauere, laude dignum eſt, quod metum Græcis inſitum penitus depulerunt, feceruntq; ne amplius nauium uirorumq; numerum pertimeſcerent. Vtriſq; his factum eſt, tam in Marathone terra pugnantibus, quàm mari poſtea circa Salaminam, ut reliqui Græci & docerentur & prouocarentur, ab illis quidem terra, ab his autem mari; ad prælia contra barbaros intrepide committenda. Tertium aſſero quod in Plateis geſtum eſt, & numero, & uirtute, ſalutis Græcæ cauſam extitiſſe. Commune uero id iam Lacedæmonijs & Athenienſibus facinus

nus. Igitur omnes hi Græci in ſummis à nobis & à poſteris laudabuntur. Poſt hæc multæ inſuper Græcorum urbes adhuc ſub barbaris erant. Rex autem minabatur Græcos ſe iterum inuaſurum. Decet profecto illos commemorare, qui ſuperiorum operibus ſalutis extremam manum impoſuerunt, cum omnem ex mari barbariem depuliſſent. Hi uero fuerunt qui circa Eurymedontem claſſe pugnarunt, & in Cyprum militaturi ſe contulerunt: itemq; in Ægyptum nauigarunt, plurimasq; alias terrarum oras peragrarunt. Horum meminiſſe oportet, his gratia eſt habenda, quod regem perterritum coegerunt de ſalute ſua cogitare potius quàm ad Græcorum perniciem inſidias tendere. Atq; id bellum per omnes urbes diffuſum fuit, dum Græci ſeipſos omnesq; linguæ eiuſdem homines ad uerſus barbaros tutarentur. Pace uero demum confecta, honoratáque ciuitate, contigit ei quod ſolet ab hominibus in eos quibus proſpere res ſuccedunt oriri, primo quidem æmulatio, ab æmulatione deinde inuidia, quæ hanc ciuitatem inuitam in bellum cum Græcis gerendum traxit. Poſt hæc inito bello in Tanagra congreſſi ſunt, pro libertate Bœotiorum aduerſus Lacedæmonios concertantes. Cumq; incertus pugnæ eſſet euentus, quod poſtea ſequutum eſt rem ipſam aperuit. Pleriq; ſane aufugerunt, deſtituentes Bœotios, quibus auxilium allaturi conuenerant. Noſtri autem die tertia in Enophitis potiti uictoria, eos qui iniuſte fugerant, iuſte reduxerunt. Hi utiq; primi poſt bellum Perſicum Græcis gratia libertatis auxiliati contra Græcos, uiri quidem præclari, & libertatis autores his quibus opem tulerant, his in monumentis honorati à ciuitate priores ſunt poſiti. His uero peractis, cum increbreſceret bellum, Græciq; omnes ſumptis armis regionem deuaſtarent, urbiq; non dignam gratiam redderent, eos noſtri nauali prælio ſuperarunt, & eorum duces Lacedæmonios comprehenderunt: quos quamuis iugulare liceret, dimiſerunt, pacemq; firmarunt, exiſtimantes aduerſus eiuſdem generis homines ad uictoriam uſq; pugnandum, neq; ob propriam ciuitatis indignationem Græcorum communionem penitus diſſoluendam, ſed aduerſus barbaros ad necem uſq; certãdum. Hos itaq; laudare uiros decet, qui hoc bello peracto hic iacent, quoniam oſtenderunt inanem eſſe illorum ſuſpicionem, ſi qui Athenienſium uirtute diffiſi opinentur in primo cõtra barbaros bello alios quoſdam præſtantiores Athenienſibus extitiſſe. Hi enim omnis cum Græcia ſeditionibus agitaretur, ipſiq; uiros cæteris Græcis præſtantiores bello ſuperatos comprehendiſſent, declarauerunt eos ſeorſum ſe uincere, quibus cum communiter barbaros expugnauerant. Tertium poſt pacem hanc bellum improuiſum & graue exortum eſt, in quo cum multi fortesq; uiri occubuiſſent, hic conduntur. quorũ multi circa Siciliam plurimis ſunt potiti uictoriis pro ſalute Leontinorum, quibus iureiurando aſtricti opem ferebant, quo fœdere ad ea loca nauigauerant. Cum uero diuturna eſſet nauigatio, ac interim rerum diſcrimine penuria q; ciuitas premeret, neq; illis poſſet ſuccurrere, negatis ſubſidiis res eorum haud proſpere ſucceſſerunt. quorum hoſtes belloq; aduerſarij maiorem temperantiæ uirtutisq; laudem q; amici aliorum habent. Multi prꝛterea nauali bello per Helleſpontũ die una omnes aduerſariorum naues ceperunt, plurimasq; alias deuicerũt. Bellum uero idcirco inſperatũ durumq; uocaui, quia nullus exiſtimaſſet reliquos omnes Grꝛcos contra ciuitatẽ tã acerrimo ſtudio contentionis accendi, ut regem illum barbarũ infenſiſſimum quem unà nobiſcum expulerant, rurſus per legatos ad bellum Græcis inferendum irritare non dubitarent, & uniuerſos tum Græcos, tum barbaros ad hanc urbem obſidendam colligere. Vbi præcipue potentia uirtusq; ciuitatis huius effulſit. Nam cum exiſtimarent eam iam ſuccubuiſſe, nauesq; obſeſſæ circa Mitylenen eſſent, ipſi auxilium laturi ſexaginta naues ingreſſi, uiri quidem ſine controuerſia fortes, hoſtem profligarunt, liberarũt amicos, cum indigno caſu circumuenti, nõ autem mari interfecti eſſent hic iacent. quorum ſemper cum laude meminiſſe decet. Nam illorũ uirtute nõ modo tũc ex nauali certamine, ſed reliquo etiam prælio uictoriam reportamus. Etenim propter illos tantam eſt noſtra ciuitas gloriam conſecuta, ut nunq; expugnari poſſe nec ab omnibus quidem hominibus crederet. Quod certe haud procul à ueritate abeſt. Neq; enim aliorũ inſidijs uiribusq;, ſed propria diſſenſione deuicti ſumus. Nempe nunc etiã ab exteris ſumus inuicti. Sed ipſi nos expugnauimus, nobiſipſis ſuccubuimus. Poſt hæc tempora pacatis omnibus, cũq; alijs pace cõfecta, inteſtina nobis ſeditio coorta eſt, in qua ſe ita geſſerũt, ut ſiquidẽ omnino fatis decretũ eſſet homines ſeditionibus agitari, nemo uideat

aliter

aliter ægrotare patriam optaturus. Nam ex Piræo & urbe q̃ benigne atq; domestice præ ter cæterorum Græcorum opinionem ciues inuicem conflixerũt: bellumq; aduersus eos qui Eleusine erant concitum, q̃ moderate transegerunt atq; sedarunt: Horum profecto omnium alia nulla est causa præter ueram ipsam cognationẽ, quæ amicitiam firmam atq; cognatam non sermone, sed re his hominibus indidit. Oportet autem eos etiam qui hoc in bello mutuis uulneribus cõciderũt, memoria colere, & utcunq; possumus inter se eos conciliare uotis sacrificijsq; pro illis qui superauere peractis, quandoquidem & nos cõciliati sumus. Neq; enim improbitate inimicitijsq;, sed infelicitate quadam manus inuicem conseruerunt. Horum uero testes sumus ipsi superstites. Nam cum illis genere coniuncti simus, mutuo damus ueniam, & recipimus, siquid uel in alium intulimus, uel perpessi sumus ab alio. Deinde cum in summa rerum tranquillitate quiesceret ciuitas, barbaris quidem ignoscebat, quod infestati ab illa satis fortiter repugnauerãt: Græcis autem indignabatur, quia pro acceptis beneficijs iniuriam quandoq; retulerant, dum societatẽ cum barbaris inirent, nauesq; quibus fuerant seruati, diriperent, dissiparentq; muros quibus nos mœnia eorum ne corruerẽt, quãdoq; defendissemus. Instituit itaq; ciuitas ultra haud tueri Græcos, siquando uel à Græcis, uel à barbaris opprimerent. Cum uero nos in hac esse mus sententia constituti, putarentq; Lacedæmonij nos libertatis tutores iacere, opus uero suum fore posthac, ut alios subiugarent, sic egerũt. Quid multis opus est uerbis? Neq; enim uetera, neq; multis retro seculis gesta dicerem quæ sequuntur. Neq; nos latet, perterritos Græcorum primos Argiuos, Bœotios, Corinthios auxilium ciuitatis huius implorauisse. quodq; omnium diuinissimum est, rex ipse tanta est indigentia pressus, ut non aliunde quàm ex hac ciuitate quam omni studio diruere conatus fuerat, salutem suam tutari posse confideret. Enimuero siquis hanc ciuitatem incusare iure uoluerit, hoc duntaxat obijcere poterit, quod misericordia nimis semper afficiatur, diligẽtiusq; subleuat succumbentem. Ea siquidem tempestate tolerare nõ potuit, quod ue instituerat ultra seruare. Decreuerat sane nullis unquam eorum à quibus iniuriam accepisset, succumbentibus opem ferre. Mutauit tamen propositum, & auxilium præstitit. Vnde Græcos liberauit à seruitute, ita ut liberi uixerint, donec ipsi se inuicem subiugarũt. Regi uero succurrere ausa est minime. uerebatur enim triumphos ex Marathone, Salamina, Plateis antea reportatos. Sed quum sineret exules, & uoluntarios adiutores illi fauere, sine controuersia eum quoq; seruauit. Structis aũt muris, fabricatisq; nauibus, belloq; suscepto quando coacta est bellum gerere, pro Pariorũ salute contra Lacedæmonios dimicauit. Metuẽs uero ciuitatem rex, postquam Lacedæmonios uiderat nauale bellum renuere, & idcirco deficere uolens, postulauit Græcos qui in continenti erant, quos prius ipsi Lacedæmonij exhibuerant, si propugnandũ foret nobiscum cæterisq; belli socijs, arbitratus hoc sibi negatum iri, quo deficiendi à nobis occasionem nanciscerẽt. Vbi à propugnatoribus socijsq; alijs est deceptus. namq; exhibere illi uoluerunt, conueneruntq; iureiurando adhibito Corinthij, Argiui, Bœotij, cæteriq; belli socij, si daret pecunias, ut eos illi qui in cõtinenti erant Græcos traderent. Soli uero neq; tradere, neq; iurare tunc ausi sumus, usqueadeo mos ciuitatis huius generosus, liber, constans, integer, & natura barbaris est infensus, propterea quod homines hi absq; ulla barbarorũ cõmixtione puri integriq; sunt Græci. Neq; enim miscentur nobiscum Pelopes, aut Cadmij, aut Ægyptij, Danaï ue, alijq; permulti, natura quidem barbari, lege solummodo Græci, sed ipsi Græci duntaxat nulla prorsus infecti barbarorum confusione perseueramus. Quæ quidem puritas odium huic ciuitati aduersus genus alienum ingenuit. Soli rursus puriq; ex hoc perseuerauimus, quod opus profanum perpetrare noluimus, Græcosq; barbarorũ manibus tradere. Ad hæc igitur descendentes, ex quibus primo superati fuimus, fauente deo, felicius q̃ tunc bellum posuimus. Nam retinẽtes naues, muros, nostrasq; colonias, à bello liberati sumus: adeo libẽter & hostes ipsi destiterũt. uiros tamẽ fortes hoc quoq; in bello amisimus, partim apud Corinthũ regiõis asperitate & angustia interceptos, partim proditiõe apud Lecheũ profligatos. Insignes quoq; uiri, qui & regẽ liberauere, & ex mari Lacedæmonios expulerũt. quos ego equidẽ in memoriã uobis reduco. uos aũt uiros huiusmodi collaudare celebrareq; decet. Atq; opera quidẽ hæc uirorũ hic iacentiũ, cæterorũq; omniũ quicũq; pro patria obierũt, quæ relata sunt, multa sunt atq; præclara: sed quæ restant, plura admodum præstantioraq; sunt

sunt. Atqui dies multi uix noctesq; sufficerent, siquis omnia complecti uoluerit. His ergo memoria repetitis, unumquēq; uirum oportet natos horum assidue exhortari, ut tanquam in bello maiorum suorum ordinem seruent, neq; per ignauiam aufugiāt. Equidem ô uirorum præstantium filij, uos ipse & in præsentia exhortor, & in posterum quemcunque uestrū nactus fuero, admonebo semper, & cohortabor, ut quàm optimi euadere contendatis. Nunc quoq; par est uobis referre quæ nobis patres uestri finxerunt, mandarūtq; posteris prædicare siquid paterentur, cum foret periclitandum. Recensebo igitur uobis in præsentia quæ ex illis ipsis audiui, quæ ue ipsi nunc uobis, si facultas daret, libenter precíperent, coniecturam equidem ex illis quæ quondam dicebant, facio. Existimate uero nūc quæ referam illos ipsos audire loquentes. hunc autem in modum exorsi sunt. Quod ex præclaris parentibus orti estis ô filij, præsentia uobis testantur: profecto cum nobis liceret turpiter uiuere, honeste emori maluimus, quàm uos cæterosq; posteros infamię cuiquam subijcere, ac parentibus nostris maioribusq; dedecori esse, putantes homini suos dedecoranti nō esse uiuendum. ei namq; neq; in uita, neq; post mortē amicum aliquem esse, uel hominū, uel deorum. Oportet igitur uos uerborum nostrorum memores, siquid aliud exercetis, cum uirtute exercere, scientes absq; uirtute exercitationes & possessiones omnes turpes malasq; esse. Diuitiæ namq; splendorem afferūt nullum eas cum ignauia possidenti. neq; enim sibi hic, sed alteri parat possidetq; diuitias. Neq; forma corporis atq; robur timido ac prauo cum insunt, decorem præstant. Eum namq; dedecent, notiorem efficiunt, ignauiam patefaciunt. Præterea scientia quęuis remota iustitia aliaq; uirtute non sapientia, sed calliditas esse uidetur. Quorum causa & primo, & postremo, atque per omnia omni studio diligentiaq; contendite, ut & nos, & maiores nostros uirtutis gloriæ superetis. Alioquin scitote, si uobis uirtute præstemus, uictoriam hanc nobis dedecus allaturam, sin superemur à uobis, felicitatem. Ita uero maxime nos quidem superabimur, uos autem superabitis, si ea ratione uitam instituetis, ut maiorum gloria non abutamini, neq; eam ut ita dixerimus, expendatis erogetisq;, scientes uiro aliquid esse se existimanti nihil turpius posse accidere, quàm seipsum honorandum non propriam ob uirtutem, sed propter gloriam superiorum præbere. Gloria enim parentum natis præclarus est magnificusq; thesaurus. Vti uero pecuniarum honorumq; thesauro, & hunc ad posteros non transfundere, propriæ possessionis gloriæq; defectu, turpe, & à uiri generositate penitus alienum. Si igitur hæc exercueritis, uitæ demum fatis exactis chari ad nos filij charos parentes proficiscemini. Sinautem neglexeritis hæc, et improbi euaseritis, nemo uos libens excipiet. Natis quidem nostris hæc sint dicta: patres autem nostros, ac matres sicui nostrum supersunt atq; consolatione indigent, consolari oportet, quia deceat facile quęcunque acciderint ferre, neq; cū illis unà deplorandus est casus. lamentationibus enim aliorū non indigebunt: satis enim sors tristitiæ illis inferet. Mederi profecto lenireq; oportet, & in primis illud commemorare, quòd maxima eorum quæ exoptare solent, exaudiētes dij iam tribuerunt. Neq; enim immortales sibi filios dari, sed bonos & illustres optabant. Cuius quidem uoti compotes effecti sunt, quod maximum existimandum est bonum. omnia uero mortali uiro ad uotum in uita succedere, haud facile est. Atqui si sortem forti animo tolerabunt, uidebuntur reuera fortium filiorum parentes ipsiq; fortes esse. Sinautem dolori succumbent, suspitionem hominibus inferent, ne forte aut parentes nostri minime sint, aut qui nos laudibus efferunt, mentiantur. At horum neutrum euenire oportet, immo uero laudatores nostros re ipsa præcipue illos esse, ostendentes se reuera parentes uiros esse uirorum. Enimuero uetus illud prouerbium, Nihil nimis, scite dictum uidetur. Nam qui ita se comparauit, ut ex ipso pendeāt omnia quæ ad beatitudinē ei conferunt, aut quāproxime ad hoc accedat, nec ex alijs pendeat hominibus, qui si uel bene uel male agant, hic sua quoque mutare cogatur: is optime uitam instituit, temperans, fortis, prudens is est: hic siue pecunias nanciscatur ac filios, siue amittat, prouerbio semper parebit. Nunq; enim nimis aut lętitia exultabit, aut dolore deijcietur, propterea quod ipsi pareat. Tales esse & nostros debere iudicamus, & uolumus. Atqui & in prętentia nos ipsos tales penitus exhibemus, haud certe perturbatos, uel nimio metu perterritos, si nūc uita decedere nos oporteat. Oramus quoq; patres nostros ac matres, ut similiter affecti uitam futuram agant, scientes qd' nō lamentationib, eiulationibusq; maxime nobis gratificabuntur:

uerum

uerum ſiquis eſt his qui defuncti ſunt,ſenſus uiuentium,ita maxime nobis moleſti futuri ſunt,ſi ſeipſos perdiderint,& inique ſortem tulerint:ſinautem moderate ac leuiter,nobis ſummopere obſequentur:noſtra porrò eum iam finem habebunt,qui hominibus eſt pulcherrimus.Quamobrem collaudanda ſunt potius quàm deflenda.Profecto ſi uxores noſtras filioſq; tuebuntur,& nutrient,& his incumbent,ita maxime caſus obliuioni mandabunt,pulchriusue & rectius nobisq; gratius uitam agent.Hæc igitur noſtro nomine noſtris prædicare ſufficiet.Ciuitati uero mandamus,ut parentum noſtrorum filiorumq; curam habeat,& hos quidem honeſte erudiat,illorum uero ſenium digne foueat. Cognouimus certe uos,etiamſi hæc minime præceperimus, optime curaturos. Hæc igitur ô filij defunctorum atq; parentes,ut moneremus illi mandarunt:ego uero quãtum poſſum, diligentiſſime moneo,eorumq; nomine obſecro,iuniores quidem, ut præclaras ſuorũ res imitentur:ſeniores autem,ut de ſe optime ſperent. Nempe ſenectutem ueſtrã priuatim publiceq; alemus:& quemcunq; ex illorum progenie nacti fuerimus,ſumma beneuolentia cõplectemur.Ciuitatis uerò prouidentiã ipſi minime ignoratis, quæ ſtatutis legibus, parẽtes & filios eorum qui in bello interiere,tutatur,& ante alios ciues ſummo magiſtratui talium cõmittit curam,ne ulla prorſus iniuria parentes horũ afficiantur. Filios autem educat ipſa,ſtudetq; ut illis ignota ſit orbitas.Nam ipſa parentis gerit uicem & dum pueri ſunt,& cum ad maturã ætatem uenerunt,ad officia ſua tranſmittit,omni armatura fulcit & ornat,patris ſtudia oſtendit,& memorat,dum paternæ uirtutis tribuit inſtrumẽta. Ac ſimul auſpicij gratia iubet tunc primum domum paternam ingredi filium quaſi impraturum,& armis cum robore fulctum.Eos præterea qui deceſſerunt è uita, honorat, ceremonias quotannis lege decretas cõmuniter cunctis inſtaurans,quæ priuatim unicuiq; proprie peragi ſolent.Gymnica item certamina equeſtriaq; inſtituit, muſicoſq; ludos uarios adhibet.Ac profecto quod ad defunctos ſpectat,hæredis & filij ſubit conditionem: quo ad filios,patris:quo ad parentes cæteroſq; huiuſmodi,curatoris,omni diligẽtia ſemper omnibus prouidens.Quarũ rerum animaduerſione quæ acciderunt,æquo animo ferre debetis.Nam hoc pacto & mortuis,& uiuentibus eritis gratiores,facileq; curabitis,& facile curabimini.Nunc uero uos,ac cæteri omnes qui cõmuniter ſecundum legem eos qui naturæ ceſſerunt,iam lugubribus expiationibus proſecuti eſtis,abite. Hic eſt ô Menexene,Aſpaſiæ Mileſiæ ſermo. MEN. Per Iouem ô Socrates, beatam dicis Aſpaſiam, ſi cum mulier ſit tales poteſt orationes cõponere. SOC. At ſi minus credis,ſequere me, dicentem ipſam audies. MEN. Sæpenumero cum Aſpaſia fui, Socrates, & qualis ſit,noui. SOC. Cur igitur eam non ueneraris? Cur nõ habes propter hanc orationem illi gratiam? MEN. Ingentem equidem habeo gratiam mulieri huic,ſeu uiro,quiſquis tibi orationem hanc tradidit.Ac præ cæteris multis narranti gratiam habeo. SOC. Bene quidem.Sed ne me prodas,ut deinceps multas eius præclarasq; de ciuilibus reb.orationes tibi recenſeã. MEN. Bono animo es.Non prodam.Referas modo. SOCR. Fiet ut poſtulas.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN dialogum primũ de Republica,uel de Iuſto,ad Laurentium Medicem uirum Magnanimum.

QVANTO *oculus præſtat manibus,caput pedibus,ratio ſenſibus,anima corpori,finis omnibus quæ diriguntur ad finem,ſtatus motui,æternitas tempori,tanto contemplatiua uita actiuæ præſtare uidetur. Contemplatio enim actionis & principium eſt & finis, ducitq; illam pro arbitrio atq; ſiſtit,iubens deniq; inferiores motus, externamq; deſinere actionem, ut intrinſeca ſtabilisq; actio,liberior tandem poſſideatur. Sic utiq; ab ipſa contemplatione Dei cœleſtes naturalesq; motus,& actiones omnes tanquam à principio ducuntur,& reducũtur ueluti ad finem. Quamobrem Plato noſter eo ſaltem cæteris ciuitatũ legumq; conditoribus eſt excellẽtior,quo cæteri quidẽ uelut humani ad actionẽ magis ciuitatem inſtituerunt,ipſe uero quaſi diuinus actionem ciuitatis omnem tam publicam quàm priuatam potiſsimũ perducit ad cõtemplandum,ciuitatemq; conſtituit ſuijpſius antequam orbis dominam,neq; tam multis timendã, quàm cunctis gentibus uenerandam,cœleſtem quaſi Hieruſalem pro uiribus in terris expreſſam,in qua ſublatis propriæ poſſeſsionis gratia contentionibus communia ſint pro ipſo iure naturæ omnibus omnia,communis ſit copia, firma concordia,cunctorum una uoluntas,ideoq; ad contemplandum ſemper expedita trãquillitas. Componit autem integram*

integram absolutæ Reipublicæ formam denario librorũ numero numerorũ omniũ integerrimo numeros tũ intra se numeratos cõtinente, tũ ex se innumeros replicante. Atq; ut sæpe his in libris præcipue in secũdo declarat, totã disputationem de iustitia à nobis inscribi mauult, quàm de Republica: docens ut arbitror, rem omnẽ actionemq;, & publicam & priuatam, non ad copiam, non ad potentiam, non ad uictoriam esse sed ad ipsam iustitiam penitus referendam. Quæ quidem iustitia omni sublata perturbatione, expulsisq; contentionũ impedimentis ciues tandẽ reddit expeditissimos ad uerum inuestigandum, deumq; colendum. Eiusmodi uero contemplationem atque cultum Plato noster iudicat præcipuum reipublicæ finem: ut quod neq; unus, si solus uixerit, neq; plures si simul habitauerint, sine lege efficere possunt, multi saltem ciues communi lege in unum ciuitatis cœtum congregati perficiãt. Præterea docet nos Timæus, & Critias ante ingentem terrarum inundationem Athenas alias extitisse, & apud Græcos, & apud Aegytios, similibus inter se legibus gubernatas, quas dea Pallas condidit, educauit, & docuit, eamq; illis tradidt reipublicæ formam quam in his libris Plato conscribit. In libris uero de Legibus rempublicam ex gubernatione Cretensi, ex Lacædæmonia, & Attica noua componit. ipsamq; compositionẽ à Deo inchoat legum omnium autore. Verum ut ad præsentia redeamus, hanc quoq; rempublicã felicibus auspicijs exorditur ab ipsis diuinæ sapientiæ sacris, à seniorum consuetudine atq; consilio, à religiosa iustitia aq; sanctitate. Ex eo enim quod & uota Deo, & sua cuiq; reddenda dixerat, incipit iam de priuata quadam iustitia disputare, per quam ad publicam opportune suo loco transibit. Tu uero memento in his à Platone significari, absq; diuina humanaq; iustitia, seniorumq; consilio, ac sapientiæ diuinæ fauore, non posse ciuitatẽ uel ab initio constitui prospere, uel cõstitutam feliciter gubernari. Deinceps argumentum primi libri perstringens, ex plurimis grauibusq; præceptis necessaria quædam excerpam. Moderata iuuentus facilem efficit senectutem, immoderata difficilem. Qui corporis obsequitur libidinibus, proculdubio insanis seruit tyrãnis. Animus in senectute sedatis perturbationib. quas secum affert iuuentus, segregatus à corpore, diuina propius & apertius inspicit. Innocentia sola optimam in posterum spem animo præbet, unicum uitæ solamen. Vir sanæ mentis ad id in primis pecunias esse utiles iudicabit, ut quicquid uel Deo uouerit, uel homini promiserit aliterq; debuerit, impleat, neq; ob paupertatem adducatur aut mentiri cuiquam, aut ulla in re defraudare. Pecuniæ nanq; referendæ sunt ad iustitiam, iustitia uero ad uitæ alterius præmium. Sed antequam disputationem de iustitia prosequamur, considerandum moneo singula sub allegoria quadam à Platone disponi. Primo quidem Cephalus senex, id est caput, præbet disputationi caput. Deinde Polemarchus, quod & nomen eius significat, princeps, id est primus moderate pugnam aggreditur. Deniq; Thrasymachus, id est pugnator ferox agit asperius. Socrates autem, id est seruator potens, ubiq; ab errore omnes, & iniustitia seruat. Sed allegoriam commentarijs relinquentes, ad definitionem iustitiæ iam pergamus. Simonidem, Pittacum, Biantem, dixisse ferunt iustitiã esse uera fateri, ac debitum unicuiq; reddere. Quod quidem ita nonnulli interpretantur: Simpliciter uerum cuilibet aperire, & quod acceperis, restituere. Id autem ideo Socrates improbat, quoniam insano neq; omne uerum patefaciendum est, neq; arma reddenda sunt quæ sanus dum erat apud te deposuerat. Alij sic exponunt: Dare unicuiq; quod sibi conuenit, ceu amicis emolumentum, inimicis uero damnum, prodesse quidem bonis, malos autem lædere. Id iterum improbatur, propterea quod neminem unquam lædere deceat. Quicunq; enim aliquid lædit, idipsum ad opus suum propriamq; uirtutem deterius efficit, & ineptius. ut qui canem lædit, ad propriam canis uirtutem reddit ineptum. Iustitia uero hominis uirtus est. Quisquis ergo lædit hominem, ad iustitiam facit deteriorem. At iustitia iustitiam nunquam minuit, sicut neq; musica opus musicæ destruit. Quamobrẽ non est iustum aliquem lædere. Inter hæc Thrasymachus, quod & alij multi aliâs, obijcit Socrati, quod respondere nunquam uelit semper autem interrogare. Te uero latere nõ debet multis de causis Socratem quærere solitum semper potius quàm docere. Prima, ut arrogantes admoneret in omni ætate discendum esse potius quàm docendum. Secunda ut significaret ueritatem mentibus per opportunam inquisitionẽ segregatis à corpore atq; erroribus, statim infundi diuinitus. Quod & Auicenna magnopere comprobat. Tertia ut ostenderet rerum formas esse animis nostris ingenitas Per quas ipsa rerum ueritas animis per interrogationem ad eos cõuersis quandoq; subrutilet. Quarta, quo declararet humanam scientiam in negatione quadam falsi potius quã in ueri affirmatione consistere. Adducitur deinde definitio iustitiæ à Thrasymacho, qualis & à Callicle in Gorgia, iustum esse quod est potentioribus utile. Semper enim potentiores dominari, atq; ad utilitatem suam ferre leges, ac subditos gubernare. Tunc uere subditos iuste agere, cum illis parent legibus, quæ sunt ed utilitatem gubernantium constitutæ. Socrates hunc ad contradictionem trahit. Quoniam possit princeps per ignorantiã mãdare quæ sibimet sint detrimento futura. Quæ si obseruet priuatus, tum iustus erit, quia dominanti pareat: tum iniustus quoniam agat contra dominantis utilitatem. Addit artem quamlibet absolutam, ideoq; minime indigam, in tractandis materijs, & hominibus, non suæ, sed rerum sibi commendatarum utilitati consulere, quasi pupillis tutor, medicus ægris, nautis gubernator: similiterq; magistratum legitimum subditorum utilitati prospicere. Siqua uero ars ceu medicina mercedem exigit, non quatenus medicina est, cuius finis est morbi curatio, quæstũ facit, sed quatenus cũ mercenaria quadam & quæstuaria commiscetur. Artem ergo ciuilem omniũ perfectissimam, ideoq; minime indi

gentem atq; ſeruilem conſtat multo minus utilitatis gratia gubernare. Mitto quæ Thraſymachus temere, & cum quadam ſuimet repugnantia adducit contra iuſtitiam. Tu uero nota non decere quenquam, petere principatum, & magiſtratus ambire. Item, ſi quando bonorum uirorum exiſtet ciuitas, non aliter pugnaturos gratia non imperandi, quàm nunc certent imperandi cupiditate. Tria uero nunc aduerte. Primum, malos non eſſe admittendos ad magiſtratum. Secundum: Ciues non malos, quo libenter graue onus gubernandi ſuſcipiant inuitandos, impoſito quodam præmio ſtipendij atq; honoris. Tertiũ, probos homines qui neq; auaritia, neq; ambitione mouentur, eo duntaxat diſcrimine metuq; prouocari ad rempublicam oportere, ne uidelicet ipſi deteriorũ iniuſtæ gubernationi ſubijciantur. Plato diuinus intelligit, ſi quis unquam alius, officiũ gubernandæ patriæ, ſi iuſtum ſit, uoluntarium eſſe debere. Sed probatiſsimi ciuis exemplo uult iniquam illorum arrogantiã improbare, qui qualibet uia ſemper ambiunt magiſtratus, dignitatesq; aucupantur. Qua uero ratione dignitatibus ipſi digni fiant, omnino non curant. Vult ergo id officium uoluntarium eſſe ſimul atq; neceſſarium, ut uir probatiſsimus libentiſsime patriæ ſuæ ſuſcipiat gubernacula, ſed tunc ſolum id faciat, quando neceſsitas poſtulat, interea uero contemplationem præferat actioni: uerum rebus quandoque urgentibus actionem circa publicum bonum ad tempus contemplationi propriæ anteponat. Id totum ex epiſtola Platonis ad Archytam Tarentinũ comprehendi planiſsime poteſt. Confutatur deinceps tyrannicum Thraſymachi dictũ, iuſtitiam quidem in genere inſipientiæ maliq;, iniuſtitiam uero in genere ſapientiæ boniq; collocãs. quod quidem ideo falſum eſſe monſtratur, quia quælibet ars, ſapientia quædã eſt, atq; circa quæ ſapiens eſt circa eadem eſt & bona. Vir autẽ in quauis arte doctus non plus alio docto in actione artificioſa quærit, imò pariter actionem exequi atq; ſimiliter. Et quamuis doctum adæquare tantũ uelit, indoctum tamen uult ſuperare. At indoctus temere nonnunquam plus ſibi aſſũmere tentat quàm doctus ſimul atq; indoctus. Illi ſimillimus eſt uir iuſtus, nihil plus habere cupiens alio iuſto, ſed aliquid tamen, id eſt uirtutis plus iniuſto. Iniuſtus autem indocto ſimilis tam iuſto quàm iniquo plus habere contendit. Conclude contra Thraſymachum, iuſtitiam quidem ad ſapientiæ boniq; genus, iniuſtitiam uero ad inſipientiæ maliq; referendum. Adde iniuſtitiam eſſe infirmitatis omnium cauſam. Nam in quolibet cœtu odium & diſcordiam pariens, infirmiſsimũ primo cœtum reddit, deinde diſſoluit. Eatenus uero conſiſtere cœtus poteſt, quatenus nonnihil diſtributionis iuſtæ ſeruatur. Per iuſtitiam ergo conſiſtit, per iniuſtitiam uero diſſoluitur. Per illam & ſibi inuicem, & alijs eſt amicus, per hanc undiq; inimicus. Quod autem in qualibet congregatione, idem & in quolibet animo iuſtitia & iniuſtitia faciat: ut iuſtus quidem ſecum ipſe conſentiat, amicusq; ſibi ſit, & hominibus, atq; ſuperis. Illi enim iuſtiſsimi ſunt, ut non mirum ſit iuſtum illis ſimilem etiam amicum eſſe. Iniuſtus autem in his omnibus omnino contra ſe habet. Præterea res quælibet proprium quoddam habet opus. Requirit quoque uirtutem propriam, quãdam ſcilicet facultatem per quã aptiſsime propriũ perficiat opus, ſine qua id efficere nequit. Cum igitur anima propriũ quoddam habet, ceu conſulere atq; gubernare, multoq; prius & uiuere, propriã quoq; uirtutem exigit, per quam hæc commodiſsime peragat, qua ſublata laborat. Virtus autem animæ iuſtitia eſt, iniuſtitia uero uitiũ. Quapropter per iuſtitiam perfecte conſulit, & gubernat, uiuitq; feliciter. Sublata uero iuſtitia, cõtrà. His dictis primus liber cum quadam correptione concluditur. Nempe cum prius dicendũ eſſet quid iuſtitia ſit quàm qualis, factum eſt hactenus conuerſo, dum Socrates partim diſputantes ſequeretur, partim per notiora principia diſputãs, audientiũ tum ingenio indulgeret, tum facultati conſuleret.

REIPVB. PLATONIS VEL DE IVSTO

TRANSLATAE A MARSILIO FICINO FLORENTINO
ac Laurentio Medici uiro magnanimo nuncupatæ,

Dialogus primus.

SOCRATES. GLAVCO. POLEMARCHVS. THRASYMACHVS. ADIMANTVS. CEPHALVS.

DESCENDERAM heri in Piræum unà cum Glaucone Ariſtonis filio, ut & deam precarer, & celebritatem ſpectarem, quónam modo acturi eſſent, quæ tunc primum agebant. Pulchra igitur mihi patria pompa uiſa eſt: ſed nihilominus, ut uidebatur, decens fuit ea quam Thraces mittebant. Cum uero preces egiſſemus, & ſpectaculo interfuiſſemus, in urbem regrediebamur. Aſpexerat autẽ procul nos redeuntes domum Polemarchus Cephali filius, ſeruulumq; currentem mittendo, expectare iuſſit. A tergo igit̃ ueſte me apprehendens ſeruus, lubet uos, inquit, Polemarchus manere. Egoq; ad eum conuerſus, ubinam ipſe eſſet, interrogaui. At te pone ſequitur, inquit. Verum expectate.

Expecta-

Expectabimus respondit Glauco. Ac paulopost Polemarchus uenit, unaq; Adimantus Glauconis frater, & Niceratus Niciæ filius, & alij complures, qui à pompa uenire uidebantur. Igitur Polemarchus, uidemini, inquit, ô Socrates, tanq; abituri ad urbem contendere. Non male, inq;, coniectas. Vides ne, inquit, quot sumus? Quid ni? Aut ergo his fortiores esse uos oportet, aut manere. Vnum hoc concedetis, inquã, uos uidelicet permissuros abire nos, si persuaserimus dimittendos esse. Nunquid persuaderetis, inquit, nõ audituris? Nequaquã, inquit Glauco. Perinde itaq; tanquam audituri non simus, inquit, deliberate. Tunc Adimantus. Nescitis, inquit, uesperi facibus cursuq; equorũ ludendũ in honorem deæ? Equorum cursu, inquam? Nouum hoc certe, faces ne gestantes, & uicissim illas sibi tradent, equisq; certabunt? An ita dicis? Ita prorsus, inquit Polemarchus, quare aut potẽtiores sitis necesse est, aut hic maneatis. Nocturna præterea sacra peragẽt digna certe spectatu. Surgemus enim post cœnã, eaq; sacra spectabimus, aderimusq; illic inter multos familiares, & confabulabimur. Sed manete, nec aliter facite. Atq; Glauco, uidet, inquit, manendum esse. Verum si uidetur, inquam, sic facere oportet. Profecti igitur sumus domum Polemarchi, ibiq; reperimus & Euthydemũ & Lysiam Polemarchi fratres, Thrasymachum Chalcedoniũ, Charmetidem Pæaneium, & Clitophontẽ Aristonymi filium. Erat & intus pater Polemarchi Cephalus, ualde quidem senex, ut mihi uidebatur, diu nanq; eum non uideram. Sedebat autẽ coronatus in quodã ceruicali, & sede. In aula enim sacrificauerat. Consedimus igitur iuxta eum plerisq; sedibus in orbem dispositis. Quamprimũ itaq; me conspicatus est Cephalus, salutauit, dixitq;: O Socrates, raro admodum ad nos accedis, in Piræum descendens. Oporteret autem. Nam si ego adhuc ualerẽ, ut in urbem uenire possem, minime opus esset ut tu huc ad nos, sed nos ad te tẽderemus. Nunc autem te huc crebro aduentare decet. profecto quãto magis me corporis uoluptates deficiunt, tanto cupiditas confabulandi, & uoluptas quã ex ea re capio, augetur. Hoc igitur age, & unà cum istis iuuenibus huc ad nos ueni tanquam ad amicos apprime familiares. Atqui inquam ego ô Cephale, ualde quidem delector senilibus sermonib. Videtur enim mihi audire ab his oportere, qui uiam aliquam iam perfecerint, quę & nobis fortasse peragenda erit, quàm aspera, & difficilis. uel quàm facilis sit, & peruia. Atq; ex te libenter audirem, quidnam de hac re sentias, cum huc ætatis perueneris, quod in limine senectutis esse poetæ aiunt, Vtrum difficultatem uitæ, uel quomodo ipsum enuncies. Ego tibi per Iouem, inquit, dicam ô Socrates, quod mihi uidetur. Sæpe cõuenimus plerisq; fermè æquales, antiquum illud seruantes prouerbiũ. Plurimi ergo nostrũ in eo cœtu lamentantur, uoluptatum quibus in iuuentute frui licuit, desiderio affecti, & rem ueneream & conuiuia cæteraq; generis eiusdem recordati, grauiterq; ferunt, tanquam maximis priuati rebus: & tunc quidem se bene uixisse affirmant, nunc autem ne uiuere quidem. Nonnulli etiam domesticorum conuitia cõtumeliasq; deplorant, & in hoc senectutem maxime accusant, tanquam maximorum sibi causam malorum. Mihi autem huiusmodi homines haud iure senectutem ut horum causam culpare uidentur. Nam si hæc causa esset, & ego eadem essem passus propter senectutẽ, & reliqui omnes qui ad id ætatis deuenerũt. Verum ego etiam multos non ita affectos inueni, & cum Sophocle nonnunquã fui poeta, qui cum à quodam quónam pacto in uenereis se haberet, interrogaretur, & an posset mulieribus admisceri, recte respondit: Bona uerba quęso ô amice, libentissime hæc tanquam furiosum agrestemq; dominũ aufugi. Perbelle igitur & tunc illi respondisse mihi uisus est, & nunc nõ minus. Omnino enim ab huiusmodi rebus in senectute multa pax inest & libertas. Quando enim deferbuerũt iam cessaueruntq; libidines, omnino hoc Sophocleum accidit: nam à multis dominis & his insanientibus liberamur. Sed & horum ô Socrates, & eorũ quæ aduersus familiares dicuntur, una quędam causa est, non senectus, sed mores hominũ. nam si modesti & faciles sint, haud nimis senectus his laboriosa contingit. Sin contrà, & senectus, & iuuentus ô Socrates, his difficilis. Tum ego mirifice his quæ dicebat delectatus, pluraq; audire cupiens, ita eum ad reliqua prouocaui. Existimo profecto ô Cephale multos, quum ita dicas, minime hæc admittere, uerum putare facile senectutem ferre te propter diuitias potius quàm propter mores. diuitibus enim multa solatia adesse dicunt. Vera, inquit, dicis. Non enim admittunt, & dicunt quidem aliquid, non tamen quantum dici posset. Verum illud Themistoclis pulchre se habet, qui

Seniles sermones libẽter audiẽdi

De senectæ commodis, & incõmodis

Sophoclis perbellum responsum

Seriphio cuidam ſibi per cõtumeliam obiícienti, quòd non per ſeipſum, ſed eius patriam tantam eſſet gloriam cõſecutus, ita reſpondit. Equidem ſi ipſe Seriphius eſſem, in eadem gloria uiuerem, tu uero ſi Athenienſis, miníme. Idem quoq; aduerſus eos, qui quum non ſint diuites, grauiter ſenectutẽ ferũt, dici poteſt, quod neq; uir ipſe modeſtus iníque ſenectutem ferret cum paupertate, neq; ímmoderatus cum diuitiis facile. Vtrum aũt, inquã ego, ex his quæ habes plura tibí à maioríb. relicta ſunt quàm acquiſiuiſti, an contrà? Nõ nihil acquiſiui, ínquit, ô Socrates: medius enim in pecunia extiti ínter patrem & auum. Auus nempe meus Cephalus tantundem ferè quantum nunc mihi eſt, accipiens ſupra id multum accumulauit. Lyſanias aũt pater minores etiam eas opes quàm nunc ſint, effecit. Ego autem ſat habeo, ſi nõ minores iſtis relinquo, ſed aliquantulo maiores quàm accepi. Hæc ego ideo interrogaui ínquam, quoniã mihí uidebaris nõ multum diuitias admirari, quod quidem plurímum ií faciunt, qui ſibi eas non peperere. Qui autẽ illas parauerunt, duplo magis quàm alií amant. Quemadmodũ enim & poetæ poemata ſua, & filios patres dilígunt, eodem modo qui acquiſiuere pecunías, illis ſtudẽt tanquã operi ſuo non ad uſum neceſſitatẽq; ut alií. Ex quo difficilis eorum eſt familiaritas, cum nihil aliud præter diuitias laudare uelint. Vera, inquit, narras. Et ualde quidẽ, inquam ego. Sed hoc etiã mihí declara. Quid boní maxime ex diuitiarũ poſſeſſione te exiſtimas conſecutum? Quod ínquit, non multis fortè perſuaderẽ, ſi dixerim. Certo ſcías ô Socrates, quod poſtquam eò deuenit aliquis, ut breui iam moriturũ ſe opinetur, incidit in eum timor, & cura quædam eorũ quę in ſuperiorí uita neglexit. Etenim fabulę quę de inferis dicunt, quem admodũ eos qui iniuſte egerunt, pœnas illic dare oporteat, irriſæ hactenus mouent tunc animum, ne forte ueræ ſint ſuſpicantem: atq; ipſe ſiue propter ſenectutis debilitatem, ſeu quod alteri uitæ propinquior illa acutius inſpicit, ſolicitudinis & timoris plenus reddit, atq; reputat examinatq;, ſi quem iniuria aliqua affecerit. Qui ergo inuenerit multas eius in uita iniquitates, ex ipſo ſomno tanq; pueri frequẽter excitus extimeſcit, & peſſima in ſpe uiuit. Qui autem nullius iniuriæ ſibi conſcius eſt, huic iucũda ſpes ſemper adeſt, optima ſenectutis nutrix, quemadmodũ Pindarus ait. Scite namq; ille ô Socrates, illud cecinit. Quicunq; uidelicet iuſte ſanctéq; uitam exigit, dulcis eum ſpes comitat cor nutriens ſenectutemq; fouens, quæ maxime hominũ uolubilem gubernat animũ. Bene igitur & apprime mirandũ dicit. Ad hæc ego exiſtimo pecuniæ poſſeſſionẽ plurimi faciendã eſſe non cuiuis homini, ſed modeſto & æquo. plurimum ad id cõfert pecuniarũ poſſeſſio, ut quis illuc intrepidus proficiſcatur, cum neq; inuitum quempiã circumuenerit, neq; mentitus fuerit, neq; debeat uel uotas deo uictimas, uel pecunias homini. Habet præterea & utilitates alias, ac ſanè permultas. Sed ſi unum uni conferatur ô Socrates, non minimum ego ponerẽ ad hoc homini mentem habẽti, imò plurimũ conferre pecunías. Egregie loqueris, inquã, ô Cephale. Hoc autem ipſum, iuſtitiã ſcilicet, utrum ita ſimpliciter ueritatem dicimus eſſe, & reddere quod quis acceperit? uel hæc eadem facere, aliâs iuſtũ, aliâs iniuſtũ eſt? Quod hinc apparet. Vnuſquiſq; enim diceret, ſiquis ab amico ſanæ mentis arma acceperit, idem uero inſanus repetat, non oportere ea reddi neq; iuſtum eſſe eum qui reddat, uel rurſus homini ſic affecto uera omnia dicat. Recte, inquit, loqueris. Non ergo hæc eſt iuſtitiæ definitio, uera dicere, & depoſita reddere. Recte nimiũ dicis ô Socrates, ſermonẽ ſubijciens Polemarchus inquit, ſiquid credere decet Simonidi. Hic Cephalus, Sermonẽ uobis trado, inquit. Nam ſacra me curare oportet. Nunquid Polemarchus, inquam, tibi hæres eſt? Et ille quidem arridens. eſt profecto inquit, & ſimul ad ſacrificandũ diſceſſit. Dic, inquã, igitur ſermonis hæres, quid recte dici de iuſtitia à Simonide aſſeris? Quod, inquit, iuſtum eſſe dicit debitũ unicuiq; reddi. Atq; hęc dicẽs recte loqui uidetur. Atqui nõ facile, inq;, eſt fidem Simonidi abnegare. Sapiens enim & diuinus uir. Verum quod dicit, tu fortaſſe intelligis ô Polemarche. ego autem ignoro. Manifeſtũ enim eſt nõ hoc eum dicere quod pauloante dicebamus, ſcilicet depoſitum alicui non ſano repoſcenti reddere. Atqui debitum quodãmodo eſt hoc, quod depoſitum eſt. Nónne? Certe, inquit. Reddendũ aũt, neq; tamen tunc quãdo aliquis nõ ſanus repetat. Vera dicis, inquit ille. Aliud igitur q; hoc dicit Simonides, quãdo iuſtum eſſe aſſerit, debitũ reddere.

Aliud per Iouem. Amicis enim putat amicos bene facere debere, non autẽ male. Intelligo equidem q minime debita redderet ille, qui ei à quo depoſitũ accepiſſet, aurũ reddi-

deret

Partarum quã poſſeſſarũ diuitiarũ amormaior

Pindarus

Spes nutrix optima ſenectutis

Modeſtis hominibus plurimi faciendam eſſe pecuniam

Iuſti definitio ex Simonide

deret, ſiquidem retributio & receptio noxia foret, amici autē eſſent inuicem qui recipit & qui reddit. Nónne ſic dicere affirmas Simonidem? Sic prorſus. Quid aūt, inimicis reddendum eſt quod debitum? Omnino quod illis debetur. Debetur aūt inimico, ut arbitror, ab inimico quod conuenit, malum uidelicet aliquid. Ergo poeticis uelaminib. ſignificauit Simonides quid iuſtū ſit. Iudicabat enim, ut apparet, iuſtū eſſe, tribuere quod cuiq; conuenit. Hoc aūt debitum appellauit. Verum quid putas ipſum dicturū, ſiquis eum roget: ô Simonides, quænam facultas, & quibus, & quid tribuens debitū & conueniens, medicina uocat? Quid nobis reſponſurū exiſtimas? Nempe quę corporibus medicamenta, cibos, potiones. Atq; eodem pacto ſi idem percontet, quæ ars & quibus & quid præſtans debitū & cōueniens, coquinaria nominatur, quid illi potiſſimū reſpondebit? Quæ ſuauia obſonijs condimenta. Age itaq; quæ ars & quibus & quid tribuēs, Iuſtitia nuncupabit? Si ante dicta ſequi oportet, ea eſt iuſtitia quæ amicis utilitates, inimicis detrimenta reddit. Ergo bene amicos, male inimicos afficere iuſtitiam dicit.

Ita mihi uidetur. Quis maxime poteſt morbo laborantes amicos bene afficere? Inimicos autem contrà, & ad bonam ualetudinem, & ad malam? Medicus. Quis autem nauigantes ad maris periculum? Gubernator. Iuſtus uero in qua actione, & ad quod opus maxime poteſt amicis prodeſſe, inimicis nocere? Impugnando & propugnādo, ut mihi quidem uidetur. Non ægrotantibus ô amice Polemarche, medicus eſt inutilis.

Verum dicis. Non nauigantibus, gubernator. Certe. Num igitur non pugnantibus iuſtus inutilis erit? Haud hoc admitto equidē. Vtilis igitur & in pace, iuſtitia.

Vtilis. Agricultura quoq; in pace utilis. nónne? Et hæc. Ad fructuū perceptionem. Sanè. Et coriaria. Vtiq;. Ad ſtructuram uelut calceorū. Plane. Quid autem de iuſtitia? Ad quem uſum aut quæſtum eam in pace utilem dices? Ad commercia Socrates. Commercia uero dicis cōmunicationes, uel aliud quid? Iſtud ipſum.

Num igitur iuſtus bonus & utilis erit in digerendis talis communicator? An ille qui talo ludit? Ille profecto. Atqui in laterū lapidum'ue ſtructura melior & utilior ſocius ipſo architecto iuſtus erit? Minime. Sed in qua cōmunione iuſtus melior erit quàm citharista communicator, quemadmodum citharista iuſto in pulſandis chordis utilior

In argento, ut mihi uidetur. Non tamen ô Polemarche, ad utendum argento, quando oporteret equos uendi argento uel emi. Tunc ſanè mango utilior eſſet. An nō? Apparet. Et quando nauigiū, faber nauis, ſiue nauta? Videtur. Ad quem igitur communem uſum auri uel argenti iuſtus alijs eſt utilior? Quando id deponere uolumus, & ſaluum eſſe ô Socrates, cupimus. Nunquid dicis, quando nihil oportet ipſo uti, ſed condere? Prorſus. Quando igitur inutile eſt argentum, tunc utilis in ipſo iuſtitia. Apparet. Et quādo falcem oportet cuſtodiri, iuſtitia utilis eſt & priuatim & publice: quando autem uti, uinearum cultura? Patet. Dices præterea cum clypeum & lyram opus eſt cuſtodire, nō autem in uſum promere, utilem eſſe iuſtitiam? Quando autē uti his uolumus, tunc diſciplinam armorum & muſicam eſſe utilem? Neceſſe eſt. Atq; de alijs omnibus ſimiliter eſt dicendū: Iuſtitiā ſcilicet in uſu rerū inutilem eſſe, quando uero non utimur, eſſe utilem? Apparet. Non multo igitur ſtudio ô amice, digna eſt iuſtitia, ſi tātum ſit ad inutilia utilis. Verum hoc conſideremus. Nōne qui aptiſſimus ad percutiendum eſt in pugna ſiue pugili, ſeu quauis alia, idem quoq; & ad cadendum? Prorſus quidem. Num igitur & morbum quicunq; uitare & occultare poterit, idem & inferre ualebit? Mihi quidem uidetur. Atqui exercitus ipſius idem optimus eſt cuſtos, qui hoſtium & conſilia & alias actiones furat. Sic eſt profecto. Cuiuſcunq; ergo quis aptus eſt cuſtos, eiuſdem & fur eſt aptus. Apparet. Ergo ſi maxime ſeruare argentum poterit iuſtus, poterit & furari. Ita ratio iudicat. Fur itaq; aliquis eſſe iuſtus ipſe apparet, uideriſq; ab Homero didiciſſe. Ille enim Autolycū maternum Vlyſſis auum admiratur, eumq; affirmat prę cæteris & furto & iureiurando ualuiſſe. Videt igitur iuſtitia & ſecundum te & ſecundū Homerum atq; Simonidem furatoria quædā facultas eſſe ad emolumentum quidem amicorum, detrimentum inimicorum. Nónne ita dicebas? Minime per Iouem. ſed nondum noui quid dixerim. Hoc enim mihi adhuc uidetur, prodeſſe amicis iuſtitiam, inimicis obeſſe. Amicos autem dicis tu eſſe, utrum eos qui unicuiq; boni utilesq; uidētur, uel qui ſunt, & ſi nō uideantur? & inimicos eodem modo? Decens eſt

amare quidē quos bonos & utiles quis putet,odisse aūt quos malos & inutiles arbitret.
Nōne in hoc aberrant homines? ut uideantur multi sibi boni & utiles esse, quum mali sint & inutiles:multi aūt contrà? Aberrant certe. Istis igitur boni quidem inimici,mali aūt amici. Valde quidem. Attamen iustum tunc istis,malos quidem iuuare,bonos aūt lædere. Apparet. Atqui boni quidē iusti sunt,talesq; ut nihil perpetrent iniuste.
Vera loqueris. Secundum uero sermonē tuum eos qui nulla iniuria afficiant,iustum est lædere. Minime ô Socrates.praua enim hæc oratio. Iustum ergo eos qui iniurientur lædere,iustos uero iuuare. Probabilior hæc oratio q; superior. Continget ergo multis eorum qui in iudicandis amicis errarunt,iustum esse ut amicos lędant:mali enim quandoq; amici adsunt:atq; item ut inimicis prosint,cum quādoq; sint boni.Atq; ita contraria dicemus eorū quæ proferri à Simonide dicebamus. Ita prorsus accidet. Sed retractemus.Videmur enim nō recte amicum inimicūq; posuisse. Quid hac in positione damnas Polemarche? Quod diximus amicū esse eum qui bonus & utilis. Quomodo id in præsentia corrigemus? Amicum dicemus eum qui bonus utilisq; & uideat,& sit.Eum uero qui uideatur quidē,sed non sit,uideri quoq; amicum,non tamen amicū esse. Atq; eadem ratio de inimico erit. Amicus igitur,ut uidetur,hac ratione bonus erit: Inimicus aūt malus. Prorsus. Iubes nos addere iusto aliqui ad ea quæ dicebamus? Dicebamus porrò iustum esse amico prodesse,inimico nocere.Nunc aūt uis dicamus iustū esse,ut amicum qui bonus est,iuuemus:inimicū qui malus est, cōtrà lędamus? Perpulchre mihi quidē hoc pacto dici uidetur. Est igit uiri iusti aliquem hominū lædere. Decet sanè prauos & inimicos lædere. Detrimento affecti equi,meliores ne an deteriores fiunt? Deteriores. Num ad canum uirtutē, an ad equorū potius? Ad equorum.
Nōne & canes læsi deteriores ad canū non ad equorū uirtutem efficiunt? Necessario quidem. Homines itaq; ô amice detrimento affectos,nōne peiores ad uirtutem hominum iudicabimus? Omnino. Atqui iustitia nōne humana uirtus est? Est plane. Necesse itaq; erit læsos homines iniustiores fieri. Videtur. Possunt ne igitur, inquā ego,musici ipsa musica aliquos amusos reddere? Nequaq;. Nunquid & equites equestri,ab equestri peritia alienos? Nō licet. An iusti uiri iustitia ipsa iniustos? Et ad summam,uirtute ipsa boni malos facere possunt? Nō certe. Nō eīm caloris existimo opus esse frigidū aliquod reddere,sed contrarij. Sic est. Neq; siccitatis humidū,sed contrarij. Valde quidē. Neq; igitur boni lædere est, sed eius contrarij. Videtur. Iustus aūt bonus. Omnino. Non igitur iusti opus est,ô Polemarche,nocere uel amico uel alteri cuiq;,sed cōtrariij eius iniusti. Verissima loqui uideris,ô Socrates. Siquis ergo iustū esse duxerit debita cuiq; tribui,deberi autē intellexerit inimicis à iusto damna,amicis utilitatē, haudquaq; sapiens iudicādus.Neq; enim uera hęc.Constitit nāq; nullo modo iustum esse, quenquā lædere. Fateor equidē. Pugnabimus itaq; unà ego ac tu,siquis hoc asserat uel Simonidē,uel Biantem dixisse,uel Pittacū,uel aliquem aliū sapientum beatorūq; uirorum. Equidē pugnare tecū unà aduersus eum paratus sum. Sed nosti cuius mihi esse hæc sententia uideatur,qua iustū asseritur prodesse amicis, inimicis obesse? Cuiusnā? Periandri esse existimo,uel Perdiccæ,uel Xerxis uel Ismeniæ Thebani,aut alterius cuiusdā opulenti uiri,maxima se posse putantis. Vera nimium loqueris. Postquā hoc minime apparet aut iustitia esse,aut iustum,quod aliud hoc esse quis dixerit? Thrasymachus aūt sæpius disputantib.nobis cōtradicere cōcupiuerat,sed à præsentibus qui nos audire desiderabāt,prohibitus acquieuerat.Postq; uero finem dicēdi fecimus,atq; ego hæc dixi,nō ulterius se cōtinuit,uerū seipsum colligens tanq; fera quędā in nos impetū fecit,quasi nos protinus discerpturus.Itaq; ambo, ego atq; Polemarchus, exterriti sumus.Ille uero exclamauit,quæ uos nugæ hactenus ô Socrates, occuparunt? Quid ue inuicē insanitis,uobis ipsis succūbentes? Quod si reuera nosse cupis iustū quid sit,me interroga solū,ne ue uincere cōcupisce reprehendēdo,postq; tibi responsum fuerit,animaduertens facilius esse interrogare q; respondere.Sed tu ipse responde quid esse iustū existimes:neq; mihi dicas quod decēs sit,neq; quod utile,neq; proficuū,neq; cōducibile,neq; cōferens:uerū plane & perspicue mihi edissere quidnā dicas.Neq; eīm admittam, si huiusmodi nugas induxeris.Hæc ego audiens,exterritus sum,& ipsum intuitus, metuebā:atq; ut arbitror,nisi prior eum aspexissem q; ipse me,mutus penitus euasissem.

Iusti opus nō esse nocere alicui

Nunc

Nunc quando oratione ipsa exasperari cœpit,respexi ad eum prior,quocirca respondere illi potui,subtremiscensq; dixi,O Thrasymache,ne nobis sæuias. Si enim in sermonis inuestigatione lapsi sumus egoq; & hic,pro certo habeto inuitos errasse nos. profecto si aurum rimaremur,nunquam sponte ita succumberemus inuicem inquirendo ut inuentionem impediremus.Quare ne existimes,cum in præsentia iustitiam perscrutemur,rem auro multo pretiosiorem,usqueadeo inuicem nos ignaue concedere, ut nõ omni studio annitamur,quo ipsam plane cõperiamus.Sed ut puto eam assequi nõ ualemus.Quapropter nostri multo magis uos sapiẽtes misereri decet,q; urgere.Tunc ille hæc audiens,valde Sardonice profuseq; risit,& ô Hercules inquit, hæc illa solita est Socratis ironia.Verũ hæc ego cognoui atq; prædixi,quòd tu respondere quidem nolles,sed ironia potius utereris,& denicq; omnia faceres potius quàm interroganti cuiquam respõderes.Sapiens in quam es ô Thrasymache,rectecq; nosti quòd si quem interrogares, quot duodecim sunt, interrogãsq; prædiceres ne mihi dicas amice duodecim esse bis sex,neq; terquatuor,neq; sexies duo,neq; quater tria,alioquin minime huiusmodi nugas admittam, nemo tibi sic interroganti respõderet.At si tibi dixerit,quomodo ô Thrasymache dicis ne respondeã eorum quæ prædixisti quicquam? Vtrum ô mirabilis uir,neq; etiam si horum aliquid est xij illud respondeam,sed alienum quiddam à uero? Vel quo pacto id ais? Quid tu illi ad hæc? Esto,inquit.Sed quàm hoc illi simile est? Nihil prohibet,inquam ego. Quamuis enim simile non sit,si tamen interrogato illi simile uideatur, putas ne illum minus ex hoc quod sibi uidebitur respõsurum,siue nos interdicamus, siue non? Sic & tu facies, inquit? & aliquid eorum quæ interdixerã,respondebis? Quid mirũ,inquã ego,si interroganti mihi sic uideretur? Atsi ego aliam responsionem,inquit,de iustitia demonstrauero præter omnes istas,istisq; meliorem,qua te dignum pœna putabis? Quanam alia,inquam ego,quàm ea quæ conuenit ignoranti? Conuenit autem ut à docto discat. & ego igitur hoc pati me dignum existimo. Quàm facetus es,inquit,uerum præter hoc quod dicis,etiam pecuniã tribues. Cũ uidelicet aderit. Imò uero adest,inquit Glauco, pecunia.Dic iam Thrasymache,neq; enim deerit argentum.Quinetiam nos omnes pro Socrate isto spondemus. Ita prorsus existimo scilicet,ut suam Socrates seruans cõsuetudinem,nihil respondeat,sed respondentis orationem accipiens reprehendat. Quonam pacto inquam uir optime respondere quis posset,primo quidem qui neq; sciat neq; scire se prædicet:deinde siquid de his existimet,tamen à uiro non mediocris autoritatis prohibitus sit quæ existimat dicere? Sed te magis æquũ est dicere.profiteris enim scire, licetq; tibi disserere.Gere igitur mihi morẽ,neq; inuideas Glauconem istũ aliosq; docere. Hæc ego cum dicerẽ,Glauco cæteriq; hoc idem ipsum orabãt.Eratq; manifestum Thrasymachum maxima cupiditate dicendi affici ut se ostentaret.Arbitrabatur enim habere optima quæ responderet,uerum simulabat instare ut ego responderem. Tandem uero concessit.Hæcq;,inquit,Socratis est sapientia,ipsum quidem nolle docere,sed ab aliis discere,nullamq; gratiã inde referre.Quod ego ab aliis discam,uerum,inquã,dicis: quod autẽ gratiam nõ referam,procul est à uero.Persoluo enim quam possum,possum autẽ laudare tantũ,Argentum uero non habeo.Quanta uero indulgentia istud efficiam, si quis mihi bene dicere uideatur,intelliges mox cum responderis.Existimo enim te bene dicturum. Audi igitur,inquit ille.Affirmo equidem iustũ nihil aliud esse q; quod potentiori utile. Cur nõ laudas? Scio noles. Siquidem didicero,inquam,prius quid dicas.Nunc autem nondũ noui cum dicis iustum esse quod potentiori est utile,quid uelis inferre Thrasymache.Neq; enim tale quid dicis.Si Polydamas nobis fortior athleta sit,& sibi quidẽ cõferat bouilla ad corpus,hũc cibũ esse & nobis illo debilioribus utilẽ simul & iustũ. Molestus nimiũ es,inquit,ô Socrates,atq; hac accipis dicta, quà deprauare maxime sermonẽ possis. Haud est ita uir optime,inquã.Sed tu planius hoc enarra. An ignoras,inquit, ciuitatũ has quidẽ à tyrãnis,illas uero à populo,nõnullas ab optimatib. gubernari? Noui equidem. Nónne in quauis ciuitate id plus potest,quod imperat? Quid ni? Fert autẽ leges principatus quisq; ad suã semper utilitatẽ,popularis quidẽ gubernatio populares,tyrannica uero tyrannicas;in cæterisq; similiter accidit.Ponentes autẽ leges, ostendunt id iustũ esse his qui subiecti sunt,quod sibi sit utile, atq; hoc transgredientem puniunt,tanquam iniustũ & contra leges agentem.Hoc igitur est uir optime,quod ego dico,

in cunctis ciuitatibus idem esse iustũ quod illi principatui cõferat.principatus autẽ ubiq; utpote potẽtior dominatur.Quare cõstat recte colligẽti,ubiq; idem hoc esse iustũ quod potentiori cõducat. Nunc demũ,inquam,quid dicas intelligo.Verũ autẽ id ne sit, tentabo perdiscere.Vtile quidem & tu respondisti iustũ esse Thrasymache,quanq; mihi ne/id respõderem interdixeras.Accedit autem illud ultra utile,quod dictũ est potentiori.

Exigua forsitan,inquit,hæc additio. Nõdum manifestũ est inquam,magna ne sit an parua.Sed quòd hoc inuestigandum sit an uera dicas,perspicuũ est,postq; iustũ esse conferens quiddam ego cõfiteor,& tu addis potẽtiori cõferens,ego aũt ignoro, cõsiderandum erit. Cõsidera,inquit. Faciã,inquã,ac mihi dicas,parere dominãtibus iustum esse asseris? Equidem. Vtrũ qui imperant in ciuitatibus quibuscũq;, sine errore sunt semper,an errant quãdoq;? Errare interdũ possunt. Nónne igitur cũ leges ferre aggrediuntur,partim recte ferunt,partim uero nõ recte? Sic existimo. Recte autem ferunt,cum sibi utilia statuũt:non recte,cum contra?Ita'ne, an aliter dicis? Ita prorsus.

Quæ uero tulerint obseruanda sunt ab his qui subiacẽt.Atq; id est iustum. Quid ni?

Non solum itaq; secundũ sermonem tuum iustum est id agere quod conducat potentiori,sed cõtrà quoq; quod obsit. Quid ais? Quod & tu,ut quidem mihi uideor. Verum diligentius inquiramus.Nónne iam cõuenit inter nos,principes nonnunq; ea imperare,quæ ab eorũ utilitate aberrent:atq; etiam quæcũq; ipsi imperẽt,iustũ esse ut qui subiecti sunt obseruent?Nõne hæc inter nos cõuenere? Ita ut opinor. Putato igitur inutile imperantibus & potentioribus facere,iustũ esse,abs te esse cõcessum:quandoquidem imperantes ea quæ sibi mala sunt,ex insciția imperãt.Tu aũt iustũ esse affirmas,hæc facere quæ ab illis imperãtur.Nõne tunc ô sapiẽtissime Thrasymache cõtingit iustũ esse contrarium facere eius quod tu dicebas?Quod enim potentioribus inutile est, subiectis quodammodo imperat.Hic Polemarchus.Per Iouem,inquit,manifestissima hæc sunt ô Socrates. Ita prorsus si tu testis,inquit Clitopho,accesseris. Quid opus,inquit,est testibus?Ipse enim Thrasymachus cõfitetur principes nõnunq; quæ sibi nõ conducãt,imperare:quæ quidem perfici ab inferioribus,iustum sit. Nã facere,inquit Clitopho, quæ à principibus imperãtur,iustum esse posuit ô Polemarche Thrasymachus. Etenim potentiori,inquit Polemarchus,utile ô Clitopho, iustũ esse posuit. Hæc autẽ utraq; ponẽs, confessus est rursus quandoq; potẽtiores quæ sibi utilia non sunt, inferioribus imperare. Ex his aũt concessionibus sequitur,ut non magis quod potentiori utile q; quod inutile, iustũ sit. Ad hæc Clitopho.Potẽtiori,inquit,utile hoc uocabat Thrasymachus quod sibi cõferre potẽtior extimarit,idq; agendũ esse subiectis,atq; esse iustum.Sed Polemarchus, Non sic à Thrasymacho dictũ est,inquit.Nihil inquã refert ô Polemarche.Quod si nunc ita dicit Thrasymachus,sic & nos accipiamus.& tu mihi dic ô Thrasymache, hoc ne est quod iustum dicere uolebas potentiori utile,scilicet quod ipsi utile uideatur,siue conferat,siue nõ conferat?Ita'ne? Minime,inquit.An uero tu me eum putas,qui aberret,potentiorem uocare cũ peccat? Existimabã,inquã,te sic dicere,quando principes nõ esse omnino extra errorem,sed peccare quãdoq; cõfitereris. Sycophanta profecto es in sermonibus Socrates.Siquidem circa ægrotantes aberrãtem,statim medicũ appellas, quatenus errat.Vel computatorem cũ in ratione ponenda peccet,tum cum peccat, secundũ hunc errorem.Sed ut existimo ita loqui cõsueuimus,quòd medicus & rationis supputator & grãmaticus errat.Arbitror tamen nullum istorũ quatenus est id quod appellamus quenquã,peccare.Quare secũdum exactam rationẽ,quãdo & tu ad uiuũ resecas, nullus artifex peccat.Quisquis enim peccat,deficiente scientia peccat, in quo sane nõ est artifex.Quapropter artifex,uel sapiens,uel princeps nullus peccat tunc cũ princeps est. Sed quiuis diceret & medicũ peccasse,& principẽ peccasse.Huiusmodi igitur aliquid respondisse me tibi existimato.Illud uero exacta ratione dicendũ, principẽ quatenus princeps est,nõ peccare:non peccantem aũt,quæ optima sibi sunt,imperare.Hoc uero ijs qui sub imperio eius sunt,faciendũ est.Quamobrẽ ut à principio dicebã, iustũ esse aio, quod potentiori cõducit,facere. Num tibi uideor ô Thrasymache sycophantæ instar calumniari? Et maxime quidẽ. Putas em̃ me excõposito,inquã, te ita interrogare aggressum, ut modo interrogabã? Atqui penitus,inquit,hoc noui.Sed nihil proficies. Neq; enim me tuæ latent insidiæ:neq; cum lateant,uim uerbis inferre ualebis. Minime hoc aggre

derer

derer ô beate, inquam. Sed nequid tale rursus nobis accidat, distingue utrum principem & potentiorem dicas secundum uulgus, an secundum exactam rationem, quod & tu paulo ante dixisti: cuius utile, cum potentior sit, iustum est ut à subiectis efficiatur. Exactissima, inquit, equidem ratione imperantem dico. peruerte hæc tuis istis si potes cauillationibus Socrates. Equidem nulla in re abs te superor. neq; enim poteris. Putas ne, inquã, adeo me furere, ut leonem tondere audeam, & Thrasymacho insidias tendere? Certè aggressus es, inquit, cum tamen nihil assequi possis. De his satis dictum fuerit, inquã. Sed mihi dicito. Qui recta ratione est medicus, quemadmodũ paulo supra ipse dicebas, utrũ pecuniarũ cõquisitor, an ægrotantiũ est curator? Atq; de eo dicas qui reuera sit medicus. Morborũ certe curator. Gubernator autem, qui reuera sit gubernator, nautarum princeps est, an nauta? Nautarum princeps. Nihili existimo hoc esse faciendũ, quod in naui nauiget, nec nautam esse uocandũ. Non enim propter nauigationẽ gubernator appellatur, sed propter artem ipsam nautarumq; principatum. Vera loqueris.

Nónne istorũ cuiq; aliquid utile est? Est prorsus. An nõ ad hoc tendit ars, ut quod utile sit cuiq;, inuestiget atq; præbeat? Ad hoc ipsum. Nunquid unicuiq; arti est aliquid aliud utile, q; ut sit quãmaxime absoluta? Quomodo istud interrogas? Quemadmodũ si me rogares, an corpori satis sit esse corpus, an cuiuspiã alterius rei indigeat, responderẽ omnino indigere. Et propter hoc ars quidẽ medicinæ nũc inuẽta est, quoniam corpus debile & infirmũ est, neq; sibi sufficit. Vt ergo huic utilitatem afferat, ipsa ars est inuẽta. Sed num tibi uideor uera dicere? Vera prorsus, inquit. Quid autem? ars ipsa medicinæ, uel alia ars, per se quidem ita debilis sit, ut aliqua uirtute indigeat, quemadmodum oculi usu, aures ue auditu, propter quod in ipsis opus sit aliqua arte quæ inuestiget præbeatq; quæ ad hæc eadem conferant? Vtrũ & in ipsa arte inest defectus aliquis, & indiget unaquæq; ars alia arte, quæ ipsi quod utile, consideret, & illa item alia indiget alia, ita ut in infinitum procedatur? Vel quæq; sibi ipsa quod conducat prospicit? Vel neq; seipsa neq; alia indiget ad inuestigandum quod aduersus defectum eius conferat? Neq; enim defectus, neq; error ullus ulli arti inest. Neq; decet artẽ utilitatẽ quærere nisi illi rei cuius est ars. Ipsa autem integra & inuiolata semper est, quatenus quæq; tota & immaculata qualis est perseuerat ipsa. Tu igitur illi ratione syncera & exacta considera, sic ne, an aliter se res habeat. Sic certe. Ergo nec medicina medicinæ prospicit, sed corpori.

Ita est. Neq; equestris, equestri, sed equis: neq; alia ulla ars sibiipsi, nõ enim indiga est, sed illi cuius ars est. Sic apparet. Atqui ô Thrasymache præsunt artes & dominantẽ illi, cuius sunt artes. Hoc ille quamuis ægre, tamen concessit. Nulla ergo scientia inquam utilitatem potentioris inquirit aut præcipit, sed imbecillioris, & eius cui imperatur ab ea. Neq; hoc ille negabat, sed parabat ad hæc pugnare. Tunc ego alias his addens, nullus medicus inquam eo quod medicus est, medico cõferre studet, aut in eo aliquid præcipit, sed ægrotanti. Est enim cõcessum, qui uere quidem medicus est, eum esse dominum corporum, non pecuniarum cumulatorem. Nónne id est concessum? Consensit. Nónne & exactum gubernatorem nauis nautarum principem esse, non nautam? Et hoc. Haud igitur gubernator talis ac princeps id inquirit & præcipit, quod ipsi gubernatori conferat, sed quod nautis qui ab eo reguntur. Hæc quoq; ille ægre cõfessus est. Atq; hic ego: Neq; alius ullus inquam Thrasymache in aliquo principatu & facultate imperans, quatenus princeps est, quod sibi conferat, cogitat aut præcipit, sed quod subiecto cõducat, & quæ dicit quæq; facit, cuncta ad illius utilitatem decoremq; dicit & facit. Cum huc deuentum esset, omnibusq; pateret definitionem iusti in contrarium decidisse, Thrasymachus non respondit quidem ut debuit, sed dicito inquit ô Socrates, est tibi nutrix? Quid'nam? respondere inquam decebat magis quàm talia quærere. Quoniam inquit, te negligit, & oppletas tibi nares nõ emungit, cum tamen indigeas, qui neq; pecudũ, neq; pastoris cognoscis officium. Cur istud inquam? Quia putas, inquit, opiliones uel bubulcos pecudum, boúmue bonum considerare, pascereq; & colere, ad aliud respicientes quàm ad dominorum, & ipsorum utilitatem. Et illos qui in urbibus ut decet præsunt, aliter ad eos qui sub illis sunt, existimas respicere, quàm tanquam pastor ad oues: & aliud cogitare noctes atq; dies, quàm unde utilitas ad ipsos proueniat. Atque adeo procul abes ab iusto iustitiaq;, & iniusto item & iniustitia, ut ignores iustitiam iustumq; alienum esse bonum

num,ac reuera præſidentis & potentioris emolumentum,detrimentum uero proprium obedientis & ſubditi:iuſtitiam uero contra ignauis iuſtiſq; hominibus dominari: qui autem parent,facere quæ imperanti potentioriq; cõducunt,illumq; obſequio beatum reddere,ſibi autem ipſis nõ conſulere. Cõſiderare profecto ſic decet ô ignauiſſime Socrates iuſtum uirum omnino minus iniuſto habere. Primũ quidem in mutuis commerciis aliquid contrahũt iuſtus unà atq; iniuſtus:in finienda ſocietate ſemper minus reportare iuſtus q; iniuſtus reperietur.Cum uero in rebus publicis aliqua tributa cõferenda ſunt, iuſtus plus cõfert q; ſui æquales,iniuſtus autem minus.Quando autem aliquid inde accipiendum eſt,iuſtus nihil iniuſtus multa reportat.Præterea ſiquãdo magiſtratu quodam uterq; fungitur,ſi nulla alia iuſto iactura cõtingit,hæc ſaltem illi nõ deeſt, ut res domeſticæ deterius per negligentiam diſponãtur,ex publico autem nihil propterea quod iuſtus ſit lucretur.Accedit ad hæc quod domeſticos & familiares ſibi infenſos reddit,cũ illis ob ſequi nulla in re ultra iuſtum uelit.Iniuſto uero omnia cõtrà eueniunt.Dico autem quod & ſuprà,ut præ cæteris ubiq; lucretur.Hũc ergo cõſidera,ſi uis iudicare quãto magis cõferat priuatim ſibi iniuſtũ eſſe quàm iuſtũ.Facillime autem diſces, ſi ad extremã peruenerís iniuſtitiam,quæ iniuſte agentem feliciſſimũ efficit:eos cõtrà qui afficiuntur iniuria, ac neminem iniuſte lædere uolunt,infeliciſſimos.Eſt autem hæc tyrannis,quæ non paulatim,ſed ſimul omnia aliena uſurpat,& clam,& ui,& ſacra & ſancta,& priuata, & publica.Siquis uero in aliqua iſtorũ parte deliquerit,deprehẽſusq; fuerit,mulctatur,& opprobrio ſubiacet maximo.Etenim ſacrilegi,fures,latrones,ſurreptores,& omnino per ſingulas quaſdam partes peccãtes,ab huiuſmodi criminibus nominãtur.Sed poſtq; aliquis ultra huiuſmodi rapinas pecuniarũ,etiam ciues ipſos in ſeruitutem ſuã redegit,nõ iam tam probroſis notatur uocabulis,ſed & beatus & felix uocatur,nõ à ciuibus ſuis tantum, uerum etiam ab omnibus qui eum audiunt nequitiam omnem adimpleuiſſe. Non enim ideo uituperant iniuſtitiã quicũq; eam uituperant,quòd eam facere,ſed quòd perpeti metuant.Hoc igitur pacto ô Socrates iniuſtitia omnibus ſuis partibus abſoluta, robuſtius quiddam eſt,liberalius,& regalius,q; iuſtitia:utq; ab initio dicebã,id quod potẽtiori confert,iuſtũ eſt:iniuſtũ uero ſibiipſi utile eſt,& cõferens.Hæc cum dixiſſet Thraſymachus, abire iam mente cõceperat,poſtquam quemadmodũ balnei cuſtos ſermonem plurimũ maximo cũ impetu auribus noſtris infuderat.Non tamen hoc permiſerũt qui aderant, uerũ coegerunt & permanere,& afferre eorũ quæ dixerat rationem. egoq; in primis uehemẽter rogabã:O beate Thraſymache quaſi ſermone iacto abire feſtinas prius q; abunde uel doceas,uel diſcas ſit'ne hoc ut dicis, an ſecus. An forte putas paruam quãdam rem te aggreſſum eſſe definire:'non autem rationem uitæ, quam ſiquis noſtrum acceperit,q; optime uiuat:' An ego,inquit,putem iſtud aliter ſe habere:' Videris,inquã,nullã de nobis curã ſuſcipere neq; cogitare utrũ peius uiuamus,an melius,id neſciẽtes quod tu te ſcire affirmas.Sed ô bone uir libẽter hoc nobis oſtẽde.Neq; enim male locaueris beneficiũ,quod nobis qui tot ſimus,cõtuleris.Dicã equidẽ quod ſentio.Nequaq; mihi perſuades,iniuſtitiam maius q; iuſtitiã lucrũ afferre,etiam ſi omnis ei licentia præbeat', ut quæcunq; cupit efficiat.Eſto iniuſtus aliquis,poſſitq; iniuriã facere uel furtim,uel ui,nõ tamẽ mihi perſuades maius eſſe in ipſa iniuſtitia q; iuſtitia lucrũ. Qua quidem in ſentẽtia non ego tantũ fortaſſe,ſed alius aliquis noſtrũ eſt.Perſuade itaq; nobis beate uir nõ recte iuſtitiam pluris q; iniuſtitiã feciſſe. Quomodo,inquit,amplius perſuadebo,ſi his quæ modo dicebã,nõ es perſuaſus:' Quid' nam ulterius faciã:' An in animũ tibi ſermonẽ impingam:' Miníme,inquã,per louẽ. Sed hoc primũ uelim ut dictis maneas: uel ſi quid immutare uis,hoc palã facias,ne ue nos decipias.Nũc autem uides Thraſymache ut ſuperiora iterũ reſumamus, quod cũ primo uerũ medicũ definiſſes ægrotantiũ curatorẽ, deinde nõ ita ſyncere paſtorẽ definiendũ putaſti,ut quatenus paſtor eſt dũtaxat cuſtodiat. Imò paſcere ipſum oues quãtum eſt paſtor arbitratus es,non ad ouiũ utilitatẽ,ſed ad uoraginẽ potius,nõ tanquam paſtorem,ſed cõuiuam qui ueſci debeat,uel pecuniæ ſtudioſum qui ſit uenditurus.Profecto paſtorali arti nihil aliud curæ eſt q; ut id quod cuſtodit, ſe optime habeat.Nam ipſi quatenus uera paſtoralis facultas eſt,nihil deeſt quo minus ſufficiẽs ſit & optima.Sic ego putabam neceſſe eſſe nos confiteri, unumquemque principatum in eo quod principatus ſit,nullius alterius bonum proſpicere niſi eius quod ſub illo ſit,

& ab

& ab eo curetur, siue priuatus sit siue publicus. Tu autem principes in ciuitatibus, qui uere principes sint, uolētes ne magistratibus fungi putas? Nequaquam, inquit, puto, sed certe scio. Quid uero, inquam ego, alios principatus, non ne nosti neminē uolētem accipere, sed præmium ex his requirere, quasi nulla sibi ex imperio tali, sed subiectis potius sit utilitas prouentura? Dic age, inquam, non ne quaslibet inter se artes diuersas ex eo dicimus, quod diuersam inter se habent potentiam? Neq; enim uir felix præter opinionem respondeas, ut aliquid perficiamus. Hoc ipso uidelicet alteram. Annō utilitatem unaquæq; propriam nobis aliquam præbet, & non communem cum alia? quemadmodū medicina quidem sanitatem, gubernatoria in nauigando salutem, alięq; similiter? Prorsus quidem. Nónne & pretium mercenaria? hæc enim illius potētia. an medicinā tu & gubernatoriam eandem uocas? uel siquidem uelis absolutius definire atq; distinguere quemadmodum statuisti, etiam siquis nauem gubernans sanus efficiatur, eo quod sibi nauigatio cōferat, nihilo magis tamē ob hoc gubernatoriā ipsam, medicinā uocabis? Nō certe. Neq; etiam, ut arbitror, mercenariā, siquis mercenarius ipso ministerio sanus efficiatur. Neq; hanc. Quid autem? Medicinam mercenariam, siquis medicās quæstum faciat? Minime. Nónne & utilitatem cuiuslibet artis propriam quandam esse concessimus? Esto. Siquam igitur utilitatem communiter nanciscūtur omnes artifices, patet quod communi quodam uno eodemq; utentes, ex eo utilitatem huiusmodi nanciscuntur. Videtur. Dicimus autem artifices mercedem accipientes, utilitatem consequi ex eo quod mercenaria arte utuntur. Quid tum? Non igitur à sua arte cuique utilitas hæc, scilicet præmij acceptio, prouenit. Sed si uolumus diligenter inquirere, medicina quidem sanitatem parit, mercenaria quæstū, & architectura ædificiū, quæstuaria uero hanc secuta, mercedem, & reliquæ omnes similiter. Suū porrò quæq; opus perficit, & confert illi ad quod est inuēta. Si autem præmiū ipsi nullū detur, nū artifex utilitatē ab arte aliquā accipit? Nullā. An igitur neq; etiā prodest tunc cū gratis operatur? Ego equidem existimo. Nōne igitur ô Thrasymache sicut iam manifestū est, nulla ars nullusq; magistratus sibi quidē utilitatē parit, sed quemadmodū in superioribus dicebamus, quod subiecto cōfert, paret & imperat, inferioris illius cōmodū semper nō superioris inspiciens? Ob hæc itaq; ego nuper ô chare Thrasymache dicebam, neminem uolētem imperiū suscipere, & alienorū malorū ultro emendationem aggredi, sed præmiū quærere. quoniam qui ex arte recte acturus sit, nūquam in suum agit commodū, secundū ipsius artis imperium, sed ad inferioris utilitatem. Quamobrem, ut uidetur, præmiū ponendum est ijs, qui libenter gubernaturi sint, seu argentum, siue honor, siue pœna, nisi imperium capiant. Quomodo istud ais ô Socrates? inquit Glauco. Equidem duo præmia noui, mulctam uero quam dicas, & quomodo in mercedis parte ponas, non noui. Ergo optimorum, inquam, præmium ignoras, cuius gratia imperant optimi uiri, quotiens admittunt imperium? An te latet & ambitiosum esse & auarū probro haberi atq; esse? Noui equidē, inquit Glauco. Hac ergo de causa, neq; pecunia, neq; honore ducti, boni homines imperare uolunt. Neq; enim aperte pecuniam magistratus præmium accipientes, mercenarij uocari uolunt: neq; clanculum, fures. Neq; rursus honoris causa. Nō enim ambitiosi sunt. Oportet igitur necessitatem illis imponi & mulctam, si impellendi sunt ut uelint magistratum accipere. Quamobrem uidetur turpe haberi, ut quis sponte ad imperandum accedat, neq; expectet necessitatem. Maxima uero mulctarum est, administrationi malorum subijci, nisi ipse acceperit reipublicæ gubernaculum. Hanc uticq; pœnam timentes, magistratus capere probi homines mihi uidentur, siquando capiūt: & tūc ad eos accedunt, nō tanquam ad bonum aliquod, neq; tanquam ex his uoluptatē aliquam capientes, sed tanquam ad rem necessariam, cū neq; melioribus, neq; similibus se committere ualeant. Quippe si bonorum uirorum extaret ciuitas, in ea, ut arbitror, haud aliter nō imperandi gratia pugnaretur, quàm nunc certetur imperandi cupiditate: ibiq; pateret, reuera legitimū principem non suij ipsius sed eius qui sub ipso est, commoditatem respicere. Quare unusquisque qui non amens sit, potius eliget alium sibi prodesse, quàm dum alijs ipse consulit, sese negotijs implicare. Hoc igitur ego Thrasymacho nullo pacto concedo, iustum quidem esse, potentioris utilitatem. Verum hoc deinceps considerandum, multo autem mihi maius uidetur esse quod nunc Thrasymachus dicit, cum iniusti

uitam

uitam meliorem uita iusti esse affirmet. Tu itaq; ô Glauco, utrum istorum tanquam ueri us eligis? Iusti, inquit Glauco, uitam potiorem existimo. Audisti, inquam ego, quot paulo ante iniustæ uitæ bona Thrasymachus numerabat? Audiui equidem, inquit. Nõ tamen assentior. Vis' ne illi mõstremus siquo modo possumus, uera eum minime dicere? Quid ni uelim? inquit ille. Si orationem contrariam orationi illius obijcientes, quasi comparatione quadam proposita, enumeremus quot insuper bona qui iustus sit cõ sequatur, ac ille rursus cõferat sua, oportebit ut tertius aliquis enumeret iterũ metiaturq; bona, quotcunq; utriq; in utroq; collegimus. atq; ita iudicibus quibusdam altercationem hanc dirimentibus opus erit. Sin autem quemadmodũ nuper cœpimus, alternis concessionibus adductis in mediũ rem ipsam discutiamus, oratores ipsi nos simul & iudices erimus. Sic, inquit, omnino est. Vter tibi modus magis placet? Iste, inquit. Age igitur, ô Thrasymache, responde nobis à principio. Affirmas tu quidem extremam iniustitiam extrema iustitia utiliorem esse? Affirmo equidem, & rationem attuli. Quid ad hoc? Nunquid istorum unum uirtutem, alterum uitium uocas? Quid ni? Nónne iustitiam quidem uirtutem, iniustitiam autem uitiũ? An istud fateri uir lepide mihi cõuenit, qui iniustitiam prodesse dicam, iustitiam minime? Quid ergo? Cõtrarium. An forte iustitiam uitiũ appellabis? Nõ, sed ualde generosam stultitiam. Iniustitiam ergo nequitiam uocas? Ne istuc quidem. At bonũ consilium sagacitatemq;. Num iniusti uiri Thrasymache, prudentes ac boni esse tibi uidentur? Quicunq; uidelicet ciuitates iniuria afficere possunt, & nationes sibi subijcere. Tu autẽ me fortasse loqui putas de his, qui loculos clanculũ surripuerint, prosunt & hæc quidem, si lateãt, sed æstimatione digna nõ sunt. Imò quæ paulo ante dicebam, plurimi faciẽda. Equidem quod uis intelligo. Sed admodum miror, si in parte uirtutis & sapientiæ iniustitiam ponas, in cõtrarijs uero iustitiam. Omnino sic pono. Durius hoc iam, ô amice, neq; amplius inuẽtu facile quod quis dicat. Si enim cõducere quidem iniustitiam posuisses, uitium tamen uel turpe quoddam esse ipsam cõfessus esses, quemadmodũ alij quidam, aliquid ad hæc secundũ ea quæ existimantur dicere possemus. Nũc autem perspicuum est dicturum esse te, & pulchrum & robustum quiddam iniustitiam esse, cæteraq; illi daturum omnia, quæ nos iustitiæ tribuimus: quandoquidem & in uirtute, & in sapientia ponere eam non dubitasti.

Alia falsa iustitiæ definitio

Confutatio eius definitionis

Verissima profecto uaticinaris. Non tamen desistendum est inquirere disputando, quo ad te putem quæ cogitas dicere. Mihi nanq; uideris Thrasymache, in præsentia minime cauillari, sed quæ tibi uera uidẽtur, afferre. Quid tua refert, siue id uideat mihi, si ue non uideatur, cum rationem meam nõ confutes? Nihil certe. Sed hæc prẽterea mihi responde: An iustus uideatur tibi plus iusto habere uelle. Nullo pacto. Non enim urbanus esset ut nunc & simplex. Quid autem? plus ne iusta actione? Neq; iusta etiam actione. Iniusto autem utrum dignum putaret plus habere, idq; iustum existimaret, uel contrà? Existimaret utiq;, dignumq; putaret, sed nõ posset. Atqui ego istuc non interrogo, sed utrum iusto quidem plus habere, neq; dignum putet, neq; uelit iustus: iniusto autem contrà. Sic est profecto. Quid autem iniustus? An æquum censet plus habere & iusto & actione iusta? Quid ni? cum omnibus plus habere se dignũ existimet.

Num igitur & iniusto homine iniustaq; actione, iniustus plus habebit, & certabit ut in habendo omnes exuperet? Vera hæc sunt. Sic itaq; dicimus. Iustũ quidem simili nõ plus habere uelle, plus autem dissimili: Iniustum uero utroq; plus accipere uelle. Recte dixisti. Atqui prudens & bonus, iniustus ipse est: iustus autem, neutrum. Recte & illud. Ergo prudenti & bono similis est iniustus, iustus autem minime. Quid obstat, inquit, quominus qui talis talibus quoq; similis sit: qui uero non talis, similis non sit?

Ais belle. Talis igitur est uterq; ipsorum, quales hi quibus similis est Et quid aliud? Sit ita sanè. sed dicas Thrasymache, utrum musicum aliquem uoces, aliquem uero non musicum. Equidem. Vtrum istorum prudentem, utrum imprudentem? Musicum sanè prudentem, expertem musicæ imprudentem. Nónne in quibus prudentẽ, in eisdem & bonũ: in quibus imprudentem, & malũ? Nempe. Eodemq; pacto de medico dicemus? Eodem. Videtur tibi uir optime, cum musicus uir lyrã tẽperat, uelle in intensione & remissione chordarũ, musicum uirũ exuperare, uel dignum putare, ut eo plus assequatur? Minime. Expertẽ uero musicæ superare contendit? Necesse est. Quid

medicus

medicus? in cibo aut potu dices? ne plus assequi, quàm aut medicus alter, aut res ipsa cupit? Nequaq̃. Plus autem quàm medicinæ artis imperitus? Proculdubio. Vniuersas denicq̃ contemplare scientias & inscitias, si quis tibi uidetur, qui quidem sciẽtiam habeat, plus sumere uelle uel dicendo, uel faciendo, quàm alter sciens, non autem eadem ad actionem eandem quæ & ille qui ipsi similis est. Fortè sic se res habeat, necesse est.

Quid autem indoctus? nónne plus docto sibi assumere uellet, atq̃ etiã indocto? Fortasse. Sed doctus, nónne sapiens? Concedo. Sapiens autem, nónne bonus? Et isthuc etiam. Bonus ergo & sapiens nõ uolet plus sibi quàm sui similis uendicare: plus tamen quàm dissimilis & contrarius uolet. Videtur. Malus autem & indoctus tam simili q̃ dissimili sibi plus arrogabit. Apparet. Nónne iniustus Thrasymache, plus usurpare cõtendit, quàm uel similis, uel dissimilis? An ita dicebas? Dicebam equidem, Iustus autem simili quidem non plus uolet, sed dissimili. Fateor. Est itaq̃ similis, iustus quidem sapienti & bono, iniustus autem & malo & inscio. Apparet. Atqui concessimus, talem utrunq̃ esse qualis sit is cui similis est uterq̃. Concessimus plane. Iustus itaq̃ nobis bonus esse sapiens q̃ apparuit: iniustus autem indoctus et malus. Hęc omnia concessit Thrasymachus, nõ tamen ea facilitate qua ego nunc refero, sed uix atq̃ per tractus plurimo cum sudore: erat quippe tunc æstas. Et uidi ego tunc primum quod nunquam antea uideram, erubescentem Thrasymachum. Cum igitur constitisset iustitiã & uirtutem esse & sapientiam, iniustitiam uero uitium & inscitiã: Maneat, inquam, hoc ita nobis. Dicebamus autem ualidum ac potens quiddam iniustitiam esse. Nónne meministi Thrasymache? Memini equidem, inquit. Sed mihi quæ nunc dicis, non placent: habeoq̃ aduersus ea quæ dicam, quæ si adducerem, certe noui te esse dicturum me concionari. Quare aut sine me dicere quæ uelim: aut si tu uis interrogare, interroga. Ego autem tibi ueluti aniculis fabellas narrantibus, assentiar, & annuam, & abnuam. Nullo pacto præter sentẽtiam tuam. Vt tibi in omnibus gratificer, postquã non sinis loqui, an quid aliud uis? Nihil per Iouem, si istud feceris. sed facito: ego autem interrogabo. Interroga iam. Hoc interrogo nũc quod & paulo ante, ut ordine suo in sequenti sermone consideremus quomodo se iustitia aduersus iniustitiã habeat. Dictum enim est potentiorem atq̃ robustiorem esse iniustitiam quàm iustitiam. Nunc autem quid noui affers? Si quidem sapientia & uirtus est iustitia, facile, ut arbitror, apparebit robustius esse quàm iniustitia, quandoquidem iniustitia inscitia est. nec ullus hoc ignoraret. Verum non ita simpliciter agere cupio, sed hac uia considerare. Ciuitatem' ne aliquam affirmares iniustã esse? & alias ciuitates uelle iniuste in seruitutem redigere, seruasq̃ sub se multas habere?

Cur non? Immo uero hoc summopere faciet illa quæ præstantissima erit, & quæ ad extremam peruenerit iniustitiam. Intelligo equidem quod tua hæc erat oratio. Sed hoc circa istam considero, utrum hæc quæ præstantior sit ciuitas ciuitate, absq̃ iustitia hãc sit potentiam habitura, uel necesse sit ut habeat cum iustitia. Siquidem, ut tu paulo ante dicebas, iustitia ipsa sapientia est, necesse est cum iustitia. Si autem ut ego, sine iustitia.

Responsionibus tuis ô Thrasymache, ualde delector, quoniam non modo annuis & abnuis, sed & præclare respõdes. Vt tibi gratum faciam. Facis tu quidem bene. Sed in hoc quoq̃ gratificare mihi, & dicito. An censes ciuitatem aliquam uel exercitum, seu latrones, siue fures, uel alium quemuis cœtum hominum iniuste aliquid unà aggredientium, perficere posse quicquam, si iniuria inuicem se affecerint? Nequaquam. Quid autem si ab iniuria abstinuerint? Nónne magis? Prorsus. Seditiones nanq̃ Thrasymache, iniustitia, inimicitias, contentionesq̃ parit: Iustitia uero, concordiã & amicitiam. Nónne. Esto, ne à te dissentiamus. Bene agis uir optime. Sed mihi & hoc dicito. Si hoc iniustitiæ opus est, ubicunq̃ insit odium gignere, nónne inter liberos & seruos si fuerit, efficiet ut inuicem odia atq̃ contentiones exerceãt? nulloq̃ pacto possint aliquid ex cõmuni concordia facere? Omnino. Quid autem? Si inter duos hæc sint, nónne dissentient inter se, insequenturq̃ odijs, & inimici erunt & sibi & iustis? Erunt sanè. Sin autem in uno insit, ô mirifice uir, iniustitia, nónne ipsius potentiam dissipabit? Vel nihil minus habebit? Nihil minus habeat. Nónne talem aliquam uim habere uidetur, ut cuicunq̃ insit, siue ciuitati, siue genti, siue exercitui, siue alteri cuilibet, primo quidem impotens reddat id cui ineſt aliquid secum agẽdi, propter dissensionem atq̃ discordiam: de

inde inimicum efficiat ipsum & sibi,& contrario cuilibet,atque iusto? Nónne ita? Ita.

Atqui & in uno si fuerit,hæc eadem faciet omnia quæ ad naturam suam sequuntur. Primum quidem impotentem agendi eum reddet,quum secum ipse dissentiat,neq; sibimet constet. Deinde & sibi & iustis faciet inimicum. An non? Certe. Iusti autem,ô amice,sunt & dei. Sint. Ergo deis inimicus erit Thrasymache,uir iniustus: iustus autem, amicus. Explere Socrates pro libidine, orationis epulo. Non enim tibi aduersabor, ne istos mihi infensos reddam. Age itaq;,reliqua conuiuij adhibe,quemadmodum paulo ante respondens. Constat profecto sapientiores,meliores,potentioresq; ad agendum, iustos esse: iniustos autem ne inuicem quidem tractare quicquam posse. Verum quod dicimus ualidissime,in commune simul aliquid cõficere illos posse qui omnino iniusti sunt, haud omnino uerum est. Non enim abstinerent inuicem ab iniuria, si prorsus iniusti essent. Sed liquet in ipsis esse iustitiam quandam quæ ipsos ita afficiat,ut se inuicem lædere nolint simul atq; alios,per quam agunt quæcunq; agunt. Impulsi autem sunt ad iniuste agendum iniustitia,cum semimali essent. Nam qui ad summum nequitiæ & iniustitiæ peruenerunt,perficere omnino nihil possunt. Hæc quidem quod ita se habeant, non autem ut tu suprà ponebas, intelligo. Vtrum autem & melius uiuant iusti quàm iniusti,& feliciores sint: quod quidem postea considerare proposueramus, considerandum est. Et,ut mihi quidem uidetur, hoc ex his quæ diximus, sequitur. Sed tamen melius considerandum. Non enim de re quadam uili spernenda q;,sed quonam modo uiuendum sit, habetur oratio. Considera iam. Ecce considero. Dic igitur,opus ne equi tibi aliquid esse uidetur? Mihi quidẽ. Num hoc quidem diceres, & equi & alterius cuiuslibet opus, quod uel solo illo, uel maxime quis expleret? Haud intelligo. Attende. sic fortè intelliges. Alia ne re quàm oculis uides? Minime. Quid uero? alia ne audires quàm auribus? Nequaquam. Ergo hæc horum opera recte diceremus. Recte. Posses ne gladio,& scalpello,& multis alijs, uitis palmites amputare? Quid ni? Veruntamen non ita commode ut falce ad usum hũc fabricata. Est ut dicis. Ergo nónne hoc istius opus esse dicemus? Dicemus profecto. Existimo melius te nunc tenere, quæ paulo ante dicebam, quum interrogarem an id cuiusq; opus esset, quod uel solo illo, uel melius quàm cæteris efficitur. Intelligo iam. Idq; mihi cuiusq; opus esse uidetur. Nónne & uirtus tibi esse uidetur, cui aliquod opus adscribitur? Reuertamur igitur ad priora. Oculorum dicimus esse opus aliquod? Certe. Ergo nónne & uirtus oculorum est? Et uirtus. Et aurium opus? Et aurium. Est ergo & uirtus. Est. Nónne de reliquis omnibus eodem modo dicendum? Eodem. Nunquid oculi opus suum pulchre aliquando exercent, uirtutem propriam non habentes, sed pro uirtute uitium? At quomodo? Cæcitatem namq; fortasse pro uisu dicis. Quæcunq; illorum sit uirtus. nam ad præsens non id quæro, sed utrum propria uirtute recte suum opus exerceant, uitio uero non recte Vera loqueris. Nónne & aures sua priuatæ uirtute male suum opus exercebunt? Male. Idem ne sentimus de reliquis omnibus? Idem. Age & hæc præterea contemplare. Est ne animæ aliquod opus, quod nulla re alia faceres, ueluti curare, imperare, consulere, & alia generis eiusdem? Nunquid hæc alteri rei quàm animæ iure tribuere possemus, diceremusq; ipsius propria esse? Nulli alteri. Quid autem ipsum uiuere? An non animæ opus esse dicemus? Maxime. An non & uirtutem quandam animæ esse dicimus? Dicimus. Nunquid anima quandoq;, ô Thrasymache, propria uirtute priuata opera sua bene explebit? Vel nullo modo poterit? Nõ poterit. Necesse est igitur malam animam male imperare atq; curare, bonã uero hęc omnia bene facere.

Necesse. Concessimus ne uirtutẽ animæ iustitiã esse, iniustitiã uitiũ? Cõcessimus.

Iusta ergo anima iustusq; uir bene uiuet, iniustus autem male. Ita secundum rationem tuam apparet. Qui autem bene uiuit, beatus est & felix: qui male contrà. Quid ni? Igitur iustus felix est, iniustus miser. Sint. At miserum esse nõ prodest, prodest autem esse felicem. Proculdubio. Nunquam igitur ô beate Thrasymache, conducibilior erit iniustitia quàm iustitia. His epulis crassatus fueris in Dionysiis, ô Socrates.

Apud te quidem comedi Thrasymache, postquam mitior mihi effectus es, difficilisq; esse cessasti. Non tamen abunde uesci contigit, atq; id mea quidẽ causa potius quàm tua. Nam quemadmodũ epularũ auidiores homines incontinentesq; rapiunt semper quodcunq;

eunq; in conuiuio superfertur, gustantq; illud antequam prioribus dapibus satis uescantur: ita & ipse, ut mihi uideor, prius quàm inuenirem quod principio fuit propositũ, quid ipsum uidelicet iustum sit, eo prætermisso ad considerandum me contuli, utrum prauitas sit & insciția, siue sapientia uirtusq;. Ac postremo incidente oratione illa quæ asserebat, conducibiliorem iniustitiam esse quàm iustitiam, nõ me continui, quin ab illo ad hoc descenderem. Quapropter mihi in præsentia ex hac disputatione contingit, ut nihil norim. Quando enim iustum qui sit ignoro, nullo pacto sciam, uirtus ne sit an contrà, atq; utrum qui id possidet, beatus sit uel non beatus.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI in secundum dialogum De iusto.

SECVNDVS *Dialogus à trina exorditur diuisione bonorum. Bonum profecto idem est atque expetendum. Expetimus autem aliquid suijpsius gratia tantum, ut uoluptates & gaudium. Aliquid alterius solum gratia, qualia quæcunque laboriosa sunt. Aliquid & gratia sui, & aliorum quæ inde sequuntur, ceu cognitionem ac prosperam ualetudinem. Iustitiam uero dicit, cum aliorum ex ea sequentium, tum uel maxime suijpsius gratia expetendam. Sed antequam de iustitia perfecte quicquam definiatur, Glauco, quæ prætermissa sunt à Thrasymacho, pro iniustitiæ patrocinio copiosius elegantiusq; prosequitur. Adde & modestius. Ait enim, non quia ita sentiat, sed ut prouocet Socratem ad iustitiam acrius defendendam, iniustitiam se laudaturum. Similia quædam habemus & in Gorgia. Post eum Adimantus, & primum pro iustitia uerba facit, præmia illi & humana tribuens & diuina. Vbi notabis religiosa quædam mysteria poetarum. Deinde nonnulla pro iniustitia adducit in medium, personam uidelicet & Socratis & Thrasymachi referens, addens etiam se non iustitiam uituperare uelle, sed quodammodo Socratem irritare. Optat autem laudes audire iustitiæ, quæ non ab externis, sed ab intrinseca iustitiæ natura ducantur, quales afferri ab aliis non consueuerint. Tu uero animaduerte non temere Platonem multa hic rursus ad poetas sacerdotesq; pertinentia posuisse. Ostendit enim in his sæpe à poetis, sæpius à malis sacerdotibus peccandi licentiam prouenire. Vbi gentium superstitiones irridet. Præterea haud ab re in his libris omnium sibi charissimis charissimas sibi personas inseruisse, Glauconem Adimantumq; fratres eius, patremq; Aristonem. Rursus Socratem nihil in omni eius uita propensius contemplatum, quàm seclusis externis affectibus, quidnam sit, quidue faciat uirtus ipsa, uitiumq; in animo. Quod quidem & sponte & prouocatus deinceps de iustitia & iniustitia demonstrabit. Sed ego hic iniuste nimium prætermisi mirum illud iustitiæ præmium ex Musæi mente adductum, perpetuam inquit ebrietatem. Quod quidem Musæus accepit ab Orpheo, idipsum per Dionysii sacra significante. Hoc illi prophetico simile: Inebriabor ab ubertate domus tuæ. Ebrietas ergo sit duplex. Altera quidem sub luna, Letheo inducta potu: per quam anima extra se posita, & infra se posita obliuiscitur diuinorum circa terrena delirans. Altera uero super lunam nectarea proueniẽs potione, per quam animus extra se positus, supra se positus, morborum mortalium obliuiscitur: suspiciensq; diuina quasi primo illorum splendore caligat: siue potius saporem gustans nouo quodam calore è priori habitu permutatur. Mox uero perspicue cernit gustatq; salubriter, immo uero nutritur. Profecto idea diuina per quam factus est animus, redeunti illabitur animo, ceu gustui sapor. Ab eo primum suauiter si quid alienum est diluit. Deinde penitus implet, magisq; implendo delectat. Tertio redigit in seipsam inæstimabili uoluptate perfundens. Vbi animus ex anima primum factus est intellectus, ex intellectu denique deus. Neq; ulterius sicut prius sapit, neque quæ prius, sed sapit aliter atque alia. Et quemadmodum apud nos imaginatio uehemens mouet formatq; corpus, ita & ibi corpus subiectum animæ sensusq; eius à potentissima cogitatione mentis mouetur protinus & formatur, adeo ut ineffabili dulcedine mentis mirabiliter & sensus dulcescat & corpus. Sed iam ad iustitiam reuertamur. Hanc Socrates tanquam disputationis suæ finem atq; obiectum, per singula quærens, quia difficile inueniretur in animo, prius quærit in ciuitate, tanquam in ea manifestiorem futuram, ut per hanc demum animi iustitiam manifeste definiat. Vt autem iustitiam in ciuitate considerare queat, constituit ab initio ciuitatem, dicens primo quæ sit eius origo, scilicet indigentia mutua. Deinde quæ materia, scilicet res artesq; necessariæ. Postremo quæ forma, uidelicet regula uictus, legitimaq; gubernatio. Et uideto quantum laudet uitam sobriam, quantum uituperet delicatam atque luxuriosam. Illa quidem sana atq; sufficiens, hæc autem insana & indigens plurimorum. Deniq; quum ob hanc nascatur bellum, opus est in eiusmodi ciuitate militibus. Quapropter ob diligẽtem militaris artis institutionem descendens, quot necessaria sint militi strenuo & custodi patriæ, accurate prosequitur. In omnibus uero memento, neminem ad diuersa aptissimum nasci posse. Ideoq; nullum diuersas artes exercere debere. Præsertim cum ex alterius opere, opus impediatur alterius. Oportere & unumquemq; artem suam statim a puero & per omnem uitam continue exercere. Præterea militem patriæ custodem talem & nasci & educari*

debere, ut canum instar & erga notos sit mitis, & aduersus ignotos ferox, semperq; uigil & sagax. Proinde asserit Socrates principium cuiuslibet operis maximum quiddam esse, in tenera præsertim ætate facile utriq; formabili. Idcirco futuros milites à teneris unguiculis & secundum animum primo per musicam, & secundum corpus deinde per gymnasticam rite format, sub musica comprehendens fabulas quoq; poeticas. Quas præcipit assidue puerorum auribus adhibere. Sed tales solum, quales ad militare studium quasi præludia quædam & prouocent & erudiant. Similiterq; cæteros his à pueritia fabulis iubet assuefieri, quæ studio potissimum futuro conducant. Contrarias uero longius arcet. Id uero maximum est præceptum. Detestatur mox poeticam impietatem turpia de dijs fingentem. Atq; eiusmodi audiri fabulas prohibet. Subiungit geminas theologiæ figuras. Primam, Deum omnino bonum esse, bonorumq; duntaxat causam. Mali uero nullius causam esse Deum. Item siquem Deus punit, punire gratia boni. Secundam uero, Deum esse penitus immutabilem, ex eo quod simplicissimus, potētissimus, optimus, sapientissimus. Quo fit, ut neget Deum aliquando quenquã fallere, uel fictis simulacris, uel signis atq; uerbis. Neq; enim in uarias mutatur formas, neq; cum non mutetur, simulat permutari. Concludit librum aurea quadam sententia. Mendacium maxime omnium & dijs & hominibus est odiosum. Quod si mendacium in sermone odiosum est, idq; simulacrum est mendacij ipsius quod est in animo, nimirum mendacium quod in animo est, & dijs & hominibus est admodum odiosum. Eiusmodi uero mendacium est ignorantia, per quam circa rerum ueritatem sibimet animus ipse mentitur. Quoniam uero ueritas ad id quod esse dicitur, spectat, ideoq; falsum ad non esse declinat, merito mendax quatenus in falsum labitur, eatenus in nihilum quoq; prolabitur.

SECVNDVS DIALOGVS
DE REPVBLICA

HAEC quum dixissem, à disputatione liberatum me esse putabam: uerum hoc, ut uidetur, procœmium modo fuit. Glauco enim & semper aliàs uir certe ad omnia fortissimus, & tunc quidem Thrasymachi de fatigationem haud probauit, sed dixit: Vtrum ô Socrates, nobis persuasisse uideri cupis, an reuera persuadere, quòd omnino præstet iustum esse quàm iniustum? Ego quidem, si in mea optione esset, reuera persuadere mallem. Non igitur facis, inquit, quod uis. Dic enim mihi, uidetur ne tibi huiusmodi aliquid esse bonum, quod quidem eligeremus, haud certe quę ex eo sequantur cupientes, sed ipsum gratia ipsius amantes? quemadmodum gaudere, & uoluptates quæcunque sine nocumento sunt, & quæ in posterum nihil præter gaudium allaturæ sint eas habenti. Mihi sane uidetur, inquam, esse aliquid tale. Quid autem? Est ne aliquid quod & ipsum gratia ipsius, & eorum quæ ab eo fluunt, amemus? Quemadmodum sapere, uidere, ualere, hæc enim huiusmodi propter utrumq; eligimus. Certe, inquam. Tertium autem uides, inquit, genus boni, in quo est exerceri, male ualentem curari, medicationemq; & pecuniariam exercere? Hæc utiq; laborioſa fatemur esse, prodesse autem nobis. Et ipsa quidem sui gratia nunquam expeteremus, sed quæstus & aliorum quæ ab eis proficiscuntur gratia. Est hoc plane, inquam, genus tertium. Quid tum? In quonam istorum, inquit, iustitiam ponis? Mea quidem sententia in pulcherrimo, quod tam propter seipsum quàm propter ea quæ efficit, ab eo qui beatus sit futurus expetitur. Haud ita multis uidetur, sed laborioſi generis esse, quod quidem propter præmia & honores & gloriam sit expetendum, propter seipsum autem tanquam difficile fugiendum. Noui equidem isthuc multis uideri, quo circa iampridem à Thrasymacho quasi tale quiddam sit, uituperatur: iniustitia uero laudatur. Sed ego hebes sum, ut uideor. Age itaque & me audi, inquit, si tibi quoq; hæc uideantur. Thrasymachus nempe prius quàm oportet tanquam serpens carminibus delinitus abs te fuisse uidetur. Mihi autem nondum ex sententia demonstratio utriusque euenit. Cupio enim audire quid sit utrunq;, & qualem uim habeat ipsum secundum seipsum existens in animo: præmia uero & quæ ex ipsis proueniunt, mittere. Sic igitur faciam, si & tibi placet. Renouabo equidem Thrasymachi orationẽ, & primum dicam quale quid iustitiam esse dicant, & unde exortam fuisse uelint. Secundo uero loco, omnes quicunq; iustitiam colunt, inuitos quodammodo eam sequi, tanquam rem necessariam, sed nõ bonam. Tertio, merito id agere. Multo ergo melior iniusti uita quàm iusti, ut tradunt. Mihi quidem, ô Socrates, nõ ita uidetur. Ambigo tamen plerunq;, quia obtundor quotidie

Thrasy

Thrasymachum aliosq; innumeros audiens. Orationem uero pro ipsa iustitia quod melior quàm iniustitia sit, ex nullo adhuc audiui ut uellem. Cuperem quippe iustitiam ipsam secundum seipsam audire laudaram: maxime uero ex te hoc me arbitror auditurũ. Quapropter dicam latius iniustam uitam laudans, dicẽdoq; ostendam tibi, quonam maxime modo audire te uelim, uituperantẽ quidem iniustitiam, iustitiam uero laudantem. Sed ui de an hoc tibi placeat. Maxime, inq;, omnium: de qua enim re quis sanæ mentis libentius & audiat & dicat? Præclare, inquit, loqueris. Enimuero quod primum de hoc dicere pollicitus sum, iam audi quale sit, & unde sit orta iustitia. Natura quidẽ dicũt iniuriã facere bonum esse, iniuria autem affici malum. sed longe plus mali esse in patiendo iniuriam, q; in inferendo boni. Quamobrem postquam uicissim iniuriã & intulerint & acceperint, & utrumq; gustauerint, qui nequeunt uitare illud, id consequi operęprecium fore ducunt, ut ita inuicem componantur, ut neq; inferri, neq; accipi possit iniuria: hincq; uolunt originem habuisse leges constitutionesq;, & nominata esse præcepta legũ legitima atq; iusta. Hanc itaq; iustitiæ originem & substantiam esse uolunt, quæ media quodãmodo sit optimũ inter & pessimum. Quandoquidem optimum est inferre iniuriam, nec dare pœnas: pessimũ uero pati, nec ulcisci posse. Iustum ergo horũ in medio constitutũ amari non tanquam bonum, sed ex imbecillitate iniuriandi tanq; iniuriarum inferendarum obstaculum. Eum sane qui hoc efficere possit, uereq; sit uir, cum alio paciscí nunq; decernereq;, ne ultro citroq; iniuria inferatur, alioquin insaniret. Hæc est, ô Socrates, natura iustitiæ atq; huiusmodi & ex talibus, ut ferunt, progenita. Quòd autẽ qui iustitiam seruant, inuiti id agant, cum ex imbecillitate iniuriam inferre nequeãt, plane perspiceremus, si tale quiddam animo fingeremus: si utriq; licentiam largiremur quodcunq; liberet agendi, & iusto pariter & iniusto: deinde pone sequeremur, explorantes quò rapiat utrumq; libido: inueniremus profecto iustum plus habendi auiditate compulsum ad eadem se atq; in iustum conferre. Hoc siquidẽ natura omnis ut bonum expetit, lege autem ac ui ad æqualitatem seruandam ducitur. Erit autem licentia quam dico, talis istis si detur, qualem aliquando ferunt fuisse Gygæ Lydi progenitori. fuisse enim ipsum ferunt mercenariũ pastorem eius qui tunc Lydis imperabat. Magna aũt imbrium tempestate exorta, motaq; terra, ferunt terram hiatum fecisse in ea regione, ubi ille armenta pascebat. Quæ cũ uidisset, mirabundus in hiatum descendit, conspexitq; & alia quæ fabulantur miranda, & equum æneum concauũ, & per fenestram cadauer in aluo equi animaduertit, maius quidem humana forma. hoc nihil habebat aliud præter aureum digito anulum. Quo sublato abijt, ac paulo post ad pastoralem peruenit conuẽtum, in quo legatus de rebus peculij ad regem per singulos menses referendis creandus erat, iuxtaq; alios assedit. Accidit q; ut cum fortè gemmam introrsum ad manum uerteret anuli quem à cadauere arripuerat, subito à nullo conspiceretur, alijq; de illo tanquam absente loquerentur. Admiratus ergo, gemmam rursus extrorsum conuertit. Quo facto rursus apparuit. Hoc ille animaduertens, diligentius periculum fecit, utrum hanc anulus uim haberet: atq; ita illi compertũ fuit, quod uersa ad se gemma à nemine uideretur: uersa autẽ ad alios, conspicuus fieret. Quod quidem expertus, curauit ut legatus ad regem unà cum alijs mitteretur, profectusq; uxorem eius stupraui t, & de rege interficiendo cum ea consilium inijt: quo cæso, regnum assumpsit. Si igitur duo tales anuli essent, alterumq; iustus, iniustus alterũ possideret ac ferret, nullus profecto esset, ut uidetẽ, adeo adamantinus, ut in ipsa iustitia permaneret, & ab alienis abstinere uellet, cum liceret illi ex foro intrepide quodcunq; uellet arripere, ingrediq; alienas domos, & clanculũ pro libidine cuiq; cõgredi, & pro arbitrio quẽlibet interficere, & ex carcere soluere, & alia quasi par deo sit inter homines pro arbitrio facere. Hæc igitẽ cũ uterq; faceret, nequaquã alter ab altero in agendo differret, sed ambo eodem tenderent. Quæ quidem maxima apud omnes esse potest coniectura, neminem uolentem, imò inuitum esse iustum, quasi id secundũ se, & priuatim non sit bonum. Quoniam ubicunq; iniuste agere quisq; se posse cõfidit, agit protinus: prodesse enim quisq; priuatim multo magis existimat iniustitiã q; iustitiã: rectèq; sentit quisquis ita iudicat, ut sermonis huius perhibent autores. Quod si quis huiusmodi facultatẽ nactus uelit ab iniustitia abstinere, neq; aliena tangat, infelicissimus omniũ & stolidissimus apud eos qui hoc aduerterẽt, putaretur. Laudarent tamẽ illum palàm uicissim se decipientes, quia maxime timent ne afficiantur

tur iniuria. Atq; hæc quidem ita sint dicta. Vitã uero utriusq;, iusti uidelicet & iniusti, ita plane dijudicabimus, si iustissimum uirum seorsum & iniustissimum distinguemus, aliter uero nequaq;. Sit autem hæc discretio talis, ut nihil auferamus iniustitiæ ab iniusto, neq; quicquam ab iusto iustitiæ, sed perfectum utrumq; in suo studio ponamus. Primũ igitur iniustus tanquam optimi artifices faciat: uidelicet quemadmodum gubernator summus uel medicus, quæ in arte sua confici possunt, & quæ nõ possunt, sentit: & illa quidẽ aggreditur, ista relinquit: & siqua præterea in re peccauerit, corrigere potest: ita & iniustus recte iniurias aggrediens, lateat, si maxime iniustus futurus est. Si autem deprehensus fuerit, iners existimandus est. Extrema enim iniustitia est, iustũ uideri eum qui non sit iustus. Danda est igitur iniustissimo extrema iniustitia, neq; auferenda: sed permittendum, ut is qui iniuste multa patrauit, apud omnes iusti habeat opinionẽ, & si qua in re peccarit, corrigere possit, sitq; ad persuadendum idoneus siquid de ipso mali facinoris nũciatur, & ad uim, si opus fuerit, inferendam, fortitudine & robore, opumq; & amicorum copia. Cum hunc talem finxerimus, iuxta ipsum uirum ponamus iustum, simplicem hominem & ingenuum, qui secundum Æschylum nõ uideri, sed esse bonus studeat. Remouenda quippe ab eo iustitiæ omnis opinio, ne iustus cuiquam uideatur. Si enim uidebitur iustus esse, aderunt sibi honores & præmia. Incertum igitur erit, iusti ne, an honorũ munerumq; gratia talis sit. Priuandus itaq; rebus omnibus præterquam iustitia, atq; ita ponendus, ut superiori contrariũ sit: cum nihil agat iniuste, iustissimus esse credatur: ut quasi quodam examine ad iustitiam sit probatus, ex eo quod nec infamia, nec his rebus quæ eam sequũtur, à proposito suo dimoueatur, sed usq; ad mortem immobilis perseueret, dum per omnem uitam iniustus existimatur, est tamen iustus: ut cum utriq; ad extremum peruenerint, hic quidem iustitiæ, ille autem iniustitiæ, iudicetur uter eorum sit beatior. Papè, quàm uehementer ô amice Glauco, utrumq; uirum quasi statuam quandam in iudicium manifestum inducis. Quammaxime, inquit, possum. Cum ergo talis sit, nihil iam, ut arbitror, difficile narratu est, qualis utrumq; uita maneat. Dicendũ igitur. quod si asperius aliquid dicatur, ne existima me Socrates, hæc dicere, sed eos qui præ iustitia iniustitiam laudant. Dicent enim quod ita affectus iustus cædetur, torquebitur, & uincula patietur. Eruentur illi oculi, atq; demum omnia mala perpessus suspendetur, atq; cognoscet non esse, sed uideri iustum concupiscendum esse. Æschyli autem carmen rectius intelligi poterat de iniusto. Dicent profecto iniustum utpote ueritati cõsona sectantem, neq; ad opinionem hominum uiuentem, appetere quidem nõ uideri, sed esse iniustum, profundum sane sulcum & frugiferum, mentem habentem, ex quo gloriosa germinẽt consilia. Primum quidem magistratus capere in sua ciuitate, cum iustus appareat: deinde quam uelit uxorem ducere, & suas cui uelit elocare, cum quibuslibet congredi, cõmunicareq;, atq; ad hæc omnia utilitatem capere quæstum facientẽ, cum inferre iniuriam minime uereatur: in certaminibus tum publicis, tum priuatis superiorem euadere, plusq; emolumenti quàm aduersarios inde excerpere: atq; hinc effici diuitem, unde & prosit amicis, & inimicis obsit, deos autẽ donarijs & sacrificijs magnifice colat, & multo melius quàm iustus conciliare sibi possit quemlibet uel hominum uel deorum: ex quo consentaneum esse uolunt, ut deo charior sit quàm iustus. Hac ratione aiunt, ô Socrates, & apud deos, & apud homines melius iniusto uitam institutam esse, quàm iusto. Hæc cum dixisset Glauco, ego q; ad hæc respondere aliquid cogitarem, frater eius Adimantus: Nondum, inquit, ô Socrates, satis de hac re dictum. Quid igitur? inquã. Quia id, inquit, dictum non est, quod maxime dici oportuit. Frater, inquam ego, adesto uiro, ut habet prouerbium. Quare tu si quid hic reliquit, adiuua. Quanquam me quæ dicta sunt ab isto, conuincere possunt, atq; efficere, ut defendere iustitiam nequeam. Nihil est, inquit. Audi & hæc præterea. Decet enim & cõtrarias orationes inducere earum quas hic attulit, quibus laudatur quidem iustitia, iniustitia contrà uituperatur, ut manifestius fiat quod mihi Glauco uelle uidetur. Præcipiunt sane patres filijs, atque omnes qui curam aliquorum habent, oportere iustum esse, non propter seipsam iustitiam laudantes, sed propter eos qui inde sequuntur honores: ut qui iustus habetur, ex ea opinione magistratus, & connubia, & quæcunq; de eo qui iustus habetur, paulo ante dicebat Glauco, assequatur. Enimuero gloriæ illi præmium quoddam in primis inducunt. Nam inferentes deorum beneuolentias, summa referre

Prouerbiũ

ferre possunt à dijs beneficia sanctis uiris collata. Quod generosus Hesiodus Homerusq; testantur. Ille enim iustis deos hoc cõcedere perhibet, ut quercus in ramis altioribus glandes ferant, in medijs apes, & oues lana onerentur, multaq; alia generis eiusdẽ bona. His similia dicit & alter. Quemadmodum enim, inquit, probo regi quicq; dei similis sit, bonum conferat nomen, ferat terra nigra triticum atq; hordeum, pomis grauentur arbores, fœcundæ pecudes facile pariant, mare pisces subministret. Musæus item atque eius filius excellentiora etiam bona iustis ab ipsis dijs tribui uoluerunt. Apud inferos enim agentes, ipsosq; in sanctorum conuiujs collocantes, coronatos faciunt magna semper in uoluptate ebrios uiuere, existimantes pulcherrimũ uirtutis præmium æternam ebrietatem. Qui autem longiora his præmia à dijs dari uolunt, filios dicũt posterosq; iusti fidelisq; uiri genus suum per secula propagare. His & huiusmodi iustitiam laudant, prophanos uero atq; iniustos cœno quodam apud inferos obruunt, & aquam cribro ferre cogunt. Viuentes etiam infamia notant. Ac demum quæcunq; supplicia eorum narrabat Glauco, qui iusti sunt, & uidentur iniusti, eadem insuper iniustorum enarrant, alia uero non habent. Laus igitur & uituperatio sic utrorumq; se habent. Præter hæc considera Socrates, aliam quandam de iustitia iniustitiaq; orationis speciem & priuatim & à poetis inductã. Omnes enim uno ore canunt bonum quid temperantiã & iustitiam esse, difficile autem & laboriosum. Intemperantiam uero & iniustitiam, iucundum quidem & facile comparatu, opinione tantum legeq; turpe. Vtiliora quinetiam iustis iniusta, ut plurimum, uulgo dicunt. Et malos quidem diuites potentesq; facile honorãt, priuatimq; ac publice beatos appellant: eos autem contemnunt qui imbecilles & pauperes sunt, quamuis concedant ipsos meliores cæteris esse. Horum uero omnium maxime mirandi de dijs & uirtute sermones circumferuntur, deos plurimis bonis hominibus infelicem uitam dedisse, malis autem contrà. Vates insuper & arioli ad ianuas diuitum accedentes, persuadent uim habere, à dijs sacrificijs & carminibus acceptam, purgandi per celebritates & oblectamenta quædam, si quod scelus ab his, aut eorum maioribus patratum fuerit, & nocendi paruo etiam sumptu cuicunq; uelint inimicorum & iusto pariter & iniusto. Asserunt quippe tum blandimentis quibusdam, tum uinculis se deos inducere ut sibi in his hominibus obsequantur. Ad hæc omnia poetarum afferunt testimonia, partim quod facile labamur in uitium.

Mortales uitium penitus labuntur in omne
Præcipites, quoniam facilis uia ducit ad ipsum,
Hoc quia uel nobis iam tum nascentibus hæret.
Virtutem ante ipsam dij proposuere laborem,
Difficilesq; uias cunctis adeuntibus illam.

Partim quod deus precibus nostris muneribusq; flectatur, Homerum adducunt testem, qui inquit: Exorabiles conuertibilesq; & dei sunt, & hos quidem sacrificijs, uotis, libationibus, & homines cum peccauerint, precantes uertunt.

Sunt faciles superi, precibus flectuntur, & ijdem
Sacrorum nidore pio placantur, & ipsis
Nimirum uotis hominum, quæ siquis in illos
Errarit, ueniam rogitans, concepit in aris.

Libros autem circumferunt Musæi & Orphei, Lunæ & Musarum filiorum, secundum quos sacra celebrant, persuadentes non priuatis solum, uerumetiam ciuitatibus solutiones & purgationes scelerum per sacrificia cum ludorum oblectamentis fieri, & uiuentibus & defunctis: quas quidem Teletas, id est expiationes uocant, quæ nos ab illis quæ illic mala sunt, liberent: sacrificijs autem prætermissis grauia nos manent. Hęc omnia ô Socrates, talia ac tanta de uirtutis uitijq; premijs quo ad deos & homines pertinet, dicimus. Quid putamus acturos hæc audientes animos eorum iuuenũ, qui solertes ingenio sunt, & ad omnia dicta cõmode celeriterq; cõuersi ex seipsis deliberare possunt, qualis aliquis existens, & quorsum tendens quàm optime uitam agat? Consentaneum est iuuenem talem Pindari illud animo uoluere. Vtrum iustitiæ conscendam alta mœnia? an obliquas doli uias ingrediar, méq; ita fulciens uitam agam? Ea enim quę dicta sunt, mihi quidem si iustus sim, non tamen appareã, nihil prodesse dicunt, labores autem et pœnas certas esse. Pindarus de iusto & iniusto

Iniusto uero opinionem iustitiæ assequuto, uita diuina adesse dicitur. Nónne igitur postquam existimatio hæc iustitiæ, ut sapientes tradunt, ueritatem cogit ac uiolat, & ad beatitudinem est præcipua, ad eam omnino tendendum est? Induere itaq; imaginem oportet iustitiæ, & quandam præ se ferre uirtutis adumbrationẽ, à tergo uero illam sapientis Archilochi uulpem astutam ac uariam trahere. At dixerit forte quispiam, haud facile esse ut malus quis semper lateat. Nos uero respondebimus, nihil magnum esse facile. Veruntamen si beati esse uolumus, hac eundum est, qua rationum uestigia ducunt. Etenim ut nostra improbitas occulta permaneat, coniurationes societatesq; inibimus. Adsunt quinetiam persuasionis magistri, qui sapientiam concionatoriam & iudicialem tradunt: ex quibus partim persuadebimus, partim cogemus, ut dum nobis plura arrogamus, pœnas minime persoluamus. Sed deos quidem neq; latere, neq; cogere possibile est. Verum si nõ sunt, uel humana non curant, haud nobis curandum est ut eos lateamus. Si autem sunt, & curant humana, nos non aliunde id nouimus, uel audimus, quàm ex multorum sermonibus, & ex poetis genealogiam ipsorum scribentibus. Idem uero ipsi perhibent posse deos precibus sacris & muneribus flecti. Quibus uel utrunq; credendum est, uel neutrũ. Si ita credendum, & iniuste agendum, atq; ex ipsa rapina diis sacrificandum. Iusti enim si simus, illæsi à diis erimus: sed quæstus qui per iniustitiam comparantur, respuemus. Iniusti autem diuitias parabimus, sceleribusq; patratis, illos precibus flectentes à pœna liberabimur. Sed enim apud inferos pœnas dabimus eorum quæ hic iniuste commiserimus, uel nos, uel nati natorũ. At ô amice, dicere quadam ratione licebit: supremæ pro peccatis cõmissis expiationes multum possunt, exorabilesq; dij sunt, ut maximæ ciuitates dicũt. Et deorum filij poetæ, prophetæq; deorum, hæc ita se habere testãtur. Ergo quæ ratio ulterius nos inducet, ut præ summa iniustitia iustitiam eligamus, quandoquidem si iniustitiam sub adulterina specie honestatis occultauerimus, & apud deos, & apud homines omnia nobis ad uotũ succedent & uiuentibus & defunctis, quemadmodũ multorum excellentiumq; uirorum testatur oratio? Ex omnibus iam dictis ô Socrates, quis crediderit eum hominem iustitiam seruaturum, cui sit aliqua uis aut fortunæ, aut opum, aut corporis, aut generis, ac non potius subrisurum, si laudari eam audiuerit? Quinimmo si quis falsa ostendat quæ diximus, rectèq; norit iustitiam optimum esse, uehemẽter ignoscet, neq; irascetur iniustis, cum intelligat, nisi quis diuina quadam natura iniquitatẽ oderit, uel doctrina abstinuerit ab iniustitia, neminem sua sponte esse iustum: sed præ timiditate, uel senectute, uel alia quadam imbecillitate uituperare iniustitiam, cum eam exequi nequeat. Quod quidem ex eo patet, quoniam ut primum quis potestatem adeptus est, primus pro uiribus agit iniuste: horumq; omnium alia nulla est causa, quàm ea unde hæc omnis oratio mihi & huic, ô Socrates, aduersum te profecta est. Quoniam ex uobis, ô mirifice Socrates, quicunq; laudes iustitiæ profitemini, à priscis illis heroibus incipientes, de quibus aliqua extat memoria, usq; ad nostros homines, nullus unquam aliter laudauit iustitiam, uel iniustitiam uituperauit, quàm ad gloriam muneraq; uel pœnas respiciens, quę ab illis proficiscuntur. Ipsum uero utrũq; suapte natura quid agat in habentis animo latens deos et homines, nullus unquam uel in poematis, uel alio sermone ad sufficientiam enarrauit, quod uidelicet iniustitia sit maximum malorum omnium quotcunq; sustineat animus, iustitia uero maximum bonum. Si enim sic ab omnibus uobis fuisset à principio dictum, & nobis ab ipsa pueritia persuasum, non inuicem cohiberemur, ne quid in alium ageremus iniuste, sed unusquisque suĩ ipsius custos esset, timens ne iniuste agens, maximo malo adhæreret. Hæc ô Socrates, hactenus. Forte uero & plura Thrasymachus, aut aliquis alius de iustitia & iniustitia utriusq; cõuertentes uim diceret, & onerose admodum, ut mihi uidetur. Sed ego nihil abs te celari uolens, cupiensq; ex te audire contraria, orationem protraho. Ne ergo nobis solum ostendito iustitiam iniustitia præstantiorem esse, sed quomodo ipsa per se afficiens utraq; animum, hæc quidem malum, illa bonum sit. Opiniones autem auferas, ut etiam Glauco iusserat. Si enim non abstuleris utrinq; ueras, falsas autem apposueris, non iustum dicemus laudare te, sed id quod iustum uideatur: neq; iniustum uituperare, sed quod uideatur iniustum, iubereq; iniustum iustitiam occultare, assentiente Thrasymacho: Iustum quidem alienũ bonum, potentiori conferens: Iniustum autem ipsum conferens atq; utile, imbecilliori tamẽ inutile. Postquã igitur assensus es iustitiam his

his bonis annumerari, quæ & propter illa quæ sequuntur, & multo magis ipsa propter se sunt expetēda, uidelicet uidere, audire, sapere, bene ualere, & quæcunq; alia bona suapte natura fœcunda sunt & preciosa, non opinione constant: hoc utiq; ipsum lauda in ipsa iustitia, quòd per se ipsam habentem iuuat, cum iniustitia lædat. Opiniones autē & præmia alijs laudanda relinque. Nam ego quidem cæteros, quoties ita iustitiam laudarent uel uituperarent iniustitiam, ferre possem, ut opiniones & præmia laudare uel uituperare uiderentur. Te autem minime, nisi forte tu iusseris: quoniam omnem uitam nulla in re alia quàm in hac speculatione consumpsisti. Ne igitur nobis solum oratione ostende præstantiorem iniustitia iustitiam esse, sed quonam modo utraq; ipsarum sui participem afficiēs, siue lateat, siue non lateat deos & homines, hæc quidem bonum sit, illa malum. Hæc ego cum audissem, quamuis & aliàs semper Glauconis & Adimanti ingenium admassem, tunc tamen uehementer admiratus sum, dixiq;: Non male in uos, ô filij illius uiri, principium elegorum carminum amator Glauconis inscripsit, qui cum in Megarēsi prælio fortiter pugnauissetis: O filij, inquit, Aristonis inclyti uiri, diuinum genus. Hoc bene dici uidetur amici. Diuine enim affecti estis, si non estis persuasi, iniustitiam iustitia meliorem esse, cum adeo pro ipsa abunde loquamini. Videmini autem mihi persuasi non esse. Coniecturam capio ex uestris moribus, quoniam secundum orationem ipsam uobis minime credidissem. Quo autem magis credo, eo magis quò me uertam ambigo. nam quomodo adiuuem nescio. Videor quippe non posse. Illud autem signum est, quòd ea quibus ego suprà aduersus Thrasymachum sufficienter ostendisse putabam, iniustitia meliorem esse iustitiam, non admisistis. Neq; rursus quomodo nunc succurram inuenio, ueritus ne forte impium sit, ut qui iustitiam coràm uituperari intelligit, subterfugiat: neq; pro eius defensione uerba faciat, quamdiu spirare & loqui conceditur. Præstat itaq; pro uiribus suffragari. Tunc Glauco & cæteri omnes rogarunt, ut omni ope auxiliarer, neq; disputationem relinquerem, sed perscrutarer quid esset utrumq;, quæ ue reuera utriusq; utilitas. Dixi igitur, ut mea erat opinio, quæstionem hanc quam aggredimur, non esse contemnendam, sed hominis acute cernentis opus, ut mihi uideretur: ac postquam nos aliter non ualemus, perinde inuestigandam esse iustitiam, ac si quis non acute cernentibus literas paruas proculq; positas legendas mandasset: deinde animaduertisset aliquis easdem literas esse alibi in maiori quodam loco maiores, atq; inde operæpretium censuisset, ut eas primo legentes, ita demum minores si eædem sunt, considerarent. Ita prorsus, Adimantus inquit. Sed quid tu simile in hac de iustitia inquisitione uides, ô Socrates. Dicam, inquam. Dicimus ne iustitiam hominis unius esse? Dicimus totius ciuitatis? Plane, inquit ille. Atq; ciuitas nónne maior uno uiro? Maior, inquit. Fortasse igitur iustitia amplior in maiori inest, faciliorq; est cognitu. Quare si uultis, prius quæremus in ciuitatibus, quidnam sit. Idq; deinde in singulis considerabimus, maioris ipsius similitudinem in minoris idea contemplantes. Scite, inquit, loqui mihi uideris. Si ciuitatem oratione constitutam inspiceremus, iustitiam quoque eius & iniustitiam uideremus. Fortassis, inquit ille. Quo pacto spes erit facilius cognoscendi quod quærimus. Maxime. Opus est igitur istud efficere. Nam non parua res est, ut arbitror. Considera itaq;. Ecce consideramus, inquit Adimantus. Sed tu ne aliter facito. Fit utiq;, inquā ego, ciuitas ut existimo: quandoquidē nullus nostrum ex seipso sufficiens est, sed multorū indiget. An uero tu putas aliud extitisse ciuitatibus constituendis initium? Nullum aliud, inquit ille. Sic itaque alius alium aliumq; sibi & ad usum alium adiungentes, cum multis indigeamus, multos in habitationem unam communicatores adiutoresq; congregauimus. Quem cœtum, ciuitatem nos appellamus. Nónne? Omnino. Impertiunt ergo uicissim sua, & aliena uicissim accipiunt, conducere sibi uicissitudinem hanc existimantes.

Ita prorsus. Age iam constituamus oratione nostra à principio ciuitatem. Faciet autem ipsam, ut uidetur, indigentia nostra. Quid ni? Prima uero & maxima omnium indigentia, est præparatio uictus, ut & simus & uiuamus. Certe. Habitationis secunda. Tertia uestitus, & huiusmodi. Est ut dicis, Age igitur. Sed quonam modo ciuitas ad hanc præparationem sufficiet? An non unus erit agricola, ædificator alius, alius textor? Nunquid & coriarium ibidem annumerabimus, uel aliquem alium rerum ad corporis usum pertinentium curatorem? Maxime. Erit itaque ipsa ciuitas saltem

ex

ex quatuor aut quinq; uiris. Apparet. Quid igitur? Vnumquemq; istorum oportet suum opus alijs communicare? uidelicet agricolam unum uiris quatuor uictum præparare,& in quadruplo tempus & laborem in agricultura consumere,atq; illis communicare? an potius aliorum cura neglecta quartã sibi soli partem comparare, præparationẽ uidelicet alimentorum in quarta temporis parte? Reliquarũ autem partiũ temporis unam in construenda domo,aliam in uestitu,aliam in calceis conficiendis cõterere,neq; curiose alijs rem suam communicare,sed ipsum sibi sine alterius auxilio prouidere? Forte hoc modo ô Socrates,inquit Adimantus,facilius esset quàm illo. Minime per Iouem, inquam.absurdum enim.Nam te loquente considero, nasci nos quidem non admodum similes,sed differentes inuicem,singulosq; ad singula opera promptos natura produci.An non tibi uidetur? Mihi uero.Quid autem? ageret ne unus aliquis melius omnes simul artes,uel singuli singulas? Singuli singulas. Atqui & hoc manifestum esse existimo, quod si nobis in alio quodam negocio occupatis,opportunitas alicuius operis præterit, eiusdem perit & actio. Patet. Non enim quod faciendum est,facientis ocium expectare uult,sed necessitas cogit facientem,opus ipsum obseruata semper occasione prosequi. Necesse est. Ex his patet singula fieri & plura & melius,& facilius, quando singuli singula secundũ naturã occasione seruata ab alijs cessantes efficiunt. Sic est omnino. Pluribus igitur ô Adimante,opus est ciuibus q̃ quatuor,ad ea quæ diximus comparanda.Non enim agricola,ut uidetur,sibi aratrum conficiet si commodum operi futurum est,neq; ligones & rastros,neq; alia instrumenta quibus agricultura indiget:neq; rursus ædificator.Multis enim & huic opus est.Idemq; de textore & coriario dicendũ erit.

Idem. Fabri igitur lignarij & ferrarij,alijq; huiusmodi plures artifices,nostri in eo oppido conciues facti frequentius ipsum efficiẽt. Vera loqueris. Sed nondum satis amplum hoc esset,nisi ipsis bubulcos, & opiliones,& pastores alios adderemus, ut & agricolæ ad arandum boues haberent,& architecti iumentis ad conuectandũ materiem uterentur,textores autem & coriarij pellibus ac lanis. Haud sane parua esset ciuitas, quæ omnia hæc haberet. Atqui constituere ciuitatem in eo loco in quo aduectionibus non indigeat,fermè impossibile est. Impossibile certe. Indigebit igitur & alijs qui ex alia urbe importent,quibus & hæc indigeat. Indigebit. Vanus aũt esset minister nihil ad ducens earũ rerũ,quibus indigent hi à quibus affert ea quorũ sua ciuitas indiget. Vacuus enim rediret.Nónne? Videtur. Oportet igitur non solum ea confici quæ illi ciuitati sufficiãt,sed qualia & quot ijs quibus illa indiget. Oportet sane. Pluribus igitur agricolis & alijs artificibus nobis opus est in ciuitate. Pluribus certe. Et alijs insuper ministris qui & importent & exportent singula.Isti autem mercatores sunt. An non?

Sunt. Mercatoribus igitur indigebimus. Certe. Et siquidem maritima mercatura erit,multis etiã opus erit,qui maritimæ mercaturæ periti sint. Multis plane. Quid autem in ipsa ciuitate? quomodo inter se impertient ea quæ singuli operantur? Cuius impertionis gratia,communicationem induximus,ciuitatemq; cõstruximus. Patet quòd emendo & uendendo. Forum itaq; nobis & nummus in commercijs ex hoc permutationis gratia instituetur? Omnino. Num igitur ferens in forũ agricola aliquid ex his quæ facit,uel aliquis alius artifex,si nõ in eodem tempore ueniant quo & illi quibus cum est hæc permutaturus,cessabit ab opere,in foro consistens? Nullo modo. Sed sunt qui cum hoc animaduertant,seipsos ad hoc ministerium præparẽt. In ciuitatibus enim rectè institutis id agũt homines quidam imbecilles corpore,& ad aliud opus inutiles, qui illic constituti circa forum partim quidem argento commutant cum his qui aliquid uendituri sunt,partim res dant pro argento his qui empturi. Hæc ergo necessitas nobis cauponum genus in orbe procreat.An nõ caupones eos uocamus,qui se in foro ad uenditionẽ emptionemq; constituunt? Qui uero ad alienas urbes migrant,mercatores? Proculdubio. Sunt & alij præterea ut arbitror,ministri,qui cum huic societati parũ animi uiribus conferre possint,robur corporis sufficiens ad labores habent. Isti ergo roboris usum uendentes,quia ipsum præmiũ mercedem appellant,mercenarij nuncupantur.Nónne ita?

Ita prorsus. Complementum itaq; ciuitatis & mercenarij sunt. Videtur. Nunquid ô Adimante,ita iam à nobis adaucta est ciuitas,ut sit perfecta? Forte. Vbinã in ipsa iustitia erit & iniustitia,& cui simul innata atq; insita ex his rebus quas tractauimus?

Equidem

Equidem,ô Socrates,neſcio,niſi forte conſiſtat in mutuo quodam uſu eorum quæ diximus. Forſitan bene dicis:conſiderandum tamen,neq; deſiſtendum. Et primum quidem intueamur qua ratione uictu utentur,qui ita inſtituti ſunt ciues. An non cibos parabunt,& uinum,& ueſtes,& calceamenta,& domos? Æſtate quidem ut plurimũ,ſine ueſte,& ſine calceis erunt: Hyeme autem ueſtibus & calceis ſufficienter ornati. Nutrientur autem ex hordeo & frumento farinam conficientes,& partim quidem pinſendo,partim congerendo,placentas egregias panesq; ſuper calamis aut puris frondibus imponentes,in lectisq; ex herbis ſmilace atq; myrto factis,diſcumbentes comeſſabuntur ipſi & eorum filij,uini pocula ſumentes coronati,& deos laudantes,iucunde ſimul uiuent, nec ultra cenſum filios generabunt, cauentes & paupertatem & bellum. Ei Glauco reſpondens:Sine obſonio,ut uidetur,inquit,conuiuas feciſti. Verum dicis, inquam: Oblitus enim hoc eram, quod quidem habituri eſſent obſonium, ſal uidelicet & oleas & caſeum & porrum. præterea holera quaſi agrorum pulmenta ſuſcipiẽt. Et bellaria ipſis addemus, ficuum,cicerum,& fabarum,& baccas myrti,& phaginas glandes prunis torrebunt,modeſte bibentes. Sicq; quiete & ſalubriter uiuentes ad ſenectutem uſq;,aliam eiuſmodi uitam poſteris ſuis relinquent. Si ſuibus,ô Socrates, ciuitatem inſtituiſſes, quænam alia ipſis cibaria præparaſſes? Quid ergo agendum,ô Glauco? Quod multi ſolẽt,inquit, ſuper thoris diſcumbendũ,niſi miſere uelimus uiuere,epulisq; ex menſa ueſcendum,obſonijsq; & bellarijs quibus his temporibus utuntur. Eſto Glauco, inquam ego. Intelligo:non enim urbem,ut uidetur,conſideramus ſolum quomodo fiat, ſed delicatã urbem. Forte igitur nõ male ſe habebit. Hanc enim intuentes, forſitan deprehendimus ubinam iuſtitia & iniuſtitia ciuitatibus innaſcantur. Vera utiq; mihi ciuitas eſſe uidetur quam diximus,tanquam ſana. uerum ſi uultis,ciuitatẽ quoq; turgidam conſideremus. Nihil enim prohibet. profecto hæc,ut uidetur,quibuſdam nequaquam ſufficient,atq; hic uictus non placebit,ſed & thori addentur & menſæ,& alij apparatus,& uaſa & obſonia,unguentaq; & ſuffitus,ſcorta,aromata,condimenta,oblectamentaq;,& hæc omnia profuſe. Neq; ſolum ea quæ ſuprà retulimus,neceſſaria ponenda ſunt,domus, ueſtes & calcei,ſed addenda rurſus pictura, & uarietatis artificia, aurum & ebur,cæteraq; eiuſdem generis omnia. nónne? Omnino,inquit. Nónne igitur maiorem ciuitatem oportet conſtitui? illa enim ſana nõ amplius ſufficiens eſt,ſed mole quadam & multitudine replenda eſt, eorum qui non amplius neceſſitatis cauſa in ciuitatibus ſunt: quales ſunt uenatores omnes,& mimi,imitatoresq; partim circa figuras atq; colores,partim circa muſicam,poetę ſcilicet, eorumq; miniſtri rhapſodi,recitatoresq; carminum,actores,cantores, ſaltatores, redemptores,& apparatuum inſtrumentorumq; uariorum artifices tum aliarum rerum, tum earum quæ ad muliebrem ornatum pertinent. Quinetiam miniſtris pluribus indigebimus. An nõ opus eſſe tibi uidetur,pædagogis,nutricibus,educatoribus,tonſoribus, cæterisq; ornandi miniſtris? His præterea qui obſonia & culinam parent, præterea & ſubulcis egebimus. hæc enim nobis in priori ciuitate non erant. non enim erat opus. In hac autem & hac, & alijs eſcis compluribus ex animalium carnibus indigebimus. an non? Quid ni?

An nõ & medicis indigebimus multo magis ita uiuẽtes,q; ut antea dicebamus? Valde quidem. Atqui & regio quæ tunc eos homines ſufficiẽter alebat,parua erit. an quo modo dicimus? Eſt ut dicis. Nónne igitur de finitimorũ regione nobis aliquid uſurpabimus,ut ſatis agri habeamus ad paſcendum atq; arandum,& finitimi quoq; de noſtra ſi & alij ad cumulum diuitiarum ſe conferent infinitum, neceſſitatis terminos excedentes? Longe neceſſe erit ô Socrates. Pugnabimus ergo, uel quid agemus? Pugnabimus. Atq; nondũ dicimus,quid aut mali aut boni bellum afferat:ſed ſolum hoc,q; originem bellorum inuenimus:ex quibus cum eueniunt,& publice,& priuatim magnę urbem calamitates inuadunt. Sic prorſus accidit. Igitur & maiore ciuitate opus eſt ad exercitum maximum comparandũ,qui ob ea quæ dicta ſunt,incurrentibus hoſtibus obuius ſit. Nónne ad pugnandũ iſti ſufficiunt quos narrauimus? Non, ſiquidem tu atque nos omnes recte ſuperiora conceſſimus,cum urbem conſtituentes, in hoc conuenimus,impoſſibile eſſe unũ plures artes bene exercere. Vera loqueris. Certamen belli cum non artificioſa facultas eſt? Eſt,& maxime quidem. Nunquid igitur de coriaria magis q; de bellica eſt curandum? Minime. Prohibuimus autem ne coriarius opera

ſimul

ſimul aggrederetur agricolæ,uel textoris,uel architecti,& in ſua dũtaxat arte uerſari præcepimus,ut opus ipſius q̃ optime nobis conficeretur: ſingulisq́ alijs ſingula pro cuiuſq́ ingenio tribuimus,ut quiſq́ id unum ad quod natura ducit,aggrediatur,ociumq́ à cæteris agens, & temporis opportunitate ſeruata, optime illud efficiat. An uero parum quid intereſt,utrum bellica recte peragantur,necne? An fortè uſqueadeo facile hoc ſtudium, ut poſſit quis bellicoſus ſimul uir eſſe & agricola,uel coriarius,uel aliquis alius artifex? luſor autem talorum uel alearum,nullus quidem idoneus eſſet,ni à pueritia ſtudium illi arti adhibuiſſet,ſedulusq́ incubuiſſet? Et ſcutum quidem accipiens,uel alia quædã militaria arma & inſtrumenta uno die idoneus miles erit in quouis certandi genere, aliorũ aũt inſtrumentorum nullum aliquẽ artificem faciet uel athletam, neq́ utile erit illi qui in eo ſtudio penitus non fuerit,& ſufficienter exercitatus. Precioſa admodũ inſtrumenta eſſent. Nónne quãto maius cuſtodiæ opus eſt,tanto maiori ocio indigebit,arteq́ & exercitatione maiori? Ita exiſtimo. Nónne & natura ad ſtudium ipſum idonea? Quid ni? Noſtrum igitur erit officium,ut uidetur, quoad fieri poſſit deligere, quæ & quales naturæ ſint ad urbem cuſtodiendã idoneæ. Noſtrum plane. Per louem, non humile negocium ſumpſimus:non tamen eſt formidandũ,quatenus uires ſuppetunt. Non certe. Exiſtimas ne differre naturam generoſi canis,& generoſi adoleſcẽtis ad cuſtodiam agendam? Quorſum hæc? Vtrumq́ ipſorum ſagacem oportet eſſe ad ſentiendũ, & uelocem deinde ad inſequendum,ac demum robuſtum,cum aſſecutus fuerit, ad pugnandum capiendumq́. Opus certe eſt omnibus iſtis. Atqui audax & fortis ſit oportet, ſiquidem bene pugnaturus ſit. Quid ni? An uero fortis erit & audax qui iracundus non ſit,ſiue equus,ſiue canis,ſeu quoduis animal? An non animaduertiſti inexpugnabilem inuictamq́ eſſe iram? qua præſente anima omnis intrepida ad omnia eſt & inuicta?

Animaduerti. Manifeſtũ eſt qualem corpore cuſtodem eſſe oportet. Manifeſtum. Quinetiam qualem & anima,ſcilicet iracundũ. Et hoc. Quomodo ergo ô Glauco aſperi non erunt aduerſus ſe inuicem ciuesq́ alios,cum tali natura præditi ſint. Haud facile iſtud per louem. Veruntamen oportet erga ſuos manſuetos: aduerſus autem hoſtes,immites eſſe:alioquin haud expectabũt donec ipſos alij perdant,ſed ipſi ſeipſos perdent. Sic accidet. Quid igitur faciemus? Vbinam manſuetũ ſimul & iracũdum ingenium reperiemus? Contraria namq́ iracundæ natura mitis apparet. Verum qui alterutro horum carebit,cuſtos bonus nõ erit. Hæc autem in unum congredi non poſſe uidentur. Atq́ ita ſequitur,ut bonus cuſtos inueniri non poſſit. Videtur ut dicis. Et ego hæſitans,mecumq́ ipſe animo ſuperiora reuoluens,merito,inquam, dubitamus amice. Nam ab ea quam ſuprà induximus cõparatione digreſſi ſumus. Quo pacto id ais? An non inuenimus tales quaſdam eſſe naturas,quales minime putaueramus,habentes hæc ſimul in ſe contraria? Vbinam? In alijs animalibus hoc utiq́ uidere licet,& non minime in eo cuſtode,cum quo noſtrum cuſtodem comparabimus. noſti enim generoſi canis hunc à natura morem eſſe,ut aduerſus familiares & notos mitiſſimus ſit, contrà uero aduerſus ignotos. Noui certe. Ergo neq́ impoſſibile eſt,neq́ præter naturã quod quærimus, talem uidelicet eſſe cuſtodem. Sic apparet. An uidetur præterea tibi opus eſſe,ut qui futurus ſit cuſtos,ad ferocitatẽ illam addat ut natura philoſophus ſit? Quomodo iſtud ais? Non enim intelligo. Atqui & hoc in canibus intueri licet, quod quidem in beſtia dignum admiratione ſit. Quale iſtud? Quem enim ignotum uiderit,grauiter fert, & ſi nihil mali ab eo ſit perpeſſus. Noto autem blanditur,quamuis nihil boni ab eo ſuſcepe rit. An nondum hoc admiratus es? Haud ualde hucuſq́ animaduerti. quòd autem hoc facit,manifeſtum eſt. At enim uidetur hic naturæ ipſius effectus ingenuus,ac uere philoſophus. Qua ratione? Quoniam aſpectum nulla re alia amicum & inimicũ diſcernit,q̃ quod hunc quidem nouit,illum autem ignorat. Nónne igitur merito dicẽdum erit diſcendi cupidum,atq́ ſtudioſum, quòd cognitione & ignorantia diſcernit domeſticum ab extraneo? Erit. quid ni? Porrò diſcendi ſtudioſus & philoſophus idem. Idem.

Qualis debeat eſſe cuſtos

Cur igitur audacter non ponamus & in homine, ſiquidem aduerſus familiares & notos mitis futurus eſt,philoſophũ ipſum eſſe & diſcendi cupidum oportere? Ponamus.

Philoſophus igitur & iracundus, & uelox, & robuſtus natura erit, qui ciuitatis cuſtos optimus eſt futurus. Sic eſt omnino. Talis utiq́ cuſtos ſit. At quo pacto nutrientur à

uobis

uobis,erudienturq; custodes? Atq; hæc consideratio nunquid uobis conferet ad id cuius gratia consideramus omnia,comperiendũ,quomodo scilicet in ciuitate iustitia insit & in iustitia? Id certe cogitandũ est,ne fortè uel necessaria dimittamus, uel superuacua prosequamur. Reor equidem,inquit Glauconis frater,disceptationem hanc summopere ad id quod nobis propositũ est,conducere. Ita & ipse per louem,ô amice Adimante, existimo.Non igitur desistendum, neque etiam si hæc longiora essent. Non certe, inquit.

Age itaq; quemadmodũ in fabulis otium agentes cõtabulantesq;,oratione hos homines instruamus. Nempe sic decet. Quæ igitur erit disciplina? Num difficile erit inuenire meliorem illa quæ hactenus longo tẽpore est inuenta? est autem hæc ad corpus quidem pertinens gymnastica,ad animum musica. Est planè. An non à musica eruditio hæc prius q̃ à gymnastica,incipere debet? Certe. Cum musicã dicis,sermones etiam ponis nec ne? Pono. Orationis autem species duæ, uera & falsa. Ita est. Eruiendus utiq; in utraq; custos futurus,priusq; in falsa. Haud intelligo quid dicas. Nescis q̃ pueris fabulas prius narramus? hæc autem,ut simpliciter dicam, falsa sunt, licet quædam etiam ueridica iudicentur.prius autem fabulis ad pueros q̃ gymnasijs utimur. Est ut dicis. Hoc ergo uolebam,cum dicerem attingẽdam esse prius musicam q̃ gymnasticam.

Principium in unaquaque re maximum

Probe. An nescis in unaquaq; re maximum quid principiũ esse? præsertim iuueni & tenero cuiq;.Maxime enim tunc formaꝫ induiturq; figura quam quis unicuiq; imprimere uelit. Omnino quidem. An adeo facile permittemus quaslibet fabulas à quibuscunq; formatos audire pueros,animisq; imbibere opiniones ut plurimum cõtrarias illis, quas cum adoleuerint, habere illos debere existimamus? Nullo modo id permittemus.

Primum igitur,ut uidetur,fabularum fictoribus pręficiendi sunt,qui siquam bonam fabulam fecerint,eligant,reliquas autem abijciant. Quas denicq; elegerimus, per nutrices, & matres pueris narrandas curabimus,ut ipsorum animi fabulis multo magis informentur q̃ corpora manibus.Ex his uero quas nunc recẽsent,multæ erunt abijciendæ. Quales,inquit? In maioribus,inquã ego,planè minores uidebimus:Oportet enim eandem figuram esse,eandemq; potentiam, & maiorum pariter & minorum. An non censes?

Censeo equidem. Verum quas maiores appelles,nequaq; intelligo. Quas Hesiodus & Homerus reliquiq; poetæ scripserunt.hi nanq; hominibus falsas fabulas effinxere,quę quotidie circũferuntur. Quas fabulas dicis? quid ue in ipsis damnas? Quod & primo & maxime damnari oportet,præsertim cum aliquis non bene mentitur. Quid istud?

Quando quis uerbis male fingit quales dij & heroes sint, instar pictoris nulla ex parte similia figurantis ad ea quæ imitari conatur. Atqui talia merito uituperantur. Verũ quo modo dicimus? & quæ apud eos talia reperimus? Primũ quidem & maximũ,& de maximis rebus mendacium,quod non probe mentitus est Hesiodus,quando gesta illa à Cælio fingit,additq; quemadmodum Saturnus eum puniuit, quæ ue egit Saturnus recẽset, & quæ à filio perpessus est. Quę quidem & si uera essent,non tamen putarem tam aperte ad homines mentis inopes adolescentesq; proferenda,sed tacenda potius. Si nautem necessitas adesset loquendi,in arcanis audienda paucis non porcum sacrificantibus,sed pretiosam quandam raramq; uictimam,ut q̃ paucissimos audire contingat. Profecto duri sunt hi sermones. Neq; dicendi ô Adimante, in ciuitate nostra. Neq; dicendum iuueni audiẽti,quòd qui iniquissima facinora perpetrat,nihil mirum cõmittat:aut qui peccãtem patrem supplicio afficit,non multum præuaricetur,imò faciat quod primi maximiq; deorum fecerunt. Non per Iouem.Nam neq; mihi quidem digna hæc uidentur quæ dicantur. Neq; omnino quòd cum dijs dij bellum gerant, insidientur, & pugnent. Neq; enim uera:siquidem oportet futuros apud nos ciuitatis custodes turpe putare inter se inuicem diffidere.Quare nec ullo pacto narrandum illis gigantũ bellum,prælia ue permulta deorũ & heroum cognatis suis proximisq; indicta: sed siquo pacto persuasuri sumus, nullum unquam ciuem ciui aduersatũ esse,neq; esse hoc sanctum,talia quędam potius et pueris statim,& adolescentibus à senioribus aniculisq; narrãda sunt,cogendiq; poetæ ut ad hæc fabulas suas dirigant. Vincula autem Iunoni à filio iniecta,& Vulcanũ cœlo à patre proiectum,cum ille matri uerberatæ subuenire uellet,aut deorum pugnas quotcunq; Homerus scripsit,minime in ciuitate recipere debemus,siue per allegoriã dicta hæc sint, siue sine allegoria.non enim adolescẽs hæc dignoscere potest,sed quæ in ea ætate opinio

nibus accipiuntur, altius inhærere, difficillimeq; eradicari consueuerunt. Quorum fortè gratia danda omnino est opera, ut hæ fabellæ quas primas audiēt, optime institutæ ad uirtutem sint. Non est procul à ratione quod dicis. Verum si quis interroget hæ quæ sint & cuiusmodi fabulæ, quidnam dicemus? O Adimante, poetæ quidem nos in præsentia, neq; ego, neq; tu sumus, sed ciuitatis institutores: hos autem nosse oportet figuras, in quibus fingere poetæ fabulas debeant: quas si excesserint, fabulæ huiusmodi admittendæ non sunt. Neq; tantum ad ciuitatis institutores pertinet fabulas fingere. Recte loqueris. sed hoc mihi declara, quales istæ circa theologiam figuræ? Tales quædam, qualis ipse deus est, talis semper est describendus, siue carminibus describat, siue cantibus, siue etiam tragœdia. Ita decet. Nónne bonus & ipse deus est, & ita dicendum? Proculdubio. Atqui nullum bonum noxium est. Nullum, ut arbitror. Quod innoxiū est, nunquid nocet? Nequaquam. Quod nō nocet, nunquid malum facit? Neq; istud quidem.

Quod autem nihil mali facit, nullius mali est causa. Nullius. Item nónne conducibile bonum est? Prorsus. Ergo bene feliciterq; agendi causa est. Est. Non igitur omnium causa bonum est, sed eorū quæ bene se habent causa: eorum uero quæ male, nequaquam. Sic est omnino. Non igitur deus, quum bonus sit, omnium causa est, ut multi dicunt, sed paucorum quidem hominibus in causa est, multorū uero extra causam. Multo enim pauciora nobis sunt bona q̄ mala. Et bonorum quidem solus deus causa est dicendus. Malorū autem quamlibet aliam præter deum causam quærere decet. Verissima loqui mihi uideris. Neq; Homeri igitur, neq; alterius poetæ accipiendum est peccatum, stulte de dijs dicentis, in Iouis limine duo iacere dolia plena sortibus, bonis unū, malis alterū. Cumq; ex his Iupiter inuicem cōmixtis impertit alicui, aliâs huic bene, aliâs male est. Cui uero ex altero datur, hunc uesana fames super terras exagitat. Neq; uero admittendum est Iouem nobis penuarium esse bonorū atq; malorum. Confusionem uero iuramentorum inducarumq; à Pandaro factam, siquis per Iouem & Mineruam factam fuisse dixerit, nequaquam laudabimus, neq; deorum controuersiam dissensionemq;, & iudicium per Themim atq; Iouem. Neq; quod dicit Aeschylus, adolescentes audiant, deum mortalibus causam præbere quando uult funditus domum subuertere. Verū si quis iambica inducat, in quibus passiones Niobes referātur, uel Pelopidarū, uel Troianorum, aut aliquid huiusmodi, uel sinendum nō est eum dicere hęc dei esse opera: uel si dei sunt, educenda est in his ea quam nunc quærimus ratio, dicēdumq; deum quidem bona iustaq; egisse, atq; eos puniendo iuuisse. Quod uero miseri sint qui pœnas pendunt, sitq; deus qui sic affligit, poetam dicere non est permittendū. Sed si diceret malos homines, utpote miseros, pœnis egere, easq; soluentes à deo iuuari, permittendū. Malorum autem alicui causam esse ipsum deum quum bonus sit, refellendum est omnino, neq; permittendum hoc quenquam dicere in sua ciuitate, si bonis institui legibus ciuitas debet, neq; insuper quenquam audire, siue sit ille iunior, siue senior, siue carminibus hæc inferantur, siue soluta oratione narrentur, tanquam quæ neq; dictu sancta sint, neq; nobis utilia, neq; inter se consona. Consuffragator tibi sum hac in lege ferenda. mihi nempe hæc placent. Hæc itaq; una sit lex atq; figura ex his quæ circa deos ferendæ sunt, in qua cogatur unusquisq; & dicere, & inducere deum non omnium causam, sed bonorum. Sufficit. Quid autē hæc secunda? Num existimas præstigiatorē esse deum, & tanq; ex insidijs aliàs alia sub specie apparere? & aliàs quidē in multas formas speciem suam mutantē, aliumq; effectum, aliàs autem nos decipientē, uanasq; de se nobis imagines offerentē? uel simplicem potius, minimeq; omnium sua ex specie discedentē? Nescio quid in præsentia de his dicam. Quid autem hoc? Nónne necesse est siquid à specie sua discedat, uel ipsum à se mutari, uel ab alio? Necesse. Haudquaquam ab alio quæ optime se habent, mutantur atq; uertuntur, quemadmodū corpus à cibis, & poculis, & laboribus, & plantaria omnia ab æstu tempestatibusq; uentorum, & huiusmodi passionibus: ubi quod integerrimū est & robustissimum minime permutatur. Ita certe. Nónne animum quoq; fortissimum, & sapientissimum externa perturbatio minime permutaret? Sanè. Quinetiam composita omnia uasa, ædificia, uestimenta eadem ratione bene constructa, ac bene se habentia, minime uel tempore, uel passionibus alijs immutant. Est ut dicis. Quicquid igitur bene se habet, uel natura, uel arte, uel utriq;, minimum permutationē ab alio suscipit. Videtur.

Deum causam esse boni, non mali

At ue-

At uero deus ipſe,& quæ dei ſunt, omni ex parte quàm optime ſeſe habent. Quid ni? Hac igitur ratione minime formas plures deus ſuſciperet. Minime. Nunquid autẽ ſe in ſe uerteret mutaretq; deus? Manifeſtum hoc eſt,ſiquidẽ mutaretur. Vtrum igit̃ in melius,& pulchrius,uel in peius ac turpius? Neceſſe eſt in peius, ſi modo mutatur. Non enim indigũ pulchritudinis & uirtutis eſſe deum dicimus. Recte nimium loqueris. Verum cum hæc ita ſe habeant,credis ne tu ſua ſponte aliquem,ſiue deum, ſiue hominẽ, deteriorem ſe facere? Impoſsibile certe iſtud. Impoſsibile igitur deũ mutare ſe uelle. Sed ut uidetur,pulcherrimus optimusq; cum ſit deorum quiſq;, quoad fieri poteſt,omnes ſua in forma ſempiterna & ſimplici perſeuerant. Neceſſarium eſſe omnino hoc arbitror. Nullus igitur poetarum nobis ô uir optime dicat,deos hoſpitibus ſimiles uarijs in formis urbes adire. Neq; aliquis de Proteo,& Thetide ſimilima mentiatur. Neq; in tragœdijs,aut alijs poematis inducat Iunonem in ſacerdotis ſpeciem permutatam Inachi Argiui fluminis filijs uita donatis munera colligentem. cæteraq; talia nemo audeat fingere. Neq; matres uanis his fabulis pueros terreant,deos quoſdam nocte uagari peregrinis quibuſdam uarijs ſub formis perſimiles, ne ſimul & in deos male dicant, & ipſos pueros timidiores reddant. Nullo modo. At uero nũquid dij ipſi immutabiles ſunt, ſed quibuſdam præſtigijs nos decipientes uarias in formas mutari uidentur? Forſitan ita. Quid uero mentirine deus uult,aut uerbis,aut re falſam obiectans imaginem? Neſcio iſtud. An neſcis quod ipſum reuera mendacium, ſi modo dici id poteſt, omnes homines dijq; oderunt? Quid iſtud ais? Sic inquam. Nullus enim ſponte uult ipſo quodam ſui præcipuo præſtantiſsimoq;,& circa res præcipuas præſtantiſsimasq; mentiri, ſed ſummopere illud ibi mendacium timet. Neq; nunc etiam intelligo. Putas me magnum aliquid dicere. Ego autem dico quod ipſa anima circa res ipſas mentiri,& mentitum eſſe, & inſcitia falli,atq; in ea habere accepiſſeq; mendaciũ, nullus unquam eligeret. Mendacium quippe habere in animo ſummopere omnes oderunt. Summopere. Atqui recte quod modo dicebam,hoc reuera mendacium uocaretur,in animo mẽtientis inſcitia. Quoniam quod eſt in ſermone mendacium, imitatio quædam eſt paſsionis eius quæ eſt in animo,& poſterius procedens ſimulacrum,haud omnino purum mendacium. Nonne ita. Ita prorſus. Ipſum itaq; reuera mendaciũ non ſolum dijs,ſed hominibus etiam eſt odioſum. Mihi quidem uidetur. Quid autẽ ipſum in uerbis mendacium,quando nam,& cui adeo utile eſt, ut non ſit odio dignum? Nonne aduerſus hoſtes atq; eos qui uocantur amici,quando ob furorem atq; aliquam inſcitiam malum aliquod facinus aggrediuntur? Tunc porro auertendi gratia tanquam medicina quædam utile eſt: & in his quas modo dicebamus conſabulationibns, eo quod non cognoſcamus in quo antiquarum rerum conſiſtat ueritas,aſsimilantes ueritati mendaciũ. ita enim maxime id utile facimus. Sic eſt prorſus. Secundum ergo quid iſtorũ,mendacium eſt utile deo? An quia non cognoſcat uetera,ſub ueritatis imagine mentiatur? Ridiculum iſtud quidẽ. Poeta igitur mendax in deo non eſt. Non mihi uidetur. Nunquid metu hoſtium mentitur? Longe abeſt. An propter familiarium dementiam atq; inſaniam? At nullus ſtultorum & inſanorum, deo amicus eſt. Non igitur eſt cur deus mentiatur? Non.

Ergo omnino ſine mẽdacio eſt deorum dæmonumq; natura. Omnino. Quare & ſimplex omnino deus, & uerax dictis ac factis, neq; mutatur ipſe, neque alios decipit, neq; per uiſiones,neq; per ſermones, neq; per ſigna, neq; nobis dormientibus, neq; uigilantibus. Ita quoq; mihi de hoc te dicente uidetur. Concedis ergo hanc ſecundam eſſe figuram,in qua oportet de dijs ita dicere,& audire,tanquam qui neq; præſtigiatores ſint,neq; ſe mutent, neq; mendacijs nos, aut dictis, aut factis ſeducant? Concedo.

Multa igitur ab Homero dicta laudantes,ſomnium ab Ioue Agamẽnoni miſſum nequaquam laudabimus. Neq; Aeſchylum, cum Thetidem inducit dicentem,quod Apollo filium eius interemit: qui tamen in eius nuptijs diſcumbens cecinerat, bonã Thetidis ſtirpem fore longæuam, morbisq; intactam. Cecinit quippe multa Apollo, inquit, fortunasq; meas Deo amicas fore prædixit, & lætitia me laudationibus ſuis affecit. Atq; ego os Phœbi ſperabam diuinum, ueridicum, fatidicumq; eſſe. Ipſe uero idem qui laudabat, in menſa & ipſe diſcumbens, ipſe hæc fatus, ipſe idem mihi filium interfecit. Talia quædam quotiens de dijs dicentur,protinus reclamabimus exſibilabimusq;, neq; permitte-

mus ut ludorum magistri ad iuuentutis disciplinam istis utantur, si custodes apud nos pij atq; diuini quoad homini possibile est, futuri sunt. Accipio equidem hanc formam proq; legibus ubiq; utar.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI IN DIALOGVM Tertium, de Iusto.

DIALOGVS *tertius custodum educationem in secundo inchoatã prosequitur. Atq; sicut in secundo prohibuit eos audire falsa turpiaq; de dijs, ita hic uetat tragica audire de inferis, quæ reddere illos possint timidiores. Item & comica, quæ effusiorem concitant risum. Tam enim mollis euadit qui quotidie in lachrymas risu profusiore resoluitur, quàm qui dolore lachrymare cõpellitur. Quoniã uero non solum procul à timiditate custodes arcendi sunt, uerum etiã ab intemperantia & auaritia, atq; iniustitia, ideo rursus audiri uetat carmina poetarum, quibus uel deorum, uel heroum magnorumq; uirorũ libidines, rapinæ, iniquitatesq; fingũtur. Hæc autẽ educatio militaris omnibus fere ciuibus est æque cõmunis. Inter hæc quæ de mendacio dicit attende. Mendaciũ ciuitatis calamitas est, uidelicet quãdo priuati inter se mentiuntur, maxime uero si magistratibus mentiantur. Perinde ac si ægroti medico, uel nautæ mẽtiantur gubernatori. Licet autẽ gubernatoribus interdum uti mendacio salutis publicæ gratia, & priuato quandoq; erga priuatum, solũ gratia mali cuiusdam grauissimi deuitandi. Licet & confabulari moderate de rebus antiquis quarũ ueritas ignoratur, et quasi per imagines quasdam res illas quarũ certam formam uix habemus, effingere. Proinde oratione in species tres distinguit. Aut enim simplex narratio est, aut imitatio simplex, aut ex utrisq; permixta. Omnem uero sermonẽ reprobat, qui uilissima quæq; refert absq; delectu, & agit hominem perturbatũ. Quisquis enim diu studiose aliquid imitatur, in eius transit naturam. Quocirca poetam perturbatos animos acrius imitantẽ, tanquàm iuuentuti noxium iubet uel mutato stylo constantẽ habitum imitari, uel ex urbe procul abire. Dicit quoque eũ qui plura, uel imitando, uel faciendo pertractat, in singulis tandẽ ita deficere, ut in nullo euadat egregius. Pergit uero deinceps ex prima musica, id est poesi, ad sequentem, eamq; in tres distribuit species, Orationem, harmoniam, atq; rhythmũ. Principio Phthongum musici uocem uocant harmonicam, id est consonantiæ aptam, quæ neq; adeo grauis sit ut nequeat ab eodem cantore grauior fieri, neq; tam acuta ut edi nõ possit acutior. Harmoniam deinde ex Phthongis constituit, congruam uidelicet mẽsuram in excessu atq; defectu grauium uocũ, & acutarũ, atq; mediarum. Sunt hic uoces quatuor, grauis atq; acuta, & surgens in acutã, & declinans ad grauẽ. Item primo proportiones quatuor, dupla inter duo atq; unum. Sesquialtera inter tria atque duo. Sesquitertia inter quatuor atque tria. Sesquioctaua inter nouem atq; octo. Proportionem duplam sequitur cõsonantia uocis octauæ: Sesquialteram, quintæ: Sesquitertiam, quartæ: Sesquioctauam deniq; tonus. Sed de his alibi diligentius. Accedit tertio loco rhythmus, id est ordo quidam motionis, & temporis, ut ex secundo Legum percipitur. Postquã enim uoces harmonicæ quadam excessus defectusq; mensura per intensionem remissionemq; conciliasti, opus est rhythmo, per quẽ uocum acutarum, grauium, mediarũ motus ac tempora metiaris, & in singulis, & inter singulas. Motus dico blãdiores, seueriores, & medios. Tempora dico, longiora, breuiora, æqualia, per accentus longos breuesq; & medios. In his nota basem uocabulum esse diuersum: nam ut res exigit significat, fundamentum, sedem, pondus, progressumq; et terminum. Præter hæc considerandæ sunt nouem consonantiæ, & dissonantiæ cõmunissimæ gradus. Primus in ratione, id est opinio cum ipsa rei ueritate consentiens. Cuius contraria est opinio falsa à ueritate dissentiens. Secundus in imaginatione. Cuius consonantia est consecutio rationis: Dissonantia uero prosecutio externorum. Tertius in affectu, uel temperanter rationẽ sequente, uel imaginationem intẽperanter. Quartus in sermone decoro, uel indecoro, quatenus uel rectam rationem, uel imaginationem tumultuariam sequitur. Quintus in cantu. Cuius consonantia est, decorum imitari sermonem, dissonantia indecorũ. Sextus in somo cantum aliter uel aliter imitante. Septimus in saltu concinno, uel inconcinno ad choream pertinente. Octauus in quadam membrorum corporisq; totius cõpositione, tam spectaculo grata, quàm exercitio gymnastico prompta. Nonus in artificiosis cuiuslibet artis operibus, musica quadam proportione cõpositis. Hi nouem gradus Musas tibi referant nouẽ. Memento uero optimam ominum harmoniam esse animi temperantiam. Quam & sequentes cæteræ imitantur, & uicissim cum frequẽtantur, augent. Quapropter iubet eas duntaxat consonantias exerceri, audiri, spectari, quæ habitũ mentis constãtem referant, non superbia elatum, non iracundia efferatum, non uoluptate mollitum atq; resolutum, non fractum dolore, non misericordia, uel indigentia querulum. Probat ergo concentum grauem atq; constantem, improbat autem extremos, id est concitum atq; mollem: damnat quoq; multiplicem, laudat præ cæteris simplicem. Plurimum uero in animum posse iudicat harmoniam. Siquidem harmonia quædam diuina sit animus, cœlestiq; harmoniæ aliquando, ut Platonice dixerim, assuetus. Rursus harmonia quadam consistit corpus, conflatur & spiritus. Præterea consonantia uocum aerea aereum spiritum motu penetrans, affectumq; canentis & animum secum transferens, audientis affectum mouet affectu, & animum afficit animo, sensimq; mores infundit. In omnibus animaduerte quàm*

non

non ciuili solum, sed etiam religiosa admodum obseruantia Plato suam erudiat ciuitatem, semperq; quod & præcipit in Politico, temperantiam cum fortitudine misceat. Deniq; quàm turpem, quàm dissonantem esse censeat uenereamuoluptatem, ideoq; ab amore legitimo procul eam segreget, pulchra semper & consona solum desiderante. Plurima uero de Musica tractat atq; gymnastica. maximi enim momenti erant: omnes enim his incumbebant, debentq; incumbere. Illa enim animum spiritumq;, hæc corpus animi gratia mirifice firmat atq; componit. Addit, nõ ex corpore bono bonum animum, sed ex animo bono corpus fieri bonum. Subiungit simplicem musicam animi uitumq; simplicẽ corporis sanitati prodesse, multiplicem uero utrisq; nocere, hominesq; dum sobrij uiuerent, nõ indiguisse medicorum auxilio physicorum. Damnat superstitiosas corporis obseruationes circa uictũ, atq; medelas. Signumq; præcipuum ciuitatis male institutæ dicit esse, si diligenti medicorum iudicumq; indigeat opera. Describit medici iudicisq; officium, & iudicem eligit ingenio bonum, prudentẽ, senem, multos homines & bonos & malos expertum. Asserit prauitatem quasi priuationem quandam, neq; se neq; uirtutẽ cognoscere. Virtutem uero quasi habitum, per se solam cognoscere se, per se quoq; addito rerũ usu de uitijs iudicare. Meminisse uero semper oportet, Platonem non solum hic, sed etiam in Legibus, & Politico, & Protagora confirmare nihil magis necessarium esse omni quidem uiro, præcipue uero ciuili atq; philosophico, quàm copulam ex fortitudine pariter temperãtiaq; conflatam: ut per illam alta petantur, per hanc nõ spernãtur humilia. & utrinque nihil unquam nimis, aut audeas, aut metuas. Per illam rursus priuatas publicasq; propulses iniurias, per hanc abstineas ab iniuria. Per illam ad honesta uoceris, per hanc cohibearis à turpibus. Quo fit, ut gymnasticam simul & musicam ad duo hæc denique referat, ut per illam fortitudo, non tam corporis quàm animi, per hanc temperantia cõparetur. Iubet autem ambo rite inuicem cõmisceri. Siquidem sola gymnastica parit ferocitatem, musica sola molliciem, ambo uero fortitudinẽ atq; temperantiam. Ex eorũ denique numero qui sic educati sunt, eligit & custodes, id est magistratus, & defensores, id est milites. Ad magistratũ uero assumi uult senes prudentes, fortes, publici amatores boni, atque in hoc ipso per experientiam comprobatos. Probari item præcipit iuuenes in medijs uoluptatibus, & doloribus, quo discernatur utrum temperati fortesq; sint, an contrà: atq; utrum sententiam boni publici conseruandi propter fallacias, aut minas, aut illecebras, sint aliquando facile mutaturi. Denique ingenia hominũ metallis similia esse dicit, & aptum quidem ad gubernandum auro, aptum uero ad militiam argento, ad opificium uero, et agriculturam ferro, & æri. Iubet singula ingenia ad illa quibus apta sunt conuerti: itaq; gubernatorum filios interdum pro ingenio ad uiliora, atq; uicissim inferiorum filios ad munera nobiliora similiter. Prohibet quoque milites proprium aliquid possidere, ne per auaritiam ex canibus conuertantur in lupos.

DIALOGVS TERTIVS DE RE PVBLICA VEL DE IVSTO.

HAEC igitur sunt, ut mihi uidetur, quæ de dijs audienda aut non audienda sint ab ipsa statim pueritia, his qui deos & parentes honoraturi sunt, communemq; amicitiam non paruifacturi. Existimo, inquit Adimantus, nobis sic recte uideri. Quid autem his qui fortes futuri sunt? nónne ea dicenda quæ ipsos mortẽ minime metuentes reddant? an putas aliquem fortem esse unquam, qui hanc timeat? Minime per louem, inquit. Sed & qui ea quæ de inferis dicuntur credat, & terribilia esse existimet, putas ne eum intrepidum ad mortem futurũ, in ipsaq; pugna mortẽ seruituti & captiuitati præpositurum? Nequaquam. Oportet itaq; nos, ut uidetur, præcepta dare etiam his qui de his rebus fabulantur, precariq; ne ita simpliciter quæ apud inferos sunt uituperent, sed magis laudent: tanquam neq; uera dicant, neq; utilia his qui pugnaces futuri sunt. Oportet sane. Delebimus igitur eiusmodi omnia, ab hoc uersu sumentes exordium. Mallem equidem in re rustica conseruo inopi seruire, quàm defunctis omnibus imperare. Et illud. Domus profecto mortalibus immortalibusq; horribilis, uasta, fœtensq; uideatur, quam etiam dij odio habent. & illud. O miseri nunquid nam apud inferos anima atq; imago? At uero mens adest nulla. & illud. Soli sapiunt: cæteri umbræ uolitant. Item. Anima soluta membris ad inferos uolat, suam deplorans calamitatem, cum & fortem & teneram ætatem reliquerit. Item, Anima sub terras ueluti fumus, eiulans abijt. Item, Quemadmodum noctuæ uasto sub antro ululantes uolant postquàm aliquæ de ordine ceciderunt ex petra in qua cohærebant, sic illæ simul stridentes ibant. Hæc utiq; & cætera talia, bona Homeri & reliquorum poetarum uenia abijciamus, non quia poetica non sint, & apud multos auditu iocunda, sed quoniam quanto magis poetica sunt, tanto minus audienda pueris atq; uiris quos liberos

Homeri carmina.

Quæ dicta à poetis de inferis, non sunt audiẽda pueris

ros fore oportet, ſeruitutem magis quàm mortem timentes. Sic eſt omnino. Nónne inſuper nomina quæ his impoſita ſunt horrenda terribiliaq; abijcienda ſunt? Cocytos inquam, & Styga, & inferos mortuos, aliaq; eiuſdem generis nomina. Terrent uehementer quippe omnes quicunq; audiunt, ac forte ad aliud quippiam conferunt. Nos autem cuſtodibus noſtris ab huiuſmodi nominibus ualde metuimus, ne ex hoc pauore molliores quàm decet reddantur. Et merito formidamus. Auferenda ſunt igitur. Auferenda.

Forma uero his cõtraria dicenda, & inducenda eſt. Videlicet. Ergo lamentationes cõmiſerationesq; magnorũ uirorum auferimus. Neceſſe eſt, ſi quidẽ ſuperiora ſublata ſint. Contemplare igitur, rectè ne an contra id faciamus. Dicimus'ne moderatum uirũ moderato uiro amico ſuo orbatũ non malũ quid illi mortẽ exiſtimaturum? Dicimus quidẽ. Non igitur in morte illius tanq; grauia paſſus lamentabitur. Non. Enimuero & hoc aſſerimus, hominẽ huiuſmodi ſe ipſo ad bene uiuendũ contentum eſſe, mini meq; omnium alio indigere. Vera narras. Minime igitur moleſte feret liberis, aut fratribus, aut diuitijs reliquiſq; huiuſmodi priuari. Minime certe. Itaq; neq; lamentabitur, ſed moderatiſſime feret, cũ in aliquam huiuſmodi ſorte inciderit. Certe. Merito igitur clarorũ uirorum ploratus è medio tolleremus, relinqueremus autem mulieribus, neq; his quidẽ inter mulieres aliquid egregium ſapiẽtibus, ac uiris inſuper duntaxat muliebribus, & ignauis, ut dedignentur apud nos illi quos ad regionis cuſtodiã educamus, ſimilia iſtis facere. Probe. Rurſus Homerum, & cæteros poetas orabimus, ne Achillem deæ filiũ nunc in latus cubantẽ faciat, nunc ſupinũ, nonnunq; etiam in faciẽ: aut exurgentẽ errare triſtitia affectũ in littore maris: aut utraq; manu ardentẽ puluerem capiẽtem in caput fundere: neq; alia eiulantem, & lamentantem, quot & qualia ipſe facit. Neq; Priamũ, qui iuxta deos fuit, ſupplicantem, & luto ſe prouoluentem, ſingulosq; nominatim clamantẽ. Multoq; magis Homerũ eundem orabimus, ne deos in hunc modũ plangentes inducat. Hei mihi miſeræ. Hei mihi q; infeliciter optimũ filium peperi. Quod ſi quos deos, ſaltem non deorũ maximum uſq; adeo diſſimili figura imitari audeat, ut eum ita inducat dicentẽ. Heu quàm charũ mihi uirũ circa urbẽ meis oculis profligatum cerno. Vnde mihi cor mœret. Atq; item. O me miſerũ, quandoquidem dilectiſſimum mihi omnium Sarpedonem fatum cogit à Patroclo Menetiade domari. Si enim ô amice Adimante ſtudioſe iuuenes hæc audirent, neq; ridicula putarent tanquam præter dignitatem dicta, nunquam cum ſe homines eſſe ſcirent, aut illa ſe indigna exiſtimarent, aut ſe cõtinerent, cum quid illis eiuſcemodi uel dicendum, uel faciendum in mentem ueniret. Quinimò ſine ullo uel pudore, uel tolerantia, in minimis etiam quibuſq; facturis in maximos ploratus eiulatusq; erumperent. Vera nimium loqueris. Neq; uero id decet, ut ratio nobis paulo ante dictabat: cui niſi quid melius interim nacti fuerimus, credendum eſt. Non decet profecto. Sed neq; in riſum nimium profuſos nos eſſe oportet. Nam effuſum riſum uehemens mutatio ſequitur. Ita mihi quoq; uidetur. Non igitur admittendum eſt quando quis ſummæ autoritatis uiros in riſum ſolutos inducit, & multo minus quando deos. Multo certe minus. Ergo neq; Homerum audiemus cũ dicit: Inextinguibilis riſus dijs concitatus eſt, dum Vulcanum per domum properantem uiderent, utpote qui claudus eſſet. Haud enim admittendum eſt hoc ſecundum tuum ſermonem. Si meum uis ſermonem hũc ponere, nequaq; admittere decet. Quinetiam pluris facienda ueritas eſt. Si enim recte pauloante dicebamus, dijs inutile eſt mendaciũ, hominibus autem pro medicamento eſt utile. quare publicis medicis concedendum, priuatis autem hominibus minime attingendum. Patet. Igitur rempublicam adminiſtrantibus præcipue ſi quibus alijs, mentiri licet, uel hoſtium, uel ciuium cauſa ad commũnem ciuitatis utilitatẽ. Reliquis autem à mendacio abſtinendum eſt. Sed aduerſus huiuſmodi principes priuatim mentiri, maius peccatum eſt quàm ægrotum mentiri erga medicum, uel ſe exercentem erga ludi magiſtrum circa ſui corporis uitia, uel erga nauis gubernatorem de naue & nautis minime uera dicere, quemadmodum uel ſua cuiq;, uel ſociorum ſeſe res habeat. Vera narras. Siquem ergo deprehenderis alium in ciuitate mentientem ex eorum genere qui artifices ſunt, uatem uidelicet, uel morborum medicum, uel lignarium fabrum, eum punito, tanquam rem quandam inferentem ex qua ciuitatis ipſius ueluti nauis ſubmerſio & pernicies ſequitur. Sic plane agendum: ſiquidem

ſermone

sermone opera peragunt. Quid præterea? nónne temperantia nostris adolescentibus opus erit? Absq; dubio. Temperantiæ aũt nónne hæc talia quo ad subditos maxima sunt, ut uidelicet obtemperent magistratibus: quo ad ipsos aũt principes, ut ad uenereorum, epularumq;, & cõpotationũ usum continentes sint? Mihi sane uidet. Hæc itaq; talia bene dicta asseuerabimus, qualia apud Homerum Diomedes ait. Eia age silẽtio cõfide, ac meis uerbis obtempera. & alia his similia. Ibant robur spirantes Achiui silentio duces timentes. Et alia quæcunq; in hanc sentẽtiam dicuntur. Probe. Quid aũt hæc? Vinolente, canis oculos habens, cor aũt cerui: & cætera quæ sequuntur, nunquid recte? & alia huiuscemodi ipsorum priuatorũ in superiores superbe dicta, siue quis soluta in oratione, siue poemate inserat, an recte dicuntur? Nequaq;. Non enim existimo ad iuuenum temperantiam hæc, ut audiantur, conferre: nihil autem mirum siquo modo delectent. Vel quomodo tibi uidetur? Ita. Quid aũt? uidetur'ne tibi idoneum esse hoc iuueni ad continentiam consequendam, si quando audierit uirum sapientissimũ apud poetam ita loquentem, Pulcherrimum omnium esse mihi uidetur, cum plenæ sunt mensæ dapibus carnibusq;, Vinum autem è cratere hauriens pincerna poculis infundit atq; circumfert? Vel illud, Miserrimum esse fame perire, & sortem subire aduersam? Siue cum dicitur, Iouem cæteris tum dijs, tum hominibus dormientibus omnium quæ uigilando tractauerat coitus cupiditate oblitum, & usqueadeo libidine & amore Iunonis perculsum esse, ut nec cubile ipsum ascendere sustinuerit, sed ibidem humi congredi statim uoluerit, dicens uehementiori se cupidine inflammari, quàm olim cum primum clàm parentibus inuicem congressi fuerunt? Siue cum narrat quemadmodũ Vulcanus Martem ac Venerem coeuntes reti comprehendit? Non per Iouem mihi uidetur idoneum. Verum si cubi modeste, & constanter uirorum excellentium facta uel dicta narrant, animaduertenda & audienda hæc sunt. Veluti cum dicitur, Pectus percutiens increpuit dicens, Perpetere ô cor, nam longe aliâs grauiora tulisti. Omnino sic est agẽdum. Neq; etiã muneribus corrumpi ipsos ciues permittendum est neq; auaros esse. Nullo pacto.

De utilitate temperãtiæ

De muneribus & corruptelis

Non ipsis igitur canendũ. Munera crede mihi placant hominesq; deosq;. Neq; laudandus Phœnix Achillis præceptor, quasi probe locutus fuerit, dum consuleret ipsi munera accipiẽti Achiuis auxilium ferre: non accipienti uero ab ira nequaquam recedere. Neque rursus Achillem ipsum dignum existimabimus, consentiemusq; adeo pecuniæ cupidum esse debere ut ab Agamemnone recipiat munera, atque ut Hectoris cadauer sine pretio reddere nolit. Certe talia laudare non decet, inquit. Vereor equidẽ, inquam ego, propter Homerum dicere. nempe nõ esse fas hæc de Achille asseruisse, alijs'ue asserentibus credere. Et eundem rursus aduersus Apollinem dixisse, Perdidisti me Apollo deorum pernicioſissime omnium, quem certe ulciscerer, si mihi potestas esset. Item ad fluuium deum quàm peruicaciter se habuerit, etiam pugnare paratus. Rursus alteri flumini Sperchio sacratis comis, Patroclo inquit heroi, mortuo iam, comam ferendam dabo. Nec credendum est hoc illum egisse. Tractus autem Hectoris circa Patrocli sepulchrum, & iugulatiões captiuorũ supra rogum, cunctaq; huiusmodi, neq; uera esse affirmabimus neq; sinemus nostris persuaderi, quòd Achilles deæ filius, & Pelei temperatissimi uiri, & ab Ioue tertij, à Chirone sapientissimo educatus, tanta perturbatione agitatus sit, ut duobus contrarijs morbis animi laborauerit, illiberalitate cum auaritia, atque item deorum hominumq; contemptu. Recte admodum loqueris. Rursus neq; hæc credamus, neque dici sinamus, Theseum Neptuni filium, & Pirithoum filiũ Iouis in rapinas adeo maximas irruisse, neq; alterius dei filium siue heroem ausum esse unquã tam grauia impiaq; patrare, qualia de his quotidiè mentiunt. Verũ poetas ipsos cogamus, uel negare horum hæc esse opera, uel nõ affirmare filios deorũ esse: ambo uero hæc simul nequaquam asserere, neq; operã dare, ut nostris iuuenibus persuadeãt, quod ex dijs mala aliqua oriantur quod'ue heroes hominibus nihilo meliores sint. Quoniam ut iam dictum est, neq; sancta hæc sunt, neq; uera. Ostendimus enim ex dijs mala aliqua prouenire non posse. Ostendimus planè. Quinetiã audiẽtibus hæc nocent. Omnes quippe prauitati suæ ignoscent, persuasi talia quædã facere fecisseq; & illos qui proxime ex deorũ genere nati sunt, de quibus illud dicitur: Dijs proxime nati, Ioui propinqui, quorũ circa idæum uerticem Iouis patrij ara extat in æthere, & neq; dum ipsis euanuit sanguis deorum. Quamobrem

fabulæ huiuſmodi recipiendæ non ſunt, ne facilem occaſionẽ ad nequitiã noſtris adoleſcentibus præbeant. Sic prorſus agendũ. Quæ deinceps reliqua nobis ſpecies eſt ſermonum, diſſerẽtibus quales cuiq; narrandi, uel non narrãdi ſint? De dijs em̃ quemadmodum loqui decet eſt dictum. Itemq́ de ipſis dæmonibus & heroibus, & his quæ ſunt apud inferos. Satis abunde. An eſſet fortaſſe reliquum, ut de hominibus diceremus?

Certe. Impoſſibile iſtud in præſentia ô amice diſponere. Cur nam? Quoniã exiſtimo nos dicturos, poetas oratoresq; de hominibus circa ea quæ maximi momẽti ſunt male dicere cum ſcribũt, Iniuſtos quidem multos felices eſſe, iuſtos aũt infelices: cõduce req; iniuſte agere ſi clam. Ipſam uero iuſtitiam alienũ bonum eſſe, iacturã uero propriã: Hæc inquã & cætera huiuſmodi nos uetaturos eſſe ne dicant, cõtraria uero ut canant & fabulis inſerant mandaturos eſſe puto. nunquid? Certe noui. Nónne igit̃ ſi confitearis recte me dicere, dicã te conceſſiſſe quæ iam diu quærimus? Recte, inquit, prorſus accepiſti. Nónne & de hominibus, quod talibus oporteat ſermonibus uti tunc concedemus, cũ qualis iuſtitia ſit inuenerimus? & q; natura ipſa profit habenti, ſeu uideatur eſſe iuſtus, ſiue non uideatur? Vera loqueris. De his ergo quæ dicenda ſunt, quæue non, ſatis eſt diſputatum: deinceps de diſcendi ratione, ut arbitror, eſt diſſerendum: atq; ita nobis, & quæ, & quomodo diſcenda ſint compertum erit. Quid dicas, inquit Adimantus, non ſatis intelligo. Oportet tamen id te intelligere, atq; ita fortaſſe clarius hoc intelliges. An non quæcunq; à poetis, uel fictoribus fabularũ dicunt̃, narrationem eſſe dicimus, uel præteritorũ, uel præſentiũ, uel futurorũ? Quid em̃ aliud? inquit. Num ergo uel ſimplici narratione, uel per imitationẽ facta, uel etiã utroq; modo narrant? Clarius hoc quoq; exponi requiro. Ridiculus equidem præceptor, & in primis obſcurus uideor. Quemadmodũ igitur qui dicendo parũ ualent, efficere ſolent, ita ego nunc, non uniuerſum ipſum, ſed partẽ aliquam ſumens, in ea tibi quod uolo conabor oſtendere. Et primum mihi dicito, noſtin Iliados principia, in quibus ait poeta Chryſem Agamemnoni ſupplicaſſe, ut ſibi filiã reſtitueret, Agamemnonẽ uero turbato animo denegaſſe. Quod poſtq; nõ impetrauit, imploratũ ipſi cõtra Achiuos deũ? Equidẽ. Et illud credo noſti, quòd uſq; ad hos uerſus, Precatus eſt oẽs Achiuos, in primis Atrei filios, gentium duces: ipſe poeta loquit̃, neq; tentat alió mentem noſtram conuertere tanq; alius q; ipſe loquatur. Deinceps uero ita loquit̃ ac ſi Chryſes ipſe ſit, conaturq; nõ Homerum ſe nobis, ſed ſacerdotem illum ſenem oſtendere. In cæteriſq; ita ſemper exponit, tum rebus geſtis apud Iliũ, tum apud Ithacã, in Odyſſea cantatis. Sic eſt omnino. Nónne igitur narratio eſt, & quando orationes continuas affert, & quando ea quæ inter ipſas intercedunt?

Quid ni? Verũ cum orationem profert tanq; alius quidam ſit, nónne tunc dicemus orationem ſuã ei q; ſimillimã reddere, quẽ loquentẽ introduxerat? Quid ni dicamus?

An non alteri ſe ſimilem reddere uel figura, uel uoce, eſt eum imitari cui facit ſe ſimilem? Proculdubio. In hoc igitur, ut uideꝫ & ipſe, & reliqui poetæ per imitationem narrant. Aſſentior. Vbi autem ſe non celat poeta, uniuerſa illa poeſis & narratio ſine imitatione eſt. Ne autem dicas te neq; hoc quidem intelligere quomodo fiat, ego dicam. Si enim Homerus cum dixiſſet Chryſem ueniſſe filiam redempturum, & ſupplicaſſe Achiuis præcipueq; regibus, deinceps non tanquam Chryſes, ſed Homerus eſſet locutus, noſti profecto imitationem illam non fuiſſe futuram, ſed ſimplicem narrationẽ. Sic uero ſe res habuiſſet. Dicam enim ſine uerſu cum non ſim poeticus. Profectus ſacerdos precabatur, ut dij eis darent, qui incolumes ipſi Troiam caperent, ſibiq; acceptis donis filiam reſtituerent, deum Apollinem uenerantes. Hæc cum dixiſſet, reliqui ſacerdotis dicta probarunt. Agamemnon uero nimium perturbatus, ipſum protinus abire iuſſit, ita ut ne rurſus rediret: neq; enim ipſi dei uel coronã, uel ſceptrũ profutura: aſſeruitq; priuſquam ipſi filiam redderet, fore ut illa ſecũ in Argo conſeneſceret. Quamobrem abiret, ſeq; ut ſaluus abire poſſet, non irritaret. Quæ cum audiſſet ſenex, extimuit, tacitusq; diſceſſit. Caſtra autem egreſſus, ſupplex Apollinem multa eius agnomina cõmemorans orauit, ſiquid unquam aut in ædificandis templis, aut hoſtijs litandis illi gratum feciſſet, ut puniret Achiuos, easq; lachrymas ſagittis ulciſceretur. Hunc in modum ô amice ſimplex narratio ſine imitatione procedit. Intelligo iam. Et illud præterea ſcito, contrariam huic eſſe, cum remotis poetæ uerbis quæ inter orationes intercedere ſolent,

orationes

orationes ipſæ uicíſsim continuatæ relinquuntur. Id quoq; intelligo. Eſt enim huiuſmodi tragœdia atq; comœdia. Recte admodum accepiſti, exiſtimoq; tibi iam nunc aperiri, quod in ſuperioribus percipere non ualebas: poeſim uidelicet fabularumq; figmenta, aut eſſe omnino per imitationẽ quemadmodũ ipſe dicebas in tragœdia atq; comœdia: aut per enunciationem poetæ proferri. quod maxime in díthyrambis inſpicitur: aut per utraq; confici, ut in heroícis alíjsq; multis apparet, ſi modo intelligís. Intelligo iam quod tunc inferre uolebas. Atqui etiam ante hoc memento quòd dicebamus quæ dicenda eſſent iam expoſitum eſſe: quo aũt modo dicendũ eſſet, deinceps exponere oportere. Memini quidem. Hoc igitur erat, quod oportere dicebam inter nos cõuenire, utrum ſinamus poetas imitatione perpetua uti, an partim imitari, partim minime, & qualía utraq; ſint, an nihil penitus imitari. Auguror equidem conſideraturum te utrum recipienda ſit comœdía, & tragœdía in ciuitate, nec ne. Fortaſſe autem & his plura. Nondum enim noui: ſed quò ratio ut uentus feret, eò eundum eſt. Præclare loquerís. Hoc igitur ô Adimante conſidera, utrum imitatores nos habere cuſtodes oporteat, nec ne. Vel hoc ex ſuperioribus pendeat, quòd ſinguli ſingula recte conficere poſſunt, plura uero minime. quòd ſiquis plura tractare aggrediatur, in ſingulis ita deficiet, ut in nullo euadat egregius. Sic prorſus accideret. Nónne & de imitatione eadem ratio q; plura alíquis æque ac unum bene imitarí nõ poteſt? Non certe. Nunq; igitur ſtudio alicui æſtimatione digno quis ſimul incumbet, & imitabit̃ multa, erit̃ ue imitator idoneus, quando neq; duas quidem imitationes, quæ parũ differre inter ſe uident̃, ijdem homines bene ſimul tractare poſſunt, ut comœdiam ſimul & tragœdiam. An non imitationes quaſdam pauloante iſtas eſſe dicebas? Equidẽ, ac uera dicis, q; ijdem nequeant. Neq; etiã rhapſodi, id eſt cantores heroicorum ſimul eſſe, & hiſtriones poſſunt. Vera. Sed neq; tragœdis aut comœdis, tragici aut comici ijdem. Hæc aũt omnia imitationes quædam ſunt. an non? Imitationes. Quinetiã in minora his uidetur ô Adimãte natura hominis eſſe conciſa, ut nullo modo poſsit bene plura imitari, uel etiam ea facere quorum imitationes ipſæ ſimilitudines quædã ſunt. Eſt ut dicis. Si ergo rationẽ ſuperiorẽ ratam haberí uolumus, cuſtodes noſtros à reliquis omnibus artificijs alienos patriæ libertatis artifices eſſe oportet ualde quidem ſolertes: neq; aliud quicquam curare quod huc non tendat: nihil aliud agere eos, uel imitari oportet: uel ſi imitentur, imitari quæ iſtis cõſentanea ſint, ſtatim à pueritia, fortes ſcilicet, temperatos, ſanctos, liberales, & reliqua eiuſmodi: illiberalia autẽ neq; facere, neq; imitari poſſe, neq; aliud quicq; turpe, ne ex ipſa imitatione tales efficiant̃, quale id quod æmulant̃. An non animaduertiſti imitationes ſi à teneris annis incipiãt perſeuerẽtq;, in mores & naturã abire, tum quantũ ſpectat ad corpus, tum ad uocem, tum ad cogitationẽ ipſam? Et maxime quidẽ. Non permittimus igit̃ ullo modo eos quorũ habere curã dicimus, quos ue præſtantes uiros fore deſideramus, cũ uiri ſint, mulierẽ imitari, puellã uetulámue, uel marito conuiciantem, uel cum dijs cõtendentem, exultantemq;, cum ſe felicem eſſe putet, uel quæ ęrumnis circũuenta fleat atq; eiulet, doleat, amore accendat̃, dolore partus opprimat̃. Nullo modo. Neq; ſeruas, & ſeruos, ea quæ ſeruorũ ſunt facientes. Neq; hoc quidẽ. Neq; uiros item prauos, ut uidetur, timidos, & contraria eorum quæ diximus facientes, conuitiantes, iurgantes, turpiaq; inuicem obloquentes, ſiue ebrios, ſiue uigiles ſobrioſq;, & alia quæcunq; homines iſti & in uerbis, & in operibus, tum in ſeipſos, tum in alios peccant. Neq; etiã debent, ut arbitror, ſimiles per imitationem, uel uerbis, uel actionibus inſanientibus reddere. Cognoſcendi enim inſani & mali ſunt, tam uiri quàm mulieres: nihil tamẽ ex eorum dictis & factis, uel agendum eſt, uel imitandum Veriſsima loqueris. Quid autem artifices? ne ex ære aliquid fabricantes, uel aliud quippiam molientes, uel remiges nauium, uel præcipientes iſtis, uel aliud aliquid circa hæc imitari eos decet? Quonam pacto, cum neq; rebus ullis huiuſmodi mentem adhibere his liceat. Nunquid equos hinnientes, uel mugientes tauros, aut fragorẽ immurmurationemq; fluuiorũ, aut maris fremitum, uel tonitrus, uel cætera eiuſdẽ generis imitabunt̃? Atqui prohibitum illis eſt, aut inſanire, aut inſanientibus ſe ſimiles reddere. Si igitur quæ dicis intelligo, eſt quædam orationis, & narrationis ſpecies, in qua uir optimus cum quid dicturus eſt enarrat: & alia quædam huic diſſimilis, quam ſeruat qui contra ac ille, natus atq; nutritus eſt. Quales uero hæ ſunt?

Videtur

Videtur mihi uir moderatus quando in narratione deuenerit ad aliquam uiri boni uel orationem, uel actionem, perinde ac si ipse ille esset pronunciaturus, & sine ullo rubore, aut dedecore imitationē huiusmodi susceturus: maxime quidem, & ut plurimum imitans uirum bonum, prudenter & sine errore agētem: rarius autem ac minus, morbis, uel amore labentem, aut ebrietate, aut casu quouis alio. Quando aūt ad aliquem indignum se uenerit, nolet, ut arbitror, dedita opera similem se deteriori præbere, nisi breuiter quidem, & cum boni quicquam peragit: sed erubescet, cum rudis sit ad hos imitandos, & ægreferet deteriorum formā induere, spernens imagines huiuscemodi, nisi forte ioci oblectamenticę causa id fecerit. Non iniuria. Nónne igitur narratione utetur tali, qualem pauloante in uersibus Homeri dicebam? eritę oratio ipsius particeps utriusę, imitationis uidelicet, & narrationis alterius? Exigua uero pars imitationis longa in oratione erit? Dicóne aliquid, an nihil? Dicis certe, qualem necesse est esse rhetoris istius figuram. Nónne igitur qui talis non erit, quo erit ineptior, & indoctior, eo plura narrabit, & omnia imitabitur, nihilę se indignum esse existimabit? Quare omnia imitari aggredietur, & in cōspectu quidem multorum, ea præsertim quæ pauloante commemorabamus, Tonitrus, murmura uentorū, & grandinis, axis rotarum, tubarum, tibiarū, fistularum & omnium denię organorum sonitus: preterea canū, pecudū, & auium uoces. Eritę huius oratio uniuersa pene per imitationē, uoce, ac gestu, uel paulū quid narrationis habebit.

Scurra

Necessariū quoę istud. Atę hæ sunt orationis species duæ, quas supra dicebam.

Sunt planè. Nōne ipsarum una quidem parum quid mutationis habet? & siquis decentē consonantiā & rhythmū orationi tribuat, fermè ad eandē orationis formā semper dicendū est recte loquenti, atę in una insuper consonantia? exiguæ nanę mutationes, eodēę modo in rhythmo ferme cōsimili? Omnino sic se res habet. Quid autē alterius species? nōne contrarijs indiget, omnibus uidelicet consonantijs, omnibusę rhythmis, si proprie dicēda est, cum multas & uarias habeat mutationū formas? Sic est omnino.

Nónne & poetæ, & alij oēs qui aliquid dicunt, uel harum una dicēdi figura utunt̄, uel altera, uel utriseę cōmixtis? Necesse est. Quid igit̄ faciemus? Vtrū has oēs in ciuitate suscipiemus, uel alterā simpliciū, uel permixtā? Si in mea optione cōstiterit, simplicem decori imitatricem. Atqui ô Adimante mixta quæę iucunda est: multo autem iucundior pueris, & pædagogis cōtraria illius quā tu eligis, & plurimæ turbæ. Iucundissima prorsus. At forte, ut arbitror, reipub. nostræ cōuenire eam nō existimabis, quoniā non sit duplex uir neę multiplex apud nos, quādoquidē singuli singula faciunt. Non conuenit certe. Nónne igit̄ sola in ciuitate huiusmodi coriariū inueniemus duntaxat coriariū esse nō gubernatorē præterea? Et agricultorem duntaxat agricultorem, non insuper iudicem? Militem quoę militem, non etiam numulariū? cæterosęę eodem modo?

Vera hæc sunt. Si quis ergo in nostram urbem uenerit, qui animi sapiētia in omnes possit sese uertere formas, & omnia imitari, uolueritę poemata sua ostentare, uenerabimur quidem ipsum, ut sacrum, admirabilem & iucundum: dicemus autem non esse eiusmodi hominem in republica nostra, neę fas esse ut insit, mittemusęę in aliam urbem, unguento caput eius perungentes, lanaęę coronantes. Nos autem austeriori minusęę iucundo utemur poeta fabularumęę fictore, utilitatis gratia, qui decori nobis rationem exprimat, & quæ dicuntur dicat in his formulis quas à principio pro legibus tulimus, quando milites erudire agressi sumus. Ita prorsus, si esset in nobis, efficeremus. Videmur iam ô amice satis de ea musicæ parte dixisse, quæ circa orationes fabulasęę uersatur. Nam & quæ dicenda sunt, & quomodo, exposuimus. Mihi quoę idem uidetur. Restat de cantus & melodiæ ratione disserere. Certe. An non omnis iam inueniret quę nobis de his dicenda sunt, qualia esse oporteat, si quidem antedictis cōcinere debeamus? Tum Glauco arridens, Ego, inquit, extra oēs esse uideor. Non enim satis in præsentia possum conijcere, qualia dicenda sint. Opinamur tamē omnino hoc primum nos posse dicere Melodiā ex tribus constare, oratione, harmonia, rhythmo. Hoc equidem possum. Nōne melodiæ pars oratio nihilo differt ab oratione illa quæ sine cantu est, quo ad hoc ut oporteat in eisdem formulis exprimi, de quibus paulo ante dicebamus, & eodem modo? Vera loqueris. Atqui harmonia, & rhythmus orationē sequi debent. Quid ni? Quin etiam lamentatione luctuęę dicebamus in orationibus nos minime indigere. Nō certe.

Quęnam

Quænam igitur querulæ harmoniæ sunt? Dic mihi. Tu enim musicus es. Lydiæ mixtæ, Lydiæq; acutæ, cæteræq; huiusmodi. Nónne remouendæ hæ sunt? Inutiles enim etiam mulieribus, bonis saltem, nedũ uiris. Valde quidem. Præterea uinolentia, mollities, & pigritia custodes minime decent. Minime. Quænã igitur molles & temulentæ harmoniæ? Ionicæ & Lydiæ quotcunq; relaxæ remissæq; & resolutæ uocantur. His igitur ô amice, num quoquo modo uteris ad militum utilitatẽ? Nullo modo. Sed uidẽ iam tibi reliqua esse Dorica & Phrygia harmonia. Haud equidem, inq;, harmonias noui, sed eam relinque harmoniã, quæ ut decet, imitatur fortiter euntis in prelio, & ad quod libet negotium uiolentũ uiriliter se gerentis, uoces atq; accentus, & periclitantis, siue in uulnera, siue in mortem irruentis, siue in aliam grauem sortem incidẽtis, in omnibus istis fortunam constanter atq; uiriliter propulsantis. Aliamq; iterum relinque harmoniã quæ uoces imitatur atq; accentus hominis in tranquilla & minime uiolenta actione uersantis uel aliquid alicui persuadentis, uel supplicantis, uel uotis deo, uel doctrina & admonitione homini, uel econtra hominis alij supplicanti, aut docẽti, aut dissuadenti facilem se præbentis, & qui licet uoti compos sit factus, non tamen superbia efferatur, sed in his omnibus temperate & modeste se gerat, sortemq; utranq; recte ferat, hasq; duas sequatur harmonias, uiolentã, uoluntariam, fortunatorum, infortunatorũ, temperantium ac fortium: & omnino quæcunq; ipsorum accẽtus pulcherrime imitãtur, has omnes relinque harmonias.

At uero non alias eligi iubes, q; eas quas ego supra dicebã. Nõ igitur opus erit nobis in cantibus & melodijs harmonia quæ multis constat chordis, omnibusq; concentibus.

Non, ut mihi uidetur. Ergo Trigonorum, Pactidarum, & quorumcunq; instrumentorum, quæ multis constant chordis, & plurimis consonantijs, fabros non nutriemus.

Non, ut uidetur. Quid autem? tibiarum fabros, et tibicines in ciuitate relinques? an non instrumenta multarũ chordarum, harmoniarumq; omnium, tibiam imitantur? Patet, inquit ille. Lyra itaq; restat, & cithara in ciuitate utilis, & fistula in agris pastoribus commoda. Ita ratio nobis ostendit. Nihil alienum inducimus, ô amice, dum Apollinem ipsum & Apollinis instrumenta, Marsyæ ipsi, & organis quæ Marsyæ sunt, præponimus. Non per Iouem, ut mihi uidetur. Per Canem ipsum sensim & clanculum purgare cœpimus ciuitatem, quam suprà nimijs delicijs deditam dicebamus. Ipsi nos uide licet temperate agentes. Age, purgemus & reliqua. Sequitur ad ea quæ de harmonijs dicta sunt, ut rhythmos ita prosequamur, ne per uarios admodum circumuagemur, néue per quoslibet motus, sed qui uitæ fortis & temperatæ rhythmi sunt, dignoscamus. Quibus cognitis, pedem cantumq; cogamus orationem huiusmodi uiri sequi, nõ orationem sequi pedem, & cantum. Qui uero sint rhythmi tales, tua interest declarare, quemadmodum harmonias exposuisti. Per Iouem, quid dicã non habeo. Quod enim tres quædam species sunt, ex quibus motus isti texũtur atq; plectuntur, quẽadmodum in uocibus quatuor unde omnes harmoniæ cõficiuntur, animaduerterim, dicere possem. Quales autem qualis uitæ imitationes sint, aperire nequeo. At de his quidem cum Damone deliberabimus, quinam pedum motus proprie sint illiberalitatis, petulantiæ, insaniæ, ac reliquæ prauitatis, quiue rhythmi contrarijs congruant. Arbitror autẽ audiuisse, quamuis non satis aperte, cum ipse motum quendam pedum bellicosum nominaret compositum dactylum heroicũq;, quem nescio quomodo digerebat, supraq; infraq; æqualem & in breuem longumq; euadentem, utq; existimo iambum, & alium quendam trochæum appellabat. Longitudines autem & breuitates adhibuit. Et in aliquibus istorum arbitror eum uituperare uel laudare ductiones pedis, non minus quàm rhythmos ipsos, uel aliquid ex utrisq; commixtum. Neque enim declarare satis hæc possum. Verum hæc, ut dicebam, in Damonem ipsum reiecta dilataq; sint. Prolixa quippe oratione ad hæc distinguenda opus esset. Nunquid putas? Prolixa per Iouem. Hoc autẽ ita discernere potes, quod concinnitas atque ineptitudo congruitatem & incongruitatem rhythmi sequuntur.

Quid ni? Atqui congruũ quidem pulchram orationem sequitur, & tanquam simile imitatur: incongruum uero contrariam. Quinetiam consonum ipsum, & dissonum eodem modo: quandoquidẽ rhythmus & harmonia, ut paulo ante dictum fuit, orationem sequuntur, non ipsa oratio rhythmum & harmoniam sequitur. Certe orationem sequi hæc debẽt. Quid uero loquẽdi modus ipsaq; oratio? nõne animi affectionẽ sequitur?

Absq;

Absq; dubio. Orationem uero cætera quoq; sequuntur? Nempe. Sermonis itaque decor, consonantia, uenustas & rhythmi congruentia affectionē animi moderatam sequuntur, quam εὐήθειαν appellant. Non eam dico quam sæpe cum insciția quædam sit, blanda quadam derisione bonitatē nominamus, hoc nomine fatuitatem quandam significantes: immo uero eam εὐήθειαν inquam, quæ reuera cogitationē significat morib. optimis præditam. Sic est omnino. Nónne igitur ubiq; hæc iuuenes sequi debent, si rem suam agere uolunt? Debent equidem. Est autem ars pingendi uniuersa horū plena, & omne huiusmodi artificium, plena quoq; texendi facultas, & uariorū ingenios itas operum, studiumq; ædificādi, omnis præterea cæterorū supellectiliū instrumentorumq; effectio: quin & corporum plantarūq; natura. Porrò in omnibus istis, aut condecentia quędam inest, aut indecentia. Et indecentiæ quidem & rhythmi inconcinnitas atq; dissonantia sermonis turpis & improbi moris sorores sunt: contraria uero contrarij, temperati & optimi germana, & imitationes quædam sunt. Est ut dicis. Nunquid poetis solis insistendum, cogendumq; ut imaginem boni moris in suis poematis exprimāt, uel apud nos non scribant? An præterea curandum ne artifices alij mali moris simulachrum aliquod, nō bene castigatū opus, illiberale, deforme, & indecens, siue in figuris animalium, siue in ædificijs, siue in quouis alio artificio faciant? Vel si quis hoc præstare non potest, ne quid apud nos agat prohibēdus est, ne in prauitatis imaginibus nobis enutriti custodes tanq; noxio in gramine, & multa quotidie paulatim à multis decerpētes pascentesq;, unum aliquod maximum malum ignari in animo contrahant? Quamobrem illi inquirēdi sunt artifices, qui naturali quadam industria possint tanq; per uestigia exprimere pulchri ipsius decoriq; naturam, ut tanquā in loco salubri habitantes iuniores undiq; adiuuentur: quandoquidem à pulchris honestisq; operibus siue ad oculos, siue ad aures eorum honesti aliquid peruenit, ueluti suauis aura quædam à locis salubribus afferens sanitatem: quæ quidem statim afflare à primis annis incipiēs, sensim animos hominū in similitudinem, amicitiam, & concordiam, honestæ orationi rationiq; conciliat. Egregie admodū isto pacto nutrirentur. Ob hanc igitur causam, inquā ego, ô Glauco, ex ipsa principali secundum musicam nutritione rhythmus & harmonia interiora animi penetrant, pulsantq; uehementissime animum, decoram quandam figuram ferentia, per quam decorus & pulcher efficitur, quisquis recte in musica eruditur: contra uero, si contrà quis fuerit educatus. Et quoniam rursus deficientia, neq; recte fabricata, aut non bene orta acutissime sentiet, qui illic, quemadmodū oportet, nutritus fuerit, merito ægre hæc ferens, pulchra quidem laudabit, eaq; amans, auideq; arripiēs, ipsis aletur, ac bonus inde efficiet & pulcher. Turpia uero iure uituperabit, oderitq;, etiam in ea ætate in qua rationem nondum susceperit. Aduentantem deniq; rationem, qui ita nutritus erit, libenter amplectetur, eam ex ipsa propinquitate, familiaritateq; prorsus agnoscēs. Mihi quoq; harum rerum gratia in musica nutriendi uidētur. Quemadmodū tunc profecto literas satis recte callemus, quando elementa nos non fugiunt, pauca quidem in omnibus quibuscunq; insunt, neq; in paruis, neq; in magnis ea spreuimus, tanquam non oporteret intelligere, sed ubiq; discernere illa proposuimus, utpote qui prius grammatici futuri non simus, q̄ nos ita comparauerimus. Vera loqueris. Imagines præterea literarū sicubi uel in aquis, uel in speculis appareant, non prius cognoscemus q̄ ipsas literas nouerimus. Est enim hoc artis & exercitationis eiusdem. Est ut dicis omnino. Quorsum hæc inquam? Nempe eadem ratione neq; musici prius erimus, uel nos, uel ipsi quos ad urbis custodiā erudimus, quàm temperantiæ species, & fortitudinis, liberalitatis, & magnificentiæ, & quæcunq; harum sorores sunt, ipsisq; contraria cognouerimus, ubicunq; insint: ita ut & hæc, & ipsorū imagines quibuscunq; insunt, persentiamus, neq; in paruis, neq; in magnis contempserimus, sed eiusdem esse putauerimus & artis & studij. Necesse est omnino. Siquo in homine hæc cōcurrant, ut in animo pulchri mores insint, & in corporis specie illis singula correspondeant consentiantq; eandem suscipiētia rationem, pulcherrimū hoc erit ei qui inspicere possit, spectaculum. Valde quidem. Atqui quod maxime pulchrū, & amabile maxime. Prorsus. Tales quosdam homines maxime uir musicus adamaret: siquid uero absonum aduerteret, minime. Non certe si defectu animi dissonaret: siquid uero duntaxat deesset corpori, sufferret quidem adeo ut diligere gratularicq; uelit. Intelligo equidem

equidem, quia tales quidam uel amãtur abs tẽ, uel amati iam sunt, atq; assentior. Sed hoc mihi dicas. Est ne ullum tẽperantiæ cum soluta nimiaq; uoluptate cõmercium? Quo nam pacto? Quippe cum uoluptas huiusmodi non minus q̃ dolor mentem è suo statu dimoueat. Alijs uero uirtutibus? Minime. Quid autem? petulantia intemperãtiaq; habent cum excedente uoluptate cõmunionem? Maxime omnium. Habẽsne maiorem & uehementiorem uoluptatem q̃ quæ circa uenerea? Neq; uehementiorem ullam habeo, neq; furiosiorem. Rectus autem amor ipsa sui natura temperate & musice amat pulchrum atq; decorum. Prorsus. Nihil ergo furiosum uel intemperantię proprium recto amori est admouendũ. Non certe. Neq; igitur iungenda illi est uoluptas ipsa uenerea, neq; in ea cõmunicare debent amatores, cum legitime dilectis adolescentibus, amãtesq; cum amatis. Per louem nullo modo ô Socrates. Sic igitur, ut uidetur, in ciuitate recte instituta legem condes, amatorem amare, unà esse, & tãgere amatum, si persuaserit, tanquam filium, honestorum causa, atq; in omnibus sic uersari cum eo quem amat, ut nihil unquam præter honestum uideatur ab adolescente requirere. Si contrà faciat, ignominiam subeat, tanq̃ qui nihil omnino sapiat musicũ, pulchrumue. Sic prorsus. Nõnne tibi uidetur finem suum iam sermo de musica consecutus? Quo enim finiri debet, iam applicuit. Oportet enim musicã in amatoria pulchri finiri. Assentior equidem. Post musicam uero gymnastica exercẽdi sunt iuuenes. Quid ni? Oportet enim & in hac per omnẽ uitam diligenter à pueris educari. Id autem ita se habet quodammodo, ut opinor. Animaduerte & tu. Mihi quidem non uidetur bene affectum corpus, uirtute sua bonum animũ facere, sed contrà bene affectus animus, uirtute sua corpus quo ad fieri potest, optimum reddere. Tibi uero quid nam uidetur? Quod & tibi. Nõnne si postquam mentem sufficienter instruxerimus, trademus ei, ut quæ ad corpus pertinent, diligenter & exacte inquirat & curet, nos autem quasi quasdam formulas proponemus, ne longiores simus, recte utiq; faciemus? Omnino. Ab ebrietate itaq; ipsis dixi mus abstinendũ. Vnicuiq; enim magis cõceditur q̃ custodi ut ebrietate grauatus ubi terrarum sit, nesciat. Nempe ridiculum esset, custode indigere custodem. De his autem quid dicemus? Athletæ enim hi uiri sunt, & maximi quidem certaminis. Nõnne? Maximi plane. Nunquid aliorum Athletarũ habitudo custodibus cõueniens esset? Fortasse. At uero somnolenta hæc est, & ad ualetudinem dubia. An non uides quod uitam edormiunt? & si parum quidem ab instituto uictu discedunt, grauiter ægrotant exercitatores huiusmodi? Video equidẽ. Elegantiore igit̃ aliqua exercitatione opus est bellicosis Athletis, quos tanquam canes insomnes esse oportet, & q̃ acutissime uidere atq; audire, & multas mutationes in exercitu aquarũ, ciborum, ęstus & frigoris ita perpeti, ut se à morbis defendant. Ita mihi uidetur. Optima igitur gymnastica soror esset simplicis musicæ, de qua paulo ante tractauimus. Quomodo istud? Simplex utiq; & conueniens gymnastica, militum exercitatio. Quo pacto? Ab Homero quidem id discere possumus. Nosti enim quemadmodum in belli expeditionibus in heroũ mensis, neq; pisces ipsis parat, quãuis ipsi in Hellesponto mari essent, neq; elixas cernes, sed assas, quæ facilius à militibus præparantur. Vbiq; enim facilius est, ut ita loquar, ipso igne uti, quàm uasa circumferre. Neq; unquam uariorum condimentorum, ut arbitror, Homerus meminit. Sed hoc & alij sciunt quicunq; exercentur, quod cui corpus robustum esse debet, à cunctis cuiusmodi rebus est abstinendum. Recte quidem & sciunt, & abstinent. Syracusanas itaq; ô amice, mensas & Sicula, ut uideris, admodum uaria non laudas obsonia, si quidem hæc ita tibi recte se habere uidentur. Non certe, ut mihi quidem uideor. Vituperas & Corinthium luxum blandientium puellarum in his qui optima corporis habitudine futuri sunt. Summopere. Quinetiam attica bellaria condimentaq;, quę iucunda plurimis & delicata uidentur. Necesse est. Omnem enim, ut existimo, huiusmodi uictum, si similem esse dicemus melodiæ & cantilenæ quæ in omni genere harmoniæ, omnibusq; rhythmis uersantur, recte nimium cõparauerimus. Plane. Ibi quidem intemperãtiam uarietas parit, hic morbum: simplicitas autem secundum musicã in animis temperantiam, secundum uero gymnasticam in corporibus sanitatẽ. Verissima loqueris. Intẽperãtia uero & morbis in ciuitate multiplicatis, & iudicum & medicorũ ope plurimũ indigemus. Vnde iudiciaria & medicina in precio habẽtur, quãdo et liberi multi his

ti his ſummopere ſtudeant. Quid ni? Igitur malę & turpis diſciplinæ in ciuitate nullam maiorem potes cõiecturam capere, quàm ſummis iudicibus ac medicis indigere, nõ modo abiectos homines & mechanicos, ſed eos etiã qui liberali diſciplina educatos eſſe ſe gloriantur. Nónne turpe uidetur, & malæ educationis magna coniectura, ut cogamur ob propriæ uirtutis inopiam iuſtitia uti externa, ab alijs uidelicet tanquam dominis & iudicibus iuſte operari compulſi? Omnium profecto turpiſsimum. An nõ hoc quoq; turpius eſſe putas? quando aliquis non modo omne uitæ tempus in iudicijs, tum accuſando, tum defendendo conterit, ſed & rudi quadam elatus iactãtia, in his ipſis negotijs gloriatur, quaſi ſit potens ad iniuriam inferendam, fuiſq; uerſutijs uſqueadeo tergiuerſari ualeat, ut nullas iniuriarum ſoluat pœnas, qui ſępe minimarum uiliſſimarumq; rerum cauſa tam anxium ſubit negotiũ, ignorans quanto præclarius ac melius eſſet, ita ſe comparare ut nullo obſeruatore egeat, etiamſi ſtertat iudex? Certe hoc illo turpius eſt. Abſurdũ præterea exiſtimandũ eſt homines medicis egere nõ ad uulnera ſananda duntaxat, morboſq; curandos intemperie aeris, & pro anni tempore aliter atq; aliter incidẽtes: ſed plurimum ad diſtillationes, & ſpiritus interioris intumeſcentis impetum ob mollitiem atq; deſidiam, & quem in uictu ſuprà damnauimus, luxum. Quibus effectum eſt, ut homines lacunarum inſtar aqua flatuq; exuberantium, nimis oppleti coegerint peritos Æſculapij ſucceſſores morbos quoſdã nouo nomine, diſtillationes, inflationesq; appellare. Noua ſanè hæc morborum, inquit, nomina, nimiumq; abſurda. Hæc, ut arbitror, Æſculapij tempore non erant. Quod hinc plane conijcio, quod eius filij apud Troiam, poculum Patrocli iuſſu oblatum ſaucio Eurypylo non damnarunt, cum tamen in eo mixta eſſet Pramnio uino farina, & inſuper attritus caſeus, quæ pituitam augent. Profecto abſurdum id poculum, minimeq; ita affecto cõueniens. Non. Quia ſi aduertis, inquam, hac noſtra medicinaria facultate morborum pediſſequa, Æſculapij ſectatores ante Herodicum, ut fertur, minime ſunt uſi. Herodicus autem quum eſſet exercitandorũ magiſter iuuenum, eſſetq; ualetudinarius, miſcens gymnaſticã medicinæ, primo quidem ſeipſum, deinde & poſteros multos tædio affecit. Quonam pacto? Longam quippe ſibi mortem præſtitit. Nam dum morbum qui letalis erat, ſubſequeretur, neque curare ut opinor, ſe poterat, & medelę ſtudio occupatus, omiſſis reliquis omnibus, uitam in hac corporis indulgẽtia cõterebat, male quidem affectus ſi paulo à conſueto uictu diſcederet, ægre tamen moriens, hac ſapientia ſuſtinuit ſe, ſenexq; è uita deceſſit. Egregiam palmam ex arte ſua reportauit. Nempe quam decebat reportare illum, qui ignorabat Æſculapium nõ ignorantia quidem & imperitia medelæ huius poſteris genus hoc non oſtendiſſe: ſed quoniã uidebat in ciuitate optime inſtituta, ſuum cuiq; opus aſſignatũ eſſe, quod perfici neceſſe ſit, nec ulli ſupereſſe otium, ut per omnem uitam ualetudinarius in corpore curãdo occupetur. Quod quidem, modo quodam ridiculo in artificibus animaduertimus: in illis uero qui opulenti felicesq; cenſentur, nequaquam. Quomodo iſtud? Faber ſiquando in morbum incidit, breuem à medico curationem exigit, uel per uomitum, uel defluxum uentris, uel uſtionem, uel inciſionem. Si quis autem diuturnam illi uictus obſeruationem præcepit, capitiſq; ſuffarcinationes, cæteraq; huiuſmodi, ſtatim obijcit nõ eſſe ſibi ad ægrotandũ ocium, neq; præſtare ſibi ita uitam trahere cõtinuis curationibus incumbenti, ſuumq; opificium negligenti. Deinde medico hoc dimiſſo, ad conſuetum uictum reuertens ſi conualeſcit, opus ſuum exequitur: ſin autem ſuſtinere corpus morbum non poteſt, uita functus negotijs liberatur. Ita profecto medicinis uti artifici conuenire uidetur. Atq; idcirco opus illi propoſitum eſſe dixi, quod niſi peragat, uiuere ipſi nõ præſtat. Conſtat. Diues autem, ut diximus, opere nullo urgetur, à quo ſi quando ui arceatur, non amplius ſit ei uiuendum. Nullo prorſus, ut fertur. Phocylidem forte nõ audis dicentem, oportet uirtutem exercendam eſſe, dum uiuendi facultas iam ſuppetit.

Arbitror autem & prius. Nihil in hoc illi aduerſemur, ſed ipſi nos doceamus, utrum id hoc pacto meditari diues debeat: aut ſi minus in alendis morbis tempus terat, nõ ſit illi uiuendum. Fabrili ſiquidem arti ac cæteris impedimento id eſt. Nam ab opere mentem diuertit. Præceptum uero Phocylidis nihil impedit. Per louem, inquit, fermè omnium maxime, ſiquidem magis quàm gymnaſtica ſuperuacua iſta curatio corporis ubi producitur, nos occupat. Etenim rei familiari & militari, & urbanis omnibus magiſtratibus obeſi

obeſt plurimum, quod uetherimum eſt, diſcendi ſtudium, & omnem intelligendi meditandiq; diligentiam impedit, dum capitis dolores ſemper & uertigines ſuſpicatur: ſtudiumq; ſapientiæ cauſatur, quaſi ex iſta naſcantur. Quamobrem ad uirtutis exercitationem, probationemq; nobis omnino impedimento eſt. Efficit enim ut ſemper ægrotare putemus, neque deſinamus unquam de habitu corporis queri. Conſentaneum eſt.

Hæc cum uideret, arbitror Æſculapium, hominibus natura educationeq; beneualentibus, deinde uero morbo quodam exterius lato & ſubito ægrotantibus, eam oſtendiſſe medicinam, qua pharmacis & inciſionibus infirmitas tolleretur, uidelicet conſueto deinde uictu ſeruato, ne ciuilia negocia diſturbaret. Corpora uero penitus interiori corruptione morboſa nequaquã aggreſſum fuiſſe, diligentia uictus & diuturna obſeruantia in uita producere, ita ut & ægre uiuerent homines, & ualetudinarios, quod inde ſequitur, filios generarent. Neq; uero cenſuit curandum, qui non poſſit in conſtituto & ſolito uictu ac regula uiuere, tanq; neq; illi ipſi, neq; ciuitati id conferret. Ciuilem uirum dicis Æſculapium extitiſſe. Conſtat plane, filijq; ipſius talem eum fuiſſe teſtantur. An ignoras illos apud Troiam in rebus bellicis claruiſſe? quanquã & medicinæ ſtudio, quemadmodum ego dicebam, utebantur. Non meminiſti quòd Menelao Pandari manibus uulnerato, cruorem uulneris abſterſerunt, & unguentis mitigantibus perunxere: legem uero certam circa cibos ac potus nihilo magis quàm Eurypylo præſcripſerũt: quaſi pharmaca ad curãdos ſufficerent homines, qui ante accepta uulnera & firmi corporis habitu & uictu moderati fuiſſent, licet protinus dictum illud poculum ebibiſſent? homines autem & natura & incõtinentia morboſos uiuere, neq; ijs ipſis, neq; alijs conferre putabant, neq; circa illos uerſari artem, neq; eſſe curandos, etiam ſi Mida locupletiores eſſent. Scitos ad modum uiros fuiſſe perhibes Æſculapij filios. Decet ſanè, quanquam nobis tragici & Pindarus parum adſtipulantur. Æſculapium enim ferunt Apollinis filium extitiſſe, atq; auro inductũ ut hominem pecunioſum cum extrema ægritudine ad mortem ferente opprimeretur, in uitam reſtitueret. Vnde & fulmine percuſſum. Sed nos propter illa quę ſuprà diximus, illis hæc utraq; non concedimus. Immo ſi dei filius fuit, lucri turpis auidum fuiſſe negabimus: ſin turpis auidus lucri, Dei fuiſſe filium reijciemus. Probe quidẽ iſta dicuntur. Sed de hoc quid ais, ô Socrates? An nõ bonos medicos habere oportet in ciuitate? Eſſent autem tales maxime, quicunq; fuiſſent cum ſanis plurimis, plurimisq; ægrotantibus conuerſati. Iudices item ſimiliter, qui uaria hominum ingenia eſſent experti.

Et ualde quidem bonos dico. Sed nunquid intelligis quos tales eſſe arbitror? Si dixeris. Tentabo equidem. Tu tamen non ſimilem rem ſermone eodem interrogabas.

Qua ratione? Medici quidem ſufficientiſſimi euaderent, ſi ab ineunte ætate ultra diſcendæ artis ſtudiũ inter plurimos corpore male affectos conuerſarentur, ipſiq; omni morborum genere laborarẽt, naturaq; imbecilla eſſent. Neq; enim corpus, ut arbitror, corpore curãt. Impoſſibile namq; eſſet, ipſa quãdoq; mala uel fuiſſe, uel eſſe. ſed anima corpus curat. An non fieri poteſt, ut quæ fuerit ſitq; mala, bene aliquid curet? Recte quidem.

Iudex autẽ ô amice, ipſo animo ipſi animo imperat. Nõne poſſibile eſt à pueritia animum aliquem cum malis animis conuerſatum, et iniuſta quęq; facinora operatum, acute deniq; ex ſeipſo aliorũ ſcelera coniectare, quẽadmodum ex ipſo corpore morbos? Num inſontem ipſum imperitumq; malorum morũ, dum eſſet iuuenis, extitiſſe oportet, ſi bonus & honeſtus exiſtẽs iuſta ſyncere eſt iudicaturus? Quapropter modeſti homines, dum iuuenes ſunt, ſtolidi eſſe uidentur, & qui facile ab iniuſtis decipi poſſint, tanq; qui non habeant in ſeipſis eadem quę habent improbi, affectuũ exempla malorum. Omnino certe id patiũtur. Verũ enimuero non iuuenem, ſed ſenem eſſe bonum oportet iudicem, qui ſero quale quid iniuſtitia ſit, didicerit: tanquã qui nõ propriam in animo ſuo eam ſenſerit, ſed alienam in alienis animis longo tempore nouerit, atq; idcirco cuiuſmodi ſit malum diſcernat, ſcientia potius quàm propria experiẽtia iudicans. Generoſiſſimus certe iudex huiuſmodi eſſe uidetur. Et bonus præterea, quod ipſe quærebas. Qui enim bonum habet animum, bonus eſt. Verſutus autem ille ac mala ſuſpicans, qui multa agit iniuſte, ſagaxq; & ſapiens habet, quando cum ſui ſimilibus uerſatur, cautus callidusq; appareret, cum ad exempla quæ in eo ſunt, mentem dirigens ſibi ſatis caueat. Quando uero bonis ſenioribusq; adhęret ſatuus, cum ultra q; decet, diffidat, ſanumq; & ſyncerum morem

ignoret, quippe qui exempla illius non habeat. Cum uero frequentius cum malis quàm cum bonis uersetur, sæpius quoq; sapientior quàm insipientior sibi alijsq; uidetur. Ve ra proculdubio loqueris. Non ergo talem quærere oportet iudicem tanquam bonum & sapientem, sed qualem paulo ante dicebã. Prauitas enim neq; se, neq; uirtutem cogno sceret unquam. Virtus autem naturæ tempore addita disciplina, & seipsam simul, & pra uitatem intelliget. Non igitur malus, ut mea fert opinio, sed hic sapiens euadit. Mihi quoq; ita uidetur. Nónne igitur & medicinã qualem diximus, unà cum huiusmodi iu diciaria æquitate in ciuitate lege constitues, quæ quidẽ eos ciues qui natura, tum animo, tum corpore bene se habent, enutriant: eorum uero qui tales non sunt, quotcunq; corpo re deficiunt, mori sinant: quotcũq; malo ingenio procreati, insanabiles sunt, morte mul ctent? Hoc fortasse & ipsis qui talia patiuntur, & ciuitati conducit. Constat quine tiam curaturos iuuenes ne in iudiciariæ usum indigentiamq; descẽdant, simplici illa uten tes musica, ex qua nasci diximus temperantiam. Cur non? An non per eadem hæc uestigia musicus gymnasticam sequens, si uolet, aget, assequeturq; ut nihil egeat medici na, nisi necessitas cogat? Assentior equidem. Exercebit autem in gymnasiis corpus, respiciens magis ad animositatem naturę, illamq; excitans, quàm ad robur: neq; quemad modum Athletæ alij corporei roboris gratia uictum instituet, laboresq; adhibebit. Re cte admodum. Qui ergo constituunt, ô Glauco, musica & gymnastica homines erudi re, non ea causa qua multi existimant, studia hæc aggrediuntur, ut hac quidem corpus il la animum curent. Cur non? Videntur enim utraq; animi gratia plurimum exerce re. Quo pacto? An non uides ut afficiant animum qui gymnasticam per omnem ui tam exercent, musicã non attingunt, uel qui contra faciunt? De quo nam dicis? De rustica inquam, duritia ferocitateq;, atq; item de mollitie, & mansuetudine. Noui equi dem eos qui sola utũtur gymnastica, agrestiores quàm oportet euadere. Qui autem dun taxat musica, molliores quàm eos deceat, effici. Atqui uis ipsa agrestis ad iracundæ na turæ animositatem pertinet: quæ si recte nutritur, fortis euadit, si autem supra quàm de cet, excrescit, ferox, ut cõsentaneum est, ac dura. Assentior. Quid autem uim ipsam mitem & mansuetam, nónne philosophi natura habet: quæ si nimium coalescit, mollior fit quàm decet: bene autem si enutritur, suauis atq; modesta? Est ut dicis. Dicebamus autem oportere ipsos custodes utrasque naturas habere. Oportet sanè. Nónne con gruere inuicẽ & concinere oportet? Quid ni? Eiusq; animus in quo hæc cõsonant, temperatus est & fortis? Omnino. Eius autem animus in quo dissonant, timidus & agrestis? Et maxime quidem. Quicunq; permittit ut musica animum suum assidue circumsonans occupet et demulceat, perq; aures ueluti per infundibula harmonias infun dat, quas suprà cõmemorauimus, suaues, blandas, molles, ac flebiles, atq; ætatem suam in modulis animum delinientibus consumit, is primũ quidem, siquid iracundum habebat, tanquam ferrum demollit, & utile ex inutili duroq; efficit. Quando autem incumbit diu tius, magis demulcẽt: post hoc iam liquefacit animum & resoluit, donec destillando ex hauriat animositatem omnem, excidatq; tanquã neruos ex animo. ex quo animum qua si segnem militem efficit. Sic est omnino. Ac si à principio hominem nacta sit natu ra sine animi robore, cito hoc perficit. Sin autem animosum, uires animi frãgens ad iram reddit præcipitem, ut nimis quibusq; offensiunculis irritetur, ac facile iterum efferuescat. Vnde ex animosis iracundi atq; morosi effecti, sunt molestia & fastidio pleni. Ita pror sus accidit. Quod siquis gymnasticæ uictui exercitationiq; se dedat, musica philoso phiaq; neglectis, primum quidem firmum corporis habitum consequutus animi uiribus magnitudineq; repletur, fortiorq; quàm esset, euadit. Valde quidẽ. Deinde si in hoc ita perseueret, ut nihil aliud agat, neq; musicã prorsus attingat, certe si quis erat eius in a nimo instinctus discendi flagrãs cupiditate, imbecillus, surdus, ac cęcus efficitur: utpote qui neq; doctrinam gustauerit ullam, neq; indagationẽ rerum, neq; ullam penitus ratio nem, neq; musicam aliam unde expergisci potuerit, coalescereq;, sensusq; suos puros acci pere. Sic plane. Rationi aduersus, ut arbitror, uir huiusmodi, & à musis reddítur alie nus, ac nulla alterius persuasione rationibus inducta utitur: sed ui & agresti immanitate tanq; fera quædam ad omnia fertur, inq; insciția & ruditate sine rhythmo & gratia & ur banitate uiuit. Omnino sic se res habet. Postq; duo hæc sunt, ut apparet, artes duas

assererem

asserentem deum aliquẽ hominibus tribuisse musicã & gymnasticã, ad animositatẽ, philosophicámue naturã, nõ ad animum & corpus, nisi per accidens fuerit, sed ad illa, ut inuicem cõsonarent, intensa uidelicet atq; remissa quatenus deceat. Sic apparet. Eum igit̃ qui pulcherrime gymnasticã cum musica miscet, moderatissimeq; hæc animo adhibet, merito absolutissimũ musicũ diceremus, & summa harmonia cõpositum, magis q̃ eum qui chordas unà cõtemperat. Et merito quidẽ, ô Socrates. Nónne ergo huiusmodi aliquo præside semper in ciuitate nobis opus erit Glauco, si debet salua fore respublica? Erit certe summopere. Hi ergo disciplinæ educationisq; modi essent. Choreas enim huius generis esse recte dicat aliquis, uenationesq; cæteras, & quæ canib. fiunt, gymnica item certamina & equestria. Fermè enim constat sequi eum ista debere, neq; in uentu difficilia fore. Forte non sunt difficilia. Quid nobis pręterea distinguendum? Nónne horum omniũ quinã imperare debeãt, qui parere? Cur non? Constat quidẽ seniores imperare oportere, iuniores subesse. Constat profecto. Et hoc liquet ex his esse optimos eligendos. Liquet certe & istuc. Agricolarũ optimi nónne hi sunt, qui maximã agrorũ habent colendorũ peritiã? Prorsus. Nunc aũt cũ ex custodibus optimos eligi oporteat, nónne eos qui maximã custodiendæ ciuitatis peritiam habẽt? Eos plane. Prudentes ergo ad hoc esse eos oportet, potentesq;, & qui Reip. curam habeãt.

Et ista. Curat aũt quisq; maxime id q̃d maxime diligit. Necesse est. Atq; ad hoc diligit maxime, cui conferre eadẽ ac sibi existimat, & ex cuius felicitate suã arbitrat felicitatẽ infelicitatémue pendere. Sic est. Eligendi igitur ex omnib. custodibus hi maxime qui nobis cõsiderantibus uideantur per omnẽ uitã summo studio ea facere, quæ è republica esse ducũt: quę uero contrà, cauere. Cõmodissimi certe hi sunt. Obseruandi itaq; sunt, ut arbitror, in singulis ætatibus, utrũ præceptũ hoc seruent, neq; tanq̃ præstigijs quibusdã decepti, neq; ui ulla cõpulsi, suiq; ipsorũ obliti ejiciant eam opinionem, qua ea sola censentur agenda, quæ sunt optima reipub Quã ejectionẽ dicis? Dicam tibi. uidet̃ mihi opinio mente excedere, uel sponte, uel inuite. Sponte quidẽ falsa, in eo qui dediscit falsa, uera discit. Inuite autem, uera quæq; opinio. Quod de uoluntario absceſſu dicis intelligo: quod autẽ de inuito, discere cupio. Nónne putas bonis homines inuite priuari, malis aũt sponte? An non mentiri, uerumq; nescire malum est, uere aũt iudicare bonum? Nónne opinari ea quæ sunt, uere putare tibi uidet̃? Probe loqueris, mihiq; uidentur homines inuiti uera opinione priuari. An non uel surreptione, uel deceptione, uel in hoc patiunt̃? Neq; istud intelligo. Tragice porrò loqui uideor. Surripi enim opiniones ijs dico, qui sententiam mutant, uel sensim tempore obliteratã, uel clam aduersa ratione subtractam. Nunc intelligis? Intelligo equidem. Vim autem illis inferri, quos dolor, cruciatus, aliter sentire cogunt. Istud intelligo equidem, ac recte dicis.

Subduci aũt quasi præstigijs eos, ut arbitror, tu quoq; diceres, qui priorem deponunt opinionem, uel uoluptate permulcti, uel metu perterrefacti. Vident̃ sanè quæcũq; decipiunt præstigijs nos seducere. Quod igit̃ nuper dicebam, quærendũ est quinam constanter seruant eam, quæ apud ipsos est sententiã, id uidelicet semper agẽdum esse, quod reipublicæ conducere arbitrant̃. Obseruandi sunt igitur statim à pueritia, eaq; illis opera proponenda, ex quibus aliquis maxime præceptum illud obliuiſci, fallíq; possit. Atq; is qui seruat illud memoriter, neq; subducitur, eligendus: qui contrà abijciendus. an non?

Certe. Ergo & labores & dolores illis & certamina opponenda, in hisq; hæc eadẽ obseruanda. Scite. Nónne secundum speciẽ illam tertiã, hoc est, quasi quandã præstigiorum hallucinationẽ pugnandum est? & quemadmodũ qui inspicere cupiunt nũquid pulli pauidi sint, nec ne, ad strepitum illos, & tumultum ducunt: sic iuniores in terribilia quædam impellendi, atq; item oblectamẽta, in hisq; multo magis q̃ igni aurũ examinandi? ut ita cõperiamus, si extet aliquis inter eos qui non facile irretiat̃, sitq; compositus in omnibus, suijpsius custos optimus, & eius quam didicit musicæ cõseruator, cõcinnumq; & consonum se in his omnib. præbeat. Qualis uir esset & sibi & patriæ utilissimus. Atq; is qui singulis ætatibus semper pueritia, adolescentia, matura ætate probatus est, & immaculatus existit, custos & princeps est ciuitatis constituendus, Honores huic tribuẽdi & uiuenti & mortuo sepulchrorum & aliorum monimentorũ maxima munera sortienti. Qui uero talis non sit, abijciendus est. Huiusmodi igitur ô Glauco delectus & institutio

principũ & cuſtodum eſſe debere mihi uideť, ut ſummatim potius q̃ exacte ſit dictum.

Idem & mihi uideť. Igiť ueriſſime uocabunť hi quidem cuſtodes omni ex parte, tam externorũ hoſtiũ, q̃ internorũ amicorũ, ut iſti nolint, illi nequeãt malũ aliquid machinari. Iuuenes autem quos paulo ante cuſtodes nominabamus, recte auxiliariq̃ defenſoresq̃ inſtitutionũ ipſorum principũ appellabunť. Sic & ipſe ſentio. Quis itaq̃ modus erit quo ex his mendaciſs quæ aliquãdo decent, quẽadmodũ & nos in ſuperioribus generoſum quiddã mentientes induximus, perſuadeamus prius quidẽ principibus? ſin minus, ſaltẽ reliquis ciuibus? Quale iſtud ais? Nihil noui equidẽ, ſed Phœnicium quiddam: quod ante quidẽ apud multos factum eſt, ut poetæ dixerunt & perſuaſerunt, noſtris uero tẽporibus minime: nec ſcio ſi futurũ unq̃. perſuadere certe eſt arduũ. Quàm pigre ad dicendum uideris accedere. Videbor equidẽ tibi poſtq̃ dixero, haud ab re piger. Dic age, nec timeas. Ecce iam dico, quanq̃ neſcio qua audacia quibusq̃ uerbis fretus dicã: atq̃ aggrediar primũ ipſis principibus & militibus ſuadere, deinceps aũt & reliquis ciuibus, q̃ ea quibus nos ipſos enutriuimus eruditiuimusq̃ tanq̃ ſomnia uiſi ſunt circa ſeipſos omnia habere. Erant aũt tunc reuera ſub terra, intus formati & enutriti ipſi, & arma eorũ & ſupellex omnis. Poſtq̃ uero omnino perfecti fuerunt, terra ipſos ut mater eduxit. Et nunc quidẽ tanq̃ matri ac nutrici, regioni huic in qua ſunt, conſulere debent, atq̃ ſuccurrere ſi quis eam inuaſerit, decq̃ cæteris ciuibus tanq̃ de fratribus terra genitis, cogitare.

Nõ ab re iam ante pudebat hoc mendaciũ dicere. Recte admodum, ſed audi iam reliquum fabulæ. Eſtis utiq̃ oẽs in ciuitate tanq̃ fratres, (Sic eñ dicemus apud eos fabulantes) ſed cum deus formaret, quicunq̃ ueſtrũ ad imperandũ idonei nati ſunt, aurũ in eorũ generatione ipſis admiſcuit, propter quod honoratiſsimi ſunt. Illis aũt qui ad auxiliandũ, argentum indidit. Ferrum deniq̃ atq̃ æs agricolis & aliſs opificibus. Tanq̃ igitur eiuſdẽ generis oẽs, ſimiles uobis plurimũ generatis. Euenit aũt quandoq̃, ut ex aureo naſcatur argenteus, & ex argẽteo ſimiliter aureus cæteraq̃ ita uiciſsim. Quapropter ipſis principibus & primo & maxime deus præcepit, ut nullius rei maiorem curam cuſtodiamq̃ ſuſcipiant quàm natorum, ut dignoſcant quid ex quatuor his potiſsimum, illorum animis ſit immixtũ: & ſi quis ex ipſis naſcatur ęneus aut ferreus, nullo pacto miſereantur, ſed honorem illi naturæ conuenientem tribuentes, inter opifices uel agricolas mittant. Rurſusq̃ ſi ex illis naſcatur aliquis aureus uel argenteus, honorãtes extollant partim quidem in cuſtodes, partim auxiliarios: quaſi oraculum ſit, tum rempublicam perituram, cum ipſam uel æneus cuſtos uel ferreus gubernabit. Habésne quomodo huic fabulæ fidem adhibeant? Nullo modo, quo pacto iſti: quo autem modo iſtorum filij ac reliqui poſteri, habeo. At hoc bene ſe haberet ad maiorẽ curam ſui & ciuitatis habendã. Ferme q̃d dicis intelligo. Et hoc quidẽ illuc tendet, quò oraculum perducet. Nos autem hos terra genitos armantes ducentibus principibus producamus. Profecti autem explorẽt, ubinam in ciuitate ſit optimum caſtra ponere, unde & eos qui intus ſunt, maxime cohibeãt, ſiquis nolit legibus ipſis obtemperare: & eos qui extra, repellant, ſi hoſtes tanquam lupus ad ouile perrexerint. Cum uero caſtra poſuerint, & quibus oportet ſacrificauerint, tabernacula ſtruant. Sic ne? an aliter? Sic certe. Num huiuſmodi qualia contra hyemes & calores ſufficiãt? Quid ni? habitationes enim dicere mihi uideris. Sic aio, ſed militares nõ opulentas & mercatorias. Quo differre aſſeris hoc ab illo? Conabor equidẽ declarare. Grauiſsimũ quippe omniũ, & turpiſsimum paſtoribus eſſet, ſi ita canes gregis cuſtodes futuros nutrirent, ut ex intẽperantia, aut ex fame, aut ex aliqua alia mala conſuetudine, canes ipſi aggrediantur pecuaria lędere, & pro canibus ſimiles lupis effi ciantur. Graue nimiũ. Omnino itaq̃ nobis cauendum, nequid tale aduerſus ciues effi ciant, qui defenſores adhibentur, cum ipſis ualentiores ſint, neq̃ beneuolorũ loco ſocio rum, agreſtibus dominis ſe ſimiles præbeant. Cauendum ſanè. Nónne maxima eſſet adhibita cautio, ſi reuera præclare educati ſint? Sunt quidem. Hoc quidem ô amice Glauco, aſſeuerare non decet, quod aũt nuper dicebamus, nimirum decet, quod oportet ipſos rectam, ſiqua eſt, cõſequi diſciplinã, ſi modo mites futuri ſunt & ſibi inuicem & his quos cuſtodiunt. Et recte quidẽ. Ad hãc igiť diſciplinã quiſq̃ ſanæ mentis diceret, habitationem & reliquã ſupellectilẽ ita adhibendã, ne ipſos quo minus optimi uiri eſſent prohiberet, neq̃ eos ad cęteros ciues lędẽdos induceret. Et uere quidẽ. Inſpice igiť an

tali

tali quadam ratione eos oporteat & uiuere & habitare, si quidem futuri sint tales. Primo quidem nemo proprium quicquam possideat, nisi quatenus summa cogat necessitas. Deinde neque domum neque penu habeant, quò non omnibus pateat aditus. Quæ uero ad uictum pertinent, tanta sint apud eos quantis indigent militares athletæ temperati ac fortes: accipiantq; ex instituto ab alijs ciuibus mercedis tantum custodiæ gratia, ut exacto anno, neq; desit quicquam, neq; supersit. Conferentes autem se ad comessationes, perinde atq; in castris, communi uescantur conuiuio. Dicendumq; est illis, aurum & argentum diuinum à dijs in animo eos habere, neq; humano auro indigere, neq; sanctum esse, illius possessionem admixtione mortalis auri inquinare. Nempe ex uulgi pecunijs multa impia prouenerunt: quod uero inest illis aurum, prorsus immaculatum. Profecto solis ipsis ex omnibus qui sunt in ciuitate, tangere aurum aut argentum, aut sub tecto suo recipere, aut circunferre, uel ex ea materie bibere, nefas. Hoc ergo pacto & sibi & ciuitati salutem parerent. Siquando uero domum sibi aut agrum aut pecuniam priuatim possederint, administratores familiæ, & agricolæ pro custodibus erunt, & uice eorum qui ciuibus auxilio sint, domini eorum infensi efficientur: & ipsi odio habiti, odioq; alios habentes, & insidias parantes, pariterq; patientes, uitam uniuersam degent. Vbi multo magis ciues quàm externos hostes timebunt, accedentq; iam tunc proxime ad perniciem tam ipsi quàm reliqua ciuitas. Horum igitur omnium causa dicamus custodes ipsos circa domum & reliqua omnia ita instructos esse debere. Hæcq; lata sit lex, an non? Sic esto.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI in Dialogum quartum De Iusto.

TRADITVR *in quarto libro modus possessionis atq; ciuitatis, ut neq; diuites nimium ciues sint, neq; pauperes. Putat enim tam ex nimia copia quàm inopia seditiões oriri, ciuitatemq; dissipari. Iudicat præterea ciuitatẽ illam non esse unam, sed plures, in qua alij quidem pauperes sint, alij uero diuites: atq; ut fieri solet, diuites contemnãt pauperes: hi uero erga illos, & inuidia afficiantur & odio. Vnde sensim descendit ad mysterium suum, ut omnia uidelicet sint cõmunia, ne alij minus, alij uero plus habeant, & inde inuidiæ, mendacia, furta, & hinc luxuria, superbia, pigritiaq; nascãtur. Adde quod possessio rerum tam excedens quàm deficiens, non solum moribus & concordiæ, sed ingenio etiam & artibus obest. Docet non diuitijs, sed uirtute seruari ciuitatem, magnaq; gerere. Item quamlibet ciuitatis partẽ nõ ita disponendam esse ut in seipsa quàm optime habere se uideatur, sed ut cunctis conferat, cõmuniq; ciuitatis totius conducat bono. Alioquin neq; ciuitatem ipsam, neq; partes ullas posse consistere. Addit præterea ciuitatis augendæ modum, quatenus scilicet ciuitas una permaneat. At cum primum perdi unitas posse uidetur, non esse ulterius augendam. Præcipit ergo, ut neq; exigua, neq; uasta sit ciuitas, sed mediocris æqualisq; & cõcors, quo eius unitas cõseruetur. Quoniã uero messem frustra sperat qui negligens fuit in seminãdo, idcirco totũ studiũ circa pueritiã adolescentiamq; adhibendũ esse iudicat, quasi circa messis urbanæ sementẽ, adeo ut etiã uerborũ, ludorum, gestuumq; singulorũ ratio diligẽs circa pueros adolescentesq; habeatur. Alioquin si negligatur hæc ætas, nõ aliter circa leges quotidianas frustra laboratum iri, quàm si quis pharmacis eũ quotidie curare contenderit, qui nullũ seruare uelit in uictu temperantiæ modũ. Inter hæc considera ludos in studia sensim, moresq; conuerti. item sicut homini et natura robusto, & uictu prudenti atq; tẽperato, nullis pene unquã opus est medicinis: ita ciuitati & optime ab initio constitutæ, & in ea forma perseuerãti, neq; multis ab initio legibus, neq; quotidianis deinceps cõstitutionibus opus esse. Malas uero respublicas, in quotidiana quidẽ per nouas leges curatiõe uersari, nunquã uero bene ualere. Qua propter in hac republica tanquã optima, Plato nullũ circa leges adhibuit studiũ, sperans prudentes bonosq; uiros leges esse uiuẽtes. De legibus uero sacris quid? Multo certe minus in his censuit laborandũ. Nemo enim qua ratiõe colendus sit deus intelligit unquã, nisi prius intelligat deũ. Diuinum uero solem nisi ipso diuino sole se monstrãte, uidere non possumus. Petendas ergo religionis leges ab Apolline, id est, diuino lumine, iudicat: petendas inquã non lingua, sed purgata mẽte atq; serena. Mitto quid hic de historia tãgat oraculorũ. Hæc enim notissima sunt. Allegorice uero significat Apollinẽ, id est, diuinũ lumen: sedere, id est, firmiter adesse: mediæ terræ, id est, ubiq; rerũ omniũ penetralibus. In umbilico cõquiescere, id est, in mente à sensibus segregata, atq; instar figuræ motionisq; sphæricæ in se reflexa. Præterea Apollinẽ omnibus esse patrium, id est, præsentẽ & familiarẽ, atq; propriũ: patrẽ quidem nascentibus, patriam denique reuertentibus. Constituta uero republica deinceps quatuor in ea uirtutes agnoscit. Prudentiã in principibus, id est recte custodiendi consulendiq; scientiã. Fortitudinẽ in militibus, id est, firmã sententiã inuitis tã illecebris quàm minis audẽdi pro patria in periculis, quatenus leges magistratusq; præcipiũt.

Temperãtiam in principibus simul & militibus, atque artificibus, id est, consensionẽ quandam qua libenter cũcti conueniunt, ut alij quidem imperent, alij pareant: & inter eos qui parent, alij quidem in bello, alij in opificio pareant: neq; ob uoluptates ullas consensio talis impediatur, immo cupiditates inferiorũ, superiorum imperio consilioq; obtemperent. Iustitiam quoque in omnibus, per quam suũ quisq;, id est, ad quod & natura & studio est aptissimus, opus munusq; exequitur tam publice quàm priuatim communis cõmodi gratia, neque quisquã sibi uendicat alienum. Quod autẽ temperantiam appellauit Diapason harmoniam, intellige Diapason consonantiam resultantẽ ex dupla tensionis, uelocitatis, uehemẽtiæ proportione ad id quod duplo remissius est, tardiusq;, & lenius. Ex qua quidem proportione dupla consurgit acutæ, id est, octauæ uocis excessus ad grauẽ. nec immerito. Prima enim proportio dupla inter duo & unum. In qua quidem proportione binarius numerus dum superare uidetur, unum recreat, & geminat unũ. Binarius deinde dum mouetur ac reuoluitur in seipsum, octo producit numerum solidũ. Bis enim duo bis, octo conficiunt. Dicitur autẽ diapason, id est, per omnia. Consonantia enim eiusmodi, & omnes intra se continet, & replicatur in omnibus. Nec ab re Plato inquit, temperantiã, quasi diapason extendi per summos cieues infimosq; & medios. In octaua enim & grauis uox, & acutissima est. sunt & mediæ. Sed ut ad iustitiam redeamus, quemadmodũ in diapason consonantia uox octaua cum graui adeo consonat, ut quæ uox gemina est appareat una: sic in bene cõposita ciuitate temperantiæ grauitas cum iustitiæ robore tam apte congruit, ut duæ hæ uirtutes uix inuicem discernantur. Et uide quàm opportune ex diapason cõsonantia uocis octauæ Socrates se conferat ad iustitiam apud Pythagoricos octonario numero designatam. Cum enim iustitia sit æqualis omnino pro cuiusque meritis distributio, ciuitatisq; solidum fundamentum, iuste per octonarium describitur numerũ. Hic enim numerus et solidorum primus est, primusq; omnium in numeros ita soluitur pariter pares, hoc est in bis quaternos, ut nihilo minus in numeros æque pariter pares diuisio quoq; ipsa soluatur, id est in bis binos. rursusq; qua æqualitate resoluitur, eadem quoq; contexitur. Nam bis bini bis, octonarium, ut dixi, constituunt æqualitatis iustæ simulachrum. Quapropter Orpheus ubicunque diuinam iustitiam obtestari uolebat, per numina octo iurabat, ignem, aquam, terram, cœlum, lunam, solem, phanetamq;, & noctem. In Aegyptia quoque columna in signum iustitiæ posita numina octo notabantur inscripta, quemadmodum testatur Euander, Saturnus, Rhea, Osiris, spiritus, cœlum, terra, nox, dies. Denique cœlestis iustitiæ ordinem sphæris octo digestum esse omnis arbitratur antiquitas. Socrates post hæc ostendit iniustitiam esse subitum ciuitatis exitium, quando aliena singuli usurpantes omnia perturbant atq; cõfundunt. Iustitiam uero ciuitatis ordinem esse atque salutem. Proinde ex manifestiori hac ciuitatis iustitia, ad occultiorem transit in animo quasi latentem. Diuiditq; trifariam animi uires, in rationem loco principis, & uim irascẽdi uice militum, naturamq; concupiscendi opifici similem. Probatq; unam in nobis esse animam, cuius, et in qua hæ tres sint uires, non loco inter se, sed proprietate distinctæ. Quod quidem & Peripateticos quosdam latratores refellit, & cuilibet diligenter legenti potest fieri manifestum. Hanc uero distinctionẽ adducit, ut pateat quomodo inter se anima atq; ciuitas, & illius & huius iustitia sunt persimiles. Inquit ergo. Cum nequeat anima per eandẽ suã uim circa idem simul opposita facere, necesse est eam tres saltem uires habere. Quippe cum eodem in tempore per libidinem rapiatur ad uoluptatem, & per rationẽ interim reuocetur. Item per libidinem retrahatur à prælio, per iracundiam prouocetur ad pugnam. Ex quibus patet rationem esse à libidine differentem, & ab eadẽ differre etiã irascendi uigorem. Differre quoq; hunc à ratione patet, tum in pueris nondum utentibus ratione, iracundia tamen ualde feruentibus, tum in alijs multa per iram præter rationis legem agentibus. Propinquiorem uero irascendi uigorem rationi ex eo esse probat, quod indignatio sæpe rationi opitulatur contra libidinem. Concludit deinceps iustitiam unà cum temperantia esse legitimam quandam consensionem, tum in cuiuslibet animo trium quas diximus partium, tum in ciuitate trium his partibus consimilium. Consensionem inquam in gubernando, exequendo, obediendo, atque in proprijs muneribus peragendis, & alienis non usurpandis. Nec immerito hic iustitiam temperantiæ germanam, nominat harmoniam, ex acutis uocibus & grauibus medijsq; constantem, uocibus inquam principes & quæstuarios mediosq; horum milites referentibus. Deinde ut quæstioni iamdiu adductæ respondeat, quærenti quidnam iustitia iniustitiaq; in animo pariant, dicit uirtutem esse animi sanitatem pulchritudinemq; & robur: uitium uero morbum, turpitudinem, imbecillitatem. Siquidem uirtus cunctas animæ partes, ut statuit natura, disponit & seruat. Vitium uero contrà, naturæ ordinem confundit, atq; perturbat. Quoniam uero quando deprauata omnino corporis est natura, præstat mori quàm uiuere, etiam si externa nobis abunde suppeditentur, idcirco cõcludit illius uitam tanquam miseram esse ab omnibus fugiendam, in quo anima per quam uiuimus per uitium est deprauata. Postremo in ipso libri huius calce asserit eiusmodi animam ciuitatemq; quam descripsit, optimam esse atq; felicissimam. Animam ciuitatemq; regiam, à regina uidelicet hominis ratione dispositam. Addit eiusmodi gubernationem tum regnum appellari, quando inter multos bonos excellat quidam manifeste omniũ præstãtissimus: tum rempub. optimatum, quando plures pariter uideantur excellere, Omnino uero eandem esse gubernationem existimandam. Annuit quoq; se in sequenti libro quatuor reliquas, tum animorum, tum rerum publicarum affectiones ordine distincturum.

DIALO-

DIALOGVS QVARTVS
DE IVSTO

HIC Adimantus respondens, quid ô Socrates, afferes, inquit, si quis te dicat non multũ hos uiros beatos efficere, cum tamen ipsi sint quorum reuera est ciuitas, nihil autem ex bonis ciuitatis accipiant, quem admodum alij, qui & agros & magnificas domos supellectilemq; huiusmodi domibus conuenientẽ possident, sacraq; dijs priuata faciũt, hospites excipiunt, quæ tu nunc dicebas, aurum & argentum adepti, & quæcunq; ad felicitatem conferre putantur: isti uero tanquam auxiliarij quidam mercede conducti in urbe sedent, nihil agẽtes aliud quàm custodiã? Certe, inquam ego, ut qui uictum præterea solum recipiant, neq; mercedem ultra uictum, ut alij solent. Quocirca neq; si proficisci priuatim alio uelint, licebit ipsis, neq; quicq; scortis largiri, aut ad quæuis alia pecunias erogare, eorum more qui beati putantur. Quæ tu & alia multa huiusmodi reprehensione digna prætermittis. Atqui, inquit Adimantus, sint & ista in accusatione comprehensa. Quæritur igitur, inquam, qua ratione defendamus superiora? Nempe istud quæro, inquit. Eandem, inq;, uiam illam ingrediẽtes, inueniemus, ut arbitror, quæ sint dicẽda. Dicemus porrò nihil mirum fore, si ita isti felicissimi sint. Non tamen ad hoc respicientes constituimus ciuitatem, ut una aliqua nobis gens sit præcipue felix, sed ut quàm maxime ciuitas uniuersa. Speramus enim in huiusmodi ciuitate iustitiam maxime inuenire, contrà uero in ea quæ pessime instituta esset, iniustitiam. Quibus inspectis, facile nos quod iamdiu quærimus, iudicaturos existimauimus. Nunc sanè, ut opinamur, beatam fingimus, non ut pauci quidem in ea beati sint, sed ut ciuitas tota. Deinceps autem contrariam contemplabimur: quemadmodum enim si quis nos figuram hominis depingentes uituperet quod pulcherrimis animalis partibus non pulcherrimos etiam colores apponamus: oculi enim pulcherrimum membrum non purpura, sed nigro colore essent depicti: decenter utiq; respõdere uideamur, non oportere adeo nos pulchros oculos pingere, ut ne oculi quidem esse uideãtur, ac neq; cætera membra: sed considerare debere, si singulis decorem suum attribuentes, totum pulchrum reddamus. Sic neque nunc nos cogas, diceremus, ea custodes felicitate afficere, quæ illos quiduis aliud potius quàm custodes efficiat. Possemus enim & agricolas hortari, ut preciosissimo corporis cultu auroq; ornati animi tantum gratia colerẽt terram: & figulos ut à dextra discumbentes, atque ad focum conuiuium celebrantes, missa rota quãtum animo lubeat, figulinam exercerent: & alios omnes hoc modo beatos efficere, quo uniuersa ciuitas felix esset. Sed ne nos ita moneas. Porrò si tibi parebimus, neque agricola, agricola erit, neq; figulus, figulus neq; ullus alius formã habebit eorum ex quibus fit ciuitas. Sed aliorum quidem ratio leuior. Sutores enim facti deteriores deprauatiq;, & simulantes id esse quod non sunt, ciuitati nihil inferunt graue. Custodes autem legum & ciuitatis si nõ sint, sed appareant, uides' ne ut omnem ciuitatem simul perdant? Rursusq; custodes ipsi bene eam constituendi, beatamq; reddendi soli oportunitatem habent. Quamobrem si ueros ciuitatis custodes quærimus, minime eos eligere debemus, qui noceant ciuitati. Qui uero illud dicit, & agricolas non tanquam in ciuitate, sed tanquam in festa quadam celebritate discumbentes felices facit, aliquid certe aliud quàm bonum considerat ciuitatis. Videndum igitur utrum ad hoc respiciẽtes custodes constituamus, ut quàm maxime felicitate abundẽt: an potius totius ciuitatis rationem habeamus, ut tota sit felix: auxiliarios autem istos atq; custodes cogere & persuadere deceat illa facere, ex quibus optimus sit sui quisq; operis artifex, cæterosq; omnes similiter. Atq; ita uniuersa aucta ciuitate, rectèq; instituta, sinendum ut singuli quatenus cuiusq; natura capax est, beatitudinis sint participes. Probe, inquit ille, mihi loqui uideris. An & quod huic est proximum, inquam ego, uidebor tibi recte dicere? Quid maxime? Contemplare nunquid ista cæteros quoque artifices ita corrumpant, ut praui sint. Quænam ista? Diuitiæ uidelicet & paupertas. Qua ratione? Ita. figulus diues factus uidet' ne tibi ulterius curã suæ artis habere? Minime. Pigrior certe negligẽtiorq; reddet'. Valde. Quare & deterior figulus. Et istud. Rursus autem si propter inopiã instrumentis

tis & reliquis quibus indiget ars, careat, & opera ipsa deteriora faciet, & filios ac cæteros quoscunq; docebit, deteriores artifices reddet. Quid ni? Ex utrisq; igitur tam opulentia quàm paupertate, & praua artificum opera, & praui artifices ipsi fiunt. Sic apparet.

Quæ mala ex opulẽtia & pauperta te oriantur

Alia ergo quædam inuenimus nostris custodibus obseruanda, ne ipsis insciis in ciuitatem irrepant. Quænam ista? Opulentiã, inquam, & inopiam. Illa siquidem delicias, desidiam, seditiones, rerum nouarum studium parit. Hæc autem cum rerũ innouatione illiberalitatem, & maleficia gignit. Sic est prorsus. Veruntamen ô Socrates, animaduerte quæso, quo pacto nostra hæc ciuitas cum pecunijs careat, bellũ gerere poterit, præsertim siquando aduersus amplam opulentamq; ciuitatem arma capere cogetur. Constat utiq; quod aduersus unam difficile, sed aduersus duas tales, certe facilius. Quomodo istud ais? Quod æquum est utiq; dico. Principio si cõmittenda pugna est, nónne hi bellicis rebus exercitati, aduersus diuites pugnabunt? Fateor equidẽ istud. Quid uero Adimante? Vnus pugil optime ad hoc instructus, nónne contra duos huius facultatis ignaros, diuites insuper ac pingues uidetur tibi facile pugnaturus? Haud fortè simul.

An fortè neq; etiã si licuerit subterfugiẽdo eius qui primus inuadit ictus euitare, deinde subita cõuersione eum cædere. Quin si sæpius in sole & æstu id egerit, plures huiusmodi homines uir talis subiget. Nempe nihil mirum. An non putas diuites pugilum artis plus usu, & notitia consequutos esse quàm bellicæ? Equidem. Facile itaq; athletæ nostri, ut consentaneum est, cum duplis triplisq; ipsorum certabunt. Id quoq; admittam. Nam probe loqui uideris. Quid si missa in ciuitatẽ aliam legatione, uera dixerint: quod nos quidem auro & argento non utimur, neq; nobis fas est, uos ergo bellum nobiscum gerentes, quæ alij possident, habetote: censes uero aliquos his auditis, contra canes duros aptosq; pugnare malle potius, quàm unà cum canibus huiusmodi contra pingues oues ac molles? Haudquaquã mihi uidetur. Verum si in ciuitate una cæterorum pecuniæ cumulentur, caue ne minus pecuniosæ periculũ inferat. Beatus es, quandoquidem putas decens esse aliam quandam appellare ciuitatem, quàm talem qualem ipsi constituimus. Quid prohibet? Ampliorem appellationem exigunt alię. Nam quæq; illarum, ciuitates multæ sunt, nõ ciuitas, ut his, qui quod prouerbio dicitur, ciuitates ludunt. Vna quæq; sanè duæ est saltem, inuicem dissidentes. Vna quidem pauperum, diuitum altera. Rursusq; in utraq; istarum permultæ: quibus, si ut uni intendas, penitus aberrabis: sin ut multis, tribuens ea quæ aliorum sunt alijs, tam pecunias quàm potentias, aut & ipsos præterea, socijs auxiliatoribusq; semper multis uteris, hostibus autem paucis. Et quatenus ciuitas ita ut nuper ordinata est, temperata existet, maxima erit. Nõ opinione, inquam, sed reuera maximã fore, etiam si mille duntaxat propugnatoribus cõstet. Ita enim magnam, ciuitatem unam haud facile uel inter Græcos, uel inter Barbaros quandoq; reperies: quę tamen huiusmodi ciuitate multo maiores uideantur multis, inuenies. An aliter sentis?

Non aliter per Iouem. An non hic igitur pulcherrimus erit nostris principibus augendæ ciuitatis terminus, cui cum tanta fuerit, tãtam regionem tribuere decet, reliquam autem dimittere? Quisnam terminus? Arbitror equidem, quousq; adaucta ciuitas una permaneat, eo usq; augendam esse, nõ ultra. Præclare. Hoc præterea præceptum custodibus seruandum mandabimus, ut nec parua ciuitas, nec magna uideatur esse, sed una atq; sufficiens. Atqui leue quid forsan illis præcipiemus. Et istud leuius præterea, cuius in superioribus mentionẽ fecimus, cum diceremus oportere siue quis custos ignauus nascatur, ad alios mittere: siue ex alijs probus, ad custodes ipsos transferre. In quo plane ostendere uolebamus, quod & aliorum ciuium unumquenq; ad unum id opus duntaxat ad quod natura est aptus, ducere decet, ut quisque unum aliquod suum opus exercens, non multi, sed unus existat, atq; ita ciuitas tota una fiat, non multæ. Est hoc etiam illo minus. Haudquaquam, ô bone uir Adimante, hæc multa ac magna, ut existimaret aliquis, illis præcipimus: sed leuia omnia exiguaq;, si unum, ut dici solet, magnum seruẽt, immo uero pro magno, sufficiens. Quid istud?

De educatione

Educationem, inquam, & eruditionem. Nam si bene educati, uiri moderati euaserint, facile omnia ista discernent, tum alia quotcunq; nos in præsentia prætermittimus, tum mulierum uirorumq; cõiunctiones, & procreationes filiorum, quòd uidelicet oporteat amicorũ omnia hæc secundum prouerbium quãmaxime esse cõmunia.

Prouerbiũ

Rectissime profecto ita fieret. Etenim respublica si semel

ſemel cœperit bene, progreditur tanquam circulus ſemper proficiens. Quippe educatio eruditioq; bona ſeruata, ingenia quoq; bona efficit. Rurſusq; bona ingenia educationem huiuſmodi conſecuta, meliora etiam quàm prius euadunt, tum ad alia, tum ad filios generandos, quemadmodũ in cæteris animalibus. Conſentaneum id quidem. Denique, ut ſummatim dicam, hoc diligenter eſt à ciuitatis tutoribus obſeruandum, ne clàm illis ignorantibus corrumpatur. Immo iſtud in primis curent, nequid præter ordinẽ à nobis datum circa gymnaſticam et muſicam innouetur, ſed illum quàm maxime fieri poteſt quiſq; ſequatur. Et cum dixerit aliquis poeticum illud, homines uidelicet nouis cantibus admodum delectari, metuere debent iſti cuſtodes, ne ſępenumero poetam quis putet nõ cantilenas nouas, ſed modos canendi nouos dicere, eosq; lauder. Oportet autẽ neq; laudare quicquam tale, neq; ſuſpicere. Cauendũ ſanè ſpeciem muſicæ nouam inducere, tanquam in toto naufragium. Nuſquam enim muſicæ modi mutantur, abſq; maximarum legum ciuilium mutatione, ut ait Damon, cui & ipſe aſſentior. Me quoq; ſcito, ô Socrates, aſſentiri. Arcem igitur quandam cuſtodiæ gratia, hi ipſi cuſtodes circa muſicam ſtruere debent. Nempe eiuſmodi præuaricatio clàm ac facile ſurrepit. Certe ioci cuiuſdam inſtar, atq; ita ut nihil lædere uideatur. Atqui paulatim nobis familiaris effecta, ſenſim in mores ſerpit & ſtudia: ex his deinde ad commercia emergit amplior: demum à commercijs in leges reſpublicasq; erumpit magna, ô Socrates, cum petulantia atq; laſciuia, quouſque tandem priuatim ac publice cuncta peruertat. An hoc ita ſe habet? Ita mihi uidetur. Ergo ut à principio diximus, ſtatim à primis annis pueri honeſtis in iocis aſſuefaciendi ſunt. Nam ſi iocis minus decentibus aſſueſcant, nunquam legitimi probiq; uiri euadere poterunt. Quid ni? Quando itaq; bene incipientes pueri iocari ac ludere, legitimum per muſicam morem imbibunt, in cõtraria his omnino ac ſuperioribus muſica tendit, atq; proſequitur erigere ſiquid antea in ciuitate iacebat. Vera loqueris.

Inſtitutio puerorum in iocis honeſtis

Quæ igitur exigua uidentur eſſe ciuitatis inſtituta, ut dixi, hi reperient, quæ ſuperiores omnia perturbabant. Qualia? Hæc uidelicet. Quemadmodum tacere debent coram ſenibus iuniores, cedere illis locum atq; aſſurgere, parentes colere: quis tonſurę modus ſeruandus cuiq;, quibus ueſtibus calceis ue utendum, & omnino quis corporis ornatus conueniat, ac cætera generis eiuſdem. An nõ putas? Equidem. Atqui legibus hęc præſcribere, ineptum, ut arbitror, uideretur. Nam neq; id uſquam ſit, neq; conſtarent hæc uerbis literisq; mandata. Quomodo enim? Apparet itaq;, ô Adimante, quale cuiuſque fuerit puerilis educationis initium, talia fore etiam quæ ſequũtur. An non ſimile ſemper ſimile prouocat? Cur non? Ac tandem dicendũ id eſt in unum aliquod ſummum & potens, ſiue bonum, ſeu malum deſinere. Quid prohibet? Hac equidem ratione nunquam ſtatuere legibus hæc contenderem. Et merito quidem. Dic per deos, nunquid negotia ipſa forenſia mutuaq; commercia & pacta in mechanicis artibus, item contumelia & uerbera, citationes in iudicia, conſtitutiones iudicum, & ſiqua uel circa forum, uel portus, aut imponenda aut exigenda ſunt uectigalia, uel omnino forenſia quęq; iura, uel urbana, uel naualia, & reliqua id genus, an hęc, inquam, uel horum quicquam legibus conſtituere aggrediemur? Haud quaquã decet uiris bonis præclarisq; præcipere. Hæc enim plurimũ qualia & quomodo ſtatuenda ſint, facile ipſi reperient. Nimirum ô amice, ſi deus illis legum illarum quas ſuprà poſuimus, ſalutem præſtiterit. Sin minus, ita uitam ducent, ut multa eiuſmodi legibus ſtatuant, corrigantq; ſemper & innouent, putantes ita ſe quod eſt optimũ aſſequi. Dicis nempe iſtos perinde uicturos, ac illos qui cum ægrotent, propter intemperantiam inſalubrem uictum mutare nolunt. Sic prorſus.

Enimuero ridiculo quodã modo iſti in morbis perſeuerare uidentur, curationibusq; ſuis nihil aliud aſſequuntur, quàm quod plures uehementioresq; morbos efficiunt, confidunt q; ſemper, ſiquis pharmacis agi conſulat, bene ſe ualituros. Omnino tales ſunt ita laborantiũ morbi. Quid uero? nónne hoc in illis gratioſum? quod omnium inimiciſſimum eum putent, qui uera monet, dicitq; nõ prius pharmaca, uſtiones, inciſiones, incantationes, ea ue quę extrinſecus admouent, aut eiuſmodi aliqua profutura, q; deſinat quis ebrietati, uoragini, ueneri, otio indulgere? Haud admodum gratioſum iſtud. Nam indignari aduerſus eum qui utilia cõſulit, gratiam habet nullam. Ergo uiros huiuſmodi, ut uideris, nequaq; probas. Minime per louem. Neq; etiam ſi ciuitas tota id agat quod

modo

modo dicebamus, laudabis. An non idem quod isti facere tibi ciuitates uidentur, quæcũque male institutæ, ciuibus interdicunt ne totum ipsum reipublicæ statum moueant, alio quin capite damnentur quicunq; res innouant? Contrà quisquis præsentem gubernationem approbat, confirmatq;, uoluntatesq; gubernantiũ aucupatus assentitur, suffragat̃, & explet, hic demum bonus uir, hic in rebus maximis sapiens, hic honore dignus existimetur? Idem prorsus facere mihi uidentur, neq; ullo pacto huiusmodi respublicas laudo.

Quid autem? nónne eorum fortitudinẽ, propensioremq; affectum miraris, qui has ciuitates curare contendunt? Admiror equidem, his exceptis qui ab ipsis falluntur, putãtq; reuera ciuiles esse, quod uulgo laudentur. Quid ais? An non istis ignoscis? Numquid existimas eum qui metiendi sit ignarus, siquando cæteri multi tales quadricubitum esse eum prædicent, effugere posse quin & ipse de se idem existimet? Non istud quidẽ. Ne igitur ægre feras. Sunt enim hi quidem omnium modo quodam ridiculo gratiosissimi, qui leges ferunt in his quæ diximus, emendantq; semper, confidentes se finem aliquẽ reperturos circa ea quæ inique in cõmercijs cõmittuntur, & circa illa quæ ego paulo ante dicebam, ignorãtes quod reuera tanquam hydræ capita amputant. Certe nihil aliud faciunt. Equidem speciem hanc institutionũ circa leges ac respub. arbitror uerum cõditorem legum, neq; in male dispositam, neq; in bene constituta ciuitate curiose tractare: in illa quidem, quoniam inutilia sunt huiusmodi instituta, neq; mouent quicq;: in hac autem, quia partim quisq; reperiet, partim suapte natura ex superioribus studijs proficiscuntur.

Quid præterea restat nobis lege præcipiendum? Nobis quidem nihil. Apollini autẽ Delphico maxima, præclarissima, prima instituta. Quænam ista? Templorum constitutiones & sacrificia, cæteriq; deorum & dæmonũ atq; heroum cultus, sepulchra præterea & funera defunctorũ, & quæcunq; sunt ad eos placandos ministeria subeunda. Talia profecto neque ipsi scimus, & in ordinãda ciuitate nulli credemus alteri, si sapiemus, nullo q; alio utemur interprete, nisi patrio deo. Hic nempe deus in rebus huiusmodi cunctis hominibus patrius interpres, in media terra super umbilicum sedens, exponit. Scite loqueris, atq; ita agendum. Cõstituta iam tibi ô Aristonis fili, sit ciuitas. Deinceps autem & luce aliunde magna illata, per eam & ipse circumspice, & fratrem aduoca tuum, & Polemarchum, & alios insuper, ut experiamur si quo pacto iustitia et iniustitia ubi locorum sint, uidere queamus: quo' ue inter se discrepent, atq; utrum horũ consequi debeat is qui beate uicturus sit, siue lateat, siue non lateat deos omnes & homines. Nihil, inquit Glauco, agis ô Socrates. Tu enim inuestigare pollicitus es, quasi impium futurum sit, si nõ pro uiribus fueris suffragatus iustitiæ. Vera admones, inquam ego, & ita certe agendum. Oportet tamen & uos mihi adesse. Sic agemus, inquit. Spero itaq; hac ratione id inuenire. Nempe arbitror ciuitatem, si recte nobis fuerit constituta, absolute bonã existere.

Necesse est. Cõstat utiq; quod sapiens est, fortis, & tẽperata, & iusta. Constat. Quocunq; horũ in ciuitate cõperto, reliquum erit quod nondum inuentũ. Quid ni, inquit?

Si ex alijs quibusdã quatuor, unũ aliquid in subiecto aliquo inquireremus, illudq; primo pateret, satis nobis esset factum: quod si tria reliqua prius comperiremus, ex hoc ipso quæsitum cognosceremus, quia cõstaret nihil esse aliud q̃ quod restaret. Probe loqueris. An non de istis etiam, quandoquidem quatuor sunt duntaxat, eodem modo quærendum? Plane. Atqui ex his omnibus prima in ciuitate sapientia præfulgere uidet̃, aliquid' ue mirandũ circa ipsam apparet. Quidnam? Sapiens mihi reuera ciuitas quã descripsimus, esse uidetur. Nam consulta est. Nónne? Est profecto. Etenim hæc ipsa in consilijs perspicacia, scientia quædam est. Non enim inscitia, sed scientia potius homines bene consulunt. Perspicuum id quidem. Multæ uero ac uariæ in ciuitate scientiæ sunt. Sunt. Nunquid propter ipsam fabrorum scientiam, sapiens & bene consulta ciuitas appellanda? Nullo modo propter istam, sed fabrilis. Non ergo sapiens appellanda est ciuitas, ex eo quod propter fabrilem scientiam de operibus ligno conficiendis, qua ratione peragantur, bene consulitet. Non certe. An non forte propter scientiam, quæ ænea opera fingit? uel aliam talem? Certe propter nullam huiusmodi. Neque etiam propter scietiam cõsiliumq; fructuum ex terra producendorũ colligendorũq; sapiens nominatur, ac bene cõsulta, sed agricolaria. Sic opinor. Quid uero? Est ne aliqua scientia in ciuitate nuper à nobis condita, apud ciues ullos, qua non de re aliqua in

ciuitate

ciuitate,priuata deliberat,sed de uniuersa potius ciuitate,qua ratione & ipsa ad seipsam & ad alias ciuitates optime sese gerat? Est nimirũ. Quænam hæc,& in quibus? Ipsa scilicet custodiẽdi diligentia,& in his principib.quos modo custodes perfectos appellabamus. Propter hanc ergo scientiã, quo nomine ciuitatem nuncupas? In consultando perspicacem,ac reuera sapientem. Vtrum plures in ciuitate fabros ærarios,ꝙ ueros hosce custodes esse putas? An contra? Multo certe plures ærarios fabros. An non & reliquorum omnium artificũ quicunq; aliqui esse dicuntur,isti pauciſſimi erunt? Pauciſſimi admodũ. Ergo ex minima quadam gente suiq; parte,& ex scientia quæ in præsidente & principe parte inest,tota sapiens erit secundũ naturam ciuitas instituta:atq; id, ut uidetur,natura pauciſſimũ rariſſimum'ue genus,cui conuenit esse huius scientię parti ceps,quam solam ex omnibus alijs decet sapientiã appellare. Veriſſima narras. Hoc itaq; unum ex quatuor,non uides qua ratione inuenimus? Et ipsum. Et qua sit ciuitatis in parte locatum? Mihi quidem sufficienter uidetur inuentum. At uero neq; inuentu difficile est,quid fortitudo sit,qua'ue ciuitatis in parte locet, propter quam fortis ciuitas nuncupatur. Quonam pacto? Quisnam ad aliud quicquam respiciens ciuitatem uel timidam,uel fortem nominat,ꝙ ad eam partem quæ pro ipsa pugnat ac militat?

Certe nullus ad aliud. Neq; enim alij in ipsa uel timidi,uel fortes existentes,autoritatem habent,qua eam uel timidã,uel fortem reddant. Non certe. Fortis igitur ex parte sui aliqua ciuitas erit, ex eo quod in ea uim quandam habeat,quæ ratam in omnib. seruat opinionẽ,quòd ea duntaxat terribilia sint,& talia,quę & qualia legislator in eruditione pronunciauit. An non hanc fortitudinem uocas? Non satis quod dixisti,percepi,dicas iterum. Conseruationem quandam fortitudinem esse dico. Quam conseruationem? Opinionis uidelicet lege per educationem conceptæ,qua iudicantur quæ terribilia sint,& qualia. In omnibus autem eam cõseruationem esse dixi,hoc est, ut rata semper & ubiq; seruetur,siue quis doloribus afficiatur,seu uoluptatib. aut cupiditatibus, aut timoribus,nec ullo pacto quis propter hæc ab ea dimoueatur. Cui autẽ simile esse id arbitror,si uis tibi aperiam. Cupio equidem. Nescis quòd fullones,quoties uolunt lanas purpureo colore inficere,primo quidem ex tot coloribus album eligunt,deinde nõ mediocri opera præparant, ut quãmaxime florem suscipiant,atq; ita demum colore inspergunt purpureo. Quod autem ita est tinctũ,indelebile permanet,neq; sola aqua dilui, neque etiam additis his purgationibus, quę ad abstergendũ pertinent aboleri flos ille coloris potest. Quæ autem non ita præparata sunt,scis qualia euadant,seu alijs coloribus, seu istis tingat aliquis,cum minus antea excoluerit? Certe deformia sunt,colores'q; eorum facile diluunt. Tale aliquid facere studuisse nos pro uiribus cogita, quãdo milites ipsos eligebamus,eos'q; & in musica & gymnastica erudiebamus:atq; existima nihil nos aliud excogitasse,quàm ut nobis ꝙ optime persuasi leges instar coloris cuiusdam imbiberent: adeo ut eorum opinio de rebus terribilibus,de'q; cęteris omnibus immobilis perseueret ex eo quòd optima natura geniti fuerint,& decenti educatione nutriti,neq; colorationẽ eorum delere ualeant purgamina ista ad diluendum uehemẽtissima,uoluptas scilicet omni saponis acrimonia,aluminis'q;,& calcis ad expurgandum acrior, dolor itẽ, metus atque cupiditas omni alio purgamine ad abstergendũ potẽtiora. Hanc utiq; uim passim rectæ legitimæq; opinionis conseruatricẽ circa terribilia eorumq; cõtraria, fortitudinẽ uoco equidem atq; assero, nisi tu fortè quid aliud dixeris. At ipse nihil aliud. Videris enim opinionem eandem de eisdem absq; disciplina conceptam,ferinam uidelicet & seruilẽ, haudquaq; existimare legitimam, sed aliud quiddam ꝙ fortitudinẽ nũcupare. Veriſſima loqueris. Admitto igitur hanc fortitudinem esse. Intellige insuper & ciuilem,atq; ita recte accipies. Deinceps autem de hac si uolueris aliàs diligentius pertractabimus. In præsentia uero non istud quidem,sed iusticiam quęrebamus. Ad cuius inuestigationem satis de hac,ut arbitror,dictum. Præclare loqueris. Duo restant præterea in ciuitate consideranda,temperantia scilicet,& cuius gratia omnia indagamus, iustitia. Prorsus.

Definitio fortitudinis

An quoquo modo iustitiã iam ipsam reperire potuimus,ne rursus in inuestiganda tẽperantia immoremur? Haud uideo equidem qua ratione id fieri possit,quin neq; uellem prius nobis iustitiam innotescere,ꝙ temperantiam cõsiderauerimus. Quare si mihi obsequi uis,prius hoc ꝙ illud inuestigato. Volo equidẽ,ne sim iniurius. Inquire iam.

Ecce perquiro, atq; ut hinc intueri licet, consonantiæ & harmoniæ magis quàm superiora similis est. Quo pacto? Ornatus quidem est temperantia, & à uoluptatibus cupiditatibusq; quibusdam, ut perhibent, abstinentia. Dum uero temperatũ hominem seipso potentiorem, suiq; uictorem nescio quo modo esse dicunt, & quædã similia, tanquã uestigia nonnulla temperantiæ signant. An non? Maxime omnium. Nónne quod seipso potentius nuncupatur, ridiculũ quodammodo apparet? Quisquis enim seipso potentior, seipso quoq; imbecillior erit: rursusq; qui imbecillior & potentior. Idem quippe aliquis in his omnibus appellatur? Quid ni? Atqui uidet̃ mihi id uelle sibi hic sermo, quod in hominis anima duo quædam sunt. Vnum quidem melius, alterũ uero deterius. Et quando quod natura melius deteriori dominatur, tunc aliquis seipso potentior dicit̃, atq; hoc sermone laudatur. Quoties autem propter improbam nutritionem uel consuetudinem aliquam, quod est melius, quum minus ipsum sit, deterioris multitudine superatur, hoc ex opprobrio quodam seipso imbecillius dicitur: & qui ita affectus est, intemperans appellatur. Sic apparet. Contemplare hanc nuper à nobis conditam ciuitatem, inueniesq; ipsi alterum horum ineſſe. Potentiorem quippe ipsam seipsa iure uocatam fateberis. Nam si melius in ea peiori imperat, temperata dicẽda est, & seipsa melior. Contemplor equidem, ac uera loqueris. Enimuero plurimas uariasq; cupiditates, uoluptates, dolores, in his omnib. reperire maxime quisq; poterit, mulieribus & ministris, & eorum qui liberi esse dicuntur in ipsis plebeis abiectisq; hominibus. Omnino quidem.

Simplices autem & moderatas, quę cum mente & opinione recta, ipsa ratiocinatione ducuntur, in paucis sanè reperies, & his quidem natis optime & optime educatis. Vera hæc sunt. An non hæc in ciuitate hac esse uides, atq; hic cupiditates uulgi uiliumq; personas superatas à cupiditatibus & temperantia paucorum modestorumq; uirorum?

Cerno equidem. Siqua igitur ciuitas potentior cupiditatibus & uoluptatibus, atq; item ipsa seipsa, hæc maxime talis appellanda est. Prorsus. Itaq; nónne iusta hæc omnia & temperata? Maxime. Atqui si in ulla alia ciuitate tam subditis quàm imperantibus opinio, quibus deferre potissimum imperium deceat, hæc ineſt, in hac præcipue in esse oportet? an non ita censes? Magnopere istud quidem. Quibus itaq; potissimum ciuibus ineſſe temperantiam dices, quotiens sese ita habuerint? in principibus ne? an in subditis. In ambobus quodammodo. Cernis quàm apte uaticinati sumus paulo ante, harmoniæ cuidam esse similem temperantiam? Cur nam? Quia non quemadmodum sapientia & fortitudo in partibus quibusdam iacentes, illa quidem sapientem, hæc fortem efficit ciuitatem, ita modestia quoq; sed instar harmoniæ quę diapason dicit̃, per totam ciuitatẽ diffunditur, efficiens ut in idem debiliores homines fortioresq; & medij, prudentia, potentia, multitudine, pecunijs item aut alio quodam huiusmodi cõsonent.

Temperãtia

quapropter rectissime possumus temperantiã hanc appellare concordiam, deterioris uidelicet & potioris secundum naturam consensionem, quæ doceat, quem uel in ciuitate, uel in unoquoq; conueniat dominari. Assentior equidem. Cum ita sit, tria iam nobis in ciuitate cõperta sunt, ut ex his apparet. Reliqua uero species, propter quam præterea uirtutis particeps ciuitas esset, quænam erit? Constat hanc esse iustitiam. Constat plane.

Inuestigatio iustitiæ

Nunquid iam nos oportet, ô Glauco, tanquam uenatores hunc cespitem circundare, circumspicientes nequa ex parte iustitia subterfugiat, & ab oculis euanescens, sese occulat? Patet enim hic esse. Fige itaq; passim intuitum, atq; annitere si quo modo possis prior me eam cernere, ipsamq; mihi ostendito. Vtinam possem. Verum satius me uteris ut tali quodam comite, qui possim demonstrata prospicere. Sequere igitur, mecum Deum ante precatus. Efficiam quod mones, Ducas modo. Inaccessibilis hic locus atq; umbrosus esse uidetur, abdita certe imperscrutabilisq; latebra. Veruntamen pergendum est. Pergendum plane. Hic ego Glauconem inspiciens, Hui hui, inquam, mi Glauco, uidemur uestigia quædam eius quod quærimus, nacti, apparetq; istud haud diu nos effugiturum. Faustus certe nuncius. Quàm molles hebetesq; sumus, ô Glauco.

Quid istud? Iamprídem nobis ab ipso principio, uir beate, quod quærimus, ante pedes uoluit̃, neq; ipsum inspeximus, sed æque ridendi fuimus, ut illi qui sæpe quod in manibus habẽt, perquirũt. Nos quoq; longe petebamus quod prope nos erat, uel fortè nos latuit. Quomodo istud ais? Ita. Nempe uidemur mihi dicentes istud pridem & audientes

dientes, haudquaquam animaduertisse id quoquo modo nos dicere. Prolixum sane procœmium audire cupienti. Attende siquid dico. Nam quod principio passim statuimus faciendum, cum ciuitatem cõdidimus, id est, ut arbitror, uel species quædã ipsius iustitia. Nam diximus sæpenumero, si recordaris, unũquenq; oportere unũ aliquid exercere eorũ quæ ciuitati conducant, ad quod ipsius natura esset aptissima. Diximus proculdubio. Etenim quod sua agere, neq; in alienis curiose occupari, iustitia est, & ex alijs multis audiuimus, & sæpe ipsi diximus. Diximus plane. Hoc utiq; uidetur amice cũ fit, quodammodo iustitia esse, sua scilicet agere. Scis unde istud conijciam? Nequaquã. sed dicas. Videtur mihi quod reliquum nobis est in ciuitate, præter illa quæ considera Iustitia
uimus, temperãtiam, fortitudinem, prudentiã, hoc esse quod omnibus illis uim præbuit, qua & innascerentur, & innata perseuerarent, quatenus ipsum adest. Atqui diximus iustitiam fore quod restaret, si tria nobis comperta essent. Necessariũ id quidem. Veruntamen si iudicandũ sit, quid horũ potissimum cum inest, bonam efficit ciuitatem, ambiguum erit utrum consensio imperantium & subiectorum, an legitimę opinionis seruatio in militibus, iudicantis secundum legem quæ terribilia censenda sint, quæue non: uel in principibus ipsis prudentia & custodia. An id potius bonã ipsam præ cæteris reddat, cum inest pueris mulieribus, seruis liberis, artificibus, magistratibus & priuatis, quod uidelicet suum quisq; unus unum egerit, minime per aliena uagatus. Ambiguum certe. quid ni? Ergo uis ipsa sua qua quisq; in ciuitate agit, de ipsius ciuitatis uirtute ex æquo cum sapientia eius, temperantiaq;, & fortitudine certat. Valde. An non igitur iustitiam pones, quod cum istis ex æquo de ciuitatis uirtute cõcertat? Omnino equidem. Considera præterea & hac ratione, nunquid tibi sic uideatur. An principibus in ciuitate mandabis ut iuste sententias ferant? Cur non? An iudicabunt alterius cuiusquam auidi magis quàm huius ipsius, ut singuli neq; usurpent aliena, neq; suis priuentur? Non alterius certe sed istius duntaxat. Tanquam id iustum sit? Nempe. Et hac quoq; ratione asseritur sui cuiq; & proprij possessionem actionemq; esse iustitiam. Est ita. Vide nũquid & tibi idem quod mihi uideatur. Si faber opera coriarij aggrediatur, uel coriarius fabri, uel instrumẽta inter se cõmutent uel præmia, aut si idem utraq; exercere cõtendat, omniaq; talia inuicem permutentur, nunquid commutationem hanc existimas magna quadam iactura afficere ciuitatem? Haud certe nimium. Quoties autem aliquis artifex uel alius natura quęstuarius, diuitijs elatꝰ, uel multitudine copiaq;, uel robore, aut eiusmodi alio quopiam, in militaris hominis ordinem transire conatur, uel miles cum sit indignus, in consularis nititur & custodis ascendere dignitatẽ, & instrumẽta uicissim isti præmiaq; permutant, aut idem aliquis hæc omnia simul peragere tentat, tunc arbitror confusionem peruagationemq; eiusmodi uideri tibi ciuitatis totius interitum. Et maxime quidem. Cum ergo tria in ciuitate sint genera, horũ cõfusio, alteriusq; in alterũ cõmutatio extrema ciuitatis calamitas est, & maxima corruptela. Penitus. Corruptelam uero summam ciuitatis tuæ, non' ne iniustitiam esse dices? Quid ni? Hoc igitur iniustitia est. Rursus autem sic dicimus. Quæstuarij, auxiliarij, consularis generis actio propria uno quoq; suum opus peragente in ciuitate, contra ac cõfusio illa superior, & iustitia erit, & ciuitatẽ iustam efficiet. Haud aliter quàm sic se habere uidetur. Nondum omnino istud debemus asserere. Verum si & in cuiusq; hominis animo species eadẽ cõsiderantibus nobis iustitia esse asseueretur, tum demum consentiemus. Nam quid aliud dixerimus? alioquin tunc aliud quicquam excogitabimus. Nunc autem disceptationi huic finem iam imponamus, secundam quam existimauimus, si plurium habentiũ iustitiam in maiori prius eam contemplaremur, facile deinde in homine uno nos quale hoc sit inspecturos. Visumq; nobis est maius ipsum, ciuitatem existere, atq; ita ęq; optimã potuimus eam condidimus, scientes in bona republica ineſſe iustitiã. Quare quod in illa nobis apparuit, referamus ad unum: & si idem ibi constet, satis nobis erit factum. Siquid autem aliud in uno appareat, rursus ad ciuitatem cõuersi, hæc examinabimus: ac forte alterna cõparatione disceptantes, uelut scintillas, ex his iustitiam excutiemus, eamq; iam cũ clare micuerit apud nos ipsos stabiliemus. Scite loqueris, atq; ita agendum. Nunquid quod idem appellamus tam maius quàm minus, dissimile est quatenus idem, an simile? Simile certe. Ergo uir iustus à ciuitate iusta quo ad iustitiæ speciem pertinet, nihilo differt,

sed similis erit. Similis. Atqui ciuitas iusta esse tunc uisa est, cum in ipsa tria hominũ genera pro natura cuiusq; sic institutа erunt, ut unusquisq; suum opus exerceat. Temperata rursus & fortis & sapiens, propter alios quosdam eorundem generum affectus & habitus. Vera hæc sunt. Vnum quoq; ô amice ita censebimus, habentẽ easdem has eius in animo species, propter affectus eosdẽ, eadem nomina merito cũ ciuitate sortiri. Necesse est omnino. In leuem ne rursus amice de anima cogitationẽ incidimus, utrũ tres in se species has habeat, nec ne? Minime mihi in leuem disceptationẽ delapsi uidemur. Fortè enim quod dicitur, uerũ est ô Socrates, pulchra difficilia esse. Apparet utiq;. Ac certe scito ô Glauco, nos ut mea fert opinio, nunq; ex discursibus huiuscemodi qualibus in præsenti disputatiõe utimur, exacte id cõprehensuros: lõgior porrò uia est, quę ad hoc nos ducit. Fortè tamen secundũ ea quæ supra dicta & cõsiderata sunt, facilius disceretur.

An non sat istud uideri debet? Mihi sanè in præsentia id sufficiet. Mihi quoq; ualde sufficiens. Ergo ne te pigeat, sed considera. Profecto nobis necesse est cõfiteri, easdem in nobis species atq; mores inesse, quas & in ciuitate. Neq; enim aliunde in ciuitatẽ hæc deuenerunt. Ridiculum quippe esset si quis iracũdam animositatem, existimaret ne quaquam ex priuatis hominibus in ciuitatibus inuectam esse, quorum idem est captus, qui & Thracum, Scytharum, superiorumq; gentium: aut sapientiæ studium, non ex tali priuatorum instinctu qualis natura nostris hominibus est tributus: aut quęstus auiditatẽ non ex ea singulorum hominum cupiditate, qua affecti apprime dicuntur Phœnicij, Aegyptijq; nonnihil. Et maxime quidem. Hoc quidem ita se habet, neq; difficile cognitu. Haud certe difficile. Id autem difficile iam, utrũ uno quodam eodem singula hæc agamus, an potius tria quædam habeamus in nobis, quorum singulis, singula operamur: uno quidem discimus, irascimur alio, tertio concupiscimus uoluptates eas quæ ad nutritionem generationem'que pertinent, cæteraq; huiusmodi: uel tota anima unumquodq; explemus, cum cõciti rem aggredimur. Hæc haud facile pro rei dignitate discernerentur. Mihi quoq; idem uidetur. Sic autem aggrediamur hæc distinguere. nunquid eadem sunt inuicem, uel diuersa? Quonam pacto? Constat plane idem contraria facere seu pati secundũ idem & ad idẽ simul non posse. Quamobrẽ si quãdo reperiemus in ipsis hæc fieri, intelligemus non unum idem hæc esse sed plura. Esto. Animaduerte quod dico. Dic. Stare simul atq; moueri idem secundum idem nunquid potest?

Quæstio de anima

Nullo modo. Præterea hęc diligentius confirmemus, nequa procedentibus nobis ambiguitas forte suboriatur. Siquis enim dixerit hominem stantẽ quidem, mouentem uero manus & caput, eundem stare simul atq; moueri, haud quaquam ita dicendum censebimus, sed partem quidem eius manere, partem uero moueri. An non ita? Ita prorsus. Quod si artificiosius & argutius iste luserit, asserens turbinem trochumq; totum moueri simul & stare, quando in eodem puncto centrum aculeumq; figens reuoluitur: uel aliud quicquam, dicens idem agere, cum eidem affixum cardini circũfertur: nequaquam assentiemur, quòd non secundum eadem sui hæc tunc moueantur & maneant. Dicendum quippe habere ipsa rectum in se atq; rotundum: & secundum rectum quidem stare, cum nulla ex parte declinent: secundum uero rotundum, circũmoueri. Quoties autem dum quid reuoluitur in rectum quoq; deuehitur siue ad dexteram siue ad sinistram, uel ante uel retro, tunc nusquam permanet. Recte admodum. Quare nulla ex his obiectionibus nos perturbabit persuadebitq;, quod idem quandoq; simul secundum idem atq; ad idem, contraria simul uel agat uel patiat. Me quidem minime ista mouebunt. Veruntamen ne in istis obiectiunculis enarrandis reijciendisq; utpote falsis, diutius cogamur insistere, supponentes iam id ita esse, ulterius progrediamur, cõfessi inuicem, si quando aliter quàm sic se habere hæc appareant, quæcunq; ex his dicuntur, fore soluta. Sic nimirum decet. Nónne annuere & renuere, aggredi & declinare, asciscere & reijcere, inter se contraria pones, siue actiones seu passiones? Nihil enim interest. Contraria. Quid autem hæc? esurire, sitire, & omnino cupere, uelle, eligere, nónne ad eorum species referes, quæ modo diximus? Veluti semper cupiẽtis animam nónne uel aggredi dices illud quod appetit, uel asciscere q̃d sibi adesse eligit, uel quatenus uult aliquid sibi porrigi, annuere, & illud ad se trahere, amantis more ut istuc fiat affectantem.

Equidem. Quid uero, nolle, aspernari, negligere, non cupere, nónne in reijciendi repellen-

repellendiq; ſpeciem,& in omnia illis contraria referemus? Quid ni? Cum hæc ita ſe habeant,ſpeciem aliquam cupiditatũ eſſe dicemus,& manifeſtiſſimas omniũ aliarũ cupiditates,ſitim & famem? Dicemus utiq;. Et hanc quidem potus,illam cibi? Ita eſt.

Nunquid in quantum ſitis eſt,alicuius præterea cupiditas eſt alterius quàm cuius nos dicimus, potus ſcilicet ſitis? Huius duntaxat ſitis. Nunquid calidæ potionis, uel frigidæ,uel multæ,uel paucæ? Vel in pauco qualis cuiuſdam poculi? Vel potius ſi calor ſitienti ineſt,frigidi appetitum inducit:ſin autem frigus,calidi? Et ſi propter præſentiã multitudinis,multa ſit ſitis,multi auiditatem infert:ſinautem pauca,pauci? Ipſum uero ſitire nunq; alicuius alterius appetitio eſt,quàm cuius ſuapte natura eſt,ipſius uidelicet potionis:rurſusq; eſurire,comeſtionis? Ita certe ipſa cupiditas quæq; ipſius cuiuſq; eſt ſolũ, cuius ipſa natura eſt. Talis autem uel talis cuiuſdam propter additamenta quædã dicitur.

Cauendũ eſt autẽ ne quis nos improuidos turbet,inferẽs neminẽ potum cupere, ſed potũ bonũ,uel cibũ, ſed bonũ cibũ. Nempe bona omnes expetunt. Quare ſi ſitis appetitio eſt,boni eſt,ſiue potionis ſeu cuiuſuis alterius eſt auiditas. Similiterq; de cæteris. Forte nonnihil efficere uidebitur,qui talia dixerit. Veruntamen quotcunq; eiuſmodi ſunt ut alicuius ſint,talia quædã talis cuiuſdã ſunt,ut arbitror. Ipſa autem quæq; ipſius cuiuſq; duntaxat. Haud intelligo equidẽ. Non intelligis maius ipſum eiuſmodi eſſe, ut ſemper aliquo maius exiſtat? Plane. Nónne minore? Minore. Multo autem maius, multo minore,an non? Sic eſt. Et quondam maius,quondam minore,& futurũ maius,futuro minore? Nihil prohibet. Atq; etiã plura ad pauciora, dupla ad dimidia & omnia talia,itemq; grauiora ad leuiora,& uelociora ad tardiora,& calida item ad frigida omniaq; horum ſimilia eodem modo inuicẽ referũtur? Certe. Nónne & de his quæ ad ſcientias ſpectant,eadem ratio? Scientia quidem ipſa rei ipſius quæ ſcitur ſcientia eſt, uel cuiuſcunq; alterius dicenda eſt eſſe ſcientia. At uero ſciẽtia quædam, & ſcientia talis rei,cuiuſdam,& talis eſſe dicitur. Tale uero aliquid dico. Poſtquam ędificandarũ ædium ſcientia extitit,ab alijs ſcientijs diſcreta eſt,adeo ut ædificatoria appellata ſit. Quid ni?

Nónne ex eo quòd talis ſit,qualis aliarum nulla? Nempe. Ergo quia talis cuiuſdã, ideo talis quædam effecta eſt. Eodemq; modo cæteræ artes omnes atq; ſcientiæ. Eſt ita.

Hoc itaq; inferre me uoluiſſe tunc dicito,ſi modo nunc intellexiſti, quòd quæcunque eiuſmodi ſunt,ut alicuius ſint,ipſa quidem ſola ipſorum ſunt duntaxat,talium uero quorundam talia quædam. Neq; uero ideo dico, quòd qualium ſunt, ſint talia, quia ſcilicet & ægrotantiũ & bene ualentiũ ſcientia,bene uel male ualẽs & ipſa ſit:bonorũ item atq; malorũ,bona rurſus ac mala:ſed quoniã nõ illius ipſius dũtaxat cuius abſolute ſciẽtia eſt euaſit ſcientia,imò talis cuiuſdã:hoc autem eſt ſalubre & inſalubre:talis quædã ipſa quoque effecta eſt. Ex quo factum eſt:ut non amplius ſciẽtia ſimpliciter appelletur:ſed quali quodam addito:medicinaria ſcientia. Teneo iam:mihiq; hæc ita ſeſe habere uidentur.

Sitim uero,nónne his annumerabis,quæ id quod ſunt,alicuius exiſtunt? Eſt autem ſitis? Annumero equidem,& potionis ſitim eſſe dico. An non qualis cuiuſdam poculi qualis quædã ſitis? Ideoq; ſitis ipſa,neq; multi,neq; pauci,neq; boni,neq; mali, neq; ut uno uerbo complectar qualis cuiuſdam, ſed potionis ipſius ſolummodo, ſitis ipſa natura eſt? Sic eſt omnino. Sitientis igitur anima quatenus ſitit, non aliud appetit quàm bibere,idq; affectat,& ad ipſum fertur. Conſtat. Siquid ergo ipſam quandoq; retrahit ſitientem,aliud quiddã erit in ipſa ab ea parte diuerſum quæ ſitit, & quaſi beſtia quædam ad bibendum impellit. Neq; enim fieri poſſe dicimus, ut idem aliquid eodẽ ſui circa idem ſimul agat contraria. Non certe. Quemadmodum abſurdum dictu eſt eandem ſagittarij manũ ſimul arcum intendendo protrahere atq; contrahere. Porrò dicendum eſt,alteram eſſe manum quæ protrahit, alteram uero quæ contrahit. Ita prorſus.

Fatemur ne eſſe aliquos,qui cum ſitiant nonnunquam bibere nolint? Multos, ac ſæpe. Quid de ijs aliquis dicet? nónne ineſſe in horum anima aliquid, quod ad bibendum allicit? aliquid contra quod cohibet? quod quidem & aliud eſt,& ei quod allicit,dominatur. Mihi quidem uidetur. An non igitur quod prohibet iſta, ex ratione ineſt, quoties operatur? Quæ uero cõcitant atq; trahũt, ex affectibus perturbatiõibusq; ſunt?

Apparet. Merito igitur duo hæc inter ſe diuerſa exiſtimabimus,& illud quidem quo ratiocinat̃ animus,rationale ipſius denominabimus. Illud uero quo amat,eſurit, & ſitit,

& ad alias libidines pronior labitur, irrationale, & auidum repletionũ quarundam & uoluptatum. Diuersa profecto, inquit. Meritoq; ita censebimus. Hæ itaq; duæ iam in anima species, inquam ego, distinctæ sint. Illud autẽ quod ad irascibilem pertinet, quóue irascimur, utrum tertium quiddam est? an alterius horum cognatum? Fortè eius quod uoluptates cupit, est cognatum. Atqui credo hoc equidem ex eo quod audiui quondam quòd uidelicet cũ Leontius Aglaionis filius ex Piræo sub boreali muro ad ciuitatẽ ascendens sentiret extra cadauera prope littus iacentia, simul & uidere cupiebat, & horrebat tamen, absterrebaturq; uultumq; tegebat, secum ipse pugnans. cupiditate denique superatus, ad cadauera directis & patefactis oculis aduẽtauit, dicens: Ecce iam uobis licet ô infelices desiderium uestrum pulchro explere spectaculo. Audiui & ipse. Itaq; sermo testatur, iram sæpe pugnare aduersus concupiscentiam, tanquã hæc inter se diuersa sint.

Id certe significat. Nónne & alibi frequenter animaduertimus quãdo distrahunt aliquem præter rationem cupiditates, obiurgantem ipsum sese, & aduersus id sui quod trahitur indignantem? Et quasi duobus dissentientibus adiutricem rationi iram accurrere? Cupiditatibus uero coniunctam, nihil rationis uoluntati contrarium moliri: nec te arbitror unquam asserere, uel in te ipso, uel in alio tale quiddam deprehendisse. Nunquam per Iouem. Quid porro? Quando quis iniuriam inferre se putat, nónne quo generosior est, eo minus irascitur, dum esurit & alget, & aliud quoduis tale patitur ab eo quem iure hæc agere censet? Et quod iam dixi, ira istius in eum quodammodo non irritatur? Vera loqueris. Quid autem? quando iniuriam se pati quis putat, nónne tunc satagit & sæuit, & auxilium præstat ei quod iustum uidetur, famem, frigus, & cætera talia tolerans? Et ad uictoriam cõtendit, neq; à generoso opere cessat prius quàm uel transegerit, uel obierit, uel tanquam canis à pastore, ita denique reuocatus ab ea quæ in ipso est ratione mitescat?

Omnino hæc uis ei similis est, cui tu cõparas. Etẽ in nostra ciuitate auxiliarios ipsos tanquam canes posuimus obtemperantes principibus quasi quibusdã pastoribus ciuitatis. Optime quod dicere uolebam intellexisti. Sed unũ & hoc insuper animaduertis?

Quid istud? Quòd in præsentia contra ac supra de iracundia iudicamus. Tunc sanè irascendi uim ad concupiscendi naturam referebamus. Nunc uero multum interesse dicimus, ac multo magis iram asserimus animæ partibus inter se dissidentibus pro ratione arma capessere. Ita prorsus. Nunquid & irascẽdi uis est à ratione diuersa, uel quædam species rationis, adeo ut nõ tres in animo, sed duæ species sint, rationale & cõcupiscens? Aut potius quemadmodum in ciuitate apparuerũt tria quædam genera, quæ ipsam continent, quæstuarium, auxiliarium, cõsulatus, ita & in anima tertia quædam uis est iracundia, quę natura ipsa rationis tutatur partes, nisi ex improba educatione fuerit deprauata?

Necesse est ut tertia sit. Nempe etiam si alia quàm ratio apparuerit, quemadmodum suprà uisa est, à concupiscentia differens. At uero facile id quidem patere potest. Nam in puerulis quiuis istud intelligat, qui statim nati iracundia pleni sunt. Rationis autẽ aliqui nunquam, multi sero cõpotes fieri mihi uidentur. Per louem præclare loqueris. Præterea in bestijs ita esse quisq; ut ipse dicis cõperiet. Testatur & istud Homeri illud quod suprà induximus. Pectora castigans monitis affatur acerbis. Perpetere ô cor, nam tu longe aliàs grauiora tulisti. in his porrò Homerus tanquam hæc inter se differant, alterũ horum obiurgare alterum facit, ipsam uidelicet rationẽ de meliori peioriq; consultantem, irrationalem iracundiæ impetũ cohibere. Recte admodum loqueris. In his itaq; uix tandem consensimus, satisq; inter nos constitit, eadem in ciuitate, eadem & in cuiusq; anima genera esse ac numero paria. Sic certe. Quin & hoc necessariũ est, quemadmodũ & quo sapiens erat ciuitas, ita & eodem sapientẽ esse priuatũ? Plane. Item quo fortis est priuatus aliquis & quomodo, eodem & ita fortẽ esse ciuitatẽ, & in cæteris omnib. ad uirtutem utraq; similiter se habere. Necesse est. Atqui & iustum ô Glauco, uirũ dicemus eadem ratione, qua dicimus ciuitatẽ. Necessariũ id omnino. At nondũ illud obliti sumus, quòd ciuitas ex eo iusta uisa est, quia cum tria in ea sint hominum genera, suum quisq; explet officiũ. Haud certe mihi obliti uidemur. Meminisse ergo oportet quòd quisq; nostrũ, cuius singulæ animæ partes quod suum est agunt, & iustus erit & sua peragens. Meminisse prorsus. Nónne rationali potẽtiæ cõuenit imperare, cũ sapiẽs sit, geratq; totius animæ prouidentiã? Irascẽdi uero naturę obsequi rationi, percq; illã pugnare?

Penitus

Penitus. Nõne ut ſuprà tractauimus, muſicæ & gymnaſticæ mixtio atq; temperantia ut cõcordia iſta ſint, efficit? Vnum quidem horũ intendens augensq; & nutriens præclaris ſermonibus & diſciplinis: alterũ uero remittens, ſedans, manſuefaciens per harmoniam atq; rhythmũ? Maxime. Cumq; ita nutrita hæc fuerint, & quæ ſua ſunt, reuera didicerint, & optime fuerint erudita, ardori cõcupiſcentiæ præſidebunt: quæ pars animæ in quocũq; eſt plurima, neq; unquam pecuniarũ poſſeſſione repletur: cauebuntq; ne corporalium uoluptatũ expletione adaucta grãdior robuſtiorq; euadat, nolitq; ſuo dũtaxat officio fungi, ſed ſubijcere ſibi illa contendat, quibus imperare natura non debet, atq; ita uniuerſam omniũ uitam peruertat. Sic prorſus. Quinetiam ab externis hoſtibus hęc animam omnem corpusq; cuſtodit, dum illud quidem prouide cõſulit, hoc autem propugnat, obtemperat principi, fortitudine quæ cõſulta ſunt, peragit. Vera hæc ſunt. Fortem profecto hac ex parte uirum quenq; uocamus, quãdo in ipſo iracundiæ uigor ita inſtitutus eſt, ut in mediis uoluptatibus & doloribus, in ſententia ſua perſiſtat, non aliter eſſe de terribili & nõ terribili iudicandum, quàm ratio ipſa dictauerit. Probe. Sapientem uero breui illa ex parte quæ & imperauit in ipſos, & iſta dictauit, habẽs in ſeipſa ſcientiã qua diſcernit quid potiſſimũ ex uſu ſit tam ſingulis quã uniuerſo ex his tribus cœtui cõſtituto. Certe. Temperantem rurſus aliquem appellamus horum ipſorũ amicitia atq; concordia, quãdo & quod præſidet, & quod ſubeſt, in ſententiam eandem conueniunt, rationem ſcilicet imperare decere, neq; ab illa deſciſcendũ eſſe. Temperantia profecto nihil eſt aliud & priuatim & publice. Iuſtus denicq; ex eo atq; ita erit quiſque, ex quo ſæpe iam diximus, & quemadmodũ expoſuimus. Neceſſe eſt, inquit, prorſus.

Quid porrò? inquam. Eſt'ne aliquid quod hanc noſtram uſqueadeo ſententiam interturbet, ut aliud uideatur eſſe nobis iuſtitia, quàm quod in ciuitate conſtitit? Mihi quidem non uidetur. Quinimmo, ſiquid adhuc inter nos in controuerſia ſit, ſic iterum ſuperiora penitus confirmabimus, abſurda illa huic obijcientes. Qualia? Veluti ſi in hoc deliberare nos oportuerit de ciuitate illa, deq; homine eodem cũ illa pacto nato atque nutrito, nunquid uir talis quum depoſitũ auri uel argenti acceperit, uideatur quandoq; fraudem excogitaturus. cenſes aliquem iudicaturum eiuſcemodi uirum fraudem committere potius quàm ſecus affectos homines? Neminem prorſus. An nõ à ſacri legijs hic, furtis, proditionib. tam priuatim aduerſus ſodales, quàm publice aduerſus rem publicam innocens erit? Innocens. Atqui neq; perfidus uel iureiurãdo, uel quibuſcunq; commercijs. Nullo pacto. Adulteria quidem, parentum cõtemptus, impietas in deos, cuilibet alteri potius quàm huic conueniunt. Ita prorſus. Nõne horum omnium cauſa hæc eſt, quia quicquid in ipſo eſt, ſuum opus exequitur, ſiue imperando, ſiue exequendo? Nulla certe alia. Quid? quæris aliud eſſe iuſtitiã quàm hanc ipſam uim, quæ tales uiros, & tales efficit ciuitates? Ego quidem minime. Tandem nobis abſolutum ſomnium illud eſt, quod nos cõiecisſe diximus: nempe quòd mox incipientes cõdere ciuitatem, deo quodam fauente, in aliquod principium imaginemq; iuſtitiæ ingreſſi uidemur. Omnino quidem. Hoc autem erat, ô Glauco, propter quod cõfert quoddam iuſtitiæ ſimulacrum. Nempe debere qui natura coriarius eſt, artem hanc exequi, aliud nihil aggreſſum: qui uero faber, fabricare. Similiterq; in cæteris. Apparet. Reuera quidem talis iuſtitia eſt, ſed non circa actionem exteriorem, immo circa interiorem ſuarum partium actionem uere ad ipſummet animum, & ad ſua: dum nihil permittit ex ſuis aliena tentare, neq; finit animæ genera opera inuicem cõfundentia per plura uagari: ſed reuera propria recte digerit, ſuiq; eſt dominus, ſeſe exornat, amicus ſibi ipſe effectus, in ſe tria ipſa contemperans tanquam tres terminos harmoniæ, Neates, Hypates, & mediæ, hoc eſt, octauæ uocis, & grauis, & quintæ, ſeu quæuis alia media fuerit. Itaq; hæc omnia nectens, ipſeq; undiq; unus effectus ex multis temperans atq; cõcinens, ita demum agit ſiquid agit, uel circa pecunias acquirendas, uel corporis cultum, uel etiam circa ciuilia, aut priuata commercia, in his omnibus actionem illam iuſtam & præclarã exiſtimãs, quæ habitum hũc peragit atq; ſeruat. Sapiẽtiam uero operationi huic præſidẽtem ſcientiam: iniuſtam autem operationem quæ hanc diſſoluit, inſipientiam: denicq; operationis huius ducẽ, opinionẽ. Vera prorſus, ô Socrates, loqueris. Si ergo nos inueniſſe dixerimus iuſtum uirum, & ciuitatem iuſtam, quid'ue in utriſq; iuſtitia ſit, haud forte multũ,

ut arbitror,mentiri uidebimur. Non per Iouem. Asserẽdum igitur. Proculdubio.

De iniustitia Esto itaq;.Enimuero deinceps de iniustitia considerandũ uidetur. Plane. Seditionem quandam horum trium iniustitiam appellare decet, curiosamq; & uariam alieni operis usurpationem,& insolentem partis cuiusdam præuaricationem aduersus totã animam rebellantis,insurgentisq; ad imperandũ regio animi generi,cui seruire eam natura iubet. Talia quædam ut arbitror,atq; horum turbationem erroremq;,iniustitiam esse dicemus,& intemperãtiam,ignauiã,insipientiam,& uniuersam deniq; prauitatem. Hæc prorsus ita se habent. Nónne satis iam perspicue patet,quid est iniusta facere & iniuria ri,ac rursus quid agere iusta,quandoquidem iustitia & iniustitia patent. Quonam pacto? Quia nihil à salubribus & insalubrib.differunt.Nempe ut hæc circa corpus, sic circa animum se habent & illa. Qua ratione? Salubria quidem sanitatem inducunt, insalubria morbum. Plane. Similiter quoq; iusta agere,iustitiã gignit in animo: iniusta facere,iniustitiã. Necesse est. Est autem sanitatẽ inferre, ita quæ in corpore sunt disponere,ut secundũ naturæ ipsius ordinem inuicem superentur & superent. Morbum autem inducere,usqueadeo corporis partes inficere,ut cõtra naturæ legem dominentur inter se subijciãturq;. Est ita. Eadem ratione iustitiam præstare cuiquam,nihil est aliud quàm animi partes in ordinem suum digerere,ut ad naturæ normam pareant atq; imperent.Iniustitiam uero ut contra naturam exuperent inuicem ac succumbant. Prorsus.

Virtus sanitas Virtus igitur,ut apparet,sanitas quædam est,& pulchritudo,& robustus animi uigor.

Prauitas morbus Prauitas contrà morbus,turpitudo & imbecillitas. Est ut dicis. Nónne igitur exercitationes honestæ ad uirtutem acquirendam conducunt,turpes ad prauitatem deducũt? Necesse est. Restat ut uidetur,discutiendũ,nunquid prosit agere iusta,honesta colere,esse iustum,siue occultum id cuiq; sit,siue non: An iniuriari & iniustum esse, si modo non det pœnas,neq; fiat castigatione melior. Mihi quidem ô Socrates, ridicula disceptatio ista fore uidetur.Siquidem corporis natura corrupta,uidetur non esse uiuendum, neq; etiam in summa epularum & poculorum omniũ affluentia,cũctis diuitijs, & totius orbis imperio.Natura uero eius quo uiuimus,polluta atq; corrupta,num uiuendum erit, si quis quodcunq; lubet,aliud agat quàm hoc unum,unde ab improbitate iniquitateq; liberetur,iustitiam uero & probitatem adipiscatur,postquã talia hæc utraq; qualia narrauimus,apparuerunt. Ridicula profecto. Verũ posteaquam eò deuenimus,ut quàm certissime fieri potest,quòd hæc ita se habent,perspiciamus,minime desistendum. Per Iouem minime omnium. Age igitur,inquam ego,huc accede,ut uideas quot species improbitas habet,ut mihi uidetur.Attende nunc.Nempe hæc digna spectatu. Sequor equidem,dicas modo. Atqui tanquam è specula quadam,postq; huc ratiocinando cõscendimus,una mihi species uirtutis occurrit,prauitatis innumeræ. Ex quibus quatuor quidem modi potissimũ sese offerunt,quorũ meminisse oportet. Quomodo istud ais?

Virtutis una species,prauitatis innumeræ

Rerumpub. modi quinque Quot sanè rerumpub.modi sunt species suas habentes, totidem esse & animæ ipsius apparent. Quot? Quinq; rerumpub. quinq; rursus & animæ. Dic quales. Vnũ aliquem reipub.modũ esse hunc assero,quem exposuimus. Duabus uero appellationibus declarari potest.Nã si inter principes ciuitatis unus quidã sit omniũ prestantissimus, regnũ uocabitur. Sinautẽ plures, gubernatio appellabitur optimatũ. Vera narras.

Hanc unã ideo speciem esse dico,quia siue plures gubernent,siue unus,nullus qui ita, ut diximus,educatus & eruditus fuerit,quicquã existimatione dignũ in reipublicæ legibus permutabit Neq; enim consentaneum esset,inquit.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI IN DIALOgum quintum de Iusto.

NON *sum nescius fore nõnullos qui* Apologiam *à nobis expectent, qua quintum hunc* Dialogum *communionem omnium in ciuitate ponentem, defendamus contra calumnias, tum maledicorum, tum etiam ignorantium.* Verum *legant* Platonem *ipsum,precor,legant diligenter, ac sine inuidia iudicent,* Apologiam *(scio quid loquar) nullam desiderabunt.* Plato *igitur* Phœbeus humani *generis medicus,quum animaduerteret & singulos homines & familias & ciuitates semper & ubiq; grauiter ægrotare,neque ullis hactenus ciuilium medicorum medicamentis tot secula iam frustra curantium,uel liberari morbo,uel saltem leuari paulum,atq; minimum conualescere,tam prudenter quàm pie ad legem*

illam

illam se contulit præcipuam apud medicos, qua medicinæ sanciunt autores, si quis medicamentis talibus, puta frigidis, diu adhibitis minime conualescat, esse tandem rite ad calida transeundum. Cognoscens ergo genus humanũ per leges distribuentes propria tot seculis nihil proficere, immo uero in deterius quotidie labi, non iniuria ad amicitiæ se transtulit leges cõmunia inter amicos omnia fore iubentes, ut diuisione diuisionisq; & miseriæ sublata causa, cõcordiam, unionem, felicitatem cõsequeremur. Sed aliter rursus exordiamur. Socrates in principio quarti disciplinam educandæ iuuentutis cunctis legibus anteponens, raptim attigit, uideri optimam disciplinam fore, si uxorum, filiorum, rerum communio fiat. At quoniam res est & noua quamplurimis & plurimis inaudita, reuocatur ad eam statim in principio quinti declarandam apertius, & firmius comprobãdam. Iam uero & si à Critia & Timæo didiceris disciplinam similem extitisse quondam apud Græcas Aegyptiasq; Athenas, neq; nimium admiraberis tanquam nouam, neq; diffidenter audies tanquam penitus arduam, neq; inuitus admittes quasi nõ bonam. Mitto quod multi tradunt apud Boemos Placam urbem aliquando similiter gubernatam. Atqui Diodorus insulam in Oceano meridiem uersus describit, in qua præter cætera communes etiam sint uxores, uiriq; philosophiæ plurimum astrologiæq; studiosi. Pomponius quoq; Mela testis est Garamantes in extremis Aphricæ partibus communia habere in republica omnia. Similem præterea bonorum fuisse communionem inter philosophos Brachmanas, Gymnosophistas, Esseos, Pythagoricos, & deniq; inter sanctos quondam Christianæ reipublicæ fundatores, compertum habemus. Videmus quoq; seculis nostris illos duntaxat religiosos ad uirtutem felicitatemq; accedere, inter quos nihil est proprium. At enim si uxorum te communio turbat, primo quidem permittito apud Platonem rite ex lege fieri, quod apud adulterinos sacerdotes in commune fit sacrilegio. Deinde Platonem ipsum audito prius quàm iudices, altius in sua causa declamantem. In sequentibus nota primo quidem Socraticam prouidentiam, peius esse censentem in legibus constituendis errare, quàm hominem interficere. Eiusmodi namq; error multos per multa secula interficit animos simul & corpora. Deinde modestiam difficilia diffidenter aggredientem, & quasi inuitam atq; compulsam. Tertio pietatem diuinum auxilium pro suo more in rebus grauibus inuocantem. Ac ne in legibus erret condendis, ab Adrastia dea petit opem, cuius mentionem quoq; fecit in Phædro. Adrastia hæc apud priscos theologos est potentissima ineuitabilium regina legum, legum inquam tam Saturniarum ad mentes pertinentium, quàm Iouialium pertinentium ad naturas. Adrastiam dico diuinam prouidẽtiam, qua tenus nihil uel oculos eius subterfugere, uel manus potest effugere. Nec ab re ubi optat firmissimas leges condere, quas neq; obliuio deleat, neq; defraudet astutia, neq; uiolentia frangat, & omnino nullus deuitet, Adrastiam obsecrat ineuitabilia sancientem, quæ nullus queat effugere. Deinceps paulatim ad communem progreditur disciplinam, à uirorum uidelicet institutione ad institutionem similiter mulierum, mandans omnia priuata publicaq;, tum pacis, tum belli studia, mulieribus cum uiris communia fieri, ne mancum sit genus humanum, eo tamen pacto ut in singulis grauiora uiris, leuiora mulieribus committantur. Similiter & alibi docet brachia quoq; sic assuefacienda, ut singuli utrinq; sint dexteri. quos nominat amphidexteros. ostendit autem id fore utile atq; possibile, & quo pacto fieri debeat. Deinde aliam adducit communionem, uidelicet uxorum atque filiorum. Et ibi aduerte quanta ordinis prouidentia constituat Magistratus, præsides nuptiarum, & sacra, & tempora, & ætates, cauens nequid intemperate fiat, uel inutile ciuitati. Ac post generationem quàm diligenter de natis cogitet nutriendis, ita tamẽ ut neq; uir neq; mulier propriũ agnoscat filiũ, neq; filius proprios genitores, neq; alios alij, sed seniores opinari cogantur, omnes penè iuniores esse filios uel nepotes: iuniores uicissim suspicari omnes seniores esse progenitores, æqualesq; similiter esse fratres. Inter hæc ubi nutritionem eius spernit, qui uel præter legem, uel ex inutili natus fuerit, uel inutilis, intellige non esse perdendum, sed in loco occultiori, uel in suburbijs uilius nutriendum, extra exactissimam regulam illam qua nutriuntur hi qui assumendi ad custodiam iudicantur. Illum uero inferiori addẽdum regula ad minutiora urbis uel agri ministeria suo tempore transmittendum, uel fortè ad urbes alias transferendum statim natum. Mox agnosce communis charitatis inuentum, ubi sic disponit singula, ut singuli eadem uel re, uel persona oculis demonstrata, æque iudicent, dicantq; hoc est meum. Quumq; sua cuiq; charissima sint, singuli cuncta curabunt, præcipue quum ad eiusmodi curam legibus quoq; magistratibusq; adducantur. Hinc ergo incuria & negligentia nostra, qualis in omnibus est circa plurima, quasi à nobis sint aliena, tolletur. Tolletur & quotidiana fallacia quà iudicium nostrum in eo colendo quod proprium esse censemus, stulte decipitur. Tolletur deniq; extrema perturbatio, sollicitudo, miseria quæ ex insano propriorum amore nos angit. Mitto quòd adempta discordiæ causa & communis erit & integra charitas. Proinde attende quàm diligentes, quàm iustas, quàm mites statuat belli leges, quæ præmia uictores maneant, diuinitas scilicet quædam. Transferri enim hos inquit, in beatos dæmones hominum curatores, & quasi deos charos rite colendos. Quod uero de puerorum osculis dicitur, iocosum quiddam est Glauconis, & leuandi tædij gratia dictum. Adde & triumphale quiddam atq; festiuum. Restabat probandum, communionem hanc fieri posse, postquam fore optimam fuerat affirmatum. Primo igitur etiam si nequeat fieri, ostendit se non frustra hanc in medium adduxisse, uidelicet tanquam exemplar in formandis ciuitatibus pro uiribus imitandũ. Deinde demonstrat tũc demũ posse fieri quãdo philosophi gubernabũt, neq;

neq; prius requiem ullam fore malorum. Quamobrem ad formandos philosophos tanquam futuros ciuitatis gubernatores opportune descendit, docens quale sit philosophi ciuilis ingeniũ, qualis affectus atq; disciplina. Principio quantum plebei circa percipienda sensibilia hæc inferiora auidi curiosiq; sunt, tantum ingenium philosophicum ad inueniendas ideales horum omnium rationes, auidum & propensum est, & sagax ipsius ueri uenator. Quoniã uero ueræ quidem res ideæ sunt, naturales autem formæ sunt & imagines idearum, nõ iniuria plebeios inquit somniare, putantes quæ imagines sunt, esse res ueras. Philosophum uero solum inter alios uigilare. Et quoniam inter ens atq; nõ ens medium ponit, memento quinq; gradibus omnia cogitari. Et nõ ens quidem purum dici quicquid fingitur infra materiam. Ens uero purum, puram mentem, ideamq; existere. Animam cœlũq; ens dici simul atq; nõ ens, uidelicet propter motum, magis tamen esse quàm nõ esse. Materiam cõtra magis quodammodo nõ esse quàm esse. Sed quæ natura composita sunt sub luna, esse pariter atq; nõ esse. Circa ea quæ uere sunt cognitio ipsa uersatur Circa ea quæ uere nõ sunt, ignorantia. Circa ea quæ pariter & sunt & nõ sunt, se reuoluit opinio. Ignorantiã quidem & opinionem tum plebeis tribuit, tum Sophistis. Cognitionem uero, id est scientiam duntaxat philosophis. Quod autem scientiam opinionemq; potentiam quandã nominat, intellige potentiam nõ informem, sed partim naturali forma, partim habitu præditam. Præterea ubi de ideis agit, ad quas philosophi refertur scientia, more suo inquit bonum, pulchrum, iustum. Ternarius hic numerus, modis tribus exponitur. Primo bonum sit Deus, Pulchrũ mens angelica multiformis. Iustum cœlestis anima mundana iuste distribuens. Secundo bonum, forma ipsa actusq; diuinæ naturæ, Pulchrum eiusdem intelligentia. Iustum uoluntas eiusdem. Tertio bonum inter ideas est exemplar formæ actusq; cuiusq; atq; naturæ. Pulchrũ exemplar ordinis qui ex qualibet forma in seipsa resultat. Iustum, exemplar ordinis qui à qualibet forma atq; re refertur ad alias. Quando uero ipsi bono subdit malum, pulchro turpe, iusto iniustũ, cauc tria hæc oppositè colloces in ideis. Pone uero hæc tum in ipsa informitate & deformitate materiæ, quam in libro De scientia uocat exemplar diuinitatis expers, & in Politico dissimilitudinis locum: tum etiam in anima iam deprauata, & ad materiam omnino conuersa. Deniq; quod eunuchi ænigma puerile tangit, est ciusmodi. Vir nõ uir, uidens nõ uidẽs, percussit, nõ percussit, lapide nõ lapide, auem nõ auem, super arbore nõ arbore, id est, eunuchus luscus percussit pumice alam uespertiliõis super Sambuco. Sed id ridebis scio. Quod & ridiculi gratia est appositum.

Aenigma

DIALOGVS QVINTVS

DE IVSTO.

BONAM equidem ciuitatem huiusmodi rectamq; Rempublicã uoco, uirumq; talem bonum esse dico. Ac si recta hæc respublica est, alias prauas appello, utpote quæ circa ciuitatis ipsius gubernationẽ & priuatorum disciplinam aberrent, quæ quidem in quatuor speciebus prauitatis sunt. Quænã istæ inquit. Tunc ego narrare pergebam, qua ratione mihi singulæ ex sese inuicem depẽdere uiderentur. Verũ Polemarchus, paulo enim à me longius aberat quàm Adimantus, Adimanti post tergum sedens extendit manum, prehendensq; superne Adimanti palliũ circa humeros, & eum pauliſper ad se traxit, & os ad aures eius admouit, submissa uoce susurrãs. Ex his autem quæ dixerit, nihil ipsi percepimus nisi id unum, quod ait, permittemus ne? aut quid agemus? Cui Adimantus altius respondens, minime inquit. Ad hæc ego. Quidnam istud est quod nõ uultis permittere? Te, inquit ille. Quid adeo? inquã ego. Declinare nempe nobis uideris, inquit, speciemq; totam disputationis huius non minimam subticere ne nobis exponas, atq; surripere: putasq; latere nos, quod male dixisti, de uxoribus quidem & pueris, constare scilicet omnibus omnia sicut inter amicos communia esse debere. An non recte ô Adimante, dixi inquam? Recte nimirum, inquit, sed quemadmodum in alijs, ita in hoc explanare oportet, qua ratione ita se recte id habeat, quis cõmunionis sit modus. Nã multi esse possunt. Ne igitur id prætermittas, quo minus nobis aperias quem tu potissimũ dicas. Profecto nos diu iam expectamus, sperantes expositurum te tam circa filiorum procreationem quæ sit generationis conditio, quàm circa nutritionem, quæ educationis futura sit ratio, qualisq; debeat esse hæc omnis quam tu dicis, uxorũ liberorumq; communio. Plurimum quippe, immo uero totum referre istud ad rempublicam ducimus, recte'ne an non agatur. Nunc autem quum rempublicam aliam aggrediaris priusquam sufficienter tractaueris hæc, uisum id nobis est, quod & ipse audisti, ne te aliud quicquam aggredi permit-

permittamus,antequã hæc omnia quemadmodũ cætera expoſuiſſes. Me quoq;, inquit Glauco,uobiſcũ ſentire exiſtimate.Equidem & Thraſymachus in hoc proculdubio nos cõuenire,inquit,omnes ô Socrates,puta. Quid agitis obſecro,quid me ita reuocatis? quàm grauem rurſus tanquam à principio diſputationem de Repub. ſuſcitatis? Nempe ego quaſi hanc iam peregiſſem,mihi ipſe congratulatus ſum,ſatis eſſe factum exiſtimãs, ſi quis hæc boni conſulat,ſic hæc accipiens quemadmodum ſunt dicta.Quæ uos nũc exigentes,neſcitis quàm frequens diſputationum inſtigetis examen. Quod ego tunc proſpiciens,libẽs ceſſi,prętermiſiq;,ne crebro nos tumultu turbaret. Quid uero,inquit Thraſymachus,conueniſſe huc hos arbitraris,ô Socrates,ut aurum funderẽt, potius quàm ut ſermones audirent? Vt ſermones audirent,inquam,ſed moderatos. Modus uero & terminus horum ſermonũ audiendorum ô Socrates,inquit Glauco, omnis uita eſt uiris mentem habentibus.Sed nos quidem mitte,tu uero ne graueris,ſi tibi uideẽ,ea quæ perquirimus,declarare,quæ noſtris cuſtodibus circa mulieres & filios ſit futura communio, quæũe nutriendorũ puerorum ratio eo ipſo in tempore adhibenda,quod generationem inter & diſciplinam labitur,quæ laborioſiſſima certe eſſe uidetur,conare nobis hæc aperire.Haud facile,inquã,ô uir beate,explicari hæc poſſunt.plures enim in his quàm in ſuperioribus inſunt ambiguitates.Primo quidem an fieri hæc poſſint,dubitareẽ.Quinetiã ſi poſſint,utrum optima iſta ſint, & quomodo,dubitabiẽ.Quapropter difficultas hęc me dehortatur,uerentem ô dulcis amice,ne uotum quoddam & fictio eſſe mea hæc oratio uideatur. Ne pigeat,inquit,obſecro.neq; enim auditores habes ingratos,uel incredulos,uel maleuolos. O uir optime,inquã ego,num ut exhorteris me,hæc affers? Nempe. Contrà,inquam,omnino facis.Nam ſi ego perſuadeam mihi noſſe quæ dico, pulchre habet adhortatio hæc.Nempe tutum eſt & audendũ,inter amicos prudentesq; uiros uera quæ quis cognoſcit,de maximis precioſisq; rebus pronunciare. Cum diffidentia uero & ambiguitate uerba facere quemadmodũ ipſe facio,cauendum & fallax.Haud formidandum,inquam,ne riſum audientibus moueam:nam puerile id quidem: ſed ne à uero procul aberrans,& ipſe falſitati ſuccumbã,& amicos mecũ traham in ruinam,& in his unà decipiamur,in quibus minime omniũ errare cõueniat. Adoro itaq; ſupplex Adraſtiam ob ea quæ dicturus ſum Glauco.Reor enim minus eum delinquere, qui nõ ſpõte aliquem perimit,q; qui circa conſtitutiones de honeſtis & bonis,iuſtisq; fallit.Hoc autem diſcrimẽ ſubire præſtat inter inimicos homines q; amicos.Quare melius ô Glauco, me conſolare. At enim ô Socrates,inquit Glauco,ſiquo pacto nos ex hac diſputatione errare contigerit,abſoluemus te uelut ab homicidio,& inſontẽ in hac deceptione pronũciabimus.Ergo audacter diſputationem ingredere. Porrò innocẽs eſt, inq;, qui illic abſoluitur,ut leges docent.Ergo & qui hic abſoluiẽ, innocens. Dic igitur,inquit,hanc ob cauſam. Dicere nunc rurſus oportet,inquã,quæ fortè deinceps dicenda erant.Fortè autem operæpretiũ eſt,poſtea q; integrũ uirile opus expreſſimus, deinceps quæ ſunt mulierũ referre,præſertim cum ad hoc ipſe me cohorteris.Hominibus quidẽ natis & eruditis quemadmodũ ſuprà narrauimus,ut mea fert opinio,nulla eſt alia recta filiorum mulierumq; adeptio atq; uſus,q; ea uia gradientibus, quam ipſi à principio ingreſſi ſumus. Et enim conati ſumus tanquam gregi cuſtodes,uiros fœminæ præficere.Nempe,inquit.

Sequamur igitur generationem,nutritionemq; q; ſimillimã adhibẽtes,cõſideremusq; utrum ita deceat,nec ne? Quonam pacto,inquit. Ita.utrũ inter canes gregis cuſtodes,fœminas ipſas cenſemus unà eadẽ cuſtodire debere quæ & mares, & unà uenari, ac cætera omnia cõmuniter facere.An fœminas quidẽ intus quaſi domeſtica aſſeruare, tanquam ad forenſia opera impotẽtes propter ipſum catulorum partum & nutrimẽtum:maſculos autem labores ſubire,omnemq; armenti curam gerere? Cõmuniter his, inquit, omnia tribuimus,niſi q fœminis ut imbecillioribus, maribus ut robuſtioribus utimur.

Fieri ne poteſt,ut animali aliquo ad eadem utaris,niſi eadem ratione nutriueris,erudieriſq;? Nullo modo. Si ergo fœminis ad eadẽ utemur ac uiris, in eiſdẽ erudire decet.

Certe. Muſica aũt & gymnaſtica uiros in ſuperioribus erudiuimus. Sanè. Mulieribus igiẽ artes hæ ſimiliter & res bellicæ tribuẽdæ ſunt,ad eadẽq; uti his decet. Cõſentaneũ iſtud quidẽ ex his quæ dicis. Forſitan multa præter cõſuetudinẽ ridicula uidebunẽ dicta circa ea quæ nunc induximus,ſi agantur uel dicanẽ. Et maxime quidem,

Quid

Quid in his maxime ridiculum cernis? An quia nudas fœminas cõſpecturus ſis in palæſtris cum uiris certãtes,nõ modo iuuenes,ſed & uetulas, quemadmodũ ſenes uiros in gymnaſiis,quãdo unà exercent,licet iam rugoſi ueternoſiq; ſint? Ita per louem. Nam ridendum id quidem,ut nũc res ſunt,uideatur. Nos igitur poſtquam dicere cœpimus, haudquaq; uereri debemus factorum hominum dicacitates,quotcunq; & qualeſcunq; iaciant aduerſus huiuſmodi mutationẽ,quam circa muſicã gymnaſticamq; inducimus, neq; minus circa armaturã equeſtremq; facultatem. Probe loqueris. Ergo poſtquã dicere cœpimus,pergamus ad legis ſeueritatem,rogantes iſtos ne ſolito more nugẽtur, ſed ſeria cogitent,admonentesq; haud longum præteriſſe tempus,ex quo Græcis turpia & ridicula uidebãtur,quæ hodie barbarorũ pleriſq; ridenda uidẽtur,nudos uidelicet ſpectare uiros:& quando primum exercitationes huiuſmodi aggreſſi fuerunt, in primis quidem Cretenſes,deinde etiam Lacedæmonij,licebat profecto urbanis uiris qui tunc erãt, hæc omnia carpere.an non putas? Equidem. Verum poſtq;,ut arbitror,utentibus uiſum eſt cõmodius nudato corpore quàm operto homines exerceri,factũ eſt ut quia optimum id fuerat ratione iudicatũ,oculis ridiculum minime uideretur. Ex quo perſpicuum eſt inanem eſſe eum hominem,qui deridendũ quicquam præterq; quod eſt malum exiſtimat,qui irridere res ipſas aggreditur,aliam quampiã ſibi proponẽs deriſionis cauſam, q; quod inſipidum atq; malum,aut honeſtum quicquam & ſtudio dignũ exiſtimat,aliò reſpiciens quàm ad bonum. Sic eſt omnino. An non in hoc primũ conuenire oportet,utrum poſſint hæc fieri,nec ne? Cõcedere inſuper cuiq; ut pro arbitrio aduerſus hæc ambigat,ſiue ioco,ſiue ſerio,quis addubitare uoluerit,utrum in hominum natura poſſit fœmina cum maſculo in omnibus operibus cõmunicare,uel in nullo,uel in quibuſdã ualeat,in alijs uero nequaq;,ipſaq; res militaris utro in genere horum ſit? Nõne quiſquis ita recte exorſus fuerit,ut decẽs eſt,recte etiam peraget? Maxime. Vis ergo ut nos pro aliorum cauſa,nobis ipſis dubitationibus aduerſemur,ne ſine defenſione,quæ ſunt rationis alterius,oppugnẽtur? Nihil prohibet. Dicam igitur ſub eorum perſona hunc in modum.Nihil opus eſt ô Socrates atq; Glauco,ut alij nobis repugnent. Nam inter nos ſtatim à principio condendæ ciuitatis conſtitit,oportere ſecundũ naturam unumquenq; unum quiddam quod ſuum eſſet peragere. Conſtitit.quid ni? Eſt ne igitur, ubi non longe mulier ipſa natura à uiro differt? Cur non differat? Ergo nónne opus utrique aliud pro natura utriuſq; eſt tribuendum? Proculdubio. Quid reſtat igitur,quo minus aberretis nunc,uobisq; ipſis contradicatis? quandoquidem aſſeritis uiros & mulieres oportere eadem operari,cum tamen natura ualde inter ſe diſcrepent. Habebis ne ô mirifice uir,quid ad iſta pro noſtra defenſione reſpondeas? In præſentia quidẽ,inquit, haud ſatis facile,ſed orabo te atq; oro,ut quid potiſſimum in noſtri ſermonis defenſionẽ afferri poſſit,exponas. Hæc quidem ô Glauco,inquam,cæteraq; generis eiuſdem permulta iamdudum proſpiciens timidus atq; inuitus ad hanc legem deſcendebam de mulierum & filiorũ adeptione atq; nutricatione. Profecto, inquit, nõ leue iſtud apparet.

Non certe.ſed ita res ſe habet.Siue quis in ſtagnum breue prolapſus eſt,ſiue profundũ in pelagus, nihilominus aqua in media natat. Prorſus. An nõ & nobis quoq; natandum,conandumq; ut diſputationis undas incolumes euadamus,ſperãtes aut delphinum nos aliquem ſuſcepturum ſubleuaturũq;,aut aliam quandam occultã ſalutis cauſam nobis fore? Ita uidetur. Circumſpice obſecro,ſiqua exitum nãciſcamur. Attende itaq;. Conuenimus profecto naturam aliam aliud opus tractare debere:Mulieris autem & uiri diuerſam eſſe naturam.Diuerſas naturas in præſentia ijſdem ſtudere rebus iubemus.In hoc illi nos accuſant. Valde. Quàm generoſa ô Glauco,contradictoriæ artis potentia eſt? Cur,inquit? Quia uidentur mihi permulti etiã inuiti in eam incidere,arbitraríq; nequaq; litigare,ſed diſſerere,ex eo q; nequeant ſecundum ſpecies diuidentes,quod illis propoſitum eſt,contemplari,imò uero ſecundũ ipſum nomen contrarietatem propoſiti proſequantur,contendentes potius inuicem q; diſputantes. Contingit equidẽ multis.ſed nunquid & nobis idem nunc accidit? Et maxime quidem. Videmur ſanè in uiti contradictionem attingere. Qua ratione? Quod natura eadem opera eadẽ tractare non debeat,fortiter admodum & contentioſe,ſi uerba inſpicias,cõtendimus. Conſiderauimus autem nullo pacto quæ ſpecies alterius eiuſdẽ ue naturæ ſit,& quorſum reſpicientes

Taxatur elenchus ſophiſticus

ſpicientes tunc deſcripſerimus, quando diuerſæ naturæ ſtudia diuerſa, eidem uero eadē attribuebamus. Certe nequaq̄ id cogitauimus. Cæterū licet nobis, ut uidetur, à nobiſipſis exquirere, nunquid eadem natura caluorū ſit & comatorū, an cōtraria potius: ac poſtq̄ cōceſſerimus eſſe cōtrariam, ſi calui coria incidant calceosq̄ cōficiant, haud quaquam ſinere comatos homines eadem facere: ſin autem comati, caluos nequaq̄ permittere. At riſu dignum id eſſet. An ob aliud ridendum iſtud, q̄ quòd tunc non omnino eandem & diuerſam naturam poſuimus, ſed illam duntaxat diſſimilitudinis & ſimilitudinis ſpeciem obſeruauimus, quæ ad ipſa eadem ſtudia pertinebat? Quemadmodum medicum & hominem habentem animum medicinæ ſtudijs aptum, naturam eādem habere diximus. an nō cenſes? Equidem. Medicinæ uero aptum aliam, & aliam uirum promptum ad fabricandum. Omnino. Nónne & genus uirorū mulierumq̄ genus, ſi in arte aliqua aut ſtudio nihil inter ſe differant, hoc utriq̄ aſſignandum eſſe dicemus? ſinautem hoc ipſo duntaxat diſcrepare inuicem uideantur, quòd fœmina quidem concipit, uir gignit, nihilo magis admittemus oſtenſum fuiſſe quòd ad id quo de nunc nos loquimur, à uiro fœmina differat, ſed adhuc cenſebimus, tam cuſtodes q̄ mulieres ipſorum eadem apud nos exercere debere? Recte nimirum. Nónne poſt hæc iubemus eum qui contraria dicit, hoc ipſum nobis oſtendere, ad quam artem, quod'ue officium ex ijs quæ inſtituendæ ciuitati conducunt, nō eadem ſit ſed diuerſa uiri mulieris'ue natura?

Sic legendū uidetur, quanquam aliter habet exemplar Græcum

Sic utiq̄ decet. Forte quod tu pauloante dicebas, alius quoq̄ diceret: ſubito quidem quantum ſatis ſit dicere, non facile eſſe: ſinautem cogitetur, haud multū difficile. Diceret utiq̄. Vis ergo oremus eum qui hæc nobis opponit, ut aures nobis præſtet, attendatq̄ ſiqua ratione illi oſtendere queamus, nullum eſſe ſtudiū ad res ciuitati ſubminiſtrādas, mulieris proprium? Omnino. Age itaq̄ ad eum dicamus, reſponde, nunquid ita dicebas, ad aliquod opus aliquem apto ineptóue à natura ingenio prædituṁ eſſe ex eo intelligi, q̄ ille facile quicquam percipit, hic difficile: & ille ſi breue quid à quoquam didicerit, ex eo ipſe plurimum inueniat, hic autem cum plura didicerit excogitaueritq̄, paulopoſt obliuiſcitur: & illi quidem corporis membra ſufficienter menti ſubſeruiūt, huic autem repugnant? An alia præter hæc ſunt, quibus hominem ad aliqua natura bene inſtitutum, ab inſtituto male diſtinguis? Nullus alia dicet. Scis'ne aliquid ab hominib. exerceri, in quo non omnia eadem uirorū genus & excellentius habeat q̄ mulierū genus? an late uerbis uagabimur, texendi artificium commemorantes, placentarumq̄ & obſoniorum confectionem in quibus aliquid mulierū genus eſſe uideť, ubi perridiculum ſanè apparet cum uincitur? Vera loqueris, quia longe in omnibus, ut ita dixerim, genus à genere ſuperatur. Mulieres autem multæ multis uiris ad multa præſtantiores. Vniuerſum uero ipſum ſe habet ut dicis. Nullum igitur eſt ô amice inter eos qui ciuitatem curant, officiū mulieris propriū quà mulier eſt, aut uiri proprium quà uir, ſed æque diſperſæ in animantibus utriſq̄ naturæ: & omnium quidem operum natura compos eſt fœmina, omnium & uir eſt compos: in omnibus autem imbecillior fœmina. Sic eſt prorſus.

Fœmina & uir æque ad omnia apti, ſed fœmina imbecillior

Num uiris omnia præcipiemus, mulieri autem nihil? At quomodo? Eſt utiq̄ ut nos aſſeremus, inter mulieres quoq̄ alia medicinæ apta, alia minime: alia muſica, alia natura à muſica aliena. Quid ni? Et alia quidem ad exercitationes gymnaſticas & rem militarem prompta, alia uero ad hæc inepta. Sic arbitror. An non & una quidem ſapientiæ ſtudioſa eſt, altera ſapiētiam ſpernit: & una elato animo, altera uero depreſſo?

Et hoc aſſero. Eſt ergo & inter fœminas quædam ad cuſtodiendum idonea, quædā minime. An nō naturā quādam huiuſmodi ciuitatem cuſtodiētium uirorum elegimus?

Eiuſcemodi certe. Mulieris itaq̄ & uiri eadem hæc natura ad ciuitatem cuſtodiendam, niſi q̄ mulieribus ut imbecillioribus, uiris ut robuſtioribus eſt utendum. Apparet. Mulieres itaq̄ tales eligendæ ſunt, ut unà cum uiris & colant & cuſtodiant ciuitatem, poſtquā idoneæ ſunt, & natura ipſis cognatæ. Prorſus. Studia uero nónne eadem naturis eiſdem ſunt tribuēda? Eadem. Longo tādem circuitu ad priora illa reuoluti ſumus, cōceſſimusq̄ haud eſſe contra naturam ut cuſtodū mulieres muſica & gymnaſtica exerceant. Summopere. Quare neq̄ impoſſibilia, neq̄ pro deſiderio commēticia, lege ſtatuimus, quando quidem ſecundū naturam legē tulimus. Imò quæ his temporibus contra hæc fiunt, multo magis præter naturam fiunt ut uideť. Videtur. Nónne

disceptandum nobis erat,utrũ possibilia & optima diceremus, nec ne? Erat. Quod possibilia quidem,cõstitit. Plane. Quod aũt optima,post hæc asserẽdum. Patet.

Ad hoc ut mulieres ad custodiã sufficiẽtes euadant,nõ alia opus est disciplina q̃ ea qua uiros ad idem instruimus,præsertim cum eadem reperiatur in utrisq; natura. Non alia.

Quid porrò de hoc sentis? Quod petis. Quæro equidem utrũ existimes inter uiros alios meliores,deteriores alios esse,an similes oẽs. Nequaq̃ similes. In ciuitate igitur quam condidimus nunquid censes nobis præstantiores uiros effici custodes, eam quam dedimus disciplinam adeptos,q̃ coriarios peritia coriaria imbutos? Ridiculam rem quæris,inquit.Intelligo equidem. Quid autẽ? nónne & reliquorũ ciuium hi optimi?

Et reliquorum. Quin & mulieres tales,erũt optimæ mulierũ? Valde. Est'ne aliquid melius ciuitati,q̃ uiros q̃ optimos,& mulieres optimas effici? Nõ est. Hoc autem musica & gymnastica,ut supra narrauimus,perficere possunt. Proculdubio. Itaque nõ solum possibile,sed & optimũ quiddam ciuitati, lege statuimus. Ita est. Nudandum igitur corpus erit mulieribus custodũ,quandoquidem pro uestibus uirtutem induent.Cõmunicandumq; in bello & alia omni ciuitatis custodia atq; tutela,neq; aliud agendum.Horum tamen officiorũ leuiora quæq; propter generis imbecillitatem mulieribus tribuenda.Qui uero nudas riserit mulieres,optimi cuiusdam gratia ita nudatas,inanem circa ridiculas nugas carpens sapientiæ fructum,neq; quid rideat,neq; quid agat,intelligit.Scite nanq; istud & dicitur & asseritur : quod utile quidem , honestum : noxium autem,turpe. Et maxime quidem. Hunc itaq; unum ueluti gurgitem enatasse dicamus,de mulierum lege tractantes,adeo ne omnino submergi cõtigerit, dum asseuerare-mus omnia communiter exercere debere custodes apud nos tam uiros q̃ mulieres. Imò uero sibimet oratio nostra consonuit,quòd uidelicet & possibilia & utilia ferret. Profundum certe pelagus euasisti. Haud ingens id esse dices, cum deinceps quod sequit, uideris. Dic iam ut uideam. Hanc quidem & priores cæteras,ut puto,hæc quoq; lex

Mulieres communes

sequitur. Quænam? Mulieres scilicet has horũ uirorũ omnes omniũ esse cõmunes, nullamq; priuatim alicui adhærere,ac rursus cõmunes filios,neq; patrem filiũ nosse,neq; filiũ suũ agnoscere patrem. Multo certe difficilius istud credit, quòd uel possibile, uel utile sit. Haud quidem arbitror dubiũ id cuiquã fore,quin utile sit, maximũq; bonum mulieres esse cõmunes,cõmunes & filios,si modo fieri possit.Verũ arbitror plurimam in eo uersari controuersiam,nunquid fieri possit,nec ne. De utrisq; sanè summopere ambigetur. Dicis utiq; sermonum conspirationem.Ego aũt rebar me iam ab altero liberatum iri,si tibi uisum fuerit utile esse.Nam reliquũ mihi fore,ut perquirerem utrum possibile sit an non. At latere non potuisti,dum fugeres. Redde de utrisq; rationem. Sustinenda mihi certe pœna est,sed hoc mihi indulge.Sine enim paulisper meo me arbitratu reficiam, quemadmodum qui pigri mente sunt, pascere se cogitatione quotiens soli proficiscuntur solent. Etenim huiuscemodi homines, antequam compertum habeant quo pacto fieri possit quod petunt,omittentes hanc curam ne nimio labore grauentur, dum de possibili & impossibili deliberent,quasi id iam sit quod affectant,sibi persuadẽt: ac deinceps reliqua digerunt, oblectanturq; dum cogitant qualia præsente illo facturi sint,atq; ita torpentem animum etiam lãguidiorem reddunt.Haud secus & ipse pigresco,cupioq; in aliud tempus disceptationem illam differre possibilia ne ista sint an non. In præsentia uero quasi possibilia sint admittens,perquiram si ipse permiseris, qua ratione hæc existentia principes ipsi disponent,quodue omnium utilissime erunt ista si fiant, tam custodibus quàm ciuitati. Hæc conabor equidem prius tecum considerare, illa uero posterius,si concesseris. Concedo equidem,considera iam. Arbitror igitur si modo erunt principes hoc nomine digni,eodemq; modo horum ministri,hos quidem uelle exequi quæ mandantur,illos autem præcipere,partim ipsis parentes legibus,partim imitantes,quatenus illis nos permiserimus. Probabile id quidem. Tu igitur legis conditor ipsis,quemadmodum uiros elegisti,ita & mulieres eligens, præbebis quo ad fieri potest consimiles inter se ingenio.Isti autem utpote ædes & comessationes communes habentes,propriũ uero nihil taliũ possidentes,unà habitabunt, & inuicem congredientes in gymnasiis ac reliquo uictu,ab innata,ut arbitror,necessitate ad mutuam trahentur commixtionem. An non necessaria tibi dicere uideor? Haudquaquam necessaria,

geometrica

geometrica quadam neceſſitate,ſed amatoria,quæ multo acrior eſt quàm illa ad perſuadendum uulgo atq; trahendum. Nimirum uehementer,inquam ego. Verum poſt hæc ô Glauco,ſine ordine denudari inter ſe,uel aliud quicquam facere,neq; ſanctũ eſt in beatorum hominũ ciuitate,neq; iudices id permittent. Neq; enim iuſtum eſſet. Conſtat utiq; quòd nuptias deinceps,quoad fieri poteſt,ſacras inſtituemus.Eſſent autem ſacræ q; utiliſſimæ. Summopere. Quonã pacto utiliſſimæ erunt? hoc mihi dicas ô Glauco. Video equidem tuis in ædibus & uenatorios canes,& generoſas aues frequentes. Nunquid ad iſtorum coitum generationemq; quandoq; animaduertiſti? Quorſum iſtud?

Primum inter hos ipſos licet generoſos,nónne ſunt & fiunt præſtãtiſſimi quidam?

Sunt. Vtrum ex quibuſcunq; æque fieri generationem permittis? An curas potius, ut ex optimis generẽtur? Ex optimis. Num ex tenerrimis quibuſq;, an ſenio confectis? an ætatis in flore potius conſtitutis Ex his ipſis potius. Ac niſi hunc in modum generatio deducatur,longe deterius fore canum & auium genus exiſtimas? Equidem.

Putas in equis cæteriſq; animalibus aliter euenire? Abſurdũ id eſſet. Papæ ô dulcis amice,quàm perſpicacibus ac ſummis nobis eſt opus principibus,ſiquidem in hominum genere ſimiliter ſe res habet. Habet utiq;,quid tum? Quia neceſſe eſt ut medicinis multis utantur. Quando enim medicinis nullis indigent corpora, ſed uictus dũtaxat inſtitutionem exigunt,medicum certe debiliorem ſufficere arbitramus. Cum uero medicinis eſt agendũ,ſcimus fortiori quodã medico opus fore. Vera narras. Sed quorſum hæc? Nempe neceſſarium fore uidetur,ut frequenti mendacio & deceptione utantur principes ad ſubditorum utilitatem. Diximus autem ſuprà huiuſcemodi omnia pharmaci medicinæq; loco neceſſaria eſſe. Et recte quidem. In nuptijs itaq; & filiorũ procreatione uidetur rectũ hoc fieri nõ mediocriter. Quo pacto? Oportet profecto ſecundum ea quæ ſuprà conceſſimus,optimos uiros mulieribus optimis ut plurimum congredi: deterrimos autem contrà,deterrimis. Et illorum quidem prolem nutrire,horum mini me,ſi armentum excellentiſſimum ſit futurum. Et hæc omnia dum agantur ab omnibus præterquam à principibus ignorari,ſi modo armentum cuſtodum debeat ſeditione carere. Probe admodum. Igitur feſta quædam erunt legibus deſignata, in quibus ſponſos & ſponſas cõgregabimus,ſacra fient,& hymni à poetis noſtris,celebratis nuptijs cõuenientes. Numerum autem nuptiarum arbitrio principum cõcedemus, ut ad hoſtes ac morbos cæteraq; huiuſmodi reſpicientes,eundem q; maxime ciuium numerum ſeruent, ne' ue populoſa ciuitas nimis ſit quoad fieri poteſt,neq; uacua. Recte loqueris. Sortes igitur quædam tali quodam artificio inſtituendæ,ut deterior ille in qualibet copulatione fortunam nõ principes culpet. Et maxime quidem. Enimuero his qui inter iuuenes præſtãtiores ſunt in rebus ſiue militaribus,ſiue alijs quibuſdã,munera ac præmia danda ſunt, & talia permulta:quin & uberior mulieribus cõgrediendi licentia, ut ex hac ſimul occaſione filij plures quàm ex alijs,ex his ſerãtur. Probe. Itaq; filios qui ex his oriuntur,ſuſcipient ij qui talibus præſident magiſtratus,ſiue uirorum, ſeu fœminarum,ſiue utrorunq;.communes enim uiris & mulieribus magiſtratus. Eſt ita. Accipientes utiq; præſtantũ hominũ prolem,ad ouile portabũt,ad nutrices quaſdam ſeorſum in ciuitatis parte aliqua commorantes.Eos uero qui naſcentẽ ex deterioribus,ſiue etiam ex quibuſcũq; alijs,ſed membro aliquo manci,in abditis ut decet locis abſcõdent. ſiquidem debet cuſtodũ genus purũ fore.Nutritionem præterea & hi curabunt.Matres enim ad ouile cum lacte exuberabũt,tranſmittent,procurantes ne ulla ſuum agnoſcere ualeat. Ac ſi hæ minus ſuffecerint,alias inſuper lacte plenas adhibebũt.Prouidebũt quoq; ut mediocre tempus in lacte fugendo ſeruetur. Vigilias item laboresq; cæteros nutricibus imperabunt. Plurimum facultatis ad procreandã prolem cuſtodũ mulieribus tribuis. Sic decet.Sed age deinceps,quod maxime intendimus,percurramus.Diximus plane ex robuſtiſſimis oportere filios procreari. Diximus. An nõ tibi quoq; uidetur moderatũ adulti roboris tempus eſſe mulieri quidem annos uiginti,uiro autẽ triginta? Quis horum modus? Vt uidelicet mulier à uigeſimo ætatis anno incipiens,uſq; ad quadrageſimum pariat:uir autem poſtquam acutiſſimũ ſui curſus uigorem tranſierit, annos ſcilicet triginta,inde uſq; ad annos quinq; & quinquaginta procreet. Profecto in ijs ætatibus uigor animi corporiſq; conſiſtit. Si igitur ſenior iſtis,ſiue iunior, generationem in

De nuptijs & matrimonijs

Aetas generationi apta

communi attigerit, prophanum & iniquum ſcelus hoc eſſe cenſebimus, quaſi fœtus is in ciuitate feratur, qui ſi latuerit, orietur non ſub ſacrificijs quidem & uotis, quæ ſingulis in nuptijs peragent ſacerdotes omnes tam uiri quàm mulieres, & ciuitas uniuerſa, precãtes ut ex bonis meliores, ex utilibus utiliores, naſcantur: imò uero ſub tenebris ex acri quadam incontinentia. Recte loqueris. Eadem quoq; erit habenda ratio de illo, qui cum adhuc in generandi ætate fuerit, principeq; non copulante, mulierem in ætate iam adulta conſtitutam attigerit. Nempe hunc aſſeremus puerum generare ſpurium, inceſtum, atq; prophanum. Scite admodum. Quando igitur iam mulieres & uiri ætatem generationi aptam egreſſi fuerint, licere uiris dicemus, cuicunq; uoluerint, præterquã filiæ atq; matri, & filiarum natis matrisúe maioribus commiſceri: licere & mulieribus cuilibet copulari, præterq; filio atq; patri, ac ſuperioribus & inferioribus eorundem. Cum uero hæc omnia mandauerimus, interdicemus partum talem ſi cõtigerit, in lucem produci. Siquid autem coegerit, ita exponere præcipiemus, quaſi eius nulla nutritio ſit. Hæc quoq; probe dicuntur. Patres uero & matres & cæteri cognati quos memorabas, quomodo inuicẽ diſcernentur? Nullo modo, ſed omnes quicunq; naſcentur decimo menſe, uel ſeptimo ex ea die qua quis liberis operam dedit, maſculi ab hoc filij, fœminæ filiæ nominabũtur. Nati autem eum patrem uocabunt, natorum ſimiliter filios ille nepotes eſſe dicet, iſti autem ſuperiores auos & auias nominabũt: at eos qui illo tempore naſcerentur, quo patres ipſorum matresq; inuicem generabãt, fratres atq; ſorores. Atq; ita quod modo dicebam, nullo modo ſe mutuo tangerent. Fratribus autem & ſororibus lex cohabitationem concedet, ſi ſors dederit, & Pythia ſimul per reſponſa firmauerit. Recte admodum. Talis utiq; erit ô Glauco, inter ciuitatis cuſtodes mulierum filiorumq; communio. quòd autem cõgruat reliquo ciuitatis ordini, ſitq; admodũ optima, oportet deinceps ratione confirmare: aut quid agemus? Hoc omnino. An non conuentionis huius hoc eſt principium, ut à nobis ipſis ſciſcitemur, quid maximum bonum ad ciuitatis conſtitutionem inueniamus, ad quod reſpiciens legislator, leges cõdere debet, quid'ue maximum malum? Conſideremus deinde, an ea quæ modo narrauimus, ad boni ipſius ueſtigationem nobis conueniant, à mali autem ueſtigio diſſonent. Maxime omnium. Habemus'ne ullũ pernicioſius ciuitati malum, q; quod eam diuidit, & ex una plures facit? uel melius quicquam eo quod ipſam uincit ſimul, & unã efficit? Non habemus. Nónne uoluptatis doloriſq; cõmunio unit, quando ciues omnes maxime ex earundem rerũ acceſſu uel deceſſu pariter gaudent ac dolent? Et maxime quidem. Horũ uero diuerſitas eam diſſoluit, quando eiſdem ciuitatis & eorum qui in ciuitate ſunt caſibus alij uehementer dolent, alij geſtiunt. Quid ni? Ex hoc autem tale quid prouenit, quando nõ ſimul in ciuitate hæc uerba uulgantur, Meum ſcilicet, & non meum, ac de alieno eodem modo.

Quæ affinitas ſeruanda ſit

Nihil pernicioſius ciuitati quàm diuiſio, ut nihil melius quàm unio

Quam uim in ciuitate habeant uerba hæc meũ & non meũ

Valde. In quacunq; igitur ciuitate complurimi ad idem ſecundũ eadem hoc dicunt, Meum & nõ meũ, ea optime gubernatur. Prorſus. Et quæcunq; q; optime ut unus homo affecta ſit. Porrò quotiẽs alicuius noſtrum percuſſus eſt digitus, tota corporis communio ad animam pertingẽs, in unam coordinationẽ eius quod in ipſa anima dominat, ſenſit protinus, totaq; ſimul afflicta parte condoluit. Atq; idcirco hominẽ dolere digitũ dicimus. Eademq; eſt de quauis alia parte & paſſione hominis ratio: de dolore uidelicet, cum pars aliqua dolet: ac de uoluptate, cum aliqua ſui parte reficit. Eadem ratio certe: & quod quæris, ciuitas quæ optime regitur, q; proxime ad hoc accedit. Quotiens, ut arbitror, ciuium cuiq; boni aliquid, uel mali continget, talis utiq; ciuitas ſuum eſſe clamabit eum qui ſic afficit, atq; ideo tota uel lætabitur unà, uel dolebit. Neceſſe eſt ita in ciuitate optimis legibus gubernata contingat. Sed hora iam eſt ut ad ciuitatẽ noſtrã redeamus, & quæ nunc inter nos cõſtiterunt, exquiramus utrũ ciuitati huic cõueniant maxime, an alteri potius. Licet prorſus. Sunt & in alijs ciuitatib. principes & populus, & in iſta ſimiliter? Sunt. Atqui omnes iſti ciues ſe alterutrũ appellabũt? Quid ni?

De nominibus ciuium ac magiſtratuum

Sed præter ciuis nomen, quomodo in alijs ciuitatib. populus principes uocat? In pluribus quidem dominos, in populari aũt gubernatione principes. At noſtræ ciuitatis populus, quomodo ultra ciuis nomen principes nũcupabit? Seruatores auxiliariosq;. Quo autẽ modo iſti populũ? Mercedis tributores & nutritores. Qui uero in alijs præſunt, populũ? Seruos. Principes ipſi ſe inuicẽ? Cõprincipes. Noſtri autem?

Concu-

Concuſtodes. Putas eſſe aliquem inter aliarũ ciuitatũ principes, qui ex collegis aliũ ſibi propinquũ, aliũ extraneum uocet? Equidem multos. Propinquũ igitur tanquã ſuum & putat & dicit: extraneũ uero, ut non ſuum. Plane. E noſtris autem cuſtodibus, eſt'ne ullus qui collegarũ quempiam extraneum arbitretur ac uocet? Nullus. Cuicunq; em̃ quis occurret, uel fratri, uel ſorori, aut patri, aut matri, aut filio, aut filiæ, ſiue horum natis, ſeu maioribus putabit occurrere. Præclare loqueris. ſed ad hoc quoq; reſponde. Vtrum ciuibus tuis nomina duntaxat inuicem propinqua familiaria lege ſtatues? an præterea propinquitatis officia, ut uidelicet ita ſe gerant, ut appellationis ipſius dignitas poſtulat, ſeruentq; erga parentes, quæcunq; lex exhiberi illis præcipit, reuerentiam, curam, obediẽtiam: alioquin & deos & homines infenſos habeant, utpote qui neq; ſancta, neq; iuſta agant, ſi contrà fecerint? Alij ne in hac tua ciuitate ſermones q̃ hi, cunctis ex ciuibus, protinus ad aures puerorũ circũſonabunt, & aduerſus parẽtes quoſcũq; illis quis indicauerit, & aduerſus alios genere proximos? Hi certe ipſi. Abſurdũ enim id eſſet, ſi domeſtica nomina tantũ ore, ſine officio proferrentur. In hac igitur ciuitate maxime omnium, uno aliquo bene uel male affecto, uno ore clamabunt omnes, Meum bene ſe habet, uel meum ſe habet male. Vera loqueris. Cum hac opinione ac uerbis huiuſmodi ſequi dicebamus, ut & uoluptates cõmunes ſint & dolores. Et recte quidem.

In eo igitur maxime noſtri ciues inuicem cõmunicabunt, q̃ meũ dicent: ex qua cõmunione ſequet̃, ut uoluptates & dolores communes habeãt. Penitus. Horũ uero cauſa unà cum reliqua ciuitatis cõſtitutione, eſt ipſa cuſtodũ circa mulieres filioſq; communio. Sic eſt omnino. Enimuero ſummũ hoc ciuitati bonum eſſe confeſſi ſumus, cum ciuitatem recte gubernatã ſimilem eſſe diceremus corporis, cum ſingulis partibus ſuis circa uoluptatẽ & dolorem quoquo modo cõmunicantis. Et merito quidem conceſſimus. Maximi itaq; boni cauſa ciuitati nobis patuit eſſe ipſa inter auxiliarios mulierũ filiorumq; cõmunio. Valde. Atqui & ſuperioribus hæc conſonãt. Diximus em̃ neque domos proprias his eſſe debere, neq; agros, neq; poſſeſſionem aliquã, ſed ab alijs accipere nutrimenta mercedem cuſtodiæ, & cõmuniter omnes cõſumere, ſi ueri cuſtodes futuri ſunt. Probe. Nónne quod ipſe aio, & quæ ſuprà, & quæ nũc inducta ſunt, maxime faciunt, ut ueri hi cuſtodes euadant, neq; diuidant ciuitatẽ, dum meum dicant non idem omniũ, ſed aliorum aliud eſſe, & alius in propriam domum trahat quocunq; ſeorſum ab alijs uſurpare uoluerit, alius in ſuã ab alijs diuerſam domũ: & ex propriis mulieribus ac filijs, diuerſi diuerſis lætentur & doleant: imò uero ut ex una proprij eiuſdem omnium ſentẽtia, in idem tendentes omnes quo ad fieri poteſt, ſimilibus uoluptatibus, & doloribus ijſdem, ſiquid accidat, afficiant̃? Maxime. Quid autem? iudiciorũ controuerſiæ accuſationesq; mutuæ, nõne ceſſabunt omnes, quandoquidẽ nec proprium quicquã præter corpus quiſq; habebit, reliqua uero cõmunia? Vnde ſequit̃, ſine ſeditione illos fore, quãtum ad eas lites attinet, quæ pecuniarũ, uel filiorum, uel propinquorũ cauſa oriri ſolent. Neceſſe eſt omnino hæc abeſſe. Quin neq; de ui illata uſquam contendetur. Nempe aſſeremus honeſtum & æquum eſſe, ut æqualem æqualis ab iniuria arceat, tutandis corporibus neceſſitatẽ imponẽtes. Probe. Atqui & hoc rectũ lex hæc continet, q̃ ſiquis alicui iraſcatur, iramq; explere cõtendat, minus ad maiores maiorũmue tranſibit ſeditiones. Sic eſt prorſus. Seniorẽ quippe lex noſtra conſtituit præeſſe omnibus iunioribus, eosq; corrigere. Perſpicuũ id quidem. Conſtat præterea q̃ iunior in ſenio- Metus & pu
rem niſi iuſſu principũ ſæuiet nunq; neq; cædere audebit, ut decẽs eſt, neq; ignominia ul- dor cuſto-
la afficere. Metus namq; & pudor cuſtodes ſunt ad hæc prohibenda ſufficientes. Pudor des ſufficien
quidem nõ permittet eos quos parẽtes ſuſpicant̃, uiolare. Metus autẽ ab iniuria abſterrebit quenq;, timentẽ ſcilicet ne cæteri omnes, partim ut filij, partim ut fratres, partim ut patres oppreſſo ſuccurrant. Ita prorſus accidit. Omnino igitur ex his legibus ciues inuicem in pace uitam agent. Summopere. His aũt inter ſe minime diſſidentibus, haud metuendũ eſt nequãdo ciuitas alia uel aduerſus hos, uel ipſi inter ſe pugnẽt, ſeditionesq; moueant. Nõ certe. Pudet referre, quia minus deceat, minutiſſima quæq; mala à quibus liberi ciues erunt. Adulationes certe aberunt, quibus aduerſus diuites inopes uti ſolent. Sollicitudines item indigentiũ atq; dolores, quibus in filijs nutriẽdis, quæriẽdisq; pecunijs propter neceſſariã domeſticorum ſeruorumq; nutritionem uexãtur, dum & fœno

Quãdo optime ciuitas habet

ribus dant operam,& negant quę acceperunt, & quęstui undecunq; studeant. Seponunt præterea apud mulieres ministrosq; permulta quæ ad tempus condantur. Nam q̃ multa, & qualia in ijs homines patiuntur,ô amice, & ipsa per se cuiq; patent, & illiberalia sunt, & indigna narratu. Patent plane uel cæco. Porrò ab his omnibus liberi erũt, uitamq; agent beatiorem beatissima illa eorũ uita qui uicerũt Olympia. Qua ratione? Nempe illi ob exiguam eorum quæ hi possident partem,beati putantur. Nam & uictoria horum præclarior,& perfectior ex publico alimonia: horumq; uictoria, ciuitatis totius est salus. Alimenta præterea & quæcunq; alia ad uictum necessaria ipsi eorumq; filij corona tionis loco accipiunt. Honores insuper & præmia ab ipsa Repub. uiuẽtes cõsequuntur, & uita functi digna sepulchrorũ suis uirtutibus monimẽta. Hæc certe admodũ egregia sunt. Meministi quod in superioribus nescio cuius oratio nobis obiecit,tanquã custodes minime beatos efficeremus? utpote qui nihil haberẽt,cum tamẽ liceret illis ciuiũ omnia possidere. Ipsi autem respondimus,in posterũ nos sicubi cõtigerit, cõsideraturos: Nam in præsentia custodes quidẽ,reuera custodes facere nos, ciuitatẽ uero quoad possemus beatissimam: neq; ad unam quandam eius partem,sed ad totam respicientes, beatitudinem illã exquirere. Memini equidem. Nunc certe auxiliariorũ uita,quando lõge præclarior ac melior quàm eorum qui Olympia uincunt,apparet,nequaquã coriariorum,aut aliorum artificũ,aut agricultorũ uitæ similis esse uidetur. Non certe,ut & ipse arbitror. Veruntamen quod & suprà dixi,par est ut hic repetam: quòd si ita custos beatus fieri studeat,ut nõ sit custos,neq; sufficiat ipsi uita adeo moderata & stabilis,&,ut nos asserimus optima: sed insana & puerilis exorta felicitatis opinio,rapiat eum ob ipsam potentiam ad omnia quæ in ciuitate sunt sibi uendicanda: cognoscet Hesiodum sapienter illud dixisse,dimidium esse plus quàm totum. Si me consultore utetur,hac in uita manebit. Probas igitur cõmunionem,quam mulieribus cum uiris tribuimus, quoad disciplinam,filiorum susceptionem,custodiam ciuium,ut unà cum uiris in pace gubernent,in bello militent, custodiant unà,& canum instar uenentur,omniumq; officiorum omnino quoad fieri potest,participes sint. Ac dum hæc agunt, optima agere illas concedis, neq; contra naturam fœminæ,qua instituta est ut cum mare cõmunicet. Probo equidem.

Mulieres & filios adultos militare

Nónne restat deinceps ut id declaremus,utrum esse possit hæc in hominibus quemadmodum in reliquis animalibus communio, & quo pacto possit. Occupauisti prior quod ego interrogaturus eram. De re quidem bellica manifestũ esse arbitror, quo pacto eam tractabit. Quonã pacto? Militabunt profecto cõmuniter,tam mares quàm fœminæ,ducentq; adultos filios secum ad prælium: ut quemadmodũ aliorum opificũ filij,& hi patrum suorum opera cernant,quæ ipsi quoq; cum ad maturam ætatem peruenerint,effecturi sunt: atq; insuper ut parentibus auxilio sint,ministrentq; omnia quæ ad bellum spectent,patresq; & matres curent. An nõ animaduertisti quòd in artibus accidit,uelut quàm diu figulorum filij fingentes patres spectant,eisq; ministrant, anteq; ipsi quicquam fingant? Maxime. Nunquid diligentius illi quàm custodes filios suos erudire debent peritia & inspectione operum cuiq; conuenientiũ? Ridiculum id quidem esset. Quinetiam omne genus animantiũ natis præsentibus ardentius pugnat. Est ita, uerum periculũ est permaximũ ô Socrates,ne si fortè,ut accidit in bello,fors aduersa contigerit,filios quoq; secum perdant,ex quo ciuitas nimis multis orbata hominibus, resurgere rursus ad prælium nequeat. Vera loqueris. Sed tu forsan in primis ita se comparare quenq; oportere existimas,ut nullum unquam periculum subeat. Nullo modo.

Quid? Nónne tunc in discrimen ueniendum,ubi qui se egregie gesserint, præstantiores euadent? Perspicuum est. Num parum interesse censes, indignum ue quod propter periculum suscipiatur,ut spectent, uel non spectent res bellicas pueri,qui milites futuri sunt? Immo uero referre ad id quod ais. Danda igitur opera est,ut bellum pueri spectent duntaxat,& qua ratione tuti sint,excogitandum,atq; ita recte fiet. Nempe.

Principio parentes eorum haudquaquã ignari erunt,sed quo ad hominibus cõcessum est,ad discernendum perspicaces quibus in castris periculum insit,quibus nõ insit periculum. Verisimile id quidem. Ad tutiora itaq; ducent eos,ad alia minime. Probe.

Deinde rectores illis præficient,nõ ignauissimos quosq;,sed homines & usu rerum & ætate idoneos duces & pædagogos. Ita decet. Verum multa dicemus præter opinionem

nem multis hominibus euenisse. Et maxime quidem. Horum causa ô amice, statim à teneris annis alæ quædam applicandæ puerulis, ut siquando opus fuerit, uolantes protinus aufugiãt. Quomodo istud ais? Equitare cõsuescant primis ab annis pueri: cũq; hoc didicerint, equis ad spectaculum belli ducentur, non ferocibus quidem aut nimium bellicosis, sed q; uelocissimis, & habenis facile obsequentibus: atq; ita cõmodissime opus suum prospicient, securissimeq; euadent siquid aduersi contigerit, seniores duces sequentes. Scite admodum loqui mihi uideris. Quid de his quæ ad bellum attinent, dicendum? Quæ seruanda militibus ad se inuicem & aduersus hostes? Nunquid recte sentio, nec ne. Quidnam? Arbitror eum qui in acie ordinẽ deseruit, uel arma abiecit, uel tale aliquid propter timiditatem cõmisit, ad opificum ordinẽ uel agricultorũ esse transmittendum. Sic decet. Eum uero qui uiuus ab hostib. captus fuerit, etiam gratis reddere uolentibus, relinquendum, ut præda quomodocunq; libet, utantur. Omnino.

Pueri ducendi sunt ad spectandas pugnas

Qui autem egregie sese gerẽs excelluerit, primo quidem in ipsa expeditiõe ab ijs qui unà militant adolescentibus ac pueris, sigillatim à quolibet coronãdus, nónne tibi uidetur? Mihi uero. Quid? nónne & dexteras iungere illi debebunt? Et hoc. At hoc præterea tibi forsitan nõ uidetur? Quid? Vt oscula à quolibet accipere debeat ac dare. Imò uero maxime omnium. Atqui & legi huic addendum existimo, ut quoad in ea expeditione fuerint, nemini renuere liceat, quemcũq; osculari ipse desiderauerit, ut si quis alicuius amore captus fuerit uel maris uel fœminæ, acrior sit ad uictoriã consequendam. Præclare. nam quòd nuptiæ strenuis uiris facilius paratæ quàm alijs, & cooptiones frequentiores erunt, ut quàm plurimi ex his nascantur, iam dictum est. Diximus certe. Etenim secundum Homerum eiusmodi iuuenes iustum est maxime honorare. Nam ipse Aiacem bello præcellentem, dixit assiduis ab humeris honoratũ, quasi hic pubescenti homini ac forti conueniens sit honor, ex quo cum honore simul & robur augeatur. Recte admodum. In his ergo Homero parebimus. Etenim nos in sacris cæterisque huiusmodi uiros bonos quo magis excellent, eo magis & hymnis, & his quæ modo diximus, honestabimus, sedibus item & carnibus, plenisq; pateris, ut & honoremus unà uiros præstantes mulieresq; & exerceamus. Bellissime loqueris. Eum uero qui in militia quum se strenue gesserit, obijt, primum aurei generis esse dicemus. Maxime omnium. Deinde Hesiodo fide adhibita, asseremus, quicunq; hoc ex genere decedũt è uita, dæmones effici sanctos terrestres, optimos expulsores malorum, custodesq; mortalium. Ita certe credemus. Consulemus ergo oraculum, quo pacto beatos diuinosq; uiros condere deceat, & quibus insignibus præcipue decorare, atq; ita condemus ut iusserit. Proculdubio. Reliquum itaq; tempus sepulchra eorum ueluti dæmonum colemus, atq; adorabimus. Eadem quoq; seruabimus erga illos, qui cũ præcipua probitate pollere in uita iudicati fuerint, senio aut alio quodam modo è uita cesserunt. Decet sanè. At quomodo aduersus hostes nostri se milites gerẽt? Qua in re? In primis quidem de seruitute quæro, utrum iustũ esse censeas, ut Græci Græcas urbes in seruitutem redigant: an potius, ut neq; ab alijs fieri istud permittant, ac pro uiribus obstent, consuescantq; Græcorum generi parcere, cauentes ne barbaris ipsi seruire cogantur. Omnino & ad omnia refert Græcis parcere. Ergo nostri exercitus neminem Græcum facere seruum debent, sed & Græcis alijs consulere potius, ut ipsi ab hoc caueant. Prorsus. Nam ita facilius ac fortius contra barbaros insurgent, & ab se inuicem abstinebunt.

Quid autem? spoliare mortuos præter arma, postquã uicerunt, honestum est, an non? An occasionem hoc præbet timidis, ne aduersus hostem aduentent, quasi magnificum aliquid moliantur, quando inter cadauera uolutantur? At enim rapiendi cupiditate multi iam exercitus perierunt. Maxime. An non illiberale quiddam, cogitationisq; auaræ, muliebris, ac uilis esse uidet cadauer expoliare, hostemq; putare mortui corpus, cum aduersarius ipse abierit, eo quo pugnabat relicto? Num censes eos qui hoc agunt, differre à canibus aduersus iactos lapides irascentibus, eo qui iacit dimisso? Nihilo equidẽ differre arbitror. Quare à rapinis huiusmodi abstinendum est. uictoriæ namque obsunt. Abstinendum penitus. Neq; etiam in templum arma transferemus, ea Deo sacraturi, præsertim arma Græcorũ, si modo nobis curæ est cum Græcis alijs beneuolentia. Maxime uero formidabimus, ne scelus impium sit, talia à proprijs in sacrum transfer

re,niſi quid aliud deus dixerit. Recte admodũ. An tui milites, Græcorũ quibuſcum pugnabunt,agros depopulabunt̃,ac domos incendent? Libenter quid tu de hoc ſentis,audirem.Mihi quidem nihil tale uidetur agendũ eſſe,ſed fructus annuos duntaxat auferendos. Vis cauſam dicam? Equidem. Videtur mihi ſicuti nomina hæc duo ſunt, bellum ac ſeditio,ita & duo quædam duabus ſubeſſe differẽtijs.Dico aũt duo hæc, aliud quidẽ proprium & cognatũ,aliud alienum atq; extraneũ.Inimicitiam quæ inter nos eſt, ſeditionem: quæ inter extraneos,bellum uocant. Haud ab re eſt quod ais. Animaduerte nũquid & hoc ad rem dicam.Aio equidẽ Græcos omnes inter ſe propinquos eſſe genere atq; cognatos,à barbaris aũt diuerſos atq; extraneos. Præclare loqueris. Quo ties igitur Græcia aduerſus barbaros, uel contra Græcos barbari ipſi pugnabũt, bellum gerere aſſeremus,& hoſtes eſſe natura,& has inimicitias bellum uocabimus.Quãdo uero Græci aduerſus Græcos inſurgent,dicemus eos natura quidẽ amicos eſſe,morbo autem laborare in hoc Græciam,& ſeditionibus agitari,&ſeditionẽ has inimicitias appellabimus. Aſſentior equidem. Si in ſeditioſa ciuitate utriuſq; factionis homines aduerſariorum agros deturbarent,inflãmarentq; domos,uides q̃ pernicioſa futura ſeditio ſit, neutriq; illorum patriæ ſuæ cultores? Quippe ſi eam amarẽt,nunq̃ certe auderent nutricem matremq; uaſtare:ſed ſatis eſſe factum putarent,ſi uictores aliorũ raperent fructus, exiſtimantes non ſemper ſe inuicem pugnaturos,ſed quandoq; reconciliandos. Mitiorum profecto hominum hæc eſt ſententia. Ciuitas hæc quam condimus,nónne Græca? Decet. Ergo & æqui & mites in ea ciues. Maxime. Quare Græcorũ amici. Nempe omnem Græciam ſibi coniunctã exiſtimabunt,& ſacra habebunt ut alij,inter ſe cõmunia. Summopere. Itaq; cõtentionem ſibi aduerſus alios Græcos exortã, tanq̃ cum ſuis geri putabunt,ſeditionemq; uocabunt,nõ bellum. Sic prorſus agent. Ergo tanq̃ qui reconciliandi quandoq; ſint,altercabunt̃. Ita certe. Pia itaq; ſentẽtia & temperato animo rem agent,non ad ſeruitutẽ aut necem reſpicientes,tanq̃ qui hoſtes minime ſint. Hoc utiq; modo. Non ergo Græciã,cum Græci ſint, deſtruẽt, neq; domos incendent,neq; putabunt in ſingulis ciuitatibus omnes ſibi aduerſos eſſe & uiros,& mulieres & pueros,ſed paucos admodũ inimicos,eos duntaxat qui fuerint diſcordiæ cauſa. Quamobrẽ neq; regionem deuaſtabũt eorum quaſi ut plurimũ amicorum, neq; domos ſubuertent,ſed eatenus decertabunt quatenus qui diſcordiæ cauſam dederunt,inſontib. pœnas ſoluant. Aſſentior equidem ita eſſe Græcis pugnantibus repugnandũ, contra barbaros aũt,ita animatos eſſe debere,ut nunc Græci contra Græcos affecti ſunt. Ponamus itaq; legem hanc cuſtodibus,ut neq; populent̃ agros, neq; igne ædes abſumant.

Græcos cognatos eſſe
Quid bellũ
Quid ſeditio

Ponamus profecto,& hæc unà cũ ſuperioribus recte ſe habere,aſſeueremus. Sed mihi quidem uideris ô Socrates,ſiquis te alia quædam narrare permittat,nunq̃ illius te recordaturum,quod in ſuperioribus prętermittens,hęc omnia in mediũ adduxiſti: q̃ uidelicet poſſibile ſit hãc remp.fieri,& quo pacto fieri poſſit.Nam ſi extiterit,q̃ bona omnia ciuitati ipſi proueniant,nõ dubito;quin & ea etiã quæ tu prætermittis.q̃ uidelicet ciues illi contra hoſtes ſtrenue pugnabunt,eo q̃ ſe inuicem nequaquã deſerent,cognoſcentes ſe inuicẽ eſſe ꝓpinquos, perq; hæc nomina mutuo ſe uocãtes,fratres,patres,filios.Quòd ſi & fœminę militent unà,ſiue eodẽ in ordine,ſiue ſubſequenti acie,ut & terreant̃ hoſtes, & cũ neceſſitas poſtulauerit, uiris auxiliũ afferatur, certe ſcio inexpugnabiles eos fore: & quot bona eos domi ſequant̃,etſi dicta omnia nõ ſunt,intelligo. Verum tanq̃ concedente me hæc omnia & alia permulta,ſi fiat hæc reſpub.prouentura, ne plura de ipſa ſuperinducas:ſed hoc ipſum iam conemur nobis perſuadere,q̃ poſſibile ſit,& qua ratione poſſibile hãc extare rẽp. Cętera uero mittamus. Subita quadã incurſione ſermonẽ meũ iterũ inuaſiſti,neq; mihi ignoſcis militiæ laboribus iã defeſſo,neq; aduertis forſitã q̃ uix me duobus è fluctibus emergentẽ,nunc in tertium retrudis pelagus profundiſſimum. Quod poſtq̃ uideris audierisq;,dabis certe mihi ueniã,cognoſcẽs haud iniuria extimuiſſe me ſermonẽ adeo ab opinione hominũ abhorrentẽ ingredi. Quo plura in hãc ſententiam cõgeres,eo minus dimitteris à nobis,quo minus oſtẽdas qua ratione fieri poſſit hæc reſpub.Quare dicas iã,nec ultra cũcteris. In primis meminiſſe oportet, quod nos inquirentes quale quid iuſtitia & iniuſtitia ſit,huc diſputando deuenimus. Oportet ſanè,ſed quorſum hæc? Nempe ſi quale quid iuſtitia ſit cõſpexerimus,num uirũ iuſtum cenſebimus

cẽſebimus,nihilo debere ab illa differre,ſed talem eſſe omnino qualis ipſa iuſtitia eſt: an ſatis eſſe factum putabimus,ſi q̃ proxime ad eam acceſſerit, & maxime omniũ illius ſit particeps? Ita plane ſatis habere putabimus. Exemplis igitur cauſa quale quid iuſtitia ſit,quęſiuimus,& qualis uir perfecte iuſtus ſi extet:Iniuſtitia rurſus qualis,& iniuſtiſſimus homo:ut quales ipſi quo ad beatitudinẽ & miſeriã eſſe nobis cõtuentibus uiderentur,cogeremur & de nobis ipſis fateri,talem noſtrũ quenq̃ ſortem habiturum, quiſquis è nobis illis ſe præſtiterit q̃ ſimillimum.Non autem ob id perſcrutati hæc ſumus,ut monſtraremus ea fieri poſſe. Vera hæc ſunt. Cenſes aliquem ex hoc minus bonũ fore pictorem,q̃ poſtquam humanæ pulchritudinis exemplar abſolutũ ædiderit,nihilq̃ de ſpecie prætermiſerit,nequeat demonſtrare,hominem talem reperiri poſſe? Nequaquam.

Nonne & nos præſtãtiſſimæ ciuitatis oratione exemplar effinximus? Prorſus. An igitur eo minus nos recte loqui exiſtimas,ſi oſtendere non poſſumus, talẽ extare poſſe ciuitatẽ,qualẽ ipſo ſermone depinximus? Minime. Sic utiq̃ ſe ueritas habet.Quòd ſi & hoc præterea tui cauſa demonſtrandũ,quo modo,& ſecundum quid maxime effici poſſit,rurſus ad hãc oſtenſionẽ hæc ipſa mihi fateare oportet. Quænam? Nunquid ſic fieri quicquam poſſit ut dicitur,uel ita natura comparatum eſt,ut actio minus quàm ſermo ueritatem attingat,licet alicui non uideatur? Tu uero utrum das iſtud,an non? Do equidem. Ne me cogas igitur ut qualia uerbis hæc figurauimus,talia penitus digito indicare debeam.Sed ſi ualeamus adinuenire qua ratione q̃ proxime ad hæc accedat Reipub.inſtitutio,fatendum eſt comperiſſe nos quemadmodum quæ tu præcipis, effici poſſunt.An nõ ſatis eſſe factum duces ſi horum compos efficiaris? Nam ego quidem ſat haberem. Ego quoq̃. Conemur igitur declarare poſthac,quid iſtud ſit propter quod in ciuitatibus male agatur,quo minus ſic regantur,& utrum unius cuiuſdam exigui mutatione ciuitas ad hanc formam inſtituatur,quid' ue illud ſit:& nũquid maxime unius mutatione id fiat,uel ſaltem duorũ,an plurium, ſed q̃ pauciſſimorum, & potentia minimorum. Sic omnino. Vno quodam mutato oſtendere id poſſumus quod caderet, quod quidem non eſt paruum,nec facile poſſibile tamen. Quid iſtud? Ad id redeo equidẽ quod ingenti fluctui cõparauimus.Dicetur igitur,quanq̃ ſuſpicor ne effuſiore peruicaciorum riſu inundante penitus obruatur. Conſidera quod dicturus ſum. Dic iam. Ni ſi philoſophi ciuitatibus dominẽtur,uel hi qui nunc reges potentesq̃ dicuntur,legitime ſufficienterq̃ philoſophentur,in idemq̃ ciuilis potentia & philoſophia concurrant,neq̃ quod nunc fit,à diuerſis duo hæc tractentur ingenijs,non erit ciuitati,uel ut mea fert opinio,hominum generi requies ulla malorum,neq̃ prius hæc reſpub.quã uerbis expoſuimus,orietur pro uiribus,& lumen ſolis aſpiciet.Hoc eſt quod ego iamdiu dicere uereor, quaſi ſit incredibile dictu.Nam haud facile perſuadeẽ,nullam aliam gubernationẽ priuatim uel publice futuram felicem. Ex hac tua oratione ô Socrates, exiſtimato laceſſitos plurimos,nec uiles quidem homunculos,abiectis ueſtibus ſuſceptisq̃ undecũq̃ cõtigerit armis,impetũ in te facturos,& magnum quiddã conaturos.Quibus niſi oratione occurris,defendisq̃ te:uere plurimis cõuitijs laceratus dabis pœnas. An non tu horũ mihi cauſa es? Et recte quidẽ.Verum haud te prodam,imò certe defendã quibuſcũq̃ potero.Poſſum certe beneuolentia exhortationibusq̃,ac forte diligẽtius q̃ quiuis alius reſpondebo.Quãobrem tanq̃ hoc defenſore adiutus conare his incredulis demõſtrare ita eſſe ut dicis. Annitendũ profecto,poſtq̃ & tu acriter propugnaturus uideris. Neceſſarium mihi uidetur,ſi eos effugere uolumus,declarare illis in primis,quales uiros eſſe philoſophos arbitremur,cũ illis exhibemus imperiũ:ut his patefactis poſſit aliquis opẽ ferre,oſtendens q̃ hos quidem decet ex ipſa natura,& philoſophiæ ſtudium,& reip. adminiſtrationem attingere,alios autem nequaq̃ attingere, ſed ducẽtibus illis obtemperare.

Declarandũ iam. Age hac me ſequere,ſiquo modo exponere q̃d ſatis ſit,ualeamus.

Duc. Nunquid admonendus es? an ſatis ipſe meminiſti,q̃ quando aliquẽ amare aliquid dicimus,uideat oportet ſi uere id dicit,nõ partim illud diligere,partim minime,ſed erga totũ affici? Admonitione equidẽ egeo.Nam nõ ſatis teneo Aliũ quẽuis potius docebat ô Glauco,ita loqui. Virũ aũt amori plurimũ indulgentem ignorare nõ decet,q̃ omnes in ætatis flore conſtituti,puerorũ amatorẽ quoquo modo ſtimulãt atq̃ cõcitant, cũ digni cura ac dilectiõe eſſe uideant. An nõ ſic erga ſpecioſos adoleſcẽtes affecti eſtis?

Aut philoſophos regnarea ut reges philoſophari oportere, ſi ciuitas debeat eſſe felix

Alius

Alius quia ſimus, gratioſus à uobis iudicatur laudaturq́, aquilinum uero regium appellatis, Alius quia medius iſtorum eſt, concinnus admodum uobis eſſe uidetur. fuſcos uiriles uocatis: candidos, deorũ filios. pallidum autem adoleſcentem quis, niſi amator ipſe blandiens quodammodo, & ſuffuſci appellatione appellauit, in ephebis ſcilicet pallorẽ facile ferens? Et, ut ſummatim dicam, quaſcunq; captatis occaſiunculas, quo neminem omnino florentis ætatis adoleſcentem reijciatis. Si in me oſtendere cupis quo pacto amatores afficiãtur, diſputationis gratia hoc accipio. Quid uini auidos? nónne ſimiliter affectos uides? quodlibet uinum quacunq; capta occaſione uehementer expetere? Valde.

Quinetiã animaduertiſſe te arbitror, quòd ambitioſi homines, ſi exercitus totius præfecturam aſſequi nequeũt, ſaltem tribuni effici uolunt: ac niſi à magnis uenerandiſq́ hominibus honorentur, honorem ab ignobilibus accipiunt, utpote qui honorẽ prorſus affectent. Magnopere. Fateberis hoc, an non? Num eum quem amare quippiã dicimus omnem illam rem ardere dicemus? an partim exoptare rem eam, partim nequaq́ fatebimur? Omnem. Nónne ergo philoſophum ſapientiæ ſtudioſum eſſe dicemus, nõ huius quidem auidũ, illius non, ſed omnis potius ſapientiæ? Vera loqueris. Eum igitur qui aliquam ſpernit doctrinam, præſertim dum eſt iuuenis, neq; dum ratione delectũ habet quid conferat, quid ue non conferat diſcernentem, nequaquã diſcendi cupidũ, uel ſapientiæ amatorem eſſe aſſeuerabimus: quemadmodũ illum qui faſtidit epulas, neq; eſurire dicimus, neq; epulas concupiſcere, neq; amatorem cibi, ſed contemptorem uocamus.

Quis philoſophus ſit

Et merito quidem. Hominem uero ad quamlibet doctrinam deguſtandam propenſiorem, ad diſcendũq́ promptiſſimũ, & inexplebiliter inhiantẽ, merito philoſophũ nuncupabimus. Nónne? Nuncupabimus. At uero multi & abſurdi quidem homines tales eſſe comperientur. Nam qui ſpectaculorũ auidi ſunt, diſcendi cupidi omnes eſſe uidentur: & ad audiendum curioſos homines, abſurdum eſt philoſophos dicere, qui ad rationem dicendi diſſerendiq́ haud libenter accedunt: uerum ad omnes choros protinus audiendos quaſi auribus mercede cõductis, in Bacchanalibus obuerſantur, cantusq́ omnes, ſiue in urbe, ſiue in ſuburbijs agantur, audire percupiunt. Nunquid iſtos omnes ac alios talium quorundam percipiendorũ cupidos, & artibus uiliſſimis incumbentes, philoſophos nominabimus? Nullo modo, ſed philoſophis ſimiles. Veros autem philoſophos, quos appellas? Veritatis inſpiciendæ cupidos. Recte quidem iſtud, ſed quomodo dicis? Haud facile iſtud ad alios eloqui. Te autem hoc mihi daturum arbitror.

Philoſophi ueri

Quid potiſſimum? Poſtq́ contrariũ eſt turpi pulchrum, duo hæc eſſe. Quid ni?

Et poſtquam duo hæc ſunt, ſingula unum erunt. Et hoc. De iuſto quinetiam & iniuſto, bono & malo, ſpeciebusq́ omnibus ratio eadem. Nam quodlibet iſtorum, unum ipſum eſt: corporũ uero actionum & alterna cõmunione paſſim apparentia, ſingula multa uidentur. Scite loqueris. Hac equidem ratione diſtinguo, ſeorſum quidem quos tu modo dicebas, curioſos ad uidendum, audiendum, artesq́ tractandas, ſeorſum quoq; & illos de quibus eſt ſermo, quos ſolos merito quis philoſophos appellabit. Quomodo iſtud ais? Homines oculis & auribus dediti, pulchris uocibus, coloribus, & figuris, & omnibus quæ ex talibus conſtant, admodum delectantur, ipſius autem pulchri naturam cogitatio eorum non poteſt attingere. Sic eſt. Qui uero ad ipſum pulchrũ aſcendere ualeant, & ſecundum ſeipſum inſpicere, nónne rari? Rari admodum. Qui res iſtas pulchras exiſtimat, ipſam uero pulchritudinem neq; putat eſſe: neq; ſiquis ducat, ad perceptionem eius attingere poteſt: uere ſapere tibi uidetur, an inſomnijs ludi? Conſidera itaq;. ſomniare nõ id eſt, quando ſiue dormiens quis, ſeu uigilãs quod alicui ſimile eſt, non ſimile, ſed ipſum eſſe cenſet cuius eſt ſimile? Somnia uidere hunc ego dicerem.

φιλόηκοος καὶ φιλοθεάμων à philoſopho differũt

Somniant quidam, nõ philoſophãtur

Quid uero? qui contrà affectus eſt, intelligitq́ quid ipſum pulchrum, ac diſcernere ualet & ipſum & quę ipſius participant, adeo ut neq; ipſum illa eſſe, neq; illa ipſum putet, uigil' ne uiuit, an oſcitans? Certe peruigil. Huius igitur cogitationem ut cognoſcentis, cognitionem iure uocabimus: huius tanquam opinantis, opinionem. Omnino. Si nobis ſuccenſeat is quem opinari dicimus nõ cognoſcere, negetq́ nos uera loqui, qua ratione eum mitigabimus, ſenſimq́ & blande perſuadebimus ſanæ mentis eum non eſſe?

De cognitione & cognoſcibili

Oportet ſanè. Aduerte quid ad eum dicemus: Si uis, ſanè hunc in modum ab eo ſciſcitabimur, dicentes quòd ſiquid nouit, nulla inuidia: ſed gratum erit nobis & ipſum ſcire ali-

re aliquid,& quid ſciat,nouiſſe.Sed mihi id dicas.Quicunq; cognoſcit,cognoſcit ne aliquid aut nihil? At tu mihi eius loco reſponde. Aliquid certe. Vtrũ quod eſt an quod non eſt? Quod eſt.Quo enim modo quod non eſt,cognoſci poſſet? Sufficienter iſtud conſtabit,ſi uaria ſub ratione perueſtigeẽ,quòd uidelicet omnino ens,omnino & cognoſci poteſt:nullo modo ens,nullo modo cognoſci. Sufficientiſſime. Siquid autem ita ſe habet,ut & ſit & non ſit,nonne mediũ erit inter id quod eſt omnino, & id quod nullo modo eſt? Medium. Circa id quod eſt, cognitio ipſa uerſatur.Ignoratio ex neceſſitate circa id quod non eſt. Circa medium iſtorũ,medium quoddam inueſtigandũ ſciẽtiam inter & ignorantiã,ſiquid huiuſmodi reperiẽ. Prorſus. Num aliquid eſſe opinionẽ dicimus? Quid ni? Vtrũ eandem potentiã cum ſcientia,an diuerſam? Diuerſam.

Circa aliud ſciẽtia,circa aliud opinio

Ergo circa aliud quidem uerſatur opinio, circa aliud autẽ ſcientia,uel ſecundũ potentiam eandem,uel ſecundũ eandem utraq; ſuiipſius potentiã. Eſt ita. An nõ ſcientia quidem circa id quod eſt,ea ratione qua ens eſt cognoſcit? Imò uero neceſſariũ eſſe cenſeo,ut prius iſta diſtinguam. Quis? Dicemus utiq; potentias eſſe genus aliquod eorũ quæ ſunt,quibus & nos poſſumus quæcunq; poſſumus,& aliud,quodcunq; aliquid poteſt. Veluti uiſum & auditũ potentias quaſdam uoco,ſi modo quod loquor intelligis.Intelligo equidem. Audi quod mihi de his uidetur. Nam ego quidẽ ipſius potentiæ neq; colorem uideo aliquem,neq; figuram,neq; quicquam taliũ,qualia plurium reliquorum ad quæ reſpiciens aliqua apud me diſtinguo, hæc alia eſſe,alia illa.In potentia uero ad illud ſolũ aſpicio ad quod eſt,quod ue agit:& hac ratione,quãlibet ipſarũ, potentiã nuncupaui:& illã quidem quæ ad idem tendit,idemq; agit,eandem uoco: aliã uero illã quæ ad aliud ſpectat,& aliud operaẽ.Tu uero quid in his agis? Quod & tu. Age rurſus ad hæc conuertere,ô uir optime. Vtrum ſcientiam potentiam quandam eſſe dicis? an in genus aliud refers? Potentiam,& omniũ profecto ualidiſſimam. Opinionẽ uero,potentiam ne,an aliud quiddã eſſe dicemus? Potentiam certe. Nam quo opinari poſſumus,non aliud eſt quàm opinio. At paulo ante confitebaris,non idem eſſe ſcientiã & opinionẽ.Quo pacto quis mentem habens idem aſſeret quod falli poteſt, & quod non poteſt? Optime quidẽ.Conſtat itaq; aliud eſſe apud nos ab opinione ſcientiã. Aliud plane. Vtraq; igitur circa aliud,aliud operari ſuapte natura poteſt. Neceſſe eſt. Scientia quidem,circa id quod eſt,ipſum ens ut ſe habet cognoſcere. Sane. Opinio aũt opinari. Et hoc. An idẽ quod & ſciẽtia noſcit? eritq; idẽ quod opinione percipitur,& quod ſcientia? an potius impoſſibile? Impoſſibile certe ex his quæ cõceſſimus.ſiquidẽ circa aliud alia potentia ipſa ex natura uerſatur:potentiæ uero utræq; ſunt, ſcientia ſcilicet & opinio:alia item utraq;,ut eſt dictum.Ex his aũt fieri non poteſt, ut idem ſit quod ſcientia comprehenditur,& quod opinione concipitur. Nónne igitur ſi ipſum ens cognitione percipiẽ,id quod concipitur opinione,aliud quiddã præter ipſum ens eſt dicẽdum? Aliud. Nunquid nõ ens opinatur? an impoſſibile eſt opinari nõ ens? Sic aũt cogita.Nonne quiſquis opinatur,ad aliquid opinionem dirigit? an poſſibile eſt opinari quidem,opinari autẽ nihil? Impoſſibile. At unum aliquid opinatur, quiſquis opinatur? Procul dubio. Quod uero non eſt,nõ unũ aliquid,ſed nihil potius eſt dicendũ.

Prorſus. Non enti quidẽ ex neceſſitate ignorantiã tribuimus,enti uero cognitionem. Recte admodũ. Ergo neq; ens,neq; non ens opinatur. Sic eſt. Quare nec ignorantia neq; cognitio erit opinio. Non,ut uidetur. Num extra hæc eſt ſupergrediens uel cognitionẽ perſpicuitate, uel obſcuritate ignorantiã? Neutrũ iſtorũ. An fortè tibi uideẽ opinio cognitione obſcurior,ignorantia clarior. Maxime. Inter utraq; igitẽ iacet. Certe. Media ergo iſtorũ erit opinio. Media. An non ſupra diximus, ſiquid appareret tale ut ſimul eſſet & non eſſet,illud inter uere ens, & omnino non ens eſſe ponendũ? neq; ſcientiam ad illud,neq; ignorantiam pertinere,ſed quod medium inter ignorantiam rurſus appareat & ſcientiam? Scite. Nunc autem apparuit medium iſtorũ eſſe, quod opinionem uocamus. Plane. Illud itaq; nobis,ut arbitror,reſtat inueniendum,quod utriuſq; ſit particeps,ipſius eſſe ſcilicet & nõ eſſe,neutrumq; illorũ ſincere dici debeat.ut ſi nobis pateat, opinabile quiddã merito nũcupemus, extremis quidem extrema, mediis autem media tribuentes.An non ita? Ita prorſus. His ita ſuppoſitis percontabor eum,qui ipſum pulchrũ,& pulchritudinis ideam unam eſſe negat,

ſemper

ſemper eodem modo ſecundum eadem ſe habentem: multa uero pulchra eſſe dicit, & pulchris rebus ſpectandis deditus, nullo modo admittit unum eſſe pulchrum, unum iuſtum, ſimiliterq; de cæteris, percontabor inquam hunc in modū. Eſt'ne aliquid ex hiſce multis pulchris uir optime, quod non turpe etiam uideatur? Itemq; ex iuſtis quod non iniuſtū: & ſanctis, quod non prophanū? Non, ſed neceſſe eſt pulchra ipſa turpia etiam & quotcunq; alia interrogas, apparere. Quid multa dupla? num minus dimidia quàm dupla uidentur? Nihilo minus. Et magna inſuper & parua, leuia itē & grauia, nunquid magis talia quàm contraria uocabunt? Non, ſed ſingula ſemper utraq; participabunt. Vtrum eſt magis quàm non eſt unumquodq; multorū, id ipſum quod quis illud eſſe dicit? Simile hoc eſt ijs quæ in conuiuijs ad utramq; partem plerunq; dicuntur, & ænigmati puerorū circa eunuchū de ueſpertilionis percuſſione, quomodo & in quo illū auem arguunt percuſſiſſe. Hæc enim ambigua ſunt, neq; eſſe, neq; non eſſe ipſorum aliquid, neq; utraq;, neq; neutra firmiter reſponderi poteſt. Habes'ne qua ratione his uti ris? Vel conuenientiorem poſitionem iſtorū inducere potes, quàm mediam inter eſſentiam et non eſſe? Neq; enim obſcurior quàm nō ens apparebit ad hoc ut minus ſit, neq; clarior quàm ens, ad hoc ut ſit magis. Vera loqueris. Inuenimus igit̄, ut uidet̄, quòd multa illa quæ multis pulchra, aut alia quoquo modo exiſtimantur, media inter omnino ens & omnino nō ens uoluuntur. Inuenimus plane. Confeſſi autem antea fuera mus, quòd ſi quid tale apparuerit, nō cognitione, ſed opinione percipi dicendū: & cum mediū peruagetur, media cōprehendi potentia. Conceſſum fuit. Eos igitur qui pulchra hæc multa cōſpiciunt, ipſum uero pulchrū non uident, neq; eum ſequi poſſunt qui ad id perducat, & multa contuentur iuſta, ipſum autem iuſtum minime, & alia ſimiliter, eos opinari cuncta dicemus, cognoſcere autem nihil eorū quæ opinantur. Neceſſe eſt.

Quid eos, qui ipſa quæq; contemplantur, ſemper eodem modo ſecundū eadem ſe habentia, nónne cognoſcere potius q̄ opinari? Neceſſe eſt & hoc. Nónne amare hos & admirari iſta dicemus, in quibus uerſatur cognitio: illos autem, in quibus opinio? An non recordamur quod uoces & colores quoſdam, & talia quædā, diximus hoſce diligere & intueri, ipſum uero pulchrū quod aliquid ſit non admittere? Recordamur. Quare non aberrabimus, ſi iſtos φιλοδόξους, id eſt, opinionis amicos, potius quàm philoſophos appellauerimus: quanquam acriter ſuccenſebūt nobis, ſi ita dicamus. Non ſi mihi pareant. Nam ueritati iraſci nefas eſt. Itaq; eos qui ipſum unumquodq; per ſe ens admirantur & diligunt, philoſophos, non φιλοδόξους uocabimus. Ita decet, inquit.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI IN dialogum ſextum de Iuſto.

CVM leges omnes uel optimæ abſq; probatiſsimis magiſtratibus mortuæ ſint, magiſtratus autem optimi uel abſq; legibus ſcriptis ipſi ſint uiuæ leges, merito Plato noſter, quemadmodum aliàs expoſuimus, in excellenti republica non in cōdendis legibus, ſed in formandis magiſtratibus omni diligentia elaborat: atq; id quidem non ſolum à tenera ætate, uerum etiam ab ipſo fœtu ſtudioſe contendit, quo ex electis ſeminibus, cōtinuaq̄; cultura ad optimam frugem perueniat. Quoniā uero hos appellat cuſtodes, cuſtodum autem maxime proprium eſt proſpicere atq; circunſpicere, idcirco ingeniū præcipue philoſophicum, omnium ſine controuerſia perſpicaciſsimum eligit ad humanum gregem cuſtodiendū. Quippe cum ſoli huius oculo pateat boni ipſius iuſtitiæq; exemplar, ad cuius imaginē bene, iuſte, beate pingenda ſit ciuitas. Præterea pertinet ad cuſtodem eſſe ueridicum, liberalem, temperatum, fortem, iuſtum, magnanimum, manſuetum. Eadem quoq; probabit propria eſſe philoſophi, ut deniq; concludatur cuſtodiendi officium præ cæteris philoſopho committendum. Quamobrem eiuſmodi eſſe naturam philoſophi, primo probabit: deinde quia generoſa natura abſq; recta cultura, & ſemper inutilis ſit, & ſæpiſsime noxia, tradet excolēdi huius ingenij diſciplinam. Interea uero de ſpurio & adulterino tractat philoſopho, legitimum philoſophum ſimulante. Itē de abuſu quodam philoſophandi. Rurſus de philoſophandi forma ad illum præ cæteris pertinēte, qui rempublicā ſit quandoq; recturus. Docet autem philoſophi maxime proprium eſſe, perpetuum ueritatis ipſius circa res æternas amorem. Ideoq; & amorem temporalium & mendacium à philoſopho maxime omniū alienū. Oſtēdit præterea philoſophi mentē in ipſa ueritatis indagatione ſeiungi à corpore, atq; ex quadā ſui cognatiōe diuinæ menti cōiungi, ac per inſitas ſibi ab initio formulas idearū, ideas ipſas attingere, ab eisq; ipſo cōtactu lumē excutere, quo mox facta fœcundior cōcipiat, imò facta ualidior pariat ueritatē, id eſt, per ipſas ſuas cōceptiones ideis undiq; congruat.

Tu uero hic aduerte intelligendi actum, quemadmodũ in Sympoſio, generationem partumq; uocari. Quod quidem cum Chriſtiana conſentit theologia, oſtenditq; non imaginariam tantum, uerumetiam naturalem quandam in eſſe menti formam atq; ueritatẽ. Proinde ingenium eiuſmodi, & raro admodum, & in paucis naſci putat, & tunc quidem multis, tum conditionibus indigere, tum obſtaculis impediri. Præcipue uero deprauari ſermone et opinione uulgi, multoq; magis uulgi eiuſdem opera. Rurſus à uulgaribus præceptoribus, qui & ipſi uitam orationemq; ſuam uulgo quaſi adulatores accommodant, ſimilemq; tradunt auditoribus diſciplinam. Et uide quàm cõgrue Plato uulgus uaſto comparat bruto. Item ciuitates omnes nauibus caſu quodã rectis à nautis gubernandi prorſus ignaris, uirumq; peritia gubernatoria præditum deridentibus. Nota optima quæq; ſiue naturæ, ſiue fortunæ munera, ſi uel negligenter culta fuerint, in mala: uel male culta, in peſſima tandem euadere. Præterea quod interdum, quamuis admodum raro, aliquis in ciuitate male diſpoſita, quales eſſe omnes iudicat, uir magnus probatiſsimusq; apparet, id non arti, non naturæ, ſed diuinitati duntaxat attribui. Vbi uero de Momo reprehenſionis deo mentionẽ facit, intellige Momum eſſe diuinam curam proſpicientem quid reprehendi potuiſſet in ſingulis, ſi aliter quàm ſunt facta fuiſſent, ideoq; ita ſingula diſponentem, ut iure reprehẽdi nõ poſſint. Aſsignat proinde cauſas quibus ortæ in philoſophos ſint calumniæ, quaſi uel mali ſint, uel inutiles reipublicæ. Primo quidẽ multi quotidie ad philoſophiæ ſtudium ineptiſsimi, tam prauo ingenio, quàm paruo iudicio, nõ parua tamen ambitione uel auaritia philoſophiã inuadunt, ac prehenſant, ex eiusq; commercio opiniones procreant adulterinas, atque deridendas, malis præterea moribus facultatem dedecorant philoſophicam. Deinde ſi qui ad id ſtudium nati ſunt, uel ſtatim educatione cõſuetudineq; improba deprauantur, uel ſi moribus integri perſeuerant, non tamen conuenientibus diſciplinarum gradibus inſtruuntur: uel inſtructi quidem, ad rempublicam non admittuntur, uel ipſi potius publicis ſe fluctibus immergere nolunt, certa timentes pericula, deſperantesq; ſe poſſe inter homines paſsim corruptos ſanis conſilijs ciuitati prodeſſe. Inter hæc animaduerte actiuæ uitæ procellas, contemplatiuæ tranquillitatem, excelſam philoſophi mentem, mortalium contemptum, ſtudium diuinorum, formulam quandam pro ætatis gradibus doctrinarum. Omnino autem ſimili ratione erudit philoſophum atq; ciuem, neq; id quidem iniuria. Aſſerit enim in Politico & Sophiſta eundem eſſe uirum regium, & ciuilem atq; philoſophum. Oportere uero probat in hoc cõcurrere duo quædam genera rariſsime in hominibus concurrentia. Naturam uidelicet ingenio acutam, contemplationi aptam, ueritatis auiditate flagrantem, unà cum natura graui, ad agendum ſtrenua, boni publici prouida. Ingenium eiuſmodi per omnes diſciplinarum gradus perducit, ut patebit in ſeptimo. Iubet quoq; exerceri ciuilibus actionibus, atq; inter uoluptates, dolores, labores, pericula, uelut aurum igne diligenter examinari atq; probari, prius quàm ciuitatis gubernacula ſibi credantur. In primis autem ipſius boni ſcientiam omnium præſtantiſsimam huic iudicat neceſſariam, affirmans quemadmodum res omnes abſque boni poſſeſsione inutiliter poſsidentur, ſic rerum quoq; omnium artiumq; cognitionem abſq; ipſius boni intelligentia eſſe prorſus inutilem, neq; poſſe ciuem uel priuata uel publica ad bonum rite redigere, niſi quid bonum ſit, ratione cognouerit. Et ſi diuini huius boni ſcientia uideri Ariſtotelico poteſt ſuperflua ad rempublicã humanis moribus gubernandam, neceſſaria tamen eſt ad hanc ipſam gubernationem, per quam Plato in ſuperioribus inquit, conandum eſſe, ciues Deo ſimiles amicosq; reddere. Subiunxit præterea gubernatorem circa ſingula bona ad bonum ipſum diſponenda & cæcutire, & caſu quodam ferri, niſi primam ipſam boni perſpexerit formam, omnium exemplar cauſamq; bonorum. Vt autem animaduertas Ariſtotelem in Ethicis circa ideam boni aduerſus Platonem ludere, lege Platonis uerba diligentiſsime, ac plane perſpicies ideam boni non eſſe ſpeciem hanc, aut illam, hic aut ibi, ſed ipſam eminentiſsimæ diuinitatis fœcunditatem, per omnia ſeſe potenter, ſuauiter, ſalubriter propagantem. Cuius imaginem quandam in mũdo uiſibili ſolem uult eſſe uiſibilem, uires ſuas ſimiliter per omnia diffundentem. Verum ante hunc quem uidemus ſolem, Plato alterum in mundo cogitat inuiſibili, imaginem dei patris primam, uerumq; filium. Ideo filios dixit boni, ut ſuper uiſibilem hunc imaginariumq; filium poſſes inuiſibilem & archetypum contemplari. De hoc patre atque filio in Epiſtola ad Hermiam legimus. De hoc Platonicus Philo in libro De cauſis, inquit: Conandum eſt in primis ad ipſum ens, id eſt de quo dicitur, Ego ſum qui ſum, aſcẽdere. Aut ſaltem ad ipſius imaginem ſacratiſsimamq; rationem, uerbumq; primogenitum. Per eiuſmodi rationem atque uerbum fieri omnia ſecundum Heraclitum & Platonem, Amelius Platonicus aſſerit, utiturq; teſtimonio Ioannis Euangeliſtæ. Item in Epinomide teſtatur & Plato. Et quamuis Platonicorum nonnulli Dei patris filium Deum per ſubſtantiam à patre, Arianorum more diſtinguant, præſertim Iulianus in libro De ſole: Iuliani tamen præceptor Iamblichus Aegyptiorum adducit myſteria, in quibus patris & filij diuerſa quidem ratio, ſed eadem uidetur eſſe ſubſtantia. Sed audi myſterium. Primus deus & unus primi pater eſt dei, quem gignit in ſolitaria ſuijpſius permanens unitate. Eſt autem exemplar filij qui nominatur ſuimet filius, ſui pater atque unipater, deus uere bonus. Ille enim fons eſt idearum: à quo utique uno, deus per ſe ſufficiens, ſeipſum explicauit in lucem. Propterea ſufficiens per ſe nominatur ſuiq; pater. Eſt enim hic principium, deus deorum, unus ex uno, ſuper eſſentiam omnem, principiumq; eſſentiæ. Myſterium hoc Iamblichus teſtatur eſſe Mercurij. Quemadmodum uero ipſum bonum ſit ſuper uoluptatem, & mores, & ſapientiam, Plato hic ſignifi

cat breuiter. Super uoluptatem quidem, quia si uoluptas ipsa bonum ipsum esset, nulla uoluptas mala esset & noxia. Item super mores: quoniã multi satis circa mores habere se putant, si mores honestos uideantur habere. Quòd autem iudicant uerum esse bonum, non opinione quærunt, sed re ipsa prorsus habere. Præterea super scientiam. quia neq; quolibet modo, neq; quælibet scire præcipue optas, sed bene potius atq; bona. Alioquin scientiam aut respuis, aut negligis. Neq; dicas ipsum bonũ esse boni scientiã, ne per idẽ stulte definias idẽ. Rursus super intellectũ. hic enim assidue bonum quærit. Ipsum uero bonum, non quærit bonum. Adde & super ueritatem. Quod enim magis iudicas bonum, magis & eligis. Morbum uero damnumq; minus uerum eligis potius quàm magis uerum. Deniq; super ens. Nam ut bene sis, esse desideras. Sed & de his, & quemadmodum boni ipsius lumine omnia uera intellectus intelligat, in Theologia latius disputamus. Sequitur distinctio rerum in genera duo, uisibile & inuisibile, & utriusq; in duo, scilicet antecedens atq; sequens, similisq; perceptionis humanæ distinctio. In quibus Brentium sequitur, & Archytam, sed elegantius simul & latius explicat.

DIALOGVS SEXTVS
DE IVSTO.



VALES philósophi sint, inquam ego, & quales qui alieni à philosophia, ô Glauco, uix tandem longa oratione constitit. Erat fortassis, inquit, haud facile paucioribus explicare. Non, ut apparet. Planius uero id, ut arbitror, eluceret, si hoc duntaxat solum enarrare oportuisset, neq; per alia multa peruagari, si quis ostendere uelit quonam uita iusta ab iniusta distet. Quid posthac nobis restat agendum? Quid aliud quàm quod deinceps sequitur? Postquam philosophi sunt qui attingere possunt id quod semper secundum eadem eodem modo se habet: qui uero id nequeunt, semper autem per multa mutabiliaq; uagantur, philosophi non sunt: quosnam ex his duces esse ciuitatis oportet? Quo pacto ad hoc recte possumus respondere? Quicunq; custodire leges possunt, & ciuitatis officia, his gubernacula sunt reipublicæ cõmittenda. Probe. At perspicuum est, utrum cæcum an acute cernentem esse oporteat, cui mandemus aliquid seruandũ. Quid ni perspicuũ? Videntur ne tibi à cæcis differre, qui cognitione in unaquaq; re eius quod uere est, carent: neq; perspicuũ ullum habent in animo exemplar: neq; possunt tanquã pictores ad exemplar ueríssimum respicientes, referentesq; ad illud, & ipsum quàm synceríssime contuentes, ita demũ leges hic ferre de pulchris, iustis & bonis, si oporteat, & latas leges custodire atq; seruare? Profecto non longe differunt. Num istos potius ad custodiã eligemus, q; eos qui unumquodq; quod uere est, cognoscunt, peritia quoq; aut alia quauis in parte uirtutis nihilo inferiores existunt? Absurdum esset utiq; alios quosuis eligi, præcipue si cætera nequaq; desint. Hoc certe maximo superãt. An nõ istud iam dicemus? quonã pacto ijdem poterunt illa simul & hæc habere? Omnino. Quod ergo in huius disputationis exordio diximus, naturã ipsorum perdiscere in primis oportet: atq; arbitror, si de illa inter nos satis conueniat etiã hoc conuenire, fieri scilicet posse ut ijdem hæc assequantur, neq; alios præter hos ciuitatis duces esse debere. Quonã pacto? Hoc itaq; inter nos primum constet de philosophorum ingenijs, quod semper eam diligũt disciplinam, qua illis notior fiat natura illa quæ semper est, neq; generatione & corruptione mutatur.

Propria philosophorũ ingenijs

Constet. Quinetiam quòd eam totam affectant, neq; sponte partem eius ullam spernunt, nec paruam, nec magnam, neq; honorandam, neque uilem, quemadmodum suprà de ambitiosis & amore captis prædiximus. Recte. Pręterea & hoc animaduerte, num quid necesse sit naturæ eorũ inesse qui tales futuri sint quales narrauimus? Quale istud?

Vt mendacij omnis natura experti sint, neq; sponte mentiantur unquam, sed omnem oderint falsitatem, diligant ueritatem. Probabile est. Non solum probabile est ô amice, sed penitus necessariũ, eum qui ex natura ad aliquid amore afficitur, quicquid cognatum & familiare est amato, diligere. Scite. Num familiarius aliquid sapientiæ quàm ueritas reperitur? Nihil. An ergo possibile est naturam eandem esse philosophicam & mendacem? Nullo modo. Ergo discendi cupidũ necesse est statim à pueritia ueritatem omnẽ summopere affectare. Prorsus. Quem uero ad certũ quiddã ardenter rapiunt cupiditates, huic ad alia cupidines remissiores sunt, cum alio tanq; riuuli defluant

Null

Nulli dubium. Quicunq; igitur ad disciplinas & cætera talia omnia desiderio flagrãt, puram ipsius animæ expetunt uoluptatem, corporis autem oblectamẽta despiciunt, nisi quis fictus, sed uerus philosophus sit. Summopere necessarium istud. Temperatus itaq; uir talis erit, neq; pecuniæ cupidus. Nam ad quemuis pertinet potius quàm ad hunc cumulandis pecunijs inhiare, cuius gratia cæteri maxima cum iactura pecunijs quærẽdis insudant. Ita est. Præterea considerandum, quoties naturã eius qui philosophus sit, & eius qui non sit, discernere cupis. Quidnam? Ne forte latens quædam insit illiberalitas. Nam aduersa omnino est pusillanimitas animo uniuersum ipsum semper diuinum atq; humanũ indagaturo. Vera loqueris. Nempe cui cogitationis adest magnificentia, & totius temporis totiusq; substantiæ contemplatio, humana uita magnum quid uideri non potest. Non profecto. Num Martem hic terribilem æstimabit? Minime.

Timidæ itaq; illiberaliq; naturæ philosophia uera non conuenit. Non, ut mihi uidetur. Vir autem modestus, non quæstui deditus, non pusillanimis, non superbus, non timidus, non in cõmercijs difficilis erit, aut iniustus? Nullo modo. Quinetiam quum discernere cupies, quis animus philosophus sit, qui non, statim à teneris annis id obserua bis, nunquid iustus & mitis, an iniquus atq; agrestis. Maxime. Neq; hoc, ut arbitror, prætermittes. Quidnam? Vtrum ad percipiendũ uelox, an tardus. num cẽses quempiam illud unquam diligere, quod cum aggredit, summa cum difficultate agit & uix tandem parum quid proficit? Nunquã profecto. Quid si nihil seruet eorum quæ discit, obliuiscaturq; omniũ, nónne erit scientia uacuus? Vacuus. Cũ uero irritus illi labor omnis suscipiatur, an nõ cogetur tandem seipsum & actionem talem odisse? Nihil prohibet. Obliuiosum igitur animum legitimorũ philosophorum ingenijs conuenire nequaquam existimemus, sed admodum memorẽ. Ita prorsus. Absona præterea & inconcinna natura ad intemperiem semper trahit. Semper. Veritatem uero an cum intemperie & immoderatione congruere putas, an cum temperie potius? Cum temperie. Ergo compositã & gratam præter cætera cogitationem huic ingenio tribuamus, quod suapte natura propensum esse uolumus ad ideam cuiusq;, quod uere est, inspiciendam. Nempe. An non tibi uidemur singula percurrisse quæ necesse est cõtinuata serie sibi inuicem succedentia animo ei competere, qui ueritatem rerum perfecte sit conse cuturus? Ita prorsus. Non potes quoquo modo studiũ id damnare, quod nullus sufficienter exequi potest, nisi natura sit perspicax, memor, magnificus, gratiosus, amicus familiarisq; ueritatis, iustitiæ, fortitudinis, temperãtiæ. Ne Momus quidem id carperet. Nónne his solis eruditione tãdem, & ætate prouectis rempublicã præbebis administrandam? Ad hæc Adimantus, Nemo ô Socrates, posset, inquit, contradicere. At uero sic afficiuntur qui audiunt ea passim quæ tu narras. Putant enim interrogãdi respondendiq; imperitia à ratione in singulis quæ rogãtur, paululum se abductos, collectis tandem erroribus, errorem ingentẽ contrariumq; quiddam ei quod prius asseruerãt, asserere. & quemadmodum qui talis ludere nesciunt, ab his qui in eo ludo periti sunt, tandem usqueadeo coercentur & concluduntur, ut quod ferant, nequaquam habeant: ita & seipsos putãt cogi tandem concludiq;, nec habere quod dicant, uerbis ueluti calculis circũscriptos: quandoquidem uerum nihilo hic magis sit quàm illic. Aio uero, ad hęc nostra quidem. diceret enim tibi quispiam, his quæ proponuntur, uerbis aduersari non posse: re autem ipsa compertum habere, quotcunq; philosophiæ studium aggressi, ita in eo uersantur, ut non eruditiõis gratia degustatis philosophiæ præceptis, iuuenes adhuc inde discedãt, sed diutius immorẽtur: eos ut plurimum absurdos admodum euadere, & à rebus hominum alienos, ne iniquissimos dixerimus. Si qui uero præstantiores uideantur, tamen hoc studio quod ipse laudas, ita inquinari, ut inutiles euadant ad rempublicam gubernandam. Censes, inquam, illos qui hæc aiunt, mentiri? Haud noui equidem, sed quid ipse sentias, libenter audirem. Audies certe, si id roges, quod uera loqui mihi uidẽtur. Qua ratione igitur recte id dicitur, quod nõ prius erit ulla malorũ requies ciuitatibus, quàm in ipsis philosophi dominentur, quos reipublicæ inutiles esse fatemur? Quod petis, responsione indiget per imaginem quandam inducta. At tu per similitudinẽ loqui, ut arbitror, non consueuisti. Esto, inquam. an mordes, cum me in sermonem impuleris adeo demõstratu difficilem? Audi ergo similitudinem, ut apertius cognoscas quàm lubrice similitudini

bus utar. Vsqueadeo durum est quod præstantes in philosophia uiri in gubernanda repu blica patiuntur, ut nihil aliud sit unum quod hoc patiatur. Quare oportet hoc ex multis colligendo, comparare cum his denique, & de eis rationem reddere. Veluti quum pictores tragelaphos, & cætera huiusmodi multiplicia figmenta depingunt. Finge animo quendam nauis aut classis gubernatorẽ huiusmodi magnitudine & robore corporis reliquos nautas excedentem, surdum uero & caligantibus oculis, & mente gubernationis insciam: nautas autem de gubernatione inter se certantes, dum unusquisque putet se imperio dignum, quandoquidem nec artem didicerit unquam, nec præceptorem in ea re ullum possit ostendere, nec quo tempore didicerit, assignare queat: negantes quinetiam artem illam doceri posse, eumque qui doceri posse contendat, ferro petẽtes. Ipsos autem cogita circa gubernatorem illum confluere, obsecrare, obnixe contẽdere, qui ipsis gubernacula tradat. Vbi si non ipsi, sed alij persuaserint, cæteros uel perimere, uel è naui ejicere: ac postremum generoso illo nauis principe mandragora aut mero prius occupato, gubernationẽ nauis arripere, præsentibus rebus uti, uino & epulis indulgere, ac ita gubernare ut huiusmodi homines ueri simile est. Omnes præterea eum laudare, eum nautam & gubernatorem uocare, eum quę ad nauem regendam spectant callere, quicunque ad usurpandũ nauis principatum, uel persuasione, uel ui, gubernatore submoto opitulari ipsis possit: eum uero qui id nequeat, tanquam inutilem uituperare: ueri autem gubernatoris officiũ ne cogitare quidem: quod uidelicet ad eum spectet rationem habere anni & temporum, cœli, siderum, & uentorum, & omnium quæ ad artem illam attinent, si dux nauis est reuera futurus: ut uero gubernet, seu uolentibus quibusdam, siue inuitis, huius ipsius artem nullam putantes accipi posse simul & gubernatoriam facultatem. Hæc si in naui ita habeant, an nõ uerum gubernatorem censes ab illis qui talibus uehuntur nauibus, inanem & curiosum rerum sublimium inspectorem, & naui ipsi inutilem uocitari? Et maxime quidem, inquit Adimantus. Haudquaquam opus esse arbitror, inquit ego, ut tibi latius explicem, quem admodum ad propositæ comparationis imaginem ita in ciuitatibus affecti ciues sunt aduersus ueros philosophos, ut in huiusmodi nauibus ad uerum gubernatorem nautæ. Intelligere enim te existimo. Summopere. Primũ itaque illi qui admiratur philosophos in ciuitatibus minime honorari, imaginem hãc expone, & persuadere conare, multo mirabilius fore si honorarentur. Faciam equidem. Adijcias & hoc præterea, uera loqui eos qui dicunt inutiles esse uulgo eos qui philosophiæ studio pollent. uerum quod inutiles sint, non esse ipsos in causa dicito, sed eos potius qui his philosophis non utuntur. Neque enim naturæ consentaneum est, ut gubernator quasi indignus nautas oret, quo eius se gubernationi committant, uel sapientes ad diuitum fores accedant. Sed qui hoc primus iactauit, profecto mentitus est. Reuera autem ita natura comparatum est, siue diues, seu pauper ab aduersa ualetudine teneatur, ut necessario fores medicorum petat, & omnes qui superioris gubernatione indigent, domos adeant hominũ gubernare potentiũ, non gubernatores, si modo alicuius precij sint, orent ut ab his gubernentur inferiores. Quin si eos qui his temporibus respub. administrant, cum eis comparaueris nautis, quos modo commemorabamus, nõ aberrabis: ac si illos qui ab ijs appellantur uani, & superstitiosi reconditarum rerum indagatores, ueris gubernatoribus comparabis, recte quidem facies. Recte, inquit, admodum. Ob has igitur causas in his quoque haud facile est ut honestum studium ab his probetur, qui contrarijs sunt moribus assueti. Maxima uero & uehemẽtissima philosophiæ calumnia oritur, propter eorum mores qui philosophiæ studia profitentur. Ferunt quippe hi qui philosophiam criminantur, ut ipse ais, plurimos eorum qui ad philosophiam se conferunt, prauos admodum esse: si qui uero eorum cæteris excellunt, esse inutiles: atque ego hæc tibi concessi, nónne? Vtique. An non causam exposuimus, ob quam legitimi philosophi esse inutiles uideantur? Certe. Quur autem & plurimi praui sint, uis' ne deinceps aperiamus? quod' ue philosophię culpa nulla est, pro uiribus declaremus? Volo equidem. Pergamus ad hæc, repetentes quod suprà induximus, qualem esse natura oporteat eum qui honestus sit bonusque futurus. Dux autem eius in primis erat, si memorię tradidisti, ueritas quam sequi omnino ac passim debet: aut si uanus sit, ueræ quoque expers philosophiæ sit oportet. Ita prorsus est dictũ. Vnum hoc igitur alienum est omnino ab ijs quæ nunc de ipso existimantur. Alieniſſimum.

An

An non decenter hunc in modum eius causam defendemus? dicentes hominem scientiæ cupidum ita natura institutum esse, ut ad id quod uere est, semper contendat, neq; moras trahat in his singulis ac plurimis circa quę uersatur opinio, sed ultro progrediens non ante quiescat q̃ propriam cuiusq; naturam ea animi ui attigerit, qua id apprehẽdere conuenit. Conuenit autem ui quadam cognata. Qua cum adhæserit, seq; ei quod uere est, miscuerit, atq; inde reuera intelligentiam ueritatemq; genuerit, cognoscet utiq; uerum, uereq; uiuet atq; aletur. Ex hoc deniq; partu molestia eius omnis cessabit, prius uero nequaquam. Probe admodum ista dicuntur. An hic ullo modo amabit mendaciũ? uel omnino potius oderit? Oderit certe. Nempe ubi dux ueritas est; malorum chorum subsequi, ut arbitror, non dicemus. Quo enim pacto? Imò uero syncerũ sequi iustumq; morem. hunc quoq; dicemus subsequi temperantiam? Scite. Quinetiam reliquum naturæ philosophicæ chorum quid opus est à principio recẽsere? Recordaris enim quòd cum his congruit, ut dicebamus, fortitudo, magnificentia, acumen ingenij atq; memoria. Quum uero tu obiecisses, quòd quilibet necessario fateri cogeretur quæ dicebamus, uerbisq; nostris omissis, cõuersus ad eos de quibus erat sermo, diceret uidere se illos partim inutiles, partim omni prauitate corruptos: nunc sane nos huius calumnię causam perscrutari cœpimus, & cur multi eorum mali sint, atq; hac de causa rursus legitimorum philosophorum naturam repetiuimus, necessarioq; hanc definiuimus. Est ita. Quærendum est deinceps qua ratione in multis natura philosophi deprauantur. (paruum autem quiddam nos subterfugit.) Nempe & hoc animaduertendum, quos uidelicet non malos quidem, sed inutiles uocant. Deinde etiam qualia hominum ingenia sint, quæ hanc imitantur naturam, eiusq; opus usurpant, & indignum se studium ac supra uires aggredientia, delinquunt sæpe, & opinionem philosophiæ passim quam narrabas inducunt. At quas deprauationes dicis? Ostendam si potero. profecto id arbitror nobis quemlibet concessurum, ingenium tale quale descripsimus, & omnibus hisce præditum, quibus perfectius indiget futurus philosophus, raro in paucisq; oriri. An nõ ita existimas? Maxime.

Epilogus

Atq; horum etiam paucorum uide quàm multi sint maximiq; interitus? Quinam?

De nõ ueris philosophis

Nam quod præter cætera auditu mirabile est, unumquodq; eorum quæ in philosophi ingenio nuper probauimus, habentem inquinat animum, & plerunq; à philosophia detorquet, fortitudinem dico, & temperantiam, & cætera quæcunq; narrauimus. Absurdum hoc quidem auditu. Præterea quæcunq; bona uulgo dicuntur, deprauãt animum atq; impediunt, forma, diuitiæ, corporis uires, & genus in ciuitate potens, & cætera generis eiusdem. Habes enim quandam eorum quæ dico formulam. Habeo equidem, ac libenter exactius quæ dicis audirem. Vniuersum ipsum recte cõprehendito, ac tibi perspicuum apparebit: neq; absurda tibi quæ de his dicta sunt, uidebuntur. Quomodo istud præcipis? Scimus enim omne semen & plantarum et animalium, quod non fuerit ea quæ cuiq; conuenit nutritione potitum, neq; tempore, neq; loco, quo generosius ac uehementius, eo pluribus opportunis carere. bono namq; malum contrarium magis q̃ non bono. Quid ni? Est igitur, ut arbitror, consentaneum, naturam optimam, si sub aduersa forma nutriatur, deteriorem euadere quàm ignauam. Est utiq;. Hac itaq; ratione dicimus Adimante, animos præstantissimo ingenio præditos, si male fuerint educati, pessimos fieri. An putas infanda scelera, & extremam nequitiam ex ignauo potius ingenio quàm generoso educatione corrupto procedere? Imbecillem uero naturã, ingentium uel bonorum, uel malorum quandoq; causam fore? Non certe. Si ipsa igitur nàtura philosophi conuenientẽ nanciscitur disciplinam, necesse est eam semper proficiendo ad omnem peruenire uirtutem. Sata autẽ si fuerit, genitaq; peruerse atq; ita nutrita, ad contraria omnia rursus delabitur, nisi fortè deorũ aliquis eam adiuuerit. An tu quoq; putas, quemadmodũ multi, uerum esse quod dicunt quosdam adolescentes à sophistis corrumpi, corruptores uero eorum sophistas quosdam esse priuatos: ac nõ eos potius qui ita loquuntur, maximos esse sophistas credamus, qui doceant, talesq; prorsus unumquemq; & senum & iuuenum, & uirorum & mulierũ reddant, quales uolunt? Quando id potissimum, inquit. Quando, inquam, frequẽtes multi uel in cõcionibus, uel iudicijs, uel theatris, uel castris, uel alio quodam hominũ ingenti cœtu considentes, eorum quæ dicta facta' ue sunt, alia uituperant, alia laudant, ad utraq; ingenti cum tumultu acrius efferunt,

dum explodunt,& applaudunt ſummo quodam ſtrepitu & clamore:unde parietes quoque & laquearia circumreſonant altius, ſuoq; ſonitu uehementer exaugent laudantium ipſorum uituperantiumq; tumultum:tunc adoleſcentem illum quo animo (quemadmodum dicitur)hac in turba eſſe cenſes? uel quam priuatã diſciplinam rumoribus hiſce putas obſiſtere,quo minus ab huiuſmodi uituperationib. laudationibusq; diluta diſperſaq; eò protinus feratur,quò fluctus hinc deuehit? Vnde eadem quæ & illi ut honeſta approbabit,eadem quoq; reprobabit ut turpia.Iiſdem præterea quibus illi incumbet ſtudijs,eorumq; euadet perſimilis. Neceſſe id omnino eſt,ô Socrates. Nondum tamen uehementiſſimam induximus neceſſitatem. Quam? Quam operibus inferunt, non perſuadentes uerbis præceptores ſophiſtæq; iſti. An non cernis quod hominem illis non obſequentem infamia notant? iactura pecuniarũ,& mortis ſupplicio damnant? Summopere. Quem igitur alium ſophiſtam putas,aut quos alios priuatos ſermones aduerſari iſtis & reſiſtere poſſe? Nullius certe orationem. Nullius ſanè.Quin & his reniti ſumma ſtultitia eſt.Neq; enim fuit unquam,nec eſt,nec erit mos alius ad uirtutem inſtitutus,
Prouerbiũ præter iſtorum diſciplinam.humanus,inquam,ô amice.Nam diuinum quidẽ,iuxta prouerbium,excipiamus. Certo enim id ſcito,quiſquis immaculatus & integer ex hac conſtitutione rerumpublicarum euaſerit, talem diuino auxilio euaſiſſe. Haud aliter mihi uidetur. Iſtud præterea tibi uideri debet. Quidnã? Quiſq; eorum qui priuatim accepta mercede homines erudiunt, quos quidem ſophiſtas & æmulos artium appellant, nihil aliud docendum putat, q̃ multorũ ſententias in quibus conſentiunt, quoties congregantur,atq; hanc ſapientiam uocat:ueluti ſiquis uaſti cuiuſdam animalis bruti,robuſti admodum,& ab homine enutriti,iras & cupiditates ſingulas obſeruauerit, quã ue ratione adire hoc deceat,qua attrectare,item quando uel ferocius eſt,uel mitius,& ex quibus cauſis talis fiat. Voces item quas in ſingulis quiſq; ſolet exprimere. quibus præterea uocibus aliorum irritatur id animal uel placatur. Poſtquã uero ob diuturnã conſuetudinem percepit ſingula, peritiam huiuſmodi ſapientiã uocet,& tanquam arte quadam collecta ad docendum ſe conferat,reuera ignorans quæ potiſſimum harum opinionum cupiditatumq;,honeſta uel turpis,bona uel mala,iuſta ſit uel iniuſta.Nominet uero ſingula ad ingentis beſtiæ illius opinionẽ,bona uidelicet quibus delectatur ipſa,mala quibus offenditur:nec aliã prorſus ullam de his afferat rationem,ſed quę neceſſaria ſunt,iuſta nuncupet & honeſta:quo uero boni ipſius neceſſariq; ue natura differat,neq; ipſe perſpexerit unquam,neq; aliis oſtendere poſſit.Siquis,inquã,ita affectus ſit,nonne per louem abſurdus præceptor eſſe tibi uidebitur? Mihi uero. An differre tibi ab hoc ille uidetur,qui multorum uariorumq; hominũ in unum conuenientiũ iram & uoluptates callere,ſapientiam eſſe ducit,ſiue in pictura,ſiue in muſica,ſiue in adminiſtrãdæ reipublicæ diſciplina? Patet enim quod ſi quis cum his uerſetur,eiſq; oſtẽdat uel poeſis, uel alterius artis opus, uel ad rempublicam attinens miniſterium,exhibeatq; uulgo iudicãdi operis autoritatẽ,
Prouerbiũ ultra neceſſaria,Diomedea,ut aiunt, neceſſitate cogetur ea facere quæ iſti probauerint. quod uero bona hæc reuera atq; honeſta ſint,an audiſti quãdoq; ipſorum aliquem rationem ueriſimilem aſſignantem? Nec audiui quidem unquam;nec,ut arbitror,audiam.

Hæc intuitus omnia,recordare & illud:Num poteſt uulgus, uel alio dicente admittere,uel ex ſe attingere ipſum per ſe pulchrum,nõ autem multa hæc pulchra, & de cæteris eodem modo,nõ quidem eſſe ſingula hæc quæ patent multa,ſed ipſam unam cuiuſq; naturam? Minime. Philoſophus ergo uulgus eſſe nõ poteſt. Non. Quinetiam neceſſe eſt ab eo philoſophantes uituperari. Neceſſe. Et à quibuſq; populo placere uolentibus. Patet. Ex his ergo quam rationem ſeruandi ingenij philoſophici uides,ut ſuo in ſtudio perſeuerans,ad finem philoſophandi deueniat? Sic autem ex his quæ dicta ſunt,cogita. Conceſſum eſt,diſcendi acumen,memoriam,fortitudinem,magnificentiam ad hoc ingenium pertinere. Plane. Nõne ſtatim apud omnes talis,in cunctis primus erit,præſertim ſi corpus natura nactus ſit animo conforme? Nihil prohibet. Volent igitur & domeſtici omnes,& ciues ad ſua negocia peragenda hoc uti cum adoleuerit.

Sic certe. Quare precibus, ſupplicationibus, honoribus, blandimentis præoccupabunt futuram ipſius uirtutem atq; potentiã. Ita fieri ſolet. Quid hominem talem arbitraris tunc effecturũ? præſertim ſi ampla in ciuitate natus ſit,& in ea diuitijs inſignis ac

genere

genere,honesta præterea indole sit atq; procerus.nónne immẽsa spe elatum iri hunc censes? putantem se ad res tam Græcorum quàm Barbarorum gerendas sufficere. Vnde & seipsum extollere,fastidioso habitu lasciuientem, inaniq; fastu, & insana inflatum superbia. Vehementer. Siquis hominem sic affectum amice moneat dicens, mentem ipsum nequaquam habere, egere tamen:sed eam à nullo comparari posse, nisi se eius adeptioni subijciat,an facile illum tantis occupatum malis,præstare monenti aures putas? Longe abest. Sinautem bonitate naturæ,& innato quodam ergà rationes affectu inductus aliquis auscultet flectaturq;,& ad philosophiam trahatur,quid eos facturos existimamus,qui putant monitoris illius usu & consuetudine adolescentem corrumpi? Nónne & loquendo & agendo omni studio certaturos,ut nec adolescens monitis pareat, nec exhortator ille aliquid persuadeat, eum tam priuatis insidijs quàm publicis accusationibus insequentes? Valde necessariũ est. Restabit ergo huic ulla ad philosophandum facultas? Exigua plane. Vides'ne haud ab re nos suprà dixisse:philosophicæ naturæ partes,si peruersa adhibita sit educatio,causas esse quodammodo ut quis ab eo studio auertatur? quinetiam impedimento esse ea quæ uulgo bona putantur, diuitias scilicet, & omnem huiusmodi supellectilem? Recte nimirum est dictum. Hic est ô mirifice uir interitus & corruptio talis ac tanta naturæ ipsius ad excellens officium optimæ, quæ quidem rara admodum,ut diximus,reperitur. Atq; huius ingenij sunt hi uiri qui nefaria scelera patrãt,& priuatim & publice:atq; item qui sunt & priuatis, & ciuitatibus bonorum ingentium autores. Exile uero ingenium nihil unq; uel priuatim uel publice magnum efficit. Vera nimirum loqueris. Cum plericq; ad philosophandũ natura idonei ab hoc studio detorquentur,philosophiamq; imperfectam & desolatam destituunt, uita m neq; decentem,neq; ueram ducunt:philosophiam uero tanquam cognatis orbatam, alij quidam ea certe indigni aggredientes,dedecorant ipsam nimium,eaq; afficiunt infamia,quæ notari ipsam à detractoribus illis cõmemorabas,obijcientibus quod eorum qui philosophiæ dant operam,nonnulli paruifaciendi sunt,multi uero nequissimi. Dicta certe hęc sunt. Ac merito dicta. Conspicientes profecto alij plericq; homunculi sedem hanc uacuam quidem,præclaris tamen cognomentis dignitateq; illustrem, instar eorum qui ex carcere ad templa confugiunt,libenter ex artibus ad philosophiam prosiliunt, quicunq; præsertim in artiuncula sua excellunt.nempe philosophia quanquam ita se habet,artibus tamen cæteris dignitate & magnificentia præstat.Quam affectãt plericq;, natura quidem imperfecti,& artibus opificijsq; sicuti corpora læsi, sic & animos mechanicis ministerijs depressi atq; confracti.an nõ necessarium est? Maxime. An censes eos aspectu quicquam differre à fabro ærario,diuite paruo caluoq;, qui è uinculis exijt, balneisq; se lauit, & noua se ueste tanquam sponsum ornauit,& filiam domini sui inopia pressi, nec alium cui daret habentis,in matrimonium sibi coniunxit? Haud longe differre existimo.

Qualem ex his prolẽ nasci putandũ est? nónne notham scilicet & abiectã? Necesse est omnino. Homines autem disciplina indignos,quoties ipsi præter dignitatem adhęrent,quales cogitationes opinionesq; producere dicimus? nónne,ut nominare decet,sophismata? nihilq; legitimũ,nihil dignum, nihil prudentiæ ueræ conueniẽs? Sic omnino dicendum. Itaq; pauci admodum restãt homines,Adimante, qui digne in philosophia uersentur:hiq; sunt qui bona indole nati ac bene enutriti,ocium ad philosophiã uel exilio deprehensi nãciscuntur,unde philosophiæ aduersis occupationibus liberi,naturæ duce suis in studijs perseuerant:uel quum magnificus quidam animus angusta in urbe natus,spretis reipublicæ ipsius muneribus,ac multo magis contemptis reliquarum artium opificijs,pro naturæ dotibus ad philosophandũ se confert.Foret autem & Theagis familiaris nostri frenum ad cohibẽdum satis ualidum. Theagi enim nostro omnia ita sunt,ut à philosophando excludant. Corporis uero debilitas ipsum à rebus ciuilibus prohibet. Dæmonis autem nostri signum referre nunc non decet. Vel enim cuidam alteri dunta-xat,uel nulli superiorum contingit.Horum uero paucorum quicunq; gustant quàm dulcis hæc sit ac beata possessio, & insaniam plurimorum uident: quia uidelicet nullus, ut breuiter ita simpliciterq; dicam,recte quicquã in rebusp̃licis agat, neq; socius aliquis & adiutor reperiatur,qui cum defendendæ iustitiæ curam suscipiens aliquis, sospes euadat:sed tanquam homo in bestias incidẽs,cum nec unà iniuste agere uelit, nec solus ipse

omnibus feris possit resistere, antè pereat quàm quicquam uel ciuitatem, uel amicos iuuet, atq; ita & sibi & alijs sit inutilis. Hæc, inquam, omnia quicunq; diligenter animaduertunt, quietem agunt, & sua duntaxat curant: ac uelut in procella, dum & turbo agitatur, & uenti perflant, & offunditur puluere cœlum, intra parietes tuti permanent: aliosq; intuiti nequitia inuolutos, satis habituros se putant, si puri ipsi ab iniustitia & iniquis factis noribus uixerint, & exactis uitæ curriculis bona cũ spe hilares pijq; decesserint. Haud parua certe is egerit, qui ita uitam transiget. Neq; maxima tamen, si nactus non fuerit conuenientem sibi rempublicam. Nempe in ea & ipse proficiet, emicabitq; magis, & priuata simul publicaq; seruabit. Hactenus quam ob causam philosophia calumniam subijt, quod ue iniusta ea calumnia sit, satis dictum arbitror, nisi aliquid ipse forsan adieceris. Nihil ad hæc ego præterea dicerẽ. Sed earum quæ nunc extant rerumpublicarum quam potissimum philosophis conuenire putas? Nullam prorsus, atque idcirco conqueror, quia nullam uideo ex his quæ nunc extant rerumpublicarum institutionem ingenio philosophi dignam. Quamobrem mutari hanc naturam ac uerti necesse est. Vtq; peregrinum semen in alienum solum iactum debilitatur, ac degenerans ad indigenam uertitur loci seminisq; naturam: ita & hoc genus propria nunc amissa uirtute, in alienam speciem permutatur. Si nautem optimam rempublicam nanciscatur, sicut & ipsum est optimum, tunc demum diuinum quiddam se esse, reliqua uero humana omnia, tam ingenia quàm studia, declarabit. Videris autem mihi statim quænam ista respublica sit, quæsiturus.

Haud recte præsagisti. Non enim hoc abs te desiderabam, sed nunquid hęc ipsa sit quã in condenda ciuitate induximus, an alia? Quo ad alia quidem hæc ipsa. hoc autem tũc etiam dictum est, oportere aliquid inesse semper in ciuitate, quod ratione reipublicæ eandem habeat, quam & tu legislator habebas, dum leges conderes. Dictum plane.

Non satis tamen explicatum. Quippe nos oratio uestra deterruit, obijciens prolixam hanc & arduam demõstrationem fore. Nam quod sequitur haud dictu facile est omnino.

Quid istud? Qua potissimum ratione ciuitas philosophiam suscipere debeat, adeo ut non perdatur. Nam magna quælibet fallacia esse solent, &, ut uere prouerbio fertur, Prouerbiũ præclara difficilia sunt. Veruntamen quum istud inter nos constet, finem iam accipiat demonstratio. Facultas forte deerit mihi, uoluntas certe nunquam. Tu uero præsens studium meum intelliges. Aduerte age, & nunc quàm prompte & intrepide sim dicturus, quod contrà ac nunc fit, ciuitatem oporteat studium hoc attingere. Quonam pacto? Equidem hoc tempore adolescentuli quum statim à teneris annis inter rei familiaris quæstuarieq; negocia difficillimam huius studij partem aggrediantur, paulo post discedunt, etiam qui sapientiæ apprime studiosi fore existimantur. Difficillimam uero partem, inquam, peritiam disserendi. Deinde uero si ab alijs id agentibus, accíti auditores fieri patiantur, magnum quid cogitant, exequendumq; obiter putant. In senectute uero, exceptis paucis, multo magis quàm sol Heraclitius extinguuntur, quum nunquam iterum accendantur. Quid ergo agendum? Contrà omnino. Nam iuuenes ac pueros puerilem disciplinam philosophiamq; tractare conuenit, corporumq;, quatenus adolescant firmenturq; ad philosophiæ ministerium, curam agere: procedente uero ætate, in qua anima iam perficitur, exercitationes augere. Cum autem uires ex uetustate defecerint, tũc à ciuilibus militaribusq; laboribus liberi tanquam emeriti & immunes ad uotum uiuãt, nulloq; certo officio sint adstricti, quicunq; feliciter uicturi sunt, & post migrationem animæ, sortem suscepturi anteactæ uitæ conuenientem. Prompte admodum reuera loqui mihi uideris, ô Socrates. Arbitror autem plurimos quum hæc audiuerint, promptius quoq; repugnaturos abs te minime persuasos. Et in primis Thrasymachum id acturum existimo. Ne mutuæ inter me & Thrasymachum beneuolentiæ insidieris. Nam nuper amici effecti sumus, nec eramus antea inimici. Neque uero antè desistemus, quàm huic & alijs persuadeamus, ut saltem agamus conferens aliquid ad eam uitam, in quam quum peruenerint, hæc dicta reperient. Breue ad tempus dixisti. Immo uero ad nullum, si ad uniuersum id conferatur. Quod autem multi his quæ dicta sunt, fidem non præstent, nihil mirum. Nunquam enim quod modo dictum est, euenisse uiderunt, sed talia quædam uerba potius de industria in similitudinem quandam composita, non casu ut nunc concurrentia. Virum autem quoad fieri potest uirtute perfectum, ac summopere factis

factis & dictis tali quadam in ciuitate potentem, nunquam aut unum, aut plures inruiti sunt. An putas? Nullo modo. Neq; unquam ô beate, sermonibus aures adhibuerunt honestis ac liberis, quibus obnixe & omni studio noscendi gratia uerum inquiritur. Hæc autem plena uersutijs, & subornata litigiorũ machinamenta nihil aliud appetentia quàm opinionem, inanem gloriam, contentionem, tam in iudicijs quàm priuatis colloquijs, omittuntur. Non certe. Quamobrem cum hæc ipsi præuideremus metueremusq;, ueritate coacti diximus, neq; ciuitatem ullam, neq; rempublicam, neq; uirum perfectum fore prius q̃ paucis hisce philosophis, qui nec mali, nec inutiles sunt, ut uulgo existimantur, necessitas quædam sorte contigerit, ut seu uelint, seu nolint, ciuitatis curam suscipiãt, uel à ciuibus exaudiantur, uel saltem his qui dominãtur, aut eorum filijs, diuina quadam inspiratione, ueræ philosophiæ uerus amor inhæserit. Quod autem horum uel alterum, uel utraq; impossibilia sint, demõstrari nõ posse arbitror. Alioquin iure ipsi irrideremur, quasi res pro animi uoto effingentes. An non ita? Ita prorsus. Siquando igitur olim infinito tempore anteacto, uiri in philosophia præstantes necessitate impulsi, rempublicam gubernarunt, uel hisce temporibus regunt barbarica quadam in regione nobis inaccessibili, uel in futurum administrabunt, in hoc certe rerum statu proculdubio asseueramus rempublicam suprà descriptam, fuisse, esse, ac fore. Quando ciuitati hæc Musa præsit, fieri certe id potest, neque nos impossibilia fingimus. Difficilia tamen hęc esse à nobis quoq; concessa fuerunt. Mihi quoq; ita uidetur. Addes forsitan, uulgo id non uideri. Forte. Ne usqueadeo uulgus culpes, ô uir beate. Verum quid eos opinaturos existimas, si non contentionis studio, sed amicis monitis, dissoluta philosophiæ aduersa calumnia, ostẽdas quos potissimum uiros appellas philosophos, & ut nuper distinguas, & ingenium ipsorum & studium, nec te suspicentur eos dicere, quos ipsi cogitant: uel si ita conceperint, falli eos opinione dixeris, nec ad proposita respondere? an censes, inquam, aduersus mirem uirum irritari aliquem? aut hominem sine inuidia & malignitate, uiro nõ inuido inuidere? Equidem pro te respondeo, nõ in multitudine hominum, sed in paucis admodum, adeo immitem inesse naturam. Idem & ipse cogito. An & hoc cogitas? Causam ob quam multitudo philosophiam iniquo animo fert, eos esse qui cum inepti ad philosophiam sint, eam professi homines, conuitijs passim lacessunt, & quasi inimicitijs delectentur, semper de hominibus obloquuntur, rem agentes philosophiæ minime congruam. Omnino. Neq; enim uiro illi ô Adimante, qui omnem mentis aciem ad ea quæ uere sunt direxit, ocium superest, quo negocia hominum inferiora respiciat, cumq; illis pugnans, inuidiam sibi & maleuolentiã conflet. Sed ea quæ semper eundem seruant ordinem contemplatur, quæ neq; inferunt inuicem, neq; patiuntur iniuriam: omnia uero ornate, & secundum rationem disposita sunt. Atq; hæc imitatur, seq; illis quàm simillimum reddit. An putas fieri posse, ut illud nõ imitetur aliquis, cui cum amore admirabundus adhæret? Nullo modo. Quare quum philosophus diuino atq; decoro frequenter adhæreat, diuinus ipse atq; decorus, quoad homini possibile est, efficit. Calumnia uero in omnibus multa. Sic est omnino. Si ergo necessitate aliqua inducatur, ut ea quæ illic intuetur, ad mores hominum priuatim & publice transferat, neq; se tantum, sed & alios formet, nunquid inertem temperantiæ, iustitiæq;, & uniuersæ popularis uirtutis opificem, fore ipsum existimas? Minime. Si sentiat uulgus uera nos de hoc perhibere, an philosophis succensebit? nobisq; non credet dicentibus, non aliter ciuitatem fore beatam, quàm si eam qui diuino utantur exemplo, pictores forment? Nequaquam succensebit, si senserit. Verum quem pingendi modum dicis? Cum pictores hi ciuitatem, & mores hominum, quasi tabulam quandam acceperint, in primis eam purgabunt, quod nequaquam facile est. An nescis hoc præcipue ab alijs philosophos discrepare, quod neque priuatum, neq; ciuitatem tangere, neq; leges condere tentant, antequã uel hæc purgata susceperint, uel ipsi purgauerint? Et recte quidem. An non describere eos post hæc putas reipublicæ formam? Quid ni? Deinde agentes hæc, ut arbitror, ad utraq; frequenter respicient, ad illud scilicet quod natura iustum, honestum & temperatum existit, cæteraq; huiusmodi, atque iterum ad humana: & ad superioris illius exemplar humana disponent, ex hominum officijs naturam humanam contemperantes, ad figuram eius, quod Homerus quoq; cũ in hominibus sit, dei speciem & imaginẽ similitudinemq; appellauit

appellauit. Scite. Partim ergo delebunt philosophi, partim etiam colorabũt, quousq; humanos mores quàm maxime fieri potest Deo in amore coniunxerint. Pulcherrima nimirum hæc est pictura. An persuademus illis, quos inuehi in nos dicebas, talem esse rerumpublicarũ pictorem, eum uirum quem suprà apud eos laudauimus, illiq; indignati sunt quòd huic ciuitatem gubernandam cõmitteremus, nunc uero æquiori animo hoc audiunt? Et maxime quidem, si sapiunt. Qua nunc in parte nobis aduersabuntur? Vtrum eorum quæ uere sunt, ueritatisq; ipsius amatores non esse philosophos asserent? Absurdum quidem id esset. An forte negabunt naturam philosophorum quam narrauimus optimi ipsius esse familiarem? Neq; hoc quidem. Quid uero? hanc cõgruis instructam officijs, absolute bonam fore, ac præ cæteris sapientiæ proximã, renuent? Vel eos probabunt magis quos ipsi secreuimus? Nequaquam. An succensebunt adhuc dicentibus nobis, quod nisi philosophorum genus ciuitatis suscipiat gubernacula, nec ciuitati, nec ciuibus erit requies ulla, finisq; malorum? nec respublica quam oratione describimus, in lucem exorietur? Forte minus. Vis' ne dicamus eos non parum, sed prorsus mites persuasosq; fuisse? ne forte erubescentes aliquid aliud confiteãtur. Absq; dubio. Hoc igitur isti persuasi iam sint. De hoc autem quis ambiget, quin regum potentiumq; uirorum filij philosophi nascituri non sint? Nemo. Posset autem quis adijcere, quòd etiam si tales nascantur, inquinari eos necesse sit. Quòd enim seruari à maculis purum, arduum sit, nos quoq; cõcedimus. Quis autem illud insuper addet? in omni tempore ex omnibus hominibus ne unum quidem unquam integrum immaculatumq; euadere posse? Nullus hoc dixerit. At uero unus natura sic institutus, ciuitatẽq; nactus obedientem, sufficiens est ad hæc omnia perficienda, quę nunc ut impossibilia reprobantur. Sufficiens utiq;. Pono, si princeps aliquis leges & officia quæ narrauimus, mandet, haud impossibile est ciues his obsequi uelle. Non certe. Atqui sentire & alios eadem quæ & ipsi sentimus, num mirum, aut impossibile est? Non, ut arbitror. Quòd autem optima hæc sint, siquidem possibilia, satis suprà est, ut arbitror, disputatum. Satis. Quare ex his quæ dicta sunt, sequitur, ut optima futura sint quæ de legibus ferendis prædiximus, si agantur: difficilia item factu, nõ tamẽ impossibilia. Sequitur plane.

Postquam uix tandem finem his imposuimus, ad reliqua iam pergendum, qua ratione uidelicet, quibus' ue disciplinis & studijs instructi erunt huius nostræ reipublicæ seruatores, & qua in ætate singuli singula exercebunt. De his certe iam dicendum. Haudquaquam sapienter à me dictum est, cum in superioribus reliquerim matrimoniorũ difficultatem atq; molestiam, filiorumq; procreationem, & constitutionem principum. noscebam enim quàm inuidiosa res esset, factuq; difficilis, uel omnino uera. Nunc autem nihilominus transigere hæc cogimur: atq; ea quidem quę ad mulieres ac filios pertinent, iam peregimus: quæ uero ad principes, tanq; à principio rursus percurrenda uidentur. Diximus autem, si memoria tenes, amatores eos ciuitatis esse oportere, in uoluptatibus doloribusq; probatos, atq; ex hoc proposito, neq; laboribus, neq; metu periculorũ, neq; mutatione alia dimoueri. Eum uero qui hoc nequeat, abdicare oportet: at illum qui passim syncerus & incorruptus euadit, tanquã aurum in ignis examine comprobatum gubernandę ciuitati præficere, muneribusq; ornare & uiuentem & mortuum. Præmia uero talia sint, qualia communiter dicta sunt, breuiter hoc percurrente, & quasi tergiuersante sermone: quippe cum res, ut nunc sunt, mouere timeremus. Vera loqueris. Memini equidem. Verebar enim, ô amice, quæ ausus sum dicere. Nos uero in præsentia id asserere audeamus, quod custodes diligentissimi, optimi debent esse philosophi. Ratum id habeatur.

Animaduerte quàm pauci tales erunt. Illius siquidem naturæ partes quam inesse illis oportere diximus, unà raro cõcurrunt, & ut plurimum disiunctæ nascuntur. Quo pacto id ais? An ignoras quod ijdẽ homines, dociles, memores, ingenioſi, acuti non sunt, ac etiam fortes atq; magnanimi, ut moderate, tranquille, constanter uiuant? Tales siquidem uiri acuminis ipsius feruore quocunq; contigerit, proferuntur, stabilitatis omnis & grauitatis expertes. Vera loqueris. Habitus autem ipsi animorum stabiles, & à leuitate penitus alieni, quorum in grauitate maxime confidendum, utpote qui in bello intrepidi sunt, ut in his immobiles sunt, ita ad disciplinas tardiores & hebetes. Torpent siquidem atq; oscitant, quoties eis est contemplationi inuigilandum. Est ut dicis. Nos autem

tem in ſuperioribus principem oportere diximus,utrorum q̃ optima ratione participem eſſe.Alioquin non eſſe illi ſupremam diſciplinam exhibendam,neque honores magiſtratus q̃ impertiẽdos. Recte. Nónne raro hoc euentuũ exiſtimas? Raro admodum.

Examinare igitur futuri principis oportet ingenium in his quæ ſuprà diximus,laboribus,timoribus,uoluptatibus.Addimus præterea,quod ſuprà dimiſimus, oportere uideli cet illud in diſciplinis plurimis exercere:ut pateat nunquid maxime ipſius doctrinæ percipiendæ ſit compos,an deficiat potius,quemadmodũ qui in alijs operibus trepidãt,atq̃ deficiunt. Ita certe inueſtigare decet. uerum quam maximã doctrinã uocas? Meminiſti puto cum tres in anima ſpecies poſuiſſemus,quid iuſtitia eſſet,tẽperantia,fortitudo, ſapientia,nos definientes,inuicem conueniſſe? Si non recordarer, haud dignus eſſem qui reliqua abs te audirẽ. An & illud memoria tenes,quod ante hæc dictũ fuit? Quid nam? Diximus certe ampliori quodam alio orationis circuitu exactius ea poſſe cognoſci:uerum commodius eſſe,ut demonſtrationes ſuperioribus magis conſentaneas induceremus.Quod & uos ſufficere reſpondiſtis.Atq̃ ita tunc ea pingui Minerua,ut mihi uiſum eſt,tractata ſunt.Sinaũt placet uobis,ipſi hoc dicite. At ſatis mediocriterq̃ dictum & mihi,& alijs eſt uiſum. Sed in his rebus ô amice,modus quamcunq̃ ueritatis partem omiſerit,immoderate fit.nihil enim deficiens ullius eſt menſura.quanq̃ nonnullis quandoq̃ uidet̃ ſufficienter ſtatim eſſe tractatum,neq̃ longiori inquiſitione opus eſſe. Permultis id propter ſocordiã accidit. Vitiũ hoc à cuſtode ciuitatis & legũ debet eſſe alieniſſimum. Conſentaneum. Ergo amplior quidem amici huic agẽdus circuitus,neq̃ breuior diſcendo q̃ exercitando impendenda eſt opera:alioquin,ut paulo ante diximus, ad ſummæ penitusq̃ neceſſariæ doctrinæ finem nunq̃ perueniet. An hæc maxima nõ ſunt? Eſtq̃ aliud inſuper iuſtitia,& cæteris quæ narrauimus excellentius? Nempe præſtantius.Et horum quidem ipſorum nequaquam decet adumbrationẽ quandam qualem nunc,aſpicere:ſed abſolutã rationẽ comprehendere.An nõ ridiculũ id eſt, in rebus minimis omne ſtudium ponere,& obnixe contendere,quo quàm diligẽtiſſime & ſynceriſſime peragãtur:in maximis autem leuem operam ſatis eſſe putare? Ridiculum prorſus.

At enim putas aliquem quieturũ,niſi abs te nunc exquirat, quænam diſciplina illa ſit, quam maximam uocas,& circa quid uerſetur? Non equidem. Sed & ipſe interroga, quanq̃ ſæpenumero te arbitror audiuiſſe.Nunc autem uel nõ aduertis, uel potius interturbare me tuis ſcrupulis cogitas.quod ego potius arbitror.nam ſæpe audiſti boni ideam eſſe maximam diſciplinam. Qua quidem & iuſta,& alia ſi utantur,utilia, & conducibilia fiunt. Atq̃ hoc ferme dicere me uelle ſcito,& iſtud præterea,quòd ipſam nõ ſufficienter agnoſcimus.Sin uero ipſam neſcimus,& ſine ipſa alia q̃ maxime nouerimus, ſcito nullã ex alijs nobis utilitatem fore:ſicut neq̃ prodeſſet nobis quicquã,quod ſine bono poſſideremus.An maius quid eſſe putas,ſine poſſeſſione boni alia omnia poſſidere,q̃ ſine boni ipſius & pulchri intelligentia,cætera intelligere? Non certe. Pluribus uero bonũ uoluptas uidetur,elegantioribus ſapiẽtia. Proculdubio. Quinetiã & hoc noſti,q̃ qui ſapientiam bonum exiſtimãt ſi interrogent̃, quænã potiſſimũ ſapiẽtia,declarare nequeũt, ſed coguntur tandem boni ſapientiã dicere. Quàm ridicula reſponſio. Cur nõ ridicula uideat̃,ſi cum nos uituperent q̃ ignoremus bonum,de bono rurſus nobiſcum tanq̃ intelligentibus illud loquant̃? Aiunt enim bonũ eſſe,ſapientiã boni,quaſi nouerimus.quid ipſi dicant,cum boni nomen pronunciant. Vera loqueris. Qui uero bonũ uoluptatem eſſe definiũt,nunquid minus errãt q̃ cæteri? Nónne & iſti coguntur fateri uoluptates eſſe malas? Valde. Eadem igitur & bona eſſe & mala,fateri coguntur. An nõ? Plane.

Nónne conſtat plurimas circa hoc & maximas ambiguitates conſurgere? Conſtat.

Nónne & hoc perſpicuũ? quod quæ iuſta, & honeſta uidentur,etiã ſi nõ ſint,multi eligerent agere,poſſidereq̃,& uideri hominibus hæc habere:nemo aũt ſatis habere ſe putat,ſi quæ bona duntaxat uidentur poſſideat,ſed quæ reuera bona ſint,omnes quærũt, opinionem uero in his quiſq̃ contẽnit? Et maxime quidem. Bonũ quidem anima omnis expetit,eiusq̃ gratia agit omnia,augurãs eſſe aliquid:dubitat tamẽ,neq̃ ſufficiẽter quid ſit cõprehẽdere poteſt,neq̃ fidei ſtabili inhærere,quali utiũ circa alia: atq̃ idcirco & in alijs fallit̃,cum quid utile ſit iudicare pergit.An circa id cum tale ſit ac tantum, ſimiliter cecos eſſe debere dicemus illos quoq̃ præſtantiſſimos in ciuitate uiros, quibus uniuerſa cõmit

Ideæ præſtãtia et utilitas in cognoſcẽdis rebus

timus

timus? Minime omnium. Reor equidem, eum qui neſciat, ut nũc fere accidit, qua ratione iuſta & honeſta, bona ſunt, haud multi faciendum ſane cuſtodem ſeipſum exhibere poſſe. Auguror autem neminem ipſa prius q̃ bonum ſufficienter cognoſciturum. Scite auguraris. Perfecte igitur diſpoſita nobis erit reſpub. ſi cuſtos horum peritus eam reget. Ita neceſſe eſt. Verum tu ô Socrates, utrum bonum ipſum dicis eſſe ſcientiam, uel uoluptatẽ, uel aliquid aliud præter hæc? Iam diu compertũ habeo Adimante tibi nõ ſatis fore, ſi ſententias aliorũ retulero. Haud certe mihi uidetur ô Socrates, opiniones aliorũ referre poſſe, ſuam uero nequaq̃, hominẽ pręſertim tam diu in his uerſatum. An decere putas, ut de ijs quæ quis ignorat, quaſi ſciens loquat? Nullo modo quaſi ſciens, ſed ut quaſi ex opinione proferens quæ ſentit. An neſcis opiniones omnes abſq̃ ſcientia turpes eſſe, quarũ quæ optimæ, cæcę ſunt? an eos qui abſq̃ intelligentia uerum aliquid opinantur, differre ab illis exiſtimas, qui licet cæci ſint, recto tamen tramite gradiuntur?

Nihilo. Vis ergo turpia contemplari cęcaq̃ & obliqua, cum liceat ex alijs perſpicua pulchraq̃ audire? Age per louẽ Socrates, ne deſiſtas, cum ad calcem fere peruenerís. Quæſtio de bono difficillima

Sufficiet enim nobis, ſi quemadmodũ de iuſtitia tẽperantiaq̃ & alijs tractauiſti, ita quoq̃ de bono tractaueris. Mihi quoq̃ ô amice ualde ſufficiet. At uereor ne uires deficiãt, atq̃ ego ſupra uires auſus, ineptior appaream, riſumq̃ audientibus moueam. Cæterum ô uiri felices, quid ipſum bonum ſit, in præſentia dimittamus. Eſt enim, ut mihi uidetur, præſentem ſupra contemplationem. Quis autem appareat boni ipſius filius, quisq̃ ſimillimus ei ſit, ſi uobis placet, dicam: ſin minus, dimittam. Dic age. patrem uero poſtea declarabis. Filius boni, hoc eſt ſol

Vellem equidem, ut & ipſe explicare poſſem, & uos percipere, nõ ſolum boni partus, ut nunc, ſed ipſum bonũ. Hunc ergo ad præſens partũ boni ipſius filiumq̃ accipite. Caute tamen ne inſcius ipſe uos decipiã, uanã reddens de filio rationem. Cauebimus pro uiribus. Dic modo. Dicam equidem, ſi prius repetamus inuicem confirmemusq̃ quæ ſuprà memorata ſunt, & aliàs ſæpenumero dicta. Quęnam? Multa quidem pulchra & multa bona, & ſingula ſimiliter eſſe dicimus, & oratione diſtinguimus. Dicimus profecto. Atqui & ipſum pulchrum & ipſum bonum inducimus, ac ſimiliter in omnibus quæ ut plura ponebamus, unum rurſus ponimus ſecundum ideam unam cuiuſq̃ tanquã una ſit, & quod unumquodq̃ eſt, appellamus. Vera hæc ſunt. Et hæc quidem uideri dicimus, non autem intelligi: ideas autem intelligi, non uideri. Sic eſt omnino. Qua potentia è multis quas habemus, quæ patent oculis cernimus? Viſu. Nónne & auditu quæ audiuntur, & alijs ſenſibus omnia quæ ſentiuntur? Quid ni? Nunquid animaduertiſti quàm perfectã ſenſuum auctor uim fabricauit ad id quod uidere, & id quod uideri dicimus? Non ſatis. Sic autem conſidera. Eſt ne auditui, atq̃ uoci alio genere opus ad hoc ut ille quidem audiat, hæc audiat? Quo tertio abſente, ille nõ audiet, iſta nõ audietur. Nequaquam. Arbitror equidem, neq̃ alijs multis, ne dicam nulli, tali quodam opus eſſe. An tu talem aliquã uim reperis? Minime. An nõ aduertis uiſus ipſius & eius quod uiſui ſubiacet uim, tali aliquo indigere? Quo pacto? Præſente oculis uiſu, ipſiſq̃ ad ſpectandum directis, præſente item colore, niſi adſit & genus tertium proprie ad hoc natura aptum, neq̃ uiſus uidebit quicq̃, neq̃ uideri colores poterũt. Quid nam id eſſe dicis? Quod tu lumen uocas. Vera loqueris. Profecto uiſibilis ipſius uis, & uidẽtis potẽtia, iugo quodã aliorũ omniũ coniugationũ maxime honorãdo iunctę ſunt, non exigua quadam ſpecie, ſi modo contemnendum non eſt lumẽ. Longe abeſt ut contemnendũ ſit. Quem potiſſimũ deorum cœleſtium huius cauſam putas, cuius lumen efficit ut & uiſus noſter q̃ optime cernat, & oculis obiecta cernantur? Quem tu putas & alij. Nempe de ſole interrogas. Ita uero ad hunc deum ſe uiſus habet. Quomodo. Viſus ſol non eſt, neq̃ oculus cui ineſt uiſus, ſol eſt. Non certe. Sed ex omnibus ſenſuum organis id maxime ſolis particeps. Multũ ſane. Nónne & uim quam habet, ex ſole infuſam ſeruat? Prorſus. Quinetiã ſol uiſus non eſt. Cauſa uero ipſius eſt, ab eo proſpicitur. Sic plane. Hunc me uocare boni filiũ dicito, quẽ ipſum bonum in hac ſecum genuit comparatione conſimilẽ: ut quemadmodũ ipſum in loco intelligibili ad intellectũ & ea quę intelliguntur, ſe habet, ſic & iſte in loco uiſibili ad uiſum ſe habeat, & ad ea quæ uidentur. Quo pacto? latius explica. Oculi porrò, quoties nõ ad ea uertuntur, quorũ colores diurnus fulgor illuminat oſtenditq̃, ſed ad illa quæ nocturnis radijs

De medio inter ſenſum & ſenſile

Lumẽ medium inter uiſum & colorem

Sol ut intercedat inter uiſum & uiſibile

Quomodo bonum genuit filiũ ſibi conſimilẽ

attin

attinguntur, cæcutiunt hallucinanturq; & prope cæci esse uidentur, ac si purus in illis uisus non insit. Sic accidit. Quotiens uero ad ea quæ sol illustrat, perspicue cernunt, ijsdēq; ipsis in oculis esse uisus apparet. Est ita. Sic & de animo cogita. Quando enim illi inhæret in quo ueritas & ipsum ens emicat, intelligit illud cognoscitq;, & intellectum habere uidetur. Sed cum ad id fertur, quod tenebris est permixtū, quod uidelicet generat atq; corrūpitur, eius obtunditur acies, opinionesq; uersat uarias, ac mentis expers esse uidetur. Sic apparet. Illud igitur quod ueritatem illis quæ intelliguntur præbet, & intelligenti uim ad intelligendū porrigit, boni ideā esse dicito, scientiæ & ueritatis quę per intellectum percipitur, causam. Cum uero adeo pulchra duo hæc sint, cognitio scilicet ac ueritas, si bonum ipsum aliud quàm ista & pulchrius æstimabis, recte putabis. Et quemadmodum lumen ac uisum solis speciē quandā habere existimare decet, solē uero ipsum esse nequaquam: ita cognitionem & ueritatem, boni ipsius speciem habere quidē aliquā, esse uero ipsum, minime. Augustior enim est ipsius boni maiestas. Decus narras inæstimabile, si scientiā quidē & ueritatem præbet ipsum, uerum decore hæc superat. Neq; enim uoluptatem ipsum esse dicis. Bona uerba quæso. Atq; ita planius eius imaginem contemplare. Quomodo? Solem quidem dices, ut arbitror, ijs quæ uidentur non modo uidendi præbere potentiam, uerumetiā generationem, augmentū, nutritionem, cum ipse tamen generatio non sit. Quo enim pacto? Atq; ita dicas bonum ijs quę cognoscuntur dare, ōn modo ut cognoscantur, sed esse insuper & essentiam elargiri, cum ipsum essentia non sit, sed supra essentiam, dignitate ipsam & potentia superans. Aede pol mirabilis hic excessus. Huius certe tu causa es, qui me compulisti ad ea quæ mihi de hoc uiderentur, aperienda. Neq; dum etiā desistas, sed absolue præcipue solis cōparationem, siquid est prætermissum. Atqui multa prætermittuntur. Ne minimum quid omittas. Reor equidem multa præterea superfore, ueruntamen quotcunq; ad pręsens referri poterunt, haud sponte dimittā. Ita precor. Cogita duo hæc esse, & unū quidē in genere locoq; intelligibili regnare, alterum in uisibili, ne sub cœlo inquiens, uidear te circa nomen decipere. Attamē species duas habes, uisibile scilicet & ipsum intelligibile.

Habeo equidem. Perinde ac si acceperis lineam in duas æquales sectā portiones, & utranq; rursus partem simili ratione diuiseris: ita nūc oblatū tibi genus unū uisibile, intelligibile alterum, in duo rursus secundū claritatem, & obscuritatē utrunq; distingue. In genere quippe uisibili portio una imagines cōtinebit. Voco autē imagines, primum umbras. Deinde simulacra quæ in aquis apparent, & quæ in corporibus dēsis, lenibus, tersis ac lucidis, & omne quodcunq; tale, si tenes. Teneo. Portio uero altera cōprehendet ea quorum hæ similitudines quædam sunt, animalia uidelicet quæ apud nos sunt & plantas, & uniuersum fabricæ genus. Sic pono. An uis præterea secundum uerum & non uerum dicere genus hoc distingui? ut quēadmodū se habet quod opinione fingitur ad id quod scientia noscitur, ita simulacrum ad illud cuius est simile? Valde. Consi dera iterum intelligibilis sectionē. Quo pacto? Vnū quidē ipsius genus est quod inquirit animus his utēs uelut imaginibus quæ prius diuisa sunt, compulsus ex suppositionibus non ad principium, sed ad finē procedere. Alterū uero, quod excogitat animus, ex suppositione procedens ad principium non suppositū, nec imaginibus utēs quibus ad genus alterum uti solemus, sed in ipsis speciebus per ipsas progrediens. Haud satis quæ dicis intelligo. At enim facilius per hæc intelliges. Arbitror te non latere, quod qui circa geometriā & arithmeticā & cætera generis eius uersantur, supponunt quidē par & impar, & figuras ac tres species angulorū & horum similia in argumentationibus singulis, & his positis tanquam cuilibet manifestis, rationē de his nullā exigendā putant. Atq; hinc incipientes ad alia iam descendunt, & ad illud tandē perueniunt quod quærebant.

Vt uisus ad solē, ita anima & intellectus ad bonum & intellectum

Prorsus id noui. Enimuero & illud nosti, quòd & supradictis speciebus utuntur, deq; illis uerba faciunt: quanquam non ad eas mentē dirigūt, sed ad illa potius quorum ista simulacra sunt, ad quadrangulum ipsum uidelicet, ipsumq; diametrū, non ad ea quæ scribunt. Et in alijs eodem modo, speciebus quidē hisce quas describunt figurantq;, quarum & umbræ sunt, & in aquis imagines, tanquam imaginibus quibusdā utūtur, affectantes illa cōspicere, quæ nō aliter quàm cogitatione percipiuntur. Vera loqueris. Hanc generis intelligibilis speciem suprà dicebā, ad cuius inuestigationē cogi animū suppo-

sitionibus uti, ad principium non euntem, utpote qui supra suppositiones ascendere nequeat, utaturq; imaginibus his quæ ex inferioribus sunt ad superiorum similitudinẽ comparatæ, atq; ita opinione conceptæ distinctæq; sunt, quasi ad illa perspicue conferant.

Intelligo equidem dici abs te quod in geometria & alijs eius germanis artibus fieri solet. Alteram intelligibilis partem ad illud referre me scito, quod ipsa ratio per demonstrandi facultatem attingit, dum suppositiones non pro principijs habet, sed reuera pro suppositionibus accipit, tanquam gradibus quibusdam & adminiculis utens, quousq; ad illud quod non supponitur, ad principium uidelicet ueniens uniuersi ipsum attingat, & rursus adhæreat illis quæ principio hærent, atq; ita ad finem usq; perueniat, nullo prorsus sensibili utẽs, sed ipsis speciebus, per ipsas, atq; ad ipsas progrediens. Intelligo tandem, quanquam minime sufficienter, ut cuperẽ. Videris enim mihi magnũ opus proponere. Moliris quidem disserere, partem illam uere existentis & intelligibilis generis, quam per demonstrationis scientiam speculamur, illa esse clariorem quam ex illis scientijs quæ artes appellant, inuestigamus. In quibus pro principijs suppositiones habentur, & qui ista considerant, cogitatione coguntur non sensibus intueri. Quoniã uero ad principium non ascendunt, sed ex suppositionibus indagant, intellectum circa hæc habere tibi nequaquã uidentur, licet cũ principio intelligibilia sint. Videris autẽ mihi geometricarũ & similium rerum habitũ, cogitationem potius appellare quàm intellectum, quasi cogitatio inter opinionem & intellectum medium teneat. Sufficienter admodũ percepisti. Atque ad has quatuor proportiones, quatuor itidem animi affectiones accipe. Intelligentiam quidẽ ad supremũ ipsum, ad secundum cogitationẽ, ad tertium fidem, ad postremum uero assimilationẽ siue imaginationẽ. Hæc præterea inuicem alternæ ratione proportionis ordina, ut ita hæc claritatẽ participent, quemadmodum illa circa quæ sunt, ueritatem. Intelligo equidem, & quod dicis admitto, & ut iubes ita dispono.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI IN dialogum septimum de Iusto.

SAPIENTES Diuino ingenio præditi omne mentis studium à terrenis ad cœlestia, à mobilibus ad immobilia, ab his quæ sentiuntur, ad illa quæ superant sensum, pro uiribus conuerterunt. Considerantesq; mundi machinã et unã esse, & mirabiliter ordinatam, neq; tamẽ ex seipsa posse consistere, cum ex diuersis componatur atq; mutetur, merito cognouerunt ab alio dependere: ab alio inquam uno atq; sapientissimo, qui & unum cõficiat opus ex multis, & id unũ ubiq; ordinet sapienter, regat præterea & potenter, opus uidelicet ingens atq; multiplex, motu quidem perpetuo, atq; rapidissimo, non tamen aberrante reuolutum: ducat quoq; benignissime singula ad bonum mirificatũ cõmoditate tum facilitate currentia. Quamobrem communi quadã conceptione deum esse pariter consenserunt, unũ uniuersi regem potentem & sapientem atque clementem: quem & terreni reges, rerumq; publicarum gubernatores pro uiribus debeant imitari. Post cõmunẽ hanc de deo cõceptionem gemina rursus uia ad deũ cœperunt planius atque propius proficisci: per alteram quidẽ negando, per alterã referendo. Nã illa quid ipsum bonũ, id est, quid deus nõ sit argumentantes, probauerunt neq; esse quicquã ex his quæ capiuntur sensibus, neque ex his quæ mente cõprehenduntur. In hac autẽ & creaturas ad creatorẽ, & uicissim creatorẽ referentes ad creaturas, excogitauerunt qua ratione & creator singula faciat atq; perficiat, & creaturæ ad ipsum sese uel habeant, uel imitari, uel consequi possint. Hactenus procedere philosophantis ingeniũ Plato noster & in Parmenide monstrat, & libro superiore cõfirmat. Quod Dionysius quoq; Areopagita maxime cõprobat. Procedere inquã hucusq; tũ radio quodã ab initio menti semel infuso, tũ accedẽte lumine diuinitus mentes assidue collustrante. At uero quid ipsum in se bonum sit, id est diuina substantia, quemadmodum et in Parmenide, & hic ostendit, nemo per eiusmodi uias assequi potest. Solũ uero per has illuc deniq; peruenire, ubi diuinum bonum ob solam benignitatem suam amatorẽ suum propius accedentem & propria luce formet, & calore fouet, & potestate transformat mentẽ, tum demum cognoscentẽ deum cum ipsa iam facta sit deus. Quod quidem in epistolis quoq; significat. Postquã uero deum philosophus contemplatus fuerit cœlestia gubernantem, tunc solum, & solus poterit terrena diuinitus gubernare. Qua quidem in re Plato Minoem laudat ab Ioue prius cõtemplando petentẽ leges quàm ad homines promulgaret. Mitto quantũ multi laudẽt Scipionẽ, quod Ioue magistro ad remp. accedebat. Quid de Numa Pompilio dicã, ciuitatẽ religiosis legibus gubernante? Nonne & Mosaicæ leges quibus dei populus diuine gubernaretur, deo ipso docẽte ad homines peruenerũt? Hinc Aristoxenus narrat philosophorũ Indorũ mysteria, quibus cõtinetur, absq; diuina regula et hac quidẽ à deo demonstrata, nõ posse quicquã uel priuatim uel publice recte feliciterq; unquã administrari. Quoniã uero idẽ Aegyptij cõ-

pertum

pertum habebant,ſolis philoſophis,& his quidem abſolutis atque inſuper ſacris regni gubernacula concedebant. Atq; uſqueadeo putabant nihil abſque diuino auxilio poſſe feliciter agi, ut omnia publica à ſacris uotisq; auſpicarentur. Nihil rurſus abſque diuina quadam inſpiratione intelligi poſſe adeo aſſerebant,quemadmodũ refert Iamblicus,ut omnes apud illos philoſophantium libri Mercurij dei nomini ſint aſcripti, quaſi non hominũ ſint inuenta,ſed dei. Quod Timæus quoque ſignificat dicens philoſophiam donum eſſe diuinum. Ciuilem quoque peritiam eſſe diuinum munus in Protagora & Politico docet. Atq; ut ad hunc ſeptimum redeamus,non admittit quenquam ad hanc ſuam rempub.gubernandam,niſi quem conſtiterit diuina quadam tam indole quàm educatione utrunque donum diuinitus accepiſſe:quem ſolum ubique legitimum ciuem philoſophumq; appellat. Sed cur diuino ad id munere opus eſſe dicit? Mitto nũc alias rationes. Quia uidelicet cũ difficillimũ cuiq; ſit ſeipſum feliciter gubernare, certe impoſsibile eſt ciuitatẽ,ex tam multis diuerſisq; cõpoſitã,cui & quotidie innumerabiles incertiq; imminẽt caſus, beate unquã abſq; deo beatitudinis autore cõponere. Hinc factũ eſt ut quælibet ciuitas propriũ quoddã numen agnouerit,quaſi patronum.huius uero numinis uicarium et interpretẽ eſſe Plato uult ciuitatis gubernatorẽ, qui inſtar numinis & diuina contẽpletur,& humanis inde prouideat. Quamobrẽ malos homines quaſi diuini muneris omnino expertes à repub.procul expellit. Solos autẽ accipit bonos. Neq; tamen omnes. Nã ignaros theologiæ appellat cæcos atq; ſomniantes,utpote qui rerũ imagines pro rebus accipiant:ſtultũ uero cenſet ciuitatis cuſtodiam cæcis ſomniantibusq; cõmendare. At uero theologos,qui nullũ adhuc humanarũ rerũ uſum teneant,nõ prius ad publicas res gerendas admittit,q̃ priuatis leuioribusq; tractandis aſſuefecerit. Cõcludit interea nulli magiſtratum eſſe dandũ,niſi cuius uita ſit melior magiſtratu,ipſumq; magiſtratũ neq; petat neq; etiã appetat. Tu uero ubi Plato in erudiẽdo ciuili philoſopho imaginẽ proponit ſpeluncæ,& uinculorũ,& luminis cuiuſdam, umbrarumq; & aquæ, Speluncam intellige hunc quem uidemus mundũ,ſi ad mundũ inuiſibilem comparetur. Vinculũ uero corpus humanum,ſiue potius perturbationẽ animũ corpori alligantẽ. Vmbras autem res omnes quæ ſenſus mouent. Sunt enim hæ uerarum rerũ, id eſt idearum umbræ. Quod autẽ dicit animũ nõ abſq; offenſione repente tum ab inuiſibili mundo deſcendere ad uiſibilẽ,tum uiciſsim aſcendere,duobus more Platonico modis potes accipere:tũ in hac uita,quando uidelicet abſq; medio ab hoc humanorũ ſtudio,ad ipſum ſupremũ diuinorũ ſtudium, atq; contrà tranſitur:tum inter hãc uitam atq; alteram. Quando ſcilicet anima uel impura à corporis tenebris ad diuinum migrat lumen,ſub quo caligat prorſus & cruciatur:uel à diuino lumine in corpus elementale deſcendens diu cæcutit atq; turbatur. Memento uero luminis proprium eſſe omnia facere atq; demonſtrare:idq; eſt triplex,diuinũ,intellectuale,uiſibile. Diuinum appellari ſolis utriuſq; ſolem. Intellectuale,ſolem angelicũ nominari,ſolis mundani ſolem. Viſibile deniq; lumen,eſſe cœleſtem ſolem eiusq; fulgorem. Quemadmodũ uero fulgor à cœleſti ſole per omnia ſe diffundẽs,eſt imago actusq; ſolis:ita & lux quæ ineſt ſoli, imago eſt actusq; mentis angelicæ. Lumen deinde in angelo diuini luminis actus eſt & imago. Et quemadmodum uiſibile lumen in natura perſpicua duntaxat recipitur,ſic inuiſibile in perſpicaci natura. Tres eiuſmodi ſoles Iulianus Platonicus in libro De Sole deſcribens,addit ex Phœnicũ theologia,uiſibile lumen eſſe diuinæ angelicæq; intelligentiæ actum quendam perennem per ſolarem feneſtram ad oculos emicantẽ,atque inde per materias paſsim perſpicuas quaſi conuenientes ſibi diffuſum. Cæterum ne diffidas lumen hoc apparens eſſe luminis non apparentis imaginem, ſcito id lumen non eſſe corpus. Corpora enim abſq; offenſione infectioneq; penetrat. Item non fieri propriam compoſiti corporis qualitatẽ. Alioquin & propriam requireret qualitatem elementorum calidam ſiue frigidam in eo præcedentẽ, quod ipſum ſit ſuſceptum,& recedente ſole ad tempus in perſpicuo remaneret. Itẽ dimenſioni propriæ non aſtringi. Non enim tempore peruenit,uel partem nunc illuminat,& pòſt partem. Adde quòd amplũ abſque ſui diſsipatione implet,uiciſsimq; in anſtugum ſine uel ſui uel uaſis confractione momento ſe colligit. Neque proprie corporeum eſt,ſed inter incorporea & corporea medium,& profecto propria cœli qualitas,cuius natura incorporeis eſt quàm proxima. Communicatur quoque elementis duntaxat perſpicuis,in hac ipſa perſpicuitate cœlo ſimilibus:perſpicuis inquam primo lumen,deinde calor:opacis autem calor primo,lumen uero non prius quàm per calorem ad naturam perſpicuam redigantur. Corporibus autem opacis,in quibus natura terrea dominatur,non infunditur. Nõ quia penetrare non poſsit,quandoquidem & cryſtallum penetrat opacis multis ſolidius: ſed quia natura terrea à natura cœleſti alieniſsima cœleſtis qualitatis capax eſſe non poteſt. Communicat tamen opacis calorem ut dixi, non tam propriũ cœlo quàm lumen. Cœlum enim quia lucet,ideo calet. Quod autem lumẽ à cœlo in perſpicua noſtra diffuſum, ſolis imago rurſus debeat appellari,hinc apparet, quòd ipſum eſt imaginum omnium communis propriaq; origo. Imagines enim rerum ſub ipſius fulgore reſultant,ipſumq; eſt imago tam potens, ut appareat non ſolum quando à ſpeculari corpore reſilit,ſed etiam quando à ſole proſilit:quod cæteris imaginibus minime conuenit:omnes tamẽ incorporeæ ſunt:ſiquidem per totum momento ſe fundunt,eodemq; in puncto abſque mutua confuſione ſunt multæ. Incorporeum ergo eſt et lumen,cuius id uirtute perficitur. Proinde momento ſolis radium ſecum ferre actum lucis uimq; caloris. Ac per lucem quidem referre diuinæ & angelicæ intelligentiæ claritatem. Per calorẽ uero utriuſq; uoluntatis charitatisq; affectum. Cum uero ſuperi,quemadmodum & artifices,opera per uoluntatem potius quàm

per intelligentiam agant, merito uisibilis hic radius ex inuisibili illorum radio profluens, per calorem agit singula quæ gignuntur, potius quàm per lucem. Immo uero per lucem agit, sed rerum imagines spiritales, per calorem uero corporeas qualitates. Calorq; hic ita dependet à luce, quemadmodum in diuinis per intellectum idealiter repræsentantur omnia, per affectũ inde surgentem omnia generantur. Nos uero hinc admoniti si natura terrea lumẽ cœleste non recipit, terrenos à nobis affectus longius expellamus, ut diuino lumine impleamur. Ac si ultimũ corpus nõ accipit primi lumẽ, nisi caleat inde prius simileq; reddatur, eia nos quoque mentiũ ultimi flagremus prius amore primæ, ut amore purgati factiq; similes luceamus deinde diuinitus, ac pleno iam lumine gaudeamus. Sed reliqua iam huius septimi perstringamus. Quoniã igitur triplex lumẽ est, ut diximus, uisibile scilicet, & intellectuale super uisum, & diuinum super intellectum, ideo Plato in tribus gradibus mentionem hic facit de lumine, scilicet in cauerna, in nocte, in die: tria uidelicet lumina illa significans, Ter quoq; mentionẽ facit de aqua, in cauerna, in nocte, in die. sicut enim lumen & facit & demonstrat omnia, sic aqua lauat omnia atq; repræsentat. per primum quidem significat mores, per secundum uero cõtemplationem. Et utrunq; tribus gradibus peragit. Nempe per moralẽ ter lauat & purgat, primo quidem amputando secundos motus per uirtutes ciuiles, deinde eosdem per uirtutes purgatorias extirpando, tertio per uirtutes animi iam purgati motus primos absolutissime moderando, unde iam ad exemplares quæ in deo sunt, uirtutes perueniatur, præsertim per contemplationem. Cuius quidem tres sunt gradus, quos refert aqua ter nominata, quatenus ipse imagines repræsentando, refert intelligentiã. Diuina siquidem in tribus, ut ita dixerim, aquis repræsentari uidentur. Primo quidẽ licet confusius, in rationibus physicis: Secũdo distinctius in mathematicis: Tertio clarissime in metaphysicis penitus absolutis. Formas quidem physicas Plato omnino materiales appellat. quia & cõmuni & propria materia indigent, & absq; illa cogitari non possunt. Mathematicas uero formas non adeo materiales, quia & propria non egent materia, sed aut cõmuni tãtũ ut dimensiones, aut nulla, ut numeri: atq; hæc sine materia licet excogitare. Diuinas deniq; formas omnino immateriales existimat, resq; ueras, quarũ imagines quidẽ sint mathematicæ formæ, umbræ uero res naturales, mysteriũ uero hoc est Pythagoricum. Cum ergo animaduerteret Thaletem, Democritum, Anaxagoram, tã negligẽtes in rebus diuinis fuisse, quàm diligentes in naturalibus, Pherecydem contra & Pythagoram Pythagoreosq; omnes mathematicorũ principes, pariter summos extitisse theologos, moribusq; diuinos, merito partim ratione, partim experientia concluſit curiosum naturalium studium animam sæpissime à diuinis auertere. Quam & Salomon propterea occupationem pessimam iudicauit, & miseros qui nimium occuparentur in ea. Eosdem in Phædone Socrates detestatur, eos inquã qui naturalium effectuũ causas, duntaxat ad qualitates quasdã elementales curiosius referentes, in eiusmodi principio & fine quiescunt, neq; summum uniuersi principium finemq; perquirunt. Quamobrẽ septimus hic liber ubi animam ad summum bonum solemq;, id est deum, ideasq; diuinas quasi stellas conuenientibus perducit gradibus, nullam in ipso ascensu naturalis peritiæ efficit mentionem. Sed mathematicos quosdam gradus ad diuina cõmodius perducentes adducit in mediũ: inter quos duo sunt puri. Arithmetica enim circa puros uersatur numeros, & geometria circa puras dimensiones. Tres uero gradus sunt mixti. Nam Musica numeris addit uoces motusq; ad auditũ præcipue pertinentes. Stereometria uero dimensionibus addit pondera. Astronomia numeris dimensionibusq; cœlestes sphæras motusq; metitur. Vtitur autem Plato naturali peritia in descensu potius quàm ascensu, quemadmodũ in Timæo & Philebo atque Parmenide, & alibi sæpe docet. In descensu enim per diuinas naturalium causas, naturalia uult principalia demonstrari. In ascensu uero per anxiam naturalium curam, tanquàm à diuinis ualde remotam, diuertere ab illis animã putat potius quàm cõuertere. Omnino autẽ & actiones omnes etiã si honestissimæ uideantur, nihili pendit, nisi ad diuini boni imitationem consecutionemq; cõducant: & speculationes similiter omnes uel negligit, nisi ad diuinum bonum inueniendum conferant, uel etiam detestatur, si quo pacto nos inde diuertant. Proinde totum philosophiæ studium esse uult à sensibilibus conuertere ad intelligibilia, ad ipsumq; bonũ, quod intelligibilium lumen est supremũ, ascendere. Aitq; quemadmodum se habet uisus ad uisibilium summum, id est solem, sic intellectum ad summum intelligibilium lumen, scilicet deũ se habere. Ergo sicut sol generat oculũ, & generando uim uidendi largitur, & genito actum uidendi continue præstat: sic deus & intellectum creat, creandoq; intelligendi uim præbet, & creato continue actum intelligendi. Rursus quemadmodũ circa oculum nihil opus est ab arte fieri, nisi purgare ipsum atq; conuertere: ita circa intellectum duo duntaxat præstat philosophia, purgando scilicet ipsum tum à perturbationibus, tum à falsis opinionibus, atq; conuertendo per rationes exhortationesq; à sensibilibus formis ad intellectuales nobis insitas formas, perq; has ad formas intelligibiles, id est ideas. Rursus per ideas ad diuinam mentem, qua comprehenduntur ideæ, ab hac deniq; ad diuinum bonum, idearum principium atq; lumen. Cum ergo dicit animam à lucerna ad lunam, à luna ad solem attolli, significat à formis naturalibus ad mathematicas, ab his ad diuinas deniq; elcuari, non docendo quidẽ, diuina enim ut tradit in epistolis, doceri non possunt, sed purgando potius atq; conuertendo. Nam his peractis, sicut sol qui est uisibilium lumẽ, monstrat oculo uisibilia, ita ipsum bonum quod intelligibilium lumen est, intelligenda intellectui patefacit. Sed de his in Theologia nostra latissime. Itaq; nemo mirari debet Platonem, doctrinali scribendi ordine uti rarius, purgatorio uero atq; exhortatorio

tatorio,id est conuersorio semper. Post hæc nota ex eorum numero quæ sentiuntur, illa potissimum intelligentiã excitare, quæ haud plane per sensum à suis oppositis discernuntur, ideoq; intelligentia indigent discernente. Item numeros non esse corporeos. Siquidem nihil aliud numerus est quàm unitas repetita. Vnitas autem nõ est corpus: non enim in partes diuiditur: quæ si fingatur diuidi, non secatur, sed potius multiplicatur: multiplicatur inquam in seipsam, non in partes ullas: pars enim quælibet toto solet esse minor. Nulla uero unitas uel maior uel minor est unitate. Atqui hæc ipsa unitas numerusq; ad incorpoream nos essentiam erigunt: similiter quoque figuræ quarum ratio uera in mente reperitur potius quàm in corpore. Similiter astronomia ex ordine cœli motoris rationẽ inda gare uidetur. Eum Plato astronomũ negat superna suspicere, qui ab ipso cœlo non prospexerit super cœlũ, præser tim quia cœlestia cum integrum non impleant ordinem, nimirum à superiore quodam & integro ordine pendẽt. Deridet & musicum nisi à consonantia uocis ad intellectualem se recipiat consonantiæ rationem. Deniq; dialecti cam, id est metaphysicam siue theologiam omnibus facultatibus anteponit, & ducẽtem omnes, & ad suũ officium utentem ministerio singularum. Officium uero eius esse, per totam ipsius quod dicitur ens, progredi latitudinem, atq; ad ipsum bonum totius entis causam se conferre, & in ipso entium ordine quid unumquodq; sit definire, ratio nem cuiusq; essentiæ assignando, quid'ue quamlibet sequatur essentiam demonstrare. Cæteras autẽ facultates præ huius nobilitate iudicat esse seruiles. Aut enim ad opiniones hominum declinant, uel ad generationes compositio= nesq; inferiorum, uel ad cultum eorum quæ gignuntur: aut saltẽ & si ad incorporea sese pro uiribus erigunt, ni= hilominus circa illa quodammodo somniãt. Quales esse inquit mathematicas disciplinas. Mox uero duo subiungit genera, essentiam scilicet, atq; generationem. Ad illam quidem intelligentiam, ad hanc autẽ opinionem existimat pertinere. Rursus in intelligentia scientiã quidem dicit essentiam consequi ad dialecticũ pertinentem, cognitionẽ uero sequi essentiã, & ad mathematicũ attinere. In opinione similiter fidẽ imaginationemq; connumerat: & per illam quidem corpora percipi, per hanc uero imagines corporũ atq; umbras. Deinde concludit cæteras facultates absq; dialectica esse cæcas. Atq; eas simul & dialecticam insuper uanas esse, nisi ipsam boni ideam perspicue nouerint, perq; ipsam in singulis sciant à falsis uera bona discernere. Eum uero qui boni ignorauerit rationẽ, & insom nijs hic illusum turbari, & ad inferos descendentem illudi magis atq; uexari. Subdit eum hominem esse claudũ qui ad alterutrũ siue ad agendum siue ad speculandum ineptus sit atq; imperitus. Quapropter ad gubernandũ eligit illos, qui ad utrunq; & apti natura sint, & disciplina sufficienter instructi. Interea nota mendacẽ quasi mancũ & mutilatum à rep. excludendum. Mendacem uero nominat, & qui dedita opera mentitur alijs, & qui per ignorã tiã mentitur ipse sibi. Memento & labores animi grauiores esse q̃ corporis, ideoq; in iuuentute discendũ, libera lesq; disciplinas procul à seruitute docendas. Neq; tamen dialecticam adolescentibus esse tradendam. Quod Phile bus quoq; nos docet. Nã ut Phædrus quoq; distinguit, duo nobis omniũ insunt duces, innata uidelicet cupiditas uo luptatum, & acquisita quædam per educationem opinio, dictans honesta et iusta nobis à legibus definita in omni bus esse seruanda. Duo uero hi duces sæpissime in contraria distrahunt. Quoniam uero differendi facultas si trada tur adolescentibus, opinionem honesti debilitat, unde euadunt intẽperantes, immo & superbi & impij, ut in Phile bo quoq; & Legibus legitur, idcirco ante trigesimum ætatis annum in mathematicis eruditendi sunt, atq; in publi cis negotijs per interualla pariter exercendi. Cũ uero ad trigesimum peruenerint, ad dialecticã admittendi, ita tamen ut rursus per interualla reuocentur ad publicas actiones. Tu uero differendi industriam à forma quidẽ sua Dialecticam nomina, ab exordio Logicam, à fine metaphysicam atq; Theologiã. Scito & ad eiusmodi dialecticæ finem quasi diuinum homines in quinquagesimo ætatis anno uocari, propterea quòd ad diuinorum intuitũ purga ta mente opus est atq; serena. Interea hic animaduerte quod & hic & in Theologia sæpius usurpamus, à Platone notari tria quædam, radium scilicet, lumenq; & lucem. Radium quidem esse singulis mentibus sicut & oculis pro prium & naturaliter insitum. Lumen uero cunctis oculis esse commune. Lucẽ deniq; diuinam præesse lumini men tium omnium communi, quemadmodum lux in sole præest lumini oculorum æque communi. Concludit ciuem post quam boni ipsius lucem & per radium inde sibi naturaliter insitum & per lumen eiusdẽ rursus infusum fuerit cõ templatus, oportere ciuitatem ad boni ipsius exemplar pro uiribus gubernare.

DIALOGVS SEPTIMVS

DE IVSTO

POST HAEC Naturam, inquam, nostram quod ad eruditionem & rudita tem attinet tali quadam imagine contemplare. Finge animo subterraneũ specus instar domicilium, cuius ingressus longissimus uersus lumen in an trum totum pateat. In eo homines nutritos à pueritia ceruicem & crura ita deuinctos, ut & immobiles permanere cogantur, & ad anteriora solum prospicere, capita uero uinculis astricta circumagere nequeant. Post tergum autem su- perne ac procul ignis fax suspensa sit, interq; ignem & uinctos homines uia superior Specus Pla tonis

paulo,ſecus quàm paries ſit conſtructus exiguus, ſicut plerunq; præſtigiatoribus ſepta quædam ſuper quibus ſua miranda demonſtrant, coram ſpectantibus opponuntur.

Eſto inquit. Cogita rurſus homines intra parietem ferentes uaſa uaria, ſupra parietem eminentia,ſtatuasq; hominum & aliorum animalium lapideas & ligneas imagines, modisq; uarijs fabricatas. Atq;,ut conſentaneum eſt, qui hæc circumferunt, partim ſilent,partim loquant. Quàm portentoſa hæc figmẽta ſunt. At ſimiles iſti nobis ſunt. Nam primum quidem putas iſtos aliud quicquam uel ſuijpſorum uel proximorum hominum uidere præter umbras quæ ab igne in aduerſam ſpeluncæ partẽ cadunt? Nihil aliud,quando nunquam in uita mouere capita potuerunt. Quid autẽ eorũ quę circunferuntur, nónne umbras duntaxat? Nempe. Si ergo inuicem loqui liceret, nónne umbras rerũ nominibus appellandas eſſe putare eos credamus? Neceſſe eſt. Quod ſi echo ex aduerſa parte carceris reſonaret, quoties prætereuntium aliquis loqueretur, putas ne ipſos alium quẽquam q; tranſientiũ umbras loqui exiſtimaturos? Non per Iouem. Omnino igitur iſti nihil uerum eſſe niſi fabricatarum rerũ umbras arbitrarent.

Ita prorſus neceſſe eſt. Contrà uero nunc animaduerte qualis foret eorum à uinculis ſolutio, ignorantiæq; curatio. Nempe ſi quis eorum ſolueretur,cogereturq; repẽte ſurgere,collum uertere,ambulare,lumẽ ipſum aſpicere,doleret protinus,nec propter ſplendorem intueri poſſet illa,quorũ umbras ante cernebat. Huic ſi quis nugas hactenus ſpectauiſſe dicat,nunc autem rebus ueris eſſe propinquiorem ueriuſq; inſpicere, ac prætereuntium quemq; monſtrans,quid ſit quæſierit, nónne uacillaturum putas, arbitraturumq; ueriora eſſe quæ ante cernebat, q; quæ nunc oſtenduntur? Multum. Et ſi coegerit eum lumen aſpicere, nónne dolore oculorum affectum iri putas? oculosq; ad ea quæ facile prius uiderat,retorquere,certiora ea exiſtimantem q; quæ ſubito tum offerebantur? Ita nimirum. Si uero quis eundẽ per aſpera atq; ardua ſurſum traheret uiolẽter,neq; permitteret quicq; aſpicere antequã ad ſolis lumen extraxiſſet, nónne dolere ipſum & ægreferre dum raptaretur,exiſtimas? & cũ ad lumẽ euectus fuerit,oculos ſplendore ſuffuſum hærere, nihilq; ex his poſſe cõſpicere quæ uera nunc ab hominibus exiſtimantur? Nihil certe ſubito. Cõſuetudine igit primũ opus, ſi ſupera inſpecturus ſit. Vmbrasq; primum facilius intuebitur,poſt hæc in aquis hominum cęterorũq; imagines. Ipſa uero deinde quæ in cœlo ſunt,& ipſum cœlum nocte facilius contemplabitur,dum aſtrorum & lunæ lumen ſpectabit, q; ſi ſolem ipſum die ſolisq; fulgorẽ intueatur. Procul dubio. Atq; ita demũ ſolẽ ipſum ſuſpiciet, neq; iam in aquis & aliena in regione ſimulacra ipſius ſpectabit,ſed ipſum ſecundũ ſeipſum in ſede propria ſpeculabitur & qualis ſit cognoſcere poterit. Neceſſe eſt. Animaduertet tandẽ ipſum eſſe, qui tempora & annos temperat,qui omnia regit quæ ſub cœlo ſunt, qui omniũ quæ ante ab ipſis uiſa ſunt,modo quodam eſt autor. Certũ eſt huc illũ hiſce gradibus aſcenſurũ. Quid ſi habitationem priſtinã memoria repetat,& illorũ hominũ ſapientiã atq; uincula? an nõ censes eum beatum ſe loci mutatione exiſtimaturũ, illos autẽ miſeraturũ? Et maxime quidem. Præterea ſi qui honores ibi inuicem exhibebantur & laudes, dabanturq; præmia illi qui tranſeuntia quælibet acute cerneret, recordareturq; maxime quæ ex illis priora, quæ poſteriora,quæ pariter progredi ſoleant, atq; ex his futura optime præſagiret, hæc ne deſideraturũ putas? beatosq; illos qui apud eos honorantur & dominantur exiſtimaturum? uel quod ait Homerus malle,in alieno ſcilicet rure ſerui alicuius exortis mancipiũ effici, & quidlibet perpeti potius q; opinionibus iſtis illudi,& in ea miſeria uerſari.

Arbitror eum quæcunq; alia potius quàm uitam eiuſmodi electurũ. Hic ſi rurſus deſcendat,& ſedẽ quã antea nanciſcatur,nónne cum repẽte à ſole diſceſſerit,tenebris offundetur? Vehementer. At ſi umbras illas diſcernere oporteat, deq; ipſis diſceptare cũ illis qui perpetuis uinculis preſſi ſunt,proferendaq; ſententia ſit eo ipſo in tempore, quo oculi ipſius hallucinantur,anteq; acies expurgetur,quod quidẽ nõ breui fiet, an non riſum concitabit? eiq; ab omnibus dedecori dabitur,quòd poſtq; ſurſum aſcẽdit,corruptis reuerſus eſt oculis? diceturq; nunq; ad ſupera cõtendendũ eſſe, & eũ qui ſoluere tentet & ſurſum ducere ſi deprehendatur,protinus occidendũ? Tota hæc imago ô amice Glauco referenda eſt ad illa quæ ſuprà dicta ſunt. Carcer quidẽ is ad eam quæ cernitur oculis, mũdi machinã: fax uero ignis in ſpecu,ad ſolis potentiã: poſtremo ſi aſcenſum ad ſupera,

Declaratio ſimilitudinis ſpecus

eorumq;

eorumq; conſpectũ, rite ad eum qui ad intelligibilem regionẽ tendit, aſcenſum retuleris, ut ego quidem ſpero non aberrabis, poſtquã ſententiã meã audire deſideras. Deus autẽ nouit an uera ſit. Quæ igitur mihi apparẽt, huc tendunt. Nempe arbitror in ordine ipſo intelligibili, boni ipſius ideam ſupernã exiſtere, uixq; uideri: ſi autẽ uiſa fuerit, aſſerendũ eam omnibus omnium rectorũ atq; bonorum cauſam eſſe, cum ipſa in loco uiſibili lumẽ creauerit, & luminis autorem: in ipſo uero intelligibili regnet ipſa, ueritatemq; & mentem protulerit. Quam noſſe neceſſe ſit omnẽ quicunq; ſana mente quicquã uel priuatim uel publice eſt acturus. Ita & ipſe cogito utcunq; poſſum. Age & hoc conſidera: neq; mireris, quod hi qui huc deſcendũt nolint humana tractare, ſed ipſorũ mentis acies ſemper ad ſupera dirigatur. Probabile quippe id eſt, ſiquidem ſuperiorem imaginẽ ſequitur.

Probabile ſanè. Quid autẽ hoc? Mirandũ putas, ſiquis à diuinis ſpectaculis ad humana hæc mala prolapſus ineptior ſit ad agendũ, rideaturq;, præſertim ſi ante quàm præſentibus tenebris aſſueſcat, dũ adhuc titubat, cogatur uel in iudicijs uel alibi de iuſti umbris, aut ſtatuis illis quarum umbræ hæ ſunt, certare, deq; eorũ qui iuſtitiã ipſam nunquã uiderunt perſuaſione iudicijsq; diſſerere? Nullo modo mirandũ. Verum ſi mentem quis habuerit, recordabitur quòd duobus modis & duabus ex cauſis turbari oculi conſueuerunt: & cũ ex lumine ad umbram deſcendimus, & cum ex tenebris in lucẽ prodimus: eodemq; modo affici animũ arbitrabitur, quotiens turbatum uiderit, & ad aliquid cernendum hebetiorem. Ideoq; haud temere in riſum prorumpet, ſed diligenter inquiret, utrum à lucidiori uita deſcendens, nouis tenebris obruatur: uel ab inſipiẽtia plurima ad fulgidum ſpectaculum ſurgens, ſub coruſco nimiũ ſplendore deficiat. Et huius quidẽ affectum probabit, uitamq; eius beatã fore cenſebit: illius miſerebitur: aut ſi forte ridere uolet, haud tam inepte hunc ridebit, quàm eũ qui à lumine ſuperno deciderit. Conſentaneum. Hæc igitur ſi uera ſunt, ita de his cogitandũ eſt, eruditionẽ non eſſe talem qualem aliqui prædicant. pollicentur enim animo ſcientiæ prorſus experti ſe ſcientiã tradituros, quaſi oculis cæcis uiſum. Profitentur certe. Præſens autẽ ratio nobis innuit, primum uim quę eſt in animo cuiuſcunq;, deinde inſtrumentum, quo rem diſcere quiſq; poteſt, perinde ac ſi oculũ impoſsibile eſſet aliter q; una cũ toto corpore ad clarũ obiectũ ex obſcuro cõuertere: ita tota mente à generatiõe uſq; ad id quod ens dicitur circũagere oportere, ut quod clariſsimũ eſt poſsit ſpeculando tranſcendere. hoc autẽ ipſum bonum eſſe dicimus. Nempe. Ad hoc igitur ipſum eruditio cõpetens, erit facultas quædam animi dirigendi, ut ipſius oculus quã facillime & efficaciſsime cõuertat. quæ huic oculo aciem uiſumq; non dabit, ſed eum potius cũ uiſum quidẽ habeat, neq; tamẽ recte cõuerſus ſit, neq; quò decet aſpiciat, conuertere omni machinatione contendet. Ita uidetur.

Cætera igitur quæ uirtutes animæ nuncupant, in hoc uident uirtutibus corporis ſimiles. Nam cum natura non inſint, paulatim cõſuetudine & exercitatione cõparari uident. Sapientia uero maxime omniũ diuinioris cuiuſdam uirtus exiſtit, quod uim quidẽ ſuam nunquã amittit, ab ipſa uero circũductione utile & cõferens, ac inutile rurſus noxiumq; euadit. At nondũ animaduertiſti, q; acute uidet celeriterq; diſcernit illorũ animula, qui licet mali ſint, tamen ſapientes habentur, ea ad quæ conuerſa eſt, tanquã aciẽ habeat nequaquam hebetem, ſed prauitati ſeruire coacta ſit? Atq; idcirco quo acutius inſpicit, eo plura peragit mala. Omnino quidẽ. Si ab hoc ingenio ſtatim à pueritia amputent quæ ſunt generationis affinia ceu plumbea pondera, quæ comeſtionibus & huiuſmodi uoluptatibus & libidinib. atq; delicijs inhærentia mentis aciem ad inferiora detorquẽt, cõfeſtim expeditus eius intuitus, & ad ea quæ uera ſunt conuerſus, ipſe ſcilicet idẽ & in eiſdem hominibus tam acute illa diſcernet, quàm hæc quibus in præſentia eſt intentus.

qui malus eſt & ſapiẽs habetur, eo plura peragit mala quo acutius cernit

Probabile eſt. Quid iſtud? Nónne probabile ac neceſſariũ ex prædictis, neq; rudes homines & ueritatis ignaros rẽpub. ſufficiẽter adminiſtrare, neq; eos qui ſemper in ſtudijs literarum uerſati ſunt? Propterea quòd illi quidẽ finem ſibi certũ non propoſuerunt in uita, ad quẽ reſpiciẽtes oportet omnia agere quęcunq; agãt & priuatim & publice. Hi autẽ haud ſponte tractabunt ciuilia, exiſtimãtes ſe etiã hac in uita à negotijs humanis ſemotos, in beatorũ inſulis habitare. Vera narras. Noſtrũ igitur qui cõdidimus ciuitatem, erit officiũ, optimas hominũ naturas impellere ad eã quam ſupra diximus maximã diſciplinã, bonumq; cognoſcendũ, adeo ut & ſurſum aſcendant, & poſtq; aſcenderint ac

satis inspexerint,ne ipsis quod nũc concedit̃,permittamus. Quid istud? Vt in eo uidelicet studio permaneant, neque uelint rursus ad homines istos carcere clausos huc descendere,neq; laborum istorum honorũq; seu uiliores seu pretiosiores fuerint participes esse.An ipsis iniuriam inferemus,cogemusq; eos deteriorem uitam subire, cum frui meliore possint? Oblitus es ô amice hoc legi curæ non esse, ut unũ quoddã genus in ciuitate in primis sit beatũ, sed ut tota ciuitas. Profecto ad hoc ciues ipsos persuasione & impulsione conciliat,facitq; ut mutuo sese adiuuent,cõmunemq; pro uiribus utilitatem colant.Nempe lex ciuili cœtu homines cõgregat, non ut permittat unumquemq; quò lubet ferri,sed ut ipsis ad copulam ciuitatis utatur. Vera loqueris.Id me fugerat. Cõsidera itaq; Glauco,quemadmodũ philosophos qui apud nos reperiuntur, iniuria nulla afficiemus.Sed cum cogemus eos aliorum curã gerere,iure in hunc modum dicemus:quòd uidelicet quicunq; in alijs ciuitatibus philosophi reperiuntur, ob hãc causam merito administrandæ Reip.labores refugiunt,quia in qualibet ciuitate ipsi per se nascuntur,Rep. non curante.Par autẽ est ut quod per se nascitur,cum nulli pro alimentis acceptis sit obnoxiũ,nulli exhibeat nutrimenti mercedem. Nos autẽ uos tam uobismet quã reliquis ciuibus tanquã in apũ examine duces ac reges creauimus, melius perfectiusq; q̃ cæteri eruditos, aptioresq; ad utranq; curã suscipiendã. Descendere ergo uicissim debetis singuli in aliorum hominũ cœtum, & ad obscura inspicienda assuefieri.Nam cum assuefacti fueritis,multo acutius illa cernetis q̃ qui in eis quotidie obuersantur, & quælibet simulachra quæ & quorum sint agnoscetis, ut qui reuera noueritis,quæ honesta,iusta,bonaue sint. Atq; ita nobis una ac uobis ciuitas quasi uigilantibus rectèq; sentientibus coletur,non tanquã somniantibus quemadmodum nunc plurimæ habitantur,ab his uidelicet,qui de umbris inter se decertant,deq; principatu tanquã maximo bono contendunt. Veritas autẽ ita se habet. Ciuitas profecto in qua ciues ad expetendos magistratus minime ambitiosi sunt, optime & procul à seditionibus permanet:contrà uero,quæ aliter affectos habet ciues. Sic est prorsus. An renuent monitus nostros alumni,cum hæc audiuerint? nolentq; uicissim singuli ciuitatis administrationẽ suscipere, sed in contemplationis otio diutius commorari? Minime. Nam iusta uiris iustis præcipiemus. Sed omnino tanquã ad rem necessariã ad magistratum accedet eorum quisq;, cõtrà ac illi qui nunc in singulis ciuitatibus dominantur. Nempe sic res se habet ô amice. Si uitã inueneris eorum qui magistratibus præfuturi sunt,ipsis magistratibus meliorem, tunc primũ tibi optime instituta ciuitas elucebit.In ea siquidem sola uere diuites dominabuntur. nõ auri dico,sed cuius oportet uirum beatum, diuitem esse, uitæ probæ atq; prudentis. Sin autem inopes, bonisq; proprijs uacui ad publica aduentauerint, bona illinc rapere cupientes,ciuitas illa felix esse non poterit. Nam ubi de principatu contenditur, cum proprium hoc sit & intestinum bellum, tum eos qui ita pugnant, tum reliquã ciuitatem perdit. Vera narras. Habes aliquos qui ciuiles honores spernant, præter ueros philosophos? Non per Iouem. At enim magistratus dandi sunt hominibus imperij minime cupidis.alioquin simultas inter æmulos orietur. Certe. Quosnã igitur alios ad custodiam ciuitatis induces,præter eos qui optime hæc intelligunt, per quæ rite ciuitas colitur,habentq; & honores alios,& uitam ciuili præstantiorẽ? Nullos equidem alios.

Vis ergo nunc inquiramus, quo pacto tales in ciuitate uiri euadant? & qua ratione eos aliquis in lumen educat? quemadmodum ab inferis ad deos ascendisse aliqui memorantur. Quid ni uelim? Hæc,ut uidetur,non erit testæ reuolutio, sed animæ circũductio à nocturno quodam die ad eius quod uere est cõtemplationẽ. Quẽ quidẽ ascensum uerã philosophiã esse dicemus. Omnino. An nõ inuestigandum est quæ disciplina potissimum hãc habeat facultatem? Quid ni? Quænã igitur erit ô Glauco disciplina, per quam animus ex his quæ fluunt,ad ea quæ uere sunt, reducatur? Nunc interim dum loquor cogito. Nónne enim eos esse belli athletas diximus: sed necessarium dũ iuuenes sunt,tales esse. Diximus plane. Oportet ergo hanc præterea superiori addere disciplinam quam quærimus. Quã potissimũ? Quæ scilicet non inutilis sit bellicosis hominibus. Oportet sane,siquidẽ est possibile. Gymnastica porrò & musica in superioribus à nobis sunt eruditi. Ita prorsus est actũ. Gymnastica quidem circa id quod augescit & deficit,uersari uidetur. Nam incrementum corporis & decrementum consi-

derat

derat. Apparet. Hæc ergo non erit ea quam quærimus disciplina. Non. An fortè genus illud musicæ, quod supra narrauimus? At erat illa quidem, si tenes memoria, proportione quadam gymnasticæ correspondens, cõsuetudine moribusq; custodes erudiens, prębensq; secundũ harmoniã, cõpositionem & concinnitatẽ quandã potius quàm scientiam, & secundum rhythmum modulationẽ numerosamq; decentiã. Quinetiã in oratione alia quædã generis eiusdẽ continet, tam quo ad fabulosos sermones, quàm quo ad ueros. Cognitio uero talis cuiusdam boni quale tu nunc inuestigas, in ea nulla prorsus existit. Diligenter admodum me cõmonuisti. Nã reuera tale nihil habere cõperta est. Cæterum ô beate Glauco, quænam talis erit facultas? Etenim artes mechanicæ illiberalesq; omnes esse quodãmodo uisæ sunt. Quid ni? At uero, quænã alia præterea restat doctrina à Musica, & gymnastica, artibusq; diuersa? Age itaq; si nihil ab his seorsum accipere possumus, aliquid saltem ex ijs quæ per omnia discurrũt, accipiamus. Quidnã?

Cõmune scilicet illud quo omnes utuntur artes, cogitationes, atq; scientiæ, quod cuiq; in primis necessario est discendũ. Quale istud? Leue hoc & puerile, cognoscere scilicet unum, duo, tria. quod summatim numerum & cõputationẽ uoco. An non ita natura comparatum est, ut omnis ars atq; scientia cogatur horũ particeps fieri. Et maxime quidem Nonne res bellica etiam? Necessarium est omnino. Ridiculum ducem Palamedes Agamemnonem fuisse passim in tragœdijs ostendit. An ignoras quòd se profitetur numeri inuentorem, asseritq; apud Troiam belli acies ordinasse, nauesq; & reliqua omnia numerasse, quasi horũ numerus ante fuisset incognitus, & Agamemnõ, ut uidet, necq; quot pedes haberet, agnouerit? siquidem erat cõputationis ignarus. Qualẽ itaq; tũc fuisse ducem existimas? Absurdum equidẽ, si uera hæc erant. Necessariã ergo numerorum cognitionem militi esse dicemus, ut & numerare & cõputare ualeat. Maximè omnium, si modo ad ordinandas acies omnino rudis esse non debet. Imò uero si homo futurus est. An tibi in hac disciplina quod mihi uenit in mentem? Quid? Videri natura ex eorum numero esse, quæ ad intelligentiã homines eleuant, qualia nos perquirimus. Cumq; talis sit ut omnino mentem ad essentiam attollere possit, nemo ut decet hac uti cognitione uidetur. Qua ratione id ais? Conabor equidem sententiam tibi meã explicare. Animaduerte obsecro quemadmodum mecum ipse generatim rerũ ita distinguo, ut quædam ad intelligentiam ducant, qualia nos dicimus, quædam minime: & quæ dicã confirma, uel nega, ut clarius dignoscamus, an hoc tale sit, quale uaticinor. Ostende iam. Ecce ostendo: si modo res quæ sensus mouent, uides partim tales esse ut ad considerandum intelligentiam minime prouocẽt, utpote quæ sufficienter sunt à sensibus iudicatæ: partim tales ut prouocent, quasi sensus in eis nihil syncere dijudicet. Quæ procul admodum prospiciuntur dicis, & quæ quodammodo adumbrata sunt. Haud satis quænam dixerim coniecisti. Quænam igitur? Ea porrò inquam mentẽ minime prouocant, quæcunq; in contrarium simul sensum non incidunt. Quæ uero incidunt in contrarium, prouocant, postquã sensus nõ hoc magis q̃ contrariũ monstrat, siue eminus seu cõminus intueatur. Sic autẽ quod dico, magis tibi patebit. hos utiq; tres esse digitos dicimus, pollicem, indicem, ac medium. Planè. Ita me loqui existimato, quasi proxime uideantur. Atq; id in ipsis considera. Quid? Digitus quidem esse similiter quisq; eorũ apparet, atq; ad hoc nihil interest, siue medius offeratur, siue postremus, albus seu niger, pinguis aut tenuis, & quicquid generis eiusdem. In omnibus siquidem huiuscemodi nõ cogitur animus intelligentiã ad disceptandum prouocare, quid è multis sit digitis. Necq; enim sensus ei simul significauit digitũ contrariũ esse quàm digitũ. Non certe. Merito igitur quod tale est, mentem nec mouebit, nec excitabit. Merito. Ipsorum uero magnitudinẽ & paruitatẽ nunquid aspectus satis cernit? nihilq; ad eum refert, siue in medio quædam illorum iaceant, siue in extremis? Eodemq; modo pingue, tenue, uel mollitiem & duritiem tactus ipse? Atqui & alij sensus nunquid non imperfecte talia quædam declarant? Vel sic agit eorũ quisq;? Nam primũ quidẽ sensus qui ad durũ attinet, cogitur & ad molle pertingere, animoq; ita renunciat, quasi idem & molle & durũ esse senserit.

Ita certe. An non necessarium est in rebus huiusmodi animum dubitare, quid significet durí hic sensus, si quidem idem molle insuper asserit? Item sensus ipsius grauis & leuis, quid graue & leue, si leue graue esse, & graue leue significat? Absurde profecto hæ ad animum

Arithmetica & computatoria sunt necessariæ militi

Repetit altius rem

ad animum interpretationes deueniũt, & conſideratione indigent. Merito igitur in his rebus primo quidem animus nititur rationẽ & intelligentiã prouocans conſiderare, nunquid unum, aut duo ſint ſingula quæ nunciantur. Cur non? Nónne ſi duo apparent, alterum & unũ apparet utrunq;? Ita. Si ergo unũ utrunq;, ambo autẽ duo, ſeparata duo intelliget animus. Nam ſi indiſtincta perceperit, non duo, ſed unum intelliget. Recte.

Magnum quidẽ & paruum, aſpectũ uidere dicimus, nõ diſcretũ aliquid, ſed cõfuſum. an non? Planè. Propter huius autẽ declarationẽ, magnum rurſus & paruũ intelligentia cogitur intueri, nõ cõfuſa, ſed diſtincta potius contra ac ſenſus. Vera loqueris. Hinc ad ſciſcitandũ protinus incitamur, quid magnũ ſit, quid paruũ. Maxime uero. Atq; ita aliud quidem intelligibile, uiſibile aliud nuncupauimus. Scite admodum. Hæc ſunt quæ nuper diſſerere aggreſſus ſum, quòd uidelicet quædam animum ad intelligentiam erigunt, quædam minime, quod ue ea erigunt, quæ in ſenſus unà cum ſuis contrarijs incidunt: quæ uero non ita, mentem non ſuſcitant. Intelligo iam, atq; ita mihi uidetur. Quid uero numerus & unũ? Vtro in genere tibi eſſe uidentur? Haud intelligo.

Commodã philoſopho Arithmeticam primo omnium

At ex ſuprà dictis animaduerte. ſi enim ſufficienter ipſum ſecundum ſeipſum inſpicitur, aut alio quopiam ſenſu unum cõprehenditur, haud quaquã ad eſſentiam mentem deducit, quemadmodum de digito diximus. ſinautem aliquid ſemper contrarium illi ſimul ſuboritur, adeo ut nihil magis unum quàm contrarium uideatur, iudicis diſcretione iam indiget, cogiturq; in ea animus dubitare atq; perquirere, & mouens in ſeipſo intelligentiam, ſciſcitari quidnam unum ipſum eſt. Atq; hoc pacto unius cõſideratio ex eorũ numero erit, quæ attollunt animum, conuertuntq; ad eius quod uere eſt, contemplationem.

At enim tale nonnihil habet unius inſpectio. Simul nanq; ipſum ut unum cernimus, & ut multitudinem infinitã. Si unũ id patitur, idem omnis numerus patietur. Abſq; dubio. Enimuero cõputandi & numerandi ſcientia omnis circa numerũ. Maxime.

Hæc autẽ ad ueritatem conferre uidentur. Mirũ in modũ. Hæc itaq; diſciplina ex earum genere erit quas quærimus, militi quidem cognitu maxime neceſſaria ad acies ordinandas, philoſopho autem ut è fluctibus generationis emergat, eſſentiamq; attingat, ſine qua diſciplina conputare ratiocinariq; non poterunt. Eſt ita. Cuſtos autẽ noſter & miles eſt & philoſophus. Nempe. Conueniens utiq; inſtitutio erit ô Glauco, perſuadere illis qui ciuitatis muneribus functuri ſunt, ut ſe ad computandi ſcientiã conferant, neq; rudes adhuc inde diſcedant, ſed perſequantur quoad ipſa mente ad numerorum naturam contemplandã perueniãt, non uendendi emendiq; gratia, tanquã mercatores uel caupones: ſed ut ad bellum inſtructi ſint, facileq; animũ à generatione ad ueritatẽ eſſentiamq; conuertant. Præclare loqueris. Atqui his ita de ratiocinandi diſciplina dictis, equidẽ mecũ ipſe cogito quàm numerorũ cognitio decora ſit utiliſq; nobis paſſim ad id quod uolumus, ſiquis eam cognoſcendi, non cauponandi gratia ſequitur. Qua ratione? Hoc ipſum inquam, quod modo diximus, quòd uidelicet uehementer ſubleuat animum deq; ipſis numeris diſſerere cogit, nullo modo admittentem ſiquis diſputando pro numeris corpora quæ & uidentur & attrectantur, induxerit. Noſti enim quemadmodum qui in his periti ſunt, quotiens aliquis ipſum unum uerbis diſcerpere nititur, ſubridentes protinus, neq; hoc tolerant: Verum ſi tu ſecas, ipſi multiplicant, cauentes nequando ipſum unum non unum appareat, ſed particulæ plurimæ. Vera loqueris. Siquis eos ita percontetur, ô mirifici uiri, quibus de numeris diſputatis, quibus unũ tale ineſt, quale uos traditis, æquale ſcilicet unum quodq; eſt, & omne penitus omni, neque minimo quouis diſcrepans, partẽ tamẽ nullam continens in ſeipſo? Quid eos ad hæc ô Glauco exiſtimas reſponſuros? Reor equidem reſponſuros illos, de ipſis ſe numeris loqui, qui cogitari duntaxat poſſunt, aliter autẽ attrectari nequaquam. Cernis igitur ô amice, hanc reuera peritiam huius diſciplinæ nobis neceſſariam eſſe? quãdoquidẽ ut apparet animũ ad hoc inducit, ut ipſa intelligentia utatur ad ueritatem ipſam percipiendam. Vehementer id efficit. An & hoc aduertiſti, q; homines natura arithmetici ad omnes doctrinas, ut ita dixerim, acuti uidentur. Quinetiam ſiqui ingenio tardiores huic ſe ſtudio dederint, ſi nullam utilitatẽ aliã ſuſceperint, tamẽ hoc aſſequuntur, ut acutiores quàm antea ſint. Sic eſt.

Homines natura arithmetici ad omnes doctrinas ſunt apti

Sed enim haud facile multa reperies, ut exiſtimo, quæ maiori cum difficultate quã iſta diſcantur. Non profecto. Propter omnes quas adduximus rationes, haudquaquã ne

gligenda

gligenda hæc ſunt, ſed in his præcipue erudiendi qui optimis ſunt ingenijs. Aſſentior equidem. Hoc itaq; nobis ita poſitũ ſit: poſt hoc quod huic proximũ eſt, cõſideremus nunquid nobis conducat. Quid iſtud? num Geometriam dicis? Hanc ipſam. Quatenus enim ad bellicam rem confert, eatenus certe nobis cõuenit. Nam ad caſtra ponẽda, regionem occupandam, colligendas turmas, uel etiã ſpargendas, & ad cætera machinamenta, quibus circa acies, uel in obſidione, uel itinere uti ſolẽt, permultũ intereſt Geometricus ne aliquis ſit, an nõ. Ad hæc utiq; exigua quædam Geometriæ Arithmeticæq; particula ſufficit. Inquirendũ eſt autẽ, utrũ diuturnius ſtudium uberiorq; perceptio conferat ad ideã boni facile dignoſcendam. conferunt uero ad hoc omnia, quæ animũ illuc conuertunt, ubi eſt eſſentiæ beatiſsimũ, quod ipſi eſt penitus cognoſcendũ. Recte.

Geometria an utilis ſit

Ergo ſi eſſentiam intueri Geometriæ ſtudiũ cogit, conuenit quidem: ſinautem generationem, non cõuenit. Ita dicimus. Profecto nobis hoc nõ negabũt quicunq; uel paululum quid Geometriæ guſtarunt, quin hæc ſcientia cõtra omnino ſe habeat quàm de ea loquantur, qui in ipſa uerſantur. Quonam pacto? Quippe ridicule admodum & quaſi coacti ſæpe loquuntur. Nam uelut operatores quidam operiſq; gratia uerba faciunt, dum & quadrare aiunt, & perducere, atq; addere, cæteraq; ſimiliter. Doctrina uero hæc omnis cognitionis gratia quæritur. Sic eſt omnino. An non id quoq; nobis eſt concedendũ? Quid? Quod quæritur cognoſcendi illius gratia quod ſemper eſt, non eius quod & oritur quandoq;, & interit. Concedendum planè: nam Geometria eius quod eſt ſemper, cognitio eſt. Attollet igitur ô generoſe uir ad ueritatem animũ, atq; ita ad philoſophandũ præparabit cogitationem, ut ad ſupera cõuertamus, quæ nũc contrà q; decet, ad inferiora deijcimus. Quàm maxime fieri poteſt. Quàm maxime igitur præcipiendum eſt, ut qui præclariſsimam hanc habitãt ciuitatem, nullo modo Geometriam ſpernant: nam & quæ præter ipſius propoſitum quodammodo eſſe uidentur, haud exigua ſunt. Qualia? Quæ tu circa rem bellicam cõmemorabas. Scimus quinetiam ad diſciplinas omnes facilius perdiſcendas intereſſe omnino, attigerit ne Geometriã aliquis, an non. Prorſus. Hanc ergo doctrinam ſecũdo loco diſcendam iuuenibus. Statuamus. An tertio in loco ponemus Aſtronomiam? Quid cenſes?

Quo pacto conducat Geometria ad philoſophandum

Ponendam equidem: nam mutationes opportunitatesq; temporũ preſentire non minus rei militari quàm agriculturę nauigationiq; conuenit. Quàm dulcis uir es. Nempe uereri uideris, ne multi te putẽt inutiles diſciplinas inducere. Eſt autẽ non leue iſtud ſed difficile admodum perſuadere. quod ex huiuſmodi diſciplinis inſtrumentum quoddam cuiuſq; animi expurgatur reuiuiſcitq;, quod ante ex alijs ſtudijs infectum occæcatumq; fuerat, cum potius id ſeruandũ ſit, quàm oculorũ corporis decem milia. Solo enim hoc inſpicitur ueritas. Eis ergo qui idem hoc ſentiunt, mirum in modum bene loqui uideberis. Qui autem id nunquam excogitarunt, merito nihil te dicere arbitrabuntur. aliam enim ab ipſis utilitatem æſtimatione dignam non cernunt. Hic ergo tu uideris utris cum potiſsimũ differas. An forte cum neutris, uerum tui gratia maxime uerba facis, neq; tamen ulla detineris inuidia, ſiquis aliquam ex his utilitatẽ capiat. Hoc potius eligo, mei ſcilicet gratia in primis interrogando & reſpondendo differere. Age igitur inquam, retrogredere: nam nũc haud recte quod Geometriæ ſuccedit accepimus. Quare? Quia poſt planum, ſtatim ſolidum illud quod circũfertur accepimus antequã ipſum ſecundũ ſeipſum cõprehenderemus. Decet autẽ ſtatim poſt augmentum ſecundum tertium capere: eſt autem hoc circa cuborum augmentũ, atq; id quod profunditatis eſt particeps.

Vide ut tempore Socratis non erat mathematicę pars, quę de corporibus, reperta

Eſt certe. Sed hæc ô Socrates nondum reperta uidentur. Huius duæ ſunt cauſæ, quia uidelicet nulla in ciuitate hæc honorantur: & cũ inuentu difficilia ſint, haud arden ter quæruntur, & qui iſta perquirunt, duce indigent, ſine quo minime reperirent. Quem eſſe primo difficile eſt: deinde etiam ſi ſit, dum tamen ita ſe habent ut nunc qui hæc inda gant, faſtu elati nequaquam parerent. Sinautem ciuitas tota huic operi præſideat, hono rifice deducens, & iſti obtemperabunt quidem, & hæc ſedulo ſtudioſeq; diſcuſſa, clarius emicabunt. Quippe etiã nunc quanquã & uulgus hæc cõtemnit & prohibet, & qui hæc perſcrutantur, qua ratione utilia ſint ignorant, tamen ui gratiæ cuiuſdam ualent. Neque mirum ſi hæc ita apparuerint. Nempe quod gratum eſt, id præcipuum. ſed mihi apertius quæ nunc dicebas explana. Studium quod circa planum uerſatur Geometriam uocabas

bas. Equidem. Post Geometriam continuo Astronomiam ponebas. Sed paulo post retro retulisti pedem. Enimuero quo magis propero, eo peruenio serior. Nam cū mox illi succederet facultas illa quæ de augmēto in profundū agit, quia ridiculosa eius habet inuestigatio, eam transgressus post Geometriam, Astronomiā protinus attigi, quę in profundi ipsius agitatione cōsistit. Probe loqueris. Ergo quarto in loco ponamus Astronomiā, tanquam adsit ea facultas quæ nunc fuerat prætermissa, si modo in ciuitate suscipiatur. Sic decet. Atq; eam Astronomiæ laudationē ô Socrates, in qua tu me interpellasti quasi importunius ipsam extollerem, ex tuo progressu nunc prosequor. Nam cuiq; patere existimo hanc animi oculos ad superiora dirigere, & hinc illuc ipsum perducere.

Fortè hoc omnibus præterquam mihi perspicuū. Quoniā mihi quidē nō ita uidetur. At quonā modo? Porrò ut nunc eam tractant, qui philosophiæ ipsam iungunt, ad inferiora deiicere animi oculos mihi uidetur. Qua ratione id ais? Nō ingenerose mihi uideris tecum ipse supernorū intelligentiā definire. Cōstat enim quod si quis laquearia uariis coloribus depicta suspiciens quicquā perceperit, eū non oculis intueri sed intelligere arbitraberis. Ac fortè recte sentis, ego autem inepte. Reor equidē nullam aliā disciplinā ad supernā inspectionem animū excitare, nisi eā quæ circa essentiā & id quod uideri nō potest uersatur. Quod si quis sursum inhians nunq; cōuersus deorsum, sensibile aliquid percipere studet, discere ipsum nequaquā assero. Scientiā enim adipisci hūc nego, & eius animum non sursum sed deorsum aspicere censeo, etiā si resupinus in terræ littore uel maris æquore iacens, quicquā perceperit. Haud iniuria me corripuisti. Verum quæ ratio discendæ Astronomiæ præter eam quā isti sequuntur, si eius nobis cognitio sit ad ea quę dicimus profutura? Hæc utiq;. Existimandū est has quæ in cœlo sunt uarietates, positquā in loco uisibili sunt, si ad cæteras eiusmodi cōparentur, optime integerrimeq; dispositas: sinautē ad ueras, longe deficere. Veras inquam uarietates & motiones, quibus ipsa quæ uere est uelocitas, & ipsa quæ uere est tarditas in uero numero, ueriscq; figuris omnibus & inuicem feruntur, & quæ insunt ferūt. Quæ quidē omnia ratione & cogitatione cōprehendi possunt. usu uero nequaquā. Quid censes? Idē prorsus. Nonne igit̄ cœlestium uarietate utendū est uelut exemplo quodā ad supernarū rerū contemplationē? perinde ac si quis uideat figuras à Dædalo uel alio artifice uel pictore egregie compositas & elaboratas. Nempe si esset is qui eas uidet Geometriæ peritus artificium ipsum laudaret, ridiculum tamen esse censeret si quis attentius talia considerare tanquā in ipsis ueritatem æqualium, uel duplorū, uel alicuius proportionis alterius reperturus. Cur non absurdum id uideatur. Idem quoq; facturū putare debemus uerū Astronomū quādo motus syderū intuebitur: arbitraturū scilicet quoad in operibus huiusmodi possibile est, quàm pulcherrime ab ipso cœli conditore & cœlum ipsum & quæ in eo sunt, fabricata: absurdum tamen existimaturum si quis noctis ad diem comparationē, horumq; ad mensem, mensisq; ad annum, & aliorum astrorū inuicem & ad ista, semper similiter fieri censeat, neq; unquā quoquo modo mutare tenorem cum & corpus habeant & uideantur, quæratq; in his omni studio ueritatem. Mihi certe in præsentia te audienti idem uidetur.

Itaq; propositionibus utemur ut in Geometria, ita & in ipsa Astronomia: & quæ in cœlo sunt, dimittemus, si modo ita percepturi sumus Astronomiam, ut quod in nobis sapientiæ cōpos natura existit, utile ex inutili efficiatur. Quanto amplius laborū imponis astronomo, quàm hodie imponit̄ uulgo. Arbitror aūt & alias nos præcipere eodē modo debere, siqua ex nobis tanquam legum conditoribus sit utilitas prouentura. At quam nunc ex cōuenientibus disciplinis cōmemorabis? Nullā ad prę̄sens habeo, quā cōmemorem, inquit, Attamen non unam tantū, inquā ego, sed plures species motus nobis præbet. Omnes quidem depromere, qui sapiens est, poterit. Quæ uero mihi occur-
Musica runt, duæ sunt. Quales? Vna quidē Astronomiæ consimilis & æquipollens. Qualis inquam? Quemadmodū ad Astronomiam oculi, sic ad harmonicum motum uidentur aures fabricatæ. Vnde & has inuicem esse germanas scientias, & Pythagorei putant, & nos ô Glauco assentimur. Vel quid nam agemus inquam ego. Ita prorsus, inquit.

Nónne quia grande hoc opus est, eos percontabimur, quo pacto de ipsis loquūtur, & nūquid aliud præter ista, nos aūt ad hæc omnia nostrū illud seruabimus? Quid? Ne quando dent operā ut nostros alumnos quicquā ex his minus perfectum doceant, quod

non illuc

non illuc tendat ſemper quò proficiſci omnia debent, quemadmodũ pauloante de Aſtronomía narrauímus. An ignoras quòd circa harmoniã tale aliquid agunt? Nam dum concentus & tonos qui percipiuntur auríbus, metiuntur & comparant, irrito labore quemadmodum Aſtronomi tempus conterunt. Per deos ridícule admodum iſti crebrius uoces frequentãt ingeminantq́, & aures propius admouent, uelut è uiciníore loco uocem ipſam rectius uenaturi. Atq; eorum alij dícunt in medio adhuc ſonitum aliquem ſe audire, minimumq́ eſſe interuallum hoc, quo metíri quis debeat: alij uero ambigunt, quaſi ſonus iam ſimilis audiatur. & utriq; aures menti præponunt. Tu uero, inquam ego, utiles' ne eos muſicos uocas, qui chordas iugiter uexant examinãtq́, & clauiculis tum intendendo, tum remittendo pulſationes contorquent? Sed ne longius ſimilitudo in pulſatione quæ plectro fit, & illa iactantia peruicaciaq́ chordarum accuſanda prouehatur, imagini huic finem imponam: aioq́ non hos, ſed illos potius, ut de harmonia dicant, rogandos. Nam idem faciunt quod & illi qui in Aſtronomia uerſant. Nempe numeros eos ſectantur qui in concentibus ad aures pertinentibus inſunt. Sed ad inueſtigandũ inde non tranſeunt, qui conſonantes numeri ſint, qui non, & quam ob cauſam utriq; ſint tales. Rem egregiam narras. Adde & utilem ad boni ipſius pulchriq́ indaginem, quæ ſi aliter quæratur, fit prorſus inutilis. Probabile iſtud quidem. Arbitror autem ſupradictorũ omnium tractationem, ſi mutuam ipſorum cõmunionem cognitionemq́ attigerit, inueſtigaueritq́ quà ſecum iſta inuicem ratione cohærent, ad ea quæ expetimus conducturam, neq; fruſtra in his homines, ſed utiliter admodum uerſaturos: inutiliter autem, ſi aliter actum fuerit. Atqui & ego ita uaticínor, ſed magnũ eſt quod iubes, ô Socrates. Quid? initium, inquis, an aliud quiddam? An ignoramus hæc omnia ipſius legis, quam diſcere decet, initium eſſe: nondum enim dialectici de his rebus diſſerere tibi poſſe uidentur.

Non per louem, niſi perpauci quidam omniũ quos unquam cognouerim. At enim niſi quis, inquam, & accipere poſsit & reddere rationem, nunquã ſciet quicquam eorum quæ eſſe dicimus cognoſcenda. Nunquam prorſus. Nónne hæc iam lex eſt, ô Glauco, inquam, quæ per diſſerendi artem oſtenditur: quam rurſus intelligibilis cum ſit, ea uis imitatur aſpectus, quam ſuprà diximus, ad ipſa iam animalia ſeſe conuertere, & ad ſtellas, & ad ipſum deniq; ſolem? Haud ſecus cum quis ad diſſerendum ſe cõfert abſq; ſenſibus, ratione duntaxat ad ipſum quod eſt, quodlibet nititur: qui ſi non deſtiterit prius, quàm ipſum quod eſt bonum, intelligentia ipſa perceperit, tunc demum ad finem intelligibilis ipſius ita peruenit, ut ille alter ad uiſibilis finem aſcendit. Omnino ſic accidit. Nónne dialecticam hanc progreſsionem uocas? Quid prohibet? Atqui quemadmodũ ſolutio illa à uinculis, conuerſioq́ ab umbris ad ſimulacra ac lumen, & ex antro ad ſolis lumen exitus, ibiq́ animaliũ & plantarum inſpectio, ſoliſq́ & ſiderum in aqua propter imbecillitatem oculorũ intuitus, ipſum quod in corporibus eſt clariſsimũ ad id conuertunt, quod eſt in corporali & uiſibili regione omnium fulgentiſſimũ: ita omniũ ſupradictarũ artium ſtudium deducit animum per umbras non ſimulacrorũ, ſed eorum potius quæ uere ſunt: dijudicareq́ eas facit, ad aliud quoddam lumen tanquam ad ſolem, habetq́ uim quandã extollendi id quod eſt in animo præſtantiſsimũ, ad contemplationem eius quod in ordine rerum eſt optimum. Equidem ſic accipio: quanquã mihi talia hæc eſſe uidentur, ut neq; facile admitti poſsint, neq; facile reijci. Veruntamen cum non in præſentia ſolum audienda, ſed deinceps ſæpius repetenda ſint, his ita poſitis, ut nunc traditum eſt, ad ipſam iam legem deueniamus, atq; ita eam percurramus, ut proœmium iam trãſegimus. Quare dic amabo, quis potentiæ diſſerendi modus, & quas in ſpecies diſtribuitur, & quæ uiæ ſint. hæ namq; ſunt, ut uidetur, quæ illuc perducunt. quò quiſquis peruenerit, illic demum tanquam in itineris termino requieſcet. Nondum ô amice Glauco, aſſequi poteris. Profecto quãtum in me eſt, nihil tibi deerit ſtudij, quo uoti compos efficiaris. Neque imaginem amplius eius quo de agimus, ſed rem ipſam uerã qualis mihi uidetur, aſpicies. Vtrum autem reuera talis ſit, nec'ne, haudquaq́ affirmare decet. Sed illud duntaxat aſſeuerandum, quod tale aliquid eſt cognoſcendũ. nónne? Nihil prohibet. Quinetiam & iſtud, q́ ſola diſſerendi facultas homini in his quæ diximus, erudito id oſtendet. Aliter uero cognoſci penitus impoſsibile. Hoc quoq; aſſeuerandũ. Nemo autem aduerſabitur nobis dicentibus, q́ diſſerendi facultas duntaxat conaĩ ordine certo circa unũquodq;

Dialecticã eſſe neceſſariã philoſopho

De ratione diſſerendi

quid ipsum sit inuenire. Siquidē cæteræ artes, aut opiniones hominū cupiditatesq; respiciunt, uel ad generationes & compositiones, uel ad culturam eorum quæ generantur & componūtur. Reliquæ uero, quas diximus uerarum rerum quoquo modo participes esse, Geometria scilicet, eiusq; comites, circa ipsam essentiam quodāmodo somniāt, syncere autem quicquam ab illis cerni impossibile est tantisper dum suppositionibus hærent, easq; ratas & immobiles adeò seruant, ut illarum rationem reddere nequeant. Nam ubi principium quidem ponitur id quod est ignotum, finis autem & media ex ignoto tracta, inuicem connectuntur: collectam inde assertionem quonam pacto scientiam uocemus?

Cuius artis sit diffinire

Nullo. Dialectica uero sola sublatis suppositionibus omnibus, ad ipsum principium ut compertum habeat, pergit, ac reuera animi oculum cœno barbarico obrutum, paulatim sursum trahit, ac ducit, tanquā adiutricibus ac ministris quibusdam utens his artibus quas narrauimus. Eas porrò nos sæpe scientias propter cōsuetudinem nominauimus. Indigent autem alio nomine clariore quidem quàm sit opinio, obscuriore uero quàm scientia. Cogitationē certe nos in superioribus earum notionem cognominauimus. Neq; tamen est de nomine cōtrouersia inter eos quibus de rebus tātis, quantis nobis ad præsens est discrepatio. Non certe. nam solam exigunt ad rerum habitū interni conceptus expressionem. Placet igitur quemadmodū suprà, primam partem uocare scientiā, secundam cogitationem, tertiam fidem, postremam imaginationem uel assimulationē. Et ambo illa simul intelligentiam, hæc autem ambo simul opinionē: & opinionem quidem circa generationem, intelligentiam uero circa essentiam esse. Quod autem est ad generationem essentia, id ad opinionem intelligentia. Quod ue intelligētia est ad opinionem, id & ad fidem scientia, & ad imaginem denicq; cogitatio. Comparationem uero illorum in quibus ista uersantur, diuisionēq; utriusq; geminam, opinabilis scilicet intelligibilisq; ô Glauco, omittamus, ne prolixior de his oratio cū de superioribus habeatur. Equidem quantum mea mens potest, reliqua consequi libet. An non dialecticum uocas eum qui rationem cuiuslibet capit essentiæ? Illum uero qui hanc rationem non habet, quatenus nec sibi, nec alteri potest reddere rationem, eatenus intelligētiam circa hoc habere negabis?

Certe non aliter est dicendum. De bono etiam similiter iudicandum. Nam quicunque boni Ideam ratione definire non potest, à cæteris omnibus eam distinguens, & tanquam in prælio per omnia penetrando, cætera cuncta reiicere, non secundū opinionem, sed secundum substantiā arguens & refellens, perq; hæc omnia stabili & inconcussa progredi ratione: hūc tu ita affectum, neq; bonum ipsum dices cognoscere, neq; aliud quicquam bonum: uerum siquod fortè simulacrum attigerit, opinione potius quàm scientia illud attingere, atq; hac in uita insomnijs dormitātem illudi, & antequam expergiscatur, ad inferos descendentē, extremo tandem occupari sopore. Per Iouem omnia hec prorsus asseuerabo. Cæterum liberos tuos quos nunc oratione instruis, siquādo re ipsa erudires, ut arbitror, nō permitteres maximarum rerum in ciuitate potestatem habere, dum linearum instar non possent cuiusq; reddere rationem. Non certe. Legem itaq; feres, qua iubeamur eam potissimum disciplinam capessere, ex qua ad interrogādum & respondendum ut scientem decet, aptissimi sint. Tecum unà istud præcipiam. An ergo uidetur tibi doctrinis omnibus dialectica uelut apex esse præposita, nec ulla doctrina ulterius ac eminentior reperiri, sed hic iam doctrinarū omnium esse finis? Mihi quidem uidetur. Restat ergo deinceps aperiendum quibus distribuendæ hæ disciplinæ sint, & quomodo. Videlicet. Recordaris in prima illa optione quales delegerimus principes?

Vide præstātiam scientiæ diuinæ

Quid ni recorder? Quo ad alia quidem naturas illas eligendas existimato. Nam & grauissimos homines et fortissimos decet eligere, & quoad fieri potest speciosissimos. neque solum quærendi sunt homines generosi, atq; terribiles, sed qui insuper eas habeāt naturæ dotes, quas disciplina hæc exigit? Quas? Acumen, inquam, facilitatemq; ingenij oportere ad doctrinarū perceptionem adesse. Magis enim absterret animum disciplinarum quàm gymnasiorū corporis, difficultas. Siquidē magis proprius illi labor est, qui soli competit, quàm qui corpori etiam est cōmunis. Vera loqueris. Quærendus itaq; uir est memoria ualens, integerrimus, tolerantissimus. Nam quem alium censes libenter labores corporis subiturū, tamq; arduum doctrinæ meditationisq; studium ad finem usq; prosequuturū? Neminem prorsus nisi qui optima natura sit præditus. Ex eo quippe

error

errore,ut ſuprà dicebam,aduerſus philoſophiam oborta eſt infamia,quod nõn pro dignitate ipſam attingunt. Neq; enim à ſpurijs, ſed legitimis eſt attrectanda. Quo pacto?

Principio ad labores ſuſcipiẽdos claudus eſſe nõ debet quiſquis eſt philoſophiæ ſacris initiandus,ut partim eos adeat,partim recuſet. Cõtingit autẽ hoc,quotiens aliquis gymnaſiis & uenationi & reliquis corporis exercitationibus deditus,diſciplinarũ ſtudium refugit,neq; audiendo delectatur,nec inquirendo,ſed omnem hanc odit curam. Claudus præterea & ille eſt,qui exercitationibus animi delectatus, contemnit alias. Vera narras. An non & quo ad ueritatem ſimiliter mancum eum ponemus animum qui uoluntarium mẽdacium odit,& ægre fert ipſe ſecum,& alijs mentientibus indignatur,inuoluntarium uero mendaciũ facile tolerat:& ſi ignorare aliquid deprehendatur, haud grauiter perfert, ſed libenter ueluti ſus in ignorantiæ ſordibus uolutatur? Omnino quidem.

Quinetiam circa temperantiã & fortitudinem magnificentiamq;, & reliquas uirtutis partes non minus obſeruandum eſt quinam legitimus ſit,qui ſpurius. Quando enim hæc minus conſiderant, & priuati, & ciuitas, ignari utuntur mancis & ſpurijs ad quodcunq; iſtorum cõtigerit,priuati quidem amicis. Reſpublica uero principibus. Sic accidit prorſus. Nobis hæc omnia præcauenda ſunt. Nam ſi homines quo ad corporis ac mentis habitum integerrimos ad tantam doctrinam exercitationemq; ducemus,atq; erudiemus,etius ipſum nobis minime ſuccenſebit, & ciuitatem Rempublicãq; ſeruabimus. Sin aliter affectos homines ad iſta ducemus,cõtraria faciemus omnia, & philoſophiã multo etiam magis dedecorabimus. Turpe quidem id eſſet. Mirum in modum. Cæterum nonnihil mihi in præſentia riſu dignum cõtigiſſe uidetur. Quid iſtud? Latuit me nimirum, quod iocabamur, quare acrius egi quàm deceret. Quippe inter loquendum ad philoſophiam ipſam conuerſus,eam dedecore affectam aſpexi. Quod & grauiter perpeſſus fuiſſe uideor,& his qui in culpa ſunt, tanquã indignatus ſeuerius hæc dixiſſe. Non per louem,ut mihi audienti uidetur. Mihi tamen dicenti ſic apparet. Hoc autẽ ne nos fugiat, quod in priori electione ſenes eligimus, in hac uero nequaquã licebit. Neq; Soloni credendum eſt, hominem ſeneſcentem poſſe in dies plurima diſcere, qui minus id poteſt q; currere. Iuuenibus enim conueniunt multi maximiq; labores. Neceſſe eſt. Illa igitur quæ ad Arithmeticam & Geometriam omnemq; doctrinam eam pertinẽt,quę dialecticam antecedere debet,pueris tradenda ſunt, atq; is docendi modus accipiendus eſt quo minime coacti ad diſcendũ eſſe uideantur. Cur iſtud? Quoniam non decet liberum hominem cum ſeruitute diſciplinam aliquam diſcere. Quippe ingentes labores corporis ui ſuſcepti,nihilo deterius corpus efficiunt. Nulla uero animæ uiolenta diſciplina eſt ſtabilis. Vera loqueris. Ergo non tanquã coactos pueros in diſciplinis ô uir optime, ſed quaſi ludentes enutrias,ut & magis ad quod quiſq; natura ſit aptus, poſsis agnoſcere.

Quæ ætas ſ ad diſcendũ aptæ

Quo pacto pueri ſint docendi

Conſentaneum eſt quod dicis. An non recordaris à nobis in ſuperioribus dictũ,pueros eſſe equis ſpectãdi gratia in caſtra ducendos,& ſi tuto id tentari poſsit, propius admouendos,ut catulorũ inſtar ſanguinem incipiant deguſtare? Recordor equidem. Quicunque uero ad hos labores,diſciplinas,pericula,promptiores,acrioresq; apparẽt,in numerum aliquem ſeligendi ſunt. Qua in ætate? Quando à neceſſarijs negocijs exercitationibusq; ſoluti ſunt. In hoc ſiquidem tempore ſiue biennium ſit ſeu triennium, facere aliud nequeunt. Labor enim ac ſomnus diſciplinis aduerſi ſunt. Et ſimul hæc examinatio aliarum non minima eſſe uidetur, qualis uidelicet quiſq; in gymnaſiis ipſis apparebit.

Quid ni? Poſt id tempus quicunq; ex uiginti annis ut cæteris pręſtantiores electi fuerint,maioribus q; cæteri afficiantur honoribus:& quæ diſciplinæ iſtis in pueritia ſparſim oſtenſæ ſunt,una his iterum offerantur,ad ipſam diſciplinarũ inter ſe cognationem & ipſius quod uere eſt naturam conſpiciendã. Sola hæc cognitio quibuſcunq; traditur,ſtabilis permanet. Atqui & hac experiẽtia cognoſcitur maxime qui ad dialecticã optime à natura eſt inſtitutus,qui non. Nempe quiſquis ad hoc dignoſcendũ eſt perſpicax, dialecticus eſt:qui uero hebes,nequaq;. Teneo equidem. His igitur animaduerſis oportebit eos qui apprime tales in ipſis reperientur,ſtabiles in diſciplinis,conſtantes in bello,in alijs legitimis officijs perſeuerãtes,poſtquam trigeſimũ egerint, ex electis prælectos in maioribus honoribus conſtituere,& ipſa differendi facultate diligenter examinare, quis eorum poteſt ſine oculorum & aliorum ſenſuum miniſterio, ad ipſum quod uere exiſtit

cum ueritate trãſcendere. In quo maxima ô amice, opus eſt cautione. Cur' nam inquit? Non animaduertis inquam, quãtum nunc malum circa differendi peritiam inoleſcat? Quale iſtud, inquit. Iniquitate prorſus abundant, inquam, Summopere, inquit. Mirum aliquid perpeti ipſos exiſtimas, nec ignoſcis? Qua ratione maxime? Si quis ſuppoſititius puer multis in delicijs à nobili familia nutriatur, inter adulatores compluri mos: adultus autem perſentiat quod ex eis quos parentes exiſtimat natus non fuerit, ue- ros tamen genitores nuſquam reperiat: nunquid uaticinari potes qualis huic animi affectus futurus ſit erga adulatores, & erga eos qui ipſum ſuppoſuerũt, tam eo tempore quo nihil de ſuppoſitione ſuſpicabatur, quàm poſtquam rem ipſam agnouit? An uis præſagiũ meum audire? Volo equidem. Vaticinor itaq; illum dum ſuppoſitionem penitus ignorabit, magis eos honoraturũ quos parentes & propinquos exiſtimat, quàm aſſentatores: minuſq; eos ſi quando egeant neglecturum, tardioremq; fore ad iniuriam ipſis inferendam, uel conuitium dicendũ, magisq; illis in rebus grauibus quàm adulatoribus pariturum. Veriſimile quidem. Sin perſenſerit, hos certe minus honorabit curabitq;, aſſentatores uero magis quàm antea colet, illis propenſius obſequetur, ad eorum exemplũ uitam inſtituet ſuam, cum illis palàm ac libere conuerſabitur. De his uero quos parentes & propinquos putauerat, niſi alioqui probo natura ſit ingenio, nihil prorſus curabit.

Quæres ſtudia remorẽ tur

Omnia prorſus ut narras, contingerent. Sed quid hæc ſimilitudo ad eos qui diſputationes ſectantur? Audies modo. Sunt nobis à pueritia opiniones de honeſtis iuſtisq; officijs, ſub quibus tanquam parentibus educati ſumus: his paremus, has præ cæteris honoramus. Sunt plane. Offerunt ſe nobis & uoluptates, quæ ad contraria nos allíciunt: & dum animæ blandiuntur, ad illa detorquent. Non tamen ab his flectuntur, qui uel paulo quàm cæteri moderatiores ſunt, ſed illa ueluti paterna colunt, eisq; obtemperant. Sic euenit. Si dialectica uis aggreſſa aliquem ita affectum interroget quid honeſtum ſit, ac reſpondentem id quod ex legislatore perceperat, ratio confutet, crebrisq; & uarijs redarguationibus eò deducat, ut opinetur illud non magis honeſtum eſſe q̃ turpe, deq; iuſto ac bono ſimiliter arguat, & de cæteris quæ ſummo in honore ante habebat, parine illa poſthac honore & obſeruantia proſequuturũ putas? Minori admodum puto. Quando igitur neq; iſta quis cenſet domeſtica ut antea uel honorãda, neq; reperit uera, in uitã potius blandam quàm in aliam, ut conſentaneum eſt, prolabitur. Veriſimile id quidem.

Ex iſto igitur fiet iniquus. Neceſſe eſt. An non merito ut nuper dicebam, affectio eorum qui ita ſe ad differendum comparant, talis eſt, ut plurimam exigat ueniam? Et miſericordiam inſuper. Vt igitur miſerabilis hic euentus uitetur, triginta annos nati duntaxat, caute admodum dialecticas argumentationes deguſtent. Ita prorſus.

An non hæc prudens cautio eſt, ut eas uidelicet iuniores homines non attingant? Neque enim te latet, ut arbitror, quod cum primum adoleſcentuli diſputationis artificium guſtant, eo protinus quaſi ludo quodam ad refellendum utuntur, eosq; qui confutant alios, ſtudioſe ſectantes, & ipſi alios quoq; redarguunt, ac diſtrahendis lacerandisq; proximis catulorum more aſsidue delectantur. Mirum in modum. Cum uero plures conuicerint, & à pluribus ipſi conuicti fuerint, eò confeſtim deueniunt, ut ex priſtinis opinionibus ratam nullam habeant. Atque ex his & ipſi & omnis philoſophia apud alios calumniam reportarunt. Vera refers. At uir natu grandior, ab hac inſania diligentius declinabit, ac hominem inueſtigandæ ueritatis gratia differentem imitabitur potius, quàm eum qui iocandi cauſa uerſutijs captiunculisq; incumbit. Quin & ipſe modeſtius ſeſe geret, & diſputandi ſtudium ex infami reddet illuſtrius. Scite. Ad eiuſmodi præterea cautionẽ, ſuperiora dicta ſunt omnia: oportere uidelicet moderatos & graues eſſe illos, qui ad diſputationis ſtudium aſciſcuntur, neq; communicandum eſſe id ineptis hominibus, &, ut nunc fit, omnibus quoſcunq; ſors obtulerit. Summopere. Si quis diſputationi diligenter aſsidueq; det operam, nihil'ue agat aliud niſi quod uiciſsim quandoq; gymnaſijs corpus exerceat, huic ad perceptionem huiuſmodi anni duplices ſuperiorum ſufficient. Nunquid ſex dicis? an quatuor? Quinq; adhibeas. Deinde ad antrum illud erunt iterum deducendi, cogendiq; eos principatus aſſumere qui ad bellum ſpectant, & ſiqui ſunt iuuenum principatus, ne uſu rerum ab alijs ſuperentur. Atque in his quoq; examinandi ſunt, utrum conſtantes permaneant, dum trahuntur undique, aut nutent.

Quot

Quot autem annos iſtis aſcribis? Quindecim. Quum uero ad quinquageſimum annũ peruenerint, quicunq; integri inter eos rebusq; geſtis & ſcientijs præcellentes apparent, ad finem iam perducendi ſunt, cogendiq; ut animi radiũ ad ſupera dirigentes, ipſum quod omnibus lumen præbet, ſuſpiciant: quumq; ipſum bonum nouerint, exemplo illius freti ciuitatem, priuatos, ſeq; ipſos per omnem ſequentem uitam, & ſingula uiciſsim exornent. Ac plurimum quidem in philoſophia uerſentur: cum uero ad magiſtratus acceſſentur, in ciuilibus negocijs inuigilent, ſigillatimq; gubernent reipublicæ gratia, ita ut non tanquam bonum aliquid & optandum miniſteriũ, ſed neceſſarium potius exequi uideantur. Atq; ita quum alios ſimiliter ipſi inſtruxerint, eos uiciſsim reipublicæ cuſtodes relinquent, ipſi uero in beatorum inſulas tranſmittentur. Monumenta uero illis & ſacra tanquam dæmonibus ſi Pythias oraculo confirmauerit, publice dicabuntur: ſin minus, ſaltem ut beatis atq; diuinis. Mirificos prorſus ô Socrates, principes quaſi ſculptor figuraſſe uideris. Quod de uiris dixi, idem & de mulieribus intelligendum. Neque putes ô Glauco, magis me de uiris quàm de mulieribus fuiſſe loquutum, quæcunq; uidelicet natura aptæ ad hæc officia ſunt. Recte ſe id habet. ſiquidem pariter in omnibus, ut narrauimus, cum uiris communicabunt. Num concedis nos de republica omnia non quaſi pro deſiderio effinxiſſe, ſed pro ueritate loquutos, difficilia quidẽ factu, poſsibilia tamen, ea duntaxat ratione qua diximus? Quando ſcilicet homines reuera philoſophi, uel unus, uel plures nacti in ciuitate potentiam, præſentes honores deſpicient, illiberalesq; eos & nullius exiſtimabunt: ipſum autem quod rectũ eſt, & honores qui ab eo proficiſcuntur, plurimi facient, maximum uero & ſummopere neceſſarium quod iuſtum: & huic miniſtrantes, idq; adaugentes ciuitatem ſuam rite diſponent. Quo pacto? Omnes quicunq; in urbe decem annos impleuerint, in agros tranſmittent: filios autem ipſorum ſuſcipientes, procul ab his moribus quibus hodie parentes utuntur, moribus legibusq; ſuis educabunt, quales uero ſint, enarrauimus. Atq; ita celerrime atq; facillime ea ciuitas & reſpublica orietur, quam ſuprà diximus, ſi quando extiterit, beatam fore, & genus hominum in quo condita fuerit, plurimum iuuaturam. Maxime quidem. Atq; ut conſtitui poſſit eiuſmodi ciuitas, ſi quando conſtituatur ô Socrates, adinueniſſe uideris.

Nónne ergo abunde, tum de hac ciuitate, tum de homine eius perſimili iam nobis dictum? Conſtat enim qualem eius ſimilem eſſe debere dicemus. Conſtat plane, & quod quæris, finem mihi iam habere uidetur.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI IN DIALOGUM octauum de Iuſto.

SOCRATES perfectam reipublicæ formam ſeptem iam Dialogis abſoluit, ſeptenario Palladis numero conſecratam. Eamq; tum regiam, tum optimatum appellat gubernationem. Optimatum quidem, quoniã in ea plures uirtute præclari publicis funguntur muneribus, Senatumq; conſtituunt. Regiam uero, quoniam & una omnium ad publicum bonum eſt uoluntas, una mens quaſi regina, & ſiquis inter eos probitate eſt ſingularis, ſingulariter honoratur. Neque tamen huic tantum tribuitur, ut abſque Senatu, id eſt, probatorum omnium numero poſsit publica permutare. Reliquum erat poſt optimam & beatam reipublicæ formam in medium inferiores adducere. Has autem numerat quatuor. Primã quidem eſſe uult eam, in quam optima mox degenerat, quam nominat ambitioſam. Secundam uero potentiam paucorum ex ambitioſa naſcentem. Tertiam popularem ab hac procedentem. Quartam poſtremo tyrannidem ex populari præcipue pullulantem. Quoniam uero rerum publicarum formæ à formis proueniunt animorum, quinque deinceps animorum affectus & habitus, totidemq; ciuitatum & ſimiles eſſe ſimiliter nominatos mira quadam arte deſcribit. Summatimq; regium animum optimum eſſe concludit atque beatiſsimum, & ſimilem ſimiliter ciuitatem. Tyrannicum uero peſsimum atq; miſerrimum. Ciuitates quoq; à tyrannis oppreſſas, peſsimas ſimiliter atque miſerrimas. Medios autem animos gubernationesq; medias modo quodam medio ſe habere concludit. Ex omnibus his apparet quàm pernicioſa tam in ciuitate quàm in animo ſit iniuſtitia, & utrobiq; iuſtitia quàm ſalutaris. Vbique autem permutationes tam animorum quàm ciuitatum ex alijs formis in alias mirabili explicat diligentia. Præcipue uero mutationem beatæ reipublicæ, & ut ita dixerim, aureæ in ambitioſam ſiue argenteã, ſiue ferreã, ab altiori ducit exordio, fingitq; Muſas id tanquam oraculum effundentes, ſiue potius confundentes. Profecto ſi beata reſpublica proprio defectu in deteriorem labi non poteſt, & tamen quandoq; labitur, communi quodam defectu et cauſa labitur. Qua quidem in re Ariſtotelicas ridere licet calumnias. Neq; enim debuit Ariſtoteles in quinto Politicorum

liticorum à Platone ſuo, immo nuſquam ſuo, propriam beatæ reipublicæ permutandæ exigere cauſam, quum nulla ſit propria, ſed cõmuni debuit eſſe cõtentus. Quemadmodũ enim homo et ualidiſsimus & temperatiſsimus, ſic & eiuſmodi ciuitas non tam propria quàm cõmuni cauſa morbi laborat, id eſt, fatali quodam ordine, ita per cœleſtes circuitus qui intra lunã ſunt, perpetuo ſe reuoluente, ut quæ certis ſphærarum cõfigurationibus temporumq; curriculis compoſita ſunt, quandoq; diſſoluantur aduerſis. Quoniam uero eiuſmodi cauſæ aſsignatio præſentis ciuilisq; facultatis terminos procul excedit, ideo Socrates uaticinio muſarum utitur. & profecto ita utitur, ut & nobis ad hæc interpretanda opus ſit Apollinis uaticinio. Nec immerito Tullius ubi rem eſſe obſcuriſsimam breuiter uult exprimere, id inquit numero Platonis obſcurius. Neq; miror Theonem Smyrnæum mathematicæ in primis Platonicæ profeſſorem eiuſmodi myſterium tanquã inexplicabile aſſute prætermiſiſſe. Quod quidem Iamblichus Chalcideus dum explicare uoluit, implicuiſſe uidetur. Quid uero ſi in eiuſmodi uerbis plus difficultatis ſit quàm ponderis? Quippe quum & ipſe fingat Muſas tragica quadam tumiditate nugantes perterrentesq; animum puerilem atque ſimplicem, ſtuporemq; adducentes. Deniq; qualecunq; id ſit opportunius ex cõmentarijs in Timæum expoſitionem noſtram accipies. Cæterum moralia hæc præcepta cõſidera. Impoſsibile eſt diuitias honorari in ciuitate ſimul atq; uirtutem. Item tradere diuitioribus reipublicæ gubernacula perinde eſt ac ſi nauis nõ peritiori in naui gando, ſed locupletiori gubernanda tradatur. Nempe & hæc & illa periclitabitur. Rurſus cuſtos contra omnia uitia tutiſsimus eſt ſcientia. Præterea contrarij unius ſummum, alterius eſt principium. itaq; extrema libertatis licẽtia, extremæ ſeruitutis eſt principium. Sicut in qualibet qualitate, rerumq; & temporũ exceſſus omnis uerti protinus in contrarium conſueuit. Idem in epiſtolis ait, moderatam probans ante omnia libertatem.

DIALOGVS OCTAVVS
DE IVSTO.



STO inquam, conſtitit equidem inter nos ô Glauco, in ciuitate optimè inſtituta cõmunes eſſe debere mulieres & filios. Communem quoq; omnem eruditionem. Cõmunia ſimiliter omnia, tum belli, tum pacis officia. Reges autem ipſorũ eſſe homines debere in philoſophiæ & rei militaris ſtudio præſtantiſsimos. Conſtitit plane. Quin & hæc conceſsimus, quod ſcilicet cum tales principes iam fuerint conſtituti, in expeditionem euntes, habitationes militibus quales prædiximus, aſſignabunt, cõmunes ſcilicet omnibus, in quibus nihil cuiuſquam ſit proprium. Neq; de habitatione ſolum, uerum etiam de ſupellectili & poſſeſsionibus ſi recordaris quales debeant eſſe, conuenimus.

Memini equidem, inquit, cenſuiſſe nos nihil eorum quæ nunc poſsident alij, eſſe ab alio quo poſsidẽdum, ſed tanquam belli athletas atq; cuſtodes in mercedem cuſtodiæ annuæ ab alijs alimenta ſuſcipientes, eos oportere & ſeſe & ciuitatẽ tueri. Probe, inquam. Sed poſtquã hæc abſoluimus, repetamus iam unde hinc digreſſi ſumus, ut per eadem rurſus proficiſcamur. Haudquaquam difficile iſtud. fermè enim quemadmodum nunc, quaſi de ciuitate ſatis egiſſes, adieciſti, quod talem ciuitatem bonã uocares qualẽ deſcripſeras, bonumq; uirum quicunq; illius foret perſimilis: cum talem poſſes adhuc, ut apparuit, meliorem ciuitatem uirumq; referre. Dixiſti prẽterea ſi hæc recta ſit reſpublica, cæteras aberrare. Reliquarum uero rerũ publicarũ, ut memini, ſpecies eſſe quatuor, de quibus uerba facere oporteret, earumq; defectus inſpicere, & homines ipſarũ ſimiles declarare: ut eos omnes intuiti, & quis optimus ſit uir, quis peſsimus declarantes, conſideremus nunquid uir optimus feliciſsimus, peſsimus autem ſit miſerrimus, an ſe res aliter habeat. Cum uero abs te ipſe quærerem quas potiſsimũ quatuor reſpublicas diceres, tunc ſanè Polemarchus & Adimantus mihi ſermonẽ interruperunt, unde tu orationem ſumens huc deniq; perueniſti. Recte admodũ meminiſti. Ergo rurſus tãquam luctator eandem anſam præbe, & me idem interrogante, conare nunc ea dicere quæ tunc eras declaraturus. Si quidem potero. Equidẽ audire percupio, quaſnam reſpublicas quatuor ſuprà dicebas.

Haud difficile iſtud audies. Sunt enim quas dico, illæ quę & nomina habent, ipſa uidelicet quæ à multis laudatur Cretenſis & Laconica. Secunda uero ſecundo loco laudata ea quę paucorũ potentia nominatur, plurimis plena malis reſpub. Item quę ab hac differt plurimũ, eamq; ſequitur, gubernatio popularis. Præterea generoſa tyrannis, ab his omnibus differens, quartus ciuitatis extremusq; morbus. An aliam habes reipub. formã, quæ

quæ in perſpicua & diſtincta quadam ratione ſit ſita. Nam & minores quidam principatus, & regna uenalia, & tales quædam ciuiles potentiæ inter hæc quodammodo medium obtinent. Quarum non pauciores inter Barbaros quàm inter Græcos reperiuntur.

Multæ certæ, & abſurdæ memorantur Totidem quoque ſunt hominum quodammodo ſpecies atq; mores. An ex quercu forte exiſtimas, aut ſilice reſpub. fieri potius, q̃; ciuium moribus, qui quocunq; fluxerint, cætera ſecum rapiunt? Ex moribus procul dubio. Quare ſi gubernationum ſpecies quinque ſunt, priuatorum quoq; animorum affectus quinq; erunt. Nil obſtat. Virum certe ſimilem optimatũ gubernationi uidimus, quem bonum, & iuſtum recte aſſeruimus. Vidimus. Deteriores deinceps narrare decet, contentioſum ambitioſumq; hominem ſecundũ Lacedæmoniorum rempub. inſtitutum: præterea paucorum imperij cupidum, & popularem hominem, & tyrannicũ: ut iniuſtiſsimum diſcernentes, cum iuſtiſsimo comparemus, perfecteq; cognoſcamus, quomodo ſumma meraq; iuſtitia ad ſummam ſe ac meram iniuſtitiam habeat, quo ad hominis iuſti, uel iniuſti beatitudinem, uel miſeriam pertinet: ut uel Thraſymacho obtẽperantes, iniuſtitiã proſequamur: uel præſentibus rationibus perſuaſi, iuſtitiam. Ita prorſus agendũ. Num ſicuti cœpimus ante in rebuſpub. mores animaduertere quàm in priuatis perſonis, quia illic magis pateant: ita & nunc in primis conſideranda eſt ambitioſa reſpub. cuius nullum habeo nomen præter ambitioſam potentiam, & principatum: poſt eam uero uirum talem conſiderabimus: deinde paucorum potentiam, talemq; uirum: poſtea multitudinis gubernationem, & hominem popularem: demum tyrannide preſſam ciuitatem conſiderantes, & inde tyranni cum cognoſcentes animum, conabimur ea quę propoſuimus, ſufficienter dijudicare? Recte in hunc modum inſpectio iudiciũq; procedet. Age itaq; explicare conemur, quo pacto ambitioſum imperium ex optimatum gubernatione naſcatur. Quin hoc ſimpliciter uerum eſt, omnem rempub. ex eo quod dominatur, mutari, quando in ipſo ſeditio oritur: dum uero ſecũ ipſo conſentit, etiam ſi ualde exiguum ſit, mutari impoſsibile eſt. Eſt ita. At uero quonam pacto ô Glauco, ciuitas hæc noſtra è ſuo ſtatu mouebitur: principes, & defenſores inuicem, & inter ſe diſſidebunt? An uis imitantes Homerum Muſas oremus, ut nobis explicent, qua ratione ſeditio primum incidat? Dicamusq; ipſas tragicorum ritu, nobiſcum ueluti pueris iocantes nugantesq; ita loqui, ut dum nugantur, ſerio agant, magnũq; quiddam loquãtur? Quonam pacto? Ita ferme. Difficile quidem eſt ita cõſtitutã ciuitatẽ à ſuo ſtatu moueri. Verum cum omne quod genitum eſt, corruptioni ſit obnoxium, talis etiam conſtitutio ſempermanere non poterit, ſed ſoluetur. Solutio uero hæc eſt: non ſolũ circa plantas, ſed terrena etiam animalia, fertilitas, & ſterilitas animæ, corporũq; contingit, quando reuolutiones ſingulis circulorũ cõiunxerint ambitus: his quidem quę breuis ſunt æui, ambitus breuiores, cõtrarijs uero cõtrarios. Illi uero quos ad ciuitatis gubernationẽ educauiſtis, quãuis ſapientes fuerint, nihilo magis ueſtri generis uel fœcundam uel ſterilem generationem, ratione una cum ſenſu aſſequantur, ſed latebit eos opportunitas generandi, & plerunq; cum non opportunum fuerit, gignendis filijs operam dabunt. Eſt autem ei quod diuinitus generandum eſt circuitus, quem numerus continet perfectus. Humanæ uero geniturę is utiq;, in quo primo augmẽtationes ſuperantes, & ſuperatę tres diſtantiæ, atq; quatuor terminos accipientes, ſimilantium & diſſimilantium, & creſcentium & decreſcentium, cuncta correſpondentia, & comparabilia inuicem effecerunt, quorum ſeſquitertia radix quinario coniuncta duas harmonias præbet ter aucta. Vnam quidem æqualem æqualiter, centũ centies. Alteram uero æqualis quidem longitudinis, ſed oblongiori, centum quidem numerorũ ex diametris cõparabilibus inuicẽ quinarij, indigentibus uno ex ſingulis, duobus uero qui inuicem dici nequeant, centum uero cuborũ trinitatis ipſius. Vniuerſus aũt hic numerus geometricus talem auctoritatem habens ad potiorem deterioremq; generationem uim habet. Quòd ſi ciuitatis ueſtræ cuſtodes ignorauerint, nec opportuno in tempore ſponſas ſpõſis cõiunxerint, haud quaquã ingenioſi felices ue pueri inde naſcẽtur. Ac licet maiores ipſi eos cõſtituant principes, qui inter illos præſtantiores fuerint: tamen quia indigni erunt parentũ ſucceſſione, in ipſis magiſtratibus ſubiectos negligent, neq; muſicæ curam ut decet habebunt, neq; gymnaſticę, unde iuuenes nimis erunt à muſica alieni. Ex his autem principes conſtituentur negligẽtiores quàm de-

Quot mores hominũ totidẽ reſp.

Reſpub. ambitioſa

Ex gubernatiõe optimatũ ambitioſum imperium quomodo oriatur

Mutatio Rerumpub. quõ fiat.

cet ad examinandum genera illa quæ apud Heſiodum, & quæ apud uos referuntur, aureum ſcicet genus, argenteum, & æneum atq; ferreum. Quoniã uero mixtum erit argento ferrum, & æs auro, diſſimilitudo & inæqualitas diſcors exorientur. Quæ ubicunq; naſcuntur, bellum ſemper & inimicitias pariunt. Genus autem huiuſmodi hominum ubicunq; adeſt ſemper ſeditionibus agitatur. Recta admodum reſpondere illas dicemus.

Neceſſe eſt enim cum Muſæ ſint. Quid uero poſt hac Muſæ dicent? Poſtquam orta ſeditio fuerit, utraque genera ferentur, ferreum quidem & æneum ad quæſtum, agrorúmque & domorum poſſeſſionem, auriq; & argenti copiam, Quod uero ineſt aureum, & argenteum, quaſi non inopi ſed opulenta natura, ad uirtutem ſtatumq; priſtinum. pugnantia uero inuicem & in contraria retrahentia in medium tandem conuenient, ut diuiſis agris & domibus priuatim quæque poſſideantur: illi uero qui ante ab eis ſeruabantur tanquam liberi, amici, & nutritores in ſeruitutem redigantur, & uelut ſubditi atq; ſerui, belli cuſtodiæq; ipſorum curam gerere cõpellantur. Hinc & mihi certe uidetur mutatio hæc accidere. Hæc utiq; gubernatio inter optimates, & paucorũ potentiã erit media. Erit certe. Mutabitur quidem ita. Cum uero in id fuerit permutata, quem potiſſimum gubernationis modum ſeruabit? Vel conſtat quòd partim priorem rempublicam imitabitur, partim paucorum potentiam, utpote quæ in medio locata eſt, partim etiam quiddam ſui proprium obtinebit? Ita prorſus. Et priorem quidem imitabitur in eo quòd principes honorabuntur, & milites ab agricultura mechanicisq; artibus & aliis quæſtibus abſtinebunt, & communia fient conuiuia, gymnaſticiq; ludi, & belli certamina frequentabuntur. Profecto. Sui autem ipſius propria, talia quædam habebit, quòd ſapientes metuet ad principatus admittere, quia non ſimplices neq; integerrimos huiuſmodi uiros, ſed mixtos poſſideat: & animoſiores potius ſimpliciores q; homines ad gubernandũ aſciſcet, qui ad bellum potius quàm ad pacem nati uideantur? Dolos quin etiam, & machinamenta belli plurimi faciet, ſemperq; pugnabit? Certe. Atqui pecuniarum cupidi erunt iſti, quemadmodum qui in paucorum potentia uitam agunt, & tenebris obruti aurum & argentum ruſticius honorabunt, utpote qui æraria proprioſq; theſauros habeant, quibus iſta recondant, ac etiam circumſepta domorum ceu proprios nidos, in quibus multa cum mulieribus & aliis pro libidine erogabunt Vera loqueris.

Nónne & in rebus propriis parci magis erunt quàm deceat? quippe qui magnifaciant pecunias, nec palàm acquirant: in alienis autem propter libidinẽ profuſiores, & clanculum uoluptatibus indulgebunt, haud ſecus legem paſſim refugientes, ac pueri patris aſpectum, non perſuaſione, ſed ui educati, ex eo quód ueram muſicam quæ cum ſermonibus & philoſophia coniuncta eſt, neglexerint, multoq; magis ac prius gymnaſticã quàm muſicam honorauerint? Rempub. ex malo bonoq; mixtam refers. Mixta eſt profecto: præ cæteris autem in ipſa propter animoſitatis iracundiẽq; imperium, contentionis ambitionisq; ſtudia inualeſcunt. Vehementer. An non hæc reſpub. ita coaleſcet, talisq; erit, quantum licet ſermone reipub. figuram non ſumma omnino diligentia deſcribere, quia ſufficiat ex ipſa deſcriptionis ſummula uirum iuſtiſſimum iniuſtiſſimum ue diſcernere, ſitq; ferme opus inextricabile, ſiquis omnes reſpub. omnesq; mores nullo penitus prætermiſſo enarrare aggrediatur. Probe. Quis igitur ſecundum hanc rempub. uir? quomodo efficitur? qualis exiſtit? Reor equidem, inquit Adimantus, ſimilem eſſe Glauconis huius, cõtentionis gratia. Fortaſſis, inquam ego, in hoc eſt ſimilis. Verum in his haud natura ſimilis eſſe uidetur. In quibus? Contumaciorẽ ſane eſſe eum neceſſe eſt, & à muſica quodammodo alieniorem, muſicæ tamen cupidũ: & audiendi quidẽ ſtudioſum, rhetoricum uero nequaq;. Atqui & aduerſus ſeruos agreſtis erit huiuſmodi uir, haud ſeruos deſpiciens quẽadmodum uir tolerabiliter eruditus: erga liberos aũt erit mitis: erga principes quidem obediens maxime, ſed & principatus & honorũ auidior, oportere exiſtimans non arte dicendi, uel alia quauis ſimili facultate, ſed rebus bellicis, ſimilibusq; excellere & cæteris præeſſe, cum ſit & gymnaſticæ & uenationis admodum ſtudioſus. Eſt certe, inquit, mos hic illius reipublicæ. Nónne & pecunias iſte in iuuentute contemnet: quo uero ſeneſcet magis, eo magis pecunias diliget, ex eo quod auarę naturæ ſit particeps, neq; ſit integer ad uirtutẽ, quia ab optimo cuſtode deficiat? A quo nam, inquit Adimantus. Ratione & operatione inquã muſicæ cõmixta, quæ ſola cum

adeſt

adeſt,per omnem uitam uirtutẽ in eo cui præeſt ſeruat. Præclare loqueris,inquit. Eſt utiq; talis adoleſcens ambitioſi imperij cupidus,tali ſimilis ciuitati. Prorſus. Efficitur autem hic talis hunc in modum interdũ: uidelicet cum iuuenis aliquis filius eſt patris boni in ciuitate non bene gubernata habitãtis,honores,principatus,& iudicia fugientis, & reliquam huiuſcemodi negociorũ curã,libenterq; ſe ſubijcientis,ut labores uitet. Quonam pacto efficitur? Quando ſcilicet matrem audit ægre ferẽtem, quod maritus magiſtratibus minime fungatur,& idcirco inter alias mulieres ſeſe cõtemptam haberi:tum indignantem quoties uirum aſpicit pecunijs cumulandis minime indulgere, neq; pro illis uel priuatim uel in iudicijs & publice contendentem ſollicitũq;: ſed ad hæc omnia negligentiorem, talemq; ut ſecum ipſe uiuat ut plurimũ, uxorẽ uero nec aſpernetur quidem, neq; admodum colat. Ex quibus ſæpe filio mater prædicet ignauum eſſe patrem nimisq; remiſſum, & alia,quæcunq; de talibus garrire mulieres cõſueuerunt. Multa profecto, inquit Adimantus, talia ſuiq; ſimilia obloqui mulieres ſolent. Neq; te latet quod & ſerui,& domeſtici,præſertim qui maxime uidentur eſſe beneuoli,talia quędam auribus puerorum ſæpe inſuſurrant. Et ſi quem uiderint,uel pecunias patri debentem,quem ipſe nequaquam conueniat, uel in alio quodam iniuriantem,edicunt puero ſiquando uir euadat,hæc omnia ulciſcatur,uirq; magis ſit quàm pater extiterit. Idem ille filius domo egreſſus alia horũ ſimilia multa audit, uidetq;:homines ſcilicet qui ſua in ciuitate officia colũt aliorum minime curioſi, ſtolidos uocitari, penitusq; contemni: horũ uero diſſimiles honorari laudariq;. Cum hæc adoleſcentulus audit, uidetq;, rurſusq; patris ſermones audit, & ſtudia uidet proxime præter ſtudia cæterorũ,ab utriſq; attractus:à patre quidẽ rationalis eius uis fouetur & augetur,ab alijs autẽ concupiſcendi & iraſcẽdi natura. Quapropter cũ nõ malo ſit ingenio natus,mala tamen cæterorum cõſuetudine uſus,& in medium ab his tractus,mediæ ſe cuidam potentiæ contentioſæ iracundiæq; ſubijcit,fitq; uir elato animo,gloriæq; cupidior. Naturam huius ſufficiẽter enarraſſe mihi uideris. Habemus itaq; ſecundam rempub. uirumq; ſecundum. Habemus profecto. An non poſt hæc Æſchyli illud dicimus:Alterum hominem alteri ciuitati conuenientem? Imò uero ſecundum ſuperiorem illam ſuppoſitionem, alteram ciuitatem alteri cõgruam? Ita prorſus.

Quæ uero huiuſcemodi rempub. ſequitur,paucorum ut arbitror,potẽtia eſt. Quam potiſsimum reipub. inſtitutionem paucorum uocas potentiam Eam in qua magiſtratus à cenſus æſtimatione ciuibus tribuuntur,& in qua diuites dominãtur,pauperibus uero nulla reipub. eſt communio. Intelligo equidem. Nónne dicendum, quo pacto à gubernatione ambitioſa in hanc tranſgreſſio fit? Dicendum certe. Vel cæco id quidem perſpicuũ eſt,quo pacto tranſgreſſio fiat. Quonam pacto? Ærariũ illud cuiuſq; auro plenum,talem perdit rempub. Nam primum quidem nouos ſumptus reperiunt, & ad leges deducũt,quibus neq; ipſi neq; mulieres ipſorum obtẽperant. Conſentaneũ id quidem. Deinde alter alterius exemplo & æmulatione perciti multi tandem tales euadunt. Veriſimile. Hinc effuſius ad pecunias cumulãdas delapſi, quãto id precioſius æſtimant,tanto uirtutem exiſtimant uiliorẽ. An nõ ita uirtus à diuitijs diſcrepat,quaſi utraq; in lance ſtateræ ſint poſita,ſemperq; in contrariã partẽ declinent? Ita prorſus. Quando igitur in ciuitate diuitię ac diuites honorantur,uirtus probiq; uiri deſpiciuntur.

Ex optimatũ rep. quõ fiat cẽſu potẽtũ reſpub. De diuitijs & uirtute

Conſtat. Incendunturq; ad ea ſtudia omnes quæ in honore ſunt,eaq; frequẽtant:quę uero nullo honore cẽſentur,apud quoſq; iacere ſolẽt. Atq; ita ex uictoriæ honoriſq; cupidis,quæſtus & pecuniarũ auidi tandẽ efficiuntur. Et diuites quidẽ uiros laudant, & admirantur,& ad magiſtratus euehũt,pauperes uero deſpiciũt. Omnino ſic accidit. An nõ & lege ſtatuunt principatus fines,dũ ſtatuunt ubi maior eſt pecuniarũ copia,ibi talẽ principatũ eſſe maiorẽ:ubi minor,cõtrà minorẽ:prohibẽtq; aliquẽ imperare,qui non ad certum aliquẽ cenſum peruenerit? Hæc aũt aut ui armisq; efficiunt:aut poſtq; metũ incuſſerint,talem conſtituerunt rempub. Nõne ita? Ita prorſus. Conſtitutio quidẽ,ut ita dicã,hęc eſt. Eſt certe. Sed quiſnã reipub. modus? quíue defectus ſunt, quos habere eam rempub. dicebamus? Principio qualis ſit præſcriptus hic in ea terminus,aſpice. Siquis in nauis gubernatione,à cenſus æſtimatione gubernatores eligat,pauperẽ uero licet gubernandi peritiorẽ haudquaq; admittat,quid ex hoc ſequuturum cenſes? Vt male nauem ducant. An non eodẽ pacto in quouis alio principatu? Sic equidem arbitror.

Sic

Sic ne in omnibus præterquam in ciuitate? An & in ciuitate præterea? Multo etiã magis, quoniam hæc grauissima est, & maxima gubernatio. Vnum quidẽ hunc & tantum paucorum potentia defectum patitur. Apparet. Quid autem hoc? Nunquid leuius? Quale istud? Quod necesse est non unam hanc, sed duas esse resp. unã quidem pauperum, diuitũ alteram, & homines intra mœnia eadem habitantes sibi inuicẽ semper insidiari. Certe non leuius istud. Sed neq; hoc pulchrũ est, bellum scilicet gerere nõ posse: quia coguntur, siue populo utantur armato, eum formidare magis quàm hostes: si ue non utantur, reuera in ipso prælio paucorum potẽtiæ studiosi uideri: ac etiã pecunias in eum usum erogare detrectabũt, utputa homines auari: istuc inquam an decorum est?

Non certe. Nunquid recte fieri illud existimas, quod supra uituperauimus, ut in huiusmodi ciuitate ĩdem homines in diuersis simul officijs occupentẽ, terrã colãt, pecunias cumulent, militent? Nullo modo recte. Vide utiq; si horũ malorum omniũ hæc prima id grauissimum patitur. Quale id? Vt liceat cuiquam sua omnia alienare, alteri uero illius oĩa possidere: atq; ei qui alienauit, habitare in ciuitate, dum nulla ciuitatis pars existat, neq; nũmularius, neq; opifex, neq; eques, neq; armiger, sed pauper & egen⁹ passim cognominatus. Prima hæc certe. Hoc profecto in ciuitatibus quæ paucorũ subijciuntur imperio, minime prohibetur. neq; enim alij opulentiores essent quàm decet, alij prorsus mendici. Recte loqueris. Hoc autem considera: nunquid quando diues huiusmodi erogabat, conducebat ne magis ciuitati ad ea quæ paulo ante dicebamus: an uidebatur quidem è principum numero esse, reuera autem neq; princeps, neq; minister erat, sed propriorum cõmodorumq; consumptor. Sic utiq; uisum est. Erat autem nihil aliud q; consumptor. An uis dicamus, quẽadmodũ in fauo fucus ortus examinis apum morbus est, ita & hominẽ huiuscemodi domi natum, pestem reipub. fore? Prorsus inquit ô Socrates. Nónne uolatiles fucos omnes sine aculeis deus fecit? hos autem terrestres, partim sine aculeis, partim diris armatos aculeis cernimus. Et ex his qui aculeos nõ habent, inopes tandem in senectute fiunt: aculeis autem instructi sunt hi qui uocãtur malefici. Vera loqueris. Cõstat ergo in ciuitate, ubi mẽdicos uides, & fures inesse clam, & latrones & sacrilegos, & horum omniũ scelerum auctores. Constat certe. Nónne in ciuitatibus quæ reguntur à paucis, egenos inesse uides? Omnes ferme, exceptis principibus. An non igitur arbitramur, maleficos in ea esse multos aculeis ipsis armatos, quos diligentia ac ui principatus detinẽt? Arbitramur plane. Nónne ob prauã educationem, & disciplinę defectũ, & iniquã reipub. dispositionẽ, homines ibi tales euadere asseremus. Asseremus. Talis utiq; erit ciuitas paucis subiecta principibus, totaq; premetur malis, forte etiã pluribus. Sic ferme. Constituta iam nobis sit ea resp. quã paucorum potentiã uocant, à census ęstimatione principes eligentẽ: post hæc autẽ inuestigemus quo pacto uir aliquis similis istius efficiatur, & postq; similis est effectus, qualis sit.

Fucorũ duo genera

Vbi mendici uidentur fures esse & latrones & omniũ scelerũ auctores

Sic prorsus. Nõne hac ratiõe maxime ex ambitioso in paucorũ imperij cupidũ transit? Qua? Quando ibi adolescens aliquis primo quidẽ patrem imitatur suũ, eiusq; uestigia sequitur: deinde ipsum aspicit, ut qui in ciuitatem tanq; in scopulum offenderit, subito ex culmine dignitatis prolapsum seipsum suaq; omnia dispergentẽ, siue post belli expeditionẽ siue alterius magistratus maximi dignitatẽ, in iudiciũ ab insidiatoribus tractũ, à calumniatoribus circumuentũ, eiectum, depressum, patrimonio spoliatum. Consentaneum quidem. Ille ô amice hæc intuitus atq; perpessus, amisso patrimonio, propter formidinem, confestim ex animi throno ambitionem illam & audaciam deijcit, & humilior propter paupertatẽ factus sese ad quæstum conuertit, & angusto admodũ animo aride nimiũ & parce uiuens, seq; in obeundo negocio uexans pecunias cõgregat. An non huiuscemodi hominẽ tunc existimas in ea animi sede auaritiã & lucri cupiditatẽ locare? eiq; in animo regiũ locũ concedere? ornamẽtisq; regijs exornare, coronis, balteis, fibulis, fimbrijs, ense Persico? Equidẽ. Atq; hic quidẽ rationalem uim, & animositatis ardorem humi hinc inde depositã seruire huic cogit, & nihil aliud inquirere, & cõsiderare permittit, q; unde ex paucioribus pecunijs plurimæ cõgregentur: hãc aũt nihil aliud mirari, & colere q; diuitias atq; diuites, neq; dignitatẽ ex re alia quàm ex pecunijs quærere, & siquid aliud ad id conferat. Nulla certe alia mutatio est usqueadeo uelox & uehemens ex iuuene ambitioso in pecuniæ cupidũ. Nónne igitur hic paucorũ imperij studiosus est? Mu

est? Mutatio quidem ipsius ex homine similis est illius Reipublicę ex qua paucorum potentia extitit. Cōsideremus utiq; nunquid similis sit. Considerabimus. Principio in eo q̄ pecunias multifacit, similis erit. Quid ni? Quinetiā & in eo quòd parcior est, & ad lucrum auidior, solasq; necessarias cupiditates explet, cęteris uero sumptibus nequaquā indulget, sed alias appetitiones tanquam superuacuas cohibet. Magnopere. Aridior itaq; & squalidior uiuit, undiq; summa parsimonia rem familiarem augens, coaceruando intentus thesauro, quos quidem homines uulgus probat. an non hic erit uir talis Reipublicæ similis? Mihi quidem uidetur. Pecuniæ itaq; maxime honorātur & ab hoc, & ab omni ciuitate. Neq; enim hic, ut arbitror, disciplinæ applicuit animum. Non, ut opinor. Neq; enim cæcum sibi ducem præposuisset. Optime quidem. hoc autem animaduerte. Nónne fucorum naturæ similes cupiditates ob disciplinæ defectū ineſſe dicimus, partim mendicas, partim maleficas, ui quidem ab alia diligentia detentas? Et maxime quidem. Scis' ne quò inspiciens, ipsorū maleficia cernes? Quonam? Ad orphanorum tutelas, & siquid ipsis tale contingit, quo licētiam plurimam ad iniuriam nancisc antur. Vera narras. An nō id constat, q̄ in alijs cōmercijs uir talis, in quibus probus habetur, cum iustus esse uideatur, æquitate quadam uitæ cæteras cupiditates prauas quæ in ipso sunt, cohibet: nō idcirco obtemperans, quia nō præstet, neq; ratione mansuefaciens, sed necessitate ac metu circa reliquam substantiam contremiscens? Summopere. Enimuero ô amice, in multis eorum reperies, quando aliena oportuerit erogare, fuci persimiles cupiditates. Maxime. Non igitur seditione intestina is carebit, neq; unus quidam erit, sed duplex, habebitq; in se cupiditates ut plurimū cupiditatum dominatrices, meliores scilicet deteriorum. Est ita. Quamobrē modestior hic alijs multis erit. Consentientis tamen & cōpositæ mentis uera uirtus longe hunc effugiet. Mihi quidem uidetur. Quinetiam ad certamē erit tardior uir parcus quoties priuatim in ciuitate de uictoria aliqua honesta, & magnificentia erit certandum, cum pecunias erogare nolit decoris et contentionū huiusmodi gratia, metuēs prodigas libidines suscitare, prouocareq; ad propugnandū contendendumq;. Cum paucis eorum qui circa se sunt, optimatū ritu pugnans, ut plurimū uinci patitur, & diuitias auget. Summopere. Nunquid ultra diffidimus, ad ciuitatis eius exemplū quæ gubernatur à paucis, hominē parcum atq; auarum institutū esse? Nullo modo. Post hæc inuestigandū uidetur, quo pacto popularis gubernatio constituitur, & quæ sit eius conditio, ut eandem in tali homine conditionem recognoscentes, eum in iudicium deducamus. Ita sanè iter nobis inceptum similiter peragemus. Nónne hunc in modum ex paucorum potentia in popularē gubernationem ciuitas permutatur, ex eo q̄ ciues optimum esse proposuerūt, ut q̄ ditissimi sint? Quo pacto? Quia principes in ea propter diuitias dominant, prodigalitatem dissolutorū iuuenum lege prohibere negligunt, ut emptionibus & fœnoribus eorum usurpātes bona, opulentiores etiam honoratioresq; euadāt. Maxime omnium. Cōstat itaq; impossibile esse in ciuitate diuitias honorare simul, & tēperantiam possidere, sed necessarium est ad alterius æstimationem alterum semper istorū negligi. Constat plane. Dum igitur in paucorū potentia iuuentutis educationē negligunt, permittūtq; ad libidinem uiuere, cogunt sæpenumero homines non ingenerosos ad paupertatem redigi. Maxime Sedent, ut arbitror, isti in ciuitate aculeis armati, partim alieno ęre grauati, partim ignominia afflicti, partim utriſq; malis oppressi, insidiātes illis quos sua nouerūt possedisse, atq; alijs, atq; idcirco res nouas quotidie moliunt. Est ita. Homines aūt auari, dum lucro incumbunt, hosq; nō animaduertere uidentur, & reliquorū insuper ut quisq; maxime cedit, maxime argento immisso uulnerantes, & patri natos fœnusq; plurimū reportantes, ita fucis egenisq; hominibus ciuitatem replent. Maxime. Neq; uolunt tanti mali incendium ita extinguere, ut nō permittant quemq; res suas pro arbitrio agere. Neq; iterum & secundū alteram legem talia quædam prohibētur. Secundū quam potissimum?

De popularis gubernationis cōstitutione, & cōditione

Secundū eam quæ post illam proxime sequitur, cogitq; ciues uirtutis curam suscipere. Si quis enim multa ex uoluntarijs cōmercijs sui periculo tractare iubeat, nō usqueadeo impudenter pecunias cōgregabunt, pauciorāq; in ciuitate mala nascentur talia qualia diximus. Sic omnino. Nūc aūt his de causis principes subditos sic in ciuitate disponūt: seipsos uero, & suos, & iuniores, delicatos, & molles, & secordes reddūt, nullū aut animi, aut cor-

aut corporis laborem tolerantes, uoluptatibusq; & doloribus ſuccumbentes. Prorſus. Et ipſi quidem tales euadunt, ut nihil aliud præter quæſtum æſtiment, neq; maiorẽ uir tutis curam habeant q̃ mendici. Sic certe. Ita igitur inſtituti, quotiens congrediunt inuicẽ principes ac ſubditi ſiue in itineribus, ſiue in alio quopiam cõmuni cõmercio, atq; opere, aut circa ſpectacula ad exercitum uel nauigantes una, uel militantes, uel etiam in ipſis periculis ſeſe inuicem ſpectantes, nullo modo in his pauperes à diuitibus deſpicium tur, ſed frequenter homo pauper, macer, cutimq; ſole duratus cum in acie ad opulentum collatus eſt, in umbra molliter enutritũ, atq; obeſo corpore oneratum, eumq; inſpicit anhelantem & anxium, nónne cenſebit ignauia cæterorũ uiros huiuſmodi diuites fieri? alterq; alteri ubi priuatim cõuenere, narrabunt locupletes illos ſuos craſſosq; homines pre cij nullius eſſe? Noui certe ita eos ſolere. Nónne igitur quemadmodũ debile & uale tudinarium corpus, uel minima mutatione extrinſecus iniecta in morbos incidit, ſæpe etiam nulla extrinſecus re nocẽte, ipſum intra ſe diſſidet: ita & ciuitas malis ijſdem affecta parua occaſiõe, aliunde ſibi, uel his ex optimatũ, uel illis ex populari republica auxilium adiungentibus, ægrotat, & ſecum ipſa diſſentit. Sæpe etiam abſq; externorum opera, ſeditionibus agitatur. Prorſus. Popularis utiq; gubernatio fit, ut arbitror, quando pau peres ſuperantes, diuites partim necant, partim in exilium pellunt, reliquos autem æquis reipub. honoribus muneribusq; afficiunt, atq; ut plurimum in ea ſorte magiſtratus obtin gunt. Huiuſmodi certe eſt popularis ciuitatis cõſtitutio, ſiue armis fiat, ſeu metu diſcedentibus alijs. Quænam erit igitur horum ciuiũ uita? qualis gubernatio? Conſtat enim q; uir talis popularis aliquis apparebit. Perſpicuum. An non primum quidem liberi erunt omnes, ciuitasq; libertatis plena, ſummaq; licẽtia pro libidine omnia omnes aude bunt? Fertur equidem. Vbi aũt licentia, ibi quiſq; arbitratu ſuo uitam inſtituet. Pa tet. Omniformes in hac ciuitate naſcuntur homines. Valde. Videtur utiq; hæc o mnium eſſe rerumpub. pulcherrima: atq; ut pallium uarijs depictũ coloribus, ſpecioſiſ ſimum eſſe uidet, ita ciuitas iſta diuerſis ex moribus uaria, pulcherrima prorſus apparet: ac perinde ut pueri & mulieres uarietate diſtinctis opificijs & ſpectaculis delectãtur, ſic multi propter hanc uarietatem pulcherrimam arbitrãtur. Et maxime quidem. Atqui facile eſt ô beate in hac ciuitate rempub. quærere. Quamobrem? Quoniam omnia re rumpub. genera propter licentiam habet: ac uidetur neceſſarium illud qui rempub. inſti tuere cupit, quod modo nos fecimus, popularem ciuitatẽ ingreſſum, eam reipub. conſti tutionem quæ magis placeat ſibi, deligere, quaſi rerumpub. nundinas adeuntem, atq; ita eligentem, ciuitatis modum ſtatuere. Fortè exempla huic nequaq; deerunt. Quid ue ro? an nõ dulcis hæc prima fronte atq; diuina uidetur uita, ut neq; cogaris in hac ciuitate magiſtratibus fungi, nec etiam ſi ad id ſufficias, neq; parere ſi nolis, neq; bellũ gerere alijs bellum gerentibus, neq; pacem agere agentibus alijs, niſi id placeat? Vel etiã ſi qua te lex imperare uetet, & ſententias ferre: nihilominus & imperes, & ſententias feras in iudicio: modo tibi hoc uiſum fuerit? Fortè ſic primum uidetur. Quid autem manſuetudo damnatorum quorundam? nónne decora? an nondum hac in ciuitate uidiſti homines mor te, uel exilio condemnatos, nihilominus urbem incolere, ac prodire in medium, & ſæpe quaſi nemo id uideat, aut curet, inſtar heroum quorundam per urbem incedere? Vidi equidem multos. Indulgentia uero ipſius nimia, & ſine ulla obſeruatione negligentia eorum quæ nos dicebamus, rem ipſam honeſtantes, quando ciuitatem conſtituebamus: q; uidelicet niſi fortè quis excellenti ſit ingenio præditus, nunq; uir præclarus euadet, niſi à prima pueritia ſtatim honeſtis ſeſe exerceat ludis, & eiuſcemodi omnia frequẽter exer ceat, tanq; quæ alto animo hæc peſſundat omnia, ea inquam, negligentia nihil penſi ha bet ex quibus ſtudijs aliquis ſe ad ciuilia conferat, ſed honorat, ſi quis duntaxat ametur à uulgo. Valde admodum generoſa. Hæc utiq; habebit & horum ſimilia, gubernatio popularis, eritq;, ut apparet, dulcis reſpublica, & ſine duce, ac uaria æqualitatẽ quandam ſimiliter æqualibus inæqualibusq; diſtribuens. Manifeſta admodũ narras. Contem plare quiſnam uir talis priuatim ſit. an fortè primo inueſtigandũ eſt, quemadmodũ in re publica fecimus, quonam pacto talis efficiatur? Ita prorſus. Nónne ita maxime acci dit, ut auari patris & paucorũ potentiæ cupidi filius aliquis ſub parentis moribus nutria tur? Quid ni? Hic ui uoluptates ſuas coercet, quæcunq; ad ſumptus allicíunt, non ad

lucrum

lucrum.quæ quidem uoluptates non neceſſariæ appellantur. Manifeſtum eſt. Num lubet, ne in ambiguitate uerſemur, ut in primis quidem quæ neceſſariæ ſint cupiditates, quæ non neceſſariæ,diſcernamus? Lubet equidem. Neceſſariæ quidem illę merito uocarentur, quas amouere non poſſumus,& quæ cum percipiũtur, nos iuuant.has enim ambas quærere naturam noſtram neceſſarium eſt.Nónne? Maxime. Iure igitur eas neceſſarias appellabimus. Iure. An non recte eas neceſſarias eſſe negabimus, quæ re moueri poſſunt ſi quis aſſueſcat à teneris, quæ ue cum adſunt, nihil afferunt boni, imò plerunq; nocent? Præclare quidem. Accipiamus earũ exemplar,ut quæ utræq; ſint, cognoſcamus,& figura quadam eas inſpiciamus. Sic oportet. Cupiditas utiq; comedendi,cibiq;,& obſonij uſq; ad ſalubritatem,& bonam corporis ualetudinem,neceſſaria eſt. Arbitror. Certe cibi uſus duplici de cauſa neceſſarius, & quia ſine ipſo uita non ſufficit,& quia utilis. Ita eſt. Aliorum uero condimentorum,quatenus ad bonam corporis habitudinem confert. Prorſus. Sin aũt nihil confert uel horum uel aliorũ appetentia ſuperuacua, tum etiam coerceri à teneris poteſt, obſtat aũt & corpori & menti ad prudentiam temperantiãq;, merito nõ neceſſaria nominabitur. Merito. Has igitur ſumptuoſas cupiditates,illas uero quæſtui deditas,quia conferant ad agendum, uocabimus. Quid ni? Idemq; de uenereis alijsq; dicemus. Idem. Profecto, quẽ fucum paulò ante nominauimus,hunc eſſe dicebamus qui talibus uoluptatib.& libidinibus plenus eſt, & cupiditatibus nõ neceſſarijs eſt mancipatus:eum uero qui neceſſarijs,parcum, & paucorũ potentię cupidum. Proculdubio. Rurſus dicimus quẽadmodum ex paucorum potẽtiæ cupido popularis efficitur. Videtur aũt mihi hoc pacto, ut plurimũ fieri. Quonam? Quando iuuenis,ut modo diximus,nutritus ruditer, & aride nimium, fucorum mel guſtat,adhæretq; ardentibus uehemẽtibusq; & callidis animalibus,quæ poſſunt omniformes & uarias uoluptates undiq; cõparare:hinc utiq; exiſtima eam oriri mutationem,qua iſte ex paucorũ potentia quæ in eo eſt,tranſit in populare. Neceſſarium eſt. Nunquid quemadmodum ciuitas mutabatur, dum extrinſecus præſidium alterutri partium præſtaretur,à ſimili ſimile:ita adoleſcentis mutatur ingenium,dum rurſus externarum cupiditatum ſpecies cognata & ſimilis, alteri cupiditatũ ſpeciei earum quæ in eo ſunt,ſuffragatur? Prorſus quidẽ. Quod ſi quæ ſuppetiæ ingenio eius paucorũ imperij ſtudioſo,ſi ue à patre,ſeu à domeſticis alijs ferantur,admonẽtibus, increpantibusq;, ſeditio,& reluctatio,& pugna in ipſo ad ſeipſum tunc naſcatur. Quid ni? Et quandoq; ut arbitror,popularis conditio paucorum ſtatui cedit,& nonnullæ cupiditates partim intereunt,partim excidũt, pudore aliquo in animo iuuenili exorto, unde rurſus excolitur. Fit nonnunquam. Rurſus præter eas quæ exciderunt cupiditates, aliæ coaleſcentes cognatæ propter inſcitiam paternæ educationis multæ uehementesq; fiunt. Sic certe fieri conſueuit. Trahunt porrò ad ſe conſuetudines, ac dum clam ſerpunt, magnum excreſcunt in numerũ. Quid prohibet? Tandẽ iuuenilis animi arcem occupant, preſentientes uacuam eſſe doctrinarũ, honeſtorumq; officiorũ, & uerarum inſuperrationum. Qui ſanè optimi omniũ cuſtodes ſeruatoresq; in hominũ piorũ mentibus exſtant. Summopere. Falſæ uero,& ſuperbæ petulantesq; rationes & opiniones eorũ in locum ſuccedentes,eundẽ talis hominis locũ obtinent. Maxime. Nónne iterũ ad lotophagos illos accedẽs,manifeſte iſtic habitat? Ac ſi ab amicis ſubſidium aliquod laborãti meliori animi eius parti ſubmittatur, ſuperbæ petulantesq; rationes claudentes regij in eo muri portas,neq; ſubſidium ipſum admittunt, neq; legatos priuatorũ ſenum monitus excipiunt,ſed ipſæ prælio ſuperant:& pudorẽ quidem appellantes fatuitatẽ,in exilium turpiter expellunt:temperãtiam uero ignauiã uocantes, reprobantesq; ejiciunt: modeſtiã quoq; in moribus,& in ſumptibus moderationem,tanq; ruſticitatem & illiberalitatem penitus deteſtantur & fugant, & ipſæ unà cum multis futilibusq; cupiditatibus inualeſcũt. Magnopere. Cum hæc depulerunt ex eius animo quẽ occuparunt & purgarunt, magnis impenſis iam initiato, poſt hæc petulantiã,licentiã,prodigalitatem,impudentiam,ſplendidas ingenti caterua coronatas deducũt, extollentes applaudentesq;:dum petulantiam quidem, ingenuam educationẽ:licentiam uero & libertatẽ & prodigalitatẽ,magnificentiam:impudentiã fortitudinem uocant. An non ita quodãmodo iuuenis tranſit ex innutrita neceſſariarũ cupiditatũ affectione, in reſolutã licentiam non neceſſariarũ futiliumq;

Quæ uoluptates neceſſariæ, quę non

uoluptatũ? Plane id conſtat, inquit ille. Viuit deinceps talis, ut arbitror, nihilo magis neceſſariarum q̃ ſuperuacuarum uoluptatũ gratia erogãs pecunias, labores, exercitationes. Verum ſi ita fortunatus eſt, ut neq; ultra modum debacchetur, ſed ſenior factus, & ingenti uoluptatum turba adueniente, non omnes, ſed aliquas admittit, excluſis interim cęteris: nec ingreſſus illis totum ſe dat, ſed ita uiuit, ut æqualiter ſingulis impertiat ſe: ei quę fortè tum incidit, uelut magiſtratui ſummo imperium ſui cõmittens dum ea expleatur, & rurſus alteri nulla neglecta, dum unamquãq; apud ſe alat. Sic accidit. Hic quidẽ rationem ueram nõ accipit, neq; in cuſtodiæ tuæ arcem admittit, ſi quis dixerit uoluptates partim eſſe bonarũ honeſtarũq; cupiditatum, partim uero malarum, & illas exercendas eſſe, & honorandas: has contrà, moderãdas & cohibendas. Verum omnibus his annuit, affirmatq; ſimiles omnes eſſe, & pariter honorãdas. Profecto quiſquis ita affectus eſt, id agit. Nõne ita indies uiuit, ut incidentib. præſentibusq; ſemper cupiditatib. obſequatur? dũ uidelicet aliãs ebrietati modulationibusq; indulget, aliãs aquę potu cõtentus eſt & inedia: interdũ uero gymnaſticæ ſtudijs ſe exercet, nõnunq; remiſſiori animo torpet: quãdoq; philoſophiæ attingit ſtudia ſæpe etiam ſe ad rempub. cõfert, proditq; in mediũ, quicquid obtulit ſors, & dicens, & faciens: ac ſi quãdoq; milites admiratẽ, ad eos fertur: ſin mercatores, ad hos rurſum aduentat, neq; ordine ullo aut neceſſitate uitam ſuam dirigit, ſed iucundã & liberalem, & beatam hanc uitam appellans, hanc aſſidue colit. Scite uitam popularis hominis nullum delectũ uiuendi habentis, narraſti. Abitror equidẽ plenum hũc diuerſis pluribusq; moribus eſſe, pulchrũq; & uarium quẽadmodum ciuitatem illam uideri, quem ſanè multi atq; multæ feliciter uiuere arbitrarentẽ, cũ rerumpub. atque morũ in ſe multa exempla contineat. Ita eſt nimirũ. Eſto nobis uir talis populari reipub. ſimilis, utpote qui popularis merito nominetẽ. Eſto. Reliquum eſt, ut de præclara illa repub. uiroq; præclaro dicamus, tyranníde atq; tyranno. Omnino. Age uideamus ô dulcis amice, quiſnam tyrannidis ipſius ſit modus. Principio q; ex populari oritur, fermè eſt perſpicuũ. Manifeſtum. Eadem igitur ratione ex populari tyrannis oritur, qua ex paucorũ potentia, popularis. Qua? Quod ſibi ciues in paucorũ potentia tam quam bonũ propoſuerũt, per quod & paucorũ potentia inoleuit, id erat diuitiarũ copia. Nõne? Iſtuc ipſum. Inexplebilis itaq; diuitiarũ ſitis, cæterorũq; officiorum negligentia propter ipſum quæſtum eam perdũt. Verum id quidẽ. Quinetiam eius quod in populari bonum cenſetẽ, cupiditas inexplebilis, ipſam quoq; peruertit. Quid in ea potiſsimum cenſeri bonũ dicis? Libertatem. Nam iſtud in populari ciuitate cẽſeri præclariſſimum audies. Ideoq; in hac ſola habitare par eſt eum uirum qui natura ſit liber. Certe nomen iſtud libertas, in hac ciuitate frequentius prædicatẽ. Nónne quod dicturus eram, huius ipſius cupido inſatiabilis, cæterorũq; negligentia hanc mutat rempub. cogitq; tyrãnide indigere? Quo pacto? Quando uidelicet popularis ciuitas ſitiens libertatẽ, malos pincernas præſidentes nanciſcitẽ, & ea profuſius q̃ decet, ſeſe ingurgitãs debacchatur, & principes uelut rigidiores & tyrãnicos accuſans punit, niſi mites admodũ ſint, plurimumq; licentiæ cõcedant. Sic prorſus accidit. Atqui & eos qui principib. parent, obiurgat tanq̃ ſeruiles & precij nullius homines: principes autem ſubditis pares, & ſubditos pares principibus, priuatim & publice laudat atq; honorat. an nõ neceſſe eſt hac in ciuitate ad ſummam libertatẽ homines peruenire? Proculdubio. Atq; hanc inſitam obedientiæ impatientẽ licentiam, ô amice, priuatas irrepere in domos, ſeq; uſq; ad bruta protẽdere? Quo pacto hoc dicimus? Quale uidelicet, ſi pater filio fiat ſimilis, filioſq; metuat, & filius patri ſit par, neq; uereatẽ parẽtes, neq; metuat, utſit maxime liber: inquilinus præterea ciui, & inquilino ciuis æquetẽ, peregrinusq; ſimiliter. Sic accidit. Hæc utiq; & alia nonnulla minora ſimilia his eueniunt. Nempe ea in urbe præceptor diſcipulos timet, eiſq; blanditẽ, diſcipuli præceptores ſpernũt, & ſimiliter pædagogos: atq; ut ſummatim dicã iuniores ſenioribus ſe ſimiles præſtant, uerbisq; & operibus aduerſantẽ. Seniores autem iuniorũ gerunt uicem, & tanq̃ ſcurræ facetijs eos delectant, ne ſeueri impe rioſiq; uideantur. Maxime. Vulgi aũt libertas extrema, ô amice, tali in ciuitate quãta, quando quidẽ empta mancipia nihilominus libera ſunt q̃ emptores: & quãta mulierib. erga uiros, uirisq; erga mulieres æqualitas libertasq; ſit, fermè dicere obliti ſumus. An non ſecundũ Æſchylum dicemus, q̃ nunc nobis in buccã uenit. Sic prorſus inq̃, atq; ego

De tyrãnide & tyranno

ego quidem ita dico: profecto beſtiæ quæ ab hominibus nutriũtur, quãto liberiores hac in ciuitate ſint quàm alibi, nemo niſi expertus crediderit. Nã & catellæ, ut habet prouerbium, perinde acheræ ſunt. Et equi, & aſini tanta per uias libertate progredi cõſueſcunt, ut in obuium quenq; impetũ faciant, niſi ceſſerit. Cæteraq; omnia ſumma aguntur licentia. Meũ certe mihi narras inſomniũ. Nam mihi rus proficiſcenti frequẽter iſta contingunt. Vides quo tandem omnium ſupradictorũ ſumma contendat? Ita ſiquidem hinc delicatus ciuium animus redditur, ut ſi quis paulum quid ſeruitutis afferat, ægre ferant, neque tolerent. Demum uero leges omnes tam ſcriptas q; non ſcriptas cõtemnunt, nequis illis præſit dominus. Manifeſtũ id quidem. Hæc ô amice, egregia illa & elegans reſpub. eſt, ex qua ut mihi uidetur, tyrannis naſcitur. Elegans certe. ſed quorſum hæc?

Morbus porrò qui in paucorũ potentia ſerpens, eam labefactauit, idem & in hac pullulans excreſcensq; nimia ex licentia, popularem ciuitatem iugo ſeruitutis ſubigit. Ac ſummatim exceſſus omnis uerti penitus in contrarium conſueuit, in temporibus, in arboribus, in animalibus, & in rebuſp. maxime. Haud iniuria. Nimia enim libertas haud in aliud uidetur q; nimiam in ſeruitutem conuerti, & priuatim, & publice. Certe id conſentaneum. Quare non ab re dicebam non ex alia repub. q; populari tyrannidẽ ſurgere: extrema ex libertate, grauiſsimam & acerrimã ſeruitutem. Sic oſtendit ratio. At non hoc ut arbitror, ipſe quærebas, ſed quinam morbus idem in paucorũ potentia popularíq; gubernatione innatus eam in ſeruitutem redigit. Vera narras. Dicebam utiq; ocioſorũ & prodigorũ hominũ genus partim fortius & uirilius eſſe, partim ignauius: & illud quidem ducere, hoc aũt ſequi. quos quidem homines fucis in ſuperioribus comparauimus: illos quidẽ fucis aculeatis, hos autem aculeis carentibus fucis. Et merito. Iſti quidem in quacunq; fuerint ciuitate eam turbant, quemadmodũ pituita ac bilis corpus. Quos oportet bonum medicũ & legum fundatorem, non minus q; ſolertem apum cultorẽ, eminus præcauere, primum quidem ne oriantur in ciuitate: ac ſi oriuntur, ut cum ipſis fauis protinus excidãtur. Ita prorſus agendũ. Sic igitur accipiamus, ut perſpicacius quod quærimus, cognoſcatur. Quo pacto? Trifariam popularem ciuitatem, ut re ipſa eſt, partiamur. Vnum quidem hoc genus in ea propter licentiã naſcitur, non minus q; in paucorum potentia. Eſt ita. Longe autem acrius in hac q; in illa. Qua ratione? Ibi quia cõtemptui eſt, & priuatum uiuit, imbelle propter deſidiam fit. In populari autem id genus oñe exceptis paucis præſidet, & quod in eo acerrimum dicit & agit: aliud autem iuxta tribunalia inhærens ſuſurrat, nec tolerat, ſi quis alia dixerit. Quapropter omnia ab hoc genere paucis exceptis in ciuitate huiuſmodi adminiſtrãtur. Et maxime quidem.

Aliud igitur tale ſemper ex multitudine excernitur. Quale? Omnibus enim quæſtum cõſectantibus, qui natura elegantiſsimi ſunt, ut plurimũ ditiſsimi efficiũtur. Conſentaneũ. Hinc utiq; mellis copia & uberior & facilior fucis exprimitur. Quomodo enim ex his qui pauca poſſident copia mellis exprimeret? Diuites, ut arbitror, tales ſuorum herba uocãtur Sic ferme. Populus autem tertium erit genus, quodcunq; ipſi ſua duntaxat curant, nec alienis ſe implicant, haud multum pecunioſi. Quod quidem genus & plurimũ eſt & in populari ciuitate principaliſsimum, quotiens congregatur. Eſt certe. at non frequenter id facere uult, niſi particeps mellis efficiatur. Nõne ſemper eſt particeps, quatenus hi qui præſident, expoliant diuites, diſpertiuntq; populo, ſibi uero ut plurimũ uſurpant? Profecto ita fit particeps. Cogũtur itaq; repugnare hi qui ſpoliati ſunt, pro uiribus apud populum tum dicendo, tũ agendo. Quid ni? Occaſionẽ itaque ab aliis acceperunt, cum ipſi non cuperent, rerum nouandarum, nempe ut inſidientur populo, & ad paucorum imperiũ intendãt animũ. Cur non? Tandem uero poſtquam populũ uiderunt non ſponte, ſed per inſcitiam à calumniatoribus ſeductum conari ipſis iniuriã inferre, tunc ſanè uelint nolint, reuera paucorum potẽtiæ ſtudioſi euadũt, haud ultro uolentesq;, ſed quod illis hoc malum ingerat fucus ſtimulans ac pungens.

Valde quidẽ. Acculationes igitur, litigia, cõtentionesq; mutuæ oriuntur. Et maxime. Ideoq; populus conſueuit unũ aliquem ſui defenſorem creare, eumq; nutrire, & uti magnũ efficiat, confouere. Conſueuit certe. Ex quo patet tyrannũ ex radice tutoria pullulare. Certum id quidẽ. Quæ nam origo mutationis ex tutore in tyrannũ, an uidelicet poſtq; cœpit qui præeſt id agere, q̃d circa templũ Lycæi Iouis in Arcadia fabula

bula refert? Quidnam? Quod quisquis humana uiscera cum aliarum uictimarũ inci
Lupus ex homine sa uiscerib⁹ fortè gustarit,lupus fieri cogitur. Nónne fabulam audiuisti? Equidem. Eodem modo & hic cuius imperio uulgus omnino obtemperat, cognato nõ abstinet sanguine:sed falsis,ut solent, cõfictis criminibus in iudicium trahit eos a quibus timet, & iniusta se cæde cruentat uiri uitam extinguẽs, gustansq; lingua impura & prophano ore generis proximi sanguinem:ac nonnullos pellit,necat alios, suasorem se æris alieni decidendi,agros distribuendi præbens.Quare necesse est eiusmodi hominem uel ab inimicis interfici,uel tyrannidẽ exercere,lupumq; ex homine fieri. Necesse est omnino. Hic quidem aduersus opulentos homines seditiosus. Certe. Nónne ab inimicorũ ui huic periculum imminet,qui si expulsus,inuitis redierit inimicis, tyrãnus effectus reuertitur? Constat. Ac si eum calumnijs publicis expellere nequeunt,uel occidere,uiolentam illi mortem intentant,clamq; insidiantur. Ita certe fieri consueuit. Hinc illa solita tyrannis postulatio sequitur.Nempe omnes qui huc ascenderunt,custodes aliquos corpori,ut auxiliator populi saluus sit,solent à plebe requirere. Maxime. Dat itaque eos plebs de illo nimis sollicita, de se autem nimis secura. Magnopere. Cum hæc uir pecuniosus animaduertit,qui ob pecunias plebi hostis est,tunc certe iuxta oraculum Crœso datum calculosum ad Hermũ fugit, neq; moratur, neq; timidus dici ueretur. Haudquaquam secundo iterum uerereturSanè quisquis comprehensus fuerit, ultimo supplicio afficitur. Necesse. At populi ille defensor magnus magnifice haudquaq; se se gerit,sed alios prosternit plurimos,ipse in curru ciuitatis cõsistit tyrannus ex tutore effectus. Quid prohibet? An uis enarremus beatitudinẽ uiri huius, & ciuitatis in qua uir talis innascitur? Prorsus quidem. Principio quidem omnes salutat, arridens quibuscunq; obuius fuerit,& nomen tyranni recusat,pollicetur multa,& priuatim, & publice,ære liberat alieno, agrosq; distribuit populoq; & familiaribus suis,ac deniq; omnibus mansuetus & mitis esse simulat. Necesse est. At cum primum externos hostes partim sibi conciliauit,partim extinxit,rebus iam pacatis,statim ut populus duce semper indigeat,bellum aliquod nititur excitare. Consentaneũ est. Iu quo illud insuper efficit, ut qui sub eo sunt plurimis exhausti sumptibus, ad quotidianũ uictum conuerti coganẽ, minusq; aduersus tyrannum insidias meditentur. Patet. Quinetiã siquos agnouerit liberali esse ingenio præditos,talesq; ut imperium eius recusaturi uideantur,ut ad eos extinguendos occasionem habeat,hostibus obijcit. His de causis necesse est tyrãnum semper noua bella mouere. Necesse. Qua de re ciues sibi infensos reddit. Summopere. Verisimile est,ut nõnulli eorum qui tyrannidi suffragati sunt, & apud tyrannũ plurimum possunt,audacter tam inter se q; cum eo quæ geruntur,improbẽt,præsertim siqui altiori animo sint. Verisimile. Consentaneũ est,ut hosce omnes tyrãnus è medio tollat,si modo sit dominaturus,quousq; neminẽ relinquat amicorũ uel hostium qui alicuius momenti sit. Manifestũ id quidem. Acute igitur inspicere illum oportet, quis fortis, quis magnanimus,quis prudens aut diues sit. Nempe usqueadeo beatus est, ut seu uelit, seu nolit his inimicus futurus sit, eisq; insidietur, quousq; ciuitatem purgauerit. Egregiam sanè purgationem narras. Contrariam planè medicorũ purgationi. Siquidẽ medici à corpore quod deterrimũ est,abstergunt, quod uero optimũ est relinquũt. Cõtra tyrãnus efficit. Ille quidem sic facere cogitur,si modo sit dominaturus. Beata nimirum necessitate astrictus est quæ illi præcipit,ut uel cum plurimis improbis uitam agat,à quibus etiam odio habeat,uel omnino non uiuat. Talis profecto eius conditio est. Nónne quo infensiores habet ciues,dum hæc agit,eo pluribus & fidelioribus satellitibus indiget? Quid prohibet? Quinã igitur huic fideles maxime? Vnde illos accerset? Vltro aduolabunt undique multi mercede pellecti. Fucos iterum mihi uideris per Canem quosdam dicere,externis & uarijs ex gentibus confluentes. Vere tibi uideor.

Quis autẽ ex indigenis? Nónne aliquis si uoluerit? Quo pacto? Scilicet si proprijs seruis sublatis uoluerit ciues aliquos liberare,& satellitibus suis ascisc̃ere. Maxime quidem,quoniã fidelissimi sibi hi sunt. Quàm præclaram narras tyrãni possessionem,si quidem talibus amicis fidisq; hominibus utitur, cum priores illos perdiderit. Attamen talibus utitur. Atqui mirantur eum amici tales,cõuersanturq; cum eo noui ciues,boni autem uiri oderunt ac fugiunt. Quid uetat? Non temere igitur tragœdia sapiens artificium

cium esse, atq; in ea Euripides excellere uidetur. Quamobrē? Quod & hoc profunda mente cecinit, sapientes tyrannos esse sapientum consuetudine, dixitq; hos sapientes esse qui cum his conuersantur. Quinetiam tyrānidem tanquam rem diuinam extollit: aliaq; permulta hic, aliiq; poetæ. Enimuero poetę tragici utpote sapientes nobis ignoscent puto, & illis qui perinde ac nos rempublicā administrāt, si eos in nostram rempub. nō admittamus, tyrannidis scilicet laudatores. Ignoscent, ut arbitror, quicunq; inter eos uiri elegātiores sunt. Cæteras uero circumeunt ciuitates, turbam congregantes egregijs grandibusq; & probabilibus uocibus quibus precium nō deest, respublicas in tyrannidē trahunt, & popularem statum. Vehementer. Nónne pro his precium capiunt, honoranturq;, in primis quidem ut ueri simile est à tyrannis, deinde etiam à populari illa republica? At uero quo altius ascendunt in arduum rerumpublicarum uerticem, eo magis eorum deficit honor, ut qui defessus crebriore anhelitu progredi non ualeat. Ita nimirum. Sed ne postquam huc digressi sumus, longius progrediamur, dicamus unde tyrannus exercitum illum suum præclarum, uarium, semperq; diuersum alat. Constat in primis quod siquæ sunt sacræ opes in ciuitate, eas surripiet, cōsumetq; quousq; illa sufficient quæ uenduntur, dum leuiora exigit à plebe tributa. Quid si opes hæ defecerint? Patet quod ex paternis aletur & ipse & collegæ ipsius contubernalesq; & scorta. Intelligo equidem quod populos qui tyrannum genuit, ipsum amicosq; eius enutriet. Ita cogitur. Quid uero si succenseat populus, dicatq;, haud æquum esse ut adultus filius à patre amplius enutriatur, sed contrà à filio pater: neq; se ad hoc eum creasse, ut adulto iam filio, pater ipse, seruis eius seruiens, & ipsum nutriat, & ipsius seruos, & alios præterea omnes undiq; confluentes eius astipulatores, uerum ut à diuitibus his qui præclari & boni existimantur in ciuitate, hoc præside liberetur: atq; ita iubeat populus abire illum è ciuitate, eiusq; amicos, perinde ac pater filium domo unà cum debachantium turba depellens? Agnoscet per Iouem tunc demum populus qualis ipse & quali bestia delectatus sit, dum eam generaret atq; educaret, tum quanto ipso debilior potentiorem eijcere tentet. Quid ais? Audebit tyrannus patri uim inferre, & si non obtemperet uerberare?

Immo uero. nam auferet arma. Patricidam ergo dicis esse tyrannum, durumq; senectutis educatorem. Atq; ut uidetur, hæc proprie est tyrannis, utq; fertur, populus seruitutis liberorum hominum fugiens fumum, in flammam seruilis dominationis incidit, loco ingentis illius & importunæ libertatis, durissimam acerbissimamq; seruorum subiens seruitutem. Ita nimirum accidit. An non igitur probe à nobis dictum fuerit, si sufficienter pertractatū dicamus, quo pacto tyrannis ex populari gubernatione nascatur; & nata quum est, qualis sit? Valde quidem sufficienter.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI IN DIALOgum nonum de Iusto.

SOCRATES quàmplurima de regia optimatum uita tractauit, multa etiam de contraria eius tyrannide disputat, ut & illam tanquam beatissimam cōprobemus, et hanc reprobemus quasi miserrimam. Quod nō solum agitur in octauo, sed nono insuper agitur de tyrannide, qua scilicet ratione potissimum fiat ex populari; qualis quoq; sit, quàm noxia, quàm infelix: quo uidelicet primam quæ in animo sit tyrannidem, totis uiribus deuitemus, uicissimq; regnum animo intimū complectamur. Per hæc statim ad primum redibit disputationis uniuersæ propositum. Quo utiq; statuit demōstrare iustitiam non opinione duntaxat humana esse laudabilē, sed etiam ipsa sui natura & honesta mirum in modum & salutari esse ante omnia uenerandam. Iniustitiam quoq; non ob metum uel legum uel infamiæ solum uituperandā esse, sed etiam propter ipsum maleficæ naturæ suæ uenenum procul effugiēdam. Iustitiam uero cum nominat, aliàs legalem communemq; designat iustitiam, uirtutem scilicet uniuersam sub legum prouidentia institutam: aliàs iustitiam magis propriam siue distributiuam, per quam & in ciuitate pro meritis honores, præmia, pœnæ distribuuntur, et in anima partibus animæ pro dignitate naturæ actiones & munera tribuuntur: siue cōmutatiuam, per quam & in ciuitate æquo & legitimo precio res, uel rebus, uel pecunijs cōmutantur, & in animo ita quasi similiter cōmutantur officia, ut quantū ratio inferioribus consuluit, tantundē uires inferiores pro rationis imperio necessaria submi nistrent. Inter hæc nota tyrānicū animum ita perturbatum esse, ut proprie iudicetur libidine perditus et temulentus, & furiosus atq; immanis. Quippe cum quasi fera immanibus ijs libidinibus rapiatur, quarum feritatem cæteri

ſolum ſomniantes interdum experiuntur. Quæ uero hic ad falſitatem & ueritatẽ & uaticinium ſomniorum pertinent, in theologia abunde tractamus. Conſidera quàm diligẽter mala cõnumerat omnia, quibus ciuitas oppreſſa tyrannide premitur, quámue apte totidem mala ac etiam plura in tyranni animo numerat, adeo ut nihil miſerabilius poſsit effingi. Mox diſputationem totam huc tendentẽ, ut ſapiens iuſtáq; uita uitæ contrariæ præferatur, in tria redigit capita. Primum eſſe uult, quod hactenus eſt tractatum, ex cõparatione uidelicet inſipientis iniuſtiq; hominis ad ciuitatem quandam nulla ſapiẽtia & iuſtitia gubernatã. Vbi profecto apparet & ciuitatẽ illam, & hominem æqua ratione peſsime et infeliciſsime ſe habere. Secundũ uero caput nunc aggreditur, diſtinctionem illam partium animæ repetens in ratiocinandi & iraſcendi & concupiſcendi naturas: quibus tres quoq; uitas accommodat, philoſophicam, ambitioſamq;, & cupidam. cupidam inquam pecuniarum gratia uoluptatum, ideoq; auara etiam nominatur. Tres ſimiliter diſponit partes in ciuitate, magiſtratus, milites, quæſtuarios. Probat deinde uitã uirtute præditam magis eligendam eſſe quàm uitioſam. præterea quod ſit reuera ſuauior. Nempe cum trium illorũ quilibet uitæ ſuæ uoluptatẽ cæteris præferat, ſolus id philoſophus poteſt recte dijudicare. Opus enim eſt ad iudiciũ experientia, prudentia, ratione. Principio quantum ad experientiam pertinet, philoſophus quidem et ſui propriã, & aliorum uoluptates eſt expertus: quo fit ut facile quæ ſit præferenda, cognoſcere poſsit. Cæteri uero philoſophãtis gaudia nunquam deguſtauere, ideoq; uoluptates ſuas cum philoſophantis gaudio comparare nõ poſſunt. Præterea ſolus philoſophus perfecta pollet prudentia, et aſsignandarũ induſtria rationum. quæ quidem duo reliqua ſunt ad iudicium neceſſaria. Cum ergo philoſophus ſapientis iuſtæq; uitæ gaudia ambitioſæ libidinoſæq; uitæ anteponat oblectamentis, iure ex ipſius iudicis ueri ſentẽtia uitam uirtute rectam uitæ uitio diſſolutæ anteferre debemus. Tertiũ deniq; caput inde potiſsimũ exorditur, quod in ſolo ſapiente iuſtoq; uiro uoluptas uera reperiri poteſt. In cæteris autem uoluptatem falſam & umbratilem eſſe conſtat. Quod quidem ita probatur. uoluptates ut plurimum uehemẽtes repletionis quædam ſunt indigentiæ. Atq; ubi & quod impletur & quod implet uerius perfectiusq; eſt, implẽtionis modus purior atq; efficacior: ibi uerior eſt uoluptas, et perfectior et ingentior. Cum igitur intellectus ueritasq; intelligenda ueriorem perfectioremq; naturã habeãt, quàm ſenſus atq; ſenſibile, ac ueritas interius penetret intellectum quàm ſenſibile ſenſum, & ſine mixtione doloris accedat, ſequitur uoluptatẽ intelligẽtiæ ueriorem eſſe atq; perfectiorem. Inter hæc caſu quodam neſcio quid interſerit mathematicum, cuius declarationem ex commentarijs in Timæum accipies opportunius. Attende deinceps ad illam animæ naturæ figuram. In qua ſub multiplicis beſtiæ nomine intellige concupiſcẽdi naturam: ſub figura leonis, iraſcendi uigorem: ſub forma hominis rationem. Et uide quàm expreſſe depingat ambitioſi, iniuſti, libidinoſi hominis uitam, imò miſeram ſeruitutem. Item ibidem accipe formulam, qua poſsis tranſitum animarum in beſtias ita interpretari, ut in beſtiarum affectus & habitus potius quàm in corpora migrare dicantur. Præterea memẽto, quemadmodum in corpore perſpicacia ſenſus, ſanitas, robur, pulchritudo, non opinione, ſed natura ſunt bona, eorumq; contraria mala ſimiliter: ſic in anima prudentiã, temperantiam, fortitudinem, iuſtitiam naturaliter eſſe bona, naturaliter quoq; horum contraria mala. Deniq; accipe totius uitæ formam, per quam ita corporea cuncta diſponas, ut animi temperantiæ conſonent. Atq; eatenus eligas ſingula, quatenus conferant ad animi ſanitatem: & contra quæ hanc impediunt, procul effugias, habites ſemper mentis arcem, atq; ab ea nullis aut illecebris, aut minis te præcipitari permittas. Cum uero & teipſum & alios ita formare uolueris, ſuſpice perſpicuum reipublicæ huius exemplar in cœlo: in cœlo inquam, id eſt, ordine cœleſtium motionum, atq; altius in mente diuina: ut inde tãdem ad ipſius imaginem, teipſum primo, deinde familiam, tertio ciuitatem iuſtè feliciterq; componas.

NONVS DIALOGVS
DE IVSTO.

De uoluptatibus diſtinctis

DEINCEPS conſiderandum reſtat, inquam ego, qua ratione uir tyrannicus ex populari fiat, qualisq; ſit, & nunquid uitam ducat miſerã, an beatam. Certe id reliquũ eſt, inquit ille. Scis quid adhuc deſiderem? Quid? Nondum ſufficiẽter diſtinxiſſe uidemur, quot ſint, & quales cupiditates. Ac niſi id conſtet, obſcurior erit eius quod quærimus inquiſitio. Opportunũ uero adhuc erit. Prorſus quidẽ. ac uide quid in eis noſſe uelim. eſt autem tale. Earum uoluptatum cupiditatumq; quæ non neceſſariæ ſunt uidentur mihi quædam legibus repugnantes, omnibus ineſſe quidem: legibus autem & melioribus cupiditatibus pariter cum ratione caſtigatæ, in quibuſdam hominibus uel omnino obſoleſcere, uel adeo reprimi, ut raræ admodum exilesq; reddantur: in alijs autem uehementiores frequentioresq; euadere. Quas potiſſimum iſtas uocas? Quæ in ſomnis ſæpius excitantur, quoties animi pars illa, quæ rationis particeps manſuetaq; & illius

illius domina est, dormit: ferina autē & agrestis, cū sit immoderato potu atq; pastu repleta, exultat, tentatq; excutere somnum, & solitis libidinibus indulgere. Tunc quippe nihil est quod non audeat, ueluti soluta & libera omnibus uerecundiæ prudentiæq; præceptis: ut aut cum matre corpus miscere uideatur, aut cum quouis alio homine uel deo, sæpe & belua, atq; etiam trucidare aliquem, & impie cruentari, & à nulla prorsus uoragine abstinere: nec ut breui complectar, ab ulla insania uel impudentia temperare. Vera nimium loqueris. At cum quis recte moderateq; habens, quieti se tradiderit, ea parte animi in qua est ratio, excitata & recta, saturataq; bonarum cogitationum epulis, & ad seipsam cō templando cōuersa: ea uero quæ uoluptate alitur, nec inopia pressa, nec satietate affluenti, ut quiescat maxime, neq; optimam partem illam aut gestiendo, aut mœrendo perturbet, sed sinat eam per seipsam solam ac puram considerare, indagare atq; percipere quicquid ignotum hactenus uel præsentium, uel præteritorum, uel futurorum: illa etiam tertia parte animi, in qua irarum æstuat ardor, sedata atq; restincta, usqueadeo ut nulli insensa quiescat: atq; ita inquā partibus quidem duabus pacatis, mente uero erecta, somno se comparet: tunc demum mens pura ueritatem attingit, neq; insomniorum uisa nefaria sese obijciunt. Sic prorsus existimo. Quid plura? Id summatim uolumus: Vnicuiq; inesse speciem quandam cupiditatum diram, agrestem, atq; iniquā, atq; etiam in his qui inter homines maxime moderati uidentur. Quod in somnis fit manifestum. Numquid igitur dicam, & utrum consentias tu uideris. Consentio equidem. Recordare qualem uirum esse diximus popularem. Erat aūt is, qui ab ineūte ætate sub parco nutritus est patre, qui lucri cupiditati indulsit solum, cæteras uero nō necessarias, sed ludi ornatusq; comites spreuit. Nónne ita? Ita prorsus. Conuersatus deinde cum elatioribus uiris, plenisq; libidinibus his quas modo narrauimus, declinare cœpit ad petulantiam omnē, eorumq; mores, paternæ parsimonię odio. Cum uero ingenio meliore esset & corruptores, utrinq; distractus, mediam nactus est utriusq; moris affectionem, moderate utranq; secutus ut ipse putat, neq; illiberalem neq; dissolutam uitam agens, ex paucorū potentię cupido mutatus in popularem. Erat utiq; & est circa huiusce modi uirū hæc opinio. Pone rursus huius iam natu grandis filium, primis ab annis paternis moribus imbutum. Pono. Ponas iterum eadem huic accidere quæ patri contigerāt, ut ad omne trahatur flagitium, & lasciuiētis uitę licentiā, quam tamen hi qui uiuunt, integram nominent libertatē: pater aūt alijq; domestici istis cupiditatib. quas in medio quodam esse diximus suffragentur: alij itē opem suggerant. Vbi uero iam sperauerint uehementes illi incatantores, nutritoresq; tyrannidis, adolescentē se non aliter cōtinere posse, amorem in eo aliquē quibusdam machinationibus excitēt, præsidem tutorēq; otiosorū, & ad libidinē illi subministrātium desideriorū, alatum certe, & ingentē fucum. Nunquid aliud amorē talium esse putas? Nihil aliud. Quādo uero circa ipsum susurrantes cupiditates aliæ refertæ nidore, unguētis, coronis ac mero, resolutisq; consuetudinum talium uoluptatibus coaugent prorsus aluntq; desiderium illud, atq; ita fuco aculeum addunt: tunc iam hic animi præses furit omnino, dementiaq; feruet: atq; stipatus inde satellitibus, stimuloq; percitus, siquas intra se frugales & uerecundas opiniones cupiditatesq; offenderit, protinus extirpat expellitq;, quousq; temperātiam omnē animo eijciat, seq; noua insania repleat. Egregie tyranici uiri refers originem. Nónne & olim hanc ob causam amor tyrannus est dictus? Videtur plane. Et ebrius uir, ô amice, nónne tyrannicum gerit animum? Sane. Quinetiā furiosus & extra se positus, non solū hominibus, sed & dijs imperare cōtendit, speratq; se id consequuturum. Vehementer. Tyrānicus autem ô beate, uir reuera fit, quādo uel natura uel studijs uel ambobus temulentus, amori obnoxius, furiosus euadit.

Prorsus ita se res habet. Ita igitur talis uir, ut apparet, efficitur. Viuit autē quo pacto?

Id uero, ut aiunt qui iocantur, mihi tu dices. Dico equidē. Post hæc, ut arbitror, festis indulgēt bacchanalibus, comessationibus, scortis, cæterisq; huiusce modi omnib⁹, hi quorum tyrānus amor intus animi incolens penetralia, regit oīnia. Necesse est. Itaq; multæ profecto diesq; noctesq; uehementes cupiditates multorū indigæ pullulant. Multæ quidem. Cito igitur siqui prouentus extiterint consumuntur. Quid ni? Post hæc utiq; fœnora, & patrimonij dissipatio. Proculdubio. Quando uero deficiunt omnia, necesse est cupiditates uociferari atq; cōqueri, quæ quidē frequētes ardētesq; in nido ani

mi delitescunt: eos autem ueluti stimulis quibusdam perculsos, libidinibus scilicet alijs, præsertimq; amore aliarum omniũ tanquam satellitum duce, iactari efferriq; ad exploran dum siquis quicquam possideat, quod uel fraude surripi, uel ui eripi possit. Maxime. Quapropter coguntur uel undiq; usurpare, uel ingentibus stimulis & doloribus cruciari. Coguntur plane. Num quemadmodum nouæ cupiditates ipsius adultæ, pristinas exuperarunt, & quæ illarũ erãt, usurpauere: ita & ipse iustum esse censebit, ut ipse iunior plus habeat q̃ parentes, & si portionem suam consumpserit, paterna insuper eroget? Cur non? Quod si parentes illi nequaquã permiserint, principio furari, eosq; decipere aggredietur. Omnino. Sin istud non poterit, rapiet iam, uimq; parentibus inferet. Sic arbitror. Ac si pater materq; senes, ô mirifice uir, resistant repugnẽtq;, nunquid eos uerebitur, atq; ita se cõtinebit, ut nihil agat tyrãnicũ? Patri equidem ac matri sic affecti hominis timeo. Per Iouem, ô Adimante, inquam ego, nunquid gratia nuper amatæ cu iusdam concubinæ non necessariæ, amicã iam olim necessariamq; matrem, aut gratia speciosi alicuius nuper amati adolescentis non necessarij, deformem & necessarium senẽ pa trem, & amicorum omnium antiquissimum, tibi uir talis uidetur uerberibus obiecturus, eosq; illis subiecturus, si eandem in domũ induxerit? Per Iouẽ, omnino. Quàm beatum esse uidetur tyrannicum filium genuisse. Non multum. Quid uero? cum parentum supellectilis nõ sufficiet, in eoq; iam erit examen confertissimum uoluptatũ, an non primo parietẽ alicuius perfodiet domus, uel nocte serius euntis palliũ rapiet? deinde etiam templum aliquod expoliabit? atq; in his omnibus eas quas olim à pueritia de honestis & turpibus, quasi iura quædã quibus iudicabatur, opiniões habuerat, illæ quæ nuper seruitutem exierunt, tanquam satellites stipantes amorem, unà cum eo iam superabunt: quæ quondam dormiente illo per insomnia tantum soluebantur, cum adhuc sub legibus paternisq; præceptis populari in seipso institutus esset cõditione? tandem uero amoris ty rannide irretitus, qualis raro erat in somnis, talis semper erit uigilans? Nã cæde impia nul la abstinebit, nec ingluuie, nec facinore: sed tyrannice in ipso amor omni cum licentia & transgressione uiuens, utpote qui solus sit dominus, subiectum sibi hominẽ tanquam ciuitatem imprudenter ad omnia rapiet: unde & seipsum & turbam suorum satellitum nutriet, partim extrinsecus ingressam ex improba quadam cõsuetudine, partim intrinsecus ex eisdem moribus ab ipso solutam & manumissam. Nónne hæc talis hominis uita? Hæc prorsus. Ac si pauculi tales in ciuitate sint, reliqua uero multitudo omnis modesta, quia istic locus non sit, profecti, tyrannum alium stipabunt: acceptaq; mercede, si cubi ei bellum est, iuuabunt, si uero locus ipsis sit in eadem istic ciuitate mala multa minuta com mittent. Qualia? Furabuntur, parietes perfodient, marsupia incident, expoliabunt prædabunturq;, sacra rapient, captos homines seruire cogent, necnon calumniabuntur quandoq; si dicendo ualent, periurijsq; decipient homines, & muneribus corrumpentur iudices. Minuta hæc dicis mala, si pauci tales sint? Hæc quidem si ad maiora cõparen tur, dicuntur exigua. Atq; hæc omnia ad tyrannum comparata malicia miseriaq; ciuitatis haudquaquã, ut prouerbio dici solet, ad scopum accedunt. Quoties enim in ciuitate tales multi reperiuntur, eosq; alij sequuntur multi, sentiuntq; ingentem snorum copiam, tyran num procreant insciția plebis, eum præ cæteris, qui inter illos ita est affectus, ut in animo suo tyrannum habeat potentissimum. Consentaneum id quidem. Tyrannus quippe is erit potissimus. Nónne facile id sit, si cesserint omnes? Sinautẽ ciuitas tyrãno huic ob stiterit, tunc sanè is quemadmodum in superioribus patrem matremq; subegit, sic rursus & patriam pro uiribus subiget, alios inducens iuuenes, hisq; seruire coget olim sibi charã patriam matriamq;, ut more Certensium loquar, tam educatione quàm habitu: atq; is erit cupiditatis eius hominis finis. Sic prorsus. Nónne isti tales priuatim fiunt antequam dominentur? Principio cum his conuersantur ut plurimum, qui blandiuntur illis, & in omnibus assentantẽ. Ac si qua re indigeant, idem & ipsi agunt, submittũt se, & quãcunq; gerũt personã tanq; domestici. Voti uero compotes cũ facti sunt, extraneos se esse declarãt. Et maxime quidẽ. Omnẽ ita ætatẽ agunt. Amici quidẽ nemini unq;, semper autem dominãtes alicui, uel alicui seruientes. Libertatẽ uero et amicitiã ueram nunq; ingenium tyrannicũ gustat. Maxime. Nónne huiusmodi homines iure infidos nominabimus? Iure. Quinetiã iniustos quàm maxime fieri potest, si modo in superioribus recte in-

uicem

uicem quale quid iuſtitia ſit conceſsimus. Recte quidem. Concludamus igitur, qui ſit uir peſsimus. Eſt autem is qui talis eſt uigilans, qualē ſupra figurauimus ſomniantem.

Omnino. Talis utiq; fit, quiſquis cum natura tyrānicus maxime ſit, ut ſolus domine tur aſſequitur, & quo diutius in tyrannide uiuit, eo magis eſt talis. Ita neceſſe eſt, inquit Glauco, partibus reſpondendi ſuſceptis. Quiſquis iniquiſsimus apparet, & miſerrimus apparebit: & qui diutiſsime maximeq; potitur tyrānide, maxime & diutiſsime iniquiſsimus reuera eſt & miſerrimus. Multis autem multa uidebuntur. Ita ſe hæc habere neceſſe eſt. Tyrānicus uir ciuitati tyrānide oppreſſæ ſimillimus. Popularis uir populari. cęteriq; ſimiliter. Quid ni? Sicut ſe habet ad ciuitatē ciuitas uirtute & felicitate, ita uir quoq; ſe habet ad uirum. Nihil prohibet. Quomodo ſe habet tyranno ſubiecta ciuitas ad eam quę regi paret, qualem primo deſcripſimus? Contrà omnino. Nam una quidem optima, altera peſsima. Haud interrogabo quam dicas. Conſtat enim. Verum de beatitudine atq; miſeria eodem modo an alio iudicas? Neq; uero tyrannicæ ciuitatis ſpeciem admiremur, ad ſolum tyrannum reſpicientes, aut ad eos paucos qui cum eo rerum potiuntur, ſed ut decet omnem penitus ciuitatem ingreſsi, luſtremus ſingula, & ad cuncta conuerſis oculis feramus ſententiam. Probe admones. Conſtat autem apud quemlibet nullam ciuitatem tyrannide preſſa eſſe miſeriorem: nullamq; rege gubernata, beatiorem eſſe. Si idem circa uiros obſeruari iuberem, num recte præciperem? uidelicet ſi cenſeam ei iudicium permittendum, qui cogitatione poſsit tyranni mentem irrepere, ac mores penitus introſpicere, neq; ut pueri ſolent, exteriora intuens obſtupeſcat, dum tyrannicam illam aſpicit pompam, quā procul illi intuentibus frequēter oſtentant, ſed perſpicaciter iudicet. Si inquam eum nobis audiendum cēſeam, qui diſcernere ualeat, quiq; unà & habitauerit, & domeſticis actionibus interfuerit, tum qui nouerit quo pacto erga familiares ſingulos ille ſit affectus. Nam in his maxime qualis ſit apparet, omnem ſcilicet tragicum exutus apparatum: rurſusq; popularibus in periculis. hæc omnia dignoſcētem ſi iubeam declarare quo pacto ſe ad alios tyrannus habeat, quod ad beatitudinem miſeriamq; pertinet: nunquid recte iuberem? Recte admodū & iſta iuberes. Vis'ne fingamus & nos ex eorum numero eſſe, qui iudicare poſsint, atq; illis adhæſerint, ut aliquē habeamus qui ad ea quæ interrogamus reſpondeat? Volo equidem. Age itaq;, ſic cō ſidera ſimilitudinem, memoriam repetens & ciuitatis, & uiri, atq; ita ſigillatim uiciſſimq; utriuſq; affectus animaduerte. Dic quales. Principio, liberam ciuitatem tyrannicam dices, an ſeruam? Maxime omnium ſeruam. Attamen in ea dominos ac liberos inſpicis. Plane, ſed exiguū quidem iſtud: uniuerſum uero, ut ita dicam, in ipſa & præſtantiſſimū genus, turpiter ac miſere ſeruū. Si igitur ciuitati uir ſimilis, neceſſe eſt in illo eundem eſſe ordinē, multaq; illiberalitate & ſeruitute eius animū opprimi, easq; animi partes ſeruire, quæ præſtantiſsimæ ſunt: exilem uero partē, ignauiſſimā, dementiſsimāq; dominari. Neceſſariū. Quid porro? Seruum an liberum huiuſmodi animū appellabis?

Seruum. Atqui ſerua & tyranno ſubdita ciuitas, miniме quæ uult agit. Nimirum.

Tyrannicus igitur animus minime quæ uult efficiet, ut ſic de toto animo dicam: ſed ſtimulo ſemper percitus uiolento, perturbatione pœnitētiaq; redundabit. Quid ni? Tyrannicā ciuitatē, diuitem ne, an pauperē eſſe neceſſe eſt? Pauperē. Animum quoq; tyrannicū, mendicū ſemper & inexplebilē neceſſe eſt eſſe? Eſt ut dicis. Metu uero ſollicitari an nō neceſſariū eſt ciuitatē talem, talemq; uirum? Valde. Lamentationes præterea, ſuſpiria, fletus, anguſtias cenſes in alia ciuitate frequentiores te reperturum? Nullo pacto. In homine inſuper alio talia quædam plura ineſſe putas q̄ in tyrānico iſto, qui cupiditatibus amoribusq; inſanit? Quonam pacto? Profecto ad hæc reſpiciens omnia, cæteraq; generis eiuſdem, ciuitatem tyrannicā ciuitatū omniū eſſe miſerrimā iudicaſti. An nō recte? Summopere. Verū de uiro rurſus tyrānico quid ais, quoties eadē hęc animaduertis? Lōge cunctorū dico hūc eſſe miſerrimū. Hoc nō recte dicis. Quāobrē? Nondum hic eſt, ut arbitror, talis maxime. Quis ergo? Iſte forſitan tibi hoc miſerior eſſe uidebitur. Quis inquā? Qui cū natura tyrannicus ſit, uitam nō agit priuatam, ſed eſt infelix, & ſorte quadam eo deducitur, ut tyranniде potiatur. Ex his quæ dicta ſunt, uera te loqui cōiecto. Ita eſt. Verum talia quędā non opinari oportet, imò uero diligentiſsime ratione tali inueſtigare. De maximo enim quodam nobis diſceptatio

eſt

eſt,bona ſcilicet uita,ac mala. Scite. Attẽdite itaq; ſi quid dicam. Videtur enim mihi ex his de hoc eſſe conſiderandũ. Ex quibus? Ex unoquoq; ſcilicet priuatorum,quotcunq; ita diuitijs abundant ut multa habeãt mancipia. Iſti nanq; id tyrannis habent ſimile,quòd multis imperant. Intereſt autem, quòd tyrannus pluribus dominatur. Intereſt utiq;. Noſti quod hi ſecuri cum familia uiuunt, neq; famulos metuunt? Nempe. Quid enim metuant? Nihil. Sed nunquid cauſam tenes? Equidem, quoniã uidelicet ciuitas uniuerſa ſingulis priuatorũ ſuccurrit. Præclare loqueris. Quid ſi quis deorum uirum unũ cui quinquaginta uel plura mãcipia ſint, educat è ciuitate unà cum uxore ac liberis,conſtituatq; in ſolitudine cum rebus ſuis omnibus,atq; mancipijs,ubi liberorũ hominum nullus ferre huic auxilium poſsit,quali eum & quanta formidine uexatum iri exiſtimas,ne forte mancipia ipſum & filios & uxorem interimant? Summa, ut arbitror. An non cogetur ſeruis quibuſdam blandiri, pollicericq; multa,& manumittere, cum ſibi nihil opus ſit? Vnde & ad miniſtros ſuos ipſe adulator erit. Cogetur penitus uel ita facere,uel perire. Quid? ſi alios adhuc deus in ea regiõe diſpoſuerit proximos illi cõpluri mos,qui nequaquã ſuſtineãt ut alter alteri dominetur,ac ſiquidẽ deprehenderint ſibi dominium uendicantẽ,ſupplicijs extremis afficiant? Deteriorem admodum eius conditionem fore cenſeo,ſi hoſtium uallo includatur. An nõ tali quodam carcere clauſus eſt tyrannus,natura talis exiſtens qualem in ſuperioribus explicauimus,multis uidelicet diuerſisq; timoribus & amoribus agitatum? Cum uero ingenio ſit apprime cupido, huic ſoli neq; egredi uſquam licet,neq; inſpicere quæ liberis hominibus lubitum eſt: ſed intra ædium parietes formidoloſus ueluti mulier cõmoratur, inuidens ciuibus alijs ſiquis extra mœnia ſpatiatur,& boni quicquam ſpectat. Sic prorſus. An non ab huiuſcemodi malis plura inſuper incurrit uir ille,qui male ſeipſum gubernans,quem & tu modo miſerrimum iudicabas tyrannicum,haudquaquã priuatus uiuit, ſed fortunæ ui quadam ut tyrannidem exerceat cogitur: cumq; ſibi ipſi imperare non poſſit,alijs imperare contendit: perinde ac ſiquis imbecillo corpore,& ſuis ſe uiribus non ſuſtinente,cogatur ut quietem agat ſecum ipſe nunquam,ſed aduerſus alia corpora certet ac pugnet. Simillima inducis ô Socrates atq; ueriſsima. Nónne igitur ô amice Glauco miſerabilis omnino hæc eſt conditio,duriorq; uita eſt hominis nacti tyrannidẽ,ea uita quam tu ſupra duriſsimam iudicabas? Valde. Eſt autem re ipſa,quamuis alicui non uideatur: uere tyrannus uere ſeruus,extremæ adulationi ſeruitutiq; aſtrictus,libidinis nequiſsimorum hominum adulator: qui appetitus ſuos explet nunquam, ſed plurimis indiget ſemper,atq; inops reuera eſſe apparet,ſiquis penetralia animi ipſius inſpexerit. Pauore quinetiam perpetuo territus,& ſolicitudine anguſtiaq; uexatus,ſi modo ciuitatis eius ſtatui cui præeſt,ipſe eſt ſimilis. Similis autem exiſtit. An non? Et maxime quidẽ. Præter hæc uiro huic illa etiam tribuemus quæ antea memorauimus, quòd neceſſe ſit eum & eſſe prius,& poſtea multo magis cum tyrannidẽ eſt adeptus,inuidum, iniuſtum,expertem beneuolentiæ,impium, omniſq; nequitiæ ſentinam ac fomitem fieri,ex hiſq; cunctis eſſe miſerrimum, atq; alios etiam qui adhærent ipſi, ſimiles reddere. Nullus mentis compos hic contradixerit.

Cur paterfamilias nihil metuat multitudinẽ ſeruorum

Miſerrimares tyrãnus tyrãnidem nactus

Age,quemadmodũ iudex omnia circumſpiciens de ſingulis iudicat,ita tu in preſentia proferas,qui tuo iudicio primus beatitudine,qui ſecundus: cæteroſq; gradatim qui in numero quinq; ſunt,enarra: Regium,honorifici imperij ſtudioſum,paucorũ potentiæ cupidum,populare,atq; tyrannicũ. Ac facile iudicium iſtud. Nam uelut ſim ingreſſus, iſtos quaſi choros uirtute & prauitate,beatitudine & huic contrario inter ſe cõparo atq; iudico. Num præconẽ conducemus? an ego hæc potius pronunciabo? Ariſtonis filium iudicaſſe uirum optimũ,& iuſtiſsimum eſſe,beatiſsimum, eumq; eſſe dixiſſe hominem maxime omnium regium,ſeq; ipſum regentẽ. peſsimum uero & iniquiſsimum, eſſe miſerrimum, talemq; eum eſſe qui maxime tyrãnus ſit,ſeq; ipſum & ciuitatẽ tyrannide premat?

Ita ſit promulgatũ. Nunquid adijciam, ſiue lateant ſic affecti homines, ſiue non lateant homines pariter atq; deos? Adijce. Eſto igitur. Etenim una hæc demõſtratio ſit: ſecundã uero ſi uideẽ, hanc conuenit intueri. Quænã iſta? Poſtquã ſicuti ciuitas tres in ſpecies diuiſa eſt,ita & cuiuſq; anima trifariam diuidetur,ut arbitror: atq; hinc demonſtratio ſecunda naſcetur. Quænam? Hęc. Cum tres animę partes ſint, tres quoq; uoluptates eſſe uidẽtur,ſua cuiuſq; partis propria. Cupiditates quoq; totidem & principatus.

Quo

Quo pacto? Partem unam dicimus qua homo discit. Alterã, qua irascitur. Tertiam uero propter uarietatem uno non potuimus proprio ipsius uocabulo nominare, sed ex eo quod in se cõtinet maximum uehementissimumq; cõcupiscibile appellauimus, propter uehementiam earum cupiditatum quæ ad cibum potumq; & uenerea rapiunt, & ad ea quæ ista sequuntur: nec non auarum cognominauimus, quoniam pecunijs maxime huiusmodi cupiditates explentur. Recte. Ac si uoluptatem affectumq; eius lucri dixerimus esse, in unam maxime summam reducemus orationem, ut aliquid nobis certum ipsi significemus, quoties id ipsum partem hanc animæ dicimus. Atq; si totum hoc pecuniarum & lucri cupidum nominemus, recte admodum appellabimus. Mihi quidem ita uidetur. Quid uero? Irascendi natura nónne ad potẽtiam, uictoriam, gloriam, trahit tota.

Magnopere. Si igitur eam contentiosam ambitiosamq; appellabimus, nũquid recte?

Rectissime. At uero partem illam qua discimus, constat cuiq; omnem ad ueritatem inuestigandam semper anniti, pecuniarumq; & gloriæ minimam curam habere. Omnino. Si tertium hoc discẽdi cupidum & philosophum nominabimus, haud ab re erit nomen impositum. Est ut ais. Nónne dicimus in animis quorũdam unam illarum partium dominari, in alijs aliam, quancunq; contigerit? Dicimus. Propterea dicimus tria hominũ prima genera esse, philosophũ, contentiosum, auarũ. Prorsus. Voluptatum quoq; species tres hisce subiectas, cuiq; suam. Omnino. Si unũquemq; istorum seorsum interroges, quæ uita istarum dulcissima, suam quisq; cæteris anteponet. Auarus quidem lucri ipsius cõparatione, honorũ uel disciplinarũ oblectamenta nullius existimabit, nisi quid forsan ad argentum conferant. Vera loqueris. Ambitiosus autem quæstus delectationem molestam putat, rursusq; eam quæ discendo percipitur, nisi doctrina inanem & umbratilem hominũ pariat gloriam. Ita res se habet. Philosophum quoq; ponamus cæteras uoluptates floccipendentem, dum eas ad iuge discendi gaudium, quo ipse fruitur inuestiganda ueritate, comparat: cæteras autem non necessarias uocantem, quia illas secuturus nõ sit nisi necessitas cogat. Bene id nosse oportet. Quando igitur cuiusq; uitæ uoluptates ipsaq; uita in contentionem uenient, non de hoc quod est honestius aut turpius uiuere, uel melius, aut deterius, sed de suauiori pacatioriq; uitę statu, qua ratione discernemus cuius sit sententia uerior? Haud satis habeo quid respondeã. Sic autem animaduerte. Quanam iudicare oportet, quæcunq; recte dijudicãda sunt? Nónne peritia, prudentia, ratione? An habet quisquã alia, quibus melius iudicet? Nullo modo.

Attende igitur: Cum tres sint, quisnam horũ maxime expertus est omnes quas narrauimus uoluptates? Vtrum auarus discendo qualis sit ueritas, magis tibi uidetur expertus discendi iucunditatem, quàm philosophus lucri? an potius contra? Permultum interest. Philosophum nanq; necesse est uoluptatẽ alterius à pueritia degustasse. Auarum autem haud quaquã necesse est in ueritatis inuestigatione quanta insit oblectatio percepisse, expertũq; fuisse. Imò uero si nitatur, non facile istud assequitur. Longe igitur auaro philosophus utrarumq; uoluptatũ experiẽtia præstat. Longe. Ambitiosus uero nunquid magis sapientiæ quàm philosophus honoris oblectamenta gustauit? Honor quidem omnes eos sequitur, si propositum sibi officium exequantur. Etenim dives à multitudine honoratur, & fortis & sapiens. Quapropter omnes quãta prouenit ex honore uoluptas usu ipso intelligunt. Quanta uero sit in ueritatis cõtemplatione suauitas, solus philosophus sentit. Igitur quantum ad experientiam attinet, optime philosophus præ cæteris iudicat. Valde. Quinetiam unà cum prudentia solus erit expertus Nihil prohibet. Præterea organum illud per quod iudicandum est, non auari aut ambitiosi hominis, sed philosophi est instrumentum. Quale istud? Per rationes enim esse diximus iudicandum. Diximus. Rationes autẽ præcipue philosophi sunt instrumenta. Patet.

Si diuitijs lucroq; optime unumquodq; iudicaretur, quæ laudaret uel improbaret uir quæstui deditus, necesse esset hæc esse uerissima. Penitus. Si autem honore, uictoria, fortitudine, quæ ambitiosus & ad uictoriam ardentissimus iudicaret. Constat. Postq; uero experientia, prudentia, ratione, necesse est quæ philosophus & rationum uir studiosus laudat, esse uerissima. Quare cũ tres uoluptates sint, uoluptas partis ei⁹ qua discimus erit utiq; suauissima, eiusq; dulcissima uita, in quo hæc pars dominatur. Nihil obstat.

Nempe Philosophus apud quẽ uere iudicandi est autoritas, suam laudat uitam. Quam uero

uero ſecundam eſſe uitam, aut quam ſecundam uoluptatem arbiter ille ponat? At conſtat quòd bellicoſi ambitioſiq; hominis. Propinquior enim illi hæc quàm auari. Poſtremam igitur lucri cupidi uitam locare uidetur. Quid ni? Duo hæc itaq; ſibi inuicẽ ita ſuccedunt, bisq; iuſtus iam uicit iniuſtum. Tertium uero Olympicorum ritu, ſeruatori & Olympio Ioui tribuens, contemplare nullius præterquam prudentis uoluptatem ueram prorſus exiſtere, neq; ſynceram, ſed umbratilem atq; inanem, ut ego ex ſapientum aliquo audiſſe mihi uideor: atq; hic erit grauiſſimus iniuſti caſus atq; ruina. Mirum in modũ.

De medio inter uoluptatẽ & dolorem

Verum quo pacto iſtud ais? Ita certe inueniam, te reſpondente perquirens. Quære. Dic obſecro, nónne dolori contrariam dicimus uoluptatem? Dicimus. Medium quinetiam quoddam ponimus, quod neq; lætari eſt, neq; dolere? Ponimus. Et cũ medium ſit, quietem uacationemq; animi ab utroq;? Nónne ita hoc dicis? Ita plane. Meminiſti qualia eſſe ſolent ægrotantiũ uerba, dum morbo laborant? Qualia dicis? Nihil eſſe dulcius ſanitate, ſed eos latuiſſe aiunt q̃ dulce id ſit, antequã ægrotarẽt. Recordor equidem. Necnõ acerbiſsimis doloribus uexatos homines exclamãtes audis, nihil eſſe dulcius q̃ ea afflictione uacare. Audio. Quinetiam aliꝭ permultis huiuſmodi afflictionibus cruciatos homines audis, dum cruciãtur, uociferantes, aſſerentesq; dulciſſimum eſſe nullo dolore affici, præſentiq; moleſtia eſſe liberum, non autem dicunt dulciſſimum eſſe lætari. Nempe hæc illis quies tunc fortè gratiſsima. At uero cũ lætari quis deſinit, uoluptatis ceſſationem illam moleſtam exiſtimabit? Fortè. Quies igitur illa quam paulo ante utrorumq; mediam eſſe diximus, quandoq; utraq; erit, tũ dolor ſcilicet, tum uoluptas. Videtur. Num fieri poteſt, ut quod neutrum eſt, ſit utraq;? Non, ut arbitror? Atqui quando in animo uoluptas eſt, aut dolor, ambo motus quidam inſunt?

Vtiq;. Tertium uero illud quod neq; dolor eſt, neq; uoluptas, nónne quies aliqua & iſtorũ medium eſſe nuper apparuit? Plane. Quo pacto igitur recte putabimus, nõ dolere quidem ſuaue, non lætari uero acerbum eſſe? Nullo. Iſtud igitur non eſt, ſed apparet, ſi ad moleſtum quidem conferas iucundũ, ſi ad iucũdum uero, moleſtum: idq; tunc medium eſt, & quies. Neq; uiſa huiuſmodi ueri quicquã de uoluptate nobis offerunt, ſed deceptione quadam proueniunt. Sic monſtrat ratio. Vide igitur uoluptates quæ dolorem nullum ſequũtur, ne ſæpius id in præſenti diſputatione ita natura comparatum exiſtimes, ut uoluptas quidem doloris, dolor uero uoluptatis priuatio ſit. Quorum inquit, & quas uoluptates dicis? Multæ quidem & aliæ ſunt, ſed præſertim, ſi animaduertere uis, uoluptates quæ circa olfactum fiunt: hæ nanq; nullo prius antecedente dolore, repente ingentes proueniunt: & cum ceſſant, dolor eas nullus ſequitur. Veriſsima narras. Ne credamus igitur doloris ceſſationem, puram uoluptatem eſſe: neq; dolorem, uoluptatis abſentiam. Non. At uero earum quæ per corpus ingrediuntur in animum, uoluptatesq; dicũtur, fermè maximæ quæq; ac plurimæ tales ſunt, ut dolorũ liberationes ſint.

Sunt profecto. Et quæ circa hæc futura ab expectatione naſcuntur, præguſtationes quædã uoluptatis, atq; doloris, eodem modo ſe habent. Eodem. Scis quales hæc uoluptates ſunt, & cui maxime ſimiles? Cui? Putas aliquid in natura eſſe ſupremũ, infimum, medium? Equidem. Cenſes aliquẽ cum ab infimo ad mediũ fertur, aliud arbitrari q̃ ad ſummũ aſcendere? & dum ſtat in medio, deflectitq; oculos illuc unde uenerat, alibi eſſe opinari q̃ in ſupremo, cum id quod reuera eſt ſummum nõ cernat? Per Iouẽ, non aliter hominem talem opinaturum exiſtimo. Si iterum deferatur, deorſum ferri opinabitur, ac uere putabit? Quid ni? Nónne hæc illi eam ob cauſam contingunt omnia, quia nõdum expertus eſt quid uere ſupremũ ſit, quid medium, quid ue infimum?

Manifeſtum eſt quidem. Nunquid ergo miraberis, ſi ueritatis imperiti homines, tum de multis aliꝭ non recte ſentiunt, tum etiam circa uoluptatem & dolorem, horumq; medium ſic afficiuntur, ut quoties in dolorem incidunt, uere iudicẽt, doleantq; reuera: quoties uero à dolore ſurgunt in medium, & repletionem & uoluptatem aſſequi arbitrẽtur? Et quemadmodum qui iuxta nigrum, ſolum aſpiciunt fuſcum, quoniam non uident album, clariſſimum illud exiſtimant: ita & qui doloris uacuitatem comparant cum dolore, ueram autem experti non ſunt uoluptatem, iudicando decipiantur? Per Iouem non iſtud mirabor equidem. Imò uero ſi contrà eueniret, potius mirarer. Sic autem conſidera. Nónne fames aq; ſitis & cæteri generis eiuſdem uacuitates quædam ſunt corporis

ipſius

ipſius habitudinis? Quid ni? Ignorantia uero & imprudentia uacuitas quædã eſt habitus animi. Maxime. Impletur autem & illud dum alimẽta capit, & hic dum intelligentiam. Quid ni? Quænam repletio uerior? Vtrum quæ per ea fit quæ magis ueriuſq; ſunt, an quæ per alia? Quæ per ea quæ magis ſunt. Quænã cenſes purioris eſſe ſubſtantiæ? Nunquid cibi, potus, obſonij, alimentorumq; quorumcunq; genera? An ueræ opinionis ſpecies, ſcientiæq; & mentis, ſummatimq; uniuerſæ uirtutis? In hunc autem modum iudica. Quod inhæret ſemper ſimili immortaliq; & ueritati, ac etiam tale exiſtit, & in tali quodam fit, magis eſſe tibi uidetur: an illud potius quod re nunc̃q; ſimili atq; mortali, necnon eſt tale, & in tali quodam efficitur? Longe præſtat quod ſemper ſimili eſt cognatum. Eſſentia utiq; rei ſemper ſimilis nunquid eſſentiæ magis eſt c̃q; ſcientiæ particeps? Non. An ueritatis? Neq; hoc. Sinautem ueritatis minus, nónne & eſſentiæ? Neceſſarium eſt. Nónne cõmuniter omnia circa corporis cultum genera minus ueritatem eſſentiãq; participant generibus his quæ circa animi cultum uerſantur? Minus. Nunquid & corpus ſimiliter minus c̃q; animus? Et corpus. Nõne quod repletur his rebus quę magis ueriuſq; exiſtunt, quod ue magis ueriuſq; exiſtit, magis quoq; repletur, c̃q; quod his rebus impletur quæ minus ſunt, ipſumq; eſt minus? Quid prohibet?

Si ergo repleri rebus naturæ conſentaneis, eſt iucundum, ipſum utiq; quod reuera ueroribuſq; rebus impletur, naturalius ac uerius uera afficit uoluptate. Quod autẽ ea quæ & minus ſunt, & minus uera ſunt, accipit, minus uere firmiter ue repletur, fallacioriſq; & falſioris uoluptatis particeps. Neceſſe eſt omnino. Homines igitur prudentiæ uirtutiſq; expertes, & epulis rebusq; ſimilibus dediti, deorſum ferũtur, rurſusq; ad medium uſq; perueniunt, & circa hæc per omnem uitam oberrant: ſuper hæc uero emerguntnunquam, & q̃d uere ſummũ eſt, nequaq̃ ſuſpiciunt, neq; ad ſupera euehuntur, neq; uera ulla re quandoq; fruuntur, neq; ſtabilem puramq; guſtant uoluptatẽ: ſed ueluti pecora humum proni ſpectant, uentriq; obedientes paſcendo coeundoq; ætatem conterunt, proq; his rebus uberius potiundis calcibus inter ſe & cornibus ferreis, unguibusq; decertãt, ſe ſe inuicem ob inexplebilem libidinem trucidantes, utpote qui neq; ueram & firmam ſui partem, neq; pabulis ueris implent. Omnino ô Socrates, uulgi uitam quaſi quodã pandis oraculo. Hos neceſſe eſt uoluptates doloribus mixtas proſequi, quę ſimulachra uoluptatis ueræ & umbræ ſunt, uſqueadeo inuicem doloris comparatione mutua inquinatæ, ut & uoluptates & dolores ex ea comparatione uehementiores appareant, amoresq; ipſarum huiuſmodi uoluptates rabidos inſipientibus pariant, inflammentq; ad pugnam. Quemadmodũ Steſichorus Troianos inquit ueræ ignaros Helenæ de imagine ipſius inuicem decertaſſe. Neceſſariũ eſt omnino ita id ſe habere. Quid uero circa iraſcẽdi naturam? Nónne & alia quædam horum ſimilia contingant neceſſe eſt, quando quis id ipſum peragit, uel inuidia propter ambitionem, uel uiolentia propter contentionis cupiditatem, uel ira propter morum difficultatẽ abſq; ratione ac mente ſequens honoris, uictoriæ, iræq; expletionem? Talia neceſſe eſt & hic fieri. Aſſerere igitur audeamus, quod & circa partem quæſtus auidam, & aliam uictoriæ ſtudioſam, quæcunq; appetitiones tales ſunt, ut ſcientiæ rationiq; obtemperent: easq; uoluptates ſequantur & capiãt, quas ratio ipſa cõcedit, ueriſsimas utiq; uoluptates quoad earum natura uerarum uoluptatũ eſt capax, adipiſcentur, quippe cum pareant ueritati, ac inſuper ſibi proprias uoluptates percipiant: ſiquidem quod cuiq; optimum, id & maxime proprium. Proprium maxime.

Quãdo igitur totus animus cũ ea parte in qua eſt philoſophia, procul ab omni ſeditione cõſpirat, tunc euenit ut quæq; pars officio ſuo fungat, & iuſta ſit, & proprias ſibi uoluptates atque optimas, adde quoad fieri poteſt ueriſsimas, conſequatur. Valde. At uero cum partium reliquarũ aliqua ſuperat, id protinus euenit, ut neq; ipſa ſui propriã repariat uoluptatem, et partes alias cogat alienam minimeq; ueram uoluptatẽ ſequi. Sic accidit. Nõne quæ longiſsime à philoſophia rationeq; diſtant, maxime talia quædam efficiunt. Prorſus. Longiſſime autem diſtat à ratione, quod & à lege & ordine. Videlicet. Lõgiſsimo aũt interuallo ſeiunctæ eſſe uiſæ cupiditates illæ amore ardẽtes atq; tyrannicæ. Omnino. Minimo aũt diſcrepare apparuerunt regiæ appetitiones & moderatæ. Ita. Tyrannus igitur à uera & propria uoluptate procul admodũ erit: Rex aũt illi c̃q proximus. Neceſſe. Amariſsimã ergo tyrannus uitam aget: Rex uero dulciſ-

Quod cuiq; optimũ, id maximepro prium

simam. Necesse id prorsus. Scis'ne quanto uiuit tristior rege tyrānus? Sciam certe, si dixeris. Cum tres cupiditates sint, & una quidem legitima sit, adulteræ duæ, adulterarum tyrānus suprema sortitus fastigia, dum legem fugit & rationem, seruis quibusdā & satellitibus uoluptatibus se cōmiscet, & q̄ longissimo interuallo à uoluptate legitima sit seiunctus, haud facile aliter, nisi forsan hunc in modū exprimi potest. Quemadmodū?

Iustus uir in iustū quantum superet uoluptate

Ab homine paucorū imperij cupido, tertius apparuit esse tyrānus. Medius nanq̄ istorum uir popularis erat. Ita est. Cum tertio itaq̄ uoluptatis, quod ueritatē quidem attinet, simulacro post illū congreditur, si uera in superioribus diximus. Sic est dicendū.

Quinetiā paucorum potentiæ deditus, tertius à rege est, si in eodem optimatem ac regem locamus. Tertius utiq̄. Tripli igitur triplum, numero quidem à uera uoluptate tyrannus distat. Apparet. Planum itaq̄ simulacrū secundū longitudinis numerū tyrannicæ uoluptatis est. Prorsus. Secundū potentiam uero & tertiū augmentum, manifestum est quanto discrepet interuallo. Manifestum quidem computatori. Siquis conuerso ordine quantum uoluptatis ueritate superat rex tyrānum, quæsierit, peracta multiplicatione, inueniet regem uitæ dulcedine superare tyrannum, & tyrannum uitæ amaritudine regem, gradibus uigintinouē & septingentis. Mirabile nimiū interuallū hoc inter iusti & iniusti uiri uitam quo ad uoluptatē atq̄ dolorem cumulauisti. Verus hic certe & conueniens uitis hominū numerus: siquidem ipsis conueniunt dies, noctes, mensesq̄ & anni. Conueniunt quidē. Atqui si in tantū uoluptate bonus iustusq̄ uir malum & iniustum exuperat, mirum certe est quanto etiam magis ornamento, decore, uirtuteq̄ uitæ exuperabit. Mirum certe. At enim postquam huc disputando deuenimus, repetamus quæ à principio dicta sunt, ex quibus ad ista delati sumus. Dictum quando q̄ fuit iniuste agere illi prodesse, qui cum omnino iniustus sit, iustus tamē existimatur: an non ita dictum? Ita. Ad hæc igitur ita in præsentia disseramus, postquam unà conuenimus, quam uim & iusta & iniusta habeat operatio. Quo pacto? Imaginē animæ figuremus, ut qui illa dixit, qualia dixerit, recognoscat. Qualem? Talem aliquā, quales quondam memorantur fuisse naturæ Chimeræ ipsius, Scyllę & Cerberi, & aliæ multæ, in quibus feruntur uariæ in eodem formæ congenitæ. Feruntur quidem. Finge itaq̄ figuram unam bestiæ uariæ admodum, & capita circū multa habentis, capita inquā, partim bestiarum domesticarū, partim agrestiū, quę & permutare & producere ex se hęc omnia possit. Noui pictoris artificiū narras, tamē cū ad fingendū sermo q̄ cera facilior sit, fingatur. Vnam præterea his adiunge superne leonis formā: huic unam insuper hominis. Et amplissimū quidem primum sit, angustius uero secundū atq̄ tertium. Facilia quidem ista, quare & formata sint. Coniūge igitur hæc tria, ut ad unum conficiendum inuicem cohæresçant. Iuncta sunt. Circumpone extrinsecus ipsis hominis unius imaginē, ut illi qui nequeat interiora inspicere, sed exterius duntaxat cernat operimentū, unum animal, homo scilicet uideatur. Circūdedi. Dicamus itaq̄ illi qui asserit prodesse homini huic iniuste agere, iuste uero uiuere nequaq̄ prodesse: eū nihil aliud asserere nisi prodesse illi ut bestiā illam multiplicē pascat & leonē, & fortiorem illam leonemq̄ efficiat: hominē uero perire fame permittat atq̄ eneruet, usqueadeo ut propter imbecillitatē trahatur quocunq̄ cætera illa rapiunt, neq̄ alterum cū altero mansuefaciat, inuicē ue conciliet, imò sinat singula se inuicem morsibus lacerare, ac pugnantia mutuo deuorare.

Omnino hæc diceret, quisquis laudaret iniuriam. Ergo siquis dicat officia iusta prodesse, hæc agēda dicēdaq̄ monebit, ex quib. homo ille huiusmodi animalis interior, summam potentiam cōsequatur, feræq̄ illius pluribus capitibus redimitæ, tanq̄ colonus curam habeat, domestica quidem capita fouens, irrigans & nutriens, agrestia protinus amputans, dum leonis naturā ad hoc adiutricē accipit, cōmuniterq̄ curat omnia, & inuicē mutua beneuolentia sibi conciliat. Profecto hæc ait, qui iustum laudat. Omni itaq̄ ratione qui iusta laudat, uera loquitur: qui uero iniusta, mentitur. Nam & quoad uoluptatem, & quo ad decus, & quo ad emolumentū, iusti laudator uera pronūciat: uituperator autem neq̄ uerī quicq̄ affert, neq̄ nouit quod improbat. Nullo modo ut mihi quidem uidet. Mitibus itaq̄ uerbis illi persuadeamus: neq̄ enim spōte delinquit: sic interrogantes. O beate uir, nōne & honesta uitæ instituta & turpia, ob talia quædā esse dicimus? Honesta quidē, quæ partem naturæ ferinam homini, imo fortasis diuino subijciunt? turpia

uero

uere, quæ agresti domino mancipant mansueta. Consentiet, nec ne? Cõsentiet, si mihi credere erit. Est'ne aliquis cui prosit ex hac ratione iniuste aurum usurpare, siquidẽ accidit, ut dum accipit aurum, præstantissimam sui partẽ ignobilissimæ seruire cõpellat? Etenim si accipiens aurum, filium suũ, uel filiam mãcipiũ efficeret agrestiũ & improborum hominum, haudquaq; accepisse prodesset, neq; etiã si multũ caperet: sin aũt partem sui diuinissimam, parti prophanissimæ sceleratissimæq; seruire cogit, neq; misericordia tangitur, nónne erit miser? ac multo cum grauiori sui pernicie, auri muneribus est corruptus, quàm Eriphyle, quæ ut perderet uiri sui uitam monile illud accepit? Valde quidem, ut ego tibi pro illo respondeam. Nónne & intẽperantiam olim appellatam tali quadam de causa putas, quoniã in ea, dira illa ingensq; & multiplex fera ultra quàm deceat uagatur? Patet. Contumacia uero & insolentia improbatur, quando leoninum & serpentinum illud genus ita superat, ut præter omnẽ modestiam inualescat? Prorsus. Delicata uero mollities in huius ipsius libera nimium relaxatione, quando in ipso timiditatem & ignauiam procreat, reprehenditur? Quid ni? Assentatio insuper illiberalitasq;, cum aliquis hunc ipsum animo sitatis uigorem turbulentæ multiplicisq; bestiæ submittit, ac propter quæstum, eiusq; inexplebilem cupiditatẽ deijcit, atq; ita à primis annis assuefacit, ut ex leone in simiam uertatur. Magnopere. Mechanicus uero mercenariusq; affectus cur infamis habetur? Tunc certe hæc in nobis infamia sunt, quando quis partis optimæ speciem natura sortitus est imbecillã, adeo ut bestijs quæ in eo sunt dominari non possit: colere uero tantum & possit & studeat, & earum blanditias solum nosse.

Videtur. Nónne ut huiusmodi uir à tali quodam duce regatur, à quali & optimus quisq; regitur, seruum ipsum esse debere dicimus optimi uiri, diuinumq; in seipso imperatorem habentis: neq; ad subiecti iacturam, parere illum debere superiori cẽsemus, quem admodum de subditis omnibus Thrasymachus existimabat: sed quia præstat cuiq;, diuino sapientiq; principi subijci, maxime quidem si talem in seipso principẽ habeat: si non habeat, principi huic saltem exteriori: ut omnes simus, quoad fieri potest consimiles & amici, eidem principi subiecti? Recte nimium. Perspicuũ quidẽ ex lege fit, quòd tale quiddã ipsius est consiliũ, cum omnibus ciuibus æque prospiciat: tum illud etiã in pueros inperium idem ostendit, quo prohibentur sui iuris esse tantisper dum & in ipsis quemadmodum in ciuitate Rempub. constituamus, optimamq; ipsorũ partem colentes, ex optima nostri parte exterioris huius principis loco similem quendam in ipsis custodem sibijpsi imperantem creemus, ac tum demum liberos esse permittamus. Constat plane.

Qua igitur ratione ô Glauco prodesse alicui asseremus iniuste uel intemperate, uel turpiter aliquid facere, ex quibus operibus deterior erit, dum pecunias ampliores, aut aliam quamuis potentiam consequetur. Nulla. Quo pacto iniurianti prodesse dicemus, ut & lateat omnes, & non det pœnas? Nónne qui latet, etiã fit deterior? hominis autem deprehensi castigatiq;, pars illa ferina sedatur & mansuescit, domestica uero pars liberatur. Et animus totus in naturam optimam restitutus, eo precioſiorem sumit habitum, temperantiam & iustitiam cum prudentia adipiscens, q̃ corpus cum robur & formam tum sanitatem cõsequitur, quo anima est corpore precioſior. Sic est omnino. Quam obrem quicunq; mentis est compos, huc omnem instituet uitam. Nempe in primis eas disciplinas plurimi faciet, quæ talem animum ipsius efficiunt, cæteras autem spernet.

Manifestum. Atqui neq; corpus colet & nutriet, ut ferinæ irrationaliq; uoluptati indulgeat, neque ad sanitatem id referet, neq; studioſe id quæret, ut robustus, uel sanus sit, uel formoſus, nisi unà cũ his colat & tẽperantiã, ita ut corporis harmoniam propter animi consonantiam moderet. Ita prorsus, siquidẽ reuera futurus sit musicus. Sed neq; uulgi æstimatione cõmotus, ordinẽ, cõcordiamq; in pecunijs possidendis, cumulandisq; mirabitur, in infinitum' ue augebit, infinitis malis obnoxius. Non certe, ut arbitror.

Verum ad interiorẽ sui Remp. semper respiciẽs cauebit ne quid in ea loco suo moueat propter uel indigentiam uel copiã pecuniarũ. Atq; ita semper & in optãdis & in erogandis pecunijs, pro uiribus aget. Summopere. Quin & honores eodem referet. Nam eos duntaxat gustabit, ex quibus meliorem euasurũ se sperat: eos aũt & priuatim & publice fugiet, quibus deturbari posse quandoq; præsentẽ animi sui statũ ueret. Nunquam rem ergo uolet publicam' administrare, si id curauerit. Imò per canẽ, inquã, sed in ipsa

suijpsius ciuitate. Et maxime quidem. Nõ tamẽ in patria forsan, nisi sors quædã diuina contigerit. Intellígo equidem, quòd ea ín ciuitate dícis quam nos condidímus in præsentía, quæ & uerbis solum, ín terris uero nunquam, ut arbítror, extat. At forte ín cœlo illíus extat exemplar, cõspicuum ei qui & intueri uoluerit, & seipsum ad illud, cum intuítus est, instituere. Níhil autem refert, siue uspiam sit, siue erit. Quæ enim illíus offícia sunt, aget solum: quæ alterius sunt nequaquam. Consentaneum est.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI IN DECIMVM dialogum de Iusto.

HACTENVS Socrates diligentissimus humani generis pædagogus ad legalem iustitiam, id est uniuersam uirtutem per ipsam iustitiæ pulchritudinem genus hominum prouocauit, ab iniustitia uero per iniustitiæ turpitudinem similiter reuocauit. Deinceps autem & ad illam per sempiternum eius fructum præmiumq; cohortabitur, & ab hac per sempiternum detrimentum eius et supplicium absterrebit, atq; id est potissimum decimi huius officium. Sed antequã præcipuo hoc fungatur officio, proœmio quodam utitur, in quo diligenter absoluit quod & in prioribus dialogis attigerat, & in fine non reliquerat, admodum saluti publicæ necessarium. Profecto noster hic morborum medicus humanorum in ea morbi specie curanda est diligentior, quã cæteri nõ solum negligenter curant, sed ne curant quidẽ unquam, immo uero quod deterius est, quasi rem saluberrimam diligunt, et omni studio complectuntur: imitationẽ inquam poeticam, qua ingenioſi poetæ dum perturbatos animos acrius exprimunt, interim audientiũ legentiumq; animis perturbationes similes uehementius & profundius imprimunt. Ac tanto magis omnes inficiunt, quanto laudantur & placent. Proœmiũ uero eiusmodi finem noni congrue sequitur: ibi enim anima in rationem distribuitur, & in partes inferiores perturbationibus agitatas, quarum imperium in anima primum, deinde in ciuitate tyrannicum appellatur. At quoniã poetica imitatio partes eiusmodi suscitat: fouetq; et auget, irritans iram, titillans libidinem, soluens risum, effundens lachrymas et querelas, idcirco rationis quidem regnum labefactare, perturbationis uero tyrannidem uidetur adducere. Quamobrem Socrates pestem eiusmodi alioquin iocundam, sed maxime uenenosam perdit, ne ipsa nos perdat. Ac uide quanta charitate Plato noster ubiq; humano generi consulat, ea uidelicet disquirens circumspiciensq; pericula, quæ alius omnino nullus suspicaretur: adde insuper & naturæ educationiq; propriæ, id est poeticæ ualde repugnans, modo strenue pro publica salute propugnet. Quamobrem nemini mirum uideri debet Platonem hic ob ueritatis amorem uel Homero suo nõ parcere, quandoquidem ob iustitiæ cultum, neq; genio quidem indulget suo. Homero autem præcipue derogat, ut per ipsum imitatorum principem, cæteros multo magis damnatos existimemus. Et quoniam dicit ab Homero neq; diuina, neque humana doceri, intellige laudes in Philebo à Platone tributas Homero, non ex Platonis sententia, sed ex communi opinione deductas. Probat autem imitandi peritiam esse, ut narrauimus, ualde periculosam, præterea seruilem atq; uilissimam. Siquidem imitatores, neq; res ipsas intelligunt, neque faciunt, sed apparentes sensibus rerum formas sequuti, uulgaresq; de his opiniones aucupati, & imagines quasdã referunt, & sensibus perturbationibusq; obsequuntur, nulla rationis habita ratione. Quantum uero poetas improbat ubi perturbant, tantum probat si ad uirtutem & pietatem per honestas heroum laudes diuinosq; hymnos hortentur. Verum ut quàm uilis sit omnis imitatio exprimat, artiũ genus in tres diuidit species, utentem, fabricantem, imitantem. Et utentem quidem lyra, id est musicam, ait superare artem lyræ fabricatricem, quoniam certo sibi præscripto fine, formam illi proponit operis fabricandi. Fabricantem uero superare pictorem, lyram coloribus imitantem. Qualem iudicat & poetam, sic ad aures rerum imagines, sicut pictor ad oculos, referentem. Sed inter hæc theologica quædam de ideis mysteria inseruntur, quæ quoniam in theologia latius aperuimus, raptim in præsentia perstringemus. Ascende age Platonice cõtemplator ab ijs formis quas in mundi materia sentis, ad naturam formarum eiusmodi genitricem. Quam & si non sentis, cogita tamen infusam mundi materiæ ceu uitalem spiritum & plenum seminum, & per semina artificiose singula disponentem. Naturam hanc in mundo talem esse scito, qualem in te scis esse potentiã uegetalem. Ergo quẽadmodũ in te uegetali naturæ intelligis præesse sentiendi uirtutem: ita & in mundo naturam similem sed communissimam, in fontem redige sentiendi quasi similem, sed communissimum. Deinde & in te sensum in rationẽ, rationem in intellectum, & in mundo similiter sentiendi genus in rationalem naturã, atq; hanc in genus intellectuale reducas. Præterea cum percipias in te ipso intellectum id quod intelligibile est appetere quasi perfectius, ab eoq; formari uelut potentiore, præpone tam in mundo quàm in te naturã intelligibilem intellectuali naturæ. Intelligibile uero idem omnino atq; ipsum ens appella. Huic deniq; quod & intelligibile & ens appellasti, ipsum præpone bonum. Nam & ut bene sis esse cupis, et intelligibile gratia ipsius boni desideras. Postquam huc ascẽderis, percipies uniuersum sacro quodam septenario designatum, ab infimaq; materia surgens per sensibiles qualitates, per naturam, per sensum, rationem, intellectũ, intelligibile, ad ipsum bonum. Præterea spiritum bonum cũcta sub senario numero quasi die sexto perfeciſſe, et in

gradu

gradu ſeptimo, uelut ſeptimo die, id eſt in ſeipſo conquieuiſſe. Aliorum nanq; omnium finis eſt ipſum bonũ. Boni igitur nullus extra ſe finis, uel poteſt eſſe, uel fingi. Si bonũ quo perficiantur appetunt omnia, conclude à bono effici omnia. Item ſi intrinſeca propriáq; uirtute omnia facit, intellige ipſum uniuerſum in ſeipſo cõplecti. At quoniã prima ideóq; ſimpliciſsima natura eſt, idcirco formas in eo omniũ, formam ipſius unam eſſe memẽto, quam Plato boni ipſius uocat ideam, in qua dixit Timæus deum mundi opificem cum creauiſſet mundũ requieuiſſe, dicẽs mundi opificem in circumſpectum ſuum ſe recepiſſe. Proinde ipſa idea boni: ideas, id eſt, ſpeciales omniũ formas, ſpecie duntaxat inter ſe diſtinctas, in natura intelligibili generat, qua ens uniuerſum modo quodã intelligibili comprehenditur, intelligentia quoq; omnis mira quadam ſuper intelligentiam ratione. In hanc naturam intelligibilẽ omnes ſuſpiciunt intellectus, ab eáq; ſuſcipiunt ſtabiles formulas idearum. Suſcipiunt & rationes animæ, unde & formulas licet quodammodo mobiles acceperunt. Poſt has rationalium formulas animarum, uirtutem quoq; ſenſualẽ, idearum deſcendunt imagines. Deinceps in uegetalem quoq; naturã ſemina, perq; qualitates deniq; in materiã. Quando igitur Plato inquit, deum ideas facere in natura, intellige in natura mundoq; intelligibili angelicarũ capite mentium. Quod autem lectum dixit & mẽſam, exempli gratia dictum ſit, ut per hæc artificia intelligas naturalia, id eſt per lectum & menſam, eum qui his utitur hominem. Præterea exemplum in arte propoſitæ quæſtioni accommodatius uidebatur. Forte uero & formas regulis artium neceſſarias ab ideis abeſſe nõ putat. Neq; mirum uideri debet hominem artium formas habere diuinitus, quum imaginationes artium beſtijs quoq; nõ deſint. Ac ſi eiuſmodi formæ diuinitus in anima fiant, idcirco dicentur fieri in natura, quia naturaliter inſerãtur. Quod ſi quis ad artificia quædam uideatur ineptior, dicent eum Platonici uel per uaria diſtractum fuiſſe, uel ſe totum ad oppoſita conuertiſſe. Nota Platonis uerba dicentis, deum non intelligere ſolum ſed & uelle, ſignificantisq; deũ intra ſe intelligendo cõcipere, & extra ſe fabricare uolendo. Nota rurſus deum naturalis uniuſ ſpeciei unam tantũ ſpecie expreſsiſſe ideam in ipſo intelligibili mũdo, puta ſpeciei humanæ idealẽ humanitatẽ unam: ſi enim in materia ubi innumerabilis mobilisq; uarietas eſt, in ſingulis hominibus unio quædã cõmunis naturæ ſeruatur, multo magis in ſimplici ſtabiliq; natura, pro una ſpecie naturali idea unica ſufficit. Imò uero diuerſa hæc et inſtabilia unã in ſe naturæ cõmunionẽ nõ aliũde habere poſſunt, quàm ab ipſius ſublimis unitate naturæ. Rurſus ſi ponãtur humanitates duæ, certe qua ratiõe utraq; humanitas eſt, inter ſe nõ differũt, imò ſunt unũ. Ergo ſi differãt, profecto per additamenta quædã utriſq; ſubiũcta, inuicẽ diſcrepabũt. Itaq; neutra erit abſoluta humanitas ipſa, ſed humanitas quædam atq; talis, & humanũ quiddã potius quàm humanitas. Et utrũq; tanquam eiuſdem humanitatis particeps, humanum ſimiliter appellabitur: atq; præter hæc erit humanitas in ſeipſa prius una, quàm à ſubiectis pluribus capiatur. Merito deus cum ſit ſimpliciter cauſa, non eſt dicendus autor quidam hominis, uel equi cuiuſdam, ſed autor hominis atq; equi. Ideo unam abſolutamq; pro qualibet rerum ſpecie procreauit ideam. At quãdo apud nos hic homo generat illum, haudquaquam homo hic hominis ſimpliciter dicendus eſt autor, ſed quidam hominis cuiuſdam autor. Neq; enim ſolus homo cauſa eſt, ſed eſt in cauſa, in numero uidelicet cauſarum. neq; totum facit: nõ enim materiam primam, aut animã. neq; ipſi homini dat principium: ante hunc enim paſsim erat homo, & ſine huius opera fit ubiq; fietq; homo. Vbi uero Plato dicit deum ideam unã prægenuiſſe, quia uidelicet, uel nolebat plures fore uel aliqua neceſsitas inerat nõ fore plures, intellige in deo ita neceſsitatẽ cum uoluntate conuerti, ideo ut neceſſariũ ſit ita eſſe, quia deus uult ita eſſe. Siquidẽ in ſumma diuinitatis ſimplicitate nõ aliud eſt neceſsitas quàm uoluntas. Ergo ſi dixeris, neceſſe eſt deum ita uelle uel facere, conuertam ſimiliter, uult deus ita neceſſariũ eſſe. Merito ubi ſumma bonitas cum ſumma poteſtate concurrit, ibidem ſumma libertas cum ſumma neceſsitate conſpirat. Conſideranda ſunt inter hæc diuulſa quædam, ualde tamen utilia. Quale illud. Lectio uel doctrina niſi ad optimam rationem uitæ conducat, eſt inutilis. Qua quidẽ in re admiranda fuit uita & diſciplina Pythagoræ, ac iure maximæ apud omnes autoritatis, Platonis etiam tempore. Item poemata, ſi harmonica uerborum compoſitio adimatur, momenti nullius euadunt. Præterea uirtus, aut hominis, aut rei, in facultate quadam cõſiſtit ad finem illum præcipue conferente, cuius gratia & res ipſa facta eſt, & homo natus. Apparet interea quædam inter ſenſum rationemq; diſunctio, quòd ſenſus plerunq; circa magnitudinem & figuram numerumq; falluntur & pondus: interim tamen ratio per ipſam metiendi & numerandi liberandiq; facultatẽ iudicium ſenſus emendat. Conſtat aũt animam nõ poſſe eodem in tempore per eandem ſui potentiam eadem de re modo contrario iudicare. Apparet etiam uires appetendi nobis ineſſe diuerſas. Quippe cum rem eandem ſimul appetamus atq; reſpuamus. Aduerte nõ eſſe exigendum à probo ciue, ut omnino nihil doleat, ſed ut naſcentẽ dolorẽ eiuſmodi rationibus conſoletur. Vbi apparet aliam eſſe animi partem quæ uelut ægra indiget medicina, aliã quæ tanquã ſana medetur. Hæ uero rationes aduerſus dolorẽ ſunt præcipue quatuor. Prima quia incertũ eſt, bonum ne id ſit quod accidit, aut malum. Secunda, quòd qualecũq; ſit, certe paruipendendum eſt. Nihil enim inter ſomnia humana magnipendẽdũ. Tertia, quod nihil omnino dolendo proficiamus. Quarta, quia dolor id ſemper, quod ſubito nobis præſidio eſſe poteſt, impediat. Cõfirmat hæc ex eo quod & ſuperari turpiſsimum eſt, ſuperare pulcherrimum. Qui uero dolore uel alia quauis perturbatione premitur, iam eſt turpiſsime ſuperatus. Ideo præcipit ut in aduerſis atq; perturbantibus maxime medici dun-

taxat utamur officio, qui dolentibus nõ condolet, sed medetur. Cõparat talorum iactibus quotidianas uitæ sortes, quas ita uult rationibus emendari, quemadmodum iactus talorum artificio quodam ludi emendari uidẽtur. Sed superiora præcepta ad ea quæ sequuntur, quasi quædam præludia sint. Maximũ quidẽ omniũ id nobis in uita propositum sit certamẽ, quo superemus uitium, uirtutemq; cõsequamur, cunctaq; omnino quæ inter homines habẽtur bona, ut ipsi boni simus, pro nihilo habeamus. Siquidẽ propriũ iustitiæ præmium maius est, q̃ cuncta quæ inter homines possunt præmia reportari: quippe cum et ipse iustitiæ splendor supra modũ hæc omnia superet, & in rebus mobilibus, breuibus, umbratilibus reperiri nequeat præmiũ iustitiæ immobili, sempiternæ, uerissimæ conueniẽs. Ex his concluditur immobilem iustitiæ habitum propter immobile præmium exoptari debere. Quod quidẽ post præsentis uitæ curricula laboribus iustitiæ manet. Alioquin iustitia ipsa, quæ excellentissimũ iudicatur bonum, iustis hominibus foret mala ob amores iustitiæ continue laborantibus, sæpeq; affectis iniuria, neq; iniuriam ulciscẽtibus, adde & bona præsentia æternorum desiderio contẽtentibus, neq; præmium apud homines iustitiæ, imò uero pro iustitia iniustum sæpe supplicium reportantibus. Quamobrem ne bonum noceat & iustitia careat præmio, et deus uel minus prouideat, uel pro meritis non rependat, iudicãdum est fore animos immortales. Præsertim ut tam iniusti, qui uiuentes pœnas iniustitiæ non dederunt, saltem defuncti persoluant, quàm iusti inter mortales omnino spreti, apud superos coronentur. Hinc nobile tradit præceptum: Animus immortalis non debet pro breui hoc, sed pro uniuerso tempore esse sollicitus. Immortalitatem animæ Plato in Phædro & Phædone, alibiq; ostendit. Eiusmodiq; ratione esse certas demonstrationes ostendit in libro de Scientia, dicens uerba eorũ qui contraria sentiũt, examinanti ridicula tandem euadere. Item in Gorgia, affirmans mysteria hæc Adamantinis rationibus esse probata. Præterea in hoc decimo, ubi post argumentationẽ subdit, tum per talem argumentationẽ, tum per alias multas cogi nos ad id confitendum. Arbitror equidem in Platonis uerbis uim quandam latere mirabilem à pauciss imis intellectam, ut non mirum sit, si per argumentationes Platonicas alij quidem demonstratũ id existiment, alij uero nõ dum demonstratum. Demosthenì certe auditori Platonis tanta efficacia per uiuam uocem persuasum fuit, ut dixerit: malle se honeste mori quàm turpiter uiuere, postquã Platonem atq; Xenocratem de animorum immortalitate differentes audiuerat. Eandem quoq; in scriptis Platonicis uim percepit Cleombrotus, & apud Cryenem multi Egesiæ auditores, qui sese è corporis carcere ob desideriũ alterius uitæ liberauerunt. Eandem Platonicus percepit Boetius philosophia teste cõcedens hoc sibi certis rationibus demõstratũ. Eandem Aurelius Augustinus persensisse uidetur, ubi ait hac de re se nunquã dubitasse. Cõfirmantur hæc ab Auicenna, rationes quasdã ad hæc demonstrationes esse dicente. Neq; solũ demonstrari posse Plato hic inquit, sed etiã facile demonstrari, apud illos, ut arbitror, qui cũ ipsi purgatã segregatamq; à corpore mentẽ habeant, merito nõ diffidunt posse quandoq; animã segregatam à corpore uiuere. Quãdoquidẽ experiuntur ipsi mẽtem suam seiunctam à sensibus uiuere melius quàm coniunctam. Compertum etiam habent aliorum animas immersas corporibus atq; ideo uitiosas, uitio tamen morboq; proprio non interimi, & idcirco multo minus alieno id est corporeo morbo posse corrumpi. Siquidem & corpus ipsum externo malo non prius perimitur, q̃ intrinsecum inde inferatur malum, quo proxime perimatur. Cæterum ne quis de animæ suæ diuinitate diffidat, iubet illam à cõtractis ex amore corporeo sordibus penitus expurgare, purgatãq; perspicere, q̃ pura, quàm simplex, quàm diuinorũ auida, tanquã diuinitati cognata, quàm cito, quàm bene luminis diuini sit capax. Quod aũt dicit animas in dies nõ fieri numero plures, intellige nõ ita fieri ut ex corporibus oriantur & cõponantur. Quod quidẽ sequens ratio manifestat, dicens: si diuina de corporibus cõponantur, tandẽ cum diuina nunquã resoluantur corpora, fore ut nihil reliquũ sit corporũ in natura. Rursus ad uerte quod subdit animam non esse cõpositam: alioquin indissolubilẽ fore nõ posse. Atq; intellige essentiam ad hoc ut dissolui non possit, oportere uel nullis compositam esse, uel si sit composita, non tamen ex materijs ullis componi, atq; ita rursus conflari, ut in eius compositione multitudo non unitatem, imo uero unitas per harmonicam unionem superet multitudinem, statusq; motum. Conclude mysterium, partim ad prouidentiam, partim ad immortalitatem præmiumq; iustitiæ pertinens. Iustus quidem deo euadit similis, iniustus uero dissimilis. Cumq; non lateat deum, hunc sibi esse similem, illum uero dissimilem, rationi consentaneum est iustum deo charum esse atq; amicum, iniustum contra. Propterea deum iustos tanquam amicos nullo pacto negligere, sed illis semper ita prospicere, ut eis singula quamuis uideantur aduersa tandẽ euadant prospera, uel uiuentibus, uel defunctis. Verum curnam hic historico quodã exemplo potius quàm argumentationũ diligẽtia mysterium immortalitatis asseruit? Quoniam ciues ad iustitiam non tam uerborum artificio, quàm & exemplo & opere sunt prouocandi. Præterea cur ad id confirmandum producit in medium hominem à mortuis resurgentem? Quia & si rationibus immortalitas constet & communis quædam iustitiæ executio, tamen locum, formam, dispositionem uel præmij, uel supplicij ab illo qui interfuerit, oportet accipere. Quod nobis prope Phædonis finem significatur. Neq; ab re resurrexisse te statur Herũ Pamphyliũ, pro salute patriæ in prælio mortuũ, ut significet eos qui pro publico moriuntur bono, ad ueram uitã resurrecturos, quanquã ex multis unus resurrexit ad nostrã. Sed nunquid historia hæc est, an fabula? Historiã esse uult Iustinus Platonicus, martyrq; Christianus. Quod equidẽ nõ reſtillam. Vbi uero Plato apologam fabulamq;

fabulamq; nomina, ex[t] ori poterit historiam dici posse fabulam, quoties ultra res gestas augustiorem habet allegoriam. Quam ob causam Olympiodorus quoq; ait Platonem historias & rationes sæpe fabulas appellasse. Et quoniam manes & iustitiæ loca figuraq; aliter in Phædro, aliter in Gorgia, aliter in Phædone, & hic alibiq; disponit, perspicue patet hæc præter loci formam, sensum quoq; allegoricum continere. Vtitur autem hic circa resurrectionem duodenario numero, qui sphærarum mundanarum apud priscos est numerus, putantes octo super quatuor elementa esse cœlos: quasi dicat opus esse uirtute diuina uniuersi domina ad mortuum suscitandum, idque interdum ad hominum doctrinam diuina prouidentia fieri. Sunt & qui dicant annum magnum quo hominis anima suũ explet circuitum per quem in idem redeat, duodecim annorum millibus comprehendi, tribusq; annis eiusmodi annum mundi exæquari magnum, quo mundi anima per firmamenti motum, suum peragit ambitũ, trigintasex annorum millibus peragendum. Circuitũ uero animæ nostræ per duodecim agi annorum millia inde uolunt, quia oporteat per omnes discurrere sphæras, chorosq; dæmonum & deorum qui in Phædro per duodecim ordines digerun tur. Sed quidnam sibi uolunt hiatus in terra duo, totidemq; in cœlo? ut intelligas animas aliaquidem uia ad terrena descendere, scilicet habitu quodam corporeo. alia uero à terris ascendere, scilicet habitus illius purgatione. E cœlo similiter labi in elemẽta corporis elemẽtalis amore, ac uicissim resurgere in cœlestia amore hoc restincto, cœlestiq; accenso. Hinc ait Orpheus, Amorem omnium tam supernorum quàm inferorum claues habere. Iudices animarum in aere & æthere collocat angelos, prouidentiæ diuinæ ministros. Post sententiam, iusti cœlum petunt coram se & opera & iudicia præferentes: quia uidelicet & seipsos nouerũt, tam sibimet quàm alijs lucent. Iniusti contrà descẽdunt, sua ferentes à tergo. Neq; enim cognouere seipsos, neq; profuere sibi, sed cæteris exemplo sunt potius quàm sibimet auxilio. Pratũ in quo & ascendentes & descendentes ad tempus animæ requiescunt, media quædam regio est inter inferos & cœlestes, ac dispositio inter bonum habitum atq; malum, & status beatitudinem inter atq; miseriam, limbo similis in aere designatus. Hic aduerte animas quæ in superiori uita mutuam notitiam habuerunt, in altera inuicem se agnoscere. Item in eiusmodi prato diutissime residere animas secũdum Platonicos, eorũ qui in infantia decesserunt: de quibus Herus quædam memoria parum digna recensuit. Quia cum in neutram partem deeli nauerint eligẽdo, neq; obduxerint habitum, Platonici eas in lumine tantũ naturali relinquunt. At uero beatos quidem super naturale lumen, miseros autem infra id lumen positos esse putant. Agitur hic præterea de supplicijs purgatorijs. Sed curnam culpa doloribus aboletur? quia uidelicet uoluptatibus inoleuit. Nõne & medici morbos plurimũ à contrario curant? Animaduerte Platonem non temere ad delendam culpam numero uti denario, & centenario insuper, atq; millenario. Sanè pro quolibet uoluptatis gradu decem adhibet supplicij gradus. Primo quidẽ quæritur quam ob causam plures penduntur gradus pœnæ quàm percepti fuerint uoluptatis. Respondetur ob læsæ maiestatis diuinæ crimẽ ita deberi. Præterea sicut beatitudinis gaudia iustitiæ humanæ dolores exuperant, sic miseriæ cruciatus iniustitiæ uoluptates. Deniq; neque tam facile delentur notæ, quàm facile imprimuntur: neque qui peccati habitum confirmauit, si uixisset ultrà delinquere desiuisset. Quæritur deinde cur gradus decem. Quid si Plato Mosaicum decalogum est imitatus? cumq; arbitratus sit eum quodammodo contra præcepta diuinæ legis decẽ agere, qui aliquod ex decem omnino neglexerit, iure decies iudicat cruciandum? Proinde denarius numerus dicitur uniuersus, Omnes enim numeros, uel infra se implicat, uel per se suosq; explicabit replicando. Vniuersus autẽ numerus opportune animis purgandis accõmodatur, ut per hunc significetur uniuersam corporis labem deponendã esse prius quàm ad uniuersi peruenias principem, penes quem nihil potest esse corporeum. Quæritur post hæc, cur præter gradus pœnarum decem, annos centum affligantur iniusti. Respondeo quasi ad centum usque uixissent annos, quo termino uita hominum quodammodo designatur, continue peccauissent. Attribuitur autem cuilibet decem graduum numerus centenarius, unde numerus conficitur millenarius. Hinc illud: Centum errant annos. Item & illud: Mille rotam uoluere per annos. Præterea centum pro uno accipietis. Nam his Plato numeris, non solum in supplicio, sed etiam in quibusdam præmijs utitur. Profectò si denarius in se ducatur multiplicando decies decem, ex eo nascitur centenarius. Deinde si reducatur in semetipsum, computando decies decem decies, millenarius procreatur. Itaque & denarius uniuersus est numerus, & centenarius millenariusq; uniuersales sunt numeri. Itẽ si ab uno procedas in decem, numerus nascitur linearis. Si à decem in centum, superficialis fit numerus. Si à decem in mille, fit solidus. Vt ergo allegorice exponamus, iniusti hominis anima à seipsa discessit in corpus, labeq; est infecta corporea. Hanc utique labem per denarium qui uniuersus est numerus, expurgatura est uniuersam. Quod uero denarium oporteat in se duci centenariũ procreando, significat animam à corpore ad se per rationem emergere oportere. Deinde quòd opus sit denarium in seipsum reducere millenarium generando, allegorice docet animã nõ solum erga se uerti debere per rationem, sed per intelligentiam quoque in se cõuerti, atque ita in unitatem reduci propriam, qua denique possit Deo frui summa omnium unitate. Linearis autẽ numerus & superficialis & solidus, mystice docent ad mentem purificandam, nõ solum extrinsecam operum, uerberum, cogitationum superficiẽ, sed etiam profundissima quæque penetralia diligentissime perquirenda. Post limbum & purgatorium descendit ad inferos. Sed Platonicos uelle scito, non solum in purgatorio temporales esse pœnas, uerumetiam in cœlesti

quadam regione temporalia gaudia, ut utrinq; par pari respondeat. Sic enim distinguunt. Aut sensus in uita omnino paruit rationi, aut omnino ratio sensui, aut semper inuicem pugnauerunt: atq; in ea pugna uel sensus plurimum uel ratio superabat. Animæ igitur in quibus sensus rationi per habitum cõfirmatũ prorsus obtemperauit, sempiternum præmium consequuntur. Contrà uero affectæ, sempiternis supplicijs cõdemnãtur. Mediæ uero, si superauit ratio ad temporalia præmia, sin uero sensus, ad temporalia supplicia transferuntur. Quibus uero nullum cõsultandi datum est tempus, limbus apud Platonicos seruatur eligendi locus, hic sub prati nomine designatus. Et si prata interdum Platonici cœlestia præsertim suprema nominant, hic tamen prata aeream significant regionem. Quo enim pacto hic per prata significaret sublime cœlum, cum dicat ad hæc animas à cœlis alias descendere, alias è terræ uisceribus subito peruenire? Sint ergo eiusmodi prata sublimes quædam aeris plagæ, contiguæ sublimibus illis terræ plagis quas in Phædone describit in paradisi terreni formã, felices sub uere perpetuo habere cultores. Ibidem campos quoq; ponunt Elysios, terrenos inquam. Nam cœlestes Elysios cœlum habet octauum. Hinc illud.

Astra tenent cœleste solum, formæq; deorum. Mitto in præsentia Proclum & Plotinum, qui ubi Plato sempiternum dicit, exponunt uniuersum anni amplissimi tempus, quo singulorum temporũ curricula peragũtur. Porphyrium quadam ex parte in hoc & Iamblichum magis probo, ut hinc intelligantur æterna. Vbi enim Plato insanabilem dicit animum, & talem qui purgari possit nunquã, satis indicat æterna supplicia, atq; uicissim gaudia infinita. Quo uero pacto alij quidam hæc exponant, memoria dignum esse nõ censui. Præterea si Platonis uerba consideraueris, agnosces Euangelicum illud: Ligatis manibus & pedibus, in exteriores tenebras eum mittite. Sed addit hic, ligato capite. Vinculum quidem capitis significat rationis impedimẽtum, & luminis orbitatem. Nodus uero manuum, actionis profectusq; priuationẽ. Deniq; ligati pedes, non ducunt, non progrediuntur, nõ perueniunt, sed ui illata raptantur. Cognosces quoque sub igneorum hominum figura ultores dæmones, pœnasq; corporeas, idemq; ex multis percipies coniecturis. Notabis & proprium exterioris uocabulum. Præterea tenebras, ubi clauduntur hiatus. Sub nomine quoq; mugitus, stridorem dentium atq; fletum. Postquam uero loca & pœnarum dispo suit, & gaudiorum per oppositam formam significauit, et media tetigit, ad illas iam reuertitur animas, quæ in prata partim è cœlo post præmium temporale, partim è terra post temporale supplicium cõfluxerũt. Quas in elementalem rursus generationem dicit oportere reuerti, perq; illam eatenus progredi, quoad firmiorem statum, siue firmissimum quandoq; promereantur. Has inquit, septem in prato dies conquieuisse. Hunc tu septenarium, si per septem planetas interpreteris, item per septem dierum septenarios quibus ante motum fœtus in aluo quiescit, ac etiã per septem quosq; dies in quibus gradatim in utero formæ mutãtur, fortè nõnihil afferre uideberis. Sed quid istud ad animas? quæ neque amplius in planetis sunt, descenderunt enim: & nondum aluo clauduntur, descensuræ enim sunt in uterum postquam ad tria fata peruenerint: Interea aereo corpore aeream incolunt regionem. Verum esto, si placet. Forte etiam quia interim quodam modo uiuunt steriles, sterili quodam numero deputantur: & quoniam septenarius neque ex aliquo numero gignitur aliquoties repetito, neque gignit aliquem intra decem, aptissime cõuenit animabus adhuc utrinq; à generatione uacantibus. Attribuunt Pythagorici eundem numerum Palladi, quia neque ex matre genita sit, neque genuerit. Conuenire uolunt & animis è terrena adhuc matre semotis, & uniuersum sub Palladis sapientia contemplantibus. At quum primum ab eiusmodi uacatione consurgunt, subeunt octonarium, qui & gignitur, & primus est inter numeros solidus. Ideo cum anima congruit propemodum ad corpus solidum accessurum. Solidum uero octonarium appellamus, quoniam ex binario per seipsum ter repetito, & in se redeunte creatur, dimensionem trinam significante. Nam ex bis duo bis, octo complentur. Adde si colis musicam, uocem septimam esse penitus dissonam, octauam uero omnium maxime consonantem. Consonare autem oportet tam corpus animæ quàm utrunque fato, ut cœlestis anima ineat cum corpore terreno commercium. Cuius quidem consonantiæ tandem expletis numeris, animæ iam ipsi & terra dissonet, & consonet cœlum, si modo futura sit felix. Proinde quòd quatuor dies ad generationis progressum, octo diebus Plato subiungit, intellige in natura animã uegetali uim & effectum quendam quodammodo iam regnare ad formandum corpus ex elementis quatuor constitutum. Item sub octaua consonantia opus est quarta quodammodo ad consonantiam accedente, & quinta uera iam consonantia. Quinque uero fiunt, si sequentes quatuor unà cum præcedente computare uolueris. Quinetiã uidebis hic duodenarium assignatum, quo animæ ad exordia generationis accedunt. Duodecim enim ad id opus est sphærarum & diuinorum dæmoniorumq; ordinum adiumento. Vox insuper & consonantia duodecima perfectissima est ex diapason & diapente, ex octaua & quinta resultans, sua quadam gratia rebus congruens amatorijs, conueniens quoque nuptijs. Eiusmodi uero animæ iamiam amore quodam, ut ita dixeris, uenereo duce, terrenis cõciliandæ sunt nuptijs. Sed quur Plato cum duodenarium computaturus esset, ac post septem, residuum esset subiunctũrus, nõ subito dixit quinque? ut uidelicet per octo & per quatuor innueret mysteria quæ audisti: rursusq; per diei unius iter additum ad complendum duodenarium, animaduerteres corpus ex quatuor compositum elementis non prius ad animam præparari posse, quàm & ipsum in unam quintamq; formam quasi cœlo similem, fuerit temperatum, & anima unum ex se uitalem actum corpori facile imprimat figurato. Quoniam uero animæ ad

compositã

compoſita declinantes corpora, fati legibus magna ex parte ſubduntur, & uiciſsim fato duce ad illa labuntur, id circo inquit, has animas in conſpectum fati procedere. Principio igitur naturam ipſam ſub lumine columnari depingit, quod ſit uinculum uniuerſi. Naturam intellige uitalem ſeminariamq; uirtutem ab ipſa mundi anima infuſam materiæ mundi: Quæ propterea lumen dicitur, quoniã penetrans & uitalis. Item recta nuncupatur columna, quia quaſi per longum totam ubique materiam penetrat, multosq; formarum gradus producit deinceps ſpecie & genere differentes. Dicitur etiam per omnem extendi partem, & cœlum undique alligare, quia tota ubique adeſt & continet, multaq; tanquam per latera quædam inter ſe æqualia & ſimilia propagat: ita tamen, ut ex longitudine perueniatur ad latitudinem: quoniam penetrando diffunditur: & quatenus diffunditur, implet, regitq; implendo. Hinc illud: Spiritus intus alit. Varietas uero colorum, ſeminalium uirtutum declarat uarietatem. In hac utique natura, fatalis latet fuſus: ſecundum imaginationem quidem, ipſe ſphærarum axis geminis polis centroq; decorus: ſecundum uero rationem quoddam animæ mundanæ ſimulachrum, uegetalisq; uirtus eius naturæ præſidens, eamq; uelut inſtrumentum mouens ad naturalia non ſolum artificioſe, ſed etiam ineuitabiliter fabricanda: ut non ſolum ordo à natura ſit in mundo, ſed etiam à fato ineuitabilis ordo. Hinc illud in Politico: Mundus à naturali cupiditate fatoq; ducitur. Sed tanta naturæ cum fato cognatio eſt, ut uix inter ſe à philoſophis diſcernantur. Vt autem immutabilem fati naturam exprimeret, fuſum eius eſſe dixit ex adamante. Vertigium autem, id eſt, cœlum ex Adamante rurſus, alijsq; materijs, ſcilicet aſtris non ſolum fixis, ſed & mobilibus atq; communibus, multipliciq; formarum uarietate. Euidenter deinde octo depingit ſphæras, quæ à natura quidem agitantur. ſed à fato naturæ præſide immutabiliter agitantur, et inſtrumenta fati eſſe dicuntur. Inculcantur inter hæc multa ad menſuras, profunditates, interualla, motiones, harmonias, formas, uirtutes, ſphærarum cœleſtium pertinentia, quæ in Timæi commentarijs opportunius explicabimus. Summatim uero ex uelociſsimo & ordinatiſsimo cœlorum motu, potentiſsimoq; conflatu melodiam ingentem & uariam & ſuauiſsimam cogita procreari, grauiores quidem uoces ex motibus tardioribus, acutiores autem ex uelocioribus, ex medijs uero medias. At quoniam elementalis auditus ad cœleſtem melodiam caret proportione, ſonus eiuſmodi non auditur. Hic nouem Muſas atq; Sirenes eſſe cogitamus, octo ſphærarum tonos, concentumq; ex tonis harmonicum. Proinde fatalem fuſum, id eſt tractũ, inquit, inter genua deæ Neceſſitatis uerti. Cui tres ſint filiæ, Lacheſis, Clotho, Atropos, quæ unà cũ matre cœleſtia uoluãt. Mitto quid de his ſentiat Proclus, non ſolum ponens Iouem unum uniuerſalem mundi totius opificem, ſed tres inſuper ſub eo Ioues particulares opifices. Deinceps pari proportione deam unam eſſe Neceſſitatem in ordine illo cuſtodientẽ omnia, in quo communis Iupiter cuncta cõpoſuit. Præterea tria fata, id eſt tris deas huius Neceſſitatis filias, quarum aliæ alia ſub matris imperio procul à tranſgreſsione cõſeruent. Et neceſſitatem quidem deam omnino collocat ſuper mundum, filias autem partim quidem à mundo ſemotas, partim etiam declinantes ad mundum. Mihi uero ſicut et pleriſq; alijs Platonicorum, magis placet, Neceſſitatem eſſe mundi animam. Filias autem tres eſſe tres huius animæ uires ad fatalia pertinentes. Vocat autem Neceſſitatẽ, non quia uel naturæ, uel rationi inferat uiolentiam: ſed quia omnia in ſuo quodam ordine ab opifice rerum inſtituto cõſeruat, neq; permittit quicquam leges illius adeo trãſgredi, quin mox regrediatur in leges. Cœlos uoluit genibus, id eſt infima parte ſui, tanta uidelicet facilitate, ut expeditiſsime interim contemplationis gaudio perfruatur. Sed hanc ipſam uegetalem eius partem tribus appellat nominibus. Lacheſim quidem, quia rerum ſeminibus grauida eſt, & uitarum ſortibus atq; formis, quas deſcenſuris inſerit animabus. Clotho deinde, quoniam inſitas uitæ ſortes ordine ſuo euoluit in actũ uiuendi, & explicat in effectum. Poſtremo Atropon, quoniam uitas iam euolutas in actum progreſſu quodam indeclinabili, ad ineuitabilem uſque terminum cõſeruat atq; cuſtodit. Nonnulli primam nominant Veſtam. Secundã Mineruam. Tertiam uero Martem ſiue Martiam. Deinde quòd dicit Parcas ad Sirenum motus harmonicos canere, accipe: fatales uitas ad effectum per cœleſtes motiones influxusq; procedere. Sedes Neceſſitatis filiarumq; eius oſtendunt fatalis ordinis firmitatẽ, quaſi oporteat mobilium progreſsionem ab ipſa motoris immobilitate regi atq; ordinari. Sediũ uero paria interualla iuſtam, tum inter fata, tum per fata diſtributionem fieri euidẽter oſtendunt. Veſtes albæ tum fatorum naturam inuiolatam oſtendunt, tum innocentem. Nõ enim agit uniuerſo malum, quod ab optimo uniuerſi duce dependet. Corona deſcribit imperium. Cantare eſt per temporum interualla ea congruitate digerere ſingula, qua diuina mens momẽto quidem intuens temporibus dirigenda præſcribit. Hinc fit ut Parcæ omnes temporanea cãtent. Et cur Lacheſis præterita, Clotho præſentia, Atropos uero futura? Reſpondeat Proclus, in præterito quidem tria tempora cogitari. Nam & præteriſſe iam dicitur, & quandoq; fuiſſe præſens, & antequã præſens eſſet, fuiſſe futurum. In præſenti uero ipſum cogitari præſens, quod prius fuerat & futurum. In futuro deniq; futurũ duntaxat agnoſci. Poſt hæc uero declarari præcipuam eſſe Lacheſim. Secundo dignitatis loco Clotho. Tertio Atropon. Verum quur nam Parcæ globos tractant manibus, mater uero nequaquam? quoniam infimæ illius animæ uires cognatiores globis ſunt quàm animæ ipſius ſubſtantia. Quur item Lacheſis gemina tangit manu? quia in exordio & medium continetur & finis. Quur deinde Clotho ampliorem, & ab extrinſeco tangit ambitum atq; dextera? Atropos autem anguſtiorem ab intrinſeco atq; ſiniſtra? Quia euolutio uitæ per media, & ab extrinſeca exorditur cauſa, & amplior eſt,

contingit

contingit quoque prosperior. Ineuitabilis autem terminus, & ab intrinseca iam prouenit proprietate cõcepta, & desinit in angustum. Adde quòd clam surrepit, & ut plurimum contra uotum. Quod autem Parcas inquit, cœlum intermissione quadam temporis tangere, ne putes fatales mundanæ animæ uires modo regere mundana, modo non regere. Si enim mutabilitas sit in fato, cuius propria immutabilitas ipsa est, nihil fingi poterit non immutabile. Plato igitur humano quodã more atque sermone diuina pingens officia, inuenire uult, fata partim res ipsas tractare, partim uero nequaquam: tum quia mundanæ animæ uirtus ipsa suæ integritatis dignitate consistens, actionem suam rebus gubernandis accommodat, ac uicissim dum accommodat non miscetur: tum quia temporalem in operibus uicissitudinem exhibent, & quam intermissionem in operatione sua dicuntur habere, non in se quidem, sed in effectu demonstrant: tum quia naturalia quidem tractat, supernaturalia non attingit. Quæ enim ad rationem puram liberamq;, uel ad diuinam intelligentiam fato superiorẽ pertinent, minime tãgit. Talia enim ad sublimem dei prouidentiam cœlesti fato superiorem miro quodam ordine reducuntur. Similiter in Politico scribitur, mundanas alias à fato, alias à prouidentia regi: non quia intermissa quadam uicissitudine temporum fiat eiusmodi commutatio: sed quia quotidie quædam sub fato fiant, quædam per prouidentiæ leges super fatalem seriem disponantur. Accedit ad hæc quòd animæ nostræ aliàs in prouidentia sunt omnino, aliàs prorsus in fato, aliàs in utroq; simul. Quum enim expedita tantum mente contemplatrice uiuunt, in prouidentia solum, penitusq; libere uiuunt. Quum uero in uegetali parte ad corpus hoc inclinatio inualescit, atque ad imaginationẽ usque talis inclinatio propagatur, ad fatum iam declinantes, pariter à libertate degenerant. At dum composito corpori coniunguntur, iam in ipsum corporis sui fatum sese mergunt, minusq; admodum pristinæ retinent libertatis. Deniq; postquam affectus corporeos in habitum contraxerunt, fato iam funditus obruuntur, omni libertate priuatæ. Quæritur quam ob causam hic animæ naturali quodam instinctu ad Lachesin uideantur accedere. Profecto in generali natura corporeæ machinæ omnium sunt semina specierum, certis non solum formis et modis, sed temporibus quoq; pullulatura. Quinetiam in propria qualibet & cuiuslibet speciei natura similis quidam est seminalis ordo, sed ad speciẽ propriam pertinens propagandam atque seruandam. Similis & in quolibet sub specie indiuiduo fomes procliuitasq; ad singula modis tẽporibusq; proprijs producenda. Tres hæ naturæ deinceps ita dispositæ sunt, ut indiuidualis sequatur specialem, specialis simul & generalem, adeo ut plurimũ quod ex unius natura est, pariter sit ex alijs, & particularis natura cum uniuersa consentiat. Eadem fermè ratione se habet fatum, id est præfiguratio quædam rerum explicandarum, tum in ipsa mundi anima, tum in duodecim sphærarum & siderum animabus. tum etiã in animabus iã quasi particularibus: quarum in numero sunt humanæ. In uegetali ergo uirtute animæ nostræ propriũ quoddam inest fatum, & inuoluta series futurorum, consentiens in forma modoq; & tempore unà cum fatis cœlestium animarum, animæq; mundanæ. Quemadmodum igitur plantæ cuiuslibet germen proprijs quibusdam figuris & suo tempore pullulans, sponte uidetur unà cum uniuersali temporis uerni natura ad idem prouocante concurrere: sic & animæ suapte natura suoq; fato opportune proprias quasdam tunc promunt uitas, quando ad easdem similiter uniuersale conuocat fatum, ita ut animarum chorus suis quibusdam saltandi figuris uariorumq; simul diuersitate saltantium, fatalem imitetur cantum atque sonum. Cantum quidem intelligi malim in cœlestibus animabus, in sphæris uero sonum, in nobis denique saltum. Tali quodam instinctu ad Lachesim animæ, in auspicijs uitæ perueniunt ad sortes suas per sortes Lachesis confirmandas. Confirmantur igitur per prophetam quendam. Propheta hic duo quædam significat, tum uniuersalem primumq; prouidentiæ influxum in animam, tum opportunitatem, sub qua eiusmodi fit concursus, ut animæ ad id ferantur, quò & fatum perfert uniuersale. Quod ergo dicit prophetam disponere in ordinem animas, sortesq; à Lachesi in eas transferre: significat hæc omnia confirmari, tum per prouidentiæ diuinæ fauorem, tum per cõcursus illius opportunitatem. Neque ab re dictum est Parcas uniuersum quidem manibus gubernare, sortes uero animarum è genibus Lachesis accipi. Nam quum uniuersi gubernatio præstantior sit quàm dispositio animarum, merito illa quidem manibus, hæc autem genibus perfici iudicatur. Sedere autẽ in tribunali, autoritatem exprimit & iudicium. Inter sortes uero uitarum atque exempla, talis quædam uidetur esse distinctio: quòd sortes quidem ad uires pertinent uegetales, exempla uero ad imaginationes, superiores quidem uegetali potentia, sed propinquas. Nempe cum primũ in hac potẽtia talia quædam futuræ uitæ semina præ cæteris inualescũt, simul in imaginationẽ quoq; uitæ similis, figuræ & machinamẽta cõsurgunt, affectusq; feruescũt: perinde ut apud nos sanguineam corporis affectionẽ hilaris imaginatio sequitur, cholericã iracunda, melancholicã uero tristis, fœcundã luxuriosa. Hactenus fatalis procedit necessitas. At enim ratio imaginatione superior, cuius est ratiocinatio, consilium & electio, ideoq; motus ad utrunq; liber, percipiens imaginationis figuras atq; affectus, potest eiusmodi uitæ descriptionem probare pariter atq; reprobare. Quam ob causam dicit uirtutem esse à fato liberã, culpamq; in uitæ deterioris electione, eligentis esse, non fati. Nam & si ex fato est tam in cõmuni q̃ proprio nouam iam uitã & nunc ut prius eligere: ex consilio tamen est talem proprie eligere aut talem. Quippe si primam uiuendi formã ab imaginatione oculis rationis oblatam, ratio examinando reiecerit, non deerit statim alia melior, rursusq; alia. Hinc illa prouidentiæ inspiratio propheta cognominatur. Præmonstrat enim rationi quodam iudicij lumine, eam

habere

habere liberam consultandi eligendiq; facultatem, quidue potissimum ex temeraria electione sequatur. Dicitur et propheta sortes fundere, exempla uiuendi proponere: non solum quia prouidentiæ diuinæ influxus quodammodo fatalia sancit, sed quia fatales sortes & exempla fatalia producit in orationis examen atq; iudicium. Quod autem in præconio nunciat animas esse diurnas, exprimit eas & ibi esse in perpetuo die, & uitam quam tanti faciunt, unum esse diem atq; nocturnũ. Addit initium alterius fore circuitus, ut aperiat mysterium animarum à cœlo in terram uicissimq; remeantiũ. Appellat humanum genus non mortale solum, sed ut animæ sua mala præsagiant, addit mortiferum, quasi dicat corporis uitam esse animæ mortem. Pronunciat deinde et si ratio à principio in eligenda uita sit libera, postquam tamen elegerit, in hac quidem reijcienda non amplius fore liberam, licet quandoq; libera futura sit in ea, qualiscunq; sit, aliter atq; aliter cõponenda uel tẽperanda. Si quæras quare aliæ hominũ animæ alias uitas eligant: respondebunt alij speciales quasdam in animarum naturis differentias esse, alij indiuiduales quidẽ atq; proprias, addentq; differentias illi multas ex superioris uitæ diuersitate deductas. Quod & Plotinus ualde confirmat, & sequentibus maxime consonat. Proinde animæ eligentes uitam, simul dæmonem sortiuntur electæ uitæ ducẽ. De hoc alibi multa diximus. Hic ita distingue. Deos Platonici alios cogitant extra mundum mentes scilicet seiunctas à corpore tanquàm intellectuales sphæras, colentes deum unum tanquam ipsarum centrum firmissimum, et stabilissimam unitatem. Alios mundanos appellant, uidelicet ultra diuinum cultum uoluendis mundi sphæris accommodatos. His dæmones subdunt, quasi ministros ad ea quæ uel in specie uel in sphæris uel ex sphæris fiunt, disponẽda atq; componenda. Totidem igitur numerant genera dæmonum, quot in dijs mundanis dæmonum ducibus uires inueniuntur. At uero in quolibet mundano deo unitas ipsa suprema est substantiæ suæ, qua diuinam referat unitatem. Post eam est intellectus, simul omnia contuens, per quem mentes repræsentet angelicas. Item ratio per formas quadam progressione discurrens, talium propria animarum. Præterea imaginatio quædam eatenus per particulares congrediens formas, quatenus per uniuersales ratio ipsa progreditur. Deinceps natura sequitur uegetalis sphæræ uiuifica simul & motrix. Secundum has quinque uires genera quinque dæmonum computantur. Quorum ex numero cœlestes quidem dæmones deorum mundanorum unitatem accõmodate sequuntur: ætherei uero dæmones, id est ignei deorum eorundem intelligẽtiam: aerei dæmones rationem: aquæi imaginationem: terreni uero naturam, quã in dijs appellauimus uegetalem. Sub his orphici, dæmones collocant subterraneos mundanorum deorum corpora infimo quodam ordine referentes, scelerumq; ultores. Quorum hic Plato mentionem fecisse uidetur. Si quæras quales potissimum dæmones duces sint animarum in corpora descendentium, respondebitur non cœlestes, non ignei. Hi enim tanquam sublimiores reducunt animas, non deducunt. Item nec aquæi, neq; terreni. Hi enim tanquam infimæ generationis artifices, non tam ducunt in fatali itinere animam, quàm in præcipitia fati præcipitant. Aerei ergo restant dæmones medij per media duces, qui rationis diuinæ comites humanam rationem in hoc itinere ducunt. Ex horum uero genere dæmonum alij alias dicunt animas, Saturnij quidem Saturnias, Martij uero Martias, alijq; similiter alias, accommodati potissimum singuli singulis, tum ex affectione animi propria, tum ex prouidentia fatoq; communi, maxime uero secundum electæ uitæ formam. Hoc deinceps uitæ duce subeunt iam animæ tria fata, quæ solum ante conspexerant, uidelicet & ita statuente dæmone ordinis totius executore, & iam affectu corporeo gradatim præponderante. Demum post tres Parcas ad Parcarum transeunt matrem: Necessitatem ipsam scilicet, cuius iam experiuntur impulsus. Deinde sub uehementi æstu ire animas, tria significare potest: scilicet corporei amoris ardorem crescere, simulq; curam & sollicitudinem augeri. Item per ignis sphæram è cœlo descendere. Præterea caloris naturalis ministerium ad terrenum corpus uiuificãdum. At quoniam nimia terrenorum cura, cœlestia obliuioni mãdantur, atque per obliuionem ex fertilitate sterilitas accidit, idcirco mox in Letheum, id est obliuiosum descendunt campum penitus sterilem. Et quia ob diligentem mortalium curam, negliguntur æterna, unde & obliuio nascitur & iactura, & reminiscentiæ difficultas, inquit animas in campo Letheo ad flumen Amelitam, id est negligentiæ fundum usque descendere, ibiq; sub nocte recumbere, id est sub diuini luminis priuatione prosterni. Verum quid significat Amelitæ aquam nullo unquam uase cõtineri posse? Poetica hæc quidem metaphora est, significans inferiorem materiam, quæ flumen dicitur, fluitare per formas iugiter atque fluctuare. Item obliuionis uitium, quod est retinere nihil, sed statim effundere. Adde quod nullum extrinsecum sustentaculum seruat animam propria negligentia pereuntẽ. Quod præterea necesse sit ex obliuionis fluuio bibere, patet, quoniam ita fieri ex natura propria, & communi fato & prouidentia est institutum. Bibere autem aut plus aquæ aut minus, ex affectu ad corpus prouenit magis minusue procliue: idemq; maioris minorisue obliuionis est causa, siue potius maioris aut minoris ad reminiscentiam facultatis. Has utique passiones quodammodo experitur anima in corpore quodam ex aere crassiori composito in superiori campo, antequam terrenæ matris utero concludatur. A cœlestibus enim corporibus ad terrena, non solũ per elementum, sed per corpus aereum fit descensus. Subiungit animas in hoc aereo corpore ad mediam usque noctem dormire, ostendens mox sub terreno corpore non dimidiam iam, sed integram ignorantiæ noctẽ fore. Somnus testatur & rationis impedimentum & iudicij falsitatem. Postremo animas, inquit, fœtui terreno insinuari sub tonitru quodam atque terræmotu, duabus ut puto de causis: tum indicans infelicibus au-

spicijs

ſpicijs hunc carcerem ingredi, tum oſtendens tam cœleſtem quàm terrenum motum, & quidem uehementem, ad diuinã animam tam tetro carcere coercendam concurrere oportere. Proſilire uero ad generationem animas ſtellarum inſtar, ultra figuram poeticam ſubinſinuat animas ſtellares eſſe quodammodo, & ad ſtellas deniq; redituras. Quod autem Plato de migratione animarũ in corpora beſtiarum tam ridiculam affert fabellam, ab aniculariũ fabulis nihilo diſcrepantem, profecto nos admonet, totum allegorice exponẽdum: uidelicet rationales animas, non in uitam bruti, ſed brutam, id eſt quodammodo bruto ſimilem uiciſsimq; demigrare. Quod quidem omnibus pene Platonicis excepto Plotino maxime placuit. Idemq; Origenes in libris contra Celſum cõfirmare uidetur. Tu uero ne negligas morale præceptum, electionis rectæ peritiam cunctis rebus & artibus præponendam. Præterea tam multa de ſphærarum pulchritudine atq; potentia hic adducta fuiſſe, ut cogitemus iuſtitiam & præmium in cœlo ingens conſequuturam, & ad optimam uiuendi electionem magnopere conducturam. Verum dices iam magnanime Laurenti te hic à Marſilio Ficino commentarium accepiſſe potius quàm argumentum. Eſto ſane, operæprecium fuiſſe arbitror atq; fore ſi argumentum quidem promiſerim, commentarium uero præſtiterim.

DIALOGVS DECIMVS

DE IVSTO

QVIDEM cogitanti mihi, inquam ego, de hac quam nuper uerbis condidimus, ciuitate cum alia permulta recte admodũ ſtatuiſſe uidemur, tũ uel maxime, quæ de poeſi ſunt lata. Quænam iſta? inquit. Ne uidelicet ulla poeſis pars, quæ in imitatione conſiſtit, recipiatur. Præ cæteris enim nunc eſt perſpicuum, ut mihi uidetur, nihil tale à nobis eſſe recipiendum, poſtquam ſingulæ ſeorſum animi diſtinctæ ſunt ſpecies. Quo modo iſtud ais? Vt apud uos dicam quod ſentio (neq; enim uos me coram tragicis imitatoribusq; poetis alijs accuſabitis) corruptela quædam mentis omnia hæc eſſe uidentur eorum, qui cum imitationes iſtas audiunt, medelam illam mentis non habent, qua potiſſimum quales hæ fabulæ ſint, diſcernant. Quorſum iſta? Dicendum quidem, & ſi amicitia quædam & reuerentia à pueritia mihi erga Homerum contracta me detinet. Etenim inſignium iſtorum omnium tragicorum dux & magiſter primus extitiſſe uidetur. Attueritati uirum non cenſeo præponendum. Quare quod inſtitui, dicendũ eſt. Omnino. Audi igitur. Immo uero reſponde. Interroga. Nunquid explicare mihi potes omnino, quid imitatio ſit? Neq; enim ego ſatis quid ſit, intelligo. An igitur ego intelligam? Nihil id mirum eſſet. Nam ſæpe contingit, ut qui hebetiore ſunt acie, nonnulla prius intueantur, quàm qui acutius cernunt. Eſt ut dicis. Cæterum te præſente, nunquam auderem quod mihi uidetur, exprimere. Sed ipſe uideris. Vis hinc exordiamur, ſolita illa noſtra ratione conſiderantes? Speciem unamquanq; ponere ſolemus de quibuslibet pluribus quibus idem nomen imponamus. An non intelligis? Intelligo equidem. Ponamus utiq; nunc quoduis è multis. Vt ecce, plures lecti ſunt, atq; menſæ.

Quid ni? Ideæ tamen harum rerum duæ ſunt. Vna lecti, menſæ eſt altera. Ita eſt.

Solemus autem dicere, ſupellectilis utriuſq; artificem, ſic opus ſuum abſoluere ſi in ideam illam intueatur, unum quidem lectos, menſas alterum, quibus ipſi utimur, cæteraq; ſimiliter. Nullus enim artifex ideam ipſam fabricat. Quo enim pacto? Nullo. Vide præterea nunquid talem aliquem uoces artificem? Qualem? Qui facit omnia quotcunq; unuſquiſq; artifex eorum qui manibus operantur. Potentem narras uirum atq; mirabilem. Nondum integram eius uim expreſſi. Forte uero multo magis miraberis, ſi expreſſero. Nempe idem iſte artifex, non ſolum omnia poteſt ſupellectilia fabricare, ſed etiam quæcunq; ex terra naſcuntur efficit, & animalia omnia atq; ſeipſum. Terram quoq;, cœlum, ac deos, & quæcunq; in cœlo ſunt, & ſub terris apud inferos, peragit. Sophiſtam narras mirabilem. Diffidis? Dic obſecro, nunquid nullo modo huiuſmodi artifex eſſe tibi uidetur? uel quodã modo iſtorũ omniũ faber eſſe, quodã modo uero non eſſe? An non aduertis hæc omnia te quodammodo efficere poſſe? Quis nã hic modus? Haud difficile, potes enim paſsim & celeriter omnia facere. Speculum accipe, paſſimq; circunferas. Solem protinus facies, & quæ in cœlo ſunt, terram quàm primum, ocyſſime teipſum, & cætera pariter animalia, ſupellectilia, plantas, & quæcunque nuper commemorauimus. Imagines iſtorum quidem, res ipſas minime. Op-

portune

portune, inquam ego, nimium respondisti. Talis utiq; faber est & ipse pictor. Nónne?

Est. At ipsum dices haudquaq; facere uera quæ facit. quanq; & aliquo pacto pictor quoq; lectũ facit. An nõ? Facit quidẽ & iste, sed apparentẽ. Nónne dicebas quòd lecti faber speciem quidem ipsam quam esse dicimus id quod lectus est nõ facit, sed lectum aliquem. Dicebam equidem. Si id quod est non facit, haud sane quod uere est facit, sed tale aliquid quale quod uere est, non tamen ipsum quod est reuera. Perfecte autẽ esse fabri, aut lectorum, aut aliorum artificiorũ opus siquis dixerit, aberrabit? Non ut uidetur his qui in disputationibus hisce uersant. Nihil mirum igitur, si & hoc ad ueritatem est tenue. Non certe. Vis in istis quoq; inuestigemus qui imitator iste sit? Si placet. Nónne tres hi lecti sunt? Vnus quidem in natura ipsa existens, quem deũ dicemus ut arbitror, effecisse. Num aliũ quenq;? Nullum. Alter quem faber cõficit. Plane.

Tertius uero quem pictor. nónne? Est. Pictor itaq;, lecti faber, & deus, tres sunt, tribus lectorũ speciebus præsidentes. Tres utiq;. Deus igitur siue quia nolebat, siue quia aliqua necessitas inerat, nõ plures, sed unum in natura ab ipso lectum fieri, ita solum ipsum unum fecit lectum, qui sanè est id quod est lectus. Duo autẽ tales, aut plures, à deo neq; tum geniti sunt, neq; gignent. Qua ratione? Quia si duos faceret solos, unus iterum cuius ambo haberent speciem, appareret: ipseq; esset id quod lectus est, non aũt duo illi id essent. Scite. Hæc cum intelligeret deus, uelletq; uerus esse autor ueri lecti, nõ autem lecti cuiusdam autor quidam, unum duntaxat natura progenuit. Videt. Vis ergo hunc, huius plantatorem uel tale aliquid appellemus? Par est, quandoquidẽ natura & hoc & alia omnia fecit. Fabrum uero, nónne lecti opificem? Et hoc. Num & pictorem quoq; factorẽ huius operis & opificem? Nullo modo. At quomodo ad lectum habere hunc dices? Aptissime mihi dici posse uidetur, imitator eius cuius opifices illi dicuntur. Ergo imitatorem uocas eum qui tertiũ à natura facit? Valde. Talis utiq; erit & tragicus: siquidem est imitator, tertius quidã à rege & ueritate: similiterq; alij omnes imitatores. Apparet. De imitatore quidẽ consensimus. Sed de pictore mihi dicas uelim, utrum ipsum unumquodq; quod est in natura, imitari contendat, uel artificum opera. Artificum opera. Vtrum qualia sunt? uel qualia nobis apparẽt? Hoc præterea mihi discernas. Quomodo id ais? Sic. lectus quidem siue ex obliquo, seu è regione cernatur, seu quouis alio modo, nunquid à seipso differt? Vel nihil differt? aliter uero uidetur dispositus aliter intuentibus, cæteraq; similiter? Sic apparet quidẽ, differt autem nihil. Animaduerte & istud, quid in singulis intendit pictoris industria? utrum ut se habent res singulas imitari? An quod apparet potius, ut apparet? Imaginis apparentis uel ueritatis potius imitatio? Apparentis imaginis. Procul igitur à uero est imitator: atq; ut uidet, propterea omnia potest facere, quia exiguũ quoddã cuiusq; attingit simulacrum. Quemadmodũ pictor pinget nobis coriarium, fabrum, & opifices alios, cum nihil in artibus his intelligat: ueruntamen si peritus sit pictor, expresseritq; fabri ipsius imaginem, quam procul ostendat, pueros dementesq; homines ita decipiet, ut uerus esse faber illis appareat. Quid ni? Cæterũ, ô amice, hoc in huiuscemodi omnibus cogitandum. Quotiens aliquis nobis de hoc ipso nunciat, se uidelicet homini occurrisse in omnibus artibus erudito, perfectissimeq; præ cæteris intelligẽti quæcunq; alius quiuis intelligat: huic protinus respondendũ, quòd fatuus est, & in magum quendam præstigiatorem inciderit, cuius imitationibus sit deceptus: idcirco enim illum uisum sapientissimũ quòd ipse nequiuerit scientiam ab inscitia, & imitationẽ ab ipsa re discernere. Veríssima loqueris. Nónne posthac tragœdiam discutere decet, ducemq; ipsius Homerum? postq; à nonnullis accepimus, tragicos poetas artes omnes intelligere, humanaq; omnia tam ad uirtutem q; ad uitium pertinentia, necnon & diuina: porrò poetam bonum oportere, si recte quæ componit sit tractaturus, eorum habere scientiam, aut nihil posse componere. Quare discernere debemus, utrum qui eos laudant, imitatoria poetarum industria decepti sint, eorumq; opera dum aspiciunt, haud plane persentiant tertio gradu distare à ueritate, facilia q; factu esse uel homini ueritatis ignaro. Vmbras quippe non res ueras faciunt. An forte nonnihil dicant, ac reuera poetæ boni intelligant ea de quibus uulgo bene loqui uidentur. Discernendum omnino. Siquis possit ambo perficere, & id quod in imitationem cadit, & eius simulacrum, nunquid eum putas in simulacris fingẽdis immoraturum

Imitator

Tragici carpuntur

raturum? idq; opus ſibi in uita tanquam optimum propoſiturum? Minime. Nempe ſi ueram eorum quæ imitatur peritiã habeat, multo magis operibus ipſis quàm eorũ imitationibus, ut reor, incumbet: conaburq; multa & præclara opera ſui monimenta poſteritati relinquere, ſatiusq; cenſebit ut ipſe ab alijs laudetur, quàm ut ſemper alienorũ operum ſit laudator. Ita equidem arbitror. neq; enim æquus honor aut æquũ emolumentum. Cæterum de alijs quidem rationem minime exigamus, Homerũ aut alium quemuis poetarum interrogantes, ſiquis eorum medicus reuera fuerit, nõ ſolum uerborum ad medicum ſpectantium imitator, quoſnam uel ueterũ, uel noſtrorum hominũ ſanos poeta reddiderit, quemadmodũ Æſculapius, aut quos reliquerit artis medicinæ diſcipulos, quemadmodũ ille filios. Sed neq; ab eis de alijs artibus ſciſcitemur. mittamus enim reliqua. At uero de maximis illis preclariſſimisq; rebus quas tẽtat Homerus, bellis, caſtris, re buſpublicis, & hominum diſciplinis, par eſt ita eum interrogare, O dulcis Homere, ſi nõ es à ueritate tertius, fingis ue uirtutis imaginem, quem imitatorem in ſuperioribus definiuimus, ſed es ſecundus, potesq; narrare quæ ſtudia homines uel meliores uel deteriores priuatim publiceq; efficiant, dic obſecro, quænam ciuitas per te rectius diſpoſita eſt? ſicuti Lacedæmon per Lycurgum, perq; alios multos multæ & paruæ ciuitates & amplæ. Cuius potiſſimum urbis homines legum te optimum prædicãt conditorem, & beneficia in ſe tua cõmemorant? Charondam quidem Italia & Sicilia celebrãt. Nos Solonem. Te uero quis prædicabit, & qualem? Nullus, ut arbitror, beneficia eius commemorat. Quin neq; ipſi Homeri aſſertores teſtari hoc audent. Quod præcipue bellum Homeri temporibus ipſo conſultore uel duce feliciter expeditum cõmemoratur? Nullum. Præterea quæ uiri huius tanquam in his rebus ſapientis inuenta ad officia uitæ & artis aptiſſima referũtur? ut Thaletis Mileſii, & Anacharſis Scythæ. Nihil tale. Si minus publice, at ſaltem priuatim, quibuſnam Homerus ipſe dum uiueret, diſciplinæ dux dicitur extitiſſe, qui & eius conſuetudine delectati ſint, & poſteris Homericam aliquam rationem uitæ tradiderint? Quemadmodum & Pythagoras in hoc ſumma cum auctoritate uixit, & poſteri etiam his temporibus uitam Pythagoream celebrantes, inter cæteros illuſtres habentur. Neque tale quid rurſus de Homero narratur. Creophilus enim, ô Socrates, forſitan Homeri familiaris, diſciplina etiam magis quàm nomine ridiculus apparebit, ſi quidem uera ſunt quæ de Homero narrantur. Dicitur enim negligentior in eum fuiſſe dum ſub hoc ipſo uiueret. Dicitur ſane. At enim ô Glauco, ſi reuera poterat Homerus inſtruere homines, ac reddere meliores, utpote qui in his rebus non imitationis tantum eſſet, uerum etiam intelligentiæ compos, quur non multos ſibi uendicauit amicos? quur non uiuens honoratus eſt? quur non amatus? Profecto Abderites Protagoras, & Prodicus Chius, alijq; permulti poſſunt hominibus ſui temporis ſuadere, priuatim ſingulos adeuntes, nunquam eos rem familiarem & publicam recte gubernaturos, niſi ipſi eos erudiant: & ob hanc ſapientiam tam ardenter amantur, ut uix ſectatores eorum ſe contineãt quin capite eos circumferant. Homerum autem uel Heſiodum, illorum temporum homines, ſiquidem poetæ illi quicquam iuuare eos ad uirtutem potuerunt, nunquid permiſiſſent oberrare tam diu carmina paſſim decantantes? Quin potius magis hos quàm aurum complexi fuiſſent, induxiſſentq; ad domeſticum familiaremq; conuictum: quem niſi impetraſſent, ſequuti fuiſſent paſſim, dum quantum ſatis erat, ijſdem ſtudijs imbuti fuiſſent. Vera prorſus mihi loqui uideris, ô Socrates. Ponamus igitur omnes ab Homero incipientes poeticos homines, uirtutis imaginum imitatores eſſe, cæterorũq; ſimiliter quæcunque canunt, ueritatem uero nequaquam attingere. Sed ut paulo ante diximus, pictor uiſibilem coriarij pinget imaginem, quum & ipſe de coriaria nihil intelligat, & imago illa coriarius ipſe appareat illis qui rem ipſam nequaquam intelligunt, ſed à coloribus figuriſq; ſpectant. Prorſus. Haud ſecus poetam dicemus colores quoſdam artium ſingularum nominibus uerbisq; exprimere, quum ipſe horum nihil intelligat, ſed imitetur duntaxat: adeo ut his qui hæc à uerbis iudicant, bene dicere uideatur, ſiue de coriaria, uerſu, rhythmoq; & harmonia, ſiue de re militari, aut de quibuslibet alijs dicat. Vſqueadeo natura quadam aures poetica iſta demulcent. Arbitror autem noſſe te qualia uideantur hæc opera poetarum, cum muſicæ coloribus ſpoliata conſiderantur. Animaduertiſti ne unquam? Animaduerti. Nónne perinde ſe habẽt ac facies eorum qui

propter

propter adoleſcentiam formoſi potius ſunt quàm pulchri: quales aſpectu ſunt poſtquam ipſos flos ipſe deſtituit? Omnino. Age igitur & hoc animaduerte. Imitator, ſimulacri auctor, rem ipſam haudquaq; intelligit, ſed apparentem rei ipſius imaginem. Ita eſt.

Ne imperfectum id relinquamus, ſed quod ſatis eſt contemplemur. Dicas. Pictor habenas pinget ac frenum. Plane. Faciet autem coriarius ærariusq; faber. Valde.

Nunquid intelliget pictor quales eſſe debent habenæ, quale frenũ? Vel neq; ipſe quidem factor, ſiue ærarius faber, ſiue coriarius, ſed ſolus ille qui his uti ſcit, eques? Vera loqueris. An non circa omnia ſic eſſe dicemus? Quomodo? Circa quodcunq; has eſſe tres artes, Vtentem, facientem, & imitantem? Certe. Virtus igitur, pulchritudo, rectitudo cuiuſq; inſtrumenti, animalis, & actionis, non ad aliud refertur, quàm ad uſum, cuius gratia unumquidq; eſt & factum & genitum. Ita eſt. Neceſſe igitur eum qui utitur aliquo, peritiſſimum eſſe, & operis factori ſignificare, qualia bona uel mala facit in uſu eius quo utitur. Quemadmodum tibicen tibiarum fabro oſtendit, quæ tibiæ ad uſum aptiſſimæ ſint, ordinatq; quales oporteat facere: ille autem miniſtrum ſe præbet. Quid ni? Nónne hic intelligens, de aptis & ineptis tibijs pronunciat alteri? Ille uero credens efficit? Plane. Circa idem igitur inſtrumentum, factor quidem rectam habet fidem de pulchritudine & prauitate, adhærens intelligenti, coactusq; ab intelligente audire: utens autem, ſcientiam. Prorſus. Imitator autem num habebit ſcientiam ex uſu eorum quæ pingit, utrum pulchra ſint, & recta, uel contrà? Vel opinionem rectam, ex eo quod neceſſario intelligenti adhæreat, inſtruatur que ab eo qualia quæque pingenda ſint?

Neutrum. Ergo neq; intelliget, neq; recte opinabitur imitator, circa eorum quæ imitatur pulchritudinem, contrarium ue? Non uidetur. Bellus erit in effictione imitator quod ſapientiã attinet, in ijs quæ facit? Non multum. Veruntamẽ imitabit, haud intelligens quo pacto unumquodq; uel recte habeat, uel cõtrà. Sed ut apparet, quod credat multis ignarisq; eſſe pulchrum, hoc imitabitur. Quid enim aliud? Hæc ſufficienter nobis aſſerta uidentur, imitatores ſcilicet nihil æſtimatione dignum intelligere de his rebus quas imitãtur: ſed eſſe iocum quendam imitationem potius quàm rem ſeriam: omnesq; eos qui tragicam poeſim iambis heroicisq; carminibus tractant, imitatores uel prę cæteris eſſe. Et maxime quidem. Per Iouem, inquam ego. Imitatio autem hæc tertio gradu diſtat à ueritate. Nónne? Eſt ut dicis. Ad quale igitur eorum quæ in homine ſunt, pertinet, quatenus uim habet eiuſmodi? De quonã interrogas? De tali quodam. Magnitudo eadem eminus atq; cominus conſpecta non æqua uidetur. Non.

Eadem quoq; obliqua & recta in aqua nobis & extra aquam aſpicientibus, cauaq; iterum & prominentia propter uiſus circa colores errorem, uidentur. Omnisq; huiuſmodi in anima noſtra turbatio comperta eſt. Quam quidem naturæ noſtræ debilitatem adumbrationis facultas, & præſtigiorum ingenioſitas, reliquaq; machinatio aggreſſa, nihil magicæ ſeductionis intentatũ relinquunt. Vera loqueris. An nõ metiendi, numerandi, librandi diſciplinæ aduerſus hæc opportuna ſunt homini adiumenta, ne id in nobis præualeat quod apparet maius uel minus, aut plus, aut grauius, ſed numero, metro, lance deprehenſum? Quid ni? Atqui hoc rationalis animi partis eſt officium. Huius ipſius.

Hoc autem ſæpenumero mentiente iudicanteq; maiora eſſe nonnulla uel minora alijs alia, uel æqualia, contraria ſimul circa eadẽ hæc nobis apparent. Sic accidit. An non aliàs diximus fieri non poſſe, ut eâdem ui animæ ſimul & circa eadem contraria opinemur? Ac merito diximus. Vis igitur animæ quæ præter menſuram opinatur, haud eadem erit atq; illa quæ cum menſura. Non certe. Sed enim quod menſuræ ratiocinationisq; credit cõputationi, animi pars optima eſt. Nihil obſtat. Quod ergo repugnat iſti ignobilis aliqua noſtri pars erit. Neceſſe. Iſtam confeſſionem exprimere uolens, ſuprà dicebam quòd pictura et omnis imitandi facultas procul ueritate poſita ſuum opus exerceat: rurſusq; cum aliqua noſtri parte, prudentiæ prorſus experte, congreditur, & amicitiam contrahit: ad ſyncerum uerumq;, nihil. Maxime. Vilis ergo imitandi facultas uili cuidam ſe commiſcens, uilia procreat. Apparet. Vtrum talis eſt ea duntaxat quæ ad uiſum ſpectat? An ea etiam quæ ad auditum? quam poeſim uocamus. Probabile eſt hanc inſuper eſſe talem. Ne igitur ei ſoli credamus quod ex pictura ueriſimile nobis apparet, ſed ad eam ipſam cogitationis naturam, cui ſeſe accõmodat poetica imi

tatio,ueniamus,uideamusq; num uile quiddam ſit,an precioſum. Sic oportet. Hunc ergo in modum proponamus. Imitatur quidem poeſis homines aut ui aliquid, aut ſponte agentes,exiſtimantesq; ex actionibus uel bonum ſibi aliquod eſſe uel malum, ideóq; uel dolore affectos uel uoluptate. An aliud quicquam? Nihil aliud. Nunquid in his omnibus homo ſecum ipſe conſentit? Vel potius quemadmodum ſecundum uiſum diſſidet,ut narrauimus,deq; eiſdem cõtrarias in ſeipſo ſimul habet opiniones,ita & in agendo ſecum ipſe diſſidet atq; pugnat? Ac nunc mihi in mentem uenit, nihil eſſe de hoc nobis in præſentia diſceptandum. Nam in ſuperiori diſputatione de his ſatis unà conuenimus, animum uidelicet noſtrum confeſſi multis & uariis huiuſcemodi contentionibus ſibi eodem tempore aduerſantibus agitari. Probe. Probe id quidem. Verum quod tunc à nobis eſt prætermiſſum, nunc mihi uidetur expediendum. Quale iſtud? Vir probus menteq; preditus tali,ſi filium amiſerit,aut aliquid aliud ſibi chariſſimum,facilius quàm cæteri feret,ut diximus. Plane. Nunc autem & id conſideremus,utrum omnino non dolebit. Vel hoc quidem impoſſibile, dolorem uero quodammodo moderabitur. Hoc certe eſt uerius. Hoc mihi de ipſo in præſentia dicas,utrum hunc cenſeas dolori magis repugnaturum, quando à ſimilibus ſpectatur hominibus, uel quando ſolus eſt,aliorum conſortio deſtitutus. Permultum intereſt,ſi in aliorum conſpectu ſit.

De uiro probo ut dolorem toleret

Porrò quum ſolus erit,multa dicet,quæ emittere coram alijs erubeſceret. Multa faciet quæ conſpici ab alijs nunquam uellet. Eſt ita. Quod obſtare iubet,ratio eſt & lex: quod autem ad dolores rapit, perturbatio. Vera loqueris. Cum homo circa idem ſimul contrarijs motibus agitetur, neceſſario duo quædam illa eſſe dicimus. Proculdubio. Alterum quidem legi obtemperare paratum eſt, utcunq; iniunxerit. Quo pacto? Lex utiq; dictat,optimum eſſe in aduerſis,quàm maxime fieri poteſt, quietẽ agere,neq; conqueri: quod incertum ſit,bonum'ne id ſit,an malum,quod accidit, tum quod nihil dolor ad ſequentia conferat,neq; ulla humanarum rerum magni pendenda ſit, eiq; quod ſubito præſidio eſſe poteſt,dolor impedimento ſit. Cui inquis? Conſultare,inquam,circa ea quæ acciderunt,in primis oportet,& tanquam in talorum iactu,prout cecidit,quomodocũq; ratio melius rem habere dicat,negocia diſponere. Neq; uero ſiquid aduerſi inciderit,proſternere nos debemus,atq; ut pueri ſolent quum offendunt in lapidem,procidentes circa id quod læſit, eiulando moram trahere: ſed animum aſſuefacere ut ad ſanandum præſto adſit,& quicquid ægrotat,dimiſſis lamentationibus corrigat.

Opportunum hoc quidem eſt aduerſus fortunæ ictus remedium. Quod ſane optimum eſt,rationi huic libenter obtemperat. Conſtat. Quod uero ad perturbationis recordationem luctumq; rapit,in eisq; diutius detinet,irrationale eſt,languidum, formidoloſum. Ita dicendum. Quod querulum eſt,imitationem plurimam ac uariam ſuſcipit. Prudentem uero pacatumq; morem ſemper ſibijpſi ſimilem, neq; facile poſſumus imitari: neq; ſi imitemur,facile percipietur à turba,præſertim in theatrum uarijs ex gentibus confluente. alieni namq; affectus ipſis imitatio fit. Sic eſt omnino. Imitatio uero poetæ haud ad hoc intendit,ut huic animi naturæ ſua ſapientia placeat, ſi uulgo ſit placitura,ſed querulum animi morem uariumq; obſeruat,qui imitatione facile poſſit effingi.

Patet. Merito igitur imitationem poeticam reprehendemus,pictoriſq; imitationi eandem prorſus eſſe dicemus. Primo quidem,quòd utræq; ſi ueritatem ſpectes uilia operantur. Deinde etiam quòd parti animæ rationis experti ſimiliter ſuffragantur, & optimam deſerunt. Atq; idcirco iure eam in ciuitate legitime gubernanda nequaquam recipiemus, quoniam hanc animi partem ſuſcitat atque alit: quam dum corroborat, rationis compotem uim diſperdit. Atque ut ille qui in ciuitate eos qui plurimum poſſunt improbos reddens, proderet ciuitatem, probos deſtrueret: ita & imitator poeta, peruerſam in animum cuiuſque rempublicam inducit, dum illi animi parti blanditur, quæ ſine mente eſt,neque maiora minoráue diſcernit,ſed eadem tum parua tum magna exiſtimat,huicq; ſimulacra fingit,à ueritate uehementer alienus. Longe quidem. Nondum quod maximum ex ea malum proueniat, enarrauimus. Maximum quidem hoc exiſtimandum eſt detrimentum,quod probos quoq; uiros paucis admodum exceptis corrumpere poſſit. Cur non poſſit? ſiquidem id facit. Auſculta inquam,ac uide. Nónne & optimi quique noſtrum cum audimus Homerum,aut alium quemuis tragicum,qui heroum ali-

quem

quem dolore afflictum,uociferantem,& querulis fortunam ſuam modulis deflentem,& pectora pugnis percutiẽtem imitetur,delectamur quodãmodo, inhiantesq; ad illa ſequimur ea unaq; afficimur,ac ſerio ſtudioſeq; illum ut poetã bonum laudamus,qui adeo nos uehementer moueat? Animaduerti. Quoties autem aliquem noſtrum domeſticus uerusq; inuadit mœror,ſcis ut de contrario gloriemur: nempe ſi quo pacto quietem agere,& tolerare dolorem ualeamus:quaſi hoc quidem uiri ſit,mulieris illud quod antea laudabamus. Plane. Quàm præclara hæc laus? quin abſurdum eſt,ut qui talẽ ſpectat uirum qualem eſſe ſe minime uellet,puderetq; maxime,non abominet̃,ſed delectetur,laudet. Abſurdum prorſus. Certe,ſi & hoc modo iſtud animaduerteris. Quomodo? Quod uidelicet id quod in propriis calamitatibus ui cohibetur,prohibeturq; in lachrymas fletusq; erumpere,& naturæ ſuæ lachrymarũ auidæ indulgere, illud ipſum eſt quod poetæ explent,cui penitus blandiuntur. Tunc certe & quod natura in nobis eſt optimũ, utpote nec ratione nec uſu ſufficienter inſtructũ,querulum iſtud deſinit cuſtodire, quaſi alienas ſpectet perturbationes,nihilq; ſibi dedecori ſit,ſi dum uir alius qui uirtute præſtare ſe prędicat,immoderatius defleat,ipſe eum laudet & miſereatur. Quin oblectationem illam lucrari ſe putat,neq; ulla ratione ex contemptu poeſis illa carere ſe uellet. Pauci ſane animaduertunt, ut arbitror, quod ex alienis in propria transferre aliquid neceſſe eſt, nempe ſi in alienis ęrumnis flebile illud ingenium nutriueris,uehementiusq; reddideris, in propriis haud facile ſiſtes. Vera nimium loqueris. Nonne eadem de riſu eſt ratio? Quod enim ipſe effuſiori riſu imitari erubeſcas,id cum in comœdia uel priuata imitatione audis tanquã ridiculum libentiſſime auſcultas & imitaris,idemq; hic facis quod in imitatione flebili fieri diximus. Nam ingenium illud tuum ad riſum pronius,quod ipſe in te à riſu ueritus ſcurrilitatis crimen continebas,hic iam reſoluis in iocos,uehementioremq; ſenſim reddis riſus ipſius affectum,ut & propriis in geſtibus in riſus ultra q̃ deceat differri incipias,& ſcurra ridiculus comœdiæ iocis excitus euadas. Vehementer quidem. Idem quoq; de uenereis & iracundia dicimus,deq; omnibus animi cupiditatibus affectibusq;,triſtibus & iucundis,quos in omni actione inſequi nos in ſuperioribus diximus,& talia quædam poeticã imitationẽ in nobis effingere:Nutrit enim iſta,dum fouet atq; irrigat,quæ potius ariditate extenuãda ſint:efficitq; ut hæc dominent̃ in nobis, quæ ſubeſſe potius deceat,ut meliores beatioresq; ex deterioribus & miſerioribus euadamus. Haud aliter dicere poſſum. Siquando itaq; Glauco Homeri laudatores offenderis,audieriſq; dicentes Homerum omnem Græciam erudiſſe,próq; rerum humanarum gubernatione & diſciplina poetam hunc aſciſcendum,& ad eius inſtituta omnem uitam inſtruendam, memento ferendos & amandos eſſe tanquã pro facultate ſua optimos uiros, concedendumq; Homerum apprime poeticum eſſe,tragicorumq; præcipuum. Scito autem hymnos in deos & in optimos uiros laudationes dũtaxat ex poeſi in ciuitate admittere oportere. Si autem uoluptuoſam muſam in canticis & carminibus acceptaueris, uoluptas in ciuitate ac dolor,pro lege & pro illo quod ſemper optimum uiſum eſt,ratione ſcilicet,dominabuntur. Vera loqueris. Hæc itaq; in eam ſententiam dicta ſint nobis,quòd merito è ciuitate poeſim quæ talis ſit,expulimus. Sic enim ratio cogebat. Id quoq; adiiciamus,ne rigiditatis nos ruſticitatisq; accuſet,quia uetus quædã extat inter poeſim philoſophiamq; diſſenſio. Cuius certe contentionis argumentũ dicta hæc eſſe poſſunt quæ ſubiiciã,aliaq; permulta.Nempe,canis illa garrula ad aures domini latrãs.Et,magnus ille in dementiũ uaniloquiis.Et,turba ſuperſtitioſorũ ſapientũ exuperãs.Itẽ,qui minuta & tenuia meditantur,paupertate premunt̃.Atq; alia innumerabilia ſimultatis eius ueteris ſigna.Veruntamẽ id dicatur,quod uoluptatis miniſtra poeſis,imitatióq;,ſi quicq; ad eam rationẽ afferre poſſit,ut in ciuitate recte inſtituta accipi debeat,libẽter accipiem⁹,ut eius oblectamẽtis fruamur.Ita enim nobiſipſi conſcij ſumus.Enimuero quod uerum uidetur, prodere nefas eſt.Nã & tu ô amice,nónne ab ea mulceris? præſertim Homerica. Valde. An non æquum eſt eam prodire in medium ſeſe defendentẽ,uel cantilena, uel metro quouis alio. Omnino. Concedamus utiq; ipſius defenſoribus quicũq; poetæ qui dem non ſunt,ſed poetarũ amici,ut abſq; carmine eam defendant, aſſerentes eam nõ modo iucundã,ſed utilẽ eſſe ad remp.& hominum uitã inſtituendam.Quam quidem defenſionẽ æquo animo auſcultabimus:lucro enim id nobis fore exiſtimamus, ſi nõ ſuauis tan

tum,uerumetiam utilis nobis appareat. Quid obstat,quin lucro id sit futurum? Alio quin ô dulcis amice,quemadmodũ qui quandoq; aliquid amauerunt, si deinde censeant amorẽ sibi illum inutilem fore,licet ægre amare desistant,desinunt tamen:ita & nos propter ingenitũ nobis talis poesis amorẽ ex pulchrarũ rerump. educatione, benigne quidẽ expectabimus,ut optima ueriſſimáq; appareat. Quousq; tamen rationẽ pro seipsa afferre non poterit,ita eam audiemus, ut oratione suprà à nobis exposita nosmetipsos ueluti quadam incantatione aduersus pericula imminentia muniamus,cauẽtes ne delicijs amatorijs uulgiq; amoribus rursus irretiamur. Illud quoq; sentiemus, non ita esse huiusmodi poesi studendum, quasi uera sit aut seria:sed cauendũ ab ea audienti cuiq; esse, interioriq; animi sui reipublicæ metuendum.Et quæ de poesi narrauimus, de ea prorsus existimanda. Consentio equidem. Ingens porrò,ô amice Glauco,ingens,neq; quantũ uidetur est certamen,bonũ effici aut malum. Quamobrem neq; pecuniarũ gratia, neq; honoris, neq; potentiæ, neq; poetici ullius oblectamenti, iustitiã cæterasq; uirtutes negligere decet. Assentior ex his rationibus quæ narrauimus. arbitror autẽ & quemuis alium eadẽ confessurum. Atqui ingentia uirtutis præmia mercedesq; illi propositas, nequaquam narrauimus. Immensa dicis præmia, si qua maiora sunt his quæ retulimus. Quid magnum breui in tempore esse potest? nempe omne hoc tempus à pueritia ad senectutis extremum, exiguum quiddam est ad uniuersum. Immo uero nihil. Immortalem uero rem censes breui hoc pro tempore quidem,pro uniuerso uero nequaquã debere esse sollicitam? Pro omni certe.sed quorsum hæc? An ignoras immortalem esse hominis animam,& ab interitu liberam? Tum repente conuersus in me Glauco, admiratusq; intulit.Per Iouem ignoro equidem.Tu uero nunquid ostendere potes? Certe,nisi iniurius esse uelim.puto autem & te id posse:Neq; id difficile. Mihi quidem difficile istud. Te uero libenter audirem,id quod negas esse difficile,declarantem. Audies iam. Dic.

Demonstratio de animi immortalitate

Bonum aliquid uocas? & malum aliquid? Voco. Nunquid de his idem tibi quod & mihi uidetur? Quid? Malum puto omne quod dissoluit atq; corrumpit. Quod uero seruat & iuuat, bonum. Et ego. Bonum'ne cuiq; aliquod, & aliquod malum esse dicis? Veluti oculis lippitudinem,& toti corpori morbum,frugibus cibisq; eruginem,lignis cariem & putredinem,æri ferróq; rubiginem,atq; ut dico,fermè in omnibus secundum naturam proprium cuiq; malum ac morbum? Equidem. Quotiens huiusmodi quicquam alicui accidit,deterius illud efficit,ac denique totum dissoluit & perdit?

Quid ni? Proprium igitur cuiusque malum,suaq; prauitas,quodlibet corrumpit.Ac nisi id corruperit,nihil aliud unquam corrumpet.Neq; enim quod bonum est,aliquid destruit:neq; rursus id quod nec bonum,nec malum. Quo enim pacto? Si quid igitur tale est, ut ei malum aliquod sit, quod ipsum deterius efficit, dissoluere tamen ipsum non ualet,certe ita naturaliter affectæ rei nullus esse potest interitus. Consentaneum est. Est'ne aliquid quod animam prauam faciat? Et maxime quidem quæ commemorauimus,iniustitia, intemperantia, timiditas, & insscitia. An quicquam ex his animam perdit? Atqui animaduerte,ne decipiamur,existimantes iniquum & insanum hominem cum in flagitio deprehensus est,tunc ab iniustitia quæ animæ uitium est,corrumpi. Dic age.Nónne corpus proprium eius uitium morbus liquefacit,resoluit,eóq; deducit,ut non sit corpus? & quæ paulo ante diximus omnia, proprio malo quatenus inhæret,inquinante,esse desinunt? Nónne? Ita prorsus. Nunquid & eadem eodem pacto iniustitia & reliqua prauitas quum inest sua ipsa præsentia dissipat & tabefacit, quousque in mortem trahens à corpore separet? Nullo modo istud. At uero absurdum illud est, ut alienum uitium interimat aliquid, cui proprium uitium non præbet interitum. Præter rationem profecto. Attende, inquam ego, ô Glauco. Ex ipsa ciborum propria prauitate, qua uel uetustate corrupti,uel putridi,uel quouis alio pacto comparati dicuntur, corpus perire posse non arbitramur. Verum si ciborum uitium corpori proprium ipsius uitium intulerit,dicemus per illos corpus ab eius uitio,morbo scilicet, perdi. Corpus uero ipsum cum aliud sit,ciborum,quorum alia natura est,alieno defectu, nisi proprium defectum induxerit, dissipari posse nunquam existimabimus. Recte nimium loqueris. Eadem ratione, nisi corporis detrimentum ipsi animæ ipsius animæ proprium intulerit detrimentũ,haudquaquam existimare debemus, ex alieno malo

absq;

absque propria prauitate, animam interire, neque alterius malo alterum dissipatur. Ita ratio monet. Aut igitur hæc redarguamus, quasi non recte dicantur. Aut quoad hæc integra permanent, neque ex febre aut alio quouis morbo, neque iugulatione, neque etiam si quis corpus in minutissima quæq; discerpat, dissipari animam concedamus, prius quàm ostenderit aliquis propter has corporis passiones animam ipsam iniquiorem prophaniorem'que fieri. Quatenus autem alienum malum adest alteri, nec proprium cuiquam malum adhæret, corrumpi quicquam posse, minime concedamus. At enim nemo id unquam ostendet, morientium animas propter mortem iniustiores effici. Si quis autem obijcere nobis audeat, quod deterior & iniustior fit qui moritur, ne cogatur immortales esse animas confiteri, oportere dicemus, si uera is dixerit, uiro iniusto letiferam iniustitiam esse, sicuti morbum, & ab hoc ipso perimente sua quadam natura, eos qui suscipiant, perimi: ocyus quidem illos qui maxime, serius contrà qui minus: neque fieri duntaxat, quod nunc fit, ut iniusti propter iniustitiam tunc demum moriantur, quum eos alij pœnis afficiunt. Per louem haud grauissimum quiddam malum iniustitia esse uidebitur, si erit uiro iniquo letifera. Malorum siquidem liberatio erit. Arbitror autem contrà esse omnino, ut & alios pro uiribus interficiat, & hominem sui participem, uiuacem maxime faciat, & apprime peruigilem: usqueadeo longe abest ut ea sit letifera. Scite loqueris. Quando sua cuique prauitas suum cuique malum animam perdere nequit, nunquam malum ex alterius pernicie atque ad aliud institutum ultra id cui proprie accidit, uel animam, uel aliud quicquam dissoluet. Nunquam, ut probabile est. Quum à nullo prorsus malo siue proprio siue alieno interimatur, patet eam semper esse, necessarium esse. Si semper esse, & immortalem existere. Necesse. Hoc igitur ita se habeat. Ac si ita se habet, animaduertas easdem semper animas fore. Neque enim pauciores unquam erunt, cum nulla prorsus intereat. Neq; rursus plures. Si enim immortalium quicquam plus efficiatur, ex mortali efficitur, erunt'que demum immortalia omnia. Vera loqueris. At uero id nequaquam existimamus: ratio namque prohibet. Neque iterum arbitramur animam ueritissima sui natura talem esse, ut uaria, dissimilis, atque differens in seipsa sit. Quomodo istud ais? Haud facile est sempiternum esse quod ex pluribus constitutum est, neque optimam compositionem est sortitum, ut nobis de anima nunc apparuit. Consentaneum est. Animam igitur immortalem esse & ratio præsens, & aliæ præterea conuincere possunt. Si quis uero qualis ipsa reuera sit, inspicere cupit, haudquaquam intueri eam debet communione corporis malis'que alijs inquinatam, quod ipsi nunc intuemur, sed qualis cum pura fuerit, diligenter ratione discernere. Vbi certe & multo pulchrior apparebit, & clarius quum talis erit, quid iustum sit, quid non, & reliqua quæ suprà diximus, iudicabit. Nunc quidem uera de ipsa, qualis uidetur in præsentia, diximus. Non aliter uero eam spectauimus, quàm multi marinum inspiciant Glaucum. Illi siquidem non facile possunt Glauci antiquam considerare naturam, eo quod antiquæ corporis partes partim fractæ, partim contritæ sint, & ab undis penitus dissipatæ, alia'que illi rursus inhæreant conchylia, alga, lapides, ex quibus multo magis feræ præ se fert imaginem quàm naturæ prioris uultum. Ita & animam nos semper inspicimus malis innumeris inquinatam. Sed enim illuc oculos conuertere decet, ô Glauco. Quónam? Ad ipsius, inquam, philosophiam, & circa illam oportet animaduertere, quæ attingit animus, & quibuscum consuetudinem inire affectat & nititur, utpote qui cognatus sit diuino, immortali, & sempiterno. Qualisq; præterea futurus est, siquando eiusmodi totus naturam sequatur, per hunc affectum nixumq; eductus ex pelago quo ad præsens mergitur, nudusq; emergens excusso sabulo & ostreis, quæ ei nunc tanquam ex terra nutrito, terrena, lapidosa, & agrestia plurima inhærescunt, propter eam utique alimoniam, quam plericq; beatam existimant. Tũc demum ueram naturam ipsius animi contemplabimur, agnoscemus'que utrum uaria sit, an simplex, qualis'ue sit omnis eius conditio. Nunc autem animi humana in uita affectus ac formas, satis, ut arbitror, declarauimus. Prorsus quidem. Nónne cætera quidem in hac disputatione exposuimus? præmia uero ipsius & honores nequaquam attulimus, quemadmodum Homerum uos & Hesiodum adduxisse dicebatis: sed iustitiam ipsam ipsi animæ optimum præmium esse comperimus, iustèq; agendum esse monstrauimus,

siue Gygis habeat annulum, siue etiam Plutonis galeam? Vera loqueris. Cæterum nunc quoq; præter hæc nulla inuidia prohibet, quo minus iustitiæ & uniuersæ uirtuti ea præmia tribuamus, quæ ipsa animæ tam apud homines q̃ apud deos comparat, tam uiuenti quàm defuncto. Magnopere. Nunquid ergo restituitis mihi, quæ in sermone mutuati estis? Quid maxime? Dedi equidem uobis, iustum uirum uideri iniustum, iniustumq; iustum. Vos enim petieratis. licet enim fieri nõ posset, ut ista homines deosq; laterent, tamẽ concedi hoc disputationis gratia placuit, ut iustitia ipsa ad iniustitiã ipsam comparata iudicaretur. non recordaris? Quid ni recorder? Postquã iudicium peractum est iam iterum postulo ut exponatis, quam iustitia mercedẽ à dijs et hominibus referat, ut & palmam ab opinione & manifesta existimatione reportet, qua cultores suos ipsa quoq; decorat, postquã aperte uisa est etiam ipsa sui præsentia beneficia nobis conferre, neq; eos decipere qui uere possident. Debita postulas. Primũ quidem hoc mihi redetis, quod qualis uterq; eorum sit, & iustus & iniustus, deos non latet. Reddemus.

Si deos id non latet, hic quidem à deo amabitur, ille odio habebitur, id quod principio confessi sumus. Est ita. Deorum autem amico omnia quoad fieri potest à dijs optima tribuuntur, nisi quid mali ex priori delicto, ei necessitate quadam immineat. Omnino.

Sic itaq; de iusto uiro existimãdum, siue paupertati, seu morbis, siue quibusuis alijs eorum quæ mala uidentur, obnoxius sit, huic demum uel uiuenti uel mortuo ad bonum ali quod ista conducere. Neq; enim à dijs unquã negligit, quicunq; iustus euadere uirtutisq; officijs quoad homini licet, deo similis fieri conabitur. Decens est talẽ uirum simili nõ contemni. De iusto autem contrà omnino est sentiendũ. Vehemẽter. Apud deos igitur iusto uiro hæc dabitur palma. Sic arbitror. Apud homines autem nónne sic euenit, si uera fateri debemus? Callidi quidem homines & iniqui perinde faciunt ac curso res illi qui ab inferioribus currunt bene, à superioribus minime. Nam primo celeriter exiliunt: tandem uero risum reportant, auribus demissis, & sine corona discedentes. Veri autem cursores ad finem perueniunt, adeptiq; præmium coronantur. Viris iustis similiter idem utplurimum accidit. Nempe in fine cuiusque actionis consuetudinisq; & uitæ, probantur, muneraq; ab hominibus referunt. Magnopere. ¡Sustinebis'ne ut ego de his, quæ tu de iniustis, adducam? Dicam equidem. Iusti enim cum ad maturam ætatem peruenerint, ciuitatis muneribus pro arbitrio funguntur: matrimonia quibus cum uoluerint, & dando & accipiendo uicissim ineunt: ac summatim quęcunque de illis tu, ego nunc de his affirmo: rursusq; de iniustis hominibus assero. Plericq; enim ipsorum quamuis ad tempus sua uitia celent: tandem in curriculi calce, quales sunt deprehenduntur: ridiculi prorsus euadunt: & in senio miseri à peregrinis & ciuibus obiurgantur, uerberãtur, omnia patiuntur quæ tu aspera esse reuera dicebas. Torquebuntur enim & inurentur. Porrò quæcunq; ipse cõmemorabas, audire iterum ex me putato. Sed ut dicebam, uide an sis hæc toleraturus. Perferam equidem: dicis enim quæ decent. Hæc itaq; sunt præmia, mercedes & munera, quæ iusto uiro præter ea bona quæ ipsa in se iustitia cõtinet, à dijs & hominibus tribuuntur. Egregia ualde hæc sunt & certa. At enim hæc & numero & magnitudine nihil sunt, si ad ea comparentur, quæ utrumq; defunctum manent. Audienda uero & ista sunt: ut omnia sufficienter quæ utriq; conueniunt, comprehendantur. Dicas uero, non quidem ut iam nimis multa, sed tanquã libentissime audituro. Equidem tibi non Alcyni apologum, sed præstantissimi uiri Eri Armenij, genere Pamphylij, referabo. Qui quum occubuisset in prælio, sublatis decimo die cadaueribus cæteris iam corruptis, integer quidem incorrupto corpore repertus fuit: domumq; delatus ut sepeliretur, duodecima iam ab obitu die, dum pyræ impositus esset, reuixit: & quæ interim uiderat, retulit. Inquit ergo, Postquam anima fuisset à corpore separata, unà cum pluribus quẽdam in locum dæmonum peruenisse. In quo terræ duos proximos uidit hiatus: duos item alios è conspectu superne in cœli regione conspexit: inter hos uero hiatus iudices sedere: qui postq; animos iudicarunt, iustos quidẽ ad dexterã supra per cœlum ascendere iubent in aduersa ipsorũ parte signa eorum quæ iudicauerint, suspendentes: iniustos contrà, ad sinistram infrà omnium quæ fecerãt in uita, post tergum signa ferentes. Cum uero ad iudices ipse quoq; accessisset, illos aiebat respondisse: redire eum hominibus nuncium de his quæ illic uiderat, oportere: iussisseq; illum audire & intueri quæcunq; eis in locis fierent, diligenter

Narratio Eri qui reuixit

diligenter. Viderat igitur illic per utrancꝙ cœli terræcꝙ portã animas lata ſententia abeuntes: per alias item duas, ex terra quidem aſcendentes, animas puluere, ſqualore, maciécꝙ confectas: è cœlo autẽ alias nitidas deſcendentes. Videriꝙ inquit animas undiꝙ uenientes tanquam longa peregrinatione fatigatas, libenter in prato quod ibi eſt, tanquam celebri in conuentu recumbere: ac ſe inuicem quæcunque mutuam notitiam habuerint, ſalutare: easꝙ omnes, tam quæ ex terra quàm quæ è cœlo conueniſſent, ſeſe ultrò citróque de his quæ ſuis in locis uiderint percontari. ſibi' que uiciſſim ad ſingula reſpondere: has quidem dolentes ac flentes memoria malorum quæ in præterito ſub terris itinere & perpeſſæ ſunt & uiderunt. Eſſe autem iter illud mille annorũ. Illas uero quæ de cœlo deſcenderant, narrare delicias, pulchritudinisꝙ ingentis ſpectacula. Multa quidem illa referre, quæ longo ordine recitabat, prolixę nimium narrationis, ô Glauco. Summam uero hanc eſſe dixit. Quoſcunque alĳs iniurias intuliſſe conſtaret, pœnas ſingillatim pro quolibet decies reddidiſſe, id eſt ſpatio annorum centum: quaſi hæc uitæ humanæ ſit meta: ut animæ decuplam iniuriæ darent pœnam. Itaque ſi qui cædis multorum cauſa fuerint, ciuitates' que & exercitus prodiderint, uel homines in ſeruitutem egerint, uel alicuius alterius flagitĳ & ſceleris conſcĳ fuerint, in his omnibus pro quolibet facinore pœnas decuplas pendere. Atque iterum ſi qui beneficia quædam contulerint, iuſtitiam' que & pietatem coluerint, eadem ratione præmia reportare. De his uero qui ſtatim ac nati ſunt deceſſere, aut breue tempus uixere, quædam parum digna memoria recenſebat. Erga deos autem & parentes pios uel impios, & homicidas qui cæde manus proprias polluerunt, maioribus & præmĳs & pœnis affectos eſſe narrabat. Inquit enim ſe interfuiſſe, quum alium interrogaret quiſpiam, ubinam Ardieus magnus eſſet. Hic autem in quadam Pamphyliæ ciuitate tyrannus fuerat, annis iam mille ab iſto tempore exactis: qui ſenem patrem & maiorem natu fratrem occiderat, alia' que plura impia ſcelera perpetrauerat. Interrogatumꝙ illum aiebat reſpondiſſe: Non uenit Ardieus, neque ueniet. O dirum ſpectaculum. Dum enim egreſſuri hiatum peteremus, cætera omnia perpeſſi, illum protinus uidimus, alios' que cum eo, omnes fermè tyrannos, inter quos & priuatos nonnullos, qui magna ſcelera perpetrauerant: quos aſcendere iam ſe propemodum auſos hiatus ille minime permittebat: ſed horride mugiebat quotiens aliquis eorum qui uel inſanabiles eſſent, uel nondum purgati, egredi niteretur. Aderant igitur illic feroces quidam uiri aſpectu ignei: qui quum mugitum ſubito perpendiſſent, hos ſeorſum rapiebãt, Ardieum ſcilicet eius' que perſimiles: manibus' que & pedibus & ceruice deuinctis proſternebant eos, excarnificabantꝙ: & ſecus uiam quandam ad exteriorem partem raptatos, tribulis lacerabant: prætereuntibus indicantes, quam illi ob cauſam talia paterentur, quod' ue in Tartarum proĳciendi agitarentur. Vbi quum multa uariaꝙ eos terrerent, hic pauor uehementiſſime uexabat: quum in aſcenſu mugitus excitabatur, quo ſilente quiſque libentiſſime aſcendere uidebatur. Ac pœnas quidem & ſupplicia huiuſmodi recenſebat: contrà uero beneficia eiuſmodi. Quum uero animæ illæ quibus de ſuprà diximus, in prato dies ſeptem requieuerint, oportere eas dicebat octauo ſurgentes die illinc recedere: & quarto demum die ad locum aliquem peruenire: unde ſuperne per totũ cœlum, atque terram extenſam uideatur lumen tanquam columna erectum Iris ſimillimum, clarius tamen ac purius. In id unius diei itinere ueniſſe: uidiſſeꝙ ibi medio in lumine extrema cœleſtium ligaminum è cœlo tenſa. Eſſe enim lumen iſtud cœli uinculum: quemadmodum triremium ſuccinctura. atque ita circumferentiam omnem eſſe contentam. Ex apicibus uero ſuſpenſum Neceſſitatis deæ penſum: per quod omnes circuitus peragantur. Cuius fuſus quidem & cuſpis ex adamante: uerticulum uero ex hoc alĳs' que generibus mixtum. Cuius natura huiuſmodi ſit ſecundum figuram quidem, qualis apud nos cernitur. Animaduertendum tamen ex illius ſermone, perinde ſe habere ac ſi uno quodam amplo concauóque uerticulo, & per totum ſculpto, aliud minus ſimileꝙ inſertum iaceat: ita congruens, ut plerunque cadi, qui inuicem inſeruntur: atque ita tertium & quartum: & alia quatuor. Octo enim illa uerticula eſſe, inſertos inuicem circulos, labia ſuperne oſtendentia: dorſum uero minus uerticuli continuum circa fuſum efficientia. Fuſum uero illum per medium octauum, perꝙ totum eſſe traiectũ. Primum igitur extimumꝙ uerticulum labĳ circulum habere latiſſimum. Sexti autem ſecundum.

Tertium

Tertium quarti. Quartum octaui. Quintum ſeptimi. Quinti ſextum. Tertij ſeptimum. Octauum uero ſecundi. Primi item atq; maximi circulum uarium eſſe. Septimi lucidiſſimum. Octaui autem uerticuli circulum colorem à ſeptimo irradiante ſuſcipere. Secundi uero ac quinti ſimiles inuicem, illis aliquãtulo flauiores. Tertium ſane colorem candidiſſimum poſſidere. Quartum, ſubrubeum. Secundum uero ſextum albedine ſuperare. Ac fuſum quidem totum uolutione ſimili circumferri: cum uero totum uoluatur, ſeptem interiores circulos motu totius contrario tardius circumuerti. Ex his plane octauum motu rapidiſſimo agitari. Secundos uero alterum alteri conſequẽter: ſeptimũ, ſextum & quintum. Tali uero tertium motu ferri, ut quartum circumuoluere uideatur. Quartum autem tertium, & quintum ſecundum. Fuſum uero in neceſſitatis genibus circumuerti. Superne præterea cuilibet circulo hærere ſirenem unà cum globo delatam, uocem unã tonum unum uidelicet emittentem. Vnam tamen harmoniam ex omnibus octo concinere. Alias autem tres neceſſitatis filias æquali inuicem interuallo in throno ſedere: parcas ueſti-
Parcæ bus albis, capite coronato: Lacheſim, Clotho, Atropon. Quæ ad ſirenem harmoniam canant. Lacheſis quidem præterita. Præſentia Clotho. Atropos uero futura. Et Clotho quidem cum matre ſimul intermiſſione quadam temporis, dextra manu tangentem fuſi extimam circumferentiam circumagere. Atropon uero ſiniſtra iterum interiores ſimiliter. Lacheſim uero denique uiciſſim utraque manu utrinque tangere. Illuc animas ergo cum uenerint, ſtatim oportere ad Lacheſim accedere. Vbi illico propheta aliquis primum ſingulas diſponit in ordinem: poſtea cum ex genibus Lacheſis ſortes, & uitarum exempla ſuſceperit, aliquod ſublime tribunal aſcendens ſic fatur. Sic hæc Lacheſis, ô uniduanæ animæ, Neceſsitatis filia dicit: circuitus alterius initium, mortalis ac letiferi generis, non uos dæmon ſortietur, ſed uos dæmonem eligetis. Qui prior ſortem cœperit, prior eligat uitam: cui neceſſario inhærebit. Virtus inuiolabilis ac libera. Quã prout honorabit quis, aut negliget, ita plus aut minus ex ea poſsidebit: Eligentis quidem culpa eſt omnis: deus autem extra culpam. Hæc fatus, ſortes ſuper omnes fundit: ex quibus quilibet eam rapit: quæ ſuper ipſum ceciderit. Neq; licet cuipiam quotus ordine ſit agnoſcere, niſi cum ceperit. Tunc enim duntaxat quotus ſit, ſortitus intelligit. Poſt hæc item exempla uitarum coram ipſis in pauimento diſponit: multo plura quàm quæ hic ad præſens apparent. Eſſe uero hominum atq; omnium animalium uitas omniformes aſſerebat. Tyrannides enim in illis extare: partim perpetuas, partim ad tempus: quæ medio in ſpacio corruant, in paupertatem delapſæ, exilium & inopiam. Extare & præclarorum uirorum uitas, partim ſpecie, decore, uiribus, certaminibusq; præſtantium: partim maiorum proſapia & uirtute, nobilium. Et mulierum uitas eodem modo. Animæ uero ordinem & conditionem nõ ineſſe: eo quod neceſſe ſit, ut aliam uitam eligens conditionis alterius efficiatur. Cætera uero inuicem, partim diuitijs & paupertatibus eſſe commixta: partim morbis & ſanitate: partim iſtorum medium obtinere. Vbi profecto, ô Glauco, omne hominis conſiſtit periculum. Quamobrem omni ſtudio danda opera eſt: ut quiſque noſtrum omiſſis cæteris diſciplinis, hanc quærat aſſequaturq; pro uiribus diſciplinam: per quam & poſſit & ſciat uitam bonam à mala diſcernere: & quoad fieri poteſt ex omnibus eligere meliorem: animaduertens quæ nunc diximus omnia, quid cõiuncta inuicem uel diſiuncta ad uirtutem uitæ conducant. Necnon intelligat quid pulchritudo cum paupertate uel diuitijs iuncta et quali cum habitu animę, malum operatur uel bonum: quid ue nobilitas ignobilitáue: uita priuata & imperium: robur & imbecillitas: uelox ingenium & tardum: cæteraq; huiuſmodi quæ natura circa animam ſunt & quæ acquiruntur, inuicem copulata faciunt: ut ex his omnibus ſingulorum naturam ualeat conſiderare ad animæ naturam reſpiciens: & meliorem uitam à deteriori diſcernere: deteriorem eam appellans quæ iniuſtiorem animam efficit: potiorem autem, quæ iuſtiorem: reliqua uero contemnat. Vidimus enim & uiuenti & mortuo electionem hanc optimam eſſe. Cum hac igitur opinione inſtar adamantis firma atque rata oportet ad inferos proficiſci, ne quis illic diuitias malaq; huiuſmodi admiretur: ne ue in tyrannides & alias huiuſmodi actiones incidens, multa & inſanabilia ſcelera perpetret: ipſeq; rurſus deteriora perpetiatur. Imò uero ſciat mediam ſemper iſtorum omnium miſſis extremis uitam eligere: & in hac uita & in futura. Ita enim quiſq; fit beatiſſimus. Enimuero qui tunc rediit illinc nuncius, oſtendebat hoc pacto pro-

phetam

phetam in edicto adiecisse: siquis postremus etiã accedit, eligat modo prudenter, cõstanter uiuat, uita occurret expetenda nõ mala. Primus ne oscitanter eligat, ultimus ne despe ret. Cũ hæc dixisset, eum cui primo sors obuenerat, ilico inquit properantẽ tyrannidem maximã elegisse: ac propter inscitiam auiditatemq; haud satis singula prius examinasse: & idcirco ignorauisse, quod in ea uita fato decretum erat ut filios suos uoraret, aliaq; mala plurima sustineret. Postea uero ubi per ocium electam uitam considerasset, eiulasse, electionem noxiam deplorantẽ, quod non cauisset quæ propheta prædixerat, neq; seipsum tanquam malorum causam damnantẽ, sed fortunam dæmonesq; & reliqua omnia potius quàm seipsum. Fuisse uero illum ex his qui de cœlo descenderãt, qui sane in superiori uita, in ciuitate aliqua moderata uixerat, uirtutemq; usu quodam, absq; philosophiæ tamen studijs exercuerat. Neq; pauciores ex his qui ex alto cadunt, quàm ex alijs, utpote malorum ignaros decipi eligendo. Eorũ uero qui è terra uenerũt, plurimos quia & ipsi calamitatibus laborauerint, & laborantes alios uiderint, haud temere uitam eligere. Quam ob causam, ac etiam propter sortis fortunam, bonorũ malorumq; multis animis mutationẽ contingere. Porrò siquis semper cum in hanc uitam uenerit, syncere philosophetur, neq; electionis sors ultima ei contingat, eum ex his quæ illinc nunciantur apparet, nõ hic solum felicem fore, sed & profectionẽ hinc illuc, regressionemq; huc iterũ haud sane terrenã & asperam subiturum, sed lenem atq; cœlestem. Hoc quoq; consideratione dignum spectaculum esse dicebat, quomodo singulæ animæ uitas singulas eligebãt. Miserabile quippe istud, ridiculum, uisuq; mirum, electionẽ scilicet secundum uitę prioris cõsuetudinem, ut plurimum facientes. Animam enim inquit, quæ olim Orphei fuerat uidisse, cygni uitam odio muliebris generis eligentem: nolentẽ uidelicet ex mulieribus à quibus occisus fuerat, nasci: Thamiris uero philomenæ. Cygnũ etiam conspexisse ad humanæ uitæ electionem conuersum, aliaq; musica animalia, ut consentaneum est, similiter. Quandam etiam, cum oblatæ sortes essent, leonis elegisse uitam: hanc uero Aiacis Telamonij fuisse dicebat, detestantem homines quoties iudicij illius, ubi pro armis cum Vlyxe contendit, in mentẽ ueniret. Post hunc Agamemnonis animã propter ærumnas, odio humani generis uitam aquilæ asciuisse. Atalantes autem animam, cui media quædam sors contigerat, intuitam dixit quàm maximis honoribus uir athleta afficiatur, continere se non potuisse quin uitam athletæ eligeret. Animam deinde Epei Panopeensis ad artificiosæ mulieris naturam protinus migrasse. Longe uero inter nouissimas ridiculosi Thersitis animam simiam induisse. Casu uero, Vlyssis animæ sortem ultimam contigisse. Quocirca & ad eligendum ultimam aduenisse dicebat. Præteritorũ autem laborũ memoria, ab ambitione cessantem, diuq; prius quàm eligeret circumeuntem, quæsisse priuati hominis minimeq; curiosi uitam. Eamq; uix tandem alicubi iacentẽ & ab alijs neglectam reperisse, dixissèq; non aliam se uitam electuram fuisse, etiam si sortem primã nacta esset: quare uitam illam libenter fuisse complexam. Ex feris item alijs in homines transire animas asserebat, & inuicem commutari: iniustas quidem in feras agrestes: iustas autem mansuetorum animalium uitam capessere, atq; omnes hunc in modum confici mixtiones. Cum uitas, omnes animæ gradatim, ut sors dederat, elegissent, longo ordine ad Lachesim accessisse narrabat. Lachesim uero cuiq; dæmonem quem ceperat quæq;, ipsius uitæ custodem præscripsisse, electorumq; operum executorem. hunc in primis ad Clotho animã ducere, & sub illius manu reuolutionẽq; & uertigine fusi, approbare quam sortitus fortunam elegerat. Hanc ubi tetigit, mox hinc ad Atropon nentem, quæ immutabilia stamina reddat. Illinc postea propere Necessitatis thronũ adire: per quẽ cum transierint omnes, sub uehementi calore & æstu in campum Letheum proficisci, arboribus & omnibus quæcunq; terra nascuntur, penitus destitutum. Recumbere igitur ipsas aduentante nocte iuxta Amelitam flumen dicebat: cuius aquam uas nullum contineat. Atq; ipsius aquæ bibere aliquantum cuiq; necessarium. Eos autem qui prudentiam ducem non habent, ultra quàm deceat bibere. Semper uero bibentem omnium obliuisci. Vbi uero ad mediã noctem dormierint, subito tonitru & terræmotu excitos repente alium aliò sursum ad generationem consurgere stellarum instar prosilientes. Se uero flumine ex illo potare prohibitum fuisse narrabat. Quomodo aũt in corpus redierit, ignorare: sed cum diluculo subito circũspiceret, seipsum pyræ impositum animaduertisse. Atq; ita ô Glauco, seruata est fabula, neq; perijt,

nosq;

nosq; seruabit pariter: si ipsi parebimus, & Letheũ, id est obliuionis fluuium bene transibimus, nullaq; macula animam inficiemus. Quamobrẽ si sermonibus meis obtemperabimus, immortalem fore animam arbitrantes, talemq; ut & mala possit & bona omnia sustinere, uiam semper ad superiora ducentem sequemur, iustitiamq; cum prudentia omni ratione colemus: ut & nobisipsis simus, & dijs amici, dum hanc ducimus uitam, & postquã uirtutis præmia reportauerimus, tanquam potiti uictoria & triumphis, & hic, & in millenario annorum itinere, quo de diximus, feliciter habeamus.

COMPENDIVM MARSILII FICINI IN TIMAEVM.

DE SVBIECTO LIBRI. CAPVT I

QVEMADMODVM *in Parmenide cuncta diuinorum genera pro uiribus comprehendit, sic omnia in Timæo complectitur naturalia, & utrobiq; plurimum Pythagoricus est, sub persona Pythagorica disputans. Atq; in Parmenide quidẽ, Parmenidem & Zenonem Eleates Pythagoricos, qui de diuinis scripserant, imitatur. In Timæo aũt, Timæum Locrum, Pythagoricum, qui librũ de uniuersi natura composuit, sequitur. Ita tamen, ut his non eloquentiam solum adiungat, sed mysteria. Quoniam uero diuina quidem naturalium principia & exemplaria sunt, naturalia uero diuinorũ effectus atq; imagines: iccirco & in Parmenide dum de diuinis agit, interim descendit ad naturalia: & in Timæo naturam tractans, surgit sæpius in diuina. Neq; iniuria diuinitatem simul naturamq; copulat. Natura enim diuinitatis est instrumentum. Atq; ita uel de naturalibus agit diuine, quemadmodum Aristoteles, uel de diuinis naturaliter agit. Interserit quoq; mathematica tanquam utrorumq; media, diuinorum scilicet atq; naturaliũ. Quæ uidelicet, per numeros quidem diuina, per mensuras uero significent naturalia. Sit ergo huius libri subiectũ ipsa uniuersa natura, id est, seminaria quædã & uiuifica uirtus toti infusa mundo, animæ quidem mundanæ subdita, materiæ uero præsidens, eodemq; ordine singula pariens, quo & anima ipsa concepit, tam diuinam suscipiens mentem, quàm appetens bonum.*

DE ORDINE LIBRI ET PARTIBVS EIVS. Cap. II

PATEBIT *autem naturam uniuersi ipsumq; uniuersum non ex se quidem cõsistere, sed ex superiori diuinaq; causa dependere. Patebit insuper quot in gradus natura distribuatur, cœlestes, elementales, simplices, compositos, rationales, ratione carentes. Patebit totam sub luna generationẽ ad animal rationale quasi finem dominumq; referri. Multa præterea de hoc ipso animali, tũ ad animam, tum ad corpus spectantia tractabuntur. Multa quoq; de rebus quæ à natura infra rationale animal cõponũtur, Et ut summatim dicã, de triplici mũdo tractabitur, scilicet de diuino cœlestiq; & humano. Ostẽdetur quoq; omnium quæ in mundo componuntur ipsiusq; mundi, duo quædam præcipua intrinsecus elemẽta esse, scilicet materiam atq; formam: tria uero extrinsecus esse principia, scilicet efficientẽ mũdi causam, & exemplarẽ atq; finalem. Et efficientem quidem esse diuinam potentiam, & intelligentiam atq; uoluntatem: Exemplarem uero ideas intelligentia diuina conceptas: Finalem deniq; bonum.*

DE INTRODVCTIONE AD DIALOGVM. Cap. III

CAETERVM *ut ad ipsam dispositionem dialogi ueniamus, Plato quinq; continuos disputationibus destinauerat dies. In primo quidem Socrates in Piræo unà cum Polemarcho, Glaucone, Adimanto, Thrasimacho Sophista de repub. disputauit. Secundo uero die in urbe recẽsuit eadem Timæo & Critiæ atq; Hermocrati, & quarto cuidam absq; nomine peregrino, fortasse Timæi comiti. Tertio die horum epilogũ faciunt. Quo quasi exordio mox facto Timæus disputauit de natura, præsentibus tribus, Socrate, Critia, Hermocrate. Quartus enim qui absq; nomine secundæ interfuit narrationi, iam abest à tertia: non enim cuiuslibet est, secretioribus interesse. Quarto autem die orationem habuit Critias. Quintus deniq; nondum dies illuxit. Commode admodum post diuinæ apud homines reipublicæ tum dispositionem, tum epilogum ad cœlestem rem publicam huius exemplar in Timæo accesit ab ipso deo compositã: deinde ad mundi generisq; humani antiquitatem, & res miras à ueteribus strenue gestas.*

ALLEGORIA HISTORIAE QVAE NARRATVR IN PROLOGO Cap. IIII

NARRAT *autem inter dialogi huius exordia historiam de bello quodam inter Athenienses Atlanticosq; commisso. Hanc itaq; Crantor tempore primus Platonis interpres nudam absq; allegoria historiam accipit. Quidam uero contrà, tanquam solam allegoriam. Sed hos redarguunt probatissimi quiq; Platonicorum: affirmantes quidem historiam, quia Plato dixerit. Sermo futurus est ualde mirabilis*

rabilis,sed omnino uerus. Sensum præterea Platoni nihil usquam temere molienti allegoricũ existimant exhibẽdum. Bellum igitur inter Athenienses atq; Atlanticos imaginem præ se ferre putant oppositionum quæ in uniuerso sunt omnium. Bellum enim,id est oppositionem apud Heraclitum esse omnium patrem. Amelius quidem oppositionem adducit inter firmamentum,atq; planetas: præsertim quoniam in Critia dicitur Atlanticam insulam in septem circulos fuisse diuisam. Origenes uero oppositionem superiorum dæmonum ad inferiores,atq; uictoriam: illis potentia,his numero excedentibus. Numenius autem dissensionem excellentium animarum sequentiũ Palladem,aduersus alias animas generationem sub Neptuno sequentes. Porphyrius pugnam inter dæmones deducentes in generationem,& animas ad supera cõtendentes. Distinguit tripliciter dæmones: alios esse diuinos: alios esse secundum habitudinem quandam: quorum numerum particulares impleant animæ sortem nactæ dæmonicam: alios esse malos & noxios animabus. Hos igitur dæmones infimos conflictari cum animabus in ascensu semper atq; descensu: præsertim occidentales dæmones. nam eam ab Aegyptijs plagã noxijs accommodari dæmonibus. Proinde Iamblichus, Syrianus, Proculus, his addunt oppositionẽ ipsam in uniuersis uigentem perpetuo, inter unũ & multitudinem: terminum & infinitatem: idem & alterum, statum et motum: ex quibus sub primo omnia cõponuntur. Item ens, aut per se, aut nõ per se. Rursus essentia uel incorporea uel corporea. & incorporea quidem uel non declinat ad corporea, uel declinat. Corporea uero uel non caduca ut cœlestis: uel caduca ut elementalis. Deniq; in cœlo quidem oppositi inter se motus, & diuersæ uirtutes. Sub cœlo autem repugnantes inter se qualitates. Sũmatim uero horum omnium discrepãtia per antiquum illud bellum significatur: & ubiq; superiora præstantioraq; per Athenienses, alia per occidẽtales significantur. Eiusmodi uero allegoria disputationi Timæi non mediocriter conuenit. Confirmatur etiam per ea quæ in Critiam commentamur.

CASVS PHAETHONTIS. DILVVIA. INCENDIA.

Mineruæ descriptio. Cap. V

HIC iterum te admoneo ut memineris nouem annorum milia ab Eudoxo milia mensium cõputari. Item Phaethontem Solis filium fulminatũ exussisse terram, significare apud quosdã uastã cometam natura solarem tandẽ dissolutã intolerabiles æstus concitauisse. Fortè etiã incendia quæ narrat Moyses missa diuinitus. Vbi uero ad diluuia peruenit, memento ignem quidem omnium efficacissimum esse: aquam uero efficaciorẽ esse terra, & patibilem minus aere. Item ignẽ diuidere potenter atq; penetrare: aquã undiq; ualde percutere. Ideo per duo hæc elementa uastiores calamitates accidere. Ad de & finalẽ causam: quia uidelicet per exitiũ factum ab his duobus, sequitur maius bonum, id est fœcundior rerũ regeneratio quàm per aeris pestes terræq; hiatus. Ideo prouidẽtiam ad amplissimũ exitium his duobus præcipue uti. Cui sic rotæ cœlestes inde recte obtemperant: ut quibus temporũ interuallis exitium immo reformationẽ fore deus instituit, ijsdẽ planetæ omnes ad astra uel ignea uel aquea stellis quoq; fixis ad idẽ conducentibus rite cõcurrant. Memineris præterea Neptunũ quidem prouidentiã naturalem, Palladẽ uero prouidentiam intellectualẽ significare: atq; hanc ipsam Palladem à Platonicis describi, diuinitatem sapienter simul atq; potenter tum cœlestia exornantem, tum quæ sub cœlo fiunt ædificantem: inter astra Arieti præcipue præsidentẽ: & æquinoctialis circuli ducem: ubi potissimũ uigere putant motricem uniuersi uirtutem. Mandabis memoriæ aureum epigramma: quod Proculus in Aegyptiorũ historijs legit Mineruæ templis inscriptũ. Ego sum quæ sunt, quæ erunt, & quæ fuerunt. Velum meum reuelauit nemo. Quem ego fructum peperi sol est natus.

PRAECEPTA DE VOTIS ET PRECIBVS ELECTISSIMA

CAPVT VI

VBI uero Plato ad deum peruenit suppliciter adorandum: audi Porphyrium diuinas supplicationes ita probantem. Cum deus nobis prouideat, ac res nostræ possint aliter se habere, certe pro rerũ nostrarũ usu utiliter adoramus: uidelicet si boni simus. sic enim utpote similes facti deo propius cõiungemur. In qua quidem coniunctione adorationis uis tota consistit. Nempe cũ dei filij simus: sed ab eo quasi in exilio & carcere segregati: suppliciter adorare decet, quo hinc liberati reuertamur ad patrẽ. Alioquin similes eorũ erimus, qui parentũ patrocinio sunt orbati. Profecto cum uniuersi partes simus, uniuerso proculdubio indigemus. Ipsa enim ad totum cõuersio partibus salutem præstat. Siue igitur uirtutem sectaris, adorãdus est tibi qui totam uirtutẽ continet. Ipsum nanq; amare bonum, causa erit & tibi eius quod tibi expedit boni. Siue corporeũ optas bonũ, extat in uniuerso uirtus omnia continens corpora. Inde igitur prouenire necesse est partib. quibuscunq; salutem. Compertũ uero habemus excellẽtissimos quosq; apud omnes gentes sapientia uiros diuinis potissimũ uotis incubuisse: præcipue Indorũ Brachmanas: Persarum magos: Græcorũ theologos. Chaldæos autẽ, & aliud quiddam adorauisse. Ipsam enim superorum uirtutem appellãtes deum, uno hoc nomine uenerati sunt. Hæc Porphyrius. Post hunc discipulũ eius diuinũ Iamblichum audiamus, hac in re in primis à Proculo comprobatum. Omnia ex deo ita sunt, ut nusquàm uel minima quæq; deserãtur à deo. Vbiq; enim diuina uiget unitas: per quã res

quæq; consistunt: ac perpetuo quodam intimoq; circulo ad deum ipsum à quo & in quo sunt mirabiliter reuoluuntur. alioquin in nihilum repente proruerent. Ab unitate diuina omnia prodeunt: prodeuntiaq; unitatem quãdam ipsis impressam retinent diuinæ unitatis imaginẽ: qua reuocantur in illam, & reuocata perficiũtur. Hæc ipsa animas rapit ad uota, quibus unio cum deo nobis penitus imploratur. Quod si natura ex deo manãs quasdã rebus quibusdam cõuenientes cum superis proprietates inseruit, per quas quodãmodo ad superos sese uertant, ceu ad solem solaria, ad lunam uero lunaria: multo magis animarum pater rapientes ad se uires eis impressit. Quæ quidẽ in primis in diuina quadã unitate intellectu superiore, nec non in ipsa intellectuali reflexione sitæ uidentur. Ipsam uero nostram in deum restitutionẽ adoratio supplex hinc orta absolute consummat: diuinam in nos beneficentiam naturali trahens congruitate, copulans adoratores cũ adorato, coaptans superiorũ intelligentiæ uouẽtium preces: mouens uoluntatẽ corũ qui bona in se omnia cõplectũtur, ad bona nobis ad uotũ impartiẽda, diuinæ persuasionis effectrix, nostra omnia in superiorũ stabiliens firmitate. Ad uoti uero professionẽ quinq; præcipua pertinent. Primũ quidem est notio quædam eius quod adorandum est, & qua ratione colendũ. Secundum uero assimulatio quædam uitæ nostræ ad diuinã uitam, puritate, castitate, sanctimonia, disciplina, ordine proficiscens, diuinamq; captans beneuolentiã, & animas diuinæ largitioni subijciens. Tertiũ est contactus aliquis: per quem essentiam diuinã fermẽ iam attingimus: & in ipsam summitate quadã animæ uergimus. Quartũ ingressio quædã in luminis diuini uestibulum. Quintum deniq; unio, unitatẽ animæ propriã diuinæ unitati insinuans penitus & cõnectens: unamq; iam actionem eãdem animæ deiq; conflans: adeo ut nec ultra nostri iuris, sed dei simus, splendore obruti & circumfusi diuino. Huius autẽ adorationis quæ absq; intermissione agenda est, supremus est finis, ut uidelicet conuersionẽ animæ cum ipsa permansione cõiungat: & quicquid à diuina unitate processit, rursus idem firmiter restituat unitati: lumenq; nostrũ superno lumine circũfundat. Sola igitur adoratio recta animas beatæ reddit patriæ. Sola sanctimonia est plena uirtus. Solus uir bonus, ut Plato scribit in legibus, deum decenter feliciterq; precatur. Sola cũ superis consuetudo beatos facit. Ab hac flagitiosi omnino sunt alieni: & tanquam prosani à uotis & sacrificijs segregãdi. Puri uero decenter ad supplicandũ accedunt, ducentes uidelicet secum tres præcipue comites, fidem, ueritatẽ, & charitatem. quibus stipati spem bonorũ concipiant firmam, atq; extra cætera seq; ipsos positi diuinæ seipsos luci prorsus immergant. Frustra enim deum quæritat, qui non adhibet se solum soli, immobilemq; stabili, & simplicẽ simplicissimo. Quemadmodũ enim non possumus enti per non ens coniungi: sic neq; unitati per multitudinem: & stabilitati per motum: & simplicitati per mixtionẽ: sed relabimur potius in oppositũ. Hæc Iamblichus atq; Proclus. His addit magnus Theodorus: Siquis naturas rerum diligentius explorauerit, inuenturum non animas tãtum atq; mentes, sed quodammodo omnia excepto primo adorare atq; uouere.

MVNDVM HABERE SVPRA SE TRES CAVSAS: AC DEpendere à causa incorporea. Cap. VII

POST hæc autem actis precibus Timæus, quia mundum existimat esse factum, ideoq; ab alio factum, triplicem eius causam perscrutatur. primo quidem efficientẽ, id est diuinam mentem: secundo exemplarem, id est idearum seriẽ in diuina mente cõceptam: tertio finalem, id est, bonũ. Mundum uero esse ab alio ex eo indicat, quòd & si pro natura corporea perfectissimus est, tamẽ pro absoluta natura non est omnino perfectus: cum propter materiã patiatur informia uel deformia: propter dimensionẽ subeat uirtutis defectum, diuisionemq; expectet, si diuisor accesserit: propter compositionem dissolutioni sit obnoxius: ob partium repugnantiam machinetur malum: ob motum indigentiã præ se ferat, & priuationẽ patiatur admixtam: deniq; ob ipsum ex diuersis congressum uno quodam superiore indigeat connectẽte: qui perfectissime sit, quoniã ex seipso sit: quemadmodũ mundus quia non est perfectissime, cognoscitur ex seipso non esse. Omnino autem omnia rerum compositarũ genera reducuntur ad aliquid quod in eo genere non est compositũ: sicut dimensiones ad signum, quod ex dimensionibus non componitur: numeri ad unitatem, quæ non fit ex numeris: elementa ad id quod ex elementis non miscetur: ergo & entiũ uniuersus ordo ad ens, quod nõ constat ex entibus. Id autẽ erit substantia accidentibus nullis admixta. Igitur neq; quanta erit neq; qualis: sed tota impartibilisq; substantia. Neq; ex eo quod unicũ & simplicissimũ erit solũ, minus habebit, quàm quæ præter substantiã subeunt accidentia. Quæ enim in sequentibus accidentia sunt, in supremo debent esse substantia: & illa quidem optima. Quo uero plura addideris optimo: eo coges lõgius ab ipsa optimitate discedere. Siquidẽ ex admixtione noua illic resultat qualitas, atq; degenerans. Non solum ergo hic mundus quia omnino compositus est, sed etiam siquis est superior, & tamen aliquo pacto compositus, à superiori simplicitate dependet. Quæ etiam super æternitatem extat. à qua & in diuinis mẽtibus integra fit æternitas: & in animalibus rationalibus æternitas mixta tẽpori: & in mundi sphæris sempiternitas tẽporalis. In his aũt quæ sphærarũ motu uirtuteq; fiunt, quædam portio temporis. Quæ igitur super animam cogitãtur, semper quidem sunt, & nunquã fiunt. Ipsa uero & est & fit semper. Mundus est quidem nunquã, sed fit semper. Quæ in mundo gignuntur, sunt quoq; nunquam, sed aliquando fiunt. Fierì quidem

quidē dicimus tēpore transigi. Quoniā uero perpetuo motu tēporeq; peragitur mundus, ideo semper fieri iudicatur. Quatenus uero fit, nondū est. itaq; dicitur esse nūquā perinde ac si in torrēte iugiter fiat restituaturq; imago montis, semper quidē in ipso fieri ducta, nunquā in esse consistens. Id uero inter animā & mundū differre, Platonici putant: quod cœlū non modo per actionē: sed etiam per essentiā continue fiat. Anima uero per actionē quidem fiat, per essentiā uero sit potius à deo, quàm fiat à deo: & quoniā essentia impartibilis est, habeat uim quādā suijpsius quodāmodo productricē, per quam edat in seipsa uitam propriā atq; motum. Cœlū uero undiq; pendeat aliunde. Sūmatim quemadmodū ab eodem scopulo, inter stagnum torrentemq; sito, assidue in stagno quidem est, in torrente uero fit imago, & euanescēs iugiter recreatur: sic à deo semper pendet utrūq;, sed aliter atq; aliter. Nam ab ipso anima quidem semper est, mundus uero fit semper. Sed ab alio principio rursus exordiamur.

IPSVM BONVM EST OMNIVM CAVSA MAGIS QVAM sequentes causæ, nec ullam habet cum cæteris proportionem. Cap. VIII

VNIVERSVM hoc à summo deo habere omnia, & actionē & uirtutem pariter, & essentiā Platonici omnes absq; cōtrouersia cōfitentur. Id enim à Platone ex omnibus eius libris accipiūt. Audiunt & idem in epistolis confirmantē. Vbi profecto ingēti cū mysterio tertios effectus in causam tertiam, secundos retulit in secundam: cūctos uero in unam omniū causam. Neq; dixit primos effectus in primā causam reducendos: ne pronunciando duntaxat primos, suspicaremur eos solos à deo pendere, ne ue deū nominando causam primā, suspicaremur ipsum & cum cæteris causis in quodam genere cōuenire, & cū effectibus in quadā dominationis proprietate cōgruere. Itaq; cūcta ab ipso procedere simul ostēdit: & ipsum interea ab omni procedentiū cōmunione esse penitus absolutū. Idq; ob absolutam simplicitatē nominat ipsum unum: ob exuberantē uero beneficentiā, per quam & tanquam principiū producendo efficit omnia, et tanquā finis eadem perficit reducendo, nominat ipsum bonum. Putat aūt quæcūq; fiunt, magis ab ipso quàm à cæteris causis dependere. Siquidē ipsum in quouis opere & prius agit, & diutius, et uehemētius quàm reliquæ causæ: & reliquæ quicquid sunt, eo faciente sunt: & quicquid agūt, eo ducēte agunt. Vt autē ostenderet singula ab ipso magis quàm ab alijs causis emanare, ter replicauit ipsum omniū esse principiū. Inquit enim. Circa omniū regē omnia. Item eius gratia omnia. Rursus ipse omnium causa. ut intelligeremus & cuncta maxime inde oriri: & deū esse cunctorū effectorem & exemplar & finem. Prōinde unū ipsum, atq; bonum esse super essentiam omnem & intellectum, atq; esse causam utriusq;, in sexto Reipub. atq; in Parmenide & Sophista euidenter ostendit. Cōstat autem idem esse unū atq; bonum: ne si diuersa sint, duo cogantur esse principia summa. Principium profecto & simplicissimū esse debet & optimū. Nihil autem uel unitate simplicius, uel melius bonitate. Neq; etiā unitas melior bonitate, neq; bonitas unitate simplicior. Vnū ergo sunt ambo summusq; deus. Idq; totum super essentiā esse atq; mentem, satis in Theologia & alibi confirmauimus.

DE DEPENDENTIA MATERIAE AB IPSO BONO: ET DE actione mentis & animæ in materiam: & de mundo intelligibili. Cap. IX

AB hoc utiq; uno bonoq; super omnē essentiam eminente Plato in Parmenide & Sophista omnes entium deducit gradus: tum eorum quæ uere sunt, id est, formarum separatarum: tum eorum quæ non uere sunt, id est, formarū materiæ inhærentiū: tum infimum materiæ gradum. Qui usq; adeo non uere est, ut proximus ei sit, quod fingitur iam uere nō esse. Hanc utiq; materiam in Parmenide ab ipso bono in ultimo rerū gradu deductā, accipit in Timæo quasi iam genitam: & architecto mundi ad effectum mūdani operis subditam. Sed nūquid deus mundi auctor, idem & materiæ est effector? Respondebit hic Ammonij & Origenis schola, eundem esse. Et in Parmenide quidem tractari, quemadmodum materia esse à deo accipit: in Timæo uero, qua ratione ab eodem accipit bene esse, prius autem quodāmodo esse quàm bene esse excogitari. Respondebit aliter cōmunis Platonicorū schola: non eundem esse deum, qui materiā facit: & qui formar proxime. Immo materiā à summo quidem bono esse: ab intellectu uero formari: ab anima postremo moueri. Immo uero omnia hæc à primo: sed esse à primo tantum. Formari à primo per intellectum: moueri, et mouendo formari mobiliter, à primo per intellectum simul & animam. Perinde ac si fingamus figulum quendā, qui manu propria lutum faciat, factū per rotam formet: formando ligneo quodā distinguat pectine atq; figuret. Nemo utiq; dixerit uas à pectine atq; rota magis fieri quàm à figulo: quamuis à figulo per rotam fiat et pectinē. Vniuersum hoc similiter ab ipso bono iudicant per intellectū quendam diuinum animamq; uniuersi procedere. Merito ab ipso mundū proxime fieri maxime unum, ab ipso bono maxime bonum. At quoniam uisibilis hic mūdus ob multiplicem partiū distantiam, qualitatum repugnantiam, effectuum diuersitatem, materialium deformitatē, neq; maxime unus est, neq; maxime bonus, ideo ante hunc existimant ab ipsa unitate bonitateq; diuina mundū alterū proxime emanare, & prout natura patitur quamsimillimū, non uisibilem quidem, sed intelligibilem, intellectualemq;, exemplaria omniū quæ in hoc gignuntur habentē. Quem quidem diuinū intellectum, nominant non ipsum

bonum, sed optimū boni filium. Quem si unius cum primo substantiæ esse intelligamus, Platonē Christianæ theologiæ magis conciliabimus. Sed cæteri Platonis interpretes reclamabunt.

SOL, LVX, LVMEN, SPLENDOR, CALOR, GENERATIO, similiter unitas, bonitas, intellectus, anima, natura, corpus mundi, imago mundorum superiorum. Cap. X

MANEAT ergo Christiana & Mosaica ueritas. Ac interim, si cut pluribus placet interpretū, forsan fuerit hæc uel Platonis opinio, uel Pythagoræ: Intelligibilem mundum inter uisibilem atque ipsum bonum esse medium: imaginem quidem boni, exemplar uero corporei mundi: ita à bono pendentē, sicut lumen extra solem à luce intra solem. Præterea producentē ex se proxime mundi animam sicut & lumen fundit ex se splendorem: perq; animam singula quotidie generantem, sicut splendor per calorem corporea gignit. Quemadmodum igitur sex hi gradus ordine disponuntur: Primo quidem ipsa solis substantia, deinde lux substantialis & intima: Tertio lumen inde manans: Quarto splendor resultās ex lumine: Quinto calor splendore succensus: Sexto generatio caloris flagrātia coalescens: ita sex alij digerātur. Primo quidem unitas, deinde bonitas: neq; tamen re ipsa duo hæc, sed ratione quodammodo distinguantur. eadem nanq; diuinitas: & quia omnia supereminet, unitas: & quia per omnia rursus exuberat, bonitas appelletur. Hanc utiq; exuberandi uirtutem Plato in sexto de Repub. ideam appellat boni. In epistolis uero bonorum. boni quidē, id est suipsius, bonorum quoq; quæ ab ipsa proficiscuntur. Tertio in gradu ponatur diuina quædam mens quasi lumen de luce manans, multiformesq;, ut ita loquar, ideas in se concipiens duplici quodam supernæ lucis, ideæq; unius diuinæ fomento: non aliter quàm in lumine multi iam radij ex uno lucis radio deriuantur. Non solum uero in hac mente rerum comprehenduntur ideæ quasi fonte: sed & ad hanc multi mentium reducuntur exercitus quasi ducem: ab eadem uidelicet diuina luce à qua & ipsa æque prosilientes. Totum uero id genus mundus superior nominatur: sed quantum ad mentes spectat sequentes, intellectualis mundus: quantum uero ad ducem, intelligibilis. Sed ipsa quoq; mens dux mentium, partim quidem intellectus, partim intelligibile nominatur. Intellectus quidem quà rationibus rerum discernendis incumbit. Intelligibile uero, quà rationes eiusmodi in suis continentur ideis. Idea deniq; boni non modo super intellectum, sed etiam super intelligibile regnat. Post archetypum hunc mundē quarto gradu sequatur corporei mundi anima: Mundus iam rationalis ex intellectuali mundo progenitus, quasi splendor ex lumine. Et sicut splendor iam motui permiscetur, sic anima immobilium idearum rationes mobili quodam pacto attingit atq; percurrit. Quintus huic succedat gradus, ipsa uidelicet natura rerum, mundus iam seminarius, ex rationali animæ mundo, quasi calor splendore resultans. Sexto tandem gradu mundus hic corporeus collocetur, ex seminario ita proxime ductus, sicut rerum generatio ex calore. At si cæteris omissis aptius comparare uolueris, cogitabis in architecto quodam sapientissimo uim primo bonitatemq; naturalem. Deinde geometricum contemplatoremq; intellectū, communes rationes mensurarum habentem. Tertio rationem, ut aiunt, practicam iam per rationes ipsas de artificio consultantem. Quarto imaginationem figuras iam & modos conducentes operi effingentem. Quinto effectum. Sexto mouendi uirtutem. In eiusmodi uero cōparationibus uidebis effectus multo magis ab antecedentibus fieri quàm sequentibus.

SINGVLI ORDINES AD SINGVLA CAPITA REDVcuntur, uniuersus ordo ad uniuersale caput, à quo omnia componuntur ex actu & potentia. Cap. XI

NEQVE uero latere nos debet propria rerū genera ad capita propria, uniuersum genus ad uniuersum caput oportere referri. Cuncta enim mūdi corpora ad corpus unū: Naturæ omnes ad unā quoq; naturam: Animæ ad animā: Mentes ad mentem: ad bonum deniq; bona, & quia bona, ideo cuncta. Sic utiq; omnia conuersione quadā naturali bonum appetunt tanquam finem: quoniam ab ipso bono, cōmuni quadam processione tanquam principio prouenerunt: atq; adeo cuncta ipsum appetunt, ut materia infima appetat appetitu non infimo. Perpetuo siquidem in omnibus generandis ad ipsam boni uergit similitudinē: ut appareat hāc à bono pendere. A bono inquā potius, quàm à mente. Quippe cum mentis actio quæ per formas fit ideales, terminetur ad formas. Actio uero boni, utpote amplissima, ultra formas descendat etiam in materiā, efficiatq; bonorum auidam & capacem. Sed quam nunc uoco materiam, Plato in Philebo latiori nomine infinitudinē nuncupat, dicens ipsum bonum proxime infinitudinem ac terminum peperisse, statimq; inuicem miscuisse, atq; ex hac mixtione cuncta composuisse, id est ex potentia quadam formabili & accedente forma. Potentiam enim formabilem quasi ex se nōdum definitam nec perfectā uocat infinitudinem. Formā uero huic adhibitā nominat terminū: quod uidelicet indefinitā potētiā definiat, & in specie iam optata perficiat. Ex his ergo duobus & intelligibilē mundū proxime à deo uolunt esse conflatum: & sensibilē deinde ab intelligibili ex eisdem uel similibus constitutū. Ita ut intellectus ille proximus mūdi uisibilis architectus, materiā acceperit ab ipso bono

quodammodo

quodammodo ſpiritalem: ſed iamiam ſub ſe in dimenſionem molis degenerantẽ informemq; & uacuam: ac ſi forſan ex ſe moueatur, abſq; ordine nutaturam: ſed per idearum ordinem ab eodem bono ſuſceptum, formauerit eam, redegeritq; in ordinem, antequam extra ordinem uagaretur. Præſertim cum animam ipſi rationalem in primis infuderit, motionis ordinatiſsimæ dominam. Non ſolum uero materiam per ſe informem fore, ſed animam quoq; fore informem inquit, niſi deus utranq; formet. Quod uero eſt in materia corporalis ſpecies, id ratio eſt intelligẽtiaq; in anima: qua ſi caruerit, materiam inordinate mouebit. Quo autem id exprimeret, materiã cõſiderauit in formã & animam rationalem: uiditq; motum inde ſine ordine prouenturum.

MATERIAM NON FVISSE INORDINATAM ANTE mundum tempore, ſed quadam ordinis ratione. Cap. XII

EX his omnibus colligere poſſumus materiam non eſſe æqualem mundi fabro: nõ eſſe ante mundũ ullo temporis interuallo, licet origine quadã & ordine: non iactari inordinate ante ordinem, ſed erraturã fuiſſe procul ab ordine, quãtum in ſe eſt, niſi ſtatim deſuper ordinata fuiſſet. At ne quis hunc loquendi modum improbet in Platone fingente materiã ante mundum inordinate iactatã, audiat & Moſen ante mũdi diſtinctionẽ dicentẽ terram fuiſſe inanem & incompoſitã, & ſuper faciem abyſsi tenebras extitiſſe. Mitto in præſentia poeticũ chaos. Adducere iuuat in medium Philonem Iudæum ſimilibus uerbis Moyſis Geneſim exponentẽ. Si quis cauſam quare uniuerſum hoc creatum ſit uelit exquirere, nõ errabit meo iudicio, ſi id exiſtimabit quod quidã ex ueteribus protulit: bonum eſſe creatorem ipſum et genitorẽ, & autorẽ uniuerſi: & bonitatis ſuæ gratia nulli ſubſtantiæ inuidiſſe, quæ ſua natura nihil boni haberet, & tamen fieri omnia poſſet. Erat enim ſua ipſius natura inordinata, informis, inanimata, omnino uaria, incõgrua, incõcinna, incõſtans, aptaq; quæ in cõtrariũ mutaretur, & optimarũ rerũ rationẽ ſuſciperet, formæ uidelicet, animationis, ſimilitudinis, cõgruitatis, concinnitatis: omniũ deniq; rerũ ideæ melioris. Item in ſecundo eiuſdẽ libri uolumine. Cum, inquit, creator ſubſtantiã inordinatã & natura ſua confuſam in ordinem ex inordinatione, & in diſcretionẽ ex confuſione traductã formare cœpiſſet: Terrã atq; aquã medio loco firmauit. Hæc Philo. Proinde ſi gradus rerũ ſex in ſuperioribus adductos cõſideraueris, perſpicies fortè quàm ſimilis ſit Plato Moyſi, ſex diebus mũdi Geneſim abſoluẽti: quàm ſimilis & Pythagoras, probãs ſenariũ numerũ Geneſi nuptijsq; prorſus accõmodari. unde & Gamon appellat: propterea quod partes ſuæ iuxta poſitæ ipſum gignant, ſimilemq; reddant genitũ genitori.

DVPLEX OPINIO DE ORIGINE MVNDI Cap. XIII

SI QVIS *interroget nunquid apud Platonem mundus fuerit ſempiternus: Reſpondeo equidẽ interpretibus Seuero & Attico, & Plutarcho, alijsq; ut Proculus narrat multis, non fuiſſe ſemper. Sed interpretãtibus Crantore, Plotino, Porphyrio, Iamblicho, Proculo & pleriſq; alijs, ſemper quidẽ fuiſſe, & fuiſſe ſemper à Deo, immo fluxiſſe. Deum enim ſemper eſſe aiunt. Mundum uero fieri ſemper, & fluere. Ac ſi initio temporis carentem conſideraueris, ingenitum dici mũdum: ſin autem perpetuũ à Deo eius effluxum, aſsidue genitum: neq; minus ex Deo pẽdere, ſi depẽderit pẽdeatq; ſemper, quàm ſi aliquãdo cœperit dependere, uel deſinat. Quemadmodum lumen nõ minus à ſole ducit originem, neq; minus ſeruit ſoli, ſi ſemper quàm ſi aliquando profluxerit, effluatq; à ſole.*

TRIPLEX CONIECTVRA PLATONICAE OPINIONIS DE mundo, & quæ ſit certitudo ſententiæ Platonicæ de mundo. Cap. XIIII

AETERVM *in rebus Platonicis, uel cõiectura incedimus, uel ſcientia. Quantum ad coniecturam ſpectat, ita & ipſe loquitur, & ſui diſputãt, ut opinionẽ eius de origine mundi in tria capita colligere liceat. Aut enim putauit materiã aliquãdo ex nihilo à deo creatã, ſimulq; formatam tempore. Quãuis in hoc opere quod cõponitur ex materia, ſecundũ quendam productionis ordinem materia ipſa prius cogitetur fieri quàm formari: & eſſe materiam prius quàm eſſe formatam: atq; ante opus ex materia factũ materia quæri ſoleat ex qua fuerat opus conficiendũ. Aut deum materiam nõ aliquãdo nouã peperiſſe, ſed ab æterno, ſimiliterq; ornaſſe: quãuis inornata prius quàm ornata fingatur. ſiquidẽ natura ſua caret ordine: quẽ expectat ab alio. cumq; res quælibet prius cogitetur ſecundũ id quod eſt, quàm ſecundũ id quod accipit, merito ſeorſum ab ordine poteſt ipſa in ſe ordinis expers excogitari. Aut ut dixi, materiã ſemper à deo fuiſſe, atq; continuæ: ſed non cõtinue ordinatã, immo per temporũ interualla: ita ut dei ſit ſtabiliter ordinare: materiæ uero ordinari mobiliter: accipiatq; temporalem ordinis ſui temperationẽ nõ aliter quàm à fabro accipit horologiũ: peractisq; pro natura ſua certis temporũ interuallis amittat ordinem paulatim ac deniq; totum, redeatq; in Chaos: ſed deus ſubito extremam cõfuſionem minime tolerans in priorem diſpoſitionem unico nutu retemperet, idq; fiat infinite uiciſsim, nũquam mutato Deo, infinite reformata materia. Hactenus humana in Platonicis proceſſerit coniectura. Quantum uero habemus ſcientia, affirmamus Platonem noſtrum affirmauiſſe Mundum non*

ex se existere, sed ex causa: non ex causa fortuita, sed ex certa: non ex naturali duntaxat causa, sed intellectuali: nõ ex intellectu per modum naturæ determinato, sed potius uoluntario: non uoluntate ex naturali quodam instinctu compulsa, sed libera. Nihil enim magis liberum quàm quod per se est, & per se agit omnino: neq; tamen contingente aliqua uoluntate. Nihil enim contingens, ubi idem est uoluntas atq; necessitas. Nihil iterum uiolentum, ubi idem est uicissim necessitas & uoluntas. Vt autem id aperiret, non minus replicauit in fabricando mundo uoluntatis diuinæ quàm intelligentiæ nomen. Atq; addidit ipsam uoluntatem boni esse summam causam: & certissimam causarum. Quam ex eo ostendit liberam esse, quod sæpe ait Deum architecti more consultauisse: atq; deliberauisse de opere construendo. quibus in uerbis non ambigentem intelligi Deũ uult, sed libere eligentem. Proinde mundanum opus non semel tantum processisse inquit à Deo, sed procedere seruariq; assidue. Quinetiam suprema mũdi numina unà cum mundo ex seipsis dissolubilia fore, nisi diuina uoluntate regantur. Satis ergo fuerit & id quidem quàm maximum, talia de affirmante philosopho affirmasse. his enim cõcessis facile poteris Deum dicere quãdo prouidente & libera efficit uoluntate, mundum absq; nouitate sui nouum composuisse. Ac si audieris non aliquando nouum, sed ab æuo potius edidisse: poteris maiestatem simul suam seruare Deo, cuius uolũtate, & hac quidem libera, mundus non minus eget & pendet, si eget pendetq; semper, quàm si quandoq; processerit. Quoniã uero Plato sæpe ait, eatenus de diuinis asseuerandum, quatenus diuinis oraculis comprobetur: & nos sacris literis potius quàm coniecturis nostris assentire debemus.

MVNDVS BONI GRATIA PROCREATVS AD DIVINAE rationis uerbiq; diuini similitudinem. Cap. XV

MVNDVM ergo fecit uoluntate, id est bonitate sua, tam uoluntarie quàm naturaliter ob immẽsam fœcunditatem exuberante. quæ primũ quidẽ seipsa gaudet: ob idq; deinde sua hac delectatur imagine: ita tamẽ, ut non in hac imagine, sed in ipso exẽplari, atq; principio delectationis huius constituat finem. Quoniã igitur bonitate fecit mundũ: idcirco boni gratia fecit ipsum. nõ enim ut esset uiueret, intelligeret simpliciter, procreauit: sed ut & bene esset, uiueret, & bonũ intelligeret atq; cõpararet. Id illi Mosaico ualde cõsonat. Vidit deus hoc & illud esse bonum: & cũcta ualde bona. Et quia pulchritudo splendor est bonitatis, ideo subdit ab optimo Deo mundũ esse pulcherrimum procreatũ: temporalem quidem, sed ad æterni exemplaris imaginẽ. Dicet & sæpe, quot species sunt in archetypo, id est principali mundo, id est intelligibiles atq; imitabiles, totidem rerũ formas in hoc mundo disposuisse, atq; ita sibi similẽ effecisse: utpote qui intelligat ideas rerũ non inter nubes, ut maledici quidam calumniantur: sed in mundani architecti mente consistere. Vbi uero ait in ipsa uita ideas esse, uaticinari uidetur euangelicũ illud: Quod factum est in ipso uita erat. & ubi ait repetitq; sæpe mundũ diuina prouidentia cõstitutum, totam confirmat religionem. Quod quidem cum obseruasset Theophrastus tanquam in philosopho mirum, ait, Plato solus, uel certe maxime omniũ, à diuina prouidentia rerum causas assignauit. Sed ô Theophraste quacunq; id mente de Platone dicas, proculdubio confiteberis Platonem solum uel omnium maxime prouidentem atq; diuinum.

CVR MVNDVS SIT VNVS, ET SPHAERICVS, & moueatur in sphæram. Cap. XVI

OSTENDIT uero deinceps diuinũ ipsum mundi exemplar: quod euãgelista, sed diuiniore sensu diuinũ appellat uerbũ, esse unicum: quia quod cõtineat omnia, nihil relinquat extra seipsum: ideoq; sit necessario unicũ. Sed de hoc ipso in Theologia diffusius. Cum autem mundus hic in cæteris quoad fieri potuit, mundum intellectumq; diuinum referat: adeo ut qui formas in hac materia conspicit, quasi diuinum uultum contueatur in speculo: certe in ipsa etiam unitate omniũ effectrice atq; seruatrice repræsentat illũ, ut architecti unius unum sit opus. Vnus igitur dei unius est mundus. Profecto si posset architectus humanus dominari materiæ, postquam plura ædificia effecisset, quorũ quodlibet in se sit unum, cuncta uno quodam tandem circumuallaret: deus autem potest omnino, cum sit materiæ dominus. Neq; somniare licet mundos plures quasi pilas, alios extra alios. Sic enim diuinũ opus dissipatum foret: atq; inter mundos spatia uacua forent. Probabilius existimabis, si quot orbes fingis per uacuũ sparsos, tot excogites sphæras potius intra sphæras, ut quælibet sphæra sit mũdus in mundo: uniuersumq; opus unum sit, atq; inuicem ordinatũ: nihilq; uel uacuum, uel ordinis unionisq; expers reperiatur. Sit autem figura mundi sphærica. sic enim est maxime uniformis capax, indissipabilis, agilis: atq; ita nec aliter potest moles in mole, & sine uacuo collocari, & sine offensione moueri: id est, si non quadrata quadratis, aut circulis, sed orbes orbibus inserantur. Deniq; præcipua mũdanæ huius sphæræ causa est: quòd & orbicularis est diuini mundi natura: quæ in seipsam intelligendo & amando reflectitur. Motionis uero sphæricæ ratio est tum figura ipsa quæ motum recipit: tum mundanæ ipsius animæ quæ mouet, intima per intellectuales species reuolutio.

CVR

CVR MVNDVS DIVIDATVR, VEL IN QVINQVE, VEL in ſex plagas: & quomodo ei conueniat ſeptenarius, & numerus circularis: & quomodo diſtribuatur ad intelligibilis mundi ſimilitudinem.

Cap. XVII

QVAMOBREM mundanæ diuiſioni nõ iniuria accõmodantur numeri: in quibus radices primæ ſunt circulariũ numerorũ: Quinarius uidelicet ex imparibus: ex paribus uero ſenarius. Dicimus autem numerũ uigintiquinq; ex quinario in circuli morem multiplicari: quoniã ab eodẽ quodãmodo redeatur in idem: dum quinquies quinq; cõputantur uigintiquinq;. Item ſimili circulo numerũ centum uigintiquinq;. Quinquies enim uiginti quinq; tot conficiũt. Eadẽ eſt ad triginta ſex, itemq; ad ducentos ſexdecim, circularis ſenarij ratio. Sexies enim ſex implet ſex atq; triginta. Itẽ ſexies triginta ſex ducẽtos implet et ſexdecim. Etſi ſuperiores numeros ratione ortus ſui alios quadratos, alios oblõgos nominant: tamẽ ratione caſus atq; finis nũcupant circulares. Itaq; per quinariũ & ſenarium radices primas circularium numerorũ, mundi corpus circulare diuidimus. Primo quidẽ in partes quinq;, ſcilicet ignem cœleſtem, ignem æthereum ſub luna, aerẽ, aquam, terrã. Quæ quidẽ diuiſio in Epinomide cõprobatur. Deinde diſtribuimus per ſenariũ: ubi cœleſtẽ ignem in non erraticũ diuidimus & erraticũ. Quæ partitio à Platone frequentius uſurpatur. Verum ſenſibilis mundi diſtributionẽ ab ipſa exemplaris ſui diſtributione cõmodius hunc in modum more Platonico deducemus. Excogitat quidem Deus in mundo penes ipſum intelligibili alterã quidem uim formabilẽ, alteram formatricẽ. Illam, ut dixi, infinitudinẽ: hanc terminum Pythagorici & Platonici nominant. Excogitat & mutuã harũ uirium mixtionẽ: intelligitq; tertiã quandã ex hac mixtione formam protinus coaleſcere. Sed & hanc ipſam formã quaſi triplicem animaduertit: habere enim nõnihil infinitudinis: nõnihil & termini: nõnihil & proprij. Quo fit, ut poſt binariũ numerũ, infinitatis ſcilicet atq; termini, ternarius ueſtigio ſurgat, addita his tertia forma. Surgat quoq; quinarius, eiuſmodi forma tripliciter diſtributa. Senarius deniq; naſcitur, ubi mũdi illius munus ad inferiora producẽdæ porrigitur. Naſcitur & ſeptenarius, ubi mũdus ille uelut imago refertur ad patrem. In quo quidem gradu ſeptimo quaſi die ſeptimo cõquieſcat. Si uero reddideris ſingula ſingulis: animaduertes corporeũ hũc mundum ab ipſo ſuperni mũdi termino ceu formã habere ignem: ab infinitudine uero ceu materiam habere terram. A media uero illius forma humorẽ ignis terræq; cõciliatorem: qui & conglutinet terram, natura propria diſſipabilem: & nutriat ignem ex ſe facile reſolubilem: & tria quædam in ſeipſo poſſideat: hinc quidem igneũ: inde uero terreũ: ſed nonnihil in medio propriũ purumq; aereum: cum aliunde per ſublime uergat ad ignem: aliunde per infimum uergat ad terram. Poſt hunc mundi quinariũ ſit ſenarius: ſi cõmunem cunctorum excogitaueris formam. Fit iterũ ſeptenarius: ſi hanc ipſam mundi formã reformaueris exemplari: in quo quidem die ſeptimo conquieſcat.

QVARE SINT IN MVNDO PARTES DISTINCTAE, ET quare contrariæ, & de quatuor elementis. Cap. XVIII

NON ſolum uero diſtinctionem formarum, ſed etiam repugnantiam uidemus in mundo. procedit enim à primo, & procedendo degenerat. Proceſsio quidem diſtinctionem facit: degeneratio repugnantiam. Quinimo diuiſionis ipſius origo eſt fœcunditas cauſæ foras exuberantis, ſeq; propagantis in amplum. procedente uero per gradus multos diuiſione, in repugnantiam deniq; peruenitur: præſertim quum mundi materia ob imbecillitatẽ nequeat ita inuicem formas cõciliare, ut mundus ille ſuperior in ſeipſo conciliat. Quo factum eſt ut Deus materiam dimenſione protenderit, ut repugnaturas inter ſe formas hoſpitijs diuerſis exciperet. Deniq; quum & illa dicamus inter ſe cõtraria, quæ in eodem genere maxime diſtant: & illa diuerſa, quæ inter ſe generibus ſeparantur: ex eo quidem quòd contraria ſunt in mundo, apparet genus quod libet ſpecies habere quamplurimas: ex eo autẽ quòd diuerſa, conſtat uniuerſum genera poſſidere permulta. Quoniam uero & ſpecies omnes ad genera, & genera ad uniuerſum, cõmunemq; eius formam deniq; reducuntur, concluditur, ſicut ſuperior mundus uniformis eſt atq; omniformis, ita hunc omniformẽ eſſe atq; uniformem. Conducit autem contraria elementorum cœlorumq; qualitas & figura, ad nouas formas quotidie generandas: confrente uidelicet motione. Siue enim unicum fuerit elementum, nihil ubiq; generabitur: quod & Hippocrates aſſerit. Siue plura inter ſe ſimilia, noui nihil efficietur: quod probat Heraclitus. Oportet tamen hunc mundũ perpetua nouarum generatione formarum æternam ſuperioris omniformisq; mundi actionem pro uiribus imitari. Eſto itaq;, ut poeſis canit Empedoclis, cõtraria inter ſe elementa. Eſto & inter contraria medium: quando contraria & maxime diſtant, & abſq; medio minime congruunt. At medium hoc indiuiſibile eſſe nequit. alioquin per ipſum contraria non diſtabunt. habet ergo dimenſionem. Sed qua parte alterum tangit, non tangit alterum. Et habet inſuper partem neceſſariò mediã, per quam æque diſcrepet ab extremis. Propterea Plato inter contraria ſemper media ſaltem interſerit duo: quemadmodum ex uerbis eius euidenter apparet. Interſerit & tertium: ubi ait, medium uim habere per quam non ſolum extremorum, ſed ſuam quoq; cuſtodiat unionem. Sed ponat manifeſtè duo, neq;

enim nunc id contendimus: ceu inter ignem & terram, duo quædam: Aerem scilicet atq; aquam. Opus autem esse duobus saltem medijs inter contraria omnino corpora: ostendit ex numeris atq; dimensionibus, quæ naturalia corpora quodammodo antecedunt.

NVMERI LINEARES, PLANI, SOLIDI. ET QVARE INter planos unum sufficit medium: sed inter solidos non satisfacit. Et quomodo mathematicæ rationes ad Physicas referantur. Cap. XIX

TRIPLICES esse numeros apud Pythagoricos alibi declarauimus, Lineares, Planos, Solidos, Lineares quidem quos sola metitur unitas quasi punctũ: ut Binarius, Ternarius, Quinarius, Septenarius atq; similes. Planos autem qui multiplicãtur ex numeris quasi lateribus. Ceu senarius ex bis tribus fit ter ue duobus. Atqui ex planorum numero eos quadrangulos, & æquilateres appellamus, qui ex numeri alicuius in seipsum ductu cõficiũtur. Ceu quaternarius ex bis duobus, et nouenarius ex ter tribus: & sedecim ex quater quatuor. In æquilateres autẽ, qui ex ductu minoris numeri in maiorem: qualis fit senarius ex duorũ in tria deductione. Dicimus & oblongos: qui ex ductu numeri admodum minoris, in numerũ longe maiorem conficiuntur: qualis est denarius ex deductione duorum in quinq; resultans. Siquidem ex bis quinq; fit decem. Hunc si in decimo de Repub. appellauimus quodãmodo linearẽ, intelligi uolebamus oblongum. Præter hos autẽ, eos solidos dicebamus: qui ex deductione atq; reductione numeri alicuius in seipsum efficiuntur, instar molis solidæ in trinam quasi producti dimensionem: ut bis duo bis, octo. Ter tria ter, uigintiseptem. Quater quatuor quater, sexaginta quatuor. Accipe duos planorum primos: qui uidelicet à primis linearib. procreantur: utputa hinc quidem quaternarium à binario: inde uero nouenarium à ternario procreatũ. Hos sanẽ planos duos, nouenariũ scilicet atq; quaternarium, poteris unico competenti medio inuicem deuincere: hoc est senario. Quæ enim proportio est nouem ad sex, eadẽ sex erit ad quatuor, utrobiq; enim est proportio sesquialtera. siquidem nouem cõtinet sex: & insuper alteram eius partem, id est ternarium. Similiter sex cõprehẽdit quatuor, atq; insuper binarium, alteram, id est dimidiam quaternarij partem. Senariũ uero esse competens mediũ inde patet, quod ex utrisq; componitur. Latus enim quaternarij quidem est binarius: nouenarij uero ternarius. Ex multiplicatione autem binarij in ternariũ fit senarius. Similiter si acceperis ultra nouẽ alium quadratum scilicet sedecim: medius erit duodecim: qui ex lateribus horum nascitur. Latus enim nouenarij quidem tria: sedecim uero quatuor. At si tria ducas in quatuor, duodecim reportabis: qui horum medius pari utrumq; ratione connectit, sesquialtera uidelicet ratione. Nam sexdecim comprehẽdit duodecim, ac tertiam insuper eius partẽ. Similiter duodecim ultra nouẽ includit tertiam nouenarij portionem. Cernis itaq; quod inquit Plato: planos numeros unico posse medio colligari. Accipe præterea numeros solidorum primos: eos inquam qui primi ex primis efficiuntur linearibus in se ductis atq; reductis: hinc quidem octo à binario: inde uero uigintiseptem à ternario procreatum. Hos utiq; nõ poteris unico inuicem medio copulare: sed cogeris duo saltem accipere media, scilicet duodecim, atq; decem & octo. Accipies enim duodecim ex bis duo ter: decem uero & octo ex ter tria bis: perq; hos numeros conciliabis extremos sesquialtera ratione. Nempe uigintiseptem numerus, decem & octo complectitur: & alteram rursus eius partem, id est, nouem. similiter decem et octo exuperat duodecim. Item duodecim æqualiter excedit octo. Per hæc perspicuum est, solidos numeros pluribus semper quibus congrue copulentur, medijs indigere. Quod autem exposuimus in numeris, idem possumus in dimensionibus, tum planis, tum solidis demonstrare, ostendentes inter plana comparabilia inuicẽ unum sæpe sufficere medium: inter solida uero comparabilia, plura uera media esse ponenda. Quod quidem & prolixũ nimis foret, & satis iam à Iamblicho, & Proculo, & Chalcidio est ostensum. Quoniam uero Plato mathematica hæc nõ propter seipsa quidem, sed propter naturalia hic accepit: his prætermissis consideremus breuiter quæ potissimũ naturæ mysteria per mathematicas imagines subintelligat. Principio quod in sacris literis legitur: Deum omnia in numero, mensura, pondere perfecisse, manifeste tangitur à Platone, numeros, mensuras, solida in medium adducente. Per solida enim comprehendit & pondera, quæ etiam significat ubi post dimensiones commemorat uires inclinationum quasi ponderum causas. Per numeros quidem intelligi uult ipsas rerum naturalium species formasq; substantiales: quas etiam Aristoteles numeris comparauit. Per mensuras autem certas instrumentalesq; figuras, uel magnitudines speciebus certis accõmodatas. Per solida deniq; atq; uires, significat qualitates, & quæ cum molibus penitus protenduntur, & præstant motionibus actionibusq; momentũ. Indicat autem omnes in uniuerso, tum rerum species, tum specierum figuras magnitudinesq;, tum qualitates, geometrica inuicem & musica proportione compositas: ut qua ratione infimæ à medijs, eadem mediæ à superioribus excedantur. Item per numeros designat medium arithmeticum, quod numerorum paritate consistit. Per dimẽsiones atq; mensuras medium geometricum, quod in rationis proportionisq; identitate locatur. Per pondera & uires, medium musicum: quod in portionis æqualitate uel similitudine si tum, uelocitatem, tarditatemq; motionũ, & acumen grauitatemq; uocum uirtute comprehendit.

PRI-

PRIMA DISCVSSIO, QVARE QVATERNARIVS ELEmentorum numerus mundo conueniat. Cap. XX

SED de his alibi latius. Iam uero ad partitionem mundanarum partium reuertamur, quo harmonicam ipsarum compositionem conspicere ualeamus. In superioribus quidem quinariũ, & senarium circulari mundi figuræ congruere dicebamus. Nunc insuper quaternarium eiusdẽ plenitudini dicimus conuenire. Profecto quaternarius primus implet omnem differẽtiam numerorũ: primum parem ac primũ imparem in se complectens. Implet & simplicẽ numerorum progressionem, quando terminis quatuor explet denarium, uno, duobus, tribus, quatuor denarium perfecte consummans. Implet processum quoq; dimensionũ, terminis uidelicet quatuor assequens, signo, longitudine, latitudine atq; profundo. Implet musicam consonantiã. Nempe intra quaternarij limites dupla, tripla, quadrupla, sesquialtera, sesquitertia, diapason, disdiapason, diapente, diatessarõ, coercentur. Implet naturã ad quatuor usq; terminos procedẽtem, substantia, quantitate, qualitate, motu. Implet deniq; uniuersum, siue quod in natura, siue quod supra naturam, essentia, esse, uirtute, atq; actione. Merito igitur Pythagorici quatrinitate plenitudinem mundani, tum corporis tum animi designabant, eamq; iureiurando testabãtur naturæ perpetuo fluẽtis fontem esse quadruplicem. Ex hoc nimirũ fonte manat quaternarius elementorũ numerus. Hinc quadruplicitas in cœlo quadruplex. Hinc sub cœlo tempora quatuor. Hinc sub tẽpore, quatuor humores, complexiones, affectus. Hinc super tempus quatuor uirtutes surgunt. Hinc in æternitate quatuor exempla uirtutum.

SECVNDA AD IDEM PROBANDVM DISCVSSIO CAP. XXI

PRAETEREA nisi uererer partim prolixitatẽ, partim etiam nouitatem, recensere mira quædam Iamblichi & Syriani Proculiq; cõmenta, gradus quatuor super mundum supernum constituentiũ, scilicet unum, terminũ, infinitudinem, mixtionem. Proinde supernum mundum, id est primam intelligibilemq; mentẽ, post eam ponentiũ mentem mundumq; partim intelligibilẽ, partim quoq; intellectualẽ: post hãc intellectualẽ simpliciter mentẽ atq; mundũ. Quarto uero loco mentẽ iam mundũq; animalẽ, sensibilis mundi ducẽ. Itẽ supremã mentẽ & suspicere quatuor illa, unũ scilicet terminũq;, & infinitatẽ atq; mixtionem, & habere suapte natura quatuor: uidelicet hinc quidem unitatem, inde uero essentiam. Rursus unitatẽ essentialem, & essentiam uniformem, atq; omnes omnino rerum ideas quadruplicis similiter naturæ participes. Item mentẽ ipsam intellectualem iouialemq; mundi opificẽ in fabricando mundo suspicere in mentẽ intelligibilem atq; supremã uelut exemplar, & in bonum ueluti finem. Et qua ratione in mundo intelligibili, quod & ipsum ens ipsumq; uiuens nominãt: principia et ideas suscipit naturæ quadruplicis, in quatuor similiter plagas dirigere mundũ. Quarũ prima à primo cœlo, postq; cœlum per ignis sphæram usq; ad aeris principiũ protendatur: Secunda inde ad aerem usq; mediũ: Tertia inde ad terram: Quarta uero sit terra: atq; huiusmodi partitioni quatuor in qualibet plaga respondeant exercitus rationalium habitantiũ, deorum scilicet mundanorum, item angelorum, deinde dæmonum, postremo particulariũ animarũ. Sed his omissis ad institutũ nostrũ regrediamur.

TERTIA AD IDEM CONFIRMANDVM DISCVSSIO CAP. XXII

QVATVOR apud metaphysicũ sunt elementa, essentia, esse, uirtus et actio. Quatuor apud mathematicum, signum, linea, planum atq; profundum. Quatuor apud physicum, seminaria naturæ uirtus, pullulatio naturalis, & adulta forma atq; compositum. Redde uero singula singulis. Essentiæ quidem signum atq; semen, ipsi uero esse lineam, pullulationẽq;, uirtuti planum atq; formam, actioni profundum atq; compositum, & ubiq; extrema uelut solida duobus concilia medijs. Manifeste uero quod in mathematicis signũ est, Plato in Physicis uirtutem seminariam indiuiduamq; & stabilem esse putat. Quod autem in mathematicis linearis in longum productio: id in Physicis germinantis formæ pullulationem, ut ita loquar, existimat. Item quod ibi planũ, hic proprie formã: ut enim planicies corpus terminat, ita forma materiam. deniq; quod ibi profundũ, hic est compositũ: compositum inquam duplex, tum formale, id est ex pluribus formis complexio quædã sphæræ solidæ similis: tum materiale, id est, ex forma atq; materia, cubo similior. Quod ergo ait inter duo plana unũ sufficere medium, intellige inter duas formas medium unicum satisfacere, id est forma le. Formæ enim cum formis deinceps ubi per extrema sui sese contingunt, uno quodam formali medio congruunt, utrinq; partim quidem conueniente, partim etiam differente. At uero quod inquit solida solidis medio duplici copulari, significat inter composita naturalia duo diuersæ naturæ gemina media interponi. Quorum alterũ quidem formale sit, alterũ uero materiale. In quolibet enim composito, hinc principalis forma, inde accõmodatum formæ subiectum consideratur. Hinc efficitur, ut inter diuersa composita consurgat discrepantia duplex: altera quidẽ magis ratione formæ, altera uero magis ratione subiecti.

QVAR-

QVARTA AD IDEM DISCVSSIO, ET DE VIRIBVS proportionibusq; elementorum, Cap. XXIII

EADEM hæc alia insuper ratione corroborantur, si à quatrinitatib. modo descriptis, ad quatrinitatem sphæræ descẽdas. In hac utiq; consideratur & natura medij, consideratur & natura circũferentiæ lõgissime inter se distantes tã proprietate quàm situ. Cõsideratur insuper hinc quidẽ spatiũ, quatenus propria uirtus centri porrigitur: inde uero spatiũ, quatenus propria magis circũferentiæ uis protẽditur. Hinc quatuor cõputantur plagæ mũdi, & quatuor similiter elementa.

	A substantia,	A uirtute,	Ab actione.	Alia positio earundem.			
Ignis,	subtilis,	acutus,	mobilis.	Ignis,	acutus,	subtilis,	mobilis.
Aer,	subtilis,	obtusus,	mobilis.	Aer,	obtusus,	subtilis,	mobilis.
Aqua,	crassa,	obtusa,	mobilis.	Aqua,	obtusa,	crassa,	mobilis.
Terra.	crassa,	obtusa,	immobilis.	Terra,	obtusa,	crassa,	immobilis.

Quorum quod in circumferentia ponitur naturam eius sequens, amplissimũ est, ideoq; omnium subtilissimũ per substantiam, per uirtutem uero acutissimũ, penetrationiq; aptissimum, per actionem deniq; promptissimũ est ad motum. Quod autẽ situm est in medio, naturã quoq; sequens medij, angustissimũ est, & densissimum per substantiam, per uirtutem uero obtusum, per actionem deniq; ad motũ est ineptissimũ. Media uero duo medio in his modo se habent. Proinde sicut maxime distant in sphæra ambitus atq; centrum, ita per situm & naturã ignis terraq; plurimũ discrepant. Ille enim ita petit ambitum, ut nunquam naturaliter medium: hæc ita centrum, ut nunquã naturaliter ambitũ. Aer uero interdum descendit, si uidelicet in sublimi ignis regione ponatur. Aqua etiam ascẽdit, si sub terram cohibeatur. Quemadmodũ uero in igne et terra tria cõsiderãtur, scilicet substãtia, uirtus, actio: sic & tres potissimum proprietates, uidelicet in igne quidem per substantiã crassitudo, per uirtutẽ acumen, per actionem mobilitas. In terra uero oppositа, per substantiã crassitudo, per uirtutem obtusitas, per actionẽ immobilitas. Dicuntur autẽ horum naturæ apud Platonem solidæ, quia instar dimensionis trinæ, trinas possident qualitates: quòd si duntaxat haberent planorũ instar, unũ sufficeret medium: quod uidelicet in qualitate quidem una congrueret cum extremis, in altera uero differret. At quoniã tres inuicem oppositas habent, duobus ut uinciãtur opus est medijs: quorum utrumq; cum proximo quidem, tum extremo, tum medio duplici conueniat qualitate, in unica discrepet: cum remoto uero extremo, in una quidem congruat, sed differat in duabus. Sic utiq; ignem sequitur aer, in subtilitate & mobilitate igni persimilis: sed quadam uirtutis obtusitate dissimilis: in qua etiam unica quodammodo cum terra consentit: cum aqua uero duabus, scilicet obtusitate atq; mobilitate. Aqua sequitur aerẽ in duabus his aeri similis: sed una similis igni, scilicet mobilitate duntaxat: at dissimilis igni duabus, crassitudine obtusitateq; simul: dissimilis terræ mobilitate quadam, sed crassitudine obtusitateq; similis. Profecto quòd ignis ad terrã analogia quadã, id est rationis similitudine atq; proportione cõparabilis sit, apparet. Quemadmodum enim se habet subtilitas ignis ad terream crassitudinem: sic ignis acumen ad obtusitatem terræ: sic iterum ad immobilitatem terræ mobilitas ignis. Quod etiam comparabilis sit, sed potiori aliqua ratione, ignis ad aerẽ: aer ad aquam: aqua ad terrã: ex consensione qualitatum est manifestum. Videtur autem elementi proximi quidẽ ad proximum conuenientia ad discrepantiã esse dupla: ad remotũ uero contrà, dupla esse ad conuenientiam discrepantia. Videtur ignis aere duplo subtilior, triplo mobilior, quadruplo uero acutior. Item aer aqua acutior duplo, triplo mobilior, quadruplo esse subtilior. Rursus aqua quàm terra acutior duplo, triplo subtilior, quadruplo ad motũ esse paratior. Procedere uero inter cognata ad quadruplã usq; proportionem duntaxat apud musicos est cõcessum. Lõgiori enim progressione aures offenduntur. Quinetiã in his perfectæ rationes musicæ continentur. In his utiq; per tres qualitates quasi per trinas dimẽsiones, & solida quædã, ter quoq; solideq; ad solida usq; procedimus. Nam per duplã quarto gradu ad octo peruenimus: qui primus est solidus. Item per triplas quarto similiter gradu ad uigintiseptẽ: qui solidus est secundus. Rursus per quadruplas rationes, quarto deniq; loco ad sexaginta quatuor, qui tertiũ inter solidos numeros obtinet locum. octo enim à binario solide, id est, ter accepto, siue ducto: uigintiseptẽ à ternario ducto ter: sexaginta quatuor à quaternario similiter in seipsum ter multiplicato creatur. Cæterũ ut notius sit quanta apud Platonem congruitas mathematicis inest ad physica, repetenda sunt duo illa primorum media solidorum, Posuimus enim inter octo atq; uigintiseptẽ, competentia media duo, uidelicet duodecim atq; decẽ & octo. Duodecim quidem numerus, tum ex octo, tum ex uigintiseptem nascitur. Latus siquidẽ ex quo multiplicantur octo, binarius est: Latus autem ex quo uigintiseptem, est ternarius. sed ex binario atq; ternario ita fit duodenarius, si egeris bis duo ter: ubi duodenarius oriens duo ab octonario accipit latera: unũ uero à uigintiseptem. Item ex binario atq; ternario ita fit decem & octo, si egeris ter tria bis: ubi decem & octo numerus nascens, ab octonario quidem remoto latus accipit unum, ubi dicitur bis: sed à numero uigintiseptẽ latera duo, ubi ter tria. Similiter eleměta duo inter ignem terramq; media, dum ex extremis cõtemperãtur, interim à proximo quidem naturas reportant geminas: à remoto uero unicam mutuantur.

QVOD

QVOD TOTVS MVNDVS EX QVATVOR COMPONITVR elementis: & quomodo hæc alia ratione sunt in cœlo: aliter infra lunam. Cap. XXIIII

EX HIS quatuor elementis geometrica & musica inuicem ratione coniunctis, uniuersum mundum esse compositum Pythagorici Platonicique omnes existimant: ita tamen, ut consonantia horũ in cœlo nullã unquam dissonantiam patiatur: sub cœlo autem, dissonantia quædã alicubi oriri uideatur interdum: sed statim per superiorem concentum in formam consonantem mirabiliter redigantur. Esse utique elementa hæc sub luna, nemo negabit. Esse uero in cœlo, physici nonnulli negabunt. Sed isti audiant metaphysicos precor, probãtes elementa per ideas suas esse in ipso mũdi opifice: esse inde in anima mũdi per rationes suas: esse in natura per semina. Ergo & in cœlo per uirtutes: & sub cœlo per formas. Quo enim pacto à causis cœlo superioribus elementorum naturæ transeunt infra cœlum: & ibi quidẽ protinus naturæ, nisi uirtutes horum moderatrices cœlo interim infundantur? Quinimo sicut agricola quidem nõ regit architectum, quoniam architecturæ nullas continet rationes: geometra uero has possidens, regit illum: sic & cœlum nisi elementorũ elementaliumque comprehendat uires, hæc gubernabit nunquam: gubernans uero cõplectitur: immo complectendo gubernat. Audiant & astronomos tam in signis quàm in planetis naturas designantes elementorum, & effectu probantes. Audiãt deniq; sacras literas ponentes sæpe in cœlis aquas: ponentes terram quoq; uiuẽtium. Quod si duo hæc ibi cœlestiũ dissimiliora ponũtur: multo magis ignis & aer cœlestium similiores ibidem à sacris literis collocantur. Respondebunt ut arbitror, aliqui: uires illic quidem elementorum excellentissimas per modum causæ ponendas esse: in sphæris autem elementorum sub luna naturas eorum secundum formam: in compositis tandem participatione quadam: sed naturas ipsas elementorum in cœlo esse negabunt. Ad hæc adducent Platonici uirtutes ubique proprias in propria natura fundari. Itaq; si sunt horum uirtutes in cœlo, esse quoq; naturas, sed quemadmodum uirtutes illic in genere quodam longe his excellentiore consistunt: ita naturas in excellentiore: immo, ut rectius loquar, excellentissimo. Et naturam illam ignis eminentissimam præbere cœlo sensibile lumen, uiuẽficum calorem, motumque promptissimũ. Naturam terræ largiri solidam firmamque stabilitatem. Item & stellis densitudinem qua uideri possint: & lunæ qua radios repellat solares. Naturam aeris præstare perspicuã qualitatem, quam nominant translucentẽ. Naturam aquæ afferre delicatissimam, & æquabilissimam lenitatem. Et quod maximum est, ipsis sphærarũ labijs quibus se cõtingunt, inserere uirtutem illam frigoris & humoris: per quam fiat, ut quamuis ex uelocissimo motu rapidissime et uehemẽtissime se cõtingant, æstus tamen illic resolutioque nõ accedat. Has quidem in cœlis aquas Hebræi ualde probabunt. Probabunt etiã, ut arbitror, si audierint per naturã illic terræ uiuentiũ fieri, ut materiæ alioquin tenuissimæ ex tãto motu nõ dissipentur. Meminisse oportet, tantã esse in cœlesti substantia uirtutẽ, tamque ad conciliandum efficacem, ut qualitates & motiones quæ apud nos sunt, inter se repugnantes, ibi non pugnent. Item ut reliqua illic elementa statim à prima genitura mundi in formam præstantissimi, id est, ignis redacta fuerint: quemadmodum per motum cœlestem elementa quatuor apud nos in quauis genitura ad unam reducuntur mixti formam. Neq; miraberis in unum illic elementa conflari: si cogitabis etiam infra lunam in unam molem esse compacta, & ignem esse soliditatis terrenæ participem, ne ob tenuissimam mobilissimamque naturã continuo dispergatur: terram quoq; per se torpentem, ignis consortio actionem uitamque nanciscì. Quod si extrema miscentur, nimirum & media medijs extremisque misceri. Item si tanta est infra lunã unio, super lunam esse multo maiorẽ: sed terræ soliditatem siue stabilitatem illic absque crassitudine in uaporea quasi formare gnare. Rursus æquabilitatẽ lenitatemque aquæ procul à lapsu: agilitatem aeris ab effluxu seorsum: efficaciã ignis in lumine salubriq; calore intelligentiæ uitæq; persimili dominari, seorsum ab ea combustione ad quã efficiendam apud nos cogitur, tũ lumen inter concaua repercussum, tum calor igneus aspera quadã materia, & mordaci conclusus. qui certe quatenus à terrena crassitudine soluitur, eatenus lucet purius, caletque salubrius. Ergo unà cũ Heraclito & Empedocle, dicemus ignis ipsius qui in idea est, intellectuale lumen, in cœlo quidem uisibile lumen ad oculos emicare: sub cœlo autẽ in æthere puram ipsius & innoxiam uigere flammam: in terra uero carbonem in aspera materia comburentẽ. Dicemus postremo cum Orpheo esse insuper apud inferos quatuor elementa: Pyriphlegethonẽ, Acherontem, & Oceanum, & Cocytum. Dicemus cum Platone: quemadmodum in archetypo mundo omnia sunt in omnibus, ita in hoc imaginario mundo omnia in omnibus esse: sed pro natura suscipientium ubique singula suscipi: ut cœlestia in elementis elementalia sint, elementa in cœlo cœlestia: atque tantam esse cœlestis regionis super alias excellentiam, ut cœlestis ignis præter elementalem ignem triaque reliqua elementa dici quintũ ualeat elementum. Hinc mundos quinq; appellari posse ait. Siquidem omnia rerum genera in quolibet horum quinquè sunt pro sua cuiusq; natura. Concludemus deniq; concordiam inter Moysen & Platonem, quem Numenius alterũ cognominat Moysen. Quod enim Moyses ait: In principio fecit Deus cœlũ & terram: Plato ait: Deus primo ignẽ fecit & terram, ignem intelligens præcipue cœlum. Principio enim in sphæra mundi centrũ cõsideranit & ambitum. Reliqua horum gratia interiecit.

CIRCV

CIRCVLARIS MOTVS OMNIS, SPHAERAE SEMPER mobili proprius est. Item ignis maxime proprium est lumen. Cap. XXV

SED neq; nos turbent qui cœlum idcirco igneum esse diffidunt, quia cœli quidem motus sit circularis, ignis uero sit rectus. Nam etiam cœli portio quælibet, si fortè ponatur in medio, repẽte ascẽdet in rectum, breuiori uidelicet tramite patriã petitura, & tamen cœli motus proprius est circuitus: & terra si separetur à centro, descendet, & tamẽ eius proprium est quiescere. Profecto quælibet sphæra mobilis tam elementalis quàm cœlestis, pro figura sua naturaliter mouetur in orbẽ, sic loco suo plenius fruitura. Motus aũt rectus ubicunq; est, non tam naturalis est, quàm reditus in naturam. Si cui uero corpori circuitus conuenit, maxime cõuenit igni. Cum enim à terra distantissimus sit etiam per naturam, sicut terra est semper immobilis, ita ille semper est mobilis. Si semper mobilis, ergo in orbem. Quod enim mouetur in rectum, peracto spatio quod finitũ est, finit & motum. Moueri uero in circulũ tam ignem quàm aerem, ostendit circuitus cometarũ. Circuitum quoq; aquæ testatur influxus perpetuus & effluxus. Manere uero oportuit terrã, ut indiuisibili & stabili cẽtro foret similior, eoq; cõmodius frueretur. Moueri autẽ superiora, ut uaria semper promotionis uarietate producerẽt. Neq; negent aliqui cœlum esse calidum, sed negent potius esse urens. Neq; dicant Solis lumen sola repercussione calefacere, sed sola comburere. Nam Lunæ radij repercussi nihil calefaciunt, cũ in ea uirtus aquea dominetur. Calefaciunt autẽ Solis radij salubriter pro ignea solis uiuificaq; natura. Neq; obijciãt ex tardiori Lunæ motu contingere, ne Lunæ radij calefaciant. Nam & si ponitur esse tardior, tamẽ tanto propinquior est quàm Sol hominibus, ut debeat si non tantũ, aliquantũ tamen calefacere, si repercussione duntaxat proueniat calefactio. Neq; adducant æstum esse ignis proprium. Siquidem quo minus alienæ miscetur materiæ, minus urit. Sed dicant lumen ignis proprium. Quo enim purius, eo lucidius, licet oculis quibusdam non manifestius: et lucet longius quàm calefaciat, & prius illuminat, & momento, & calorem largitur calefacto post ignem ad tempus seruante calorem: lumen uero largitur nulli, utpote sibi propriũ. Siquidem abeunte igne, simul abit & lumen.

DE SPIRITV MVNDI, ID EST, DE INTELLECTV & anima, & intelligentia, & natura. Cap. XXVI


POSTQVAM uero tractauit quemadmodum Deus corpus construxit mundanũ, deinceps quemadmodum mundanam animam temperauit, aggreditur disputandum. Ostendit interea se ante oculos posuisse prius & informem molem quàm formatam, & mox formatam quodãmodo prius quàm animatam: non quia uel informitas ante formationem fuerit, uel formatio corporalis ante animam, sed ut cognosceremus tam formabilem naturam formationis corporeæ gratia, quàm corpoream formationem gratia animæ tanquam finis, esse diuinitus institutam. Volens itaq; Deus opus perfectum facere, uiuum & intellectuale effecit mundum: atq; ut ex ipso spiritu, & materia mundi commodius animal unum connecteretur, materiam distinxit in quatuor, ut diximus, elementa, quasi animalis huius humores, quia & spiritum eius in quatuor uoluerat esse distinctum. Quatuor enim ad mundi spiritum pertinent. Primum quidem intellectus, in se manens immobilis, sphæræ motor siue rector, ita regendis sphæris ab autore rerum omnium institutus. Secundum sphæræ anima, motor mobilis quidem, sed mobilis per seipsum. Tertium intelligentia quædam, huic animæ à Deo, & intellectu superiore diuinitus insita. Quartũ natura, id est seminaria uitalisq; uirtus, ab anima passim infusa materiæ. Intellectus quidem & anima substantiæ sunt, intelligentia uero atq; natura sunt qualitates. Illa quidem animæ, hæc uero materiæ. Horum quatuor imagines sunt quatuor elemẽta. Ignis enim intellectum refert, Terra naturam, Intelligẽtiam Aer, Aqua deniq; animã. Et sicut igni tria propria sunt, tria quoq; opposita terræ, medijsq; media quadam ratione conueniunt: sic tria intellectui propria eorũq; opposita propria sunt naturæ, medijs quoq; media. Intellectus enim indiuiduus est, uniformis, æternus. Natura diuidua, & multiformis, & tẽporalis. Anima uero inter hæc media per intelligentiã quidem magis intellectus ipsius particeps euadit quàm naturæ. per animalem uero potentiam, cum natura potius quàm cum intellectu consentit. Quamobrem partim indiuidua dicitur, partim quoq; diuidua. Item uniformis similiter & multiformis. Rursus æterna partim & temporalis. Proinde quatuor uitæ secundũ quadruplicem mundi spiritũ numerantur. Saturnia quidem uita in intellectu suspiciente patrem suũ cœlum, id est, deum cœli fabrum. Iouialis autẽ in intelligentia ad actionem iam mobilem declinante. Venerea in animali uirtute iam amãte materiã. Dionysiaca in natura quasi ebria, id est, immersa materiæ. Præterea sensus simili ratione quatuor in uniuerso cõnumerantur. Primus utiq; sensus in anima mundi, communis inquam sensus, & unus, id est, imaginaria quædam uirtus sic intelligentiã eius comitans, & formas rerum particulares attingens, ut illa uniuersales: attingens inquam intrinsecus, ideoq; nullis indiget instrumentis, neq; extra procedit usquam, neq; patitur. Secundus uero sensus in animabus sphærarum est atq; stellarum, communis certe impatibilisq; similiter, sed extra procedens. Tertius in particularibus animabus, ultra uim communem iam per instrumẽta singula distributus, & extra se porrigens, atq; à passione exoriens, sed desinens in iudicium. Quartum deniq; sensum Pythagorici con-

cedunt

credunt plantis, immo sensus simulacrum, & id quidem stupidum, nullum iam habens iudiciũ qualitatis, sed in sola positũ passione uoluptatis cuiusdam atq; doloris. Sensus primus intellectum repræsentat. Secũdus intelligentiam. Tertius uim animalẽ. Quartus deniq; naturalem. Meminisse uero oportet ipsam mundi materiã, neq; aliter susci= pere animam quàm per naturã, neq; aliter intelligentiam quàm per animam, neq; aliter intellectum quàm per in telligentiã. Quemadmodum per terram accipit aquam, per hanc aerem, per hunc & ignem. Cæterum quod dein ceps his simile sequitur, animaduerte. Ait enim: Deus animam in medio posuit, eamq; inde extendit per totum, ac demum per ipsam extrinseca mundi protexit. Primo quidem significat animam & implere totam mundi molem, alijs scilicet uirtutibus alias mundi partes moderantẽ, & suprema sui circa mundũ uirtute, id est, intellectuali pro uidentia, mundũ exuperare. Quod autem uirtus animæ ab ipso medio porrigatur per uniuersum, bis per quatuor gradus exponitur. Primo quidẽ à media terra passim uirtutem cõnectendi protendit, à media aqua diffundit uim uitalem, ab aere similiter sensualem, ab igne rationalem. Deinde à media mundi sphæra uim, ut diximus, cõnectẽ di, à sphæra lunæ generabiliũ ingenerabiliũq; media uim uitalem, à Sole mundi corde sensualẽ, à Zodiaco medio firmamenti rationalẽ. Cum uero duplex sit ad Deum ordo rerum, alter quo ab eo procedunt, alter quo proceden tes conuertuntur ad ipsum, Plato processionis ordinem secutus est, ubi ait: Deus intellectum in anima, animã loca uit in corpore, Conuersionis quoq; ordinem cogitans, ait: Deus animam in medio positam protendit eam inde per totum, & interim aliquid eius eduxit extra mundũ: quo uidelicet, dum prouideret mundo, cõuerteretur ad Deũ.

DE COMPOSITIONE ANIMAE, ET QVOD PER QVI= narium in ea componenda opportune proceditur. Cap. XXVII

QVONIAM multa quæ pertinent ad sphærarum animas, mentes, motiones, compositionem ani mæ, in Theologia planius exposuimus, idcirco in illis exponendis hic & fuimus, & erimus bre= uiores. Nam ad nonnulla magis propria iam properamus. Principio quinarium numerum cõpo= sitioni partitioniq; animæ cõuenire trib. de causis arbitramur. Prima, quia sicut quinarius ex pri mo pari primoq; impari cõstat, sic anima ex diuidua in diuiduaq; natura. Scis autem parem nu= merum appellari diuiduũ, imparem uero indiuisibilem, quoniã in partes æquales diuidi nequit. Secunda, quoniã genera etiam quibus à Deo componuntur omnia, per quinq; distribuuntur. Sunt enim essentia, idẽ, alterũ, status, motus. Animam uero uelut omniũ mediam, præcipua quadam ratione ex ipsis quinq; omnium generibus composi tam arbitrantur. Tertia, quia cum anima sit medium uniuersi, naturaliter qui narium suscipit, uniuersi numeri medium. Est enim quinarius perfectum dena rij medium. Nam quum quinquies rite denarium diuidamus, medium est æque distans in qualibet diuisione quinarius. Primo quidem si decem in nouem diui seris atq; unum, uidebis quinariũ inter unum nouẽq; esse mediũ pariter utrin= que distans. Si secundo in octo atq; duo partiri decem uolueris, rursus quina= rium æquale inter hæc mediũ reportabis. Si tertio in septẽ atq; tria, uel quar= to in sex & quatuor, iterũ medium uerum accipies inter extrema quinariũ. Medium ubiq; dicimus Arithmeticum. Quod autem quinto decem partitus in quinq; atq; quinq;, medium quinariũ habeas, dictu superuacuum est. Quas ob res Plato in distributione uniuersi, tum corporis, ut ita dixerim, animabilis, tum animi, quinq; potissimum capita adducit in medium. Nam utrobique pri= mum agit de ipsa rei ipsius, ut ita dixerim, subsistentia atq; fundamento, siue corporis inquam, siue animæ. Secundo de partium utriusq; concordia. Tertio de specie ex partium cõcordia resultante. Quarto de uirtutibus speciei. Quin to de actionibus quæ à uirtutibus oriuntur. Volunt uero Platonici ad essentiã animæ tria illa, scilicet subsistentiam, concordiã, speciem pertinere: per hæc se qui uirtutem & actionem. Concordiã inquam, id est, cõgruam contemperan= tiam, & hanc quinariã, scilicet generũ, partium, rationum, uirium, actionũ. Constat enim anima ex illis rerum quinq; generibus, per quæ & partes eius propriæ assignantur. Suscipit rursus à Deo rerum omniũ rationes. Habet hinc uires multas propriasq;, per quas edit & actiones. Vbi uero animam appellat concordiam uel concentũ: memineris Platonem in Phædone quidẽ ne gare animam esse harmoniã, scilicet partium corporalium ex ipsis cõfectam, in eisq; iacentem. In Timæo autem affirmare animam harmoniam esse, scilicet partium suarum in se manentem, & ex se corpus contemperantẽ. Præ terea ubi ait, Composuit Deus ex indiuisibili semperq; eodẽ se modo habẽte essentia, itemq; ex illa quæ circa cor pora fit diuisibilis, mediã essentiæ speciem, id est animam, expone hæc per illa quæ dicit alibi: Fecit Deus mũdum uiuentem, animatum, intellectualẽ. Vbi enim dicit uiuentem, designat uitam quandam naturalem per mũdi corpo



rasparsam,unà cum corpore mundi extensam mobiliterq; agentẽ. Vbi uero ait intellectualẽ,intelligit intellectus angelicos qui proprie regendis sphæris præfecti indiuisibiles sunt secundum locũ,& immutabiles secundum tempus,opposito se modo habentes,atq; naturalis uita formaq; corporea diuisibilis atq; mutabilis. At ubi ait animatum,significat ipsam animæ mundanæ substantiam,cuius essentia quidẽ,& indiuisibilis est,& immutabilis,ut intellectus. Dici tamen potest quodammodo diuisibilis atq; mobilis,quia fons proprius est uirium quarundam ad diuisibilia & mobilia declinantium. Virtus autem actioq; partim indiuidua & immobilis,quatenus congruit cũ diuinis,& stabiliter agit:partim uero & diuisibilis est quodammodo,tum quia multiplex,tum quia ad corpus multiplex diuisumq; declinat:& mobilis,quia temporaliter operatur. Hanc itaq; animã appellat essentiæ speciẽ terciam,inter indiuidua æternaq;,ac rursus diuidua atq; temporalia mediam. Quod autem ubi mundum denominat intellectualem,significare uelit intellectus angelicos,ex eo probatur,quod mũdi corpus per uitam paratur ad intellectum. ergo quemadmodũ se habet ad uitam,similiter ad intellectum. Itaq; sicut non solum habet naturalem uitam in materia mundi iacentem,sed uitam etiam animalem,id est animã in se existentem:ita non modo habet intellectualem qualitatem infusam animæ,uerumetiam intellectualem substantiam in seipsa manẽtem. Vbiq; enim qualitates certæ ad certas substantias reducuntur,ut quemadmodum uitalis qualitas ad uitalem substantiam,ita intellectualis quoq; qualitas ad intellectualem substantiam referatur. Componit autem animam quinq; potissimum modis. Primum scilicet ex ipsis quinq; rerum generibus. Item ex numeris. Tertio ex concentibus numerosis. Quarto ex initijs figurarũ. Quinto ex principijs motionum,uidelicet ut posidens metaphysicorũ mathematicorumq; rationes ita cuncta cognoscat,scilicet essentias,numeros,concentus,figurasq; et motus. Item quatenus anima diuinis cognata est,ex rerum generibus quæ primo diuinis insunt,dicit esse compositam. Quatenus cognata est naturalibus,miscet eam figuris & motibus. Quatenus autẽ inter utraq; medium obtinet,numerosis eam concentib.rationibusq; contemperat. Quinq; uero illa,scilicet essentiam,idem,alterũ,statum,motum,genera rerũ nominat:quod ex illis præter primum omnia componantur. Essentia quidem manifeste significat rationem rei cuiusq; formalem. innuit quoq; esse,tanquam actum essentiæ proprium. Idem uero dicitur,quoniam quodlibet,& secum in primis,& cum alijs congruit. Rursus additur alterum,quia quandam tum intra seipsum,tum ad alia differentiam habet. Præterea status. quippe quũ aliquandiu suam quandam retineat unitatem. Deniq; motus hoc in loco exitum quendam ex potentia in actum,siue essendo,siue quomodolibet intrinsecus extrinsecus ue agendo significat. At super hæc quinq; genera ponuntur tria,terminus,infinitudo,mixtio. Super tria hæc,ponitur ipsum unum. Essentia quidem diuinum ipsum unum sequitur. Idem uero statusq;,terminum. Sed alterum atq; motus,infinitudinem comitatur. Deniq; sicut ipsa mundi quatuor elementa per summum gradum locauimus in cœlestibus,per medium sub luna,per infimum uero sub terra:sic genera quinq; summa quadam ratione ponimus in diuinis,media in anima,infima uero sub anima. In diuinis enim & unitas multitudinem,& terminus infinitudinem superat,& idem excedit alterum,& status prævalet motioni. In rebus autem inferioribus omnino contrà fit:& quæ ibi superabant,hic uicissim iam superantur. In anima potissimum æqualis euadit singulorum ad singula temperatio,ut non immerito hanc præcipue,tum rerum mediam,tum musicis rationibus temperatam esse uelint. Congruunt animæ mathematica. utraq; enim inter diuina & naturalia media iudicantur. Congruunt musici numeri animæ plurimum. Mobiles enim sunt,propterea q; animam,quæ est principium motionis,rite significant. Non solum uero per numeros,sed etiam per figuras describitur anima:ut per numeros quidem incorporea cogitetur,per figuras autem cognoscatur ad corpora naturaliter declinare. Conuenit triangulus animæ. Quia sicut triangulus ab uno angulo in duos protenditur,sic anima ab indiuidua diuinaq; substantia profluens,in naturam corporis labitur penitus diuisibilem:ac si cum diuinis conferatur,diuisa uidetur. Quæ enim illa per unam & stabilem uirtutem agunt,atq; subito,hæc per plures mutabilesq; uires actionesq; peragit,ac temporis interuallis. Sin autem conferatur cum naturalibus,indiuisa censetur. Non enim alibi habet partes alias loco disiunctas,ut illa,sed est in qualibet totius parte tota:neq; omnia mobiliter temporeq; persequitur,sicut illa,sed nonnihil etiam subito consequitur,æterneq; possidet. Licet in hoc insuper animam cum triangulo comparare,quod triangulus prima figura est earum quæ pluribus constantes lineis producuntur in rectum. Anima similiter prima omnium in plures distribuitur uires,quæ in ipsa intelligentiæ subiguntur:ac produci uidetur in rectum,dum à diuinitate labitur in naturam. In quo quidem descensu ab intelligentia summa in tres profluit uires inferiores,id est in discursum quendam rationalem,in sensum,in uegetandi uirtutem. Quemadmodum & triangulus à signo productus,in tres deducitur angulos. Dico autem animam ex omnium genere primam,& ex pluribus quodammodo uiribus commisceri,& in rectum,ut ita dixerim,cadere. Mens enim angelica super animam inferioribus intra se nullis indiget uiribus,sed pura mens est,totaq; mens atque sufficiens. Item ad inferiora non uergit,sed in diuinitatem solam,unde est,circuli more conuertitur. Ideoq; eius actio circulo comparatur. Vna enim actio est & æqualis: sicut ex una & æquali linea circulus,& mira quædam utriusq; capacitas. Præterea circulus prima est & ultima figurarum. Prima quidem,quia una circum contentus est linea. Vltima,quia figuræ ex pluribus lineis constitutæ,quo plures subeunt facies,

eo pro-

eo propinquius paulatim ad circuli formam quasi finem uidentur accedere. Similiter & intellectus omniũ primus procreatur à Deo, & intellectualis uultus, id est, absolutus ordo rerũ ultimus omniũ in speculo naturæ refulget, ad quem naturales formæ quasi finem magis gradatim magisq; accedunt. Sed de intellectu aliâs. Nunc ad animam reuertamur.

CVR ANIMA REI COMPOSITAE COMPARATVR. cur consonantiæ musicæ. Cap. XXVIII

TRIA potissimum de Anima in præsentia quærimus. Primum, quamobrem Plato animam fingit rei compositæ similem. Secundũ, quam ob causam rei concordia quadam compositæ. Tertiũ, cur consonãtiæ musicæ. Principio anima, & si indissolubiliter composita est, tamen tãta est multiplicitate composita, ut naturali quadam inclinatione ad ea uergat quæ sunt omnino cõposita. Idcirco compositis, quibus cum naturali quadã non dico consanguinitate, sed affinitate consentit, quodammodo similis figuratur. Deinde quia media rerum est, merito & ex omnibus componitur, & cõcorditer cuncta deuincit: ideoq; cuidã, uel concordiæ, uel concorditer composito comparatur: præsertim quoniam quæ in natura inter se pugnant, anima conciliat inuicẽ, conciliata connectit, connexa conseruat. Itaq; non iniuria cõcordia quædam substantialis, siue substantia maxime concors indissolubilisq; anima iudicatur. At cum illa etiam quæ cæteris sensibus apprehenduntur, sæpissime concorditer cõposita sint, quærebatur tertio, cur Plato concordiæ potissimum musicæ similem expresserit animam. Respõdetur ad hæc: Musicam cõsonantiam in elemento fieri omniũ medio, perq; motum, & hunc quidem orbicularem ad aures peruenire: ut non mirum sit eam animæ conuenire, tum mediæ rerum, tum motionis principio in circuitum reuolubili. Adde quòd concentus potissimum inter illa quæ sentiuntur quasi animatus, affectum sensuumq; cogitationẽ animæ, siue canentis, siue sonãtis perfert in animos audiẽtes: ideoq; in primis cum animo congruit. Præterea quæ ad uisum quidem spectant, & si pura quodam modo sunt, tamen absq; motionis efficacia, & per imaginem solam absq; rei natura sæpius apprehenduntur: ideo parum admodum mouere animos solent. Quæ uero ad olfactũ, gustum, tactum, quasi ualde materialia potius instrumẽta sensuum titillant, quàm animi intima penetrent. Concentus autem per aereã naturam in motu positã mouet corpus: per purificatũ aerem concitat spiritum aereum animæ corporisq; nodum: per affectum, afficit sensum simul & animum: per significationem agit in mentem: deniq; per ipsum subtilis aeris motum penetrat uehementer: per cõtemplationem lambit suauiter: per conformem qualitatem mira quadam uoluptate perfundit: per naturam, tam spiritalem quàm materialem, totum simul rapit & sibi uendicat hominem. Et profecto si quis tanta Musarum arte diligentiaq; concentus offerret auditui, quanta naturæ artis ue cura uel sapores gustui, uel mollia tactui offeruntur, proculdubio cognosceremus Apollinem multo magis animum rapere melodia, quàm uel Bacchus uino gustum, uel Venus pruritu tactum soleat occupare. Accidit ad hæc, quod ubi Plato mundi fabrum inducit loquẽtem, tum secum ipso ratiocinando, tum ad reliqua imperando, eloquium ipsum quasi Apollineum cantum apprime musicum, originem mundani tam animi quàm corporis esse putat, & animam inde natã musicã similiter ratione citharam pulsare cœlestẽ. Et profecto quod in cœlesti melodia est, tum ex tardiori motu grauis tonus, tum ex motu uelociori tonus acutus, idem sub cœlo est grauitas, & leuitas: item frigus & calor, rursus humor siccitasq; elementorum. Idem in generatione rerum, materia est & forma. Idem in humanis ingenijs, mansuetudo & magnanimitas, temperantia atq; fortitudo. Et quemadmodũ ex graui acutaq; uoce, sic ex geminis cunctis quas narrauimus naturis ubiq; fit unum. Cum igitur consonantia musica quasi uiua sit, & rationalis & efficax, itẽ utpote quàm simillima, animo quàm gratissima, rursus totum sibi hominẽ uendicet, & quod maius est, per ipsam factus sit animus, facta sint omnia, per ipsam cõseruentur, per ipsam & moueantur, haud ab re Plato noster animam effectricem, seruatricem, motricem omniũ naturalium musicis præcipue numeris rationibusq; descripsit, numeris inquam nõ mathematicis accidentibus, ut quidam calumniantur, sed idealibus numerorũ metaphysicisq; rationibus cõstitutam.

PROPOSITIONES ET PROPORTIONES AD MVsicam Pythagoricam & Platonicam pertinentes. Cap. XXIX

PHTHONGVM, id est sonum melodijs aptum uocant, quo & grauiorem & acutiorem facile quis ædere possit, ut neq; tam profundus remissusq; sit, ut sit silentio similis, neq; tam altus & intentus ut perstrepat. Grauem sonum motu remisso & tardo, acutũ intentiore & uelociore creari putant. Quemadmodũ uero remissus admodũ, & tardissimus motus ad quietem quasi uidetur accedere, sic sonus grauissimus ad silentiũ. Rursus sicut uehementissimus celerrimusq; motus ad uiolentiam, sic ad offensionẽ sonitus acutissimus. Interualla uero sonorũ appellant certos excessus inter eos in acumine grauitateq; mutuos. Compositiones autem congruentium sonorum ex opportunis proportionibus consonãtium coniunctiones. Coaptationes quoq; fidium in musicis instrumẽtis, siue in unico tetrachordo, quale et inuenit

Mercurius,& Orpheus confirmauit,siue in duobus tetrachordis per chordas septem unà coniunctis, qualia Terpander dicitur effeciſſe,siue in geminis tetrachordis per chordas octo diſpoſitis atq; diſiunctis,quorũ Lycaonem Samium fuiſſe aſſerunt autorem,siue in tetrachordis quatuor coniunctis,atq; ex fidibus quindecim Græcorũ tandem omniũ approbatione conſtantibus,in his omnibus tetrachordis gradatim diateſſaron reſonat conſonãtia. Iam uero poſt ſonorum,interuallorum,compoſitionum mentionem ad proportiones ex quibus fiunt conſonantiæ, procedamus. Proportionẽ æqualitatis nominant,quæ ſit inter terminos omnino inter ſe pares & æquales,ut inter unum hoc,atq; unum illud,& cubitum atq; cubitum. Inæqualitatis autem quæ inter impares uel inæquales, ut inter unum atq; duo,& cubitum atq; bicubitum. Et hæc quidem altera maioris inæqualitatis, ut dupla: altera uero minoris,ut ſubdupla. Præterea proportionem inæqualitatis triplicem in præſentia conſiderare debemus. Primam quidem,quam multiplicem nominant,ut duplam,triplam,quadruplã: quæ per maiorem numerum non diuidit minorem,ſed reſumit multiplicatq; totum,ſiue bis,ſiue ter: atq; ita per modum numeri infinite multiplicabilis infinite procedit. Secundam uero,quam ſuperparticularem nuncupant,in qua maior numerus præter id quod minorẽ comprehendit ſemel totum,diuidit ipſum deinde,partemq; diuiſam ſuperponit toti,ſed partem quam uocamus aliquotam,id eſt,ex qua aliquoties replicata fit totum. Harum prima eſt ſeſquialtera,inter binarium & ternarium. Ternarius enim binarium comprehẽdens,addit inſuper unitatem,quæ bis reſumpta binarium æfficit. Secũda ſeſquitertia,inter quatuor atq; tria,atq; ita in infinitum per modum continui diuiſibilis infinite proceditur. Tertiæ eſt ſuperpartiens,quæ toti ſuperaddit partem,quæ aliquoties accepta totum proprie creare non ualeat. qualis eſt inter quinarium & ternarium. Nam quinarius ultra ternarium adiungit binarium,qui & ſemel ſumptus non implet ternarium,& bis acceptus excedit. Proportio hæc quia totum diuidit in partem reſtitutioni totius ineptam, inepta uidetur ad conſonãtiam,in qua omnis diuiſio in totum,& multiplicatio in unum neceſſario reſtituitur. Secunda uero apta cenſetur,quoniam & ſi diuidit,tamen ab ipſa reſtitutionis facilitate non errat,& in ipſa termini eſſe inuicem cõmenſurabiles iudicantur. Differentia enim inter duo atq; tria eſt unitas. hæc uero communis eſt utriuſq; menſura. Accepta enim bis, metitur binarium: ter accepta,ternarium. Sed inter quinarium & ternarium differentia eſt binarius: hic autem non poteſt aliquoties acceptus uel ternarium,uel quinarium ullo pacto metiri. Proportio uero prima concentibus accommodatiſsima eſt. Non enim diuidit,ſed & multiplicando reſtituit,et reſtituendo multiplicat. Neq; quærit aliunde menſuram,ut ſuperparticularis,ſed minor terminus maiorem metitur, in dupla bis,in tripla ter replicatus. Neq; ab integritate,neq; à ſimplicitate cadit. Superparticularis autem ab integritate quidem labitur: diuidit enim: ſed ſeruat ſimplicitatem. per unam enim quandam diuidit partem. Superpartiens uero non modo amittit integritatem,ſed etiam ſimplicitatem,ubi plures commiſcet partes,in unum quiddam reſtitutioni totius ineptum. Idcirco hæc à conſonantia diſſonat,duæ uero ſuperiores conſonant, magis autem multiplex,maxime dupla. Nempe in hac non uidetur aliud proprie aliud ſuperare,ſed ſuperari quodlibet à ſeipſo. Nam in dupla binarius ſuperat unum uno, Quaternarius binarium binario, ſimiliterq; deinceps. Adde quod prima eſt inter primos numerorum terminos,unitatem ſcilicet binariũq; progenita. Progenità inquam ſola, abſq; aliarum commercio,quaſi libera,& ab omnibus abſoluta. Tripla uero,dum inter unum oritur atque tria, ſociam habet ſeſquitertiam ſimul inter duo triaq; naſcentem. Quadrupla quoq; uidetur ſeſquitertiæ commiſceri. Nam cũ primũ quadrupla naſcitur quatuor inter & unum,oritur ſimul & ſeſquitertia quatuor inter & tria. Item dupla proxime oritur ab ipſa æqualitatis proportione. ab hac tripla & ſeſquialtera. Item à tripla quadrupla & ſeſquitertia naſcitur,aliaq; ſimiliter. Quod quidem,niſi prolixitatem uererer,perſpicue demonſtrarem. Ad duplã igitur tanquam ad principium atq; finem omnes aliæ rediguntur,eamq; uel diuidunt, uel multiplicant. Dupla enim prima,integra,ſimplex,abſoluta & æqualiſsima eſt,ut non mirum ſit conſonantiam ex hac ipſa naſcẽtem eſſe omnium perfectiſsimam,& appellari Diapaſon,quia & ipſa per omnia protendatur,& omnes proportiones reducantur ad ipſam. Verum antequam cõſonantias proſequar,admonendi ſumus,quem Græci Logon nominant, nos rationem proportionẽq; nominare,& quam illi Analogiam,nos rationis cõparationem ſiue ſimilitudinem rationis & proportionalitatẽ rurſus,appellatione uere tam eleganti quàm propria. Et proportionẽ quidem inter duos fieri terminos: & quando rite fit,conducens uidelicet ad melodias,definiri mutuam duarum quantitatum inter ſe cõmenſurabilium habitudinem,ut dupla inter unũ atq; duo,& ſeſquialtera inter duo atq; tria,ſimilesq; deinceps. Proportionalitatem uero definiri mutuam duarum proportionũ comparationem. Ceu quando dicimus, quẽadmodum ſe habent duo ad quatuor,ita quatuor ſe habent ad octo,per rationem uidelicet utrobiq; duplam. Quæ quidẽ comparatio,quia inter tres fit terminos,continua nominatur. Diſcreta uero eſt,quoties inter plures efficitur, ceu quando ita conferimus: Sicut duo ad quatuor,ita octo ad ſexdecim ſeſe habẽt. Item cõparationem eiuſmodi eſſe triplicem,ſcilicet arithmeticã,geometricam & harmonicã. Arithmeticã in numeri paritate conſiſtere. Sic inter tria & ſeptem medius eſt quinarius,numero eodẽ,ſcilicet binario alterum terminum ſuperãs,ab altero ſuperatus,per proportionem utrinq; bipartientem. Geometricam uero in rationis æqualitate ſitam eſſe, in qua ſunt multiplex atq; ſuperparticularis: quando uidelicet ita comparamus,ſicut ſe habent tria ad nouem, ita nouem ad ſeptem atque ui-

que uiginti,nam utrobique tripla. Item quod est nouenarius iuxta senarium,idem est senarius iuxta quaternariũ. Nam & hic,& ibi est proportio sesquialtera. Deniq; proportionem harmonicam in quadam similitudine collocant,per quam tribus terminis in ordinem positis,sicut maximus terminus aspicit minimum,similiter differentia inter terminos maior minorem respicit differentiam. Si enim ponas tria,quatuor,sex,differentia inter sex et quatuor est binarius:differẽtia inter quatuor & tria,unitas. sicut autem inter sex et tria dupla ratio est,ita inter duo & unum est ratio dupla. Viget hic altera quoq; similitudo,scilicet portionum: Simili namq; extremorum portione medius terminus excedit atq; exceditur. Quaternarius enim superatur à senario per tertiam senarij partem: superat quoq; ternarium tertia ternarij parte. In hac utiq; artificium uersatur harmonicum, quod proportiones quidẽ superpartientes quasi disgregatas dissonasq; deuitat,multiplices autem & superparticulares admittit, cõponens duplas ex sesquialtera atq; sesquitertia,per harmonicã qualem diximus rationem concordi uarietate gaudentẽ. Amat uero quemadmodum dicebamus comparationes multiplices,necnon superparticulares,ea insuper ratione,quòd in his tanta est ad idem restituendum procliuitas,ut quando plures rationis eiusdem inuicem componũtur,medium in se ductum tantundem multiplicet quantum extrema si inuicem perducantur: Pone duo, quatuor, octo:sicut autem bis octo,sic & quater quatuor,sexdecim procreant. Item pone,quatuor,sex, nouem: sicut ergo quater nouem,sic etiam sexies sex multiplicant sex atq; triginta. Similiter si duo inter extrema media interieceris,puta inter duo atq; sexdecim posueris quatuor atq; octo. Omnes enim hi deinceps numeri dupla proximum ratione cõspiciunt. Si ergo duo in sexdecim ducas,tantundẽ reportabis,ac si quatuor in octo perduxeris. Idem cõtingit in cæteris tam superparticularibus quàm multiplicibus. In superpartientibus autem non fit idem. Dispone tria,quinq;,septem. Sicut à septenario ad quinarium est habitudo superbipartiens, sic à quinario ad ternarium. Vtrobiq; enim duæ quædam partes toti insuper apponuntur. Si ducas ternarium in septenarium,non eundem numerum procreabis,ac si quinariũ in seipsum. Primo itaq; gradu sunt multiplices:quoniam præter id quod modo dicebamus,per eas numeri omnes respiciunt etiam unitatem,dum aspiciunt numeros. Secũdo gradu superparticulares:quia & si unitatẽ ipsam non spectant,semper tamen unam quandam spectant partem ad integrum unum accommodatam. Tertio superpartientes:quia horum neutrum uidentur aspicere. Quamobrem hanc odit habitudinem facultas harmonica,tanquam concordiæ reluctantem. Optat enim,uel ex ipsa æqualitatis proportione uniuo cum unisonumq; conficere:uel ex rationali,id est multiplici & superparticulari inæqualitatis proportione, æquiuocum æquisonumq; conflare. Talem uero æquisonum conflat ex dupla,qualis unisono sit quàm proximus:quia in dupla & minor terminus maiorem metitur,metiendoq; adæquat:& maior ubi minorem superat,non alio numero quàm ipsomet minore,ut ita dixerim,exuperare uidetur.

QVOD IN MVSICIS CONSONANTIIS VNVM EX MVLtis efficitur,per quod consonantia definitur. Cap. XXX

QVEMADMODVM medici peritissimi certos inuicem succos certa quadam ratione cõmiscent,per quam in unam nouamq; formam plures atq; diuersæ materiæ coeant,et ultra uim elementalem uirtutem quoq; cœlestem mirifice nãciscantur,quod in Mithridatis confectione, & Andromachi Theriaca est manifestum:similiter artificiosissimi Musici grauissimas uoces quasi materias frigidas,uoces item acutissimas quasi calidas,rursus mediocriter graues ut humidas mediocriter,& acutas ut siccas,tanta ratione cõtemperant,ut una quædam forma fiat ex pluribus,quæ ultra uocalẽ uirtutem consequatur insuper & cœlestem. Quod quidem ex eo quod Democritus Theophrastusq; aiunt,& Pythagoras effectu probauit,euidenter apparet. nam certis concentibus morbi quidã tam corporis quàm animi mirabiliter curari dicuntur,ut non mirũ sit ueteres sapientes in idem,id est,Apollineũ numerũ,tam medicinæ quàm musicæ originẽ retulisse. Vtraq; enim medicina est. Sed altera quidem ex corpore animam,altera uero ex anima curat corpus. Accõmodatissime etiam Apollini melodiæ fonti uaticinium tribuerunt. Sola enim melodia ab omnibus quotcunq; distrahunt animũ retrahens,contrahit in seipsum,in auditum quendam,ut ita loquar,interiorem: quo non uoces solum,sed & rationes uocum percipiuntur:sedatisq; perturbationibus cœlestũ contemperat harmoniæ, diuinaq; cœlitus effundit oracula. Sed ne quis forsan neget ex acuta grauiq; uoce tertiam fieri communemq; uocalem formam,cogitandũ est graues uoces acutis perfectius commiscerì posse, quàm succis succi permisceri dicantur. Primo,quia uocales materiæ ob subtilitatem suam continuumq; motum uniformemq; in cunctis corporis aerei qualitatẽ,facilius consummatiusq; quàm succi & crassi,& ad motum ineptiores,et qualitatibus admodum discrepantes,conflantur in unũ. quòd si in unum,ergo ad unam nouamq; formam aptius parantur cõcipiendam. Deinde quoniam instrumentum uocis naturale,intrinsecum,uirtuti uitali,animali, rationali quàm proximum atq; obedientissimũ,facilius perfectiusq; arti obtemperat musicæ,ad unum ipsum quò spectat conficiendum, quàm extrinseca medicis instrumenta:atq; etiam si pulsetur cithara digitis,fidelius obsequentur musici uoto fides, quàm medicis herbæ. Ac si in herbarum congestam molem ultra industriam & operam medicorum agit deinde natura, &

tempore quidem certo,multo magis in uocalem materiam tractabilem admodum & formabilem agit natura subito:natura inquam ubiq; uiuens uiribusq; munita cœlestibus in materiam cœlo similiorem & quasi uiuam.cui quidem repente nouã,uiuam,mirificam adhibet formã,per quam occulta uirtute uires suas in corpus experiatur & animũ.Proinde quemadmodum in corpore ex elementis quatuor naturaliter constituto, qualitates elementorum quatuor,unam,& ut quidam nominant,quintam conficiunt complexionem,uidelicet subiectam uirtuti speciali occultis modis cœlitus prouenturæ:sic & uoces plures rite commixtæ unum quendam inuicem resonant reboatũ uirtutis nouæ atq; mirabilis fundamentum.Nam si ex sonante cithara in citharam similiter temperatam resonat repente nonnihil:& ex chorda uibrata,statim in chordam æque tentam transit uibratio similis:cuinam dubium sit ex pluribus uocibus una quadam ratione conflatis,unam subito nasci quasi formam communem cunctis,per quam plura sint unum,ideoq; ut unum percipiantur à sensu,& in unum quendam congrediantur effectum. Constat enim idem ex uoluptate sensus,in quo cum una forma fit ex multis,oblectatio plena prouenit ex una similiter forma,quæ congrue conficiatur ex multis.Hinc fit,ut audire diutius unisonũ tædeat,in quo sine ulla inæqualitate sentiatur æqualitas.Fit insuper,ut dissonus offendat sonus,in quo in unum differentia non conspirant. ideoq; multa perspicue discernuntur à sensu,& ab ipso quasi gustantur ut multa. Gustantur inquam, quia sic fermè ad uocum, ut gustus ad saporum afficitur mixtionẽ.Hinc propheticum illud:Dulciora melle ori meo eloquia tua domine.Deniq; siue graues soni acutos absorbeant,siue acuti graues occupent,non prouenit delectatio, & tamen unio quædam ubiq; requiritur. Quum uero unio,uel ex absorbente,uel ex occupante non placeat,reliquum est ut sola placeat,quæ noua & efficax ex moderata quadam conflatione resultat.Hinc igitur consonantia definitur,soni grauis & acuti mixtura uniformiter ad aures suauiterq; accedens.Est autem mixtura hæc ei similis,quæ in saporibus gustui satisfacit:in quibus sapor dulcis nimium atq; pinguis,uoci remissiori admodum grauioriq; similis iudicatur:sapor autem acutissimus,acutissimæ.Sed dulcis sapor acrimoniæ mixtus,uocem refert moderate grauem. Mixtus uero salsedini,uel acumini,mediocriter acutam repræsentare uidetur.Actum demum permixtio multiplex implet sensum,quum non discernitur ut multiformis,sed seipsam insinuat uniformem. Tradunt Physici sonum in orbicularem figuram multis gradatim amplificatam circulis ad aures peruenire,non aliter quàm qui in stagno exiactu lapidis ab alto circuli multiplicantur ad littus.Concentum uero ex grauibus acutisq; conflatum, uelut unam formam,& hanc rotundam quidem,sed oualem illabi auribus arbitrantur.In qua quidẽ octaua uox quasi per acutiorem uerticem,uocis primæ latitudinem sibi continuans,ex seipsa atq; prima unam iam conflat,uocem: atq; sicut oculus oualem rotunditatẽ tanquam unam uidet figuram, quamuis hinc latam magis,inde minus:sic auditus uocem ex graui octauaq; resultantẽ haurit tanquam unam,ab amplo quodam profundo quasi in acutam sublimitatem oui instar gradatim sese ac suauiter attollentem.Hinc fieri arbitramur,ut & natura eiusmodi quasi figurã audiendi instrumento tribuerit,similemq; instrumento loquendi,& ars præterea similem quoad fieri potuit musicis instrumentis.Ea certe consonantiora sunt,quæ ouali figuræ propinquiora.

QVAE CONSONANTIAE EX QVIBVS PROPORtionibus oriantur. Cap. XXXI

PYTHAGORAM ferunt,quum apud ærarios fabros annotauisset ex malleorum ictibus consonantiam lege ponderũ prouenire,collegisse numeros,quibus sibi consentiens diuersitas ponderum continebatur.deinde tetendisse neruos tam uarijs põderibus alligatis, quàm uaria in malleis fuisse didicerat:atq; hinc manifeste considerauisse,ex neruo qui super alium sesquioctaua ratione protendebatur,aduersus alium discerni totum,id est plenum integrumq; sonum, qualis erat nouem ad octo proportio.Neq; potuisse tonum in duo hemitonia inter se æqualia distribuere,quando neque nouenarius in partes duas secaretur æquales:sed inuenisse hemitonium alterum quidem esse paulo maius dimidio, alterum uero paulo dimidio minus,quod ille Diesim,Plato Limma uocauit.Quantum uero deficiat hemitonium minus ab integro tono,& à uero hemitonio,Plato in interuallo horum indicat numerorũ,scilicet inter ducenta quadraginta tria,atq; ducenta quinquaginta sex. Quum enim octaua pars minoris illius numeri sit triginta,& prope semis,hic uero maior numerus super minorem illum addat duntaxat tredecim,neq; tonum reddit, neq; integrum hemitonium.Animaduertit deinde Pythagoras integram plenamq; toni,ut ita dixerim, latitudinem duobus sonis & uno interuallo constare:atq; ita prima consonantiæ adeptus est elementa. Quarum prima Diapason extitit,ex prima uidelicet proportione,id est dupla resultans,ubi scilicet chorda hæc super illam ex duplo ponderе,duplo magis tenta,dum pulsarentur ambæ,duplo uehementius citiusq; in suam sese recipiens rectitudinem, uocem longe acutiorem uicissim longe grauiori reddebat,adeo tamẽ amicam,ut quasi unicus appareret sonus seipso hinc angustior,inde amplior. Sonũ hũc ubi occurrebat acutior,modulando metitus est in octauo altitudinis gradu à graui,cõnumerato uidelicet graui,esse locatũ:item octo quidem sonis,& interuallis septẽ,tonis autẽ sex fermè constare.Præterea ubi inter fides ratio intẽtionis remissionisq; sesquitertia erat,inuenit cõsonantiã Diatessarõ,

tonos


tonos quidem duos, & hemitoniũ minus, sonos autem quatuor, & interualla tria cõprehendẽtem. In sesquialtera uero reperit Diapente, & in hac tonos tres, & hemitoniũ minus, sonos uero quinq;, & quatuor interualla percepit. Animaduertit deinde diapason ex diatessaron & diapente componi: quia ratio dupla quæ gignit diapason, ubi habet mediũ, ex sesquitertia & sesquialtera, ex quibus illæ fiunt, constituatur. Prima enim dupla medium habens duorũ est ad quatuor, cõposita ex sesquialtera inter tria atq; duo, & ex sesquitertia inter quatuor atq; tria. Sed in habitudine tripla diapason diapente considerauit, habentẽ sonos quidẽ duodecim, sed undecim interualla. Nã diapason quidem in dupla, diapente uero in sesquialtera sedẽ habet. At sesquialtera duplæ cõtinuata efficit triplã. Sex enim aduersus tria dupla est. Adde nouem, unde ad sex nascitur sesquialtera, statim triplam à nouẽ habebis ad tria. Neq; tamẽ fit tripla, si duplæ adiecceris sesquitertiam, utpote si illi senario adiunxeris octonariũ. deest enim sesquioctaua, scilicet nouẽ ad octo. Et quoniã sesquitertia duplæ addita, fit superpartiens, ut octo ad tria: est enim hic habitudo dupla superbipartiens per bissesquitertiã: ideo Pythagoras prohibuit ultra duplã, id est diapason repente cõtinuare per sesquitertiã diatessaron: quãuis Ptolemæus alicubi subiunctionẽ hãc admittat. Cõmode uero adiungitur sesquitertia triplæ. hinc enim fit proportio quadrupla, & per quadruplã consonantiam disdiapason, habens sonos quindecim & quatuordecim interualla: puta si posita tripla inter nouẽ atq; tria, subiũxeris duodenariũ, qui est aduersus nouenariũ sesquitertius, acquires subito quadruplã ex duodecim ad tria nascentẽ. Vltra uero quadruplã progredi uetat gratia melodiæ, nõ solũ quia ex uehemẽtiori motu fractioneq; in sensum prouenit uiolentia, sed etiã quia cum primũ ultra primã quadruplam quincupla nascitur inter quinq; atq; quatuor, oritur simul superbipartiens inter quinq; atq; tria, quæ dissonantiã intermiscet. Sed ut citra quadruplã redeamus, uetat etiã uitandi torporis gratia infra sesquitertiã sæpe descendere. Vetat sesquitertias sæpe duas continuare, tũ quia alioquin displicent, tum quia non implent duplã atq; Diapason. Si disponas nouem, duodecim, sexdecim, sesquitertias quidẽ duas habes, duplã uero nequaquàm: deest enim sesquioctaua, scilicet decẽ & octo, ad sexdecim, ut duplæ à decẽ & octo nascatur ad nouẽ. Neq; libenter geminas continuat sesquialteras. hæ nanq; continuæ duplam superant sesquioctaua. Quod quidẽ si quatuor, sex, nouem describeris, deprehendere poteris. Hic enim duæ sunt proximæ sesquialteræ à quatuor usq; ad nouẽ. Nouenarius aũt octonariũ, qui duplus est ad quatuor, sesquioctaua superat portione. Ex hoc uero apparet potentiã sesquialteræ duplæ dimidio esse maiorem. Ex quo etiam patet potẽtiã sesquitertiæ tantundem dimidio esse minorem: quandoquidẽ ex ambabus dupla creatur. Superatur quidẽ sesquitertia à sesquialtera per octauã unicã portionem. Ab octo enim ad sex habes sesquitertiã, sed à nouẽ ad sex habes sesquialterã. At uero à nouem ad octo sesquioctauã: & hac ipsa sesquioctaua parte comprehendis sesquitertiã à sesquialtera superari. Meminisse uero oportet Diatessaron, id est cõparationem sonorũ quatuor ad quartam altitudinem ascendentiũ per se quidem auditam non approbari, recipi tamen ex eo libenter, qui facile tono addito fit Diapente gratissima uocis quintæ concordia. item quia si cũ Diapente connectitur, Diapason conficit omniũ perfectissimã. Neq; uero turbare quenquàm debet, quod cũ dixerimus Diatessaron quidẽ quatuor, Diapẽte uero quinq; sonos habere, tamen Diapason ex utrisq; cõpositam sonos non plures dicamus habere quàm octo. Nam ubi de cõpositis agimus cõsonantijs, ita in quatrichordis inuicem coniugatis fides ipsas disponimus, sonosq; continuamus, ut ultimus primæ cõsonantiæ sonus, sit primus secundæ in ipsa compositione sequentis. Hinc ergo res admonet, ut ad septichordũ Terpãdri regrediamur, in quo quarta chorda bis pulsatur, ut quodãmodo euadat octochordum. Quam quidem coniugationẽ propterea secutus, ut arbitror, est Terpander, quia multiplicatio uocum manifestè inter se discrepantiũ ad sonum usq; septimũ augetur. Octauus autem iam mira quadam similitudine redit ad primũ: quemadmodũ & ratio dupla per quam creatur, restituit minorem quem superat numerũ, dum eundem excedit eodẽ. Nonus reuertitur ad secundum, & dissonat ut secundus. Decimus ad tertium, & cõsonat sicut tertius. Vndecimus ad quartũ. Duodecimus ad quintum. Ad sextũ tertiusdecimus. Sed quartusdecimus redit ad septimũ. Deniq; quintusdecimus ad octauũ, & cũ octauo simul ad primũ. Primum uero grauissimumq; sonum Hypaten nominant. Sequentem, Parypaten. Tertium, Lichanon. Quartum, Mesen. Quintum, Parameſen aut triten. Sextũ, Paraneten. Septimũ sonũ uero, Neten. Præterea si in qualitate motuq; diuturno compàratio fiat, Hypaten cũ Saturno, sequentesq; sequentib. planetis ordine conferemus. Sin aũt in motu diurno eiusq; celeritate uel tarditate, uicissim Hypaten cũ Luna, sequentesq; deinceps cũ planetis superiorib. cõparabimus. Inueniemusq; graues in cœlo sonos mixtos acutis, eosdẽq; orbes altero quidem motu acutũ tonũ edere, altero uero grauem. Item ex ingentibus globis ingentes, ex diuinis diuinos, ex multiplicibus reuolutionib. pari ratiõe multiplices. Et quemadmodũ ultra septimũ sonũ reuolutio fit in idem, sic super planetarũ septẽ distinctos orbes, omnia reuolui in unũ orbẽ, in seipso eiusmodi septenariũ mirabiliter complectentẽ. Sed de his aliàs. Redeamus ad consonantias, easq; iam fine quodã proprio concludamus. Hæ quidẽ tres apud ueteres numerantur. Prima Diatonica, in qua quodlibet quadrichordum per hemitoniũ minus procedit, & tonũ atq; tonum, quam tum sapiẽtes alij, tum Plato uel maxime ante alias comprobant, tanquã maxime omnium naturalem. quandoquidem ab hemitonio minore quasi molli materia ritu naturæ procedit ad ualidiorem toni materiam, formamq; habet simplicem, & mansuetam simul atq; robustam.

Adde quod potissimũ conuenit quadrichordo, in quo Diatessaron ex geminis tonis & hemitonio procreatur. Secundi consonantia, Chromatica nuncupatur, quæ per Hemitonium minus atq; Hemitonium maius, & Triemitonium, discurrere consueuit, sed hanc utpote molliorem philosophi reprobant. Tertia nominatur Harmonica, progrediens per quartam ferme toni partem, rursusq; per quartam similem atq; Ditonum. Hanc quoq; nõ probãt ob perceptionis & usus superstitiosam difficultatẽ. Multa uero quæ in præsentia ad eadem spectãtia prætermittimus, in octauo Epistolarum nostrarum libro diligentius pertractamus.

DE HARMONICA ANIMAE COMPOSITIONE. Cap. XXXII

DEVS Animã mundi procreaturus, eam ex indiuidua atq; diuidua cõflauit essentia. Prima hæc apud Platonẽ diuisio, in essentiã scilicet & indiuisibilẽ proprietatẽ atq; diuisibilẽ, est cõmunissima. Nam quod indiuiduũ dicit, cõtinet in se quod neq; secundũ locũ secatur in partem extra partem, neq; secundũ tẽpus à priori diffluit in posterius. Per primũ quidẽ appellatur idem: per secundũ status & stabile. Similiter quod diuiduũ nuncupatur, in seipso cõplectitur & quod loco diffunditur, & quod tẽpore labitur. Per primũ quidẽ appellatur alterum: per secundũ motus & mobile: motus inquã in naturalibus. Quapropter sub illa diuisione quæ dicebat animã ex essentia indiuidua & diuidua glomerari, quinq; rerũ genera quodãmodo cõtinentur, essentia, idem, alterũ, status, motus. Plato uero breuitatis gratia nõ replicat quinq; sed tria. Repetit enim essẽtiam, idem, alterũ, quasi sufficiant. Nam ad idem quidẽ sequitur status, ad alterũ uero motus. Atq; uicissim ad statũ sequitur idẽ, ad motũ similiter alterũ. Inquit autem deũ ex essentia, & eodem, & altero unam cõflauisse naturam tam exacta cõmixtione, ut in eßentia eius ubiq; idem inesset & alterũ, atq; uicissim in ipso eius eodẽ inesset & alterũ & essentia, rursus in ipso eius altero & essentia lateret & idem. Nam essentia per idem habet ut et secũ ipsa alijsq; congruat: per alterũ, & quodammodo in se distinguitur, & multo magis à cæteris. Idem uero & alterum ambo ut existant ab essentia sortiũtur. Sed idem à seipso conueniẽtiam possidet, ab altero differentiã. Ipsum uero alterũ à se quidem differentiam, sed ab eodem congruitatem simul & ordinem. Horum uero congeriem generum Plato cõducere putat animæ ad res omnes, tum iudicandas, tum etiã peragendas. Nempe, quoniam ex essentia constat, quid sit unũquodq; definit: quia ex eodem, cognoscit quid simplex: & si compositũ, qua unione coniunctum, & quomodo secũ ipsum alijsq; cõsentiat: quia ex altero, quid sit diuersitatis in quolibet, & qua cõditione uel in se digeratur, uel secernatur à cæteris: quoniã ex statu, quale et quo pacto, quoduis in seipso permaneat: quia ex motu constat, agnoscit à quali res quæq;, & quali ratione depẽdeat, item qualia & quomodo faciat. Præterea per essentiã, dat esse rebus: per idem, res sibi coniungit & alijs: per alterũ uero seiungit: per statum in natura propria confirmat & ordine: per motũ mouet, & efficit ut moueantur & agant. Quamobrẽ non immerito Plato in anima fabricanda, rerum omniũ genera certa quadam ratione cõmiscet. Mixta uero hæc inuicem ait harmonica ratione, non arithmetica, alioquin iniusta fõret alicubi distributio: neq; geometrica tantũ proportione, alioquin tãta fõret æqualitas in mixtura, ut cũ extrema corporum diuersitate proxime conspirare nõ posset. At harmonica ratio inariorũ similitudine constans, & dissimilia facit similia, & inæqualia cõmuni quadam æqualitate connectit. Eiusmodi autẽ est animæ, tum ad seipsam, tum ad corpora qualitas & officium. Siue enim agat secũ ipsa, tam intelligentiæ ut ita loquar, identitati quandã miscet alteritatem, quàm rationis alteritati quandam identitatẽ. Similiter in imaginatiõe facit & sensu. Siue agat in corpus, in ordine quodã stabili quasi identitate producit motionis alteritatẽ: quod apparet in cœlo: item sub cœlo in ipsa generationis alteritate per continuatũ ordinẽ seruat identitatem: & utrobiq; conseruat essentiã atq; restituit. Quamobrem deus animã mundi componens, utitur harmonica ratione, tum in rerũ generibus inuicẽ cõmiscendis, tum in portionibus ipsis, quas ab eis accipiebat ad animam componendam, tum in animæ uiribus ortũ eius euestigio comitãtibus, tum in mundi sphæris animæ congruentibus. Talem uero mixturã animæ conuenire, Plato non solũ rationibus perscrutatus est, sed etiam cõiecturis acceptis à mundo diligenter auspicatus. Cũ enim mundi corpus, & sub anima positũ, & eius gratia factum, & ab ea rectum, motũ reformatũ contemplaretur, naturæ consentaneum iudicauit, ut à figura mundi uelut imagine, formam quandam eius animæ tanquã exemplar coniectaremus. Quibus itaq; proportionibus sphæras mundi cõpositas, dispositas, agitatas, suspiciebat, eisdẽ fermè, id est harmonicis rationibus eius animam auguratus est esse contemperatam: ut quem admodũ apud musicos à concentu artificiosæ mentis profluit & concentus in uocẽ, sic ab harmonia cœlestis animæ in mundũ transeat harmonia. Sed Platonem ipsum iam audiamus. Vnam principio accepit portionem ex uniuerso. Secundã uero primæ partis duplam. Deinde tertiam, quæ secũdæ quidem sesquialtera esset, primæ uero tripla. Postea quartã, secundæ duplam. Quintam deinceps, tertiæ triplam. Sextam primæ octuplam. Postremo septimã, quæ partibus sex & uiginti primam excederet. Hæc ille. Cõstituamus ergo triangulũ in cuius apice locata sit unitas, à qua terni utrinq; numeri profluãt, hinc pares, inde similiter impares: hac uidelicet ratione, ut à parte altera post unitatẽ primũ duo, deinde quatuor, demũ octo: altera ex parte sub unitate similiter primũ tria, deinde nouẽ,

postremo




postremo septem atq; uiginti. Prima itaq; portio quã accipit deus ex ipso genẽrum, ut ita loquar, fermento ad animã effingendã, est unitas. Secunda binarius, primæ duplus. Tertia uero ternarius, cuius ratio tripla est primæ, hoc est unitatis, sesquialtera uero secundæ, id est binarij. Quarta portio quaternarius, duplus secundæ, hoc ẽ binarij. Quinta nouenarius, cuius tripla ratio tertiæ, id est ternarij. Sexta octonarius, cuius octupla ad primã, id est unitatem proportio. Septima uiginti septem, ratio quidem ad nouenariũ tripla, unitatem uero excedens partibus sex atq; uiginti. In his utiq; numeris rationes omnes cõprehendit harmonicas. Nam in sesquioctaua inter nouem & octo proportione, progenuit tonũ Musis nouem obtemperantẽ. In sesquialtera inter tria & duo Diapente, gratiam uocis quintæ Veneream. In sesquitertia inter quatuor atq; tria Diatessaron Mercurialem uocis quartæ naturam, sese consonantijs accommodantem. In dupla, inter duo & unum, item inter quatuor & duo, rursus inter octo & quatuor, Diapason, id est uniuersam & absolutam octauæ uocis peperit melodiam Apollini dedicatã, In tripla inter tria & unum, item nouẽ inter & tria, rursus uiginti septem atq; nouem, Diapason Diapente, id est octauæ simul & quintæ Iouialẽ cõposuit symphoniam. In quadrupla inter quatuor & unũ, & octo atq; duo, symphoniam contexuit Disdiapason, iterum per sonos quindecim Apollini concinentem. Venustatem uero, tum uocis tertiæ, principijs inseruit Diatessaron, tũ uocis sextæ, finibus subnexuit Diapente: ut delicatiori uocis utriusq; mollitie, hinc quidẽ secundæ uocis, inde uero septimæ asperitas leniretur. Ita enim tertia uox, & sexta sunt mollitie similes, sicut secunda cadens à prima, item septima degenerans ab octaua, sunt asperitate persimiles. Principio ubi deum ait accepisse portiones septem, mysteriũ tetigit, tum in musica, tum etiam in natura. In musica quidem, quoniam ad septimum usque gradum omnis uocũ progreditur discrepantia: post quem fit ad eandem reuolutio. In natura uero, tum quia multæ per septenariũ in naturalibus transiguntur, qua de re cæteri Platonici satis multa dixerunt: tum quia septenarius unitatẽ habet, ut copulam geminæ trinitatis: atq; ex his geminis & seipsa rursus explicat trinitatẽ. Eiusmodi uero est uniuersi similitudo. Quod quidẽ in tria principio distribuitur. Vnde Plato hic ternarium cõmendauit. Distribuitur inquam in æterna & temporalia, horumq; media. Aeterna sub trinitatis proprietate posident in essentiæ quidem simplicitatẽ, in uirtute uero stabilitatem, in actione reflexionem. Temporalia uicissim in trina dimensione compositionem habent essentiæ, iterũ uirtutis mobilitatem, actionis deniq; transitum. Inter has uero trinitates æternorum atq; temporaliũ, anima medium obtinens, gradum efficit septimum. Efficit quoq; nonum, hic etiam à Platone laudatũ. Nonum inquam, quoniam ipsa tres habet ultus. Nam & ad seipsam, & ad superiora, inferioraq; conuertitur. Iuuat hic antequã reuertar ad septenariũ, parumper adhuc ternarium unà cum nouenario commendare. Trinitas numerorũ prima, principium & medium, finemq; rerum continere uidetur, atq; sola inter numeros ratione quadã indiuidua continere. Siquidem singula hæc singulis significat unitatibus. Præterea siue causas rerũ percurrere libeat, triplicem in causis inuenies proprietatem. Sunt enim causæ in seipsis, efficiũt effectus, & factos reducẽdo perficiũt. Siue ad effectus descendas considerandos, deprehendes similiter trinitatem. Nam & effectus sunt in causis, procedunt ab illis, conuertuntur ad illas. Siue ad animam te contuleris, quæ sublimes causas cum infimis connectit effectibus, aspicies eam in seipsa manentẽ & declinantem ad effectus, & ad causas ascendentem. Atqui hæc anima triplici septenario regit mundũ. Primo quidem occultis quibusdam septem uiribus planetarum in firmamento per causas dominantiũ. Secundo septem planetarũ formis, in globis septem firmamento subiectis. Tertio septẽ muneribus planetarũ, generationem sub Luna regentibus. Quippe cum sub Luna, uiuificũ quidem lumen Soli, calor autẽ urens Marti subijciatur: in terra superficies uaria Mercurio, moles autem tota Saturno. At in medijs regnat humor: & aerius quidem obtemperat Ioui, Aqueus uero Lunæ, Mixtus deniq; Veneri. Item agentes causæ sequuntur Solem, Materiæ Lunam: Fœcunditas causarum agentium Iouem: Materiarũ fœcunditas Venerem: Expeditio ad effectum uelox Martem atq; Mercurium. Illum quidem propter uehementiam, hũc autem ob ipsam dexteritatem multiformemq; uirtutem. Cunctorum uero continuatio permanens Saturno potissimum dedicatur. Cæterum hic per tres septenarios ordo progreditur à septenarijs, qui secundum tres animæ muridanæ uires distribuuntur. In hac enim intelligentia est circulus stabilis. Circulus quidem, quia illuc unde est, reflectitur. Stabilis, quia subito. Sub intelligentia quasi sub firmamento tres sunt uires, scilicet ratio uniuersalis, imaginatio, uegetatio. In ratione sunt tres circuli quodãmodo mobiles atq; tẽporales. Primus ab anima ad causam amandam, atq; uicissim, naturali quodam instinctu clam ita ferente. Secundus à rerum causis ad effectus considerandos, atq; conuerso. Tertius à formis idcisq; magis uniuersalibus ad minus uniuersales decursus uicissimq; recursus. In reliquis duabus animæ uiribus omnino sunt circuli quatuor similiter tẽporales, in utraq; bini. Primus ad causam suã reflexio naturalis. Secũdus ab eisdẽ formis ad easdẽ certa quædã interuallis certis & perpetua reuolutio, per quã & in cœlo configurationũ, & sub cœlo transformationũ tẽporalis & certa reuolutio prouenit. Itaq; circuitus generationis necessario cœli circuitũ sequitur, hic uero circuitum animæ. Reuolutio animæ orbem intelligẽtiæ

comitatur

comitatur. Motus quidē animæ, si ab intelligentia penitus deferatur, statim tam in percipiendo quàm in agendo, solum transibit in rectū. Quod autem repetat semetipsam, similesq; per alia gyros glomeret, sortitur ab intellectu quodam superiore, qui & manēs in se, & subito conuersus in causam, largitur intelligentiam animæ, per quā quasi porrectā manum sistit animā natura propria uagabundam: motumq; eius irrequietum, & ad rectam extra se lineam naturaliter proniorem retorquet in orbem medium inter motum rectum atq; quietem. Hinc anima in se met reditura meat, mentemq; profundam circuit, & simili conuertit imagine cœlum. Sed de his in Theologia diffusius. Redeamus ad numeros.

SVMMA NVMERORVM HARMONICORVM AD COMPOsitionem Animæ conducentium. Cap. XXXIII

VNITAS in superiori figura significat ipsam animæ unitatē, simplicitatemq; sublimem, & propriam diuinæ unitatis imaginem, & in ipsa manentem. Dualitas processum animæ in proprietatem suam unitate inferiorem, & quadam iam ratione multiplicem. Trinitas regressum eius ad unitatem, tum propriam, tum diuinam. Quatrinitas progressionem animæ à se in materiam quatuor elementorum gradibus digerendam. Septenarius uirtutem eius per septem planetarū sphæras elementa rectură. Octonarius uim per octauā sphæram planetas gubernaturā. Nouenarius munus animæ octo sphæras in unam formam conciliaturū. Viginti septem numeri summa, plenitudinem eius omnia in omnibus collecturam. Nam uiginti septē summa supradictos numeros continet, atq; ex illis deinceps ordine positis, ut computanti patet, impletur. Neq; ab re pares in figura, & impares numeri describuntur, quo per pares quidem natura animæ diuisibilis, per impares autem indiuisibilis cogitetur, & fœminea simul uirtus, & mascula. Colliguntur quoq; numeri lineares, & superficiales, & solidi: ut cognoscamus animā penetrare per omnia, & amplificari passim penitusq; implere. Descendit utrunq; figuræ latus ad solidum utrinq; numerum. Hinc quidem ad octo inter pares, inde uero inter impares ad septem atq; uiginti. Vt cogitemus animam utraque solida, scilicet tam composita quàm simplicia prorsus implere. Interualla uero numerorum dupla & tripla & reliqua quæ prædiximus, quid proprie in anima sibi uelint, & si apud Platonicos adhuc est ignotum, licet tamen in præsentia forsan hunc in modum, ut ita dicam, uaticinari. Describatur itaq; triangulus iterum, in cuius summitate sit essentia. In latere uero ubi numeri impares describebātur, designetur infinitudo, & deinceps alteritas atq; motus. At in latere ubi disponebantur pares, sit terminus, deinde identitas per ordinem statusq; sequatur. Hic quidem septem similiter habebimus limites, quorū anima sub eadem ad se inuicem ratione formitā particeps fingi potest, sub qua ab initio descripti limites numerorum inuicem se respiciūt, ut anima eiusmodi proportione tam quinq; rerum genera, quàm duo generum elementa, id est terminū infinitudinemq; participet. Sit igitur exempli gratia comparatio essentiæ ad cuncta simul coniuncta, sesquioctaua. Forma enim totius communis uno saltem excedit gradu quasi tono, proprias partium qualitates. Sit sub essentia infinitudo, id est, formabilis aptitudo. Comitetur hanc terminus, uelut ipsius forma. Sitq; termini ad infinitudinem proportio dupla. superari enim oportet ab actu potentiam. patiendi infinitudinem sequatur alteritas, sed terminum comitetur identitas. Atq; hæc ipsa identitas alteritatem superet sesquialtera ratione. Post hæc sequatur motus alteritatē, Status autem identitatē. Superetq; status motum proportione sesquitertia. Quod Plato significauit, dicens hæc ab illis uix superari. Quod si proportiones hic explicatas cōsideraueris, inuenies insuper triplas & quadruplas, sicut ab initio patuit in figura. Nam motū quidem ad infinitudinem, inuenies esse triplum, Statum uero ad eandem quadruplum. Cæterum ut excogitare possimus harmonicam participandi proportionem in anima, non solum secundum quinq; rerum genera & elementa duo, uerumetiam secundum uires proprias, septem gradibus distributas, reddamus iam singulas animæ uires, singulis uel generibus uel elementis. Sunt autem hæ uires, unitas, intelligentia, uoluntas, ratio, imaginatio, uis connectendi, uis generandi. Postremas uero has duas uires sæpe sub una uel naturæ uel uegetationis appellatione complectimur. Conferamus igitur hoc pacto, scilicet animæ unitatem, essentiæ: Voluntatem infinitudini: Intelligentiam termino: Imaginationem alteritati: Rationem identitati: Generandi uim, motui: Connectendi uirtutem, statui. Similesq; superiorum inter has uires, proportiones excogitemus. At si æquales in anima proportiones rerum alibi esse diximus, non Arithmeticam paritatem, sed æqualitatem harmonicam intelligi uolebamus.




PER

PER INTERVALLA SPHAERARVM PLATO INTERVALLA rationum inter animæ partes aucupatur. Cap. XXXIIII

QVEMADMODVM ex imaginis lineamentis sæpe uiuentis formæ lineamenta cõijcimus, sic ex hoc imaginario cœlestis animæ uultu, quem in speculari materia mundi cõspicimus, ueram eius faciẽ pro uiribus coniectamus. Dupla igitur & tripla & cætera interualla in prima numerorũ figura descripta, Plato inueniri arbitratus in sphæris, ad animæ partes et uires, unde in sphæras trãslata sunt retulit. Putauit enim quantũ spatij à terra usq; ad lunam extat, duplum à terra ad solem usq; protendi: quantumq; ab ipsa usq; ad solem: triplum ab eadem esse ad Venerem. Rursus quantum à terra ad Venerem, quater tantum ab eadem ad Mercurium. Item quantũ ad Mercurij stellam ab ipsa terra, nouies tantum à terra ad Martem. Et quantum à terra ad Martem, octies tantum à terra ad Iouem. Quantumq; à terra est usq; ad Iouem, septies & uicies tãtum à terra usq; ad Saturni circum. Hic inter cætera uides grauiores planetas Iouẽ atq; Saturnum utrinq; per solidos numeros designari. Et si alibi ex nonnullorum Pythagoricorum opinione, alias interuallorum mensuras recẽsui, Platonicas tamen probabiliores existimo. Per hæc autem forsan intelligi possunt quæ in decimo de Republica de sphæris obscurius inuoluuntur. Item per illa quæ de numerorum proportionumq; uirtute tractauimus, cõiectari possunt quæ in octauo de Republica de cœlesti circuitu, & numeris, & proportionibus implicantur.

QVOMODO REPLEANTVR DVPLORVM TRIPLORVMq; numerorum interualla. Cap. XXXV

PLATO postquam primam excogitauit figuram septem limites continentem, in qua duplæ atq; triplæ rationes comprehendũtur, deinceps alteram effingi iubet figuram, adeo maiores numeros complentem, ut ubi duplæ sesquitertijs sesquialterisq; replentur, hæ quoq; mediæ sesquioctauis sic impleantur, ut sesquitertiarum spatia tonum capiãt. Describamus ergo figuram primæ similẽ, sed senarium ponamus in apice, post quem longo spatio subdamus eius duplum, id est duodenarium, idq; spatiũ occupemus octonario simul et nouenario. Deinde similiter lõgo spatio uiginti quatuor post duodecim describamus, & in hoc ipso spatio sex decim decemq; & octo ponamus, eodẽ ordine inter uiginti quatuor et quadraginta octo, uelut media triginta duo & triginta sex inserẽtes. Hactenus duplorum latus absoluimus. Deinceps uero triplorum spatia consummemus, procul à senario secernentes decem & octo senarij triplũ, atq; inter eos nouem & duodecim designemus. Similiter inter decem & octo et quinquaginta quatuor eius triplum, uiginti septem & triginta sex, collocemus. Postremo à quinquaginta quatuor ad eius triplum, centum sexaginta duo, per gemina similiter media, scilicet octoginta unum centumq; & octo progrediamur. Vt ergo ad primam figuræ huius duplam habitudinẽ reuertamur, consideremus inter sex & duodecim medietates duas, octo scilicet atq; nouem.



Et octonarium quidẽ inter sex & duodecim ratione harmonica se habere. Nam & excedit senarium, tertia senarij portione: & exceditur à duodenario, proportione similiter duodenarij tertia. Item ad senarium sesquitertius est, sed duodenarius ad ipsum est sesquialter. Præterea differẽtia inter duodecim atq; octo quaternarius est. Differentia uero inter octo atq; sex, binarius, Sic igitur quatuor ad duo, sicut duodecim ad sex, duplicem continent rationem. In his uero quæ diximus artificium uersatur harmonicum. Comparemus quoq; nouem & ad sex per sesquialteram, & ad duodecim per sesquitertiam qualitatem, & ad octo per sesquioctauam proprietatẽ, qua resonet tonus: intelligemus profecto hac ipsa sesquioctaua duos sesquitertios colligari, id est, octo ad sex, nouẽq; ad duodecim. Neq; deest medietas his numeris arithmetica: siquidem nouenarius senariũ quidem excedit ternario, et à duodenario pariter ternario superatur. Similiter per rationes easdem in duplis sequentibus procedamus, colligantes duplas quidem per sesquitertias & sesquialteras: item sesquioctaua proportione sesquitertias geminas connectentes. Similiter fermè excepto tono per triplas discurrere licet. Quoniam uero sesquitertiæ rationes non solum ex duobus tonis fiunt, uerumetiam ex hemitonio, & hoc quidem minore, cui deest ad plenum hemitonium particula quædam, idcirco Plato inquit, in sesquitertijs portiunculã quandam esse relictam. Cæterum quidnam sibi uelit in anima figura hæc per ampliores numeros explicata, nondum satis uidetur à Platonicis explicatum, neque nos in præsentia explicabimus: nisi forsan dum plura ac saltem duo media inter extremos terminos collocat, subintelligi uelit genera rerum elementaq; in anima, quæ opposito se inuicem modo respiciunt, qualitates duas inter se inuicem reddere. Velut si ubi terminus tangit infinitudinẽ, indefinitam reportet termini qualitatẽ: atq; uicissim ubi infinitudo tangit terminum, determinatam infinitudinis subeat passionem: præterea & in termino sit infinitudo quodãmodo terminalis, & uicissim in ipsa infinitudine terminus indefinite progrediens. Accedit ad hæc quòd & inter

inter ipſas animæ uires talia quædã cogitari media poſſunt, & anima ad ſuijpſius exẽplar in mundo inter ea quæ lõge diſtãt, duo ſaltẽ media inſerere cõſueuit. Tonus autẽ plenũ ſignificat motũ pulſumq; animæ tã in ſeipſa quàm in cœlo. At hemitonium remiſsiorem in elementis, & uſqueadeo à primo deficientem, ut perfectionis eius dimidiæ minorem ſuſcipiat portionẽ. Totus deniq; ſuperior de harmonia tractatus triplicem concordiã ſignificare uidetur, ſcilicet inter animam atq; corpus, & inter animæ partes inuicem, atq; inter partes corporis inuicem.

DIVISIO ANIMAE, MOTVS ET TEMPVS. Cap. XXXVI

QVOD uero ait ipſam generum commixtionẽ in conſummatione animæ ſuiſſe conſumptam, intelligere animã à deo proceſsiſſe perfectã, ut ſuã ferme idẽã impleuerit. Diuiſio præterea in longũ, oſtẽdit propriũ animæ motũ naturaliter eſſe rectũ, ſcilicet in ſenſum, & uegetãdi ſiue mouendi naturã. Item ob id ſecat in duo, ut oſtendat tum in anima duplicẽ eſſe rectũ motum, ſcilicet ad ſentiendũ atq; mouendũ, tum ab anima in corpore ſimiliter eſſe geminũ, ſcilicet uniformẽ atq; multiformẽ. Interſecat uero lineas duas ad animã figurandã, deinde eas reflectit in gyrum, indicans naturã animæ ex ſe ad rectum motũ procliuiorẽ, ab ipſo deo per intelligentiæ munus circulari motui prorſus accõmodari: geminis inquam circulis, firmamento ſcilicet non errãti, ac poſt firmamentũ orbibus peruagantiũ planetarum. Firmamenti quidem circuitus ipſam identitatis intelligentiæq; naturã proprie refert. Anfractus autem multiplices planetarũ, proprie naturam alteritatis inferiorũq; animæ partium repræſentant. Sed ex ipſo interiori animi motu ſimul & tempore, tempus in mundo unà cum motu conſequitur. Tangit inter hæc pauca quædam atq; cõmunia, quæ ad Aſtronomiam pertinent: ſed hæc facile quiuis uel mediocriter eruditus intelligit, & de his nimis multa Platonici quidam, tum Græci, tum Latini pertractant. Surgit mox quæſtio de ideis ac de generibus animaliũ mundanorũ, de quibus in theologia latiſsime pertractauimus. Præterea quod de ipſa deorum quorundam dæmonumq; genealogia recenſet, quidnam habeat ueriſimilis, in Theologia ſimiliter & alibi declaratur.*

QVAE A DEO PROXIME, ET QVAE PER MEDIA fiant. Cap. XXXVII

HACTENVS patere cuiq; poteſt, ab intellectu diuino mundi opifice animos deosq; mundanos et dæmones, & omnes mundi ſphæras, ſpeciesq; ipſas rerum abſq; medijs cauſis proceſsiſſe. Quæ autem de materia prima ſit inter Platonicos ambiguitas, narrauimus ab initio. Mãdat ergo poſt hac architectus mũdi filijs ſuis, id eſt, animabus ſphærarum ſtellarumq; & dæmonũ, uel etiam inferioribus angelis, ut ad imitationẽ ſui, mixtionẽ ſub luna rerũ aggrediantur, hominiq; ſubijciãt omnia, rationalemq; eius animam ab ipſo acceptã, corpori caduco concilient per uitam quandam irrationalẽ, partim ab ipſis, partim ab animã hominis dependentẽ. Notabis autem in ipſis dei uerbis quicquid proxime fit à Deo, ſempiternũ eſſe: & quicquid ulla ratione componitur, quatenus compoſitũ eſt eſſe etiam diſſolubile. Sed quatenus per diuinam uoluntatẽ compoſita quædam ita conflantur, ut in eis unitas ſuperet multitudinem, indiſſoluta ſeruari. Notabis inſuper, ubi ait deũ in ſuo habitu permanere dum mãdat, miniſtros autem ſequi, nihil mutabilitatis in Deo eſſe dum mobilia regit & mouet: in miniſtris autem eius prouidentiã eſſe mutationi cuidam propinquiorem. Deniq; in his omnibus Moſaicum illud: Ego ſum qui ſum, cognoſces mirifice confirmatum.

DE HOMINE QVO AD PERTINET AD ANIMAM ATque corpus. Cap. XXXVIII

RATIONALEM hominis animã ait à deo ex eiſdem rerũ generibus eodẽ in cratere commixtis, atq; mundi animã fuiſſe conflatã. Crater ſignificat ipſam uitæ rationalis ideam. Sed adiungit ex reliquijs ſuperioris cõmixtionis fuiſſe confectam, ſignificans particulares uitas uniuerſali uita inferiores eſſe. Tũ uero deus animas, id eſt ſingulos ordines animarũ, ſingulis ſtellis accõmodat. Adhibet & uehicula, id eſt ætherea corpora. Docet & fatales leges, dum animabus infundit formulas idearũ, per quas animæ in ſe quandoq; conuerſæ, rationes rerũ agnoſcere poſsint. Quod autẽ de animæ deſcenſu fatali atq; circuitu inquit, alibi eſt expoſitũ. Poſt hæc miniſtri dei fabricam humani corporis proſequuntur, occultis eam uinculis cõnectentes. Per uincula hæc occulta intellige cõplexionẽ hominis eſſe adeo tẽperatam cœlaq; perſimilẽ, ut uix in ea elementalium qualitatum exceſſus appareat. Subdit deinde circuitus animæ in mole corporis impediri. Hic tu ante alia memento animã noſtram ſimili ratione atq; mundi animã contextã fuiſſe, ſimilesq; circuitus poſsidere. Circuitũ ergo intelligẽtiæ impediri ait, rationis uero circuitũ diſtrahi, duab. præcipue rationib. tũ quia prius quàm adultũ ſit corpus, anima tota in fabrica corporis occupatur: tũ quia quæ extrinſecus ſenſus mouent, in teneriori ætate offendunt uehemẽtius, & propter nouitatẽ rerũ animã circa corporea reddunt admirabundã. His ergo de cauſis, diu & intelligẽtia à diuino uacat officio, & rationalis ipſe diſcurſus circa inferiora diſtractus, quaſi demẽs, turbatur & fallitur. Sic igitur totus animus peruerſam figurã ſubit, uitãq; ducit laborioſam

borioſam, dum ratio cedit ſenſibus, perinde ac ſi quis caput pro pedibus humi figat, pedes uero pro capite tollat in altum. Iam uero quæ de membrorum corporis diſpoſitione adducit in medium, ſatis à medicis pertractantur. In quibus id potiſsimum obſeruabis, caput dici non principale ſolum, ſed etiam totũ in corpore. reliqua enim ſolum ut capiti ſeruiant, adiuncta fuiſſe. Ex quo colliges hominem contemplationis gratia eſſe natum. Sequitur de ſenſuum inſtrumentis. Quæ uero in his de uiſu dicuntur, à Chalcidio ſatis, & quæ de ſomnijs, alibi ſatis exponuntur à nobis. Conſiderabis mox firmam de cauſis Platonis noſtri ſententiam: res qualitatesq; corporeas quæ non ex ſe, immo ab incorporea quadam cauſa mouentur, & diriguntur ad finem, non eſſe reuera cauſas appellandas, ſed latentis prouidentiæ inſtrumenta. Cauſam uero præcipuam eſſe uoluntatem prouidentiæ, ad exemplar ſui ſic omnia diſponentis, ut optime ſe habere iudicat & decernit. Itaq; finalem cauſam præſcriptam in prouidentia, ſummã Plato aſſerit cauſarum. Tum confirmat iterum hominem eſſe natum ad cœleſtia cõtemplanda, immo uero ad ipſum cœli motorẽ prouiribus imitandum. Et quemadmodũ dixerat uiſum, ſic & auditum contemplationis & diſciplinæ gratia nobis eſſe tributum: item ut per ſenſibilem harmoniam animi quoq; motus harmonice componamus. Cæteros autẽ præter uiſum auditumq; ſenſus, quaſi minus conducant ad ſpeculandum, nihili pendit.

QVOMODO MVNDVS EX MENTE ET NECESSItate compoſitus ſit. Cap. XXXIX


POSTQVAM tractauit de formali mundi ordine, quem ideo uocat intellectum, quoniã eſt intelligentiæ diuinæ ſimulachrum, tractat iam de materia mundi: quam ideo neceſsitatem nominat quia non propter ſeipſam, ſed tanquàm formis ultimis neceſſaria, eſt introducta. Item quia mũdus ob eius admixtionẽ deforme nonnihil neceſſario patitur. Hinc illud: Mũdus eſt ex intellectu & neceſsitate compoſitus, id eſt ex ipſo formarũ ordine atq; materia. Poſſumus quinetiã ſub neceſsitatis nomine intelligere non materiam ſolum, ſed animam quoq; eius in primo proceſsionis ſuæ ſigno uelut informẽ materiæ inſtar conſideratam. Vtraq; enim, tam anima quàm materia, in primo originis ſuæ ſigno informis quidem eſt, ſed facile eſt formabilis per intelligentiæ munus. unde & ipſi animæ rationes ſeminaq; formarũ naturaliũ infunduntur, & materiæ qualitates atq; formæ. Quod autẽ ait, ante mundi diſpoſitionem elemẽta quodãmodo extitiſſe, intellige quaſdam elementorũ uires tum formatrices in anima, tum formabiles in materia. Item quod inquit, materiam ante mundũ abſq; ordine fuiſſe iactatam, expone potentiam animæ motricem etiam ante intelligẽtiæ munera potuiſſe materiã agitare, ſed procul ab ordine. Præterea ubi ait mundum à Deo exornatũ fuiſſe perſuaſa prius Neceſsitate, ſic accipe, ut prima illa materiæ animæq; natura quamuis cogitetur informis, tamen præparationẽ à Deo ad formas adeo formabilem ſuſceperit ab initio, ut non potuerit eſſe paratior. Obſeruanda inter hæc eſt illa diſtinctio, qua dicitur uniuerſum in exordio libri in duo fuiſſe diuiſum, id eſt, exemplar atq; ſimulacrum: nunc uero diſtinguendum eſſe in tria, id eſt, exemplar, & ſimulacrũ, & materiam. Hic primo quidem uideri poteſt re ipſa idẽ eſſe, ipſum exemplar mundi & efficientem eius cauſam & finalem. Deinde totum mundi ordinem non tam ſubſtantiale quiddam eſſe, quàm inuiſibilis mundi ſimulacrũ. Præterea quod materiam & ſuprà ſecreuit à mẽte, & hic à mentis ſecreuit ſimulacro, coniectare poſſumus materiam non tam per ideam propriam quàm per ideam formæ à Deo procedere, neq; antecedenti propoſito ſed quodammodo conſequenti, ab intelligentia, ut ita dixerim, adinuẽtam. Tum uero & materiam eſſe, & quid ſit, & quo pacto ſe habeat, ex perpetua tranſmutatione formarũ diligẽter oſtendit: ex qua etiam materiales formas eſſe quodammodo falſas argumentatur. Deinde per eas ad ueras ideaſq; formas aſcendit, quæ omnia in Theologia planius declarantur. Adduxit in mediũ multa materiæ nomina, ſcilicet ſpeciem inuiſibilem, Sinum informem omniumq; capacem formarũ, Naturam, Potentiam, Matrem mũdi, Nutricem formarum, Subiectum, Receptaculum, Locum. Sed ex hoc loci nomine ridere licet Peripateticum adeo ineptum, ſiue maleuolum potius, ut dementiæ Platonem inſimulet, quaſi materiam uoluerit locum eſſe proprie mathematicum. Quod quidem per cætera materiæ nomina euidentiſsime cõfutatur. Deniq; ex eo quod materia propriã ſibi uendicat informitatem, argumentare unitatem ſibi pariter uẽdicare. Si enim informis, ergo & indiſtincta. Si ita, ergo & unum. At ex eadem informitate non ſibi uendicat eſſe, ſed per ipſam potius cadit ab eſſe. Cum igitur unum, atq; ens, non æque materiæ congruant, eadem inter ſe eſſe non poſſunt. Eſt autẽ unum ſuperius ente, quoniã latius ſeſe fundit: præſertim cum priuationi inſuper cui non conuenit ens, tamen conueniat unum. Ex hoc rurſus argumentamur materiam à ſummo tantum principio rerum poſſe produci.

QVOMODO PHYSICA CONSTENT EX MATHEMATICIS ac de elementis & mixtis. Cap. XL

DEINCEPS Phyſica per mathematica probaturus, in primis mathematicorum doctrinam laudat tanquam omnis eruditionis ingenuæ uiam. Longum Laurẽti foret in præſentia recenſere, quot noſtris temporibus mathematicã ingreſſi uiam, ad finem peruenerint exoptatum. Petrum Leonem Spoletinum nouimus mathematicorũ maxime beneficio, non Ariſtotelicos tãtum, uerumetiã Platonicos iam

ſenſus penetrauiſſe. Florentiæ uero Baptiſtã Leonẽ Albertũ ab eiſdẽ diſciplinis exorſum, opus in architectura pulcherrimũ edidiſſe. Quid dicã de Franciſco Berlingherio noſtro Nicolai filio? nonne hic mathematicorũ beneficio fretus de Coſmographia uerſib. ſcripſit egregie? Neminẽ uero turbet, quòd Plato Pythagoreorũ more ex mathematicis phyſica cõponere uideatur. Nõ enim intelligi uult naturalia corpora ex figuris & numeris tãquàm ex elemẽtis et partib, ſed tãquàm ex terminis, quadã reſolutione cõponi: quod uidelicet naturalia in illa quaſi priora, ac ueluti terminos reſoluãtur. Nõne termini corporũ dimẽſiones ſunt atq; figuræ? Numeri etiã termini figurarum? Præterea ſpecies naturales ſubiecto non ſolũ cõmuni, ſed proprio indigent. Figuris aũt ſatisfacit cõmune ſubiectũ. At numeri, neque proprio, neq; cõmuni, neq; ullo prorſus corporeo indigent fundamẽto. Ex quo patet figuras quidem naturalibus ſpeciebus, numeros autẽ figuris eſſe priores. Triplicẽ ergo in rebus ordinẽ Pythagoras Platoq; cogitabant, ſpecierũ, figurarum, & numerorũ. Triplicem ſimiliter inter ideas, adeo ut & in rebus & in ideis, ſpecies in figuras, figuræ reſoluantur in numeros: atq; certæ ſpecies figuris certis, certæ figuræ certis numeris quodã modo congruant, rerũ ordine omnino ſic exigente. Quamobrẽ ubi aiunt ſpeciem ignis ex pyramidali figura, & pyramidẽ ſolidã ex triangulis quatuor, & hos ex quaternario ternario ue conſtitui, ſignificare uolunt proprietatem quandam in his cunctis cõmuniter eſſe perſimilem, & comparanda hæc inter ſe potius quàm cõponenda. Hac utiq; ratione figurã igni pyramidalem tribuit. Aeri figuram facies habentẽ octo, quã nominat Octaedram. Aquæ facies habentem uiginti, quam Icoſaedram uocat. Terræ facies ſex habẽtem, nomine Cubum atq; Talum. Vniuerſo deniq; duodecim facies poſsidentẽ. Et pyramidalẽ quidem figuram ideo conuenire uult igni, quia tenuis, & ad inciſionem præ cæteris apta, ex paucioribuſq; triangulis conſtituta: ideoq; omnium leuiſsima figurarum. Figuram uero cubicam terræ, quia ſolidiſsima atq; ſtabiliſsima ſit. Figuras alias medijs elementis, quoniam ad motũ atq; ſtatũ inter ignem & terrã medio modo ſe habent. Dodecaedram, quæ duodecim facies habet, congruere putat mundo propter ſphæras duodecim, ac ſigna duodecim in Zodiaco. Reſoluit aũt ſolida in plana, plana uero in triangulos, præcipue in eos qui rectanguli nominantur. Quorũ unus Scalenus ſit, id eſt ſcalaris, latera omnia inæqualia poſsidens. Alter Iſoſceles, id eſt æquicrurus, duo habens æqualia latera. Nã triangulũ æquilaterẽ, in quo neq; rectus angulus, neq; linea in perpendiculũ recta ſit, minus cõponendis planis aptum exiſtimat. Conſtituit ex Scalenis pyramidalem & octaedram, Icoſaedramq; molem: cum pyramis ex triangulis quatuor æquilateribus conſtituatur, quorum quilibet in ſex triangulos Scalenos diuiditur. Octaedra figura ex octo ſimilibus, quorũ quiſq; in ſex triangulos Scalenos ſimiliter diſtribuitur. Icoſaedra figura ex uiginti ſimilibus, quorũ quilibet ſimiliter in ſex ſcalenos cuadit. Iſoſceles autẽ triangulus figuræ cubicæ dicitur elementum. Quatuor enim Iſoſceles trianguli concurrentes quadrangulum cõplent. Ex huiuſmodi uero quadrangulis ſex Cubus efficitur. Deniq; Dodecaedram figuram mundo, ut dicebam, accõmodauit, quoniã ſiderum formæ duodecim ſuſpiciuntur in Zodiaco, quorum quælibet in partes triginta ſecatur.





Similiter in figura dodecaedra intueri licet pentagonos duodecim, ſingillatim in triangulos æquilateres quinq; diuiſos, ita ut unuſquiſq; rurſum ex triangulis ſex Scalenis conficiatur, & in omni mole dodecaedra trecenti ſexaginta reperiantur trianguli, quot etiã in zodiaco portiones exiſtunt. Tractat uero deinceps de motibus paſsionibuſq; elementorũ. Item quo pacto diſtinguantur in partes, & inuicem miſceantur, & quos effectus mixtione cõficiant. Præterea qualis ſit tũ elementorũ tum mixtorum inuicẽ cõmutatio. Inter hæc de mixtis imperfectis agitur, & de perfectis, de liquoribus, & lapidibus, & metallis. Sed hæc ferme omnia Pythagorico more ſubobſcuris metaphoris inuoluuntur: apertioribus autem uerbis Platonem auditoribus ſuis tradidiſſe putamus, & Ariſtotelem præ cæteris manifeſtius eadẽ literis cõmendaſſe. Horum itaq; omnium à libris Ariſtotelis de generatione atq; Meteoris interpretatio requiratur. Tractat inſuper de paſsionibus quæ ab elementis animalium ſenſibus inferuntur. De paſsionibus inquam, & occultis, & manifeſtis. De uoluptatis doloriſq; ſpeciebus. Quæ in Philebo, & noſtro de Voluptate libro perſpicue declarantur. Agit præterea de ſenſibus ipſis, eorumq; obiectis. Diſtinguit ſapores, odores & uoces atq; colores.

ITERVM DE HOMINE QVANTVM AD ANIMAM ſpectat & corpus. Cap. XLI

CONSIDERATIONE dignum eſt, quantũ nos admoneat Plato noſter, dandam eſſe operam, ut nos ipſos pro uiribus cognoſcamus, meminerimuſq; omnia infra lunã fuiſſe nobis à deo ſubiecta nequando ipſi contra dignitatẽ noſtram inferioribus nos uiciſsim ſubijciamus. In ipſo enim totius diſputationis exordio decretum eſt de uniuerſo tractari uſq; ad ipſam hominis genituram. Rurſus in medio diſputationis curſu dijs à patre præcipitur exornare hominẽ, dominum animaliũ, quem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam eſſe uelit atq; præeſſe. Deinde paucis interiectis reditur ad hominẽ. Demum prope finem reſumitur, quod primo fuerat inſtitutum, uidelicet de uniuerſo uſq; ad genituram hominis fuiſſe tractandum. Atque in cunctis

Moſaico

Mosaico more probatur hominẽ in diuino hoc opificio, & in primis proponi, & postremũ fieri quasi finẽ. Ergo nunc & omittens alia repetit diuinũ in homine generando mandatum, & in hoc absoluendo diuinorum obsequiũ ministrorum. neq; id quidem iniuria. Prædixerat enim solum in terris hominem iustitiã & superos esse culturũ: ut maxime rationi sit consentaneum, deos genituram hominis diligenter excoluisse. Sed his omissis, quæ sequũtur expediamus. Iterũ de anima irrationali tractatur non à deo proxime, sed per sequẽtes mobilesq; causas cõstituta, quæ rationali subiecta sit, cœlitus à deo dimissæ. Irrationalẽ uero animã Platonici non tam substãtiale aliquid, quàm accidẽtale quiddã esse putãt, quasi rationaliũ uestigium animarũ, in quo sensus quidẽ sint sed per diuersa corporis instrumenta diuisi atq; patibiles. Sensum autẽ in ipsa animæ rationalis substantia ponunt cõmunem, simplicẽ, impatibilem, qui nõ proprie accipiat illatas à corporibus passiones, quemadmodũ sensus alter, sed alterius sensus perciat, siue potius iudicet passiones. Proinde rationalis animæ substantiã indiuisam, & in se cõsistentem esse probãt, neq; capiti uelut sustentaculo, cõmendatam, sed quasi uel instrumento ipsius accõmodatam, uel cuidã in suo genere simili cõparatam. Irrationalem uero in membris quodãmodo residere: & partem quidem eius audaciæ & iracundiæ cõpotem cordi: partẽ uero concupiscentiæ deditam, iecori cõmendatam. Verum de hoc ipso iecore miram Pythagoricorũ notabis opinionẽ, uidelicet id membrũ ex certa soliditate & clara pariter lenitate sic esse contemperatum, ut speculi modo imagines rerũ accipiat facile admodũ atq; reddat. Profecto quemadmodũ imaginatio uehemẽs grauidæ mulieris in fœtu tenerrimo sæpe exprimit rei desideratæ notas: ita uehemẽs siue mẽtis notio, siue sensus imaginatio naturam iecoris speculare facillime format. In hoc ipso speculo dæmones superiq; futurorũ effingũt imagines, quoties pacato prorsus animo aliunde illic imagines non pinguntur. Itaq; futurorũ notæ speculo huic infusæ in mentem protinus imaginationẽq; resultant: sed illic sæpe imaginibus alijs adeo confunduntur, ut futura portendere nequeant. Quando uidelicet uel mens prudentiæ officijs occupata circa gubernanda distrahitur, uel imaginatio similibus negotijs occupatur. Vbi uero rationis imaginationisq; uacat prudens & cõtinuata & laborioſa discursio, sæpe imagines futurorũ à superis in speculũ nostrũ prosilientes, inde in iudiciũ manifeste resiliunt. Verum quid nam portendant discernere illius est officiũ, qui ab antecedẽtibus in consequẽtia prudẽter sagaciterq; discurrere consueuit. At uero discursio talis impedit uaticinium, ut merito alij sint qui præuident, alij qui præuisa interpretantur & explicant. Post hæc prosequitur materiã latissime à medicis explicatam de humoribus complexioni busq; & mirabili humani corporis artificio. Atqui elegantiã Platonis in hominis corpore describendo adeo admiratus est Bartholomeus Fõtius noster rhetor egregius, ut præclara oratione probauerit, neq; Lactantiũ, neq; Cornelium Celsum, neq; Ciceronẽ ipsum in re describenda ad mirã Platonis eloquentiã accedere potuisse. Inter hæc præceptũ religiosum cõsiderabimus, nõ esse diuinis ulterius affirmandũ, quàm diuinum confirmet oraculum. Item prouidentiã in homine cõponendo nullã omnino aliam habuisse rationem, nisi ut contemplationi foret aptissimus. Rursus res naturales in effectibus producendis nõ esse proprie causas, sed diuinæ prouidentiæ instrumẽta. Principalem nanq; causam singulorũ in ea intelligentia sitam esse, quæ boni rationem habẽs, singula futuræ cõmoditatis gratia fabricat. Definit deinceps quid sanitas corporis sit, quid morbus. Distinguit quoq; morborũ, tum aliorum, tum febriũ species, singulorũq; rationes assignat. Quales esse potissimũ rationes quas apud Galenũ Platonicum legi, iamdiu existimaui, ac nuper à Georgio Cyprio insigni medico sum in sententia confirmatus. Hic enim his diebus cũ ad me curandæ matris meæ gratia frequẽter accederet, meq; reperiret hæc ipsa legentẽ, miro quodã ordine Galeni mentẽ cũ Platonica mente coniunxit. Post hæc autem perfectam hominis ualetudinẽ definit cõmunem corporis animiq; concordiã. Quam tunc demũ possideri putat, quãdo tã corpus quàm anima in seipsis disponuntur bene, deinde simul optime cõponuntur. Optime inquam, id est, æquali quadã mensura, ut neq; robur animi nimis excedat modũ corporis, neq; robur corporis superet animi modũ. Sed antequàm perfectam hãc definiat sanitatẽ, animi morbũ distinguit in duos, scilicet ignorantiam & insaniam, Insaniam uero duplicem esse ait. Vnã quidem occultam, quæ in continua pronaq; ad insaniam affectione consistit, puta habitum quendam ad perturbationẽ aliquam propensissimum. Alteram uero manifestam, scilicet quam uel aliqua perturbatio supra modum adaucta detegit, ut in gradu summo cupiditatis & uoluptatis, timorisq;, & doloris, & iræ: uel uapores humorum inclusi membris inducunt, ut atra bilis ex sanguinis, uel bilis, uel salsæ pituitæ aduſtione proueniens. Interea ubi ait, neminem sponte esse malum, sed propter naturam consuetudinemq; deprauatam, intellige naturalem procliuitatem non mediocriter per oppositam consuetudinem cohiberi ab initio potuisse: sed procliuitatem illam diuturna consuetudine confirmatã extirpari quidẽ omnino non posse, exacta nihilominus doctrina exhortationibusq; amputari. Docet post hæc colere corpus simul & animũ, perpetuo quodã exercitationis motu. Exercitationis inquam moderatæ, motu inquam proprio, & ad bonũ proprium rite directo: quo utrunq; exercitatum atq; nutritum tantum uirium consequatur, ut alteri non succumbat. Optat quidẽ Plato corpus animo cedere, sed non ita succumbere, ut motus animi sustinere non possit. Optat corpus ualidum atq; firmũ, sed sub animo longe ualidiore. Mox quantũ exercitationẽ laudet, attende: quantum temerarium pharmacorũ uituperet usum. Proinde quemadmodum tam corpus quàm animam proprijs exercere & confirmare motibus iusserat, sic tres animæ uires, id est rationalẽ, animosam, cupidam,

ſuis quamlibet motibus præcipit conſeruare: Verũtamen rationalẽ alimentis frequentioribus enutrire, ne cæteris ſuccũbere cõpellatur. Ait intellectum homini pro dæmone datum, ſcilicet intimo. Alterum enim dæmonẽ habet externum. Item rectũ corporis habitum quaſi cœleſti tributum. Rurſus eum qui uires irrationales ſupra modum nutrit, mortalem euadere: quaſi doceat quomodo accipiendum ſit, ubi ait hominem fieri brutum, id eſt bruto perſimilem. Addit eum qui præcipue alit mẽtem, ſic immortalem fieri, ut immortalitatis nulla pars deſit. Imperfecta enim immortalitas eſt, quæ motũ agit perpetuum: perfecta uero, quæ manet: qualis utiq; eſt in eo qui ſola iam intelligentia uiuit, euaditq; ex homine dæmon. Ex quo intelligitur etiam, quando ait hominẽ effici brutũ, id nõ proprie, ſed quadã ſimilitudine dici. Præterea ex eo quod ſubdit, fœminas ortas ex maſculis, ſi placet, obſcure nobis refert Moſaicum illud: Euam ex uiro fuiſſe productam. At uero gradus brutorum omnes paulatim ex grauiori rationalis animæ lapſu multiplicari, intellige animã noſtram ob quandam liberi motus infinitatem, poſſe & intra ſe in brutorũ omnium affectus habitusq; proruere, & extra ſe ſupplicij loco inter ſimilia bruta, uel brutorũ loca diuino quodã transferri iudicio. Item omnes inferiorũ uiuentiũ dotes in hominis anima tanquàm perfectiſſima cõtineri: atq; brutorũ animas in ipſo rerum generationisq; ordine ad noſtrã referri, quaſi finem. Si hunc in modum progreſſionem animæ rationalis in alias, atq; uiciſsim in hãc aliarũ regreſſionem acceperis forſan à Platonico ſenſu non aberrabis. Ipſe enim hic ſub perſona Pythagorica loquens, fabulam opportune confingit Pythagoricarũ ſimilem fabularũ. Atq; ne hæc quaſi ſub hiſtorica ueritate forſan admitteremus, nõ aliter quàm poetæ ſoleant animaliũ trãsformationes adducit. Atqui Timæus Locrus in libro de Mũdo fabuloſa hæc eſſe fatetur. Hæc igitur ſic accipito: Timæiq; librũ eo fine concludito, qui doceat nos, Deum ante omnia colere, qui bona omnia ſola benignitate prouidẽtiæ procreauit. Decreueram magnanime Laurenti breuiora hic quemadmodũ argumentũ decere uidebatur, afferre, multaq; amplioribus cõmentarijs, quæ in Timæũ iam deſignauimus, reſeruare: Sed Philippus Valor Platonicorũ ſtudioſiſsimus, penes quem uniuerſo Platonico operi in agro Maiano extremã manum impoſui, plura me hic coegit effundere. Philippus Valor Valoriæ uirtutis generoſiſsimus hæres. Cui ego plurimum debere me fateor, tum quia Platonica egregiaq; omnia magnopere colit, tum quia ſingulari amore erga te tuosq; omnes afficitur.

TIMAEVS PLATONIS

SOCRATES. TIMAEVS. CRITIAS. HERMOCRATES.

VNVS, duo, tres. Quartus autem ô amice Timæe eorum qui à me heri conuiuio accepti, uiciſſim me accipiunt nunc, ubinam eſt? TIM. Aduerſa aliqua ualetudine laborat ô Socrates. Non enim ſponte ab hoc cœtu & diſputatione abſtinuiſſet. SOC. Ergo tuum ô Timæe, & horum erit officium, quarti illius abſentis partes implere. TIM. Ita prorſus. Sane nihil quoad fieri poterit, prætermittemus. Nam cum laute abs te heri accepti fuerimus, haud æquum ſit, ſi non pari alacritate qui hic ſumus uiciſſim accipiamus. SOC. Non recordamini quæ uobis & quàm multa tractanda propoſui? TI. Partim quidem recordamur, partim uero tu, ſi exciderint, ſuggeres. Imò uero niſi moleſtum ſit breuiter illa ab exordio repete, quo magis ea nobis conſtent. SOC. Faciam equidem. Summa diſputationis heſternæ erat, Reſp. qualis mihi, & ex qualibus uiris optima poſſe fieri uideretur. TIM. Nobis certe omnibus ualde probata ſunt ô Socrates quæ dixiſti. SOC. Principio agricolas cæteroſq; artifices à militibus ſeparauimus. TIM. Certe. SO. Cum uero cuiq; quod pro naturæ inſtinctu præcipue ſuum eſt, & ſingula tantum ſingulis artibus officia tribueremus, illis quoq; quos præ cæteris bella gerere oporteret, id unum duntaxat, protegendæ ſcilicet ciuitatis munus iniunximus, et aduerſus externos hoſtes, & aduerſus ciues reip. euerſores: ita ut erga ſubiectos tanquam natura amicos mites ſint, contra hoſtes uero prælio ferociſſimi. TIM. Ita prorſus. SOC. Duplicem ſanè naturã in cuſtodum animis eſſe debere diximus, & iracundam, & philoſophico ingenio præcipue accommodatam, ut recte in ſuos manſueti ſint, in alienos autem feroces. TIM. Proculdubio. SO. Quid autem de educatione dicemus? Nónne gymnicis exercitationibus, & muſica, cæteriſq; decentibus diſciplinis, eos à nobis inſtitutos fuiſſe? TIM. Valde quidem. SOC. Ita educatos homines neq; aurum, neq; argentum, neq; aliud quicquam proprium, aut habere, aut putare ſtatuimus, ſed tanquàm adiutores publicoſq; miniſtros ſola mercede contentos eſſe, tanta ab his quos tuentur exhibita, quãta moderate uiuẽtibus ſufficere uideatur. Stipendio præterea publico in cõmune uti uoluimus, et ad cõmunem inter ſe uictũ impendere, ut cæteris poſthabitis omnibus ſolius uirtutis & cuſtodiæ curã habeant

habeant. TIM. Hæc quoq; ita abs te dicta fuerunt. SOC. Naturã præterea mulierum non aliter q̃ uirorum effingi præcipimus, studiaq; omnia tam belli q̃ pacis mulieribus cum uiris esse communia. TIM. Id quoq; dictum. SOC. An tenetis memoria quæ de procreandis liberis diximus? Fortè uero ob rei ipsius nouitatẽ firmiter tenuistis. Cõmunes quippe nuptias liberosq; statuimus, ut nemo natos suos discernat, sed omnes ab omnibus cõsanguinei existimentur, dum æquales fermè natu fratres sororesq; uicissim se iudicant, maioribus uero patrum uel auorum reuerentiam exhibent, erga minores aũt tanquam filios & nepotes afficiuntur. TIM. Hæc quoq; memoratu facilia sunt. SOC. Vt aũt quàm optimi ab ipso initio pro uiribus gignerentur, magistratus utriusq; sexus nuptijs præposuimus, qui clam sortibus quibusdam operam darent, ut prauis prauis, bonis contra bonis mulieribus miscerentur, neq; ulla ob hoc discordia oriretur, cum in congressu minus prospero quisq; fortunam potius sit quàm consilium principum culpaturus. TIM. Recordamur. SOC. Præterea sanximus bonorũ fœtus in patria alendos esse, aliorum uero alios alió clam mittendos. Adultos demum utrosq; diligenter considerandos: ut si qui inter relegatos bonæ indolis sint, in patriã reuocentur: si qui uero inter domesticos cõtrà uideantur affecti, similiter relegentur. TIM. Ita statutũ est. SOC. Num satis iam hesternã disputationem quantum cõpendio licet, narrauimus? an aliquid etiã à me prætermissum ô amice Timæe recenseri desideras? TIM. Nihil sane. hæc enim fermè sunt quæ tractabas. SO. Audite deinceps quo pacto erga hanc quã descripsimus remp. sim affectus. Cõparatione plane uobis aperiam. Quemadmodũ si quis animalia eximiæ pulchritudinis intuitus seu picta, seu uiua quidem, sed torpentia, motus gestusq; uiuentiũ & certamẽ aliquod eorum spectare desideret: sic ego nunc libenter aliquem narrantem audirem, quo pacto suprà descripta ciuitas cum finitimis ciuitatibus decertaret, quid'ue tanta eius educatione disciplinaq; dignum, uel bello uel pace, tam dicẽdo q̃ agendo erga ciuitates singulas demonstraret. Equidem ô Critia & Hermocrates mihi conscius sum non posse me eam urbem uirosq; pro dignitate laudare. Me quidem non posse nihil mirum, sed de ueteribus quoq; & huius seculi poetis idem existimo: non quo poeticum genus contemnam, sed quòd euidens unicuiq; sit, imitationis studiosos ea facile & optime imitari, in quibus fuerint educati: aliena uero longeq; ab eorum educatione remota, operibus quidem difficile, uerbis etiam difficilius posse prout conuenit æmulari. Sophistas utiq; & dicendi & aliarum ferme præclarissimarum artium peritos esse arbitror: sed quia multas quotidie ciuitates pererrant, nec proprias sedes ullas habent, uereor ne coniectura quidem assequi nequeant, q̃ multa & qualia uiri philosophi atq; ciuiles, tam bello quàm pace erga singulos uerbis & operibus agant. Sola igitur uestra professio superest, tum natura, tum disciplina philosophiæ, & rerum gerendarum studio pollens. Timæus quidem hic ex Locris, quæ urbs in Italia iustissime gubernatur, nobilitate & opibus præstantissimus, summis magistratibus & honoribus functus est, & ad summa totius philosophiæ fastigia, ut opinor, ascendit. Critiam quoq; scimus hæc utraq; cõsecutum. Hermocratis etiam naturam educationemq; his omnibus quæ diximus tractandis esse accommodatam, cum multis testimonijs moneamur, dubitare non licet. Quapropter rogantibus uobis heri de republica disputari, libentissime parui, cum cogitarem, quod deinde instituto operi superforet, à nemine commodius quàm à uobis modo uelitis, posse tractari. Cum enim ciuitatem ad bellum idoneam constitueritis, soli omnium uos quę eam decent, uicissim omnia tribuetis. Cum uero in superioribus quæ mihi iniuncta fuerant perfecissem, quæ modo retuli uobis tractanda commisi: uos autem communi consensu imperatum munus mutuo mihi parandi nunc sermonum conuiuij recepistis. Ego igitur adsum ad promissas epulas paratissimus. HER. Nos quoq; omnes ô Socrates ut pollicitus est modo Timæus, quod iubes pro uiribus exequemur, præsertim cum nulla excusandi sit ratio, quo minus id facere debeamus. Nam præterito die cum disputatione peracta mox ad hospitium quo apud Critiam suscepti sumus, rediremus, & inter eundum primo, & domi rursus de his rebus uerba fecimus. Hic igitur nobis ueterem narrauit historiam, quã uelim ô Critia Socrati modo recenseas, ut cum audiuerit, iudicet nunquid ad eam rem quam nos exequi iussit, conducere uideatur. CRI. Faciundum est, si ita Timæo quoq; uidetur, tertio disputationis huius participi. TIM. Videtur sane. CRI. Audi Socrates miram quidem, sed ple-

nam ueritatis hiſtoriam, quam Solo ſeptem ſapientum ſapientiſſimus recenſebat. Erat enim domeſticus admodum amicusq; Dropidis proaui noſtri, quod in carminibus ſuis ipſemet ſæpe teſtatur. Auo autẽ noſtro Critiæ, ut ipſe nobis ſenex poſtea referebat, quan doq; narrauit res geſtas huius urbis memorabiles, diuturnitate temporis hominumq; in teritu obliteratas. Vnum uero præ cæteris facinus inſigne recenſuit, quod uobis nunc narrandum cenſeo, ut & tibi morem geramus, & deam cui hodierna pompa dicata eſt, hac narratione quaſi quodam hymnorum cantu, ut par eſt, honoremus. SOÇ. Recte loqueris. ſed quid iſtud tandem eſt, quod Critias non quaſi uerbis deſcriptum, ſed quaſi ab hac ciuitate quondam geſtum ex Solonis narratione uobis aperuit? CRIT. Referam priſcam mihi puero traditam ab auo hiſtoriam. Cum ageret Critias annos, ut ipſe dicebat, circiter nonaginta, ego uero decem, celebraretur q; ſolennis ille dies, in quo ad canendum carmina pueri conuocari ſolent, congregati ſumus & nos unà cum proximis notisq; pueris, nobisq; à parentibus carminum canendorum certamen eſt iniunctum. Vbi multorum poetarum carmina non pauca memoriter pronunciata ſunt, & Solonis uerſus à plurimis puerorum utpote nouitatem poematis admirantibus decantati. tum contribulis quidam, ſeu quod ita iudicaret, ſiue quod Critiæ blãdiri uellet, uideri ſibi inquit, cum in cæteris ſapientiſſimum fuiſſe Solonem, tum in carminibus poetarum omnium generoſiſſimum. His uerbis, ut recte memini, ualde lætatus eſt ſenex. atq; ita ridens, inquit: Si Solo ô Amynander non tantum relaxandi animi gratia, ſed dedita opera ſerioq; ſicut alij poeſim eſſet ſecutus, uel hiſtoriam quam ab Aegypto reuerſus inſtituerat abſoluiſſet, a qua quidem ſeditionibus cæterisq; ciuitatis fluctibus deturbatus medio in curſu deſtitit, nec Homero nec Heſiodo, nec alio quoquam poetarum, ut opinor, inferior extitiſſet. Ad hæc ille: Qua de re ô Critia tractare Solo inſtituit? De maximis, inquit, rebus ab hac ciuitate quondam geſtis, quarum memoria apud nos temporis diuturnitate & interitu hominum extincta eſt. Dic quæſo, inquit, ô Critia, quid illud opus, & quomodo actum, & à quibus habitum tãquam uerum Solo narrabat. Eſt inquit, Aegypti regio Delta, cuius è uertice ſcinduntur fluenta Nili. Eius campi, Saitica præfectura nominantur. In quibus maxima ciuitas eſt, quam Saim uocant. unde Amaſis fuit rex. Vrbis eius fundatrix dea fuit, quam Aegyptij Neithen, Græci Athenan nominant. Ipſi porro homines Athenienſium amici ſunt, eisq; genere quodam coniunctos eſſe ſe prædicant. Quo Solo profectum ſe honorifice acceptum fuiſſe referebat. Et cũ de uetuſtatis memoria ab illis ſacerdotibus qui in hac re cæterorum peritiſſimi erant, quæſiſſet, expertum ſe eſſe dicebat, neq; ſeipſum neq; alium Græcorum quemquam cognitionem antiquitatis ullam habere. quandoq; uero coram ſacerdotibus, ut eos ad ſua narranda prouocaret, de antiquiſſimis illis Athenarum geſtis rebus uerba feciſſe, Phoroneo primo & Niobe, poſtq; inundationem mundi de Pyrrha & Deucalione, eorumq; poſteritate, & de temporibus quibus ſingula contigerunt. Tunc ex ſacerdotibus quendam grandem natu dixiſſe: O Solo Solo, Græci pueri ſemper eſtis, nec quiſquam è Græcia ſenex. Cur iſtud diceret percontante Solone, reſpondiſſe ſacerdotem: Quia iuuenis ſemper uobis eſt animus, in quo nulla eſt ex uetuſtatis commemoratione, priſca opinio, nulla cana ſcientia. Quod ideo uobis contingit, quia multa & uaria hominum exitia fuerunt, eruntq;. Maxima quidem aut ignis conflagratione, aut aquæ inundationibus prouenire neceſſe eſt: minora uero alijs quibuslibet calamitatibus fieri. Nam quod apud uos fertur, Phaethontẽ quondam Solis filium currus aſcendiſſe paternos, nec patris aurigatione ſeruata, exuſiſſe terrena, ipſumq; flammis cœleſtibus conflagraſſe, quamuis fabuloſum uideatur, uerũ quodammodo eſſe putandum eſt. Fit enim longo temporũ interuallo cœleſtis circuitus permutatio quædam quam inflammationis ualtitas neceſſario ſequitur. Tunc hi qui edita et arida incolunt loca, magis pereunt, quàm mari fluuijsq; uicini. Nobis porrò Nilus cum in pleriſq; rebus ſalutaris eſt, tum huiuſmodi à nobis arcet exitiũ. Quando uero dij aquarum colluuione terræ ſordes diluunt, paſtores ouium, atq; bubulci qui iuga montium habitant, periculum illud euadunt, ueſtræ autẽ ciuitates in planitie ſitæ impetu fluminũ ad maria rapiuntur. Sed in hac noſtra regione neq; tunc, neq; aliâs unquã aqua in agros ſuperne deſcendit, contrà uero ſurſum è terræ uiſceribus ſcaturit. Quamobrẽ antiquiſſimarum rerũ apud nos monimenta ſeruantur. Proinde ubicunq; nec imbriũ tẽpeſtas nimia,

nec

nec incendium ingens contingit,licet aliàs pauciores,aliàs plures, ſemper tamen homines ſunt. Quæcunq; uero à noſtris, ſiue à ueſtris,ſiue alijs nationibus geſta ſunt memoratu digna,modo ad aures noſtrorum peruenerint, noſtris in templis deſcripta ſeruantur. Apud uos quidem,& alias gentes res geſtæ nuper,literis monimentisq; tradunt̃,ſed certis temporum curriculis illuuies immiſſa cœlitus omnia populat̃.Ideo qui ſuccedunt & literis & muſis orbati ſunt.Quo fit ut quaſi iuuenes iterum ſitis & rudes, præteritarum rerum omnium prorſus ignari.Nam & ea ipſa quæ modo ex ueſtris hiſtorijs recenſebas, à fabulis puerilibus ô Solo parum diſtant.Primo quod unius tantum inundationis memineritis,cum multæ præceſſerint.Deinde quòd genus maiorum ueſtrorum in regione ueſtra clariſſimum & optimum ignoretis,ex quo tu & Atheniẽſes cæteri nati eſtis, exiguo ſemine quondam publicæ cladi ſuperſtite.quod propterea uos latuit,quia ſuperſtites illi eorumq; poſteri literarum uſu multis ſeculis caruerunt.Fuit enim ante exitialẽ illam terræ illuuionem,ô Solo, Athenienſium ciuitas tam belli quàm pacis officijs præſtãtiſſima, eiusq; opera legesq; omnibus quorum memoria ad nos peruenit,excelluerunt. Tunc admiratum Solonem obnixe ſacerdotes obſecrauiſſe ait,ut omnia diligenter priſcorum ciuium opera reuelarent. Atq; illi ſic à ſacerdote quodam fuiſſe reſponſum: Nulla hoc inuidia prohibet Solo. Dicam equidem libenter tui & ciuitatis ueſtræ gratia. Maxime uero gratia deę,quæ & ueſtram illam,& hanc noſtram condidit,educauit,inſtituit,priorem ueſtram annis mille,ex terra & Vulcano accipiens ſemina.poſterius autem huius noſtrę urbis res octo annorum milibus geſtæ in ſacris literis continentur. Illorum ergo ciuium qui in hoc nouem milium annorum tempore ante nos fuerunt,inſtituta & præclara facinora,breuiter Solo in præſentia tibi perſtringam.Deinceps uero cum plus dabit̃ ocij, accepto hiſtoriarum libro,latius exponemus.Ac primum leges illorum cõſidera, quo pacto cum his noſtris conueniant.Multa enim hic ſimilia illis reperies. Principio quòd ſacerdotes ſeparati ab omni turba uitam agunt: deinde uaria opificum genera ita inter ſe diſcreta ſunt,ut ſuum quiſque agat,promiſcue uero nullus.Similiter paſtorum,uenatorum, agricolarum inter ſe diſtincta ſunt opera.Milites quoque hic,ut noſti,ab alijs omnibus ſegregati,bellica duntaxat tractare legibus iubentur.Armatura etiam ut clypeorum iaculorumq; uſus,apud utroſque perſimilis.His primi nos in Aſia uſi ſumus, & dea ut illis in locis,ſic uobis primis hæc tradidit.Prudentiæ quoque & modeſtiæ magna, ſicut uides, noſtris legibus ab initio cura fuit,diuinationis inſuper & medicinæ, & ſanitas nobis per hæc diuinitus procurata.Demum quæcunque ad hæc attinent diſciplinæ, diligenter inſtitutę à lege reperiuntur.Huiuſmodi inſtitutione & ordine priorem ueſtram urbem dea à primordijs exornauit,cum in urbe condenda eam regionem elegiſſet,quę ob aeris temperiem prudentiſſima ingenia procrearet. Vtpote enim bellicoſa & ſapiens dea regionem eligendam cenſuit talem,quæ eſſet ſui ſimiles homines editura. His itaque legibus, uel etiam honeſtioribus inſtitutionibus formati ueteres Athenienſes omni uirtutum genere præ cæteris omnibus excelluerunt,ut decebat eos qui dijs geniti editiq; eſſent.Multa quidem & mirabilia ueſtræ ciuitatis opera in monimentis noſtris leguntur, ſed unum magnitudine & uirtute præcipuum facinus. Traditur enim ueſtra ciuitas reſtitiſſe olim innumeris hoſtium copijs,quæ ex Atlantico mari profectæ, propè iam cunctam Europam Aſiamq; obſederant.Tunc enim erat fretum illud nauigabile,habens in ore & quaſi ueſtibulo eius inſulam,quas Herculis Columnas cognominatis:ferturq; inſula illa Libya ſimul & Aſia maior fuiſſe,per quam ad alias proximas inſulas patebat aditus, atque ex inſulis ad omnem continentem è conſpectu iacentem uero mari uicinam. Sed intra os ipſum portus anguſto ſinu fuiſſe traditur. Pelagus illud uerum mare, terra quoque illa uere erat continens. In hac Atlantide inſula maxima & admirabilis potentia extitit regum, qui toti inſulæ, multis' que alijs, & maximæ terræ continentis parti, præterea & his quæ penes nos ſunt,dominabantur. Siquidem tertiæ mundi parti quæ Libya dicitur,uſque ad Ægyptum imperauerunt,Europæ uero uſque ad Tyrrhenum mare. Horum uis omnis unà collecta noſtram ô Solo ueſtramq; regionem, & quicquid intra Columnas Herculis continebatur,inuaſit.Tunc ueſtræ ciuitatis uirtus in omnes gentes enituit. Quæ quum omnes magnanimitate bellicisq; artibus antecelleret, partim unà alijs Græcis, partim ſola cæteris deſerentibus, extrema diſcrimina ſubijt, hoſtesq; expugnauit

De ueteribꝫ Atheniẽſibꝫ. & Aegyptiacis hiſtorijs

uit,amicis ſeruata uel reddita libertate.Poſt hæc ingenti terræmotu, iugiq; diei unius & noctis illuuione factum eſt, ut terra dehiſcens ueſtros illos unà omnes bellicoſos homines abſorberet,& Atlantis inſula ſub uaſto gurgite mergereť. Quam ob cauſam innauigabile pelagus illud propter abſorptæ inſulæ limum relictum fuit.Hæc ô Socrates eorũ quæ Critias maior à Solone accepta narrabat,ſumma eſt.Sed dum præterito die de republica ciuibusq; ſuis diſſereres, ſubijt mihi quædam ex recordatione admiratio,cogitanti uidelicet diuina quadam ſorte factum eſſe,ut ſimillima quædam haud ab re Solonis hiſtoriæ traderes.Ob eam uero cauſam nihil tunc protuli, quoniam ex diuturna negligentia non ſatis reminiſcebar.Satius igitur ipſe cenſui, ut prius quàm referre uobis inciperem, mecum ipſe repeterem.Ideo uero ſtatim imperio tuo conſenſi,quia confidebam ut in rebus huiuſmodi maxime decet,aliquid me quod propoſitæ rei congrueret reperturũ. Ita heri,ut iſte ait,poſt diſceſſum protinus his,prout tunc recordabar, recenſui, à nocturnis deinde uigilijs penè omnia recuperaui.Profecto quæ in pueritia diſcimus,diutius firmiusq;,ut fertur,meminiſſe ſolemus.Atq; haud ſcio,an quę heri audiui,referre nunc omnia memoria poſſim:quæ uero puer accepi,mirabor equidem ſi quid eorum memoria mihi exciderit.Ea quippe cum uoluptate & ioco audiebam,cum & ſenex ille libenter me doceret,& ego ab illo ſedulo ſciſcitarer. Quapropter quaſi quædam literarum inuſtæ indelebiliter notæ,ea mihi omnia infixa memoriæ permanſerunt. Atq; his etiam ante ſolis ortum ipſa narraui,ut unà mecum eſſent ad hanc orationem paratiores. uerum ut ad id quò hæc omnia ſpectant,me conferam,paratus ſum ô Socrates,non modo ſummatim ſed ſigillatim ſicut audiui omnia enarrare. Ciuitatem utiq; & ciues quos quaſi per fabulam heſterna diſputatione finxiſti,rem ueram eſſe ponemus. Ciuitatem quidem illam, Athenienſem hanc urbem eſſe. Ciues quoque quos ipſe excogitabas,noſtros illos maiores à ſacerdote narratos fuiſſe cenſebimus. Nempe omnino hæc congruent, neque ab re fuerit, ſi ciues tuos reuera priſcos illos extitiſſe dixerimus.Quare communiter rem ipſam inter nos partientes conabimur omnes muneri abs te nobis impoſito pro uiribus ſatisfacere. Sed uide ô Socrates nunquid ſermonem hunc probemus,an alium exigamus. SOCR. At enim quem ô Critia ſermonem magis quàm iſtum probabimus? qui præſentibus deę ſacris propter propinquitatem quandam mirifice congruit. Maximum uero illud eſt, non fictam à nobis fabulam, ſed ueram hiſtoriam recenſeri. Quonam igitur pacto & unde,hac ſpreta, diſputationem aliam exordiamur? Certe non licet. Ideo bonis fortunæ auſpicijs oportet iam tam uos diſſerere, quàm me pro heſterna narratione, hodie ſilentio uos audire. CRIT. Conſidera Socrates,an commode mutuum tibi conuiuium diſpoſuerimus. Viſum nobis eſt, ut Timæus tanquam in aſtronomia noſtrorum omnium peritiſſimus, maximeq; que in rerum natura cognoſcenda uerſatus, primus ediſſerat, ita ut à mundi generatione exordiens uſque ad generis humani naturam deueniat. Atque ego deinde ſuſcipiens homines à Timæo quidem genitos, à Critia uero ut plurimum inſtitutos, ſecundum Solonis ſermonem legemq; in iudicium ueſtrum adducam, ciuitatisq; iſtius ciues efficiam eos qui priſci illi Athenienſes fuerunt, quos iam extinctos ſacræ Ægyptiorum literæ in lucem è tenebris eruerunt,adeo ut de illis deinceps tanquam de ueteribus Athenienſibus uerba fiant. SOCRAT. Copioſam & ſplendidam diſputationis menſam apparauiſſe mihi uideris. Tua ergo intereſt ô Timæe, inuocatis ſecundum legem diſs, diſputationem iam exordiri. TIM. Probe conſulis Socrates. Nam cum omnes qui mentis quoquo modo compotes ſunt, in operis cuiuslibet uel magni uel parui principio inuocare deum ſoleant, quanto nos æquius eſt de uniuerſo ſiue genitum ſit ſiue ingenitum diſputaturos,niſi forte deſipimus, inuocare diuinam opem? Ergo deos omnes deasq; precamur,in primis quidem ut ea dicantur à nobis,quę illis placeãt:deinde ut nobis ipſi conſtemus.Quantum ad deos attinet,ſic à nobis oratũ ſit. Sed quod ad nos ſpectat, poſcendum eſt,ut & uos facile aſſequamini, & ego ſecundum mentis propoſitum rem ipſam qua de agitur tranſigam. Principio ita mihi diſtinguendũ eſſe uidetur,quid ſit quod ſemper eſt carens generatione:quid uero quod gignitur quidem, neq; eſt unquam.Illud intellectu per rationis indaginem percipi poteſt,quum ſemper ſit idem. Hoc opinione per irrationalem ſenſum attingi, quum gignatur, & intereat, neq; uere unquam ſit.Quicquid aũt gignitur,ex aliqua natura neceſſario gignitur. Sine cauſa

uero

uero oriri quicquam impossibile est. Quando igitur opifex in operis alicuius cõstructione ad id quod eodem modo se habet semper aspicit, et huiusmodi quodam usus exemplo ideam uimq; in opus educit, pulchrum fieri tunc opus omne necessariũ est: quando uero ad id quod factum est respicit, minime pulchrum. Vniuersum igitur hoc, Cœlum, siue Mundum, siue quo alio uocabulo gaudet, cognominemus. De quo primum considerandum est, quod in quæstione de uniuerso ante omnia inuestigari debet: Vtrum ne semper fuerit sine ullo generationis principio, an genitum sit ab aliquo principio sumẽs exordium. Id profecto cernitur, tangiturq;, & corpus habet. Omnia uero huiusmodi sensus mouẽt. quæ sensus mouent, opinione per sensum percipiuntur. Hæc uero talia esse constat, ut gignantur & genita sint. quicquid autem gignitur, ab aliqua causa necessario gigni asseruimus. Opificem quidem & patrem mundi inuenire difficile, & cum iam inueneris prædicare, eloqui uulgo impossibile est. Rursus considerandum est utrum mundi faber sit imitatus exemplar: id ne quod idem semper & simile est, an id quod genitum fuerit. Atqui si pulcher est hic mundus, & opifex mundi bonus, sempiternum certe exemplum maluit imitari. Sin secus, quod ne dictu quidem fas est, generatum exemplar est pro æterno secutus. Cum uero & mundus omnium genitorum pulcherrimus sit, & eius autor causarum omnium optimus, dubium non est quin sempiternum sit secutus exemplum. Sic igitur generatus, ad id est effectus, quod ratione & sapientia sola cõprehendi potest, & immutabile permanet. Ex quo efficitur, ut necesse sit hunc mundum alicuius simulacrum esse. Rationem uero originis naturaliter explicare difficillimum est. Ideo de simulacro & exemplo sic distinguamus. Rationes utique cum his rebus quas exprimunt, cognationem quandam habere uidentur. Ergo cum de re firma & stabili & mente comprehendenda differitur, stabiles similiter immutabilesq; & quàm maxime fieri potest inexpugnabiles rationes esse oportet. Cum uero de ipsius rei firmæ stabilisq; simulacro disputatur, uerisimiles rationes sufficiunt, quæ ita se ad superiores habeãt rationes, ut simulacrum ad exemplum. Nempe quod est ad generationem essentia, id ad fidem est ueritas. Cum ergo ô Socrates, multa de dijs mundiq; generatione à multis dicta sint, ne mireris obsecro, si rationes de ijs probatissimas exactissimasq; afferre non possim. Satis enim factum putare debebis, si non minus probabiles quàm quiuis alius rationes attulerim. Æquum est meminisse, & me qui dixerim, & uos qui iudicabitis, homines esse: ut si probabilia dicẽtur, nihil ulterius requiratis. SOCR. Scite loqueris ô Timæe. quare nos ut iubes agendum putamus. Exordium quidem hoc orationis mirifice approbauimus. Sed age deinceps disputationem perage. TIM. Dicamus igitur quam ob causam ille rerum autor generationem & hoc uniuersum constituit. Bonus erat. Bonus autem nulla unquam aliqua de re inuidia tangitur. Ergo cum liuor ab eo alienissimus esset, omnia sibi quantum fieri poterant, simillima fieri uoluit. Si quis hanc gignendi mundi causam præcipuam à prudentibus uiris acceperit, rectissime profecto accipiet. Itaque cum uellet deus bona omnia fore, nihil uero quod natura pateretur malum, quicquid erat quod in cernendi sensum cadere posset, assumpsit, non tranquillum & quietum, sed temere agitatum & fluitans, idq; ex inordinata iactatione redegit in ordinem. Hoc enim iudicabat esse præstantius. Fas autem neque erat, neque est, quicquam nisi pulcherrimum facere eum, qui est optimus. Cum igitur excogitasset, inuenit nihil eorum, quæ secundum naturam aspectui subiecta sunt, si expers intelligentiæ sit, intelligente alio, totum toto pulchrius unquam fore, intellectum uero alicui sine anima dari non posse: hac ratione mentem quidem animæ, animam uero corpori dedit, totumq; ita mundum constituit, ut pulcherrimum natura opus optimumq; foret. Quocirca sicut ratio nobis hæc probabilis persuadet, dicendum est, hunc mundum animal esse, idq; intelligens, reuera diuina prouidentia constitutum. Hoc posito, quod sequitur uideamus, ad cuius animalis similitudinem deus mundum constituit. Vni cuidam propriæq; animaliũ speciei similem fecisse, ne arbitremur. Nam si imperfecto animali similis esset factus, pulcher certe non esset. Imò uero illius animalis eum simillimum esse dicamus, cuius animalia cætera & singulatim & generatim partes sunt. Illud siquidem uiuentia omnia, quæ sola mente percipiunt, in seipso complectitur, quemadmodum mundus hic nos & cætera quæ cernuntur animalia continet. Volens itaq; deus omniũ quæ intelligi possunt pulcherrimo & undiq; absoluto mundum

De ui ratiõnum

Ordinẽ inordinato præstare

Definitiõ mundi

De causa exemplari

De unitate mundi intelligibilis

Vnus anplures mundi

dum hunc ſimillimũ reddere, animal unũ ipſum effecit, aſpectui ſubiectum, animalia cuncta naturæ ſuæ cõuenientia intra ſuum limitẽ continens. Proinde rectè ne mundũ unum diximus? an rectius plures innumerabiles'ue dici oportuit? Vnum profecto, ſi modo ad unius ſimilitudinem ſit formatus. Quod enim uiuentia omnia quæcunq; intelligunt̃ continet, ſocium alterum habere nõ poteſt. Alioquin aliud animal, quod hæc duo cõtineat, eſſe oporteret, cuius duo hæc partes ſint, nec illorum, ſed tertij huius, mundus hic ſimulachrum rectius diceret̃. Vt igitur hic mũdus eſſet animali abſoluto ſimillimus, ex eo quod

Vbi terra & ignis

ſolus atq; unus eſſet, idcirco neq; duo, neq; innumerabiles procreati ſunt, ſed unus mundus unigenitusq; factus eſt & erit. Quoniam uero corporeus ſpectabilisq; & tractabilis erat futurus, ac ſine igne uideri nihil poteſt, nihilq; ſine ſolido tangi, & ſolidum abſq; terra nihil, ideo in operis huius exordio deus ignem primo terramq; creauit. Sed duo ſola abſq; tertio quodam cõmode cohærere nõ poſſunt, mediumq; aliquod uinculũ utrorũq; deſiderant. Vinculorũ uero id eſt aptiſſimum atq; pulcherrimũ, quod ex ſe & ex ijs quæ aſtringit, q̃ maxime unum efficit. Hoc maxime proportio ratioq; alternæ cõparationis aſſequitur. Quando enim in tribus numeris aut molibus aut uiribus medium ita ſe habet ad poſtremum, ut primum ad medium, uiciſſimq; ut poſtremum cum medio, ita medium cum primo congruit, tunc quod medium eſt, & primũ fit & poſtremum, poſtremũ quoq; & primum media fiunt. Ita neceſſitas cogit, ut omnia quæ ſic deuincta fuerint, eadem inter ſe ſint. Eadem uero cum facta ſint, efficitur ut omnia ſint unum. Quod ſi uniuerſi corpus latitudinem habere debuiſſet, nullam uero profunditatem, unum ſanè tum ad ſeipſum, tum ad extrema uincienda interiectum medium ſuffeciſſet. Sed cum ſoliditatẽ mundus requireret, ſolida uero non uno ſed duobus ſemper mediis copulentur, inter ignem & terram deus aerem aquamq; locauit, eaq; ita inter ſe inuicem quoad fieri poterat, comparauit, ut quemadmodum ignis ad aerem, ita aer ad aquam: ut aer ad aquam, ſic aqua ad terram congrue conferatur. Qua ex cõiunctione ita conſtitutus eſt mundus, ut aſpici tangiq; poſſit. Propterea ex huiuſmodi rebus numero quatuor, mundi corpus cõflatum eſt, ea connexum comparatione qua dixi. Ex quo ſeipſum amicitia concordi complectitur, atq; ita apte cohæret, ut nequeat diſſolui ullo modo, niſi ab eodem à quo eſt collígatum.

Mundus ex totamateria conſtat

Quatuor igitur earum rerum quamlibet integrã mundus accepit. Ex omni quippe igni, aere, aqua, terra, ipſius faber ita ipſum compoſuit, ut nullam cuiuſquam iſtorum partem aut uim extra relinqueret. Idq; ea ratione fecit, primum quidem ut totum hoc animal q̃ maxime perfectum ex perfectis partibus eſſet: deinde ut eſſet unum, cum nihil extra relictum fuerit, ex quo alterum generetur. Poſtremo ne quis ipſum morbus aut ſenectus attingeret. Videbat enim eam eſſe naturam corporis, ut importuna caloris uel frigoris aliarumq; rerum nimis uehementium acceſſione lædatur, & in morbos ſeniumq; impulſum

Senium & morbus ab externis cauſis, ex quib. uide mundũ eſſe æternum à defectu cauſæ, nõ à materia

deficiat. Quam ob cauſam rationemq; unum totum ex omnibus totis & perfectis perfectum, morbi & ſenectutis expertem deus mundum conſtituit. Cui & figuram maxime congruam & decoram dedit. Animal quippe hoc, quod intra ſuum ambitum erat animalia omnia contenturũ, eam figurã præcipue requirebat, in qua figuræ omnes continerentur. Quapropter ſphæricum fecit, in quo omnis extremitas paribus à medio radijs attingitur. quæ quidem figura omnium perfectiſſima ſibiq; ipſi ſimillima iudicatur. Putabat enim ſimile diſſimili multo pulchrius eſſe. Lenem præterea hunc globum extrinſecus undique expoliuit. Nec immerito ſumma eum æqualitate tornauit. Nec enim oculis indigebat, quia nihil extra quod cerni poſſet, relictum erat. Nec auribus, cum nihil ſupereſſet foris quod audiretur. Nec erant aere circumfuſa externa mundi, ut reſpirationem requireret. Nec membris quidem talibus opus erat, per quæ noua alimenta ſuſciperet, aut decocti cibi excrementa emitteret: nulla deceſſio fieri poterat, nulla acceſſio. Nec enim erat aut quo aut unde talia fierent. Ipſum enim ſe conſumptione & ſenio ſuijpſius alit. Ita nempe diuina arte fabricatus eſt mundus, ut omnia in ſeipſo & à ſeipſo patiatur, & agat. Ratus enim eſt ille autor, mundum ſi ſibi ipſe ſufficiat, præſtantiorem fore, quàm ſi aliorum adminiculis egeat. Nec ei manus neceſſarias eſſe duxit, quia neq; capiendum quicquam


Motus localis ſeptẽ ſpecies


erat neque repellendum. Nec pedibus aut alijs ad progreſſum ſtatum'ue membris opus erat. Motum enim illi congruum ſuo corpori tribuit, qui ex ſeptem motibus unus ad mentem maxime & intelligentiam pertinet. Ideoq; cum illum per eadem, & in eodem,

&

& in ſeipſo circumduxiſſet, effecit ut circulari conuerſione moueretur. Sex autẽ reliquos motus ſeparauit ab eo, & ab eorum errore & peruagatione penitus liberauit. Ad hanc igitur conuerſionem quæ pedibus non egebat, crura pedesq́; non dedit. Cum hæc igitur deus ille qui ſemper eſt, de aliquãdo futuro deo cogitaret, lenem eum effecit æqualemq́;, & à medio ad ſummum undiq́; parem, corpusq́; ex corporibus totis & perfectis totum atq́; perfectum: Animam autem in eius medio collocauit, perq́; totũ tetendit, atq́; ea corpus ipſum etiam extrinſecus circumtexit, mundumq́; hunc unum & ſolum ſolitariumq́; & circularem uolui in circulum ſtatuit, qui propter uirtutem ſecum ipſe facile coercere poſſit, nullius alterius indigens, ſatisq́; ipſe ſibi notus atq́; amicus. Itaq́; omnibus his de cauſis mundum opifex eius beatum deum effecit: ſed animam haud ita ut modo dicere cœpimus, tum deniq́; cum corpus ei effeciſſet, procreauit. neq́; enim qui hæc coniunxit, parere iuniori antiquius permiſiſſet. Sed nos multa utpote fortunæ participes inconſiderate & temere loquimur. Ille uero tam generatione quàm uirtute priorẽ antiquioremq́; animam corpore conſtituit, utpote quæ obedienti corpori eſſet imperatura, ex his uidelicet, atq́; hoc pacto. Ex ea ſubſtantia quæ indiuidua & ſemper eadem ſimilisq́; eſt, & ex ea rurſus quæ circa corpora diuidua fit, tertiam ſubſtantiæ ſpeciem commiſcuit mediam, quæ rurſus eſſet naturæ ipſius eiuſdem, & naturæ ipſius alterius particeps, eamq́; per hæc mediam conſtituit inter indiuiduã ſubſtantiã, & eam quæ circa corpus diuiditur. Ea cum tria ſumpſiſſet, in unam ſpeciem omnia tẽperauit. Vbi naturã eius quod alterũ diuerſumq́; uocamus, cõmixtioni repugnantem, cum eo quod idem dicitur quadã conciliauit. Poſtq́; uero duo illa cum ſubſtantia cõmiſcuit, & ex tribus unũ fecit, rurſus id totũ in ea quæ decuit membra partitus eſt, quorum quodlibet ex tribus, eodem, altero, ſubſtantiaq́; cõſtaret. Fuit autem talis illa partitio. Vnã principio accepit ex uniuerſo portionem. Secundam aũt primæ partis duplam. Deinde tertiam, quæ ſecundæ ſeſquialtera eſſet, primæ tripla. Poſtea quartã, ſecundæ duplã. Quintã deinceps tertiæ triplã. Sextam primæ octuplã. Poſtremo ſeptimã, quæ partibus ſex & uiginti primã excederet. Poſt hæc dupla & tripla inter ualla repleuit, partes rurſus ex toto deſecans. quas interuallis ita locauit ut bina eſſent in ſingulis media, ſiue ut ita dixerim, medietates: quarum una eadem parte excedit alterum extremorum, eadem ab altero ſuperatur. Altera medietas pari numero extremũ unum ſuperat, pari ſuperatur ab altero. Cum uero ſeſquialtera interualla, ſeſquitertia & ſeſquioctaua ſumpſiſſet, ex his nexibus in primis ſpacijs, ſeſquioctauo interuallo ſeſquitertia omnia explebat, particula ſingulorum relicta. Huius aũt particulæ interuallo aſſumpto ea inde habebatur numeri ad numerum in terminis comparatio, quæ eſt inter ducentos quinquaginta ſex, & ducentos quadragintatres. Iam uero cõmixtum illud unde iſta ſecernebat, totum huiuſmodi partiũ ſectiõe conſumptũ erat. Tunc ſeriem hanc uniuerſam in longum ſecuit, & ex una duas fecit, mediamq́; mediæ in ſpeciẽ X Græcæ literæ accommodauit. Deinde in orbem intorſit, quoad ita coirent inter ſe capita, ut lineæ ipſæ & ſecum & ſe inuicẽ eregione interſectionis ipſius cõiungerent: atq́; eo motu qui in eodẽ & ſimiliter ſemper reuoluit, undiq́; eſt eas circumplexus: & circulorum alterum exteriorem, interiorem alterum fecit. Exteriorem quidem latitudinem eiuſdem naturæ, interiorem uero alterius nominauit, Atq́; illam quæ erat ipſius eiuſdem naturæ cognata, in

Partes ſubſtãtiæ animæ







latus

latus ad dexteram partẽ:eam uero quæ alterius,per diametrum ad læuam flexit.Sed principatum dedit eiusdem ipsius similiscꝙ agitationi. Eam namꝙ solam indiuisam reliquit, interiorem uero cum sexies diuisisset,septemꝙ orbes inæquales dupli & tripli interuallis effecisset,singula quum tria sunt utriusque contrarijs inter se cursibus orbes peragere iussit, & ex septem interioribus tres quidem pari celeritate, quatuor uero & ad se & ad reliquos tres celeritate quidem impari,debita tamen ratione conuerti. Postquam igitur secundum creatoris illius mentem tota animæ constitutio absoluta fuit, mox omne corporeum intra ipsam effinxit,mediumꝙ mediæ accommodans apto modulamine copulauit.At illa à medio per omne usꝙ ad cœli extrema se porrigẽs,eiꝙ extrinsecus circumfusa,seꝙ in seipsa conuertens,ita sempiternæ sapientisꝙ uitæ in uniuersum tempus diuinum dedit exordium. Et corpus quidem cœli spectabile factum est, anima uero oculorum effugit obtuitum,rationis & modulaminis compos ab autore suo omnium quæ sem per sunt & ad intelligentiam pertinent optimo, ipsa quoque optima omnium quæ genita sunt effecta. Quoniam igitur ex tribus partibus, eodem scilicet & altero, & essentia conflata est,ratione proportionis distincta atꝙ cõpacta,necnon in seipsam orbe reflectitur,quoties aliquid attingit quod essentiam diuiduam habet & quod indiuiduam, in seipsam omnino conuersa quid sit utrumꝙ discernit,& cui quid idem sit, à quo alterũ & diuersum,ad quid quæꝙ,& ubi,quomodo,& quãdo esse huiusmodi aliquid uel pati contingat,tam in ijs quæ gignuntur,quàm in illis quæ semper sunt eadem.Ratio porrò ad ipsum quod idem uergens atꝙ ueridica,tam circa alterum,cꝙ circa idem uersata,& sine sono strepituꝙ omni in eo quod seipso mouet reuoluta,quando ad sensibile aliquid se conuertit,si tunc etiam alterius diuersæꝙ naturæ circulus recte per omnem ipsius animã rem ipsam nunciet,opiniones fideiꝙ assensiones firmas uerasꝙ producit.Quando rursus circa rationale se uersat,& ipsius quod idem est circulus se apte reuoluens rem denunciat, intellectus necessario scientiaꝙ perficitur.Hæc quisquis in alio quàm in anima fieri dixerit,à uero penitus aberrabit. Cum igitur hoc à se factum sempiternorum deorum pulchrum simulacrum moueri & uiuere pater ille qui genuit animaduerteret,delectatus est opere,& hac ductus lætitia opus suo multo etiam magis primo illi exemplari simile reddere cogitauit. Itaque quemadmodum illud sempiternum animal est, ita uniuersum hoc pro uiribus tale facere statuit.Illius quidem animalis æterna natura est:quod genito operi congruere omnino non potest.Idcirco imaginem æui mobilem effingere decreuit, ac dum cœlum exornaret,fecit æternitatis in unitate manentis æternam quandam in numero fluentem imaginem,quam nos tempus uocamus.Dies porrò,& noctes,& menses,& annos,qui ante cœlum non erant,tunc nascente mundo nasci iussit.quę omnia temporis partes sunt.Atqui erat & erit,quæ nati temporis species sunt,non recte æternæ substantiæ assignamus.Dicimus enim de illa,est,erat,& erit. Sed illi reuera solum esse competit. Fuisse uero & fore deinceps,ad generationem tempore procedentem referre debemus. Motus enim quidam duo illa sunt.Æterna autem substãtia cum eadem semper & immobilis perseueret,neꝙ senior seipsa fit unquam,neꝙ iunior,neꝙ fuit hactenus,neꝙ erit in posterum,neꝙ recipit eorum quicquam,quibus res corporeæ mobilesꝙ ex ipsa generationis conditione subijciuntur.Nempe hæc omnia temporis imitantis æuum, seꝙ numero reuoluentis,species sunt.Sępe etiam dicimus quod factum est,esse factum:quod fit,in generatione esse:quod fiet,esse faciendum:& quod non est,non esse.Quorum nihil recte & exacta ratione dicimus.Sed exquisitam de ijs discussionem præsens disputatio nõ requirit.Tempus uero unà cum cœlo factum est,ut unà orta,unà etiam dissoluantur, si quahis dissolutio unquam contigerit.Et ad exemplar æternæ naturę ideo factum est,ut mundus hic illi præstantiori quoad potest simillimus sit. Ille enim mundus, huius exemplar omne per æuum est. Hic uero perpetuo per omne tempus fuit,fitꝙ solus, & erit.Hac ratione consilioꝙ dei tempus creare uolentis Sol & Luna, & aliæ quinque stellæ quæ uocantur erraticæ, factæ sunt, quo temporis numerus distinguatur atque obseruetur. Cum uero stellarum huiusmodi corpora septem fecisset deus, septem orbibus, qui alterius ipsius diuersæ'que naturæ circuitu uoluuntur, adhibuit. Lunam in primo supra terram circuitu posuit. In secundo Solem. Luciferi deinde globum, & Mercurij sacrum ut dicitur, orbem circulis affixit, Soli uelocitate æqualibus, potentia uero illi contrarijs.

De genitura temporis

Quo

Quo fit ut apprehendant se inuicem, & à se uicissim apprehendantur similiter hæ stellæ, Sol, Lucifer, & Mercurius. Cæterarum stellarum ordines progressusq; & rationes siquis omnino percurrere uelit, plus erit opere ipso, quod operis gratia sumetur. Hæc enim forte à nobis pro dignitate rei aliâs si dabitur otium tractabuntur. Postquam uero singula quæ ad seriem temporis pertinebant, conuenientẽ sibi progressum sortita sunt, corporaq; nexibus compacta uitalibus animalia euaserunt, præscriptum tenorem & institutum ordinem tenuerunt: ut uidelicet secundum alterius diuersæq; naturæ obliquam agitationem eiusdem ipsius agitationi subiectam, orbes illi partim ampliorem, partim angustiorem circulum peragant: & quæ minorem, uelocius: quæ maiorem, tardius reuoluantur. Secundum uero ipsam eiusdem naturæ lationem, quæ uelocissime percurrunt comprehendentia, à tardioribus comprehendi uidentur. Omnes quidem eorum circulos superna illa uertigo uaria circuitione reuoluens, propterea quod isti duobus simul contrarijs motibus agitantur, id quod tardissime ab ipsa quæ uelocissima est recedit, proximum declarauit. Vt autem esset quædam uelocitatis illorum tarditatisq; mensura certissima, omniumq; octo motuum prodiret in lucem chorea, accendit lucem clarissimam deus in secundo à terra circulo, quam modo Solem uocamus. Cuius splendore cœlum omne illustraretur, & animantes omnes quæcunq; natura numeri capaces sunt, ipsius participes efficerentur, usum numerandi discentes ab illo eiusdem similisq; naturæ circuitu. Hinc quoq; noctis dieiq; uarietas orta est. Propter hæc etiam unius sapientissimiq; circuitus reuolutio. Mensis uero prouentus, quando Luna lustrato circulo suo Solem consecuta est. Anni, ubi Sol suum peragrauit orbem. Cæterorum autem siderum ambitus ignorantes homines, præter admodum paucos, neq; nomine certo illos appellant, neq; numeris inter se distinctis commetiuntur. Itaq;, ut ita dixerim, nesciunt horum peruagationes idipsum esse quod rite dicitur tempus, multitudine infinita & uarietate mirabili præditas. Est tamen intellectu facile, quòd perfectus numerus temporis, perfectum tunc demum compleat annum, cum octo ambitus confectis suis cursibus, quos orbis ille semper idem similiterq; procedens metitur, ad idem se caput retulerint. Has ob causas nata sunt ea astra quæ per cœlum meantia conuersiones habent, ut hoc omne animal quod uidemus, esset perfectissimo animali illi quod mente perspicitur, harmoniæ imitatione simillimum. Iam uero cætera usq; ad tempo- Genera animalium
ris ortum, ad imaginem propositi exemplaris effinxerat. Sed quia mundus hic nondum animalia omnia inter suum ambitum continebat, ex ea parte deficiebat ad illud exemplar imaginis huius similitudo. Hoc igitur quod deerat, superni illius exemplo deus explebat. Quot igitur & quales mens ideas in eo quod est animal inspicit, totidem & tales hoc mundo contineri oportere excogitauit. Sunt autem quatuor. Vna quidem deorum cœlestium genus continet. Alia uolatile & aeriuagum. Tertia aquæ liquoribus accommodatum. Quarta terrenorum animãtium genus. Diuini quidem animalis speciem ex igni maxima ex parte componebat, ut splendidissimum esset uisuq; pulcherrimum. Cumq; illud uniuersi figuræ simile uellet fore, rotundum fecit, posuitq; in ipsius optimi sapientia, atq; illud sequi iussit, circumq; omne cœlum distribuit, ut uerus illi ubiq; ex hac uarietate ornatus accederet. Dedit autem diuinis duo genera motus. Alterum quo in eodem semper & similiter uoluerentur, cum de eisdem semper secum ipsis eadem cogitent. Alterum quo in anteriorem partem ab eiusdem ipsius similisq; uertigine ducerentur. Reliquos autem quinq; motus ab his esse uoluit alienos, ut unumquodq; illorum quoad fieri potest, optimum esset. Qua ex causa facta sunt astra illa erroris expertia, quæ diuina animalia sunt, propterea q; in eodem semper circuitu perseuerant. Quæ uero uaga sunt, & mutabili ratione labuntur, ita deinceps ut supra diximus sunt. Terram autem altricem nostram circa polum per uniuersum extensum allígatam, diei noctisq; effectricem & custodem esse uoluit, nec non primam antiquissimamq; deorum omnium qui intra cœlum sunt geniti. Horum uero deorum choreas, & inter ipsos concursiones, circulorumq; ipsorum reuolutiones uarias & accessus, quales præterea fiant coniuncti sibi inuicem uel oppositi, siue ante inter se, siue retro, quid ue ex illorum serie nobis proueniat, quibus temporibus & quo pacto delitescant singuli, uel emergant, quid ue portendant quando orientes hominibus harũ rerum peritis timorem incutiunt:

Quatuor ideæ animalium

Terra antiquissima deorũ qui intra cœlũ

Hæc inquam omnia absq; diligenti simulacrorũ ipsorum inspectione explicare uelle, inanis est labor. Sed de his satis: & iam quæ de natura deorum illorũ qui tales geniti sunt ut cernantur dicenda erant, sinẽ habeant. Cæterorũ uero qui dæmones appellantur, & cognoscere & enunciare ortum, maius est opus q̃ ferre nostrũ ualeat ingeniũ. Priscis itaq; uiris hac in re credendum est, qui diis geniti ut ipsi dicebant, parentes suos optime nouerant. Impossibile sanè deorum filijs fidem non habere, licet nec necessarijs nec uerisimilibus rationibus eorũ oratio confirmetur. Verũ quia de domesticis rebus loqui se affirmabant, nos legẽ secuti fidem præstabimus. Sic igitur ut ab his est traditũ, horum deorum generatio habeatur atq; dicatur. Terræ cœliq; filij Oceanus & Tethys fuisse traduntur. Ab ijs Phorcyn, Saturnus, & Rhea geniti, & reliqui horum fratres. Ex Saturno & Rhea Iupiter, & Iuno, & reliqui, quos eorum fratres quotidie memorari audiuimus, nati dicuntur. Ex his deinceps ut traditur alij. Postq; orti sunt oẽs, & qui cœlo uoluũtur dij nostris oculis manifesti, & qui eatenus nobis cõspicui fiunt quatenus ipsi uolunt, tum ad eos mundi genitor ita fatur. Dij deorum quorum opifex ego & pater sum, hæc attendite. Quæ à me facta sunt, me ita uolente indissolubilia sunt. Omne siquidem quod uinctum est, solui potest. Sed mali est, quod pulchrè cõpositum est, secq; habet bene, uelle dissoluere. Quapropter quia generati estis, immortales quidem & indissolubiles omnino non estis. Nec tamen unquã dissoluemini, nec mortis fatum subibitis. Nam uoluntas mea maius præstantiusq; uobis est uinculum ad uitæ custodiã, quàm nexus illi, quibus estis tunc cum gignebamini, colligati. Sed nunc iam quid iubeam, cognoscite. Tria adhuc genera mortalium nobis generanda restant, absq; horum generatione cœlum imperfectum erit. Omnia enim animantium genera ambitu suo nõ continebit. Contineat autem oportet, si est mũdus omnino perfectus futurus. Hæc uero si à me fiant solo, uitaq; donentur, dijs adæquabuntur. Quapropter accedite uos secundum naturam ad animalium generationem, ita ut uim imitemini meam, qua in ortu uestro sum usus. Atq; eius quidem animalis quod in ipsis tale futurum est ut cum immortalibus appellatione conueniat, diuinumq; uocetur, principatumq; teneat, & iustitiam simul ac uos ultro colat, ego uobis semen & initium tradam: uos cætera exequi par est, ut immortali naturæ mortalem attexentes, faciatis generetisq; animalia, subministrantesq; alimenta augeatis, & consumpta rursum recipiatis. Hæc fatus, in eodem rursus cratere, in quo mundi totius animam permiscens temperauerat, superioris temperationis reliquias miscendo perfudit, modo quodam eodem, nõ tamen perfectas similiter, sed & secundo & tertio gradu à primis deficiẽtes. Deniq; cum uniuersum constituisset, astris parem numerum distribuit animarum, singulis singulas adhibens, eisq; tanquàm uehiculo impositis monstrauit uniuersi naturam, ac leges fatales edixit: ostendens quidem primam omnibus generationem ordine quodam unã fore, nequis ab eo minus aliquid sortiat. Satis autẽ & quasi sparsis animis per singula singulis conuenientia temporũ instrumenta, fore ut animal nasceretur, quod omniũ animalium maxime esset diuino cultui deditum. Esse autem naturam hominis geminam: cuius id genus fore præstantius quod uiri nomine sit appellandum. Cum uero animæ corporibus necessitate quadã insertæ fuerint, & corporibus earum accesserit aliquid uicissimq; abscesserit, primum utiq; necessario sensum unum omnibus intimũ, & naturæ coniunctum illic à uiolentis passionibus excitari, deinde uoluptate & dolore mixtum amorem, post hæc metum & iram, & quæcunq; uel ista sequuntur, uel ab istis ut contraria dissident. Hæc qui superauerint, eos iuste uicturos, iniuste uero qui ab his fuerint superati. Atq; illum qui recte curriculum uiuendi à natura datum confecerit, ad illud astrum cui accommodatus fuerit, reuersum beatam uitam acturum. Contrà uero agentem cogi in ortu secundo sexu mutato fieri mulierem. Et qui ne tum quidem finem peccandi faciet, quatenus deprauatur, eatenus in brutorum naturam suis moribus similem permutari: nec prius à mutationibus laboribusq; cessare, quàm illam sibi insitã eiusdem ipsius similisq; naturæ conuersionem securus ipse, eiq; subijciens turbulentos multiplicesq; affectus posthea exigni, aqua, aere, & terra contractos, ratione sedauerit, & ad primum optimumq; sui habitum iam redierit. Quæ cũ illis ita designauisset, nequa penes se futuræ prauitatis causa esset, alios in terram, alios in lunam, alios in alia temporis instrumenta spargens quasi serebat. Post huiusmodi sementem, quod reliquum erat, dijs iunioribus agendum mandauit

Cuiq; generi animarũ unũ tributũ esse astrum

Amor mixtus uoluptate & dolore

mandauit,ut corpora mortalia fingerẽt, quantũcꝫ eſſet humanæ animæ quod reliquum huic deberet accedere,id omne & quæ cõſequentia eſſent,adiungerent regerẽtcꝫ,& quã optime & pulcherrime fieri poſſet mortalis animalis naturam gubernarent:niſi ipſum ſibimet malorum cauſa eſſet. Atcꝫ is quidem qui hæc cuncta diſpoſuit, rite in ſuo habitu permanebat.Quo quidẽ permanente,eius filij cum parentis ordinem cognouiſſent,eum protinus ſequebantur. Itacꝫ accepto ab illo mortalis animantis immortali principio, ſui effectorem imitati,ignis,aeris, aquæ, terræ particulas, quas rurſus redderent, à mundo mutuabantur:eascꝫ inter ſe copulabant, haud ijſdẽ illis indiſſolubilibus uinculis,quibus ipſi fuerãt colligati,ſed talibus quę propter paruitatẽ cerni nõ poſſent:crebriſcꝫ huiuſmodi clauis cõiunctis unũ ex omnibus corpus efficiebant,atcꝫ in hoc ipſum tũ influente, tũ effluente corpore animæ diuinæ circuitus illigabant.Itacꝫ hi circuitus in profundum flumen immerſi,necꝫ tenebãt necꝫ tenebantur,ſed ui ferebanť,atcꝫ ferebãt. Ex quo factum eſt,ut totũ animal moueretť,ſine ordine tamen,& fortuita quadã iactatione. Cui quidem ſex peruagari motibus contingit undicꝫ per ſex loci differentias progrediendo, uidelicet ante & retro,ad dextram et læuã,ſurſum atcꝫ deorſum. Cum uero plurimus inundaret fluctus atcꝫ defluereť unde animal nutriretur, multo etiam maior à paſsionibus extrinſecus illatis turba ſequebatur, cum corpus aliquod ignis exterioris incurriſſet offenſionẽ, uel à terræ ſoliditate,aut aquæ humore,aut aeris flatu læſum eſſet.Porrò ab ijs omnib. per corpus motus uſcꝫ ad animam tranſeunt, qui propterea & initio & nunc ſenſus cognominati ſunt.Hi quidem ab initio cõtinue multos & maximos motus cient,riuo illo iugiter fluente,atcꝫ his fluctibus uehementer animæ circuitus quatiunť. Et circuitũ quidem illum eiuſdem ſimiliſcꝫ naturæ in ipſo curſu prorſus impediunt: alterius uero circuitum diſtrahunt:uſqueadeo ut dupla illa & tripla utrincꝫ diſpoſita interualla tria, medietatescꝫ & colligationes ſeſquitertia,ſequialtera, ſeſquioctaua ratione interiectas, quæ diſſolui à nullo niſi ab eo qui coniunxit poſſunt, omni reuolutionis genere torqueant, omnescꝫ anfractus & uarietates orbium,quotcunꝫ contingere queunt, inducant:ita ut ambitus ipſi uix ſibi inuicem connexi,ferantur quidem,ſed ſine ratione ferantur, tum contrà,tum ex obliquo, tum reſupina quadam diſpoſitione.ceu ſiquis caput pro pedibus humi figat, pedes uero pro capite tollat in altũ.tunc arbitror tam eius qui ſic affectus eſt, quàm eorũ qui ſpectant, dextræ partes ſiniſtræ, & contrà ſiniſtræ dextræ ſibi inuicem eſſe uidentur. Itacꝫ cum hoc ipſum cæteráue huiuſmodi animi quocꝫ ambitus maxime patiuntur, ſi tũc extrinſecus aliquid eiuſdem ipſius uel alterius generis inciderint, falſo quid idem alicui ſit,quidue alterum ab aliquo iudicant. Ideocꝫ mendaces tunc dementescꝫ ſunt,nec ullus princeps & dux in eis tunc eſt circuitus. Cumcꝫ extra poſiti ſenſus pulſauerint animam uehementius, totamcꝫ eam poſſederint,tunc illi ſubiugati quidem & ſeruientes dominari uidẽtur.Quas ob res ab initio anima cum mortalis corporis uinculis includitur, amens efficitur. At poſtquàm nutritionis & augmenti riuus lenius minuscꝫ fluit, animæcꝫ circuitus tranquilliore motu iter ſuum peragunt, proceſſucꝫ temporis ſedatiores fiunt,& in figuram naturæ ſuæ congruam reſtituuntur: tunc ſingulorum circulorum directæ conuerſiones,eiuſdem & alterius naturam probe diſcernunt,hominemcꝫ ſic inſtitutum prudentem efficiunt.Quod ſi quis educationi rectæcꝫ nutritioni diſciplinam quocꝫ & erudi tionem conuenientem adiunxerit, morbo grauiſsimo deuitato ſanus & integer prorſus euadet:ſinautem neglexerit,claudũ uitæ iter ingreſſus,tanquàm mancus & omnino inutilis rurſus ad inferos decidit. Sed hæc quidem poſt ortum contingunt. Nunc uero de prima hominis compoſitione exactius diſſerendum, ac probabili ratione monſtrandum, qua cauſa & prouidentia deorum ſingula membra corporis ad ſingula animæ officia ſint accommodata.Principio dij figuram capitis ad rotundita tẽ mundi finxere, in eocꝫ duos illos animæ diuinos circuitus ſtatuerunt. Eſt autem caput membrum corporis diuiniſsimum,reliquorumcꝫ membrorum princeps: cui totum corpus cõnexum dij ſubeſſe & parere iuſſerunt.Excogitauerunt enim motuum omnium quotcunꝫ eſſe queant, compos id fore.Cum uero inæqualis & aſpera,ac partim quidẽ accliuis,partim decliuis terra ſit, ſi humi caput ſerperet, percꝫ terræ ſuperficiem uolueretur, hos anfractus ſine offenſione tranſire non poſſet.Quod ſanè malum ut uitaretur,procerũ hunc habitum corporis ad facilem progreſſum dij pro uehiculo capiti ſubiecerunt. Corpori pręterea quatuor in

Cur ſenio/res pruden/tes

Caput mem/brum diui/niſsimum

Proceritas

longum porrecta & flexibilia membra annexuerũt, quibus facile diuina prouidentia mo ueretˉ, apprehẽderet uidelicet obiecta quæq;, staret, & sisteret, percꝫ omnia graderetur ca/ put superne subsistens diuinissimi sacratissimiꝫ habitaculũ. Hãc igitur ob causam nobis crura manusꝫ dedere. Anteriores aũt partes posterioribus præstantiores & ad imperan dum aptiores arbitrati, in anteriorem quoꝫ partem moueri nos ut plurimum uoluerunt. Oportebat porrò anteriora discreta & dissimilia esse. Quapropter primum globo capitis faciẽ adiecere, facieiꝫ instrumenta quæ adminicularentur omni animę prouidentiæ, assi gnauerunt, decreueruntꝫ naturale hominis imperium in hac parte anteriori priorꝫ cõ sistere. Sed ex omnibus faciei partibus primi luciferi oculorum orbes coruscant, hac cau sa dati. Ignis certe illius qui non urit quidem sed illuminando suauiter diem inuehit mun do, participes oculorum orbes dij fecerunt. Intimum siquidem nostri corporis ignem hu

De oculis multa

ius ignis germanum syncerumꝫ per oculos emanare uoluerunt, in quibus lenis conge stusꝫ ubiꝫ ignis huiusmodi sit, sed per eorum duntaxat solidiorem angustamꝫ medieta tem ignis purior euolet, crassior uero cohibeatur. Itaꝫ diurnum lumen applicat se uisus radio, tunc ea duo inter se similia concurrentia atꝫ commixta, quò oculorum acies diri guntur, ibi in unius iam domestici corporis cohærent speciem, ubicunꝫ uidelicet tam in timi quàm externi luminis fit concursus. Totum igitur hoc propter similitudinem pas sionem eandem sortitum, cum quid aliud tangit, uel ipsum ab alio tãgitur, motum huiusmodi ad corpus omne percꝫ id ad animam usꝫ diffundens sensum efficit, qui uisus uoca tur. At postquàm in noctem discesserit cognatus ignis, uisionis radius euanescit. Nam in aerem sibi dissimilem erumpens permutatur atꝫ extinguitur, cum nullam habeat cum proximo aere, utpote ignis splendore carente, naturæ communionem. Idcirco uidere de sinit, somnumꝫ inducit. Etenim salubre palpebrarum tegmen dij oculis machinati sunt quibus obductis uis illa ignis intimi conniuentia tegminis coercetur, compressaꝫ inte riores motus perfundit & mulcet, quibus relaxatis atꝫ mollitis quies oritur. Si profun dus ob multam quietem motuum nos occupat sopor, exigua sequuntur insomnia. Sin ue hementiores aliqui motus quasi uigiliarum reliquiæ relicti sint, quales quidem & quali bus ex locis haustæ reliquiæ sunt, talia somniorum simulacra nascuntur, eorumꝫ nobis expergefactis restat memoria. At uero simulacrorum quæ uel in speculis oboriuntur, uel in perspicua leniꝫ cernuntur superficie, facilis assecutio est. Nam ex utriusꝫ ignis tam in timi quàm extra positi communione, eiusꝫ rursus concursu & congruentia, qui passim terso leniꝫ corpori accommodatus est, necessario hæc omnia oriuntur, cum ignis oculo rum cum eo igne qui est è conspectu effusus, circa lene nitidumꝫ corpus sese confudit. Dextera uero uidentur quæ læua sunt, quia contrarijs partibus oculorum insolito more cõtrarias partes attingimus. Respondent aũt dextera dexteris, læua læuis, quando cõmi xtum lumen cũ eo cui permiscetˉ, transilit. Id cum speculorũ lenitas hinc illincꝫ altitudi nem assumpsit, & ita dextrã oculorum partem in læuam speculi, læuamꝫ in dextrã detor sit. Quod si speculũ ad uultus longitudinẽ conuertatˉ, uultũ reddit resupinum, cum supe rior luminis pars ad inferiora, inferior uero ad superiora uertatur. Atꝫ hæc omnia ex eo rum genere sunt, quæ principales rerum adiuuant causas, quibus ut ministris utitur deus ad optimi, quoad fieri potest, ideam perficiendam. Sed existimãt pleriꝫ non adminicula hæc principaliũ causarũ, sed has ipsas esse omnium causas, quæ frigoris & caloris, rari & densi, cæterorumꝫ similiũ naturã habeant, rationẽ uero mentemꝫ nequaquã. Mentem enim à nulla re alia nisi ab anima possideri conuenit. hæc uero aspectum effugit oculo rum. Sed ignis, aqua, aer, ac terra corpora sunt, atꝫ cernuntur. Oportet autem mentis & scientiæ amatorem principales sapientis naturæ causas quærere; atꝫ eas quæ necessa rio ab alijs quidem mouentur, alia uero mouent, secundas causas arbitrari. Quocirca à nobis sic censeo faciendum, ut de utroꝫ causarum genere differamus, separatim autẽ de his quæ cum intelligentia effectrices sunt pulchrarum rerum atꝫ bonarum, de ijs rursus

Cur oculi dati homini bus

quæ uacantes prudentia quodlibet passim sine ordine faciunt. Ac de secundis quidem causis oculorũ ad eam uim quã habent conducentibus, satis esse dictũ puto. Maximum uero opus cuius gratia utiliter nobis à deo donati sunt, deinceps explicandum censeo. Rerum enim optimarũ, ut arbitror, cognitionẽ nobis oculi attulerunt. Nam hæc quæ de mundo disputantur, nunquam inuenta essent, si neꝫ sidera, neꝫ sol, neꝫ cœlum suspici potuissent

potuissent. Cognitio uero diei ac noctis ab oculis orta fecit, ut dinumeratione quadam mensium annorumq; ambitus metiremur, tempus cognosceremus, uniuersæ naturæ ordinem scrutaremur. Quibus ex rebus philosophiam adepti sumus. Quo bono nihil unquam maius mortaliũ generi datũ est deorũ munere, neq; dabitur. Hoc igitur maximum oculorum beneficium esse dico. Minora alia prætereo. Quibus qui à philosophia alieni sunt, orbati si querantur, frustra querentur. Nobis uero asserendum est ob hanc potissimum rationem deum oculos genuisse, ut mentis circuitus qui in cœlo peraguntur, intuiti, in usum redigamus nostræ mentis: cogitationisq; nostræ discursiones illis cognatas, sed perturbatas quodammodo ad illorum temperiem reuocemus. Et cum illos agnouerimus, & recta ratione secundum naturã præditi singulorum ordinem perceperimus, conuersiones dei quæ sine ullo errore aguntur, imitemur, atq; ad earum exemplum discursiones nostræ cogitationis uagas & erraticas componamus. Vocẽ quoq; auditumq; eiusdem rei gratia deos dedisse nobis existimo. Nam ad hæc ipsa sermo pertinet, plurimumq; conducit, omnisq; musicæ uocis usus harmoniæ gratia est tributus. Atqui & harmonia, quæ motiones habet animæ nostræ discursionibus congruas atq; cognatas, homini prudenter musis utenti non ad uoluptatem rationis expertem, ut nunc uidetur, est utilis: sed à musis ideo data est, ut per eam dissonantem circuitum animæ componamus & ad concentum sibi congruum redigamus. Rhythmus quoq; ad hoc uidetur esse tributus, ut habitum in nobis immoderatũ gratiaq; carentẽ aptissime temperemus. Hactenus opera mentis paucis exceptis tractauimus. Oportet autem de his quoq; quę necessitas inuehit, dicere. Mundi enim huius generatio ex necessitatis mẽtisq; coitu mixta est. Nã cum mens necessitati dominaretur, propterea quòd persuadendo eam ad optimos ut plurimum rerum euentus induceret, ipsaq; hac ratione cedens sapienti persuasioni pareret, mundi huius exordia constiterunt. Oportet igitur eum qui mundi constitutionem uere narraturus erit, erraticæ quoq; causæ speciem pro naturæ ipsius instinctu miscere. Quod ita commode fiet, si horũ ipsorũ cõuenienti principio sumpto, sic de his quemadmodũ de superioribus ab ipsa rursus origine differamus. Naturã ergo & passiones ignis, aquæ, aeris, atq; terræ, generationẽ cœli præcedentes consideremus. Nullus profecto ad hoc usq; tempus eorum generationem ostendit, sed quasi notum sit quid sit ignis & reliqua, sic de illis uerba facimus eaq; mundi primordia constituimus, cum nec syllabarum quidem nedum elementorum uicem tenere apud homines mentis quoquo modo compotes debeant. Nos uero in præsenti nihil de principio uniuersorum, siue principijs, siue quomodocunq; aliter id appelletur, dicendum putamus. Cui quidem disputationi nihil aliud impedimento est, nisi quòd difficile sit præsenti disputandi modo quæ de his uidentur exprimere. Neq; igitur uos id expectabitis, neq; ego mihi persuadebo recte me tantum opus aggredi posse. Quod autem ab initio dixi, uerisimilitudinis uim seruabimus, studebimusq; in rationibus uerisimilibus circa hæc assignandis nulli cedere. Atq; ita & singula & uniuersa à principio exponemus. Deum igitur etiam nunc disputationis seruatorem in primis oremus, ut nos ex admirabili & insolita expositione ad uerisimilem doctrinam traducat, atq; ita instituti disputationem exordiamur. Sed hanc de uniuerso disputationem ab ampliori diuisione quàm suprà ducamus. Tunc enim duas in species facta diuisio est. Nunc tertium genus addendum. Duo enim in superioribus sufficiebant. Vnum quidem exemplaris loco, semper idem, solaq; intelligentia comprehendendum. Alterum simulacrum ab hoc exemplari deductum, generationi oculisq; subiectũ. Cum uero duo hæc sufficere putaremus, tertium non adiunximus. Nunc autem cogere nos ratio uidetẽ, ut difficilẽ & obscurã speciem declarare conemur. Quã igitur uim, quam ue naturam habere putandum? Hanc utiq;, generationis horum omniũ receptaculum et quasi nutricem esse. Quod quamuis uere dicatur, paulò tamen apertius est dicendum. Arduũ id quidem, eo maxime, quod ad huius rei demonstrationem dubitare prius necesse est et inquirere de igni & reliquis quę elementa uocãtur, quod istorum aquam potius quàm ignem, aut aerem potius quàm terram, aut certum aliquid unum magis q; cuncta uocare oporteat. Difficile sanè certũ aliquid & firmum de istis asserere. Quonam igit pacto, & qua ratione, & quod probabile in huiusmodi inquisitione dicemus? Principio id corpus quod modo aquam nominauimus, quando in solidam concrescit materiam, lapis &

De uoce & auditu

Mundi generatio

terra fieri uidetur: quando uero liquescit & diffluit, spiritus atq; aer. Item aer exustus ignis efficitur. Ignis extinctus & corpulentior factus aerem creat. Rursus crassior factus aer, in nebulas nubesq; concrescit. His etiam magis compressis pluuiæ defluunt. Ex aqua rursus terra lapidesq; gignuntur. Atq; ita uidemus hæc omnia circuitu quodam sibi inuicem uires fomentaq; generationis uicissim tribuere. Quæ cum nunquam eadem apparent permanere, quis nam sine rubore redargutionisq; suspitione poterit istorum aliquid unum potius quàm aliud certe & firmiter appellare? Nemo certe. Quare tutissimus in his hic erit loquendi modus. Hoc quod semper aliâs aliter formatum uidetur, & plerunq; iuxta ignis effigiem, non est utiq; ignis hoc aliquid, sed tale, id est igneum quiddam: nec aqua hoc aliquid, sed tale quid id est aqueum, nec aliud quicquam uelut ullam habens stabilitatem. Deniq; nec pronominibus quidem ullis hæc signanda sunt, quibus in rei cuiuslibet demonstratione, cum hoc uel illud dicimus, uti solemus. fugiunt enim, nec expectant uel eam demonstrationem, quæ hoc & huius & huic designat: uel appellationem, quæ de his tanquàm de existentibus & stabilibus habeatur. Igitur huiusmodi omnia neq; hoc, neq; illud, sed tale potius, aut tale propter similitudinem aliquam appellare debemus. Et ignem quidem ubiq; tale, ac de cæteris quæ gignuntur eodem pacto. At uero illud in quo fieri singula hæc uidentur, ac deinde dissolui, solum ijs pronominibus quibus hoc uel illud signamus, appellandum puto. Quale uero quodammodo, calidum scilicet uel album, uel aliquid tale contrariorum, uel ex contrarijs illud minime appellandum. Sed apertius quod uolumus exponamus. Si quis enim cūctas figuras ex una eademq; auri materia fictas continue in alias & alias reformet, decq; una quadam illarum præsens aliquid quid sit quærat, uere admodum & tutissime respōdere possumus aurum illud esse: triangulum uero esse aut aliam figuram earum quæ impressæ eo sunt & continuo permutantur, quasi reuera sint non licet dicere. Sola quippe illa responsione tanquã tutissima contenti esse debemus. Eadem de illa natura quæ cuncta recipit corpora ratio est: idem semper esse dicenda est. Siquidem ex propria potentia recedit nunquàm. Suscipit enim semper omnia, nec ullam unquàm ijs similem ullo pacto sibi formam contrahit. Omnis sanè natura fictioni subiecta est, agitataq; ab ingredientibus & figurata quodammodo, aliâs aliter se habere uidetur. Quæ uero ingrediuntur & exeunt, uere ac semper existentium rerum simulacra sunt, miro & uix explicabili modo ab ipsis rebus quæ uere sunt, figurata, quemadmodum deinceps narrabimus. Tria in præsenti genera sumenda sunt. Vnum quod gignitur. Aliud à quo gignitur. Aliud à quo similitudinem trahit quod nascitur. Idcirco comparare hæc ita decet. Quod recipit, matri: unde recipit, patri: naturam istorum mediam, proli. Sed ita intelligendum est, quòd cum esse debeat effigies rerũ omni formarum uarietate distincta, nunq; illud ipsum formationis huius gremium benè erit præparatũ, nisi informe sit, & suapte natura omnibus formis quas recepturum est, careat. Nam si erit alicuius eorum quæ in se recipit simile, cum contrariam eius cuius simile est naturam aut aliã prorsus suscipiet, nequaq; eius similitudinẽ & effigiem exprimet, cũ præ se tulerit suã. Quo fit, ut nullam sibi propriã habeat speciem, quod est omnia genera susceptурũ. Vt qui unguenta suauiter redolentia confecturi sunt, humidam materiam quam certo condire odore uolunt, ita præparant, ut odorem nullum proprium habeat: et qui materijs mollibus impressionicq; cedentibus figuras imprimere aliquas uolunt, nullam omnino priorem in eis figuram apparere patiuntur, sed exactissima quadam leuigatione eas poliunt: Ita illud quod in omnibus passim æternorum omnium simulacris recte figurandũ est, his omnibus formis natura sua carere necesse est. Quamobrem uniuersi, quod & genitum est, & sensibus omnibus manifestum, matrẽ ipsam receptaculumq;, neq; terram, neq; aerem, neq; ignem, neq; aquam esse dicamus, neq; rursus ex his aliquid constitutum, aut aliqua ex quibus proprie hæc ipsa subsistunt: sed inuisibilem potius speciem quandam & informem sinum omnium capacem, qui modo quodam ambiguo & uix explicabili diuinæ & intelligibilis naturæ sit particeps. Ipse quidem comprehendi per se nullo pacto potest: sed quantum ex supradictis naturam eius attingere licet, sic utique recte possumus dicere: Ignem quidem, partem eius ignitam uideri: humefactam uero partem, aquam: Terram quoq; aeremq; similiter, quatenus ipsorum simulacra suscipit. Sed de his ita distinguentes ratione considerare debemus, sit ne ignis aliquis seorsum

à materia

Quod ignis & alia non sunt uere hoc aliqd sed tale

Vide ut quę elemẽta uocantur ne ꝓ nominibus quidem mõstrari possint

Vide ut materia analogia monstratur

Materia nũquam recedit à potentia

Quæ in materia fiunt sunt simulacra rerũ uerarum

Vide ut materia est informis

à materia ipſe permanẽs in ſeipſo,& cætera quæ ſæpe dicimus per ſeipſa manere: an hæc ſola ſunt,quæ corporis ſenſu percipimus,& talem in ſe continent ueritatem,nec ullo pacto præter hæc ulla ſunt uſpiam, ſed fruſtra intelligibilẽ uniuſcuiuſq; ſpeciem aliquã ponere ſolemus,nec aliud hæc ſunt quàm uerba. Quod quidem neq; ita uel aliter ſe habere temere & ſine examinatione aſſerendum, neq; ad præſentem diſputationem natura ſua prolixam,alia quoq; prolixa, & ad rem minime pertinens addenda uidetur. Ea uero circunſcriptio quæ breuibus magna comprehẽdat,admodum opportuna uidebitur. Ita igitur ipſe meam hac de re ſententiã feram. Si intellectus & uera opinio duo genera ſunt,neceſſe eſt huiuſmodi ſpecies eſſe, quæ per ſe ipſæ ſint, & intelligentia potius q̃ ſenſibus cõprehẽdantur. Sinautẽ ut quibuſdã uidetur,uera opinio ab intellectu nihilo differt,omnia quæ corporis ſenſus attingit,certa habenda ſunt. Sed opinor duo eſſe dicenda,quia ſeorſum ſunt facta,& diſſimilia ſunt. Quippe quorum alterũ doctrina nobis inſinuat, alterũ perſuaſio:& illud quidem ſemper cum ratione uera, hoc aũt ſine ratione: illud nulla perſuaſione mutabile,hoc contrà huic mutationi ſubiectum. Veræ quidẽ opinionis uir quilibet particeps: Intelligentię uero dij quidem omnes,homines uero pauci admodum participes ſunt. Quæ cum ita ſe habeant, fateri oportet eſſe ſpeciem quæ ſemper eadem ſit ſine ortu atq; interitu, quæ nec in ſe accipiat quicquã aliud aliunde, nec ipſa procedat ad aliud quicquam, ſenſuq; corporis nullo percipiatur. atq; hoc eſt quod ad ſolam intelligentiam pertinet, eiuſq; intentionis eſt proprium. Sed eſt aliquid poſt hoc quod cum ipſo nõ ratione, ſed nomine conuenit, eiuſq; ſimilitudinem gerit, genitum ſenſibus manifeſtum, quod fertur & ſuſtentat̃ ab alio ſemper, & in aliquo loco gignitur, rurſusq; inde recedit opinione per ſenſus comprehendendum. Tertium genus locus eſt, qui interit quidẽ nunquã, ſed omnibus quæ gignuntur, ſedem exhibet. hic ſine tangentis ſenſu tangitur, adulterina quadã ratione uix opinabilis. Denicq; cum ad hunc animo reſpicimus, ſomniamus quodãmodo, neceſſariumq; putamus, ut quicquid eſt, in aliquo ſit loco poſitũ, regionẽq; obtineat aliquã: & quod neq; in terra, neq; in cœlo ſit, minime eſſe credimus: atq; has omnes & ſimiles paſſiones à peruigili uereq; exiſtẽte natura ipſi huiuſmodi ſomnijs occupati ſecernere non ualemus. Ideoq; nec diſcernere id etiã poſſumus, quòd imagini quidẽ poſtq; idipſum in quo facta eſt nõ ipſius eſt, ſed ea ſemper alterius fertur ſimulachrũ, non iniuria conuenit ut in alio quodã ſit, atq; ita quodãmodo eſſentię fiat particeps, aliter uero eſſe nullo modo poſſit. Et aũtẽ quod uere eſt, uera hæc & exquiſita ratio ſuffragat̃, docens quòd dum res ita ſe habet, ut hoc quidẽ aliud ſit, & illud aliud, neutrũ in neutro unquam factum unũ ſimul idem & duo fient. Hæc tandem meæ mentis ſummatim ſentẽtia ſit, eſſe, & ante cœli ortũ ratione triplici fuiſſe tria hæc, exiſtens, locũ & generationẽ. Generationis uero nutricem, ignitam & humefactã, terræ item & aeris formas ſuſcipientẽ, paſſionesq; horũ pediſſequas perpetientẽ, omniformẽ aſpectu uideri. Verum quia nec ſimilibus neq; ad pondus exæquatis uiribus referta eſt, nulla ex parte æquilibrem eſſe, ſed inæqualiter undiq; uergẽtem declinantemq; ab illis quidẽ quæ diximus agitari, rurſusq; ipſam commotam eadem agitare. Quo pulſu cõcita in diuerſa raptari atq; diſcerni, perinde ut quæ in frumẽti purgatione piſtorijs inſtrumentis iactata atq; excuſſa diſcerni uidemus, atq; aliò ſolida grauiaq;, aliò rara & leuia ferri. Sic illa tũc quatuor genera ab ipſo eorum receptaculo inſtrumẽti illius piſtorij inſtar tumultuante & diſcernente cõmota, diſſimilia quæq; à diſſimillimis longe ſeparabantur, ſimillima uero rurſus coibant: atq; idcirco etiã ante mundi exornationẽ ſedibus diuiſa erãt, ſed neq; his ratio inerat, neq; modus. At uero ubi cũcta redigi ad modũ placuit, deus ignẽ primo ac terrã, aeremq;, & aquam, quæ quidem elementorũ præferebant ueſtigia, ſed ita erant affecta ut par eſt illa à quibus deus abeſt, diſtinctis figuris, ſpeciebus, et numeris exornauit. Ea uero apud nos ſentẽtia ſemper rata indubiaq; præ cæteris habeat̃, quòd deus illa cum talia nõ eſſent, quàm pulcherrime optimeq; fieri poterat, ordinauit. Nunc iam diſpoſitionem geniturãq; ipſorum ſingillatim demonſtrari conuenit, nouo quidem & inuſitato demõſtrationis genere, ſed uobis qui omnes eruditionis ingenuę uias peragrauiſtis, plano atq; perſpicuo. Principio quòd ignis,& terra, aqua,& aer, corpora ſint, nemo utiq; dubitabit. Omnis autem corporis ſpecies profunditatem habet. Profunditatem uero planis cõſtare neceſſariũ eſt. Rectitudo porrò planæ baſis ex triangulis cõſtituitur, atq; trianguli omnes ex duobus initium

Probat breuiter ideas eſſe

Homines paucos eſſe intelligentię participes

Quod materia eſt locus

Diſpoſitiones & genituræ elementorum

habent,habentibus utrisq; rectum angulum unum,acutos duos. Quorũ alter utrinq; anguli recti partẽ obtinet, æqualibus distincti lateribus: sed in altero inæqualibus inæqualia distribuuntur. Igitur per rationes probabiles necessitati cõiunctas incedẽtes,ignis ceterorumq; corporum huiusmodi ponamus exordium. Superiora uero his horum principia deo nota sunt,atq; ei qui dei sit amicus. Videamus igitur qua pòtissimũ ratione quatuor corpora pulcherrima fiant,dissimilia quidem inter se, sed quæ in se inuicẽ dissoluãtur,& ex se inuicem generẽtur. Si id comprehenderimus,ueritatem ipsam de generatione ignis terræq; & eorum quæ competenti ratione seruata horũ media fiunt, tenebimus. Tunc enim nemini concedimus dicẽti alicubi esse oculis patentia pulchriora his corpora,quorum quodlibet secũdum unum sit genus. Conandum igitur quatuor corporũ genera pulchritudine præcellentia constituere,atq; ita asserere horum nos naturã sufficienter cõprehẽdisse. E duobus quidem triangulis Isosceles, id est qui cruribus constat æqualibus, unicam habet naturam: qui uero altera parte est oblongior, infinitas. Ergo si recte exordiri uolumus, infinitorum quoq; pulcherrimum præeligere nos oportet. Ac si quis pulchriorem à se electum ad horum constitutionẽ afferre uoluerit, eius non tanquã aduersarij,sed tanquam amici sit sententia potior. Vnum itaq; reliquis posthabitis,triangulorum multorum pulcherrimum ponimus,à quo æquilater triangulus ex tertio constitit. Ratio uero cur ita sit,prolixior esset. At eum qui diligenti discussione ita esse comperiet, dulce manet uictoriæ præmium. Propositi sanè nobis sint duo è multis trianguli, ex quibus ignis cæterorumq; corpora composita sunt. Horum unus Isosceles sit æqualibus cruribus constans triangulus. Alter uero sit ille qui longius latus semper breuiore latere potentia triplo maius habet. Verum quod securi nimium in superioribus diximus,nũc magis est distinguendum. Videbantur quidem nobis,neq; id quidem satis recte, omnia quatuor genera ex se inuicẽ generari. Profecto quatuor genera ex triangulis quos eligimus generantur. Tria quidem ex uno,inæqualia habente latera. Quartũ uero unicũ ex triangulo Isosceles componitur. Non igitur possunt omnia ita in se inuicẽ resolui & cõmutari, ut ex multis paruis pauca ingẽtia uel conuerso efficiãtur. Tria certe possunt. Cum eñ ex uno hæc facta sint omnia,quãdo maiora soluũtur, multa exigua ex eisdem cõstituuntur, paruas congruasq; sibi figuras adepta. Rursus quando multa per triangulos dispergũtur amplificata,unum unius molis faciunt numerum,magnamq; aliam speciẽ unam perficiunt. Hæc utiq; de mutua ipsorũ generatione dicta sint hactenus. Reliquum est,ut qualis quæq; eorum facta sit species, & ex quibus concurrentibus numeris coaceruata,dicamus. Erit utiq; prima species,quę ex pauciſsimis composita fuerit,elementũ eius,quod latus oblongius breuiori latere duplo maius habet. Cum uero bini huiusmodi secundũ diametrum cõponantur,terq; id fiat, & diametri latera breuiora in idem quasi centrum ducantur, unus triangulus æqualiter ex triangulis numero sex cõficitur.



Trianguli autẽ æquilateres quatuor cõpositi secundum ternos planos angulos,unum solidũ faciũt angulum: qui angulum planorũ omniũ obtusissimum deinceps ortu subsequitur. Atqui triãgulis huiusmodi quatuor natis prima solida species totius circũferentis distributiua in partes ęquales ac similes oritur.



Secunda uero ex eisdem quidẽ triangulis, sed secundũ æquilateres triangulos octo cõstitutis,unũ facientibus solidũ angulum ex planis quatuor, factisq; sex huiusmodi,corpus secundum absoluitur. At tertiũ ex elementis bis sexaginta copulatis,& angulis solidis duodecim, quorũ quilibet quinq; planis triangulis æquilateribus continetur,habẽs uiginti æquilateres bases, nascitur. Iam igitur elementum alterum sic hactenus ista genuerit. Verũ Isosceles triangulus quarti generauit naturã secundũ quatuor constitutus,& ad centrum rectos congregans angulos, unumq; quadrangulum æquilaterẽ faciens. Sex uero huiusmodi copulati angulos octo solidos, quorum quilibet per tres planos rectos coaptatus est, effecerũt. Corporisq; ita cõstituti figura cubica facta est, sex planos quadrangulos æquilateres bases adepta. Est & quinta quædam cõpositio, qua deus ad uniuersi constitutionẽ est usus,eaq; descripsit & figurauit, quæ contẽplatus aliquis non absurde dubitauerit utrum infinitos esse mundos an finitos existimãdum sit. Infinitos quidem dicere illius putabit esse proprium, qui nullam

lam rerum cognitione dignarum peritiam habeat. Sed utrum unus mundus an quinq; re uera nati sunt inquirere, minus utiq; putabit absurdum. Ratio quidem nostra unū ipsum uerisimili probatione asserit esse natum. Alius uero quis ad alia respiciens aliter opinabi tur. Sed hæc dimittenda sunt. Et iam genera quatuor à nobis paulo ante digesta, in ignē, terram, aquam, aeremq; distribuamus. Terrę cubicam speciem assignemus. Nam omniū quatuor maxime immobilis terra est, & corporalium omniū compacta maximæ. Tale ue ro illud prę cipue factum esse necessariū est, quod firmissimas tutissimasq; possidet bases. In triangulis porrò à principio positis, qui ę quilateres sunt, firmiorem tutioremq; quàm inæquilateres basem possidēt. Et quod ex utroq; compositum est planum æquilatere æ quilateri quadrāgulum, certe triangulo tam quo ad totum q̄ quo ad partes stabilius ne cessario prouenit. Quamobrem si cōuenientem probabilemq; sequi rationem uelimus, terræ id tribuamus: Aquæ deinde, quod tribus reliquis est immobilius: igni quod mobi lissimū: Aeri medium. Et corpus quidem minimum igni, aquæ maximum, aeri medium: acutissimum quoq; igni, secundum ab hoc aeri, aquæ tertium. Ex his omnibus quod ba ses pauciss imas habet, uelociss imum esse necessarium est. Est enim ad penetrandū prom ptissimum, quippe cum prorsus sit omnium acutissimum. Leuissimū quoq;, cum ex pau cissimis partibus eisdem constet. Quod secundum est, secundo loco habeat hęc oportet. Tertio tertium. Igitur secūdum rectam probabilemq; rationem pyramidis species solida elementum semenq; sit ignis. Secundam uero generatione speciem aeri, aquæ tertiam tri buamus. De his omnibus adeo paruis ita putandum est, quòd si singula duntaxat singu lorum generum capiantur, nullū eorum propter paruitatē cerni à nobis poterit: sin mul ta inuicem congregentur, eorum moles magnitudinesq; cernentur. Quinetiam hæc o mnia à deo tanta ubiq; quo ad multitudines, motus, atq; potētias proportione exacte ab soluta connexaq; sunt, quantam necessitatis natura libens & persuasa capere poterat. Ex omnibus sanè quorum genera sūprà narrauimus, ita merito se res habere uidetur. Terra cum in ignem inciderit, eius acumine dissoluta fertur resoluta in ignem, aut aerem, aut a quam, quousq; partes ipsiur congressæ iterum, sibiq; inuicem copulatæ terram reficiant. Non enim in aliam unquam speciem transmigraret. Aqua præterea ab igni uel aere diui sa in partes, unum, partibus suis recōciliatis, ignis corpus, aeris duo facit: portiones uero aeris, ex una dissoluta parte duo ignis corpora faciūt. Rursus quando ignis ab aere uel a qua uel terra aliqua occupatur, & ipse quidem paucus in multis mouetur, atq; in agitatis pugnat, iactatusq; distrahitur, duo corpora ignis in speciem aeris unam cōcrescunt: dein de superato aere atq; dispersō, ex totis duobus atq; dimidio una aquæ tota species coale scit. Deniq; sic ea rursus consideremus, quoties ab igne comprehensum aliorū genus ali quod angulorū laterūq; ipsius acumine scinditur, tum demum discerpi desinit cū in ignis naturā transierit. Simile enim idemq; genus quodlibet à simile eodemq; minime patitur: quousq; uero in aliud permutatur, imbecillius q; cum potētiore luctatur, dissolui nō desi nit. Rursus quando minora à multis maioribus circūuenta sunt, & pauca lacerata extin guuntur, cū in uincentis ideam constitui uelint, cessant extingui, fitq; ex igni aer, ex aere aqua. Quod si in hæc transitus fuerit, & aliorum aliquod genus impugner, nō cessant agi tata dissolui prius quàm aut omnino cum dissolubilia sint depulsa ad cognatū refugiant, aut expugnata in unum quiddā ex multis superanti simile tandē euadant, familiariterq; cum uictore permaneant. Enimuero per has passiones sedes uicissim cuncta cōmutant. Generis nanq; cuiuslibet multitudines per locum propriū distinguuntur, ob sedis ipsius agitationem. Quæ uero dissimilia inuicem facta sunt, propter fluctum concussionemq; ad locum eorum quibus similia euasere ferūtur. Corpora igitur immixta ac prima ex cau sis huiusmodi fabricata sunt. Quod autem in eorum speciebus alia quoq; innata sunt ge nera, causa est elementi utriusq; constitutio: quæ non solum ab initio unū cū magnitudi ne triangulum peperit, sed etiam maiora & minora tot quidem numero, quot in specie bus sunt genera. Quapropter mixta hæc in seipsis atq; inuicem, infinitam habent uarie tatem: cuius peritos esse eos oportet qui de natura sunt rationem probabilem reddituri. Igitur nisi quis quo pacto & cū quibus unà motus & cōstitutio fiat certe cōprehenderit, multa disputationi quæ manet à tergo, impedimenro futura uidentur. De his partim qui demdictum est, partim uero restat dicendum. In ipsa leni planaq; natura motus esse nun-

quam

quam ſolet. Nam agitandum abſq; agitaturo, uel agitaturum abſq; agitando difficile eſt, immo impoſſibile, reperiri. Motus autem horum omnium minime eſt. hæc uero leuia planaq; eſſe nunquã poſſunt. Sic itaq; ſtatum quidem in planitie lenitateq;, motum uero in contraria ſemper natura ponemus. Inæqualitas porrò naturæ huius eſt cauſa, quæ leni planoq; contraria eſt. Inæqualitatis uero generationẽ iam tractauimus. Sed quónam modo ſingula ſecundum genera non diuiſa moueri inuicem ferriq; deſinunt, nequaq; expoſuimus. Id ergo deinceps ſic explanabimus. Vniuerſæ naturæ circuitus cum circulari ambitu ſuo genera cõplexus ſit, & ſecum ipſo congredi ſtudeat, conſtringit omnia, locũq; uacuum relinqui nuſquam patitur. Quo circa ignis per omnia maxime penetrauit, deinde aer, utpote qui ipſi tenuitate eſt proximus, & alia ſimili ratione deinceps. Quæ em̃ ex maximis partibus ſunt compoſita, uacuitatem quoq; in ſua conſtitutione maximam reliquere, minima contra minimam. Coactionis autem ipſius anguſtia, parua in magnorum contrudit inania. Quare cum parua magnis inſinuata ſint & ipſa quidem parua quæ magna ſunt diſcernant, maiora uero minora coerceant, oẽmia ſurſum deorſum ue in ſua loca feruntur. Nam quod libet mutata magnitudine ſedẽ mutat. Sic utiq; & has ob cauſas naturæ lenitati contrariæ ſemper generatio conſeruata horũ motum & in præſenti & in futuro perpetuum exhibet. Poſt hæc ſciendum eſt multa eſſe ignis genera: flammam uidelicet: & quod ab ea eſt accenſum, quod urit quidẽ, lumen uero nullũ oculis affert: quod ue extincta flamma intra illa quæ accenſa fuerãt, remanet. Similiter aeris genus aliud puriſſimum agiliſſimumq;, quem ætherem nuncupant: aliud turbulentiſſimum, caligine nubiſq; obſcurum: aliasq; ſpecies ſine nomine eſſe putandũ eſt, propter ipſam triangulorũ inæqualitatem. Aquæ genera duo ſunt præcipua. Vnum humidum, alterum fuſile. Humidum quidẽ, quia generibus aquę paruis & inæqualibus cõſtat, facile à ſeipſo & ab alio propter inæqualitatis cõditionem & figuræ ſpeciem moueri ſolet. Quod autem ex grandioribus æqualibusq; & lenibus eſt compoſitũ, ſtabilius illo. Et graue propter lenẽ equalitatem cõpactum eſt, ſed propter ignis penetrantis diſſoluentisq; impetum æqualitate amiſſa motus fit particeps: factumq; agile mobileq;, à proximo aere pulſum extenſumq; per terram duo quædam patitur: nam & liqueſcit & in terram decidit. primũ illud molis, purgatio, hoc fluxus cognominatur. Rurſus igne hinc euolante, quippe cum non fiat in uacuum exitus, proximus aer pulſus mobilem adhuc molem humidam in ignis ſedes impellit, ipſiq; ipſam commiſcet. Moles deniq; cõpulſa, iterumq; lenem æqualitatẽ adepta, cum ignis inæqualitatis artifex iam abierit, in idem ſecũ coaceruat: atq; ignis abſceſſum frigefactionẽ, copulã uero congreſſumq; igne abeunte factum conglutinationẽ gelidãq; rigiditatem uocamus. Ex his uero quas aquas fuſiles appellauimus, quòd ex tenuiſſimis leniſſimisq; fit denſiſſimum, uniforme, ſplendidum, flauumq;, precioſiſſima res eſt, aurum floreſcens per petram compactum eſt. Auri autem ramus propter denſitatem duriſſimus & nigro præterea colore ſuffuſus, adamas appellatur. Sed quod auro proximas habet partes, pluresq; una ſpecies cõtinet, auro quoq; denſius, & terrenæ partis paucę tenuisq; particeps, adeo ut aſperius duriusq; ſit, uerum ex eo quòd interualla intrinſecus habet magna, leuius eſt: hoc genus nitentium concretarumq; aquarum unum eſt atq; æs nominatur. At quando terrena pars huic immixta propter uetuſtatem à cæteris partibus eius ſecernitur, ad extremamq; emiſſa ſuperficiẽ per ſe ipſa aſpectui patet, rubigo iam naſcitur. Cætera generis eiuſdem ueriſimilibus rationibus aſſequi, haudquaquã laborioſum eſt. Quòd ſiquis remittendi ſtudij gratia rationibus eorum quæ ſemper ſunt intermiſsis conſiderauerit ueriſimiles de generatione probationes, atq; eiuſmodi cõſideratione ſine pœnitentiæ acceſsione delectetur, moderatum in uita prudentemq; ludum cõſequetur. His utiq; nunc ita conceſſis, deinceps quæ de eiſdem probabilia uidebuntur, ita percurrenda uidentur. Igni ſæpe miſcetur aquæ pars tenuis, atq; humida fluidaq;, ſic ideo nominata, quia lubrica terra circumfluit: mollis quoq; ob eam cauſam, quia eius baſes minus firmæ ſtabilesq; quàm terræ, facile cedunt atq; labuntur. Hæc quando ab igni deſtituta, ab aere quoq; deſeritur, fit lenior, & alienis expreſſis cogitur in ſeipſam: atq; ita compacta, ſi ſupra terram id contigerit, grando fit: ſi in terra, glacies: quæ quidem tunc fiunt cum riget cohæreſcitq; maxime gelu: cum uero minus congelatur, ſi ſupra terram accidit, nix: ſin in terra ex rore craſſior facta, pruina. Verum quando plurimæ aquæ ſpecies inuicẽ commiſcentur

Ignis multa genera

Aeris multa genera

Generationes metallorum & adamantis

De grandine, glacie, nue, pruina

miſcentur, uniuerſum aliud genus à terra per arbores ſtillans, liquor humorq; uocatur. Liquores uero ſinguli propter mixtionis diſſimilitudinem nacti multa quidem alia ſine nomine faciunt genera, ſed quatuor igneæ ſpecies euidentes & perſpicuæ maxime, ſortitæ ſunt nomina. Quod enim animam ſimul cum corpore calefacit, uinum dicitur. Quod uero lene eſt, diſcernitq; uiſum, ideoq; aſpectu ſplendidum, atq; nitens, & pingue nobis apparet, uncta & olearia ſpecies eſt, pix, gummi, & oleum cæteraq; id genus. At quod oris anguſtos meatus ad penetralia uſq; naturæ perfundit, hac ui dulcedinem adhibens, mel communiter nuncupatur. Denicq; quod carnem diſſoluit uritq; & ſpumeum eſt ex omnibus ſecretum liquoribus, ſuccus uocat. Terræ uero ſpecies per aquam emergens hoc modo fit lapis. Congelata enim aqua quando in commixtione deficit, in aeris ſpeciem tranſit: hic aer in ſuum locum recurrit, uacuum autem ipſorum nihil, proximum ergo aerem pulſat. Iſte ſi grauis ſit pulſus, circumfuſusq; terrenæ moli, uehemẽter illidit, ſeq; ipſum in eas ſedes unde nouus aſcenderat aer, conducit. Terra denicq; ab aere indiſſolubiliter cum aqua coacta, lapides concreat, pulchriores quidem illos, qui perſpicue ex æqualibus plani sq; partibus emicãt, deformiores uero qui cõtrà. Vbi uero ignis acumine humor oẽis reſoluitur, corpusq; illo aridius redditur, ea reſtat ſpecies, quæ ſolida uocatur futilisq; tellus. Quandoq; etiam humore relicto, terraq; fuſili per ignem facta, ac deinde accedente gelu, niger fit lapis. Quãdo uero idipſum ſimiliter ex cõmixtiõe multo priuatur humore, ſed tenuioríb. terrę partib⁹ cõſtat, ſalſum q; eſt, & ſemiglaciale fit, perq; aquã emergit, partim quidẽ olei terreq; purgatoriũ genus, nitrũ dicit, partim uero quotidiano uictui cõmodiſſimũ legitime, ſal deo amicũ corpus. At enim cõmunia ex utriſq; aqua quidẽ nõ ſolubilia, igni uero propter tale aliquid ita cõglutinantur. Ipſas terræ moles, ignis & aer nõ liquefacit. Cum enim duo hæc tenuiſſima ſint, & uacuitatibus terræ minutiora, ita per capaciſsimos eius meatus ſine ulla uiolentia permanãt, ut neq; eam diſſoluant, neq; liquefaciant. Aquæ uero partes quia maiores ſunt, uiolento fluxu liquefaciũt. Terram itaq; male cõpactam ſic ſola aqua ui ſoluit, cõpactã uero duntaxat ignis, nihil enim præter ignẽ hãc penetrat. Aquæ rurſus cõcretionẽ, uiolentiſsimã quidẽ ſolus ignis, debiliorẽ uero utraq; & ignis & aer diffundunt, aer inquã per uacua, ignis etiã per triangulos. Aerẽ uero ui cõſtrictum, nihil niſi per elementũ ſoluit: ſine ui cohærentem ſolus reſoluit ignis. Corpora ex aqua terraq; ita cõpoſita ut aqua terrę inania ui coarctata obſtruat, ſic prorſus ſe habẽt ut aqua exterior influere per ea nõ poſſit, ideoq; minime liquefaciat, ſed ignis aquæ meatus penetrans quemadmodum & aqua terræ inania, atq; ita aquam afficiens ut ignis aerem, cõmuni corpori liquefactiõis cauſam præbeat. Hæc uero partim aquę minus habẽt quàm terræ, quemadmodum uitri genus, & lapides illi qui fuſiles appellantur: partim contrà plus aquæ, qualia ſunt omnia quæ cõglutinata ſunt, cæreaq; euadunt, & uapores emittunt. Hactenus eas ſpecies quæ figuris, commutationibusq; inuicem uariantur, penè iam demonſtrauimus: quas uero ob cauſas paſſiones earũ naſcantur, deinceps demonſtrare conabimur. Principio ſenſum his quæ dicta ſunt, adeſſe ſemper oportet. Carnis uero & eorum quæ ad carnem attinẽt, generationem, animæ quoq; quantum mortale eſt, nondum declarauimus. Sunt enim hæc à paſsionibus quæcunq; cum ſenſu ſunt, minime ſeparata, & illæ ſine his exponi ſufficiẽter nõ poſſunt, ſimul uero expleri ferme nequeũt. Prima igitur alia ponenda ſunt: denicq; quæ ſequuntur, expedienda. Vt ergo deinceps in diſputando genera paſſiones ipſæ ſequantur, prima nobis extent quæ ad corpus & animam pertinent. In primis qua ratione ignis calidus dicitur, uideamus. quod ita demũ perſpiciemus, ſi diſcretionẽ diuiſionẽq; ab eo in noſtro corpore factam cõſideremus, quod enim acumen quoddam ea paſſio eſt, fermè eſt omnibus manifeſtum. Tenuitatẽ uero angulorum laterumq; ſubtilitatẽ, paruitatem particularum, motus uelocitatem, quibus omnibus uehemẽs & penetrãs eſt, uelociterq; quod occurrit, diuidit ſemper & diſſipat cõſiderare debemus, figuræ ipſius generationẽ memoria repetentes. ea quippe, nõ alia natura corpora noſtra diuidens, & in partes exiguas partiens, merito paſſionem illam quæ legitime calor nominatur, inducit. Cõtraria uero huic paſſio licet cuiq; manifeſta, ſua tamen explanatione nõ careat. humidæ nanq; partes corporum, partibus noſtris humidis grandiores, cum in corpus influunt noſtrum, minores quidẽ partes extrudunt, ſed in earum ſedes ſeſe inſinuare non poſſunt, humorem autem noſtrum coagulant, atq; ex inæ-

Liquores quatuor

De lapide, nitro, ſale, uitro & cæteris

Cur ignis calidus, & de caliditate

De frigore

quali

quali & agitato immobilem propter æqualitatem coagulumq́ faciunt, inq́ angustum co gunt. Quod autem præter naturam coactum est, secundum naturam renititur, seq́ reuocat in contrarium. In hac reluctatione quassationeq́ tremor rigorq́ consistit: omnisq́ huiusmodi passio, frigus, quodue eam infert, frigidum nominat. Durum autē dicimus illud cui caro nostra cedit, molle quod carni: resq́ ipsas inuicem & duras & molles, eadem ratione uocamus. Cedit autem quicquid paruo nititur. Quod uero ex triangularibus basibus firmamentisq́ est, utpote plano uehementer innixum, renititur maxime atq́ resistit: quodue summopere densum est, contra uenientia uehementer repercutit. Graue præterea & leue cum ea natura simul quæ sursum deorsum'ue dicitur, commodissime declarabitur. Sed illud dictu absurdum est, esse duo quædam natura loca à se inuicem longo interuallo distincta: & unum quidem deorsum uocari, ad quem locum ea deferātur omnia quæcunq́ molem quandam corporis habent: alterum uero sursum, ad quē ui omnia moueantur. Cum enim cœlum omne rotundum sit, quæcunq́ à medio æque distantia extrema facta sunt, similiter esse oportet extrema. Mediū quoq́ æqualibus lineis ab extremis undiq́ distans, eregione æquè omnia respicit. Quoniā igitur ita mundus dispositus est, si quis dictorum quicquam sursum esse dixerit uel deorsum, non iniuria errare uidebitur. Medius enim locus in ipso, neq́ sursum, neq́ deorsum dici debet, sed medius. Quod rursus undiq́ circuit, neq́ medium est, neq́ partem in se habet aliam ab alia differētem, quo ad ipsum medium, & omnino quicquid sit eregione locatū. Ei uero quod sui ipsius simillimum est, contraria nomina iure nullus attribuet. Siquid enim solidum æquilibratumq́ in uniuersi medio sit, ad nullam extremorū partem propter perfectam ipsorum similitudinē declinabit: at siquis circa illud obambulet, sæpe sibimet plantis stabit oppositis, eandemq́ illius partem, tum sursum, tum deorsum uocabit. Itaq́ uniuersum quemadmodum paulo ante diximus, cum sit rotundum, locum habere superiorē aut inferiorem uir prudens minime affirmabit. Sed unde nomina sunt ista, & in quibus ea intuiti ex illis ad mūdum totum transtulimus, huiusmodi quædam in primis ponentes, inuestigemus. Si quis in ea mundi regione quam ut plurimum sortitus est ignis, & ad quam undiq́ fertur, insideat, uimq́ aliquam nanciscatur, per quam ignis partes arripiat libretq́, aut ubi in stateræ lancibus collocauit, ut deorsum in dissimilem detorqueat aerem, cōstat plane minorem ignis portionem maiori facilius coactum iri. Vbi enim duo simul uno robore suspendun tur, minus quidem magis, plus autem minus inferenti uim cedit. Et unum quidem graue deorsumq́ ferri dicitur, alterum uero sursum ac leue. Idem nobis terram habitantibus accidit. Nam terræ innixi, perq́ eam gradientes, terrena genera inuicem separamus atq́ distinguimus, & sæpe terram in dissimilem aerem iacimus uiolenter, præterq́ naturam, sæpe partes utrasq́ cognatæ naturæ participes. Hic portio minor facilius quàm maior ad dissimilē locum iacta, prius uiolentiæ cedit, eamq́ leuē cognominauimus: & locum ad quem compellimus, sursum. Contrariam his affectionem graue quiddam, atq́ deorsum. Hæc itaq́ differre inuicem necessarium est, propterea quòd generum multitudines locum alijs contrarium obtinent. Quod enim in alio loco leue est, leui quod in loco est contrario: & graue similiter graui: & ei quod deorsum dicit̄, id quod deorsum: eiq́ quod sursum, id quod dicitur sursum. omnia enim hæc transuersa inuicem & contraria ac penitus differentia esse fieriq́ reperientur. Vnum tamen id de his omnibus cogitādum, quòd uia gressioq́ singulorum ad simile atq́ cognatum ferēs, graue facit id quod fertur: locum uero in quem tale quid fertur, deorsum. Quæ aliter se habent, aliter efficit. Harū igitur passionum huiusmodi quædam dictæ sint causæ. Lenis item & asperæ passionis causam quilibet intuitus aperire alijs poterit. Durities enim hanc inæqualitati permixta, illā uero æqualitas exhibet densitati. Sed earum passionum quæ circa totum corpus cōmuniter accidunt, ea restat maxima quæ uoluptatis doloriscq́ est causa in his quæ diximus. Similiter quæcunq́ per corporis partes sensibus patent, doloresq́ & uoluptates cient. Ita igitur omnis tam sensibilis quàm insensibilis passiōis, causas capiamus, in primis memoria repetentes quod de ea natura quæ facile mouetur, deq́ ea quæ mouetur difficile, supra distinximus. hoc enim pacto ea persequi debemus omnia quæ cōprehendere cupimus. Quando in id q̄d facile moueri solet, aliqua uel breuis incidit passio, pars eius quælibet sequentibus partibus undiq́ passionem ipsam transfundit, quousq́ ad prudentiæ sedem peruenia-

Deduro & molli

Surſum & deorſum

Deleni & aſpero

De uoluptate & dolore

niatur

niatur:ubi per hos quasi nuncios potentia illius quod passionem intulit,noscitur. Quod uero cõtrà est affectum,& immobile quodammodo permanet; circularẽ illam transfusionẽ non habet:& ipsum quidem patitur solum,proxima uero minime mouet.Quapropter cum partes aliæ alijs passionem primã non impertiant,totumq; animal hinc minime agitetur,sensus expers id quod patitur extat. Id profecto circa ossa capillosq; & reliquas partes quæ terrenæ ut plurimum in nobis sunt,accidit. Visus uero & auditus instrumenta aliter omnino efficiunt,quia illis ignis aerisq; uis maxima inest.Quod præterea ad uoluptatem attinet & dolorẽ,ita consideretur.Passio uiolenter præterq; naturam abunde si mulq; nobis illata,molesta fit. Rursus quæ in naturam abunde simulq; reuertitur, dulcis: quæ contrà fit,contrà. Passio uero magna cum facilitate illata sentitur quidem maxime, uoluptatis autẽ & doloris minime particeps.huiusmodi sunt,quæ ex aspectu proueniũt. Cui quidem corpus nostrum cognatum fieri in die suprà narrauimus, huic adustiones sectiones'ue & quęcunq; passiones huiusmodi,dolorem non inferunt,nec etiam quãdo in suam speciem fit restitutio,uoluptatẽ.Sensus tamen uehementes clarissimiq; ipsi competunt,quatenus aliquid patitur,incurritq; in aliquid & attingit. Violẽtia siquidem huius, discretioni cõcretioni'ue nulla penitus inest. Corpora uero ex partibus grandioribus cõstituta,& uix agenti cedentia,quando motiones illatas in totum corpus trajciunt, uoluptates doloresq; continent:quando uidelicet è suo statu mouentur, dolores: quando redeunt,uoluptates.Quęcunq; paulatim abscessus euacuationesq; sui perpetiuntur, repletiones uero simul atq; abunde,cum euacuationis quidem sensum habeant nullum, replẽtionis autem habeant,mortalitate ipsius potentiæ dolores nullos, uoluptates uero maximas afferunt. Quod ex suauium odorum perceptione cognoscitur. At quæ è sua natura simul & abunde pelluntur,paulatim uero uix in eam restituuntur, contrà quàm superiora affici solent.hoc plane in secandis urendisq; membris apparet.Iam communes toti corpori passiones,easq; inferentium cognomẽ attractauimus. Nũc igitur eas quæ certis nostri corporis partibus accedunt,& unde proueniunt, quibus'ue causis inferũtur, pro uiribus exponamus.Principio quæ suprà quando de humoribus agebamus reliquimus,cum linguæ passiones sint,si quomodo possumus declaremus.Videntur autem hæc quemadmodum & alia multa discretionibus quibusdam & concretionibus fieri,ac præterea lenitate asperitateq; magis quàm cætera uti.Tenduntur à lingua uenæ ad cordis sedem, saporum nunciæ:in quas siqua ita inciderint ut humidam carnis mollitiẽ penetrantia terrestri sua natura modice liquefacta,uenas ipsas contrahant arefaciantq;,sapores huiusmodi pariunt.Videlicet si asperiora sunt acerbos acresq; : sin aspera minus, austeros & ponticos. Sapores
Quæ & illas purgant,& siqua linguæ inhæresçunt, abluunt,si ultra modum id faciant, naturaq; ipsius nonnihil liquefaciant,qualis est in nitro potentia,amara omnia nominãtur. Si nautem uim nitro temperatiorem habent, leniusq; abstergunt, salsa sine amaritudinis asperitate,magisq; amica nobis apparent.Quæ autẽ applicata oris caliditati,ab eoq; mollita & feruefacta ipsum uicissim feruefaciũt,suaq; leuitate sursum ad sensus capitis eleuantur,suoq; attractu singula diuidunt,propter huiusmodi uires acuta uocãtur. Quãdoq; uero hæc eadem ex putredine attenuata angustas uenas ingrediunt, coguntq; partes interiores tam terrenas quàm quodammodo aereas iactatas inuicem cõmisceri, permixtasq; circũlabi alias,& alias ingredi,ingressuq; suo penetratas cõcauas tensasq; efficere,ubi cõcauus & ampullosus humor aeri circunfunditur, isq; humor aliàs terreus quoquo modo est,aliàs purus,fitq; ex aqua concaua uasculum aeris humidum atq; clarum. Sed quod ex pura nascitur aqua, perlucet undiq;, ampullaq; uocatur. Quod autem ex lutulento magis humore simul agitato quidem elatoq; & circumtenso conficitur,ebullitio,bulla, fermentumq; dicitur.harum omnium passionum causa acida qualitas appellatur.His omnibus quę de his dicta sunt contraria passio,à contraria causa proficiscitur. Quãdo uero ingrediẽtium qualitas humida est linguæ qualitati naturaliter concors & cõsentanea,ac lenit mollitq; eam,contractamq; demulcet asperitatem,& quæ in nobis præter naturã contracta uel sparsa fuerunt,relaxat uel colligit,ac summatim naturalem singulis restituit habitum,suaue huiusmodi omne amicumq; est omnibus, uiolentarum quoq; passionũ medicina atq; remedium,dulceq; uocatur. Circa narium uim species nõ sunt.Semigenia enim odorum natura,Speciei uero nulli competit odorem ullum habere.Sed nostrę circa De odore

hæc uenæ ad terrę & aquæ genera anguſtiores ſunt,ad ígnis uero aerisq́ genera latiores. Quocírca nemo unquam iſtorum aliquem ſenſit odorem.Sed in madefactione quorundam,uel putredíne,uel liquefactione,uel euaporatione gignuntur odores. Cum enim in aerem aqua uel aer in aquam tranſit,in medio iſtorum odores fiunt,omnisq́ odor aut fumus eſt,aut caligo. Sed horum quod ex aere mutatur in aquam, caligo: quod uero ex aqua in aerem, fumus. hinc fit ut aqua odores tenuiores ſint,aere craſsiores. Quod maxíme perſpicuum fit, quando certa quadam re naribus occurrente aliquis in ſeipſum uehementer ſpiritum retrahit.Tunc ſane nullus ſimul ínfluit odor, ſpíritus autem ab odore nudus ſolus ſequitur.Duæ ígitur hæ in his uarietates abſq́ nomine ſunt,nec ex pluribus, nec ex ſimplicibus ſpeciebus:ſed duo íbi nomina tantum manifeſta ſunt,ſuaue ſcílícet & moleſtum.Hoc quidem díſturbat uiolatq́ omnem eam capacitatem quæ à ſummo capítis uertice ad umbílicum protenditur.Illud uero eandem mulcet,& amíco quodam ingreſſu naturalem eius ſeruat habitum. Tertiam præterea uim ſentiendi,auditū uidelicet, ita conſíderare debemus,ut quibus ex cauſis paſsiones eius proueniant,exponamus.Omnino ígitur uocem ponamus pulſationē quādam ab aere,per aures cerebrumq́ & ſanguinem uſq́ ad animam penetrantem.Natam quoq́ ex ea motionem incípientem à capite,& in ſedem ſecoris deſinentem,auditum uocemus. Motio quidem uelox,acuta proue nit:tarda,grauis. Vna æqualis atq́ lenis,contraria uero aſpera.Magna quæ multa, parua quæ pauca.Harum uocum cōcordíam conſonantíasq́ in ſequentibus declarabímus. Sequitur quartum ſentiendí genus exponendum,quod uarietatem in ſe plurímam cōtínet: & quæ ſub eo ſunt omnia,colores uocantur.Eſt autem color ueluti flammula quædā fulgorq́ à ſingulis corporíbus emanās,partes habēs uiſuí ad ſentiēdum accōmodatas. Cauſas uero ex quibus uiſus gígnit̄,ſuprà tractauimus.Nunc de coloribus potiſsimū hoc pacto probabilia dicēda uident̄. Quæ ab alíjs delata partib. ín aſpectū cadūt,partím minora,partím maiora,partim uiſus ipſíus partib.æqualia ſunt. Aequalia quidē ſentíri nō poſſunt,quæ díaphana,id eſt utrinq́ perſpícua nominātur. Minora uero aut maiora partím diſcernere,partím contrahere uiſum dícimus,inſtar eorū quę caliditate uel trigiditate earnem,aut eorum quæ acrimonía uel acumíne calidítate ue línguam contrahunt uel diſcernunt.Atq́ ea quæ uiſum ſic afficiunt alba nigra ue uocamus,quæ quidem paſsiones eorū ſunt,quæ modo narrabam, & illorū quidem germana eademq́ quodammodo,ſed in genere alio, diuerſa tamen propter has cauſas eſſe uidentur. Sic utiq́ appellanda ſunt iſta. quod uiſum díſgregat,album:nigrum uero,quod cōgregat.Motionem profecto acutiorem alteriusq́ generis ignis,incidentē díſpergētemq́ uiſum uſq́ ad oculos,orbesq́ ipſos oculorum meatusq́ ui díuerberantem,líquefaciētemq́ ignem eſſe dicimus ex oppoſito obuiantē,cuius occurſu lachryma,corpus ex igni & aqua mixtū,effunditur. Et uno quídem igne uelut è coruſcatione quadam exíliente, altero uero penetrante, & ab humore extincto,uarij̄ creantur ex huiuſmodi mixtione colores:atq́ ipſam paſsionem fulgorem coruſcationemq́ uocamus:quod ue id facit,ſplēdidum atq́ coruſcum. Horum medium ignis genus ad oculorum humorem perueniens,illiq́ ſe miſcens,minime quidem coruſcum,ſed ex ipſa ígnei radij̄ ad humorem admixtione, ſanguineum creante colorem, rubeum nominauimus.Splendidum albumq́ rubeo mixtum flauum procreat.Quo autem mentūræ modo ſingula ſingulis miſceantur,etiam ſiquís nouerit,narrare prudentis non eſt,præſertim cum neq́ neceſſariam,neque ueriſimilem de his rationem afferre ullo modo poſsit. Rubeum cum albo nigroq́, purpureum generat.Paulo obſcurior moreus lutheolusq́ fit color,quando his inuicē conflatis aduſtisq́ magís eſt adiuncta nigredo. Fuluum flaui fuſciq́ temperatione producitur. Fuſcum uero albi & nígrí confuſione. Pallorem albi flauiq́ copula generat.Splendidum albo adiunctum plurímaq́ obfuſum nigredíne cæruleum efficit. Cæruleum cum albo glaucum creat. Fului nígriq́ temperie color uíridis naſcitur. Cætera fermè ex his omnia manifeſta fiunt. Síquis enim ſuperiores mixtiōes imitatus reliquos colores exequit̄,probabilibus rationibus diſputabit. Atſiquis horum diſcuſsionem probationemq́ opere ipſo aggredietur, quid inter humanam díuinamq́ naturā interſit, ignorare uidebitur. Nempe deus multa in unū colligere,rurſusq́ unū in multa producere ſufficiēs eſt.ſcit eīm ſimul ac poteſt. Homo aūt nullus qui alterutrum ualeat,aut eſt nūc,aut unquam erit,Hæc ſanè omnia ita tunc naturaliter affecta ex

De auditu

De coloribus

neceſsi-

neceſsitate ille pulcherrimi optimiq; operis fabricator in his quę gignebãtur aſſumebat, quando deum ſeipſo ſufficientem,& perfectiſsimum generabat:utens quidem cauſis ad hæc miniſtris, quod autem bene ſe habebat,ipſe in ſingulis agens. Duas enim cauſarũ ſpecies diſtinguere decet. Vnam quidem neceſſariam, alteram uero diuinã. Ac diuinam in omnib.quærere,ut beatã uitã quoad naturæ noſtræ poſsibile eſt,adipiſcamur. Neceſſariã quoq; cauſam illorũ gratia perſcrutari. Cogitare enim oportet abſq; his illa in quibus ſtudium ponimus,non poſſe intelligi,uel comprehendi, uel quomodocunq; aliter percipi. Quoniam uero nobis in præſentia ueluti fabris materia ſubiacet,cauſarũ uidelicet genera uicem fermè iam præparatæ materiæ obtinentia,ex quibus eſt ſequens diſputatio contexenda,rurſus ad principiũ breuiter redeamus, citoq; illuc regrediamur, unde hucuſq; proceſsimus,atq; ita demum finem apicemq; diſputationi,qualem ſuperiora exigunt,imponamus. Quemadmodum ab initio diximus, cum hæc ordine carerent, ſingulis deus, & ad ſeſe,& ad alia inuicem eatenus modum rationemq; proportionis indidit, quatenus ſuſcipere ſingula poterant. Tunc profecto nihil erat ordinis,niſi fortè caſu aliquo, particeps:nec quicquam tunc aqua uel ignis uel aliud aliquid eorum quę modo apud nos nominãtur,iure uocandum erat. Verum hæc primũ omnia exornauit,deinde ex ijs hoc uniuerſum conſtituit,animal unũ, animalia in ſe omnia mortalia & immortalia cõtinens. Et diuinorum quidem ipſe eſt auctor,mortaliũ uero generationẽ natis ſuis tradidit abſoluẽdam. Illi igitur ſuum imitati parentẽ,principiumq; animæ immortale ſuſcipientes, animã ipſam mortali corpore clauſerunt,totumq; corpus animæ,quaſi uehiculũ ſubdidere, atq; in eo aliam animæ ſpeciẽ mortalem fabricauerũt,quę grauibus neceſſarijſq; perturbationibus afficeretur. Quarũ prima foret uoluptas eſca maxima mali, Dolor deinde fuga impedimentumq; bonorum, Audacia præterea metusq; conſultores amentes:accederet & implacabilis iracundia,Spes etiã blanda conciliatrixq; cum irrationali ſenſu, amoreq; omnium inuaſore. Illi ergo hæc miſcentes neceſſario mortale genus compoſuerunt. Cæterum ne diuinum ulla mortalium contagione,niſi quantũ ſumma neceſsitas cogeret, polluereturſeorſum ab illo in alia corporis ſede mortale collocauerũt: atq; à pectore caput, ceruice & collo interiecto ſeparauere. In pectore igitur & thorace mortale genus animę poſuerunt:cumq; id naturaliter partim melius,partim deterius eſſet, diſpoſuerunt rurſus thoracis capacitatem, diſcernensq; ſedem tanquam uirorum alteram, alteram fœminarum. Cartilaginem enim quãdam nomine diaphragma,quod etiam phrenas uocant, inter hæc mediam interiecerunt. Partem igitur animę fortitudinis iracundiæq; participem contentioſamq; capiti propinquiorẽ fecere inter diaphragma ceruicẽq; mediam, ut hæc obediens rationi,unà cum ipſa cupiditatum genus ui illata coerceat,ſiquando rationis in arce capitis habitantis iuſſa cupiditas reſpuat. Cor uero uenarũ originem fontemq; ſanguinis per omne corpus impetu quodam manantis in ſtipatorũ regione ſuſpendere uoluerunt:ut quando iræ uis exardeſcit,ratione nunciãte ſiquid extrinſecus iniuſte fiat, uel intrinſecus aliqua concupiſcentia turbet, tunc celeriter per anguſtos quoslibet meatus quicquid in corpore ſenſus eſt particeps, iuſſa minasq; perſentiat, atq; ita obediat obſequaturq; omnino,toleretq; in omnibus pręſtantiſsimi illius imperium. Cũ uero cognoſcerent cor rerum terribilium obiectu trepidaturum,& ira ſæpius flagraturum,idq; opus omne per ignem fore,æſtus huiuſmodi temperãdi gratia,pulmonum tegmen cordi adhibuerunt,molle primum atq; exangue, deinde cauis extrinſecus fiſtulis ſpongiæ inſtar diſtinctum, ut ſpiritu potuq; hauſto cordis ardorẽ huiuſmodi reſpiratione & refrigerio tepefaciat. Quam ob cauſam arterias tanquam aquæductus per pulmonũ ſubſtantiam deriuarunt,eamq; cordi, quaſi mollem ſaltum circundedere:ut quando nimia feruet ira,inde ad faciliorem obedientiam temperatum deferueat, ſedatoq; tumultu rationi facilius cum ira miniſtrare & obſequi ualeat. Poſtremo eam animæ partem, quæ eſculenta & poculenta cupit,& reliqua omnino quibus corpus indiget concupiſcit,medię regioni inter diaphragma & umbilicum applicauere:ubi quoddã quaſi præſepe ad totius corporis alimoniam extare uolebant,& ibidem illam uim animæ tanquam agreſte animal alligauerunt. Hic ſanè illam corpus ſuũ alere neceſſariũ eſt,ſi quidem mortale quandoq; futurum eſt genus. Vt ergo ad præſepe ſemper illa paſcatur,habitetq; procul à conſultore, ideoq; illum clamore & ſtrepitu ſuo minime turbet,ſed permittat præcipuum noſtri ducẽ tran-

Duæ cauſarum ſpecies

Perturbationes

Diaphragma

Cor uenarũ origo,& ſanguinis fons

quillo in otio communi omnium utilitati cõsulere,regionem idcirco inferiorem ipsi habitandum dij dediſſe uidẽtur. quoniam uero uidebat deus partẽ illam animę talem fore, ut rationem non exaudiret:& ſi quo ſenſu pulſaretur, nullo modo rationibus obtemperaret,ſed ſimulachris uiſisq; nocte dieq; maxime raperetẽ: idcirco naturã iecoris procreauit,& in eius habitationem diſpoſuit, denſam inquam naturam,lenem,claram,dulcẽ,& amaritudinis non expertem:ut cognitionum ex mente deſcendens potentia in ipſo iecore uelut in ſpeculo figuras ſuſcipiente, aſpectuiq; ſimulacra reddente, quandoq; recepta terreat ipſum,quandocunq; cognata amaritudinis parte uſa,minasq; intendens,& toti repente ſuffuſa iecori felleos terribilesq; colores oſtentat:contrahens prẽterea ipſum rugoſum & aſperum totũ reddat,ac fibras eius,bilem, eiusq; uentriculum, & uenas quæ portæ uocantur,ſic afficiat,ut partim ex habitu recto deflectens atq; cõtorquens, partim obſtruens & concludens,dolores detrimẽtaq; prębeat. At rurſus quando manſuetudinis ex mẽte inſpiratio cõtraria uiſa effingit, amaritudinẽ quidẽ ſedans ex eo quod aduerſam ſibi naturam neq; ciere neq; attingere uelit,dulcedine uero illi ingenita utens, & omnia recta,lenia,libera in ipſo digerens:tunc ſane pacatã manſuetamq; partem animæ in iecore habitantem facit, adeo ut etiã in ſomno moderate affecta ſit,uaticinioq; utatur, quando rationis prudentiæq; eſt expers. Qui enim nos cõpoſuerunt paterni illius mãdati memores,quo mortale genus præceperat quàm optimum pro uiribus fieri, ita deteriorẽ noſtri partem inſtituerunt,ut ipſa quoq; ueritatis ſoret quodã modo particeps. ſiquidem in ea expleri uaticiniũ ſtatuerunt. Quod autem dementiæ humanæ deus diuinandi uim dederit,illud argumento eſſe nobis poteſt, quòd nemo dum ſanæ mentis eſt,diuinum & uerũ uaticinium ullum aſſequitur,ſed cum uel ſomno prudẽtię uis præpedita eſt,uel oppreſſa morbo,uel diuino aliquo raptu è ſuo ſtatu dimota, fieri diuinatio ſolet. Prudẽtis uero dũ taxat officium eſt, quæ à fatidico furenteq; ingenio dormiendo uel uigilando pronuncíata ſunt,intelligere:& quæcũq; uiſa illuxerint, ratiocinatiõne ita diſcernere,ut qua quidq; ratione,& cui futurum aliquid,uel præteritum, præſens ue bonum uel malum portendere uideatur,explanet. illius autem qui manſit manetq; adhuc in furore, non eſt officium quæ uiderit aut protulerit iudicare. Scitum profecto priſcum id dictum: Agere ſua, ſeq; ipſum cognoſcere,ſolius prudẽtiæ eſt opus. Hinc lex iubet diuinis uaticinijs iudices pręeſſe prophetas,quos Vates quidam nominant, ignorantes prorſus eos oraculorum uiſorumq; quæ obſcuris uoluminibus inuoluuntur,interpretes eſſe,non uates. Quare qui uaticinia iudicant,non uates illi quidem ſed prophetæ,id eſt uaticiniorum interpretes pronunciatoresq; uocandi. Atq; iecoris quidem natura ob hanc cauſam talis facta eſt,et in ea ſede qua diximus collocata,diuinationis ſcilicet gratia. Ac etiam uiuente unoquoq; taliũ ſigna clariora exprimi ſolent:uita uero priuato,cæcitas accidit,nec euidens quicquam ſit uaticinij ſignum. Proximum huic ad ſiniſtram locatũ eſt huius gratia membrum, ut purum hoc ſemper clarumq; reddat,& inſtar ſpeculi nitens atq; perſpicuum,ad imagines q; exprimendas accommodatum. Quapropter quãdo propter corporis morbum ſordibus iecur abundat,lienis raritas id purgans,eas combibit, cum membrum hoc concauum ſit & exangue. Vnde purgamentis impletum,excreſcit tumetq; ſanie. Ac rurſus cum mundatum corpus eſt,reſtrictum in ſeipſum conſidet. Quid igitur anima mortale,quid diuinum habeat,& ubi,& quibuſcum,& quare hæc inter ſe diſiuncta ſint,diximus. At quod reuera ita ſit ut diximus, ita demum aſſeremus,ſi diuinum confirmaret oraculum: quod uero ueriſimile ſit ita eſſe, & nunc & deinceps diligentius etiam inueſtigando aſſeuerare non dubitamus,atq; in præſentia ita ſit nobis aſſertum. Quod autem hæc ſequitur, ſimiliter eſt tractandum. Reliquum eſt enim qua ratione cætera corporis membra digeſta ſunt,enarrare. Itaq; hac potiſſimum ratione conſtare hæc decet. Cognoſcebant illi profecto noſtri generis fabricatores nos ad cibum potumq; intemperatos fore, ac propter ingluuiem plus quàm modus aut neceſsitas poſtularit, ex his ſumpturos. Igitur ne ſubitus propter morbos interitus proueniret, atq; ita imperfectũ mox genus mortale deſineret, inferiorem uentrem fabricauerunt ad eſculentorum poculentorumue ſuperabundantiam capiendam. Eum præterea ſpiris inteſtinorum circumplicauere, ne ſubito alimenta nobis aſſumpta defluerent, ac rurſus noui alimenti confeſtim neceſsitas immineret. Ob illam enim inexplebilem perpetuamq; uoraginem genus noſtrum philoſophię muſiceq; & mode-

Prudentis opus

Iecur

De liene

De inteſtinis eorũq; ſpiris

& moderationis omnis expers relictum fuisset, illi parti quę in nobis diuinissima est, minime obsecutũ. Ossium uero & carnis cæterorumq́ huiusmodi ita est natura composita. His nempe omnibus medullæ generatio initium præbuit. Vincula enim uitæ illius quã anima corpori iũcta ducit, applicata medullę, ex eaq́ per omne diducta, uinciũt fulciũtq́ corporis nostri constructionẽ. Ipsa uero medulla est ex alijs generata. Sunt quidẽ trianguli primi quidã & indeflexi, lenesq́ ad ignis, aeris, aquę, terræ, exactissimã generationem accommodatissimi: è quorum generibus singulis deus secernens singulos, & inuicẽ contemperatos permiscens, totius generationis mortalium sementem fomitemq́ constituit, dum medullæ ex his substantiam procrearet. Postea uero serens in ea, animarum genera alligauit. Figuras præterea quotcunq́ & qualescũq́ ex singulis speciebus adesse medullæ oportuit, tot penitus, atq́ tales statim in prima illa distributione distinxit. Et illam quidem medullæ partem in quam uelut agrum quendam diuinum semen iaciundum erat, globosam & undiq́ teretem finxit: atq́ encephalum, id est cerebrũ, idcirco uoluit nominari, quia unoquoq́ animali deniq́ absoluto uasculum cerebri capax, cephalum, id est caput, uocandum erat. Quod autem reliquas mortalesq́ animæ uires comprehensurum erat, rotundis simul oblõgisq́ figuris ornauit, totumq́ medullam uoluit nominari: atq́ ex ijs quasi quibusdã ancoris iaciens totius animæ uincula, circa illas iam uniuersum nostrũ corpus absoluit, ossiumq́ textura extrinsecus ea, fulciuit. Os uero ipsum ita composuit. terram atterens puram lenemq́ miscuit, madefecitq́ medulla. Id postea in ignem iecit, deinde in aquam mersit, rursus in ignem, iterum & in aquam. Atq́ ita sæpe transferens in utrunq́, tale reddidit, ut à neutro liquefieri posset. Hoc igitur usus sphæra ossea quasi torno facta cerebrum circũsepsit. Huc angustos reliquit meatus, & circa ceruicis simul dorsiq́ medullam ex ipso rotulas uertigines q́ effingens, quasi cardines subdidit, ita ut à capite per totum protenderit. Sic utiq́ semen omne seruauit, dum lapideo ambitu circumualauit. Articulos insuper addidit, alterius ipsius natura usus in ipsis tanquam media quadã existente potentia motus flexionisq́ gratia. Arbitratus uero ossium naturam aridiorem rigidioremq́ quàm oporteat fore, & cum ignita euaserit atq́ etiam frigefacta illisurã corrupturamq́ cito semen internum, neruorũ carnisq́ genus effinxit: ut neruis quidẽ membra reliqua uincientibus, intensis remissisq́ circa cardines ipsos, corpus omne ad flexionem tensionem'ue promptum & agile redderet: caro uero tegmen foret aduersus frigus atq́ calorem: & quemadmodum externa corporis fulcimenta solent, ad casus uarios munimentũ: præsertim quia talis erat futura, ut molliter leniterq́ corporibus cederet. Cui calidum idcirco humorem indidit, ut ęstate quidem roscida madidaq́ extrinsecus, toti corpori domesticum præbeat refrigeriũ, hyeme uero rursus proprio igni exteriorem glaciẽ moderate repellat. Hæc cum fictor ille nostri corporis cogitaret, mixtione quadam ex aqua, igne & terra contemperata, & acuto illis salsoq́ fermento adhibito, succi plenam ac mollem carnem conflauit: naturam uero neruorum ex osse & carne non fermentata unam ex utrisq́ potentia mediam temperauit, flauoq́ infecit colore. Hinc fit ut carne quidem tensior & aridior, ossibus autem agilior molliorq́ sit neruorum substantia. His deus medullam simul & ossa deuinxit, & hæc omnia carnibus cooperuit. Quæ igitur ossa animata maxime erant, paucissimis carnibus adoperuit: quæ uero minime, contrà plurimis atq́ crassissimis. Iuncturis insuper ossium, præterquã ubi necessitatis ratio aliter postulabat, paucas carnes adiecit, ne flexionibus impedimento forent, tardaq́ ad motum corpora facerent, ne'ue sua quadam solida crassitudine obtusioriq́ mole sensuũ aciem hebetarent, memoriam impedirent, ingenij acumen obtunderent. Quamobrem inguinũ, tibiarum, iliorum, brachiorum, lacertorũ ossa, & cætera omnia quę articulis carent, quę'ue intus latẽtia ossa propter animæ paucitatem in medulla, prudentiæ uacua sunt, multis sunt carnibus adoperta. Paucioribus uero quæ prudentiam habent, nisi forte carnosa quædã moles proprie ad sensum aliquẽ aptata sit: qualis est lingua. In cæteris est ut diximus. Natura enim ex necessitate genita atq́ nutrita nullo modo os cõpactum carnemq́ multam simul & acutum sensum admittit. Maxime nanq́ omnium ea capitis compositio habuisset si unà concurrere potuissent: genusq́ hominum pingue, neruosum, robustumq́ habens caput, uitam duplam, ac etiam multo diuturniorem, ualidiorem, placidioremquàm nos possedisset. Cæterũ nostris illis fabricatoribus de nostro genere cõsultantibus utrum

De ossibus & carne

De neruis

diuturnius quidem,ſed deterius,an breuioris quidem uitę,ſed melioris,efficerent,uiſum fuit uitam breuem melioremq; diuturnæ & deteriori eſſe omnino anteponendam. Itaq; caput oſſe raro texere,ſed carnibus neruiſq; quia flexiones non erat habiturum,non ſulciuerunt. His omnibus de cauſis caput membris omnibus acutius ad ſentiendum prudẽtiusq;, ſed imbecillius eſt conſtitutum. Neruos autem ob hanc rationem atq; hoc pacto deus extremæ parti capitis circumponens, ſpinæ dorſi eos quadam ſimilitudine circũpli cauit,ſummasq; illis maxillas ſub uultu deuinxit,reliquos per omnia membra diſſemina uit,articulum connectens articulo. Noſtri prẽterea illi exornatores,oris naturã dentibus, lingua,labijs,ita ut nunc uidemus, neceſſariorum ſimul & optimorum gratia ornauerũt. Nam ingreſſum quidem neceſſariorum,egreſſum uero optimorum gratia excogitauere, Nempe neceſſarium eſt quicquid ad alimoniam in corpus admittitur. Verborũ autem effluxio miniſtra prudentiæ, effluxionum omnium optima eſt atq; pulcherrima. Caput præterea nudo oſſe relinqui omni alio tegmine deſtitutum non poterat, propter caloris frigoriſq; exceſſum:neq; rurſus carniũ pondere prægrauatũ,ſenſus expers obtuſumq; reddendum erat. Carne igitur non penitus deſiccata reliduũ quod maius ſupererat ſegregatum eſt,cutisq; ipſa circa cerebri humorem ſibi ipſi iuncta & germinans caput circumueſtiuit. Humiditas autem ſub iuncturas ſcaturiens irrigauit,compegitq; ipſam ad uerticem. Iunciurarum uero ſpecies uaria propter circuitionum alimoniæq; potentiam facta eſt: & his quidem magis inuicẽ pugnantibus plures,minus uero pauciores. Hanc omnẽ cutem undiq; igne pupugit percuſitq; deus. Per cutis inde quaſi ſauciæ rimulas humor effluxit:quod ue illic humidum calidumq; ſyncerum erat,abijt:quod uero ex ijſdem quibus & cutis, erat permixtũ,emanationis impetu extrà productum, in longum extenſum

De capillis

eſt,tenuitatẽ punctationi penetrationiq; illi æqualẽ habẽs. Sed propter tarditatẽ à ſpiritu circunſtante retuſum,rurſusq; ſub cutem reuolutum, radices egit. His utiq; cauſis capilli in cute ſunt nati,ſecundũ pellis corijq; ſimilitudinẽ cuti quàm proximi,ſed propter coagulationẽ à frigiditate factam duriores cute atq; denſiores. Nempe capillus extra cutem productus frigore riguit. Hoc pacto conſtipatum hirſutumq; caput nobis deus inſtituit, cauſis quidem uſus illis quas diximus:tegmen uero ipſum ad cerebri tutelam non carnibus põderoſum,ſed leue eſſe uoluit,quod ad frigoris caloris ue intemperiem repellendã ſufficeret,& ſenſus acumen minime impediret. Ea uero quæ in digitis eſt nerui,pellis, & oſsis complexio,aridior facta, cõmuni quodam uno durioriq; cutis tegmine eſt adoperta. Cuius quidem acceſſoria miniſtraq; cauſa in ijs quæ diximus conſtitit:principalis autẽ cauſa in ea intelligentia quæ id futuræ commoditatis gratia fabricauit. Quod enim ex uiris quandoq; mulieres & cæteræ animantes erant futuræ noſtri illi opifices non ignorabant. quinetiã quòd unguium uſum beſtiæ quoq; multæ ad opera multa erant habituræ, intelligebant. Quapropter homines ſtatim genitos unguibus armauerunt. Hac utiq; ratione,& his de cauſis pelle,capillis,unguibus extrema membra operuere. Quoniam uero partes & mẽbra omnia mortalis animantis in mutua quadã cognatione genita erãt,uiramq; neceſſario in igne ac ſpiritu poſsidebãt, ne animal ipſum ab his reſolutum exhauſtũq; cito deficeret,hoc dij conſilio prouidere. Quippe humani generis naturã quandam cognatã alijs formis ſenſibusq; miſcẽtes,quaſi animal quoddam aliud plantauerũt. Talia ſunt domeſticæ arbores,plantæ,ſemina,quæ cõſita nunc cultaq; ab arte mitia nobis ſunt: quondã uero ſine cultura,agreſtia. Quicquid enim uitæ eſt particeps,iure animal nominabitur. Quod autẽ nunc dicimus,tertiæ animæ ſpeciei eſt particeps,quã inter diaphragma & umbilicum locauimus. Cui opinio,ratio,mens nulla penitus ineſt. Senſus uero ſuauis & triſtis unà cũ cupiditatibus conuenit. Omnia ſiquidem cõtinue patitur. Cum uero in ſeipſo ad ſemet conuertatur,externumq; reſpuat motũ, & proprio motu domeſticoq; utatur,idcirco huic natura non tribuit,ut quicquam penſi habens,ſuorum aliquid conſideraret. Quapropter uita quidẽ fungitur,nec eſt ab animali diuerſum. quia uero illa uiqua quid ſeipſum transfert,orbatũ fuit,ſtetit rigens,& fixum radicibus hæſit. Cum hæc oñia ſuperiores illi noſtri ad nutrimentũ nobis inferioribus ſuppeditaſſent, in noſtro corpore quaſi quodã horto meatus ueluti aquæ ductus uarios diduxerũt, ut liquoris deriuatione irrigaretur. Principio meatus occultos ſub conflatione cutis & carnis,duas ſcilicet uenas in tergo diuiſerunt,ſecundum geminã corporis ipſius figuram,ad dexteram & ſiniſtram.

Has

Has utiq; ad ſpinam demiſerunt, mediamq; medullam genitalem comprehendere, ut & hæc quàm maxime uigeat pullulétq;, & uberior hinc & alia quaſi decliuis effuſio, irrigationem æquabilem præbeat. Poſt hæc partientes circa caput uenas, easq; inuicem ex oppoſito implicantes, partim à dextris ad ſiniſtra, partim à ſiniſtris ad dextera corporis diſpertierunt, ut capiti ad reliquum corpus unà cum cute connexio foret, poſtquam neruis quidem non erat circulo quodam ſecundum uerticem comprehenſum atq; diſtinctum: atq; etiam ut ſentiendi uis ab utriſque partibus per totum corpus undiq; demanaret. Hinc uero aquæductum hoc ordine deduxerunt: quem plane perſpiciemus, ſi hoc inter nos primum aſſeuerabimus. Quęcunque ex minutioribus componuntur maiora detinent: quæ uero ex grandioribus, minutiora cohibere non poſſunt. Ignis autem præ cæteris generibus, minutiſsimis conſtat particulis. Ideoq; aquam, aerem, terram, & quæ ex his componuntur omnia, penetrat, tranſilitq; uſqueadeo, ut nihil ipſum ualeat cohibere. Idem quoque de noſtro utero cogitandum. Nempe cibos & potus ingeſtos retinent, Spiritum uero & ignem, quia eius compoſitione tenuiores ſunt, demorari nō poteſt. His igitur uſus eſt deus ad irrigationem ab utero in uenas perficiendam. Rete enim quoddam ex aere atque igne inſtar gibboſæ ſagenæ contexuit. Vbi duo ſunt ad ipſum introitum gibbi conuexa: quorum alterum bifariam bino pulſu iterum implicauit, & ab ipſis gibbi conuexis ueluti funes per totum corpus uſque ad texturæ illius extrema circumtendit. Interiora igitur ipſius tricæ omnia ex igne compoſuit, conuexa uero & receptaculum ipſum ex aere. Demum hæc aſſumens in animali formato hoc pacto diſpoſuit. Conuexa quidem in os dimiſit, Cum uero conuexum gibboſumq; ſit duplex, per arterias alterum in pulmonem uſque traiecit, alterum circa arterias in uterum. Alterum uero partitus utranque illius partem ad fiſtulas narium communiter duxit, ita ut quando alterum ad os non peruenit, ex hoc ipſo omnes illius fluxus meatusq; repleantur. Alteram uero gibbi retisq; capacitatem circa omnes partes corporis concauas eſſe uoluit. Idq; omne aliâs quidem in conuexa incuruaq; confluere molliter, quaſi aer illic ſit, effecit: aliâs autem conuexa incuruaq; ipſa refluere: Rete uero quoniam rarum ſit corpus penetrare per ipſum rurſusq; emergere. Radios autem ignis interiores ſucceſſione continua ſubſequi, in utranque partem aere tranſeunte. Idq; donec mortale conſiſtit animal, fieri nunquam ceſſat. Huiuſmodi agitationem, merito expirationem reſpirationemq; nominatam eſſe cenſemus. Omne autem hoc opus omnisq; noſtra hæc paſſio in corpore fit, irrigatione quadam & refrigerio ad uitam & nutrimentum. Quando enim expirante & reſpirante halitu, ignis ſimul interior ſequitur, perq; uterum diffuſus poculenta eſculētaq; offendit, liquefacit protinus ipſa, partitur in minima, per exitus quà progreſſio patet tanquam ex fonte quodam educit: in meatus uidelicet uenarum traijcit quæcunq; exhauſit, atque per corpus quaſi uallem uenarum fluenta diducit. Sed uideamus iterum quibus cauſis reſpiratio hunc in modum quem nunc cernimus fuerit inſtituta. Cuius quidem rei talis erit conſideratio. Quoniam uacuum nuſquam eſt, quò quicquam eorum quæ perferuntur, ingredi queat, ſpiritus autem è nobis euolat, cuiuis conſtat non in uacuum quidem hunc ſpiritum euolare, ſed proximum ſibi è ſua ſede depellere, depulſum rurſus illum proximum ſibi ſemper extrudere, ac ſecundum neceſſitatem huiuſmodi quicquid in ſedem illam percutitur atque impellitur, unde excluſus eſt halitus, ingreſſum illuc replensq; halitum ipſum ſubſequi. Idq; totum ſimul reuolutione quadam, qua nuſquam ſit uacuum, fieri. Quamobrem cum pectus pulmonesq; ſpiritum efflauerint, mox aere corpori circumfuſo meatus corporis penetrante replentur. Ac rurſus euolans à corpore aer & emiſſus anhelitus inſpirationem intro retrahi cogit per oris nariumq; meatus. Cauſas uero quæ his principium dant, huiuſmodi ponimus. Omne uniuerſi huius animal in uenis & ſanguine calorem quaſi fontem ignis aliquem poſſidet, Idq; reti ſagenæ comparauimus, per medium extenſum, totumq; ex igne contextum, cum exteriora omnia ex aere ſint. Calorem ſanè putandum eſt natura ſua in regionem ſuam extra ad id quod ſibi cognatum eſt emanare. Cum uero diſcurſiones duæ ſint, unà per corpus extrà, altera rurſus per os ac nares, cum anhelitus ad alia impetum facit detruditq;, alia contrà retrahit atq; repercutit. Quod autem retractum eſt, in ignem incurrens caleſcit: quod exhalauit, friget. Dum ergo caliditas permutatᷣ, & quæ alio tran

ſitu utuntur, caleſcunt, ac rurſus quod feruet ad naturam ſuam emigrat, & hanc emigrãtione alia in aliud iter repercutit, rurſuſq; hæc idem perpetiuntur aguntq; ſemper, certe anhelitus hic circulo quodam hinc & illinc iugiter fluctuans expirationem & inſpirationem continet. Quinetiam cauſæ paſſionum quæ ex attractu ampullarum ex corpore à medicis fiunt, atque etiam potionis, & eorũ inſuper quæ iaciuntur, ſiue emittantur ſublimia, ſeu deferantur humi, hac utique ratione tractandæ uidentur. Voces præterea, quæcunque ueloces & tardæ, acutæ & graues audiri ſolent, aliâs diſſonæ propter motus eius qui in nobis ab ipſis fit, diſſimilitudinem, aliâs propter ſimilitudinem conſonæ. Priorum enim uelociorumq; ceſſantes motus, iamq; ad ſimile quiddam progreſſos, tardiores ipſæ uoces ſuccedentes illis, eosq; mouentes, occupant: comprehendentes uero non alium quidem motum inijciendo perturbant, ſed tardioris lationis initium ſecundum principium uelocioris inducunt. Dum uero deſinentis motionis ſimilitudinem ſibi quandam accommodant, unum ex acuta & graui concentum contemperãt. Vnde inſipientibus uoluptatem, ſapientibus gaudium propter diuinæ harmoniæ imitationem in lationibus mortalibus repertam, tribuunt. Eadem ratio eſt de aquarum fluxibus, de fulminum impetu, de electri mirabili illo attractu, lapidis ue illius qui Heraclius nominatur. Reuera nullius horum attractio fit: ſed cum nuſquam ſit uacuum, & hæc ſeinuicem pulſent, atque repulſent, concretaq; & diſcreta ſuum locum ſingula poſcant, diligenti harum rerum inueſtigatori ex his mutuis paſſionibus euentus illi mirabiles contingere uidebuntur. Atqui reſpiratio, unde huc digreſſi ſumus, ab his cauſis, & hunc in modum, ut ſuprà diximus, prouenit. Dum uidelicet ignis cibos diuidit, eleuaturq; intrinſecus aſſecutus ſpiritum, uenas à uentre communi eleuatione huiuſmodi replet, ex eo quod attrita inde haurit, & ob hanc rationem per totum animalium omnium corpus alimentorum liquores penitus diffunduntur. Statim uero attrita & à cognatis ſuis ablata partim fructibus partim graminibus, quæ deus ad alimoniam corporis noſtri produxit, colores propter mixtionem omnino uarios habent: ſed plurimus in his rubeus præualet color, cuius natura ex ignis portione & abſterſione in humido facta prouenit. Propterea eius quod in totum corpus permanat, color, talis aſpectu eſt qualem diximus. Id ſanguinem nominauimus, carnium & uniuerſi corporis pabulum: unde irrigatio diſtributa paſſim exhauſta cuncta replet. Modus autem impletionis euacuationis ue talis eſt, qualis in uniuerſo cuiuslibet latio, per quam cognatũ quodlibet ad ſe ipſum ſe confert. Quæ enim nobis extrinſecus circumfuſa ſunt, reſoluunt nos aſſidue, & ſingulas noſtri portiones ad ſpecies ſuas foras emittunt. Sanguinea uero in nobis attrita incluſaq; uiſceribus, ut par eſt in quolibet animali fieri ſub cœlo conſtituto, totius lationem imitari coguntur. Cum igitur attrita quælibet in nobis cognatum poſcant, exhauſta quælibet implent. Porrò quando abſcedit plus quàm acceſſerit, decreſcit animal: quando contrà fit, augetur. Recens igitur animalis cuiuslibet compoſitio cũ nouos uelut ex ligneo quodam cõtextu triangulos habeat, ualidam quidem eorum ſtructuram poſſidet: moles autem eius tenerior tota coaluit: quippe quæ ex recentiori medulla concreuit nuper, & lacte nutrita eſt. Suſceptos ergo triangulos illos extrinſecus incidentes ex quibus cibi potusq; conflantur, triangulis propriis antiquiores imbecilliores q;, iuniorum ui peruincit & conterit, & grande animal ipſum reddit, dum ex multis ſimilibus alit. At cum triangulorum ſuorum radicem compagemq; relaxat, ex eo quod magnis laboribus longo tempore aduerſus multa certando fatigata & domita ſit, tunc ſanè alimenta ſuſcepta in ſimilitudinem ſuam non poteſt comminuendo redigere, ſua uero membra ab ingredientibus facile diſſipantur. Hinc iam minui ac deficere omne incipit animal, cum ſuperatur, detrimentumq; iſtud ſenectus appellatur. Finis uero tunc obuenit, quando triangulorum illorum ex quibus medulla conficitur, olim coaptata uincula, nihil amplius nectunt, ſed defatigatione iam relaxata nexus animæ deſerunt. Anima uero clàm ſecundum naturam cum uoluptate protinus euolat. Quicquid enim contra naturam fit moleſtum: quod autem pro rei natura, iucundum. Similiter & mors quam morbi & uulnera intulerunt, uiolenta eſt atque moleſta: quæ uero ſenio paulatim ad finem deducente naturaliter ſurrepit, inter omnia mortis genera leuiſsima eſt, & cum uoluptate potius quàm dolore contingit. Morbi aũt unde naſcantur, quis dubitet? Nam cum quatuor illa

ſint ex

sint ex quibus compactum est corpus, Terra, Ignis, Aqua, Aer, horum non naturalis excessus, defectusq́, & ex loco proprio in alienum translatio, per quam quod sibi conueniens est, non tenent, intestinam quandam seditionẽ & morbos inferunt. Quando enim præter naturam unumquodq́ fit aut transfertur, ealescunt utiq́ quæ ante frigebant, arida madent, graueſcunt leuia, & cætera omnia similiter permutantur. Solummodo uero idem aliquid sibimet secundum idem, atq́ similiter & debita proportione seruata accedens uel decedens, permittet se idem sibi ipsi sospes integrumq́ manere. Quod autem aberrat, siue accedendo seu decedendo, mutationes uarias, morbos, corruptiones infinitas inducit. Ex secundis quoq́ cõpositionibus secundum naturam constitutis secunda bonæ uel malæ ualetudinis coniectura id quærenti cuiq́ dabitur. Cum enim medulla ex illis & os & caro & nerui constiterint, sanguis præterea ex ijsdem quamuis alio modo concreuerit, cæteri quidem euentus plurimi quemadmodum superiora contingunt, maximi uero morbi atque grauissimi hoc pacto nascuntur. Quando uidelicet ordine conuerso ista ex se inuicem fiunt, proculdubio corrumpuntur. Nempe secundum naturam carnes & nerui ex sanguine generantẽ: nerui quidem à uillis & ligamentis propter cognationem, carnes autem à coagulatione quadam eius quod secretum à uillis & ligamentis concreuit. Quod rursus à neruis & carnibus emanat glutinosum & pingue, simul quidẽ carnem ut plurimum ad ossium naturam, ac etiam os ipsum medullam circundans nutriendo exauget. Quod rursus per ossium crassitudinem stillat purissimum genus triangulorum, lenissimũq́, & pinguedine abundantissimũ, dum defluit ex ossibus, atq́ delabit̃, medullam irrigat. Quatenus igitur singula hunc in modũ fiunt, bona ualetudo seruatur. Mala uero sequitur ualetudo, quando fit contrà. Nam quoties eliquata caro tabem rursus transmittit in uenas, sanguis una cum spiritu multus ac uarius in uenis, coloribus diuersis, amaritudineq́ et acidis salsisq́ infectus saporibus, bilem, cruorem, pituitam gignit quàm plurimam. Quæ quidem omnia rursus sic genita & corrupta sanguinem ipsum in primis inficiunt, & ipsa nullum nutrimẽtum adhibentia corpori, feruntur passim per uenas nullo prorsus naturalis circuitus ordine obseruato. Inimica sanè inter sese ista sunt, propterea quòd nullum sui sibi inuicem præbent usum. Naturali præterea corporis habitudini suoq́ in statu perseueranti dissoluendo & liquefaciendo plurimum aduersantur. Portio nanq́ carnis uetustissima cum liquescit, ad digestionem cõcoctionemq́ ineptissima, propter ueterem exustionem nigrescit: quia uero contabuit, penitusq́ exela est, amaritudinem contrahit, cæteris omnibus corporis partibus nondum contaminatis aduersam. & tum quidem pro amaritudine niger ipse color acerbitatem & acrimoniam habet, eo iam quod amarum fuerat magis attenuato: tum uero amaritudo rursus sanguine tincta colorẽ habet rubeum, sed nigro huic admixto felleum. Præterea flauus color cũ amaritudine coit, quando ob ignis flammam noua caro liquescit. Et nomen quidem omnib. his cõmune bilem imposuit uel medicus aliquis, uel certe eo ingenio præditus quispiam quo multa & dissimilia dispicere posset, ac rursus genus in multis unum uno cognomento dignum inspicere. Quæ uero bilis species appellantur, pro colorũ uarietate rationem singulis propriam acceperunt. Cruor præterea, qui sanguinis residuum & defluxus est, lenis est ac mitis: qui uero bilis atræ acrisq́, agrestis. quando propter caliditatẽ falso sapori miscetur huiusmodi quiddam acida pituita nuncupatur. Sæpe uero tenerioris recẽtisq́ carnis portio quædam unà cum aere colliquescit, deinde uento inflatur incluso, humiditate protinus circũfusa: fiuntq́ ex hoc ampullæ, quæ sigillatim propter paruitatem uideri nõ possunt: iunctæ uero simul & in grandiorem tumefactæ molem, conspiciuntur colorẽq́ propter spumæ generationem habent album. Omnem hanc tenerioris carnis eliquationem unà cum spiritu factam, quæ ex humiditate uento circumfusa tumescit, albam pituitam appellamus: recentis item pituitæ residuum defluxumq́ lachrimas atq́ sudorem, & quotcunq́ alia in quæ quotidie corpus resoluitur. Atq́ hæc omnia instrumenta morborum, quando scilicet sanguis non cibis & potibus secundum naturam, sed ex contrarijs præter naturæ leges excrescit. Quando igitur caro quælibet circũciditur, eiusq́ radix permanet, dimidia quædam est calamitatis potentia. Facile enim restauratur. Quando uero quod carnes ossibus alligat, ægrotat, & sanguis ex illis ac neruis defluens haud amplius nutrit ossa, carnẽ ue reuincit, sed ex pingui & glutinoso asper, salsus, siccus, & squalidus

iniquitate

iniquitate uictus est factus, tunc certe quod omnia ista perpetitur, abscissum ab ossibus sub carne neruisq; riget. Caro etiam à radicibus decidens nudos relinquit neruos, & salso obductos humore, & in fluenta sanguinis permanans, morbos quos supra diximus numero etiam plures reddit. Graues quidem hæ corporibus passiones: quæ uero has præcedunt, admodum grauiores. Quando uidelicet os ob carnis crassitudinẽ respirationem non habet sufficientem, ideoq; putredinis calore uexatum atq; restrictum, alimenta non suscipit, rursusq; ipsum in illam contrà decidit frigefactũ. Illa uero in carnem, caro in sanguinem rursus delabitur, Vnde acriores superioribus morbi nascũtur. Extremũ uero omnium est, quando medullæ natura propter defectum aliquem aut excessum ægrotat. hinc enim omnium uehemẽtissimi & ad mortem periculosissimi morbi proueniunt. tũc enim omnis compago corporis necessario dissipatur. Tertiam post hæc morborum speciem tripartito diuidimus. Alius enim spiritu, alius pituita, alius bile creatur. Nam cũ spiritus ipsius custos, & quasi penuarius pulmo distillatione occlusus libera & expedita spiracula nobis non exhibet, & hinc quidem nullus mittitur spiritus, illinc uerò plusquam oportet accipitur, tunc quæ respiratione & refrigerio carent, marcescunt. Quod uero accipitur nimiũ, per uenas traductum eas cõtorquet, liquefacit corpus, eius in medio Diaphragma, medium scilicet interpositum occupans. hinc morbi admodum molesti multo cum ludore innumerabiles oriuntur. Sæpe etiam intra corpus discreta & rarefacta carne innascitur spiritus: qui cum foras egredi nequeat, ijsdem quibus & ingressi aliunde spiritus, doloribus afficit. Sed ingentibus tunc affligit doloribus, quando neruis proximisq; uenulis circunfusus hæc inflat, & ligamenta continuosq; neruos à tergo intendit atq; detorquet. Qui sanè morbi ab ipsa intendente & inflante passione tensiones, & à tergo cõtortiones cognominantur, quorum difficile remediũ est. Subortæ enim febres hos maxime soluunt. Alba uero pituita propter ampullarum spiritum intus inclusa difficilis: ad exteriorem cutem delapsa, mitior, sed corpus uarijs sordibus aspergit, albisq; inficit maculis, atq; morbos alios eiusmodi generat. Atræ uero bili permixta, cum diuinissimos capitis meatus illabitur, dissipare eos solet atq; turbare. Si dormientibus id contingat mitior: sin uigilantibus, expulsu difficilior. Cum uero sacræ naturæ languor hic sit, haud absre sacer morbus est appellatus. Proinde pituita acida atq; item salsa, languorum omnium qui distillatione fiunt origo est. quoniam uero plurima loca illabitur, malas gignit ualetudines plurimas. Quęcunq; autem partes corporis tumescere dicuntur, à bilis incendio, & combustione uexantur. quæ cum expirat extrinsecus uarios æstu suo tumores producit: intrinsecus uero cohibita, urentes edacesq; morbos plurimos procreat. Tunc autem pessima est, quando pus sanguini mixtũ & uillorum ligaminumq; fila suo ex ordine dimouet. quæ ideo in sanguinem diducta & sparsa sunt, ut mediocrem tenuitatis & crassitudinis habitũ consequat: neq; propter caliditatẽ cũ ipse sit lubricus, raro ex corpore defluat, neq; si crassior sit, ad motum fiat ineptior atq; ęgre per uenas fluat & refluat. Ad hãc utiq; naturæ commoditatẽ, huiusmodi peropportuna sunt ligamenta, quæ si quis etiam mortuo & ob frigus rigente sanguine inuicem conducat & contrahat, reliquus sanguis omnis diffunditur. Cum uero missa fuerint, illico cum præcedente frigore restringuntur. Quoniam uero hanc uim uilli huiusmodi in sanguinem habent, cum bilis natura sanguis uetus euaserit, ac rursus ex carnibus in hunc fuerit resoluta, calida & humida paulatim primam incidens uillorum illorum ui cõpressa restringit. Compressa uero extinctaq; uiolenter, procellam intus tremoremq; ciet. Cæterum quando uberior affluit, calore proprio ligamenta exuperans, præterq; modum exæstuans, seruat quidem, ac si continue ad finẽ usq; idonea uictoriæ sit, penetrat in medullas, adustisq; radicibus inde animæ uincula, quasi nauis funes resoluit & amputat, liberamq; dimittit. Sed cum inferior adest corpusq; liquescens ei resistit, ipsa deuincta, aut per totum corpus excidit, aut per uenas in uentrem inferiorem superiorémue compulsa tanq; transfuga ex seditiosa ciuitate, sic effugit è corpore, morbosq; eos inducit, quos Diarrhœas uocant, & Dysenterias, id est fluxus uentris lubricos, fluxusq; mordaces, necnon multas generis eiusdem alias molestias infert. Quando igitur corpus ignis potissimum excessu languet, continua febre laborat: quando uero aeris, quotidiana discreta. A quæ tertiana, propterea quod aqua segnior est quàm ignis & aer. Terrę demum excessu, quartana. Terra siquidem omnium tardissima,

Diarrhœa
Dysenteria
De febribus

quarto

quarto gradu cum sit, temporis circuitu quarto feruet, deferuetq́: hinc quartanas inuehit febres, quæ uix feroq́ sanantur. Atq́ hoc quidem pacto corporis morbi contingunt. Animæ uero morbi propter corporis habitum ita nascuntur. Morbum animæ dementiam esse censemus. Eius genera duo ponimus, Insaniam & imperitiã. Quæcunq́ igitur passio alterutrum istorum infert, animi ægritudo est nuncupanda. Idcirco uoluptates doloresq́ admodum uehementes, morborum animæ omnium grauissimi iudicandi. Quisquis enim uel nimia gestit lętitia, uel nimio dolore deprimitur, dum illam auidius imporTuniusq́ ascisscere, hũc uitare obnixe conatur, neq́ cernere neq́ audire recte quicquã potest, sed rabie furit, & in eo habitu constitutus, minime rationis est cõpos. Qui uero fluido stupidoq́ circa medullam abundat semine, utq́ arbor pluribus q̃ conueniat fructib. grauida nimia ubertate luxuriat, is profecto multis passim doloribus, multis item uoluptatibus in libidinibus ipsis earumq́ fœtibus, fructibusq́ affectus, per omnem fermè uitam ob ingentes uoluptates doloresq́ insanit, ac furit: cumq́ huius animus propter corpus æger sit atq́ insipiens, uulgo tamen non æger, sed pro uoluntate sua ut libet affectus falso putatur. Veritas autem sic habet. Nempe uenereorum intemperantia maxima ex parte propter generis unius habitum per ossium raritatem in corpore lubricum madidumq́, animi infirmitas est. Ac fermè omnis uoluptatum incontinentia, quæ perinde ac si sponte improbi simus uituperari solet, non recte ita uituperatur. Nemo enim sponte malus, sed propter prauum quendam corporis habitum rudemq́ educationem, malus omnis fit malus. Omnibus autem aduersa inimicaq́ hęc sunt, & mala noxiaq́ contingũt. Rursus dolore afflictus animus similiter propter corpus in prauitatem plurimam incidit. Acris enim & infesta pituita, amari item felleiq́ humores, quando oberrantes per corpus non exhalant, sed per uiscera reuoluti uaporem suum penetralibus animæ ipsius infundunt, languores animæ uarios & magis & minus, tum plures, tum pauciores efficiunt. Perferuntur sanè ad tres animæ sedes humores uaporesq́ huiusmodi, ac pro loci diuersitate unusquisque uarias species generat, difficultatis, atq́ molestiæ, audaciæ rursus timiditatisq́, obliuionis præterea, atq́ hebetudinis. Sæpe etiam ad prauum hunc corporaturæ & affectionis habitum accedunt mores ciuitatis iniqui, sermonesq́ & priuati & publici non parum omnino noxij, nec ullæ doctrinę ad tantorum malorum remedia à tenera ætate discuntur. Atq́ ita quicunq́ nostrum praui sunt, duabus ex causis præter uoluntatem maxime contingentibus, praui fiunt. huiusmodi quidem malorum causæ ferentibus potius quàm satis, educantibus quàm educatis attribuendę. Conandum tamen pro uiribus, educationis, studiorum, doctrinarum, diligentia improbitatem reijcere, assequi probitatem. Sed horum quidem tractatio alio constat differendi modo. Nunc iam conuerso quo cultu quibus ue causis corporis animiq́ salutẽ adipiscamur, decet exponere. Iustius enim est de bonis q̃ de malis uerba facere. Omne bonũ pulchrũ: pulchrum uero sine mensura & moderatione esse non potest. Ideoq́ animal quod tale futurũ est, cõuenienti mensura moderatum esse oportet. Ex eorum aũt numero quæ cõmensurata moderataq́ dicunt, exigua quædã persentimus & iudicamus. præcipua uero & maxima ignoramus. Porrò ad bonam & malam ualetudinem, ad uirtutes & uitia nulla moderatio uel immoderatio maioris momenti quàm animæ ad ipsum corpus esse uidetur. Horum nihil consideramus, neq́ animaduertimus, q́ quãdo robustam magnamq́ animã imbecillior inferiorq́ uehit species, uel quando contrà ista iunguntur, totum ipsum animal pulchrũ esse non potest. maxima enim mensura & moderatione caret. Quod aũt contrà affectum est, spectaculorum omnium ei qui id ualeat intueri, pulcherrimum amabilissimumq́ apparet. Corpus quidem quod grandioribus uel inæqualibus cruribus, aut quouis alio modum excedente membro secum ipso dissentit, & deforme est, & in ferendis laboribus cõtorquetur, uacillat, lassatur, & concidit, innumerabiliumq́ malorum sibi causam præbet. Idem quoq́ iudicandum de eo ex anima & corpore cõposito, quod animal appellamus. Quando enim anima corpore admodum potentior est, exultat in eo atq́ effertur, totum ipsum intrinsecus quatiens languoribus implet. Quando etiã ad discendum inuestigandumq́ collectis in unum uiribus uehementer incumbit, liquefacit protinus corpus & labefactat. Deniq́ cum ad docendũ differendumq́ priuatim & publice ambitiosa quadam concertatione contendit, inflammat corpus atq́ resoluit. Nõnunquam etiam distillationes fluxusq́

Voluptates & dolores uehemẽtes morbi animæ grauissimi

nes fluxusq; cõmouens medicorum plurimos decipit, cogitq; illos contrarias causas iudicare. Rursus quando corpus grande & pigriori mole superexcedens pusillæ exiliq; cogitationi animi copulatur, cum geminæ sint in homine secundum naturam cupiditates, una quidem per corpus alimentorum, altera uero per id quod diuinissimum nobis ineſt, prudentiæ: tunc sanè potentioris illius prævalentes agitationes quod suum est adaugẽt, quod uero animi, hebes, indocile, obliuiosum reddunt, atq; ita infirmitatẽ maximam uidelicet imperitiam generant. Vna demum est ad utrunq; salus & conseruatio, ut neq; animam sine corpore, neq; corpus absq; anima moueamus, ut in mutua contentione exæquatis inuicem uiribus insurgentia bonam totius ualetudinẽ tueantur. Quapropter quicunq; mathematicis doctrinam operis dat, aut cuiuis mentis indagationi uehementius studet, debet etiam motum corporis adhibere, & in gymnastica exercitatiõe uersari. Ac rursus qui summa corpus diligentia firmat & roborat, animæ quoq; uicissim motus adiungere, musica & omnibus philosophiæ studijs usus, si modo quis iure bonus simul & pulcher sit appellandus. Similiter quoque partes curare debemus, totius speciem imitati. Cum enim corpus ab ingredientibus incendatur intus, frigidumúe fiat, & iterum ab extremis aridum madidumúe reddatur, & quæ deinceps hæc sequuntur perpetiat̃, quando quis otium agens corpus motionibus his cõmittit, superatum ab his dissoluitur. At si quis in curando corpore illam imitetur naturã quam altricem uniuersi uocauimus, ita ut nunquam torpere permittat, sed moueat semper iugiq; agitatiõe internis externisq; motibus secundum naturam ubique resistat, & moderata quadam commotione aberrantes passiones corporis partesq; cognationis ratione seruata uicissim in ordinem redigat & exornet, secundum sermonem illum superiorem quem de uniuerso habuimus, nequaq; sinet inimicum inimico admotum prælia in corpore morbosq; ciere, sed efficiet potius ut amicum adhærens amico sanitatẽ corporis tueatur. Omnium uero motuũ optimus ille est, qui in semet ex se ipso fit. Nam & mentis, & totius ipsius motioni cognatissimus est. Qui uero ab alio fit, deterior. Deterrimus aũt motus, quando iacens & quietẽ agens corpus, ab alijs secundum partes mouet̃. Quapropter purgationũ constitutionumq; omniũ corporis, quæ exercitatione gymnastica fit saluberrima est. Proxime ad hanc accedit uectio facilis, siue naui, seu quouis alio uehiculo peragatur. Tertia cõmotionis species tunc demum cum summa cogit necessitas, utilis, aliter uero nullo modo sanæ mentis homini suscipienda. Medicorum illa purgatio est, quæ pharmacis, id est solutiuis medelis, fieri solet. Morbi enim nisi periculosissimi sint, pharmacis irritandi non sunt. Omnis nanque morborum constitutio animalium naturæ quodammodo similis est. Sanè animaliũ compositio ab ipso generationis exordio certis temporũ curriculis terminatur: idq; & genus uniuersum patitur, & animal unũquodq; ab ortu fatale uiuendi spatiũ in seipso exceptis necessarijs passionibus, continet. Etenim trianguli ab ipso initio singulorũ uim possidentes usq; ad certum tempus sufficienter ad usum uitæ cohærent, ultra id uita nemini prorogatur. Idem quoq; constitutionis modus languoribus conuenit. Quos si quis citra fatalem temporis cursum pharmacis amputare contenderit, ex paruis ingentes, ex paucis multi euadere consueuerunt. Quapropter diligentia uictus corrigendi & gubernandi sunt morbi, prout cuiq; datur otium, neq; difficile infestumq; malum pharmacis instigandum. Ac de communi quidem animali & parte illius corporea, qua diligẽtia regenda & gubernanda sint, ut ratio uiuendi seruetur, satis est dictum. Ipsum uero quod gubernaturum est multo magis ac prius ita pro uiribus instruẽdũ est, ut q; optime atq; pulcherrime ad degendum sit præparatum. Exacta quidem huius rei discussio propriã sibi & integrã disputationem exigeret. Quãtum uero forte ad id quo de agimus attinet, si quis per superiorum uestigia gradiatur, non absurde sic maxime procedendo ad commodum istorum finem perueniet. Sæpe in superioribus diximus tres esse animę species in nobis trifariam distributas, singulasq; suos motus habere. Ita nunc paucis concludamus, quæcunque illarum torpet, & à suis motibus otium agit, imbecillissimã necessario reddi: quæ uero agit assidue, robustissimam. Quapropter danda est opera, ut species singulæ motus suos inter se moderatos conuenienti tenore cõseruent. De præstantissima igitur animæ nostræ specie ita est sentiendum. Nempe hanc deus ut damonem nostrum cuiq; tribuit: hanc in summa corporis arce sedem habere dicimus, atque ad cœli cognationem à terra nos tollere

Quis optimus motuũ

De purgationibus

Diligẽtia uictus corrigẽdi morbi

lere, tanquam animalia cœlesti potius q̃ terreno semine nata. Quod quidem recte admodum dicitur. Vnde enim primus animæ datus est ortus, inde diuina uis caput radicemq́ & originem nostram pendentem suspendens, totum dirigit corpus. In eo igitur qui cõcupiscentiæ & ambitiosæ iracundiæ affectibus explendis incumbit, necesse est opiniones omnes mortales fieri, atq́ eum quàm maxime fieri potest mortalẽ prorsus euadere, cum mortalem naturam pro uiribus auxerit. At eum qui totus discendæ ueritatis cupiditate flagrauerit, atq́ omnem eius operam præcipue in hoc uno impenderit, necesse est omnino siquidem ueritatem attingat, immortalia & diuina comprehendere: & quatenus humana natura immortalitatem assequi potest, eatenus hunc penitus immortalẽ euadere, nulla uidelicet immortalitatis parte dimissa. quinetiã cum semper diuinum colat, ipsumq́ familiarem dæmonem in se habeat ornatissimum, præcipue beatum fore. Cultura autem cuiusq́ omninó una est, proprium cuiq́ pabulum motumq́ tribuere. Ei uero quod in nobis diuinum est, motus cognati sunt, uniuersi ipsius cognationes atq́ circuitus. Hos itaq́ secutum unumquenq́ nostrum oportet discursiones illas nostras in capite olim à prima generatione corruptas, per ipsam mundanæ harmoniæ reuolutionisq́ intelligentiam ita corripere, ut intellectæ rei intelligentem uim secundum pristinam naturam similem reddat, per quam similitudinem uitæ à deo optime nobis propositæ, & in præsenti tempore, & in futuro finem adipiscamur. Sed iam disputatio illa de uniuerso usq́ ad generationem hominum nobis proposita finem penè suum adepta uidetur. Cæterarum uero animantiũ generationem quatenus duntaxat necessitas postulat, paucis perstringemus. Sic enim modum in hac disputatione tenere sibi quisq́ uidebitur. Verum de his iam ita dicamus. Quicunq́ uirorum iniusti timidiq́ uixerunt, quemadmodum probabilis ratio nobis ostẽdit, in generatione secunda in fœminas sunt conuersi. Quo quidẽ tempore hanc ob causam dij coitus amorem machinati sunt. Igitur in uiris unum quiddam, in fœminis alterum uitæ & animæ compos ita composuerunt. Ipsum potus discursum, quo per pulmones sub renes in uesicã defluens & spiritui mixtus elisusq́ depromitur, dij in fistulæ modũ in compactã medullam à capite per ceruicem & spinam deriuauerũt, quod quidem Sperma id est semẽ, in superioribus nuncupauimus. Hoc autem utpote animatũ ac respirans, qua parte spirat, per eandem uitale effluendi desiderium gignit. atq́ ita generandi amorẽ nobis inseruit. Quocirca pudendorũ naturæ in uiris insita uis, inobediens atq́ imperiosa, & quasi animal non exaudiens rationem furiosum libidinum uiolentia subijcere sibi cuncta conat̃. Vulua quoq́ matrixq́ in fœminis eadẽ ratione animal auidum generandi, quando procul à fœtu per ætatis florem, aut ultrà diutius detinetur, ægre fert morã ac plurimum indignatur: passimq́ per corpus oberrans, meatus spiritus intercludit, respirare non sinit, extremis uexat angustijs, morbis denicq́ omnibus premit, quousq́ utrorumq́ cupido amorq́ quasi ex arboribus fœtũ fructum ue producunt: ipsum deinde decerpunt & in matricem uelut agrum inspargunt: hinc animalia primũ talia, ut nec propter paruitatem uideantur, nec dum appareant formata, concipiunt: mox quæ conflauerant, explicant, ingentia intus enutriunt, demũ educunt in lucem, animaliumq́ generationem perficiunt. Mulieres hunc in modum & fœminæ omnes sunt genitæ. Auium autem genus ex nostro ita est apte formatum, ut pro pilis pennas acciperet. In hoc illi homines transeunt, qui simplices & innocentes cũ sint, leues tamen sunt, & frustra in rebus sublimibus curiosi: qui' ue adeo fatui sunt, ut oculorum iudicio confisi, hoc altissima quæq́ firmiter demonstrari posse nõ dubitent. Gressibiliũ uero ferarũ genus ex his natũ hominibus, qui à philosophia penitus alieni ad cœlestia nunquàm oculos erexerũt, ex eo quod uolutionibus illis quæ in capite peragi solent usi nunquàm sunt, sed illas animæ partes secuti quæ in uẽtre & pectore dominantur. Ex his uticq́ studijs anteriora membra & capita ob ipsam cognitionem humi penitus defixerunt: in longum productum ac diuersum corporis uerticem tenuere: quandoquidem ibi propter desidiam singulorum collisi sunt & cõfracti circuitus, & ideo quòd quatuor pedum ac etiam plurium est instituta figura, ut insipientiori bus deus maiorem ex pedibus multis atq́ progressu occasionẽ præstet, per quam magis etiam deflectantur ad terram. Eos autem qui horum insipientissimi erant, corpusq́ in terram penitus prosternebant, quasi nihil ultra pedibus opus foret, in corpora carentia pedibus & humi serpentia permutarunt. Quartum genus aquaticum est, ex illis natum qui

De generatione fœminæ

De sperma te

Generandi cupiditas

Generatio auium

Generatio ferarum

Generatio aquatilium

ſtolidiſsimi & imperitiſſimi fuerãt, quos noſtri illi transformatores pura reſpiratione dignos idcirco non iudicauerunt, quia propter extremæ tranſgreſſionis iniquitatem animã impuriſsimã prorſus habebant. Ideo ex tenui ac pura aeris illa reſpiratione, in aquæ reſpirationem profundam turbidamq; merſerunt. Vnde piſcium & oſtrearum ac denique aquatilium omniũ orta eſt multitudo: in qua certe mutatione illi ex ſedium extremarum habitatione inſcitiæ quoq; extremæ dant pœnas. Hunc in modum & olim & nunc in ſe inuicem animalia migrant, dum mentis & dementiæ iactura uel adeptione mutantur. Iã igitur noſtra hæc de uniuerſo diſputatio finem habeat. Mortalia enim & immortalia uiuentia mundus hic ſortitus, atq; inde completus, ita denique factus eſt uiſibile uiſibilia comprehendens animal, intelligibilis dei imago, ſenſibilis, maximus, interminatus, pulcherrimus, perfectiſſimus, cœlum unum hoc atq; unigenitum.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN CRITIAM VEL ATLANTICVM

PLATO noſter officioſiſsimus patriæ ſuæ filius laudauit eam in Menexeno ex rebus contra orientales, laudat rurſus in Critia ex rebus contra occidentales ſtrenue geſtis. Atq; utrobiq; commendat ex multis, tum dei, tum naturæ artisq; muneribus: ſimulq; commonefacit omnes ne patriæ ſint ingrati: ac dum uirtutem Atticam tam orientem quàm occidentem plagam ſuperaſſe cõmemorat, interea docet & omnia domari uirtute, & uiros uirtute præditos, tum in occidentibus, id eſt rebus aduerſis, tum in orientibus, hoc eſt ſecundis recte feliciterq; ſe gerere. Nec iniuria poſt Timæum de mundi generatione, legi uult Critiam de antiquitate mundi. Videtur autem neq; huic hiſtoriæ finem impoſuiſſe, neq; ſequentem hiſtoriam ſub Hermocratis titulo promiſſam compoſuiſſe. Hanc autem nõ fictam quidem, ſed ueram hiſtoriam extitiſſe, conſtat. Primo quidem, quia ubicunq; fingit aliquid, ſolet fabulam nominare. Hic uero tanquã hiſtoriam audet aſſeuerare. Deinde idem omnino aſſerit in Timæo, appellans rem miram quidem, ſed omnino uerã. Et à quibus accepta ſit diligenter utrobiq; recenſet, ſcilicet à maioribus ſuis atq; gẽtilibus. Critias enim hic ab auo Critia, ille uero à Solone patruo ſuo, qui literis quoq; mandauit, Solo ab Aegyptijs ſacerdotibus. Præterea Proclus Marcelli cuiuſdã de rebus Aethiopũ adducit hiſtorias, in quibus hæc manifeſtiſsime confirmantur Aethiopum rebus geſtis inſerta. Et ſi Platonicorũ nullus hiſtoriam negat: Porphyrius tamen, Proclus, & ante hos Origenes, allegoriã inſuper uolunt phyſicam continere. Quos equidem uereor ne ſi conentur ſingula allegoriæ ad unguem accommodare, ab ipſo Platone derideantur, in exordio Phædri curioſas nimium in huiuſmodi rebus allegorias ſub perſona Socratis irridente. Verũ ne Anagogicum ſenſum, quo prorſus neglecto nemo ſit Platonicus, omnino negligere uideamur, Pallas quidem ſit numẽ intellectuali uitæ præſidens, Neptunus uero numẽ fouens generationẽ atq; gubernans. Athenienſes figuræ ſint animarũ intellectu ſolo uiuentium, numinumq; ſimilium. Atlantici uero figuræ numinum generationi fauentium, animarumq; corporibus coniunctarũ ad generationis officium totiusq; ornatum. Conuenientiſsime uero per occidens, per mare, per inſulas, per uarias locorum partitiones, ipſa generationis materia mobilitasq; diuerſa ſignificatur. Bellum præterea ſit ſtudioſa cõtentio, per quam ſuperiora numina, inferiora aſſidue in ſe cõuertunt, & animas quaſi ferro et igni à materia motuq; ſegregãt. Proinde quod Neptunus ex muliere filios procreauit, intellige uel ex terra genuiſſe, uel afflatu quodam ex priori uiuendi forma in alteram formam regeneraſſe. Quinq; uero partus, quinq; ſunt formæ corporum, quas in hoc materiæ mari perpetua agitatione cõponit, ſcilicet lapides, metalla, plantæ, animalia partim ratiõe carentia, partim prædita ratione. Decẽ uero filij ſunt, quolibet enim partu gemini cõcreantur. Nempe in quouis cõpoſito elementalis coaleſcit uirtus, ſimulq; uirtus quædam cœleſtis infunditur, quam medici uirtutẽ nominant ſpecialem. Ex geminis autem quinq; partubus decem filij cõputantur. At quinq; zonæ ſiue ſpiræ arcẽ Neptuneã circundantes, quinq; ſunt ſphærarũ naturæ, cœleſtis, ignea, aerea, aquea, terrea. Partim uero terrenas ait, partim aqueas, ut ſtatũ in rebus ſignificaret & motũ. Cõmunis uero per omnes meatus, mutuam inter ſe rerum ſignificat genituram. Commemorat et metalla, ut per ſeptẽ metalla, ſeptem planetarum influxus intelligamus, generationem omnium moderantes. Aurum quidem Soli, Argentum Lunæ, Plumbum Saturno, Electrum Ioui, Ferrum & æs Marti, Veneri orichalcum, Mercurio ſtannum Platonici tribuunt. Menſuræ uero earumq; numeri partim ex hiſtoria, partim ex architecturæ ratione ducantur. Nõnihil tum operis, tum eloquij gratiæ decoriq; attribuendum. Sed de allegoria fermè iam ſatis. Iã uero ſic libri huius myſteria confirmemus. Platonici deos quidem alios, ut eorum uerbis utar, ſupercœleſtes, alios uero cœleſtes, & alios ſubcœleſtes eſſe putant. Et primos quidem filios dei, ſequentes uero omnes deorum filios nominant. Rurſus in primis ampliſsimam prouidentiam, in ſecundis minus amplam, in tertijs ad anguſtiora redactã collocant, utpote qui iam certis terræ plagis rerumq; generibus diuina diſtributione præſint: quemadmodum & cœleſtes alij, alijs cœli partibus, ſtellisq; præponuntur. Hi ergo ſubcœleſtes dij certo quodam ordine, alij gentes alias gubernandas ab initio ſuſce-

Metalla Planetis dicata

perunt. Ab initio inquam uel geniti mundi, uel generis humani regeniti. Siquidem post ingẽtes terreni orbis illuuiones, Plato homines arbitratur eiusmodi deorũ opera ex ipsa terra ueluti matre diuinitus generari. Posse enim illos gignere, per Ideam uidelicet humanam quasi semen. Posse & terram parere, nouo abundanteq; humore perfusam, & accedente calore fœcundam, siue post aquarum colluuiones sequantur tepidi soles, siue post uasta quædã incendia pluuiæ uberius affluant. Homines uero à dijs è terra progenitos, Heroes nominant, qui à parentibus occulta quadam mentis ad mentem persuasione recti ab initio multa per secula fuerint. Quoniam uero longo temporum tractu tam diuina uirtus ingenijs insita, quàm terræ fœcunditas minuitur paulatim: unde & animi diuinitatis omnino expertes, & corpora antiquæ fœcunditatis uacua prorsus euaderent: deus iterum terram, uel diluit, uel incendit, genusq; nostrum in antiquam restituit dignitatem, cœlestibus uidelicet motionibus sic à motore contemperatis, ut cœleste fatum semper cum prouidentia diuina concurrat. Profecto quemadmodum medici de quolibet humano corpore, ita Platonici de toto genere iudicant. Medici enim aiunt, uitam in naturali quodam humore, & tanto & tali consistere, possèq; perpetuo prorogari, si modo & quãtus ille restauretur et qualis: nõ prorogari uero, ubi non talis refluit, qualis effluxerat, & si tantus. Perinde ac siquis ex dolio uini pleno impleret quotidie paterã, stataq; dolio, aquæ tantundem infunderet. Sic enim continue æqualis in dolio esset humor, sed non similis, dissimiliorq; quotidie, donec tandem ex mero iam non aqueum uinum tantum, sed aqua prorsus euaserit. Similiter Platonici diuinam fœcundamq; qualitatem & ingenio à dijs humano, & corpori à cœlo quondam infusam, paulatim putant in qualitatem humanam uerti, humano hoc subiecto eam naturaliter ita trahẽte, donec sensim ad ferinam usque degeneret. sed degenerationem tantam non posse à deo rerum ordinatore perpetuo tolerari. Quod autem Plato deos diuersas sortes fuisse nactos, & hic & alibi sæpe ait, intellige illos uni summo sortes distribuenti parere, atq; necessario assignatam prouinciam gubernare, Sed necessitatem in diuinis esse penitus uoluntariam. Siquidem apud eos una est patris summi filiorumq; uoluntas. Atqui sicut elementorum partes ea necessitate ad loca propria perferuntur, quæ & uoluntas futura est, si modo cognouerit: sic apud superos ipsa gubernationis assignatæ natura lisq; effectæ necessitas idem est atq; uoluntas. Præterea quod & hic, & in Timæo & Menexeno Atticam regionẽ esse ingenijs inquit in primis accommodatam, meminisse oportet in rationibus hac de re assignandis inter se Platonicos dissidere. Panætius enim temperiẽ aeris inter æstum atq; gelu causam arbitratur: idq; ex ipsis Platonicis uerbis in quinto Legum, et Epinomide probat. Panætium Longinus arguit, quia regio illa sæpe gelu atque æstu pulsetur: assignatq; in causa qualitatem loci commixtam ex multis atque occultam. Quem reprobat Porphyrius quod propriam ingenij causam esse putet corpoream. Origenes in commẽtarijs in Timæum cœlestes aspectus influxusq; assignat, id ipsum ex octauo de Republica asserens, ubi dicitur, cœlestes quosdam circuitus esse causas fertilitatis ac sterilitatis, tum corporum, tum etiam animarum. At Origenem Proclus ibidem ait ueram quidem ex parte causam assignasse, sed nondum integram perfeciſſe. Ipse uero unà cum Porphyrio rem altius repetens ait: Intellectum opificem mundi intellectualem esse mundum, ideoq; quasi multiplicem. Animam uero mundi esse animalem rationalemq; mundũ magisq; multiplicem: atque proxime adesse uniuerso mundi spatio continuo prorsus atque immobili, ex materia prima & dimensione constanti. Rursus in ipso spatio ante omnes quæ generandæ sunt formas, animam ex rationibus suis ideas sequentibus, alibi alias uires imprimere, quasi animæ mẽtis plenæ uestigia, ac peculiaria quædã receptacula formas alibi alias familiariter susceptura. Tum deos uarios uarias sortitos prouincias, eiusmodi hospitia illustrare, alia quidem alios, atque formare. Animas ergo rationales, postquam elementalem uitam, propriamq; elegerint, si forte reuolutione cœlesti ad ea loca præ cæteris dirigantur, quæ electæ iam uiuendi formæ potissime congruant, uitæ ipsius officium prorsus implere. Itaque quando ad Martiam uel Apollineam uergentes uitam, mox plagam à Marte uel Apolline illustratam nanciscantur, perfectæ uel fortitudinis, uel uaticinij opus absoluere. Quæ uero philosophicam uitam elegerint, si regionem afflatam Pallade, sapientia magnanimitateq; simul excellere. Itaque hic & in Timæo inquit, Atticam regionem rectam à Pallade sapientiæ atque militiæ conuenire: & in quinto Legum ait inspirationem localium deorum atque dæmonum circa loca, maximi ad ingenia & mores esse momenti. Requirit uero nonnullam aeris temperantiam, non ut causam, sed ne causæ ipsius opus impediatur. Quamobrem loci huius diuersitas non tam efficit diuersitatẽ ingenij apud Platonicos, quàm suscipit & declarat. Tria enim esse putant ad id potiora elementali loco, scilicet tum animæ ipsius affectionem siue naturalem siue electam, tum inspirationem numinum propriorum, tum cœlestes influxus: posse uero id impediri, uel elementali mixtione, uel planetarum noua coniunctione, uel ab ipsis hominibus illata calamitate: & quæ bona desuper infundantur, inferiorum obstaculo reddi bona. Qua de re in Legibus disputauimus. Sed de his iam satis. Ex omnibus autem huius libri mysterijs collige unà cum prouidentia concurrere humani arbitrij libertatem. Collige & sententiam Mosaico mysterio similem, homines quondam quamdiu in eis diuina quædam gratia iustitiaq; innata uigebat, beatos in quodam, ut aiunt, delitiarum paradiso uixisse. Postquam uero per intemperantiam & superbiam gratia illa euanuit, in scelera simul & calamitates grauissimas incidisse. Deum autem aquarum diluuio peccata hominum diluisse. Quod uero huic historiæ deest, potest summatim ex Timæi proœmio resarciri. Est autem historia de rebus

geſtis ante diluuium. Poſt uero diluuium narraturus, ut arbitror, erat Hermocrates. Neque te turbabunt nouẽ illa annorum milia, ſi Eudoxum audieris dicentem annos illos Aegyptiorum non ſolares fuiſſe, ſed lunares. Vltima tandem huius libri ſententia docet, Iouem, id eſt, deum architectum mundi è ſua ſede, id eſt ex ſuiſpſius intuitu remotiſsima quæq; minimaq; proſpicere, atque ad eandem ſedem, id eſt diuinam contemplationem deos omnes ſubditos ſibi conuertere, unde inſtructi inferiora gubernent. Neque uiciſsim duo hæc illos agere, imò uero aſsidue contemplando diuina, per illa ſimul temporalia diſpenſare. Hanc ipſam ſedem ideo medium mundi appellat thronũ, quia & inde tanq̃ à centro effluunt omnia, & illuc refluunt, & illinc facile cuncta circunſpiciuntur atq; reuoluuntur.

CRITIAS VEL ATLANTICVS

TIMAEVS. CRITIAS. SOCRATES. HERMOCRATES.

QVAM Grata longum poſt iter defeſſo quies ô Socrates, tam mihi poſt longas diſputationis ambages, dulce ſilentiũ. Mundum autem hũc re quidem ipſa iamdiu, ſermone uero nuper deum effectum, obſecro, ut ſi quid rectè dictum eſt ſeruet ipſe nobis atq; cuſtodiat: ſin aũt indecens quicquam in ſuperioribus non ſponte, protulimus, meritas à nobis exigat pœnas. Debita uero eius qui per ignorantiam negligentiam'ue errauit, pœna eſt, ut ſciens & diligens efficiatur. Quamobrem ut poſthac rectius de eorũ generatione loquamur, medicinã nobis à deo medicinarũ omniũ perfectiſsimã ſaluberrimamq; dari ſcientiam exoptamus. Actis denicq; uotis ſequentem diſputationem Critiæ, ut inter nos conuenerat, iam cõcedimus.

CRIT. Accipio equidem ô Timæe, & quam tu ſupra ueniã petiſti tanq̃ de rebus magnis diſputaturus, eandem ego nunc peto. Imò uero maiorem quoq; ueniam in ijs quę reſtant tribuendam exiſtimo: quanquam ſcio procacem quodammodo ruſticamq; petitionem hanc meam uideri poſſe. Dicendum tamen. Quòd quidem non recte abs te ſuperiora dicta ſint, nemo ſanæ mentis obiecerit: quòd autem quæ reſtant dicenda, utpote difficiliora, maiorem exigant indulgentiam, conabor oſtendere: quandoquidem facilius apparet, ut qui de dijs diſſerit, ſatisfacere hominibus uideatur, quàm qui de mortalibus. Imperitia nanq; & ignoratio audientium magnam copiam ad ea quæ ignota ſunt, effingenda, præſtare dicentibus conſueuit. Quomodo uero ſimus circa deos affecti, non ignoramus. Vt autem quod ſentio planius uobis aperiam, ſic attendite. Quæcunq; à nobis dicuntur, tanquam imitationem quandam ſimilitudinisq; expreſsionẽ exiſtimare debemus. Neq; nos latet quæ in pictorum effectione circa diuina humanáue corpora uel facilitas uel difficultas ſit, ad hoc ut ſufficienter ea repræſentaſſe ſpectantibus uideantur. Profecto cum terram pingunt & montes, flumina, ſyluas, cœlumq; omne, quæ'ue circa cœlum conſiſtunt & quæ uagantur, primũ quidẽ ſatis putamus factũ, ſiquis uel exiguam quandam referre poſsit earum rerum imaginem: deinde utpote taliũ prorſus ignari, ne examinamus quidem pictorum opera, neq; etiam redarguimus, ſed confuſa quadam adumbratione fallaciq; utimur. Cum uero quis fingere aggreditur noſtrorum corporum ſimilitudinem, tunc propter familiarem ipſam rerum noſtrarum animaduerſionem acutius errata perſentimus, ſeueriq; & acres iudices exactoresq; ſumus aduerſus eum qui non ſingula lineamenta coloresq; expreſſerit. Idem quoq; in ſermonibus intueri licet. Nam ſatis eſſe putamus, ſi de cœleſtibus diuinisq; rebus quicquam, uel parum quod conueniens eſt afferatur. Mortalia uero humanaq; opera exacte nimium examinare ſolemus. Quamobrem ſi minus pro dignitate quæ ſtatim ſunt dicenda, tractabimus, ignoſcere decet. Neq; enim facile, imò certè difficile mortalia ad opinionem imitatione ipſa exprimi poſſe putanda ſunt. Hæc itaq; omnia dixi ô Socrates, cupiens & uos admonere, & maiorem à uobis ueniam ad ea quæ reſtant, expetere. Vos autem ſi iuſta petere uideor, ultrò hanc ueniam largiamini.

SOCR. Nihil obſtat ô Critia, quo minus tibi quod poſtulas tribuatur. Quinetiam Hermocrati hoc idem à nobis tertio detur. Conſtat enim hunc paulopoſt cum dicturus erit, eadem precaturum. Vt igitur aliter exordiatur, neq; eadem cogatur repetere, ſciat ueniam ſibi eſſe tributam: & quaſi id conſtet, ad dicendum protinus accingatur. Prędico autem tibi ô amice Critia iudicium auditorum. mire enim poeta qui ante dixit, perſuaſit. Quapropter admodum tibi uenia opus erit ſi ea ſufficienter es comprehenſurus.

HER. Idem mihi ô Socrates quod & huic nuncias. Cæterum ſegnes puſillanimesq; nunquam

nunquam palmam consecuti sunt Critia. Sermonem igitur aggredi forti animo decet, ac Phœbo Musisq; uocatis, antiquos ciues, excellentes uiros summis laudibus illustra re. CRIT. O amice Hermocrates quia postera tibi dies assignata est, dicentemq; aliũ es secuturus, ideo confidis. Quale uero id sit, ipse tibi, forsitan declarabit. Exhortanti itaq; tibi & ad rem ipsam penitus inflammãti parendum. Ac præter deos quos tu memorabas, alios insuper inuocare decet, præcipueq; Mnemosynen, id est memoriam: in qua dea præcipua orationis nostræ momenta sunt sita. Nempè si sufficienter meminerimus recensuerimusq; nunc uobis, quæ quondam à sacerdotibus tradita, à Solone huc aduecta fuerũt, uidebimur theatro huic, ut arbitror, satis officio nostro functi. Hoc itaq; iam agendum, neq; ultrà cunctandũ. Primum autẽ cõmemoremus summã esse annorum nouem miliũ ex quo bellum extitisse traditũ est inter eos omnes qui ultra, et eos qui citra columnas Herculis habitabant, quod in præsentia enarraturi sumus. Horum quidẽ dux fuit hæc ciuitas, bellumq; omne ut dicitur confecit. Illorũ autẽ insulæ Atlanticæ reges, quam insulam Libya Asiaq; maiorem fuisse quandoq; perhibuimus. postea uero cœnum ibi inuiũ submersa insula ex terræ concussione relictũ, quod quidẽ hinc illuc altum in mare nauigantibus obstat, ne ultrà enauigare liceat. Gentes quidem barbaras quæ tunc erant, Græcasq; generatim orationis ipsius progressus passim prout occasio dabitur, enarrabit: Athenienſium autẽ qui tunc erant, aduersariorumq; uires in primis respublicasq;, & belli ordinem atq; successum exponere decet. Horũ uero ipsorum, nostra primũ narrabimus. Dij quondam uniuersæ terræ orbem sigillatim sortiti sunt, in regiones singulas distributũ. Neq; partitionem hanc cõtentio fecit. Nam procul à ratione id esset: quod dij uel quæ unicuiq; ipsorũ conueniũt, ignorarẽt: uel cognoscentes quæ potius alijs cõpetunt, aliena iura uicissim usurpare contenderent. Cæterum iudicij iurisq; sortibus sua quiq; ad uotum suscipientes, curantesq; amicorum singula, regiones habitandas disposuerunt. Hosq; ueluti greges ipsorum possessionesq; et armenta nutriuere, hoc tamen excepto quòd corporibus corpora cogere noluerunt, quemadmodũ plagis pecora iumentaq; pastores solent. At uero tanquã docile et obediens animal quasi ex puppe nauem agilem dirigentes, persuasione pro gubernaculis utebantur, eaq; animã attingebãt, & pro arbitrio suo ita ducentes mortale genus omne gubernabant. Et alij quidem dij aliorũ locorum gubernationem sortiti ea instituebãt: Vulcanus autẽ Mineruaq; naturã habentes cõmunem, tum quia eodem ex patre sunt, tum quia per sapientiæ studiũ perq; artium diligentiã ad eadem tendũt, ita cõmunem sortem hanc nacti sunt regionem, utpote uirtuti prudentiæq; natura propriã atq; congruam: procreantesq; in ea uiros indigenas admodum, generosos, eorũ mentibus reipublicæ ordinem infuderunt. Quorũ duntaxat nomina supersunt: opera uero eorum qui succesſerunt interitu, & longo temporũ interuallo, è memoria hominũ deleta sunt. Semper enim superstes hominũ genus ut in superioribus diximus, montiuagũ atq; rude, cui potentũ in regione uirorũ nomina solum audita. At præter hæc ex rebus gestis exiguæ quædã notæ fuerunt. Quapropter filijs suis posteri quodã amoris affectu nomina priscorũ imposuerunt, uirtutũ legumq; superiorum ignari. nihil enim de his habebant præter famam, & eam nõ satis certã. Cum uero multa per secula rebus ad uictũ necessarijs indigerent, ipsiq; & filij mentem his adhiberent quorũ penuria premebantur, deq; his uerba facerent, rerum antiquarũ memoriam neglexerunt. Confabulatio enim priscarumq; rerum inuestigatio ciuitatibus cũ otio simul oriri cõsueuerunt, cũ necessaria uitæ parata iam sunt, prius uero nequaq;. Atq; ita priscorũ nomina sunt absq; operibus reseruata. Dico autẽ hęc ita cõiectans, quoniã inquit Solon sacerdotes illos in uoteris belli narratione plurima inseruisse nomina posteris persimilia, ut Cecropem, Erechtheum, Erichthoniũ, Erisichthonem, aliaq; ex his quæ supra Theseũ memorantur. Mulierũ quoq; nomina similiter atq; opera eadem, deæq; Palladis figurã et statuam, ita ut belli studia uiris tunc essent mulieribusq; cõmunia. Nempè ea tempestate armatã deã palàm cultã fuisse, exemplum daturã omnibus, quod in singulis animalium gregibus, mas, fœminaq; sortis eiusdẽ, pro generis cuiusq; uirtute ita natura instituta sunt, ut aggredi omnia cõmuniter ualeant. Habitabant profecto tunc in hac regione alia genera ciuium, qui in artiũ operibus & agricultura uersabantur. Milites aũt à diuinis uiris prin

cipio segregati seorsum uiuebant, habentes omnia tum ad alimenta, tum ad educatio-
nem cõferentia. Quorũ nullus propriũ aliquid possidebat. Nam cõmunia inter se cun-
cta existimabant. Vltra uero uictus ipsius sufficientiam nihil ab alijs ciuibus exigebãt,
exercebantq; ea omnia quę heri de custodibus quos descripsimus, exposita sunt. Quin-
etiam uere illud & probabiliter de regione nostra est dictum, Primum quidẽ illis tem-
poribus fines suos hinc quidem ad Isthmum habuisse porrectos: istinc uero uersus Epi-
rum ad summum Citheronem atque Parnethen. Qui fines ipso descensu ad dexteram
Oropiam attingant, ad sinistram uersus mare, Asopo excluso. Virtute uero uniuersam
terram ab hac exuperatam fuisse traditur. Quapropter potuisse tunc regionem hanc,
uniuersum accolarum exercitũ alere. Argumentũ plane uirtutis eius euidentissimum,
quia quod ex ea reliquũ est, cum quauis alia hoc ipso certare potest quod & fert omnia,
& fructus profert optimos, pascuisq; abundat animali cuiq; accommodatis. Tunc uero
non modo speciosa hæc omnia, sed etiam uberrima producebat. Quanam ratione id
probabile? Quibus ue indicijs has esse reliquias illius terræ coniectari potest? Omnis
ab alia continenti in pelagus longa uelut promontoria porrigens iacet. Quam altitu-
do maris proxima passim profunditate circũdat. Cum itaq; multa ingẽtiaq; diluuia an
norum nouem miliũ interuallo præterierint, tot enim ex illo tempore ad præsens anni
fluxere, tellus his temporibus colluuionibusq; è sublimioribus locis defluens, ne col-
lem quidem, ut alibi locorũ solet, accumulauit, dignum saltem mentione: & semper cir-
cum desidens in profundum occulitur. Quapropter relicta sunt quemadmodum in an-
gustis insulis præsentia hæc, si cum illis conferantur, quasi corpore per morbum exte-
nuato ossa detersa nudataq; terra molli quondã & pingui: solumq; tenue corpus atque
aridum mansit. Olim integra terra altissimos montium colles habebat: & agri qui nunc
Phellei nominantur, solo pingui fertiles erant. Sylua in montiũ uertice frequens. Cuius
nunc etiam coniecturæ quædam apparent. Sunt enim montes nonnulli, qui solas nunc
apes pascũt, olim uero nec multo tamen anteacto tempore ingentes inde inciſæ atbo-
res operimentis & contignationibus conficiendis aptissimæ. ex quibus ædiũ amplissi-
marũ structuræ adhuc extant. Erant & aliæ multæ arbores domesticæ mites atq; pro-
ceræ. Quinetiam pascua pecorũ uberrima. Præterea regio hæc quotannis, ab Ioue fru
giferam pluuiam hauriebat. Neq; ut nunc per decliue præruptumq; effusa ex terra in
mare aquam fundebat, sed hanc absorptam tenaci quadam concauitate è sublimibus
uenientem recondens combibensq; in uiscera demittebat. Vnde passim iuges fluuio-
rum fontiumq; riui scaturiebant, quorum etiam nunc in ueteribus fontibus sacra quæ-
dam signa relicta conspiciuntur. Quapropter in præsentia de his uera narrantur. Atque
hæc erat regionis huius conditio. Excolebatur præterea tunc ab agricultoribus ut con-
sentaneum est, & ueris & ad eadem hæc intentis, ingenioſis profecto uiris et honestorũ
admodum studioſis, solum fertile nactis, aquam copioſissimam, tẽperiẽ aeris singulis
anni temporibus saluberrimam. Vrbs autẽ eo tempore sic instituta erat. Primo quidẽ ar
cis tunc alia quã nunc erat dispositio. Nunc enim una saltem nox pluuioſa, tenue solum
cum liquefecisset, terræmotũ induxit: & ante illud Deucalionis exitiũ, tertia prius illu
uione fatali. Superiori uero tempore magnitudo eius usq; ad Eridanũ lliſſumq; proten
sa Pnycem intus & Lycabetũ comprehẽdebat, terminũ eregione Pnycis habens. Erat
gleboſa omnis, paucis locis exceptis à superiori parte plana. Habitabant exteriora eius
ad læuam ab artificibus agricolisq; qui proxime agros colebant. Superiora milites soli
prope Mineruæ Vulcanięq; templũ inhabitabant, ueluti ædis unius uiridariũ uno ambi
tu circundantes. Loca enim eius ab Boreã uersa colebãt, qui cõmunes ædes, atq; cœna
cula quibus hyeme utuntur, parabant: & quęcunq; cõmuni ciuitatis uitæ cõueniebant,
tum has, tum sacras, sine auro & argento omnia extruendo. Nulla siquidem in re unquã
his utebant. Verũ mediũ inter superbiam illiberalitatemq; secuti honestas habitationes
struebant, in quibus & ipsi consenescentes & nati natorum eas posteris sibi similibus re
linquebãt. Hortis uero gymnasiisq; & cœnaculis austrũ uersus expositis utebant æsta-
te. Erat fons unus ubi nunc arcis est locus. Quo ob terræ motum exhausto, riuuli circum
exigui relicti sunt. Tunc autẽ affatim omnib. liquorẽ suggerebat irriguũ: cuius erat ęsta
te atq; hyeme tẽperies salutaris. Hac illi ratione loca hæc habitabãt, ciuiũ quidẽ suorũ

custodes

cuſtodes, cæterorũ uero Græcorũ uolentiũ duces, obſeruantes in primis ut ſemper idẽ illorum eſſet numerus, uirorum uidelicet fœminarumq; iam in re bellica fortiũ: neq; minor erat unquã numerus militũ quã uiginti milia. Cum igitur tales illi eſſent, ſemperq; ratione huiuſmodi patriam ſuam & uniuerſam Græciam iuſte adminiſtrarẽt, per omnẽ Europam & Aſiã tã egregio corporis habitu quã innumeris animi dotibus omniũ qui tunc erãt, probatiſſimi & clariſſimi habebanẽ. Deinceps quales aduerſariorũ ab initio res fuerint, niſi forte quæ pueri audiuimus memoria exciderunt, uobiſcum tanquã amicis communicabimus. Sed antequã referã admonendi eſtis, ne miremini ſi plurima barbarorum nomina græce nũc audieritis. Id enim ex eo contigit, quia Solo cum cogitaret illa carminibus ſuis inſerere, uim ipſam eſt nominũ perſcrutatus, inuenitq; primos illos Aegyptios harum rerum ſcriptores, in linguã ſuam ea nomina tranſtuliſſe. Quare et ipſe rurſus uniuſcuiuſq; nominis ſenſum accipiens, in uocem noſtram cõuertit. Atq; hæc ſcripta apud auum meum erant, & nunc apud me ſunt, cogitata iam olim puero mihi. Si ergo talia nunc audieritis nomina qualia apud nos ſunt, ne miremini: nam huius cauſam intelligitis. Longa uero oratione ſit opus, ſi à principio narrem id quod iam ante dixi: de ſortitione deorum, ut terram inter ſe uniuerſam diſtribuiſſent, partim in ampliores portiones, partim anguſtiores, tẽplaq; & ſacra ſibi inſtituiſſent. Sane Neptunus inſulam ſortitus Atlanticam filios ex mortali fœmina in quodam inſulę loco progenuit huiuſmodi. Secus mare plana erat, ſed in media inſula planities erat, quę omnium ſpecioſiſſima feraciſſimaq; dicitur extitiſſe. Prope planicie rurſus in medio mons erat breuis, ſtadijs quinquaginta diſtans: hic à quodam eorũ qui principio terra nati ſunt, nomine Euenore colebatur. Is ex Leucippe uxore Clitonem unicam filiam genuerat. Parentibus mortuis & matura iam puella, Neptunus eius deſiderio captus illi ſe miſcuit, circumſepſitq; collem quẽ habitabat ſpiris aquæ circumfluis terræq; zonis alterne, partim amplioribus, partim anguſtioribus. Ex quibus duo quidem terræ, tres uero maris fuere circuitus, qui ueluti torno deſcripti pari undiq; interuallo per inſulã mediam diſtabant, inacceſſibilemq; hominibus collem ipſum reddebant. Neq; enim tunc naues erant, neq; nauigãdi peritia. Ipſe uero ut pote deus facile mediam inſulam exornauit, humoremq; duplicis aquę frigidæ & calidæ ex terræ abditis per fontes exteriores erumpere, alimẽta itẽ uaria & abundantia per terras pullulare iuſſit. Quinq; præterea maſculorum filiorũ partus geminos progenuit & nutriuit. Atq; omnem Atlanticam inſulã decem in plagas partitus, primo genito maternam habitationem & plagam quæ circum erat tribuit, maximam profecto ſortem atq; potiſſimam: Regemq; illum ſtatuit reliquorum, cæteros uero multarum gentium regionumq; principes. Singulis impoſuit nomina. Primogenitum quidẽ uocauit Atlantem, totius inſulæ regem. Vnde & pelagus cognominatur Atlanticum. Eum uero qui eodem partu ſtatim illum ſecutus eſt, patria uoce Gadirum, quem Græce dicimus Eumelum. Qui extremas inſulæ partes ad columnas Herculis eſt ſortitus, ſuoq; locum nomine Gadiricum nuncupauit. Secundi partus unum Ampherem, alterum Eudemonem nominauit. Tertij, primum natũ Mneſeum, ſecundum Autochthonẽ. Quarti autem Elaſippum priorem, Meſtorem uero poſteriorem. Quinti demum, primũ Azaem, Diaprepem uero ſecundum. Hi omnes poſteriq; ipſorũ multa ibi ſecula habitarũt, multis per mare inſulis alijs dominantes, etiam his quæ Aegyptum uſq; Tyrrheniamq; habitantur, ut prędiximus. In maxima certe ueneratione uniuerſum Atlantis erat genus, ſemperq; rex antiquior regnum primogenito relinquebat. quod imperiũ multa per ſecula conſeruarunt. Tanta uero illis diuitiarum copia, quanta nullis antea regum ſuperiorum fuerat, nec ullis unquam poſterorũ facile comparabitur. Structa ordinataq; illis erãt in ciuitate totoq; regno omnia quorũ uſus expetitur. Multa quidẽ ad eos extrinſecus propter imperium accedebant, permulta quoq; inſula ipſa ad omnẽ uitæ uſum pertinentia producebat. Primum quidem omnia quæcunq; ex terrę uiſceribus eruuntur, & quę ſolida permanent, & quæ funduntur, quod ue nunc nominatur ſolum, tunc certe plurimũ effodiebatur Orichalcũ multis ex inſulę locis inſigne metallũ, tũc apud eos cæterorũ excepto auro precioſiſſimũ. Et quęcũq; ſylua producit architectis, ferebat abunde. Paſcua quinetiã animantibus tã feris q̃ domeſticis ſuggerebat. Elephantũ prętera ingens ibi copia. Alebat nempe ſufficienter, quæcunq; per paludes, lacus, & flumina, ſiue montes

agros' ue paſcuntur: & hoc quoq; uaſtum animalium genus & uoraciſſimũ. Tum quæcunq; tellus nunc odorifera nutrit, radices, gramina, ligna, liquentes ſuccos, flores ac fructus. Suauẽ præterea uitis humorẽ & ſolidũ alimentũ, quibus ipſi nutrimur. Illa itẽ quibus pro cibo utimur & obſonij gratia, quæ legumina uocitamus. Nec' nõ liquores ex arboribus atq; eſcas ad ſitim famemq; extinguendã. Neq; deerant his unguenta. Accedebant & deliciarũ gratia fructus uariarũ arborũ copioſiſſimi. Aderãt quoq; ſatietatis ſolatia bellaria, laborãtibus grata. Hæc omnia inſula quæ quondã erat, ſacra, ſpecioſa miranda, uberrima producebat. Atq; hæc colligentes ex terra, tẽpla, & regias ædes, portus, naualia, & uniuerſam regionem ſtruebant hoc pacto ſpiras illas maris, quæ antiquã circũdabant metropolim, diſponentes. Primo quidem conſtructis pontibus tranſitum ad exteriora & ad ſedem regiã præbuere, ubi in dei ipſius maiorumq; ſuorum ſedibus ſtatim ab initio regias ædes ædificarũt. Alterq; ab altero ornata ſuſcipientes continua ſucceſſione ſuperiores in exornãdo pro uiribus ſuperabãt, quo ad moles magnitudine decoreq; mirandas fabricauerunt. Foueam porrò à mari ad extimũ circulum deduxerũt, quæ tria iugera in latitudinem protẽdebatur, centum pedes in altum, in longum ſtadia quinquaginta. Atq; ut ex hoc mari ad circulũ illum uelut ad portũ applicare naues poſſent, effecerũt patefacto illius ore, ut naues maximas caperet. Zonas itẽ terræ, quibus ſpiræ maris diſtinguebãtur, pontibus ſecuerũt, ut una triremi nauigare ex alia in aliã liceret: ſupra uero texerunt, ut traiectus nauigio eſſet. Terrenarũ nãq; zonarum labra alta, mare ſupereminebant. Maximus plane circuitus per quem inundabat mare, latitudine ſtadia complebat tria: proximus huic orbis terræ prorſus æqualis: ſequentiũ uero duorũ, aqueus quidẽ orbis ſtadia duo, terreus autẽ humido præcedenti rurſus æqualis, ſtadiũ deniq; unum, qui ipſam inſulam in medio poſitam circũdabat. Inſulę uero in qua regia erat, diametrus, ſtadia quinq;, & hanc circum orbesq; & pontem latum ad pletri menſurã hinc atq; inde muro quodam lapideo clauſerũt, turres portasq; in ſingulis ſuper pontes ſecũdum maris tranſitus fabricantes. Saxum tum mediis inſulæ ędificijs, tum ſpiris illis intus foriſq; conſtruendis ſub inſula circunquaq; eruebatur, atrum, candidũ, rubrum, quæ latomiæ, obiter cauitate petrę, naualia duo egregia præbebãt. Aedificia uero partim ſimplicia, partim è uarij coloris lapidibus fecerũt, ipſa uarietate uoluptatẽ ſecuti. Eius inſuper muri qui exteriorem orbem claudebat, ſuperficiem omnem ære tenui ueſtierũt: eius uero qui interiorem, ſtamno: eius deniq; qui circundabat arcem, orichalco igneo fulgore coruſco. Regia uero ipſa intra arcem, ita conſtructa. In medio ſacrum & inacceſſibile Clitonis Neptuniq; templum, aureo ambitu circundatum. Illuc à principio conuenientes genuerunt decem regum genus, atq; ibidem quotannis ex decem regionibus cõgregati unicuiq; illorum ſacra ſolennia peragebãt. Erat Neptuni templum ſtadium unũ longum, iugera latum tria, altum uero quantum longitudo eius latitudoq; exigere uidebantur. figura eius ſpeciesq; barbarica. Exteriora prẽter ſuprema faſtigia argẽto omnia exornauerũt. Nam culmina ipſa & apices, auro. Intus autem laquearia tota eburnea, auro, argento, orichalco uarie cælata conſpiciebantur. Verũ parietes, columnas, pauimenta orichalco exornauerunt. Statuas quinetiã ex auro erexerunt. Deum quidem curru inſiſtentem, tenentemq; equorum alatorum habenas laquearia alta ceruice tangentem. Circa hunc delphinis inſidentes Nereides centum. Tot enim eſſe tunc exiſtimabantur. Aderant & ſtatuæ donariaq; complurima priuatorum. Extrinſecus extabãt imagines aureæ mulierum omnium regiarum, uirorumq; quicunq; ex generibus decẽ deſcenderãt, multaq; & ingentia ſimulacra donariaq; alia regum & priuatorum tum ea ex urbe tum ex aliis eorum imperio ſubditis. Aderat itẽ altare magnitudine & artificio quod ad reliquũ apparatum ſpectabat, decẽtibus. Eadẽ ratione & regia tam amplitudini regni quàm ornamentis ſacris conuenientia. Vtebantur autẽ fontibus tam calidis quàm frigidis, iugi ſcaturigine exuberantibus, quibus inerat ad utrunq; uſum mirifica cũ iucũditate ſalubritas. Porrò circa fontes habitationes cõſtructæ erãt, & arbores cõſitæ, receptacula quoq; aquarum circumpoſita, partim quidẽ ſub diuo patentia, partim uero ſub tecto calidis lauacris hiberno tempore accõmodata, regia ſeorſumq; priuata, atq; alia mulieribus, alia item equis, cæteris' ue iumentis. Decens plane & cõferens unicuiq; ſeruabat. Defluum uero irriguumq; humorem in Neptuni deduxere lucum, ob fœcunditatem ſoli, arboribus

bus uarijs & altitudine ſpecieq; mirandis refertum. Atque inde in exteriorem circuitum per aquæ ductus iuxta pontes deriuauerunt. Vbi templa multa delubraq; deorum, uiridaria, atq; gymnaſia, partim hominum, partim equorum, ſeorſum in utraq; orbium inſula. Sed circa mediam inſulam omnium maximã præcipuus erat hippodromus. Cuius latitudo ſtadium, longitudo per omnem circulum porrigebatur ad equeſtre certamen. Circa hippodromum utrinque erant ſtipatorum cuſtodumq; diſpoſitæ domus. Fidis quidem militibus intra ipſum anguſtiorem circuitum arci quàm proximum, commiſſa cuſtodia: his autem qui cæteris omnibus fide maxime præſtabant, in arce ipſa circa reges habitationes conceſſæ. Naualia præterea triremibus, omnibusq; ad eas pertinentibus inſtrumentis referta, ſingulaq; ſufficienter expoſita. Atque hic erat regiarum ædium apparatus. Tranſeunti uero portus qui foris tres erant exteriores, apparebat circumquaq; murus à mari incipiens ualli inſtar, & ſtadijs quinquaginta ab ampliſsimo circulo ac portu undiq; diſtans, qui ad os foueæ quod uerſus mare erat, redibat. Totum uero id colebatur. & reliquum quidem ſpacium multis & frequentibus ædificijs abundabat, ſinus autem ipſe portusq; latiſsimus plenus erat nauibus, mercatoribusq; undiq; confluentibus. Vbi ob frequentem turbam die nocteq; clamor continuus ac ſtrepitus ingens audiebatur. Atque ita de urbis & antiquæ ſedis diſpoſitione ut olim traditum eſt, in præſentia iam retulimus. Deinceps uero commemorare conabimur quæ natura quiue cultus reliquæ regionis extiterit. Principio locus omnis editus admodum, iuxta mare abruptus. Regio uero circa urbem campeſtris omnis, ambiens quidem urbem, ambita uero ipſa montibus à mari ſurgentibus facilis & æquabilis. Eius longitudo tota in alteram partem erat ſtadiorum ter mille: à medio uero ſuprà, uſque ad mare milium duorum. Situs autem inſulæ ad Auſtrum uergebat, ab excelſioribus locis Boreæ expoſitus. Montes eius frequentia, altitudine, pulchritudine omnes qui nunc extant, exuperabant. In eis uici complurimi accolarum, atque ditiſsimi. Neque deerant amnes, lacus, prata, quibus animalia omnia tum fera tum domeſtica abunde nutriebantur. Sylua item crebra ac uaria ſingulis operibus materiam affatim ſuppeditabat. atque ita locus ille tam natura diſpoſitus, quàm multorum regum diligentia opibusq; longo tempore erat excultus. Quadrata regio fuit plurimum recta in longum uergens, ſed propter foueam circumerutam recta amiſſa figura. Cuius profunditas, longitudo, & amplitudo incredibiles dictu. Impoſſibile nanq; uidetur tam uaſtum opus cum alijs collatum operibus manibus hominũ eſſe factum. Dicendum tamen quod audiuimus. Iugeris unius erat profunditas, latitudo omnium ſtadium: cumq; eſſet per uniuerſum campum acta, longitudo eius ſtadiorum decem milia. hæc ſanè fluenta ex montibus demanãtia ſuſcipiebat, perq; agros reuoluta ad urbem hinc atq; illinc perueniens, hac tandẽ erumpebat in mare. Deſuper autem ab ipſa latæ pedes centum foueæ rectaq; exciſæ per agrum rurſus in foueam mari proximam demittebantur. Altera uero ab altera ſtadijs centum ſeiungebatur. Deducebant ex ſyluis ligna in urbem, & alia ſuis quæq; collecta temporibus duplicibus per foueas nauibus: fouearum enim tractus oblique ſeſe uſq; ad urbem interſecabãt. Geminos ex terra fructus ac fruges annis ſingulis colligebant: hyeme quidem Iouis beneficio pluuijs tellus madebat, æſtate riuis ex aquæ ductibus irrigabatur. Circa numerum uero uirorum in campeſtri regione ad rem militarem utilium hic erat ordo, ut ſuum quæq; ducem pars eligeret præberetq;. Partis autem cuiuſq; magnitudo decies decem ſtadia: uniuerſorum uero numerus, milia ſexaginta. Sed eorum qui montes & alia loca colebant, infinitus: per loca uero & plagas in huiuſmodi ſortes ſecundum duces diſtributi erant cuncti. Igitur inſtitutum erat, ut dux in bellum inferret ſextam curruum bellicorum partem, ad milia curruũ decem, equos binos, & equites, rurſusq; bigam abſq; ſella. Vbi eſſet & qui paruo clypeo munitus deſcenderet, & qui ambos habenis uiciſsim regeret equos. Armigeros itẽ binos, & ſagittarios & funditores utrinq; binos: leuis armaturæ milites, iactores lapidum, iaculatoresq; tres utroſq;. Nautas quatuor, ad ducentarũ miliũ nauiũ cõplementũ. Hac itaq; ratione in regia ciuitate erant res bellicæ præparatæ. Reliquarum uero nouem urbium apparatus alibi aliter & aliter habebat, quarũ rerũ prolixior narratio ſit. Magiſtratus aũt honoresq; ſic erant principio inſtituti. Vnuſquiſq; decem regum in ſua prouincia, ſuaq; in ciuitate hominib. tum etiam legibus pleriſq; dominabaẽ, puniebatq; pro

arbitrio

arbitrio unumquenq;,ac morte damnabat. Imperium profecto & cõmunio inter illos ſe cundum Neptuni mandata dirigebant, quemadmodũ leges illis, & literæ nunciabant à maioribus in columna quadã ex orichalco circa medium inſulæ,in tẽplo Neptuni ipſius inſcriptæ.Illi igitur quinto & per uices ſexto quoq; anno cõueniebant,tam pari q̃ impari æquam partem diſtribuentes. Congregati uero de publicis rebus deliberabant:diligentiq; examine iudicantes,ſiqua in re præuaricatus quis eſſet damnabant. Cum igitur foret iudicium ineundum,tali ſe iuramento inuicem aſtringebant. Nam cum eſſent in templo Neptuni ſoluti tauri,ipſi decem ſeorſum ab alijs uouebant deo gratam illi uictimam ſe ſine ferro capturos. Vnde lignis & laqueis ſolis uenabantur. Et quencunq; ceperant taurum,ad columnam tractum,in eius columnæ uertice, ubi ſcriptis erat mandatum, protinus iugulabant. Extabat autem in columna præter leges iuramentum execratioq; terribilia his qui non parerent imprecans. Quando itaq; ſacrificijs de more paratis,iam crematuri erant ſingula tauri membra, impleto cratere guttam ſanguinis pro unoquoq; infundebant. Reliqua dabant igni,luſtrantes columnam. His denicq; actis, phialis aureis hauri entes ex cratere & ſuper ignem libantes iureiurando interpoſito promittebant iudicaturos ſe ſecundum inſcriptas columnæ leges,puniturosq; eos qui antea deliquiſſent: Præterea literarum illarum normam ſponte nunquam ſe tranſgreſſuros. Addebant neq; præter patris ipſius leges uel imperaturos ſe unquam, uel imperanti obedituros. Hæc unuſquiſq; illorum ſibi ipſi poſterisq; precatus, bibensq; & offerẽs deo phialam, ad cœnam ſe & neceſſaria conuertebat aduentante nocte: igneq; uictimarum ferme iam extincto,ſin guli ceruleam colore & q̃ pulcherrimam induti ueſtem,ac penes hoſtias ambuſtas humi ſedentes noctu,totumq; ignem in ſacris accenſum extinguẽtes, iudicabantur ſimul & iudicabant,ſiquis eorum quempiam tanquam legum tranſgreſſorem accuſauiſſet. Poſtq; uero iudicauerant diesq; illuxerat, in aurea tabula ſententias inſculpentes, eas unà cum ueſtibus monumenta futura poſteris,ſuſpendebant. Leges aũt & aliæ multæ circa ſacra, regum propriæ ſingulorum,ſed hæ præcipuæ. Ne unquam ſibi inter ſe bellum inferrent, imò ſuccurrerent oẽs,ſiquis aliqua in ciuitate genus ipſorũ regium extirpare aggrederetur. Cumq; in cõmune quemadmodum ſuperiores, de bello deq; cæteris actionibus deliberaſſent, imperij ius Atlantico generi tribuebant. Cædis aũt autoritatem aduerſus aliquem cognatorũ,regi nõ cõcedebant,niſi plures ex decem q̃ quinq; in eandem ſententiam conueniſſent. Talem itaq; tantanq; potentiam quæ in illis tunc erat locis deus certo quodam ordine ad hæc rurſus loca deduxit,tali quadam,ut fertur occaſione. Multa ſanè per ſecula, quoad natura illis diuina perſeuerauit, legibus obediebant,& erga diuinum genus ipſis cognatum benigne affecti erant.Magnificæ nanq; illorum animis,& ueræ cogitationes inerant. Vnde & modeſtia utebantur,prudẽtiaq;,& in his quæ aliunde & quæ inter ſe incidiſſent.Quocirca ſpernẽtes præter uirtutem omnia, præſentia paruifaciebãt, neq; efferebantur,ſed tanq; onus quoddam exiſtimabãt,auri cæterorumq; copiam. Neq; uelut ebrij gemino ex alimento facti in aliquo per incontinentiam aberrabant: imò uero utpote ſobrij acute cernebant hæc omnia cõmuni ex amicitia unà cum uirtute incrementum ſuſcipere:horum uero ſtudio & admiratione,diſperdi hæc, & uirtutem amicitiamq; deficere. Quoad in eis mens talis, & natura diuina uiguit, creuerunt quæ ſupra narrauimus omnia: poſtquam uero diuina ſors in eis longo abuſu crebrisq; mortaliũ rerum affectibus inquinata euanuit,mosq; humanus præualuit, tunc primum quia non poſſent ferre præſentia,dedecori ſuccubuerunt.Nam apud eos qui cernere poterant,turpiter affecti exiſtimabantur, cum pulcherrima ex precioſiſſimis perdidiſſent. Qui autem rectam ad beatitudinem uitam inſpicere non ualebant,ij eos præclaros beatosq; putabant maxime, cum maxime iniqua plus habendi cupiditate & uiolentia abundarent. Tunc ſanè deus deorum Iupiter qui regit omnia legibus,quiq; poteſt hęc talia cernere,cum deprauari generoſam ſtirpem animaduerteret, hominesq; eos punire uellet, ut adepti temperantiam modeſtiores concinniores q; euaderent, deos omnes in ſedem eorum honoratiſsimam conuocauit,unde tanquã ex medio mundi throno, quæcunq; generationi ſubiecta ſunt, conſpiciuntur. Vocatoq; concilio ſic eſt exorſus.

DEEST FINIS DIALOGI.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI IN DIALOGVM PRIMum de Legibus, uel de Legum latione, ad Laurentium Medicem.

Seculum apud priſcos penè idem, magnanime Laurenti, tria potiſsimũ habuit ſapiẽtiæ lumina, Pythagoram, Socratẽ, & Platonẽ. Compertũ autem habemus ſapientiã quidem Pythagoræ magis in contemplando, Socratis uero in agendo magis, Platonis deniq; in contemplando pariter atq; agẽdo conſiſtere. Præterea diſciplinã tam Pythagoræ contemplatiuã, quàm Socratis moralem, à cõmuni hominum conſuetudine uideri remotiorẽ. Platonis uero doctrinã ſpeculatiuã pariter & moralem ubiq; ita diuinũ cum humano contẽperare, ut & cõmuni hominũ conſuetudini facile poſsit accõmodari, & ſimul homines ad diuina æternáq; conuertere. Neq; uero putandũ eſt propterea Platonẽ à Pythagora & Socrate, quos quaſi numina colit, eſſe diuerſum, ſed mixtũ potius, atq; utriuſq; ingenij quaſi quẽdam, ut ita loquar, diuini ad humanũ moderatorẽ: ut quodãmodo dici poſsit, in illis quidem ingeniũ duntaxat diuinũ fuiſſe, in Ariſtotele uero & cæteris poſt Platonem philoſophis humanũ tantũ, ſed in Platone diuinũ pariter & humanũ. Quorſum hæc? Vt meminerimus præſentem legum diſpoſitionẽ, quoniã ab ipſo Platone nõ per Pythagoricã perſonã, uel Socraticam, ut ſolẽt cætera, imò uero per propriã Platonis ipſius perſonã nobis traditur, non iniuria uiam quandam inter diuina & humana mediã obtinere, neq; nos per abdita & inuia quædã trahere, neq; tamen ad inferiora deducere. Quamobrẽ decem illi de Rep libri Pythagorici magis ſint atq; Socratici: præſentes uero leges magis Platonicæ iudicẽtur. Illa reſpoſitio uentis fuerit & optantis, diſpoſitio præſens ſit eligentis: ut qui in arduũ illud aſcendere nequeũt, ad hos ſaltem clementiores colles nõ dedignentur accedere. Conſidera quanta diligentia humanæ ſaluti noſter Plato proſpiciat, qui nõ ſolum per ardua uult uideri hominibus admirandus, uerumetiã per decliuia quædã facilis & propitius eſſe omnibus atq; ſalutaris. Hic ergo nõ coget homines ſi noluerint inter ſe facere cuncta communia, permittet ut fieri ſolet, propria ſingulos poſsidere. Neq; tamẽ cautiſsimus auriga noſter omnino laxabit habenas. Nam præter ſummam aliarũ diligentiam legũ, prudentiſsime ſanciet, ne cui liceat ultra certũ & illum quidem mediocrẽ terminum cenſus amplificare, ne alijs quidẽ copia nimia, alijs obſit inopia, neue cogantur, id quod miſerabile eſſe putat, multi inter patriæ ſuæ ulnas eſſe mendici. Quod autem perſonam hic Platonis ſub ipſo Athenienſis hoſpitis nomine, & id quidem modeſtiæ gratia lateat, legenti deinceps ex multis perſpicue apparebit, ex eo præcipue, quod affirmabit ſe geminas tractauiſſe reſpublicas. Conditurus autẽ leges Græcis, iure à tribus Græcarum legum optimis conditoribus leges accipit, Minoe, Lycurgo, Solone, adimens, addens, mutans, inueniens: atq; ita optimã ex cunctis componit formam. Et quamuis ab initio conſtituat ciuitatem & regulam gubernandi, tamen legum poſitionem nominat potius quàm rempublicam. Quoniam in ea ciuitate in qua poſſeſsiones ſunt propriæ ſingulorum, propter uarias controuerſias, lites, iniurias, multis opus eſt legibus. In quibus conſtituendis admirandum ſimul & doctiſsimũ notabis diuini Platonis ingenium. Excogitat enim inſignis benignitate uir ſingulis legibus proœmia quædam exhortatoria, quibus humaniſsime ciues adducti, libenter parere uelint, ac ſponte uelut filij legum illis obtẽperent, quibus alij ſolent quaſi tyrannis inuiti parere, ac pro uiribus uel fraude uel uiolentia earum imperium ſubterfugere. Addit uero poſt multa etiam minas, addit & pœnas propter illos qui patriã ſuam, nõ matrem iudicant, ſed nouercam. Deſcendemus iam ad primi Legum dialogi proprium argumentũ, ſi prius omnes admonuerimus, ut Dialogum Minoem, argumentumq; illius legant, antequam ad has leges accedant. Accedant inquam tanquã & lectionibus eas diligenter obſeruaturi, & actionibus penitus ſeruaturi. Alioquin niſi his obedierint, intelligant ſe poſt tam exactã iuſtitiæ iniuſtitiæq; notitiã & minori excuſatione & maiori crimine peccaturos. Athenienſis hoſpes, id eſt Plato profectus in Cretam prope Cnoſum offendit Megillum Lacedæmoniũ et Cliniã Cretenſem, quem unã cum nouem alijs Cnoſii accerſiuerant, ut coloniã inde deducerent, urbem conderent, eiq; leges darẽt. Hi ergo duo ad ſacrum Iouis antrum conſulturi de hoc accedebant: his factus obuius Athenienſis hoſpes, quidnã acturi irent interrogauit. Illi leges excogitaturos eſſe ſe reſponderũt. Verum cum multa de legibus interrogati ab hoſpite, quæſtionem haud ſatis abſoluerent, & hoſpes illis ad leges aptiſsimus uideretur, obſecrauerunt eum, ut ad ciuitatẽ legibus inſtituendam unà cum ipſis adiutor accederet. Obtemperat ergo hoſpes, & ante omnia principiũ à quo & per quod leges ad homines peruenerunt, exponit, deum ſcilicet atq; philoſophum. Deinde legum perquirit finem, docens eiuſmodi finem fore tranquillam animorum ciuilium puritatem, ueritatis cõtemplationi quoad fieri poteſt ſufficientem. Tertio ad ipſam legum formam materiamq; deſcendit. Leges autem à deo hominibus inſpirari, teſtis eſt omnis antiquitas, teſtes & multi Platonis libri, teſtes & rationes noſtræ in multis dialogorum argumentis adductæ, atq; in Theologia noſtra, ubi de religione agitur, confirmatæ. Profecto ſi natura, quæ nihil aliud eſt quàm infimum diuinæ prouidentiæ inſtrumentum, atque ubicunq; prouide uidetur incedere, non ducit ipſa ſeipſam, ſed ab ipſa prouidentia ducitur, fines omnium ordinesq; & in ſeipſa præſcribente, & naturæ prout uult inſcribente: ſi inquam natura talis, neq; abundat ſuperfluis, neque in rebus deficit neceſſarijs, certe diuina prouidentia in rebus neceſſarijs nunquam deficit. Neceſſaria uero eſt hominum generi aliter nõ potenti uiuere cõgregatio mutua.

Neceſſaria

Necessaria quoq; lex congregationi similiter procul à lege subito perituræ. Necessaria rursum legibus diuina est autoritas, ne uel negligentia obsolescant, uel fraude uel uiolentia cõfringantur. Necessaria tamen comparandæ autoritati diuinæ, tum sanctimonia uitæ, tum pœna super humanas uires omnibus admirãda. Quamobrem prouidentia dei quæ singulis elemẽtorum, plantarum, brutorum, mẽbrorum speciebus & usibus necessaria prospicit, multo diligẽtius perfectissimæ animalium speciei colenti diuinitatem, in sanciendis legibus apprime saluti hominum necessarijs deesse nõ debet. Adde quod neq; potest princeps ullus uastam ciuitatis nauem quolibet momento procellis & periculis innumeris agitatam, absq; cœlesti flamine ad portum usq; perducere. Ergo deus tum occultis inspirationibus animorum, tum miraculis manifestis, quotiens necessitas exigit, & reuelat mysteria legum, & sancit palam atq; promulgat. Propterea exordium Plato legum adeo iustis felicibusq; inchoat auspicijs, deum non abs re ter statim in principio nominans. Tres enim hi disputant fundatores legum, singuliq; diuino indigent patrocinio. Tres quoq; imitantur auctores legum, Minoem, & Lycurgum, atq; Solonem. Qui & leges in tria numina retulerunt, Iouem, Apollinem, & Mineruam. Neq; id quidem iniuria. Sol enim planetarum dominus potentiam, Iupiter clementiam, Minerua sapientiam cõtinet. Quæ quidem tria totam legis naturam perfectionemq; complectuntur. Quid enim aliud esse dicimus legem, præter rationalem quandam regulam certo quodam ordine ad bonum subditos perducentem? ut autem ratio & regula & ordo insit, necessaria omnino sapientia est. Præterea ut perducat ad finem atq; seruetur, in primis potentia effluit, deniq; ut ad bonum, id est, ad cuiusq; commodum, & commode benigneq; conducat, magnopere clementia prouidet. Tria itaq; apud priscos numina diuinam referentia trinitatem, legibus necessario consulunt. Atq; idcirco tres similes dotes in principe ad ferendas leges necessariæ iudicantur. At quoniam perfectas inuicem has oportet concurrere ad perfectas leges constituendas, id uero humana facultas præstare non potest, nimirum ad legum exactissimam sanctionem diuino est opus auxilio. Quod autem nouenarium annorum numerum Plato & in Minoe, & hic sæpe repetit, quasi necessarium ad leges ab ipso Ioue discendas hominibusq; tradendas, fortè significat nouem angelicarum mentium ordines, per quos uelut interpretes ipsa legis sanciendæ ratio ad homines usque transfertur. Omnes uero hos ordines legum interpretes sub uno Mercurij nomine significat in Protagora. Neque uero te lateat nouenario hoc in angelis numero non Christianos solum uti, sed & Platonicos, præcipue Proclum atq; Syrianum, quod in Theologia satis ostendimus. Quid uero? si nouenarius hic significet trinum potentiæ usum, trinumq; sapientiæ, triplicem quoq; clementiæ? uidelicet ut trium quodlibet tum in lege ipsa sit, tum in iudicio magistratus, tum in ministris & ipsa executione iudicij? Præterea in ipsis rerum actionumq; principijs medijsq; & finibus? Tria uero ter repetita nouenarium manifeste perficiunt. Sed cur nam in Republica ab ipsis Mineruæ sacris, hic uero à sacris Iouis disputationis fundatur exordium? An fortè, quoniam disputatio illa Athenis habetur, & de antiqua Athenarum urbe Mineruæ dicata tractatur: hic uero in Creta de Cretensi urbe ædificanda consulitur, prope ipsum Iouis templum, deq; legibus Minois Iouis filij in principio uerba fiunt? An potius forma illa Reipublicæ prior castior erat atque seuerior, Pallади maxime congrua: hæc uero paulo indulgentior, & sua quadam humanitate Ioui conueniens? Summatim & hic & ibi à uotis sacrificijsq; ciuitatis nascentis felicitatem auspicamur. Mitto descriptionem longi huius itineris & sacros lucos, & arbores templo dicatas, & alia multa quæ commentum desiderarent potius quàm argumentum. Post uero nonnulla quæ allegorice docent res humanas præsertim publicas non posse absque diuino quodam patrocinio recte componi, ideoq; ab ipso deo, qui legum & principium est & finis, esse legum exordium faciendum, incipit iam paulatim de legum fine perquirere, significans harum finem esse diuinum cultum, quãdoquidem eiusmodi legum disputatione ad templum Iouis proficiscuntur. Cum igitur legum finis ultimus sit Iouis illius cultus qui fecit mundum, deditq; & mundo leges & nobis, non immerito statim negat finem legum esse Martis cultum, interim modeste Minois & Lycurgi leges emendans, quòd non tam ad uirtutem ipsam simpliciter respexerint, quàm ad bellicam declinauerint. Profecto leges debent illud potissimum in ciuitate habere pro fine, ad quem quasi ad signum omnia dirigant, quod à cunctis ciuibus maxime omnium est expetendum. Pugna uero atq; uictoria cum laborum malorumq; plena sit, non propter se quidem optanda est, sed eligenda potius propter pacem, tutamq; uitæ tranquillitatem: quemadmodum nemo ita exoptat uiuere, ut in perpetua contra morbos pugna, uictoriaq; uersetur. Concludit tandem non decere studia pacis ad bellica, sed contrà, bellica potius ad pacis studia offiriaq; referre: pacem uero ad expeditum liberumq; ueritatis deiq; cultum. In his uero probandis ipsum bonorũ genus in multas distribuit species, dicens alia quidem esse humana, alia uero diuina: & à diuinis humana pendere: humanorum autem, quæ longe diuinis inferiora iudicat, primum esse sanitatem, secundum formam, tertium uires, quartum diuitias. horum uero bonorum ducem uult esse prudentiam, ducem insuper diuinorum post prudentiam sequi existimat temperantiam, post hanc iustitiam, post iustitiam fortitudinem. Profecto & hic significat, & in quarto de Republica explicat, tres animæ partes, rationalem scilicet irascibilem, concupiscibilem: & prudentiam quidem in sola rationali, fortitudinem in sola irascibili esse, Tu quoq; pone in sola cõcupiscibili cõtinentiam. Ponit uero in cunctis simul partibus temperantiam atque iustitiam, & utranque nominat totius animæ consonan-

tiam

tiam. Sed temperantia quidē in affectibus, iustitia uero in actibus consonantia fit. Et illa sit animæ sanitas, hæc animæ pulchritudo. At prudentia, oculus: fortitudo uero manus. Si substantiam animæ puritatemq; contemplationi necessariam spectas, iustitiæ temperantiam antepone: si humanam spectas consuetudinem, præpone iustitiam: Omnino uero prudentiam cunctis quasi oculum pedibus atque ducem. At fortitudinem continētiæ antepone. Nam fortitudo & circa difficilius uersatur, doloris scilicet tolerantiam, & continentiæ officium, quod est uincere uoluptates, in se ipsa complectitur. Vtrunque uero iudicato temperātia iustitiaq; inferiorem. Hæc enim duo integrum animæ totius ordinem magis possident duce prudentia constitutum. Ex his colligit oportere latorem legum & ipsum referre, & referri iubere, humana quidem ad diuina, diuina uero, id est, uirtutes ad mentē ueritati diuinitatiq; deditam. Dum uero de fine legum disputat, officium quoque ipsarum conditoris exponit: idq; summatim esse uult, summa cum diligentia totam ciuitatem colere quasi agrum, ut exquisitam de eligendis serendisq; seminibus habeat rationem. Deinde de opportuna plantæ cuiusque cultura. Item de extirpandis statim ab initio noxijs herbis & sentibus. Denique de omnibus ad maturitatem suo ordine perducēdis. Tu uero inter hæc aduerte, turpiorem haberi qui uoluptatibus cedit, quàm qui succumbit doloribus. Item fortis uiri officium esse nō solum metus et pericula superare, sed cupiditates etiam coercere. Præterea neminem secure iudicari posse fortem nisi diu inter labores & pericula uersatus strenue fuerit. adde & nisi in ipsa licentia & illecebris uoluptatum, in quibus probatur propter continē tes, ipse quoque fuerit comprobatus. Aduerte nō esse tutum uel hominem qui fortis sit futurus, procul à timoribus, uel eum qui futurus sit temperatus, seorsum ab omnibus uoluptatum illecebris educare. Præterea totum conditoris legum studium circa uoluptates & dolores oportere uersari, ut duo hæc quasi bruta freno nō careant. Si enim freno cohibeantur, facile felixq; uitæ iter euadit. Si nullo coerceantur freno, difficile admodum & infelix. Notabis et illud de Athenienſibus dictum, probos Athenienses esse præcipue probos: propter quod soli suapte natura, & diuina quadam sorte, nullo cogente uel perterrēte, sint probi. In his Plato significat, in ciuitate male instituta, raros quidem fore cīues bonos, sed illos fore omnium præstantissimos. Quoniam cum nulla disciplina tales euaserint, profecto diuina quadam sorte & perfecta natura sint tales, quorum etiam tanta sit excellentia, ut communi contagione non inquinentur. Post hæc singulare id cuiusque artis totiusq; uitæ præceptum considerabis. Oportere eos qui præstantes uiri quouis in studio sunt, statim à teneris annis id ipsum tam ludendo quàm studendo in singulis ad id conducentibus meditari, adeo ut uirilium studiorum accōmodatissima pueris præludia proponantur, atque ita ludentium animi in amorem illius potissimum adducantur, quod in uirili ætate serio sunt acturi. Inter hæc disciplina sic definitur. Disciplina est, ea uitæ statim à pueritia institutio, quæ in amorem uirtutis paulatim adducit animum puerilem. Illius inquam uirtutis præcipue, per quam uir factus imperare sciat atq; parere. Hominem uero oportere, et insuper posse, disciplinam ciusmodi à teneris annis habere, per illam quæ sequitur humanæ naturæ descriptionem apte confirmat: inquit enim, hominem & si unum quiddam sit, habere tamen multa in se atque diuersa, inter quæ sint tyranni duo amentes quidem & inter se contrarij, animum distrahentes, Dolor atque Voluptas: præterea opiniones futurorum bonorum atq; malorum, ex quibus appetitus confidentiaq; ad bona, timor autem ad mala nobis suboritur, perturbationesq; animi similes. Præter hæc adest iudicium rationis dictans quid horum melius sit, quid peius. Iudicium uero eiusmodi in uno quoque lex priuata est, & in ciuitate lex publica. Quoniam uero animal unum ex rebus tam diuersis dixerat esse compositum, haud ab re subiungit, hominem inter animalia miraculum esse diuinum, Mercurium imitans dicentem, miraculum ingens hominem esse. Animalium tria sunt genera. Aut enim tam ex corpore quàm ex animo immortalia sunt, aut ex utroque mortalia, aut ex animo quidem immortalia, ex corpore uero caduca. In primo quidem genere cœlestia, & ætherea, & aerea sunt, siue dij siue dæmones nominētur. In ultimo uero sunt bruta. Sed in medio homines dæmonesq; aquei atque terreni. Cum enim horum quoque dæmonum corpora sicut humana ex contrarijs componantur, dissolui quandoque possunt, perturbationesq; aliquas afferunt. Sed cæteris iam omissis curnam homo miraculum? Quia et cum diuinus sit, mirum est eum à mortalibus inſici, & cum sit mortalis, mirum quoque affici ad diuina. Sed cur diuinum miraculum appellatur? Quoniam ita est diuina prouidentia institutum: & ut Timæus docet, à deo quidem opifice mundi rationis animæ substantiam ipsam accepimus, à dijs autem cæteris naturam quandam uitalem ratione inferiorem, à dæmonibus denique corpora. Quod autē addit, hominem à dijs fuisse uel ludo uel studio quodam effectum, sic intellige: ludo quidem factum esse, si anima semper à cœlestibus ad terrena atque uicissim quasi ludendo transmigrans nunquam immutabili apud deum sede quiescat: factum uero studio, si modo penes effectores deos, effectorem deum animus quandoq; sit immutabiliter permansurus. Vtram uero disiunctionis huius partem eligere debeamus, affirmare hic Plato non audet. Probabile tamen habet, ut hic alibiq; significat, hominem studio quodam potius quàm ludo fuisse diuinitus constitutum. Siquis autem ambiguum hunc Platonis textum legere ita uelit, ut significet uel hominem esse à diuinis animalibus constitutū, ab astris intelligat: uel esse ex animalibus multis compositum, intelligat partes affectusq; animæ nominari à Platone poetice animalia. Quod quidem apparet in nono de Republica & in principio Phædri. Sed ista tu uideris. Descendit post hæc ad quædam, quæ & si leuiora uidentur, ad perfectam tamen disci-

plinæ traditionẽ morumq; probationem neceſſaria ſunt. qualia ſunt ſtudia muſicæ, cõſuetudinesq; perſimiles. Muſica uero communiſsima quadam ſignificatione comprehẽdit proportionis cuiuslibet ordinem, non ſolum in ſermone, cantu, ſono, ſaltu, ſed gymnaſtico quoq; ludo gratiaq; conuiuij. Hæc quidẽ omnia ita in ciuitate cõpoſita eſſe debent, ut omni perturbationum uitiorumq; incitamento ſublato corpus & ſpiritum animumq; contemperent. Exorditur autem diſputationis opportunitate quadam à conuiuijs, atq; uino, dicens primo cauendum eſſe ne ad innatas nobis perturbationes accedat quoq; ebrietas. Hæc enim ſi temere acceſſerit, & rationis officia minuit, & perturbationis impetus auget. Probat tamen conuiuiũ atq; meri uſum, ea uidelicet cautione adhibita, quã in libro ſequenti planius explicabit. Hic uero ad id potiſsimum conferre iudicat, ut ex liberiori interdum uſu meri, mores hominum in conuiuijs detegantur. ſolet enim impudentiores audaceſq; reddere. Illic ergo prudens iuuentutis cuſtos deprehenſis iuuenum præſertim uicijs, impudentia, et mederi facilius poterit, et aſſuefacere iuuenes etiam in ebrietate omnium impudentiſsima ſeruare pudorem. Quanti uero ſit pudor, id eſt dedecoris & infamiæ timor, ex eo conſtat, quòd ob huiuſmodi metum iuuenes, & turpia in primis metuunt, et honeſta quamuis ardua audacter aggrediuntur. Quæ quidem duo reipub. maxime omnium tam pace quàm bello neceſſaria iudicantur. Ideoq; ad hæc ciuiũ animis infundenda, legum lator diligenti ſtudio debet intendere.

PLATONIS DE LEGIBVS VEL DE LEGVM LATIONE, VT LIBRI VNIVS, Dialogus primus.

ATHENIENSIS HOSPES. CLINIA CRETENSIS. MEGILLVS LACEDAEMONIVS.

DEVM'ne an aliquem hominum ô hoſpites condendarũ legum cauſam exiſtimatis? CLIN. Deum ô hoſpes, deum inquam, ut decet aſſerere. apud nos quidẽ louem: apud Lacedæmonios uero, unde hic eſt, Apollinem dicturos iſtos exiſtimo. Nónne? MEG. Certe. ATHEN. An Homerum ſecutus ita dicis, Nempe Minoa per nouennium patris collocutionem petere ſolitum, eius monitis, ciuitatibus ueſtris leges quemadmodum ille canit, poſuiſſe. CLIN. Sic noſtri ferunt. Fratrem quoq; eius Rhadamantum (audiuiſtis enim nomen) iuſtiſsimũ fuiſſe. Eumq; nos Cretenſes, quia tunc recte ius unicuique diſtribuerit, hanc laudem conſequutum cenſemus. ATHEN. Egregia profecto laus, maximeq; filio Iouis digna. Verũ quia in huiuſmodi moribus atq; legibus ambo educati eſtis, tu ſcilicet atq; hic, ſpero nobis non iniucundum fore, ſi inter eundum de conſtituendis ciuitatibus ac legibus diſſeramus. Eſt autem à Gnoſo in antrum templũq; Iouis uia ſatis, ut audiuimus, longa, diuerſoriaq; per ipſam ſub altis arboribus, ut in æſtu conuenit, umbroſa ſunt. Noſtræ igiẽ ætati conueniens erit, frequenter in his requieſcere, mutuoq; orationis ſolamine ſine moleſtia iter hoc omne tranſigere. CLIN. Atqui cum progreſſi fuerimus hoſpes, cupreſſos offendemus in lucis proceritate ſpecieq; mirabili, prata quoque amœna, in quibus requieſcentes libenter commorabimur. ATHEN. Recte nimirum loqueris. CLIN. Prorſus. uerum hæc magis affirmabimus, quum uiderimus. Sed nunc bonis auibus eamus. ATHEN. Fiat. Sed dic mihi oro, quamobrem conuiuia publica, gymnaſia, armorumq; artem lex uobis inſtituit? CLIN. Arbitror equidem ô hoſpes, noſtra hæc eſſe facillima cognitu. Naturam enim regionis huius uniuerſam uidetis non eſſe ut Theſſaliæ, planam. Idcirco equis illi magis, nos curſibus utimur. Inæqualitas hæc locorum ad pedeſtrem exercitationem curſumq; eſt aptior. Quapropter armaturam quoque leuiorem eſſe neceſſe eſt, ne pondere ſuo curſum impediat. Arcuum ergo ſagittarumq; leuitas maxime congruit. Hæc igitur omnia ad bellum nobis accommodata ſunt: ad idq; reſpiciens legislator, cuncta ut mihi uidetur, inſtituit. Quippe huius gratia ipſam etiam conueniendi legem ſanxiſſe uidetur, quum omnes uideret in militia re ipſa coactos, cuſtodiæ ſuæ gratia, conuiuia habere cõmunia. In quo ſanè arbitror eum ſtultitiæ crimine cæteros condemnaſſe, quòd minime intelligant bellum ciuitatibus omnibus cum omnibus iuge atque perpetuum eſſe. Nam ſi dum eſt bellum, cuſtodiæ cauſa conuiuia in unum celebrare, præfectosq; aliquos unà cum ſubiectis ſuis armatos tueri cæteros oportet, id ipſum eſt pacis etiam tempore faciundũ. Quam enim plericq; pacem nomi-

nominant,id esse nomen solummodo existimandum. Re uero ipsa, omnibus ciuitatibus aduersus omnes non indictum bellum natura esse. ac reperies ferè si consideres, Cretensium legum latorem omnes leges tam priuatim q̃ publice ita nobis cõscripsisse, quasi ad bellum respiceret,atq; ita illis parere iussisse,quasi cæterarum rerũ nulla esset utilitas, nõ possessionum,non artiũ,nisi quis bello superet:cum omnia bona eorum qui uicti sunt,ad uictores ilico transeãt. ATHEN. Probe ô hospes ad exponendum Cretẽsium leges exercitatus mihi uideris.Sed id planius dicas. Nam recte dispositam ciuitatem ita demũ dicere uisus es,si sic instituta sit,ut cæteras bello uincere possit.Ita'ne? CLIN. Ita prorsus.hunc etiam arbitror consensurũ. MEG. Haud aliter Lacedæmoniorũ quispiam ô diuine uir responderet. ATHEN. Vtrũ ciuitas ad ciuitatem ita se habet, pagus autẽ ad pagum aliter? CLIN. Non aliter. ATHEN. Similiter ergo se habent. CLIN. Similiter. ATHEN. Nunquid & domus ad domũ, quæ eodem in pago sunt, & singuli uiri ad singulos? CLIN. Similiter & ista. ATHEN. Quid porro de uiro quolibet ad seipsum est dicendũ? Vtrũ quẽlibet ad seipsum quasi hostem ad hostem affici dicemus? An aliter? CLIN. Atheniẽsis hospes.Non em̃ ego te Atticũ nominare uolo. Videris nanq; deæ ipsius Athenas,id est Palladis cognomẽto dignior esse.Nempe uniuersam hanc rationẽ ad principiũ reductã planam feciſti,quo facilius inueniri queat probe istuc iam fuisse dictũ,hostes uidelicet omnes omnibus esse tam publice q̃ priuatim,& singulos sibijpsis. ATHEN. Quomodo id ais ô uir mirifice? CLIN. Primã ô hospes & optimã esse dico uictoriã, ut seipsum quis uincat. Turpissimũ uero quiddam & pessimũ,ut à seipso uincatur. Atq; hæc omnia singulis aduersus seipsos bellum esse significant. ATHEN. Orationẽ igitur illam resumamus.Nam cum quisq; nostrũ,aut superior seipso sit,aut inferior, dicendum'ne est eodem se modo domũ, pagum,& ciuitatem habere? An aliter? CLIN. Sit'ne superior aliqua seipsa, aliqua inferior:dicis? ATHEN. Idipsum. CLIN. Id quoq; recte quæsisti. Non enim minus ciuitatibus id contingit,imò maxime hoc in eis perspicuũ. Nam ubi meliores multitudinẽ peiores q; superãt,recte profecto ciuitas illa superior seipsa dicetur, & hæc uictoria nõ iniuria laudabitur.Contrà uero,ubi contrariũ fit. ATHEN. Sed utrũ quod peius est, meliore aliquando superius & potentius sit,ad præsens prætermittatur,longiore nanq; oratione indiget. Quod autem abs te dictum est,sic intelligo.quod ciues quãdoq; cognati & ciuitatis eiusdem multi & improbi aduersus iustos,paucos illos,cõspirabunt,uimq; inferent ut eos subijciãt.Ac si uicerint,ciuitas illa seipsa inferior,prauaq; dicetur: sinautem uicti fuerint,superior atq; proba. CLIN. Mirum est hospes quod dicitur.sic tamẽ fateri necesse est. ATH. Age iam & hoc rursus cõsideremus. Multi ab uno patre matreq; eadem fratres nasci possunt: nec mirũ si plures eorũ iniusti erunt, iusti uero pauciores. CLIN. Nihil mirũ. ATHEN. Nec me decet arbitror aut uos istuc captare, domũ scilicet & cognationẽ uniuersam inferiorẽ seipsa uideri si praui superent,superiorẽ si uincantur. Neq; enim hoc agimus,ut elegantiã uel ruditatẽ uerborũ obseruemus,quod multi facere solent, sed ut quæ recta ratio secundũ naturã in legibus sit,quis error,indagemus. CLIN. Vera loqueris hospes. MEG. Probe profecto hucusq; mihi quoq; dictum uidetur. ATHEN. Hoc præterea cõsideremus. Vtrũ dictis modo fratribus iudex quispiã præesse poterit? CLIN. Proculdubio. ATHEN. Vter igitur melior erit iudex? Num qui improbos perdet,efficietq; ut probi sibijpsi imperẽt? An qui probos quidẽ faciet imperare:improbos autẽ,cũ sponte subire imperiũ persuaserit,uiuere patietur? Tertiũ uirtute iudicem his addamus, si quis talis reperietur,qui dissidentẽ cognationẽ ita cõmendatã habeat, ut neminẽ perdat,sed reconciliatis leges conscribat, quibus inter se perpetuo amici futuri sint. CLIN. Longe melior talis iudex legumq; conditor erit. ATHEN. Atqui contrà q̃ ad bellum respiciens ipsis leges conscribet. CLIN. Vera loqueris. ATHEN. Quid autẽ? Qui ad bellum respiciens, ciuitatẽ constituit,utrum ad externa bella respiciet,& ad illa uitã ciuium referet an intestina,quæ seditiones appellantur: quæ minime omniũ & esse in ciuitate sua quiuis cupiat: & si sint,quàmocissime abolere? CLIN. Ad hæc plane. ATHEN. Vtrũ uero perdita ciuium parte pacẽ ex seditione cõsequi,cum altera pars potita uictoria sit, malit quispiam: an potius per recõciliationẽ facta pace amicitiaq; firmata, ad externa bella totius animũ ciuitatis cõuerti. CLIN. Hoc profecto potius q̃ illud ciuitati suæ accidere quisq; optabit. ATHEN. Nónne & legũlator similiter? CLIN. Similiter. ATHEN. An nõ ipsius optimi

Leges non propter bellũ latas esse

gratia leges omnes ferendæ sunt? CLIN. Ipsius nempe. ATH. Atqui optimũ nec bellum nec seditio est: omnes enim deprecantur, nequid horum sibi ineundum sit: sed pax, mutuaq; beneuolentia. Sed neq; victoria illa qua ciuitas ipsa seipsam superat, optimũ quiddã est, sed necessariũ potius. putare autẽ optimũ ciuitatis statũ in pugnando & uincẽdo cõsistere, simile est ac si quis optime cũ ægrotãte agi putet dum curatur, de eo uero ne cogitet quidem, qui nunq; ægrotauerit. Et si quis similiter de ciuitatis uel priuati hominis felicitate existimet, nec ciuilis reuera unq; uir erit, dum externa solum atq; in primis bella respiciet, nec exquisitus legũ conditor, nisi gratia pacis de bello potius q; belli gratia de pace leges conscribat. CLIN. Recte hæc hospes dicta esse uidentur. Ego uero mirarer, siquis forte tam nostras q; Lacedæmoniorum leges non belli gratia sedulo positas esse contendat. ATH. Fortasse ita sit. Oportet aũt non cõtentiose sed quiete rem inquirere, studio q; maxime tam à uobis q; ab illis huiusmodi rebus adhibito. Attendatis igitur oro. Incipiamus à Tyrtæo, natura quidem Atheniẽse, Lacedæmoniorũ postea ciue, qui præ cæteris hominibus maxime huiusmodi rebus incubuit. Non si opibus superet cunctos, & plurima solus possideat bona (numerat enim ferè oĩa) uir mihi nomine dignus abibit, Tractandis quisquis non est accõmodus armis. Hæc tu quoq; forsitan carmina audiuisti. Nam hunc obtusum iam esse audiendo arbitror. MEG. Vulgatissima hæc apud nos sunt. CLIN. Ad nos quoq; hæc Lacedæmone aduecta peruenerunt. ATH. In commune igitur hoc modo hunc poetam interrogemus. O diuine poeta Tyrtæe, sapiens certe ac bonus nobis esse uideris, qui excellentibus eos extulisti laudibus, qui in bello excelluerunt. de quo iam ego & hic & Clinias Gnosius ualde tibi assentire uidemur. Vtrum autẽ eisdem de uiris dicamus, an non, plane scire uellemus. Quare nobis explana, num tu quoq; sicuti & nos, duo belli genera arbitreris, an aliter. Ad hæc arbitror non Tyrtæum solum, sed & quẽuis illo longe deiectiorem, duo protinus responsurũ, Alterum quod seditionẽ appellamus, omniumq; grauissimũ esse modo concessimus. Alterũ uero belli genus, quod omnes ponimus multo mitius illo, quo aduersus externos & alienigenas utimur. CLIN. Cui dubiũ? ATH. Dic igitur nobis: quos uiros in quo belli genere ita ualde laudasti, & quos usquea deo uituperasti? Videris enim eos laudasse, qui externa magno animo bella gerũt, Sic enim in carminibus dixisti. Quisquis non ausit cædem spectare cruẽtam Et durum coram manibus lacessere Martem, Despicio. Hinc nos ô Tyrtæe, eos te laudare colligimus, qui in externis bellis gerendis præ cæteris clareant. Concedet ista Tyrtæus? CLIN. Quid ni? ATH. Nos autem, cum hi clari sint, longe clariores eos existimamus, qui maximo in bello præstant. Testemq; & nos poetam habemus Theognim Megarensem ciuem ex Sicilia, qui ait: Argento fuerit, fuluo æquiparandus & auro Fidus in insana seditione manẽs. Hunc itaq; dicimus in grauissimo bello, tanto illo esse meliorem, quanto sola fortitudine melior est iustitia, temperantia, sapientia, fortitudini coniuncta. Nemo enim integer & fidelis sine omnium uirtutum numero in seditionibus reperiri poterit. Multi autem etiam mercenarij, quod non negabit Tyrtæus, reperiuntur qui externo in bello intrepide pugnant: quorum plurimi feroces, iniurij, cõtumelioſi, pauciſsimisq; exceptis, omniũ amentissimi. Quorsum hæc? quidq; ex his declarandum? Quod uidelicet omnino tam ille qui leges hic ab Ioue dedit, quàm alius omnis legum lator, si quid modo profuturus est, ita leges condet, ut non ad aliud quàm ad amplissimam semper uirtutem respiciat. Est autem, ut inquit Theognis, fides illa, quæ maxime in periculis lucet. Quam iustitiam perfectam quis nominabit. Ea uero quam summopere Tyrtæus laudauit, & si pulchra est, & à poeta opportune laudata, uirtute tamen, qua ex honorabilium genere dicitur, & numero quarto loco rectissime honoranda est. CLIN. Ergo hospes legum nostrarum cõditorem inter ultimos legum conditores reijcimus? ATH. Non illum ô uir optime, sed ipsi nos ipsos, si quidem putemus, & hic, & apud Lacedęmonios Lycurgum, & Minoem ad bellum respiciẽtes leges condidisse. CLIN. Quomodo igitur de hoc dicere nos oportebat? ATH. Vt ueritas & iustitia postulat eos dicere, qui de diuina republica disserunt: non ad particulam uirtutis, & præsertim ad deiectiorem, sed ad uniuersam ipsos uirtutem respexisse putandum, & per singulas earum species, leges quæsisse, nec eas species inuestigasse, quas multi modo proponẽtes, quærũt. Id enim quisq; maxime quærere solet, quo maxime indiget, alius de hæreditate, alius de iniuria, alius de cæteris huiusmodi multis.

Nos

Nos aũt tunc de legibus bene quæri putamus, cum ita ut nos modo incepimus, quæritur. At tuum equidem ingressum ad exponendas leges ualde probo, Quod enim à uirtute feciſti principium, dicens leges uirtutis gratia conditas, recte quidem aggreſſus eſſe uideris: quod aũt ad particulam uirtutis & eam minimam reſpexiſſe conditorẽ legum affirmaſti, haud recte mihi uiſus es dicere, atq; idcirco lõgiore poſtea oratione uſus ſum. Quo modo autẽ te nobis diſtinguere uoluiſſem, ſi uis, tibi dicam. CLIN. Volo equidem. ATH. Hunc in modum dicere oportebat ô hoſpes. Cretenſium leges non temere omnibus Græcis in primis probantur. Recte enim poſitæ ſunt, cum utentes eis beatos efficiant. Omnia enim bona his porrigunt. Duplicia uero bona ſunt, alia humana, diuina alia: dependentq; à diuinis humana. Siqua uero ciuitas maiora ſuſcepit, minora quoque poſsidet: ſinautem illis caret, utriſq; priuatur. Minorũ primum eſt ſanitas, forma ſecundum, Tertium uires ad curſum cæterosq; corporis motus, Quartũ diuitiæ. quæ cæcæ non ſunt, ſed acutæ cernunt, ſi prudentiam ſequuntur. Quæ quidem prudentia diuinorum bonorum dux primus exiſtit. Deinde poſt mentẽ temperatus animi habitus. Ex his duobus cum fortitudine mixtis iuſtitia tertio emergit. Fortitudo quartum tenet locum. Quæ omnia humanis illis natura præponuntur. Quare oportet ut legum quoq; lator & ipſe hunc ordinem ſequatur, & mandet omnibus ut ſemper ad hæc ipſa reſpicientes in ſingulis operentur. humana enim ad diuina, diuina uero ad mentem principem referenda. Curet præterea oportet nuptias inter ciues, & generationes educationesq; liberorum, maſculorum pariter & fœminarum, tam iuuenum q; ætate prouectorum: & eos qui recte in hiſce ſe gerunt, ut decet honoret: contrà uero dolores uoluptates, & cupiditates in omni conuerſatione uituperet. Conſiderabit etiam diligenter ad quæ ſtudia quenq; raptat amor, rectaq; officia per leges laudabit; uituperabit cõtraria. Docebit item atq; definiet quid in cuiuſq; affectu honeſtum ſit, quid turpe, circa iram uidelicet atq; metum, & alias quæcunq; uel aduerſis in rebus accidunt perturbationes, uel ſecundis delicias, atq; circa omnes denicq; motus, qui ex morbo, bello, paupertate, uel horum contrarijs homines uexant. Poſt hæc neceſſe eſt ut legislator quæſtus impenſasq; ciuium diligenter obſeruet, & quomodo fiant agnoſcat, commercia item in his omnibus ac ſolutiones, quas uel ſponte uel coacte faciant: quicquid horum inter ſe contraxerint ubi iuſtitia adſit, ubi abſit, animaduertat: & parẽtibus quidem honores, non parẽtibus debitas pœnas conſtituat. Demum omnib. ad finem uſq; Reipub. per tractatis, animaduertat ſtatuatq; neceſſe eſt, quõ monumenta mortuis extrui, quiue defunctis ſingulis honores impendi debeant. His denicq; declaratis, legislator omnibus iſtis cuſtodes præficiet, alios prudentia, alios uera opinione rem adminiſtrantes: ut mens in unum hæc omnia colligens eò deducat ut temperantiam & iuſtitiam potius q; diuitias ambitionem'ue ſequatur. Ita equidem hoſpites uoluiſſem, atq; etiã uolo à uobis exponi, quo pacto in legibus Iouis, & Apollinis Pythij, quas Minos & Lycurgus ſcripſerunt, inſint hæc omnia, & quonam ordine poſita pateant illi qui artificio uel uſu quodam legum peritiam habet, nobis uero alijs nullo modo pateant. CLIN. Quo pacto igitur hoſpes quæ ſequunt̃ tractanda ſunt. ATH. Ab initio rurſus ut ſuprà cœpimus, tractanda in primis ea mihi uidentur, quæ ad fortitudinẽ pertinent. deinde aliam atq; aliam uirtutis ſpeciem tranſigemus, ſi uobis etiã ita placet. ac primã iam pertractemus, ad eiusq; exemplar cætera, ut confabulatio leuamen nobis itineris adferat, poſtremo cum de uniuerſa uirtute tractauerimus, ea quæ modo retulimus, illuc reſpicere, ſi deus uoluerit, oſtendemus. CLIN. Recte dicis: conareq; primo nobis Iouis hunc laudatorem excutere. ATH. Conabor & te ſimul, & me ipſum. Ad utrunq; enim pertinet & me & te hæc oratio. Dicite igitur. Num conuiuia ea quæ in commune fiunt exercitiaq;, ad bellum à legumlatore inuenta fuiſſe diximus? CLIN. Vtiq;. ATH. An tertium uel quartum ad idem inuentum fuiſſe dicendum? Fortè enim ita dinumerare oportet, tum in hoc uirtutis genere, tum in cæterarum uirtutum ſiue parte, ſiue quomodocunq; aliter declarationis duntaxat gratia nominare deceat. ME. Tertiũ uero ipſe dicerem, nec Lacedæmoniorũ quiſquam negaret,

ORDO BONORVM

BONA

Diuina.	*Humana*
Prudentia	*Sanitas*
Temperantia	*Forma*
Iuſtitia	*Vires*
Fortitudo	*Diuitiæ*

uenationem excogitatam fuisse. Quartum autem & quintum inuenire conemur. Quartum itaq; pono apud meos præcipuum, scilicet doloris tolerãtiam: quæres pugnis inter se ac rapinis quibusdã, multis cum uulneribus quotidie adhibetur. Ad hæc occultatio quædam mirabilis, & ad tolerãtiam ualida, nudis in hyeme pedibus, nudo etiam sæpe reliquo corpore, sine ministris die noctęq; per omnem regionem errantum enarratur. Præterea in nudorum exercitationibus adolescentũ mirabilis apud nos tolerantia, cum intensi caloris ui resistendum sit. Multa huiusmodi apud nos alia sunt, quæ nõ facile quispiam enumeraret. ATHEN. Probe loqueris hospes Lacedæmonie. sed utrũ ad timores solum atq; dolores fortitudini pugna est dũtaxat: an etiam ad cupiditates uoluptatesq;, ac uehemẽtes quasdam blanditias, quæ eorum etiam qui honesti uidentur, animos flectunt, & quasi cæreos faciunt? MEG. Aduersus hæc omnia. ATHEN. Si recte dictorum meminimus, hic ciuitatem aliquam seipsa inferiorem, & uirum aliquẽ inferiorem seipso esse dicebat. Ita'ne hospes Gnosie? CLIN. Ita prorsus. ATHEN. Vtrum igitur eum qui dolore frangitur, an eum qui uoluptate superatur, deteriorem uocare oportet? CLIN. Eum arbitror qui superatur à uoluptate: omnesq; uoluptate illaqueatum hominem, inferiorem seipso magis, & quidem cum opprobrio, quàm dolore demollitum putant. ATHEN. An igitur Iouis & Apollinis legum latores claudam fortitudinem posuerunt, quæ ad sinistram quidem aduersis resistere possit: ad dexteram uero, rebus secundis & lætis, blandientibusq; succumbat: immo ad utrunq; sufficientem. CLIN. Ad utrunq; arbitror. ATHEN. Exponamus itaq; similiter quæ' nã officia uestris in ciuitatibus sunt, quę gustent quodam modo uoluptates, non fugiant omnino, quemadmodum nec dolores refugiunt, sed perinde ut in doloribus fit, ducant in medias uoluptates, ad easq; superandas homines partim ui impellantur, partim honoribus inuitentur. Vbinam uestris in legibus id conspicitur, quod æque cõtra uoluptates sicuti cõtra dolores, homines fortes efficiat: uictoresq; quorum oportet, ostendat, nec ullo modo patiatur à proximis cuique intra se, & grauissimis hostibus superari? Dicite obsecro, quid apud uos tale? MEG. Non ita facile hospes, quemadmodũ multas dolori oppositas leges, ita etiam uoluptati possem producere: nec magnas perspicuasq; partes aduersus uoluptates habeo, paruas uero forsan reperiam. CLIN. Nec ego in Cretensium legibus similiter id ostendere possem. ATHEN. Nec mirum est, optimi hospites. Verum siquis inter nos ueri & optimi diligens inuestigator nõ nihil in patrijs cuiusq; nostrum legibus reprehendat, non graui quidem, sed æquo animo uicissim ferre debemus. CLIN. Probe loqueris Atheniensis hospes. Quare tibi parendũ censeo. ATHEN. Profecto non aliter Clinia huius ætatis & conditionis qua uos estis homines, facere decet. CLIN. Non certe. ATHEN. Vtrum recte nec'ne, Laconicam & Cretensem Rempub. quis reprehendere possit, alia quæstio est. Quæ uero à multis dicuntur, forsitan ego magis quàm uterq; uestrum referre possim. Vobis quidem recte nec'ne constitutæ sint leges, una certe lex est optima, quæ iubet ne quis iuuenũ quærere audeat, rec-

Lex optima

te'ne an cõtrà se leges habeãt, sed uno omniũ ore, unaq; uoce recte tanquã à dijs positas concedi præcipit, nec ullo modo aliter pati quicquam à iuuenibus cogitari: Senem autem siquid excogitarit, principibus & æqualibus, nemine iuuenum audiente, referre. CLIN. Recte loqueris hospes. ac licet tunc à mente conditoris abfueris, tamen tanquam uates scite ista nunc cõiecisse uideris, ueraq; penitus dicere. ATHEN. Itaq; nobis ad præsens iuuenes nulli adsunt. ipsi uero propter senectutem sine peccato soli de his inter nos differere à legislatore permittimur. CLIN. Est ut dicis. Quare ne parcas, sed libere leges nostras reprehende. Neq; enim turpe est discere, siquid non probe se habet in quo delinquit. Nam hinc siquis non cum inuidia, sed cum beneuolentia accipiat, remedium inuenitur. ATHEN. Præclare tu quidem. Ego uero non ante reprehendam quàm pro uiribus diligenter consideraro, immo dubitando potius uerba faciam. Solis enim uobis Græcorum barbarorumq; omnium quorum notitiam habemus, legislator præcepit à maximis uoluptatibus iucundissimisq; ludis cauere, nec ex his quicquam degustare. De doloribus autem & timoribus, quod modo diximus, sic censuit: siquis à primis annis eos declinare assuescat, fieri ut quotiens dolores, metus, atq; labores necessarios subire oportet, fugiat illos qui in his exercitati sunt, eisq; seruiat. Hoc ipsum ut ego arbitror, oportuit eũ de uoluptate etiam cogitare, ac istud secum cogitare: si ab ineunte ætate maximarum ci-

ues uo

ues uoluptatum expertes erunt, nec docti continere se in uoluptate, nihilq; turpe iucunditatis uoluptuariæ gratia facere, ita succumbent quemadmodum qui timore uincuntur, & modo quodam alio ac turpiore seruient quàm illi, qui medijs in uoluptatibus sese continere assueti sunt: & qui inter uoluptates conuersantes, oblectamenta sibi suppeditare possint, pessimi forsan homines. Atq; ita animum partim seruum partim liberum habebunt, nec omnino fortes ac liberi appellari debebunt. Considerate igitur siquid ex dictis probe uobis dici uidetur. CLIN. Videtur quidem. Sic enim oratio est. Sed iuuenum, immo uero amentium penitus esset, de tantis rebus statim ac facile assentiri. ATHEN. Quid igitur num quæ proposuimus nunc prosequemur ô Clinia hospesq; Lacedæmonie: post fortitudinem enim de moderatione dicemus quæ differentia sit inter has & cæteras Respub. aut quæ casu non lege gubernari uidentur, quemadmodum nunc de bello? MEG. Non est fermè id facile. CLIN. Videntur tamen communia conuiuia certaminaq; gymnastica cõmode utriusq; adinuẽta fuisse. ATHEN. Videtur sane ô hospites arduum esse in Rebusp. ut uerbis ita & re ipsa, undiq; tutum aliquid certumq; inducere. Nam quemadmodum in corporibus fieri non potest ut aliquod unũ uni corpori studium accommodetur, quod non idem alijs prodesse, alijs obesse uideatur: sic & in ciuitate. Nempe exercitationes eædem comessationesq; alibi quidem ciuitatibus cõferunt, in seditionibus autem obsunt omnino. Cuius rei Milesii, & Bœotij, & Thurij nobis exemplo sunt. Atqui hæc studia prisca, uidentur ueteres & naturales circa uenerea uoluptates nõ in hominibus solum, sed in bestijs peruertisse. Qua in re primæ ciuitates uestræ possent accusari, & aliæ omnes quibus cura gymnasticarum exercitationũ maxime fuit. Ac seu ioco siue serio cogitare oportet, cogitandum est, quod cum fœmina & masculus ad generandum conueniunt, huiusmodi uoluptas secundum naturam his tributa uidetur. Quod mares autẽ maribus aut fœminæ fœminis commiscentur, præter naturam uoluptas ea est. Et qui primũ tale facinus ausi sunt, uoluptatis incontinentia id fecerunt. Omnes porrò Cretensium fabulam de Ganymede uehemẽter culpamus, quod aduersus Iouem ficta sit: ut cum ab eo leges ipsorum originem habuisse credantur, eum deum imitantes qui leges tradidit, hac etiam uoluptate fruantur. Sed fabula quidem ualeat: eorum autem qui de legibus considerant, cogitatio pene omnis de uoluptatibus & doloribus tam circa publicos quàm circa priuatos cuiusq; mores esse debet. Duo nanq; hi fontes natura scaturiunt: à quibus qui haurit, unde, quando, quantumq; oportet felix est, priuatus scilicet & ciuitas omneq; animal. qui autem insipienter & præter opportunitatem contrà uiuit, infelix. MEG. Recte ista dicuntur ô hospes, nec quid aduersus hæc dici possit, uidemus. Videtur autẽ mihi Lacedæmoniarum legum conditor recte fugiendas esse uoluptates iussisse. Gnosiis autem legibus Clinia hic, si uolet, opitulabitur. Nam apud Spartiatas, quæ ad uoluptates pertinent, optime omniũ disposita esse arbitror. Quo enim omnes homines summopere in uoluptates uehemẽtissimas, petulantiamq; & insaniam incidunt, id ab universa regione lex nostra exterminauit: nec in agris, nec in urbibus quas Spartiatæ gubernãt, cõpotationes uidebis, sed nec compotationibus coniuncta, quibus ad omnes uoluptates mouemur. Nec ullus est, qui cuidam ebrietate lasciuienti obuiam factus, non maximo ipsum supplicio statim afficiat, neq; Bacchanalium tempus ipsum liberet. Quemadmodum apud uos in curribus uidi, & apud Tarentinos qui nostri coloni sunt, omnem in Bacchanalibus ebriam ciuitatem. Apud nos autem nihil tale conspicitur. ATHEN. Laudanda hæc omnia sunt ô hospes Lacedæmonie, ubi continentia quędam est: ubi autem omnino permittuntur, emolliunt. Cito enim aliquis nostra defendens, te reprehendat, si mulierum apud uos licentiam ostendat. Vna certe in omnibus his & Tarentinos & nos, immo uero & uos responsio liberat, quod hæc probe non improbe se habeant. Quisq; enim peregrino admiranti quod insolita uideat, respondere poterit: Noli mirari ô hospes. hæc apud nos extat lex. Apud uos autem ijsdem de rebus forsan alia lex est. Nobis uero in præsentia ô amantissimi uiri, non de hominibus alijs sermo est, sed de cõditorum ipsorum uirtute ac uitio. Verum latius de universa ebrietate dicamus. Non enim exigua res est, neque ad abiectum aliquem iudicium eius spectat. Non dico utrum bibendum sit uinum nec ne, sed de ebrietate quærendum inquam, utrum ita utendum sit, quemadmodum Scythæ ac Persæ utuntur, Carthaginenses præterea & Celtiberi & Thraces, quæ omnes gentes

Duo fontes dolor & uoluptas

bellicosissimæ sunt: uel quemadmodum uos, qui ut ais omnino abstinetis. Scythæ uero ac Thraces mero penitus utuntur tam uiri quàm mulieres, ac mero uestes perfundunt, præclarum hoc & beatum uitæ genus existimantes. Persæ uero alijs quoq; delicijs, quas uos sperritis, ualde utuntur, quamuis moderatius quàm isti. MEG. Sed omnes istos nos tum cum arma ceperimus fundimus atq; fugamus. ATHEN. Noli hæc ô uir optime dicere. Permulti nanq; & fugarunt alios, & ab alijs fugati sunt, de quibus certa quædam eiusmodi causa reddi non potest, fieriq; id sæpius. Quare non certum, sed ambiguum argumentum signumq; de honestis officijs & contrarijs in uita sumemus si ad uictoriã belli fugamq; respexerimus, præsertim cum minores ciuitates à maioribus in seruitutem pugnando redigantur, ut à Syracusanis Locrenses, qui optimis inter eas gentes legibus usi sunt, & ab Athenienſibus Cei, similiaq; huiusmodi multa liceat intueri. Igitur uictoria & offensione belli prætermissa, conemur de unoquoq; officio secundum se considerantes, quod in quoq; uerum est, nobis persuadere. Dicamus autem quẽadmodum hoc quidem tale, bonum est: illud autem tale, non bonum. Sed in primis me audiatis, quomodo in huiusmodi rebus bonum malumq; considerari debet. MEG. Quo pacto id ais? ATHEN. Quicunq; rem aliquam statim in disputatione propositam uituperant aut laudant, delinquere mihi uidentur, idemq; facere, ac siquis cerealem cibũ ab aliquo laudatum ut bonũ statim uituperet prius q̃ eius affectus percipiat, & qua ratiõe, quibus, cũ quibus, quomodo præparatus, & quomodo affectis corporibus offerri debeat. Quod nos modo facere in disputando uidemur. Qui cum primum ebrietatis facta mentio est, statim alij uituperamus, alij uero laudamus, & ualde quidem id absurde Testibus em̃ assertoribusq; utrinq; utentes, alij quia plures habemus, aliquid fide dignũ afferre putamus, alij quia uino abstinentes uincãt in pugna. quod tamen ambiguum nobis est. Si ergo hoc modo etiam in alijs procedemus, nihil mea quidem sententia faciemus. Sed ut mihi quidem uidetur, conabor si potero ipsius ebrietatis exemplo, uiam nobis ac rationem rectam in huiusmodi omnibus aperire, præsertim cũ gentes innumerabiles de eisdem dubitantes, duabus cum ciuitatibus uestris contendant. MEG. Audiendum est omnino siqua de his recta consideratio inuenitur. ATHEN. Consideremus itaque sic. Siquis caprarum curam, & genus id animantis habẽdum ac possidendum probet: alius uero uituperet, cum absq; pastore eas per sata pasci damnumq; facere uiderit, & omne ideo pecus uel sine pastore, uel malis pastoribus gubernatum conspexerit: nunquid iustam eius uituperationem censebimus? MEG. Nullo modo. ATH. Gubernator uero nauis num si gubernandi solummodo artem habeat, an si nausea exagitetur aut non? aut quo tandem pacto bonus dicetur? MEG. Nihil ad artem nausea facit. ATH. Quid autem ductor exercitus? Si bellandi probe teneat artem, nunquid ex hoc sufficiens dux putandus est, etiam si timidus sit, & in periculis ebrietate quadam metus ipsius nauseet? MEG. Quónam modo? ATH. Quid porrò, si neque artem habeat, & sit timidus? MEG. Ignauum & inutilem narras omnino, neque uirorum, sed uilium quarundam mulierum principem. ATHEN. Qui uero laudat aut uituperat societatẽ aliquam, cuius esse dux aliquis possit, sitq; utilis societas quotiens suum nacta est gubernatorẽ, ille uero nunquam eam recte uiderit gubernatam, sed semper aut absq; principibus, aut cum improbis, nunquid recte unquam uituperare eam, aut laudare poterit? MEG. Quo pacto id faciet qui nunquam societatẽ recte gubernatam prospexerit? ATHEN. Age iam attẽde. Compotatores compotationesq; nonne societatem quandã de multis unam dicemus? MEG. Summopere. ATHEN. Hanc uero nunquid unquam recte gubernatam aspexit quisquam? Sed uobis respondere facillimũ, nunquã id perspexisse. Neq; enim id uobis ex patrijs legibus consuetum. Ego autem multis passim interfui, diligenterq; de omnibus, ut breuiter dicam, quæsiui, nullamq; fermè recte uniuersam administrari aut uidi unquam aut audiui, sed particulas quodammodo paruas quasdam & paucas. Multas autem, ut sic dixerim, penitus aberrare cognoui. CLIN. Qua ratione hæc dicis ô hospes? Apertius enodato. Nos enim, ut aiebas, cum nullam huius rei peritiam habeamus, non ilico quid recte, quid minus in ea fiat, cognoscere possumus. ATHEN. Consentaneum id quidem. sed conare me dicente perdiscere. In omni cõuentu atq; communitate quarumcunq; rerum gerendarum principem esse oportere fateris? CLIN. Proculdubio. ATHEN. Atqui paulo ante dicebamus fortem esse pugnantium

prin

principem oportere. CLIN. Dicebamus. ATHEN. Fortis autem uir à timore minus quàm timidus perturbatur. CLIN. Est ita. ATHEN. Siquis modus inueniri posset ut exercitui ducem prorsus intrepidum præficeremus, nónne ad id omni studio niteremur? CLIN. Maxime. ATHEN. Nunc autem non de exercitu, nec imperaturo aduersus hostes in bello, sed de gubernaturo in pace iucundam amicorum inter se consuetudinem dicimus. CLIN. Sic est. ATHEN. Ea societas, siquidem ebrietas aderit, num tumultu carebit? CLIN. Prorsus. ATHEN. Primum igitur etiam his opus est duce. CLIN. Maxime omnium. ATHEN. Vtrum igitur principem qui non perturbetur, si fieri possit, diligere oportet? CLIN. Oportet sanè. ATHEN. Societatis conciliandæ peritum hunc principem esse oportet. eius enim officium esse debet, ut & præsentem amicitiam illis conseruet, & maiorem insuper ex eo cõtubernio fieri procuret. CLIN. Vera loqueris. ATHEN. Nónne igitur sobrius & sapiens ebriorum princeps, haud contrà, constituendus est? Nam & si iuuenis, & non sapiens, sed ebrius, erit, ebriorum' ue princeps, bonæ fortunæ non consilio imputabitur, si temeritate sua non euertet omnia. CLIN. Optime sane. ATHEN. Siquis ergo compotationes, dum quoad fieri posset, recte in ciuitate dispositæ sint, accusaret, rem ipsam accusans, recte faceret forsan. Si autem propter compotationem unam turbulentam quam uidit, omnem compotationem uituperet, primum quidem patet ignorare eum non recte dispositam eam fuisse: deinde constat omnia eodem modo, etiam si sobrio domino ac principe fiant, improba uisum iri. An non animaduertis quod ebrius nauis aut cuiusuis rei alterius gubernator euertit omnia, siue naues, siue currus, seu exercitus, seu quoduis aliud ab eo regatur? CLIN. Vere omnino id dixisti hospes. sed & hoc pro nobis expone. Quid nobis compotationes hæ, si recte aguntur, conferent? Vt quod modo dicebamus, recte ductus exercitus uictoriam in bello afferret, bonum profecto nõh paruum. Idemq; de cæteris iudicandum. compotatione uero recte gubernata, quid magni uel ciuitati uel priuatis accederet? ATH. Quid autem puero uno, uel uno quodam cœtu recte instituto, magni ciuitas adipiscetur? At enim ita de hoc interrogati respõdebimus, paruam ex unius duntaxat educatione ciuitati utilitatem accedere. Si autem in uniuersum de iuuenum bene institutorum eruditione quid potissimum cõferat reipub. quæras, haud difficile dictu erit. Bene enim eruditi, uiri probi euadent. Probi autem facti, tum cætera bene agent, tum etiam hostes pugnando uincent. Disciplina utiq; uictoriam præstat, uictoria nonnunq; negligentiam & ruditatẽ gignit. Multi enim in uictoria elati, alia quoq; uitia multa per insolentiam contraxerunt. Et disciplina quidem nulla unquam Cadmea fuit. Victoriæ uero multæ huiusmodi & fuerunt & erunt. CLIN. Videris ô amice quasi magnam disciplinæ partem, communem inuini potu consuetudinem si recte fiat, laudare. ATHEN. Profecto. CLIN. Poteris ergo de inceps uerũ id esse ostendere? ATH. Vera hæc ita esse ô hospes approbare, cum multi de eis ambigant, solius dei est, tamen si quod sentio dicam, nulla arbitror inuidia obstabit. de legibus enim & repub. uerba obtinere in præsentia statuimus. CLIN. Age conemur quod tibi de his ambiguitatibus uidetur, perdiscere. ATHEN. Ita decet. Oportet autem ut uos ad discendum, ego ad docendum, orationem omnem conuertamus. Ac primum illud audiatis. Græci omnes ciuitatẽ nostrã & eloquẽtiæ studiosam iudicãt & uerbosam. Lacedæmonem uero atq; Cretam, alteram breuiloquam, alteram intelligentiæ magis q; uerbis studentem. Vereor itaq; ne uobis tanquam uerbosus parua de re loqui multa uidear dum de ebrietate re quidem parua, nimis longa utor oratione. Compotationis autem ipsius recta secundũ naturã constitutio nunq; poterit sine recta musicæ regula aperte & sufficienter oratione tractari, nec musica sine uniuersa disciplina. Quæ omnia profecto multis indigent uerbis. Videte igitur quid agendũ sit. An his in præsentia prætermissis, ad aliam quandam legum quæstionẽ iam transeundũ? ME. Ignoras forsan Athenien sis hospes, familiam nostram communem ciuitatis uestræ hospitem esse. Et quod omnib. arbitror pueris accidit, ut cum audiũt maiores suos ciuitatis alicuius hospites fuisse, bene uolentia quædam erga illam quasi alteram patriam confestim à teneris usq; annis eorum illabatur, mihi quoq; contigit. Audiebam equidem pueros Lacedæmonios quotiẽs ali quid uel succẽserent Athenien sibus uel laudi darẽt, ita dicere, uestra Megille urbs nobis id mali intulit aut boni. Atq; hæc audiens, pugnabam aduersus eos qui uos uituperabãt magna

magna erga uos affectus beneuolentia. Ac mihi quidem nunc uestra uox ualde iucunda est, quodq; uulgo fertur, Probos Athenienses, præcipue probos esse, uere prorsus mihi dictum uidetur. Soli enim suapte natura, diuina quadam sorte, non coacti neq; ficti, sed uere probi sunt. Quare mea quidem causa libere quodcunque uelis enarrato. CLIN. Si me quoque audies hospes, quæcunque in mentem tibi ueniant, summa fiducia proferes. Fortasse nanque audisti Epimenidem uirum fuisse diuinum: qui ex familia nostra fuit, ac decem annis ante Persicum bellum dei oraculo monitus ad uos peruenit, & sacrificia quædam dei oraculo ædita fecit, Athenienſibusq; Persicam formidantibus classem prædixit, decennio Persas nequaquam uenturos: sed & postquam uenerint, infecta re discessuros, pluraq; perpessos mala quàm fecerint. Tunc quidem maiores nostri uestros hospitali affectu cõplexi sunt, & ex illo tempore parentes nostri egoq; uobis beneuoli sumus. ATHEN. Parati ergo uos quidem estis audire ut uidemini. Ego autem ad dicendum uoluntate promptus sum potius quàm facultate paratus. Conabor tamen ut potero. Primum uero quod ad hunc sermonẽ, quid disciplina sit, quamq; uim habeat, definiamus. Per hanc enim eundum est disputationi nobis in præsentia institutæ, quousque ad deum ipsum perueniat. CLIN. Ita certe faciendum est, si tibi placet. ATH. Dum ego quid disciplina sit dico, considerate nunquid mea uobis sententia placeat. CLIN. Dicas. ATHEN. Assero equidem eos qui præstantes uiri in aliquo euasuri sunt, ab ineunte statim pueritia oportere idipsum tam ludendo quàm studendo in singulis ei negocio conuenientibus meditari. Nempe si quis peritus agricola aut ædificator futurus est, ludentem oportet à prima ætate uel colere terram, uel pueriles quasdam domos ædificare, atq; eum qui educat utrunque, utriq; instrumenta quædam parua, uerorum instrumentorum imagines, præparare. Ex doctrinis quoq; eas perdiscere debent, quæ ad rem suam faciunt. Quippe futurus faber mensurare ac regula uti: Eques futurus equitare ludendo, aut aliquid huiusmodi facere. In omnibus enim ludendo conari debemus, ut eò uoluptates & cupiditates puerorum uertamus, quò eos tandem peruenire cupimus. Caput autem disciplinæ rectam educationem dicimus, quæ ludentis animum in amorem præcipue illius perducit, quod uirili ætate perfecte sit comparata uirtute artis eius iam acturus. Sed considerate nunc, ut dicebam, si quæ dicta sunt hactenus, uobis probant, CLIN. Quid prohibet? ATHEN. Neque tamen indeterminatum relinqui debet, quid potissimum disciplinam esse dicamus. Cum enim uituperamus aut laudamus singulorum educationes, dicere solemus, disciplina instructum hunc esse, illum disciplinæ expertem, quamuis cauponariam & nauigandi artem cæteraq; huiusmodi optime calleat. Quippe non hanc disciplinam putamus, sed eam quæ à pueritia desiderari amariq; uirtutem facit: & quidem illam, qua perfectus quispiam ciuis effectus, iure imperare sciat, atque parere. Hanc educationem hic sermo solam disciplinam appellandam esse docet. Illam uero quæ ad colligendam pecuniam, uel ad corporis robur augendum, uel ad peritiam quandam aliam absq; mente & iustitia conquirendam tendit, mechanicam atque illiberalem, & disciplinæ appellatione indignam ducit. Sed nos de uerbo quidem non cõtendamus: hoc autem pauloante assertum, inter nos conueniat, quod qui rectam nacti sunt disciplinam, omnes fermè probi euadunt: qui contrà, improbi. Quare nulla in re disciplina negligenda est, quæ præclarissimarum rerum prima præstantibus hominibus adest. Et si quis in re aliqua excidit, potestq; corrigi, seipsum emendet, idq; per totam uitam pro uiribus faciat. CLIN. Recte loqueris. Idcirco quæ dicis concedenda sunt. ATH. Atqui olim iam concessimus, bonos esse illos qui sibimet imperare possunt, malos autem qui nequeunt. CLIN. Scite admodum. ATHEN. Resumamus igitur idipsum, ut clarius innotescat quod dicimus. Ac uos per imaginẽ id ut liqueat accipiatis, si quo modo possim rem uobis hanc aperire. CLIN. Dic iam. ATHEN. Nónne quemlibet nostrum unum putamus? CLIN. Vnum. ATHEN. Habentem uidelicet in se consiliarios duos, contrarios atque amentes, quos uoluptatem ac dolorem appellamus. CLIN. Et hoc. ATH. Ad hos futurorum opiniones accedunt, quibus commune nomen spes est: proprie uero quæ ante dolorem spes est, timor: quæ ante contrarium, confidentia. Ad hæc omnia rationis iudicium, dictans quid istorum melius sit, quid peius. Hoc si commune decretum ciuitatis efficitur, lex nominatur. CLIN. Vix ego te sequor. Dic tamen quæ restant, perinde ac si

sequerer

ſequerer. MEG. Idem mihi quoq; accidit. ATHEN. Sic autem de his cogitemus, ut miraculum quoddam diuinum in animantium genere unumquemq; noſtrũ exiſtimemus, ſiue ioco ſiue ſerio (non enim id nouimus) à ſuperis conſtitutum. Illud autem non ignoramus, quod hi affectus in nobis quaſi nerui aut funes ingeniti trahunt nos inuicem retrahuntq; ad contrarias actiones, ubi uirtus, & uitium diſcreta uerſantur. Ratio enim tractionem unam ſequendam ſemper, neq; unquam relinquẽdam, ſed hac cæteris omnibus obnitendum eſſe edicit, eamq; rationis productionem eſſe auream atq; ſacram, quæ ciuitatis lex cõmunis uocetur. Et cæteras duras ac ferreas eſſe, hanc mollem, quòd aurea ſit: & uniformem præterea, cæteras multiformes. Oportere itaq; pulcherrimam nos legis ductionem ſequi ſemper, eiq; fauere. Nam cum rationis iudicium honeſta res ſit & mitis quidem potius quàm uiolenta, miniſtris ductionem ipſius egere, ut aureum in nobis genus alia genera ſuperet. Et ſic fabula, qua mira res homo eſſe narratur, uirtute ſeruabitur: & qua ratione ſuperior quis & inferior quodammodo ſeipſo dicatur, planius cognoſcetur: et quòd oporteat unumquenque uera in ſeipſo de his tractionibus ratione percepta, ad eam ipſam uitam omnem ſuam dirigere: Ciuitatem uero, uel à deorum aliquo, uel ab hoc ipſo qui hoc cognouit, ratione accepta eam habere pro lege, ad eiusq; normam officia ſua ſecum, & cum alijs ciuitatibus inſtituere. atq; ita uirtus, & uitium clarius nobis diſtincta patebunt. quibus plane perceptis, & diſciplina & reliqua ſtudia magis forſan elucescent. Et ille in potationibus receptus nunc mos, quo de uile fortaſſe putabitur ſi pluribus dicam. CLIN. Fortè non uidebitur prolixa oratione indignum. ATHEN. Probe loqueris, quare dicamus quid in ea maxime dignum uideatur. CLIN. Proſequere iam.

ATHEN. Si miræ huic rei ebrietatem addamus, qualem ipſam reddemus? CLIN. Quid iſtud rogitas? ATHEN. Nondum dico quid. Sed ſi mira hæc res illi ſe commiſceat, qualis redditur? Verum apertius etiã quod uolo, dicere conabor. Tale quiddam interrogo. An uini uſus uoluptates, dolores, iras, amores, uehemẽtius concitet. CLIN. Maxime quidẽ. ATHEN. Vtrum etiam ſenſus, memoriam, opinionem, intelligẽtiam ſimiliter uehementiora efficiat. An prorſus extinguat, ſiquis ebrietate fuerit occupatus. CLIN. Omino certe extinguit. ATHEN. Ad eum igitur animi habitum redit, quem puer primis ab annis habebat. CLIN. Profecto. ATHEN. Quare mimime tunc ſuijpſius compos erit. CLIN. Minime. ATHEN. Erit itaque peſsimus. CLIN. Valde. ATHEN. Non ſolum igitur ſenex, ut uidetur, bis erit puer, ſed ipſe etiam temulentus. CLIN. Optime id hoſpes eſt dictum. ATHEN. Poterit ne ratio nobis aliqua ſuadere hanc rem aliquo pacto guſtandam eſſe? neq; eſſe totis uiribus fugiendam? CLIN. Poterit forſitan. ut tu ais, & modo paratũ te dicere oſtendebas. ATHEN. Optime meminiſti. Nempe & nunc paratus ſum, quando quidem utriq; haud grauatim audire promiſiſtis. CLIN. Quid ni audiamus, & ſi non ob aliud, tamẽ quia mirum abſurdumq; uidetur, ſi oportebit quandoq; hominem ſponte ſeipſum in omnem prauitatem abijcere? ATHEN. Animi ne dicis? CLIN. Animi. ATH. Nunquid autem mirabimur ô amice, ſi quis in corporis prauitatem, maciem dico, deformitatem, imbecillitatem ſponte deueniat? CLIN. Quid ni? ATHEN. An igitur putamus eos qui ultro medicorũ pharmaca accipiant, ignorare ſe paulo poſt ita corpus per aliquot dies affectum habituros, ut ſi affectum ſimiliter perpetuo ſint habituri, uiuere nolint? An etiam ignoramus eos qui gymnaſia, & labores ſubeũt imbecilles laſſitudine cõfeſtim fieri? CLIN. Hæc omnia nouimus. ATHEN. Atqui & iſtud, quòd cuncti futuræ utilitatis gratia ad hæc ultro tendunt. CLIN. Præclare. ATHEN. Nõnne eodem modo de cæteris rebus exiſtimandum? CLIN. Eodem prorſus. ATHEN. Non aliter quoq; de compotatione uini cogitandum eſt, ſi datur hoc in iſtis recte conſiderari. CLIN. Sic certe. ATHEN. Si utilitatem aliquam habere perſpicietur nihilo inferiorem quàm quæ in corporali exercitatione ineſt, bene quidem. principio tamen in hoc exercitationem corporis ſuperat, quòd hæc dolorem habeat, illa non habeat. CLIN. Recte id quidem. Sed mirarer equidem, ſiquid tale in eo poſſemus percipere. ATHEN. Hoc ipſum iam explanare conandum. Quare mihi dicas. An duas timoris ſpecies inuicem pene contrarias poſſumus cogitare? CLIN. Quas dicis? ATHEN. Has inquam. Timemus profecto mala, cum futura expectamus. CLIN. Timemus. ATHEN. Metuimus quoq; ſæpenumero exiſtimationẽ, cum formidamus ne dicendo aut faciẽdo aliquid minus honeſtum, mali

Nocumẽta à uino

Temulẽtus etiãbis puer

mali uideamur. Quem quidem timorem nos, immo omnes, ut arbitror, pudorem appellamus. CLIN. Cui dubium? ATHEN. Hos equidem timores duos dicebam, quorum alter contrarius quidem est doloribus cæterisq; timoribus, contrarius est & plurimis ingẽtibusq; uoluptatibus. CLIN. Recte admodum. ATHEN. Nónne igitur, & legislator, & quiuis alius qui prodesse hominibus quoquomodo possit, hunc timorẽ maximo honore colat, uocetq; pudorem? confidentiam uero huius contrariam impudentiam nominet, ac maximum priuatim & publice malum hominibus arbitretur? CLIN. Recte dictum. ATH. Is utiq; timor & in aliis multis ingentibusq; nos maxime seruat, & in bello, si unum uni comparetur, hic certe maxime omnium uictoriam nobis salutemq; largitur. Duo enim sunt quæ uictoriam pariunt: aduersus hostes quidem audacia, aduersus amicos autẽ turpis infamiæ timor. CLIN. Est ita. ATHEN. Intrepidum itaq; unumquenq; nostrum, & timidum fieri oportet. Quamobrem uero ita utrunque oporteat, iam distinximus. CLIN. Omnino. ATHEN. Atqui quoties intrepidũ aliquem reddere uolumus, in multarum terrorem formidinum lege impulsum, talem efficimus. CLIN. Ita uidetur. ATH. Quem uero, ut timeat quæ timenda sunt, inducere uolumus, eum profecto debemus rebus ad impudentiam declinantibus tentare, in pugna contra uoluptates domesticas, aut anteactæ uitæ institutum exercere, & ad uictoriam cohortari, atque ita uincentem uere fortem reddere. Qui uero nec periculum sui fecerit ullum, neque in his certaminibus exercitatus fuerit, ne mediam quidem suarum uirium partem ad uirtutem habebit. Temperatus autem quomodo erit perfecte, nisi uoluptatibus atque cupiditatibus plurimis ad impudentiam & iniuriam compellentibus fortiter repugnauerit, ac ratione operecq; & arte tam iocosis quàm seriis in rebus deuicerit? An temperans erit inquam qui nihil huiusmodi sit perpessus? CLIN. Haud quaquam uerisimile est. ATHEN. Sed dic oro, num aliquod ad inducendum timorem pharmacum deus quispiam hominibus dedit, ut quanto plus ex eo quis bibat, tanto ex qualibet potatione infeliciorem se fieri putet, cum omnia tam præsentia quàm futura sibi metuat, atque ad omnem formidinem etiam si fortissimus omnium sit, tãdem deueniat: cumq; dormierit, & à potione huiusmodi liberatus fuerit, rursus sibi idem quotidie accidat? CLIN. Et quam ô amice huiusmodi potionem in hominum uita fuisse unquam dicemus? ATHEN. Nullam utique. Tamen si reperiretur hæc potio, esset ne ad fortitudinem cõditori legum idonea, ut tale quid de ipsa dicere ad latorem legis possemus? Age primum dic legum conditor, siue Cretensibus, siue quibuscunq; aliis leges cõscribis. Vtrum uelles de ciuibus tuis posse fortitudinis, & ignauiæ periculum facere? CLIN. Velle se profecto quilibet responderet. ATHEN. Deinde utrum id tuto, neque magno imminente periculo, an contrà? CLIN. Tuto scilicet atque secure quilibet confitebitur. ATHEN. Num igitur potione hac uteris ita eos ad terrores compellens, & in ipsis perturbationibus arguens monitu tuo ac iussu, ut ciues tuos imperterritos facias, alios honorans, alios autem uituperans, si tuis monitis nõ paruerint? Atque eos qui strenue exercendo se gesserint impunes relinquas: at eos qui contrà, pœna afficias? An nullo modo uteris, quamuis nihil habeas quod in ea potione accuses? CLIN. Cur non utar hospes? ATHEN. Exercitatio quidem ô amice præter consuetas miræ facilitatis est, qua uel unus uel pauci possunt aut quotcunq; uolueris exerceri. Ac siue quis solitario in loco solus ignominiam ob oculos ponens, quòd priusquam profecerit uideri nolit, ita aduersus formidinem se exerceat, potione hac sola præ multis rebus aliis præparata, probe aliquid profecto efficiet: seu quis confidens natura se & usu satis instructum, non formidet cum multis compotatoribus exercitari, uinumq; in poculo necessario exhauriendo perdendoq; ostendere adeo prẽualens & exuperans, ut nulla in re magna per impudentiam erret, & propter uirtutem statu non moueatur, ac iuxta ultimam potionẽ ante ebrietatẽ discedat apprime cauens meri in omnes hnmines uiolentiam. CLIN. Certe & hic ô hospes ita se gerens, moderatus euadet. ATHEN. Rursus ad conditorem legum ita dicamus. O legis conditor, neq; deus tale adhuc hominib. timoris dedit pharmacum, neq; ipsi excogitauimus. Ipsos nanq; ueneficos inter cõuiuas nõ numero. Cõfidere aũt ualde, & intrepide præterquam oportet audere in quibuscũq;, utrũ potio quædam an nulla est, quæ facit. CLIN. Vinum esse dicet. ATHEN. Porrò contrà id facit quàm ea potio de qua modo facta est mẽtio. Nam cum biberit quis, primo alacrior fit quàm prius erat

erat: deinde quo plus biberit, eo maiore & meliore spe est, & fortius de se sentit. Tandem quasi sapiens, ea homo confidentia, libertate, audaciaq; repletur, ut intrepide & dicat, & faciat quicquid placet. CLIN. Arbitror equidem omnes id concessuros. MEG. Certe omnes. ATH. Recordemur itaq; nũc duo quædã esse quæ in nostris animis curãda superius diximus. Alterũ ut maxime cõfidamus, alterũ ut maxime formidemus. CLIN. De pudore dicta hæc existimamus. ATH. Recte tenetis. Sed quoniã fortitudinẽ imperterritiq; animi habitũ in timoribus addiscere oportet, considerandũ nunquid contrariũ addiscere in contrarijs cõueniat. CLIN. Consequens id est. ATHEN. In ijs igitur quæ perpessi confidentes audacesq; maxime fieri natura solemus, cogitandũ uidetur ut q; minime impudẽtes & audaces simus, sed contrà formidolosi ad dicendũ, aut patiendũ, aut agendũ quicq; turpe. CLIN. Ita uidetur. ATH. Nónne hæc ita sunt, in quibus tales sumus, ira, amor, petulantia, inscitia, auaritia, secordia, & ad hæc illa, diuitiæ, forma, uires, & quæcunq; uoluptatis ebrietate quadã homines amentes faciunt? Ad horum omnium leue & innocuum periculum faciendũ, inducendamq; exercitationẽ, nullam habemus uoluptatem commodiorem ea quæ potione mores examinat, si modo prudens quædam cautio adhibeatur Videamus enim. Duri & agrestis animi, unde iniuriæ nullæ pullulant, ubi experimentũ capere tutius sit, in cõmercijs ne, quę uel maxime ingenium declarare uidentur, an Dionysii spectaculis, aut uenerea in re animo succumbente, ut mores alicuius in periculum uel filię uel filij, uel uxoris pudicitia exposita, probes? Equidem si infinita commemores, nunquam inuenies in quo per iocum, sine omni prorsus periculo spectare ingenia sic ut in uino licet. Qua de re neq; Cretenses, neq; alios hominũ ullos dubitaturos unquam putamus, quin huiusmodi morum examinatio conueniens sit, ac præ cæteris facilis, tuta, breuis. CLIN. Verum id quidem. ATHEN. Hoc igitur utilissimum quiddam erit, naturas & habitus animorum arte illa cognoscere qua ista curanda sunt. Est autem hoc, ut arbitror, ciuilis facultatis officium. An non. CLIN. Sic est omnino.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI IN DIALOgum secundum De legibus.

PLATO noster mirifica in genus hominũ charitate, nihil in disputationibus suis intentatum relinquit, quod ad humanam salutem quauis ratione conducere uideatur. Atq; dum id studiose contendit, mauult uel prolixi nimium, uel etiam curiosissimi crimen subire, quàm negligentis. Ergo exquisitam in secundo etiã libro ætatis teneræ prosequitur disciplinam. Animaduertẽs enim pueros fermè ut bestias, quasi nihil pensi habere, sed & quocunq; uoluptas trahit, prorũpere, & undecunq; retrahit dolor, protinus aufugere, non iniuria prius quàm male uel prosequendi, uel fugiẽdi procliuitas in habitum inolescat, aurigam pueritiæ equis imponit, uoluptatis uidelicet, & doloris habenas manu tenentem. Quẽ quidem aurigam nominat disciplinam, uirtutem scilicet quæ primo pueris aduenit, qua uoluptas, & amor, doloq; et odium per alienam rationem recte in animos influunt, antequã ratione propria moueantur: ratione deinde præsente, propriæ insuper rationi consentiunt, propter superiorẽ bonorum morum consuetudinem. Hanc ipsam consensionem, uniuersam uult esse uirtutem. Ipsam uero decentem circa uoluptates & dolores assuetudinẽ, per quam ab initio usq; ad extremum uitæ homines oderint quæ odisse oportet, & ament quæ amanda sunt, quàm diu sub alterius regitur ratione, nominat disciplinam. Deinde uero, cum rationi propriæ iam expergefactæ cõsentit, nomine uirtutis appellat. Eiusmodi uero uitæ moralis fundamentum maximi esse momẽti, uel Aristoteles ipse in Ethicis magnopere comprobat. Cum uero inquieta sit puerorum natura, oblectamentorũq; per omnia cupida, & idcirco seuerã non suscipiat disciplinam, merito sub honestã musicæ illius cõmunissimæ uoluptate uirtutis uestigia præferente, iubet pueros educari: immo uero et seniores interdum, quibus ad laboriosæ uitæ solamen oblectamenta quædã honesta sunt adhibenda. Hanc utiq; ob causam inquit deos laboriosam uitam hominum miseratos, haud ab re in laborum remissionem solennia illis sacra festaq; instituisse. Musas quinetiam, et Apollinem, & Bacchum ad hæc concelebranda duces adhibuisse, qui morum lasciuiam emendarent, & naturam auidam motionis per musicam motionum rationem moderarẽtur, honesteq; delectarent. Hæc autem uerba nõ solum musicæ usum laudant diuinitus commendatum atq; cõcessum, uerumetiam allegorice docent hominem multis de causis brutis fore miseriorem, nisi diuina prouidentia atq; cognatione diuinum cultum religionemq; susceperit. In qua quidem Musæ diuinam significant ueritatis inuentionem religiosis à Deo concessam: Apollo autem inuentionis eius gratam expressionem atq; uaticinium. Bacchus deniq; tum mentis abstractionem, tum opera religiosorum hominum admirada. Animaduerte

harmonicam rationem nobis præcipue à diuina prouidẽtia esse tributam, per quam omnes inquietæ naturæ motus qui suapte natura inconcinni forent, cõcinnaremus. Sed à Musis quidem habemus motionis animi cõsonantiam, ab Apolline præterea concentũ in sermonis cantusq; motu, à Baccho deniq; festiuam in motu mẽbrorum concinnitatẽ. Dum uero de hac per musicam disciplina, & ad pueros omnino, & ad seniores etiã pertinente diligentissime disputat, eadem quæ et in Republica posuit, repetit instituta, per quæ poetis, musicis, pictoribus, nunquã licentia cõcedatur quodcũq; uoluerint imitandi, sed honesta duntaxat et grauia pro salute spectantiũ & audientiũ imitẽtur. Imitationis aũt iudices esse uult peritos homines, atq; grauissimos, iubetq; ut per honestã imitationẽ quotidie frequentatam adolescentes assuefiant in ludis omnibus pariter atq; studijs semper rebus eisdẽ quibus & leges senioresq; gaudere atq; dolere. Quam quidẽ assuefactionẽ totum uirtutis fundamentũ iudicat continere. Inter hæc non nulla memoriæ cõmendato ad præcepta morum plurimum conducentia. Iniustus etiam si cuncta quæ inter homines habentur bona, possideat, est infelix: & quandiu ita uiuit, præstare ei dicendũ est mori quàm uiuere. Itẽ quicunq; honestũ, utile, iucundum, inuicẽ loquendo discreuit, nõ est audiendus. Et quãuis honesta iustaq; uita possit interdũ uideri laborioſa, nunquã tamen id pueris est dicendũ, immo uero iustissimã uitam fore omniũ iucundissimã. Quod tandem fore necessariũ Plato asserit, quamuis fortè ijs quibuscum disputat, aliter uideatur. Idq; tacere iubet. Veritas tamen pulchrum quiddam est, & stabile. Descendit post hæc ad uini usum, quẽ uult à iuuenibus ante annum ætatis decimum & octauum penitus ignorari. Alioquin ignẽ inquit, ad ignẽ tam in animam, quàm in corpus infundi. Post hanc ætatem uinum moderate bibi permittit. Post quadragesimũ uero annum in conuiuijs inter deorum hymnos concedit uinum liberius bibere, quasi remediũ aduersus duritiã senectutis, per quod reiuuenescere uideamur, & mœstitiæ nos obliuio capiat, ipsaq; affectio animi, sicuti ferrum in igne, ex duritie in mollitiem deducta flexibilior fiat. Quo effici uult, ut seniores qui alioquin cantare nollent, facti hilariores in cõuiuijs ad iuniorum aures cantare uelint, atq; unà eorũ animis, ut ita dixerim, incantare. Qua quidẽ incantatione per melodiam grauiter concinentẽ iuniorum animi tẽperentur. In his legendis, notabis gratiam ipsam, in rebus quidem pulchritudinẽ, in cognitione uero uoluptatẽ cognominari. Notabis nullum animal præter hominem rhythmi & harmoniæ sensum habere. Atq; rhythmũ esse ordinẽ in tẽpore atq; motu: Harmoniã uero esse ordinem in ipsa uocum per acutũ & graue contemperantia. Quod sæpe harmoniã dicimus, concentum latine proprie dicimus. Quod aũt rhythmum, commode numerum dicere possumus, modo intelligas numerum in tempore atq; motu. Notabis qua in re uini consistat utilitas, & qua cautione sit bidendum, præsentibus uidelicet conuiuio conditoribus legum siue custodibus, sobrijs quidem & mores bibentium obseruantibus corrigẽtibusq;, & tunc opportune quando per uinum molliores facti fuerint, reformantibus. Concludit deniq;, si eiusmodi cautionibus ciues in conuiuijs utantur mero, ad ea quæ dicta sunt utile concedendum: usum uero eius ad suam cuiusq; libidinem ciuibus suis procul arcendum. Quippe cum sacras Palladis arces, quæ ante omnia colendæ sunt, impudentissime pulset.

DIALOGVS SECVNDVS DE LEGIBVS VEL de legum latione.

DEINCEPS autem de his considerandũ est, utrum id solum bonum habeant, ut perspiciamus quomodo natura habeamus, an magna etiã utilitas multo studio digna in uini potatione, si recte fiat, insit. Quid igitur dicimus? Inest utiq;, ut oratio hæc insinuare uidetur. Vbi autem, & quomodo, attente obsecro audiamus, ne ex ea re præpediamur. CLIN. Dic igitur. ATHEN. Repetere itaq; memoria cupio quid rectam esse disciplinã dicamus. Huius enim, ut in præsentia conijcio, est in hoc officio quando recte institutum est, salus. CLIN. Magnũ dicis.

Primus sensus puerorum est uoluptas & dolor

ATHEN. Primũ profecto puerorũ sensum esse dico uoluptatis atque doloris: atque hæc duo esse in quibus primum uirtus & uitium animo innascuntur. Sicui autem prudentia, & uera opinio ac stabilis, uel in senectute affuerint, felix est. perfectus porrò uir est, qui hęc & quæ in his sunt omnia possidet bona. Disciplinã appello uirtutẽ quę primo pueris aduenit. Si uoluptas & amor dolorq; & odium recte in animos influant antequã ratione moueantur, & ratione deinde præsente, rationi consentiant propter superiorem bonorum morum consuetudinem, hæc ipsa consensio uniuersa quidem uirtus est. Ipsam uero decentem circa uoluptates & dolores assuetudinem, per quã ab initio usq; ad extremum uitæ homines oderint quæ odisse oportet, & ament quæ amanda sunt, si per seipsam seorsum ratione cõsideratam disciplinam uocaueris, recte ut ego arbitror, appellabis. CLIN. Etenim quæ antea Hospes & quæ nunc de disciplina disseruisti, probe dicta uidentur. ATHEN. Bene igitur est. Huiusmodi uero uoluptatũ atq; dolorũ rectam institutionem, quæ

quæ disciplina dicitur, transgrediuntur homines in uita, ac sæpe peruertunt. Dij autem genus hominum laboribus natura pressum miserati, remissiones laborum ipsis statuerũt, solennia uidelicet festa uicissim in ipsorum deorũ honorem instituta præbẽtes. Musas quin etiam & Apollinem Musarum ducem, & Bacchum concelebratores, deorumq; consilio emendatores morum inter solennia adhibuere. Considerandum igitur utrum hic sermo secundum naturã nobis ac uerus est, qui dicit: tenerioris ætatis omnes, ut uno uerbo complectar, nõ posse nec corpore, nec uoce quiescere, sed moueri semper, & loqui uelle, alios exultãtes ac gestientes, & ueluti cum uoluptate saltantes ludentesq;, alios uarijs uocibus conclamantes. Ac cætera quidem animalia ordinem ordinis' ue defectum, qui sanè ordo in motibus inspicit̃, & rhythmus harmoniaq; uocatur, nequaquam aduertere. Nobis autem ab ijs dijs quos concelebratores datos esse nobis diximus, rhythmi & harmoniæ participem sensum esse tributum, eosq; mouere nos cum uoluptate, chorumq; nobis ducere cantibus & saltationibus nos inuicem copulantes: quem quidem chorum ἀχὴ καὶ χαρὰν id est lætitia nominauerint. Primo uero considerandum, num concedamus, disciplinam primam per Musas & Apollinem esse. An quomodo? CLIN. Ita prorsus. ATHEN. Disciplinæ igitur expers dicendus est, qui nunquam chorea usus est. Disciplinæ uero compos contrà, qui satis id fecit. CLIN. Sic ponimus. ATHEN. Chorea uero omnis tripudium simul est, & concentus. CLIN. Necesse est. ATHEN. Quisquis ergo bene disciplina instructus est, & saltare, & cantare bene potest. CLIN. Videtur. ATHEN. Sed uideamus quid est quod modo diximus. CLIN. Quid istud? ATHEN. Cum bene cantare, & bene saltare quempiam dicimus, utrum etiam bona cantare, & bona saltare, addendum sit, an non? CLIN. Addendum. ATHEN. Quid porrò? Si quis honesta, ut sunt, ita honesta esse arbitratur, & turpia similiter turpia, atq; ita his utitur, melius choream musicamq; tenebit quàm ille qui corpore atque uoce quod honestum putat, sufficienter exequi passim ualet, nec honestis tamen gaudet, nec odit turpia? An ille qui quamuis uoce corporeq; non potest, ut decet, assequi, uoluptate tamen & dolore assequitur, ut bonis quidem gaudeat, praua autem oderit? CLIN. Magnum uero disciplinæ discrimen, ô hospes, narras. ATHEN. Si ergo cantus tripudijq; bonum nos tres non ignoramus, cognoscimus utique & qui disciplina recte potitus est, & qui contrà. Sin autem hoc ignoramus, neque si qua disciplinæ conseruatio sit, & ubi sit, scire unquam poterimus. Nónne ita? CLIN. Ita prorsus. ATHEN. Deinceps igitur sicuti canes per uestigia decentem figuram, melodiam, cantum, & saltationem inuestigemus. Nam si ista nos fugiant, frustra de recta disciplina siue Græca, siue Barbara disputabimus. CLIN. Sic arbitror. ATHEN. Quam igitur figuram, & melodiam bonam uocare decet? Num fortis animi, & timidi similes figuræ uocesq; in eisdem æquisq; laboribus sunt? CLIN. Quomodo similes, quando neq; colores? ATHEN. Scite ô amice. sed in Musica & figuræ sunt, & cõcentus, quum circa rhythmum & harmoniam uersetur. Quare boni rhythmi harmoniæq; figurã & cantum licet dicere: boni autem coloris non possumus recte dicere, perinde imaginantes, ut magistri choreæ solent. Ignaui autem & fortis uiri figura quædam est & cantus, atque hæc recte in uiris fortibus honesta, in ignauis turpia nominantur. Sed ne in his longior sim, omnes simpliciter uirtuti animi, uel corporis, aut uirtutis imagini adhærẽtes figurę atq; concentus, honesti: contrarij uero, turpes. CLIN. Recte tu quidem, atq; ista sic se habere in præsentia iudicamus. ATHEN. Præterea & hoc iudicandum, utrum omnes omnibus choreis similiter delectemur, an multum interfit. CLIN. Multũ omnino. ATHEN. Quid igitur esse dicemus, quod in errorem nos impulit? Vtrum non eadem sunt honesta bonaq; nobis omnibus? An ipsa quidem eadem sunt, non tamen eadem esse uidentur? Neq; uero dicere quisquam audebit, uitiosam choream uirtutis participe meliorem esse. Neq; fatebitur unquam aliquis se quidem figuris prauis lætari, alios autem contraria quadam musa. Quanquam plerique prædicant rectam musicæ rationem in ui quadam consistere, quæ uoluptatem animis afferat. Quod neq; ferendum est, neq; dicẽdum omnino. nefas enim. Hæc autem potius erroris causa est. CLIN. Quænam? ATHEN. Quoniam in chorea uariorum morum, uariarumq; rerum uarijs in fortunis moribusq; gestarum imitationes fiunt, quibus illa quæ dicuntur, aut declarant̃, aut sub specie saltationis exprimuntur, uel natura, uel consuetudine, uel utrisque probantur, atq; animo eorum conueniunt,

Oẽs teneræ ætatis non posse quiescere

Qui rhythmus & harmonia

Quę chorea

quos gaudere illis, laudareq́, & honesta nuncupare necesse est. Quibus autem præter naturam uel morem uel consuetudinem aliquam accidunt, hi neq́ gaudere ipsis possunt, neq́ ea laudare, immo turpia appellare necesse. At uero quibus hæc natura recte contingunt, consuetudine autem contrà, uel consuetudine quidē recte, contrà uero natura, isti laudes uoluptatibus cōtrarias proferunt. Singula enim horum iucunda asserunt esse: sed & praua esse concedunt. Atq́ idcirco coram alijs, quos mentis compotes putent, uerentur corpus eo pacto mouere: uerentur quoq́ ea cantare, honestaq́ & studio digna asserere. Ipsi uero secum ijs omnibus delectantur. CLIN. Verissima loqueris. ATHEN. Nunquid damnum aliquod infertur illi, qui prauis figuris aut cantibus delectatur: uel utilitas eis, qui uoluptates in contrarijs capiunt? CLIN. Verisimile id quidem. ATHEN. Vtrum uerisimile tantum, an etiam necessarium sit ita id se habere? sicuti cùm quispiam cum hominibus improbis conflictatur, neq́ mores eorum odit, sed delectatur his potius & indulget: & tamen iocí loco uituperat, quasi per somnum ipse in se eorum percipiens prauitatem. Tunc quippe necesse est ut similis efficiatur illis quibus gaudet, etiam si laudare uereatur. Qua quidem re quidnam maius aut bonum aut malum ex omni necessitate accedere nobis existimemus? CLIN. Nihil puto. ATHEN. Nunquid arbitramur ubi leges bene cōstitutæ sunt, aut & in posterum ita erunt, in disciplinis iociscq́ musarum eam poeticis fore licentiam, ut quicquid poetam delectet uel rhythmo, uel cantu, uel uerbo poetico, idem & docere ei liceat? & bene institutorū ciuium pueros adolescentesq́ in choreis quacunq́ contingit, uel ad uirtutē, uel ad uitium flectere? CLIN. Præter rationem id est. MEG. Certe. ATHEN. At istuc, ut breuiter dicam, ubiq́ fere præterquā in Ægypto agere licet. CLIN. Quo autem pacto in Ægypto hanc legem sancitam esse dicis? ATHEN. Mirum hoc quidem auditu est, nam id olim, ut mihi uidet, illi cognouerunt, oportere q̄d nunc nos diximus, in ciuitate iuuenes bonis figuris & bonis cantibus assuescere. Quæ uero & qualia sint huiusmodi, in sacris ab eis est institutum, ac præter illa neque pictoribus, neq́ alijs figurarum, uel quorumcūq́ artificiorum fabris noua ulla licebat inducere, neq́ etiam excogitare alia præter patria, neq́ hodie licet aut in his, aut in uniuersa musica. Itaq́ si obserues, inuenies ibi quæ decem annorum milibus retro depicta, formatáue quomodocunq́ fuerūt, quasi non adeo uetusta sint, ut ita dicam, nec pulchriora, neq́ turpiora his quæ hodie depingunt, sed eadem arte cōfecta. CLIN. Mirabile auditu est quod dicis ATH. Imò ciuile nimium maximeq́ legum positioni conueniens. Inuenies ibi alia quędam leuia: sed hoc circa musicā uerum est, dignumq́ animaduersione: quod uidelicet poterat de rebus huiusmodi certa stabiliq́ lege caueri, & legumlatorem ausum fuisse concentus tales, qui natura rectitudinem exhiberent inducere. Quod quidem aut dei, aut diuini alicuius uiri opus est. Quēadmodum & ibi ferunt antiquissimos illos apud eos concentus, Isidis esse poemata. Quamobrem, ut dicebam, siquis quoquo modo istorū possit rectitudinē intelligere, ei audendū est hæc ad ordinē legemq́ reducere. Nam noua semper circa uoluptatē & dolorē appetitus ipsius affectio, quæ quidem noua semper musica uti studet, haud magnā fortasse uim habet, ut eas choreas uetustatis incusatione corrumpat, quæ sunt sacris legibus constitutæ. Nempe Ægyptiorum choreas nequaquā tanto tempore corrumpere potuisse uidetur, sed contrà omnino. CLIN. Ita se res habet, ut ex tuis uerbis colligitur. ATH. Dicamus igitur confidenter: choream cū ludis & musica recte cohærere. Lætamur quotiens feliciter uiuere nos opinamur: quotiensq́ lætemur rursus feliciter uiuere ducimus, nónne ita? CLIN. Ita prorsus. ATHEN. Atq́ dum lætamur, quiescere non ualemus. CLIN. Est ut dicis. ATHEN. Nónne igitur qui iuuenes inter nos sunt ad saltandum apti sunt? Nos autē qui seniores sumus in his spectandis decenter uersari putamus, dum illorum ludis & celebritate gaudemus, quandoquidē nos corporis leuitas destituit, cuius desiderio, certamina his ponimus, qui quàm maxime queāt ætatem illam iuuenilem in memoriam nobis reuocare. CLIN. Vera narras. ATHEN. An igitur frustra omnino illud à multis de id genus hominibus sacros ludos peragentibus dictum esse putamus, eum sapientissimum & uictoriæ compotem iudicandum esse maxime, qui nos lætari atque gaudere quàm maxime faciat? Nam postquam ludere in istis permittitur, conueniens esse uidetur, ut eum qui quàm plurimos, & quàm maxime ad gaudium prouocet, præcipue honoremus, & ut modo dicebam uictorem esse dicamus.

Recte

Recténe id ita dicitur? rectéq; fieret si ita fieret? CLIN. Fortè. ATHEN. Sed ô beate ne tam præcipitanter sententiam feramus, sed hoc ipsum in partes distinguentes hoc modo cõsideremus. Si quis certamen aliquando qualecũq; proponat, sed nec gymnicũ, nec musicum, nec equestre adiiciat, sed omnibus ciuibus cõgregatis, uoluptatis gratia, certamen duntaxat instituat, præmiaq; ei proponat, qui spectatores maxime delectet, optimeq; omnium id fecisse iudicet, cum nullus delectandi modus expressus sit, quidnam ex præconio euenturum putamus? CLIN. Qua de re dicis? ATHEN. Par est ut alius sicut Homerus Rhapsodiam ostendat, alius Citharam, Tragœdiam alius, alius uero comœdiam. Neq; deerit qui miraculo ostendendo uictoriam se opinetur consecuturum. Quum tales & alij generis eiusdem certatores multi cõfluxerint, possumus ne dicere, quis rite uictor sit abiturus? CLIN. Absurdum quid rogas. Quis enim scite id respondere poterit, prius quàm ipse istic præsens singulos certatores audiuerit? ATHEN. Vultis ne igitur ut ipse ad absurdum istud respõdeam? CLIN. Quid ni? ATHEN. Si pueri admodum parui sententiam dicant, præstigiatorem uicisse cæteros iudicabunt. An non? CLIN. Quid obstat? ATHEN. Pueri uero maiusculi comœdum cæteris anteponent. Sed mulieres eruditæ atq; adolescentuli, & fermè multitudo tota, Tragœdiam fortasse laudabunt. CLIN. Fortasis ita continget. ATHEN. Seniores autem nos iucundissime Rhapsodum forsitan audiemus, qui Homericum aliquid, Iliada uel Odysseam, aut aliquid Hesiodicum bene cecinerit, uictoremq; omnium prædicabimus. Quis ergo iure uictor sit, nónne declarandum restat? CLIN. Sanè. ATHEN. Perspicuum quidem est, ut & mihi uidetur, & uos necessario conceditis, eum reuera esse uictorem qui uicisse à nostris æqualibus iudicabitur. Vsus enim rerum quem ab ætate habemus, omnium quidem ciuilium magnum quiddam ubiq; est & optimum. CLIN. Proculdubio. ATHEN. Concedo igitur ipse hoc multis, uoluptate Musicam iudicandam, nõ tamen quorumuis hominum uoluptate, sed illam fermè Musam esse dico pulcherrimam, quæ optimos satisq; eruditos delectet, præcipue uero, quæ uirum uirtute & disciplina præstantẽ. Quapropter uirtute egere harum rerum iudices affirmamus. Nam & prudentiæ eos & fortitudinis oportet esse participes. Prudentiæ quidem, quia non debet uerus iudex quæ determinanda iudicio sunt, ab alio discere, & quasi stupefactus tam clamore multorum quàm ignorantia sua ita ferre sententiam. Fortitudinis autem, quia nec etiã si per seipsum intelligit, debet propter ignauiam & fortitudinem ex eodem ore, quo iudicaturus deos inuocauit, ignauiter iniquum iudicium promulgare. Non enim ut discipulus, sed ut magister spectatorum, sicut par est, iudex sedet pro tribunali, ineptis spectantium uoluptatibus aduersaturus. Licebat prisca Græcaq; lege, quemadmodum nunc Sicula & Italica: quæ multitudini spectatorum rem permittens, & manibus sublatis uictorem declarans, deprauauit quidem poetas ipsos, qui ad iudicium uulgariũ prauamq; uoluptatem componunt omnia, ita ut ipsi spectatores poetas, & seipsos erudiant. Corrupit & ipsius spectaculi uoluptates. Nam cum eos oporteat qui intersunt, meliora semper moribus suis audire, atq; ita meliorẽ consequi uoluptatem, nunc eis ex theatro contrarium accidit. Quid igitur hæc ita dicta sibi uolunt? Animaduertite num hoc sit quod uolunt. CLIN. Quidnam? ATHEN. Ter iam aut quater ad idem reuoluta oratio mihi uidetur, disciplinam educationem esse puerorum, quæ ad eam uiuendi rationem perducit, quam lex rectam esse dictat, & uiri æquitate præstantes seniores q; usu rerum sicuti rectam uere cõprobarunt. Vt igitur puerorum animus legem ita sequatur, ut non contrarijs, sed ijsdem quibus lex & senior, doleat gaudeatq;, prorsus legum conditor suadebit: & si opus fuerit, coget poeticum hominẽ honestis uerbis temperatorum, & fortium, & omnino bonorum hominũ gesta describere, tam figuras eorum rhythmis quàm accẽtus harmonijs ut decet effingentem per eos cantus quas Odas uocamus, quæ reuera ἐπῳδαὶ, id est, incantationes circa animos sunt, de industria ad id compositæ ut hominum animi dolendo gaudendoq; legibus obsequãtur. Quia uero teneriores animi seria studia non suscipiũt, ioci & cantus ista dicantur & fiant: idemq; in his efficitur, quod agere solent qui homines corpore ægrotantes curant. hi nanq; alimenta conuenientia quidem iucundis condimẽtis illiniunt, noxia uero amaris inficiunt: ut ascisceret altera, altera reijcere consuescant. CLIN. An igit in alijs ciuitatibus nunc hospes seruari hęc censes? Nam quantum ego scio, quæ tu præcipis, nusquã nisi apud nos et

Lacedæmonios fiunt. Noua enim ſemper & in ſaltationibus, & in alia muſica excogitan tur, non à legibus mutata, ſed à uoluptatibus quibuſdã uagis, quæ nullo pacto aut eædem ſunt, aut eodem modo permanent: ſed uariæ ſemper fiunt contra mores illos Ægyptiorum, quos narraſti. ATHEN. Probe ô Clinia. Si autẽ uiſus ſum tibi quæ modo dicis, quaſi ubicꝫ nunc fiant ſuprà dixiſſe, non mirarer ſi minus clare quæ ſentio, expoſuerim. Dixi equidem quæ in muſica fieri uellẽ, & ea tibi quaſi fiant dicere uiſus ſum. Vituperare enim rem inſanabilem, et errore longe prouectã, nullo modo iucundum, interdũ uero neceſſarium eſt. Verum poſtcꝫ in his cõſentimus, nõne quæſo apud uos & apud iſtos hæc magis cꝫ apud alios Græcos fieri aſſeris? CLIN. Cur nõ aſſeramus? ATHEN. Si & apud cæteros ſimiliter fierent, nónne melius cꝫ nunc agerent? CLIN. Multo certe præſtantius, ſi ita diſpoſita eſſent, quẽadmodum apud iſtos & apud nos, & ut paulo ante tu præcepiſti. ATH. Age uideamus nunquid hæc ſint quæ apud uos in omni diſciplina & muſica prædicant. Poetas carminibus dicere cogitis, bonum uirum quia tẽperatus iuſtuscꝫ ſit, felicem eſſe atcꝫ beatum, ſiue magnus atcꝫ robuſtus, ſiue paruus ac debilis, ſiue pauper ſit, ſeu diues. Iniuſtum autem hominem etiam ſi ditior ſit quàm Cinyras aut Midas, miſerum eſſe, & in mœrore uitam ducere. Itacꝫ poeta nobis ſi recte loquatur, inquiet. Nunquam ego de illo mentionem faciam, necꝫ uirum appellabo, qui non omnia quæ bona dicuntur, cum iuſtitia poſſideat atcꝫ diſponat. Is igitur iuſtitia exornatus, comminus pugnare cum hoſtibus delectetur. Iniuſtus autẽ ſanguinolentam cædem uidere nõ audeat, necꝫ currendo Thracium queat Boream ſuperare. nec ei quicquam eorum quę bona dicuntur, unquam affuerit. Quæ enim uulgo appellantur bona, nõ recte bona dicuntur. Aiunt nempe optimum eſſe ſanitatem, ei proximum bonum formam, uires tertium, quartum uero diuitias. Innumerabilia fermè cętera huiuſmodi bona narrant. Nam & acute cernere atcꝫ audire, aliiſcꝫ ſenſibus integre uti, bona uidentur, & ad hæc omnia poſſe tyrannica licentia facere quæ cuncꝫ cupias. Summamcꝫ totius beatitudinis eſſe ferunt, ſi cum iſtorum omnium poſſeſſione immortalis ſtatim euadas. Ego autem ac uos unà conuenimus iuſtis ſanctiscꝫ uiris optimam eſſe iuſtorum omnium poſſeſſionem, iniuſtis autem omnium peſſimam, à ſanitate initio ſumpto. Sanum nancꝫ eſſe, & uidere atcꝫ audire, ac omnia facile ſentire, & omnino uiuere uel immortalem, peſſimum eſt, ſi cum horum omnium poſſeſſione ſemper uixeris expers iuſtitiæ cæterarumcꝫ uirtutum. Minus aũt malum, ſi cꝫ breuiſſimo tempore ſic affectus uitam finieris. Hæc uticꝫ, & ipſi ueſtros hortabimini & cogetis poetas dicere, percꝫ his cõſentaneos numeros & cõcentus adoleſcentiã erudire. Nũ ipſi hoc animaduertitis? Ego enim aſſero quæ uulgo mala dicuntur, iniuſtis bona eſſe, iuſtis autem mala. Quæ uero dicuntur bona, bonis quidem uere bona, malis autem mala. Conuenimus ne igitur adhuc, an non? CLIN. Partim quidem conſentire uidemur, partim minime. ATH. Fortè uobis non perſuadeo non eſſe beatum illum, ſed miſerum qui iniuſtus & contumelioſus eſt, etiam ſi ſanitatem habeat, & diuitias perpetuamcꝫ tyrannidem, inuictas præterea corporis uires, & animoſitatẽ, immortalitatẽcꝫ poſſideat, nihilcꝫ ex his perpetiat quæ uulgo mala dicuntur. CLIN. Vera loqueris. ATH. Eſto, ſed quid deinde dicendum? Et ſi uiribus pollet, formoſuscꝫ eſt & diues, cunctacꝫ per omnem uitam facit quę concupiſcit, nónne uobis uidetur ſi iniuſtus contumelioſuscꝫ ſit, ex hoc duntaxat neceſſario turpiter uiuere? An turpiter quidem cõceditis? CLIN. Prorſus. ATH. Quid autem? nónne & male? CL. Haud ſimiliter iſtud. ATH. Iniucunde uero atcꝫ incõmode non cõceditis ei? CLI. Quo pacto hæc concedimus? ATHEN. Quomodo? Si deus quiſpiã ô amici conſenſum nobis (ut uidetur) animi tribuat: ut nũc quidem, inter nos diſſentimus. Mihi enim iſta magis neceſſaria uidentur eſſe ô amice Clinia, cꝫ Cretam eſſe inſulam: ac ſi Cretenſibus ipſe leges conderem, tam poetas cꝫ cæteros omnes ciues ſic loqui compellerẽ: ac pœnam penè omnium maximã intentarem, ſi quis in ea regione aſſereret eſſe aliquos quandocꝫ homines prauos qui iucunde uiuant, uel alia eſſe utilia & cõducibilia, alia iuſtiora. Multacꝫ equidem contra ea quæ nunc à Cretenſibus & Lacedæmoniis dici uidentur, imò uero à cæteris quocꝫ hominibus, dicere ciuibus meis perſuaderem. Agite igitur per Iouem atcꝫ Apollinem optimi uiri, ſi hos ipſos deos qui leges nobis dederũt, interrogemus: ſit ne iucundiſſima uita iuſtiſſima: an duæ quædã uitæ ſint, altera iucundiſſima, iuſtiſſima altera: nobiscꝫ ita quærentibus ipſi duas eſſe reſpondeant; ab eis forſan iterum percontabimur, ſi recte

Quæ debẽt cantare poetæ

Iniuſto etiã ſi cętera omnia cõſtent quę bona uocãtur, infelix uel id circo ſit, qa iniuſtus

si recte scisciari uoluerimus, utros beatiores oporteat dicere, iustissimea, n iucundissime uiuentes: ac si iucundissime uiuentes responderint, turpis erit responsio. Vellem autem de patribus legumq; latoribus uiris potius q̃ de dijs tale aliquid esse dictum. Quare quæ petij, à patre legisq; latore me petijsse existimetis, respõsumq; mihi esse, beatissimum esse illum, qui iucũdissime uiuat. Ego autem ita deinde opponam. ô pater nónne q̃ beatissime uolebas me uiuere? Certe. At nunquam cessabas iubere ut quàm iustissime uiuerẽ. Quisquis autem hæc unà concedit siue legum lator siue pater, & absurde loquitur, & sibijpsi non constat. Quòd si iustissimam uitam, beatissimam esse respondeat, quæret ut arbitror, quicunq; id audiet, quidnam ea in uita bonum & pulchrum, tanquam uoluptate melius, lex ipsa laudat? Quid enim à uoluptate superatum iusto boni adesse potest? Dic obsecro an laus & gloria tam apud homines quàm apud deos bonum quidem est atq; honestum, iniucundum autẽ? Infamia uero contrà? Minime dicemus ô legislator. Sed iniuriam neq; inferre, neq; pati num iucundum quidem sit, bonũ uero atq; honestum: cætera autem iucunda quidem, turpia uero & mala. Quo pacto id? Ratio igitur, quæ neq; iucundum à iusto, neq; bonum separat ab honesto, probabilis est: & si non ad aliud, attamen ad hoc, ut sancte ac iuste quis uiuere uelit, multum cõducit. Quocirca legislatori turpissima, & admodũ contraria oratio est, si hæc ita habere se neget. Nemo enim sponte id aget, cui non plus lætitiæ quàm doloris inest. Quod uero procul aspicitur, omnibus ut ita dicã uel ipsis pueris caliginosam affert uertiginem. Quare uertigine tenebrisq; ablatis in contrarium legislator opiniones ciuium ducet, & tum laudibus, tum consuetudine, tum rationibus quodãmodo ipsis persuadebit, tam iusta quàm iniusta esse obũbrata, atq; iniusta quidem contrà apparere q̃ iusta. Nempe iniusto ac prauo iucunda uideri, cui iusta uidentur iniucundissima. Iusto autem utraq; contrà omnino uideri. CLIN. Sic apparet. ATH. Reuera aũt utram sententiã potiorẽ existimabimus? melioris ne an deterioris animi? CLIN. Melioris necessario. ATH. Necesse est igitur iniustã uitã non turpiorẽ solũ ac peiorẽ iusta sanctaq; uita esse, uerũ etiã iniucundiorẽ. CLIN. Ita certe ex hac ratione ô amice uidetur. ATH. Legis itaq; lator ex quo exigua sit prouẽtura utilitas, etiã si nõ ita id se haberet ut modo diximus, non alienũ tamen sua grauitate putaret ad iuuentutis utilitatẽ falso aliquid, si modo quid unq̃ aliud falso dicendum sit, dicere: maxime cum nullum mendaciũ hac falsitate utilius excogitare possit, quod uidelicet ita trahere audientes ualeat, ut nõ ui sed sponte iustitiã uelint suscipere. CLIN. Pulchrũ certè ô hospes & stabile quiddã est ueritas. Videtur aũt plerũq; non facile persuadere. ATH. Esto. At enim Sidonij fabula illa, & si nihil uerisimilitudinis habuit, facile nihilominus persuasit, aliæq; permultæ similiter. CLIN. Quænam? ATH. Quod à dentibus quondã satis armati milites nati sint. Magnũ enim id legis latori exemplũ est, posse animis iuuenũ quodcunq; uelit persuadere. Quapropter nihil aliud scrutari debet, q̃ quibus rebus persuasione acceptis maximũ bonum conferat ciuitati: ad idq; omni incumbere studio, ut ciuitas uniuersa de his rebus unũ atq; idem q̃ maxime ac semper in cantibus, fabulis, & omni sermone decantent. Equidem ita sentio. Si uero uos aliter, nulla inuidia sit contradicere. CLIN. Neuter nostrum posse unquam de his dubitare uidet. ATH. Prosequar igitur, asserens choros omnes qui tres sunt, teneris adhuc & mollibus puerorum animis, & alia bona quæ diximus, & quæcunq; narrare possimus, quasi incãtatione quadam insinuare oportere. Caput autem illud sit, quòd uidelicet si uitam eandem optimam & iucundissimã iudicari à dijs asseruimus, & uera loquemur, & magis illis quibus opus est, persuadebimus, q̃ si aliter diceremus. CLIN. Concedenda suut quæ dicis. ATH. Primus itaq; puerilis musarum chorus hæc studiose toti ciuitati decantaturus ingrediatur. Secundus illorũ chorus qui ad triginta annos usq; prouecti sunt, Pæana testem ueritatis dictorum inuocet, & iunioribus propitium supplici ter esse precetur. Tertius eorum sit chorus qui triginta annos inter & sexaginta ætatem agunt. His aũt seniores, quia non amplius de eisdẽ moribus fabulas poterunt decantare, dimittendos diuino oraculo censemus. CLIN. Quosnã hospes tertios hos choros dicis? non enim clare quid de his dicere uelis comprehendimus. ATH. Hi profecto sunt, quorum gratia pleraq; superius sunt inducta. CLIN. Nondum intelligimus. Quamobrem apertius dicito. ATHEN. Dictum est disputationis principio si recordamur, ita ardentem iuuenum omnium naturam esse, ut neq; corpore neq; uoce quiescere possit, sed sine

ordine ſemper clamet & ſaltet: atq; ordinis utrorumq; iſtorum nullum aliud animal præter ſolam hominis naturam ſenſum habere. Ordinis autem qui in motu conſpicitur, nomen Rhythmus, id eſt numerus eſſe poteſt: ſed eius qui in uoce, acuto & graui ſimul con temperato, Harmonia, id eſt, concentus. Vtrunq; uero ſimul, Chorea nominabat. Deos quoq; diximus noſtri miſertos choreæ concelebratores ac duces dediſſe nobis Apollinẽ & Muſas. Tertiumq; ſi recordamur Dionyſium numerauimus. CLIN. Cur non recordari debeamus? ATHEN. Atqui Apollinis & Muſarum chori dicti iam ſunt. Tertius autem qui reliquus eſt Dionyſio neceſſario tribuetur. CLIN. Quo pacto? latius expone. Nam primo auditu ualde abſurdus Dionyſiacus ſeniorum chorus eſſe uidetur, ſi ultra trigeſimum annum, & ad quinquageſimũ iam prouecti & uſq; ad ſexageſimũ eo utantur. ATHEN. Vera loqueris. Sed ratione ad hæc opus eſſe arbitror, ut appareat quo pacto opportune id fieri poſſit. CLIN. Quid ni? ATHEN. Nunquid ſuperiora illa inter nos conſtant? CLIN. Quænam? ATHEN. Quòd oporteat uiros omnes & pueros, liberos & ſeruos, mares & fœminas, & uniuerſam ciuitatem toti ciuitati quotidie quæ diximus uariis modis & carminibus decantare, ut ex innumerabili hymnorũ uarietate, inexplebili quodammodo uoluptate concinentes afficiantur. CLIN. Nihil obſtat quo minus cõcedatur ita fieri oportere. ATHEN. Sed quo optima hæc ciuitatis pars, cui propter ætatẽ atq; prudentiã ſumma ineſt ad perſuadendũ auctoritas, optima canendo maximorũ bonorũ cauſa erit? An id ſtulte omittemus, in quo optimorũ & utiliſſimorum cantuũ uis ineſt præcipua? CLIN. Haud omittere licet, ut modo apparet. ATHEN. Quomodo igitur decenter id fiet? Videte quæſo an ita. CLIN. Quo pacto? ATHEN. Vnuſquiſq; ſenior circa cantus iam ſatietate affectus, his minime delectatur: & cum res poſtulat canere, quãto ſenior atq; modeſtior eſt, tanto magis canere ueretur. An non ita? CLIN. Ita prorſus. ATHEN. Sed multo etiam magis in theatro corã multitudine rectus cantare præ pudore non tolerabit. Præſertim ſi ſeniorũ chori, quemadmodũ qui de uictoria contendunt, & ij quidem quo clarior uox ſit tenues atq; ieiuni cantare cogãtur. Sic enim nõ ſine moleſtia & pudore cantabũt, & ad iſta tardiores accedent. CL. Neceſſaria narras. ATH. Quo igitur pacto paratos eos ad cantũ reddemus? Principio lege ſanciemus, ut pueri uſq; ad duodeuigeſimum annũ uini uſum prorſus ignorent. Nempe eos monebimus non oportere ignẽ igni in corpus atq; animã ſuggerere, anteq; uiri effecti ſubire labores incipiãt. Furioſum nãq; habitũ iuuentutis cauere oportet. Deinde uino moderate utantur uſq; ad annũ ætatis trigeſimum. Ab ebrietate uero & uini repletione iuuenes omnino abſtineant. Sed cum ad quadrageſimũ peruenerint, tunc in conuiuijs liberius diſcumbentes, cum alios deos tum Dionyſium ad ſacra ſenũ & ludos inuocent, qui hominibus uinũ quaſi remediũ aduerſus ſenectutis duriciã eſt largitus, ut reiuueneſcere uideamur, et mœſtitię nos obliuio capiat, ipſaq; affectio animi ſicuti ferrũ in igne ex duritie in mollitiẽ deducta flexibilior fiat. Primum quidem ſic affectus quiſq; ſumpta fiducia minus uerebitur inter aliquos ac ſuos, nõ tamẽ multos & alienos canere, & unà quod iam ſæpius repetiuimus, incãtare. CL. Et maxime quidẽ. ATH. Ad eos igitur inducendos ut cãtibus intereſſe uelint, modus hic haud indecens erit. CL. Non certe. ATHEN. Qua autem uoce & qua muſa hi uiri cantabunt? An ea uidelicet quæ ipſis conueniat? CL. Ea duntaxat. ATH. Quænam igitur diuinis uiris conueniens erit? Nónne ea qua chori decantant? CL. Nos quidem hoſpes & ij non poſſumus aliud canere quàm quod in choro didicimus. In hoc enim cantu aſſueti ſumus. ATHEN. Par eſt. Optimum enim cantũ non didiciſtis, quaſi enim caſtrenſem Rempub. habetis potius quàm urbanã. propterea iuuenes profecto tanquam pullos gregatim paſcentes habetis. Vnde nemo ueſtrum arripit ſuũ & ad cohibendam eius ferocitatem cuidam quaſi equorum magiſtro committit, qui erudiat ipſum leniter tractans & manſuefaciens, & cætera quæ educationi conueniunt peragens, ex quo non modo probus miles efficiatur, ſed ciuitatum quoq; & urbium idoneus gubernator: quem quidem principio diximus Tyrtæi militibus fore bellicioſiorem, quarto uirtutis loco non primo ſemper & ubiq; priuatim & publice fortitudinis munera colentem. CLIN. Neſcio quo modo rurſus hoſpes legum latoribus noſtris derogas. ATHEN. Non ex animo id facio bone uir, ſi quidẽ facio. ſed pergamus quò ratio ducit, ſi uultis. Nam ſi muſam habemus chororum et theatri communi muſa præſtantiorem, hanc illis exhibere conemur, quos diximus illam quidem

Pueris interdicitur uinum

Vinum remedium ad uerſus ſenectutis duritiam

quidem uereri, & aliam quærere meliorem. CLIN. Omnino. ATHEN. Omnibus igitur quęcunq; gratia quędam sequitur, inesse id oportet, ut uel eaipsa gratia sola in his alliciat sitq; præcipuum, uel rectitudo, uel utilitas. Exemplo quod dico, exponam. Cibus ac potus & alimentum omne gratiam habet, quam uoluptatem dicimus: Rectitudinem uero & utilitatem, si confert ad sanitatem. CLIN. Prorsus. ATH. Sic & in discendo gratia inest quę uoluptas nominatur. Rectitudo etiam atq; utilitas et bonus habitus atq; pulcher, quæ ab ipsa ueritate efficiuntur. CLIN. Ita est. ATH. Quid porrò in artibus, quibus similia efficiũtur, nónne idipsum inspicimus? Voluptas profecto ex illis quandoq; prouenit, quam par est gratiam nominare. CLIN. Certe. ATH. Rectitudinem uero talium, ut in uniuersum dicam, æqualitas ipsa tanti talisq; efficit, potius quàm uoluptas. CLIN. Præclare. ATH. Voluptate igitur sola id merito iudicabitur, quod neq; utilitatem, neq; ueritatem, neq; similitudinem, neq; rursus damnum efficit, sed solum causa gratiæ illius fit quæ concomitatur alia, quam uoluptatem recte possumus nominare, quando uidelicet nihil istorum ipsam sequitur. CLIN. Voluptatẽ dicis solam, quæ minime noceat? ATH. Nempe. & iocum ac ludum rursus eam ipsam appello, quando nec nocumenti neq; utilitatis aliquid affert æstimatione dignum. CLIN. Vera loqueris. ATH. Sequiturex his quæ dixi mus, nullam imitationem uoluptate & opinione nõ uera iudicandam esse. similiter etiam æqualitatem nullam. Non enim quia huic uideatur, aut quoniam hic gaudeat, idcirco æquale, ipsum æquale est, aut commensurabile ipsum est commensurabile, sed nullo alio quàm ueritate sola. CLIN. Sic est omnino. ATH. Atqui musicam omnem imitatricem, & similium effectricem esse dicimus. CLIN. Cui dubium. ATH. Cum ergo quis sola uoluptate musicam asserit iudicari, minime audiendus est, minimeq; huiusmodi musica, si alicubi colitur, quærenda est, sed illa quæ per imitationem boni similitudinem possidet. CLIN. Vera hæc sunt. ATHEN. Qui ergo cantus speciem & musam quærunt optimam, non eam quæ iucunda, sed quæ recta est, quærere debent. Rectitudo enim imitationis in hoc consistit, ut dicebamus, si tantum & tale fiat quod imitatione exprimitur, quantum & quale in seipso est. CLIN. Cui dubium? ATHEN. Atqui illud de musica omnes concederent, omnia uidelicet poemata eius imitationem esse atq; assimilationem. Quod & poetæ omnes, & auditores, histrionesq; concederent. CLIN. Magnopere. ATHEN. Oportet igitur circa unum quodq; poema & figmentum, ut uidetur, quid sit quod effingitur cognoscere illũ qui in ipso non sit erraturus. Nam qui nec nouit quid essentia ipsius uelit, nec cuius imago sit, nunquam rectitudinem eius & errorem intelliget. CLIN. Nunquam certe. ATHEN. Qui autem rectitudinem operis non intelligit, num bene an male factum sit, cognoscet? Obscurius equidem loquor. Fortè uero planius ita mihi dicetur. CLIN. Quo pacto? ATHEN. Multæ ad aspectum pertinentes similitudines fiunt. CLIN. Certe. ATHEN. Siquis corporis depicti modum non teneat, cognoscet'ne unquàm utrũ recte sit pictum? Vtputa utrum articulos corporis & singulas particulas habeat, & numerum, & qualitatem, & locationem singulorum prout decet ad singula, colores præterea atq; figuras: uel contrà utrum perturbate hæc omnia picta sint? An censes hæc aliquem cogniturum, qui animal quod pingitur minime nouerit? CLIN. Nullo modo. ATHEN. Sinautem cognoscat aliquis hominem esse id quod pictum, uel quoquo modo formatum est, suasq; partes omnes & figuras & colores ab arte accepisse, num idem necessario sicubi defectus aliquis pulchritudinis in eo sit, cõtinuo agnoscet? CLIN. Omnes fermè hoc modo hospes quę in animalibus pulchre se habent, cognosceremus. ATHEN. Recte loqueris. Nónne igitur in imagine omni siue per picturam, siue per musicam siue quomodocunq; aliter fiat, tria hæc prudentem iudicem habere oportet? Primum ut cognoscat quid sit quod in imitationem cadit: secundum ut recte: tertium ut bene quælibet similitudo uerbis, concentibus, numeris effecta fit, nouerit? CLIN. Videtur. ATH. Ne pigeat igitur difficultatem quæ in musica est, exponere. Porrò quoniam magis hæc quàm aliæ similitudines, celebratur, maiore quàm in cæteris opus est diligentia. Nam qui in hac aberrat, maxime lædítur, cum sub eius suauitate malos imbibat mores. Difficile autem id cognitu est, quoniam poetæ nõ ita ut Musæ artem poeticam tenent. Nunquam enim illæ tantum errare possent, ut in effingendis uirorum uerbis, colorem mulierum concentusq; redderent, uel in concentibus figurisq; liberorum, seruorum & illiberalium

Quę spectãt ad iudicem prudentem

talium numeros,uel in numeris figurisq; liberis,concentum uel sermonem numeris contrarium.Nunquam insuper ferarum uoces atq; hominum, pulsandorumq; instrumentorum,& strepitus omnes quasi unum aliquid imitarentur,in unum cõsunderent.Humani uero poetæ huiusmodi multa perturbant & sine ratione commiscẽt, risumq; hominibus commouent:quos Orpheus delectationis gratiã secutos ait.Omnia enim & confusa cernunt & ipsi quoq; distrahunt poetæ,numerum quidem atq; figuras à concentu seorsum, orationes nudas absq; concentu metrice componentes, atq; etiam concentus & numeros absq; uerbis, nudæ citharæ pulsationi & tibiæ sono accõmodantes. Qua in re difficillimum est cognoscere quid numerus & concentus qui sine uerbis fit sibi uelit, & cui imitationi similis sit earum quę ratione sunt dignæ. Putare autem oportet multa ruditate esse refertum id omne quodcunq; siue uelocitatem seu tarditatem uocemq; ferarum proxime sequitur,ut aliter tibia,citharaq; utaris,quàm ad tripudium opus sit atq; cãtum. Nudo autem utroq; uti,abusus est præstigiatrici ostentationi persimilis,& à Musis admodũ alienus. Sed horum quidem hæc ratio est. Nos aũt hæc nõ considerabamus, quod triginta quinquagintaq; annos & ultra nati Musis nostris uti nõ debeant,sed uti quando debeant uideamus. Ex istis autem oratio hæc nobis id significare uidetur, quod ad quinquagesimum annum prouectos quibuscunq; canere opus est,melius cæteris chori Musam tenere oporteat. Necesse nanq; est acute concentus & numeros sentiant atq; cognoscant. Quomodo enim aliter quispiam rectitudinem cantus cognoscet, cui uel conueniat uel non conueniat Doricum, & numerum quem illi poeta adiunxit, utrum recte iunxerit nec ne? CLIN. Nullo certe pacto. ATHEN. Vulgus autem deridendum est, cum se putet quod boni concentus numeriq; compos est,& quod contrà,satis cognoscere. Hi inquam qui ad numeros accinere & saltare iam olim coacti sunt, quod uero singula istorum ignorent,non istuc apud se ita reputant, quod quilibet cantus si omnia sibi conuenientia continet, recte se habet: si non continet, contrà. CLIN. Sic omnino necesse. ATHEN. Quid porró? Siquis rationẽ eius quid' ue habeat non intelligit,nunquid quod diximus, quo pacto recte se habeat in aliquo unquam cognoscet? CLIN. Quo pacto id fieri posset? ATHEN. Hoc itaq; nunc in his inuenisse uidemur,quòd cantores eos seniores,quos prius quidem nolentes ita prouocamus,ut libenter quodammodo canant, usq; adeo hæc didicisse necesse est, ut eorum quilibet tam numerorum progressus & põdera, quàm sonos fidium harmonicos consequatur:ut concentus & numeros intelligẽtes illos eligere possint,quos tãtis ac talibus decantari oporteat,atq; ita canentes & ipsi uoluptates innocuas confestim percipiant,& iuuenes ad probos mores de cantibus perducãt,& oblectamentis.Eatenus autem docti,exquisitiorem q̃ uulgus & poetæ ibi disciplinã habebunt. Tertium quidem illud siue bona siue mala imitatio sit,nõ est necesse ut poeta cognoscat,concentum uero numerumq; necesse. Isti autem omnia tria cognoscere debent, ut optimum & secundum eligere queant. Aliter autem nunq; sufficienter ueluti incantationibus quibusdam poterũt iuuenum animos ad uirtutem allicere. Enimuero quod ab initio uoluimus,ut uidelicet Dionysij choro rectam opem sermo noster afferret, pro uiribus dictum est. Verum consideremus an hoc ita sit factum. Talis utiq; concentus hominum necessario compotatione progrediente turbulentior redditur. Quod à principio suppositimus,in his quæ fiunt hodie,necessario fieri. CLIN. Necesse. ATH. Vbi certe unusquisq; seipso leuior factus extollitur et exultat, audaciaq; repletur,nec audit proximũ sed tam suijpsius quàm cæterorum omniũ ducem se sufficientem existimat. CLIN. Absq; dubio. ATH. An non diximus, quotiens ista fiunt,bibentium animos, sicut in igne ferrum,ita uino feruentes molliores iuniorescq; fieri,& idcirco facilius deduci, ueluti quando iuuenes erant? si quis & possit & sciat erudire eos ac fingere. Fictorem uero eundem esse qui & tunc probus legislator dicebatur. Cuius in legibus compotationi modus est præscribendus, ut possint hæ leges confidentem illum audacemq; & impudentiorem quàm deceat factum,qui ordinem uicissim silentio, sermone,compotatiõe,& musica seruare non uult,cohibere,atq; ita instruere, ut contrà in omnibus facere uelit quàm faciat, contra insurgentem ac turpem confidentiam admouentes timorem optimum cum iustitia. quem quidem timorem diuinum, pudorem & uerecundiam nominauimus. CLIN. Est ut ais. ATHEN. Harum legum auctores atq; custodes à perturbatione & ebrietate re-

Sicut igne ferrũ,ita uino corpora senum molliri

tate remotos esse oportet, uinolentorum duces. Sine quibus contra ebrietatem pugnare durius est, quàm sine ducibus sobrijs cum hostibus dimicare. Siquis autem neq; obtempe rare uelit his, neq; ducibus Dionysii ultra annos sexaginta natis, æquale uel etiã maius de decus ferat, q̃ qui ducibus Martis non paret. CLIN. Recte. ATH. Nónne si talis ebrietas taliscq; ludus adhiberetur, compotatores magnã inde utilitatem cõsecuti, & maiori q̃ prius inuicẽ beneuolentia iuncti, non autem sicuti nunc inimici discederent? cum legitime inuicem conuersati essent, & ducentibus sobrijs temulenti quoq; legibus obtemperassent. CLIN. Sic certe, si talis esset ebrietas qualem modo narrabas. ATH. Ne igitur Liberi patris munus simpliciter ita uituperemus, quasi malum sit, neq; dignum ut in ciuitate recipiatur. Atqui plura etiam in hanc sententiã referri possent, quamuis maximũ illud bonum quod largitur Dionysius, efferre in multos uerear, quoniam homines cum audierint non recte accipiant, nec intelligant. CLIN. Quid istud? ATH. Rumor quidam & fama defluxit ad nos, hunc deum à nouerca Iunone mente olim deturbatũ fuisse: atq; idcirco ulciscendi gratia bacchantũ choream omnemq; insaniam induxisse, & uinum ad hoc ipsum tribuisse. Ego autem hæc illis permitto dicere, qui tutum talia de dijs dicere arbitrantur. Illud tamen scio, quod nullum animal cũ tanta ac tali nascitur intelligentia, quanta & qualis ei cum prouectũ fuerit, cõuenit. Hoc porrò in tempore, quo prudentiam suã nondum possidet, furit omne, & sine ordine clamat, & fastu elatum lasciuiensq; salit. Recordemur autem quod musicæ & gymnasticæ hæc esse principia diximus. CLIN. Recordamur. ATH. Nónne etiam quod numeri & cõcentus sensus nobis solis sit, ex hoc principio constare diximus? Apollinẽ uero & Musas, & Dionysium duces ad hæc nobis esse tributos? CLIN. Vtiq;. ATH. Vinum uero, ut ferunt multi, ad ultionem hominibus datum est ut insaniant. Vt autem sermo habet noster, remedium, & medicina in contrariũ, ut animus quidem pudorem, corpus autem sanitatem & uires adipiscatur. CLIN. Egregie hospes superiorem orationem commemorasti. ATH. Sed iam media pars eorum quæ ad choream pertinent, dicta est. Reliquam uero ut uidetur perficiemus? ne? an prætermittemus? CLIN. Quas nam dicis partes, & quomodo partiris utrasq;? ATH. Tota quippe chorea uniuerse nobis dicta est disciplina. choreæ uero pars una in uoce est per numeros & concentus. CLIN. Ita est. ATH. Altera in corporis motu per numerum atq; figuram. Sed numerum quidem habet cum motu uocis cõmunem, figuram uero propriam. In prima autem illa parte cantus ipse uocis est motus. CLIN. Vera narras. ATH. Sed uocis quidem habitum, qui ad disciplinam uirtutis animi peruenit, nescio quo modo musicam nominauimus. CLIN. Recte admodum. ATH. Si autem corporis motus in ludo quem saltationem appellauimus, ad corporis usq; uirtutem attingit, artificiosam hanc ad id ipsius deductionem gymnasticam nominemus. CLIN. Rectissime. ATH. De musica quidem, quam mediam choreæ partem diximus, satis actum putauimus: atq; ita de ea sit dictum. Quare de reliqua iam dicamus, uel quid agendum? CLIN. O uir optime, qui cum Cretensibus & Lacedæmonijs disseris, quando iam satis tractatũ de musica est, sed de gymnastica, hactenus minime, quid' nam respõsurũ tibi ad interrogationẽ huiusmodi utrumuis nostrum existimas? ATH. Affirmabo equidem te, cum hæc interrogaueris, aperte iam respondisse. Intelligo enim quod hæc tua interrogatio respõsio quædam est, ut dixi, ac iussio simul ut transigantur quæ ad gymnasticam pertinent. CLIN. Optime intellexisti, & sic facias. ATH. Faciundũ est, neq; eẽ difficile est quæ uobis utrisq; notissima sunt, transigere. Nempe huius artis utriq; multo magis q̃ illius periti estis. CLIN. Vera ferme dicis. ATH. Nónne huius quoq; ludi principiũ est? quia unũquodq; animal natura saltare consueuit. Homo aũt ut tetigimus, cum numeri sensum acceperit, saltationẽ peperit. Cantus item numerum excitat. Quæ ambo inuicẽ copulata choream, & ludũ pepererũt. CLIN. Ita est. ATH. Huius partem alterã iam peregimus, alterã deinceps aggrediemur. CLIN. Prorsus. ATH. Sermonem igitur de ebrietatis chorea primum hac si placet sententia concludamus. CLIN. Quónam pacto? ATH. Si ciuitas aliqua tanquam re seria compotationibus & cum legũ ordine utatur, exercitationis cuiusdam ad temperantiam gratia, & alias uoluptates non fugiat, sed eadem ratione ut ipsas superet exercitetur, hoc utiq; pacto omnibus his utendum. Sin uero tanquam ludo utatur compotationibus ciuitas, & liceat cuiq; quãdo uelit & quibuscũ uelit combibere, & alia quæq; pro libidine exercere,

Cur uinum datũ hominibus

Tota chorea & choreæ pars

non

non essem huius sententiæ, quod deceat ciuitatẽ istam, aut hunc uirum ebrietati aliquando indulgere. Sed multo magis quàm Cretensium Lacædemoniorumq; usum Carthaginensium legem probarem, ut nunquam in castris quisquam gustare uinum audeat, sed toto illo tempore aqua bibatur, & in ciuitate nunquam uini usum seruo uel seruæ concederem: Sed nec magistratibus toto eo tempore quo magistratu funguntur. Gubernatores etiam atq; iudices munus suum subituros à uino penitus prohiberẽ. Deliberaturos quoque de rebus non omnino negligendis. Ac nulli penitus interdiu uinum cõcederem, nisi exercitationis corporeæ morborumq; causa hoc potu opus fuerit, neq; etiam nocte uiro uel mulieri quando liberis operam dare uolunt. Plura etiam referri possent, in quibus homines legis rectæ mentisq; compotes uino abstinerent. Quapropter secundũ hanc rationem, nec multis ciuitati uineis opus esset, Atqui & reliqua agricultura, omnisq; uiuendi norma ordinem suum teneret, ac uini usus fermè omnium moderatissimus & parcissimus esset. Hic itaq; sermoni de uino hospites, si uobis quoq; uidetur, colophon impositus sit. CLIN. Probe dictum. Quare & nobis ita uidetur.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI IN DIALOgum tertium de Legibus.

QVEMADMODVM *medicus sanitatem corporis, ita legum auctor spectat animi sanitatem. Quoniã uero omnibus optabilius est ualetudinem prosperam retinere ne pereat, quàm recipere pereuntẽ, idcirco præcipuum utriusq; tam ciuilis, quàm medici institutum est, seruare siue corporis siue animi sanitatẽ: sequens uero utriusq; consiliũ esse uidetur optimum, siue corpori, siue animo habitum, si quando amissus fuerit, restituere. Quamobrem & apud* Platonem *& apud ueritatem scriptores illi legum contemnendi censentur, qui subito qua censura scelera perpetrata sint punienda, decernunt: Qua uero ratione homines ita oriantur, nutriantur, erudiantur, ut scelera perpetrare nolint, nõ prouident. Nemo igitur admiretur* Platonem *nostrum firmissimæ sanitatis animi studiosum, tam in libris* Legum *quàm de* Republica *diu per multa quæ uidentur leuia, & ad educandos pueros adolescentesq; pertinent, accuratius diuersari. Sic enim decet diligentissimum animorum medicum facere, eosq; statim natos ita componere, ut uel quasi unà cum firma sanitate geniti uideantur, uel saltem ætate adolescente, sanitas animi pariter coalescat. Hinc itaq; præcedens illa libri* Legum *primi secundiq; diligentia in omni musicæ ludiq; genere atq; conuiuijs. Dum enim de auctoris legum officio disputat, præcipuum eius, id est, circa pueros, & adolescentes studium, ante omnia iudicat declarandũ. Vbi meminisse te uolo, quanta cautione ad potum uini iudicauerit accedendũ, ut non liceat quotidie bibere, neque cuilibet, neq; ad cuiusq; libidinẽ, sed in solennibus duntaxat conuiuijs, & tunc quidem uiris & moderate, raro uero merum, sub arbitro tamen & iudice. Alioqui memineris & quantum probet, ut nõ liceat in castris militibus gustare uinum, neq; in ciuitate seruis, neq; magistratibus, neq; gubernatoribus & iudicibus ipso iudicij tẽpore, neq; uiris mox de rebus magnis deliberaturis, postremo neq; uiro uel mulieri ea hora qua liberis operam dare constituunt. Hæc operæprecium fuerit diligẽter commemorasse. Pergamus iam ad proprium libri tertij argumentũ. Cum igitur lex ipsa ciuilitatis, id est disciplinæ ciuilis forma sit, ciuilitas autem forma sit ciuitatis, haud ab re de legibus tractaturus multa de ciuitatis ciuilitatisq; initio disputat. Ambigit autem utrum genus humanum fuerit ab æterno necne, similiterq; de mundo. Et quod alicubi tempus nominat infinitum haud quaquam sine principio proprie atq; fine significat, sed nostris potius cõputationibus infinitum: ideoq; dicit sæpe tempus inextimabile potius quàm immẽsum. Atqui et in sexto similiter ambigens sententiã ita disiungit, Hominum generatio aut nunquam incepit, aut inextimabili ante nos temporis lõgitudine cœpit. Inextimabile uero forsan dicit, si quis nõ solum annos solares, sed etiam lunares, & dies & horas numerare contenderit. Satis autem Christiano fuerit, philosophum mundi æternitatem non affirmasse. Sed quidnam de mille amorum millibus his Mosaici dicent? Fortè Platonem Aegyptiorũ more breuiusculos annos cõputauisse. At uero & de his, & de mundi illuuionibus opportunius agitur in* Timæo. *Iam uero ad ipsam materiam legũ, id est, ciuitatem ciuilitatemq; reuertamur. Quatuor ciuilitatis figuræ præcipue numerantur. Prima quidem statim post generis humani calamitatem in superstite quodam eius semine seruato, uel altissimorum montium beneficio, uel diuina potius prouidẽtia. Tunc enim probabile est filios nepotesq; patris familiâs imperio paruisse. Quod quidem imperium sola constat lege naturæ. Secunda figura inter familias plures iam inter se uel oppido, uel uallo quodã simili cõgregatas, cõgregatas inq; tum indigentia mutua, tum metu ferarũ. Sed ab ipso cœtus huius exordio ueri simile est tot gubernãdi formas, quot et domicilia extitisse, opinionib. inter se moribusq; longe diuersas. Ob quam diuersitatem mutuis subortis iniurijs coacti sunt communes quosdam arbitros et iudices rectoresq; cõstituere. Vnde tertia iam orta est ciuilis disciplinæ figura, à præcedente uidelicet iniustitia ducens ori*

cens originẽ. Probabile uero est eiusmodi rectores urbis, cõmunes præscripsisse ciuitati leges, post quã honestissimas quasq; domiciliorum leges considerauerunt, per easq; rei familiaris disciplinã ad disciplinam Reipub. transtulerunt: Quarta deniq; figura est in quodam gentiũ regno: ubi plures inter se urbes in eandem uoluntatem communemq; legẽ ita conueniunt, quemadmodũ in urbem unam familiæ plures. Prima quidem figurá extra urbem est per leges singulas, natura, ratione, uoluntate consistens. Secunda uero iam in urbe, sed per singulas adhuc domiciliorum leges, indigentia quadam metuq; congregata. Tertia in ciuitate per leges iam communes, occasione iniustitiæ, iustitiã colens. Quarta ex pluribus ciuitatibus per eandem uoluntatẽ legemq; similem congregatur. Inter hæc admonentur poetæ ad canenda diuina: Vbi dicitur poetarũ genus diuinum esse, agiq; deo. Admonentur quoq; autores legum, ut neq; arduas neq; uiolentas ferant leges, sed leues, quoad fieri potest atq; suaues. Præterea exemplo quodam historico, principale prosequitur disputationis huius consilium, de præcipua condendarũ legum & optima ratione. Quæ quidem hinc maxime sumit exordiũ, si autor in his ferendis uniuersam quidem ciuium uirtutem spectet, maxime uero maximam omnium atq; ducem. Nemo uero dubitat uirtutes alias à prudentia tanquã inferiora membra à capite duci. Hanc utiq; tam necessariam nobis esse quam nobilem ex eo confirmat, quòd omnes cõmuni uoto id optant in primis, ut humana omnia pro sui desiderio succedant atq; gerantur: eumq; cui ad uotũ cuncta succedunt, beatissimũ fore omnium arbitrantur. Plato uero contra infert, miserrimum fore illum cuius cupiditates quotidie sequantur euentus, nisi tanta sit prudentia præditus, tantaq; per prudentiã animum moderatione regat, ut uera discernat bona, & quæ ratione secreuit neglectis alijs appetat. In his admonet non esse optandum uel orandum ut omnia cupiditatem nostram sequantur, imò ut cupiditas rationem. Tangit & congruam filij ad patrem, patris ad deum comparationẽ. Cupit certe et precatur sibi puer euenire quàmplurima quasi bona, quæ pater intrea ne accidant deprecatur tanquam mala. Similiter uana & noxia uota hominum cœlestis pater quotidie detestatur. Neq; refugium ad euitanda fallacia uota ullum nobis est, excepta prudẽtia. Huic ergo per ciuium animos propagandæ legifer in primis incumbet publicæ studens felicitati. Tanta enim prudentiæ perfectio est, ut & optanda doceat exoptare atq; comparare, & comparatis ea potissimũ uti ratione qua prosint. In his autem felicitas ciuitatis tota consistit. Quemadmodũ uero ciuitatem seruat prudentia, ita destruit imprudentia, quam nominat ignorantiam, Non ignorantiam inquam uel literarũ proprie uel artis cuiusdam uel externorũ quorundam à nobis alienorum, sed ignorantiam boni, ut alibi sæpe dicit atq; hic significat. Sed addit eam esse & priuatim & publice pernicioſissimam ignorantiam, per quam quis nesciat ita suum animũ temperare, ut rationis suæ tanquam reginæ legibus sensus quasi populus legitime educatus obediat: adeo ut non alia prosequatur & fugiat, nec alijs aliter ue gaudeat atq; doleat quàm rationis instituta præscribant. Quicunq; ignorantia eiusmodi occæcantur, etiam si ingenio ſiſsimi atq; literatiſsimi sint, ignorantes à Platone censentur. Qui uero temperati sunt, prudentes ab eo iudicãtur atq; scientes, etiam si literas nesciant. Prohibet deinde magistratum illi tribui gubernandum qui propter inconti nentiam gubernare se neseiat. Neq; confidit ciuitatem sub eo recte feliciterq; componi, in cuius animo ciuitas quædam est incomposita simul & misera. Quamuis autem septem numeret deinceps rationes quæ ad dignitatẽ imperandi conducere apud plurimos iudicãtur, scilicet, Paternitas, Nobilitas, Dominatio, Potentia, Senectus, Prudentia, Sors, tamen unicã ipse præ cæteris eligit, id est prudentiã, dicens hanc esse propriam dignitatis imperatoriæ rationem, scilicet, ut prudentiores ubi imperent, imprudentiores obtemperent. Quemadmodum & oculorũ officium est ducere, pedũ uero ministeriũ peragere. Item sicut in qualibet arte præsertim nauigatoria et militari & medicina, eius quidem qui plus intelligit, est præcipere, eius uero qui minus ea in re cognoscit est exequi: ita et in arte ciuili, partim uniuscuiusq;, partim familiæ, partim ciuitatis gubernatrice, illi apprime oẽs parere debẽt, qui præ cæteris quid potissimũ humanæ saluti cõducat intelligũt. Lex ergo communẽ optans prudentiã, prouidebit ut præter puerilem eruditionem ad prudentiam conferentem, munerum quoq; publicorũ gradus pro ipsius prudentiæ gradibus ubiq; distribuantur. Ac ne imprudenter horum gubernacula committantur, sanciet ne mera & ingẽs imperandi autoritas concedatur: sed omnes quidem subijciet legibus, reges autem cum senatu cõiunget, senatũ cũ consilio populari. Cauebit in primis ne unquã superba lasciuia cupiens plus posse quàm leges, dissensionẽ pariat & ruinam. Studebit ut totum ciuitatis corpus quo ad fieri potest liberum sit, prudens & amicũ. Liberũ quidem, ut possit quilibet patriæ suæ consulere: prudens autẽ ut sciat: amicum rursus ut uelit. Meminerit tria hæc in ea ciuitate facilius conuenire, quæ inter unius ac populi potentiam obtinet medium, ut neq; unius se totam subdat imperãtis arbitrio uel potentiæ paucorum, neq; quemlibet absq; delectu recipiat consultorem: sed plurimũ quidẽ optimatũ constet gubernatione, nonnihil quoq; habeat regij, nõnihil insuper popularis. Circumspiciet mores fortunasq; principum, quo perspiciat ciuitatum regnorũq; exitium maxime omnium ex delitioso luxurioſoq; adoleſcentũ uirorumq; uictu procedere. Quippe cũ nemo ex huiusmodi uita uirtute præstans euadere possit, sed æger necessario fiat, fragilis, & inflatus, & cæcus. Mandabit propterea temperantiam ab omnib. maxime coli, sanciens eos potiſsimum honorari, qui temperatiſsimi omnium iudicio cõprobentur. Neq; patietur fortitudinẽ ab ullo absq; temperantia possideri, quasi rem ciuitati ualde periculosam. Quin imò neq; multarum rerum peritiam absq; iustitia tan

quam grauiter nocitura. Summatim uero in primo honoris gradu, dotes animi si cum temperantia mixtæ fuerint collocabit, his corporis subijciet bona, bonis corporis simul et animi externa seruire mandabit. Prohibebit quoq; nimiã libertatem, uetabit & nimiã seruitutem. Nam nimia quidem seruitus amicitiam, id est & beneuolentiã populi erga principem, & charitatẽ erga patriam è medio tollit, adeo tollit ut leui de causa uel princeps, uel patria pereat. Libertas uero nimia lasciuiã primo parit: deinde contemptũ legum, post hæc frequentes seditiones & extremam deniq; seruitutem. Nemo uero miretur Platonem & hic & sæpe alibi ludos, siue potius studia musicæ magnifacere, quasi ad permutandos in utranq; partẽ mores tam publice quàm priuatim possint quàmplurimũ. Nam ea tempestate & familiare omnibus & palam frequentissimum erat huiusmodi studium: quod autem ab omnib. fit atq; continue, non minorem ferme in animũ uim habet quàm aer in corpus. Præterea quæ apud medicos parũ cautos habentur leuia, apud Platonem obseruantissimum humani generis medicum haud contemnenda censentur. Descendit post hæc ad superiorũ epilogum. In quo epilogo posset quispiam clausulam illam, Si uero quicquã & quæ sequuntur, ita forsitan legere. An uero quicquam cõtulerimus nec ne? Quis redarguet? Cum inter nos omnia dicta fuerint. Sed ista tu uideris.

DIALOGVS TERTIVS DE LEGIBVS VEL DE LEGVM LATIONE.

Initium ciuilis disciplinæ

HAEC quidem ita se habeant. Ciuilis autem disciplinæ initium quod nam fuisse dicemus? An non hinc facillime ipsum quis optimeq; inspiciet? CLIN. Vndenam? ATHEN. Vnde ciuitatum quoq; incrementum & ad uirtutem & ad uitium licet inspicere. CLIN. Vnde dicis? ATHEN. Reor equidem à longitudine infinitateq; temporis, rerumq; in eo mutationib. CLIN. Quo pacto id ais? ATHEN. Age dic, si habes, ex quo urbes ciuilesq; hominũ institutiones cœperunt, quanta temporis præcesserit multitudo. CLIN. Nequaquã id facile. ATHEN. Infinitum utiq; hoc & impossibile cogitatu. CLIN. Sic est omnino. ATHEN. Nónne innumeræ in hoc tempore cõditæ sunt ciuitates, totidemq; destructæ, quę omni ciuilis uitæ conditione passim usæ sint, factæq; modo maiores è minoribus, modo minores è maioribus: peiores quoq; ex melioribus, & cõtrà, ex peioribus meliores? CLIN. Necessarium id quidem est. ATHEN. Huius igitur mutationis causam excogitemus, si possumus. Fortassis enim primam uitæ ciuilis causam mutationemq; nobis ostendet. CLIN. Probe loqueris. Quare & te oportet quid hac de re sentias diligenter exponere: & nos attente auscultare. ATHEN. Num igitur prisci sermones ueritatem aliquam habere uidentur. CLIN. Quinam? ATHEN. Multos uidelicet hominum interitus ex diluuijs morbis alijsq; pestibus olim accidisse, ex quibus pauci homines superstites fuerint. CLI. Vel de id cuiq; uerisimile. ATHEN. Age iam de multis unum hoc exitium quod illuuione factum est perspiciamus. CLIN. Quid in hoc cogitare nos iubes? ATHEN. Nempe eos qui cladem tunc euaserunt, montanos quosdam & pastores fuisse, in montium cacuminibus pauca semina ad propagandum genus hominum conseruata. CLI. Patet. ATHEN. Atqui necesse est eos & aliarum artium fuisse expertes, & auaritię contentionisq; studia inter ciues cæterasq; aduersus alios astutias ignorasse. CLIN. Consentaneum id quidem. ATHEN. Ponamus etiam campestres & maritimas urbes subito illo tempore periisse. CLIN. Ponamus. ATHEN. Instrumenta igitur omnia & quæcunq; artium siue ad disciplinam ciuilem, siue ad facultatem aliam pertinentium, extabant inuenta, concidisse illis temporibus asseremus. Quomodo enim ô uir optime si hæc in sempiternum ita se ut modo habentia permansissent, nouum quicquam alicui esset inuentum? CL. Nempe quia innumerabilis quædã multitudo annorum ignorabatur ab illis. Mille autem anni uel duo millia interceßere ex quo quicquàm dicit, partim Dædalo, partim Orpheo, partim Palàmedi inuentum. Sicut quæ ad musicã pertinent, Marsyæ & Olympo: quæ ad lyram, Amphioni attribuuntur: aliaq; alijs multa, ut ita dicã, heri & nudiustertius adinuenta. ATH. Videsne Clinia prætermissum abs te esse amicum, qui uere heri fuit? CLIN. An Epimeniden dicis? ATHEN. Hunc equidem. Longe enim hic nouarum rerum excogitatione omnibus apud uos excelluit, ô amice. Quod sanè uerbis olim Hesiodus diuinauit, re autem

tem

autem Epimenides ipse perfecit, ut uos asseritis. CLIN. Asserimus planè. ATHEN. Ex ea utique deuastatione magnam terribilemq; humanis in rebus desolationem accidisse tunc arbitramur. Fertilium agrorum magnitudinem desertam, cæterisq; animalibus corruptis uix boum caprarumq; genus & illud quidem rarum relictum fuisse, quibus pascēdis tunc homines uitam agebant. CLIN. Cui dubium? ATHEN. Ciuitatis uero & disciplinæ ciuilis & legum de quibus præsens à nobis sermo habetur, nūquid memoriā quidem ullam, ut ita loquar, fuisse putamus? CLIN. Nullam prorsus. ATHEN. An non ex illis ita dispositis nobis hæc omnia prouenerūt, ciuitates, disciplinæq; ciuiles, artes, leges & uitiorum atq; uirtutis non parua copia? CLIN. Quo pacto id ais? ATHEN. Nunquid arbitramur ô uir mirifice, eos homines cum multorum quæ inter ciues honesta habent, uel turpia, ignari essent, summos uel in uirtute, uel in uitio extitisse? CLIN. Probe dixisti, & quod uis intelligimus. ATHEN. Tempore igitur progrediente, ac genere hominū multiplicato, ad eum quem nunc uidemus habitum, prouecta omnia sunt. CLIN. Recte admodum. ATHEN. Neq; tamen subito ut uerisimile est, sed paulatim longoq; in tempore. CLIN. Valde sic decet. ATHEN. In campos enim ex cacuminibus montium recens formido descendere prohibebat. CLIN. Certe. ATH. Nónne & propter paucitatem illis temporibus mutuo inter se aspectu congratulabantur, præsertim cū neq; terra, neq; mari transitus ad alios facilis fuerit, omnibus fermè ad transitum instrumentis deletis unà cum artibus? Quapropter inuicem conuenire non poterant. Ferrum namq; & æs & metalla omnia confusa perierant, ut inueniri & in lucem eruí nō possent: unde & lignorum fabri non erant. Nam & si aliquod instrumentū relictum quādoq; in montibus superfuerit, cito tamen contritum euanuit: nec alia fieri poterāt, antequam ars metallica hominibus iterum inueniretur. CLIN. Quo enim pacto aliter fieri potuisset? ATHEN. Quot autē generationibus postea id factū esse putamus? CLIN. Profecto multis. ATH. Igitur artes quæcunq; ferro utuntur & ære cæterisq; huiusmodi omnibus, eodē tempore, imò etiam maiore ignorantiæ tenebris obsitæ ignorabant. CLIN. Certū id est. ATH. Quinetiam neq; seditio illo tempore, neq; bellum erat. CLIN. Qua ratiōe? ATH. Primo quod propter desolationem ardenti se inuicem beneuolentia complectebātur. Deinde quod cibus bellum non cōcitabat: Pascuorum enim nulla erat inopia, nisi fortè quibusdam paucis ab initio. Pascuis autem plurimū illis temporibus uitam agebāt. Lactis item & carnium copia non deerat. Ac uenatio facile alimenta, nec illa quidem mala suppeditabat. uestitus præterea, stramentorum, habitaculorū, uasculorumq; tam igneorum q̄ non igneorum copiam habebant. Artes quippe fingendi atq; texendi ferro non indigēt, quibus hæc omnia dei nutu consequimur, ut si quando homines in talem calamitatem decidérint, propagare genus humanum possint. Hac de causa non ualde inopes erant, neq; inopia compellebantur ad bella. Diuites etiam fieri minime poterant, quum neq; aurū, neq; argentū haberent. in quocunq; uero hominum cœtu, nec inopia, neq; diuitiæ sunt, huic iustissimi mores aderunt. Neq; enim ibi cōtumelia, neq; iniuria locū habet. Aemulatio quoq; & inuidia procul abest. His igit̄ de causis boni erāt, ac maxime propter simplicitatem. Quæcunq; enim audiebāt honesta esse uel turpia, propter simplicitatem credentes esse uera, monitis obtemperabant. Nec ullus propter sapiētiæ opinionem, ut modo fit, de mendacio suspicabatur, sed quæ de dijs & hominibus dicebantur uera putātes, quiete ad hæc uitam suam instituebant. Quamobrē tales erant omnino, quales paulo ante narrauimus. CLIN. Ego quidem & hic tibi in his consentimus. ATH. Diximus porrò generationes multas ita uiuentes, tam illis qui ante diluuium fuerūt q̄ hodiernis hominibus minorem peritiam habuisse, cum cæterarū artium, tum bellicarū quæ terra uel mari hodie exercentur: ludicrorum quoq; & seditionum quę in ciuitate & uerbis & operibus sedulo contendunt ad iniuriam alijs inferendam. Simpliciores autem fuisse & fortiores, ac simul modestiores, & in omnibus iustiores. Horum uero causam iam diximus. CLIN. Recte loqueris. ATHEN. Dicta igitur ita hæc nobis sint, & quæ sequuntur idcirco exponantur omnia, ut intelligamus cur illis opus legibus fuerit, & quis leges eis condiderit. CLIN. Probe dixisti. ATHEN. An igitur illi nec legum latoribus indigebant, neq; dum illis temporibus id fieri cōsueuerat? Literas enim nondum habebant, illius tēporis homines, sed consuetudinem & mores maiorum sequentes uiuebant. CLIN. Veri

ſimile eſt. Sed ciuilis diſciplinæ quis modus fuit? ATHEN. Hic. CLIN. Quis? ATHEN. Omnes mihi uidentur diſciplinam uiuendi ciuilem illius temporis imperium appellare, quod etiam nunc multis in locis & apud Græcos, & apud Barbaros uiget, quod quidem in habitatione Cyclopum extitiſſe, ita teſtatur Homerus: Ad conſultandum nunquam coeunt publice, nec exercenda iudicia: ſed in altis montibus caua antra inhabitant, ſpretiſq; publicis priuatim quiq; uxoribus filijſq; dant iura. CLIN. Iucundus hic poeta uobis fuiſſe uidetur. Atqui & alia nonnulla ipſius uidimus, ualde illa quidem urbana, non multa tamen. Nos quippe Cretenſes alieno poemate parum utimur. MEG. Nos autem utimur. Videturq; nobis poetas huiuſmodi ſuperaſſe, quamuis nō Laconicā, ſed Ionicam uitam potius ubiq; doceat. Bene autem uerbis hic tuis atteſtari uidetur, quum antiquitatem hominum per fabulas ad ſylueſtrem uiuendi modum reduxerit. ATHEN. Atteſtatur nimirum. Quapropter teſtimonio illius inducti credamus gubernatiōes huiuſmodi aliquando fieri. MEG. Recte. ATHEN. Nōnne gubernationes hæ fiunt ex hominibus ipſis qui per habitationes ſingulas, ſingulaq; genera propter egeſtatem ex uaſtationibus factam diſperſi uiuunt: in quibus ſemper antiquior dominatur, ex eo quod principium ex patre matreq; ſumpſerunt: quos quidem quaſi aues ſecuti gregem unum conficiunt, patris uoluntate pro lege utentes & regno, omnium iuſtiſſime gubernati. MEG. Ita prorſus. ATHEN. Poſtea uero cōmuniter pluresq; cōfluentes maiores ciuitates conſtituunt, atq; ad agriculturas primum in montium radicibus conuerſi ex ſepibus ambitus quaſi muros urbium ferarum cauſa condunt, unam domum amplam communemq; condentes. MEG. Veriſimile id quidem uidetur. ATHEN. Quid autem hoc? nónne etiam ueriſimile? MEG. Quidnam? ATHEN. Cum habitationes hæ maiores è minoribus primisq; ſunt factæ, adeſſe paruarum ſingulas, quarum unaquæq; adducat ſeniorem principem proprioſq; mores, ex eo quod ſeorſum uixerint, & idcirco alios ab alijs parentibus educatoribusq; mores ſuſceperint, quibus aſſuefacti ſunt ſinguli ad deos colendos ſeq; ipſos curandos, modeſtiores quidem à modeſtis, à fortioribus fortiores, & in cæteris omnibus prout ſinguli filios aut nepotes erudierūt, quorū ritus quaſi leges proprias ad maiorem habitationem ferunt. MEG. Quid prohibet? ATHEN. Atqui neceſſe eſt leges ſuas cuiq; in primis placere, aliorum uero leges loco ſecundo. MEGIL. Ita eſt. ATHEN. Sed uidemur iam in ipſa quaſi legum incunabula & exordium inſcij ingreſſi. MEG. Vtique. ATHEN. Poſt hæc neceſſe eſt, ut qui conueniunt aliquos ex ſeipſis cōmuniter eligant, qui omnium inſtituta nouerint, & quæ maxime ex his probauerint, ad communes quoſdam populi duces quaſi reges deferant. Earum uero legum quæ cōprobatæ fuerint, ipſi latores nominabuntur: conſtituentesq; optimatum gubernationem ex imperijs, aut regnum aliquod, in hac ciuilis diſciplinæ mutatione conueniunt. MEG. Ita certe conuenienti ſucceſſione continget. ATHEN. Tertiam itaq; diſciplinæ ciuilis figuram iam dicamus, in qua ſpecies omnes & affectus rerumpublicarum & ciuitatum reperiuntur. MEG. Quænam iſta eſt? ATHEN. Ea certe eſt, quam Homerus poſt ſecundam tertio factam ita ſignificauit. Dardaniam uero tunc terram ille ædificauit. Nondum enim ſacra Illij mœnia erecta in campis ſtabant, multarum gentium ciuitas. Sed ad radices montis Idæ fontifluæ habitabant. Profecto carmina hæc & ſuperiora illa de Cyclopibus diuinitus & ſecundum naturam ipſam cōſcripta ſunt. Diuinum enim poetarum genus eſt: dijs agitur, & ſacros concinit hymnos. Vnde uera paſſim cum muſis atq; gratijs tangere ſolent. MEG. Summopere. ATHEN. Præſtantē igitur fabulam proſequamur. Forte enim aliquid ex ea patebit ex ijs quæ uolumus. An non ſic oportet? MEG. Sic prorſus. ATHE. Conditum igitur ex altioribus locis in magno pulchroq; campo Ilium accepimus, in colle quodam non alto, quò multi deſuper ex Ida fluuij defluebant. MEG. Sic traditum eſt. ATHEN. An non longo poſt diluuium tempore id factum putamus? MEG. Quis non ita putarit? ATHEN. Magna igitur eos deuaſtationis illius cepiſſe uidetur obliuio, quando iuxta multos fluuios, & ab altioribus locis fluentes urbem condiderunt, ſeq; ipſos collibus exiguis credidere. Vnde perſpicuū eſt multis ſeculis eos poſt illuuionis uaſtitatem fuiſſe. Aliæ præterea multæ urbes, iam tunc longius propagato genere hominum colebantur. MEG. Quid ni? ATHEN. Quæ ſcilicet & aduerſus Ilion militarunt. Atque per mare forſan, quaſi iam oīes eo intrepide uterentur. MEG. Apparet. ATHEN. Decennio au-

nio autem Achiui Troiam oppugnantes euerterunt. MEGIL. Plane. ATHEN. In eo igitur decennio quo Troia obsidebatur, multa mala domi obsidẽtibus Achiuis propter seditiones iuuenum acciderunt, qui nec honeste, nec iuste in sua redeuntes milites recepere, sed ita ut multi morte, multi exilio afficerentur. Qui rursus expulsi deducti sunt, Dori pro Achiuis mutato nomine appellati, propter Dorieum quendam à quo exules cõgregati & restituti fuerũt. Atq; hæc oĩa uos ô Lacedæmonij, hinc narratis. MEGIL. Proculdubio. ATHEN. Cum sermo nobis de legibus institutus esset, in disputationem de musica & ebrietate digressi sumus. Nunc tandem quasi diuinitus ad idem nobis oratio reuoluta est, nobisq; quodammodo ansas præbuit. Ad eam enim ciuilem disciplinã delapsa est, quam & Lacedæmone, & in Creta recte quasi fraternis legibus institutã asseritis. Tantũ uero ex hac orationis digressione lucrati sumus, ut dũ per disciplinas ciuiles urbiumq; habitationes transueheremur, primam & secundam & tertiam ciuitatẽ per spexerimus, alteram ab altera in tractu quodã lõgissimo temporis, ut nostra fert opinio, dependentes. Nunc uero quarta hæc nobis ciuitas uenit, aut si uultis quartum hoc hominum genus, quod & quandoq; alicubi habitabit, & nunc iam habitat. Ex quibus omnib. si intelligere potuerimus, quid bene uel contrà in habitatione sit institutum, & quænam leges ipsorum conseruant ea quæ cõseruantur, & quæ corrupta corrumpunt, & qualis institutionum ciuilium commutatio beatam, ô Megille & Clinia, efficit ciuitatem, satis nobis factum putabimus. Hæc omnia inquã, rursus tanquã ab initio nobis tractanda sunt, nisi fortè aliquo pacto quę dicta sunt, respuamus. MEGIL. Siquis nobis hospes deus polliceretur: si disputationem de latione legum rursus aggrediamur, neq; pauciora, neq; peiora his quæ dicta sunt, audituros esse: longum ipse hac de causa iter facerẽ, & breuis mihi hæc dies uideretur, quamuis ab æstiuali solstitio ad hiemalia, dies modo uertatur. ATH. Consideranda igitur ista uidentur? MEGIL. Maxime. ATH. Illa denicp tempora cogitatione cõplectamur, in quibus Lacedæmon, Argi, Messeneq;, & eis coniuncta omnia maioribus uestris Megille subiecta fuerunt. Tunc enim illud ipsis, ut dici solet in fabula, placuit, ut tripartito exercitu diuiso, urbes tres habitarent, Argos, Messenem, Lacedæmonem. MEGIL. Sic factum. ATH. Et Argorum quidem rex Temenus factus est, Messenes uero Cresphontes, Lacedæmonis autẽ Eurysthenes simul atq; Procles. MEGIL. Sic utiq;. ATH. Coniurarunt item omnes eum hostem futurum, qui cuiusquam ipsorum regnum deuastare aggrederetur. MEGIL. Plane. ATH. Dic uero per Iouem, nunquid regnum uel principatus quispiam deponantur, uel depositi quandoq; ab alijs sint, quàm à seipsis? An paulo ante cum in hunc sermonem incideremus, id ita esse putabamus, nunc autem obliti omnino sumus? MEGIL. Minime. ATH. Nõne idem magis nunc confirmabimus? ab historia enim rerum gestarum in quam incidimus, ad hoc affirmandũ admonemur. Quare non circa uanum aliquid orationem reuoluemus, cum rem gestam ac ueram dicamus. Facta uero hæc sunt. Tria regna, & tres gubernatæ regno ciuitates legibus communiter de imperando parendoq; positis iurarunt inuicem: reges quidẽ ne genere ac tempore progrediente uiolentius regnarent: populi autem si reges iusiurandum conseruarent, ne unquam regno deponerent, immo uero defenderent siquis unquam aggrederetur. Reges quoq; regibus & populis, atq; etiam populi populis & regibus, se ad mutuo propulsandas illatas iniurias iuramento obstrinxerunt. Nónne ita? MEGIL. Ita prorsus. ATHEN. Quod autem in constituenda disciplina ciuili maximum est, id siue reges, siue alij, leges tulerint, tribus illis ciuitatib. adfuit. MEGIL. Quid illud? ATHEN. Vt duæ simul contra unam insurgerent, quæ positas leges transgrederetur. MEGIL. Manifestũ id quidem. ATHEN Illud etiam legis latoribus multi præcipiunt, ut leges huiusmodi ferant, quales multitudo & populus libẽter suscipiãt, perinde ac siquis gymnasii magistris medicisue præciperet, ut cũ uoluptate corpora curent, eisq; iucunde medeãtur. MEG. Sic omnino. ATHEN. Pulchre tamen sępenumero habet, si quis parua cum molestia bonam habitudinẽ & sanitatem corporibus reddat. MEGIL. Quid ni? ATHEN. Hoc præterea ipsis aderat non paruum ad ferendarũ legum facilitatem. MEG. Quidnam? ATH. Non erat illarum legum latoribus bonorum æqualitatem efficientibus maxima illa difficultas, quæ conuenientibus in unam legem ciuitatibus multis solet accidere, si agrorũ quærant possessionem turbare, & nouas tabulas introducere, quoniam uideant nõ satis

Vnde Dori

posse absq; his æqualitatem fieri. Nam aduersus eum qui mouere ex his aliquid tẽtat, ómnes reclamant, ne moueat non mouẽda. Agros quippe diuidenti, & nouas tabulas introducenti aperte omnes maledicũt, ut quisq; quò se uertat ignoret. Doris autẽ hæc difficultas turbatioq; non fuit. Nam agros abunde sine cõtrouersia possidebãt, debitaq; ipsis æris alieni iam olim conflata & magna non erant. MEG. Vera narras. ATH. Quónam igitur optimi uiri ita male constitutio illa & legislatio ipsis abiit? MEG. Quo id pacto? Quid ue culpas? ATH. Quòd ex tribus ciuitatum constitutionibus, duæ cito & disciplinam ciuilem & leges perdiderunt, & uestra ciuitas una relicta est. MEG. Haud facile est quod interrogas. ATH. Atqui opus est ut id modo considerantes, dissérentesq; de legibus seníli quodam modestoq; ioco, iter hoc quẽadmodum à principio diximus sine molestia conficiamus. MEG. Proculdubio faciendum est ut dicis. ATHEN. An igitur pulchriorẽ de legibus cõsiderationem habere possumus, & de his legibus quę ciuitates huiusmodi exornarunt? aut etiam ciuitates ullas institutionesq; honestiores ac maiores his cogitare? MEG. Non facile quispiam his alias anteponat. ATHEN. Nemo autem ambiget quin illi ita coniuncti non Peloponesum tantum, uerum etiam uniuersam Græciam, si Barbarus quispiam iniuriã intentaret, defendere posse crediderint, Troianorũ exemplo excitus, qui Assyriorum potẽtia freti, quæ à Nino traxit originem, bellum contra seipsos concitarunt. Erat enim adhuc principatus illius non contemnenda potentia. Quare quemadmodũ nunc regem nos magnum formidamus, ita gentium illarũ conspirantium in unum potentiam tunc omnes expauescebant. Magnam uero his inuidiam secũda Troiæ euersio cõflauit. Assyriorum enim principatus particula quędam, Troię potentia fuit. Aduersus igitur eam potẽtiam in tres diuisus ciuitates exercitus à fratribus, Herculis filijs tunc regnantibus optime atq; ornatissime habere uidebatur, & multo melius instructus, q; ille ipse qui Troiam obsedit. Primũ eñ Heraclidas principes excellẽtiores q; Pelopidas habere se arbitrabantur: deinde hunc exercitũ illi qui Troiam petijt, uirtute prestare. Hos enim uicisse, illos ab istis fuisse superatos, à Doris Achiuos. Nónne sic illos cogitasse, eaq; de causa sic se præparasse credimus? MEG. Omnino. ATHEN. Verisimile igitur illos firmam quoq; cõstitutionem hanc suam fore putasse, longumq; tẽpus duraturam, præsertim quia multa pericula & labores unà subierũt, & à fratribus regibus gubernabantur. Necnon multis usi fuerant uatibus, tum alijs, tum Apolline Delphico. MEG. Verisimile admodum. ATHEN. Hæc uero quæ maxima fore existimabãtur, breui tunc ut uidetur euanuerunt, præter paruã, ut modo diximus, partem, quæ uestrã habitat regionem. Hæc nunquã ad hunc usq; diem bello cõtra duas partes susceptо quieuit. Nam si facta tunc cõstitutio cõcors mansisset, inuicta profecto bello fuisset. MEG. Quid ni? ATHEN. Quomodo igitur & qua ratione dissoluta est? Nónne consideratione dignum apparet, quænam fortuna tantam ac talem constitutionem euertit? MEG. Nunquam profecto aliud considerans quispiã uel leges uel respublicas alias intelligere poterit, quibus pulchrę magnæq; res seruentur, uel contrà perdantur, si ista neglexerit. ATH. Feliciter ergo in hanc tam accommodam considerationẽ incidisse uidemur. MEG. Summopere. ATHEN. Nunquid ergo noster nos error omnes latet, & in præsentia maxime, dum putamus singularem quandã perspexisse rem, & quam mirabiles euentus sequentur, siquis bene illa uti modo debito non ignorabit? Nos autem modo neq; recte forsan neq; secundum naturam de hoc ipso sentimus: Et alij omnes in omnibus errant, quibus de similiter cogitant. MEG. Quid ais? Et qua de re istud maxime dicis? ATHEN. Ipse me, ô bone uir, nunc certe risi. Cum enim illum exercitum de quo modo sermo habitus est, considerassem, egregius profecto atq; mirandus mihi uisus est, & præclara quædã facinora Græcis designaturus, siquis tunc ipso bene usus fuisset. MEG. An non prudenter & tu cuncta dixisti, & nos probe laudauimus? ATHEN. Fortasse. puto tamen omnes qui magnum aliquid & ingenti potentia præditũ uiderint, statim sic affici: ut opinẽtur, si sciret qui ipsum possidet tanta re taliq; uti, multis præclarisq; inde rebus gestis felicem fore. MEG. Nónne & hoc rectum? uel quomodo dicis? ATHEN. Considera iam quorsum respiciẽs, qui sic laudat singula recte dicat. Ac primũ de quo dicebamus. quo pacto si recte sciuissent exercitum ordinare qui tunc præfuerũt, feliciter usi occasione fuissent: nónne si tutiorem illo tempore cõstituissent, semper seruassent, ita ut & ipsi liberi essent;

& alios

& alios quos uellent, subiugarent? Atq; omnino & ipsi & eorũ posteri tam apud Græcos quàm apud Barbaros, quicquid cuperent, consequerentur? An non omnia huius gratia cupiebant? MEG. Imò etiã ualde. ATHEN. Quicunq; igitur cum diuitias ingentes perspexerit, aut honores generis excellentes, aut aliquid eiusmodi, eadẽ ipsa dixerit, ad hoc respiciens dicet, quasi per hoc ipsi futura sint omnia quæ desiderat, uel plurima atq; potissima. MEG. Ita uidetur. ATHEN. Vna certe omnium hominũ cõmunis quædam cupiditas est, quam præsens sermo significauit. MEG. Quænam? ATHEN. Vt secundũ animi sui desiderium omnia, uel saltem humana gerantur. MEG. Cui dubium? ATHEN. Quando omnes semper hoc uolumus, & in pueritia & adulta ætate & senio, sedulo id proculdubio habere precamur. MEG. Vtiq;. ATH. Amicis etiam hæc precamur, quæ ipsi quoque sibi precarẽtur. MEG. Et hoc. ATH. Amicus autem filius patri, cum puer sit, uiro. MEG. Profecto. ATHEN. Atqui eorum quæ puer contingere sibi precatur, multa pater ne accidant, deprecatur. MEG. An id fieri dicis, quando iuuenis est & amens filius qui precatur? ATHEN. Immo etiam quando pater siue senex siue admodum iuuenis, cum nec honestorum neq; iustorum quicquã cognoscat sic affectus ut Theseus erga infelicem Hippolytum, impensius imprecatur, filius autem cognoscit, putas ne tunc filium cum patre eadem oraturum? MEG. Intelligo quod dicis. Dicere enim mihi uideris, non esse precandum conandumq; ut uoluntatem nostram cuncta sequantur, sed ut prudentiam nostram uoluntas. Idq; tam ciuitati quàm singulis, precibus petẽdum, studendumq; ut mentem habeant. ATH. Idq; prorsus inquam. Quinetiam quod ciuilis uir legumq; lator ad hæc semper respiciens leges ferre debet, & ipse recordatus sum, & uos nunc recordari uolo. Nempe uos in disputationis principio dicebatis, probum legum latorem ad bellum omnia referre debere. Ego autem dicebam, ad unam solummodo uirtutem, cum tamen sint quatuor, id respicere: respiciendumq; non ad unam tantum, sed omnes: maxime uero ad primam, quæ & cæterarum omnium dux est. hæc uero prudentia est, & intellectus, & opinio, unà cum amore & cupiditate ista sequente. Eodem iam oratio nostra reuertitur. Et ego qui tunc ea dicebam, eadem nunc etiam dico, siue ioco uultis, siue serio. Asseruo equidem non esse tutum, uoto uti, & uoto potiri, si mentem non habeas, sed contraria eorum euenire quæ petis, satius esse. Si serio dicta hæc existimare uultis, existimate. Speruo enim nunc uobis persuadere quod paulo ante proposuimus: perditionis regum, totiusq; constitutionis illius dissoluendæ causam non timiditatem fuisse, nec rei militaris ignorantiam seu principum siue subditorum, sed uniuersam reliquam prauitatem, & præsertim humanarum rerum maximam ignorantiam. Quod hæc tunc ita contigerint, & nunc sicubi fiant, aut futura quandoque sint, non aliter eueniant, si uultis conabor, ut ratio deinceps ostendet, adinuenire, uobisq; tanquã amicis, pro uiribus explanare. CLIN. Verbis te hospes laudare molestum, re autem ualde laudabimus, ultro quæ dicas audiendo, qua in re liberalis uerusq; laudator uel maxime perspicuus sit. ATHEN. Optime tu quidem Clinia. Quare quod ais efficiamus. CLIN. Erit ita, si deus uoluerit. Tu modo dic. ATHEN. Censemus ergo, per sequentem disputationis huius uiam deinceps progredientes, maxima tunc ignorantia potentiam illam fuisse perditam, similesq; rerum euentus & nunc eadem ex causa proficisci. Quapropter si hoc ita se habet, legislator conari debet prudentiam quoad fieri potest ciuibus dare, ignorantiam quàm maxime auferre. CLIN. Manifestum id quidem. ATHEN. Quænam igitur maxima insciti a iure dicetur? Considerate si mihi assentimini. Ego enim hanc censeo. CLIN. Quam? ATHEN. Quando aliquis quod honestum sibi aut bonum uidetur, non amet, sed oderit: quod autem malum atq; iniustum, id diligat atq; amplectatur: hanc uoluptatis doloris q; dissensionem aduersus eam quæ rationem sequitur opinionem, extremam esse insciti am assero. quam etiam maximam dico, quia in multitudine animi est. Quod enim in eo doloribus uoluptatibusq; mancipatum est, quasi plebs ciuitatis est atq; multitudo. Quando igitur scientiæ, uel opinioni, uel rationi quæ natura dominantur, animus aduersatur, hoc ego ignorantiam appello: & ciuitatis quidem, quando principibus legibusq; multitudo non paret: & unius etiam uiri, quando licet bonæ in animo rationes sint, nihilo tamen magis secundum ipsas agitur, sed contrà omnia peragũtur. Has equidem ignorãtias perniciosissimas esse asserο ciuitatis, cuiuslibet q; ciuis, nõ autem opificũ ignorãtias, si modo quod

Non precãdum ut uoluntatẽ nostram cuncta sequantur, sed ut prudentiam nostram uoluntas

Quæ maxima insciti a ciuium

dico hoſpites intelligitis. CLIN. Et intelligi mus ô amice hæc, & cõcedimus. ATH. Hoc itaq; ratum habeatur, quod ciuibus qui hoc modo ignorant, nihil ad principatum pertinens committendum ſit: immo uero ut ignorantes, improbandi, etiã ſi acutiſſimi & diſertiſſimi ſint, & quæ ad ornamentum & acumen ingenij ſpectant, cuncta complexi. Qui uero cõtrà affecti ſunt, ſapientes habendi etiam ſi neq; literas, ut dicitur, nouerint, neq; natare ſciant. Magiſtratus quoq; iſtis quaſi prudentibus committendi. Quomodo enim ô amici uel minima prudentię ſpecies ſine conſenſu conſiſtere poterit? CLIN. Nullo modo. ATHEN. At uero pulcherrimus maximusq; conſenſuum omnium, maxima iure ſapientia eſſe dicetur. Cuius quidem particeps ſit neceſſe eſt qui ſecundum rationem uiuere debet. Quiſquis autem expers eſt, & ſuæ domus euerſor, & ciuitatis nũquam ſeruator, ſed contrà omnino ad hæc ſemper ignarus eſſe uidebitur. Hæc igitur, ut paulo ante diximus, ita ſe habeant. CLIN. Ita prorſus. ATH. Imperantes uero & parẽtes nónne in ciuitatibus eſſe debent? CLIN. Vtiq;. ATH. Eſto. rationes autem pro dignitate imperãdi parẽdiq;, tam in ciuitatibus ſeu magnis ſeu paruis, q; priuatim in domibus ſimiliter quales & quot ſunt? Nõne prima dignitatis recta ratio erit, ut pater ac mater, & ſimpliciter genitores ubiq; natis imperent? CLIN. Maxime. ATH. Secunda, ut ignobilibus generoſi? Tertia, ut iunioribus ſeniores? CLIN. Et hoc. ATH. Quarta, ut domini ſeruis? CLIN. Procul dubio. ATH. Quinta, ut potẽtiores dominẽtur, imbecilliores ſeruiãt? CLIN. Principatum modo dixiſti admodum neceſſarium. ATH. Imò uero qui plurimus, & ſecũdum naturam, ut Thebanus Pindarus ait, in omnibus animalibus reperitur. Maxima uero dignitas ſexto collocanda eſt, qua ignorantes quidem ſequi iubentur, prudentes autem ducere atq; dominari. Quod ego quidem imperium ô ſapientiſſime Pindare, nõ præter naturam, ſed ſecundũ naturã legis & ſponte ſuſceptum, nõ uiolenter fieri affirmarem. CLIN. Probe dictum. ATH. Septimũ principatum ad ſortem aliquã producamus, eum dei gratia & felicitate quadam obtingere aſſerentes: & iuſtiſſimũ eſſe ducamus, ut is quem ſors delegerit imperet: ille uero quem repulerit, pareat. CLI. Vera narras. ATH. Dicemus ergo ioco quodam ad aliquem eorum qui facile ferendarum legum munus aggrediuntur. An uides ô legum lator, quot circa imperantes dignitates expẽdendæ? & quomodo inter ſe oppoſitæ ſint? Profecto nunc fontem aliquem ſeditionum inuenimus, à quo tibi eſt cauendum. Primum nobiſcum diligẽter conſidera, quidnam & quomodo præter hæc male agentes iſti apud Argos Meſſenamq; reges ſeipſos ſimul & Græcorum potẽtiam quæ tunc mira erat, euerterunt. Nõne quia rectiſſime dictum ab Heſiodo ignorarũt, Dimidium nõnunquam plus eſſe quàm totum? Quando uidelicet totum comprehendere noxium eſt, dimidium uero moderate ſe habet, tunc ſane moderatum immoderato plus eſſe cenſuit, utpote deteriore melius. CLIN. Rectiſſime. ATH. Vtrum regibus hoc pernicioſum eſſe prius, q; plebi credamus? CLI. Probabile eſt regum maxime hunc morbum eſſe, qui ſuperbe propter delicias uiuunt. ATH. Perſpicuum igitur hoc primum reges eos habuiſſe, quòd plus quàm leges contenderent poſſe uoluerunt, nec in eo concor diter permanſerunt, quod uerbis & iureiurando laudauerant. Verum diſſenſio, ut uobis uidetur, quæ cum maxima ignorantia ſit, ſapientia tamen apparet, ea omnia propter erro rem & ruditatem acerbam, euertit. CLI. Videtur. ATH. Quid igitur hoc de morbo timentem legis latorem oportuit cauiſſe? An per deos neq; ſapientiæ laudem habet nunc huius agnitio, neque difficile dictu? Siquis autem id tunc præuidiſſet, certe is nobis ſapientior extitiſſet. MEG. Quid illud dicis? ATH. Licet nunc Megille quod olim à uobis factum ſit animaduertere, atq; inde rem ipſam cognoſcere, faciliusq; ita quod tunc fieri potuit, dicere. MEG. Dic planius. ATH. Ita certe apertiſſimum fiet. MEG. Quo nam pacto? ATH. Siquis minoribus potentiam maiorem neglecta mediocritate, nauibus uela, cibum corporibus, animis principatum committet, omnia peruertentur. Nam ſupra modum elata laſciuiunt: & alia quidem in morbos incidunt, alia in iniuriam elatioris laſciuiæ filiam. Quid itaq; dicimus? Nónne hoc? quòd nullum prorſus ingenium humanum ſit, quod ſi & iuuenile, & nemini ſubiectum exiſtat, ita ferre potentiam maximam poſſit, ut ne, mente amentia morbo maximo referta, in proximorum etiam amicorum inuidiam incurrat: quod cum accidit, animum ſtatim perdit & omnem eius uim obſcurat. Hoc autem cauere mediocritatis ipſius obſeruatione, excellentium legũ latorum

Prouerbiũ

Septem dignitates imperandi

Quomodo intelligẽdũ, Dimidium plus eſſe q; totum

op us

opus. Quod igitur tunc factum, facile modo perspectu est, hoc esse uidetur. MEG. Quidnam? ATHEN. Deus quispiam ut arbitror uestri curam habuit, qui cum futura præsciret, geminam uobis ex unica regum generationem constituit, atq; ita ad mediocritatem magis contraxit. Præterea natura quædam humana uiribus diuinis coniuncta tumẽtem uestrum perspiciens principatum, moderatas uires eorum qui in iudiciali foro uersantur, superbæ nobilitatis potentiæ iunxit, uiginti & octo senum sentẽtia, in rebus maximis regum potentiæ adæquata. Ad hæc tertius seruator affuit, qui luxuriantem adhuc & frementem cõsiderans principatum, Ephororum censura proxime ad potentiam sorte electam conducta quasi frenum ipsi immisit. Hac igitur ratione regnum uestrũ, ex quibus decebat compositum, & moderate constitutum, & ipsum quidem seruatum est, & salutis aliorum causa fuit. Quoniam Temeno & Cresphonte cæterisq; qui leges eis condiderũt, quicunq; fuerint, nec factio quidem ipsa Aristodemi seruata fuisset. Neq; enim satis erãt ferendarum legum periti. Quoniam si fuissent, nunquam iuuenilem animum accepto principatu unde tyrannis fieri poterat, iureiurando cohibituros existimassent. Nunc autem deus ostendit, qualem oportebat oportetq; potissimũ cõstitui principatum. Quod quidem à nobis intelligi postquam factum est, ut dixi antea, nihil mirum. Non enim arduum est uidere, si exemplo cõmonearis. At siquis id tunc prospexisset, moderariq; principatus & unum ex tribus perficere potuisset, magnificas omnes eorum cogitationes seruasset, nec Persica classis, nec alia ulla unquam cõtemptis nobis ut nulla re dignis, in Greciam nauigasset. CLIN. Vera narras. ATHEN. Turpiter ergo illis repugnarunt ô Clinia, Turpiter autem dico, non quia qui tunc terra mariq; uicerunt minus quàm deceret fortiter pugnando se gesserint: sed turpe illud inquam, quod una de tribus illis ciuitatibus pro Græcia decertauit: duæ autem ita deprauatæ fuerunt, ut altera Lacedæmonem quoque ne succurreret, prohiberet, non paruo ipsi bello illato: altera Argiuorum quamuis prima illis distributionis temporibus in Græcia esset, tamen ad depellendum Barbarum accersita, nec orantes audire uoluit, neq; defendit. Multa referre possem quæ ea tempestate in Græcia facta, ut turpia possunt accusari. Neq; qui Græciam se defendisse dicunt, uere dicunt. Nisi enim Athenienſium Lacedæmoniorumq; commune consilium atq; potentia imminentem seruitutem populisset, fermè iam omnia confusa essent, & Græca cum Græcis inuicem, cum Græcis item Barbara, Græcaq; cum Barbaris. Quemadmodum Græca illa quæ nunc Persarum tyrannidi subiecta sunt, sine ordine ullo cõfusa sunt inuicem, ac male etiam dissipata. Hæc habemus ô Clinia & Megille, quæ tam priscis uiris ciuilibus legumq; latoribus quàm iunioribus opponamus, ut causas eorum rimantes, quid præter hæc aliud fuerit agendum inueniamus: quale est quod nunc exposuimus, quòd uidelicet non oporteat magnos impermixtosq; principatus constituere, illud semper memoria tenentes, quòd ciuitatem & liberam semper & prudentem & sibiipsi amicam esse oportet. Ad quæ respiciendum est illi qui leges laturus est. Ne miremini autem, si sæpe iam alia quædam proposuimus, ad quæ sit legum latori respiciendum, quæ quidem non eadem esse atq; hæc appareant. Sed meminisse oportet, quando ad temperantiam, uel prudentiam, uel amicitiam respiciendum dicimus, non aliam atq; aliam, sed eam nobis esse intentionem: ac si multis etiam alijs huiuscemodi uerbis utemur, ne turbemini. CLIN. Conabimur ita facere, uerba ordine repetentes. Sed nunc expone quod dicturus eras, quando amicitiam, libertatem, prudentiamq; spectare legumlatorem debere dicebas. ATHEN. Audiatis modo. Duæ gubernationum ciuilium quasi matres quædam sunt, ex quibus siquis alias dixerit originem ducere, recte utiq; dicet. Quarum alteram principatum unius, alteram populi, appellare decet. Alterius quoq; summum tenere Persarum genus, alterius nos putandum. Cæteræ uero formæ omnes hinc, ut dixi, uariæ componuntur. Necesse est autem harum utrarumq; participem fore ciuitatem, si libertas in ea atq; amicitia cum prudentia futura sit. Quod quidem oratio præcipere nobis uult, cum dicit, ciuitatem horum expertem bene gubernari nunquam posse. CLIN. Quo enim pacto? ATHEN. Cum igitur altera Monarchiam, unius scilicet principatum: altera libertatem duntaxat magis quàm oportuerit, complexa sit: neutra mediocritatem seruitutis libertatisq; seruauit. Vestrę autem, Laconica dico & Cretica, magis. Sed Athenienses ac Persæ, quondam hoc ferè pacto, nunc uero minus. Sed causas quoq; dicemus

Oportere ciuitatem & liberã & prudentem & sibi amicam esse

Duæ matres ciuilium gubernationũ

cemus,an non? CLIN. Omnino, si modo quod propositũ est,absoluere cupimus. ATH. Audiamus ergo,Persæ quidem quando Cyri tempore seruitutis libertatisq; mediocritatem magis habebant,primum ipsi liberi fuerunt,deinde multos alios subiecerunt. Nam cum principes ipsi libertatem subditis impartirent,& rem ad æqualitatem magis reducerent,milites ducibus magis erant amici,paratosq; se in periculis exhibebãt. Ac siquis inter eos prudentior erat,consilioq; ualebat,cum rex inuidus non esset,sed dicendi facultatem libere omnibus daret,honoraretq; consilij compotes,facultatem prudentiæ communem in medium deducebat.Cuncta igitur tunc illis libertate,amicitia, mentisq; communione facilia reddidit. CLIN. Videntur hæc ut dicũtur,ita gesta fuisse. ATHEN. Quo pacto igitur Cambisæ tempore regnũ id fere cecidit, & rursus Darij tempore restitutũ est? Vultis'ne ut quasi diuinatione usi dicamus? CLIN. Quid ni uelimus? Confert enim hoc ad illud quò tendimus. ATHEN. Ita igitur de Cyro uaticinor:in cæteris quidem ipsum & ducem bonum & ciuilis uitæ amicũ fuisse,rectam uero disciplinam nullo pacto attigisse, nec ad rei familiaris administrationem animum unquam applicuisse. CLIN. Cur ita? ATHEN. A iuuenta per totam uitam militia occupatus,mulieribus filios tradidit educandos:quæ ipsos ut felices statim pueros atq; beatos nullius indigentes rei sic educabant, ut prohiberent ne quis eis utpote beatis aliqua in re aduersaretur, cogẽtes omnes quicquid ipsi dicerent aut facerent,laudare.Ita ipsos tales quosdam educauerũt. CLIN. Bellã certe educationem narrasse uideris. ATHEN. Fœmineam nempe,quam induxerũt regię mulieres nouis elatæ diuitijs,desertæq; à uiris bello & periculis occupatis. CLI. Consentaneum id quidem. ATHEN. Pater uero ipsorũ,ouium,hominum, multorumq; aliorum, quorũ ad eos spectabat possessio,greges multos habebat:sed ignorauit quod filij quibus hæc relicturus erat,paternam ipsam Persicamq; artem non docebãtur,cum Persæ pastores essent in regione aspera geniti,& ipsa ars Persica dura esset, sufficiensq; robustos eos pastores efficere,qui & custodias agere & uigilare possent, & militare si res postularet. Permisit autem ut mulieres & eunuchi Medorum ritu filios eius nutrirent: quorum educatio ab ea quæ uulgo existimatur felicitas,corrupta est. Vnde tales euaserunt, quales fieri conueniebat eos,qui in summa rerum licentia nutriti fuissent.Cum igitur mortuo Cyro,rerum potiti sunt,utpote qui resoluti delicijs nutriti essent,primum alter æqualitatem nõ ferens,alterum interfecit:deinde ipse ignorãtia ebrietateq; furens principatũ perdidit.Medi enim ac quidam Eunuchus tunc dictus ipsum quasi amentem cõtempserunt. CLIN. Sic fertur,atq; sic fermè cõtigisse uidetur. ATHEN. Atqui & hoc fertur, per Darium septemq; illos uiros principatum in Persas iterum redijsse. CLIN. Plane. ATH. Inspiciamus igitur rationem sequentes. Darius nec regis erat filius, nec in delicijs enutritus. Is cum ad principatũ peruenisset,septimusq; ipsum accepisset, septẽ in partes ipsum partitus est,quorum hodie adhuc parua quædam somnia restant,censuitq; uiuendum esse sub legibus ad communem quandam conferentibus æqualitatem:atq; id ita sanxit, distributionemq; illam quam Cyrus Persis pollicitus fuerat,lege complexus est,amicitiam communitatemq; Persis omnibus præbens,ac Persarum populum pecunijs & muneribus attrahens,Ita dilectus à militibus, non pauciores quàm Cyrus reliquerat, regiones ipse subiugauit. Post Darium Xerxes, qui regijs est delicijs quidem educatus. Sed te nunc iure appello Dari,qui Cyri malo commonitus non fuisti, sed in eisdem Xerxem moribus educasti, in quibus Cambisem Cyrus nutriuerat.Ipse igitur utpote eodem pacto educatus, similia quoque perpessus est.Ex illo tempore nullus unquam fermè Persarum rex magnus nisi nomine fuit. Neque fortunam fuisse causam arbitror, sed uitam malam, quam filij ualde diuitum tyrannorum'que plurimum uiuunt. Nunquam enim puer & uir & senex ex huiusmodi uita uirtute præstans euadere poterit. Quæ quidem & legumlatori consideranda, & nobis in præsentia animaduertenda censemus. Atqui & uobis par est ô Lacedæmonij id tribuere, quod nec paupertati,nec diuitijs,nec regno, nec priuatis, excellentem magistratum ullum committitis, quem iam à principio uox dei alicuius committi non iusserit. Neque oportet enim in ciuitate excellentes cuiquam conferre honores,quia diuitijs præstet, aut quia uelox, aut formosus, aut robustus sit, si uirtute careat.Sed neq; si uirtutem etiam aliam habeat quandam, temperantiam uero non habeat. MEG. Quo pacto id hospes ais? ATHEN. Nónne fortitudo una quædam

Multa de gubernatione Cyri, Cambisæ & Darij

dam pars uirtutis est? MEG. Est. ATHEN. Tu ipse igitur cum audieris, iudicato. Velles ne uicinum aut domesticum quempiam habere, fortem quidem maxime, minime uero temperatũ, quinetiam impudicũ? MEG. Dij meliora. ATH. An uero artium quidem multarum peritũ, & in his sapientem, sed iniustum? MEG. Nullo modo. ATHEN. At uero iustitia sine temperãtia originem habere nullã potest. MEG. Quomodo enim aliter? ATH. Sed neq; etiam ille, qui modo sapiens à nobis dictus est, quod uoluptates atq; dolores rectæ rationi cõcordes & obsequentes habeat. MEG. Non certe. ATHEN. Id præterea consideremus, ut quomodo inter ciues honores recte, uel nõ recte distribuant, inspiciamus. Quidnam? ATHEN. Temperantia si ab omni alterius uirtutis genere in alicuius animo destituta sit, honoranda ne iure est, an contrà? MEG. Non habeo quid respondeã. ATH. Modeste, satisq; responsum est. Alterutro enim illorum concesso, incõcinne, ut arbitror, respondisses. MEG. Bene igitur factum est. ATH. Esto. Nempe accessio ipsa & honores & opprobria non responsu, sed silentio potius irrationabili digna erunt. MEG. Temperantiam dicere mihi uideris. ATHEN. Hanc ipsam dico. Quod igitur ex alijs nobis prodest plurimum, si cum additione maxime honoretur, rectissime honorabitur: & quod secundo loco prodest, secundo honorandum. Atq; ita secundum successionis rationem, si unumquodq; honores qui deinceps ordine sequuntur nanciscatur, recte utiq; nanciscetur. MEG. Est ita. ATHEN. Quid porrò? an hæc quoq; à legislatore distribuenda esse dicemus? MEG. Maxime. ATHEN. Vis' ne partitionem cunctorum in opera singula & mínima quæq; illi relinquamus? Tripartitam uero diuisionem, quoniam & ipsi legum quodammodo studiosi sumus, teneamus, maxima & media & minima inuicem secernentes. MEG. Summopere. ATHEN. Oportere itaq; dicimus ciuitatem, quæ pro humanis uiribus salua felixq; futura sit, recte honores & opprobria distribuere. Recta autem distributio est, ut prima & maxime honoranda censeantur animi bona, si adiuncta illis temperantia sit. Secundo dignitatis gradu corporis bona ponantur. Tertio, externa possessio & pecuniæ. Hæc siquis legislator ciuitasue transgreditur, uel pecuniam præ cæteris honorando, uel posterius aliquid honore prius collocãdo, neq; sancte, neq; ciuiliter faciet. Rata hæc nobis habenda? an quomodo? MEG. Prorsus quidem. ATHEN. Hæc latius dicere nos induxit Persicæ gubernationis consideratio. Inuenimus autem eos peiores adhuc factos esse. Causamq; esse dicimus, quia nimium populi libertate sublata, dominandiq; potestate magis quam oporteret adaucta, societatem in ciuitate & amicitiam sustulerunt. Quibus corruptis, principes quoq; non subditis ac populo, sed proprio imperio consulunt. Quinetiam sæpe exigui sui commodi gratia, funditus euerti ciuitates, gẽtesq; amicas igne absumi non curant. Ita hostiliter & absq; misericordia oderunt, & odio similiter habentur. Ac si quando opus sit ut pro eis populi pugnent, nullum rursus communem in ipsis consensum inueniunt, ut uelint ex animo subire pericula, & pro principibus dimicare: sed cum innumeris pene hominibus dominentur, inutiles tamẽ omnes habent ad bellum, & tanquam hominum indigentes, alios mercede cõducunt, per mercenarios extraneosq; milites saluos se fore putantes. Præterea & insanire coguntur: cum re ipsa prædicent nugas esse ea, quæ in ciuitate honesta esse & honoranda dicuntur, si ad argentum & aurum conferantur. MEG. Ita fit. ATHEN. Sed de rebus Persarum, quod propter nimiam dominationem seruitutemq; non recte modo se habeant, iam satis sit dictum. MEG. Omnino. ATHEN. Atticam deinceps gubernationem similiter percurrere decet, ut pateat quemadmodum libertas nulli subdita magistratui non paulo deterior est, quàm illa quæ mediocritatem magistratuum dominatione cõsequitur. Nobis enim tempore quo Persæ Græciam, immo uniuersam penè Europam aggrediebantur, prisca quædam erat Respublica, & magistratus aliqui ex censu quadrifariam diuiso erant, pudorq; inerat, quasi dominus, cuius causa legibus subiecti uiuere uolebamus. Præterea magnitudo terrestrium maritimarumq; copiarum usqueadeo nos exterruit, ut obseruantius nos legibus & magistratibus obsequi & obedire coegerit. Quibus de causis maior inter nos exorta est beneuolentia. Ferme nanq; decennio ante quàm bellum nauale in Salamina gestũ sit, Datis ipse à Dario missus classem Persicam in Athenienses Eretrienseſq; duxit. Cui mors à Dario nisi has gentes ditioni suæ subijceret, est indicta. Datis igitur ipse Eretrienses breui tẽpore innumerabili militũ copia penitus expugnauit, terribilisq; inde rumor

Attica democratia

mor ad urbem peruenit noſtram,neminem Eretrienſium effugiſſe,ſed manibus inuicem milites iunctis,atq; ita uniuerſa regione Eretrienſiũ circundata,omnes penitus comprehendiſſe.Hic rumor ſeu uerus ſiue non,cum cæteros Græcos,tum uel maxime Atheniẽſes perterruit.Quibus cum uniuerſam Græciam paſſim legationibus miſſis ad opem ferendam cohortarentur,nemo præter Lacedæmonios auxiliari uoluit.Et iſti quidem ſeu bello quod aduerſus Meſſenen gerebant impediti,ſiue alia quadam cauſa, non enim ſcimus,ſequenti poſt pugnam Marathonicam die opitulaturi uenerunt.Poſt hæc magna in dies parare,multaq; minari rex dicebatur.Interea Darius naturæ conceſſiſſe nunciatur, ac filius eius atrox iuuenis imperium accepiſſe,nec à cœptis paternis deſiſtere uelle. Cuius apparatus omnes in ſe conuerti Athenienſes propter Marathonicam ſtragem credebant.Porrò audientes defodi Athon,coniungi Helleſpontum,claſſis immenſam magni tudinem cumulari,nec mari,nec terra ſalutem ſibi fore putabant:præſertim quia in nullius præſidio confidebant:quippe qui memoria tenerent,neq; tunc cum primo illorũ ingreſſu capti Eretriẽſes fuerant, quenq; ſibi opem ferre,& pro eorũ ſalute ſubire periculũ uoluiſſe. Idem igitur tunc terra ſibi euenturũ putarunt. Mari uero nullam prorſus ſalutem inueniebant,cum naues plus quàm mille adueherentur. Vnam uero ſalutem quam uis tenuem dubiamq; ſolummodo uidebant.Nam cum reſpicerent quæ antea geſta fuerunt, & quod deſperata ſalute,tamen uicerunt,hac ſpe euecti, in ſeipſis ac diis tantũ inuenerunt ſibi refugium fore. Hęc igitur omnia eos maiori inter ſe beneuolentia copularunt, preſens inquam metus, & qui à legibus iam pridem inerat,quem ſeruientes legibus aſſecuti ſunt.Hunc ſępe pudorem in ſuperioribus nominauimus:cui ſeruire omnes oportere diximus,quicunq; boni futuri ſunt: quo quiſquis afficitur, liber eſt & interritus. Ac niſi preſens ille metus pudori huic iunctus fuiſſet,nunquam ex huiuſmodi concurſione illi prouocati & unà conuenientes, deorum templa, maiorum ſepulchra, patriam ipſam,cæteroſq; familiares atq; amicos defendiſſent,ut feciſſe narrantur, ſed ſparſi alius aliò abiſſent. MEG. Probe hoſpes,ac ſicut te patriamq; decet,dixiſti. ATHEN. Vera hæc ſunt ô Megille.Nam quæ tunc geſta ſunt,ea par eſt tecum, qui parentum naturam ſeruas,referre.Sed & tu & Clinias attente conſiderate, ſi quæ ad legumlationem pertinent,dicimus.Neq; enim confabulandi gratia hæc enarro.Cuius autem gratia iſta dicam uidete.Vt ſcilicet intellígamus idem nobis ac Perſis quodãmodo accidiſſe,dum illi quidem in omnem ſeruitutem plebem traherent,nos contrà in meram libertatem. Quomodo uero & quid deinceps dicamus,habita iam uerba & commode dicta quodammodo demonſtrant. MEG. Probe loqueris. Sed conare quod modo dicebas apertius eloqui. ATHEN. Faciã. Non erat ô amici apud nos ex ueteribus legibus alicuius rei plebs domina,ſed ſponte quodammodo legibus ſeruiebat. MEG. Quibus legibus? ATHEN. Illis inquam quæ de muſica poſitæ fuerunt,ut quo pacto libertas hæc nimia iam paulatim aucta ſit repetamus. Diſtincta enim nobis tũc per ſpecies & figuras erat muſica. Fuitq; una ſpecies cantus ad deos precibus placandos,quos hymnos uocabant. Huic altera cantus contraria ſpecies.Querulos hos cantus quis maxime appellaret. Alia ſpecies Pæon. Alia Dionyſii generatio,quam Dithyrambũ arbitror appellatam. Erat & alia cantus ſpecies, quam leges citharœdicas nominabant.His itaq; aliisq; quibuſdam lege ſtatutis non licebat alio genere cantus pro alio abuti. Autoritas autem cognoſcendi hæc iudicandiq;, & damnandi ſi quis contrà feciſſet,nec ſibilo,nec ineptis clamoribus multitudinis ut modo tribuebatur:nec rurſus laudandi licentia plaudenti ſtrepẽtiq; turbæ,ſed præſtantibus doctrina uiris erat conceſſa:dabaturq; ipſis ad finem uſq; magno cum ſilentio audire. Adoleſcentes autem,pædagogi & plebs uniuerſa caſtigatione uirgæ admonebantur. Hæc cũ ita ordine fierent,multitudo ciuium libenter parebat,nec audebat tumultuoſe quicquã iudicare. Tempore deinde procedente autores quidem tranſgreſſionis à muſica alienæ, poetæ ipſi fuerunt:qui ingenio quidem ualebant,ſed quod iuſtum atq; legitimum in muſica eſſet,non ſatis obſeruabant,debacchantes utiq;,& uoluptati magis quàm oportuerit,indulgentes.Hi ſane & lugubria hymnis, & dithyrambis pæonas cõiunxerunt, Tibiarumq; ſonos & cantus,citharæ cantibus imitati ſunt,omnibus omnia commiſcentes. Qui & præter ſententiam ex inſcitia contra muſicam mentiti ſunt, aſſerentes eam quidem nullam rectam in ſe normam habere,ſed audientis uoluptate,ſiue probus ille uir ſit,

ſeu

seu contrà, rectíssime iudicari. Cum igitur huiusmodi poemata cõponerẽt, & talia uulgo dicerent, iniquum adeo & audax aduersus musicã uulgus hominũ reddiderunt, ut se pla nè posse sententiã de musica ferre crederet. Hinc spectacula frequenter exclamare cœpe runt, cum silere antea consueuissent, quasi quid pulchrũ in Musis, quid nõ, acute sentirẽt: atq; ita ex optimatũ potestate, in prauam theatri potentiã res ipsa desiluit. Si enim popu laris potẽtia solum liberorũ hominũ extitisset, nullum utiq; magnũ incõmodum fuisset. Nunc aũt ex musica nobis incepit omniũ ad omnia opinio sapientiæ, prẽuaricatioq; secu ta est & libertas. Intrepidi emẽ erant, quasi scientes. hæc licentia impudentiã peperit. Nem pe si melioris opinio propter audaciã non timetur, idipsum penè pernicíosa est impudẽ tia, quæ à libertate quadam temeraria proficiscit. MEG. Verissima loqueris. ATH. Hanc libertatem ea licentia sequitur, quæ facit, ne magistratibus subesse uelimus. Ex hac origi nem habet & illa, per quam patris matrisq; & seniorum seruitutẽ & præcepta contemni mus. Cumq; prope transgressionis huius extremum simus, legibus quoq; parere recusa mus. In ipso aũt extremo, iusiurandum, fidem, & omnino deos negligimus. Vnde ad pri scam illam tyrannicãq; reuoluti naturam, eadem illa iterum patiemur, duraq; secula rur sum degemus, nec malorum finem ullum reperiemus. Sed cur hæc nobis dicta sunt, repe tendum mihi uidetur, ut oratio quasi equus retrahatur, ne si os effrenatum habeat, dicen di cõcita impetu, ab asino, ut prouerbio ferunt, excutiatur. Interrogandũ est igitur, cuius causa hæc dicta sunt. MEG. Est utiq;. ATH. Hæc ergo illorũ gratia diximus. MEG. Quo rum? ATH. Diximus. Nempe ad tria quædã esse latori legum respiciendũ, ut ciuitas quæ legibus instituitur, libera sit, sibiipsi amica, & mentẽ habeat. hęc dicta sunt, an non? MEG. Dicta prorsus. ATH. Propterea duas gubernationũ species in mediũ adduximus, unam in qua arctissima seruitus, alteram in qua resoluta libertas. Considerauimusq; utra recte gurbernaretur. Perspeximus aũt mediocritate alteri dominandi, alteri libertatis addita, feliciter nimium utraq; se habuisse: infeliciter uero, cum seruitus in altera, in altera liber tas ad extremũ usq; peruasit. MEG. Vera narras. ATH. Atqui huius quoq; ipsius gratia Dorici exercitus constitutionem cõsiderauimus, & radices montium Dardani, habita tionemq; maritimã, primos præterea illos qui à uastitate diluuij relicti fuerant. horumq; causa de musica, de ebrietate, deq; prioribus etiã habita nobis oratio est. Hæc enim om nia ob eã causam dicta sunt, ut intelligamus quõ optime gubernari ciuitas possit, & quo pacto priuatim quisq; optime suam uitam disponat. Si uero quicquam operæprecij feci mus, quænam nobisipsis aduersus nos ô Megille & Clinia, redargutio erit? CLIN. Ego mihi hospes uidere quædã uideor. Peropportune superiora omnia nobis dicta uidentur. His enim ego quodãmodo indigebã. Cõmodumq; ambo, tu dico & Megillus hic, me re peristis. Neq; celabo uos quod mihi accidit. Quasi enim augurio his sermonibus confir matus sum. Maxima profecto Cretensium pars coloniã deducere quandam cogitat, ac Gnosiis eius rei curam cõmittit. Gnosiorũ uero ciuitas mihi alijsq; nouem uiris id man dat curandũ. Leges aũt ponere iubet, & quæ nobis ex Cretensibus placeant, & quæ ali unde colligi possint. Edicitq; nobis ne peregrinas leges horreamus, modo probẽt. Nũc igitur & mihi & uobis hanc gratiã præbeamus. Collectis undiq; legibus, oratione conda mus ab initio ciuitatẽ. Sic enim & illud quod à nobis quęritur, diligentius cõsiderabitur, & mihi forsitan disputatio hæc ad futuræ ciuitatis constitutionẽ conferet. ATHEN. Non bellum indicis ô Clinia. Quare nisi id Megillo incõmodum, mea quidem pro uiribus ti bi parata sunt. MEG. Probe dicis, ego quoq; paratus sum. CLIN. Optime ambo dixistis. Quare conandum est primum oratione ciuitatem condere.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI IN DIALOgum quartum de Legibus.

QVARTVS *hic dialogus, quẽadmodũ & tres superiores, ac etiam pars quinti prima, in ipso conditoris legum cõsilio officioq; uersatur. Huius uero consilium circa ciuitatis materiam atque formam. Materiam inquam, situm, et cõpositionem, dispositionẽq; urbis. Formam uero modum publicæ gubernationis & ordinem. At quoniam forma hæc formosa esse nunquam potest, nisi ci uium animi sint formosi, idcirco in formandis à tenera ætate, perq; omnem uitam suorum ciuium*

animis legiſer inuigilare iubetur. Materiam igitur ciuitatis paucis expedit uerbis, formam uero eius & animorũ ipſorum formationẽ accuratiſsime tractat, utpote qui præ animorum dignitate exteriora omnia quãuis ampliſsima uideantur, nihili pendit. Profecto Plato noſter ſi corporum eſſet medicus, in eligendo aere ſaluberrimo ad firmam ualidamq; corporis habitudinẽ cõferente incumberet diligentius. Sed qui in eligenda pro ſe Academia inſalubri loco, non corpori, ſed animo moribusq; cõſuluit, is nimirum in urbe condenda non admodum accuratus apparet: in formandis uero unà cum ætate moribus, tanquam medicus animorum, ut ita loquar, curioſiſsimus. Præterea ſi tanti fortunæ faceret bona, quanti cæteri ſolent, certe agrum, & ſitum, et modum ad diuitias cumulandas amplificandumq; imperium commodiſsimum diligenter exquireret. Contrà uero facit omnino. Sit ergo urbs procul à mari atq; portu, non mercaturæ præſertim cauponariæ dedita, non luxurioſa, non diues. Sit temperata ciuitas, & ſobria, & pudica, præ cæteris uero pia. Quidnam aliud mandaturum putas ſanctum aliquem religioſæ uitæ pontificem in ædificandis templis habitaculisq; ſanctorum, quàm quod Plato noſter iubet in urbe cõdenda? Et qui pauca hic de urbis corpore uerba facit, idem in beata illa Republica decem Dialogis expreſſa, nullum de urbe condenda fecit uerbum. neq; id quidem iniuria. Illã nanq; reliquit cœlo, hanc in terris ædificat, ad exemplaris illius quoad fieri poteſt imaginem. Propoſitum igitur erit legiferi, quæ præter animi bona ſunt, præ bonis animi parui facere, in omniq; eius inſtitutione ad uniuerſam uirtutẽ tanquam ad ſignum intendere. Ideoq; nihil uel in ciuitate, uel circa urbem permittere, unde ciues malis aliquando moribus aſſueſcere poſsint, etiam ſi inde uictoria multarum gentium, potentiaq; ampliſsima, & copia rerum omnium abundantiſsima conſequatur. Lex enim nõ extra animum, ſed in animum ipſum aciem ſuam dirigit omni ex parte perficiendum. Itaq; iubebit ne ciues habeant ſummo in pretio falſæ huius uitæ ſalutem. Neque tam ut ſint, ſaluiq; ſint, procurent, quàm ut quandiu ſunt, optimi ſint. Ad uniuerſum uero legiferi inſtitutum perficiendum tria in primis conducere arbitratur, Deum uidelicet, fortunamq; & artem. Quæ tria humana omnia gubernare dicuntur. Et quo difficiliora quàm cæteri autor legum molitur, eo maiori ab his tribus quàm cæteri indiget patrocinio. Quod autem Plato dicit Deum, et fortunam atq; artem ſimul cum Deo humana omnia gubernare, breuiter ſic expone. Deus in omnib. per omnia mouet omnia. Mouet mundi ſphæras. Quarum concurſio fatum quidem alicubi, ſed hic fortuna libentius nominatur. Hinc caſus uarij circa externa corporaq; proueniunt. Mouet & animas, lumen mentibus inſpirando, unde ars non ſpeculandi ſolum accenditur, ſed agendi. Ab arte tandem diſpoſitio externorum & corporis proficiſcitur. Quamobrem à Deo quidem cuncta dependent: qui, ut ait Paulus, omnia in nobis operatur. Verum ab ipſo deo alia quidem per fortunam procedunt, alia uero per artem. Quo fit, ut neq; fortuna, neq; ars aliquando Deo ualeat aduerſari. Quippe quum ſemper ab ipſo utraq; moueantur. Inter ſe uero duo hæc ita ſe habent. Aut enim conſentiunt inuicem, aut forte diſſentiunt. Si diſident, aut fortuna ſuperat artem, aut ars fortunam. Id autem accipe hoc exemplo. Dum mouet Deus ſphæras interdum per fortunã in mari cõmouet tempeſtatem. Tempeſtas quatit nauem. Interea mouet Deus idem eandem nauem per animum quoq; gubernatoris, id eſt per artem ipſam à Deo continue dependentem. Quando igitur ars nauem ad certum dirigit portũm, atq; ad eundem tempeſtas quoq; uehit, tunc ars ſimul cum fortuna conſentit. Quãdo uero aliò quidem impellit uentus, aliò uero ars certat ducere, tunc ars & fortuna diſſentiunt, ac tandem uel ars cedit fortunæ, uel arti fortuna. Interim prouidentia Dei utrobiq; agit utrunq; ad finem ſibi ſoli notum, cui nihil unquam diſſonat, cuncta uidelicet in uniuerſam ſui corporis harmoniam occultis modis cõtemperanti. Cæterum illa ipſa concurſionum cœleſtium diſpoſitio, quando talis prouenit, ut artem neceſſario ſuperatura ſit, Fatũ dicitur potius quàm fortuna: quãdo uero talis ut exuperare inertẽ poſsit, et ſuperari ab arte, Fortuna potius nominatur. Neq; diffidas artem quandoq; uincere poſſe fortunam. Vt enim fortuna ſic et ars procedit ex Deo. Animaduerte uero ubi Plato de occaſione diſputat, quam uir magnus nouas conditurus leges exoptet, ad id magnopere opportunã, ſub illius tyrãni nomine iuniorẽ Dionyſium ſignificare, ſeipſum uero ſub appellatione legiferi, atq; indicare fauorem fortunæ ſibi integrum defuiſſe. Item Platonem in Sicilia apud Dionyſium quendã harum legum proœmia inchoaſſe, ut ex epiſtolis intelligi poteſt: Opus uero id legum expulſo Dionyſio perfeciſſe. Deniq; per hæc dicta reditum in Siciliam ſuum ab infamia uindicaſſe. Scito autẽ Platonem in eo itinere atq; reditu nihil aliud contendiſſe, quàm ut ſaluã Dionyſij proſperitate, uiolenta tyrannis in regnum moderatũ cõuerteretur. Inter hæc autem ubi de temperantia & prudentia principis loquitur, Memento Platonem, mediocrem quidem temperantiã à prudẽtia diſtinguere, mediocrem quoque prudentiam à ſapientia ſimili ratione diſcernere, conſummatam uero temperantiam ſæpe appellare prudentiam, abſolutam quoq; prudentiam, nõnunquam ſapientiã nominare. Quod quidem in Phædone, & tertio Legum, & hic, & alibi ſæpe, patet. Adducit præterea naturales quaſdã ingenij dotes, uirtutibus quidem ſimiles, ſed tunc demum, quando recte fuerint excultæ, ad uirtutum munera conducentes. Qua quidẽ de re latius in Republica diſputat. Mandabis interea memoriæ, quales ſunt principũ mores, tales quoque fieri ciuium reliquorum. Neq; ulla de cauſa mores ciuium facilius citiusq; quàm ex hac mutari poſſe. Itẽ beatum eſſe prudentẽ & temperatũ doctorem populi, beatum quoq; populum qui audit uerba ex ore doctoris eiuſmodi profluentia. Præterea neq; Rempublicã felicẽ fore, neq; leges bonas exorituras, prius quàm in gubernatore

potentia

potentia unà cum sapientia tẽperantiáq; concurrat. Proinde diuinum ad ciuitatem constituendam auxilium inuocandum. Hactenus quartus hic liber munus legiferi circa materiam ciuitatis, et formam cõmunis pertractauit. Pergit uero deinceps ad figuram muneris huius distinctiorem, quærens utrum ciuitatis forma regnum esse debeat, an optimatum senatus, an potentia paucorum, an popularis. Quoniam uero nihil inter homines bonũ reuera dici potest, nisi diuinum imitetur bonum, nõ iniuria formam prius diuinæ gubernationis exponit, quàm ex humanis gubernationibus alijs alias anteponat: uidelicet diuinæ similiorem absq; controuersia cæteris præfecturus. Probat autem gubernationem diuinam esse regnum, optimatumq; senatũ regno cõiunctum. Censetq; ex omnibus ciuibus illos eligendos esse ad gubernandum, quotcunq; sint qui tantum cæteris prudentia & tẽperantia præstant, quantũ uiri pueris præstare solent. Atq; si quis inter electorum numerũ simili fermè interuallo cæteros antecellat, regem esse constituendũ. Id uero tum ex præsenti Saturni mysterio, tum ex simili quodã in Politico, tũ ex epistolis & republica potest esse perspicuũ. Cæterum ut præsens Saturni mysteriũ apertius intelligi possit, meminisse oportet, Platonicos coniectare mundum à uita quadam & anima contineri atq; duci, ex tribus potissimum argumentis, ex firma uidelicet diuersarũ mundi partium copula, ex mirabili motu cæli, ex perpetua rerum generatione sub cœlo. Coniectare rursus mundum à mente regi ex triplici quodã ordine, scilicet ex ordine qui & in ipsa partiũ mundi copula, et sphærarum motu, & in rerum generatione conspicitur. Vtrunq; uero, scilicet animam atq; mentem, Platonicus ille noster breuiter comprehendit. Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus Mens agitat molem. Cõiectare tandem & animam & mentem ab ipso bono unoq; dirigi ad regendum, ex eo præcipue quod et connexio partium motusq; & generatio & omnis horum trium ordo in unum tendit, bonumq; dirigitur. Quamobrem sub ipso bono regnum geminum cõtinetur, intellectus uidelicet atq; animæ. Illud quidem Saturni, hoc autem Iouis regnum omnis appellat antiquitas. Quæ Iouem idcirco fingit Saturni regnum occupasse, quoniam utrisq; ad regnũ proprium uocantibus animas, scilicet illinc ad intelligibile hinc ad sensibile bonum, pauciſsimæ quædam animæ ad intelligibile Saturni bonum contemplationemq; se conferunt, quamplurimæ uero ad sensibile Iouis bonum actionemq; quotidie confluunt. Tradunt antiqui animas quondã beatas sub Saturni regno uixisse, duobus id modis intelligentes. Primo quidem dum inter diuinas angelicasq; mentes uiuebant, antequam in corpora laberentur. Deinde etiam quoties & quotcunq; uoluptuosam quidem uitam negligentes, actiuam uero parum admodũ diligentes, contemplatiuæ uitæ ardentissimo amore se dedunt. Vtcũq; uero accipiatur, in uita intellectuali, beatæ: in animali, sunt miseræ. Accedit quòd sub hac miseria ita fallũtur, ut cum duo in cœlo planetæ sint, primus quidẽ superioris Saturni nuncius, secundus aũt nuncius Iouis superioris, laudent quidem Iouis stellam, Saturni uero uituperent, cum tamẽ hæc quidem ad tẽporanea magis prouocet bona, illa uero reuocet ad æterna. At quoniã homo gregabile animal à communi hominum cõmercio segregatus, mediocrem uiuendi habitum seruare nõ potest, cogiturq;, ut ita dixerim, uel infra hominẽ descendere, uel ascendere super hominem: factum est ut Saturnus hominũ segregator crimen & infamiam apud inscios reportauerit, eorũ uidelicet culpa, qui uel mixtione quadam ineptiori, uel educatione peruersa tales euadunt, ut quãdo à Saturno extra hominẽ seuocãtur, descendant ab homine potius, quàm ascendant. Verum de his alibi diligentius: reuertamur ad argumentũ. Addit Plato Saturnum quondam homines distributos in greges custodiæ dæmonum cõmendasse. Id autem pluribus modis exponitur. Primo quidem diuinã mentẽ animas hominum, ut Timæus ait, in uarios ordines ab initio diuisisse stellarum, animarum numerum comitantes. Differentiam uero nostrarum inter se animarum, alij inter Platonicos numeralem tantum esse putant, alij etiã specialem, ut unũ animarũ nostrarũ sit genus. in eo multæ animarũ species, sint etiam multæ sub eadem specie. Vtcũq; uero distribuantur, diuersis nõ solum stellis, sed dæmonibus etiam accõmodari dicuntur. Aliõq; modo exponi potest mysterium, ut uidelicet uel ab orbis initio, uel statim post diluuiũ rudiores homines diuina prouidentia angelorum, siue dæmonũ meliorũ ministerio rexerit, donec paulatim facti peritiores ipsi se regerent. Rationi uero cõsentaneum est, rectius feliciusq; à superis quàm à seipsis homines gubernari. Exponitur insuper tertio hunc in modum, ut quotidie quicunq; uitæ rationem eligunt ab alijs quodammodo segregatam, ritéq; educati fuerint, statim in contemplatiuum beatumq; Saturni regnũ commigrare dicantur. Sed quatenus sub contemplationis officio in ritus uarios discernuntur, catenus & in multos greges secerni uidentur, & alijs atq; alijs pro uitæ similitudine inspirari numinibus atq; regi. Mitto in præsentia multas præstantium philosophorum scholas, quasi greges sub Saturno pastore mirabiliter congregatos. Sub Saturno inquam, tribus præcipue modis. Sub mente diuina & angelica primum, deinde sub anima planetæ primi eiusq; sphæræ, tertio sub ipsius planetæ corpore. Sed mens ipsa facit, anima conficit, planeta portendit. portendit inquam, quando in magnis Saturni cum Ioue coniunctionibus, Saturnus ipse uel exultatione sua, uel domicilio gaudet, & tanquam coniunctionis dominus fouetur quidem ab Ioue, utitur & Solis Mercuriiq; & Veneris beneficio. Sic magicam Zoroastris eiusq; sectatorum peperit, seu portendit potius disciplinam, Trismegisti quoq; theologiam, Orpheiq; mysteria, Arcana Pythagoræ, Socraticam sanctimoniam, Platonicam maiestatem. Ita esse manifestis quibusdam argumẽtis cõpertum habemus. Hinc & Plato in præsenti libro Saturnum esse affirmat dominũ eorum qui mentem habent. Gubernationem uero eiusmodi sub Saturno

regiam optimatumq; extitisse demonstrat. Siquidem genus humanum ab ipso Deo tanquam rege per electos optimosq; dæmones asserit gubernatum. Hos multi angelos appellarent, et Plato in Critia uocat deos, facilitatēq; gubernationis et hic indicat, & in Critia: dicēs occulta quadā persuasionis inspiratione fuisse homines gubernatos, gubernandos quoq; similiter, quoties ab inferioribus uacātes motibus sese superis subiecerint perducēdos. In his Plato monet, primo diuinam prouidentiam nunquam deesse hominibus, modo sibi ipsi non desint. Deinde humanū ingenium in summa rerum licentia potentiaq; lasciuum superbumq; euadere. Tertio sicut bestiæ nō possunt à bestijs absq; humano quodam pastore, sic neq; homines ab hominibus absq; duce deo optime gubernari: & quandiu mortalis aliquis sine deo dominabitur, tandiu laboriosam miseramq; uitam fore, quasi frustra uigilaturus sit quilibet ciuitatis custos, nisi deus ipse custodiuerit ciuitatem. Quarto, ipsam mētis distributionem esse legem, eiq; in omni & priuata & publica gubernatione semper obtemperandum, ut per nostram mentem feliciter à diuina mēte ducamur. Quinto, nullas constitutiones appellandas esse leges, nisi cōmune ciuitatis totius bonum procurent. Sexto, qui obseruantius parent legibus, his magistratus maximeq; diuini cultus munera cōmitti debere. Septimo, interitum ciuitati paratum esse, in qua nō leges magistratibus, sed magistratus legibus dominentur. Octauo iuuenes quidem ut plurimum hæc obtuse uidere, senes autē acute perspicere, nisi forte quandoq; deus uel iuuenilem probet pietatē, uel senilem reprobet impietatē. Multa iam uerba Plato facit ad ipsum legislatorem pro suo officio instruendum. Nonnulla facit deinceps ad populum leges eiusmodi susceptur ū, ut & accipiat libentius, & seruet impensius. Cohortatur autē ad sacras leges in primis, perq; illas ad humanas à diuinis inuentas & confirmatas. Sed unà cum exhortatione ueneratione terroremq; commiscet, dicens deum mundi totius artificem, totum in seipso complecti, ideoq; inspicere singula ne quis cōfidat præuaricando posse latere: perq; omnia circumuolui, ne quis speret manus eius post delictū subterfugere posse. Hunc esse ostendit legum omnium fundatorē, ubi ait: Recta definit & peragit, id est, recta quadam legis regula determinat singula. Determinat inquam primo singulis naturæ suæ modum, quæ qualia, quot quantaq; sint, & ubi & quando & quomodo moueantur. Deinde animis quid agendum sit, quidue cauēdum. Determinationem eiusmodi legem esse cōstat rerum omnium penes deum omnium autorē: eamq; eodem actu ab ipso deo sanciri, quo & omnia ab eo intelliguntur & fiunt: actu scilicet circulari, quem Timæus ait esse diuinæ intelligentiæ naturalē, ex seipsa uidelicet seipsam respicienti, seq; respiciendo omnia semper cōspicienti. Forsan uero ultra circularem, ut ita dixerim, motum deo intimū, subinsinuat motum quoq; rectum, idest, rerum à deo processum deiq; per res omnes influxum: ideo recta dixit, et peragit. Et motum rectum à circulari pendere signauit. Item ubi ait deum rerum principia & fines & media cōtinere: intellige deum esse causam rerum efficientem atq; finalem. seruare omnia, omnibusq; adesse. Ae ne quis putet irritam legem, addit hanc semper iudiciū comitari, quo & perspicaciter seruatores legis præuaricatoresq; discernātur, et efficaciter quid potissimum debeatur cuiq;, decernatur. Quod quidē iudicium, quoniam potenter & discernit, & decernit, incuitabilis sequitur ultio peccatorum, & præmium obseruantium. Seruari uero maxime diuinā inquit legem ab his, qui humillime cervicem suam diuinæ legis iugo subijciunt, quorum præmium futura beatitudo censetur: respui uero maxime à superbis, qui mox sicut dei legem dereliquerunt, ita deseruntur à deo. Deserti autē & peccant atrocius, et miserabilius cruciantur. Tu uero euangelica hæc aureaq; præcepta seruabis alta mente reposita. Quod autē mysteria hæc antiquo ait sermone constare, Mosaico possumus intelligere. Possumus quoq; et Mercuriali quodā & Orphico, apud quos eiusmodi multa perlegimus, & illa quidem euidentissima: quæ recēsere grandius iam prohibet argumētum. At si Orphicos de Ioue, de lege, de iudicio & iustitia & Nemesi hymnos legeris, hæc ad uerbum inuenies omnia. Post hæc Plato populum exhortatur, ut unusquisq; magnopere studeat in corum numero esse qui deum sequūtur, contendens in omnibus placere deo, atq; ut id consequatur similē deo se reddens, similem inquā per temperantiæ puritatem, qua tanquam regula ex amussim sua omnia metiatur. Siquidē mensura, quod et Pythagoras inquit, omnium optima iudicatur, simillimumq; deo efficit animum. Quippe cum deus omnium sit mēsura, præcipue nobis, qui uidelicet eatenus uel prosequi uel fugere debemus singula, quatenus diuinæ menti uoluntatiq; uel cōsonare uel dissonare censentur. Hinc illud in Platonis epistola: Sapienti quidē uiro lex deus est, insipienti uero libido. Ambiguus uero hic legitur textus. Alibi enim legitur ut traduxi. Quibus uerbis Plato uidetur Protagorā confutare, dicentem rerum mensuram hominē esse. Cuius error in libro de scientia subtiliter confutatur. Alibi uero legitur non quàm quiuis homo, sed si quis homo, hunc in modum: Deus omnium nobis est mensura: multoq; magis si quis, ut ferunt, homo est. Tu hanc particulā, si quis, ut ferunt, homo est: exponere potes: si quis homo mensura est, multo magis deus est mensura. non enim nobis, sed deo per quē uiuimus debemus uiuere. Posses forsan exponere: si deus aliquis homo est, id est, si quādo fiat homo: ut ferunt, id est, oracula prophetarum, quæ quidem expositio utinā quàm pia est apud multos, tam accepta foret apud Platonicos. Vt autem appareat quāti fructus sit obseruatio legum, subdit solis harum obseruatoribus licere atq; expedire uota dijs sacraq; facere: Cæterorum uero preces & munera à deo respui. Hoc ipsum uero quod est placere deo, dicit esse signū, quo singulas uitæ actiões quasi sagittas debemus intendere. Sagittas autē in hanc ipsam dei gratiam attingendam, esse ait sedulum religionis cultum. In quo eosdem

dispo-

disponit gradus, quos & in carminibus Pythagoricis legimus. Iubet enim hic sicut & ille, ut cœlestes primũ omnes colamus deos, illos præcipue quibus patria quasi patronis est dedicata. deinde sequentes sub cœlo deos. Quos omnes terrestres appellat. Mos enim Platonis est, et si omnia sub cœlo elementa ponit, omniaq; in cœlo modò cœlesti, tamen omnia sub cœlo appellatione terræ cõprehendere, omnia itẽ in cœlo cœli ignisq; nomine. Cœlestes quidem eos: tum angelos intelligit superiores, tum sp hærarum cœlestium stellarũq; animas. Deos uero terrestres, tum inferiores angelos, tum elemẽtorum quatuor animas. Tertio mandat coli dæmones, scilicet puriores, quasi deorum ad nos interpretes. Quarto heroas, id est, hominum animas deo acceptorũ à corpore separatas. In his omnibus ita distribui præcepit cultum, ut maioribus numinibus maiora, minoribus minora: æqualibus æqualia munera cõferantur. Quinto non tam coli & adorari, quàm ornari & quodãmodo honorari deorum patriorum statuas imperat, legibus consecratas. Quoniam uero omnem ad diuinum cultum exhortationẽ ab uno inchoauit deo: euidẽter ostendit cætera numina neq; per se, sed participatione primi dici deos: neq; propter se, sed illius gratia esse colẽda, præsertim cum uniuersum eiusmodi cultum, dũtaxat ut illi unico placeas, dicat suscipiendũ. Sexto parentes quasi dei uicarios præcepit uenerari. Septimo propinquos genere, & familiaritate coniunctos, & hospites peregrinosq; ex diuino iussu amare charitate nõ ficta. His aũt præceptũ inseritur euãgelicũ, uanorum scilicet uerborũ exactam rationem diuino iudici esse reddendam: cuius angelus nobis præest quasi superioris iudicis uicarius & minister, ut nos à turpibus reuocet, prouocet ad honesta: & cõsentientes quidẽ trãquillitate cõsciẽtiæ nutriat & delectet, dissentientes uero perturbatione conscientiæ uexet. Vbi delectat, ab antiquis gratia nominatur: ubi uexat, furia. Et gratia quidẽ triplex, quoniã præteriti præsentis et futuri gratia bonos oblectat. Furia quoq; triplex, quia malos similiter cruciat. Et utrobiq; Fatum, et Parca triplex cognominatur. Dicitur et Nemesis, præsertim ab Orpheo, ubi in superbos animaduertit. Profecto ueteres ut indicarẽt superbiã Deo maxime omniũ dissonare obedientiã humillimam exigenti, dixerunt superbos non solum diuina censura, ut cætera uitia, sed etiã indignatione puniri, propriumq; ad punitionẽ eiusmodi numen introduxerunt. Nemeseos nomine nuncupatũ, quod quidem facit potẽtiam in brachio suo dispergitq; superbos mente cordis sui. Collige è multis omnibus præcipue quatuor, legem, iudiciũ, iustitiam, Nemesim. Horum exemplum accipe in teipso. Habes in mente legem, quid agendũ sit, quid non, cõmuni norma dictantem, & honestum quidem prosequendum esse, turpe uero uitandum. Habes et in ratione iudicium distinctiori quadam argumentationum discursione discernens id quod in hac uel illa actione positum est, honestum esse uel turpe. Habes in uoluntate iustitiam, eligentem ita prosequi, ita fugere, ut ratio per mentis leges prosequendum iudicauit uel fugiendum. Habes in imaginatione eiusq; effectu Nemesin turpibus actionibus uerbisq; succensentem atq; legitime indignantẽ. Similiter in Deo lex iudiciũ, iustitiaq;, & Nemesis, sed modo diuino. Distinctius aũt in Deo quidẽ lex angelisq; superioribus. In animæ uero mundanæ ratione, iudiciũ. In eiusdem uoluntate iustitia. In angelis inferioribus seu dæmonibus medijs Nemesis. Vtcunq; distribuas, hæc omnia diuinæ legi mirabili quadam connexione subseruiunt ad uirtutum præmium, & supplicium peccatorum.

DIALOGVS QVARTVS DE LEGIBVS VEL DE LEGVM LATIONE.

AGE IAM quam'nam fore ciuitatem cogitare debemus? Neq; uero nunc de præsenti eius nomine, aut de futuro interrogo. Id enim forsan aut ipsa coloniæ deductio dabit, aut locus, uel etiã fluuij, aut fontis, aut deorum qui in ea regione sunt alicuius cognomentum ciuitati nouæ fama sua nomen imponet. Sed illud potius quæro, utrũ maritima erit, an mediterranea? CLIN. Distat ferè hospes à mari hęc de qua loquimur, ciuitas, stadijs octoginta. ATHEN. Portus uero sunt ne prope? an mare illud penitus importuosum? CLIN. Portuosa est hospes ea regio, quàm maxime fieri potest. ATHEN. Heu, quid ais? Ager autem ille fert omnia? An aliquorum indigus? CLIN. Fert penè omnia. ATHE. Ciuitas uero aliqua' ne illi proxima? CLIN. Non ualde. atq; idcirco habitatores illuc conducere cogitamus. prisca enim quadam hominũ inde facta propulsione, magno temporis spacio iacet regio desolata. ATHEN. Quo ad campos autem montesq; & syluas pertinet, quo pacto disposita est? CLIN. Similis est reliquæ totius Cretæ naturæ. ATHEN. Asperam igitur ipsam potius & syluestrem quàm campestrem esse dicis? CLIN. Aio equidem. ATHEN. Non est igitur ad acquirendam uirtutem incommoda. Nam si mari proxima esset et portuosa, nec ferret omnia, sed multarum rerum egeret, maximo sibi salutis fundatore opus esset, diuinisq;

nisq; legum latoribus,ne multos ac uarios mores,simulq; prauos huiusmodi regionis natura contraheret.Nunc uero iuuat,quia stadijs octoginta remota est à mari,propinquior certe quàm oportet mari,eo fermè quod portuosior est,ut ais. Satis tamen & hoc esse uidetur.Profecto mare ciuitati proximum quotidiana quadam iucunditate eam afficit.Veruntamen uicinitas ea nimiũ reuera salsa est atq; amara. Nam cum mercibus & pecunijs cauponando ciuitas repleat,dolosi animi instabiles & infidos mores parit. Vnde parum & ipsa ad seipsam & ad gentes alias fidem & amicitiã colit.Aduersus hæc tamen illud habet remedium quod omnia fert.Cumq; syluosa sit & aspera,licet omnia ferat,non tamen abunde omnia.Nam si esset ad omnia ferax atq; fœcunda, multum auri atq; argenti ex emissione rerum colligeret.Qua una re nihil ut breuiter dicam,pernicíosius est,si unũ uni cõferas,ad generosos iustosq; mores:ut in superioribus quoq; si recordamur,est dictum. CLIN. Recordamur quidem.Et illa tunc & nunc ista recte dicta concedimus. ATHEN. Materia uero ad fabricãdas naues,nunquid illic abundat? CLIN.Neq; illic abies est mentione digna,nec arbor picea.Cupressi item copia parua,pinumq; et platanum illic raram inuenies.Quibus necessario fabri nauium ad interiores nauiũ partes utuntur. ATHEN. Atq; in his etiam non male se habet regionis ipsius natura. CLIN.Quid ita? ATH. Quoniam operæpreciũ est ut ciuitas facile imitari hostes improba imitatiõe nõ possit. CLIN. Cuius nam supradictorũ potissimũ gratia ista dicis? ATHEN. Obserua me uir præclare. Nempe illius gratia quod est ab initio de Cretensium legibus dictũ, quas uos ad unũ aliquid,id est bellum respicere dicebatis.Eas ego,quoniam ad uirtutem quodãmodo referrentur,probe positas esse dixi: quoniã uero non ad uniuersam, sed ad uirtutis partem fermè,equidem non ualde laudabam.Nunc igitur me quoq; uos in præsenti legumlatione diligenter obseruate,siquid aut quod ad uirtutem non pertineat, aut quod ad partem solummodo,legibus sancio.Eum quippe solum recte ferre leges existimo,qui ueluti sagittarius illuc animũ semper intendit,unde continuo aliquid semperq; sequatur eorum quę bona sunt:cętera uero relinquit,siue diuitias,seu huiusmodi aliquid q̃d à uirtutibus sit separatum.Imitationem uero hostium improbam tunc fieri dicebam,cum iuxta mare quispiam habitans,lædatur ab hostibus:Quale illud fuit.Dicam enim,nõ tamen præteritæ in iuriæ commemorandæ studio.Minos olim nauali copia fretus,crudele Atticæ tributum imposuit.Athenienses uero nondum naues ut nunc ad bellum paratas habebant, nec ilIa in regione arborum copia erat,unde naues facile fabricarentur.Quare non potuerunt rerum imitatione naualiũ ipsi quoq; nautæ facti,statim hostes tunc suos ulcisci.Meliusq; secum actum esset,si sæpius septem adolescentes amisissent, quàm quod illis accidit perpeti.Nam pro terrestribus firmisq; copijs,nauales factæ consueuerunt cursim naues insilire ac cito decedere,nihil turpe facere arbitrantes, si minus audeant hostium impetũ expectare,ac mori:sed causas habent idoneas,ut armis amissis,minime, ut aiunt, turpiter fugiant.Huiusmodi uero ex nauali bello uoces audire contingit,nõ laude quidem ulla,sed uituperatione summopere dignas. Nunquam enim malis moribus, præsertim optimam ciuium partem assuefacere decet. Apud Homerum quoq; nauium refugium hoc reprobatum uidetur.Vlysses namq; Agamemnonẽ reprehendit, qui prælio Græcis apud Troianos occupatis naues in mare deducere iubebat. Quod molestè ferens Vlysses ait: An iubes instante belli turbine bene tabulatis instructas naues in altum deducere, ut Troianis ad uotum cuncta succedant, nos autem pernicíosa strages cladesq; sequatur? neq; enim graui sese pugnæ committent, quum naues mari ad fugam paratas aspicient,sed neglecto bello cedent,atque inde uolabunt. Vbi quale consilium hoc tum fuerit, apparebit.Patet igitur Homerum quoq; sensisse, obesse triremes ad pugnantium fugam paratas.Quippe uel leones his moribus usi ceruos fugere consuescerent.Præterea ciuitatum potentiæ quæ naualibus copijs fretæ salutem cõsequuntur, honores optimæ bellicarum rerum parti haudquaquam retribuunt.Nam cum arte gubernatoria, & quinquaginta uirorum principatu & remigio, uirorumq; & uilium hominum opere res naualis geratur, nõ potest quispiam recte honores singulis reddere.Quomodo uero recte se habere ciuitas potest,si hoc ipso priuata fuerit? CLIN. Ferme impossibile.Veruntamen hospes nauale apud Salaminam Græcorum aduersus Barbaros prælium uniuersam nos Cretenses Græciam seruasse putamus. ATHEN. Atqui multi istud tam Græcorum quàm Barbarorum

Minos coegit Atticã ad dedẽdos septẽ pueros

barorum affirmant. Ego autem,ô amice,& hic Megillus,pedestrem in Marathone & in Plateis pugnam, alteram principium salutis,alteram finem fuisse dicimus:& his quidem pugnis meliores Græcos factos fuisse,alijs non meliores, ut ita de prælijs quibus tunc pariter seruati sumus,dicamus. Bello enim apud Salaminam gesto,illud addo quod in Arte missio commissum fuit maritimum. Verum spectantes nũc ciuilis disciplinæ uirtutem, & regionis naturam,& legum ordinem considerabamus. Non enim seruari ac esse solum, hominibus summo in precio habẽdum existimamus, ut uulgus putat:sed ut quam diu sunt, optimi sint. Quod & in superioribus,ut arbitror,à nobis est dictum. CLIN. Dictum plane. ATHEN. Id itaq; tantum animaduertamus, si eandem ipsam agamus uiam quæ ciuitatibus optima sit in constituenda habitatione legibusq; ferendis. CLIN. Mirum in modum. ATHEN. Dic ergo quod sequitur, quæ multitudo habitatura coloniam sit. Vtrum quicũq; uelint ex tota Creta,quasi magna in singulis ciuitatibus turba superfluat? An ad ipsius agri uires electi? Non enim uolentes ex Græcis omnes colligis. etsi nonnullos uideo ex Argis & Aegina alijsq; Græciæ partibus regionem hanc habitare. Sed in præsenti mihi dicas, unde futura sit uobis horum nunc ciuium multitudo. CLIN. Ex uniuersa Creta futuram existimo, & inter Græcos alios,qui ex Peloponneso uenient maxime ut opinor recipiẽtur. Quod ue modo dicebas,uerum est, ex Argis scilicet istos esse. Etenim quod maxime modo hic genus laudatur, Gortynicum est, quod ex ipsa Peloponnesiaca Gortyne huc migrauit. ATHEN. Sed non æque facilis ciuitatibus illa in unum commigratio solet fieri,quando non examinum more fit,ut genus unum amicum inter se ab amicis ueniens ex una quadam regione, aut agri angustijs pressum, aut alia huiusmodi necessitate coactum in aliena commigret. Quandoq; uero accidit ut ciuitate seditionibus agita aliò ciuium pars una secedat. Vniuersa etiam ciuitas bello uicta quãdoq; simul fugisse reperitur. Hæc autem omnia partim facilia sunt, ut noua in habitatione disponantur, & legibus denuo positis gubernentur:partim etiam difficilia. Nam quod genus unũ est unius linguæ earundemq; legum, cum sacrorum & huiusmodi omnium communionem habeat, amicitia quidem inter se aliqua copulatur, sed leges alias, gubernationisq; modum à pristino discrepantem non facile suscipit. Quod uero propter legum suarũ improbitatem seditionibus concitum fuit,cum primos illos propter cõsuetudinem quibus corruptum est mores desideret,durum se & inobediens gubernanti legesq; ponenti præbet. Quod autem ex uarijs confluxit generibus,libentius fortasse nouas leges audiet: sed arduum est omnino,& longo tempore indiget,ut conspirare, & tanquam sub uno iugo equi,unum idemq;,ut dicitur, efflare possint. Sed enim legum sanctio ciuitatisq; constitutio est ad uirorum uirtutem omnium perfectissima. CLIN. Probabile id quidem,sed clarius expone bone uir, quorsum id dixeris. ATHEN. Dum considerare legumlatores & laudare uellem,ad uile quid dictu uideor lapsus. Quod tamen si opportune dicatur, nihil negotij dabit. Ac quid ego conturbor, cum omnia humana ferè ita habere uideantur. CLIN. Qua de re dicis? ATHEN. Dicturus eram nullum unquam hominum aliquid lege sancire,sed fortunas casusq; uarios incidẽtes,leges nobis per omnia ferre. Aut enim imminentis uiolentia belli, priorem peruertit rempublicam legesq; mutat: aut summa quædam penuria. Morbi quoq; multa innouare compellunt. Pestis etiam diutina, multorumq; annorum incommoda,& importuna tempestas. Hæc siquis animaduertat,non uerebitur idem quod ego nunc, exclamare,mortalium neminem leges condere, sed humana omnia fortunis agi. Quod si quis in nauigatione,gubernatione,medicina,militari imperio affirmauerit,recte uidebitur dicere. Sed rursus & istud similiter de ijs ipsis bene dicitur, CLIN. Quidnam? ATHEN. Deum quidem omnia, & fortunam opportunitatemq; simul cum deo cuncta humana gubernare. Mitius tamen concedendum, tertium superiora,artem uidelicet sequi. Tempestate enim imminẽte multum interesse arbitror, gubernatoriam habeas artem,nec ne. An quo modo dicendũ? CLIN. Ita prorsus. ATH. Nónne & in alijs eadem ratio? Atqui & legum lationi idem est tribuendum, ut concurrentibus alijs quæcunq; ad felicem regionis habitationem conducunt, legislator ueritatis compos ciuitati ipsi non desit. CLIN. Vera loqueris. ATHEN. Nónne qui in singulis illorum artem habet, precari poterit ut aliquid à fortuna sibi feliciter adsit,nec alia re præterquam artificio opus sit? CLIN. Valde. ATHEN. Cæteri quoq; omnes, quos mo-

Quæ sint quæ leges producunt

Deũ & fortunam opportunitatemq; cuncta gubernare,artem sequi

do diximus,ſiquis quæſierit,ſuas preces uotaq; aperient,An nõ? CLIN. Plane. ATHEN. Idem & legislator,ut arbitror,faciet. CLIN. Sic puto. ATHEN. Age itaq; ſic eum interrogemus. O legislator qualem tibi ciuitatem tradi deſideras,ut ipſe ex reliquis poſtea ſufficienter eam diſponere poſſis? Quid recte deinde dicetur? An legumlatoris reſponſio afferri debet? CLIN. Vtiq;. ATHEN. Tyrannidi ſubiectam mihi tradite ciuitatem, dicet. Tyrãnus autem iuuenis ſit,memoria ualens,acutus,fortis,naturaq; magnificus. Et quod in ſuperioribus omnes uirtutis partes ſequi debere dicebamus, id animo quoq; tyrãnico inſit,ſiquid modo cætera profutura ſint. CLIN. Temperantiã mihi uidetur hoſpes ô Megille dicere tyrãni animo ineſſe oportere. Nónne? ATHEN. Popularem ô Clinia dico,nõ temperantiam illam quam extollens aliquis prudentiam appellandam eſſe monſtraret, ſed eam ipſam affectionẽ quę in beſtijs & pueris illico apparet innata,ut alij ad uoluptatem proniores,continentiores alij nati eſſe uideantur. Quam quidem continentiam à bonis alijs ſeparatam,paruifaciendam eſſe duximus. Tenetis quod dico? CLIN. Maxime. ATHEN. Hanc ergo naturam ad ſuperiores illas naturæ qualitates tyrãnus habeat,ſi debet ciuitas celerrime & optime prout poſſibile eſt eam gubernationem aſſequi, qua feliciſſime uiuat. Nulla enim uelocior,nulla melior diſpoſitio ciuitatis,aut eſt,aut eſſe poteſt CLIN. Quomodo uero & qua ratione hoſpes id aſſerens aliquis,recte dici ſibi quiſpiam ſuadebit? ATHEN. Facile intellectu eſt ô Clinia,hoc ita natura eſſe. CLIN. Quid ais? Nũ quid eſſe illud aſſeris,ſi tyrannus iuuenis ſit, temperatus ingenijq; acumine & memoria pollens,fortis,magnificus, atq; felix? ATHEN. Adde nihil aliud, niſi ut tempore ipſius laude dignus legislator reperiatur,& fortuna quædam eos in idem conducat. Hoc enim ſi acceſſerit,omnia ferme deus dederit quæ dare ſolet,quoties ciuitatem aliquam felicem maxime uult fore. Deinde ſi duo tales principes ſint. Tertio loco ſi tres. Et ſucceſſionis eadem ratione ſeruata eo difficilius,quo plures: atq; contrà quo pauciores, eo facilius. CLIN. Ex tyrannide optimam fieri rempublicam affirmare uideris,cum ſummo certe legislatore,modeſtoq; tyranno facillime & celerrime ex illa in hanc mutationem fieri. Secundo ex paucorum potentia. Tertio ex populari. An non ita? ATHEN. Minime. Sed ex tyrannide primo. Deinde ex regia gubernatione. Tertio ex quadam populari potentia. Poſtremo paucorum potentia optimæ reipublicæ generationem difficillime ſuſcipit. Plurimi enim in ipſa potentes ſunt. Tunc uero hæc fieri dicimus, cum uerus natura legum conditor inuenitur,& ei potentia quædam communis cum illis contingit,qui plurimum in ciuitate poſſunt. Vbi autem pauciſſimi quidem numero ſunt,potentia uero ſummi,quod tyrannidi accidit,ibi celer & facilis fieri mutatio ſolet. CLIN. Quo pacto? Non enim intelligimus. ATHEN. At uero non ſemel id à nobis,ſed ſæpius, ut opinor, eſt dictum. Vos autem fortaſſe ciuitatem tyrannide preſſam nunquã uidiſtis? CLIN. Ego quidem uidere eam minime cupio. ATHEN. Atqui quod modo diximus, in ea inſpicies. CLIN. Quidnam? ATHEN. Quod non multo labore nec longo tempore tyranno opus ſit,ciuitatis mores mutare uolenti. Nam ſiue ad uirtutis officia ſiue contrà ciues perducere uelit,ipſe primus uiam per quam ſequantur cæteri,ingrediatur oportet, omniaq; in ſeipſo primum expreſſa præſcribat agendo,alia quidẽ laudans atq; honorans, alia uero uituperans, & eos qui non obediunt in ſingulis actionibus ſemper dedecorans. CLIN. Quomodo uero ubiq; magnum quid aut arduum exiſtimabimus,ut ciues eum ſtatim ſequantur,qui ita ſuadet & cogit? ATHEN. Nemo uobis perſuadeat ô amici aliter unquã citius & facilius quàm principum exemplo leges in ciuitate mutari. Neq; aliter ocyus aut fieri nunc exiſtimetis,aut futurum. Profecto hoc nobis neq; impoſsibile eſt, neq; factu difficile. Sed illud difficile factu eſt,raroq; longo in tempore factum,quod ſi quando contigerit, innumera ciuitati cui eueniet & immenſa bona efficiet. CLIN. Quid illud? ATHEN. Siquando diuinus amor temperate iuſteq; agendi magnæ potẽtiæ innaſcatur, quæ aut in unius ſita ſit poteſtate, aut in plurium principatu diuitijs uel nobilitate generis excellentium: aut ſiquando naturam Neſtoris quis reduxerit, quem & dicendi facundia, & temperantia uitæ multo magis omnibus excelluiſſe ferunt,qualis quidem uir Troiæ temporibus fuiſſe dicitur, noſtris autem minime: ſi inquam talis quandoque uir fuit,aut erit,aut nunc inter nos eſt aliquis, & ipſe beate uiuit, & illi quoq; beati ſunt, qui fluentia ex ore modeſto audiunt uerba. Eadem quoq; de uniuerſa potẽtia ratio eſt, quod uide-

uidelicet cum in eodem homine bene cum prudentia & temperantia simul potẽtia sum
ma cõuenerit, tunc demum gubernationis optimæ, optimarumq; legum elucebit origo,
aliter autem nunquam. Verum hæc tanquam fabula quædam oraculorum ritu dicta sint,
ostensumq; sit, partim difficile esse, ciuitatem bonis fundari legibus, partim uero si cõtige
rit id quod diximus, longe omnium facillimum & breuissimi tẽporis opus. CLIN. Quo
pacto? ATHEN. Sed conemur iam ciuitati tuæ rem omnem accommodantes tanquam
seniores pueris, leges oratione confingere. CLIN. Aggrediamur iam id sine mora. ATH.
Deum in primis ad ciuitatis constitutionem inuocemus. Qui utinam audiat, exaudiẽsq;
propitius & benignus nobis adueniat, unà nobiscum ciuitatem & leges exornaturus.
CLIN. Veniat opto. ATHEN. Sed qualem nam disciplinam ciuitati tradere uolumus?
CLIN. Declara si placet, quid dicere uelis, utrum populi potestatem, uel paucorum, uel
optimatum, uel regnum. Neq; enim tyrãnidem te dicere arbitramur. ATHEN. Age iam
uter uestrum prior mihi respõdere uult, quæ nam ex his suæ patriæ respublica est? MEG.
Num par est, quia senior sum, ut ipse prior respondeam? CLIN. Fortè. MEG. Cum La-
cedæmonicam hospes rempublicã mente reuoluo, non facile tibi possum dicere, quomo
do sit appellanda. Etenim tyrannidi similis esse uidetur. Nam Ephororũ potestas mirum
in modum ibi tyrannica. Nonnunquam tamen præ cæteris ciuitatibus populari guberna
tioni apparet simillima. Negare autem eam esse optimatum rempublicam omnino absur
dum. Regnum quoq; in ea perpetuum, quod omnium antiquissimum tam à cæteris ho-
minibus quàm à nobis ipsis esse dicitur. Quare ita subito interrogatus, reuera, ut dicebã,
non possum in præsentia tibi distincte quæ illarum sit respõdere. CLIN. Mihi quoq; Me-
gille perinde ac tibi cõtigisse uidetur. Nescio enim quam illarum potissimum Gnosiam
esse affirmem rempublicam. ATH. Veræ enim ô uiri optimi reipublicæ uos participes
estis. Quæ autem modo nominatæ sunt, non respublicæ, sed urbium habitationes quæ-
dam sunt, in quibus pars una seruit alteri dominanti, & à partis dominantis potentia, to-
ta nomen accipit gubernatio. Oportebat autem si hoc modo nominanda sit ciuitas, dei
ipsius nomine nuncupari, qui illorũ qui mentis cõpotes sunt, uerus est dominus. CLIN.
Quis autem iste deus? ATH. An fabula paulisper utendum, si uolumus commode quod
modo quæsitum est, declarare? An non sic faciendũ? CLIN. Sic omnino. ATHEN. Mul-
to ante habitationes urbium, de quibus in superioribus facta nobis mentio est, principa-
tus quidam & gubernatio sub Saturno ualde felix fuisse dicitur. Cuius imitationẽ quan-
dã habet, quæ nũc ab optimatibus gubernatur. CLIN. Attentius ergo de ipsa, ut uidetur,
est audiendum. ATH. Mihi quidem ita uidetur, propterea q; in medium modo produxi.
MEG. Recte tu quidem, ac probe facies, si sequentem fabulam quatenus conuenit, expo
sueris. ATH. Faciam ut dicitis. Fama profecto beatæ illius uitæ ad nos usq; peruenit, co-
piosa ipsam omnia, suaq; sponte parata habuisse. Cuius rei causa fuisse hæc traditur. Cum
intelligeret Saturnus, quemadmodum ipsi narrauimus, nullam hominis naturam res hu-
manas ita gubernare posse, ut si omnibus arbitratu suo dominetur, lasciuiori superbia in-
iustitiaq; non repleatur: cum hæc inquam non ignoraret, nõ homines sed diuinioris præ-
stãtioris q; generis dæmones, ciuitatibus nostris reges principes q; præfecit. quod nũc nos
in ouium gregibus aliorumq; cicurum armẽtis facimus. Non enim bobus boues, nec ca-
pris capras præficimus, sed nos ipsis genus melius dominamur. Similiter deus homines
amans genus dæmonũ generi nostro præstantius nobis præfecit, quod summa tam sua q;
nostra facilitate nostrarum rerum curam habebat, pacem q; & pudicitiam, libertatem &
iustitiæ copiam præbens, procul à seditione, ac felix hominum reddebat genus. Hic utiq;
sermo ueritate usus asserit, ciuitatibus omnibus, quibus non deus, sed mortalis aliquis do
minetur, nullam unquam malorũ laborumq; fore quietem. Sed omni studio imitari nos
iubet uitam quæ sub Saturno fuit, & quantum in nobis est, immortalitatis, ipsi obtempe-
rantes, priuatim & publice domos ciuitates q; gubernare, ipsam mentis in qualibet re di-
spensationem, legem nuncupantes. Nam si homo unus aut paucorum, aut etiam populi
potestas, uoluptati & cupiditati deditum animũ habeat, his q; repleri desideret, cum q; id
minime assequat, inexplebili inextinguibili q; ardore & insanabili morbo uexet, domine
tur aũt ciuitati aut priuatis nõnullis, statim spretis legib. nõ est ut modo dicebamus, spes
ulla salutis. Considerare decet ô Clinia utrũ huic rationi credendũ sit, an aliter faciendũ.

CLIN.

Difficile est fundare ci-uitatem bo-nis legibus. Deus ante omnia ope ra inchoan-da inuocan dus

CLIN. Necesse est ut credamus. ATHEN. Perspicis tot legum species, quot & gubernationum à quibusdam existimari. Gubernationum uero species, quot multi ponũt, paulo ante narrauimus. Neq; de re uili nunc, sed de re maxima nobis esse quæstionem existimes, nam quò iustum & iniustum respicere debeat, rursus in ambiguitatem incidit. Nec enim ad bellũ, nec ad omnẽ uirtutem referri leges debere aiunt, sed ad illud potius quod constitutæ reipub. conferat, quæcunq; illa sit, ut dominetur semper, nec pereat. Iustiq; definitionem sic natura optime se habere contendunt. CLIN. Quo pacto? ATHEN. Quod potentiori confert. CLIN. Apertius dicito. ATHEN. Sic accipe. Leges, ut aiunt, semper in ciuitate ponit, quod dominatur. Nonne? CLIN. Vtiq;. ATHEN. Nunquid existimas, inquiunt, uel populum superantem, uel aliam quampiam rempublicam, uel tyrannum, ad aliud potius sponte leges laturum quàm ad utilitatem suam, hoc est sui principatus stabilitatem? CLIN. Non ad aliud. ATHEN. Siquis autẽ huiusmodi leges transgrediatur iã positas, ut iniquus punietur ab eo qui has institutiones induxit, iustasq; appellat. CLIN. Sic apparet. ATHEN. Sic itaq; iustum se semper habebit. CLIN. Sic sane hæc asserit ratio. ATH. Vna profecto hæc iniquitas ex illis est, quæ de principatu sunt. CLIN. Ex quibus? ATHEN. Ex his inquam quas suprà narrauimus, quos quibus imperare oporteat, exponentes. Diximus autem parentes filijs atq; nepotibus, seniores iunioribus, generosos ignobilibus dominari debere: & alia quædam, si tenetis, quorum alijs alia impedimento sunt, ex quibus unum hoc erat. Adiecimusq; Pindarum existimare, secundum naturam ac iustum imperium esse, ut potentiora imbecillioribus dominentur. CLIN. Hæc certe tunc dicta fuerunt. ATHEN. Considera iam quibus nostra ciuitas cõmittenda. Miles nanq; in ciuitatibus nonnullis id contingit. CLIN. Quidnam? ATHEN. Cum de principatu certatum esset, qui uicerunt adeo ad se solòs rem contraxerunt, ut nullum uictis eorumq; posteris magistratum concesserint, cauentes semper ne quis ex uictis potentiã adeptus, insurgat priorum memor malorũ. Has quidem nos negamus esse respublicas, neq; censemus rectas esse eas leges, quæ non sint cõmuniter totius ciuitatis gratia positæ. Qui autem aliquarum partium gratia leges condunt, eos nõ ciues, sed seditiosos putamus, & iura sua frustra sic ab eis uocari censemus. Hæc autem eam ob causam dicimus, quia nos tua in ciuitate nõ ideo magistratus alicui dabimus, quòd diues sit, aut huiusmodi quicq; possideat, ut robur, magnitudinem, generis claritatem. Ei uero qui positis legibus parebit maxime, & hac re cæteris in ciuitate præstabit: deorum quoq; cultum & ministerium dabimus, maximũ quidem primo, secũdum uero illi qui secundo loco excellet. Eademq; ratione sequentibus singula pro dignitate distribuemus. Magistratus autem legum ministros appellaui, non quia innouare uocabula cupiam, sed quia putem salutem hinc maxime ciuitati fore, & contrarium ex contrario. Interitum enim paratum illi ciuitati uideo, in qua non lex magistratibus, sed legi magistratus præsunt. Salutem uero illi, ubi lex seruientibus magistratibus dominatur. Cuncta certe bona quæ dij ciuitatibus præbẽt, huic affore cerno. CLIN. Per louem hospes acute, ut ætas tua postulat, perspicis. Iuuenis enim hæc obtuse admodum, senex acutissime cernit. MEG. Vera loqueris. ATHEN. Quid uero deinceps? Nonne ueniisse iam ac ad esse colonos arbitrari debemus, reliquumq; ad eos sermonem peragere? CLIN. Quid prohibet? ATHEN. Sic itaq; ad eos dicamus. Deus ô uiri, sicut antiquus quoq; sermo testatur, principium, finem, & media rerum omnium cõtinens recta peragit secundum naturam circuens. Hunc semper iudicium comitatur, eos qui à diuina lege desciuerint puniens. Cui quidem iudicio quicũq; felix futurus est adhærens, humilis subsequitur atq; compositus. Qui autem superbia elatus est, quod pecunia uel honoribus antecellat, uel corporis forma polleat, qua cum iuuenilis animus demẽtia simul ardeat & petulantia, quasi nec principe nec duce ullo indigeat, sed aliorum ipse sufficiens ductor sit, is penitus à deo deseritur. Desertus autẽ, & alios huiusmodi nactus, exultat omnia simul perturbans, multisq; uidetur minime contemnendus. breui tamen post ea inculpabili dei punitus iudicio, seipsum, domum suam, ciuitatemq; uniuersam simul euertit. Cum hæc igitur ita disposita sint, quid facere & cogitare, quid'ue cauere prudentem oportet? Nemini dubium quin cogitare quisq; debeat qua ratione ex eorum numero sit qui deum sequãtur. Quænam igitur actio à deo amatur, deumq; sequitur? Vna certe, rationem unam antiquam habens atq; præcipuã, quod simile simili, quod moderatum

sit

sic,amicum est.Immoderata uero neq; inuicẽ,neq; moderatis sunt amica. Deus profecto nobis rerum omnium maxime sit mẽsura,multoq; magis quàm quiuis, ut ferunt, homo. Qui igitur huic tali amicus fore studet,eum necesse est ut quàm maxime pro uiribus talis efficiatur.Atqui secundum hanc rationem quisquis hominũ temperatus est,deo est amicus.Similis enim.Intemperatus autem,dissimilis, differens,& iniustus, cæteraq; similiter. Sed intelligamus ad hæc rationem illam sequi omnium rationum,ut arbitror, pulcherrimam atq; uerissimam, quod bonum uirũ decet sacrificare dijs,& interesse diuinis.Nempe illos prosequi orationibus,muneribus, alioq; cultu diuino,pulcherrimum,optimum, commodissimum ad beatam uitam,idq; præ cæteris est decorum.Malo autem contrà cõtingunt omnia.Impurus enim mali est animus,boni autem purus.Ab impuro autem capere munera, neque bonum uirum,neque deum decet.Frustra itaq; circa deos prophani laborant, quod opportune faciunt omnes sancti. Atqui signum quidem hoc est, quò aciem debemus intendere. Sagittæ uero ad illud quænam? & quis proprius ipsarum impetus, rectissime diceretur? Principio post cœlestium,ciuitatiq; præsidentiũ deorum honores,siquis terrestribus dijs paria,secunda,præcipua munera tribuat,rectissime signum ipsum pietatis attinget.Quæ uero horum supra positorũ imparia, & alterna uoce respondẽtia supra dictis,post deos istos dæmonibus uir mentis compos sacrificabit, heroibusq; post dæmones. Sequuntur statuæ patriorum deorum propriæ secundum legem consecratæ.Demum uiuentium cultus parentum, quibus fas est prima & maxima debita omniũ antiquissima debitorum persoluere. putare enim quisq; debet, omnia quæ possidet, eorum esse qui genuerunt & educarunt,ita ut illis hæc omnia pro uiribus ministrare debeat,primum quidem externa bona,deinde etiam corporis, postremo quæ ad animum pertinent, hæc omnia uidelicet mutuo data persoluens, & pro curis doloribusq; priscis parentum, in senecta recentes reddens, quando maxime indigent.In uerbis quinetiam per totam uitam parentes uenerari maxime decet.Leuium enim uolatiliumq; uerborum grauissima imminet pœna.Nam omnibus præposita est Nemesis iudicij angelus, huiuscemodi omnium cõsideratrix. Oportet itaq; iratis animumq; explentibus cedere seu uerbis siue rebus id faciant, non ignorantes patrem iure admodum filio ualde succensere, si quando ab eo iniuriam sibi fieri arbitretur.Mortuis uero parentibus monumenta decentissima,quæ temperatissime structa neque consuetam magnitudinem oportet excedere,neq; minora illis facere,quæ maiores genitoribus suis struebant. Annuas quoq; curas defunctorum quæ ornamentum afferunt,instaurare decet,& noua quotidie repetita memoria semper parentes summopere honorare, impendio moderate pro fortuna utentes. Si hæc seruabimus, uitamq; semper ita agemus singuli, digna à dijs cæterisq; natura nostra superioribus omnibus præmia reportabimus,plurimum bona cum spe uiuẽtes.Quæ uero erga filios,& nepotes,consanguineos,amicos,ciues,peregrinos,deos semper colendo,tum in congressu horum omnium operari quisque debeat, atq; ita uitam suam secundum legem illustrare,legum ipsarum tractatio demonstrabit, partim quidem suadendo, partim uero duriores mores ui supplicioq; cogendo: atq; ita ciuitatem nostram fauentibus dijs,felicem beatamq; efficiet. Quæ uero rursus oportet necessariumq; est ut legislator,qui eadem quæ & ego agitet,edisserat,neq; tamen sub ipsa legis forma commode dici posse uidentur,horum exemplum in primis tam ipsi legumlatori,quàm his qui lege instituendi sunt,arbitror afferendum:deinde legum positionem incipiendam,reliqua omnia pro uiribus discutiendo. Talia uero quomodo maxime habeant haud sane facile una quadam formula comprehendi potest.Sed ita de ipsis modum aliquem capiamus,siquid de ipsis asseuerare possumus. CLIN. Dic age, quem modum? ATHEN. Vellem equidem eos ad uirtutis officia persuasos maxime & obtemperantes esse,idq; legislator facere ubiq; conabitur. CLIN. Quid ni? ATHEN. Quæ igitur dicta sunt,nonnihil ad illud cõducere mihi uidentur,ut si non crudus omnino audientis animus sit, mitior beneuolentiorq; in audiẽdis præceptis efficiatur:beneuolẽtior uero factus,facilius perdiscat: quod si non omnino peragatur,aliquo saltem modo factum,satis esse putandum est. Nõ enim magna est eorum copia,qui optimi quàm maxime & celerrime conẽtur euadere. Hesiodum uero sapientem multi prędicant,cum dicat uiam ad uitia planam esse,ac sine sudore peragi,cum breuissima sit. Ante uirtutẽ uero,inquit,sudorem dij immortales posuerunt.

Nemesis

Acuia

Ac uia quæ ad eam ducit,longa,ardua, & aſpera primum:ſed poſtquam ad ſumma faſtigia peruentum eſt,quæ ardua uia fuerat,facilem præſtat callem. CLIN. Bene dicere uidetur. ATHEN. Ita certe eſt. Verum quò ſermonis ſpectabat progreſſio,uolo in medio uobis proponere. CLIN. Ponas. ATHEN. Orationem ad legislatorem ſic uertamus. Dic nobis ô legislator, Si ſcires quid agendum dicendumq; nobis ſit, nónne diceres? CLIN. Neceſſario. ATHEN. An non paulo ante dicentem audiuimus non debere legislatorem poetis permittere,ut quæcunq; ſibi placent, effingant? Non enim intelligunt,quæ dicta contra leges noceant ciuitati. CLIN. Vera loqueris. ATHEN. Si de poetis hæc ad eum dixerimus,erunt ne nobis modeſte dicta? CLIN. Quænam hæc? ATHEN. Vetus ô legislator fabula paſſim à nobis fertur,atq; à cæteris omnibus confirmatur:poetam quando in Muſæ tripode ſedet, non eſſe mentis compotem, ſed quaſi fontem fluere, & quæcunq; influunt,prorſus effundere. Cumq; ars eius imitatio quædam ſit,& cõtrarios affectus hominum exprimat,ſæpe cogi poetam ſibiipſi contraria dicere,neq; ſcire utrum hæc an illa uera ſint. Legislatori autem non licet duo quædam diuerſa de uno in lege loqui, ſed unũ debet ſemper enunciare de uno. Id autem ex his quæ modo dicebas,animaduertes. Cum ſepulchrorum alia excedant,alia deficiant,alia medium teneant,mediocria tu ſimpliciter laudaſti,fiericq; ſola iuſſiſti. Ego autem ſi uxor mihi ditiſſima eſſet, iuberetq; ut eã magnifice ſepelirem, in poemate excedens ſepulchrum laudarem : pauper autem uir atq; auarus,deficiens. Qui uero mediocres diuitias poſſidet,et ipſe quoq; moderatus ſit,medium laudabit. Sed tibi non ita dicendum ſicut dicebas modo,ut ſcilicet mediocre ſolummodo dicas,ſed quid quantumq; mediocre ſit,exponendum. Aliter ne putes orationem huiuſmodi legem eſſe. CLIN. Vera loqueris. ATHEN. Vtrum qui legibus condendis incumbit,nihil tale in legum exordio dicet,ſed ſtatim quid faciẽdum ſit,& quid non, expo net:mulctaq; impoſita ad aliam ſe legem uertet,nulla ratione ad exhortandum perſuadẽ dumq; allata? Afferamus autem in medium modos medendi duos,quibus alij medici ali ter curare conſueuerunt, ut quemadmodũ pueri medicum orant ut modo quã facillimo eos curet,ita & nos legumlatorem. Quod ut fiat apertius, nónne dicimus quoſdam medicos eſſe,& quoſdam medicorum miniſtros, quos etiam medicos appellamus? CLIN. Sic omnino. ATHEN. Siue liberi ſint ſiue ſerui,qui dominorum iuſſu,cõſideratione, uſu, & experientia artem poſſideant, non autem ſecundum naturam, ſicuti liberi, qui & ipſi ſic didicerunt,& ſuos filios inſtruũt? An ponis duo hęc genera medicorum? CLIN. Quid prohibet? ATHEN. Num igitur intelligis cum ſerui & liberi in ciuitate ægrotent, ſeruos à ſeruis plerunq; curari? Qui & in medicorum officinis uerſantur,& omnia circumeunt, nec rationem ullam de ſingulis ſeruorum morbis,aut reddunt,aut accipiunt,ſed quæ uſu prodeſſe uidentur quaſi exacte ſcientes,tyrannorum inſtar ſuperbe & pertinaciter imperant, atque ita à ſeruo ad ſeruum medentes tranſuolant. In quo ſane ad curandos ægrotantes domino facilitatem parãt. Liber autem medicus liberorum ut plurimum morbos curat atq; conſiderat,ita ut à principio morbi naturam perquirat,communiterq; cũ ęgrotante atq; eius amicis uerſetur,tum diſcendo ab illis nonnihil, tum quoad fieri poteſt docendo,nec ante imperat quicquam q̃ perſuaſerit. Atq; ita perſuadendo ſemper manſuete ad ſanitatẽ perducere ægrotãtes conat̃. Vter melior eſt & medicus & exercitator, qui ſic,an qui modo illo medetur,atq; exercet? Qui uidelicet dupliciter uim unã perficit, an qui ſimpliciter, & eũ qui deterior ex duobus atq; atrocior modus eſt, exequitur? CLIN. Multũ præſtat hoſpes,qui hoc dupliciter peragit. ATHEN. Vis ergo duplex hoc atq; ſimplex,quomodo in legibus ferendis fiat,conſideremus? CLIN. Volo equidem. ATHEN. Dic age per deos,quã legis cõditor primã legem cõſcribet? An nõ ſecundum naturã,primum generationis in ciuitate principatum ante omnia legibus exornabit? CLIN. Plane. ATH. Principium autem generationis omnibus ciuitatibus nuptiarum conuentus atq; cõmunio. CL. Vtiq;. ATH. Quare ſi nuptiales primũ leges ponãtur, bene ad omnẽ ciuitatem recte conſtituendam poſitæ uidebuntur. CLIN. Sic eſt omnino. ATHEN. Simplicem ergo primũ dicamus,quæ ſic ſe forſan habebit. Vxorem quiſq; à trigeſimo anno uſq; ad trigeſimũ quintum ducat, Si non duxerit, pecunia mulctetur atq; dedecore:pecunia quidem tãta uel tanta,dedecore autẽ tali quodam uel tali. Et ſimplex quidem lex de nuptijs talis ſit,duplex autem talis. Vxorem ducere quiſq; debet ab anno trigeſimo ad trigeſimũ

quintum

quintum, cogitans quòd natura quadam humanum genus quodammodo immortalitatem consequitur. Cuius rei quisq; natura summopere cupidus est. Nemo enim est qui non desideret perpetuũ apud posteros nomen habere. Genus itaq; hominum immortale hoc modo in sempiternum perdurat, quòd filiorum filios relinquendo unum & idem semper per generationem immortalitatẽ adipiscatur. Nefas autem est immortalitate seipsum sponte priuare. Hac uero ex animo ille se priuat, qui filios & uxorẽ negligit. Quicunq; legi huic obtemperauerit, indemnis esto. Qui uero nõ paruerit, & quinq; ac trigin ta annos natus uxorem non duxerit, ne solitariam uitam lucro sibi & uoluptati fore censeat, tanta in annos singulos mulctetur pecunia, neq; eorum particeps honorum sit, quos iuniores quotidie in ciuitate senioribus exhibent. Duabus his legibus inuicem comparatis, de singulis iudicare licet, utrum oporteat eas duplices longitudine q̃ breuissima conscribere, ut persuasiones simul interponantur & minæ: an minis uti solum, & simplices longitudine leges condere. MEG. Laconici moris est hospes, breuiora semper eligere. Siquis autem in his me iudicem faceret, ut eligere mihi liceret ex his utram uelim legem in ciuitate, longiorem eligerem: in cæteriscq; legibus omnibus, si duo hæc proponantur, ad hoc ipsum exemplar idem facerem. Oportet tamen præsentes leges & Cliniæ huic probari. huius enim ea ciuitas est, cuius usui leges hæ conduntur. CLIN. Probe tu quidem Megille. ATH. De prolixitate quidem uel breuitate scribendi curare nimis ineptũ est. Non enim breuissima aut longissima, sed optima sunt, ut arbitror, eligẽda. Atqui & in legibus paulo ante propositis, non duplicitate solum altera magis quàm altera ad uirtutem confert: sed quod de duplici medicorum genere dictum est, rectissime est appositum. Quod quidem legislatorum nullus unquam cogitasse uidetur. Nam cum liceat duobus quibusdam ad ferendas leges, ui persuasioneq; uti ad turbam disciplinæ expertem, quoad possunt altero solum utuntur. Non enim persuasioni minas coniungunt, sed uim puram solummodo inferunt. Ego autem, ô uiri beati, tertium quiddam etiam faciundum in legibus uideo. quod fieri nusquam uidemus. CLIN. Quidnam? ATH. Quod per ea de quibus disseruimus nobis deo quodam aspirante factum est. Mane enim disputare de legibus cœpimus, & iam meridies est. & hoc amœno in loco commodissime requiescimus, de legibus solummodo disputantes. Et nunc primum tractandarum legum principium facere mihi uidemur. Superiora uero cuncta exordia legum erant. Quorsum hæc? quia uolebam dicere, quòd sermonum omnium cæterorumq; quibus uocis imitatio est, exordia sunt, & quasi quædam præludia, quæ artificiosam aliquam & utilem ad rẽ dicendam tractationem habent. Nempe illis quæ citharœdici cantus leges uocantur, & reliquæ musæ, procœmia mire adinuenta præponuntur. Verarum autem legum, quas ciuiles esse dicimus, nemo unquam procœmium aliquod aut pronunciauit, aut conscriptũ in lucem protulit, quasi nullũ natura sit. Nobis autem mora hæc & disputatio nostra esse aliquod significare uidetur. Leges autem quæ modo duplices appellatæ sunt, non duplices sunt simpliciter, sed duo quædam, lex, ac legis exordium. Atq; ea quam tyrannico & medicorum seruiliũ imperio cõparauimus, lex mera est. Quod uero ante positum fuit dictum, ad hoc persuasorium, reuera ad persuadendum spectat quidem, sed uim habet exordij. Nam ut beneuolentius audiãt legislatoris imperium, quæ lex est, & propter hoc facilius suscipiant ciues, idcirco tota illa oratio habita est, quæ ad persuadendum est inducta. Quapropter ut mea sententia fert, nõ legis ratio, sed procœmiũ totũ hoc merito appellabitur. Post hæc autem quid insuper addi desidero? hoc sanè. Oportere legislatorem exordium semper omni legi præponere, & in singulis in quo à seipsis differant, quatenus duo illa, quo modo relata sunt, differebant. CLIN. Ego quidem nunquã aliter uirum harum rerum peritum leges ferre desiderarem. ATH. Probe mihi ô Clinia eo dixisse uideris, quod omnibus legibus procœmium quoddam præerit, & quod oportet in omnis legum conscriptionis principio, omni sermoni præponere exordium legibus singulis accommodatum. Non enim paruum est quod postea dicitur, nec parum refert clarene an obscure talia commemorentur. Si autem magnarum paruarumq; legum exordia similiter confici iubeamus, non recte iubebimus. Non enim in omni cantu neq; in omni sermone id faciendum. Nam & si possit in omnibus inueniri, non tamen omnibus utendum est. Id autem ipsi rhetori, cantoriq;, & legum conditori semper est concedendum. CLIN.

Homo generatiõe fit sempiternus

De exordijs

Vera loqueris hospes. Sed ne ulterius immoremur, immo uero ad sermonem propositum iam reuertamur, & ab illis incipiamus, si tibi placet, quæ suprà haud quasi proœmio utens dixisti. Quare iterum, ut ludentes aiunt, meliora ab initio secunda resumamus, quasi certum proœmium non quemlibet sermonem ut nuper tractantes. Incipiamus itaq; & exordiri profiteamur. Ac de honore quidem deorum maiorumq; nostrorum cura satis sit dictum: cætera transigere annitamur, donec tibi uidearis sufficienter totum proœmium absoluisse. Denicq; post proœmium leges aggredieris. ATHEN. Cum de diis deosq; sequentibus & parentibus siue uiuentibus siue defunctis satis per exordium dixerimus, ut nunc affirmamus: quod restat, ut tu iubere uideris, in lucem est educendum. CLIN. Prorsus quidem. ATHEN. Post illa uero quæ ad animos, quæ ad corpora, quæ ad externa pertinent, quo studio colenda sint communiter differendo, ita determinare oportet, ut & dicentes & audientes disciplinam pro uiribus consequamur. Hæc ergo post illa nobis reuera dicenda audiendaq; sunt. CLIN. Recte admodum loqueris.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI
In Dialogum quintum De Legibus.

MIRABILIA *quotidie fieri uidemus à magnete in ferrum, à succino in paleas, à fulguribus in solida, ab ignito sulphure in bombardam, à tota natura uel in motu cœli, uel in artificiosa rerum quæ gignũtur, formatione. Causas quidem ignoramus, neq; tamen ob causarum ignorationem negamus effectus fieri, quos uidemus. Mirabilia rursus fieri nonnunquam ab animis nostris in oraculis cæterisq; prodigijs testis est non solum omnis historia, sed auctoritas etiam Mercurialis & Pythagorica atq; Platonica. Et si stupendorum nostræ mentis operum rationem certam facile omnes assignare non possumus, negare tamen opera uel facta fuisse, uel posse fieri, non debemus. Videmus ignem quo cœlo similior est quàm cætera elementa, eo mirabilius agere, ut breui ad suam trahat formam, quæ cætera tempore uix longissimo trahunt, neq; mixtionem perpetiatur, & cum uidetur diuidi diuidat, longiusq; admodum quàm cætera suum protendat effectum, & longissime per lumen agat atq; momento. Verum habet hoc à cœlo, & cœlum imagine sui agit, id est lumine, quæ ignis uix naturali efficit qualitate. Quis enim dubitet cœlestia per radios suos tam nobis occultos, quàm manifestos ab ipsis uelut imagines profluentes, mouere inferiora semper atq; formare? fermè non aliter quàm uultus speculum, & speculum concauum materiam siccam positam è conspectu. Sed age iam in hoc speculo & superos in animam speculemur. Quanto efficacior est ignis cæteris elementis, et igne cœlum, tanto efficaciores cœlo sunt spiritus qui uel uiuificant uel mouent cœlum, uel uiuificantium & mouentium sunt consortes. Spiritus ergo superiores in nostros utpote consortes, imaginum duntaxat suarum influxibus operantur, quemadmodum uultus in speculum: atq; agendo in eas formant, simillimasq; efficiunt: usqueadeo ut animæ sæpe tam fermè mirabiliter, quàm cœlestes soleant, operentur. Quemadmodum uero speculum ad imagines à uultu suscipiendas quinque modis præcipue præparatur: primo quidem natura uitrea, deinde perspicuitate, tertio lenitate, quarto resistentia, quinto positione: sic & animæ nostræ ad influxus numinum præparantur. Primo quidem, quod intellectuales naturæ sunt sicut & illa, Secundo, quando per intellectum, fide illis hærent indubia. Tertio, per uoluntatem amore in illa sese ardentissimo transferunt. Quarto, tota in illis firmiter memoria sperant. Quinto, si corpus habeant, & natura illis accommodatum, & diligentia præparatum, tunc in mentes nostras à superis ita labuntur instinctus, ut à fidibus lyræ in fides similiter temperatas. Tunc prodigia, somnia, uaticinia, oracula ueniunt. Mitto quod Iamblicus Porphyriusq; narrant, oracula quædam per aquam fieri solita, quædam per aerem, quædam uero per ignem: fortè quia à dæmonibus, uel aquis, uel aereis, uel igneis mittantur. Forte etiam quoniam locis & temporibus alijs atque alijs, per occultas causas contigerit mentium humanarum affectus ad superiora conuerti, conuersosq; inde formari. Profecto nostræ mentes in uaria nimium distrahuntur. Verum si quando in tegra uirtute sua ad certum opus utantur, sicut & ignis tota intentione naturæ comburit, & cœlum toto agit influxu, tunc Plato non dubitat mirabiliora à nostris mentibus quàm ab igne uel cœlo, facillime prouentura. Non dubitant & Auicenna Algazelesque, nescio qua sorte sæpe Platonici. Sed de his in Theologia latius disputamus. Quibus euangelicum illud de fide montes permutatura, maxime confirmatur: confirmantur & plurima quæ Plato in libro superiori & hoc quinto, immo & sequentibus omnibus de oraculis asserit, adeo ut non aliter, uel urbis dispositio, uel reipublicæ forma, uel sanctio legum sese habeat, quàm per oracula comprobetur. Verum quamuis oracula tria commemoret, tamen cæteris insuper uaticinijs quæ ueriora forsan reperiri possunt auctoritatem suam ad idem manifeste concedit: Sed iam ad argumentum quinti proprium ueniamus. Cum igitur animus noster speculum sit diuinorum, merito post diuinorum cultum in quarto descriptum, mox in exordio quinti animum*

animum ipſum iubet coli, quaſi rem ſacram: & qui in ſuperioribus Pythagorea carmina eſt imitatus, in præſenti quoq; animi cultu libenter Pythagoram ſuum ſequitur præcipientẽ: Poſt deos maxime omnium reuerere teipſum. Quanti uero momenti ſit eiuſmodi reuerẽtia ad obſeruantiam legum, explicare non poſſum. Sed facit hæc, ut ſummatim dicam, ut quiſquis animi ſui quaſi numinis conſpectum aſsiduum reueretur, iudicẽ habeat intra ſeipſum: ad cuius legem, uel abſq; legibus ſcriptis uitam ſuã perfectiſsime dirigat, ac tandẽ facile naturalis legis amore faciat, quæ cæteri uix ſcriptarum legum formidine faciunt. Proinde dum de colendo animo diſputat, omnia de officijs præcepta tradit, tum ad ſeipſum, tum ad alios ad omnesq; uirtutes priuatim et publice pertinentia, quæ diſcere quiſque debeat atque ediſcere. Poſt hæc finem imponit exordio legum. Vbi apparet totam de legibus diſputationẽ in tres præcipue partes eſſe diuiſam. Primo quidem in proœmium, ab initio libri primi ad hanc uſq; partem quinti productum: Deinde in ipſam legum diſpoſitionem. Et primo in leges ad rempublicã magiſtratusq; potiſsimum pertinentes. Deinde ad ſingulas ſpectantes ciuium actiones. Meminiſse uero te arbitror ſingulas præterea leges, ſingula habere proœmia. Principio legiſer puriſsimos pro uiribus colonos eligat, atq; paſtorũ more puros ſegreget ab impuris. Luſtret quoque ciuitatem, ac niſi ſumma cogat neceſsitas non inferat uiolentiam. Adæquet cenſus pro uiribus, ne alij ditiſsimi ſint, alij uero mendici. Caueat nequis iniuſte diuitias cumulet. Neque luculentiſsimam conetur ciuitatem reddere, ſed iuſtiſsimam. Prædicet ueritatem & apud homines, & apud deos eſſe maxime omniũ uenerandam. Item in peregrinos hoſpitalitatem, in ſupplices indulgentiam. Moneat unumquenque animam erga ſeipſam amore falli, atque peruerti ſolere. Præcipiat, ne quis abundans ipſe, patiatur proximũ eſurire. Collocet urbem ſi poteſt in media regione ſingulas circunſpectans commoditates. In duodecim partes urbem diuidat, totamq; ſimiliter regionem. Sed cur in partes duodecim? ut intelligas molem tantam tamq; laborioſam uniuerſi ipſius auxilio indigere, quod eſt in ſphæras duodecim diſtributum. Item ciuitatem ad imaginem regni cœleſtis eſſe gerendam. Cœleſtis autem ciuitas in ſigna duodecim, quaſi duodecim tribus, eſt diſtributa. Nec ab re dijs duodecim ciuitatem commendat ſuam. ſiquidem dij duodecim, ſignis cœli duodecim præeſſe dicuntur. Immo uero dij ſex, ſexq; deæ. Iuno, Veſta, Minerua, Ceres, Diana, Venusq;: Mars, Mercurius, Iupiter, Neptunus, Vulcanus, Apollo. Fr e pone ſingula ſingulis: membris quidem noſtris ſigna: Signis præterea deos. Arieti quidem & capiti noſtro Palladem. Tauro uero & noſtræ ceruici Venerem. Geminis & humanis brachijs Apollinem. Cancro pectoriq; Mercurium. Leoni humerisq; Iouem. Virgini ilijsq; Cererem. Libræ & natibus, quod honeſte dictũ ſit, Vulcanum. Scorpio & pudibundis Martem. Sagittario femoriq; Dianam. Capricorno & genibus Veſtam. Aquario cruribusq; Iunonem. Piſcibus pedibusq; Neptunum. Intellige per hæc ciuitatem totam non aliter unum ex ciuibus multis, quàm unum corpus ex multis membris eſſe debere. Alia uero numina maſculina, alia fœminina idcirco dicuntur, ut cognoſcas et quæ ad materiam paſsionesq;, & quæ ad formas actionesq; pertinent, à ſuperis gubernari. Verũ cur Plato præcipuam urbis arcem, Veſtæ, Ioui, & Palladi conſecrat? Intellige in diuinis tres omnium fontes exiſtere: Veſtam quidem eſſendi fontem, Iouem uiuendi, Mineruam intelligendi. Atque in his omnibus auxilium à ſuperis obſecrandum. Vbi uero Plato commendat partitionem domiciliorum agrorumq; in quinquies mille & quadraginta, oſtendit ciuſmodi numerum commodiſsimas in ſe multasq; deinceps diſtributiones partium cõtinere. Quod quidem & in ſequentibus paulatim aperietur, et uel mediocri arithmetræ poteſt eſſe perſpicuum. Notabis ubi de communi ciuium uita diſſerit præceptũ de euangelica dilectione & charitate mirandum. Item patriã magis quàm matrem eſſe colendam. Quodue patriam inquit immortalem deam eſſe, uel de diuina terreni orbis anima, uel de nu mine patriæ patrono, uel de cœleſti patria dictum puta.

DIALOGVS QVINTVS DE LEGIBVS VEL DE LEGVM LATIONE.

AVDIAT iam reliqua, quicunq; paulo ante de dijs chariſsimisq; genitoribus audiebat. Cuiuſq; enim animus, omnium ſuarum rerũ poſt deos, cum ſit maxime ſuus, diuiniſsimus eſt. Quæ uero ſua ſunt, bifariam diuiduntur. Et potentiora quidẽ ac meliora dominantur, imbecilliora uero deterioraq; ſeruiunt. Profecto quæ dominantur, præ illis quæ ſeruiunt, ſemper ſunt honoranda. Quapropter merito poſt dominantes deos eosq; qui illos ſequuntur, animum noſtrum colendum, ſecundoq; loco habẽdum iubeo. Nemo autẽ, ut breuiter dicam, recte animũ ſuum honorat, quamuis uideatur. Diuinum enim bonũ eſt honor. Malorũ autem nihil eſt honorandũ. Quiſquis igitur putat uel ſermonibus quibuſdã uel muneribus uel obſequijs animum ſuum poſſe extolli, ſi meliorẽ ipſum ex deteriore non reddit, quanquã honorare uidetur, minime tamen id facit. Nam ſtatim à pueritia unuſquiſq; ſufficientẽ ad omnia cognoſcẽda ſe putat, & honorare ſuum

animum opinatur laudando,permittendoq; sibi quicquid libuerit agere. Nos autẽ dicímus eum qui hæc agit animum nõ honorare,sed lædere, quem tamen secundo loco post deos dicímus honorandum. Sed neq; ille eum honorat,qui peccatorum suorum, plurimorumq; & maximorũ scelerum,non seipsum sed alios causam ducit. Qui sanè seipsum semper excusans honorare uidetur animum, longe tamen abest, cum obsit.Neq; enim cum præter rationem laudemq; legumlatoris uoluptatibus quis indulget, animum suum honorat:deijciet enim ipsum,cum malis & pœnitẽtia repleat. Neq; etiam tunc honorat, quando labores lege laudatos, metusq; ac dolores ferendos non suscipit, sed cedit atq; succumbit. Hæc enim agens omnia,animũ suum dedecorat. Sed nec quãdo hanc uitam summum bonum cẽset,immo tunc etiam uituperat. Nam animo existimanti omnia apud manes mala esse, protinus assentitur, neq; resistit, docens ipsum atq; redarguens, quasi ignoret,utrum contra quæ apud deos inferos sunt, omnium bonorum nobis maxima sint. Præterea qui uirtuti formam corporis anteponit, animam uere penitusq; dedecorat. Nempe corpus anima uenerabilius arbitratur. In quo certe uehementer errat. Nihil enim terrenũ rebus cœlestibus uenerabilius est. Et qui de animo aliter sentit, quã mirabilem rem negligat, prorsus ignorat. Nec rursus qui pecuniam iniuste cupit,aut possidens iniuste,non dolet, muneribus animum suum exornat, sed ab hoc longissime abest. Quod enim uenerabile pulchrũq; in animo est, paruo pro auro prodit,cum totum quod super terrã quódue sub terra est aurum,uirtuti cõpensari digne nõ possit. Deniq; ut summatim dicam, quicunq; illa quæ legislator turpia malaq; putat esse, omni studio non fugit,nec pro uiribus sequitur ea quæ bona & pulchra statuit, non uidet in his omnibus q; turpiter,& absurde diuinissimum animum suum afficiat. Maximum enim secundum iustitiam ultionem male agendi, nemo, ut uno uerbo dicam,animaduertit. Maxima uero est, ut quis malis hominibus similis efficiatur, factusq; similis bonos & uiros & sermones fugiat: seq; ipsum ab eis seiungat, improbis autem adhæreat,& eorum consuetudinẽ amplectatur. Eum uero qui se his immiscuit, necesse est eadem pati & agere, quæ tales agere & loqui inter se consueuerunt. Ac passio quidem huiusmodi iustitia nõ est. Iustitia enim & iustum,honestum est. Vltio uero passio iniustitiæ sequax:in quam & qui non incidit & qui incidit,malus miserq; est:ille quoniam non sanatur,hic quoniam ut multi seruentur,ipse perit. Honor autem est,ut totum simul complectaẽ,meliora sequi, & ex peioribus quæcunq; meliora fieri possunt,ad melius q; optime reducere. Homini profecto nihil animo aptius & sagacius est ad fugiendum malum, ad uestigandum eligendumq; quod est omnium optimum,eiq; per omnem uitam firmiter adhærendum. Idcirco illi secundo statutus est honor. Tertium deinde honorem secundum naturam quiuis intelliget corpori conuenire. Considerare oportet qui ueri honores sint, quiue adulterati: quorum differentia à legislatore declaranda mihi uidetur. Vtputa honore dignum corpus esse non quod formosum aut robustum est, aut uelox, uel magnum, uel sanum, quamuis multis id uideatur,neque quod contrarijs modis affectum. Nempe quæ medium istorum omnium habitum tangunt, ea longe moderatiora tutioraq; censenda sunt. Altera enim inflatos & audaces animos reddunt. Altera deiectos atq; illiberales. Similiter pecuniarum prædiorumq; & census possessio se habet. Excedens enim & priuatim & in ciuitatibus inimicitias seditionesq; parit. Deficiens autem plurimum seruitutem. Nemo igitur liberorum gratia pecunijs cumulandis incumbat,ut ditissimos eos relinquat. Neq; enim ipsis,neq; ciuitati id conducit. Sed census iuuenum tum adulatione uacuus,tum rerum necessariarum non indigens, omnium decentissimus & optimus est. Nam hic nobis ad omnia consonans accommodatusq;, uitam à doloribus tutam reddit. Liberis ergo non auri sed pudoris multum oportet relinquere. Putamus autem uerbis impudentiam iuuenum castigando id nos impetraturos. Sed non ex ea castigatione, qua iuuenibus incutiunt,dicentes quod adolescentem oporteat in omnibus uerecundum esse. Sapiens itaq; legumlator, senioribus præcipiet potius, ut sint coram iunioribus uerecundi, ac summopere caueant nequis iuuenum eos, aut uideat, aut audiat agentes turpe aliquid, uel loquentes. Nam ubi senes minus pudici sunt, necesse est ibi iuuenes impudentissimos esse. præstans enim & iuniorum & seniorum disciplina est, non uerborum increpatio, sed ut quæ increpando quis diceret & monendo, eadem ipse in omni

Verus & falsus animi cultus

Tertius honor corpori habẽdus

uita

uita facere uideatur. Quisquis præterea cognationem & uniuersam sub eisdem penatibus generis communionẽ honorat & colit, hos deos merito propitios in liberis procreandis habebit. Amicorum quoq; & sodalium in uitæ consuetudine summam beneuolentiam consequetur, qui illorum in se obsequia maiora præstantioraq; putabit q̃ illi, sua uero in illos beneficia minora quàm ipsi existimabit. Atqui & erga ciuitatem ac ciues optime ille se geret, qui omni uictorię quæ in Olympicis, alijsq; tam belli q̃ pacis certaminibus comparatur, illam gloriam anteponet, quam patrijs legibus ministrando nanciscitur: atq; in hoc ministerio cæteris omnibus per totam uitam præstare conabitur. Ad peregrinos uero sanctissima esse fœdera quisq; cogitet. Fermè enim omnia peregrinorum & contra peregrinos peccata præ illis quæ inter ciues committuntur, ultori deo curæ sunt. Nam cum peregrinus amicis cognatisq; careat, maiorem & apud deos & apud homines meretur misericordiam. Quare qui magis ulcisci potest, is ad ferendum auxilium est paratior. potest autem maxime, hospitalis cuiusq; dæmon ac deus, hospitalem secuti Iouem. Diligenti igitur cautione cogitandum cuiq;, cui nonnihil est consilij, ut innocens ab iniuria in peregrinos semper uiuat. Sed omnium tam in peregrinos quàm in ciues peccatorum maximum est, quod in supplices est commissum. Deus enim per quem supplex fœdus est consecutus, diligentissimus eius est custos. Quare nullus in supplices sceleratus impunis abibit. Hactenus officia cuiusq; in parentes, seipsum, sua, patriam, amicos, cognatos, peregrinos, atq; colonos penè omnia exposuimus. Qualis uero quisque quo ad seipsum esse debeat, qui optime uiuere uelit, nunc iam exponamus, ut non lex, sed laus & uituperatio singulos docens, refrenet magis, & obtemperantiores ferendis legibus faciat. Atq; hæc nobis deinceps dicenda sunt. Veritas profecto tum dijs tum hominibus dux omnium est bonorum. Cuius qui felix beatusq; futurus est, statim ab initio particeps esse debet, ut in ueritate plurimum tempus uitam agat. Fidus hic certe est: infidus autem qui sponte mentitur: qui uero non sponte, amens. Quorum neutrum optabile est. Nam & infidus & amens ab amicitia admodum alienus: ac procedente tempore cognitus in tantam in odiosa senecta uitæq; termino solitudinem incidit, ut seu uiuant siue decesserint amici ac filij, penè similiter orbam uitam misere agat. Honorandus certe est qui nihil iniuriatur. Qui uero nec alios id facere patiatur, duplici honore, imò etiam magis est honorandus. Ille enim uni, hic multis hominibus comparatur, cum principibus cæterorum iniuriam nunciet. Qui autem una etiam cum magistratibus iniuriam quoad potest ulciscitur, is magnus perfectusq; in ciuitate uir præconio prædicetur. Nam uirtute cunctis excellet. Eadem quoq; temperantiæ & prudentiæ laus est. Et qui alijs bonis abundat, quæ in alios quoq; transfundi possunt, si cæteros participes efficit, tanquàm uir summus est honorandus. Qui autem id facere uellet quidem, sed non potest, secundo loco habendus est. Inuidum uero qui sponte nihil boni cæteris conferat, uituperare debemus, nec propter hominem qui male possideat, rem ipsam uituperare, sed eam pro uiribus adipisci. Certet præterea apud nos quisq; de uirtute absq; inuidia. Qui enim sic agit, ciuitatem suam amplificat, cum ipse quidem contendat, & alios calumnijs non detineat. Inuidus uero dum cæteris derogando putat præstare, & ipse minus recte ad ueram tendit uirtutem, & concertatores iniusta uituperatione tardiores efficit. Ideoq; uehemens acquirendæ uirtutis studium è ciuitate tollens, ipsam pro uirili parte gloriæ amplitudine priuat. Oportet præterea unumquẽq; animosum esse, ac maxime mitem. Nam aliorum iniurias quæ uel difficile, uel nullo modo sanari possunt, non possumus aliter effugere, quàm pugna, defensione, uictoria, & nullius peccati remissione, quod absq; animositate facere nemo potest. In ijs autem iniurijs quæ tales sunt ut sanari possint, nosse in primis oportet, nullum iniustũ, sponte iniustũ esse. Nemo enim unquam maximorum malorum aliquid alicubi uellet habere, multoq; minus in his quæ sibi præstantissima sunt. Est autẽ animus ut diximus reuera in omnibus omnium præstantissimus. Quapropter in eo cum maxime sit honorandus, nemo sponte summũ accipiet malum, uoletq; per totam uitam id possidere. Porrò miserabilis omnino est iniustus omnis, & qui mali quicquam habet. Misereri autem decet eorum qui sanabiles sunt, & cohibere iram, ne aduersus eos muliebri iracundiæ feruore animus efferatur duriusq; insistat. Qui autem ita sunt flagitiosi qui incurabiles sint, eis ira uehementius immittenda. Propterea diximus animosum,

Officia erga patriam

Erga peregrinos

Erga supplices

id est generosæ iracundiæ non expertē, ac simul mitem, bonū uirum semper esse debere. Omnium uero maximum quiddam malum in multorum hominum animis est innatum. Cuius quidē, cum facile sibi ignoscāt, remediū nullum excogitant. Est autē hoc quod dicere solent, quòd natura sibi quisq; amicus est, rectèq; est, ita id se habere. Sed reuera nimius in seipsum amor omniū peccatorum omnibus semper est causa. Occæcatur quippe circa amatum qui amat. Quapropter qui se amat, cum se ipsum magis q̄ ueritatem honorandum putet, quid iustum, bonum, pulchrumq; sit male iudicat. Decet sanè eum qui magnus uir futurus est, neq; seipsum, neq; sua diligere, sed iusta semper, siue à seipso, seu ab alio quouis gerantur. Ex hoc ipso delicto accidit omnibus, ut ignorantiam suam esse sapientiam opinentur. hinc fit, ut quamuis nihil ut ita dicam sciamus, scire tamen omnia arbitremur. Cum uero nec alijs committamus facultatem agendi quæ ipsi facere ignoramus, facientes ipsi errare compellimur. Quamobrem nimium sui ipsius amorem fugere quisq; debet, & meliores sequi, nullo rubore uerecundiæ impeditus. Sunt & alia nonnulla, quæ & minora his sunt, & sæpe dicuntur. Sed cum nihilo minus utilia sint, ea quoq; dicenda, Nam commemoratione opus est. Semper enim quasi aliquid effluat, contrà aliquid oportet influere. Recordatio uero est, prudentię deficiētis influxus. Profecto à risu nimio, & lachrymis abstinēdum, omnibusq; est ab omnibus præcipiendum, ut lætitia nimia tristitiaq; compressa honesto in habitu se cōtineant: siue in felicitate quēquam dæmon cuiusq; sistat, seu per fortunæ casus tanquam ad ardua difficiliaq; tendentibus operationibus quibusdam dæmones aduersantes insurgāt. Sperare semper boni uiri debent, munera quæ talibus uiris dare deus solet, sibi non defutura. Ac siqui graues labores inciderint, deum leuiores eos facturum, & præsentia in melius commutaturum: bona uero contrà omnia unà cum bona fortuna sibi affore. Hac spe singuli uiuant, & tam ioco quàm serio, & se & cæteros ad frequentem horum cōmemorationem sedule adhortentur. Sed iam quæ facere unusquisq; debeat, & qualis esse, quo ad diuina spectat officia, dictum est. Humana uero nondum explanauimus. Dicenda autem sunt. Hominibus enim, non dijs præcipimus. Sunt porrò natura maxime humana, uoluptates, dolores cupiditatesq;. Ex quibus necesse est mortale omne animal quasi pendere, & maximo quidem cum studio. Laudanda certe honestissima uita est, non solum quia gloriæ habitum superat, uerumetiam quia siquis uelit gustare, nec inde statim à iuuentute fugere, eo quoq; superat, quod omnes expetimus, ut per totam uitam lætemur magis q̄ doleamus. Quòd uero erit ita, si quis recte gustet, facile ualdeq; patebit. Quo autem pacto recte id fiat, ratione iam considerandū est, siue ita nobis secundum naturam insit, siue aliter præter naturam. Vitam itaq; ad uitam iucundiorē & molestiorem ita cōferre oportet. Voluptatem adesse nobis uolumus. Dolorem uero nec eligimus, neq; uolumus. Medium autem statum pro uoluptate nequaquam uolumus, doloris tamen loco accipimus. Dolorem etiam minorem maiore cum uoluptate uolumus. Voluptatem minorem cum maiore dolore nequaquam. Pari autem modo utrunq; horum habere nos nolle, possumus declarare. Hæc omnia multitudine, magnitudine, intensione, æqualitate, horumq; contrarijs ad electionem singulorum uoluntatemq;, & differunt, & non differunt. Cum hæc necessario sic se habeant, eam quidem uitam in qua cùm utraq; multa, magna, intensaq; fiunt, uoluptates tamen excedunt, uolumus. Eam autem in qua contraria, nolumus. Atq; eam rursus, in qua licet utraq; parua, remissa sunt, molesta tamen superant, nolumus: sed eam in qua contraria, uolumus. Si autem æqualia sunt, de æquali uita ut diximus cogitandum. Volumus enim quæ illo excedunt quod nos diligimus, & nolumus quæ contrario superant. Considerare oportet quemadmodū omnes uitæ nostræ in his connexæ naturaliter sunt, & quas natura uelimus. Siquid autem præter hæc uelle nos dicimus, ignorantia quadam imperitiaq; uitarum id dicimus. Quænam igitur & quot uitæ sunt in quibus nosse oportet quod nolendum, quod uolendum, quod sponte fieri, quod contrà soleat: hisq; cognitis legem sibijpsi præscribere: atq; inde quod sibi amicum sit simul & iucundum & optimum pulcherrimumq; eligere, ut quis quoad homini licet beatissime uiuat? Temperatam uitam unam esse dicamus, prudentem alteram, tertiam fortem, sanam deniq; quartam. Et quatuor his alias contrarias quatuor statuamus, imprudentem, ignauam, intemperatam, ægrotantem. Quisquis uitam temperatam recte nouerit,

De eligenda uita quo ad uoluptatem & dolorem

mitem

mitem in omnibus & moderatã dicet: quæq; dolores quietos, uoluptates remissas,mol- De uita tẽpe
les cupiditates,amores minime furiosos habeat. Intemperatam uero in omnibus acrem, rata & intẽ/
quæ doloribus uehementibus & uehementibus uoluptatibus,cupiditatibus ardentibus perata
furiosisq; & insanis mirum in modum amoribus agitetur. Sed superant in uita quidem
temperata uoluptates,dolores aũt superantur.In uita intẽperata contrà uoluptates à do-
loribus superantur,magnitudine,multitudine,atq; frequentia. Quo fit ut necessario alte
ra nobis secundum naturam uita iucundior sit,altera tristior, & uolentem iucunde uiue-
re, sponte intemperanterq; uiuere non permittat. constat enim si quod nunc dictum est, Omnis hu/
recte est dictum,quòd necesse sit intemperatũ omnem prẽter sententiã esse talem.Quip- mana turba
pe uel per ignorantiam,uel incontinentiã, uel utramq; omnis humana turba expers tẽpe
perantiæ uiuit. Similiter de sana & ægrotante uita est cogitandum: quòd & dolores & rantię uiuit.
uoluptates habeant,sed in sanitate uoluptates excedant, in ægrotatione dolores. Nostra Quod uitæ
uero uoluntas in deligendo genere uitę, non est ut dolor superet. Vbi autem superatur, genus deli
eam uitam iucundiorẽ iudicauimus. Temperatus igitˉ intemperato, prudens imprudẽ- gitur
te,fortis ignauo,utraq; pauciora,minora,rarioraq; habet,& alter uoluptatibus, alter do-
loribus superat,ita ut fortis ignauum,prudẽs amentẽ,temperatus petulantẽ,sanus ægro-
tantem uoluptate superet. Vtq; in summã redigantˉ,quæ uita uirtutis corpore aut animo
particeps est,ea est iucundior altera, & pulchritudine, rectitudine, potẽtia & gloria præ
stat:ita ut qui in ea constitutus est felicius contrario in omnibus uiuat. Verum exordium
legum iam finem accipiat.Post exordium,legem sequi necesse est. Imò uero leges dein-
ceps reipublicæ reuera conscribendæ sunt. Quemadmodum igitur quæcunq; texuntur,
non ex similibus omnino trama staminecq; texuntur, sed staminis genus robustius atque
firmius est, tramæ mollius ut facilius cedat: ita homines qui magistratus gesturi in ciui-
tate sunt, eodem modo discerni semper oportet, eos qui in leuiori quadam facultate ex-
perimentum sui dederunt.Duæ uero sunt in repub.species. Altera magistratuum, altera
legum constitutio.Ante uero hæc omnia ita cogitandum est. Cum pastor atq; bubulcus,
equorumq; curator, cæteriq; huiusmodi, greges & armenta susceperint, non antea cu-
rant:quàm singulis conuenientem purgationẽ adhibeant. porrò sanis ab ægrotantibus,
generosisq; ab ignauis segregatis,altera in greges alios mittẽt,altera uero curabunt,non
ignorantes aliter frustra se tam pro corpore q̃ pro anima laboraturos. Nempe naturæ &
educationis prauitas ita corrumpit, ut nisi quis segreget sanorum integrorumq; morum
ac corporum genus,in singulis contagione interimant. Sed de cæteris quidem animali-
bus minor cura,& exempli causa solum eorum mentio facienda.De hominibus uero ma
ximum studium legislator habebit,ac diligenter rimabitur omnia, ut singulis consenta-
nea scribere queat, tum de lustratione,tum de cæteris omnibus actionibus.Sic igitur ciui
tatis lustrationes se habent.Multæ enim sunt,& aliæ leuiores,grauiores aliæ.Ac siquis ty
rannus simul legisq; lator sit,difficilibus & optimis lustrationibus uti poterit. Legis autẽ
latori absq; tyrannide, qui leges nouas atq; rempublicam fundet, satis erit factum si pur-
gationem mitissimam adhibuerit. Nam exactissima purificatio, quemadmodum me-
dicina quæ ualidior corporibus adhibetˉ, doloris plena est, & cum ultione iusta pœnam
infert,morte peccantem aut exilio damnans.Eos enim qui maxima peccata patrarunt,si
insanabiles sint, quoniam ciuitati maxime noceãt, remouere omnino solet. Mitior uero
purgatio huiusmodi nobis est.Qui enim ob inopiam uictus duces quærunt, hisq; sponte
se offerunt secuturi ex egestate aduersus eos qui non egent,hos tanquã morbum, qui ci-
uitatem labefactet,honesto coloniæ nomine benigne expellit.Hæc omni legũlatori quo
dammodo à principio,ut diximus,facienda.Nobis autem difficiliora quædam in præsen
tia euenerunt, Nam neq; coloniam neq; delectum aliquem purgandi gratia ad præsens
excogitare oportet, sed quasi ex multis fontibus torrentibúsq; aqua ad lacunas easdem
confluat, necesse est obseruare, ut qui undiq; confluit humor,partim exhauriendo effun
dendoq;, partim deriuando atq; diuertendo q̃ mundissimus sit. Labor autẽ ut uidetur,
& periculum est in omni constitutione ciuili. Quoniam uero non re nunc sed uerbis agi
tur,perfectus iã nobis sit delectus, sitq; ut desideramus facta purgatio. Nã malos qui hãc
ciuitatem adire gubernaturi contendent,cum satis longo tẽpore examinauerimus,omni
persuasione accedere prohibebimus: probos autem pro uiribus beneuolos propitiosq;

facientes alliciemus. Sed neq; latere nos debet, quàm feliciter nobiſcum actum ſit. Quippe quemadmodum Heraclidarum coloniam, felicem fuiſſe diximus, quoniam diuidendorum agrorum innouandarúmque tabularum grauem & periculoſam contentionem effugit, quam quidem rem ueterum ciuitas leges ferre coacta, neque præmittere poteſt omnino, neque mouere quodammodo, ita fermè & nobis accidiſſe uidetur. Solum ergo, ut ita dicam, reſtat uotum, paruaq; mutatio cauta, parum in longo tempore tranſmutantibus. Eſt autem hæc, ut in his mutationibus faciendis unà cum debitoribus multis multos quoque agros ciues poſſideant, uelintq; humaniter cum egenis communicare, partim mittendo, partim accipiendo, colentes mediocritatem, exiſtimantesq; pauperatem non in diminutione pecuniarum, ſed in acquirendi inſatiabili cupiditate conſiſtere. Hoc enim ciuitati maximum eſt ſalutis initium, ſuper quo quaſi ſtabili fundamento, ædificare poſtea quicquid ciuitati decorum & huic conſtitutioni congruum ſit, facile quiſq; poterit. Sed ſi fundamentum hoc debile ruinoſumq; fuerit, nulla ciuilis opera proſpere deinde ſuccedet. Itaq; nos id fugientes, imò uero uerbis quo pacto fugiendum ſit oſtendentes, dicimus nullam eſſe aliam aut latam aut anguſtam fugiendi uiam, niſi ut colamus iuſtitiam, neque acquirendi cupiditatem ſequamur. Atque hoc iam nobis quaſi quoddam ciuitatis ſuſtentaculum & præſidium ſit fundatum. Cenſus enim quos ſibi ciues parauerint, careant quodammodo crimine oportet, uel ulterius in acquirendo progredi ultro deſiſtant, quibus inuicem uetera crimina habentur, quiq; uel paulum mentis compotes ſint. Illi autem quibus deus dedit quemadmodum & nobis nouæ ciuitatis conſtitutionem, in qua nullæ inimicitiæ ſunt, ſi propter habitationum agrorumq; diſtributionem inimicitiarum ſibi cauſas dederint, non humanæ cuiuſdam, ſed peſſimæ ignorantiæ crimine notabuntur. Quis erit igitur rectæ diſtributionis modus? Primũ quidem, quantum eſſe oporteat numerum, conſtituendum cenſeo. Deinde aſſeuerandum, per quot qualesq; partes diſtributio ſit ciuibus facienda: poſtremo agros habitationésque ipſas æqualiter quàm maxime diuidendum. Quanta autem multitudo ſufficiens ſit, non aliter recte dicitur q̃ agrorum uicinarumq; ciuitatũ collatiõe. Ager quidem tantus ſit, ut tot moderatis hominibus ſufficiat, neq; maiori opus. Tot uero eſſe debent, ut iniuriantes uicinos poſſint depellere, & iniuriam patientibus auxiliari. His inſpectis, & agrum & uicinos & re & uerbis definiemus. Nunc uero exempli deſcriptionisq; cauſa, ut res ipſa perficiatur, ad ferendam legem ſermo deſcendat. Quinquies mille & quadraginta ſint ob cõmoditatem numeri huius agricolæ, quiq; pro finibus depugnent. Ager autem & habitationes ſimiliter in partes eaſdem diſtribuantur, ut uir & portio diſtributione conueniant. Et in primis duas in partes totius numeri partitio fiat, deinde in tres, licet & in quatuor, & in quinque, & uſq; ad decem deinceps. Oportet cettè omnem legislatorem tantum de numeris intelligere, ut quis qualisq; numerus ſingulis ciuitatibus commodiſſimus ſit, non ignoret. Dicamus autem eum numerum aptiorem eſſe, qui plurimas & præſertim deinceps ordine diſpoſitas in ſeipſo diſtributiones recipit. Neq; em̃ omnis numerus omnes in omnia ſectiones habet. Sed quinquies milium & quadraginta numerus, & ad bellum, & ad pacem, ad contraria omnia, ſocietates, tributa, diſtributiones, non in plures quàm unam de ſexaginta partes incidi poteſt. Ab una autem ad decẽ uſq; continuas. Verũ per ociũ hæc illis ſolide percipienda, quibus lege res iſta cõmiſſa ſit. Atq; hæc nõ aliter quàm ita ſe habent. Dicenda hæc ſunt huius rei gratia illi qui ciuitatẽ condit. Nempe ſiue ab initio nouam fundet, ſeu ueterem diſſipatamq; reſtituat, circa deos & ſacra quæcunq; ſingulis in ciuitate conſtitui decet, & à quibuſcunq; dijs uel dæmonibus nominari, nemo mentis compos innouare illa conabitur, ſiue ex Delphis aut Dodone aut Hammone accepta ſunt, uel priſca quadam fama per uiſiones inſpirationesq; deorũ ſunt aſſerta: quibus approbatis ueteres ſacra ſolennitatibus mixta conſtituerint, ſiue ab indigenis orta, ſiue Tyrrhena dicantur, ſiue Cypria, ſiue undecunq; uolueris: & his ſermonibus famam traditam ſimulacraq; conſecrarint: aras quoq; & templa, ſacrosq; horum ſingulis lucos ſtatuerint. In his omnibus nec minimum quid legum conditor innouabit, ſed deum partibus ſingulis uel dæmonem uel heroem aliquem tribuet. Et in agrorum diſtributione primis lucos agrosq; eximios & conſentanea omnia dedicabit, ut ſingularũ partium cœtus ſtatutis facti temporibus, & facultatem ſui facilius ad quoslibet uſus exhibeãt, &

De diuidendis agris, & de numero partium

De numero apto ad plurimas diſtributiones, q eſt quinquies mille & quadraginta

ſacrificando

ſacrificando alter alterum benigne accipiant: unde domeſtici fiant inuicem, ſeq; cognoſcant. Quo quidem nihil ciuitati melius, quàm uidelicet ut ciues inuicem, ſeq; cognoſcãt. Vbi enim non lux inter ciues eſt in eorum moribus ſed tenebræ, ibi nec honores pro dignitate, neq; magiſtratus recte dabuntur, neq; ius ſuum cuiq; tribui poterit. Nihil eſt aũt, ſi unum uni conferas, in quo maius ſtudium in omnibus ciuitatibus ponere quiſq; debeat, quàm in hoc ut nec ipſe adulterinus eſſe unquam uideatur, ſimplex ſemper ac uerus: nec alius ipſum talis fraudet. Verum iactus qui modo ſequitur in ipſa legum poſitione, ſicut in teſſeris, ut prouerbium habet, à ſacro, cum inſolitus ſit, forte primum mirari auditorem faciet. Cogitanti tamen atq; experto uidebitur, ſecundo loco optime ſic ciuitas inſtitui. Fortaſſe quiſpiam ipſam non ſuſcipiet, quia legislator more tyrannico in ferendis legibus non utatur. Recte ſanè agetur, ſi optima reſpub. & ſecunda & tertia proponatur, deturq; optio cuiq; arbitratu ſuo quamlibet electuro. Id nunc ſimiliter nos agamus. Et cum primam uirtute rempublicam ſecundamq; & tertiam expoſuerimus, Cliniæ optionem demus, & cuiq; uolenti hæc ſuo more deligere, partiq; ſuæ quod ſibi placet tribuere. Prima igitur ciuitas eſt reſpublica legesq; optimæ, ubi quàm maxime per uniuerſam ciuitatem priſcum illud prouerbium locum habet, quo fertur uere, amicorum omnia eſſe cõmunia. Certe in hoc præcipue uirtutis erit terminus, quo nullus poni rectior poterit, ſi alicubi uidelicet aut fit iſtud, aut unquam fiet, ut communes mulieres ſint, cõmunes & liberi, communis quoq; omnis pecunia, omniq; ſtudio quod proprium dicitur undiq; è uita remotum ſit: uſqueadeo ut ea etiã quæ propria ſingulis natura ſunt, cõmunia quodãmodo fiant, ut & oculi & aures & manus cõmunem in uſum cernere, audire, agere uideant, laudentq; & uituperent eadem ſimiliter omnes, eiſdem rebus gaudentes, eiſdemq; dolentes, ac deniq; pro uiribus ſub his legibus uiuant, quæ unam quàm maxime ciuitatem eſſiciunt. Talem utiq; ciuitatem ſiue diꝫ alicubi, ſiue deorum filiꝫ unà plures habitent, ita uiuentes eamq; ſeruantes, omni certe referti gaudio uiuunt. Quapropter reipublicæ exemplar non alibi conſiderare oportet, ſed hac inſpecta, talem maxime pro uiribus quærere. Ea uero quam hic nos aggreſſi ſumus, ſi fiat, proxime quodammodo ad immortalitatem accedet, ac ſi non primo, ſaltem ſecundo loco erit. Sed de tertia poſtea, ſi uoluerit deus, determinabimus. Nunc uero quænam hæc ſit, & quo pacto talis fiat, conſideremus. Primum igitur domos agrosq; ſortiantur, nec agros communiter colant. Nam maius hoc eſt, quàm hæc generatio nutritioq; & educatio ferre poſsit. Sed hac mente ita diſtribuant ut putent, ſinguli ſortem ſuam toti ciuitati eſſe communem. Quippe cum ea regio patria ſit, magis eam colere debent, quàm filiꝫ matrem. Hæc enim cũ dea ſit, domina mortalium eſt. Idem quoq; de indigenis tam diꝭs quàm dæmonibus eſt cenſendũ. Sed ut hæc ſic omne per tempus durent, danda opera eſt, ut quot nunc foci numero diſtributi ſunt, totidem ſemper futuri ſint, neq; plures unquam, neq; pauciores. Quod ita firmiter in oĩ ciuitate fiet, ſi ſortem nactus quiſq; ſemper unũ de filiꝭs ſuis tantũ, quẽ malit, domus ipſius hæredem relinquat & ſucceſſorem, cultoremq; deorum & ciuitatis & generis tam uiuentium quàm defunctorũ: ex reliquis aũt filiꝭs ſi plures unà ſibi nati ſunt, fœminas quidem ſecundum legẽ quæ ſancieẽ, collocet: mares autem, ciuibus illis, quibus filiꝫ nõ ſunt, adoptione cõmittat, maxime quidẽ per gratiã. Si uero gratiæ quoſdam deficiant, aut ſi plures uel mares uel fœminæ ſingulis naſcantur, aut contra ſi pauciores, cum mulieres forte fœcundæ non fuerint, de omnibus iſtis maximus præſtantiſsimusq; magiſtratus quid fieri oporteat, diligenter conſideret: uiamq; omnino inueniat, ſiue abundet filiorum fœtura ſiue deficiat, ut quinquies mille & quadraginta habitationes ſolummodo ſemper maneant. Multæ autem ſunt uiæ. nam & prohiberi procreatio, cum nimis affluit, poteſt: & contrà cum opus eſt, ut augeaẽ, curari: ac uel honore uel dedecore, monitionibusq; ſenũ ad iuuenes, licet ad eam homines adhortari. Deniq; hinc oĩs defectus oritur & inopia, cum quinque milium & quadraginta domorum numerus non ſeruatur. Quod ſi ob nimium in procreandis liberis ſtudium ſic aucta ſit ciuitas, ut numeri modum excedat, atque ita inopia rerum prematur, uetus illud repetatur conſilium, quod ſæpe iam dictum eſt, ut colonia mittatur chara à charis, quo cõmodius agi poſſe uidebitur. Si uero cõtra morborum lues bellorum'ue calamitas ueluti quadã illuuione ita deuaſtauerit ciuitatẽ, ut multo pauciores ſtatuto numero ſuperſtites ſint, ſponte quidem alicubi ciues adulterina educati

Prima ciuitas & reſpublica ubi amicorũ omnia communia

Secunda unitas & reſpublica ut omnia patriæ ſint cõmunia

Prouerbiũ

cati diſciplina ſuſcipiendi non ſunt. Neceſsitatem autẽ nec deus, ut dicitur, uiolabit. præſentem igitur orationem exiſtimemus hunc in modum noſtrorum auribus inſonare. O uirorum omnium optimi, ſimilitudinem & æqualitatem, quod'ue idem eſt & conſentiens, honorate ſecundum naturam: neq; id unq; tranſgrediamini, ſiue ſecundũ numerum, ſiue ſecundum potentiã, bonarum rerum atq; pulchrarũ. Et nunc quidem in primis per omnem uitam numerũ quem prędiximus conſeruate. Deinde cenſus modum quẽ ab initio mediocrem ſortiti eſtis, ne contemnatis, emendo inuicem & uendendo. Alioquin neq; deus ipſe diſtributor, neq; legis conditor uobis fauebit. Nunc enim primum refragantibus lex præcipit hoc prædicens, ut ſi arrideat ſortiantur, ſin minus, diſcedant. perinde ac ſi regio ipſa in primis, diſs omnibus ſit ſacrata, deinde ſacerdotes omnes tam mulieres quàm uiri precaturi ſint, primis in ſacris ſecundisq; & tertijs, ut & emptor & uendi tor domiciliorum & prædiorum quæ ſortiti ſunt, quæ in his perpeti cõuenit, patiant̃. Scribent autem in ſacris ad poſteritatis inſtructionem cupreſſea monimenta, præterea ut iſta ſeruentur, eorum cuſtodiam magiſtratui illi cõmittent, qui acutiſsime uidetur inſpicere, ne lateat eos, ſi qua fortè præter rationem hanc cõmercia fiant, ſed quicunq; legi ac deo non obtemperat puniatur. Atqui quantum bonum ſit quod modo præcipitur, ſi quomodo deinde oſtendemus fiat, quantumq; proſit obſequentibus ciuitatibus, ſecundum anti

Prouerbiũ De quæſtu

quum prouerbium, nullus unquam prauus intelliget, ſed expertus duntaxat & æquis in moribus educatus. Quæſtus in hac ciuitate non multus. neque enim oportet in ea, neq; licet illiberali quæſtui quenquam incumbere, neq; mechanicum illud & infame quærere lucrum, quod mores generoſos inquinat, neq; exiſtimare ullo pacto uilibus ex rebus & turpibus pecunias cumulandas. Accedit ad hæc & alia lex, quæ iubet ne quis priuatus

D auro habendo & nummis

uel aurum habeat uel argẽtum. Sed quia nummis opus eſt quotidianæ cõmutationis gratia, quæ inter artifices & huiuſmodi ferme eſt neceſſaria, cum mercenarijs & ſeruis & colonis merces aliqua debeatur, idcirco nummos habere concedimus tales, ut apud eos quidem habeantur in precio, à cæteris uero gentibus cõtemnantur. At uero cum & bella ſæpe gerenda ſunt, & peregre proficiſcendum, quando ad externas gentes legati nunciiq; mittuntur neceſſe ut ciuitas ſemper cõmunem Græciæ monetam poſſideat. Siqua uero neceſſitas priuatũ peregre proficiſci coegerit, magiſtratuũ uenia proficiſcatur. Reuerſus aũt, ſi peregrinis nũmis abũdat, cum ciuitatis nummis eos cõmutet, ciuitatiq; reſtituat. Quod ſi quis occultare eos, & in priuatũ uſum conuertere deprehenſus fuerit, publi

De dotibus

cum fiat q̃d occultabat. Conſcij aũt qui non accuſauerunt, maledictis atq; opprobrijs unà cum illo ſubijciãtur, atq; etiam nõ minore mulcta puniantur, quàm allatus peregre nummus fuerit. Nemini præterea aut dare dotes aut accipere liceat, neq; pecuniam deponere

De dote & fœnore

apud eum cui non adhibet fidem, neq; fœnerare: liceatq; ſiquis in fœnus acceperit, nec uſuram nec ſortem reddere. Hæc aũt ciuitati optima eſſe, ſic recte quiſpiam iudicabit, ſi ad præcipuam ipſam recti legum latoris ſemper referat uoluntatẽ. Nam uiri ciuilis mentem habentis non ea uoluntas eſt ut nos aſſerimus, quam in legumlatore optimo eſſe debere multi affirmant, ut q̃ maximam & ditiſsimã eſſe uelit ciuitatẽ, auro & argento refertam, ac terra mariq; plurimum dominantem, quibus addunt, ut q̃ optimam etiam ac feliciſſimam eſſe uelit, ſi recte leges laturus eſt. Sed horum quidem alia fieri poſſunt, alia minime. poſsibilia igitur uolet fundator legũ, impoſſibilia nec uolet, nam uana eſſet cupiditas, neq; aggredietur. Felices ergo & probos eſſe, quę ſimul neceſſario fermè fieri ſolent, uolet quidẽ. Diuites aũt ualde ſimulq; probos eſſe impoſſibile. Dico aũt diuites, ut multi exiſtimant, aſſerentes eos eſſe diuites, qui pauci è multis pecunias plurimas poſsident, quas etiam poſſet malus quilibet poſsidere. Quod ſi ita eſt, nunquam ego his concedam, diuitem reuera eſſe felicem, niſi etiam bonus ſit. fieri uero non poteſt ut diuitijs aliquis ſimul præſtet & probitate. Cur ita? fortè quiſpiam dixerit. Quia, dicemus, acquiſitio tam iniuſtè quàm iuſte facta, plus quàm duplo eam ſuperat, quæ ſolummodo iuſte fit. Et impendia quæ nec honeſte nec turpiter impenduntur, duplo minora ſunt illis quæ honeſta ſunt, honeſteq; impenduntur. Nunquã igitur illo qui duplo plus aquirit & dimidio minus erogat, ditior is erit qui contrà facit. Eſt autem alter iſtorum probus, alter non malus quidem quando duntaxat parcus eſt, nonnunquam uero malus omnino, bonus autem ut modo diximus nunquam. Nam qui & iuſte pariter & iniuſte pecunias cumulat, neq;

iuſte

iuſte impendit neque iniuſte, diues fit quando eſt parcus. Sed qui omnino malus, quoniam ut plurimum nepos & prodigus eſt, ualde pauper fit. At qui honeſte expendit, & iuſte ſolum acquirit, neque facile diuitijs excelliet unquam, neque premetur inopia. Recte itaque ſermo noſter aſſerit, ualde diuites, bonos uiros non eſſe. quod ſi boni non ſunt, felices quoq; non erunt. Nobis autem legum huc ſanctio reſpicit, ut feliciſsimi ciues ſint, ac maxime inter ſe amici. Qui ſanè amici nunquam erunt, ſi mutuis iniurijs uexati plurimis litigando uti cogantur iudicijs, ſed ſi quàm minima hæc ſint atq; paucisſima. Quapropter oportere dicimus nec aurum nec argentum eſſe in ciuitate, necq; quæſtū inſuper multum in mechanicis operibus cauponationibusq; & fœnore, nec ex pecoribus turpiter, ſed ab his quæ agricultura offert ac præbet: atque hoc ita, ut quæſtus non cogat ea negligere, quorum cauſa quæruntur pecuniæ. hæc uero anima & corpus ſunt, quæ abſque gymnaſtica, & alia diſciplina, nullius precij unquam erunt. Quare pecuniarū cura, ut ſæpius iam dictum eſt, ultimum honoris teneat locum. Quippe cum tria ſint omnia in quibus homines ſtudium ponūt, ultimum ac tertium eſt, ſi recte habeatur, pecuniæ ſtudium, medium corporis, animi primum. Atqui hæc ipſa quam nunc condimus reſpublica ſi honores ita diſtribuit, recte diſponitur. Si qua autem lex, aut temperantiæ ſanitatem corporis, aut ſanitati & temperātiæ diuitias anteponit, non recte poſita eſſe uidet. Sæpius itaq; legislator proteſtari debet, quid ipſe uelit, quid ſi contigerit, bene ſuccedet. Sin minus, inſtituti ſui ſpes eum fruſtrabitur. Atque ita forſan & ipſe à ferendarum legum onere & ſeſe & cæteros uindicabit, aliter nullo modo. Qui ergo partem ſuam ſortitus eſt, eam qua diximus conditione poſſideat. probe autem fieret ſi cætera omnia quæ ueniunt in coloniam, æqualiter poſſiderent. Cum autem fieri id non poſſit, ſed alius ueniens plus habebit pecuniæ, alius minus, multorū & æqualitatis in ciuitate temporum opportunitatūq; cauſa, opus eſt ut inæquales in ea cenſus conſtituantur: ut magiſtratus, uectigalia, diſtributionesq; ſecundum dignitatem ſinguli, non ſolum ſuæ maiorumq; uirtutis aut formæ aut uirium corporis, uerumetiam ſecundum diuitiarum & paupertatis uſum quoad fieri poteſt æqualiter, uidelicet inæquali quidem portione, ſed facile coæquabili accipientes, nequaquam contendant. Horum cauſa quatuor magnitudine differentes bonorum cenſus fieri oportet: Primos, Secundos, Tertios, & Quartos, aut quibuſuis alijs nominibus appellatos: ut alij eodem in cenſu permaneant, alij ditiores pauperioresue facti, in cenſum ſibi conuenientem tranſeant. Ad hæc legis figuram, quæ ſequitur, ego ponam: Nempe oportere dicimus, ut in ciuitate quæ ſummi morbi expers futura ſit, quod diſſidiū aut ſeditionem rectius appellarim, nec extrema in aliquibus ciuium inopia ſit, nec ingentes diuitiæ. Nam utraq; illa ab utriſq; his pariuntur. Quare oportet ut à legislatore utriuſque terminus ſtatuatur. Sit itaq; paupertatis terminus, cenſus ſortis, quam ſtabilem eſſe oportet, quam ue minorem alicui eſſe nec magiſtratus ullus patitur, nec alius quiſquam, cui curæ ſit uirtus. Cum legislator his menſuram ſuam præſcripſerit, duplum ad hanc & triplum & quadruplum haberi permittet. Plura uero ſi quis habeat ſiue reperta, ſeu donata, ſiue quæſtu parta, ſeu quauis alia fortuna huiuſmodi comparata, ſi omne quod ſupereſt ciuitati & dijs ciuitatis tutoribus dederit, indemnis & laudibilis ſit. Sin autem legi nō obtemperauerit, quiſquis hoc detulerit, dimidium cōſequatur. Ille autem æquali ſuorum bonorum parte mulctetur. Quæcunq; uero poſſident ultra ſortem, apud magiſtratū horum cuſtodem à lege conſtitutum, aperte ſcribantur, ut omnia de pecunijs iudicia facilia ſint, & ualde clara. Poſt hæc urbs primum in medio regionis quoad fieri poſt condatur, in loco qui cætera quoq; ciuitatis habeat commoda: quæ nec intellectu nec dictu difficilia ſunt. Deinde in partes duodecim partitio fiat. Vt Veſtę prima Iouiq; & Palladi conſecretur, eaq; arx, circulo circunducto, à quo & regionem & urbem partes duodecim partiantur. quæ quidem ita æquales fiant, ut agri fœcundi minores ſint, infœcundi maiores. Sortes uero quinquies mille & quadraginta ſcindantur, quarum bipertito quęlibet diuida tur. Conſortiri quoq; oportet portiones duas, quarū utraq; remotioris & propinquioris ſit particeps, ita ut pars urbi proxima cū remotiſsima parte ſors una fiat, ſecūda quoq; ab urbe cum ſecunda à remotiſsima, cæteraq; omnia eodem pacto. Danda etiam opera eſt, ut in geminis his partitionibus, quod modo de fœcunditate regionis & infœcunditate diximus, peragat, ut uidelicet in eis multitudine, & paucitate diſtributionis æquatio fiat.

Valde diuites bonos non eſſe

Tria in quibus homines ſtudiū ponunt, bona animi, bona corporis & pecunia

De ſitu urbis

Diuiſio agrorum

Quinetiam

Quin etiam diuidere in partes duodecim uicos oportet, quemadmodum & cętera bona, omnium prorsus æqualitate seruata, omniaq; describere. Deinde duodecim sortes, diis duodecim attribuere, partem quamlibet sortis participem suo consecrare deo, tribumq; ipsam uocare. Sed & duodecim urbis mẽbra, sicut in reliqua regione factũ est, sigillatim in habitationes duas diuidenda sunt, unam quidẽ circa mediũ, circa extremũ alteram. Et habitationis quidem ordo hunc habeat finem. Illud autem cogitare omnino debemus, quod ea quæ diximus, nunquam talem opportunitatem nacta, omnia ita concurrent ut quemadmodum descripta sunt fiant, & uiri habitationem huiusmodi nõ ferant molestę: sed æquo animo patiantur: pecuniasq; habere uelint per totam uitam ut statuimus. Mediocres filiorum præterea generationes ita ut singulis sint ut diximus, ac auro & argento careant, & cæteris omnibus quæ legislator ex supradictis dicturus esse uidetur: ad hęc regionis & urbis in medio & in extremis sicut ordinauimus ubique habitationes: quæ quidem omnia quasi somnia quædam dicuntur, ciuesq; per hæc & ciuitas quasi ex cæra formantur. Hæc utiq; modo quodam non male opponuntur: sed ea quoq; narranda, quæ legislator aduersus diceret. Ne fugere me existimetis amici, quod modo dictum est, uere quodammodo dici. Sed par est ut arbitror in singulis, is qui exemplar proponat ad cuius similitudinem opus fieri debeat, nihil omnino prætereat, quod ad ueriſsimam eius conueniat pulchritudinem. Si quis autem ex his nonnulla imitando assequi nequit, quæ supra uires sunt prætermittat: & quod his proximum est, eorumq; quæ fieri cõuenit cognatiſsimum, omni studio prosequatur, permittatq; legislatorem uoluntati suæ finem imponere. Quo facto, communiter cum illo consideret quid ex dictis conferat, quid'ue ferendis legibus aduersetur. Nam opus undiq; sibijpsi consentiens, artifex omnis ubiq; agere debet etiam in re minima, si modo sit laudem cõsecuturus. Nunc iam post duodecim partium distributionem animaduertendũ est, quod cum duodecim partes hæ plurimas in se portiones, portionibusq; connexa & orientia ex connexis habeant usq; ad quinq; milia & quadraginta, unde & tribus & gentes & uicos habent, & ad rem bellicam ordines atq; ductus, nummos præterea & mensuras siccorum atq; humidorum & pondera similiter, hæc omnia cõmensurata & consona inter se à legislatore ordinari debẽt. Præterea timen

De mensura supellectilium

da non est pusillanimitatis opinio, quasi parua nimium considerentur, si quis iubet ut uasa & supellectilia ciuium omnia mensuram habeant suam, nullumq; sine certa mensura possideatur: & communi ratione censeat ad omnia perutiles esse numerorum partitiones uarietatesq;, secundum quas & ipsi inter seipsos uarij sunt, & in longitudine & profunditate ac uocibus uarietatẽ accipiunt: in motibus quoq; tam recto motu ascendendo uel descendendo quàm circuitu. Ad hæc omnia ita respicere debet legislator, ut ciuibus omnibus pręcipiat, ne ab huiusmodi numerorũ ordine quoad possunt, discedant. Nulla enim alia una pueritiæ disciplina, ad rei familiaris gubernationẽ, ad rempublicam, ad artes denicq; uniuersas tantam habet uim, quantam huiusmodi numerorũ cognitio: quodq; maximum est, somnolentos etiam, & natura rudes exuscitat: dociles, memores solertesq; facit, præter naturam suam diuina arte proficientes. Quæ quidem omnia, si modo legib. aljs atq; officijs illiberalitas & auaritia eorũ animis extirpata sit, qui ea sufficienter & uti liter susceperi sint, bona rudimẽta, & cõmoda sunt. Sin minus, malitia hinc potius quàm sapientia clam originem trahet: quod Ægyptijs & Phœnicibus multisq; aljs gentibus nunc uidemus contingere, propter cæterarum artium facultatũq; illiberalitatẽ: siue quis rudis legumlator id fecerit, siue fortuna infensa, siue alia huiusmodi quædam natura. nec enim illud ô Clinia & Megille nos fugiat, magnã esse locorũ ad ferendos meliores peioresq; homines differentiam: quibus diuersa prout expedit legibus sancienda sunt. Quippe alij uarietate uentorum & turbine, difficiles & proterui sunt: alij propter aquas: alij propter cibos, qui ex terra nõ solum corporibus cõmodi aut incõmodi oriuntur, uerum animis quoq; non minus. Maxime aũt loca regionis differunt, in quibus inspiratio quædam diuina est, & quæ dæmones sortiti sunt: qui habitantes, propitij, uel contrà suscipiunt. Quibus pro humano ingenio consideratis, mentis compos legum cõditor, se ad leges ferendas cõuertet. Quod & tibi est, ô Clinia, faciendum. Prius enim hæc tibi animaduertenda sunt, q; habitari facias regionem. CLIN. Egregie, ô Atheniẽsis hospes, hæc abste dicta sunt. Quare & mihi ita est faciendum.

Argumentum

ARGVMENTVM MARSILII FICINI IN DIALOGUM SEXTUM DE LEGIBUS.

TRIA *sunt genera causarum, quibus diuersa diuersis in locis hominum ingenia fiunt. Quæ quidem tria genera Plato in superioris libri fine breuiter comprehendit. Ego uero operæ preciũ fore arbitror, hac ipsa materia quasi quodam modo sextum cum quinto ligare. Sit ergo plurimum in loco discriminis ad meliores deterioresq; homines generãdos, Causa uero sit uel hũana, uel naturalis, uel diuina. Humana quidẽ, lex, educatio, consuetudo diuersa. Naturalis autem, elementorum alimentorumq; diuersitas. Diuina uero, ut cœlum quoq; diuinum uocem, siderum numinumq; potestas. Siquidem Plato indicat quẽadmodũ aliæ cœli plagæ alijs reguntur stellis, alijsq; dijs, id est superioribus angelis, sic alias terræ plagas, alijs quoq; dæmonibus, inferioribusq; angelis gubernari. Accedit ad hæc astronomorũ sententia, & plagas terræ cœli plagis, & urbes ascendentibus signis accommodans. Mitto in præsentia quantum ingeniorũ discrimen afferat familiarium cuiusq; hominis uarietas dæmonum. Quod autem spirituũ superiorum uires, nostris quomodocunq; id fiat, spiritibus influant, negare non possumus, quando manifeste uidemus corpora nostra corporibus superioribus agitari: assidueq; ab aere aliter permutari. Quod si spiritus illi in nostros agunt spiritus, agũt in super & in corpora. Passio uero corporum humanorũ, siue à spiritibus illis, siue à corporibus superioribus infertur, eatenus redundat in anima, quatenus tam cõparato quàm naturali affectu animus sese mergit in corpus. Veriũ hoc interest, quod corpora illa per corpora nostra mouent animas: spiritus autem tum animas per corpora mouẽtum per animas, tum etiam per illum spiritum, quem physici sæpe nodum animæ inuicem corporisq; cognominãt. Memento uero uim omnem atque motum à superioribus in nos descendentem, semper ad bonum suapte natura cõducere. quandoquidem & cœlestes influxus, semper ad bonum. Sed neque tu hic uel rigidiorum hominum tristitiam & parsimoniam reijcias in Saturnum: uel temeritatem ferocitatemq; in Martem: uel fraudulentiam malitiãq; in Mercurium, uel lasciuos amores in Venerem. Quid uero, si Saturni grauitas in nobis complexionis naturæ, nutritionisq; & educationis uitio, in simile quiddam grauitati uitium conuertatur: similiter magnanimitas Martia in audaciam magnanimitati quodammodo similem, Mercurialis industria similiter in malitiam, Venerea charitas in libidinem? Nonne sub solis radijs, qui natura sua ad uidendum conserunt & uiuendum quotidie accidit alios uisum, alios uitam amittere: & qui in aere libero salubriter calefaciunt, in concauis urunt? Quemadmodum uero sub benefico radiorum influxu ob inferiorem naturam resultat alicui malũ, non uniuerso: sic sub stellarum uiribus natura bonis, atq; sub numinum muneribus optimis, potest interdum inferioris uel naturæ uel consuetudinis uitio, uitium uel corporis uel animi suboriri. Nihil uero uniuerso uitium aut malum: quemadmodum in concentu secũda uel septima uox, quæ seorsum audita dissonat, interim coniuncta cæteris consonat uniuerso. Solent uero Platonici infimos dæmones malos aliquando nuncupare, quoniam ad infimum generationis & sensibile bonum suo quodam ut aiunt, officio nos alliciant. diuertere autem à summo bono ad minimum, comparatione summi malum iure censetur. Missum facio in præsenti quod aiunt supremos dæmones ad contemplationis, medios ad actionis, infimos ad concupiscentiæ bonum ducere: quod ue his omnibus & uti possumus, & abuti: & utentibus quidem bona contingunt, abutentibus uero mala. Appellat uero Plato dæmones & deos indigenas patriæ, non quia inde geniti, sed quia ciues inde genitos peculiari quadam cura custodiunt. Dicit præterea beatam ciuitatem à dijs deorumq; filijs coli: intelligens partim quidem cœlestem Hierusalem, ab angelis purisq; animis habitatam: partim quoq; felicem illorum uitam, quos in Phædone inquit æditissimas terræ partes incolere numinum familiaritate beatos. Descendit post hæc in sexto ad magistratus constituendos, scilicet quot esse oporteat, et quo pacto creari, quod ue magistratus cuiusque sit officium. Inquit autem diligentiam in his creandis tanti esse momenti, ut uel bonarum constitutio legum absq; magistratibus bonis, non modo minime profutura sit ciuitati, uerum etiam plurimum nocitura. Oportere uero ait tam eos qui magistratus electuri sunt, quàm qui eligendi, esse ab adolescentia probatissimos, maioribusq; probatissimis genitos, & qui conciuium mores perfectissime calleant. In his notabis miram Platonis prudentiam in ordine magistratuum, eorumq; officio in rebus humanis & sacris, bello & pace, in urbe atq; agris. Cognoscesq; & probabis optimatum gubernationẽ, aliquid regij, necnon popularis habentem, & quodammodo inter unum & populum mediam constitutam. Animaduertes in ciuilibus muneribus distribuendis seruandam semper æqualitatem, non arithmeticam quidem, per quam numero uel etiam mensura & pondere paria singulis tribuuntur, quæ sæpe iniustissima est: sed geometricã potius, per quam considerantur merita singulorum: atque ea ratione singulis distribuuntur, ut quæ proportio meritorum est ad merita, eadem quoque munerum sit ad munera: neque æqualia sint munera muneribus, sed munera meritis. Geminam ergo considerabis æqualitatem tum muneris ad munus, tum muneris ipsius ad meritum. Et illam quidem sæpe noxiam, raro utilem, & tunc demum utilem si fiat sorte. Hanc uero quotidie necessariam. In hac utique totam consistere iustitiæ rationem. Atque hanc ipsam in Iouis iudicio esse positam, eiusq; notionem hominibus uix paucisq; tribui, sed quantacunque nobis adsit, per hanc solam cuncta seruari. Nec immerito æqualitatis huius officium supremi iudicis ascribit iudicio. Qui cum*

ſolus ſecreta omniũ penetret, ideoq; merita perfecte cognoſcat, nimirum ſolus perfecte poteſt meritis æqualia red dere. Idq; ita facit, in cœlo primum, deinde in uniuerſo, ut hac ſola pro cuiuſque naturæ capacitate ubique diſtri= bution fieri cuncta atq; ſeruari, & ab antiquis probatum, & in Gorgia fuerit cõprobatum. Sed inter hæc Plato iterum, qui mos eius eſt frequentiſsimus, pueris educandis incumbens, peculiarem ad id procreat magiſtratũ, eũq; haberi uult omnium in ciuitate ſummorum magiſtratuum præſtãtiſsimum: exiſtimãs abſq; colendæ puerilis ſemen tis prouidentia, totam ciuitatis culturam fore uanam. Aduertes hic humanum ingenium bene quidem cultum, tan= dem manſuetiſsimum diuiniſsimumq; euadere: contrà uero, ſi contrà. Sed curnam humanum ingenium ferocius eua dere poſſe dicit quàm ferarum? Quia quod maximam uim habet ad bonum, maximam quoq; habere poteſt ad ma= lum. Item optimum quando deprauatione ſui uertitur in oppoſitum, fit peſsimum. Quod quidem in republica di= ſputat. Præterea ferocitatem in homine deprauato auget machinatio perſpicaciſsimæ mẽtis ad malum. Adde quod ſubtilitas ſpirituum humanorum in ira, conuertitur in furorem. Accedit & quorundam dæmonum irritatio, quod Plato in epiſtola ad Syracuſanos ſignificat, & Homerus ex Aegyptiorũ ſentẽtia frequenter uſurpat, Heroas indu cens à dijs, id eſt dæmonibus ad iras & ſanguinem animatos. Commendat iterum numerum illum quinquies mille & quadraginta, in magiſtratuum, domiciliorum, agrorum partitione omnium commodiſsimum: utpote qui in multas deinceps portiones integras diuidatur. Sanè ſi uniuerſum hunc numerum in duas diuiſeris partes: pars di= midia duo milia continebit, quingentaq; & uiginti. Si uero in tres: pars tertia, mille ſexcenta octoginta. Si in quatuor: quarta quælibet, mille ducenta ſexaginta. Si in quinque: quinta quælibet mille continebit atq; octo. Si in ſex: ſexta omnis octingenta, & quadraginta. Si in ſeptem: ſeptima, ſeptingenta uiginti. Si in octo: octaua, ſexcen= ta triginta. Si in nouem: nona, quingenta atque ſexaginta. Si in decem: decima, quingenta & quatuor. huc uſque partes omnes ſunt integræ. Sed ſi in undecim: undecima quatercentũ quinquaginta & octo, atque inſuper duas undecimas portiunculas. Quod ſi in duodecim: duodecima, quatercentum atque uiginti. Hic ſiſte pedem. At quo niam nobis ſexaginta commemorat, ſi uniuerſum illum numerum in ſexaginta partes diuiſeris: pars ſexageſima octoginta & quatuor cõprehendet: ac ſi conuerſione quadam in partes octoginta quatuorq; ſecueris, pars quæq; ſexaginta tenebit. Videtur autem Plato plurimi facere, quod ille numerus duodecies diuidatur in quatercentum atq; uiginti: quod uc hic rurſus duodecies in triginta quinque. At uero hic duodecies in duo atq; inſuper undecim duodecimas unius partes. Atqui & ipſe numerus quatercentũ atq; uiginti multiplicatur ex numero uigeſies uigin ti & uno. Nam uiginti numerus uigeſies ſemelq; replicatus, quatercentum uigintiq; complet. Laudat duodenari um numerum: & uniuerſum illum, qui duodenario prorſus accommodatur, propterea quod duodecim ſint apud eum mundi ſphæræ: & ſigna duodecim in zodiaco, & partes duodecim in elementis. Siquidem quodlibet ex qua= tuor elementis in tres diuiditur regiones, in ſummam & infimam, atque mediam: non ſolum ſitu, ſed uirtute etiam differentes. Adde elementorum alterum duodenarium. Quo & ſubſtantiæ elementorũ quatuor & qualitates octo comprehenduntur. Qualitatum uero quatuor quidẽ maſculæ ſunt, ſcilicet calor, frigus, leuitasq; & grauitas. Quo niam primæ duo alterationis principia ſunt, ſequenter duo principia motionis ad locum. Quatuor uero fœminæ ſunt, quæ paſsioni magis ſubijciuntur, ſcilicet humor, ſiccitas, rarumq; & denſum. Hæc uero Aegyptiorum myſte= rijs contineri, Iamblichus aſſerit. Accedit quod duodenario menſium numero Sol dominus planetarum & curſum peragit proprium, & uarios producit effectus. Deniq; ſingulas uult ciuitatis partes deo conſecratas exiſtimari, proprie uero dijs duodecim, id eſt duodecim ſphærarum animabus. Item dijs duodecim zodiaci ſigna regentibus. Rurſus duodecim ordinibus dæmonum cœleſtia ſigna ſequentium. Quum uero dicit partes urbis duodecim ſequi circuitum uniuerſi, fortè etiam intelligit totum octauæ ſphæræ circuitum triginta & ſex milibus annorum perfici endum. Qui ſanè numerus tribus annorum mille duodenarijs perfecte completur. Adeo ut in primo mille anno= rum duodenario intelligas ex antiquorum ſententia iuuenilem mundi totius habitum: in ſecũdo uirilem: in tertio uero ſenilem. Verum de his opportunius in Timæo. Conuenit his, quod in Phædro inquit deorum dæmonumq; ex ercitum ſub duce Ioue in duodecim ordines eſſe diſpoſitum. Concludit hic ciuitatis partes, partim quidem per duo denarium tribuum templorumq; numerum, partim uero per diuinum cultum bis quolibet duodecim menſiũ ſolen niter inſtauratum, ſic ad dei munera præparari, ut dijs ipſis quaſi inſidentibus gubernentur. Bis autem inſtaurari præcipua uult publica ſolq; ennia, quo duodenario tribuũ, et ciuitatis reliquæ agriq; duodenario ſatisfiat. Quod autem ſacra iubet fieri dijs deorum'ue filijs, deos quidem intelligi uult ſphærarum animas: filios autem, dæmones puriores. Cuncta uero hæc Iouis unius omnium principis gratia iubet fieri. Neq; uero ſilentio prætereundũ eſt: duodenarios quos pertinentes ad uniuerſum cõmemorauimus, à duodenario cuiuſq; hominis proprio quaſi repræ ſentari. Qui ſanè ex quatuor corporis humoribus, totidem ſenſus ipſius perturbationibus, ac totidẽ uirtutibus cõ ſtare uidetur. Poſt ſacra deorum ad nuptiarum ſacra deſcendit. Vbi leges ritusq; nuptiales: exhortationem ad ma trimonium: officia uiri & uxoris tum inter ſe, tum erga liberos & generandos & educandos conſiderabis. Nota bis ante omnia: non decere in ebrietate uel alia mentis perturbatione procreandis liberis operam dare. Atq; ob huiuſmodi delictũ filios quotidie naſci tam animo quàm corpore ægrotantes. Mandabis quoq; memoriæ myſteriũ

ubi ait

ubi ait. Principiũ & numen hominibus insitum, si conuenienti sibi honore à singulis munere ipsius utentibus afficiatur, omnia seruat. Quid ergo principium, quid numen insitum aut insidens? Principium quidem idea est formationis humanæ principium. Numen uero familiaris dæmon, dæmon quoq; generationis princeps sæpe sub nomine Lucinæ significatus. At cur insitum: aut insidens: aut incubans? ut intelligas numen non adesse solum: sed inesse assidue atq; fauere: Præcipue uero fauere, et fauendo seruare, si grate colatur ab his qui munere eius utuntur. Post mutua uiri uxorisq; officia, cõsequenter ad mutua dominorum seruorumq; descẽdit officia. Post hæc solita quadã arte redit ad mœnia, templa, palatia, quæ ante nuptias tractanda fuisse dicit. Vbi notabis in primis curias iudicum magistratuũq; palatia, idcirco templis proxima collocari, quo humani iudices semper iudicãdo meminerint se à deo dum iudicant homines, iudicari. meminerint quoq; custodes urbis nisi custodiẽte deo custodire non posse. Itẽ nihil in ciuitate uel minimum sine certo quodam ordine esse debere. Siquidem quod caret ordine, alia insuper ordinata confundit. Maxime uero ordine & continua cura muliebria indigere. Alioquin si mulierũ res negligantur, duplo plus, immo & supra duplum detrimenti prouenit ciuitati, quàm si uirorũ neglectæ res fuerint. Inter hæc ubi nundi antiquitas repetitur: quod dicitur ipsum generationis principium nos inextimabili temporis magnitudine præcessisse, intellige si obseruas Moysem, inextimabili dierũ horarumq; numero. Conclude librum ea sentẽtia, ut triplicem impetũ, scilicet ad cibum, potum, coitũ, nequando præcipitemur, triplici cohibeamus freno, timore scilicet atq; lege, ucraq; ratione, præterea moderato honestorum ludorum à pueritia usu. Quo per honesta solatia reuocemur à turpibus, & ad seria paulatim studia prouocemur.

DIALOGVS SEXTVS DE LEGIBVS VEL DE LEGVM LATIONE.

POST omnia quæ hactenus diximus, fermè iam magistratus in ciuitate constituendi uidentur. CLIN. Ita certe. ATH. Duæ profecto hæ species ornatu reipublicæ sunt. Prima magistratuum constitutio: quot esse oporteat: & quo pacto constitui. Altera de legibus magistratui attribuendis, quæ, quot, qualesq; sunt singulis accommodæ. Sed parumper antequam magistratus eligamus, commorati: nonnulla ad ipsorum electionem pertinentia declaremus. CLIN. Quænam hæc? ATHEN. Audi iam. Nemini dubium est, quin cum magna res legum latio sit, si quis ciuitati per leges bene paratæ non idoneos magistratus constituat, quamuis leges bonæ positæ sint, tamen non modo id nihil proderit risumq; mouebit, uerum etiam calamitates maximas ciuitatibus pariet. CLIN. Planè. ATHEN. Hoc itaque considerandum amice, quemadmodum in hac tua ciuitate republicaq; contingit. Vides enim eos, qui recte magistratus accepturi sint, oportere primo satis ab adolescentia probatos fuisse tam ipsos quàm suos, usque ad ipsam electionem. Deinde eos etiam qui suffragia ferunt, legitimis esse moribus educatos: ut facile queant admittendos & repellendos cognoscere, & erga utroscp pro dignitate se gerere. At uero qui nuper conuenerunt, cum nec se inuicem satis cognoscant, neq; adhuc eruditi sint, quomodo recte unquam magistratus eligere poterunt? CLIN. Nullo fermè unquam pacto. ATHEN. Sed enim certamẽ excusationes non facile suscipit. Hoc autem & mihi nunc, & tibi faciendum est: postquam & tu ciuitatis Cretẽsibus instituendæ officium libenti animo suscepisti, accedimus es in hoc opere, ut ipse dicis, & ego tibi auxilium præsenti confabulatione afferre promisi. Quare sermonem hunc nostrum sine capite & mutilum esse non patiar. Nam si uagaretur, deformis omnibus appareret. CLIN. Optime dixisti hospes. ATHEN. Imò etiam si pro uiribus faciam. CLIN. Faciamus sic prorsus ut dicimus. ATHEN. Faciemus utiq; si deus uoluerit, sic ut etiam senectam in hac parte superemus. CLIN. At deum uelle, credendum est. ATHEN. Credendum profecto. Quare ipsum sequentes, hoc etiam dicamus. CLIN. Quidnam? ATHEN. Quàm audacter simul atcp periculose ciuitas hoc nobis tempore constituetur. CLIN. Quorsum hæc? ATHEN. Quia facile & intrepide rudibus hominibus leges damus, utcp ipsas suscipiant, iubemus: cum omnibus fermè ô Clinia etiam non multum sapientibus, perspicuum sit, neminem leges nouas facile suscepturum. Si uero tam diu expectaremus, donec legibus instituti pueri, unacp & diu sub eisdem legibus conuersati suffragia uniuersæ ciuitati ferre possint, atcp id pro uiribus recte fieret, certe & tunc & in posterum, procul ab errore sic instructa ciuitas permaneret. CLIN. Sic ratio monet. ATH. Perspiciamus ergo si modũ quendam ad hæc commodum ita ferre possemus. Gnosios oportet ô Clinia præ cæteris Cretensibus, non solum quasi

libando inchoare quam nunc rempublicã conditis: sed omni studio prouidere, ut quam tutissime atq; optime primi magistratus constituant. In alijs quidẽ constituendis opera breuior: legum autẽ custodes ante alios creare summa diligentia necessarium est. CLIN. Qua uia istud rationeq; faciemus? ATHEN. Hoc ô Cretenses inquam. Oportet Gnosios quando multarũ ipsi ciuitatum primi sunt, cõmuniter cum his qui in eandem conuenere coloniam, à seipsis & ab illis septem & triginta uiros eligere. Decem & nouem quidem ex eorum numero qui coloniam habitabunt, ex Gnoso ipsa reliquos. Hos utique Gnosii tuæ dent ciuitati, te quoq; ipsum, ut huius coloniæ ciuem & unum de octo decemq; uiris. hæc aut persuadendo, aut ui mediocriter cogendo faciant. CLIN. Quid uero? nonne & tu hospes & Megillus hic reipublicæ huius nobiscum participatis? ATH Plurimũ sibi ô Clinia Athenienses, plurimũ quoq; Lacedæmonij tribuunt, & procu. utriq; incolunt. Tibi aũt omnia cõmode se habent, & habitatorib. alijs similiter, secundũ ea quæ de te modo dicta sunt, & quæ tibi atq; illis hac tempestate conuenientissime fieri possunt, exposita. Progressu aũt temporis & repub. permanente, huiusmodi magistratuum designatio fiat. Quicunque siue equites siue pedites arma ferre possunt, bellisq; tum cum ætas ferret interfuerũt, suffragiũ ineant, comitiaq; in templo habeantur, quod præstantissimũ ciuitas ducat. Vnusquisq; aũt undecunq; uenerit, in ara dei nomen suum & patris & tribus & gentis in tabula scriptũ deponat, liceatq; cuiq; si uelit, quamcunq; tabulam non recte scriptam suspicabitur, in loco publico ponere, ubi non minus q; triginta dies permaneat. Trecentas que tabulas sic approbatas uniuersæ ciuitati magistratus ostendant, quæ quos uelit de istis iterum & accipiat & reijciat. centũq; ita secundo delecti rursus omnibus ostendant. tertio uero nominet de centũ uiris quilibet quemcunq; uoluerit. Septem autem triginta q; uiri, eos qui pluribus delecti suffragijs sunt, magistratus declarent. Quinam igitur ô Clinia Megilleq;, hæc omnia de magistratibus eorumq; probatione in ciuitate constituent? Num intelligimus in ciuitatibus sic ab initio conciliatis, esse quosdam oportere? Qui uero ex omnibus magistratibus deligãtur, in eis nequaq; reperiuntur. Cum tamen eos esse oporteat, non uiles quosdam, sed summos uiros atq; præstantes. Principiũ enim dimidiũ totius operis esse, prouerbio dicitur: atque eum qui bene cœpit oẽs laudamus. Mihi autem hoc plus q; dimidium esse uidetur, rectumq; principium nunquam satis ab aliquo laudatum fuisse. CLIN. Recte loqueris. ATH. Quare cum nos id non lateat, ne silentio prætereamus: sed quomodo fiat perspicue declaremus, quamuis ego nihil in præsentia nisi hoc unũ necessariũ atq; perutile habeam dicere. CLIN. Quidnã? ATH. Equidẽ ciuitatis huius quã condituri sumus, neminem aut patrem aut matrẽ esse aio, præter ciuitatẽ illam quæ coloniã mittit. Nec ignoro fuisse multas ac fore colonias, à ciuitatibus quæ miserunt, dissidio distractas. Quemadmodũ uero erga parentes se gerit filius, qui quamuis aduersaturus illis quandoque sit, in ipsa tamen pueritiæ indigentia genitores diligit ac uicissim diligitur, & ad suos semper refugiens in his solis præsidium reperit: ita quoq; nouã arbitror ciuitatẽ erga curatores eius Gnosios, & Gnosios erga ciuitatem nouam affici. Repeto igitur quod modo dixi. Non enim nocet bis dicere, quod bene dicitur. Oportet ut Gnosij horum omniũ curam suscipiant, & de colonis uiros seniores atq; optimos non pauciores q; centum diligant, decq; ipsis Gnosiis alios centũ. Quos in nouã ciuitatem profectos oportere arbitror operam dare, ut magistratus secundũ leges constituant, & statuti comprobentur. His factis Gnosum Gnosii redeant: noua uero ciuitas seipsam seruare ac feliciter uiuere conetur. Qui aũt in septem & triginta uirorum numero cõputati sunt, & nunc & postea semper istas res curent. primo quidem legum custodiã habeant: deinde etiã tabularũ, ubi quisq; magnitudinem sui census conscripserit. Sitq; maximus census minarum quatuor, secundus trium: duarum tertius: quartus unius. Quod siquis plus quàm in tabella scriptũ dederit, habere deprehendatur, quod supersit, publicũ fiat: præterea reus sit uolẽtis eum tanq; infamem accusare: quando propter lucrum spernere leges inueniat. Atq; eum quicunq; uoluerit, turpis lucri nomine, apud legum custodes accuset. Et qui damnatus erit, publicarũ possessionum sit expers, ac siqua bonorũ in ciuitate distributio fiat, nihil præter sortem primam assequi possit: damnatumq; ipsum esse quamdiu uiuit, ibi scribatur, ubi quicunque uoluerit, possit legere. Custos aũt legum non plus quàm annos uiginti hunc habeat magistratum

Frouerbiũ

Quod bene dicitur repetere non nocet

Maximus cẽsus ciuiũ, quem uult Plato

giſtratum,nec pauciores natus q̃ quinquaginta,eum gerat. Ac ſi ſexageſimũ ætatis annum agens magiſtratũ hunc nactus eſt, ſolum præſit decenniũ: hac utiq; ratione, ut qui ſeptuageſimũ annum exceſſerit,tantum magiſtratũ nõ teneat. Hæc igitur tria de legum cuſtodibus præcepta ſint.proficientibus uero legibus quiuis poterit his uiris præcipere quorũ maxime curam præter ea quæ modo diximus, habere eos oporteat. Nunc uero nos deinceps de aliorũ magiſtratuũ delectu dicamus. Poſt hæc duces exercitus eligendi ſunt,eorumq; miniſtri in bello,magiſtri equitũ,tribuni militũ,peditumq; ordinatores,quos merito multorũ more præfectos ordinum nuncupabimus.Igitur ipſi cuſtodes legũ duces futuros exercitus aliquos ciuitatis huius ciues nominẽt, approbẽt uero aut reiciant ij oẽs qui bellis in ætate conuenienti interfuerunt, aut iam interſunt. Quod ſi quis aliquẽ eorũ qui nominati nõ ſunt,nominatorum alicui præſtare exiſtimet,ei liceat loco illius nominare alium,ſi modo prius quod ita iudicet, iureiurãdo confirmauerit.Et nominatus maiore ſuffragiorum numero deligatur. Tres aũt quibus fauetur plurimum, duces exercitus, bellicarũq; rerum curatores quemadmodũ cuſtodes legũ comprobentur.qui pręfectos ordinum duodecim, unum cuilibet tribui nominẽt. Nominare autem non nominatum,eumq; nominato præponere ita liceat hic quoq;, ut de militibus diximus.Comitia uero in præſentia anteq; creetur conſilium,& præfecti cõſilio deligantur, cuſtodes legum in ſanctiſſimo ſufficientiſſimoq; loco habeant: ubi ſeorſum pedites & equites ſedeant,tertioq; deinceps cæteri,quicunque in armis uerſantur.Et in eligendis quidẽ ductoribus & magiſtris equitum, oẽs ſuffragium ineant:in præfectis ordinũ,ſolummodo qui ſcuta ferunt:in tribunis militũ,equites oẽs.At leuis armaturæ aut ſagittariorum cæterorũq; huiuſmodi præfectos, ipſi duces exercitus ſibi conſtituant.Reſtat magiſtrorum equitum deſignatio.hos igitur illi nominent qui ductores etiam exercitus nominarunt:ſuffragiumq; feratur ſimiliter.ſimiliter quoq; cõparatio pro nominãdo fiat. Ferant uero ſuffragiũ præſentibus peditibus equites.Atq; duo qui maiori ſuffragiorum numero delecti ſunt,omnibus præſint equitibus.diſceptationes autem de ſuffragijs bis fieri liceat.Tertio ſiquis dubitet, illi ſuffragia iudicent,qui comitiorũ modum in ſingulos ſtatuere.Conſilium triginta conſtet duodenarijs.Nam diſtributio huic per ſexaginta trecentosq; uiros conuenit.Et in quatuor partes per nonaginta diſtribuat: ita ut à cenſibus ſingulis cõſiliarij nonaginta ferãtur.Et primũ quidem neceſſario ferant oẽs qui maximo cenſu ſunt:& qui ferre ſuperſederit,pro arbitrio condemnetur, poſtq; uero delati ſunt,conſcribant,ſequenti die à ſecundo cenſu eodẽ pacto ferant.tertia à tertio feratur quicunq; uelit.Neceſſariũ uero ſit hoc trium cenſuum uiris.quartus aũt minimusq; cenſus à pœna ſit liber,ſi quis eorũ ferre noluerit.quarta die ex quarto minimoq; cẽſu oẽs ferant,hac conditione,ut ſi quis ex tertio uel quarto cenſu nõ tulerit,minime damnetur. Sin uero quiſpiam primi ſecundi ue cenſus ferre neglexerit, condemnetur: ita ut qui ſecundi cenſus eſt,in triplo primi damni condemnetur, qui uero primi eſt in quadruplo. Die quinta magiſtratus ad oẽs ciues deſcripta efferant nomina: de quibus oẽs ferant. qui noluerit,primo damno condemnetur. Eorum uero qui ex omnibus cenſibus electi fuerint,dimidiũ,hoc eſt centũ octoginta,ſorte ad annui ſenatus ordinem comprobetur. Sic utiq; magiſtratuum creatio facta inter unius & populi poteſtatem erit media.Quarum medium tenere ſemper oportet rempublicam. Serui enim & domini amici nunq; erunt. Nec probi & improbi, ſi æqualibus afficiantur honoribus. Inæqualibus enim æqualia inæqualia fiunt,niſi menſuram accipiant. Nam propter hæc utraque ſeditionibus replentur reſpublicæ. Verus enim priſcus ille ſermo, ab æqualitate amicitiam procreari, recte admodum & concinne fertur. quoniam uero non ſatis apertum eſt quænam ſit æqualitas qua id efficitur,idcirco nos ualde turbamur. Duæ quippe ſunt æqualitates eodem quidẽ nomine appellatæ,ſed effectu in multis penè contrariæ. & alteram omnis ciuitas legumq; lator ſorte diſponendo poteſt in diſtribuendis honoribus adhibere,eam dico quæ numero,pondere,& menſura eſt æqualis.Sed ueriſſimã optimamq; æqualitatem non facile quiuis perſpiciet: Iouis enim iudicium eſt. & hominibus quidem pauca ſemper ſuggeritur:quatenus autem ſuppetit,tam priuatis quàm ciuitatibus bona omnia affert. Hæc ſanè maiori plura, minori pauciora tribuit,utriſq; uidelicet ſecundum eorum naturã moderata. Atqui & honores,uirtute maioribus ſemper maio-

res:minoribus autem uirtute & disciplina,minores: & utrisq; secundum rationem,quod decet, impertit. Ea enim certe nobis est ciuilis iustitia. hanc & nos appetere debemus: atque ad hanc ipsam ô Clinia æqualitatem respicere, dum hanc nouam condimus & disponimus ciuitatem. & quisquis aliam instituit, eodem debet in legibus ferendis aspicere. Non autem ad paucos tyrannos uel ad unum uel populi potestatem, sed ad iustitiam semper inspiciendum. Ea est quam modo diximus, æqualis ipsius secundum naturam quotidie inæqualibus distributio. Veruntamen necesse est, ut his duabus æqualitatibus in denominatione similibus ciuitas uniuersa utatur, si tota uelit procul ab omni seditione manere. Aequabilitas enim illa laudabilis, & æqua dijudicatio perfecti atq; exacti,cum præter rectum iudicium fit,uiolatur & frangitur.Ideoq; æqualitate sortis uti eam necesse est ad multorũ indignationẽ penitus deuitandam.Qua in re deum bonamq; fortunam precibus inuocare oportet,ut sors ad id quod est iustissimum dirigatur. Sic igitur necessario utrisq; æqualitatibus uti debemus: sed in rebus admodum pauciss imis,ea æqualitate cui fortuna opus est. Hæc ita ob hanc causam ô amici, necesse ab ea ciuitate, quæ salutem consecutura,seruari. Quemadmodum uero nauis in medio pelago, die noctesq; custodibus indiget:ita quoq; ciuitas in medio aliarum ciuitatũ fluctu posita, uarijs subiecta seditionibus ac semper captiuitatis periculo proxima, perpetua eget custodia. Propterea & ex die in noctẽ,& ex nocte in diẽ succedere sibi inuicem magistratus & custodes oportet,ut tradentiũ suscipientiũq; custodiam succession nunquam desinat. Quorũ nihil multitudo celeriter facere potest. Est autẽ necessariũ, ut maxima senatorum pars plurimum tempus permittatur in priuatarũ suarumq; rerũ administratione uersari: duodecima uero pars eius,in menses duodecim distributione facta,alia post aliam sigillatim custodiat. Quæ unicuiq; siue ex ciuitate ipsa siue aliunde uenienti parata sit,seu nunciare quicquam seu interrogare quispiam uelit de his rebus,de quibus ciuitatem oporteat uel respondere cæteris ciuitatibus,uel ab eis interrogationum responsiones accipere.Nouarum etiam gratia molitionum quæ sæpe fieri solent:maxime quidem ne fiant: ac si acciderint,ut quam celerrime sentiat ciuitas,& remedium afferat.quod per cœtum ciuitati præsidentium fieri semper oportet,ut & quæ legibus, & quæ repente ciuitati difficultates accedunt, dissoluantur. Hæc omnia curet duodecima consilij pars,quietẽ in menses undecim habitura.Quam quidem custodiã hæc cõsilij pars cõmuniter cum alijs magistratibus in ciuitate semper agat oportet. Atq; urbana quidem probe hoc pacto ordinata erunt. Totius autẽ reliquæ regionis quæ cura,quis ordo? An cũ ciuitas tota & uniuersa regio in partes xij. sit diuisa,in ciuitate quidem ipsa uiarũ,habitationũ,ædificationum,portuũ,fori,fontium,sacrorum locorum,templorũ,cæterorumq; huiusmodi omnium constituere curatores oportet? CLIN. Cur non? ATH. Dicamus igitur templis ædituos,& sacerdotes tam uiros quàm mulieres præfici oportere. Ad uiarum autem ædificationumq; exornandarum curam,ne aut homines iniurientur, aut ipsæ feræ noceant,sed ut tam in ipso urbis ambitu quàm in suburbijs,ciuitatibus consentanea quæq; gerantur, tres sunt magistratuum species eligendæ.Et rerum modo dictarum curatores,appellentur ædiles. Qui uero fori uenditionisq; curam habebunt, rerum uenalium curatores. Sacrorum aũt,sacerdotes. Et sacerdotia quidem quæ à parentibus per successionem seu uiris siue mulieribus tradita sunt nequaquam mouenda. Si uero aut nullis aut paucis aliqua huiusmodi sunt,quod accidere par est illis qui in nouæ ciuitatis habitationẽ conueniunt,ubi hæc desunt,sacerdotes tam uiri q; mulieres & æditui constituendi sunt. Quæ omnia partim delectione,partim sorte fieri oportet. Atque in omni regione ciuitateq; plebs cum illis qui extra plebem sunt, per amicitiam coniungenda, ut maxima sit in omnibus his consensio.Et quæ ad sacerdotum creationẽ attinent, deo cõmittenda sunt, ut quemadmodũ illi placet,ita diuina fortuna cui tributum id sit, sortes ferat. In eorum autem qui sortis suffragium assecuti sunt, examinatione, ille est comprobandus, qui integer sit atq; legitimus,deinde à domo quàm maxime munda:expers quoq; cædis omniumq; huiusmodi, quæ aduersus diuinam rem committuntur:cuius & pater materq; similiter uixerint. Leges autem de rebus diuinis à Delphis petantur, constituanturq; illarum interpretes,atq; his utendum. Sacerdotium, non diuturnius sit quàm annuum Nec pauciores annos quàm sexaginta natus sit, qui secundum sacras leges res diuinas sufficien-

Aediles

Sacerdotes

ſufficiẽter eſt tractaturus. Eademq; de mulieribus ſacris, quæ & de uiris ſtatuta intelligan
tur. Interpretes autem ter quatuor ferant tribus ipſæ quatuor, ex earum ordine una quæ-
que tres: ac tribus probatis, qui maiori ſuffragio delecti ſunt, reliquos nouem Delphos
mittant, ut ex quaq; trinitate unus oraculo deligatur. Comprobatio ipſorum ætasq; talis,
qualis & ſacerdotum dicta eſt. Hi per totam uitam interpretandi & exponendi habeant
poteſtatem. Et in defuncti uicem quatuor tribus inde alium eligant, unde prior ille defe-
cit. Quæſtores & aſſeruatores ſacræ pecuniæ in templis ſingulis, qui lucorũ agrorumq; Quæſtores
ipſis dedicatorum, & fructuum, conductionumq; & locationum domini ſint, tres de ma
ximis cenſibus pro templis maximis eligantur, duo pro minoribus: pro mediis maxi-
meq; concinnis unus. Qui non aliter quàm duces exercitus eligantur & comprobentur.
Atq; hæc in rebus ſacris, ut diximus, peragantur. Danda uero opera eſt, ut quoad fieri
poteſt, nihil ſine cuſtodia ſit. Ciuitatem quidem curent exercitus duces, ordinum præfe
cti, magiſtri equitum, tribuni, conſilij principes, ædiles, atq; cenſores, poſtquam electi
ſuo ordine fuerint. Reliqua regio ita cuſtodiatur. Duodecim in partes æquales pro uiri-
bus regio tota diuiſa fuit. Vna itaq; tribus parti cuilibet ſorte data, quinq; in annum qua-
ſi agrorum curatores tribuumq; principes deligat. quorum quiſq; ſua ex tribu duodecim
iuuenes habeat, non minoris ætatis q̃ quinq; & uiginti annorum, neq; maioris quàm tri
ginta. his ſingulis ſingulæ regionis partes per ſortem menſtruo tempore tribuantur, ut
totius regionis omnes peritiam habeant. biennio autem imperandi & cuſtodiendi cu-
ram habeant principes & cuſtodes. Cum primum partes cuſtodiendas ſortiti ſunt, per
menſes ſingulos loca permutent: ad proximum quemq; locum, & ad dexteram primum Fines re-
circulariter cuſtodiæ principes ducant. dexteram uero plagam appello quæ ſolem orien gionis
tem ſpectat. Deinde in altero anno ad ſiniſtram commutentur, ne regionis quo ad unũ
anni tempus ſolum periti ſint, ſed & quid in quolibet tempore in quacunq; regionis par-
te contingat, agnoſcant. Tertio autem anno quinq; alij agrorum & cuſtodiæ principes à
primatibus tribuum deligantur ipſorum duodecim curatores. Cura uero & opera ſingu
lis in locis talis ſit. Primum ut q̃ maxime aduerſus hoſtium impetum regio munita ſit.
Foueis ubicunq; opus ſit effoſſis turribusq; & clauſtris pro uiribus circumductis, noce-
re uolentes arceant. Ad hæc utiq; faciẽda ſubiugalibus ſeruisq; indigenis utantur, quan-
do minime in ſuis operibus occupant̃, nõnullos ipſis præficiẽtes loca omnia ita diſponãt
ut per ea difficile tranſire inimici poſſint, amici uero homines, pecudes, iugalia, facile:
quibus maxime peruia regio fiat. Diligenterq; procurent, ut pluuiales aquæ non ſolum
non noceant, uerumetiam conferant ab altis montibus cauas in ualles fluentes, ubi fo-
ueis parietibusq; ſtagnare eas cogant, ut illic alueis pluuiales aquæ combibitæ, inferio-
ribus locis agrisq; omnibus ſcatebras fontesq; aquarum efficiant, locaq; iſto modo ſiccif-
ſima humore multo ſalubriq; irrigẽt. Fõtes autem & fluuios arboribus ædificationibusq;
exornent. lucos quinetiam iugi irrigatione & dedicatos diis agros aquis immiſſis pin-
guefacere curent, & metallis humorem ſcatebrasq; adhibeant. Atq; ita & abundãtia om
nia, & templa deorum reddant ornatiora. Vbiq; autem in his gymnaſia iuuenes tam ſi-
bi commoda quàm ſenibus præparent, calidis balneis conſtitutis, & copioſe ſiccis appo-
ſitis lignis, ut & remedium ægrotantibus, & lenimen labore defeſſis beneuole afferatur:
quæ ſanè curatio longe melior eſt, quàm medici parum periti medela. Hæc omnia cæte- Aediles
raq; huiuſmodi his locis ornamento utilitatiq; ſunt, grato quodam cum ludo. Summa-
tim autem circa hæc ſtudium huiuſmodi ſit. Sexaginta uiri ſinguli aſcriptum ſibi locum
cuſtodiant, non hoſtium cauſa ſolum, ſed eorum etiam qui ſe amicos dicunt. Et ſi quis in
ter uicinos ac ciues ſeu ſeruus ſiue liber alicui iniuriam inferat, iudicent in paruis qui-
dem ipſi quinq; principes: in maioribus autem decem & ſeptem uiri unà cum duo-
decim, uſq; ad minas tres de quocunq; alter de altero cõqueritur. Nemo autẽ iudex ma-
giſtratus ue ſit, qui geſti officij ſui rationem nõ referat: præter eos qui regum inſtar finem
rebus imponũt. Atqui & agrorum curatores, ſiquid aduerſus eos quorum habẽt curam,
cõtumelioſe gerant, inæqualiter onera inferentes, aut ui aliquid ab agricolis accipien-
tes, ſiue adulatorũ largitionibus, quibus iudicium corrumpatur: munerib. quidem adu-
lationibusq; capti, opprobrio per uniuerſam urbem afficiantur: in alijs autem iniurijs uſ-
que ad animam ſponte ſua uicinis coloniſq; dent mulctam. Quod ſi nolunt in maioribus

uel minoribus iniurijs quod debent, persoluere, quia sperent, cum de loco ad locum per singulos menses transeant, iudicium ac pœnã effugere, in communi iudicio accusentur, & qui damnabitur, duplum reddat ei quem iniuria oppressit. Viuant aũt tam principes quam cæteri curatores agrorum duos annos hoc pacto. Primum quidem omnibus communia singulis in locis habeantur conuiuia: qui uero uno die noctéue aut abfuerit aut alibi ederit, cũ nec princeps ita ordinarit, neq; necessitas ulla coegerit: si quinq; uiri eum damnent, scribantq; in foro deseruisse custodiã, magnis afficiatur opprobrijs, utpote qui quantum in se est, rempublicam prodidit. Et à quocunq; obuiam facto, uolentiq; cædere, impune cædatur. Omnes autem sexaginta uiri obseruent, ne de principibus aliquis quicquam tale committat: & qui sensit audiuitq; si non accusauerit, similiter eademq; lege reus sit, qua qui peccauit: ac acriori iuuenum censura punitus in omnibus iuuenum magistratibus contemnatur. Atq; hæc quidem omnia custodes legum diligenter præuidebant: primo quidem ne fiant: deinde ut facta, prout ius postulat, puniantur. Existimare de omnibus hominibus id quisq; debet, quod qui nunquam seruiuit, is laude dignus esse dominus nunquam poterit. Ideoq; gloriari quẽq; oportet magis quòd bene seruierit, q̃ quòd bene fuerit dominatus: primum quidem legibus, quibus qui seruijt, dijs seruit: deinde senioribus qui honeste uixerunt. Postremo totũ hoc biennium custodes agrorũ humillimum tenuissimumq; uictum usurpent. Itaq; duodecim uiri cum quinq; congregati inter se sic consultent, quasi serui, quiq; alios seruos non sint habituri. Nam agricolis quidem colonis q; non in proprio ministerio, sed in publico solum utantur. In cæteris sic cogitent, ut seruientes sibijpsis uicturi, æstate præterea atq; hyeme semper armati regionem omnem perlustraturi, ut custodiant diligentius, dum loca omnia nouerint. Nulla quippe cognitione minor hæc esse uidetur, qua exquisite ab omnibus regio uniuersa cognoscitur. Atq; huius gratia non minus q̃ uoluptatis utilitatisq; alterius, adolescentes alendis canibus, & reliquæ uenationi dare operam debent. Hos ipsos studio etiã illo uti oportet quod ab occultando à nonnullis appellatur, sed siue sic siue agri custodia sit nominanda, siue quomodocunq; aliter quisquam uelit, oportet ut qui ciuitatis suæ salutem exoptant, in ea se re pro uiribus diligenter exerceant. Sequit ut de censorum ædiliumq; electione dicamus. Sexaginta illos curatores agrorum tres sequuntur ædiles tripertito duodecim partes urbis complexi, qui sanè illos imitantur: uiarum urbis curam habent, uulgariumq; itinerum, quæ à regione in urbem tendunt: ædificationum quoq; ut secundum leges omnes fiant. Aquarum præterea, quas custodes deduci in urbem curant: ut in fontes q̃ liquidissimæ sufficientesq; ducantur, ac ciuitatem iuuent pariter & exornẽt. Oportet hos esse tales, ut intermissa suorum cura, otiũ habeant ad publica procuranda. Quapropter quisq; à maximo censu quem uelit ædilem futurum nominet. Et de sex qui suffragio cæteros superabunt, tres sorte deligant, quibus curæ hæc sint. Denicq; comprobati, magistratum secundum præscriptas sibi leges peragant. Censores deinceps, rerum uænalium curatores, à primo secundoq; censu quinq; deligantur. Eorumq; electio eodem fermè modo quo ædilium transigatur. Quippe de decem, qui cæteros suffragio superarint, quinq; sorte designentur, & comprobati, magistratus declarentur. Nominet autem quemlibet unusquisq;. Qui autem nolet, si accusabitur, drachmis quinquaginta damnetur, atq; etiam iniquus existimetur. Comitia communemq; cœtum quicunq; uelit ingrediatur. atq; ad id primi secundiq; census omnes cogantur. Porrò qui de his abfuerit, decem damnetur drachmis. Tertij uero quartiq; census homines non cogantur. Idcirco qui non interfuit, indemnis sit: nisi fortè principes urgẽte quadam necessitate, adesse omnibus edixerint. Est autem censorũ officium, fori ordinem legibus statutum seruare. Fontium quoq; & templorum quæ in eo loco sunt, curam habere: ut nequis illic iniuriose quicquam agat, & si fecerit, seruus quidem & peregrinus uerberibus & uinculis pœnas luat, Ciuis autem à censoribus drachmis centum iure censorio condemnetur. Maiori uero mulcta usq; ad huius duplum isti, nisi ædiles quoq; adsint, condemnare non possint. Eadem quoq; ædilibus in proprio magistratu mulctandi & puniendi conditio sit. Nam usq; ad minam condemnandi ipsi habeant potestatem. Ad duplam uero mulctam censorum simul auctoritas requiratur. Post hæc musicę & gymnasticæ magistratus duplices utriusq; facultatis constituantur; alij disciplinæ, alij exercitationis causa. Qui disciplinæ præsunt

Qui non seruiuit, nõ potest esse laudatus dominus

De ædilibus legendis

Censores

Doctores artium

præsunt,gymnasiorũ doctrinarumq; ornatum & discendi ordinẽ curent:operamq; dent ut tam mares q; fœminæ in adolescentia honeste ad ista proficiscantur: honeste etiã com morentur.Exercitationis curã habeant in gymnastica & musica ipsi athlothetæ qui mu nera imponunt atq; declarant athletis,ipsis scilicet certatoribus.Atq; hi similiter dupli ces esse debent:circa musicam alij, alij circa gymnasticam.& in gymnastica quidẽ ijdem pariter in hominũ equorum; ue certaminibus:in musica uero alij in monodia, id est can tu & oratione funebri,& imitatione ipsa,sicut rhapsodorum,eorum scilicet qui decanta torium componunt carmen,citharistarum, tibicinũ,cæterorumq; taliũ: alij in chori can tu.Primum igitur in chori ludo,ubi uiri,pueri,& puellæ tripudio cæterisq; musicæ mo dis exercentur,principes eligendi. Vnus autem illi sufficit princeps,nõ pauciores quàm quadraginta annos natus. Vnum quoq; in monodia sufficere arbitramur,qui triginta an nos expleuerit,qui & introducat homines in certamen:& de ijsdem sufficienter cogno scat & iudicet.At uero principem ordinatoremq; chori,sic oportet eligere. Qui huic rei uacant,in concilium proficiscantur,mulcta impositа,nisi accesserint.huius rei legum cu stodes iudices sint:cæteros si nolint,nemo cogat.Designent etiam qui periti sunt, unaq; hæc astipulatio seu calculũ adijciens,siue minus,ualeat ut peritus uel imperitus sit qui de signatur.Qui uero ex designatis decem,cęteros suffragio superauerit,& deinde compro batus fuerit,unus annuo tempore choro secundum legem præsit.Similiter etiam in mo nodia & tibicinio designatio fiat,electioq; & comprobatio:& qui assecutus fuerit, eodẽ modo à iudicibus confirmatus, anno præsit. Deinceps auctores declaratoresq; munerũ in exercitatione gymnastica tam equorum q; hominũ,à secundo tertioq; censu ita consti tuantur.Comitia ingredi trium censuũ homines compellantur,minimus autem census li ber sit.Et de uiginti qui præ cæteris suffragio designati fuerint,tres ante alios sorte electi, principes declarentur,quos comprobantiũ suffragium cõfirmauerit. In cuiuscunq; autẽ magistratus sorte atq; iudicio,siquis reprobatus & repulsus fuerit, alius loco eius eodem ordine designetur & comprobetur.Restat princeps,qui totius disciplinæ in his quæ nar rauimus tam fœminarũ quàm mariũ curam habeat. Vnum quoq; hunc secundum leges principem esse uolumus:non pauciores natũ annos q; quinquaginta, qui legitimos ha beat filios,utriusq; sexus maxime:si uero minus, alterius sex omnino. Cogitare debet & qui elegit & qui eligitur,hunc magistratum omnium in ciuitate summorũ magistratuum esse admodũ præstantissimũ.In omnibus quippe uiuentibus prima ipsa germina si aptè cœperint ad naturæ suæ uirtutem,uim habent summã ad finem sibi debitum imponen dum.Quod & in plantis euenit,& in brutis tum sylуestribus tum etiã mansuetis,& in ho minibus.Hominem autẽ mansuetum animal esse dicimus.Porrò si cum natura felici re ctam quoq; disciplinã fuerit assecutus, in diuinissimũ mansuetissimumq; animal solet e uadere:sin uero non satis aut non bene fuerit educatus,ferocissimũ omnium quæ in ter ris nascuntur,animal redditur.Quamobrem non debet legum conditor rem summope re necessariam pueritiæ educationem postponere,sed operam dare in primis,si rem hanc diligenter est curaturus, ut omnium ciuium ad officia quæq; optimus uir eligatur, qui quammaxime pro uiribus educandis pueris præponatur . Omnes igitur magistratus præter senatum & quæstores in Apollinis templum profecti, suffragium clàm legum cu stodibus ineant,deligentes singuli quem optime puerorum disciplinæ existimant præ futurum: & qui suffragio superabit, à magistratibus qui delegerunt, exceptis uidelicet legum custodibus, comprobatus:quinquennium præsit.Et in sexto anno alius princeps similiter statuatur . Siquis autem in magistratu publico constitutus pluribus q; triginta diebus antequam munus suum peragat,e uita decesserit,illi quibus id curæ est, alium si militer eligant. Sinautem orphanorum tutor mortem obierit, cognati atque affines ex utrisq; parentibus usq; consobrinos & patrueles,qui præsentes sunt, alium intra dies de cem constituant:alioquin drachma quotidie mulctentur singuli,quousq; orphanis tuto rem præficiant. Sed nulla ciuitas reuera ciuitas erit,nisi debito ordine iudicia fuerint cõ stituta.Iudex autem mutus,qui nec instar arbitri aliquid plus quàm litigantes dixerint, in causis discutiendis percunctatur,nunquam ad ius declarandum sufficiens erit. Qua propter nec si multi sint,facile unquam bene iudicabunt,nec si pauci & ignaui. Oportet autem semper, ut quod quæritur ab utrisque declaretur. Tempus autem & mora, fre quensq;

Tutores

Iudiciorũ & fori ratio

Iudex quensq; inquisitio,ad aperiendam cõtrouersiam cõferunt.Idcirco qui litigãt, ad uicinos primum & amicos,& maxime rei de qua quæritur conscios se conuertant. Quod si per eos non sufficienter fuerit iudicatum,ad aliud iudicium proficiscantur. Tertium uero si per duo superiora reconciliati non fuerint,finem imponat.Profecto iudiciorum constitutiones quodammodo magistratuum electiones sunt. Omnem nanq; magistratum necesse est quorundam etiam esse iudicem.Non tamẽ iudex omnis necessario est magistratus & princeps:quanquam iudex ea die qua iudicium peragit, quodammodo magistratus est nõ uilis.Igitur quasi iudices ipsi magistratus aliqui sint,de his iam qui quarumq; re
Arbitri rum & quot in unaquaq; re esse debeant, differamus. Augustissimum certe iudicium sit quod sibimet aliqui præfecerũt,communi consensu iudicem eligentes. Reliqua iudicia duo sint. Alterum quando priuatus iniuriam à priuato pati conqueritur,eumq; in iudiciũ trahit. Alterum quando reipublicæ iniuriam à ciuium aliquo fieri arbitratus aliquis cõmunibus rebus auxiliari conatur. Dicendum est igitur, quos & quales iudices esse oporteat. Primum iudicium commune omnibus priuatis qui tertio inter se litigant, ita fiat. Omnis magistratus tam animi q; maioris temporis pridie calendas mẽsis illius, quo post æstiuum solstitium nouus incipit annus, in templum unum conueniant. Vbi iureiurando interposito ex singulis magistratibus ueluti quasdam deo primitias offerentes, unum
Prætor iudicem deligant, qui optimus esse,& optime atq; sanctissime iudicia illo anno redditurus ciuibus uideatur. Ac postq; iudices designati sunt,ab eisdem qui designarunt,singuli comprobentur. Et siquis reprobatus fuerit, alius similiter eligatur. Comprobati, illis qui per præcedentia reconciliati nõ sunt,iudicia reddant,& aperte suffragium ferant:audientibus spectantibusq; necessario consultoribus,reliquisq; magistratibus qui eos declarauerunt. De cæteris autem interfit pro arbitrio quisq;. Quod siquis aliquem iniustã sponte sententiam tulisse incuset, apud legum custodes hoc faciat.Et qui damnatus fuerit, dimidiam damni partem iniuriam passo persoluat. Si autem mulcta dignus maiore uideatur, iudices ipsi,qui condemnarunt, quid aut pati aut reddere debet uel reipublicæ uel iniuriam passo, cognoscant. In publicis autem accusationibus necesse est in primis multitudinem iudicij participem facere.Nam quando aduersus ciuitatem peccatur, omnibus infertur iniuria.Ideoq; merito grauiter patiuntur, nisi ad iudicandum ipsi etiã admittantur.Sed & principium iudicij huius & finis deferri ad populum debet, examen autem & approbatio ad tres maximos magistratus,de quibus conueniant litigantes. ac si conuenire nequeant, consilium ipsum electionem utriusq; cognoscat,& iudicet.Oportet præterea priuatorum iudiciorum omnes pro uiribus participes esse. Nam qui à iudicandi potestate omnino repellitur,is à ciuitate se prorsus existimat alienum. His de causis per ipsas quoq; tribus necesse est iudicia fieri,iudicesq; sorte statim incorruptos precibus iudicare.Et demum iudicium illud cuncta definiat,quod intemeratum omnino quo ad humanis in rebus fieri potest,esse debere diximus ad eas lites determinandas,quę nec per uicinos neq; per contribules dirimi potuerunt.Verum de iudicijs, quæ magistratus esse nec affirmare nec negare facile sine controuersia quisquam poterit, hæc quasi exterius circumducta descriptio,nonnulla complexa est, nonnulla etiam reliquisse uidetur. Nam iudicialiũ legum exacta positio atq; partitio,longe rectius in calce ferendarum legum locabitur.Quare ad idem tempus has differamus. Cæteri autem magistratus maxima iam ex parte dispositi sunt.Tota uero atq; perfecta ciuilium dispensatio, siue ad unũ, siue ad omnes pertineat, non antea liquido declarari poterit, quàm tractatio ipsa principia & sequentia media omnesq; partes suas complexa, ad exitum usq; peruenerit.quæ quidem in præsentia usq; ad magistratuum creationem progressa, ut antecedentium finis sufficiens est, ita ferendarum legum principium, nec moram aut segnitiem amplius patitur. CLIN.Quamuis superiora omnia ex animo meo dixeris hospes, multo tamen gratius in præsentia mihi id contigit, quòd cum dictorum exitu, dicendorum initium iunxisti. ATH. Belle igitur prudens seniorum ludus hucusque nobis sit perlusus.
CLIN. Pulchrum sanè studium uirorum significare uideris. ATH. Consentaneum est. Verum animaduertamus, si hoc tibi quoq; ut mihi uidetur. CLIN. Quidnam? & quibus de rebus? ATH. An nescis idem in hac re quod in pictorum facultate cõtingere? Illa quippe nullum in pingendis animalibus terminum habere uidetur, sed semper inum-

brando

brando,& deumbrando,uel quomodocunq; aliter à pictoribus id uocet, exornare cona tur,nec ceſſat unq;.Non enim poteſt fieri, ut ad pulchriora expreſſioraq; incrementum non habeatur. CLIN. Intelligo fermè audiens quæ dicis.Nullũ enim huius artis uſum ha beo. ATH. Nihil tibi id obfuit.Sed hac fortè nobis allata ſimilitudine ſic utamur. Si quis pulcherrimũ animal pingere uoluerit,quod nõ ad peius ſed ad melius futuro ſemper tem pore progrediatur,nonne uides cũ mortalis ſit,niſi aliquem artis ſucceſſorem reliquerit, qui ſiquid uel tempore ex animali abolitum fuerit,inſtaurare,uel per imbecillitatem ar tis ab artifice prætermiſſum adijcere poſſit,atq; ita fulgentius in dies animal reddere, la borioſum illud opus pauco tempore duraturũ? CLIN. Prorſus. ATH. An non legislato ris uoluntas hæc tibi eſſe uidetur? Principio quidem ut leges ſibi ſufficienter & exquiſi te pro uiribus conſcribantur:deinde procedente tempore,& periculo rerum facto, pu tas ne ſic amentem legislatorem aliquem eſſe, ut ignoret neceſſarium eſſe talia ſibi mul ta relinqui, quæ emendatione ſucceſſoris alicuius indigeant,ne peior quidẽ ſed melior reſpublica ſemper ornatiorq; efficiatur? CLIN. Probabile eſt. Nam quomodo nolle id po terit? ATH. Quacunq; igitur uia poterit,tam re quàm uerbis alium ſiue maiorem ſiue mi norem docebit quomodo conſeruandæ & corrigendæ leges ſunt, nec unquam in his di cendis defatigabitur,niſi ad finem perduxerit. CLIN. Ita certe. ATH. Nónne id mihi & uobis in præſentia faciundum? CLIN. Quid ais? ATH. Quoniam leges laturi ſumus, & legum cuſtodes creati ſunt,nos autem ad occaſum uitæ appropinquamus, & cuſtodes iſti nobis iuniores ſunt,oportet nos,ut diximus,leges ferre ſimul atq; hos tam legum la tores q; cuſtodes quoad poſſumus facere. CLIN. Quid ni? dummodo id ſatis fieri queat. ATH. Veruntamen impenſius annitamur. CLIN. Nihil prohibet. ATH. Sic ergo ad eos dicamus:O amici legum conſeruatores,permulta in ſingulis nos qui leges ponimus, ne ceſſario relinquemus,quæ tamen nõ parua erunt,imò & rem omnem pro uiribus exte riore quadam circumſcriptione ſignificabimus,quam quidem impleri à uobis oporte bit.Quò uero id facturis uobis reſpiciendum eſt, audite. Megillus,egoq;, & Clinias hic inter nos ſæpenumero diximus,& probe nos dixiſſe conuenimus. Vosq; rogamus ut & indulgere nobis, & imitari quaſi diſcipuli magiſtros uelitis, ad ea ipſa reſpicientes, ad quæ legum cuſtodi & latori reſpiciendum concorditer nos conſenſimus. huius conſen ſionis unum eſt caput, ut homo bonus efficiatur, habens uirtutem animi hominis pro priam,ſtudio aliquo partam,aut uſu,aut certa quadã adeptione,uel cupiditate, uel opi nione,uel aliquo genere doctrinarũ,ſeu maſculus ſit,ſiue fœmina,ſiue iuuenis,ſeu ſenex.

Pro patria moriendũ

Atq; ad hoc ipſum quod dicimus,quiſq; per totam uitã omni ſtudio tendat, cætera quæ impedimento huic rei ſunt,negligens.Pro patria præterea,ſi neceſſe eſt mori paratus ſit, antequam uelit aut euerſam uidere ciuitatem,iugoq; ſeruitutis ſubiectã à peioribus gu bernari,aut fuga ipſam deſerere.Quippe extrema omnia ſubeũda ſunt potius, q; in eam gubernationem ciuitas commutanda,quæ peiores ſolet homines facere. In his iampridẽ nos conſenſimus,& nunc uos ad hæc utraq; reſpiciẽtes,laudate leges & uituperate. Eas inquam uituperate, quæ hæc aſſequi minime poſſunt, eas quæ poſſunt, amate: libenterq; illas amplexi,in ipſis uitam agite. Cætera uero ſtudia quæ aliò tendunt, & ad uulgaria bona reſpiciunt, ſperníte. Sed initium ſequentium legum, hoc nobis ſit à ſacris exorſum. Oportet primum repetere quòd numerus quinq; milium & quadraginta partitiones commodas habuit,atq; habet, tum totus ipſe numerus, tum qui per tribus ipſas porrigitur, quem totius partem duodecimam poſuimus, unam & uiginti uigeſies rectiſſime natam. Atq; ut totus numerus duodecim conſtat partibus, ita tribus ipſa in duo decim ſcinditur. Singulas itaq; partes ſacrum eſſe dei munus exiſtimare debemus, cum & menſes & circuitum uniuerſi ſequantur. Quapropter & ciuitatem omnem ducit, quod ipſis innatum eſt, ad eas ſacrandas. Alij forſan rectius quàm alij partiti ſunt,ac dijs partitiones ſuas felicius dedicarunt: nos autem nunc rectiſſime arbitramur quinq; mi lium & quadraginta numerum elegiſſe,qui omnes ab una uſq; ad duodecim deciſiones habet, undecimo numero ſolum excepto, qui minimo quodam remedio redintegra tur. Reſtituitur enim ſi duæ ad alterã partem domus acceſſerint. Hæc uera eſſe, ſermo nequaquam prolixus in otio demonſtraret.Credentes igit præſenti ſermoni & rationi, diſtribuamus,& unicuiq; parti deum uel deorum filium inuocantes aris cæterisq; huiuſ-

modi

modi dedicatis, in ſacrificijs conuentus duos ſingulis menſibus faciamus, ut duodecim ſingularum tribuum, & duodecim ciuitatis diſtributioni accõmodentur. Hæc deorum primo diuinorumq; colendorum gratia ita fiant: deinde amicitię quoq; & cognitionis alternæ, & communis denicq; conſuetudinis gratia, quæ ad matrimonia conficienda ſummopere neceſſaria eſt: ut ſublata ignorantia, nemo in his quoad fieri poteſt decipiat̃: ſed quiſque cui collocat, & quam & à quibus ducit, agnoſcat. Neceſſarie admodum huius rei gratia, ludi etiam choricq; puellorum & puellarum ſimul fieri debent, nudatis corporibus quatenus modeſtus pudor patitur, ut cum ratione in ætate conuenienti, cõſpiciant alterutrum atq; conſpiciantur. Quæ quidem omnia curent, ornentq; chori principes, & cum legum cuſtodibus conditores, ut à nobis relicta ſuppleant. Neceſſe nanq;, ut diximus, in his præſertim quæ multa paruaq; ſunt, nonnulla in prima poſitione legũ præter mitti, quæ magiſtratus ſequentes uſu rerum commoniti, quotannis mouebunt & corrigent, donec tempus illud aduenerit, quo inſtituta hæc diſcuſſa & approbata ſufficienter fuiſſe uideantur. Tempus aũt ad hoc periculum faciundum, moderatum & ſufficiens decennium erit, quo ad ſacra & choreas, ad omnia denique atque ſingula. Quæ quidem per experientiam emendatio, uiuente legum latore, cõmuniter cum illo fiat. Si deceſſerit, ſinguli magiſtratus ad legũ cuſtodes de ſui magiſtratus defectu referant, emendentq; donec approbationis finem ſuum nacta ſingula uideantur. Tunc demum ratas has leges habeant, eisq; unà cum alijs quas ab initio legislator conſcripſit, utantur. In quibus nihil unquam ſponte mouebunt. Siqua uero neceſſitas aliquando urgere uidebit̃, de hoc unà conſultent magiſtratus oẽs, & populus uniuerſus, & omnia deorum petantur oracula. Si horum omnium unus erit conſenſus, moueant: aliter uero nunquam, ſed unus qui prohibet, uincat ſecundum legem. Quandocunq; igitur aliquis quinq; & uiginti annos iam natus, alios aſpiciens, ab alijsq; aſpectus, adinueniſſe ſibi credit cõuenientem animo ſuo, atq; decentem ſocietatem ad communionem generationemq; liberorum, intra quinq; & triginta ætatis annnos uxorem ducat. Quo autem pacto decorum illud & aptũ quærendum ſit, in primis audiat. Oportet enim, ut ait Clinias, ante leges propriũ ſingulis exordium ponere. CLIN. Opportune meminiſti hoſpes, tempusq; cõmodum orationi ceciſti. ATH. Probe loqueris. Dicamus itaq; ſic: O fili, qui ex bonis parentibus ortus eſt, eas nuptias ſequi debet, quas prudentes uiri honeſtas ducunt. Qui ſanè monerent, nec pauperum fugere, neq; diuitum affinitatem ſectari præcipue oportere: ſed cæteris paribus pauperiorem ſemper honorare, cumq; ipſo ſocietatem inire. Nam & ciuitati & familijs quæ iunguntur, id conducit. Quippe quod moderatum eſt & mediocre, immoderato & excedente mirum in modum ad uirtutem præſtat. Ergo quicunq; ferocioris uelocioriſq; quàm oportet ad agendum animi ſibi conſcius eſt, is det operam oportet, ut quàm quietiſſimorum parentum filiam ducat: & qui contrà natura affectus eſt, contrariam ſibi aſciſcat affinitatem. Sed una tandem fit communis ratio nuptiarum, ut quiſq; non iucundiſſimum ſibi, ſed ciuitati utile ineat matrimonium. Etenim ſinguli ſemper ad ſibi ſimillimum natura feruntur. Vnde ciuitas tota & diuitijs & moribus inæqualis quàm maxime redditur, ex quibus quæ minime nobis euenire uellemus, maxime ciuitatibus plurimis accidunt. Sed ſi hæc per rationem lege ſanciremus, ne diues diuitis, aut potens potentis ſocietatem admittat, cogeremusq; uelociores animo cum tardioribus, & tardiores contrà cum uelocioribus copulari, non modo ridicula noſtra oratio uideretur, ſed & iram multitudini cõcitaret. Non enim intellectu facile eſt, quòd ciuitas ſimilis eſſe debeat pateræ, in qua merum quod primo infuſum bullit, ſtatim alterius dei ſobrietate caſtigatum, atq; optime temperatum, bonus & moderatus potus efficitur. Quemadmodum uero id in mixta filiorum procreatione fiat, nemo, ut breuiter dicam, poteſt conſpicere. Quamobrem non lege cogendi, ſed perſuaſione inducendi ciues, ut æqualem temperatamq; liberorum ſuorũ generationem pluris faciant, quàm opulentiſſimæ affinitatis æqualitatẽ: Et eum qui in cõnubio pecunijs inhiat, non lege ſcripta arcere debemus, ſed opprobrijs & increpationibus abſterrere. Ad nuptias igitur ut decet celebrandas & hæc exhortantur, & illa quę in ſuperioribus diximus, aſſerentes oportere, filiorum filios relinquendo, noſtros uidelicet in diuino miniſterio ſucceſſores, naturã aſſequi ſempiternam. Hæc omnia atq; etiam plura quis de nuptijs ineundis exordiendo recte diceret. Si

Quę nuptię ſint contrahendæ

quis

quis autem ſponte non pareat,& alienus ab hoc conſortio uiuat in ciuitate, & ſine cõnubio quinq; & triginta egerit annos,ſingulis annis,ſi de maximo cenſu eſt,drachmis centum mulctet:ſi de ſecũdo,ſeptuaginta:ſi de tertio,ſexaginta: ſi de quarto, triginta. Quæ quidẽ pecunia deę Iunoni conſecranda eſt. Siquis autem ſingulis annis non perſoluerit, decuplum debeat. Cuius pecuniæ exactor ſit deæ ipſius quæſtor:ac niſi exegerit, ipſe debeat,atq; huius rationem referre quiſq; debeat. Sed pecunijs quidem qui nolit uxorẽ ducere,ita mulctetur,honore autẽ ſic. Primũ honores nullos à iunioribus cõſequatur, nec iuuenum ullus aliqua in re ſponte ipſi obtemperet. Deinde ſi aliquem cædere auſus fuerit,quilibet aduerſus ipſum inſurgat,& ei auxilium ferat,qui accepit iniuriam. Siquis autem præſens hoc non fecerit,timidus malusq; ciuis à legibus habeatur. De dote uero dictum eſt prius,& modo rurſus dicatur,æqualia pro æqualibus eſſe. ſiquidem neq; qui acceperit,neq; qui dederit,pecuniarum inopia conſeneſcet. Neceſſaria enim in hac ciuitate abunde omnibus ſunt. Mulieribus præterea cõtumelioſus faſtus minor erit. Minor & uiris humilis illiberalisq; ſeruitus. Qui paruerit,unum ſanè hoc aget præclare. Qui uero non paruerit,ſed aut dederit aut acceperit quod quinquaginta drachmas excedat ueſtimenti gratia,alius minam,alius tres ſemiminas,alius minas duas,& qui cenſum habet ſupremum tantundem rurſus perſoluat ærario,& quicquid datum fuerit uel acceptũ, Iouiatq; Iunoni conſecretur. Huius pecuniæ exactores eſſe uolumus horum deorum quæſtores,quemadmodum modo dictum fuit,cum de his qui nuptias fugiunt, loqueremur, quod ab eis debetur,eſſe à Iunonis quæſtoribus exigendum. Qui ſi neglexerint, de ſuo perſoluant. Fideiuſſio autẽ primũ patris firmiſſima ſit,aui deinde,tertia fratrũ ex eodem patre natorum. Si nullus iſtorum ſuperſtes ſit,tunc ex parte matris ſimiliter fideiuſsio ualeat. Sinautem inſolita cõtigerit deſolatio,propinquiores agnati atq; gentiles unà cũ tutoribus fideiubeãt. Siqua uero ſacra initiatio,aut diuina alia expiatio ad futura uel præterita uel præſentia in nuptijs agenda uideatur, diuinorum interpretes cõſulãt, putentq; ſi illis paruerint moderate ſingula peregiſſe. Ad nuptiale uero conuiuium nõ plures quàm quinq; amici & amicæ quinq; ex latere paterno uocẽtur:ex cognatis & propinquis totidem. Impenſa ſecundum diuitias fiat. Ditiſſimus minam expẽdat,alius ſemiminã, deinceps q; proportione ſeruata:quo decreſcit cẽſus,decreſcat ſimiliter & impenſa. Qui legi paret, laudetur ab omnibus. Sed eum qui non obtemperat,damnent cuſtodes legũ, tanquam à decoro alienum,legisq; ſponſalium Muſarum prorſus ignarũ. Bibere ad ebrietatem uſq;,neq; alibi unquã decet, præterquam in ſolennitatibus eius dei qui largitus eſt uinũ,nec tutum eſt. maxime uero connubio cõiuncti ſponſus & ſponſa tunc mentis cõpotes eſſe debent,quando non paruam ineunt uitæ mutationem,præſertim ut ex quàm maxime moderatis ſemper generatio fiat. Ferme enim incertum eſt quę nox aut dies cũ deo ipſam peragat. Quare ut ſolidus,ſtabilis,& quietus conceptus fiat,non oportet corporibus ebrietate diffuſis,dare operam liberis. Qui autem uino refertus eſt tã animæ q̃ corporis rabie concitatus,quouis & trahit & trahitur. Idcirco ebrius tanquam mente captus,ad ſerendum eſt inutilis. Nempe ueriſimile eſt eũ fœtus inæquales,inſtabiles, obliquos tam membris quàm moribus procreare. Quamobrem per totam quidem uitam & maxime quamdiu generatiõi uacat,abſtinebit quiſq;,cauebitq; ne faciat,uel quæ ſuapte natura & ſponte morbos inducunt,uel quæ ad petulantiam iniuriamq; declinant. Hæc enim in animos & corpora naſcentium neceſſario translata illic imprimuntur,peioresq; inde naſcuntur. Sed præcipue die illo ac nocte à talibus abſtinendum. principiũ nanq; & numen hominibus inſitum,ſi conuenienti ſibi à ſingulis munere ipſius utentibus honore afficiatur,omnia ſeruat. Oportet autem alteram ex duobus ſortem domibus à parentibus ſeparatam quaſi ad pullorum generationem educationemq;,ſponſum exiſtimare, atq; ibi nuptias celebrare,ubi ſit cũ liberis ſuis habitaturus. Nã ſi quoddã in amicitijs deſiderium ineſt,mores omnes quaſi glutino quodam connectit & uincit. Conſuetudo autem ſatura,nec ullum habens per intermiſſionem temporis deſiderium,alterũ ab altero ſatietate diſiungit. Quapropter parẽtibus utriſq; affinibusq; relictis,ſeorſum quaſi ad coloniam proficiſcantur,ac uiciſſim ſeipſos reſpicientes habitẽt,liberos generãdo,& educando:& uitam quã ab alijs acceperunt à ſe quaſi tædas ardentes alijs tradant, deos ſemper ſecundum leges colentes. Poſt hæc conſiderandum eſt,quarum rerum maxime honeſta

Quanta pœna mulcte/tur qui du/cere uxorẽ refugit

De dotibus

Cõuiuium nuptiale

Ebrietas uitanda

De seruis

nesta possessio sit. In plurimis quidem seu cognoscendis siue comparandis & possidendis nulla est difficultas. In seruis autem id omnino difficile. Causam uero, & recte quodã modo & non recte rursus de ipsis dicamus. Nam & contra usum & iterum secundum usum de seruis uerba dicuntur. MEG. Quo pacto id dicimus? Non enim intelligimus hospes quid modo dicere uelis. ATHEN. Non iniuria ô Megille. Ferme enim illa Lacedæmoniorum seruitus quàm Hilotiam uocatis, præ cæteris græcis maximam dubitationem & contentionem facit, cum alijs bene, alijs contrà instituta uideatur: Heraclidarum uero minorem quàm Mariandynorum disputationẽ habet: postremo seruilis apud Thessalos turba est. Hæc utiq; & huiusmodi omnia respicientibus, quid de seruorũ possessione agẽdum est? Hoc certe mihi nunc excidit, & tu merito me interrogasti quid dicerem. Hoc autẽ huiusmodi est. Scimus profecto, quod fatemur, omnes seruos quàm beneuolentissimos atq; optimos habendos esse. Multi enim iam serui quibusdã meliores ad uirtutem omnem quàm fratres & filij, domos, rem dominorum omnem & dominos ipsos seruarunt. Hæc de seruis prædicari non ignoramus. MEG. Certe. ATHEN. Contrà etiã dicitur, nihil in animo seruiente integrum inesse, nec quicq; seruorũ generi esse credendum. Quod & sapientissimus poetarum testatur nobis, cum de Ioue sic loquitur: Dimidiũ mẽtis Iupiter illis aufert, qui seruitutis sorti subiecti sunt. Hæc itaq; adeo diuersa de seruis homines cogitantes, alij nihil generi seruorũ credunt, sed stimulis atq; uerberibus quasi ferarum naturam, non ter tantum, sed sæpius ministrorũ animos seruiles efficiunt. Alij contrà omnino faciunt. CLIN. Ita est. Sed cum tam diuersa de seruis homines sentiãt, quid nobis hospes hac in nostra regione de possessione castigationeq; seruorum est agendum? ATHEN. Perspicuum mihi uidetur ô Clinia, quando difficile domatur homo, & ad necessariã distinctionem serui à libero & domino re ipsa deduci ægre patitur, difficilem possessionẽ hominẽ esse. Quod exemplo in crebris Messeniorũ rebellionibus patuit. Ciuitates præterea quæ multos eiusdem linguæ seruos habẽt, planum fecerunt, quot quantaq; hinc mala sequantur. Piratarum quoq; furta & latrocinia, quæ maxime circa Italiã abundabant, hinc oriũtur. Quæ omnia siquis animaduertat, quid de his faciẽdum sit, dubitabit. Duæ igitur solummodo restant uiæ, ut qui facile seruituri sunt, nec eiusdem patriæ sint, & quàm maxime fieri possit, inter se dissoni. Educenturq; recte, non solum ipsorum gratia, sed dominorũ multo magis. Est autem recta horũ educatio, ut nulla ipsis cõtumelia inferatur, iniuriâq; his multo minus si fieri possit quàm æqualibus inferenda. Liquido enim cognoscitur qui natura non ficte iustitiã colit, oditq; reuera iniquitatem, quum cauet ne ijs iniuriã faciat, quibus facile potest. Qui ergo circa mores actionesq; seruorũ nihil unquam facit impie, nihil inique, atq; ita in his se seruat immaculatũ, ad producẽdas uirtutis fruges erit aptissimus. Idem quoq; de domino, & tyrãno, omniq; potentiore aduersus imbecilliores recte dici potest. Castigãdi cædẽdiq; semper iure sunt serui, neq; ita monẽdi ut liberi, ne molliores fiant. Alloquutio omnis ad seruos quodam modo imperium sit, neq; iocus ullus cum illis seu fœminis siue masculis habeat. Quod multi stulte facientes, dum delicatius eos nutriunt, difficiliorem uitam & sibi ad imperãdum, & illis ad obediendum reddunt. CLIN. Recte loqueris. ATH. Hoc igitur pacto seruos quisq; & numero & facultate ad singula uitæ ministeria aptos habeat. Verũ post

De habitationibus

hæc habitationes oratione describendæ sunt. CLIN. Prorsus. ATHEN. Ad nouam profecto ciuitatem, & antea nullis hominibus habitatam, in primis ædificia procurãda sunt & modus templorum murorumq; habendus. Quæ sanè nuptias præcedere debebant, ô Clinia. Sed quoniam uerbis nunc agitur ita nimirũ licet ponere. Quãdo uero rem ipsam aggrediemur, hęc ante nuptias si deus uoluerit, collocãtes, reliqua deinceps omnia peragemus. Nunc autem tanquam in figura quadam hæc breuiter percurramus. CLIN. Fiat.

Situs urbis

ATHEN. Vrbs quidem tota in circulum in locis sublimibus deducatur, ut & munitior sit & mundior. Templa circa forum struantur. Iuxta hæc magistratuum iudicumq; palatia, in quibus quasi sacratissimis iustam & accipient & ferent sententiam, partim quidẽ tanquam de rebus sacris iudicaturi, partim uero tanquam iudicantium deorũ ibi sint de lubra. Ibi etiã iudiciaria domicilia, in quibus de homicidijs, cæterisq; capitalibus iniurijs

De muris

iudicetur. De muris autem ô Megille Spartiatis ego consentio, murosq; in solo iacere facile patiar. Probe enim poeticũ illud laudatur, quo æneos & ferreos magis muros quàm

terreos

terreos cõdere admonemur. Apud nos uero id insuper ualde ridiculum est, quòd singulis annis in agrũ iuuenes emittantur, qui caueis, foueis, ædificijsq; cõfectis, longe hostes à finibus arceant. Et muros quidem circunducimus, quod primum ad sanitatẽ ciuibus nihil confert: deinde animos ciuium emollire & eneruare consueuit. Efficiunt enim, ut facile intra eos se recipiẽtes, hostes minime fugent, putentq; se non diurna nocturnaq; custodia uigilantes, sed murorum septo & uallo dormientes saluos fore, quasi ad desidiã nati sint, ignorantes certe quietem à laboribus originẽ trahere, atq; è turpi otio & negligẽtia nasci labores solere. Verũ si muris aliquib⁹ muniẽdi homines sunt, sic ab initio priuatæ domus quæq; cõdant, ut tota urbs æqualitate & similitudine unus sit murus, habeãtq; domus omnes sic tutum ad uias aditũ. Quæ certe dispositio, & intuẽtibus erit grata, cum domus unius figuram tota ciuitas habeat, & ad custodiæ facilitatẽ erit longe omniũ cõmodissima. Hæc ita à principio construi, qui habitaturi sunt ciues, maxime curent. Ædiles quoq; prouideant, & eos qui negligunt mulcta compellant. Curentq; ut urbs quàm mundissima sit, nec à priuatis unquam patiãtur aut ædificando aut fodiendo publicũ aliquid occupari. Aquarum etiam pluuialium ut abunde & facile defluant, curam habeant. Item omnium quæcunq; uel in ciuitate uel extra sunt habitanda. Sed hæc omnia & cætera quæ à legibus prætermissa sunt, legum custodes usu docti ordinẽt. Postquã uero hæc, & circa forum ædificia, & gymnasia, & theatra spectantiũ, & docentiũ discentiumq; domicilia disposita sunt, ad ea quæ nuptias sequũtur, in ferẽdis legibus deinceps pergamus. CLIN. Sic est faciendum. ATH. De nuptijs igitur ita ut diximus ô Clinia res se habeat: post quas uiuendi regula quæ filiorum procreationem pręcedit, nõ breuior quàm annui temporis sequitur. Sed qua ratione in præstantissima ciuitate sponsus sponsaq; conuiuere debeant, facile dictu non est. Imò uero cum multa in superioribus difficilia sint, quę de his dicenda sunt, difficilius cunctis uulgus accipiet. Quod tamen uerũ rectumq; uidetur dicendum etiam ô Clinia. CLIN. Dicendum omnino. ATH. Quicunq; itaq; publica solum atq; communia censet legibus ordinanda, propria uero etiã quæ necessaria sunt, nõ curat, ac licentiam singulis quotidie uiuendi, ut uolũt, prębet, neq; certo ordine putat omnia facienda, sed priuatis neglectis, publica & cõmunia secundũ legem gesturos homines opinatur, non recte opinatur. Quorsum hæc? Nempe quoniam oportere sponsos asserimus reipub. nostræ non minus nec aliter alijs temporibus q; ante nuptias in comessatione publica uiuere. Mira quippe res quando apud uos primũ comessatio instituta est, uisa fuit, quam uestri bello uel alia re huiusmodi in hominũ calamitate coacti instituerũt: cumq; propter necessitatem usi fuissent, plurimũq; ad salutem conferre res uisa periculo esset, legibus statuta est. CLIN. Videtur. ATH. Mirum igitur id fuit, imperantiq; primo arduũ. Quod nunc siquis ita lege sancire aggrediatur, minus certe erit difficile factu. Verum quod deinceps sequitur, & dictu & factu arduum est: quod quãuis nusquam fiat, tamen si alicubi fieret, recte utiq; fieret, sed tale est, ut in eius descriptiõe legislator sicutiludentes ignem dissecare, & alia quæuis impossibilia aggredi uideatur. CLIN. Quid istud est hospes, quod dicere adeo formidas? ATHEN. Audiatis iam, ne lõgiore uos mora frustra detineã. Quicquid enim in ciuitate legis ordinisq; est particeps, cũcta ex eo bene procedunt. Quæ uero ordine carent, uel male ordinata sunt, ea etiam quæ bene sunt ordinata, confundunt. Quod huic quoq; rei accidit. Nam uobis ô Megille & Clinia pręclare, & ut dixi mirifice ex diuina quadã necessitate uirorũ constituta est comessatio. Fœminarũ autem comessatio non probe relicta in tenebris iacet. Quod quidem genus aliud hominum est & differens: nobisq; occultius & uersutius natura est propter imbecillitatẽ: atq; ita minus ordinari potest. Idcirco cessit legislator, neq; recte prætermisit. hoc em̃ pręter missō, multa nobis corrũpuntur, quæ longe melius se haberẽt q; nunc, si hoc ipsum fuisset legibus ordinatũ. Non est enim res muliebris, si iacere inordinata relinquitur, humanarum rerum, solum ut uideri posset, dimidium: sed quanto natura sua ineptior est ad uirtutem q; uirilis, tãto excedit, ut plus quàm duplum esse uideatur. Repetendũ igitur hoc, & corrigendum: omniaq; fœminis cum uiris communia ad ciuitatis felicitatẽ studia cõstituenda sunt. Nunc uero sic infeliciter ad hoc humanũ ducitur genus, ut nõ sit prudentis, huius rei mentionem in alijs regionibus & ciuitatibus facere: ubi nunquam comessationes publicæ conspectæ sunt. Vnde igit̃ quisquã nõ ridicule ad manifestã cibi potusq;

Quies à laboribus originẽ trahit

De modo uiuendi sponsi & sponsæ

De bène & male ordinatis

De ingenio & natura fœminæ

assumptionē mulieres cogere posset? nihil est, pfecto quod molestius laturū genus hoc uideatur. Nam cum timide & obscure degere consueuerint, latorem legis in lucē conantem educere omni reluctatione repellent. Hoc inquam genus alibi quidem quemadmodum dixi, nec orationē ipsam recte dicentis sine ingenti reclamatiōe audiet, hic autē forsitan sustinebit. Quare si uobis quoq; uidetur, collocutionis gratia, ne disputatio de republica manca relinquatur, dicere uolo q̄ bona decensq; res hæc sit. Si uobis placet inquā, aliter uero dimittam. CLIN. Mirum in modum hospes audire desideramus. ATH. Audiamus iam igitur. Sed ne admiremini, si rem altius repetere uisus fuero. Nam otio abundamus, necq; aliud quicq̄ nos urget, quo minus omnia undiq; quæ ad leges spectant, cōsideremus. CLIN. Recte loqueris. ATH. Prima itaq; repetamus. Scire omnes oportet, hominū generationem uel nullum prorsus unquam initium habuisse, necq; terminū habituram, sed fuisse omnino semper & fore: aut si cœpit, inextimabili iam ante nos tēporis magnitudine incepisse. CLIN. Plane. ATH. Nonne per omnem terram, urbes multas condítas arbitramur atq; destructas, & diuersa præcessisse hominū studia, partim cū ordine, partim etiam sine ordine? Cibi item potusq; & uescendi condiendiq; usus q̄ plurimos, & mutationes temporū uarias, in quibus animalia diuersis modis transmutata fuisse credendum? CLIN. Nihil prohibet. ATH. Quid porrò? Vites putamus cœpisse olim cum nō essent? similiterq; oliuas, et Cereris atq; Proserpinę munera, quę Triptolemus aliquis ministrauerit? Animalia uero tempore, quo ista non erant, nonne sicuti modo, alterū ab altero deuorabātur? CLIN. Proculdubio. ATH. At uero quod ad sacrificia pertinet, homines ab hominibus sacrificari apud multos uidemus: contrarium etiā de alijs audimus, sicuti quando nec bouillas quidem carnes gustare audebamus nec animalia dijs immolabamus, sed liba & fructus melle madentes, cæteraq; huiusmodi sacrificia pura dijs offerebantur. Carnibus autē abstinebāt. Nam uesci carnibus, & deorū aras polluere sanguine, impium uidebatur. Ita Orphica quędam uita tunc uigebat. Inanimatis quippe omnibus uescebantur, & ab animalibus omnibus abstinebant. CLIN. Feruntur hæc passim, ut dicis, & ualde credibilia sunt. ATH. Sed quorsum hæc à nobis omnia dicta modo sint, forsan aliquis percontabitur. CLIN. Probe ô hospes id coniecisti. ATH. Propterea si potero Clinia, quæ sequūtur deinceps, declarare conabor. CLIN. Dic iam. ATH. Trina quadam indigentia, atq; cupiditate omnia hominibus depēdere perspicio, in quibus si recte dicantur, uirtus, sin contrà, uitium nascitur. Harum duę sunt in animalibus statim natis cibi potusq; cupiditates. Ad quæ cum omne animal innatum habeat appetitū, impetu rapitur, nec uerba illius auscultat, qui monet aliud agēdū esse, q̄ ut horum cupiditates uoluptatesq; epxleantur, & dolores contrarij deuitentur. Tertia uero nobis indigentia ingens, & cupiditas acutissima, quæ ad propagationem generis inest posterius quidē innascitur, sed ardentissimo furore & maxima petulantia homines urit, & agitat. Hi tres morbi ad id quod iucundissimū dicit, rapiētes, ab eo ad id quod optimū est, tribus maximis rebus uertendi sunt, timore, lege, uera ratione. Quibus cum Musæ & dij certatorij adhibeantur ut incrementū et affluentia hoc pacto extinguantur. Procreationē quidem liberorū post nuptias collocare debemus. Post ipsam uero procreationē, educationē & disciplinam. Sic enim forsan procedēte oratione lex quæq; in priora progressa, in comessationes denicq; perducetur, quando in cœtus & cōmuniones huiusmodi peruenerimus: atq; utrum uiris solis an etiam mulieribus hæ cōmuniones imperandæ sint, tunc planius cōspiciemus, cum propius accesserimus, & quæ illas præcedere debēt, necdūq; lege disposita sunt, suum digesta in ordinem, ipsis præposuerimus. Ita sane ut modo dicebā comessationes acutius inspiciemus, conuenientioresq; de illis leges trademus. CLIN. Scite loqueris. ATHEN. Teneamus itaq; memoria, quæ modo dicta sunt. Fortè enim usui nobis quandoq; erunt. CLIN. Quæ tenēda iubes? ATHEN. Ea quæ cibi, potus, uenerisq; uocabulis appellauimus. CLIN. Fiet omnino hospes ut iubes. ATHEN. Præclare quidem. Sed ueniamus ad rem sponsalē, & sponsum ac sponsam quomodo liberi procreandi sunt, doceamus, ac nisi persuaserimus, legum quarundam positione minemur. CLIN. Quo pacto. ATHEN. Cogitare omnino sponsus & sponsa debent, quo pacto quàm pulcherrimos, & optimos ciuitati liberos poterunt procreare. Omnes autem homines qui communiter aliquid operantur, quandocūq; & ad se inuicē & ad opus ipsum intendunt

Secula & mores ante dicti

Orphica uita

dunt animum,bene & pulchre omnia faciũt.Si uero uel non habuerint mentem,uel non adhibuerint,contrà.Quare ſponſus ad ſponſam procreationemq; liberorum animũ uertat,& ſponſa ſimiliter ad ſponſum,atq; ad opus in eo tempore præcipue quo adhuc non genuerunt. Harum rerum curam habeant mulieres ſiue plures ſeu pauciores,prout placuerit principibus electæ. Quæ quotidie in Lucinæ congregentur tertiam horæ partem commoraturæ, atq; ibi alijs aliæ nuncient, ſiquem uirũ mulierem'ue illorũ qui matrimonij copula aſtricti gignendi habent facultatem, aliò intendere animum uideant, q; ad ea quæ in ſacrificijs nuptiarum iuſſa fuerunt. Procreatio aũt liberorum, & eorum qui illi uacant obſeruatio,decennium non excedat,quando adſit generandi fœcunditas.Siquę ad id tempus infœcundæ perſeuerauerint,conſilio cum propinquis & mulieribus harum rerum curatricibus habito,prout cõmodum utriſq; eſt, diſiungãtur.Siqua uero de utriuſq; cõmodis acciderit altercatio,decem de legum cuſtodibus delecti quos ipſi uoluerint,cognoſcant.Sed & mulieres ipſæ iuuenũ domos ingreſſæ,partim monitis,partim minis ab inſcitia ipſos & delicto depellant. Quod ſi nequeant,legum cuſtodibus nũcient, atq; illi id curent. Qui ſi prohibere non potuerint,rem ad populum deferant,& ſcriptis errantiũ nominibus iureiurando affirment ſe illos meliores facere nõ potuiſſe. Et qui ſcripto delatus eſt,niſi accuſatores conuicerit,infamis ſit:nec nuptijs ,procreandiſq; liberis ulterius det operam.Ac ſi id tentauerit,liceat cuilibet cædere ipſum impune.Eædem ſint & mulierũ pœnæ.Expertes enim muliebrium degant honorum,nec ad nuptias partusq; liberorum profectæ recipiantur,ſi in iudicium arceſſitæ damnatæ etiam fuerint.Si poſtquam ſecundum leges filios procrearunt,alienæ quiſquã uxori coniungitur,uel mulier uiro, illis ſcilicet adhuc generantibus,pœnis eiſdem ſubiaceant,quibus & dum ipſi gignebãt.Sed uiri & mulieres poſt liberorũ procreationem caſte uiuẽtes, in his omnibus ſummopere honorentur:qui contrà, uituperentur. Si cõtigerit ut plures in rebus eiuſmodi moderate ſe gerant,quæ præcepimus ſilentio ſine ſcriptis legibus habeantur & fiant:ſin autem plurimi ſe minime continebunt,legum cõſcriptione declarentur,& ad eorum normam de ſingulis huiuſmodi iudicet atq; agatur. Vitæ totius initiũ primus annus omnibus eſt,quem in ſacellis paternis ut uiuendi initium tam puero quàm puellæ,ſcriptũ eſſe oportet.Aſcribatur autem in pariete dealbato in unaquaq; tribu,ut qui ad magiſtratus idonei ſunt,annorum numero conſtet:& cuiuſq; tribus uiuentes homines proxime ſcribantur ſemper, & naturæ cedentes ſimiliter deleãtur.Nuptiarum tempus puellæ ſit à ſextodecimo in uigeſimum,idq; ſit longiſſimum tempus ad hoc inſtitutum.Maſculo à trigeſimo ad quintum & trigeſimum.Belli ab annis uiginti ad ſexaginta in uiris:in mulieribus poſtquã filios pepererũt, uſq; ad quinquageſimũ ætatis annum. In quibus obſeruandum eſt,ut ad eum belli uſum potiſſimum qui & poſſibilis eis ſit & decens,accipiantur.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI IN DIALOgum ſeptimum de Legibus.

REGREDITVR Plato in ſeptimo rurſum incõparabili diligẽtia ad prima ætatis teneræ rudimenta,imò uero progreditur.Nunquam enim,ut ita dixerim,ab hoc ipſo digreditur,indicans totum reipublicæ bonum aut malum,in bonis aut malis moribus priuatorũ,atq; hos præterea omnes in bona uel mala ætatis primæ educatiõe cõſiſtere. Præcipue uero id efficit in primis ſtatim libris, atq; hoc iterũ ſeptimo,utrobiq; pictor diligentiſsimus. Sed ibi quidem adumbrando: hic uero,ut pictorum more dixerim,colorando. Rurſus ibi eiuſmodi diligentiã proœmium legum uult haberi:hic uero figuram iure ſubſtantiã legum antecedentem.Leges enim ſcriptas ſine irritas inquit,niſi eiuſmodi præceſſerit diligentia. Ibi præterea ſimul & hic poſt puerilem ad iuuenilem deinceps atq; uirilem progreditur diſciplinam. Neq; ab re poſt nonnullas ſacrorum leges in ſuperioribus ad nuptiales eueſtigio proceſsit leges quaſi ſacras,ut diuini animalis ortum auſpicaretur à ſacris.Mox uero poſt cõnubia ad formandos pueros ſe accingit,nec natos tantum,ſed & naſcentes,imò etiam naſcituros,non minus in hac ipſe ſeminis humani cultura,ſagax,prouidus & accuratus,quàm in frugũ ſeminibus agricultor. Quorſum uero ſpectare cenſes,quod ait in re muliebri multo plus diſcriminis eſſe,quàm uirili?Item mulieres abſtinere à uino oportere qua nocte generãdi ſint filij,imò etiam & proximo præcedenti tempore,& toto conceptionis anno ab omnibus animũ perturbantibus?Hæc proculdubio eò ſpectant,ut nihil exactiſsimæ curæ ad humanã culturam ſpectantis prætermittatur.Animaduertes autem ex his Platonem exiſtimauiſſe, non uirum tantũ, ſed etiã mulierem in filijs generandis uicem agentis cauſæ obtinere. A quo

quamuis quodammodo dissenserit Aristoteles, consenserunt tamen plurimi apud medicos probatissimi. Profecto si suum quisq; opus diligit, propterea q; pater filiũ diligit magis quàm diligatur à filio, materq; ardentius quàm pater amat natum, coniectare licet causam esse unà cum uiro huius operis effectricem. Quod quidem hinc etiã confirmari potest, quod filij non minus, ac sæpe etiã magis matribus similes sunt quàm patrib. Similitudo uero tam propria tamq; frequens indicat fœtum substantiã non à patris tantum, sed matris etiam effectione susc ipere. Omnis enim causæ conatus fertur ad simile producendum. Deniq; cum speciei eiusdẽ sit mas & fœmina, uires habent rationis eiusdem. Vtrinq; igitur efficaces ad formã eiusdem rationis, & si non pari, simili saltem ratione perficiendã. Sed hæc ad leges minime pertinent. Tangit insuper quæstionem de atrabile non paruã, cuius uitio infantes formidolosi sunt, difficilesq; & queruli. De hoc ipso humore eiusq; cura, in libro De curanda literatorũ ualetudine, diximus diligentius. Quantum uero ad præsens pertinet institutum, humorem in pueris melancholicũ non ex constitutione propria esse scito, quæ quidẽ sanguinea est maximeq; aerea: sed ex reliquijs quibusdã materni menstruiq; sanguinis in puero putrefactis, & adustione quadam in atram bilem deinde conuersis. Accedit ad pueriles formidines in causa, rerum nouitas, quæ quidem facit ut & auditæ uoces quasi tonitrus, & uisæ formæ quasi laruæ & fulgura terreant. Ratio interea, quoniã nondum expergefacta, imagines à rebus ipsis nequaquam discernit: animam relinquit imaginationi pro arbitrio concitandam. Ex hac ipsa formidine perpetuo dolent, queruntur q; infantes. Præsertim cum facillime & à tractantibus offendantur, & lædantur ab aere, & ab agnitione naturæ plurimũ in exordio laborantis agitentur ipsi atq; uexentur. Quamobrem motu quodam fermè perpetuo atq; numeroso in curandis infantibus adolescẽtibusq; uti iubet. Primo quidem, quia motu geniti seruãtur & motu. Secundo quia eiusmodi motiõe uitæ moderata immoderatæ agitationi tum intrinsecus à natura, tum extrinsecus ab aere factæ resistimus. Tertio quoniam motus calorem excitat naturalem, corpusq; totum æque uiuificat. Quanto nutrimentũ coquit digeritq; per mẽbra. Quinto superuacua excremẽta secernit. Sexto obstructa aperit: & adæquat humores. Septimo conducit ad augmentum. Octauo membra apta simul reddit & solida. Non solum uero moderatione quadam æqualitatis, uerumetiam numeri cuiusdam proportione, motũ nobis oportet congruere. De musicæ quidẽ potentia, multa in multis epistolis asseruimus. Nũc uero satis sit intelligere, si per ipsam sæpe in contraria, scilicet tũ ad uoluptatem, tum ad dolorem distrahitur animus, nimirum posse ab utroq; ad habitum quendam utriusq; mediũ sæpe reduci. Ac si à motu corporis in quietem, & uicissim à quiete in motum reuocatur animus atq; prouocatur, certe posse quibusdam musicæ modulis à motu ordinis experte ad ordinatum, atq; hinc ad stabilem habitum quandoque reduci. Quem quidem habitum & hic et in epistola ad Dionysium secunda inquit & dei proprium esse, & humanæ uitæ tutissimũ. Vtrum uero uoluptas ac dolor in motione quadam consistant, & quo pacto definiãtur, in libro De uoluptate, & in Philebi Cõmentarijs latius disputamus. Satis in præsentia factum fuerit, si concludamus hunc in modum. Voluptates gustus & tactus in restitutione quadam in habitum corporis naturalem nasci uidentur. Dolores uero cõtrà, in casu quodã ex habitu naturali. Siue utrumq; euacuatione fiat, siue repletione, siue motu, seu quiete uel alteratione aliqua qualitatum. Præterea uoluptates odoratus, & auditus, & uisus, in reditu quodam ad ordinem sensualem, à quo multis contingentibus quotidie deturbamur. Deinde uoluptas imaginandi in regressione similiter ad ordinẽ imaginalem, à quo deijcit perturbatio. Ordo uero tam imaginalis quàm sensualis in quodam spirituum temperamento fundatur, cui quoties contemperata similiter admouentur, fit uoluptas in mutuã quadam sensus imaginationisq; cum rebus quæ influunt congruitate resultans. Post hæc rationis lætitia in reformatione quadam nascitur: per quam ratio quæ perturbatione corporea facta informis fuerat, uel deformis, formatur pro natura sua, atque reformatur. Denique mentis gaudium reformatione perficitur: per quam intellectuali quodam intuitu reformatur aliquando in ideam, à qua ceciderat ob negotiosæ uitæ tumultum. Si inductionẽ hãc recte consideraueris uidebis humanam uoluptatem summatim fieri in reditu quodam in habitum naturalem: neq; tam reditus ipsius, quàm habitus gratia fieri & optari. Igitur eiusmodi habitus si fieri possit, perpetuo firmus maxime omnium est optandus. At cur cogitãti cuilibet occurrere uidetur optabilior oblectatio in motu perpetuo quàm status ille perpetuus? Quoniã fallit nos imaginatio & opinio animæ mobili cõiunctæ corpori, perq; cõiunctionem eiusmodi uoluptatem mobilem appetẽtis. Quàm merito neglectura sit præ naturalis habitus firmitate, quando posita fuerit supra motũ. Si enim reuera gustaremus saporem ipsius habitus naturalis, extra quem in terris positi sumus, sicut motionis ad ipsum uergentis saporẽ gustamus: proculdubio longo interuallo habitũ regressioni præponeremus. Profecto quemadmodum omnes bonorũ gradus, meliori modo se habẽt in ipsa stabili ratione boni, quàm in materia mobili: sic expetendorũ omniũ rationes in ratiõe habituq; eiusmodi potius quàm in materia mobili collocantur. Per hæc probatum sit propriũ dei diuinorumq; gaudium in statu quodam consistere incomparabiliter motibus cunctis iucundiore. Quem quidẽ prudentes & ipsi debent eligere, & cæteris, præsertim iunioribus, adhibere. Præterea cunctis persuadere, uoluptatẽ quæ sit ex motu, non solum breuem esse ac leuẽ molestiæq; permixtam, sed etiam in multos & diuturnos ingentesq; dolores continuo prolabi. Distinguit autem numerosum motum per quem inconcinnos motus ætatis tenerę moderamur, in duo genera, in musicã scilicet & gymnasticam

sticam. Prima enim spiritum atq; animum, secunda uero humores membraq; cõponimus. Sub nomine quidem musicæ non modo cantus & sonos, sed poesim etiam et quæ ad figurarum ordinem pertinent, comprehendit. Sub nomine uero gymnasticæ, motus omnes corporis in præludijs ludisq; certaminum atq; prælijs. At choream saltationemq; ex utrisq; quodammodo mixtam intellige. Tum his omnibus quasi præludijs infantes, pueros, adolescẽtes, tam fœminas pariter quàm mares ad officia & belli & pacis diligenter erudit, eiusmodi uero rudimenta patrias appellat leges, ac reipublicæ uincula. Quibus subductis quasi columnis tecta reipublicæ corruãt. Iubet singula in his haud aliter fieri quàm publicis regulis statuantur: iudicans à delictis eiusmodi, delicta omnia tandem in republica prouenire, atq; ex mutabilitate ludorum iocorumq; & ornamentorum, mutationem quoq; legum & reipublicæ proficisci. Notabis mutationem præterquam in malis, esse rerum omnium periculosissimam, adeo ut etiam si muteris in melius, saltem ad tempus sis periculum subiturus. Inter hæc sacrificandum in ludis ait dijs & deorum filijs, atq; dæmonibus. Dæmonibus inquam puris, ut deorum filijs nos concilient. Deorum uero filijs ut deos nobis propitios reddant. Dijs deniq;, quo summi Dei muneribus nos reddant paratiores. Sic utiq; prisca consueuit religio, quemadmodmu de sphæra in sphæram gradatim corpore pertransitur & uisu, sic de propinquis numinibus ad remotiora deinceps suo quodam ordine progredi in omnibus, id præcipue uenerans, quod splendorem summi præcipue refert. Neq; uero ego nunc, uel de ciuili, immo plebea, uel de poetica, immo uero insana superstitione loquor, sed de philosophico diuinorum cultu à priscis sapientibus, prout cognitus uniuersi ordo dictauerat, instituto. Quem solum ubiq; commendat Plato, reliquos duos reuera deridens. Et ubi duos tantum commemorat, id est deos deorumq; filios, dæmones & heroes intelligit filios. Vbi uero connumerat deos, & deorum filios & dæmones, intelligit deos numina super sphæras. Filios numina in sphæris, dæmones numina infra sphæras. Post hæc ubi legitimorum ludorum disciplinam commendat, ludos inquit studiorum gratia potius, quàm contràesse cõstituendos. Addit, res humanas si comparentur ad diuinas, nullo studio dignas esse: id est, nulla extimatione, nulloq; amore, nec tanquam serias, sed tanquã nugas esse censendas. Sinautem ad naturales, magnificiendas esse cõsentit. Tum optimum ait homini contigisse, ut ingenium sortitus sit aptum ludis, & deditum: scilicet tum ad laboriosæ uitæ solamen, tum ad disciplinam paulatim per ludos congruos comparandam. Quod uero anima per uarias uiuendi formas circuitum quasi chorea ludens efficiat, id uniuerso optimum esse putãt. Rursus uniuersæ quoq; naturæ animæ, uidelicet ut quæcunq; in eius potentia latent, uicissitudine quadam educantur in lucem. At cur nõ dicit cætera quoque animalia ludos esse deorum? Quoniam nec adeo dijs familiaria sunt, ut cum his illi ludant. Nec comparãtur ad deos, utpote quæ seipsa deo non comparant, neq; diuina aliquando metiuntur, unde cogãtur de illis sicuti nos metiri. Et profecto si dei ridere sit, humanum rideat ludum conãtem immensa metiri. Considerabis hic Platonis uerba eiusmodi, scilicet: ea quæ ab aurora ad hanc horam nõ sine quadam deorũ inspiratione narrauimus, poesi quodammodo similia mihi uidentur. In his significat omnia eius scripta in eam usq; diem, id est senium, esse quodammodo diuinitus inspirata, atq; poetica figura dispositа, ut sint allegorice plurimum exponenda. Idem quoq; innuit statim post exordium Phædri, ut sciamus, & quæ in adolescentia, & quæ in ultimo composuit sentio, poesim maxime redolere. Ob id in epistolis ait, mentem suam uel à nullo uel à quàm paucissimis, & uix tandem & quadam uaticinij sagacitate posse comprehendi. Præterea contemplare hic quàm diligenter Plato effrenem cohibeat puritiam, quãtum somnolentiam quidem detestetur, commendet uero uigiliam, quàm opportune sua cuiusq; ætatis disponat officia, iubens inter ludendum primo quidem tradi literas. Deinde musicam. Tertio gymnasticam. Quarto arithmeticam. Quinto geometriam. Sexto astronomiam. In septimo uero loco dialecticam, id est metaphysicã, collocat in fine legum atq; reipublicæ. Quoniam uero dicit deum cum diuina quidem necessitate pugnare nunquã, cũ humana uero pugnare: distingue necessitatẽ alteram quidem esse in ipso naturali rerũ ordine ita ut est diuinitus instituto, ut res tales sint & tot & tantæ, sic moueantur, hæ præcedant, hæ comitentur, illæ sequantur, aliæ simul sint, aliæ uero seorsum, atq; ut sunt ita quoq; sint iudicandæ. Alteram uero necessitatem in casu quodam ab ordine naturali, ubi uel deforme, uel monstruosum, uel dissidens dissolutumq; uidetur. Cum prima necessitate non pugnat deus, Eius enim præcipua uoluntate necessitas eiusmodi constat. Sed nunquid pugnat cum altera? Certe nusquam pugnat deus. quid enim repugnet omnipotenti? Veruntamen ob id quasi pugnare fingitur, quòd hæc à diuina similitudine prolapsa longius in dissimillimam deo cadit deformitatem, quasi iam rebellãtem, sed à deo interim quasi repugnante atq; expugnãte miris modis in ordinem quandoq; redactã. Animaduerte post hæc nõ parui momenti dictum. Nõ est pessimum rerum omnium imperitia. Immo uero pessimũ est multarũ rerum peritia acquisita male. Ac si præcedẽtem quoq; sententiam animaduerteris, quæ hominem cognominat & deum & dæmonẽ atq; heroem, cognosces qua ratione exponi possit Plato, ubi animã inquit humanam in uarias species pertransire. sed hoc in theologia latius. Proinde ubi ad doctrinas mathematicas iuuenes adhortatur, reprehẽdit Græcos, quod in geometria & astronomia omnes errauerint. In geometria quidẽ, quod dimensionẽ quãlibet cum qualibet cõmensurabilem esse putauerint. Quod quidẽ nõ posse fieri primum apud Barbaros est inuentum. In astronomia quoq; quod errare planetas dixerint, cũ tamen in diuinis nullus sit error. Item motum uelociſsimorũ, tardissimũ nomina

uerint, tardiſsimorumq; uelociſsimum. Mentiri uero contra deorum dignitatem per ignorantiam natam ex negligentia, iudicat non ſtultum ſolummodo, ſed prophanum. Sed damnat plurimum Græcorum errorem cõtra diuinæ prouidentiæ uoluntatem, dicentium nõ eſſe inueſtigandum ipſum auctorem mundi deum, mundiq; ipſius originẽ, nec eorum quæ in mundo ſunt cauſam, quaſi inueſtigatio hæc non pertineat ad pietatem: cum tamen maxime omnium pia ſit, utpote præcipue cum diuina uoluntate conſentiens, quæ & uniuerſum eo diſpoſuit ordine, qui ad inueſtigationem eiuſmodi ſemper alliceret, & mentem ipſam inueſtigationis huius auidiſsimam procreauit. Platonem uero ipſum exiſtimare ueriſsimam pietatẽ præcipue in unius dei cultu ſitam eſſe, probauimus aliàs, & per ſuperiora eius uerba in præſentia confirmamus. Nam & ſi in plurali numero ſæpe ait deos colendos eſſe, cõcludit tandem numero ſingulari, & ſingulari cultu deum ipſum eſſe omni beato ſtudio dignũ. Præterea in antecedentib. iudices creaturus cõgregauit magiſtratus omnes in templo & in ipſo anni principio. Principiũ uero ab æſtiuo ſolſtitio. Neq; te turbet, quòd in calendis proxime ſolſtitium ſequentibus. Id enim certioris apud populum principij gratia dictum puta, uerum autem initium apud eum in ipſo proprie ſolſtitio fieri. Quod quidem allegorice ſic exponatur, ut quando ſolis lumen, id eſt, dei lumen rectius uberiusq; à nobis accipitur, tunc reuera ſit principiũ uiuendi & cogitandi atq; iudicandi, & huius unius gratia cũcti ſimul in uno templo, id eſt, una religione colant quicquid colant. Lumen uero ſolis in libris de Republica inquit unius omnium patris imaginem eſſe, & quaſi ſimulachrum eius in mundano hoc templo à patre omniũ collocatum. Quid plura? Vnum deũ in primis adorandũ, cuius gratia cætera numina ſint colenda, alibi ſæpe docet, atq; in epiſtola ad Dionyſium, rurſusq; ad Hermiã, & in Parmenide qui totus agit de uno, & in Timæo qui omnia producit ab uno, & in Philebo qui omnia metitur uno, & in Epinomide qui omnia reducit ad unum, manifeſte demonſtrat.

DIALOGVS SEPTIMVS DE LEGIBVS VEL DE LEGVM LATIONE.

De educatione liberorũ

ATIS igitur de liberis tam maſculis q̃ fœminis, de ipſorum educatione & diſciplina poſt hæc nobis eſt dicendũ. Quam omnino ſilentio præterire, impoſſibile eſt, ac ſi dicatur, mentioni cuidam doctrinæq; potius q̃ legibus cõgrua uideatur. Quæ enim priuatim & per ſingulas domos tum multa tum parua & occulta quotidie fiũt, cum facile ex uoluptate, dolore, & cupiditate ſingulorũ præter legumlatoris conſiliũ agantur, uarios & diſſimiles mores ciuiũ reddũt. quæ res ciuitatibus officit. Quum uero parua & frequentia ſint, ſingulis mulcta impoſita, ea legum poſitione uetare nõ ſatis honeſtũ eſſet atq; decorum. Quinetiam ſcriptis legibus derogaret, cum in paruis & multis ad contemnẽdas leges homines cõſueſcerẽt. Quapropter & leges de his ſcribere difficile eſt, & ſilere impoſſibile. Sed conabor oſtendendo quaſi digito quæ dico in lucem efferre. nũc enim obſcurius dicta uidẽtur. CLIN. Vera loqueris. ATHEN. Iam uero recte aliàs dictum eſt, exiſtimãdum eſſe, rectam educationẽ poſſe & corpus & animum q̃ pulcherrima & optima reddere. CLIN. Ita eſt. ATHEN. Corpora uero pulcherrima ſimpliciter ea fore cẽſeo, quæ rectiſſima in tenera ætate concreſcunt. CLIN. Certe. ATHEN. Quid illud? Nónne intelligimus q̃ maximum atq; plurimũ incrementi primi progreſſum in omnib. animalibus eſſe? adeò ut cõtendendi anſas multis præbuerint, corpora humana à primis quinq; annis in reliquis uiginti in duplũ nõ creſcere. CLIN. Vera narras. ATHEN. Quando ſine multis moderatiſq; laboribus incremẽtum influit plurimum, an nõ multa hinc mala corporibus innaſcuntur. CLIN. Omnino. ATHEN. Pluribus ergo laboribus ipſis tunc opus eſt, quando ſummopere affluit nutrimentũ. CLIN. Quid ais hoſpes? Nunquid ſtatim natis & tenerrimis pueris labores plurimos afferemus? ATHEN. Nõ his primis, ſed prius etiã illis qui adhuc in utero matris aluntur. CLIN. Quomodo uir optime faciendum id iubes? Num ij qui adhuc in utero parentis gerũtur, laborabunt? ATHEN. Certe. Nec ſanè mirum eſt ſi uos exercitationem tantillæ ætatis ignoratis, quam uobis licet uideatur abſurda, cupio aperire. CLIN. Omnino. ATH. Apud nos quidẽ huiuſmodi quiddã magis intelligi poteſt: propterea quòd ibi nõnulli in ludis quibuſdã magis q̃ decet, uerſantur. Nam apud nos nõ pueri ſolũ, uerumetiã ſeniores aliqui auium pullos alunt, & ad mutuã inter ipſas aues pugnam exercent: ac longe abſunt, ut labores in quibus ipſas exercẽtes agitãt, moderatos ipſis putent: ſed ad hæc minores in manibus, maiores ſub ulna capientes, nõ ſuę, ſed ha-

sed harum ausum bonæ habitudinis gratia per multa stadia gradiuntur. In quo sanè homini intelligenti compositi significant, corporibus omnibus motum agitationemq; non laboriosam prodesse, siue à seipsis siue in uehiculis, seu naue, siue aquis, siue quomodocunq; aliter moueãtur. Et propter hæc ciborum potusq; alimentum superantia, sanitatẽ, pulchritudinẽ, & uires nobis præbere possunt. Quæ cũ ita se habeãt, quid posthac faciundum censemus? Vultis'ne cum risu uerba faciamus, leges ponentes, ut prægnans deambulet: & natus quasi cera fingatur, quamdiu tener est, ac ad biennium usq; institis astringatur? Nutrices præterea per leges imposita mulcta cogamus ut uel ad agros, uel ad templa, uel aliò ad suos, donec per se stare possint, pueros perferant? Ac etiam cum stare cœperint, ne ponderis uiolentia membra propter mollitiem distorqueantur, gestent adhuc, quousq; trienniũ infantes exegerint? Sint autem robustæ quoad fieri potest nutrices, nec una solum sed plures. Et in singulis pœnam nisi fiant, scriptis legibus imponamus? Vel nullo modo sic agamus? Quod eñ modo diximus, abunde nobis accideret. CLIN. Quid nam? ATHEN. Risum profecto in nos ingentem prouocaremus. Nam mores nutrientium muliebres atq; seruiles nobis obtemperare nollent. CLIN. Cuius gratia igitẽ dicenda hæc putauimus? ATHEN. Quia domini & liberi ciuium animi, forsitan cum hæc audierint, probe intelligent, quod nisi priuata recte administrẽtur in ciuitate, frustra res communes sperat quis firmitatem aliquã in legibus habituras: atq; hæc intelligentes his quæ modo diximus, tanquam legibus quibusdam utentur: quorum usu, & familia & respubli ca bene gubernata feliciter uiuent. CLIN. Valde consentaneũ est quod dixisti. ATHEN. Ne desinamus ergo ab huiusmodi legum latione antequam animorũ quoq; studia quæ ad teneros admodum pueros pertinent, describamus: & ita simili quoq; modo, ut de corporibus incepimus, sermonem absoluamus. CLIN. Recte nimirum. ATHEN. Hoc igitur tanquam elementum ad utriusq; tam animi quàm corporis infantium cultum accipiamus, perpetuam die nocteq; nutritionem agitationemq; adhibitã, omnibus quidem conferre, maxime uero tenerrimis, ut si fieri possit, sic habitent quasi perpetuo nauigarent. Quoniam autem fieri nequit, quàm proxime ad hoc in curandis infantibus accedendũ. Quod autem fieri oporteat, coniectare hinc licet, quòd periculo tam puerorũ nutrices quàm quæ remedijs Corybantum dant operam, id esse utile cognouerunt. Quãdocunq; enim dormire pueros ad somnum tardiores matres cupiunt, non quiete hoc, neq; silentio, sed contrarijs faciunt. In ulnis enim portant agitantq; semper, & illos uocis modulatione tanquam tibicinio quodam mulcent. Et quemadmodum inde bacchationũ furentium remedijs fit, huiusmodi agitationis chorea musaq; utuntur. CLIN. Quænam horũ potissimum causa nobis est hospes? ATHEN. Nõ est ualde difficilis cognitu. CLIN. Quo pacto? ATHEN. Vtræq; hæ passiones in metuendo consistunt: sunt enim formidines quædam, propter malum aliquem animi habitum. Quando igitur ab exterioribus aliquis ad hos affectus agitationem infert, uincit exterior motus interiorem illum terribilem atq; furiosum. Cumq; uicerit, tranquillã animo præstat quietem, saltu cordis aliquantisper sedato: atq; ita alijs inducit somnum, alios uigilantes per tibiam & tripudiũ, cũ auxilio deorum quibus supplices litabant, à furioso affectu ad sanæ mentis habitum reuocat. Atque hæc ut orationis huius breuitas fert, rationem aliquam probabilem habent. CLIN. Omnino. ATH. Si hæc igitur talem aliquam uim habent, hoc præterea cogitandum, animum omnem ab infantia in metu nutritum, magis utiq; quouis ferri per formidinem consuescere. Nec cuiquam dubium est, quin ad timiditatem ista nõ ad fortitudinẽ exercitatio sit. CLIN. Ita prorsus. ATH. Contrà uero eum ad fortitudinem exercitari dicemus, qui à tenera ætate metus terroresq; omnes uincere consuescit. CLIN. Scite. ATHEN. Vnum igitur hoc ad uirtutis animi partem summopere cõferre dicamus, exercitationem uidelicet infantium quæ in motibus fit. CLIN. Maxime. ATHEN. Atqui facilitas animi uel morositas, non parum momenti habent ad bonitatem animi uel prauitatem. CLIN. Est ita. ATHEN. Est autem à nobis pro facultate dicendũ, quo pacto utrum uis horum infantiũ statim animo innascatur. CLI. Plane. ATHEN. Nobis profecto uidẽtur deliciæ, difficiles, morosos, iracundos, & leui de causa excitabundos iuuenum mores efficere. Cõtrà uero, nimia seruitus atrox, cum abiectos & illiberales & humana perosos facit, ad humanam consuetudinem ineptissimos reddere. CLI. Quomodo autem ciuitas uni-

Exercitatio infantiũ cõfert ad uirtutem capessendam

Deliciæ in animis puerorum

tas uniuerſa infantes qui nõdum uoces intelligunt,nec diſciplinã aliam guſtare poſſunt, ut iubes erudiet? ATHEN. Sic plane. Omne animal ſtatim natum uoce & clamore uti ſolet. Nec minus hominũ genus quod præ cæteris ad clamorem addit ploratum. CLIN. Sic eſt. ATHEN. Nutrices ergo quid infantes cupiãt,uolentes cognoſcere,quod appeti credunt offerũt:ſi tacent,recte:ſi clamant flentq́,nõ recte ſe obtuliſſe his ſignis conijciunt. Argumẽta ſanè in infantibus quas res ament,quas oderint,clamor fletusq́ ſunt,ſigna minime fortunata. Huius rei tempus triennio minus nõ eſt,quod ſpatium non eſt parua uitæ particula ad eam recte uel contrà ducendam,ſi ipſum recte uel contrà ducitur. CLIN. Recte. ATHEN. Nónne uidetur uobis difficilis homo,nec ullo modo tranquillus, eſſe etiam querulus atq́ gemebũdus ultra quam bonum uirum deceat? CLIN. Mihi quidem. ATHEN. Siquis omni ratione pro uiribus conetur, ut in hoc triennio puer quàm minimum dolore,metu,triſtitiaq́ afficiatur,nónne pueri animus pacatior tranquilliorq́ reddetur? CLIN. Perſpicuum eſt hoſpes,multoq́ etiam magis,ſiquis eum in multis uoluptatibus educarit. ATHEN. Hoc ego tibi non concedam ô mirifice Clinia. Nam talis educatio cũ in principio ſtatim adhibeatur,omniũ maxima pernicies eſt. Videamus igitur an quicquã dicamus. CLIN. Dic,quid ais? ATHEN. De re non parua à nobis agi nunc aſſero. Attende & tu Megille,ac ſententias utriuſq́ dijudica. Mea quidẽ ratio,rectam uitam cenſet nec uoluptates ſequi omnino,nec fugere omnino dolores debere,ſed mediũ potius illum habitum ſequi,quem & ipſe modo tranquillitatẽ uocabam,& omnes dei proprium eſſe,diuino quodam oraculo rectè conijcientes fatemur. Hunc habitum ſequi debet quiſquis hominũ diuinus eſt futurus,adeo ut nec ipſe ad uoluptates omnino procliuis ſit,alioquin procul à dolore non erit,nec alium quenquam ſiue ſenem,ſiue iuuenem, aut maſculum,aut fœminam indulgere uoluptatibus patiatur, minimeq́ omniũ ſtatim natos infantes. firmiſſimi enim tunc omnibus mores omnes propter conſuetudinem innaſcũtur. Ego uero niſi uererer ne fortè iocari uobis uidear,dicerem utiq́, grauidas etiã mulieres maxime omnium illo anno ita regendas eſſe,ut nec ad uoluptates multas furioſasq́ ferantur,neq́ doloribus agitentur:ſed tranquillã pacatamq́ & mitem uitam agant. CLIN. Non opus eſt hoſpes ut Megillum interroges,uter noſtrum rectius ſit loquutus. Ego enim aſſentior tibi meræ uoluptatis mericq́ doloris uitam fugiendam omnibus eſſe, & mediam quandam ſemper tenendam. Quare & dixiſti recte atq́ audiſti. ATHEN. Recte nimium Clinia. Sed illud ad hæc ſimul omnes tres cogitemus. CLIN. Quidnam? ATH. Quod quæ dicũtur à nobis,ea leges nõ ſcriptæ à multis appellantur, nec aliæ ſunt quæ leges patriæ nominãtur,quàm huiuſmodi omnia. Atq́ quod paulo ante tetigimus, nec leges hæc eſſe uocãda,neq́ ſilentio prætereunda,probe dictũ eſt. Hæc eĩ totius reipublicæ uincula ſunt,mediumq́ tenent inter ſcriptas ſcribendasq́ leges, uidelicet tanq́ primæ priſcæq́ omnino inſtitutiones. Hæc ſi probe poſita ſint,ſeq́ in eis homines recte aſſuefecerint,conſcriptas leges ſtabili ſalute tutantur. Sin contrà factum ſit, contrà continget: quemadmodum in ædificijs accidit,ubi ſi ædium ſuſtentacula ſubtracta de medio fuerint,concidere omnia cogunt,aliaq́ ex alijs deijci,& quæ bene ſuperſtructa ſunt,diru tis prioribus corruunt. Atq́ hæc quidem cogitantes nouam hanc tuam ciuitatem ô Clinia,undiq́ uincire debemus,nihilo prorſus relicto quoad fieri poteſt,quod uel ad leges, uel ad mores,uel ſtudia pertineat. his enim omnibus ciuitas nectitur. Alterum uero iſtorum ſine altero permanere non poteſt. Quare non eſt mirandum, ſi quæ nobis multa ſimul & parua legitime uidentʳ inſtituenda uelut cõſuetudines cõfluentia longiores leges efficiunt. CLIN. Recte tu quidem,& nos ſimiliter cogitauimus. ATH. Siquis igitur ad eum qui tres agit annos colendum ſeu maſculũ,ſiue fœminam hęc diligẽter adhibeat,ac ſedulo ſupradictis utatur,non paruam afferet nuper enutritis utilitatem. Atq́ id ingenio eorum qui tres & qui quatuor & quinq́ & ſex agunt annos cõueniens erit, à quibus delicíæ remouendæ ſunt,& caſtigatio ſine contemptu adhibenda. Cæterum quemadmodum ſeruos diximus caſtigare ſine contumelia oportere,ne in iracundiam efferantur: caſtigare tamen omnino,ne nimium delicioſi reddantur: ita & liberos uolumus. Horum ludi quidã ſunt ipſis quodammodo naturales: ad quos quando cõueniunt, ſponte ferũtur. Congregandi hi pueri ſunt à triennio ad ſex uſq́ annos, ſinguli in ſuæ tribus ſolennitate: quorũ & adhuc tantillorũ nutrices modeſtiã incõtinentiamq́ obſeruent, & cuiq́ cœtui nutri-

nutricibusq; una quædam præsit de mulieribus duodecim annuo tempore imperatura, prout legum custodes ordinauerint. has deligant mulieres nuptiarũ curatrices, ex quaq; tribu unam ætate ipsis æquales. Quæ ad hunc magistratum assumpta est, ita se gerat ut in sacrum quotidie proficiscatur, semperq; iniuriantem puniat. Seruum quidem & seruam, peregrinum & peregrinam ipsa per urbanos quosdam ministros: ciuem autem, cuius animaduersio in controuersia sit, ad ædilium trahat iudicium: de qua autem non sit controuersia, puniat ipsa. Post annorũ sex ætatem fœminæ à maribus discernantur, pueriq; deinceps cum æqualibus maribus, & puellæ cum fœminis æqualibus conuersentur. Et ad scientias utriq; se uertant. Mares quidem ad magistros equorũ, arcuũ, telorũ, & fundæ: fœminæ quoq; ad eadem si concedatur, usq; ad scientiam tantum, & maxime ad armorum usum. Quo pacto autem nunc in his se res habeat, penè ab omnibus ignoratur. CLIN. Quid ais? ATHEN. Quòd uidelicet dextera à sinistris, quo ad manus pertinet, differre iam uideantur in singulis operationibus natura. Pedes enim inferioresq; partes ad opera nihilo differre uidentur. Manibus autem matrũ nutricumq; simul ignorãtia quasi claudi facti sumus. Nam quũ natura ferè ad utramq; partem æque se habeat, ipsi per consuetudinem nõ recte utentes, differentiã fecimus. Et certe in quibusdam parum id refert. Nihil enim interest ad uitam, si lyra in sinistra sit, dextera plectrum, in cæterisq; huiusmodi similiter. Quorum exemplo idem in reliquis omnibus non facere, dementia est. Hæc ita esse lex Scytharum ostendit. Non enim sinistra solum arcum, dextra sagittam tenent, sed utrisq; similiter ad utrunq; utuntur. Multa exempla huiusmodi in aurigarum aliorũq; operibus reperiuntur. Ex quibus intelligere licet eos qui dextris sinistra imbecilliora reddunt, præter naturã id facere. Quæ res ut diximus, in corneis plectris, instrumentisq; talibus impedimento non est. Sed permultum interest, quando in pugna, ferro, arcu, hasta, cæterisq; huiusmodi uti necesse est, plurimum autem quando armis arma pellũtur. Differt autem multum qui didicit, ab eo qui non didicit: & exercitatus, ab eo qui minime exercitatus est. Nam quemadmodum qui aut in pugili certamine, aut lucta, aut utroque simul perfecte se exercuit, potis est congredi à sinistris, & præstò se accõmodat, quando ad partem alteram transferre cogitur: id ipsum arbitror in armis ac cæteris rebus rectissimum esse. Quare oportet si duo quædam quis possidet, quibus se defendat, & alios cædat: ut nihil horum pro uiribus otiosum inexercitatumq; relinquat. Et si quis Geryonis aut Briarei naturam habeat, quum centimanus sit, cẽtum oportet ab eo iacula mitti posse. Horum omnium curam habeant principes, tam mulieres quàm uiri: & mulieres quidem ludos alimentaq; considerent: uiri autem disciplinas, ut omnes pedibus manibusq; utrinq; æque potentes facti, per consuetudinem naturæ non noceãt. Disciplina uero duplici uti conuenit: & corporis quidem, gymnastica, manimi, musicam uocari. Sed gymnastica rursus est duplex, saltatio & luctatio. Saltatio quoq; alia musæ uerba imitatur, magnificentiam ipsius libertatemq; obseruãs: alia bonæ habitudinis, leuitatis & formæ tum corporis ipsius, tum partium membrorumq; eius gratia, apte flectit tenditq; singula: ita ut sufficienter motus harmonicus diffundatur, consequaturq; uniuersum saltationis ordinem. Luctationis autem genera illa quæ Anteus & Cercyo in artificiũ inutilis contentionis gratia deduxerunt, uel Epius uel Amycus in pugili concertatione: quum nihil ad prælium conferant, digna mentione non sunt. Quæ uero in recta luctatione à collo, manibus, laterumq; motu cum uictoriæ studio, honestoq; habitu adhibentur, & ad sanitatẽ uiresq; cõducunt: quum ad omnia utilia sint, prætereunda non sunt. Sed discentibus docentibusq; simul præcipiendũ, ut quãdo ad hoc in cõdendis legibus uenerimus, alteri beneuole hæc largiantur, alteri gratiose suscipiãt. Nec uero omnes imitationes capessendæ quæ in choreis sunt, sed hic quidem armatorum Curetarũ ludi, in Lacedæmone Castoris atq; Pollucis. Apud nos quoq; non est negligendũ, quod Minerua ludis choreæ delectata, non nudis manibus ludendum censuit, sed armis tota ornata, saltãdi officio est perfuncta. Quæ quidem adolescentulis sunt maribus & fœminis imitanda, deæ munus ad usum belli solennitatũq; ornamentum honorãtibus. Pueros uero antequam prodire in bellum possint, armis equisq; oportet in deorum omniũ pompis ornatos, modo uelociores, modo tardiores in chorea & itinere ad deos deorũq; filios supplicationes fundere. Ludi porrò atque præludia si rerum aliquarum gratia, nullarum certe nisi harum sunt adhibenda.

Puellarum separatio

Gymnastica

Saltatio

Luctatio

Hæc

Hæc enim in pace & bello tam priuatim quàm publice utilia ſunt. Cæteræ uero corporis exercitationes ſeu ludo, ſiue ſerio fiant, ô Clinia atq; Megille, nõ ſunt liberales. Eam iam gymnaſticam quam tractandam in primis ſermonibus dixi, fermè peregi, atq; hæc tota & perfecta eſt. Vos autem ſi meliorem habetis, in medium proferatis. CLIN. Non eſt facile hoſpes his neglectis, narrare alia de gymnaſtica & certamine meliora. ATH. Reliquum eſt ut de Muſarũ Apollinisq; muneribus differamus. de quibus ita ſatis dictũ eſſe putabamus, ut de gymnaſtica ſolum reſtare uideretur. Nunc autem patet nõnulla eſſe relicta, quæ dicenda in primis ſunt, quare deinceps illa dicemus. CLIN. Dicantur omnino. ATH. Audiatis igitur. audiſtis enim & in ſuperioribus, quamuis & in dicendo & audiendo, quod ualde mirum eſt & inſolens, cauere decet. Equidem in præſentia nonnihil dicturus ſum, quod dicere merito uereri quis debeat: dicam tamen. CLIN. Quid illud eſt hoſpes? ATH. Nuſquam cognoſci aſſero, quàm magnam ludorum genus ad legum conditarum ſtabilitatem & mutationem habeat poteſtatem. Quippe ſi hoc ita ordinatum fuerit: ut ijſdem ludis ſecundum eadem, & eodem modo, ijdem homines ſemper utantur & delectentur, leges quoq; ſerio poſitas ſtabiles manere permittit. Si nautem mutetur id genus, nouiq; ludi quotidie inducantur, ſemperq; nouis delectetur iuuentus, tum figuris geſtibus ue corporis, tum reliquo apparatu & ſupellectili: ac decens & indecẽs in his rebus aliter indies & aliter iudicent, atq; inuentores nouarum rerum, colorum ſcilicet & figurarum cæterorumq; huiuſmodi ſemper honorent: peſtem hac nullam ciuitati maiorẽ fore cenſemus, recte admodũ iudicantes. Mutat enim iuuentutis mores occulte, facitq; ut priſca quidem utilia, noua uero digna honore uideantur. Qua oratione & opinione, nihil rurſus aſſero pernicioſius ciuitatibus eſſe. Sed audite quantum id malum eſſe cenſeo. CLIN. Vituperari ne priſca malum eſſe in ciuitatibus ais? ATHEN. Aio equidem ualde. CLIN. Non malos ad hanc orationem nos auditores habebis, ſed quantũ fieri poteſt beneuolentiſſimos. ATHEN. Conſentaneum eſt. CLIN. Dic iam. ATHEN. Agite, audiamus hæc diligentiſſime: atq; ita inter nos differamus. Mutationem aio omnibus in rebus præterquam malis eſſe periculoſiſſimam: in temporibus omnibus inuentis, in diæta corporum, in moribus animorum, in omnibus ſimpliciter præterquam in malis, ut modo dicebam. Corpora quidem cum primis cibis aliquibus & potibus laboribusq; utuntur, turbantur quodammodo, deinde ex diuturno harum rerum uſu concreſcunt, pinguiaq; redduntur: atq; huiuſmodi uictu utpote iam cõſueto, familiari & amico, delectantur admodum, & optime ualent: at ſi ex probabili aliqua cauſa ad aliam cogantur tranſire diætam, in morbos initio conturbata incidunt, antequã nouo uictui conſueſcant. Idem quoq; in cogitationibus hominum animorumq; naturis fieri cogitandum. Omnes enim eas leges colunt, & innouare formidant, in quibus educati ſunt: ſi illæ diuina quadam fortuna longe tẽporibus ſtabilitæ fuerint: adeo ut nullus aut recordetur, aut audiuerit eas unquam ſe aliter habuiſſe. Quapropter excogitare debet legislator, qua uia id in ciuitate quodammodo fiet. Hunc igitur ipſe modum excogitaui: adoleſcentum ludos quotidie uariatos, ut ſuprà diximus, exiſtimãt omnes nihil aliud eſſe quàm nugas, neq; quicquam ad officia uitæ habere momenti. Quare cedunt & mutationem hanc innouationemq; fieri facile patiuntur. Nec intelligunt, quod neceſſe eſt pueros diuerſis ac priores ludis gaudentes, diuerſos differentesq; à priorib. uiros fieri: diuerſos uero effectos, diuerſam quoque uitam quæſituros, atq; hinc noua ſtudia legesq; deſideraturos. hinc nemo formidat peſtem quam dixi maximam ciuitati futuram. Sed cætera quidem, præſertim circa figuras mutata, minus nocent. Crebra uero in laudandis uituperandisq; moribus innouatio grauiſſima etiam, ut arbitror, & plurimum formidanda. CLIN. Quid ni? ATH. An non ſuperioribus ſermonib. credimus, in quibus diximus, quod rhythmi & cætera muſicæ genera, imitationes quædam ſunt morum, tum bonorum hominũ, tum malorũ? Vel quid dicemus? CLIN. Nullo modo aliter ſentiemus. ATH. Omni igitur ratione conandum ne pueritia in cantibus & ſaltationibus noua unquam audeat imitari, neue ullus ad nouitatem pueros uoluptatũ blandimentis alliciat. CLIN. Optime dicis. ATHEN. Habet ne quiſquam noſtrũ artem ad hæc Ægyptia meliorẽ? CLIN. Quam illã dicis? ATHEN. Vt tripudij cantusq; genera dijs omnia conſecrentur: & primum quidem feſti dies ſingulis in certis anni temporibus, dijs ſingulis deorumq; filijs, & dæmonibus ſtatuantur. Dein de quæ

de quæ ſacrificia, quibus dijs offerenda ſunt, ordinetur. Qui ue cantus & choreæ quibus conueniant ſacrificijs diſtinguatur. Quę poſtquam diſtincta ſunt, communi ciues omnes libatione, tum Parcis, tum alijs dijs ſacrificent, certoſq; cantus & choreas, certis dijs, eorum ue filijs, & dæmonibus dedicent. At ſi quis aliter q̃ conſtitutũ ſit, hymnis choreiſq; in deorum ſacris utatur, ſacerdotes tam uiri q̃ mulieres unà cum legum cuſtodibus, eum ſancte & legitime arceant: & qui repulſus erit, niſi libenter obtemperauerit, per totam uitam uolenti cuiq; pœnas impietatis perſoluat. CLIN. Probe. ATHEN. Verum quoniam huc oratione deuenimus, ut nos decet, afficiamur. CLIN. Quorſum hæc? ATHEN. Omnis nõ ſenex tantum, uerumetiam iuuenis quoties mirum quid & inſolens uiderit uel audiuerit, non utique accurrat illico, quodq; dubium eſt concedat: ſed quaſi ad triuium ſiue ſolus ſiue cum alijs uenerit, ignoretq; uiam, perquirat ſane, nec ulterius progrediatur, antequam certior fuerit, quò iter ferat. Similiter nobis in præſentia faciendum. Nam cum in ſermonem de legibus mirum & inſolitum inciderimus, diligentiſſime conſiderare debemus. Non enim decet ſubito tantos uiros de re tanta ferre ſententiam, & quaſi planã protinus affirmare. CLIN. Vera loqueris. ATHEN. Ergo tempus ad hoc aſſumamus, tunc demum affirmaturi, cum ſatis fuerit conſideratum. Verum ne fruſtra conſequentem legum præſentium ordinem relinquamus, ad finem propoſitorum feſtinemus. Forte nanque ſi deus uoluerit, finem ſuum hæc tractatio conſecuta, plane quod modo dubitatur aperiet. CLIN. Præclare loqueris hoſpes. Quare ſic faciamus. ATHEN. Decreto igitur mirum hoc & inſolens, ut dicimus, affirmet̃, quo nobis odæ cantusq; conſtare legibus uideant̃: ſicuti priſci de citharœdia dicebant: ut illi quoq; non longe à noſtro abſint propoſito, ſed tanquam in ſomno, aut etiam in uigilia uel ſomniauerint, uel uaticinati hoc ſint. Hoc igitur ita decernatur. Nemo audeat præter publicos ſacroſq; cantus aliquid canere: & præter conſtitutam iuuentutis choream moueri tripudio, quemadmodum neq; contra leges alias quicquam facere licet. Qui paret, indemnis abeat. Eum uero qui non obtemperauerit, quemadmodum paulo ante dictum, legum cuſtodes ſacerdotesq; tam mulieres q̃ uiri puniant. Sed hæc quidem ita ſe habeant. CLIN. Ita prorſus. ATH. Quomodo autem legibus hæc quiſpiã ita ſanciet, ut ridiculus non uideatur? Atqui ita conſideremus. Tutiſſimus ad hæc mihi modus uidetur, ut imagines quaſdam oratione fingamus: quarũ unam hanc eſſe dico, Sacrificijs factis, & uictimis de more peruſtis, accedat priuatim quiſpiam ad aram ſacraq;, filius aut frater, qui miſerabilẽ prorſus & noxiam orationẽ fundat, nónne dicemus hunc patri & ſuis male ominatum fuiſſe? CLIN. Dicemus ſane. ATHEN. In noſtris ciuitatibus fermè omnibus, ut breuiter dicam, hoc ita fit. Nam poſtea quàm magiſtratus quiſpiam publice ſacra fecit, nõ unus, ſed multi ſolent chori conuenire. Qui cum prope aras ſteterint, miſerandis uocibus ſacram rem temerant. Quippe uerbis numerisq; & concentibus flebilibus audientium inficiunt animos, & qui turbam ad lachrymas uehementius commouet, uictoriæ præmia refert. Hanc nos legem nónne abrogabimus? & ſi querulam orationem audiri à ciuibus quandoq; oporteat, non fauſtis diuinarum ſolennitatum diebus, ſed nefaſtis potius conuenire dicemus? Tunc eant ſi placet præmio conducti chori, externiq; cantores, quemadmodũ in funeribus fieri debemus: ubi quidã mercede conducti, Caricæ gentis inſtar miſere defunctum ipſum deplorãt. Hoc certe huiuſmodi cantibus conuenire uidetur, eoſq; cum flebiles mœſtiq; ſint lugubris quoq; ueſtis, ut breuiter dicam, non coronæ neq; ornatus aurei decent. Igitur à uobis ipſis hoc rurſus exquiro, utrum primã hanc imaginẽ placeat cantibus adhiberi. CLIN. Quam? ATHEN. Bonum, inquã, omen, ipſumq; cantuũ genus ſemper in benedicendo & feliciter ominando uerſetur. An fortè nihil interrogandum, ſed id potius ſanciendũ? CLIN. Imò uero ſanciendum prorſus. Cunctis enim hæc lex digna ſuffragijs. ATH. Quænam igitur poſt benedictionem, laudes, bonumq; omen, muſicæ ſecunda lex erit? Nónne ut preces dijs, quibus libamus, effundantur. CLIN. Certe. ATH. Tertia uero, ut arbitror, erit lex: ut cum poetę preces ipſas, petitiones hominum à dijs eſſe non ignorent, diligenter animaduertant, ne mala quaſi bona poſtulent. Ridicula nimiũ illius cõditio, qui ita precatur. CLIN. Procul dubio. ATH. Nónne ſuprà cõceſſimus, nõ oportere in ciuitate aureas & argenteas diuitias eſſe? CLIN. Omnino. ATH. Cuius igitur exemplar ſermonem hunc eſſe dicemus? Nónne huius? quod uidelicet poetarum genus non omne quæ bona ſunt, quæ non, ſatis

cognoscere potest. Quare si quisquã poetarum uerbis aut cantu præter ipsam rationem preces non rectas nobis tradiderit, is contraria in rebus maximis petere ciues faciet. Quo quidẽ errore, sicut diximus, non multos maiores reperiemus. Vnam igitur hanc quoq; in musica legem formamq; ponamus. CLIN. Quam? Dic apertius. ATH. Nemo poeta præter ciuitatis leges, & iusta, uel honesta, uel bona fingere quicq; audeat. Nec liceat quę cõposuerit, ulli priuatorũ ostendere, anteq; constituti hac de re iudices legumq; custodes & uiderint & approbauerint. Qui uero musicæ & disciplinæ præsideãt, ferme ostensum est. Nunquid ergo, quod sæpe iam quæro, lex ista nobis formaq; & imago tertia sancietur? An aliter? CLIN. Sanciatur omnino. ATH. Post hæc rectissimum erit, ut hymni laudesq; deorũ precibus mixtæ canantur: deinde dæmonũ heroumq; similiter, cum laudibus preces idoneæ. CLIN. Nil prohibet. ATH. Ad hæc sequitur confestim hæc sine inuidia lex.

Qui mortui laudandi

Decens est eos ciues laudibus exornare qui cesserunt è uita, si corporis uel animi uiribus res arduas præclarasq; gesserint, & legibus libenter paruerint. CLIN. Quid ni? ATH. Viuentes autem adhuc, laudibus hymnisq; honorare tutum non est, priusquã uita functus quispiã finem uiuendi præclarũ fecerit. Hæc omnia uiris mulieribusq; uirtute insignibus communia sint. Cantus autem & tripudia ita constituant̃: Multa priscorũ sunt circa musicam antiqua poemata, & saltationis genera, de quibus decẽtia & cõmoda constitutæ ciuitati deligere, nulla inuidia est. Quorum electores nõ pauciores q̃ quinquaginta sint annos nati. hi quæ sufficienter dicta esse uideantur, eligãt: quæ uero improbe dicta omnino reijciant. Et quæ minus sufficienter, poetis uiris mulicisq; adhibitis corrigãt & absoluãt, atq; uirtute ipsorum poetica, non uoluptatibus neq; cupiditatibus, nisi in paucis quibusdam utantur, ita ut legumlatoris exposita uoluntate, saltationẽ cantumq; & omnem choream, prudenter ad eam dirigant. Omnis profecto ordinata musa, quãuis suauis musa nõ adiungatur, longe melior est q̃ cum est sine ordine. Suauitas autem atq; iucunditas Musis omnibus est cõmunis. Nam in quacunq; à primis annis, ad ætatem usq; maturam uersatus aliquis fuerit, eam iucundam arbitratur. Quippe si in Musa temperata atq; ordinata fuerit educatus, contrariam cum audit odit, illiberalemq; appellat. Sin uulgarem incultamq; semper audire consueuerit: huius contrariam, frigidam & asperam esse dicit. Quapropter ut modo dicebam, iucunditatis & molestiæ in utraq; pro cõsuetudine nostra par ratio est, sed emolumenti & detrimenti ratio impar. Nempe altera meliores, altera deteriores facit utentes. CLIN. Præclare. ATH. Præterea cantus qui uiris conueniant, & qui fœminis, forma quadam distinguere debemus, & concentibus numerisq; accommodare. Absurdum est enim concentui uniuerso uel numero dissonare, & his singulis non idonea reddere. Horum igitur formæ necessario legibus statuendæ sunt, & utrisq; cõuenienter attribuendæ. Et quid uirum, quid ue mulierem deceat, ex ipsa utriusq; naturę differentia, declarare. Porrò quod magnificum est & ad fortitudinem tendit, uirile dicendum. Venustum autem modestumq; magis, fœminis esse accommodatius & disputatione asseuerandum, & legibus sanciẽdum. Atq; ordo quidem hic sit. Deinceps declaremus quomodo hæc & quibus tradenda aperiendáque sint, & quando agenda. Quemadmodum uero nauium faber carinulas primum ad nauis formam supponit, sic ego mihi facere uideor. Nam dum uitæ conor figuras distinguere, secundum animorũ naturales formulas quasdam quasi carinulas iacio, ut qua uia & ratione, huius uitę nauem per hęc maria ducturi simus, recte conspiciatur. Humanæ quidem res magno studio dignæ non sunt: Studere tamen necesse est, quod informatum dixerim. Postquam uero hic sumus, si modo quodam conuenienti id fecerimus, satis forsan nobis erit factum. Sed quid dicam, recte fortassis aliquis quæret. CLIN. Recte admodum. ATH. Oportere igitur aio quod studio dignum est, studiose sectari, non digna uero nequaquam. Ac deum quidem omni beato studio dignum, Hominem uero, sicut etiam suprà diximus, dei ludo esse fictum, atq; id uere ipsius optimum esse. Ita igitur affectos homines consequenter & mares & fœminas uersari in ludis quàm pulcherrimis oportere, contra quàm modo cogitantes. CLIN. Quo pacto? ATHEN. Nunc certe studia ludorum gratia sequenda esse ducunt. Nam rem bellicam putant studio dignam pacis gratia bene disponendam esse, cum in bello nec ludus inesse soleat, neq; disciplina ratione digna fuerit unquam, nec sit modo, neq; futura sit. nos autem eam disciplinam studio dignissimam arbitramur, qua homines instituti quamlongissime

Viuẽtes nõ laudandi

Homo ludus deorũ

atq;

atq; optime in pace uitam agant. Quæ autem ludendi in uita recta sit ratio,& quales ludi in sacrificijs canendo saltandóq; adhibendi sint,ut & dij nobis reddantur propitij,& hostes fundantur in pugna,& quas potissimũ res cantu & saltatione imitati hæc utraq; consequi ualeamus,quibusdam quasi formulis præsignatũ est,& uiæ per quas eundum,constratæ sunt. Qua iane in re credendum est poetam bene cecinisse,cum ait, Telemache,alia quidem tu mente uersabis, alia tibi dæmon suggeret. Non enim te puto sine numine diuũm genitum & nutritum. Hoc ipsum alumnos quoq; nostros cogitare oportet, & superiora quidem sufficienter dicta existimare,& siqua desunt dæmonem deumq; sperare sibi suggesturum,quibus scilicet sacrificijs choreisq; & quando & quæ numina ludendo placare debeant,secundum modum naturæ uiuentes, cum ipsi res quædam miræ sint ut plurimum ueritatis parum participes. MEG. Genus hominum hospes penitus parui facis. ATH. Non mireris,sed ignosce,ô Megille.Nam cum ad deum respexerim,commotusq; fuerim,hæc dixi.Genus ergo nostrum,si tibi sic placet,non uile, sed aliquo dignum studio sit.Post hæc gymnasiorũ doctrinarũq; publica ædificia tripartito in media urbe locata sunt.Foris quoq; equorũ gymnasia in suburbijs similiter tripertito.loca insuper ampla ordinata,ubi iuuentus ad arcum & telorum iactum instruatur exerceaturq;. Quod si in superioribus non sufficienter de his est dictum, nunc & sermone dictum sit, & lege sancitum:illorumq; omnium peregrini magistri precio conducendi, qui illic habitantes, & ad rem militarem,& ad musicã uenientes instituant.Ac non illos tantũ quos parentes uoluerint oportet discere,quos uero noluerint,disciplinas missas facere,sed ut dicitur,uiri omnes quoad fieri potest,& pueri,utpote qui ciuitatis magis quàm parentũ liberi sint, necessario discant.Eadem quoq; de fœminis quæ & de masculis lex mea sanciet. Eadem enim ab utriscq; uolumus exerceri.Neq; uerebor dicere equestrem disciplinã atq; gymnasticam,ita mulieribus ut uiris honestã esse. Hoc enim ex ueterib .audiui fabulis, fidemq; adhibeo.Nostris etiam temporibus,non ignoro esse circa Pontum innumera mulierum milia,Sauromatidasq; uocari,quibus non equorum modo,uerumetiam arcuum cæterorumq; armorũ æqualis cura cum uiris & exercitatio sit institutra.Sed rationem quoque ad hæc,hanc habeo.Aio equidem si hæc ita fieri possunt, stultissimum hoc in nostris regionibus esse, ut non ijsdem studijs mulieres ac uiri omni conatu consensuq; dent operam. Ferme enim ciuitas omnis hoc modo pro dupla, dimidia fit, ex eisdem laboribus atq; tributis.Qui sane legislatoris error est ingentissimus. CLIN.Sic apparet. Verum multa nobis hospes præter rerumpublicarum consuetudinem dicta sunt. ATHEN.Totam primo disputationem decet percurrere,deinde quod potissimum uidetur,eligere. CLIN. Scite admodum modo dixisti, fecistiq; ut meipsum reprehendam,quod illa dixerim.Quare de inceps ut lubet dicas. ATHEN.Hoc ipsum mihi placet Clinia quod modo dicebam.nam si re ipsa non satis pateret hæc fieri posse,contradici forsan nonnihil posset. Nunc uero si quis legem hanc aspernatur, aliud certe quærat oportet. Præceptum uero nostrum non cessabit asserere,quod oporteat doctrinæ cæterorumq; ꝯ maxime mulieres cũ uiris participes fieri.Sic enim de his considerare oportet. Dic age, si mulieres cum uiris in omni uita participes non sint, an non necesse erit ipsis alium quendam ordinem assignare? CLIN. Necesse. ATHEN. Quem alium eorum qui nunc sunt potius,quàm nostræ communionis ordinem assignabimus? Vtrum sicut Thraces,multæq; aliæ gentes,agricuturam,bubulcorum pastorumq; officia,& reliqua opera nihil à seruorum ministerijs differentia mulieribus tribuemus? An quemadmodum nos uicinicq; omnes nostri,reconditis in unam domum rebus,ut dicitur,omnibus fœminis penu custodiam,radios,lanificium, & similia cõmittemus? Vel Laconicũ ô Megille quasi mediũ eligemus? ut uirgines quidem gymnasiis & musicæ uacent,mulieres autem in ocio quidem lanificium curent, uitam tamen non abiectam & tenuem, sed solertiorem quandam agant. Quinetiam domestici cultus,custodiendi penu,educandorumq; liberorum mediam quandam curam suscipiant.Nec bellis intersint:ut si patriam liberósq; tueri necesse sit, nec sagittas emittere ut Amazones,nec cum reliquis ciuibus iaculationem scite obire queant: nec scuto hastáq; sumpta,imitari deam,ac pro patria obsessa generose resistere,ut si nihil aliud maius,terrorem saltem in acie uisæ hostibus ipsis incutiãt.Quippe si ita uixerint, Sauromatas imitari nunquam audebunt:sed apud ipsas mulieres,mulieres illorum uidebunt uiri. In his itaq;

Circa Pontũ mulieres militare, quę Sauromatides uocantur

ueſtrarum legum latores probet qui uelit. Ego profecto aliter nunquã dicam, perfectum namq; officium, non medium à legumlatore requiro, qui non ſinat reſolui delicijs mulieres, nec maribus ſolis attẽdat: ne pro felicitate ciuitatis duplici, ſimplicem ſolum efficiat. MEG. Quid hic agemus ô Clinia? An patiemur ut Spartam ſic hoſpes inuadat? CLIN. Certe. Nam cum dicendi libertas ei cõceſſa ſit, quouſq; ſatis de legibus tractatũ non fuerit, interturbandus non eſt. MEG. Probe dicis. ATH. Meum igitur eſt quæ ſequuntur explanare. CLIN. Proculdubio. ATH. Quis igitur uitæ modus erit, quibus neceſſaria mediocriter ſint præparata? Artes uero alijs relictæ, agricultura ſeruis cõmendata, qui fructus ex agris reddant, qui ſatis ſint hominibus modeſte uiuentibus. quibus præterea conuiuia publica ſint inſtituta: uirorum quidem ſeorſum: & proxime propinquorum, filiarumq; unà atq; matrum. hiſq; conuiuijs principes quidam & uiri & mulieres præpoſiti ſint: qui in eis obſeruẽt quotidie animaduertãtq; ſingula: deinde cœtus ipſos diſſoluant. & poſtq; tam principes quàm cæteri dijs ipſis, quibus dies illa uel nox dicata eſt, libauerint, domũ proficiſcantur. His igitur hominibus ſic inſtitutis nullum' ne erit reliquum opus neceſſarium ipſisq; conueniẽs? ſed diditi uentri, more pecorum uiuent? At uero nec iuſtum, nec honeſtum id ducimus. Necq; poſſibile eſt ita uiuentem hominem in id tandem quod ſibi conuenit, non incurrere. Conuenit autem deſidi obeſoq; per inertiam animali, ut ab alio laboribus exercitato & quaſi extenuato fortiq; raptum dilanietur. Hæc utiq; ſi ſufficienter exactéq;, ut modo uidemur, perquiramus, forte nunquam fierent, donec mulieres & liberi & domus & reliqua propria cuiq; eſſent. Si tamen, quæ ſecunda ad ea ſunt, & modo tractantur, fierent, mediocriter certe fient. Opus igitur ita uiuentibus non paruum neque uile reſtare dicimus: ſed maximum omnium à iuſta lege mandatum. Nam quum ſinguli uiuendi modi à cæteris omnibus operibus diſtrahant, ut ſi quis Pythia uel Olympia uincere ſtudeat, is alijs rebus uacare nequeat: duplici, immo uero multiplici adhuc cura, uita illius plena eſt, qui recte animi corporiſq; uirtuti uacat. Nihil enim exercitationis corporeæ, nihil doctrinarum animi morumq;, propter alia negocia negligendum eſt. Ferme enim tota dies totaq; nox iſta diligenter curãti uix ſatis eſt, ut ea prorſus aſſequatur. Cum igitur hæc ita ſe habeant, ordo totius temporis liberis hominibus ab ortu ſolis perpetuus ad alterum ſolis ortum eſt habendus. Ridiculus fortaſſe legislator habebitur, ſi multa frequentiaq; & minima quęq; de familiari adminiſtratione narrauerit, cum in alijs, tum etiã in nocturna uigilia, quam neceſſe eſt ut conſeruaturi ciuitatem exhibeant. Nam ſiue lex ſiue officium id appellandum ſit quod modo præcepimus, certe omnibus turpe illud & illiberale uideri debet, ut ciuium aliquis per totam dormiat noctem: nec primus excitetur & ſurgat, ita ut hoc toti familiæ pateat. Quinetiam ut domina ab ancillis, non ancillæ ab ipſa primum excitentur, turpe dicendum apud ſeruos, ancillas, pueros, & domum denicq; ſi poſſibile ſit uniuerſam. Nocte igitur exurgant: & magiſtratus publicũ aliquid, patres uero matresq; familiæ in domibus proprijs rem ſuam curent. Somnus enim multus, nec corporibus, nec animis, neq; rebus gerendis, natura conducit. Nemo quidẽ dum dormit, alicuius precij eſt, non magis quàm ſi non uiueret. Quare quicunq; uiuere & ſapere cupit maxime, quàm longiſſimo tempore uigilet, ſola ſanitatis commoditate ſeruata. Ad hanc uero nõ multo opus eſt ſomno: ſi bene aſſueueris ſomnis. Magiſtratus profecto nocte in urbibus uigilantes malis hominibus tum hoſtibus tum ciuibus terrori ſunt, amãdi honorandiq; iuſtis & temperatis, ſibi & ciuitati utiles uniuerſæ. Sed nox quidem ita peracta, ad ea quæ diximus fortitudinem quoq; in animis ciuiũ creat. Sole uero ſurgente, pueri ad magiſtros proficiſcantur. Quoniã uero nec pecudes nec alia prorſus ulla ſine paſtore uiuere debent, nec pueri etiam ſine pędagogis ſint, neq; abſq; dominis ſerui. Eſt autem puer omni beſtia intractabilior. Nam quum prudentiæ fontem nondum perfectum habeat, inſidioſiſſimus eſt acerrimusq; & petulantiſſimus omnium beſtiarum. Ideo multis quaſi frenis uinciendus eſt. Et cum primum à matribus nutricibusq; ſeiungitur, pædagogis eum ad puerilem laſciuiam regendam commendare oportet: deinde ut liberum quidem, doctrinarum potiſſimum gratia præceptores: ut autem ſeruum, caſtiget quicũq; ex liberis forte deprehenderit, puerum ipſum & pædagogum & præceptorẽ: ſiqua in re delinquere eos conſpexerit. Si uero preſens quis iure non caſtigauerit, maximo ſubijciatur opprobrio. Rem hanc ille qui de cuſtodibus legum ad principatũ puerorum electus fue-

De familiari adminiſtratione pauca

De ſomno multo & uigilijs

Puer omni beſtia intractabilior

fit cognoſcat: ſiue ille qui eos deprehendit non caſtigauerit cum oporteret: ſiue non more caſtigauerit. Acute autem uideat hic oportet, diligẽtiſſimé q̃ educationem puerorum curet, naturas eorum ſecundum leges ac bonum ipſum dirigens ſemper & conuertens. Quomodo autem hunc ipſum nobis lex ſufficienter erudiet? Non enim ſatis, nec aperte adhuc dictum eſt: ſed alia tacta, alia prætermiſſa. Oportet autẽ pro uiribus nihil relinquere, ſed rationem omnem exponere, ut interpres hic alius & educator ſit. De choreæ quidem, cantus, & ſaltationis forma dictum eſt, quæ eligenda, corrigenda, dedicanda ſit. De ſcriptis autem oratione ſoluta nondum diximus: quænã horum, & quo ordine, ô optime puerítiæ cultor, alumnis tradenda ſint, quãuis quæ in re bellica diſcenda exercẽdáq̃ ipſis ſunt, iam habeas. Etenim quod percipienda ſint quæ ad literas pertinent primum, deinde quæ ad lyram, à legislatore dictum eſt. Præterea quæ ad computationem numerorũ ſpectant, quibus opus eſſe diximus: & omnino quæcunq̃ ad bellum ac rem familiarẽ publicam q̃ conducunt. Item quę ad diuinorũ aſtrorum ſolis lunæq̃ circuitum, perquirendum: ut uniuerſa ciuitas non ignoret ordinem dierum in menſem, menſium q̃ in annum: atque ita tempora, ſolennitates, ſacrificia ut decet diſpoſita naturali quodam ductu, uiuam ciuitatem uigilantem q̃ reddant, & dijs honorẽ tribuãt, & homines ad hæc prudentiores efficiant. Hæc tibi ſic ô amice à legislatore ſufficienter diſtincta ſunt. ſed quæ ſequuntur animaduerte. Nam de literis nondum ſatis diſtinctum fuiſſe dicimus: quoniam quatenus his uacandum ſit, non eſt declaratũ: utrum uidelicet exacte eas comprehendere debeãt, qui mediocres futuri ſunt ciues, an nihil omnino. Similiter quoq̃ de lyra. Ad literas ergo decennes pueri proficiſcantur, triennioq̃ inſiſtant. Et qui tres ac decem egerunt annos, lyræ ſimiliter tres annos incumbãt. Nec liceat aut patri plus uel minus in his liberos detinere: aut liberis ſiue tædio affectis citra id tẽpus, ſiue deſiderio cõpulſis ultra his rebus, contempta lege, uacare. Siquis nõ paruerit, honores qui diſciplina prędítis dant, quos poſtea narrabimus, nõ conſequatur. Sed quid in his annis docere magiſtri, adoleſcentesq̃ diſcere debeant, audi. Literas donec legere ſcribereq̃ poſſint perdiſcãt. Velociter aũt aut perpulchre faciant, necne, niſi natura in hoc temporis ſpatio iuuerit, nõ eſt curandum. Monimenta uero poetarũ in quibus lyra non utunt, partim metrice ſcripta, partim ſine metro: quæ quidẽ rhythmo harmoniáq̃ carentia fallacia ſcripta, ſunt nobis à nõnullis huiuſmodi hominibus tradita, qua ratione uſui dabitis ô omniũ optimi cuſtodes legum? Legum quoq̃ latorem, qualem iſtorũ uſum uobis recte tradat, dubitaturũ arbitror. CLIN. Quid hoſpes tecum ita dubitaſti? ATHE. Recte tu Clinia. ſed ad uos qui de legibus communiter mecum conſideratis neceſſe eſt ut & quæ certa & quæ dubia mihi uidentur, aperiam. CLIN. Quid ergo de his modo dicis? quid te mouit? ATH. Dicam equidem. Profecto in numeris hominibus non eſt facile contradicere. CLIN. Nunquid parua & pauca de legibus iam dicta putas multis cõtraria? ATH. Vere prorſus id dicis. Iubere namq̃ uideris, ut quamuis multis hoc iter arduum odioſumq̃ ſit, peragã tamen confidenter, perq̃ legũ ſemitam præſentibus ſermonibus patefactam nihilo prætermiſſo progrediar: cum iter huiuſmodi forſan nõ paucioribus, & ſi paucioribus, nõ deterioribus placeat. CLIN. Certe. ATHEN. Nihil igitur prætermittam. Dico equidem, poetas multos hexametro carmine, multos trimetro alijſq̃ generibus metrorũ ſcripſiſſe: ac alios ſeria, alios iocoſa fuiſſe complexos. Quæ cuncta multi facultatis huiuſmodi profeſſores, aſſerunt recte educandis iuuenibus ediſcenda, ut ex uariorum poetarum peritia facundi reddantur. Alij capita quędam ex omnibus electa, & in idem cõducta, memoriæ cõmendanda contẽdunt. ſi modo quis noſtrum ex multorum peritia atq̃ notitia probus uir & ſapiens eſt futurus. Tu uero quid ab his recte dicatur, quid contrà, libere à me nunc explicari iubes? CLIN. Quid ni? ATHEN. Ego igitur quid potiſſime de his omnibus uno uerbo ſufficienter dicam? hoc equidem arbitror, quod mihi ab omnibus cõcedetur. Multa à poetis probe, multa etiam contrà eſſe dicta. Quod ſi ita habet, multorũ ediſcendorũ ſtudiũ iuuenibus periculoſum eſſe aſſero. CLIN. Quomodo ergo, & quid cuſtodi legũ præcipis? ATH. Qua de re dicis? CLIN. Quónã ſibi reſpiciendũ quaſi ad exemplar quoddã, ut alia perdiſcẽda iuuenibus, alia ne attingenda quidẽ iubeat, ne dicere id graueris obſecro. ATHEN. O bone uir Clinia, uideor quodammodo fortunatus. CLIN. Qua in re maxime? ATHEN. Quod penitus exemplo non caream. Nempe cum ea quæ ab aurora ad hanc horam nõ ſine quadam

Diſcenda quæ ſint.

deorum inſpiratione,ut mihi uidemur,narrauimus,animaduerto:poeſi quodammodo ſi milia mihi uidentᵉ.Nec mirum eſt ſi proprios ſermones quaſi ſimul omnes collectos reſpi ciens ſic afficior,ut admodũ læter. Omnino enim quæ aut poetice aut ſoluta oratione di cta didici & audiui,moderatiſſima hæc mihi inſtruẽdiſq; iuuenib.idonea maxime uiden tur.Quamobrẽ quod melius exemplum legũ cuſtodi atq; doctori proponã,non habeo, q̃ ut magiſtros cogãt pueris hæc exponere,& quæcunq; alia his ſimilia:ſiue poetice,ſiue ſoluta oratione ſcripta ſint:ſiue ſimpliciter dicta quidẽ, & huic diſputationi cõſentanea: quæ nullo modo prætermittat oportet, ſed operã det ut ſcribantᵉ. ac primũ præceptores ipſos cõpellat dicere hæc,atq; probare,& eos qui nõ probẽt repellat:ijs uero qui probãt, erudiendos inſtituendosq; adoleſcẽtes cõmittat. Sed de literis earũq; magiſtris iam ſatis. CLIN. A propoſito quidẽ hoſpes,ut mihi uidetᵉ,nõ aberrauimus: ſed utrum recte totam rem,an contrà agamus, forſan difficile dictu. ATH. Tunc demũ Clinia id quoq; patebit, ut decens eſt,quando ſicut ſæpenumero diximus,legũ tractatio finẽ accipiet. CLIN. Re cte. ATH. Verũ poſt literarũ magiſtrũ nónne de cithariſta dicendumᵉ CLIN. Cur nonᵉ ATH. Si ſuperiorum memores erimus uerborũ,citharíſtis congruum & docendi & edu candi,quantũ ad ſua ſpectat,ut reor,officiũ dabimus. CLI. De quibus dicisᵉ ATH. Opor tere diximus Dionyſiacos cãtores ſexaginta annos natos rhythmorũ naturas harmonia rumq; cõſtitutiones acute ſentire,ut in cantibus affectus animi imitantibus, probi animi imitationes,ab imitationibus improbi ſecernere poſſint:& has quidẽ reijciãt, illas in me dium deductas,adoleſcentũ auribus cõcinant, trahantq; eorũ animos imitatione quadã perductos ad uirtutis ipſius poſſeſſionẽ. CLIN. Vera loqueris. ATH. Quapropter citha riſtam diſcipulumq; eius oportet lyræ uocibus uti eius expreſſionis gratia,quæ ex cano ris fidibus prouenit,& uocibus uoces conſonas reddere.Diuerſitatẽ uero uarietatẽq; ly ræ,cum alios fides modulos reddant,alios poeta cantus ipſius autor, ut ſpiſſitudinẽ præ terea raritati,uelocitatem tarditati,acumen grauitati,& omnino conſonũ ſimul & diſſo num pręſtet,rhythmorumq; uniuerſa uarietas,lyræ uocibus accõmodetur,afferre illis nõ licet,qui triennio utilitatẽ muſicæ ſunt facile percepturi.Contraria enim cum ſe inuicem confundant,difficile diſcunᵉ.Oportet autẽ ut facile iuuenes diſcant. Nam nec parua,nec pauca ſunt,quæ neceſſario illis perdiſcenda mandamus.Hæc autem oratio progrediens cum tempore ſimul oſtendet.Hæc de muſica doctores procurent. Quæ uero uerba can tusᵉ ue chorearum magiſtri docere debeant, ea nobis in ſuperioribus diſtincta ſunt, quæ dedicanda commode ſolennitatibus diximus,ut unà cum felici oblectamẽto utilitatem quoq; ciuitatibus præbeant. CLIN. Vere hæc etiam diſtinxiſti. ATHEN. Hæc itaq; uere diſtincta electus ad muſam magiſtratus ſuſcipiat curetq; feliciter. Nos uero ſicut muſicæ docendi modũ qui reſtabat adiecimus,ita nunc ſaltationi & uniuerſæ corporis gymnaſti cæ,cum idem reliquum ſit,idem quoq; adijciamus.Pueros enim puellasq; oportet tripu dium & gymnaſticam diſcere.Nónneᵉ CLIN. Sic oportet. ATHEN. Saltandi igitur magi ſtri pueris, ac puellis magiſtræ dentur,ut his apte exerceantur. CLIN. Dentur prorſus. ATH. Rurſus uirum illum plurima negocia ſubiturum,uocemus pueritiæ curatorẽ, qui cum & muſicæ & gymnaſticæ curam habeat,nunquã ocio abundabit. CLIN. At quo pa cto tantam cum ſenior ſit,curam ſufferre poterit. ATH. Facile ô amice.Lex enim ipſi con ceſſit,cõcedetq; ut ad eam curam quos uelit ciuium & uirorum & mulierum accipiat ſo cios.Ille autem qui deligendi ſint cognoſcet,uoletq; ſocios probos deligere, cum magi ſtratus ipſius magnitudinem prudenter & cognoſcat & uereatur,nec ignoret quòd ſi pu eritia recte educata ſit,educeturq;,omnis in uita recta ſit nauigatio:ſin contrà, quid con trà ſequatur,nec dictu dignum eſt,neq; nos dicimus,pernicioſum in ciuitatem nouam o men fugientes.Multa iam de ſaltatione déq; omni motu gymnaſtico diximus.Gymnaſia enim omnes etiam exercitationes bellicas appellamus,ut ſagittandi,iaculandi, peltaſti cen quoq;,& omnes armatorum dimicationes,acierum ordinationes, ductiones exerci tus,caſtrorum poſitiones,& quæcunq; ad equeſtrem pertinent diſciplinam. Quorum o mnium publicos oportet eſſe magiſtros à ciuitate cõductos,qui pueros & puellas, uiros & mulieres doceant,ut omnes qui in ciuitate ſunt,hæc omnia ſciant.Et puellæ quidẽ ſal tare pugnaréq; cum armis conſueſcãt:mulieres autem caſtra mouere,ordines ſtruere, & arma ſumere atq; deponere,ſi nullius rei alterius gratia,attamẽ ſi res cogat ut in militiam

Cur mulie/ resoporteat caſtra & ar/ ma tractare

uir

uiri omnes proficiſcantur, poſſint ipſæ interim ſiquid aduerſi acciderit, ciuitatem defendere: uel ſi tanta hoſtium multitudo agros inuaſerit, ut neceſſe ſit mulieres quoq; pro ciuitate arma capere. quorum nihil eſt quod non facile euenire poſſit. Magno certe reipublicæ uitio dandum eſt, ita ignaue mulieres educari, ut nec ueluti aues quidē pro filiolis contra feroces audeant beſtias pugnare: moriq; potius uelint, cunctaq; ſubire pericula, quàm ſtatim ad aras templaq; confugere, opinionemq; de genere hominum dare, omnium ignauiſſimum animalium eſſe. CLIN. Per louem hoſpes & dedecori hoc & detrimento eſt ciuitati. ATH. Legem igitur hanc ſanciamus, ut rem bellicam mulieres non negligant: ſed ciues omnes tam mulieres quàm uiri illi dent operam. CLIN. Sanciamus. ATHE. De luctatione quidem partim nobis eſt dictum. Quod uero, ut arbitror, maximum eſt, nō dixi mus, nec facile dictu eſt, niſi quis uerborum declarationi corporis geſtus adiungat. hoc ergo tunc iudicabimus, quando uerba rebus coniuncta apertius aliquid etiam de cæteris ſignificabunt, & luctationem maxime omnium motuum prælio affinem eſſe, & oportere nō prælio huius cauſa, ſed huic gratia prelij operam dare. CLIN. Probe id quidē. ATH. Sed de luctandi quidem facultate hactenus ſit dictum. Cæteros uero corporis totius motus, quorum plurimi ſaltationis nomine recte appellari poſſunt, in duas ſpecies diſtribuimus. Nam alius quidem motus decentioribus geſtibus corporis honeſtum dignumq; aliquid imitatur, alius contrà indecentioribus, ad uile aliquid imitando deducit. Et utriuſq; rurſus duæ ſunt ſpecies. Honeſtus enim digniorq; motus alius eſt, cum in bello uiolētisq; laboribus egregio corpore fortiq; animo implicamur. Alius, dum animus in rebus ſecundis moderate lætatur. Hunc ſiquis pacificum appellet motum, ſecundum naturam appellare uidebitur. Illum uero à pacifico diuerſum Pyrrhichen recte quiſq; uocabit, qui imitatur flexus corporum, quibus tela plagæq; uitantur, declinando, retrocedendo, exiliendo in altum, humiq; ſe contrahendo: contrarios item geſtus, quibus uidelicet aduerſus alios quicquā infertur, ſagittando, iaculando, cædendo. In his omnibus arbitrari oportet, quando intrepidus & conſtans habitus in membrorum rectitudine & fortitudine animi adhibetur, recte fieri: quando uero contrà, non recte. Sed & paci conuenientem ſaltationem hoc pacto in ſingulis conſideremus, utrum recte necne pro natura honeſtæ ſaltationis decenter quis in choreis optima lege eruditorum uirorum uerſetur. primum uero ambigua quæ in controuerſiam cadit ſaltatio, à nō ambigua diſtinguenda eſt. quænam igitur hæc? & quo pacto utraq; diſtinguēda eſt? Ambiguam arbitramur, quæ Bacchica, Bacchumq; ſequentium eſt: quas Nymphas, Panes, Silenos ac Satyros uocant. quæ quidem, ut aiunt, uinolentos imitatur, luſtrationes & ſacra facientes. Totum hoc ſaltationis genus, neque quod bello conueniat, neq; quod paci, neq; quid ſibi uelit, facile determinari poteſt. Rectiſſimū igitur mihi uidetur, id ita diſtinguere, ut ſeorſum à belli, ſeorſum etiā à pacis ſaltatione id ponamus, negantesq; hoc eſſe ciuile, atq; ideo relinquentes ab belli pacisq; quæ ſine controuerſia eſt, ſaltationem ad nos pertinētem iam reuertamur. Genus autem illud muſæ, quo in pace & proſperitatis opinione utimur deos deorumq; filios honorantes, bipertito diſtinguitur. Alterum enim cum pericula laboresq; euaſimus, & bona adepti ſumus, adhibetur, quod maiores continet uoluptates. Alterum prioribus bonis ſeruatis actisq; agi ſolet, in quo remiſſior eſt uoluptas. In huiuſmodi uero rebus ex maiori uoluptate concitatius, ex minore remiſſius quiſq; mouetur. Modeſtior etiam quilibet, & ad fortitudinem exercitatior pacatius mouetur. Ignauus contrà, & ad temperantiā minime exercitatus, maiores uehemētioresq; mouendi permutationes agit. Communiter autem ſeu cantu, ſiue aliter quis loquat, quieto id corpore facere nequit. Quapropter uerborū imitatio corporis figuris expreſſa, artem omnem ſaltatricē peperit. qua cōcinne nōnulli, alij inconcinne mouentur. Cumq; in alijs multis nominib. bene & ſecundum naturā poſitis laudanda antiquitas ſit, in hoc quoq; probanda eſt, quod ſaltationes cunctas moderatorū hominū in rebus ſecundis temperate gaudentiū, recte admodū muſicéq; & ſecundum rationē concinnitates quiſquis ille fuerit, nominauit: duasq; honeſtę ſaltationis cōſtituit ſpecies: & belli quidem Pyrrhichen, pacis cōmode concinnitatem uocauit. Hęc debet legislator figuris quibuſdam exponere: cuſtos aūt quęrere, & inuenta cum alia muſica coniungere, atq; in ſolennib. ſacrificijs diſtributa, ſingula ſingulis dedicare: & ita ordinata ſtabilire, ut nihil eorū poſtea nec in ſaltu nec in cātu aliter fiat, ſed in eiſdē uoluptatib. ciuitas

eadem perſeuerans, ciuesq; ijdem ſimiles ſemper pro uiribus permanentes, bene beateq; uiuant. Sed iam de honeſtis pulchrorũ corporum generoſorumq; animorum choreis diximus. Deformium uero corporũ cogitationumq; motus, qui ad riſum & comœdiã, uerbis, cantu, ſaltatione, omnibusq; huiuſmodi imitationibus ſpectant, cõſiderare & cognoſcere neceſſe eſt. Nam ſeria ſine ridiculis, & omnino ſine contrarijs contraria cognoſcere quidem impoſſibile eſt, ſi quis prudens eſt futurus. Fieri autem ambo minime poſſunt, ſi quo pacto uirtutis participes euaſuri ſumus. Sed hæc huius gratia cognoſcenda ſunt: ne propter ignorantiam ridiculum aliquid agatur aut dicatur, quum minime oporteat. Serui igitur & peregrini precio conducti talia imitentur, ſtudium uero ipſius nullum adhibeatur. Nec adeo liber ſit ciuis, ſeu uir, ſiue mulier, qui diſcere iſta cernatur, ſed noua ſemper in his appareat imitatio: atq; ita ad riſum ſpectantes ludi qui comœdiæ uocabulo appellantur, ratione ac lege diſpoſiti ſint. Tragœdiæ uero poetæ, qui res, ut aiunt, ſerias narrant, ſi nos ſic interrogent: licétne ô amici, in regionẽ ciuitatemq; ueſtram nobis uenire, poemataq; noſtra ad uos perferre? An aliter uobis de re tragica uiſum eſt? quid ad hęc diuinis uiris recte nos reſpondebimus? Nam mihi quidẽ ita uideť. Nos uero ô uiri optimi, tragœdiæ q; pulcherrimæ & optimæ quoad fieri poteſt, ſumus poetæ. Nempe uniuerſa reſpub. noſtra pulcherrimæ optimæq; uitæ imitatio eſt: quam rem nos certe tragœdiã uerißimam arbitramur. poetæ ergo uos eſtis: poetæ quoq; eiuſdem poematis ipſi ſumus: & quaſi æmuli ad opus pulcherrimum tragœdiæ contendimus, quod ſola lex uera, ut ſperamus, poteſt perficere. Verum nolite credere facile à nobis admitti, ut ſcenas in foro cõſtituatis, & clamoſos cõducatis hiſtriones, qui altius q; nos exclamẽt, atq; ita ad liberos noſtros, ad uxores, ad turbam urbis omnem, de eiſdem rebus non eadem quæ nos, ſed contraria ſæpe cõcionemini. Inſaniremus enim & nos omnino & ciuitas omnis, ſi antequam magiſtratus uiderint quæ compoſuiſtis, & dicenda ad populum iudicauerint, admittere mini. Nunc igitur ô uiri optimi mollium muſarũ alumni iſtos cantus ueſtros cum noſtris apud principes cõparabimus: & ſiquæ dicentur, eadem aut meliora noſtris eſſe uidebuntur, chorum uobis dabimus. Sin uero aliter ô amici, nunquam dare poterimus. Hęc ita de omni chorea eiusq; doctrina legibus & moribus cõſtituta ſint, & ſeruorum quidem ſeorſum à dominorum officijs, ſi uobis quoq; uidetur. CLIN. Videtur certe. ATHEN. Sed liberis tres adhuc reſtant doctrinæ. Vna computatio numerorum. Altera longitudinis, latitudinis profunditatisq; menſura. Tertia circuitus aſtrorum notitia. Quę omnia nõ exacte multi perdiſcẽt, ſed pauci quos ad finẽ progreſſi ſignificabimus. ſic enim decet. Multitudini uero quę neceſſaria ſunt, rectiſſimeq; dicunť, turpe eſt neſcire. Sed exquiſite cuncta perquirere, nec facile eſt, nec omnino poſſibile. Quod ex ipſis neceſſarium eſt, reijci non poteſt. Immo uero ad hoc ipſum reſpexiſſe uidetur, qui prouerbio primus ita de deo eſt loquutus, quod nec deus unquam cum neceſſitate pugnabit. quod quidem de diuinis neceſſitatibus intelligendũ arbitror. nam ſi hoc de humanis neceſſitatibus dicať, ad quas multi reſpicientes male quid agunt, longe omnium ſtultiſſima erit oratio. CLIN. Quænã igitur hoſpes non humanæ, ſed diuinæ doctrinarum neceſſitates ſunt? ATH. Illas arbitror quas qui non diſcit ullo modo nec experitur, nunquam hominibus deus fit, nec dæmon, nec heros, ut curam hominum ſtudioſe habere poſſit. longe etiam aberit, ut homo diuinus fiat, ſi nec unum, nec duo, nec tria, nec paria omnino atq; imparia poteſt cognoſcere, ſi nec numerare nouit, nec dies & noctes dinumerare, nec ſolis ac lunæ cæterorũq; aſtrorum lationes accepit. Quę ſiquis neceſſaria neget homini pulcherrimarum doctrinarum quamlibet percepturo, ſtultiſſime cogitabit. Sed qualia horũ ſingula ſunt, & quot & quando diſcenda, & quid cum alio, & quid ſine alijs ſolum, & quæ ſit uniuerſa iſtorum mixtura, recte ante omnia eſt diſcendũ. Deinde his doctrinis ducibus ad alias gradiendũ. Sic enim natura neceſſitas ipſa obtinuit, qua cum deorum nullum dicimus aut pugnare nunc, aut unquam pugnaturum. CLIN. Recte hoſpes, ac ſecũdum naturam quæ dicis ita dici uidenť. ATHEN. Sic ſe res habet ô Clinia. Sed difficile eſt de his hoc ordine propoſitis leges ferre. quare in aliud tempus ſi uidetur dilata diligentius hęc legibus ſanciemus. CLIN. Videris hoſpes noſtram de his rebus imperitiam formidare. Necq; id iniuria. Veruntamen exponere coneris, nihil hac de cauſa ueritus. ATHEN. Formido equidẽ quod dicis, ſed multo magis eos perhorreſco, qui has doctrinas guſtarunt quidem, ſed male guſtarunt

Tragici

Quæ neceſſaria ſunt, turpe eſt neſcire

Nunq; deus cũ neceſsitate pugnabit

ſtarunt. Non enim graue admodum quiddam eſt & durum rerum omniũ imperitia, nec ſummum malum, ſed multo pernicioſius eſt male comparata multarum rerum peritia atque notitia. CLIN. Vera loqueris. ATHEN. Oportet igitur liberos homines ea diſcere, quæ unà cum literatura magna puerorum turba in Ægypto perdiſcit. Primum enim computationis doctrina ſic eſt pro ingenio puerili excogitata, ut cum ludo & uoluptate percipiatur. Pomorum coronarumq; pluribus paucioribus'ue diſtributio fit, ijſdem competentibus numeris. Pugilum quoq; & luctatorum conſeſſus, & conſortij alternus & conſequens ordo, ut fieri ſolet, digeritur. Phialas autem aureas, æneas, & argenteas, ſimilésque alias ludendo immiſcentes, uel totas alter alteri tradentes, neceſſarios, ut dixi, ludis numeros aptant: atq; ita utilitatem præbent diſcentibus ad exercitus ducendos, caſtrorũ ordines, ad rempublicam diſponendam, & ad reliqua omnia, uigilantioresq; ipſos reddunt. Deinde cum natura ignoratio turpis atq; ridenda de menſura longitudinis, latitudinis, & profunditatis omnes homines teneat, hac eos procul abducunt. CLIN. Quam igitur & qualem ignorantiam dicis? ATHE. O amice Clinia, ego etiam cum aliquando audiuiſſem, ſero tandem hanc noſtram ignorantiam miratus ſum, nec hominum, ſed ſuum pecorumq; conſideranti mihi uiſa eſt. Ideóq; nõ mea ſolummodo, uerumetiam Græcorum omnium cauſa uehementer erubui. CLIN. Dic planius hoſpes, quid hoc eſt? ATH. Dicam equidem. Immo uero interrogando aperiam. Reſponde quæſo. Longitudinem noſti? CLIN. Quid ni? ATHEN. Quid latitudinem? CLIN. Certe. ATH. An non hæc duo ſunt, & profunditas tertium? CLIN. Et hoc. ATH. Videntur tibi hęc omnia inuicem poſſe commenſurari? CLIN. Sane. ATHE. Longitudinem inquam ad longitudinem, & latitudinem ad latitudinem, & profunditatem ſimiliter commenſurari poſſe natura. CLIN. Vehementer quidem. ATHEN. Quod ſi aliqua neq; uehemẽter, neq; remiſſe id poſſunt: ſed alia poſſunt quidem, alia minime: tu autem putas omnia poſſe, quomodo ad hæc es affectus? CLIN. Male. ATHEN. Quid rurſus longitudinem latitudinemq;, & profunditatem, uel latitudinem longitudinemq; inuicem? nónne Græci omnes opinantur quodam modo poſſe commenſurari? CLIN. Omnino. ATHEN. Quod ſi nullo pacto poſſunt, omnes autem Græci, ut dicebam, poſſe exiſtimant: nónne par eſt nos omnium cauſa rubore commotos ad eos dicere: hoc unum de illis eſt ô Græcorum optimi, quæ ignorare quidẽ turpe eſſe dicebamus: noſſe autem neceſſaria, non admodum præclarũ. CLIN. Cur non? ATH. Præterea alia quædam ſunt his affinia, in quibus ſimiliter erramus. CLIN. Quænã? ATH. Qua natura factum ſit, ut alia inuicem commenſurari poſſint quidem, alia uero nõ poſſint. Hæc ſane cognoſcere neceſſarium eſt, uel omnino inutilem eſſe illum qui ignorat. In his ergo animi cauſa trahere moram oportet. Senilis enim hic ludus multo iucundior erit quàm talorum & teſſerarum, liberóq; homine dignior. CLIN. Quid ni? Multum enim teſſeræ hæq; doctrinæ inter ſe diſtare uidentur. ATH. Hæc ipſe ô Clinia, diſcenda iunioribus cenſeo. Nam nec noxia, neq; difficilia ſunt, & ludendo percepta, proderunt ciuitati: oberunt autem nunquam. Attendendum eſt autem, ſiquis aliter dicat. CLIN. Quid ni? ATH. Si hæc ita habere ſe uidebuntur, probabimus utiq;: ſin aliter, reprobabimus. CLIN. Ita certe. Nónne igitur hoſpes hæ nobis tanquam neceſſariæ doctrinæ modo ſanciendæ ſunt, ne inanis ſit nobis legum tractatio? ATH. Sanciantur quidem, ſed ea conditione ut ſolui à reliquo diſciplinæ ciuilis ordine poſſint, ſi fortè nullo modo uel ponentibus nobis, uel uobis quibus poſita fuerint, prolabuntur. CLIN. Iuſta eſt hæc conſtitutio. ATH. Sed aduertamus nunc utrum ſtellarum nobis doctrina placeat. CLIN. Dic modo. ATH. Mirum quid in his accidit, quod tolerari minime poteſt. CLIN. Quid illud? ATH. Maximũ deum totumq; mundum dicimus inquirendum non eſſe, nec rerum cauſas multo ſtudio indagandas, nec pium id ducimus: cum tamen contrarium uideatur recte fieri poſſe. CLIN. Quo pacto dicis? ATH. Nempe hęc aliena quidem à ſenioribus doctrina uidebitur: ſed cum probam, ueram ciuitatiq; utilem ac deo ipſi amicam putẽ, ſilere non poſſum. CLIN. Conſentanea loqueris. Sed nunquid circa ſtellas doctrinã talem reperiemus? ATH. Mentimur nunc ô boni uiri, de magnis dijs, ſole dico ac luna, ut breuiter dicã, Græci omnes. CLIN. Qua ratione mẽtimur? ATH. Solem ac lunã nunq; iter idem facere opinamur, & alias quaſdã cum his ſtellas errare dicimus, quas planetas uocamus. CLIN. Per Iouem hoſpes uerum eſt quod dicis. Sæpe namq; ipſe oculis uidi Luciferũ & Heſperum, &

Sol & luna magni dij

& alias quaſdam nunquã eundem facere curſum: ſed omnino errare: ſolem autem ac lunam errare ſemper, omnes cognouimus. ATH. Hæc ô Megille & Clinia ſunt quæ iunioribus ciuibuſq; noſtris de dijs cœleſtibus uſqueadeo diſcẽda cenſeo, ut in eos prophanũ nihil loquantur, ſed ſacrificando pieq; uouendo laudibus ſemper honorent. CLIN. Rectum quidem hoc: ſi modo poſſibile primũ eſt quod dicis perdiſcere: deinde etiam ſi minus recte de his nunc loquimur: poſtquã uero didicerimus, recte loquemur. ſi inquam ita eſt, ego quoq; talem doctrinam eatenus diſcendã eſſe concedo. Hæc igitur ita ſe habere, conare tu quidem diligenter exponere: nos uero audiemus atque diſcemus. ATH. Non eſt facile quod dico percipere: nec rurſus omnino difficile: nec longo ut diſcutiatur, indiget tempore. Cuius ſignum eſt, quòd ipſe nec nuper nec iam olim audiui, & nunc breui tempore ſignificare uobis poſſum. Quæ tamẽ ſi difficilia penitus eſſent, nec ego declarare, nec uos percipere hac ætate poſſetis. CLIN. Vera dicis. Sed quẽnam eſt hęc doctrina, quam mirabilem eſſe dicis, & iunioribus neceſſariam, nobisq; ignotam? Conare apertiſſime iſtud oſtendere. ATH. Conabor equidem. Non eſt, ô uiri optimi, uera hæc de ſole & luna cæterisq; ſtellis opinio, quod unquã pererrent, ſed contrà ſe res habet. Eandẽ enim quoduis illorum uiam non multas circumeundo peragit: quamuis uideat̃ per multas ferri. Quod uero in eis uelociſſimũ eſt, non recte tardiſſimum, & contrà contrarium iudicamus. Peccareq; ita opinantes patet. Nam ſi in Olympico ludo, curſu certantes ſpectaremus, & uelociſſimum tardiſſime, tardiſſimum uelociſſime currere prædicaremus: laudibusq; uiciſſe uictum caneremus: non placerent, ut arbitror, laudes noſtræ curſoribus. nũc uero cum de dijs ſimiliter peccemus, nónne ridiculi ſumus ſimiliterq; aberramus à recto? CLIN. Ridiculi quidem. ATH. Nullóq; pacto accepti deo, dum falſa de ipſis canimus. CLIN. Si hæc ita ſe habent, uera dicis. ATH. Atqui ſi ita habere ſe oſtenderimus, diſcenda uſqueadeo hæc omnia: ſin minime, dimittenda: nobisq; ita de his conceſſum ſit. CLIN. Prorſus. ATHEN. Sed inſtituta iam de doctrinarum diſciplina finem habeant. De uenatu autem ſimiliter iudicandum, ac de huiuſmodi omnibus. Videtur enim legumlatoris officium non ſolum hoc eſſe ut leges conſcribat, ſed etiam ut medio utatur illo, quod inter admonitionem eſt & leges, quo & nos ſæpius uſi ſumus, præſertim cum de educatione infantium loqueremur. Nam in hac re multa eſſe diximus, quæ non ita dici poſſunt, ut leges de ipſis ponantur, idq; tentare dementis eſſe. Ita uero conſcriptis legibus & republica conſtituta, non eſt præſtantis uirtute ciuis perfecta laus, qua dicitur eum bonum eſſe ciuem, qui legib. quàm optime miniſtrauit, & quàm maxime paruit: ſed perfectior illa eſt, eum eſſe talem, qui legumlatoris, leges ferentis & laudantis uituperantisq; ſcriptis omnino per totã uitam paruit. Hæc ciuis præcipua laus eſt. Nempe oportet ut legis cõditor leges non ſolum conſcribat, ſed etiam declarationem quandam his adiungat, qua quæ honeſta turpia'ue ſibi uidentur, ſignificet. Ciuem quoq; ſummum oportet non minus hæc quàm quæ mulcta impoſita à legibus mandata fuerint obſeruare. Ad hoc uero rem, qua de agitur, quaſi teſtem adducimus. Magis enim quod uolumus aperit. Venatus enim res latior eſt, nomine uno comprehẽſa. Alius aquaticorũ, alius uolatilium, alius pedeſtrium: nec ferarum ſolum, uerum etiam hominum: horumq; non bellicus tantummodo, uerum etiam qui per amicitiam: & alius quidem laudem, alius uituperationem habet. Rapinæ quoq; latronum, caſtrorumq; uenatus ſunt. Quamobrem qui de uenatu leges eſt cõditurus, nec iſta præterire poteſt, neq; ſingulis ordine certo atq; mulcta, minaces leges imponere. Quid ergo de his faciendum eſt? Oportet ut legislator quæ in uenatione laudanda ſunt, laudet: quæ contrà, uituperet, ad iuuentutis exercitationem. Iuuenes autem cum audiuerint, ita parere debent, ut nec labore nec uoluptate reuocati aliter faciãt quàm legiſlator conſuluit. Imò uero magis honorent, quæ cum laude dicta & exhortando propoſita ſunt, quàm quæ minaci & uindice lege firmata. His itaq; propoſitis, congrua deinceps laus & uituperatio uenationis conſcribi poteſt: ut quæ meliores animos iuuenũ facit, laudetur: quæ cõtrà, uituperet. Dicamus igitur deinceps ad eos ſic precibus interpoſitis. Vtinam uos ô chariſſimi, nunquam marinæ uenationis hamiq; cupiditas capiat: nec omnino aquaticorũ animalium die ſiue etiam nocte per ocioſam uenationem ſagena capiendorum: nec piraticę amor, per maria uenatores hominum iniquos atq; atroces uos faciat. Furti uero latrocinijq; cupiditas in urbe uel regione cõmittendi nec in mentem quidem

De uenatiõe

ueniat

uenĭat ueſtram,nec uolatilium iucunda uenatio ſeruilis magis quàm libera.Pedeſtriũ ergo uenatio uobis ſola relinquitur.Sed nec dormientiũ quæ uicibus quibuſdam interpoſitis fit,nocturnaq; uocatur,& ocioſorum hominũ eſt,laude digna habetur.neq; etiam quę in laboris remiſſione fit,& retibus laqueisq; nõ conſtantis animi uiribus ferarum domat atrocitatem.Sola ergo quadrupedũ uenatio illa reſtat omnibus optima: quæ equis,canibus,corporis uiribus agitur.Nam quibuſcunq; diuina curę eſt fortitudo,ij quadrupedes omnes,curſu,uulneribus,teliſq; manu propria uenando uincere debent. Sed laus uituperatioq; uenandi ita diſtincta ſit.Lex autẽ iſta.Sacros quidem hos uenatores ubicunq; uenari uelint,nemo prohibeat.Venatorẽ nocturnũ retibus & canibus ſuis fidentem nemo uſpiam ſinat uenari.Auceps per incultos agros montesq; uagari permittatur.A cultis locis,ſacriſq; incultis à quocunq; pellatur.Piſcator nec in portubus,nec ſacris fluuijs,paludibus,ſtagniſq; ueneturtin alijs liceat,dummodo ſuccorum non utatur permixtione.Sed iam inſtitutiones de diſciplina finem habeant. CLIN. Præclare loqueris.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI IN DIALOgum ſeptimum De legibus.

QVAE MODO *de proprio ſingulariq; unius Dei cultu ex multis Platonis noſtri teſtimonijs aſſeruimus,poſſumus præterea per Phædrum,Gorgiam,Protagoram,Politicum, Critiam,quartum legum abſq; controuerſia confirmare.In his enim uniuerſam deorum,ut ita dixerim,ſynagogam,unico ſubdit regi,prout uult ſingulis imperanti,aliaq; alijs officia iuſte diſpertienti: & humana per illos ordine diſpenſanti:nõ quaſi abſente hinc illo,ſed ut apparet in quarto legũ,potius ita uolente.Iubet itaq; Plato primũ quidem deum propter ſe adorari.Sequentes uero qui participes eius dij quoque dicuntur,amari tanquam illi ſimiliores.Honorari etiam ut uicarios,imò & aduocari quaſi conciliatores, audiri etiam ut diuinæ mentis interpretes.Exaudiri deniq; ceu maieſtatis diuinæ præcones.Iubet & templa condi in urbe:& urbem ipſam quaſi ædem ſacram in partes diſtribuit duodecim . Quemadmodũ & deus templum ſibijpſe conſtruxit,mundum duodecim ſphærarum choris ornatum:ſacerdotibus quoq; munitum,id eſt ſpiritibus præditis ratione,deum ubiq; laudantibus.Diuinũ uero id templum Plato pro uiribus imitans,& multos in ſuis templis admittit deos,quemadmodum deus ipſe multos admittit in ſuo:& uaria diſponit ſimulacra:ſicut & deus ſtellas locauit in cœlo:quaſi ſuorum ſtatuas angelorũ.Præterea inter multas multorum aras altare primum conſecrat primo, quemadmodũ ſtellas inter peculiarem ſibi ſtatuam deus elegit ſolem,ut in Republica Plato inquit.De quo fortè dictum uideri poſſit:In ſole poſuit tabernaculum ſuum.De ſacrificijs autem ſtatuisq; diligẽtius alibi pertractãbitur: uerum ut in præſentia ſummatim dicam,primum deum utpote materiæ aut ſimilis naturæ nihil habẽtem,unica uult mente coli.Sequentibus uero numinibus hoſtias et ſacrificia qua ratione lex patria iubet,adhiberi permittit.Hinc theologi gentium in numinum cœleſtium igneorumq; ſacris,figuras & lumina multaq; ad uiſum ſpectantia inſerebant.In ſacris autem acreorũ,muſicos quoq; concẽtus,et odores uaporesq; addebant.At in ſacrificijs aqueorum atq; terreſtrium,ijs inſuper quæ ad guſtum & ſoliditatem attinent,utebantur. Quamobrem nemini mirum uideri debet,Platonem philoſophum adeo grauem leges ſuas,omnes quidem,præcipue uero ſacras,non niſi conſultis oraculis promulgare.Principio uidebatur temporibus indulgendũ . Neceſſariũ quidem erat humana diuino quodam conſilio & autoritate firmare.Impoſsibile uero ea tempeſtate eos homines ita natos & ita educatos,ratione ulla à conſuetis alieniſsima in diuina reuerentia conſeruare.Deinde Plato prudentiſsimus iudicabat,& ſi poſſent impuri ſpiritus homines per oracula fallere,ſæpe tamen abſtractas ob diuinã reuerentiã à corpore mẽtes,quaſi iam puras à puris ſubito numinibus corripi:& quemadmodum ligna quæ caſu exiccauit uẽtus,ſæpe mox natura ignis accendit,ſimiliter poſſe animos ex religioſo quodam ritu,quamuis apud ſapiẽtes minus probato,perfunctos occultis modis meliori numine corripi:ut qui neſcientes quomodo in mentem ipſam ſeorſum à ſenſibus aſcenderunt,ex alto iam feliciter accendantur.Neq; tam attendendũ Plato uult,quo ritu colas diuina,quàm cuius gratia colas. Si enim id ſummi omnium regis gratia æternorumq; bonorum deſiderio feceris,probabile eſt undecũq; & quomodocunq; cœperis,te quandoq; per eiuſmodi uenerationem ad ſummum propius accedentem , uel immenſo illius lumine circumfundi,uel exuberãti ſaltem bonitate ſeruari.Quapropter eiuſmodi Plato fiducia fretus, de ſanciendis legibus ſacrificijsq; oracula conſulit,præcipitq; quotidie aliquem ex magiſtratibus ſacra publice facere:pro ſalute patriæ primum,deinde pro ſua atq; ſuorum . Et certo quodam ordine poſt iuuenilis ætatis rudimenta in ſeptimo traditã, mox in octauo ad ſacra deſcendit:utpote qui intelligi uult homines ob idipſum recte à primis annis inſtitui,ut rite intereſſe ſacris & uelint pariter atq; poſsint. Si quis autẽ uel cauillator,uel meticuloſus tot dijs dæmonibusq; in ciuitate Platonica intereſſe formidat:huic pariter adire licet urbem Peripateticã,non dæmonũ deorumq; tantũ,ſed uri etiã uacuã. Sed profecto operæpreciũ eſt ſuperſtitioſo ſupercilio,ſtomachoq; poſito ex omnib.eligere potiora, pietatemq;*

pietatemq; probare Platonicam, neq; exigere Christianum fuisse illum, quem solum temporis interuallum prohibuit esse Christianum. Prima quidem sacra sunt duodecim, in mensium calendis. Secũda quoq; duodecim, in medijs mensibus. Tertia sunt tercentũ & sexagintaquinq;, scilicet quotidiana. Fiunt autem præcipua dijs cœlestibus, terrestribus uero media, scilicet dijs sub luna regentibus. Omnes enim sub cœlo terrestres appellat. Inferiora dæmonibus. Infima heroibus. Oportere uero putat sacra his omnibus duodecim distingui generibus. Siquidẽ secundũ sphærarum signorumq; duodenarium, etiam in qualibet sphæra dæmones heroesq; duodenario distinguantur. Commemorationem uero solennitatum, earumq; distinctionem quotannis declarari populo iubet mense ultimo: quem more communi accipimus Februariũ. Præcipue uero Platonico more mensem ante æstiuum solstitium. Vltimũ mensem merito Plutoni dicat. Est enim Pluto prouidentia proprie & separans animas & iudicãs separatas. Inquit autem coniunctionem cum corpore animæ non esse meliorem separatione. Intellige de corpore caduco, & quatenus caducum est: non de cœlesti, uel cœlo simili: quali corpori coniungi præstat. huic autem quatenus caducum est, non præstat. Ac si operæprecium esse dicatur huic quoq; coniungi: nõ propter hoc ipsum proprie, sed alterius finis gratia id dicendum. De his aũt in Theologia diffusius. Sed nunquid dæmonibus etiam impurioribus Platonici litãt? Non nulli his insuper, partim quia naturalibus præsint officijs, partim uero ne inuidia noceant. Plato uero id nequaquã concesserit. Quippe cum purgandæ mentis gratia primiq; dei ueneratione duntaxat sacra iubeat facere. Affirmat autem ciuitatem legibus consilio diuino utentem fore felicem. Addit ad felicem tum ciuis tum ciuitatis uitam id maxime pertinere, ut nec alijs iniuriam inferat, neq; afficiatur iniuria. Vtrumq; uero uirtute cõsequi posse. Ac ne ciuitas afficiatur iniurijs, statuit sacrificia, in quibus & diuinum auxilium impetretur, & ludi quidam solennes festiuiq; frequententur, bellicas pugnas quàm maxime imitantes. Quibus exerceri uult ad pugnam tam fœminas quàm mares: & in singulis quidem tam sinistram manum quàm dextram: ut & ciuitas ex utroq; sexu æque utili integra sit: & quilibet ex utraq; manu pariter utili, sit integerrimus. Inter hæc notabis quàm detestetur auaritiã, ob id maxime ciuitati noxiam, quòd proprijs utilibusq; lucris occupatos animos à publicæ salutis cura detorqueat. Notabis iterum quanta cautione musicã, choreas, poesimq; in sacris bellicisq; ludis admittat. Deinde solum illud imperium legitimum esse pariter atq; tutum, in quo uolens uolentibus imperat. At quoniã in iuuenilium ludorum cœtibus sæpe amores incidunt, & ij quidem turpissimi, idcirco his diligẽtissime præcipit occurrendũ, quamuis ex parte iam occurrerit, ubi aurum & argentũ ciuibus sustulit, & in laboribus assiduis educauit, et oculis iudicum mores ubiq; circumspicientium subiecit assidue omnes, maxime iuuentutem. Quæ quidem tria esse remedia censet aduersus lasciuiæ & petulantiæ morbum admodũ salutaria. Occurrit & quarto quodam præsenti remedio: ut uidelicet ab auditoribus legum magistratibus fama quotidie diuulgetur, per quam cuncti communi consensu consueſcãt existimare, concubitus contra naturam, non minus turpes esse, nec minori apud deum odio haberi, quàm concubitũ inter filios & parentes. Putat uero Plato communis famæ consensum miram ad mores habere potentiam. In his audies feliciter eum uiuere, qui superat uoluptatem: infeliciter qui superatur. Audies & præceptum ad abstinentiã maxime salutare, à Paulo apostolo summopere comprobatum: ut si athletæ corporeæ uictoriæ studio uoluptatibus abstinẽt, multo magis omnes gratia uictoriæ ad animum pertinentis debeant similiter abstinere. Præterea geminam esse beneuolentiam: alteram quidem morum similitudine: alterã uero ex quadam indigentia procreatã. Et utramq; cum sit uehementior, amorem cognominari. Amorẽ quoq; quantum ad propositum spectat triplicẽ. Aut enim pulchritudinem animi aut corporis tantum, aut utriusq; simul amari. In his considera quàm caute in legibus ferendis incedat, ut qui nonnunquã in dialogis honesto formæ corporeæ amatori nonnihil indulserit, hic tamẽ nihil indulgeat. Nempe corporis solius amorem euidenter exterminat. Vtriusq; uero coniuncti quamuis moderatũ, in legibus nõ audet admittere. Solum deniq; erga animũ solum manifeste approbare uidetur. Tum uero homines deprauatæ naturæ sui dominos esse negat: neq; iniuria. Quisquis enim à ratione discedens, rationalem hominis amittit naturam, nimirum & libertatem quæ rationis manus est, simul amittit: neq; tamen amittit culpã, dum quasi delinquit impulsus: quippe cum ipsemet causam necessitati eiusmodi dederit. Homines aũt his contrarios, id est integræ naturæ appellat eos: qui deum colunt, & inter humana maxime omnium timent infamiam: nec corporis ullius scilicet, uel sui uel alieni, sed animi morumq; pulchritudinem diligunt. Quod autem in superioribus dixit officium esse Dei, eiusmodi delictis obsistere, si ab eo hæc ordinari possent: sic accipe, ut dei naturarum ordinatoris proprium sit, quæ ab ordine naturæ collapsa sunt, in ordinem restituere. præsertim cum multorum opinio sit animã in eiusmodi scelerã non tam sensibus quàm dæmonibus quibusdam instigantibus, uel ab initio corruisse. Vbi uero ait, si ordinari à deo possent, non de diuina potentia, sed humana diffidit: potest quidem deus quantũ in ipso est ordinare, sed non tam facile ordinari homo potest. Posset & deus cogere, si modo uellet necessario trahere, quem uult modo quodam libero ducere. Mox etiã de conuiuijs quæ inter solennia sacra ludosq; celebrantur, mentionem facit. Item ex conuiuijs de uictu legibusq; ad hunc pertinentibus. Opportune uero post educationem animi, legesq; ad hanc attinentes, ad corporis nutrimentum legesq; eiusmodi iam descendit. Tum de agris, terminis, aquis, fructibus, pecoribus atq; pascuis, similibusq; leges tradit. Vbi uero de terminis loquens, præuaricatorẽ terminorum puniri dicit ab Ioue con-

tribuli

tribuli atq; hoſpitali, Iouem unum intellige contribulis pariter & hoſpitis curatorem. Et quoniã ſtatutos lege ter minos præterire, & alienum ſibi dominium uſurpare, ſuperbiæ proprium eſt: idcirco dicit Iouem ad hanc iniuriã ulciſcendam excitari, atq; inſurgere cum prælijs inimiciſſimis: quaſi dicat Deum contra ſuperbos non tam ut iudi cem, quàm ut hoſtem ultorem inſurgere. Poſt uero multas conſtitutiones inquit, ad ſeniorem philoſophum non per tinere, minimas quaſq; leges accurate deſcribere: præſertim quæ ad lites rerumq; controuerſias pertinent. Sed de rebus quidem externis paucas quaſdam communesq; leges adducere, quas in minima quæq; iuris deriuent inter= pretes: de moribus autem & animi diſciplina ad unguem diligentiſsime pertractare. Ac dum de uarijs opificibus uerba facit, tria de his præcepta tradit admodum memoranda. Primum quidem, nullum ciuem, id eſt, publicis ali= quando muneribus perfuncturum, ullo debere opificio occupari neq; etiam eius ſeruum. Quippe cum ars reipubli cæ gubernandæ longa exercitatione multisq; doctrinis indigẽs integrum ſibi hominem uendicet. Secundum uero neminem artes duas uel ſtudia exercere uel debere uel poſſe. Tertiũ deniq; artificem nõ decere alterius artis opi= fici præſidere. Vetat prudẽter & exportare ciuibus neceſſaria, & importare ſuperflua, & in primis, cauponari præſertim quæſtus gratia. Tum urbis partes uicosq; ac tẽpla & foros duodecim digerit: foriſq; tam ſobrias quàm diligentes leges imponit.

DIALOGVS OCTAVVS DE LEGI= BVS VEL DE LEGVM LATIONE.

SEQVITVR deinceps ut leges de ſolennitatibus per Delphica oracu la ſanciamus, quæ ſacra, quibuscp; diis ſacrificare feliciter ciuitas debe= at. At quando, & quot numero ſacra facere oporteat, fortè noſtrum eſt nonnihil lege ſancire. CLIN. Fortaſſe numerum. ATH. De numero igit primo dicamus. Quem ego trecentorum & ſexaginta quincp eſſe opor= tere cenſeo: ut unus aliquis ſemper ex magiſtratibus deorum alicui, aut dæmonum, pro ciuitate, pro ſeipſis, pro rebus ſuis ſacrificet. Interpretes uero & ſacer= dotes tam uiri cp mulieres, uatescp unà cum legũ cuſtodibus cõgregati, ea ordinent quæ in his legum lator neceſſario omiſerit. Nam omiſſorũ cognitores iſtos eſſe oportet. Lex ergo uidebit, ut duodecim ſolennitates diis duodecim quibus ſingulæ tribus cognomi= nantur, ciues peragant, diiscp ipſis ſacra per ſingulos menſes faciant: choros præterea lu= doscp muſicos & certamina gymnica, prout diis ſingulis & temporibus conuenit. Erunt autem ſolennitates diſtinctæ, ut conſtet, quas ſine uiris, & quas non, agi oporteat. Terre= ſtrium quocp cœleſtiumcp deorum, cæterorumcp qui hos ſequuntur ſolennitates miſcen= dæ non ſunt, ſed ſeparandæ in duodecimo menſe, qui Plutoni dicatus eſt, ut legitime ce= lebrentur. Non enim abijciendus bellicoſis hominibus is deus eſt, ſed colendus, tanquã generi hominum ſemper optimus. Nam animæ corporiscp coniunctio, nullo modo me= lior eſt cp ſolutio, ut ego ſerio loquens affirmo. Præterea quicunq; ſufficienter hæc diſtin cturi ſunt, illud cogitare omnino debent, noſtram hanc ciuitatem quo uacationem tem= poris & poſſeſſionem rerũ attinet, talem eſſe qualis hoc ſeculo nulla reperiri poſſit. Ve= rum oportet ipſam perinde atque hominem unum bene uiuere. Feliciter autem uiuenti bus hoc neceſſario ineſſe in primis oportet, ut nec ipſi alijs, nec alij ipſis iniuriam inferãt. Quorum alterũ non eſt admodum difficile. Alterũ uero ut nulla poſſit iniuria lædi, diffi cillimum: nec perfecte id quiſquã aliter aſſequi poteſt, cp ut perfecte bonus efficiat. Idem eſt & in ciuitate. nam ſi bona erit, in pace uitã aget: ſin autem praua, & inteſtinis ſeditio= nibus & externis bellis aſſidue infeſtabitur. Cum hæc ita fermè ſe habeant, non belli tempus expectandum: ſed in ipſa pace ciues ad rem bellicam exercendi ſunt. Ergo ciuitas niſi mente capta ſit, ſingulis menſibus bellicas uires experietur, non minus uno die: ſed pluribus etiam, prout magiſtratibus ipſis uidebit, uiri ſimul & mulieres & pueri, nec hyeme nec æſtu uitato, ut parati ſint oẽs, quandocunque uniuerſum quodammodo educere populum magiſtratibus uiſum fuerit: ad idcp ludi etiam conuenientes unà cum ſacrificijs excogitandi, ut pugnæ quædam ſolennes feſtiuæcp fiant bellicas pugnas quàm maxime imitantes: & uictoribus præmia laudes: uictis contrà, uituperationes fiant, prout ſinguli in certaminibus, & in omni uita ſe geſſerunt. Sic optimus quiſque laudibus efferatur, & uituperatione contrarius deprimatur. Nec omnes harum rerum poetæ ſint: ſed primum, qui non pauciores cp quinquaginta annos natus ſit. Deinde qui non ſolum

poeticam musam sufficienter possideant, uerumetiam præclarum & insigne aliquid fecerint. Eorum ergo qui boni uiri, honorecp digni sunt in ciuitate, & res præclaras gesserunt, poemata etiam si minus musica sunt, decantentur. Cuius rei iudiciũ, puerili doctrinæ præpositus, cæteri que custodes habeant legum. Hi probis uiris honorem hunc tribuant, ut solis libertatem in musis præstent: cæteros uero prohibeant. Nemo igitur audeat musam horum iudicio non probatam canere, etiamsi Thamyræ Orpheicp hymnis sit suauior. Sed canantur poemata sacra, quæ iudicio approbata, dijscp dicata sunt: uirorum quocp bonorum poemata, quibus laudantur uituperanturcp aliqui, & moderate id facere iudicata sunt. Hæc eadem de militia & de libertate poetica iudico mulieribus & uiris similiter facienda. Sed oportet legislatorem secum ita pleracp loqui. Cedo: in ciuitate instituenda quales ciues educare studeo? An non certaminũ maximorum Athletas, quibus innumeri sunt aduersarij? Prorsus. ita recte quilibet respondebit. Si ergo pugiles, aut pancratiastas, aut alios similes educaremus, itáne in ipsum certamen educeremus, ut cum nullo antea unquam pugnauerint? Vel si pugiles essemus, nónne pluribus ante diebus pugnare didicissemus, omnia facientes quibus in uero certamine ubi ad uictoriam contenditur, uti oporteat, cp proxime ad id quod simile est, accedentes, pro loris cæstuum orbibus ferreis indueremur, ut uulnera & inferre & uitare præmeditatione disceremus? Quod si nulli quibus cum exerceri possemus, socij nobis darentur, nunquid stultorum ueriti risum nos contineremus, quin inanime simulacrum ex aduerso ad quod exercitatio fieret, suspenderemus? Ac si nec animati nec anima carentis aduersarij copia nobis esset, nónne ipsi soli ad umbram propriam pugnaremus? An ad aliud quicquam, manuum huc & illuc flexus, & præparatio huiusmodi excogitata est. CLIN. Ad nihil aliud ferme cp ad hoc ipsum. ATH. Quid igitur ciuitatis pars quæ militiæ studet? An peius cp certatores huiusmodi præparata audebit ad certamen maximum deuenire, pro uita, pro liberis, pro rebus suis, pro patria pugnatura? Non ergo uerebitur legislator, ne gymnasia hæc inuicem aliquibus ridicula uideãtur: sed lege statuet, ut res militaris agatur maxime quidem minori exercitatione sine armis, choros omnemcp gymnasticam ad hæc inducens & concitans: maiore uero non rarius cp semel in mense, ut certent singuli ad capienda uel retinenda loca, & insidias omnemcp rem bellicã imitentur, & pila se exerceant, undicp se uertentes: ac telis utantur ad uera & periculosa tela cp proxime accedentibus, ne omnino abscp timore ludus huiusmodi inter ciues agatur, sed formidinem inferat: atcp ita qui magno sunt animo ignauoscp ostendat, ut his honores, illis opprobria, ut conuenit tribuantur: & hac ratione ciuitas omnis per totam uitam ad uerũ certamen uiriliter præparet. Si quis aũt cæde inuoluntaria in his certaminibus morietur, qui interfecit lege expiatus mundus sit in posterũ. Putare enim debet legislator, paucis ita mortuis hominibus, cæteros non deteriores futuros. Timore uero in omnibus his extincto, nihil amplius se inuenturum, quo à deterioribus meliores discernat. quod ni fiat, multo maius ciuitati malũ est cp illud. CLIN. Concedimus hospes ita hæc esse lege sancienda, & uniuersæ ciuitati agenda. ATH. Nunquid causam nunc oẽs cognoscimus, ob quam modo in ciuitatibus chorea talis atcp certamen nusquã ferme nisi raro admodum fiant? An propter multitudinis legumcp latorũ ignorantiã ita fieri affirmabimus? CLIN. Forte. ATH. Nequaquã ô beate Clinia. Sed duæ huius rei sufficientes causæ sunt. CLIN. Quænam? ATH. Vna quidem, quod diuitiarũ cupiditate cæteris omnibus neglectis, solummodo rem priuatã curamus: ad idcp incumbens ciuiũ animus, nulli prorsus nisi pecunijs quotidie cumulandis dare operã potest. Nam artes & studia quæ ad lucrũ conducũt, libentissime cõplectuntur oẽs, cætera spernunt. Hæc igitur una causa est, ne ciues id aut aliud quicquã honestũ bonumcp officiũ curent, sed insatiabili auri & argenti cupiditate, & honesta pariter & inhonesta artificia complectant, & quiduis agant, seu fas siue nefas id habeatur, ut pecunias cumulent, quibus subministrantibus ueluti pecora, uentri ac ueneri seruiant. CLIN. Recte dicis. ATH. Hæc inquã una sit causa, qua fit ut nec aliud quicquam præclare, neq; rem bellicã sufficienter ciues exerceant: sed qui natura modesti sunt, ad mercaturam, nauigationem, uiliacp ministeria cõuertantur: qui uiriles & generosi, ad furta, latrocinia, sacrilegia, insidias, sceleráque tyrannica: qui cũ bene à natura constituti fuerint, infelices tamen hac consuetudine euaserunt. CLIN. Quomodo istud ais? ATH.

Imò

Imò cur non eos omnino infelices appellem, qui fame coguntur per omnem uitã ſuam animã cruciare? CLIN. Hæc utiq; una cauſa eſt: alteram uero cauſam hoſpes, quam dicis? ATH. Recte cõmonuiſti. CLIN. Ergo, ut ais, hæc eſt una, perpetua & inexplebilis diuitiarum cupiditas: qua occupati ſinguli, prohibentur rem bellicã, ut decet, curare. Sed alteram iam expone. ATH. Num uobis uideor, quia ad alteram deſit facultas, in hac nimium immorari? CLIN. Non ita: ſed odio percitus uideris hos mores hominũ ad quos ſermo hic incidit, magis quàm deceat inſectari. ATH. Optime ô chariſſimi, me nũc increpatis. Quare quod ſequitur audietis. CLIN. Dic tantũ. ATH. Cauſam equidem eſſe aſſero gubernationũ genera illa, de quibus ſæpe iam diximus, populare gubernationem, paucorum potentiã, & tyrannidem. Nulla certe poteſtas huiuſmodi, reſpublica eſt: ſed ſeditiones appellari oẽs rectiſsime poſſunt. Nulla enim uolentibus uolens, ſed uolens nolentibus ſemper ui aliqua dominatur. In quibus cum princeps ſubditos timeat, nec bonos, nec diuites, nec robuſtos, nec fortes, nec omnino bellicoſos ſponte unq; fieri patietur. Hæ duæ omniũ quidem quodammodo, horum certe præcipuæ cauſæ ſunt. Quas utraſq; reſpublicas hæc cui nunc leges damus, effugiſſe uidetur. Nam & in otio maximo eſt, & penitus libera: & ex his legibus homines pecuniarũ cupidi minime fiunt. Ideo ueri ſimile eſt, ut hæc ſola omniũ quæ nunc ſunt rerum publicarum diſciplinã bellicam, ludumq; ſimul, de quibus recte diſſeruimus, ſuſcipere poſsit. CLIN. Probe. ATHEN. Deinceps de omnibus gymnicis poſſumus certaminibus dicere, ut his præmia ponantur, quæ ad bellum conducunt, cætera dimittantur. Sed quæ iſta ſunt à principio recenſenda ſunt, & legibus ſancienda, & primo quæ ad curſum uelocitatem que pertinent. Nónne? CLIN. Omnino faciendum. ATH. Omnium igitur maxime agilitas corporis, altera pedum, altera manuum, ad bellum conducit: ad fugiendũ quidẽ inſequendumq; pedum, in pugnando aũt luctandoq;, manuum robore indigẽs. CLIN. Certe. ATH. Neutra tamen abſq; armis, magno uſui eſt. CLIN. Vere. ATH. Stadium ergo curſurũ, quemadmodum nũc in certaminibus fit, præco primũ uocet. Ille uero cum armis ingrediatur. Nam nudo abſq; armis certatori præmia nos minime ponimus. Primus igitur ſtadium curſurus, armatus ingrediatur. Deinde qui ὁπλίτου. Tertius qui equis. Quartus qui δολιχοῦ. Quintus qui leuiori armatura ornatus. quem primum ſexaginta ſtadiorum ſpatio ad aliquod templum Martis peruenturum emittemus. Alius etiam grauiore armatus armatura, breuius ac planius ſpatium curſurus. Alius ſagittarius omni arcuum ornatu munitus, centum ſtadia per montes uariam regionis naturamq; ad Apollinis Dianæq; templum certans perueniat: Certamine igitur conſtituto quouſque ueniat, expectabimus, & uictoribus ſingulis præmia dabimus. CLIN. Recte. ATHEN. Tripertito hæc certamina diſtinguamus. Vnum puerorũ. Alterum imberbium. Virorum tertiũ. Et imberbibus quidem duas curſus de tribus, partes ponemus: pueris harum dimidias. Hi cum ſagittariis, cæteriſq; armatis concertent. Fœminis uero, puellis quidem nondum pubeſcentibus nudis ſtadium ponemus, & ὁπλιτου, & equeſtrem, & δολιχοῦ quæ in ipſo curſu concertent: ultra uero tertium ac decimũ ætatis annũ, donec nupſerint nõ longius uigeſimo nec breuius decimo atq; octauo ad certamen curſus deſcendãt. quæ quidem congruo utant ueſtitu. Hæc de curſu & uirorum & mulierum dicta ſint. Ad robur uero augendum, luctationis ſimiliumq; loco, quæ nunc habentur, grauiora capiant. Et unius ad unũ, duorũ ad duos, & uſq; decem ad decem armis pugna fiat. Quæ uero quotq; facere aut non pati uictorem oporteat, ſicut modo in palæſtra determinatum eſt à præfectis luctationũ, quid ſit bene aut nõ bene luctantis opus: ita & in his armorum certaminibus periti inducendi ſunt, ut lege ſanciant, quid aliquis non patiens, aut quid faciens uincat, & uictum ſimiliter quis nam ordo diſcernat. Eadem hæc de fœminis quoq; ad ætatem uſque nubilem, lege ſancita intelligantur. Peltaſtica uero uniuerſa pugnæ pancratiacæ opponat: certeturq; arcu, pelta, lanceis, lapidumq; manu & fundæ proiectione. Et qui ſe optime in his quoq; geſſerit, huic lege honores uictoriæ tribuantur. Nunc de equorum certaminibus uideamus. Equorum uſus in Creta magnus non eſt. Quare neceſſe eſt ſtudiũ in nutriendis equis, certandoq; cum eis minori curæ Cretenſibus eſſe. Nam currus quidem nemo ueſtrum tenet: neq; in hoc operam ponere præclarũ eſſe ducitis. Cum igitur conſuetum id non ſit, certatores huiuſmodi lege ſtatuere, dementis eſſe uidetur. Singulis autẽ equis,

ijsq; qui pullinos dentes nondũ iecerint, pullis, & horum medijs perfectisq;, equestrem ludum pro regionis natura tribuere licet. Huiusmodi ergo certamen secundum legem sit: in eoq; iudicium magistris equitum & tribunis tam de omni cursu equorum q̃ de his qui cũ armis descendunt, communiter tribuatur. Non armatis uero, neq; in gymnasticis ludis, neq; hic certamen præmiumq; imponimus. Sed non est Cretę inutilis qui sagittam aut iaculum ex equo immittit. Quapropter in hoc etiã ludendi gratia cõtentio concertatioq; habeatur. Ad hæc aũt legibus fœminæ cogendæ nõ sunt. Verum si priori disciplina consuetudineq; puellas uirginesq; natura concitat ad hæc, facitq; ne abhorreant, admittendæ sunt. Sed de exercitatione disciplinaq; gymnastica, siue quæ in certaminibus exequimur, seu quæ sub magistris quotidie exercemus, satis iam diximus. De musica etiam maiori ex parte. At uero de rhapsodis, id est carminum cantoribus, deq; his qui eos sequuntur, & de contentione chororum, quotcunq; necessario solennitatibus dijs dæmonibusq; constituuntur statutis diebus mensibusq; & annis, hæc omnia quomodo disponenda sint, & si per tres, aut etiã per quinq; annos fieri debeãt, cõsilio deorum intelligentur, agenturq; que. Tunc uero certamina musicæ uicissim fient, prout athletæ ipsi præmiorum declaratores, & doctor iuuenũ, legumq; custodes qui in his ferendarum legum auctoritatem habent, unà congregati, hæc ordinauerint. Hi nanque & quando, & qui & quibus cum singula certamina in omnibus choris choreisq; exercere debeant, ordinabunt. Qualia uero singula hæc quo ad orationem uel cantus uel harmonias numeris saltationibusq; mixtas, esse debeant, sæpenumero à primo legumlatore est dictum: quem posteriores sequentes, ut singulis sacris temporibusq; conueniet, ita certamina quæq; distribuent, festosq; dies statuent ciuitati. Hæc quidem & cætera talia, nec intellectu difficilia sunt, quo pacto sint legibus ordinanda: neq; si hoc uel illo modo commutentur, multum prosunt ciuitati, uel obsunt, Sunt autem nonnulla plurimi facienda, quæ persuadere ita difficile est, ut dei maxime opus hoc esse uideatur, si ab illo possent constitui. Nunc autẽ audacis alicuius hominis opera indigent, qui libertate dicendi maxime fretus, quæ ciuitati ciuibusq; optima fore censet, ita statuat, ut corruptos ciuium animos ad decentem habitũ legumq; obseruationẽ reuocet dum ardentissimis eorũ cupiditatibus aduersetur, omniq; etiam auxilio carẽs solã solus rationẽ secutus nõ uereat. CLIN. Quidnã dicis hospes? Hoc enim non intelligimus. ATH. Verisimile est. Verum conabor planius dicere. Nam cum disciplinam ipsam uitæ animaduerterẽ, uideremq; adolescentes & adolescentulas inuicem humaniter conuersari: timui, ut par est, considerans qua in re quispiam ea ciuitate utatur ubi adolescentulæ adolescentuliq; delicati sint, qui non magnis durissimisq; laboribus, quibus libido petulantia que extinguitur, domiti sint: sed festis diebus sacrificijsq; & choris omnes plurimum uacent. Quomodo igitur in hac ciuitate ab illis cupiditatibus abstinebunt, quæ multos in extremum duxerunt: ita ut ratio quæ abstinere imperet, lex efficiatur? Profecto si leges superiores, multas à nobis pellunt cupiditates, nihil mirum est. Nam institutio illa qua nimiæ diuitiæ prohibentur, non parum ad temperantiã confert, & disciplina illa omnis suprà à nobis exposita leges ad hæc commodas habet. Præterea & principũ oculi coacti non aliò intueri, sed semper adolescentiam obseruare, cæteris quidem humanis cupiditatibus modũ adhibent: sed adolescentulorum adolescentularumq; contra naturam amores, & uirorum pro fœminis & mulierum pro uiris abusus, unde innumera hominibus & priuatim & publice mala secuta sunt, quomodo aliquis euitabit? & quod in singulorum periculis remedium inueniet? Omnino difficile id est ô Clinia, Nam in cæteris quidem multis uniuersa Creta Lacedæmoniaq; nobis ad leges ponendas à multorũ moribus alienas ualde opitulatur, sed quo ad mores pertinet, aduersantur dissentiuntq; omnino. Quoniam siquis naturam secutus illam quæ fuit ante Laij tempora legem posuerit, non permittens maribus pro fœminis abuti, testemq; bestiarum naturã citauerit, in quibus mares inter se Veneri operam non dent, quia secundum naturam id minime sit, ueriſimili forsan ratione utetur, uestrisq; ciuitatibus non consonabit. Accedit ad hæc q̃ minime id assequetur, quod à legislatore semper est obseruandum. Semper enim obseruari oportet quid ad uirtutem conducat quod lege sancitur, & quid non. Age uero si id honestum aut non turpe nunc lege statui assentimus, quidnam ad uirtutem proderit? utrum in eius qui persuasus est utrem in se tur-

pem

pem admitteret animo fortitudinis habitum, an in eius qui persuasit, temperantiæ speciem generabit? Vel hæc quidē nullus unq̄, sed potius horū contrariū credet? Quippe uoluptatibus seruientis quisq; mollitiem uituperabit. In eo uero qui fœminas imitatur, nónne muliebrem ipsam imaginē quilibet improbabit? Quis igitur hominum hoc cum tale sit, legibus sanciet? Fermè nullus, qui ueram in mente legem habuerit. Quomodo ergo uerum hoc esse dicimus? Amicitiæ utiq;, cupiditatis, amorumq; naturam considerare necesse est siquis hæc recte sit inspecturus. Nam cum ipsa duo sint, & tertia ex ambobus species, uno cōprehensa nomine dubitationem omnem & tenebras faciunt. CLIN. Quō? ATH. Amicum enim simile simili uirtute, & æquale æquali asserimus. Amicum rursus egenum diuiti, quamuis genere contrarium sit. Quando uero utrunq; uehementius fuerit, amorem nuncupamus. CLIN. Recte. ATH. Amicitia quæ à contrarijs proficiscitur, dura est & aspera, & sæpe uicissitudinem in nobis non habet. Quæ uero à similibus, placida, cōmunisq; per uitā. Vbi uero ex utrisq; cōponit̄ beneuolentia: primo nō facile cognoscitur, quid sibi uelit qui tertio hoc amat amore: deinde ab utrisq; in contraria tractus, & ipse quid faciat, dubitat, cum ab altero, ætatis uti flore iubeatur, ab altero prohibeatur. Nam qui corpus amat, eiusq; formam quasi fructum quendam esuriens petit, is satiari duntaxat quærit, nullumq; animo amati præbet honorem. Sed qui minus de corpore curat, & animo considerat potius quàm desiderat, cum ipsum, ut decet, animum diligat, corporis usum petulantiam & contumeliam arbitratur: cumq; temperantiam, fortitudinem, magnificentiam, & prudentiam uereatur & colat, cum casto amico castus uiuere uolet. Amor autem ex utrisque his compositus, ipse est quem modo loco tertio ponebamus. Cum ergo tres sint amores, utrum omnes lege pellendi sunt? An uidelicet eum in ciuitate suscipiemus qui uirtutem respiciat, & adolescentem fieri quàm optimum cupiat: duos autem alios, si fieri poterit, repellemus? Nunquid aliter tibi ô amice Megille uidetur? MEG. Probe admodum de his modo dixisti hospes. ATHEN. Non frustra ô amice conijciebam te mihi adstipulaturum. Non oportet autem me nunc quid de his uestra lex sentit inquirere, sed quod admittis accipere. Cliniæ uero postea id persuadere conabor. Quod à uobis datum est, modo accipiatur, legesq; diligenter considerabimus. MEG. Rectissime loqueris. ATHEN. Artem in hac lege ferenda quandam habeo, partim quidem facilem, partim omnino difficilem. MEG. Quomodo istud? ATH. Constat nunc quoque plurimos hominum quamuis iniqui sint, bene, & diligenter, & sponte à pulchrorum coniunctione sese abstinere. MEG. Quando id fit? ATH. Quando frater aut soror eximia pulchritudine alicui sit. à filio quoque filiaq; lex eadem, quamuis scripta non sit, sufficienter repellit, prohibetq; & manifestum & furtiuum istorum concubitum. Imò uero facit, ut ne cupiditas quidem ulla rei huius uulgus aggrediat̄. MEG. Vera narras. ATH. Vnum ergo uerbum atq; breuissimum omnes huiusmodi uoluptates extinxit. MEG. Quid illud? ATH. Quod fas nihil horum esse dicitur, sed apud deum odio haberi, & turpium omnium esse turpissima. Causa autem nónne hæc est? Quia nemo aliter prædicat, sed statim ab ineunte ætate & ioco & seriò dicta, & sæpius in tragœdijs hæc eadem audiuntur, quando uel Thyestem, uel Oedipodem, uel Macareum mortem sibi debitam sceleris pœnam cōsciuisse propter huiuscemodi uenerem narrant. MEGIL. Recte istud dictum est. Miram enim famæ potentiam nouimus, quando nemo aliter quàm iubeat lex ne respirare quidem audeat. ATHEN. An non recte dictum est à nobis, quòd uolenti legislatori cupiditatem aliquam earum quæ uehementer sibi subigunt homines, rationi subijcere, facilis cognitu modus est? Quippe si famam huiusmodi, apud omnes seruos & liberos, masculosq; & fœminas, & uniuersam ciuitatem, quasi sacrum quiddam dicauerit, firmissimam hanc legem efficiet. MEG. Ita prorsus. Qua uero ratione id assequi poterit, ut libenter idem omnes prædicēt? ATH. Probe obiecisti. Ideo enim à me dictum est, artem me ad hanc legem habere, ut secundum naturam ad procreationem Venere homines utantur. Abstinendum igitur à maribus iubeo. Nam qui istis utuntur, genus hominū dedita opera interficiunt, in lapidem seminantes ubi radices agere quod seritur nunquam poterit. Abstinendum quoq; & ab agro illo fœminino, ubi semen germina nolit producere. Hæc lex si perpetuo in alijs sicut in necessitudine paterna conseruabitur, innumerorum erit bonorū causa. Nam primo secundum

naturam ſtatuta erit. Deinde ab omni amorũ rabie atq; furore, adulterijs, potuſq; & cibi nimio luxu repellet. Vxoribus quoque uiros conciliabit, & alia plurima pariet bona, ſi apud quenq; fuerit ſtabilita. Sed forſan ſi uehemens aliquis iuuenis multo ſpermate plenus hanc legem ferri audierit, improbabit protinus, & alta uoce clamabit, impoſſibilia ſtultaq; à nobis lege ſanciri. Quod quidem cum conſiderarẽ, dixi artem me habere, quodammodo facillimã, quodammodo etiam difficillimam, ad legem hanc obſeruandam. Facile nanque intellectu eſt, quomodo id poſſibile eſt. Nam cum apud omnes legitima hæc ſententia dedicata fuerit, animos omnes domabit, efficietq; ut metu latis legibus pareant. Sed eò iam res peruenit, ut nunquam effici poſſe uideat: ſicut nec conuiuij quidem ſtudium credebatur ab uniuerſa ciuitate perpetuo poſſe obſeruari. Et tamen apud nos re ipſa fieri uidetur, quod inter mulieres, nec in ciuitatibus quidem ueſtris fieri poſſe putatur. Hac equidẽ ratione propter huius incredulitatis uim difficillimũ eſſe dixi hæc utraq; lege ſeruari. MEG. Et recte quidem. ATH. Quod autem ſupra uires humanas non ſunt, ſed fieri poſſunt, uultis ut ueriſimilem quandam rationem uobis exponam? CLIN. Cur non? ATH. Vtrum facilius quiſpiam à uenereis abſtinebit, uoletq; ordinem his impoſitum moderate ſeruare, cum bene ex prudenti aliqua diligentia corpus affectum fuerit, an cum contrà? CLIN. Multo magis cum bene atq; ex arte. ATH. Num igitur de Tarentino Icco nõ audiuimus: qui propter olympica aliaq; certamina, artificioſo circa hæc ſtudio temperantiam ſimul & fortitudinem animi conſecutus, nullam unq; in toto exercitationis ſuæ tempore uenerem cognouit? Idem quoque de Chryſone, Aſtylo, & Diopompo alijſq; q; plurimis fertur. quanquam ô Clinia multo peius animos bonis artibus excoluerant, quàm tui meiq; ciues, corporibus certè multo magis uigebant. CLIN. Vera narras quòd à priſcis iſta ab athletis facta fuiſſe prædicãtur. ATH. Illi igitur ut luctando & currendo cæteriſq; huiuſmodi uincerent alios, ab ea uoluptate quæ beata uulgo exiſtimatur, abſtinere uoluerunt. Noſtri adoleſcentes uictoriæ cauſa longe præſtantioris, non poterunt? quã nos carminibus fabuliſq; & ſoluta oratione & cantibus eſſe optimam pueris ſtatim à teneris occinemus, & ut ueriſimile eſt oblectando perſuadebimus. CLIN. Quam uictoriam dicis? ATH. Vt uoluptate inquã uicta feliciter uiuant, uicti aũt contrà. Præterea metus ille, ne quod minime fas eſt, committatur, nónne ad idem potiſſimum conferet: ut ea uidelicet ſuperent, quæ alij quamuis deteriores, ſuperaſſe dicuntur? CLIN. Conſentaneum id quidem. ATHEN. Poſtquam huc in lege hac ferenda deuenimus, & propter multorum prauitatem in dubitationem incidimus, audacter iam manifeſteq; dicamus, non oportere ut ciues noſtri auibus multisq; beluis ſint peiores. Permultos enim greges ipſarum uidemus integre atq; caſte, antequam procreãdi tempus aduenerit, uiuere: ſed cum hanc ætatem attigerint, mas fœminæ & fœmina mari cõiunctæ, iuſtè, ſanctèq; in prima perſeuerantes amicitia reliquam peragunt uitam. Oportet igitur eſſe eos beſtijs meliores. Quod ſi à cæteris Græcis Barbariſq; plurimis corrumpantur, nec poſſint ſe continere, cum uideant audiantq; inordinatã apud eos Venerem plurimũ poſſe, alterã prẽterea legem cuſtodes legum ad ferendas leges autoritatem nacti, excogitent. CLIN. Quã modo ferre legem conſulis, ſi hanc non ſuſceperint? ATH. Quæ hanc ô Clinia ſequitur. CLIN. Quænam illa eſt? ATH. Vt quàm maxime laboribus corporis Veneris robur infringant, & aliò uires ſuas conuertant. Quod erit, ſi non impudenter ipſa utentur. Nam ſi rarius propter ruborem id fiat, imbecillior erit domina. Clàm ergo conſuetudo & lex non ſcripta hæc fieri ſuadeat: contrà autẽ fieri uelut turpe diſſuadeat: turpeq; ſic non omnino agere. Sic enim & ſecundo ſeruabimus honeſtũ loco, & genus unum hominum, tria genera continens, homines deprauatæ naturæ, quos ſui dominos eſſe negamus, coget utiq; ne leges contemnant. CLIN. Quę tria genera? ATH. Cultores inquam deorũ, honoris amatores, & qui non corporum ſed animi morum pulchritudinem diligunt. Hæc quaſi per fabulam dicta uotoq; ſimilia: multum tamen ciuitatibus omnibus ſi ea ſeruare potuerint, collatura. Fortaſſe autem ſi deus uoluerit, duorũ alterum in amatorijs aſſequemur. Vel ut nemo generoſas liberaſque mulieres præter uxorem audeat tangere: nec ullus nothos ex concubina ſuſcipiat: nec infœcundos marium agros præter naturam ſerat. Vel alterum quidem omnino tollemus: nequis cum maribus congrediatur. Si quis autem alijs mulieribus commiſceatur quàm cum his quæ

cum

cum dijs ſacriſq; nuptijs domum uenerunt, emptis uidelicet, uel alio quocunque modo acquiſitis: niſi uiros ſimul mulieresq; omnes lateat, infamis lege, omnibus que ciuitatis honoribus, ceu peregrinus aliquis, priuatus ſit. Hæc lex ſiue ſimplex ſiue duplex ſit, de rebus uenereis amatorijſq; omnibus, quas inter nos propter huiuſmodi affectus recte uel non recte agimus, lata ſit. MEGIL. Ego equidem hanc legem ualde probo. Clinia uero hic, quid ſibi uidetur, nobis aperiat. CLIN. Faciam ô Megille cum occaſio dabitur. Nunc autem ſinamus hoſpitem ulterius in ferendis legibus progredi. MEGIL. Probe. ATHEN. Sed adeo iam progreſsi ſumus, ut ad conuiuia deuenerimus: quam quidem rem alibi difficilem eſſe dicimus: in Creta autem nemo fruſtra exiſtimabit fieri oportere. Quomodo autem: utrum ut hic, aut quemadmodum apud Lacedæmonios, an tertius quidam modus utriſq; his melior inueniatur, nec inuentu difficile id mihi uidetur, nec inuentum cum fuerit maxime profuturum. enimuero concinne & nunc conſtituta uidentur. Sequitur nunc ut de uictu, quomodo haberi poſsit, dicamus. Victus in alijs ciuitatibus multiplex uarijſq; ex locis, maxime uero duplici ex loco in cæteris comparatur. Nam ex mari ac terra plurimis græcorum ciuitatibus aduehitur, cum iſtis terra ſolummodo aduehatur. Quæ res legumlatori facilior. Multo enim minor quàm dimidia pars legum ſufficiet. Præterea conuenientiores liberis hominibus leges ponentur. Naualium enim & mercatorum, cauponum, diuerſorij, publicanorum, permutationum, fodinarumq; metallicarum, & mutui fœnoris, ac mille huiuſmodi leges ferre non admodum cogitur. Quare in ciuitate hac noſtra legum conditor his omiſsis duntaxat agricolis, paſtoribus, apum curatoribus, taliumq; cuſtodibus, atque miniſtris leges dabit, cum de nuptijs liberorumq; procreatione, educatione, diſciplina, magiſtratuumq; deſignatione, maxima ex parte tractauerit. Nunc ergo ad leges de uictu deq; ijs qui labore ſuo ipſum parant, uenire neceſſe eſt. Et agriculturæ leges primo ponantur: primaq; terminalis Iouis hæc. Nemo fines atq; terminos agri moueat, nec ciuis uicini, nec finitimi peregrini, ſi agri extrema poſsideat. ſed putet id eſſe uere quod dici ſolet, hic immobilia mouet: malitq; unuſquiſq; ſaxum ingens mouere, quàm paruum lapidem iureiurando à dijs firmatũ, quo amicitiæ & inimicitiæ terminentur. Alterius enim Iupiter contribulis, alterius hoſpitalis, eſt teſtis: qui hoſtili prælio ſemper inſurgunt. Qui legi obtemperat, indemnis utiq; ſit: qui eam diſpunxerit, duplices pœnas luat: primo quidem deo uindice, deinde lege: quæ iubet ut nemo ſponte uicini agri terminos moueat. Eum uero qui mouerit, quicunq; uoluerit, ad agricolas deferat, agricolæ ad iudicium ducant, à quo damnatus utpote terminorũ clam uiq; turbator, reddat, patiaturq;, prout iudices iudicauerint. Multa deinde paruaq; damna in uicinia ſæpius facta, magnas inimicitias pariunt, uicinitatẽ difficilem & amaram reddunt. Propterea caueat uicinus ne uicino noceat, cum in alijs, tum uel maxime in agris colendis. Nocere nanque non difficile, ſed cuiuslibet hominis eſt: prodeſſe uero non cuiuslibet. Quicunq; uero fines egreſſus, uicini coluerit agros, damnum reſtituat, & impudentiæ atque illiberalitatis pœnas luat: duplumq; loco mulctæ ipſi deponat cuius agrum coluit. Cognitores uero & iudices cenſoresq; huius rei, agrorum curatores ſint. In maioribus quidem, ut ſuprà dictum eſt, uniuerſus duodecimæ partis ordo: in minoribus uero, qui cuſtodijs præſunt. Siquis paſcuis noceat, illi conſideratis damnis iudicent atque condemnent. Si aliena examina quis perſequitur, atq; æra pulſans delectatione apes ad ſe trahit, damnũ reſtituat. Siquis ignem in materiã ſic immiſerit, ut uicino nõ cauerit, prout magiſtratibus uidebitur, condemnetur. Similiter qui in plantando menſuram uicini agri nõ reliquit, ita plectatur, ut à pleriſq; legumlatoribus ſufficiẽter eſt dictũ. Quorum legibus uti debemus nec putare multa & minima quæ cuiuslibet legumlatoris ſunt, à maiori ciuitatis conditore eſſe facienda. Nam & de aquis priſcæ leges & bonæ ſunt. Quæ profecto recitatione deriuandæ non ſunt. Sed qui aquam ad ſua uoluerit ducere, à publicis fontibus ita deducat, ut nullius priuati manifeſtum fontẽ perturbet. Deducat aũt quà uelit, præterq; per domos, aut ſepulchra, aut loca dijs cõſecrata: nec aliud damnũ inferat, niſi quod ab ipſo riuulo efficitur. Quod ſi aquæ inopia ſolo inſita in locis aliquibus aquas ab Ioue prodeuntes non retinet, cum neceſſitate quiſpiam opprimatur, in loco ſuo ad cretam uſq; effodiet: & ſi hac in profunditate nihil aquæ inuenerit, tantum à uicinis aquetur, quantum ne-

Serui tutes ruſticanæ

ceſsitas poſtulat. Sed ſi uicinis quoque pauca ſit, aquandi modus quo utatur quotidie, ſi bi ab agri curatoribus ſtatuatur. Si uero aquæ pluuiales abundent, & qui inferiores partes habitant aut colunt, defluxum ita prohibeant, ut ſuperioribus noceant: aut contrà ſi ſuperior incõſiderate fluere aquas permittens, inferiori noceat, & conuenire inter ſe nequeant: in urbe quidẽ ædilis, in agris uero, qui agris præeſt, modũ imponat: quem ſiquis non ſeruauerit, inuidiæ & peruerſitatis pœnas perſoluat: & uicino damnum in duplo reſtituat. Autũni aũt fructuum communis huiuſmodi participatio ſit. Bina nobis gratiæ dona hic deus largitur. Vnum dionyſiacũ, quod recondi non poteſt: alterum uero quod reponi aptum eſt. Hæc igitur lex de fructibus ſanciatur. Qui uuas aut ficus de ruſticis fructibus ante uindemiæ tẽpus guſtauerit, quod cũ arcturo cõcurrit, quinquaginta drachmas, ſi de ſuo agro collegerit, Dionyſio dedicandas perſoluat: ſin à uicinis acceperit, minam: ſin ab alijs, duas minæ partes. Vuas autem ficuſq́, quos generoſos nominauimus, neq́ commode recondi poſſunt, quomodo & quando uelit, ſi ſua hæc ſunt, colligat. ſin uero aliena, niſi impetrauerit, quoniam lex eſt, ut nemo moueat quæ nõ depoſuit, qui accepit, mulctetur. Quod ſi ſeruus quiſpiam, non perſuaſo agri domino, eas acceperit, pro ſingulis ficubus uuarumq́ acinis æqualia numero uerbera patiatur. Inquilinus fructibus emptis ſiquidem condi non poſſunt, ſi cupit, ueſcatur: peregrinus autẽ in ipſo itinere ſi tranſeat ſolus, aut cum uno tantummodo, fructus non reponendos ſi uelit hoſpitali cum uenia guſtet. Alios autẽ guſtare quos ruſticos dicimus, peregrinos quoq́ lex prohibeat. Sin uero qui condi poſſunt inſcius tetigerit, ſeruus quidem plectatur. Liber autẽ dimittatur admonitus ficus uuas' que ſolummodo quæ condi non ualent guſtare licere, eas uero, ex quibus paſſæ uuæ & uinum & caricæ fiunt, miníme. Pyra uero & mala tum alia tum punica cæteraq́ huiuſmodi clam auferre, turpe non ſit. Siquis uero deprehenſus fuerit, pauciores annos q̃ triginta natus, ſine uulneribus uerberetur, atque puniatur. nec pœna ulla propter huiuſmodi uerbera libero ſit. Aduenæ quoque de his fructibus perinde ac de ijs quos ſuperius diximus qui non conduntur, carpere liceat. Si ſenior quiſpiam comederit, nec aſportauerit, ut aduenæ permiſſum eſt, & ipſe quoque omnium huiuſmodi fructuũ particeps ſit. quod ſi legi non paruerit, ad uirtutis certamẽ impotens habeatur, ſi iudicibus huic rei præſidentibus tunc relatum hoc fuerit. Aqua nutriendis hortis maxime omniũ confert: ſed facile corrumpi poteſt. Terra uero & ſol & aer, quæ cum aqua ſimul ea nutriunt quæ terra naſcuntur, non facile ueneno, uel diuerſione, uel ablatione corrumpi poſſunt. his autẽ modis facile aquæ damnum infertur, propterea legis auxilio indiget. De hac igitur lex ſanciatur. Siquis ſponte alienam aquam, ſiue ſcaturientem è fontibus, ſiue collectam, ueneno aut foueis aut ablatione corruperit, ad ædiles deferat: ubi ſi deliquiſſe cõuincitur, damnum reſtituat: & fontes, aut aquarum uas, ut interpretes ſingulis ſemper faciendam purgationem iudicarint, ita purget. In aduectione autem omnium quæ ab agris colliguntur, liceat cuiq; res ſuas quà uelit aduehere, modo aut nulli damno ſit, aut ſibi triplum prouenìat lucrum eius damni quod uicino infertur. Horum cognitores, magiſtratus ſint, & cæterorũ omnium quæ per iniuriam ſponte quis, aut ui, aut clam, uel per ſe, uel per illa quæ poſſidentur ab eo, in perſonam, aut in rem intulerit. Hæc inquam ad magiſtratus omnia deferantur, ſi tres damnũ minas non excedit: ſin uero maius ſit, ad conſtituta publice iudicia cauſa deferatur, & qui iniuriam intulit puniatur. Quod ſi magiſtratuum aliquis iniuſte de damno alicuius ſententiã tulerit, duplum ei qui paſſus eſt iniuriam, debet. Et omnino ſi quid per iniuriam fecerint magiſtratus, cauſa ipſa à quolibet uolente in publico iudicio agitetur. Infinita penè parua reſtant inſtituta, quibus corrigantur errores in iudicij termino, in citationibus, citatoribusq́, ſiue inter duos ſiue inter multos citatio ſit, & cæteris huiuſcemodi, quæ nec à legibus præteriri poſſunt, nec tamẽ ſeniore legũ latore digna uidentur. Ea igitur omnia iuniores priſcas leges imitati, & parua ex magnis intelligentes, neceſſariũq́ uſum experientia cognoſcẽtes, legibus donec ſufficiẽter ſe habeant ordinẽt. Deinde ſufficiẽter poſitis, immobiliter his utantur. De cęteris aũt opificibus leges ita conſtituantur. Primo nullus ciuis opificio ullo detineat, ſed nec ſeruus quidem ciuis alicuius. Arte em̃ magna quæ longa exercitatione, multisq́ doctrinis indiget, occupatus eſt ciuis, cum communem ciuitatis ornatum procuret: quæ res non leui quadam opera contenta eſt, ſed præcipuum

ſtudium

ſtudium exigit. Duas uero artes aut ſtudia duo diligenter exercere humana natura non poteſt. Nemo etiã ſatis poteſt arti quidem uni uacare, & alterius artis opifici præſidere. Hoc igitur in ciuitate ſtatutum ſit, ut nemo ærarius ſimul & lignarius faber ſit, nec lignarius faber fabris ærarijs magis q̃ opificio ſuo præſideat, occaſionem hinc fortè nactus, quod dum curã gerit multorũ, quaſi miniſtrorũ ipſi elaborantiũ, inde ſuæ arti fiat acceſſus, ac per illos artem melius curet ſuam: ſed ſinguli opifices ſingulis artibus uacẽt, & ab eis uictum acquirant. Hanc legem ædiles ita obſeruari procurent, ut ſi quis ciuis ad artem aliquam, magis q̃ ad uirtutis curam declinauerit, opprobrio atq; infamia notatũ ad curſum ſuum conuertant. Sin autem peregrinorũ aliquis duabus artibus uacet, uinculis, mulcta, expulſione, unam tantum complecti cogatur. De mercede aũt opificum, de operis ipſorum approbatione aut improbatione, de iniuria etiã quam uel patiuntur uel inferunt, ædiles uſque ad drachmas quinquaginta cognoſcant. Maiora uero ad publica iudicia delata ſecundum legem iudicentur. Vectigal aũt importandarum exportandarumq; rerum, nullum penitus ſit. Thus uero cæteraq; huiuſmodi quæ dijs incenduntur, peregrinaq; ſunt, purpuram ſimiliter & colores alios, qui à regione non producuntur, omnia denique peregrina, niſi neceſſaria ſint, nemo adducat: nec rurſus aliquid quod regioni neceſſarium ſit, exportet. Hæc omnia legum cuſtodes duodecim, qui reliqui ſunt, exceptis quinq; ſenioribus, procurent atque cognoſcant. Arma uero & inſtrumenta bellica ſi aduectitia arte eſt opus, conuehantur. ſimiliter quæ ad hæc idonea ſunt, plantæ, ænea inſtrumenta, funes, animalia, quæ ad bellum conferunt: Quorũ magiſtri equitũ & ducto res exercitus curã habeant, ut ciuitas inuehendi euehendiq; ſimul cum opus ſit facultate nõ priuetur: de quibus legũ cuſtodes ſufficientes decentesq; leges ferent. Nulla uero in re pecuniæ colligendæ gratia, uel in ciuitate, uel in uniuerſa regione cauponatio fiat. Annonæ autẽ quæ ex agris percipitur diſtributio, recte iuxta Cretenſium legem conſtituetur. Nam quæ à regione producuntur, in duodecim partes ab omnibus diſtribuenda ſunt, & ſimiliter conſumenda. Duodecima uero pars quæq; ut tritici, hordei, cæterarumq; frugum & fructuũ, uenalium quoq; omnium animalium tripertito & competenti ratione diſtribuatur, & pars una liberis, altera ſeruis, tertia opificibus ac omnino aduenis tribuatur: ſiue aliunde uenerint aliquandiu urbem habitaturi, & neceſſarijs egeant, ſiue propter publicam uel priuatam ciuis alicuius utilitatẽ acceſſerint. Hæc igitur tertia omnium neceſſariorum pars, uenalis ſemper ac neceſſario tantummodo ſit. De duabus uero partibus nihil neceſſario uendatur. Quomodo igitur hæc recte diſtribuentur? Patet autem in primis recte id fieri poſſe, ſi partim æqualiter, partim inæqualiter diſtributio fiat. CLIN. Quo pacto? ATHEN. Meliora utiq; uel deteriora iſtorũ ſingula, neceſſe eſt terram producere atq; augere. CLIN. Quid ni? ATH. Cum tres partes ſint, quod huc attinet nemo plus habeat, nec dominus, nec ſeruus, nec aduena, ſed æqualis eademq; ſimiliter ſit omnis diſtributio. Quilibet autem ciuis, cum duas partes acceperit, ſeruis & liberis quot & qualia uelit, ſuo arbitratu diſtribuat. Quod uero plus iſtis eſt, menſura & numero ſic diſpertiendum eſt, ut cum omniũ animalium, quibus à terra uictus præbetur, numerus habeatur, ita demũ fiat partitio. Habitationes poſtea ſeorſum ordinandæ ſunt. Ordo aũt talis maxime decet: duodecim uiros per media in ſingulis duodecim partibus unum eſſe oportet: & in unoquoq; uenalium rerum loca, deorumq; templa & deos ſequentium dæmonum eſſe conſtructa, ſiue indigetum Magneſiorum, ſiue aliorum, quorum ſtatuæ antiquiſſima memoria conſecratæ ſint. Atque his priſcorum uirorum honores reddendi ſunt. Veſtæ quoq;, Iouis, Mineruæ, ſingulorumq; aliorum ſingulis duodecim partibus præſidentium templa conſtruenda ſunt. Et primum quidem iuxta templa in altiſſimis locis ædes cuſtodum ſint undiq; munitiſſimæ. Reliqua deinde regio opificibus in tredecim partes diſtribuatur. Et pars una in urbe habitet, per duodecim urbis partes diuiſa, aliæ exteriorem undiq; teneant locum, atque in ſingulis uicis opifices ad agriculturæ cõmoditatem idonei habitare compellantur. Horum omnium curam magiſtratus qui agris præſunt, habeãt, præuideantq; quot quibus ue ſinguli opificibus egent, & ubi habitantes impedimento agricolis non ſint, ſed magnam ipſis utilitatẽ conferant. Vrbanorum quoque ſimiliter opificum curam ædiles habeant. Res autem uenales curæ cenſoribus ſint, qui primo rem ſacram curent: deinde ne quis uendendo emendóue

Vectigal nullum

Annonæ ratio

iniuriam

iniuriam faciat, uehementer prouideant: & immoderatos, contumelioſos' que omnes compeſcant. Hi conſiderent nunquid ciues peregrinis res ſingulas conuenienter atque ut lege cautum eſt, uendant. Primo uero menſis cuiuſque, ciues eorumq; miniſtri duode cimam tritici partem emendam peregrinis proponant, ementq; peregrini pro menſis totius tempore triticum & ſimilia quæ primo foro uenduntur: decimo uero die uendi-tio, emptioque menſi ſufficiens ſtatuatur, uigeſimotertio animalium uenditio, quibus homines egent, ſupellectiliumq;, ut corij ueſtiumq; ac ſimilium, fiat. Neceſſe autem eſt peregrinos omnia à poſſidentibus emere, ne cauponatio in tritico & hordeo circa fa rinam ac cætera alimenta, ulla fiat. Nec ciuibus nec ſeruis eorum cauponari omnino lice at. In peregrinorũ tamen foro peregrino liceat opificibus, eorumq; ſeruis uinũ cibumq; commutare ac uendere, carnesq; coctas ſimiliter: quæ res à plurimis cauponatio nomi-natur. Materiam uero ignis uniuerſam quotidie peregrinus ab ijs qui in agris id curant, emere poſſit, cæterisq; peregrinis prout uelit & quando uelit reuendere. Cæterarum omnium rerum & ſupellectilium quibus utimur, in communi foro uenditio fiat: in locis determinatis: ubi legum cuſtodes, cenſoresq; unà cum ædilibus locum deſignarint, & pretia uenalibus impoſuerint. Hic nummi commutentur rebus, ac res nummis. Cõmu tet autem unuſquiſq; per ſeipſum nemini cõmittens. Quod ſi cõmiſerit, ſiue receperit, ſiue non, quieſcat oportet. Nullum enim commutationum talium iudicium eſt. Si quid uero uenditum emptumq; pluris minoris' ue eſt, q̃ lex iuſſerit qua rerum uenalium men ſuræ & precia conſtituta ſunt, apud legum cuſtodes plus illud conſcribatur, & contra-rium deleatur. Eadem ipſa de conſcriptione bonorum, quæ ab incolis peregrinisq; poſſi dentur, fiant: liceatq; cuiuis certa conditione ad urbem migrare, & hoc ita ut artem ali-quam exerceat, nec plures q̃ annos uiginti à die conſcriptionis permaneat: quo in tem-pore incolendi uectigal ſoluere nullum cogatur niſi frugalitatis exemplum, nec emptio nis uenditionisq; gratia ærario quicquam debeat. Cum autẽ uiginti anni exacti fuerint, accipiat rem ſuam, & abeat. Quod ſi magnum aliquod beneficium intra uiginti annos ciuitati cõtulerit, uelitq; plus temporis, aut etiã per uitã in ciuitate manere, fiat ipſi quod petierit, ratumq; habeatur, ſi modo concilio concionique perſuaſerit. Incolarum autẽ filijs ſi ipſi quoq; opifices ſint, poſt quintum decimum ætatis annum ita coloniæ tempus inci-piat, ut uiginti poſtea maneant annos, deinde quò uelint proficiſcantur, & ſi manere uoluerint, maneant, poſtquam ſimiliter perſuaſerint. Qui autem recedit oblita deſcri-ptione, quæ ſibi apud magiſtratus erat conſcripta, ſic habeat.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI IN DIA-logum Nonum De Legibus.

NONVS *dialogus poſt cõmunem morum diſciplinam & legum multarum traditionem aggre-ditur iam iudicia. Et ualde quidem opportune.* Nam *& qui moribus eruditi legibusq; inſtructi ſunt, iudicare iam poſſunt: & qui eruditioni inſtructioniq; præcedenti non paruerunt, iam ſunt iudicandi. Prudenter omnino noſter hic animorum medicus ſeruare hactenus ſalutaribus ſtuduit monitis integram animi ſanitatem: iam uero perditam cunctis machinis reparare molitur. Verũ quæ charitas Platonica eſt, miſericors, dolens, compulſus ad ſecandum quaſi trahitur & urendum: & id quidem tam benigna cautione, ut grauiter ægrotantes uerbis blandiſsimis conſoletur: cõtendatq; uerbis quaſi magicis car minibus ſanos efficere antequam medicam adhibeat manum. quã etiã deinde ſic admouet, ut languens & uix per ſentiat, & plus admodum ſpei concipiat quàm doloris, & ex dolore non perniciem reportet, ſed ſalutem. Inſignis clementia uir neminem abſq; conſolatione punit: neminem punitum perdit: omnes pro uiribus ſeruat: & quos ne-ce punit: profitetur à morbis animi liberare: ac minimo mortis malo, interim ingenti & in dies creſcenti obſiſte-re animi malo. Præſtare uero aſſerit hinc abire, quàm in morbo uel animi uel corporis incurabili uiuere. Atqui neq; hac uita priuat, niſi quem cognouerit inſanabilem: neq; ſupplicium ullum à lege, quæ bona eſt, illatum tende re uult ad malum. Quinimmo pœnam ipſam multis de cauſis eſſe bonam: tum quia iuſta eſt, iuſtitia uero bona: tum quia uel præſens purgat, uel futurum præpedit malum: tum quia in puniendo uno, interim exemplo prodeſt & multis, ciuitatemq; purgat malis. Et ut ſummatim dicam, iuſtitiã ubiq; mirum in modum cum clemẽtia miſcet, neq; rigiditate torquet durius, neq; mollitia quicquã relinquit inultũ. Quemadmodũ uero in ſuperiorib. prius diuina præcipit officia quàm humana: ſic in præſentia prius in ſacrilegia quàm in cætera delicta prudenter animaduertit. Ac dum quàm graue ſit læſæ maieſtatis diuinæ crimen oſtẽdit, afflãte deo ſignificat nihil tale hominibus quondam*

quamdiu

quamdiu diuina quædam in eis gratia uiguit, fuisse aliquando perpetratum: Sed postquã propter alia delicta gratia illa est amissa, homines iam quasi alienos à deo in deum ipsum peccare per sacrilegia incepisse, ut sacrilegium ipsum non modo peccatum sit, sed etiam pœna peccati: pœna inquam non purgans aliquem, sed interimẽs. Non enim lege, sed transgressione legis pœna talis infertur, Quod autem dicit, priscos legumlatores fuisse dei filios, legesq; heroibus, qui etiam ex dijs erant geniti, tradidisse: exponendũ est per ea quæ in Critia & Politico & sæpe alibi pertractantur, deorum filios hic intelligi deos sub Luna alios alijs terræ plagis gubernandis accommodatos. Quos possumus more etiã Platonico angelos nominare. Per quos sub Mercurij nomine in Protagora leges genus hominũ accepisse docet. Per quos in Critia quoq; dicit homines primos ex terra natos accepisse iura: hominesq; illos hic nominat heroes ex dijs ortos, id est, deorum opera ex terra progenitos. Sed leges illas, inquit in Critia, non scriptas ad aures, sed inspiratione quadã à mẽtibus diuinis in mentes humanas fuisse transfusas: hominesq; sub illis quandiu paruerunt, uixisse beatos. Addit ob huiusmodi legum transgressionem homines diuinã gratiam amisisse: qua quidẽ amissa felicitatẽ quoq; amiserint: & infelices in sacrilegia iam proruperint: & per sacrilegia pessimi tandẽ infeliciſsimiq; euaserint. in his & terrestris illius paradisi, & eiectiõis ex eo mysteriũ licet agnoscere. Considera uero ubi perquirit sacrilegij causas, tres assignari causas grauium delictorũ. Primã quidẽ cõmunem hominum fragilitatẽ consuetudine confirmatam. Secundam uero dæmonicam persuasionẽ siue suggestionẽ. Tertiam deniq; culpã pernicioſam ex antiquis inexpurgatisq; peccatis inustam, ad grauissima scelera stimulantẽ. Quæ quidem originali culpæ, de qua multi multa theologi disputant, uidetur esse simillima. Quamobrẽ ubi Plato diuinus sacrilegum alloquẽs inquit: Non humanum ad sacrilegium te impulit malum, neq; diuinum: intellige humanũ malum, humanam fragilitatem ad inferiora procliuem: Diuinum uero malum, diabolicam, ut inquiũt, fraudẽ. Negat uero duo hæc nõ quia non sint in causa sacrilegij, sed quia nõ sola sunt causæ. Accedit enim his tertia propriaq; sacrilegij causa, quã subiungit dicens: Sed stimulus quidam exitialis à priscis inexpiatisq; peccatis ingenitus. Per quem uidelicet animus non humanus amplius, sed ferinus, nimirũ sacrilegio peccat in deum, nullã ulterius dei rationem habẽs, quando rationem humanam iam amisit diuinæ rationis imaginem. Mox uero primæ ad sacrilegiũ instigationi Plato quasi nascenti morbo tribus occurrit remedijs: quẽadmodum morbus hic tribus ex causis oritur Primo quidem, ut immanis impetus comprimatur ad sacras mittit expiationes, quas Christianorũ more pœnitentiæ, cõfessionis, eleemosynæ, ieiunij nomine possumus nũcupare. Deinde ut diabolicis resistat insidijs, ad orationes supplicationesq; mittit, per quas à superis liberatoribusq; spiritibus contrà inferos præsidiũ impetretur. Postremo quo imbecillitatem humanam continere possit, mandat ut malorum hominum familiaritatem deuitãs, bonorũ asciscat consuetudinem. Proinde, quoniam post deum more Pythagorico coli patriam iusserat, merito post sacrilegia quæ in personas aut res deo cõsecratas perpetrãtur, pergit ad punienda scelera & delicta, quæ proprie cõtra patriam committuntur, quæ nõ solũ sacrilegijs proxima iudicat, sed annumerat, plectitq; similiter. Hæc uero tria esse iudicat. Peccare enim in patriam, hostemq; patriæ habendum esse, & qui posthabitis legibus principatũ ad humanam uoluntatem libidinemq; reducit, & qui cũ possit, periclitanti patriæ non succurrit: & qui uel auaritiæ uel alia de causa pro filio euadit patriæ proditor. Inter hæc officium legiferi repetit. Id autem esse uult, ut nõ tanquam dominus seruis, sed tanquã pater filijs conscribat leges: non minus persuadens quàm minitans, nec minus docens quàm imperans, nec minus alliciens quàm perterrens: ut legislatoris opus non tam mandatorum præscriptio sit, quàm disciplina morum. finis enim eius est, quacunq; id ratione fiat, ciues bonos beatosq; efficere: punire uero malos, necessitas est in eo potius, quàm uoluntas. Et quia solæ inter humanas Platonicæ leges hæc omnia cõplectuntur, humanarum omnium perfectiſsimæ sunt: ac penè inter diuinas potius, quàm humanas annumerandæ. Neq; abre primum disputationis huius exordium à deo factum est: deinde additum à Platone uideri sibi hæc omnia diuinitus inspirata. Demum ex hac ipsa disputatione ad beatum summi Iouis templũ, id est, cœlum recto tramite peruenitur. At quoniam non solum in sacrilegijs parricidijsq;, uerumetiam in cæteris sceleribus pro alijs culparum gradibus, alij quoq; pœnarum gradus, & à legumlatore describendi, & à iudice sunt censendi, cõmodiſsimam ad gradus eiusmodi discernendos distinctionem adducit in medium: Habitus quidẽ omnis aut uirtutis est, aut uitij. Si uirtutis, omnino uoluntarius est: quoniã consilio libero & expedita electione & proprijs animi actionibus est acquisitus. Sin uero uitij habitus est, inuoluntarius omnino censetur. Quia ita morbus est animi, sicut humorum intẽperantia morbus est corporis. Nemo uero morbum dixerit uoluntarium: quamuis nonnulla quæ præter opinionẽ inferunt morbũ, possit quodammodo uoluntaria dicere. Præterea eiusmodi habitus ex impedito cõsilio, distractaq; electione, & passionibus potius quàm actionibus inolescit. Ex his cõficitur Platonicũ illud sæpissime decantatũ, Vitiorum habitus inuoluntarios esse, neminemq; fieri sponte malum. quemadmodũ & nemo fit sponte ægrotus et deformis & inops. Post hanc habituũ distinctionem sequitur distinctio actionum. Quæ quidem aut ad uirtutis, aut ad uitij habitum gignendum proprie uergunt. Si ad uirtutis, ita uoluntariæ sunt, ut dictus est habitus uolũtarius. Sin uero ad uitij, partim quidem uoluntariæ dicuntur, propterea quod & animo quodãmodo consentiente fiũt, et poterant non fieri antequam fierent: partim uero inuoluntariæ, tum quia ad detrimentum, deformitatem, morbũ

clam

clam deducunt, hæc autem uellet nemo: tũ quia ex quadam finis exitusq; ignoratione consurgũt. Quatenus uerò per ignorantiam fiunt, eatenus præter ipsam rationis uoluntatẽ fieri iudicãtur. Distingue rursus hoc pacto, Actiones humanæ quantum ad legum iudiciorumq; materiam attinet, in quinq; capita rediguntur. Aut enim ex affectibus concupiscentiæ pullulant, aut ex impetu irascibilis naturæ prorumpunt: uel simplici quadam ueniunt ignorãtia, per quam quis res ipsas ignorat, quamuis se ignorare non nesciat: uel ignorãtia duplici fiunt, per quam quis & res ipsas nescit, & ignorantiam suam simul ignorat, uidelicet scire se putans: uel tandem ex rationali quadam opinione proueniunt: opinione inquã de iustis atq; iniustis rationi legibusq; credendi. Post distinctionem eiusmodi distinguit & iudicij regulas, per quas aliter animaduertatur in eos qui concupiscentia, aliter in eos qui ira peccant: atq; in his discernatur, utrum consulto, an inconsulto deliquerint. Præterea utrum ui palamq; an potius clam atq; fraude. Deinde nunquid per ignorantiam sit erratum, siue per simplicem, siue per duplicem ignorantiã. Vbi uero de homicidiorum iudicijs agens priscum adducit mysterium de interfectis interfectores ulciscentibus: attende ex Platonis sententia, perturbationes ad sensibilia pertinẽtes posse in anima seiuncta ab hoc corpore remanere. Siquidem ex eiusdem sententia remanet & prima quædam sentiendi natura substantialis origo sensuũ reliquorũ, per quam anima & in hoc corpore in hæc instrumenta uires explicat sentiendi, & discedẽs ab hoc eas quodãmodo replicat in seipsam, siue, ut magis Platonice loquar, exercet in aereo corpore. Quo inuoluta & hoc ingreditur & ex hoc egreditur. De his Platonici ita distinguũt, ut anima in corpore hoc crassiore ad breue habitet: in aereo uero multa per secula: in cœlesti per omnia. Quorsum hæc? Ne mireris perturbatiões in defuncti anima superesse si harũ rerũ sensus memoriaq; supersunt. Probabile uero esse putabãt antiqui theologi animas hominũ repente interfectorum, utpote inexpiatas, perturbationibus agitari: quin & hostes exagitare, id uidelicet nõ humana tantum indignatione efficiente, sed diuina etiam nemesi ac dæmone prouidente. Superesse uero ex antiquorũ opinione in anima sensum perturbationẽq; ultricẽ, eamq; aereo uti corpore Platonicus noster Maro testis occurrit. Quid enim sibi uult: Et nunc magna mei sub terras ibit imago? Platonice admodũ imaginem rationalis animæ nominat primam ipsam sentiendi naturam. Sed cur magnam? Quia et fons est sensuum reliquorum communisq; sensus, & magno post hoc corpus utitur corpore, scilicet aereo: quod quidem & huic insinuatum quodammodo fit angustum: hoc exutum, explicatur in amplum, elemẽti id aerei exigẽte natura: Præterea: Omnibus umbra locis adero, dabis improbe pœnas. inter imaginem distinguit & umbram. & imaginem quidem animæ esse uult sensum in aereo corpore. Ipsum uero corpus aereum, esse animæ umbram. Sed terrestre corpus cæcum nominat carcerem. Quod autẽ in iudicijs de homicidio, præsertim de parricidio dicit, de regressione animæ humanæ in corpora rursus humana, in quibus sæpe det pœnas, pares omnino culpis in superiori uita conceptis, uetus magorum Aegyptiorumq; sacerdotum sententia est. Nullum enim conuenientius humanorum delictorum esse purgatoriũ iudicabãt, quàm in corporibus humanis eadem animas quãdoq; pati quæ fecerint. Qua quidem ratione Plotinus Aegyptius in libris de prouidentia utitur ad soluenda dubia aduersus prouidentiam iustitiamq; diuinam quotidie insurgẽtia. Inquit enim, quæ à diuina prouidentia in præsenti uita non rependuntur, in altera & quidẽ humana pari prorsus ratione rependi. Rependi insuper in brutis: in quibus sæpe anima quondam hominis, fiat anima bruti. Sed in ultima hac sententia solus extitisse uidetur. Cæteris enim Platonicis displicet, animam hominis propriã, aliquando fieri bruti propriam. Consentiunt tamen uicissim in homines alios transmigrare. quod quidem etsi Plato non habet certum, habet tamen ualde probabile. Quod uero migret in bestias, sæpe quidem recensет, sed dedita opera adeo præter solitam grauitatem ridicule narrat, ut plane demonstret negandam quidem esse rem ipsam: allegoriam uero quærendam, scilicet ut transire in brutum duobus modis accipias. Primo quidem in affectum, imaginationem, habitumq; bruto conuenientem. Deinde in habitationem consuetudinemq; inter feras ad tẽpus supplicij gratia. consuetudinem namq; affectionemq; brutam, esse pœnam duntaxat antiqui putant: regressum uero in hominẽ, ubi paria & similia subeantur, non solum supplicium esse, sed purgatorium. Post hæc in mentionẽ de legis necessitate incidens opportune, asserit necessariã humano generi esse legem. Nam absq; legibus nihilo ab atrocissimis feris discrepaturum. Huiusq; causam afferens, nullius hominis ingenium ita natura institutum inquit, ut omnia quæ ad publicum bonum necessario cognoscenda sunt, cognoscat sufficienter: ac si fortè nouit, ut optimũ id quod nouit agere, possit semper & uelit. Quod si diuina quadam gratia mens quædam inter homines surgeret, quæ publicũ omnino bonum cognosceret, ad idq; generose ac semper intenderet, nullis uel huic uel patriæ suæ eo tempore legibus opus fore. Mentem namq; ueram ac liberam omni lege præstantiorem esse, atq; ipso iure cunctis dominaturã. At quoniam id nullius ingenio est tributum, concludit necessario sub legibus esse uiuendum. Ait quoq; studiũ quidem proprij boni ciuitatem penitus dissipare: studium uero publici boni connectere. Item pestem in ea ciuitate dominari pernicioſam, ubi iudicium à magistratibus, uel mutuum agitur, uel clamosum. Atq; ubi familiarem dæmonem inquit multis sæpe malis obsistere, si dæmonis horres nomen uel concedente Platone angelum nominato. Ac memento nostrum dæmonem geniumq;, non solum ut quidam putant, nostrum intellectum esse, sed numen. Præcipit mox seniores paterna reuerentia adeo coli, ut etiã ab his uerberatus succensere nõ debeas: sed patiẽter ferre.

Sed

Sed natales quos hic commemorat deos, nõ aſcendentia ſigna, ſignorumq; dominos planetas aſtronomico more debemus accipere: ſed ideam generis humani principium, dæmonemq; noſtræ uitæ cuſtodem. Deniq; monet timẽdam eſſe ſuperorum indignationem, & inferorum punitionem. Monet mortem non eſſe ſupplicium ultimum, ſed ultra hanc eſſe ſupplicia inferorum, eaq; ueriſime omnino narrari.

DIALOGVS NONVS DE LEGIBVS, VEL DE LEGVM LATIONE.



IVDICIA uerò ſi poſt hæc ſuperioribus actionibus conuenientia reddantur, naturalis utique ferendarum legum ordo ſeruabitur. Sed de iudicijs quidem agriculturæ, ſimilibusq; dictum eſt: de maximis uero iudicijs & iudicibus ſigillatim nondum diximus, de his ergo deinceps dicimus. CLIN. Probe. ATHEN. Turpe quodam modo uideri poteſt, leges de huiuſmodi rebus, quales tractabimus, illi ciuitati tribuere, quam dicimus recte ſe omnino ad uirtutis poſſeſſionẽ habituram. Nam cui abſurdum non uideatur, ſi quis in ciuitate inſtituta putet hominem nequiſſimũ ſicut in alijs naſciturũ: adeo ut opus ſit legum minis hunc præuenire, ne talis fiat, neue tale committatur, & commiſſa poſitis legibus puniantur: quaſi poſſint in hac quoq; republica flagitioſiſſimi homines reperiri? Verum quoniam non ut priſci legumlatores agimus, qui quum deorum filij eſſent, heroibus, qui & ipſi è dijs nati dicuntur, leges ferebant: ſed homines hominibus iſta ſancimus, uereri par eſt, ne quis ciuium ita natura indomitus & inexorabilis nobis gignatur, ut quaſi legumina fulminis tactu prædura, igni legum etiam fortiſſimarum decoqui nequeat. Quamobrem ſi quis fortè ſacrilegium committere audeat, legem de hoc feremus, quamuis onerosam nobis atque moleſtam. Enimuero educatum recte ciuem, nec uolumus, nec ualde timemus tam graui morbo laboraturum. Sed ſerui iſtorum forſan & peregrini, peregrinorumque ſerui, huiuſmodi multa aggredientur. Quorum gratia maxime, & quia uniuerſa natura hominum imbecillis eſt, tam de ſacrilegio quàm de illis, quæ aut uix aut nullo modo ſanari poſſunt, leges conſcribam. Sed procœmia primum ſecundum ordinem in ſuperioribus inſtitutum, his omnibus quàm breuiſſime præponenda. Ad eum igitur qui nefaria cupiditate, & die tractus, & nocte excitus templa ut furetur, petit, hæc aliquis inſtructionis & monitionis gratia diceret. O mirabilis uir, non humanum te malum, neque diuinum ad ſacrilegia uertit: ſed exitialis quidam aſylus, à priſcis atque inexpiatis flagitijs innatus hominibus circumagitans, quem cunctis uiribus effugere debes. Quomodo autem effugies, audi. Quum talis oboritur in animo cogitatio, confuge ad expiationes obſecro. Confuge ad liberatorum deorum ſacrificia ſupplex. Confuge ad bonorũ uirorum conſuetudines, ubi partim audias, partim tu quoq; dicas iuſta honeſtaq; ab omnibus eſſe colenda. Malorum uero conſuetudines apprime fugias. Quæ ſi feceris, ceſſaueritq; morbus, bene tecum actum erit. Aliter autem mori ſatius fore arbitratus, deſine uiuere. Cum illis hæc exordia cecinerimus, quorum in animos incidit impia quædam & ciuitati peſtifera cogitatio, quicunque ex his paruerint, eos à lege liberos dimittemus: ſed hominibus procœmio non perſuaſis, ferentes poſt hæc legem, altius intonabimus. Qui deprehenſus in ſacrilegio fuerit, ſi ſeruus peregrinusue erit, in facie ac manibus, calamitate ipſius literis inuſta, uerberatus prout iudicibus uidebitur, nudus extra fines pellatur. Fortè enim ſupplicio continentior factus, euadet denique melior. Nullum quippe ſupplicium lege factum, ad malum tendit. Sed duorum alterum ferè ſemper ſolet efficere. Nam aut melior, aut certe minus prauus, qui pœnas dedit, fieri ſolet. Si uero ciuis quiſpiam aliquid tale in deos, aut in parentes, aut in patriam perpetrare, & ad maximam iniuriam induxiſſe animum deprehendatur: hunc iudex, quia ex puero bene doctus educatusq; à maximo ſcelere non abſtinuit, ſanari non poſſe exiſtimet. Pœna huic mors, malorum minimũ. Vituperatus autem ut exemplo alios iuuet, extra fines perdatur. Filijs uero eius & generi uniuerſo ſi mores paternos fugerint, quia nati ex malo fortiter uirturem ſequuti ſunt, honor exhibeatur & laus. Nullius autem iſtorum pecuniæ in fiſcum redigantur, in republica ea in qua ſortes eaſdem ſemper & æquales permanere oportet. Sed quando quis ea patrauit quæ pecuniarum mulcta luenda ſunt, quod ſupra ſortem poſſidetur, id impen-

ἀγοραῖοι Vide Chiliades

datur,sors integra maneat. Cuius rei exactam ueritatem à descripto censu legum custodes semper iudicibus deferant:nequis unquam propter indigentiam pecuniarum sua sorte priuetur. Quod siquis maiore dignus damno uideatur, nec fideiussione liberalitatecp amicorum liberetur,manifestis diuturnisq; uinculis & cæteris opprobrijs puniatur.Peccatum nullum impunitum sit,neque profugus ullus & impunis abeat:sed aut morte plectatur,aut uinculis,aut uerberibus,aut ignobiliter sedendo standoq; in sacris ad extremitates regionis productus,aut pecunijs,ea ratione quam diximus,mulctatus,pœnas luat. Iudices autem capitalis criminis legum custodes sint:& optimi quique ex eorum numero electi,qui anno proxime præterito functi magistratibus fuerint.Quo autem modo accusationes citationesq; & similia fieri debeant,posteriores legum latores determinent. Suffragiorum autem sententiæ que modum, nostri officij est lege perscribere. Manifeste igitur ista ferantur.Sed ante hæc coram accusante defendentecp quàm proxime seruata ipsorum dignitate iudices sedeant. Vbi ciues qui ocio abundant,omnes adsint, taliaq; iudicia diligenter audiant. In quibus cum prima oratio ab accusatore fuerit habita, defensor alteram dicat. Deinde senior de iudicibus, quæ dicta sunt, omni adhibita diligentia,sufficienter examinet: post eum cæteri omnes considerent, quodcunque ab aduersarijs dictum uel non dictum perquirendum singuli putant:qui autem nihil discussione sua dignum censet,alteri examinationem ipsam relinquat. At tandem in Vestæ sacrario scripta quæ tunc concluſa fuerunt,insertis omnium iudicum signis, deponantur. Postridie rursus eodem in loco congregati,eodem modo examinent,iudicéntque:& signis appositis,omnibus quæ dicta fuerint,deponant. Quumq; hoc similiter tertio fecerint,signis testibusq; sufficienter assumptis,sacrum singuli ferentes suffragium iureiurando per Vestam uere iustéque pro uiribus se iudicaturos affirment: atque ita huic iudicio finem imponant. Post peccata in deos commissa, de his dicatur quæ in reipublicæ perniciem committuntur. Qui principatum ad hominis arbitrium redigit, eiq; leges subigit, atque ita ciuitatem subijcit factionibus,& ui adhibita contra leges seditionibus eam replet: hic uniuersæ ciuitati hostis est maximus omnium iudicandus. Secundus ille hostis est, qui quamuis particeps huius sceleris non sit,tamen quum amplissimis fungatur in ea republica magistratibus, eas coniurationes non animaduertit, & si animaduertit, timiditate quadam patriæ non succurrit. Quare unusquisque uir,qui modo alicuius precij ciuis fore studet,hæc iudicibus referat,eúmque in iudicium trahat,qui patriæ insidiatus ui ad ini quam gubernationem uertere illam conatur.Iudices autem huius sceleris sint, qui & sacrilegij,totúmque iudicium similiter peragatur: & suffragia quæ multitudine uincunt, morte condemnent.Et ut breuiter dicam, peccata patris non luant filij, nisi pater, auus, ac proauus deinceps capitis rei sint.Hos autem cum bonis suis, sorte semper excepta, in antiquam ciuitas patriam mittat.Et de filijs ciuium, quibus plures quàm unus sunt, non pauciores quàm decem annos nati,eos sorte deligant,quos patres,aut aui paterni materni ue nominauerint,nominá que ipsorum Delphos mittant,& qui oraculo Apollinis approbabitur,huic feliciore fortuna sors & domus destituta reddatur. CLIN. Recte id quidem. ATHEN. Communis præterea tertia lex de iudicibus iudicij que modo, aduersus eos qui proditionis accusati sunt.Et de mansione filiorum atque nepotum siue exitu è patria una lex aduersus tres similiter sit,proditorem,sacrilegum,& uiolentum legum ciuilium euersorem. De furto autem,siue magnum quid, seu paruum quis furatus sit,una lex pœnáque similis omnibus sit.Damnatus enim quispiam furti,si ultra sortem bona sua sufficiunt,duplum reddat:aliter uinciatur,donec aut illi persuaserit cui debet, aut reddiderit.Quod si publicum furtum fuerit, tum demum à carcere liberetur, quum ciuitati persuaserit,uel duplum reddiderit. CLIN. Quonam modo dicimus hospes nihil differre siue magnum seu paruum sit furtum,siue à sacro loco,seu non sacro sublatum sit,seu quomodocunque aliter id fiat? Quippe quum multis modis committi furtum possit, sceleris uarietatem dissimilitudinem que conijcere legislator debet, nec similibus pœnis quæ similia non sunt,punire. ATHEN. Opportune ô Clinia impetu currentem me retraxisti,& in memoriam quæ olim quandoque cogitaueram redegisti,ad hunc usq; diem leges nullo modo recte constitutas fuisse,ut nobis præsentia considerantibus succurrit dicere. CLIN.Quomodo rursus id dicimus? ATHEN.Congrua profecto imagine

usi

usi sumus, quando omnes qui hactenus leges recipiunt, seruis illis contulimus, qui ab alijs seruis curarentur. Illud certe ignorare non decet, quod si medicus quispiam eorum qui usu quodam absq; ratione medentur, liberum medicum philosophiæq; studiosum ægrotanti libero colloquentem audiat, dum morbi initia rationibus indagat, & de natura corporum diligentius disserit, ridebit protinus: & aduersus illum ea dicet quæ hac in re plurimis medicorum in promptu semper esse solent. Non mederis, inquiet, ægro tanti ô fatue: sed quasi doctrina non sanitate indigeat, doces. An non recte sic loqui uidebitur? Nonne & nobis merito idem obijciet? quod quicunq; de legibus ut modo nos, disserit, non leges condit, sed ciues erudit? CLIN. Fortasse. ATH. Sed feliciter in præsentia nobis contingit. CLIN. Quidnam? ATH. Quod nihil ad ferendas leges nos urget: sed ipsi sponte hac consideratione suscepta, de omni reipublicæ disciplina, quod optimum atq; necessarium sit, quomodoq; id peragatur, perspicere nitimur. Cum ergo liceat si uolumus quid optimum sit, aut quid maxime necessarium in legibus considerare, utrum nobis uidetur, tractandum in præsentia eligamus. CLIN. Ridicula hæc hospes optio est: manifesteq; nos illis similes facit, qui necessitati ingeniti leges ferre ita in præsentia compelluntur, ut in crastinum licere non uideatur. Nobis autem dei auxilio, quemadmodum illis qui ex lapidibus uel ex alia quauis materia aliquid construunt, licet fusim ea colligere, ex quibus futura commoda operi absq; ulla festinatione deligentur. Quasi ergo ædificatores minime festinantes, alia modo fundemus, alia hinc ad ædificandum sumamus: adeò ut in ferendis legibus, alia quasi modo ponantur, alia uero quasi iam positis apponantur. ATH. Sic utiq; secundum naturam magis ô Clinia compendiaria nobis fiet legum conspectio. Sed illud per deos de legum latoribus consideremus. CLIN. Quidnam? ATH. Multorum scripta sermonesq; in ciuitatibus extant, sunt autem & legislatoris scripta & sermones. CLIN. Quid ni? ATH. Vtrum igitur poetarum cæterorumq; scriptorum operibus de ratione uiuendi compositis animum applicabimus: legum uero latorum, nequaquam? an his maxime omnium? CLIN. Istis omnino. ATH. Legislatorem ergo scribentium solum oportet de honesto, bono, iustoq; consulere, doce req; qualia hæc sint, & quomodo his agenda, qui felices futuri sunt. Turpe enim est, cum Homerus, Tyrtæus, cæteriq; poetæ probe de uita studijsq; hominum scripserint: turpe inquam Lycurgo atq; Soloni, cæterisq; legum latoribs minus id facere. Rectum igitur præ cæteris omnibus scriptis leges mirifice præ se ferre debent: cæterorum uero scripta probari, si legibus consentanea sunt: sin dissona, derideri. Sic igitur leges ciuitatibus conscribantur, ut patris matrisq; personam lator legum penitus gerat: scriptaq; charitatis prudentiæq; uirtutem habeant potius, quàm domini tyranniq; imperium minitantis tantum & describentis, rationem uero nullam penitus assignantis. Consideremus igitur an hac uia nobis progrediendum sit, siue possimus, siue non. Sed accingamur iam: & pro uiribus hac uia procedentes, etiam si pati quicquam necesse sit, toleremus. quod utinam felix sit: eritq; profecto, si deus uoluerit. CLIN. Recte locutus es: quare sic faciamus. ATH. Considerandum est ergo primum, ut cœpimus, diligenter de sacrilegio, de furto, de cæteris omnibus iniurijs, nec grauiter ferendum, si in ea ipsa legum descriptione, aliam iam posuimus, de alijs disceptamus. Non enim legum latores iam sumus, sed efficimur modo, & cito fortasis erimus. Verum si de his quæ proposui, ita ut dixi, differendum uidetur, edisseramus. CLIN. Sic omnino. ATH. De honestis igitur iustisq; rebus omnibus, inspicere id conemur, quo nos, qui cæteros si non possumus, certe cupimus præcellere, nobis ipsis conuenimus, & quo discrepamus, quo item alij à seipsis. CLIN. Quas quæso inter nos differentias dicis? ATH. Conabor exponere. De iustitia. omnino iustisq; hominibus & rebus & actionibus omnes quodammodo consentimus: quod uidelicet omnia hæc honesta pulchraq; sint: ita ut siquis iustos homines etiam si corpore deformes sint, secundum ipsum iustitiæ habitum pulcherrimos asserat, nemo sit iudicium illius reprobaturus. CLIN. Nemo ferè qui loquatur perperam loqui uidebitur. ATH. Recte igitur. CLIN. Fortè. ATH. Sed uideamus age, si omnia quæ iuste fiunt honesta pulchraq; sunt. Omnium uero passiones nobis sunt fermè actionibus similes CLIN. Quid hoc? ATHEN. Actio utiq; quæcunq; iusta est, quatenus iustitiæ, eatenus & honesti est particeps. CLIN. Cur non? ATHEN. Quare passio quoq; iusta, si æqui

honesti atq; iustitiæ particeps esse dicatur, haud dissona nobis erit oratio. CLIN. Vera loqueris. ATHEN. Si autem passionem aliquam iustam quidem esse affirmabimus, honestam uero negabimus, iustum & honestum inter se dissonabunt. Iusta enim turpissima esse dicentur. CLIN. Quomodo id dixisti? ATH. Nihil difficile cognitu. leges enim quæ prius nobis positæ sunt, contraria penitus præcipere his uerbis uidebuntur. CLIN. Quo pacto? ATH. Sacrilegum censebamus iuste moriturum, legum quoque bene positarum hostem similiter. Cumq; multas huiusmodi leges scripturi essemus, retraximus nos considerantes has passiones tam multitudine quàm magnitudine infinitas esse: iustissimas quidem omnium passionum, sed turpissimas quoq; omnium. Nónne sic honesta iustaq; modo quasi eadem, modo quasi contraria, uidebuntur? CLIN. Ita uidetur. ATH. Multi igitur dissone sic honesta iustaq; quasi discrepantia, nuncupant. CLIN. Ita prorsus appareret. ATHEN. Sed rursus uideamus ô Clinia, quomodo nos de his consentimus. CLIN. Quem dicis consensum? ATH. In superioribus manifeste mihi dictum arbitror. CLIN. Quo pacto? ATHEN. Quod si supra dictum non est, nunc saltem me dicere existimate. CLIN. Quidnam? ATH. Malos omnes omnino non sponte malos esse. quod si ita est, illud quoq; sequi necesse est. CLIN. Quid? ATHEN. Iniustum esse malum, & malum non sponte huiusmodi esse. non sponte uero fieri, quod uoluntarium est, nulla unquam ratione potest. Qui igitur iustitiam inuoluntariam putat, iniuste agentem hominem iniuste agere non sponte putabit. Mihi quoq; mecum modo conueniendum est, cum omnes non sponte iniuriari fatear: quamuis possit quispiam ambitionis comtentionis'ue causa illud nobis obijcere: iniustos quidem non sponte iniustos esse, multos tamen illorum spõte iniuriari. Mea quippe sententia non hæc, sed illa est. Quomodo ergo uerbis meis ipse conueniam, si me ita ô Clinia & Megille interrogabitis? Si ita hęc se habent hospes, quid nobis de Magnesiensium ciuitate consulis? Dare ne leges ipsis, an non? Ego uero dare leges consulam. Tum uos ita. Distingues igitur ipsis sponte, atq; item non sponte factas iniurias: & illarum maiores, harum uero minores mulctas conscribes? An omnium pares, cum nullæ penitus iniuriæ sponte fiant? CLIN. Recte tu hospes. Sed his quæ modo dicta sunt, ad quid utemur? ATH. Probe interrogasti. Vtemur enim in primis ad illud. CLIN. Ad quidnam? ATH. Memoria repetamus probe in superioribus nos dixisse, multam magnamq; de re iusta turbationem inter nos esse atq; dissensionem. Quod resumentes, nos ipsos interrogemus, deceat'ne cum differentiam horum nequaquam declarauerimus: quæ in qualibet ciuitate ab omnibus priscis legumlatoribus quasi duæ iniuriarum species positæ sunt, sponte scilicet & non sponte factæ, atq; ita uarie puniuntur: opinionem hanc nostram quasi diuinitus dicta sit, in medium inducere: nec eam ulla ratione quomodo recte se habeat cõfirmare? Minime uero sic decet. Verum necesse est antequam leges ponamus, quemadmodum hæc duo sint, & quam differentiam habeant, significare: ut quando supplicium utriq; imponimus, quisq; intelligat, iudicareq; ualeat quodammodo, conuenienter'ne an contrà impositum fuerit. CLIN. Recte nobis loqui uideris hospes. Oportet enim alterum de duobus nos facere: uel non dicere, nullas iniurias sponte fieri: uel antequam ad alia pergamus, quomodo recte dicatur, exponere. ATH. Horũ ego alterum minime patiar, ut uidelicet quod ita esse existimo, negem. Nec officij mei id esset, neq; pium. Quomodo autem hæc, si in eo quod est sponte fieri, & non sponte, minime differant, duo sint, & quo alio differant, quodammodo aperire conemur? CLIN. Non aliter certe hospes ista nos intelligere possumus. ATHEN. Ita fiet. Age igitur, nónne multa inter ciues in commutatione consuetudineq; damna & incommoda fiunt, in quibus uoluntarium & inuoluntarium abundare uidentur? CLIN. Quid ni? ATHEN. Nemo uero non incommoda nocumentaq; iniurias putet, duplicem quoq; in ipsis esse iniuriam arbitretur, non sponte alteram, alteram sponte commissam. Damna enim omnium non sponte facta, nec numero, nec magnitudine, minora illis sunt, quæ sponte fiunt. Sed considerate quæso utrum deinceps ueri aliquid afferam: an penitus nihil. Num enim ô Clinia & Megille, si quis cuiquam nocet nolens, dicam iniuriari nolentem? aut propterea quasi iniuriam non sponte factam in legibus istud ponam, immo nullam id damnum iniuriã dicam, siue maius siue minus sit. Sæpe etiam eum, qui utilitatem minus recte contulit, iniuriari dicimus, si hæc minime superat. Nam fermè ô amici,

nec

nec ſiquis conferat, nec ſi contrà quicquam auferat, par eſt ut iuſtus aut iniuſtus ita ſimpliciter appelletur. Non igitur id, ſed ſi probis moribus iuſtoq; modo proſit alicui, uel obſit, an contrà, hoc eſt legumlatori conſiderandum: & ad hæc duo illi reſpiciendum, ad iniuriam dico & nocumentum: ita ut ad indemnem integrumq; ſtatum pro uiribus queq; pærducat, amiſſum reſtituatur, quod decidit, rurſus conſurgat, occiſum uulneratumq; reparetur: ſemperq; conandum ut diſcordiæ nocumentis ſuſcitatæ, per leges in amicitiam redigantur. CLIN. Probe iſta dicuntur. ATH. Iniuſta itaq; damna emolumentaq;, ſi quid forte ex iniuria ſequatur lucri, quaſi morbos animi, ſi ſanabilia ſunt curare oportet. Cura uero iniuſtitiæ illuc feratur. CLIN. Quonam. ATHEN. Vt quiſquis iniurias ſeu magnas ſiue paruas commiſit, per doctrinam corrigatur à lege, cogaturq; omnino, ut uel nunquam amplius tale quid audeat ſponte committere, uel rarius admodum, pœnæ impoſitione deterritus. Profecto legum optimarum officium eſſe dicimus, ita animos hominum inſtituere, ut oderint iniuſtitiam: iuſti uero naturam uel diligant, uel ſaltem non oderint: ſiue operibus ſeu uerbis legislator id aſſequatur, ſeu uoluptate ſiue dolore, uel honore uel infamia, aut pecunia mulctando aut donis, aut alio quouis modo id faciat. Quos uero inſanabiles legislator eſſe ſenſerit, ultimo ſupplicio hos afficiet, nõ ignorans ſatius fore his qui inſanabiles ſunt, mori quàm uiuere, ac ſi uita priuantur, dupliciter prodeſſe cæteris. Nam horum exemplo à peccato cæteri deterrentur, & improbis hominibus ciuitas ipſa mundatur. Hac de cauſa inſanabiles homines morte legis conditor plectet, alia miniме. CLIN. Moderate admodum hæc abs te dicta uidentur. ſed iterum iniuriæ damniq; differentiam, & quomodo ſponte fiant, clarius te dicentem libenter audiremus. ATH. Et facere conabor, & dicere, ut iubetis. Conſtat ſanè, quod de anima inter uos diſſerentes hoc ſæpe dicitis, & auditis, unum in ea affectum ſiue partem natura ineſſe, quam iracundiã dicimus, contentioſam atq; difficilem, quæ inconſiderata ui multa euertit. CLIN. Proculdubio. ATH. Voluptatem autem non eandem cum ira dicimus, ſed ex contraria potentia dominantem: quæ perſuaſione ſimul & uiolenta quadam deceptione compellit, ut quicquid ipſa uelit, hoc peragas. CLIN. Et maxime quidem. ATH. Tertiam delinquendi cauſam quiſquis ignorantiam poſuerit, non errabit. Sed qui hanc bipertito diſtinxerit, legumlator melior erit: alteram quippe ſimplicem is ponet, alteram duplicem. & ſimplicem quidem leuium peccatorum cauſam arbitrabitur: duplicem uero uocabit, quando non ignoratione ſolum quiſpiam detinetur, ſed etiam ſapientiæ opinione inflatus, quæ omnino ignoret, ea ſcire ſe prorſus exiſtimat. Hanc ſi uires roburq; conſecuta fuerit, ingentium turpiſsimorumq; ſcelerum cauſam eſſe cenſebit: ſinautem imbecillitate prematur, peccata & puerorum & ſeniorum inde profecta, peccata quidem eſſe putabit, & illis tanquam peccantibus leges præſcribet, ſed mitiſsimas omnium, plurimaq; uenia & indulgentia plenas. CLIN. æquum id eſt. ATHEN. De uoluptate atq; ira conſentimus fermè omnes, alios quidem homines illas uincere, alios uinci. Atq; ita eſt omnino. CLIN. Ita prorſus. ATHEN. Ignorantiam uero alios ſuperare, & ab aliis ſuperari, nunquam audiuimus. CLIN. Vera narras. ATHEN. Singula hæc ad ſe rapere hominem dicimus, ſæpe ſimul ad contraria tractum. CLIN. Immo ſæpiſsime. ATHEN. Nunc iam tibi quid iuſtum, quid ue iniuſtum dico, clare abſq; ulla ambiguitate exponam. Iræ nanq; atq; timoris, uoluptatis & doloris, inuidiæq; cupiditatis tyrannidem in animo, ſiue noceat, ſiue non, omnino iniuſtitiam nomino. Sed opinionem optimi, qua uidelicet ratione ciuitas, uel priuati aliqui putabunt, ſi animo dominata omnem uirum exornet etiam ſiquid minus recte illi ſucceſſerit, iuſtitiam nomino: & quicquid inde geſtum eſt, iuſtum appello: atq; eos qui huiuſmodi principatui libenter parent, optime uiuere duco. Illiuſmodi uero damnum iniuriam non ſponte commiſſam plurimi opinantur. Nos autem de uocabulis non contendimus. Verum quoniam tres peccatorum ſpecies dictæ ſunt, memoria hæ primo diligentius repetendæ. Doloris quidem quem iram timoremq; uocamus, unam ſpeciem arbitramur. CLIN. Prorſus. ATHEN. Voluptatis rurſus cupiditatumq; alteram. Spei autem ac de optimo ueræ opinionis appetitionem deſideriumq;, ſpeciem tertiam. Quibus rurſus bipertito diuiſis, ſpecies quinq; conficiuntur: quibus leges inter ſe differentes ſpeciebus quinq; in duobus generibus ſunt ponendæ. CLIN. Quæ ſunt iſta genera? ATHEN. Alterum quod ui & aperte com-

mittitur: alterum quod clam & cum deceptione in tenebris. At non nunquam utroq; agi tur. Quod si iure tractabitur, asperrimis legibus coercebitur. CLIN. Aequum est. ATH. Sed redeamus illuc iam, unde huc digressi sumus: terminandisq; legibus incumbamus. Erat autem nobis propositum de sacrilegis, de proditoribus, de his qui mutando rempub. leges corrumpunt. Horum aliquid quis forte committet, propter insaniam, uel morbo, uel senio pressus, uel in ætate puerili constitutus, ita ut ab istis nihilo differat. Ac si tale quippiam electis iudicibus fecisse declarabitur, ipsoq; aut defensionem referente sic affectus iudicabitur commisisse, damnum quod intulit simplex omnino restituat: cæte-
Vi nō spon- ra sibi remittantur, nisi homine interfecto, mundus adhuc à cæde non sit. Sic enim alio
te profectus, annum peregrinetur. Et si prius quàm constitutum à lege tempus præterierit reuersus fuerit, aut etiam intra fines deprehendatur, in publico carcere biennio à legum custodibus detineatur: posthac liber à uinculis esto. Sed ut incepimus, de unaquaq; specie cædis leges absolutius conscribamus. Et primo quidem de ui & non sponte factis dicamus. Si quis in certamine publicisq; gymnasiis non sponte, siue confestim, siue postea ex uulneribus secuta mors sit, amicum hominem interfecerit, uel in bello similiter, uel in exercitatione bellica magistratibus instituta, siue nudis corporibus, seu ad imitationem ueri belli armatis, secundum legem à Delphico Apolline latam mundus sit. Omnes autem medici qui curantes non sponte occiderint, mundi sint. Quod si manu sua quispiam non sponte, siue nudo corpore, siue instrumento, uelo, uel cibo potu'ue, ignis frigoris'ue & fluctus adiectione, aut priuatione spiritus, siue id suo corpore, siue per alia quædam faciat, aliquem interfecerit, omnino ut manu propria interfector existimetur: atq; ita ut dicam plectatur. Si alienum seruum interemerit, suumq; putauerit: domino damnum restituat uel duplum precij reddat. Quanti uero precij fuerit seruus à iudicibus statuatur. Purgationibus uero pluribus maioribusq; utatur quàm qui certando aliquem interfecerunt. Quarum idonei sunt interpretes, hi quos dei comprobauit oraculum. Sin uero seruum suum, purgatus secundum legem, sit absolutus. At si liberum quis non sponte hominem interfecerit, ijsdem purgationibus utatur, quibus qui seruum peremit. Et priscum mysterium non contemnat. Fertur enim interfectum ui hominem qui libere uixit, interfectori proximo statim post mortem tempore irasci, ac propter uiolentam mortem, terrore turbationeq; plenum, maxime si uiderit interfectorem inter suos more solito uiuere, interfectorem ipsum eiusq; actiones, uim ad hoc suppeditante memoria, cunctis uiribus terrere, atq; turbare. Quare opus est ut homicida interfecti hominis gratia anno integro exul à patria, omniq; ea regione procul uitam ducat. Sin uero qui interijt peregrinus fuerit, à patria quoq; peregrini annuo tempore homicida pellatur. Huic legi si obtemperauerit, genere proximus interempto, qui utrum paruerit attendet, illi ueniam præstet, qui etiam pace ipsi reconciliatus & æquus omnino erit. Sin uero non obediuerit, sed cum immundus sit templa deorum petere sacrificareq; audeat, uel statuto tempore uniuerso non peregrinabitur, genere proximus interempto id iudicibus deferat, eumq; de cæde accuset, & dupla omnia sumat ab eo supplicia. Quod si proximus ille neglexerit, quasi scelere in ipsum reuoluto, ipso uidelicet interempto passionem in illum conuertente, à quolibet uolente accusetur, & quinq; annos patria carere cogatur. Si peregrinus non sponte peregrinum in ciuitate occiderit, eadem lege à uolente quocunq; id iudicibus deferatur, & similiter iudicetur. Sin uero incola id fecerit, anno exulet uno. Quod si peregrinus omnino peregrinum, siue incolam siue ciuem necauerit, ultra purgationem tota etiam à regione in qua leges huiusmodi dominantur, per omnem exulet uitam. Ac si contra leges redierit, morte à legum custodibus puniatur: & bona si qua possideat, proximo interfecti tradantur. Quod si non sponte quispiam in eam regionem delatus fuerit: tempestatis quidem ui & fluctu maris depulsus, nauigandi oportunitatem pedibus mare tangens expectet: ui autem per terram ab aliquibus adductus, à magistratu cui primo res delata fuerit, soluendus est, & intactus in exilium retrudendus. Si quis uero manu sua liberum hominē ira concitus interfecerit, bipertito iram primo oportet distinguere. per irā enim facit & qui subito absq; uoluntate interimendi uerberibus, uel quouis modo interfecit, ita ut confestim post impetum pœnitentia sequatur: & qui contumelia uel iniuria lacessiti, ideoq; in uindictæ cupiditate perseuerantes, postea uo-

lentes

lentes interfecerũt:nec pœnitet ea feciſſe.Duplicem igitur cædem ponere placet,utrãq; ira factam.Quas inter uoluntarias & inuoluntarias actiones medias iure poſuerim.Neutra enim uoluntaria reuera uel inuoluntaria eſt, ſed altera alterius eſt imago. Nam ille quidem qui iram ſeruat, nec repente, ſed cum inſidijs ſe poſtea uindicat, homicidæ uoluntarij eſt perſimilis : & qui non ſeruat ſed primo iræ impetu fertur, & abſq; præmeditatione interficit,inuoluntarij homicidæ ſimilis iudicatur.Non tamen omnino inuoluntarius eſt, ſed inuoluntarij habere ſimilitudinem dicitur. Quocirca per iram cõmiſſæ cædes,difficile determinantur:utrum uoluntariæ an contrà,ponendę ſint.Optima igitur & ueriſsima ſententia eſt,utraſq; imagines appellare, easq; ſeorſum ita diſtinguere, ut altera conſulto, altera inconſulto committi dicatur. Maiora uero ſupplicia illis decet imponere qui conſulto per iram interfecerunt. Illis contrà, qui repente & inconſulto, leuiora. Nempe quod grauiori malo ſimile,aſperius:quod uero leuiori,mitius puniendũ. Ita certe noſtris legibus agendum eſt. CLIN. Ita prorſus. ATHEN. Sed de ira iterum repetẽtes ita dicamus.Si quis manu propria liberũ hominẽ ira concitus incõſulto occiderit,cætera quidẽ eadẽ patiatur mala quæ & homicidæ,qui non per iram occiderit, debent: ſed duobus omnino ad iram ſuam coercendam exulet annis. Qui uero per iram quidẽ ſed ex inſidijs liberum quenq; occiderit:cętera ſimiliter ac primus cogatur facere.Non autem biennium tantũ ut ille,ſed triẽnium exulet,ut ira eius diuturnior diutius puniatur. Vniuerſalis autem iſtorum hæc diſpoſitio ſit.Nempe difficile eſt, ſigillatim exacteq; de his leges ponere.Aliquando enim quæ truculentior cædes lege ſtatuta eſt,leuior uidetur:nõ nunquam contrà,quæ leuior, truculentior, prout atrocius, aut mitius geſta eſt. Vt plurimum uero,quẽadmodũ modo diximus, iſta cõtingunt. Sed hæc omnia legũ cuſtodes cognoſcent. Cum uero reſtituendorum exulum tempus aduenerit, XII ad fines regionis mittant, qui diligenter conſideratis omnibus per id tempus exulum actionibus, pudoris eorum receptionisq; iudices fiant.Illi uero horum magiſtratuũ iudicio acquieſcãt.Quòd ſi poſt reſtitutionem alteruter horũ ira cõmotus ſimiliter peccauerit,perpetuo exulet, & ſi rurſus redierit,non aliter q̃ peregrinus rediens puniatur. Siquis ita ſeruum ſuum necauerit, purgetur.ſi alienum,damnũ domino in duplo reſtituat. Siquis homicida legibus non paruerit,ſed nondum purgatus,forum, gymnaſia, cæteraq; ſacra ingreſſu ſuo contamina uerit,quicunq; uelit tam iſtum quàm interfecti cognatũ hæc negligentẽ,in iudicium uocet,& in duplo tum pecuniam tum cætera perſoluere cogat: quodq; ſolutũ eſt, ipſe ſecundum legem accipiat.Si ſeruus ira concitus dominum ſuum interimat,occiſi hominis cognati quomodo uelint ipſum interficiant,mundiq; à crimine ſint,dummodo uiuum non conſeruauerint.Sin uero ſeruus non dominum ſuum ſed alium liberum per iram necarit, à domino ſuo,interfecti cognatis tradatur: qui utcunq; uelint, omnino ipſum interimãt. Si pater aut mater(accidit enim quamuis raro)per iram uerberibus ſeu quouis modo filium uel filiam interficiat, perinde ac cæteri homicidę purgetur : & triennium exulet. Ac poſt ipſam reſtitutionem maritus ab uxore, uxorq; à marito ſeparentur. Nec ſimul amplius liberis procreandis operam dent : neutergq; horum ſimul cum eo habitet, cuius filium uel fratrẽ occidit, nec unà cum eo ſacris communicet. Et qui impietate animi his legibus non paruerit, ut impietatis reus à uolente quolibet accuſetur. Si uir uxorẽ,aut uxor uirum per iram necauerit,purgetur ſimiliter,& trienniũ integrum exulet. cumq; redierit,nec ſacris cum liberis ſuis communicet,nec una menſa utatur. Quod ſi non ſeruet genitor aut filius,impietatis reus à uolente quolibet accuſetur. Frater uero ſi fratrem aut ſororẽ, & ſoror ſi ſororem,uel fratrem ira occiderit,non aliter quàm parentes qui liberos interfecerũt & purgetur & exulet:nec poſt reditũ ſacris & menſa cum illis cõmunicet, quos fratribus aut ſororibus filijs'ue priuauit. Qui legem hanc tranſgredietur, iure ut impius cõdemnabitur. At uero cum quis adeò uictus ab ira fuerit,ut inſano iracundiæ furore parentem interemerit,ſi parens antequam mortem obiret,ſponte interfectorẽ ſuum à cęde liberauit, ſicut qui ſponte cædem commiſerunt purgatus,cæterisq; ſimiliter factis, mundus ſit : ſin uero non liberauit.multis legibus reus ſit,qui necauit.Nam ultimis ſupplicijs,cædis,impietatis, ſacrilegij ſubiectus erit: quia ſacrilegio genitoris animã abſtulit. Quare ſi poſſibile eſſet ſæpius aliquẽ mori,iuſtiſſimum eſſet ſæpius patricidã interfici. Nam cui ne prodefenſione quidẽ ſua ſi à parentibus interficiat lege ulla conceditur ut parentes à quibus

Ira uel incõſulto, uel conſulto

in lucem æditus est interimat, sed omnia potius sustinere præcipitur, quàm quicquam huiusmodi facere: quomodo aliter iuste punire hunc oportebit? Lege igitur ira concitato ad patricidium mors sanciatur. Si orta seditione uel quouis modo frater fatrem in se impetum facientem pro defensione sua interimat, quasi hoste perempto purus sit. Quinetiam si ciuis ciuem, aut peregrinus peregrinum, uel peregrinum ciuis, uel econuerso, defendendo se, interfecerit, similiter mundus sit. Eodem modo, si seruus seruũ. Sin uero seruus liberũ se defendens interimat, ijsdem legibus quibus & parricida sit subiectus. Quod uero de liberatione à cæde parentis diximus, idem quoque de liberatione omnium dictum intelligatur. Siquis ergo aliorum omnium alicui sponte dimiserit, quasi non sponte cæde commissa purgetur qui interfecit, & annum exulet unum. Sed uiolenta iam & inuoluntaria ac per iram commissa de cæde mediocriter exposita sunt. Quæ uero sponte in his secundum omnem iniustitiã ex insidijs propter uoluptatum cupiditatumq; inuidięq; tyrannidem committuntur, deinceps dicamus. CLIN. Recte dicis. ATHEN. Primum igitur quot uolũtariæ cædis causæ sint, pro uiribus declaremus. Maxima uero huius causa est: cupiditas animæ libidinibus exagitatæ dominans: quæ in eo ardore consistit maxime qui multorum animos uehementer inflammat. hæc sane ea uis est, quæ propter naturam & ignorantiam diuitiarum inexplebilem gignit auiditatem. Ignorantiæ uero causa est, quòd non recte laudantur diuitiæ. Quippe tam Græci quàm Barbari, diuitias cum tertium bonorum teneant locum, in primo ponunt: atq; hac sententia seipsos simul & posteros perdunt. Optime sanè & pulcherrime uiueremus, si uera de diuitijs sentẽtia ubiq; prædicaretur. ea est, quod diuitiæ corporis gratia sint: corpus autem animi gratia. Quare cum bona ea sint, quorũ gratia possidendæ diuitiæ sunt, tertium gradum post uirtutẽ animi corporisq; tenebunt. Hæc ergo ratio nos tanq; magistra docebit, non oportere hominem qui felix sit futurus, diuitias quomodocunq;, sed cum iustitia & tẽperantia quærere. Sic enim cædes cædibus puniendæ in ciuitatibus nullæ cõmitterentur. Nunc uero quemadmodum in huius disputationis principio diximus, unũ hoc est, & maximũ, quod uoluntariæ cædis maxima supplicia facit. Alterũ est, ambitiosi animi habitus: unde inuidiæ nascuntur, primum quidem ipsi inuido truculentæ, deinde etiam optimatibus ciuitatis. Tertium locũ ingentes iniustæq; formidines possident: quæ cædes multas pariunt, quando ea sunt alicui gesta, uel ad præsens geruntur, quorũ neminẽ uellet esse consciũ. Quare illos qui talia indicaturi uideant, si non aliter potest, morte è medio tollit. Ad hęc omnia, procœmia sint quæ diximus: ac præterea sermo quẽ multi ex his qui sacris studentsolennitatibus, & audiunt & credunt, q homicidæ apud inferos puniũtur: & rursus huc reuersi, pœnas necessario secundũ naturam debitas pendunt. Quippe quæ alijs fecerunt, ab alijs quoq; perpeti simili sorte in hac uita coguntur. Illi igitur qui persuasus fuerit, quod huiusmodi procœmio monitus talia supplicia extimuerit, nullã ad hæc opus est legem ponere: sed homini cõtrà affecto, lex ista scribatur. Qui consulto ciuem suũ manu propria per iniuriam interfecerit, primũ à tẽplis, à foro, à portibus, & ab omni cœtu cõmuni, ne præsentia sua hæc maculet, procul absit, siue quis adesse interdixerit, siue nullus. Lex enim ipsa interdicit atq; ita id uetat, ut pro uniuersa ciuitate interdicere semper, & interdictura esse uideatur. Deinde qui eũ nõ persequitur ut decet, nec ab his arcet, de cognatione interfecti usq; ad patrueles & cõsobrinos, primũ scelus deorũq; odia in ipsum uertant, sicut uulgo legis imprecatio & maledictio dictat: deinde reus sit cuiq;, interfectũ ulcisci uolenti. Qui aũt persequi uolet, cum omnia fecerit, quæ uel de luendi criminis obseruatiõe uel de alijs quibuscunq; facienda deus instituit, & quæ prædicenda sunt prædixerit, pergat, homicidamq; secũdum legem dare pœnas cõpellat. Hæc aũt faciẽda esse, precibus sacrificijsq; deorũ, quibus ne cædes in urbibus fiãt, curæ est, facile legislator suadere potest. Sed qui dij sint isti, & quomodo secundum dei mentem maxime hæc iudicia peragantur, legũ custodes cum interpretibus aruspicibusq; & deo declarent, atq; ita iudicia pœnasq; disponant. Iudices uero harum rerũ illi sint, quibus sacrilegij puniendi data est auctoritas. Qui aũt cõdemnatus fuerit, morte pœnas luat. & quoniã non impie solum, sed imprudenter quoq; peccauit, in regione interfecti sepeliri non debet. Quod si fugerit, neq; iudicium sustinuerit, perpetuo exulet. Et si unquam citra fines fuerit deprehensus, qui primus illi obuius erit cognatorum interfecti uel ciuium, impune interimat: aut uinctum magistra-

Quæ à uolẽtibus & scientibus

tibus

tibus tradat huius rei iudicibus occidendum. Quod si quis hunc defensurus accesserit, pro eo fide iubeat quem tutatur, triscp is fideiussores quos iudices ipsi sufficientes putauerint, afferat: qui iudicio illum se sistere promittant. Id siquis facere noluerit uel non potuerit, uinctus à magistratibus, iudicio reseruetur. Verum siquis non propria manu, sed uoluntate, consilio, insidijscp hominem interfecerit, & cum causa cædis sit animocp impurus, in ciuitate habitet: condemnatus similiter puniatur: præterquam quod fideiussores non præbebit, & condemnatus propria non carebit sepultura. Cætera huic quemadmodum de superiore diximus fiant. Hæc eadem peregrinis aduersus peregrinos, ciuibuscp ac peregrinis uicissim & seruis aduersus seruos, de cæde propria manu facta, & de illa quæ consilio insidijscp cõmissa est, statuta sint: nisi quòd fideiussionem præbere istos, quemadmodum illos qui propria manu interfecere, censemus. Si seruus liberum sponte siue manu sua siue consilio interemit, condemnatuscp fuit, trahatur à publico lictore ac uindice ad interfecti monumentum, uel unde illud cernere queat, uerberatuscp prout iubet qui iudicio eum conuicit, si ita cæsus adhuc uiuat, ad necem uscp cædatur. Siquis seruum nihil iniuriãtem timens ne turpe quid à se factum indicet, uel alia huiuscemodi causa inductus morti tradiderit: quasi ciuem necauerit sic puniatur. Accidunt quandoque nonnulla de quibus leges ponere graue est atcp molestum: & non ponere impossibile. Huiusmodi sunt cognatorum uoluntariæ & iniustæ cædes, siue manu propria siue consilio insidijscp illatæ, quæ in ciuitatibus male gubernatis plurimum cõmittuntur: sed nonnunquam etiam ubi non credideris, fiunt. Ad hæc scelera deuitanda, oratio superior repetatur. Fortè nancp his auditis à sceleratissima cæde sponte aliquis abstinebit. Fabula enim uel sermo, uel quouis alio nomine appellanda oratio, manifeste à priscis sacerdotibus dicta est, iustitiam speculatricem omnium atcp uindicem, ad cognatum sanguinem ulciscendum, lege quam modo diximus, uti. Nempe illam constituisse, ut quisquis aliquid huiusmodi perpetrauit, idem necessario patiatur. Vt si quis patrem morti tradidit, ipse postea certis temporibus uiolenter à filijs occidatur. sin uero matrem peremit, ipse postea particeps naturæ muliebris effectus necessario tandem à filijs suis interimatur. Communi enim sanguine maculato, non esse aliam purgationem, nec posse aliter abstergi maculam: nisi eędem cæde simili similem anima scelerata lustrauerit, totiuscp cognationis iram sedauerit. Ab his ergo sceleribus coercere homines oportet, suppliciorum eiusmodi quæ à dijs inferuntur, metu. Si qui uero in tam miseram calamitatem inciderint, ut patrem uel matrem, fratrem, uel filium sponte atcp consulto uita priuare audeant: mortalis legumlator sic de huiusmodi scelere sanciet: ut & arceant̃ à publicis sacriscp locis, ut supra dictũ est, & uades similiter requirantur. Et qui cædis huiusmodi condemnatus fuerit, tam à iudicũ ministris cp à magistratib. occidat̃, trahaturcp extra urbem in statutũ triuium nudus, ubi singuli magistratus pro uniuersa ciuitate in mortui caput lapidẽ mittãt, atcp ita ciuitatem omnẽ purificent. Demum ultra regionis fines portatũ, secundũ leges insepultum ejiciant. Sed quid de illo iudicandum, qui proximum atcp amicissimũ cæde perdiderit? qui dico seipsum uita & sorte fatorum, ui scelerata priuauerit: nõ iudicio ciuitatis, nec tristi & ineuitabili fortunæ casu coactus, neque pudore aliquo extremo compulsus: sed ignauia & formidolosi animi imbecillitate, iniuste sibi mortem conscíuerit? Quæ purgationes, & quæ sepultura huic lege conueniat, deus ipse nouit: proximi tamẽ huic genere ab interpretibus legibuscp harum rerum hæc exquirant: & quẽadmodum ab his statutum fuerit, ita faciant. Sepultura igit̃ istis solitaria fiat, ubi alius nemo condatur. deinde in his locis sepelian̄ quę de duodecim regionis partibus ultima, deserta, innominatacp sunt: sic obscuri, ut nec statua, nec inscripto nomine sepulchra notentur. Si iumentũ aut aliud animal hominẽ interficiat, nisi publico in certamine id fecerit, interfecti hominis propinqui id iudicibus deferãt. Et agrorũ curatores illi quibus quotcp propinquus ipse mandauit, iudicent, & damnatum iumentũ extra regionis fines interficiant. Quod siquid inanime præter fulmen aut aliud telum diuinitus missum, anima hominẽ cadentem ipsum, aut ipsum cædens priuauerit: genere propinquus interfecto, proximum in uicinia ad hoc cõstituat iudicem. atcp hæc & cætera prout erga mortuum ipsum conuenit, pro suijpsius & cognationis totius expiatione perficiat. Quod uero damnatum fuerit, ut de animalib. dictum est, exterminet̃. Si quispiam uita priuatus reperiatur, & ignotus homicida sit, nec diligenter

Interfecto res sui ipsorum

diligenter quærentibus inueniatur, prædictiones ut in alijs fiant: & in foro publice præ-
Quos impune est occidere conio prædicetur, ut qui hunc uel hunc necauit, quia cædis reus sit sacra loca non ingrediatur, & uniuersam deserat regionem: nam si deprehensus fuerit occidetur, atque extra regionis fines insepultus eijcietur. Vna ergo lex ista nobis præcipua de cæde, sancita sit. Ac de his satis. Nunc dicamus, in quibus recte mundus est, qui occidit. Qui noctu furem domum suam ingressum interemit, mundus sit. Et qui spoliatorem in defensionem suam, similiter. Et qui mulierem liberam aut puerum ad rem ueneream ui subegit, impune non ab eo solum, cui uis est illata, uerumetiã à patre, fratribus, filijsq; uita priuetur. Maritusq; si uim uxori inferentem perimat, lege mundus sit. Ac siquis etiam patri haudquaquam per scelus cædem patranti, aut matri, aut filijs, fratribus ue, aut coniugi opem ferens quempiam interfecerit, mundus sit. Hactenus de uiuentis animæ educatione & disciplina, qua si prædita est, uiuendum illi sit, sin contrà, non sit uiuendum, leges cõscripsimus. Præterea de cædibus uolentis, quõ puniendæ sint. Ac etiam de nutritione disciplinaq; corporũ satis in superioribus dictũ fuit. Deinceps quæ uiolentæ sunt actiones & uoluntariæ, & inuoluntariæ, quæ & quot sint, & quibus supplicijs cõmode reprimẽdæ, prouiribus determinetur. Recte enim hæc post illa tractantur. Vulnera nanq;, membrorũq; per uulnera truncationes uilis etiam legumlator post cædem locabit. Hæc sicut cædes distinguuntur. Nam alia nõ sponte, alia ira, quædã timore, quædam spõte consultoq; fiunt. Quorum omnium huiusmodi exordium sit. Necesse est leges hominibus ponere, ut secundum leges uiuant. Nam si absq; his uiuerent, nihilo à feris atrocissimis discreparent. Cuius rei causa est, quia nullius hominis ingenium ita natura institutũ est, ut quæ ad publicum humanæ uitæ bonum cõferunt, sufficienter cognoscat: & si cognouit, ut optimũ id quod nouit, semper agere possit ac uelit. Nam primum difficile est nosse quod ciuili
Publicũ ciuitates cõnectit priuatũ dissipat ueræq; arti non proprium sed publicum necessario est curandum: Publicum quippe ciuitates connectit atq; coniungit, proprium dissipat: quod ue tam publice q; priuatim præstat commune quàm proprium bene disponere. Deinde licet aliquis forsan hæc ita se habere sufficienter arte cognoscat, tamen si tanta cum licentia ciuitatis imperium teneat ut nulli rationum relationi subiectus sit, nunquã in ea sententia per totã uitam permanere poterit, ut publicum in ciuitate tanq; præcipuum bonum augeat: priuatum uero post publicum ponat. Sed ad utilitatẽ propriam, priuatamq; cõmoditatem natura ipsum semper mortalis impellet: quæ absq; ratione tam dolorem fugit q; uoluptatem prosequitur: atq; hæc utraq; iustiori melioriq; præponet: & tenebris obruta, malis omnibus tandem seipsam omnino ciuitatemq; replebit. Profecto siquis hominum diuinæ sortis fauore ea natura præditus esset, ut cognosceret publicum bonum, ad idq; generose ac semper intenderet, nullis legibus sibi dominaturis egeret. Quoniam nulla lex, nullus ordo scientia melior præstantiorq; habetur: nec fas est mentem alicui subijci atq; seruire: sed potius si ita uera liberaq; sit, omnibus dominari. Nunc uero nusquã hæc reperitur: sed minimũ quid ipsius apparet. Quare quod secundo loco est, eligere decet: ordinem atq; legem, à quibus pluríma quidem perspiciuntur, omnia uero uideri nequeũt. Sed his horum gratia propositis, statuamus iam quid pati uel soluere debeat qui alium uulnerauit, uel aliter obfuit. Cuiq; enim facile est singula huiusmodi recte comprehendere: utrum uidelicet quis uulnerauerit, an non: quem, qua in parte: quo pacto. Hæc enim singula innumerabilia penè sunt, & inter se maxime differũt. Hæc aũt iudicio cũcta, uel nihil horũ cõmittere, impossibile est. Quippe illud unũ in omnibus cõmittere necesse est: utrum factum unumquodq; horũ sit, an non. Nihil etiã de mulcta iniuriantis cõmittere, sed magna paruaq; omnia lege determinare, impossibile est. CLIN. Quomodo igitur post hęc dicendũ est? ATHEN. Sic utiq;. quod quædã iudicio concedere legislator debet: quædã non debet: sed ipse de-
Quæ ex legibus quæ ex æquo & bono terminare. Cæterum ut intelligatur, quæ arbitrio & prudentiæ iudicũ relinquenda sunt, quę ue ab ipso legum conditore determinanda, sic exponemus. Grauis profecto & toticiuitati cõmunis ibi pestis innascit, ubi iudicia ignaua mutaq; sunt: opiniones iudicum in uicem occultæ manent, & clàm sentẽtiã ferunt. Ad id præterea durius, quãdo non silentio agitur: sed ceu theatra clamore omnia personant: & rhetores quidẽ tum laudant, tum uituperant: atq; ita uicissim dijudicant. Talibus quidem iudicijs siquis necessitate quadã urgeatur dare leges, infortunatum esse ducimus. Sed qui dare cogetur, minimas dunta-

xat mulctas

xat mulctas iudicibus ijs committat: plurima uero & maxima quæq; in ferendis legibus ipse declaret. Vbi uero iudicia recte pro uiribus constituta sunt, iudicesq; bene educati et omni diligentia approbati, rectissime multa iudicibus de punitione conditioneq; condemnatorum committi possunt. Nemo igitur nos incuset, si ipsis nunc maxima multaq; preterea legibus non ordinamus: quæ uel minus eruditi iudices possent cõspicere: dignamq; singulis delictis mulctam pœnamq; accommodare. Quoniam uero eos quibus nos leges describimus, non ineptos harum rerum iudices futuros speramus, multa eis committẽda censemus. Verum quod sæpe in superioribus diximus fecimusq;, putantes descriptione formaq; punitionum dicta, exempla iudicibus, quæ nunquam transgrediãtur, dari oportere: id & tunc recte factum est, & nunc quoq; obseruare uolumus, ad leges ferendas iterum redeuntes. De uulneribus igitur ita sanciamus. Siquis uoluerit cogitaueritq; amicũ hominem ex ijs quos prohibet lex, interficere: uulnerauerit autem, nec interficere potuerit, hunc omni remota misericordia, non aliter quàm si uita priuasset dare cędis supplicĩ cogeremus, nisi fortunam eius non omnino proteruam dæmonemq; coleremus: qui tam uulneratum quàm uulnerantem misericordia prosecutus, infelicitati utriusq; obstitit: fecitq; ne uulnus huic letiferum, illi fortuna calamitasq; execrãda infligeret. Huic ergo dæmoni habebimus gratiam, utq; eius beneficio minime aduersati, ab eo qui uulnerauit supplicium mortis auferemus: & in uicina ciuitate per totam uitam exulare statuemus, nullo rerum suarum omnium fructu carentem, damno tamen prius restituto, siquid obfuit uulnerato, quod à iudicio rei huius fuerit constitutum. Iudices autem sint, qui cædis essent, si uulneratus obijsset. Si parentes filius, aut seruus dominum consulto similiter uulnerauerit, atq; ita fecisse condemnatus fuerit, scelus morte luat. Quinetiam si frater fratrẽ aut sororem similiter, uel soror sororẽ aut fratrem, uxorq; si uirum interficiendi consilio uulneret, aut uir uxorem similiter, perpetuo exulet. His si filij filiæ ue pueri adhuc sunt, rem familiarem exulantis tutores administrent qui eos orbos tutentur. Sin adulti sunt, res quidem ipsas permittant habere, alere tamen exulem non cogant. Siquis uero liberis carens in huiusmodi calamitates inciderit, cognati eius usq; in sobrinos cõsobrinosq; tam ex uirorum, q; ex mulierum parte conueniant, & unà cum legum custodibus sacerdotibusq; consilio habito in hanc exulantis domum unam de quadraginta & quinq; milibus domibus ciuitatis hæredem constituant. In quo sane id cogitare debent, nullam domũ de quinque milibus & quadraginta, habitantis ipsius suiq; generis magis esse q; ciuitatis & priuatim & publice. Oportet utiq; ut ciuitas quàm sanctissimas & felicissimas pro uiribus domos suas possideat. Quando igitur aliqua domus infortunio et impietate aliqua inquinatur, quia qui possedit, sine liberis obijt, uoluntariæ cædis aut cuiusuis in deos uel ciues facinoris condemnatus, cuius mors uel sempiternũ exilium pœna est: primo domus ipsa secundum legẽ expietur: deinde cognati, ut diximus, cum legũ custodibus conuenientes, genus in ciuitate aliquod uirtute præstantissimũ fortunatumq; perquirant, in quo plures adolescentes sint. quorũ unum patri deficientis illius suisq; superioribus quasi filium adoptent: deũ precati hunc felicioribus patris familiàs auspicijs prolis propagatorẽ, successorem domus, sacrorumq; & reliquorũ omniũ cultorem fore, tandem hæredẽ ipsum secundum legem constituãt. Eum uero qui peccauit, sine nomine, sine liberis, sine sorte ulla iacere, quandoquidem huiusmodi calamitatibus premit, patiantur. Non est autem in omnibus rebus terminus termino coniunctus. Nam ubi confinium aliquod commune est, ibi hoc inter rerum terminos utriusq; conuentũ, medium fit. Atqui inter ea peccata quæ sponte, & ea quæ non sponte cõmittuntur, quod per iram fit, tale quiddam esse diximus. Vulneris igitur ira facti qui condemnabitur, si sanabile fuisse uulnus euẽtus ipse monstrabit, duplum damni restituet: sin uero insanabile, quadruplum. Quod si sanabile quidem sit, turpitudinem autem uulnerato ingentem afferat, quadruplum soluet. At uero siquis non solum obfuit uulnerato, uerumetiã patriæ nocuit, quod milite ipsam aduersus hostes priuauerit, similiter puniatur: ac præterea damnum ciuitati restituat, & ultra eam quam ipse debet militiam, pro uulnerato etiam militet: & quicquid illi gerendum erat in bello, ipse agat. Quod si non fecerit, reus sit secundum legem uolenti cuiq; ipsum tanquã neglectorem militiæ accusare: & damnũ duplum triplúmue aut quadruplum, prout iudicibus uisum fuerit, restituat. Si germanus germanum similiter uulnerauerit, contribules & cogna

ti

ti usque ad sobrinos consobrinosq; ex uiris simul & mulieribus conuenientes tam mares quàm fœminæ iudicent, genitoribusq; ipsum tradant, ut ipsi secundum naturam puniãt. Quòd si punitio ambigua fuerit, propinqui ex parte uiri determinent. Qui si ipsi nõ possint, tandem ad custodes legum causam deferant. Si nati nepotésue tale quid genitoribus intulerunt, solum hi iudicent qui annum sexagesimum transegerunt: quibus ueri nõ adoptiui liberi sunt. Et condemnatus, aut morte, aut maiore aliquo, uel nõ multo minore supplicio puniatur: nec de genere suo quisquam etiam si ętatem à lege præscriptam impleuerit, iudicet. Sin uero seruus liberum ira concitus uulnerauit, à domino tradatur uulnerato, ut arbitratu suo iniuriam ulciscatur, nisi uelit damnum ipse recuperare. Quod si serui uulneratiq; malitia per compositionem factum fuisse quis ambigat, ad iudices deferat: q; si non conuicerit ita esse, triplum damni restituat: sin uero conuicerit, seruitutis reum habeat eũ qui dolose cum seruo egit. qui uero non sponte aliquẽ uulnerauit, simpliciter damnum persoluat. Nullus quippe legumlator imperare fortunæ potest. Iudices autem sint & qui natis nepotibusq; ad parentes, à quibus quantum damnũ fuerit, declaret. Violentæ quidem passiones sunt omnes quas diximus. Violentum quoq; omne uerberandi genus. Oportet igitur omnes homines, mulieres simul ac uiros, adolescentes ac senes, ita de his semper existimare. Seniorem non paruo interuallo iunioribus præponendum esse, & apud deos, & apud homines, qui feliciter uicturi sint. Cędi ergo senem à iuniore, & turpe est, & odio à dijs habetur. Decet autem iuuenem uerberatum à seniore id ob senectutis reuerentiam patienter ferre. Sic itaq; sanciamus. Quilibet seniorem & re & uerbo colat. Ac si uiginti annis maior est, quasi patrem si uir fuerit, aut matrem si mulier, reuereat. Atque adeo omnibus semper abstineat, qui in ea ętate sint qua procreare parereq; ipsum potuerint, natales deos ueritus. Abstineat inquam non solum ciue, sed seniore etiam. Peregrinum uero audentem ciuem cædere, si qui cæditur, puniendũ censet, ad tribunos plebis perducat, nec ipse uerberet, ut eo magis à cædendis ciuibus suis abstineat, quando etiam à peregrinis se continet. Peregrino similiter aduenaq;, sic ut neq; inuadendo, neq; se defendendo uerberibus cædere ipsum audeat. Hic uero magistratus hospitalem deũ ueritus rem diligenter inquirat, & si peregrinus iniuria ciuem percusserit, uerbera totidem ei publico flagello reddant, nequid tale amplius impudenter audeat. Sin uero innocens peregrinus uidebit, minis eo castigato qui perduxit, ambos dimittant. Æ qualis autem si æqualem uel paulo maiorẽ, nondum tamen patrem, aut senex senem, siue iuuenis iuuenẽ uerberibus cædant, secundum naturã nudis manibus se defendant. Siquis ultra quadraginta natus annos, siue dum aliũ inuadit, siue dum se defendit, cædere quenquã audeat, seruilis rusticusq; habitus, hoc opprobrio satis punitus uidebitur. Quicunq; his monitis obtemperabit, modestus & mansuetus habebit. qui uero proœmia hæc spernet, hac lege coerceat. Qui aliquem uiginti annis uel pluribus natu maiorem pulsauit: primũ quidem qui forte interfuerit, si nec iunior nec æqualis sit, prohibeat: & si non prohibuerit, secundum leges improbus habeat: sinautem uerberato æqualis aut iunior sit, quasi fratrẽ aut patrem, aut quasi superiorem defendat. ac præterea iudicio subiectus sit: qui seniorem, ut diximus, uerberauit: & si damnabitur, non minore quàm annuo tempore uinciatur. imò etiam maiore, si modo iudicibus id uidebit. Si peregrinus uel incola uiginti annis uel pluribus seniorem pulset, præsentes ea lege qua diximus opitulentur, & qui condemnatus fuerit, si peregrinus quidem est, sed non incola urbis, biennium uinciatur: sinautem incola urbisq; habitator legibus non obtemperat, trienniũ, nisi iudices decreuerint diutius detinendum. Qui uero præsens fuerit, nec opitulatus secundum legem sit, si de primo maximoq; sit censu, mina damnetur: secundi uero census si fuerit, drachmis quinquaginta: tertij, triginta: quarti, uiginti. Horum iudices sint ductores exercitus, prætecti ordinum, tribuni, equitumq; magistri. Legum uero, ut uidetur, aliæ ad bonorũ hominũ doctrinã ponuntur, ut per eas intelligant quo pacto inter se amice uersent: aliæ ad cõpescendã illorũ pertinaciam, qui indomiti natura sunt, spretaq; omni disciplina, nulla ratione mouentur, quin ad omnẽ ruant improbitatẽ. Hi sequentiũ uerborũ causa sunt: his legislator necessitate coactus leges imponit. Ipse namq; nullum uellet usum necessitatemq; legum unquã fore. Quicunq; igitur parentibus aut auis inferre manus ausus fuerit, nec superorũ indignationem deorũ, nec inferorum supplicia ueritus: sed quasi sciat quæ nescit, dicta à prí-

Senum ueneratio

scis

ſcis omnibus deſpiciens, præuaricatur: is ultimo ut auertatur expieturq; remedio indiget. Mors autem ultimum non eſt: ſed extrema magis ſunt inferorum ſupplicia: quæ licet uerissime narrentur, auertere tamen huiuſmodi animos nequeunt. Quoniam ſi auerterent, nulli qui parentes ſcelerate pulſarent unq; reperirentur. Quare oportet horum flagitiorũ ſupplicia in hac uita non inferiora illis quæ apud inferos ſunt, ſed æqualia pro uiribus ponere. Ita igitur ſanciamus. Siquis non furioſus patrem aut matrem, eorum'ue ſuperiores pulſare audebit, primum ut in ſuperioribus, opem præſentes ferant. Et incola quidem uel peregrinus, ſi opitulabitur, in publicis certaminibus tanquam præſes aliis pręponatur, ſin minus, à regione uniuerſa perpetuo exterminetur. Sin autem incola nõ ſit, auxiliatus quidem laudem: non auxiliatus, uituperiũ conſequatur. Seruus opitulatus liberetur: nõ opitulatus, centies publico cædatur flagello. Et ſi in foro id contigerit, ibidem à uenaliũ rerũ curatoribus puniat. In aliis partibus urbis ſimiliter ab ædilibus qui præſentes fuerint. Eodem modo extra urbem in agro ab his qui curandis agris tunc præſident. Quod ſi ciuium aliquis parentibus à filio uerberatis præſens fuerit, ſiue uir, ſeu mulier, ſiue adoleſcens, ſeu ſenior, defendat protinus, ſcelus cõclamans. Qui auxiliari noluerit, Iouis patrij ac generis ſeruatoris imprecatione per legem prematur. Demum quicunq; pulſaſſe parentes cõdemnabitur, primum perpetuo exulet: deinde & à ſacris omnibus arceatur. quibus ſi minus abſtineat, à principibus agri uerberibus & omnino utcũq; uoluerint plectatur. & ſi ab exilio reuertatur, morte peccata luat. Quiſquis uero liber, cum huiuſmodi homine comedet aut bibet, uel aliquo pacto unà quicquam geret, aut tanget, aut ſponte loquetur, is nec in templum ingrediatur, nec in forum, nec omnino in ciuitatem proficiſcatur, antequã mundetur. putare namq; debet ſcelerato ſe cõmercio contaminatum. Quod ſi nõ obtemperauerit, ſed ciuitatem & templa inique coinquinet: quicunq; magiſtratus fieri hoc ſenſerit, niſi confeſtim punierit, maximarum iniuriarum reus eſt habẽdus. Si ſeruus liberum hominem, ſeu ciuem, ſiue peregrinum pulſet, pręſens quilibet auxilium afferat. Sin minus, prædicta ſecundũ cenſum mulcta puniatur. Qui ergo præſentes erũt, pulſato ſuccurrant: uinciantq; pulſantem, & ei uinctum tradant, cui fecit iniuriã. Qui in compedibus teneat, uerberibusq; ut uelit, ita pulſet, ut nullum domino inferat damnum, deinde ipſum domino habendum reddat ſecundum legem. quæ iſta ſit. Si ſeruus liberum hominem nõ imperantibus magiſtratibus uerberauerit, dominus à pulſato uinctum ea conditione accipiat, ut non antea ſoluat, quàm pulſato ſeruus ipſe ſolutione ſe dignum eſſe iam perſuaſerit. Hæ uero eædem leges ad hęc omnia mulieribus inuicem ad uiros, uirisq; ad mulieres communes eſſe debent.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI IN DIALOgum decimum de Legibus.

EXORDIVM *decimi epilogum ſupplet noni, admonens tractanda eſſe iudicia de ui in rem ipſam illata, poſt iudicia de ui in perſonam in nono diſpoſita. Quoniã uero nulla uis durior & intolerabilior eſt, quàm quæ contemptu quodam infertur: nimirum contumelias & iniurias uel in perſonam, uel in rem ex contemptu proprie natas in propria capita ſeligendas eſſe decernit: & has quidem ſub quinq; capitulis. Aut enim in ſacra publica, aut priuata ſacra, aut contra parentum reuerentiam: uel contra præſtantiã magiſtratus, uel contra ciuilem gentilemq; alicuius ciuis dignitatem committitur. Hæc ergo exactiſsime iudicanda cæteris tam auctoribus legum q̃ magiſtratibus iudicibusq; committit. Diſtinguit poſt hæc à cæteris ea quæ in deorum contemptum fiunt, quaſi omnium ultra q̃ dici poſsit grauiſsima: in quibus decimi huius omnis uerſatur intentio. Sed primo quidem quid interſit ſacrilegiũ inter atq; impietatem, innuit. Sacrilegium ſanè rapinã nominat, ſiue res, ſeu perſona cõſecrata ſuperis rapiatur. Atq; id quidem uelut ſpecies quædam ſub ipſo impietatis genere continetur. Nã ultra ſacrilegiũ ſub impietate comprehenduntur, & cætera multa in deorum contemptũ ſiue cogitata ſiue dicta ſeu facta, & cõmiſſa pariter & permiſſa atq; etiam prætermiſſa. Ac ne quid nos lateat, ad impietatem etiam pertinet familiaritas & cõmunio omnis ſeu in cibis ſeu uerbis cũ ijs inita, qui ob nefaria ſcelera arcẽtur à ſacris, qui & contaminati cæteros quoq; uel ipſa propinquitate cõtaminant. Qua quidem de re in calce noni ita pertractat, ut uaticinari uiſus ſit execrationes quotidie factas à noſtris prophanos à cõmunione eccleſiæ propellẽtibus. Proinde medicus noſter animos impietatis morbo languẽtes diligentiſsime purgaturus, in primis cauſas huius morbi perquirit. Ac dum inquirit, Euangelicã tradit ſententiã. Quicunq; enim inquit, de deo crediderit ſecundũ leges, religioſus erit, neq; prophanum quicquam uel aget aliquando, uel loquetur.*

Quàm recte à fide hic dedit exordium? & à fide legibus adhibenda? Sed ne turbet quæso deorum numerus, quẽ nõ turbat numerus angelorum. Nihil enim plus apud Platonem tot possunt dij, quàm apud nos tot angeli, totq; beati. Cæterum quidnam leges scilicet sacræ, et omniũ antiquissimæ de dijs, id est de deo angelisq; deo seruientibus aiunt? Profecto tria. Primum quidem, hos deos esse. Secũdum, omnibus prouidere. Tertium, iuste pro meritis merita sup pliciaq; rependere. In ipsa huius sententiæ fide obseruantiaq; pietas tota consistit. Quis igitur impius? Qui uideli= cet uel negabit eiusmodi deos esse, uel & si sunt, prouidere: uel & si prouident, iuste rependere: id autẽ est putare superos iudicum humanorũ more solis muneribus uel ab iniusto collatis facile posse placari. Plato igitur tres impij morbi causas expulsurus probabit esse deos, & qui in mundo sint sphærarum mundi rectores, & qui super mundũ dei summi contemplatores. Probabit deos omnibus uel minimis prouidere. Probabit constanti iustitiæ rectæ bilãce libraq; nõ extrinseca munera manuum, sed intima animorum merita pensitare. Deniq; hac doctrina ueluti quodã legis exordio ab omni diuinorum cõtemptu dehortabitur omnes, & cohortabitur ad pietatẽ. Præterea legum mi nis flagellisq; perterrebit impios. atq; torquebit. Principio deos esse duobus communibus indicat argumentis. Pri mum quidẽ ab uniuerso rerum genere, secundum uero à specie humana deducitur. Primũ igitur est eiusmodi. Com pertum habemus ordinem ubique à ratione procedere, & ordinem quidem nusquam et nunquam interruptũ à ra tione potenti: ordinem quoq; cõmodissimum ab optima ratione. Cum igitur uniuersi tum dispositio, tum progres= sio ordinatissima sit, ac semper & ubiq; talis, neq; id quidem absq; mirifica quadam commoditate, necesse est mun dũ ab optima potentissimaq; ratione disponi, atq; moueri. Et cum unum sit uniuersum, unũ uero ex diuersis nõ fiat nisi ab uno, consequens est unam esse summam eiusmodi rationem. Esse præterea rationes plures diuinas sub summa ratione diuina, quemadmodũ in uno mundano opere rationabiliter ordinato, multi sunt globi inter se specie et uir tute distincti: atq; omnes rationabiliter ordinati: adeo ut mundi quodãmodo multi, in amplissima uideantur mundi unius circumferentia contineri. Itaq; similiter multi mundorum quasi angustiorum rectores deinceps dispositi, sub uno amplissimi mundi rectore comprehenduntur, Qui sanè cum nõ solum ordinator sit: sed ipse, ut ita dixerim, im mensus ordo: multo magis ordinatore gaudet q̃ ordinato. Quocirca si multis in uniuerso ordinatis proculdubio de lectatur, multis quoq; oblectatur ordinatoribus. Quippe cum amplissimi regis excellẽtissima in hoc amplitudo cõ sistat, ut non angustos tantum seruos, sed amplos quoq; & multos habeat infra se reges. Secundum uero ad idem ar gumẽtum à specie humana deductum, est eiusmodi. Naturalis speciei cuiusq; instinctus inanis esse non potest. Natu rale quoq; speciei animalium perfectissimæ iudiciũ omnino falsum esse non debet. Cum uero humana species anima lium perfectissima in omnibus ubiq; semper naturali instinctu immutabiliq; iudicio ad religionem feratur, necesse est esse superos qui religione colantur, superesse quoq; corporibus animas, quod quidem religionis est potissimum fundamentũ. Attende Platonis dictũ, rationes de diuinis, & si interdum nõ nimis argutas, esse tamen ueras. Itẽ oc= casiones duas ad impietatem. Intemperantiam scilicet corporearum uoluptatum concupiscentiã: rursusq; ignoran tiam ex absurdis poetarum physicorumq; quorundam opinionibus ortam. Poetas in tribus circa deos errasse. Pri mo quod ex cõfusione quam chaos nominant, erupisse deos cecinerint. Secundo quod alios ex alijs absq; recta ratio ne, & quasi per humanum cõcubitum progenitos asseruerint. Tertio quod omnes hominum perturbationes, erra ta, flagitia in deos nefãria impietate transtulerint. Physicos quoq; illos in religione peccasse, qui uel cum Democri to casũ quadam temerario potius q̃ ratione diuina componi somniãt uniuersum, mirabili ratione digestum: uel cum Anaxagora et Archelao cœlestia nihil habere in se diuinius opinãtur quàm elemẽta. Præterea formas eorũ quæ gi gnũtur, manifeste ad finem ubiq; directas, aiunt ex elementali potius impetu prouenire, quã ab arte mẽtis ad certũ finem singula dirigẽtis. Quoniã uero in his confutandis, atq; insuper in cõfirmandis quæ & modo probauimus, & deinceps ex mente Platonis in hoc cõpendio afferemus: in theologiæ nostræ libris fuimus longiores, idcirco in præ sentia breuiter percurremus. Cõsidera quãta sit Platonis nostri religio, et quàm exploratũ habeat deũ esse, qui cõ tra negãtes deũ disputãs, uix ab ira cõtinere se potest: uir alioquin supra modũ omniũ & in uita et disputatione mi tissimus. In his certe admonet, nõ esse eos qui deũ negauerint, tolerãdos. Nota Platonẽ probare illos, qui in ortu et occasu solis ac lunæ adorant non solem proprie atq; lunam, sed diuinã potius beneficentiã: cui quotidie gratias pro tanto luminum dono iubet agi. Iudicat illum inter homines esse quasi monstrum, qui contra tum naturalem instinc= ctum, tum educationem, tum communẽ cõsuetudinem superos esse negat. Mox uero admonet iuuenes, quod, si fortè absurdæ quædam ex auditu contra deum opiniones inuaserint, ut quamdiu iuuenes sunt, iudicio de rebus diuinis ab stineant, senioribus credant & legibus, donec ætas, experiẽtia, ratio doceat. Affert præterea in medium opiniones quorundam qui sapientes habiti sunt: per quas homines facile ad impietatem iniustitiamq; declinant. Opiniones in quam asserentes quatuor elementorum naturas fortuito quodam motu inuicem cõfluentes cuncta coaceruasse, Præ terea religionem iustitiãq; nulla ueritate, sed hominum opinione cõstare. Quamobrẽ concludit, hæc tanquã & pri uatim & publice omnium perniciosissima esse rationibus cõfutanda: neq; cogendos homines ad legum obedientiã & obseruationem minis duntaxat atq; tormentis: sed persuasionibus insuper atque rationibus. Alioqui hominẽ ra tionale animal, ideoq; liberũ, nisi rationis uinculo comprehenderis, neq; debere aliter, nec posse ligari. Excitandã

igitur

igitur legibus rationem: cuius tanta uis est ad inueniendum deum: ut post rationalem inuestigationem certior sit ratione in natura esse quàm in seipsa, & tanto certior, quanto naturales effectus ordinatiores cõspicit quàm humanos. Vnde etiam tanto perfectiorem esse in natura artem quàm in homine animaduertit. Hinc rursus animaduertit artem operibus naturalibus præsidentem, cum perfectior sit humana: et humana non solum sit, sed etiam uitæ sit atque intelligentiæ particeps: nimirum uiuam & intelligentem esse: imò uero uitam & intellectum: adde et uoluntatem. Cum enim singula manifeste ad proprios dirigat fines, certum est præuidisse finem atque uoluisse: immo uero præuidere semper & uelle: quemadmodũ ordo in singulis semper cõseruatur integer: uel ubi interrumpi uidetur, citius quàm dici possit, instauratur. Hanc uero esse diuinam prouidẽtiam, minime dubitamus. Prouidentiã inquam neq; minima negligentem: nõ enim hæc minus sunt ordinata quàm maxima: neq; in maximis laborãtem. Nõ enim ordinationi resistunt ordinatori quàm proxima: quæ eodem nutu uoluntatis assidue ordinãtur, quo & fiunt, et procul ab omni præuaricatione seruantur. Hinc illud. In altis habitat: & humilia respicit in cœlo & in terra. sicut & cœlum ipsum dum suum in se absq; labore peragit cursum, interim absq; negligentia terram uberrimo radiorũ suorum munere circũfundit. Inter hæc uero quod ait legem & artem natura uel non minus quàm natura cõstare: quia proles sint mentis: intellige non minus ueras quàm naturæ formas existere: gigniq; ab intellectu diuino tanquã patre, & à mente humana uelut matre. Et aduerte solitam Platonis nostri pietatem inuocantis deum ad cõfirmandos deos. Deum inquam unum: ut doceat deos omnes referendos ad unum. Dicit autem se dei summi auxilio fretũ tutissime de diuinis disputaturum. Principio quidem eos physicos improbat, qui summa rerũ principia corporea posuerunt, ex quibus deinde uita intelligentiaq; procederẽt: cũ dicere potius debuissent, corporea à uita intellectuali pẽdere. Id autem ita esse, profitetur noua nõ dico sententia, sed ratione se probaturum. Sententia enim eiusmodi priscorũ est ante Platonem theologorũ: Argumentatio uero qualis hic fiet à motu, Platonis est propria. Distinguit autem ipsum motionũ genus in species decem: scilicet in Circuitum, Localem transitum, Condensationem, Rarefactionem, Augmentum, Decrementum, Generationem, Corruptionem, Mutationem, siue alterationẽ in alio ab alio factam, & mutationẽ ex se, tum in se, tum in alio factam. Admiratur motum orbicularem, siquidem in eo stat cẽtrum indiuisibile, mouentur reliqua. Item in sphæra longe profunda quamplurimi circuli designãtur, alij deinceps alijs ampliores. Aq; id quod mirum est, eodem momẽto angustissimus circulus et amplissimus circuitum peragunt: adeo ut & huius tarditas in continuo corpore, & illius uelocitas sit pariter admiranda. Medij uero & ad dimẽsionẽ & ad motum secundum certas proportiones medio quoq; modo se habent. Multa de his in expositionibus theologiæ tractauimus. Dicit autem & de illo: quod mutat locum, mutare cẽtrum, id est centrum loci. ad quod corporis mobilis circumferentia comparatur. nõnunquam uero præter id quòd centrum mutat, seruare etiam quodammodo idem centrum: quando scilicet non fixum, sed translatum loco per æqualem quandam circũferentiam circumagitur. Præterea ubi de generatione loquitur, ait, principium, id est naturam motricem atq; seminariã: quãdo alteratione proficit, per tres procedere gradus, id est in longum, latum atq; profundum: item attingere usque ad quantitatem, & qualitatem, formamq; substantialem per effectus suos sensibus manifestã: rursus peruenire ad esse formale & uitale atque sensuale. Putat autem in his motibus molem quidem corpoream moueri, sed non mouere: formas uero corporeas & mouere moles & moueri ab anima: Animamq; mouere quidem duo hæc: sed ipsam non alio, immo ex seipsa moueri: sed ita mouere, ut unà cum rebus mutatis ipse interim suo quodam pacto mutetur. Præstantiores ergo animabus diuinas angelicasq; mentes existimat, quæ inferiora moueant, ipsæ interim minime permutatæ. Eminentius deniq; ipsum bonum mentibus esse iudicat. omnes enim boni gratia appetunt ueritatem. In his tangit multa ad naturam per se mobilem pertinentia, tanquam ad proprium motionis generationisq; principium. In quo motio quædã formalis & generatio spiritalis suapte natura uiget, motionum generationumq; exemplar. Cõfirmat super omnia quæ mouẽtur ab alio, esse naturam mobilem ex seipsa, uidelicet ne procedatur in infinitũ. Imò uero ut quemadmodum ultra illa quæ per aliud lucent aut calent, peruenitur ad aliquid per se lucidum, per se calidũ: sic præter res ab alio mobiles ad rem per se mobilẽ ueniatur. Quippe si nunc quiescãt omnia, & paulopost aliquod præ cæteris moueri debeat, quidnam primo mouebitur? Non quidem diuina substantia prorsus immobilis. Neque etiam corporea ulla quæ motum ab alio mutuantur. Solum ergo quod ex se mobile est, primo mouebitur, exercensq; suum in seipso motũ, traducet in alia. Id enim ita præstat corporibus ut moueãtur, sicut immobile rerum principiũ rebus præstat ut moueant. Animam uero esse naturam per se mobilem, patet tum intrinsecus, quãdo suapte natura libere ratiocinando discurrit atque cõsultat: tum extrinsecus, quamdiu sua præsentia præstat corpori ut per se quodammodo moueatur. Sed de ijs omnibus, & præterea quod super animas sphærarum rectrices oporteat esse angelos atque deũ, in theologia abunde tractamus. Vbi uero Plato animam appellat motionem generationemq;, intellige per modũ causæ, id est proprium motionis generationisq; principium. Et ubi à seipso moueri, esse animæ rationem. Nota ibidem dici etiam rationem animæ esse quod possit mouere seipsam, ne actum motionis intelligas esse animã. sed potentiam, non accidentalem inquam. Nam & substantiam ibidem uocat animam. Sic ergo definies: Anima est substãtia propriã habens potentiam, qua et moueatur ex se, & cætera moueat. Quemadmodum uero res ex se mobilis rẽ

ab alia mobilem antecedit: sic animam dico rationalem antecedere putat totam machinam corporalem, cum nullē corpus ualeat ex seipso moueri. Antecedere Platonici aiunt, & dignitate simul & tempore. Si quis uero Platonū à Christianis minus dissentire uelit, exponat animā nostram uel momēto quodā temporis, uel saltem dignitate creatoris̄q; intentione præcedere. Ex eo autem quod animæ substantia prior est substantia corporis, affectus quoque, ea motus, & dotes familiares animæ, concludit passionibus corporis esse priores. V bi numerat animæ proprium, memento quæ actionē significant, esse animæ nostræ superioribus̄q; communia. Quæ uero passionem, propria nostræ, uel cum dæmonibus infimis tantum communia. Naturalem tamē motū qui in corpore passio est, esse in anima actionem. Et quod in corpore est longitudo, latitudo, profunditas, qualitas, motus, id esse in anima acumen, iudiciū, memoriam, habitum & affectum. Cætera eiusmodi habes in theologia distinctius. Dicit & animam etiam esse malorū causam, scilicet per accidens, & quia anima nostra liberum habet arbitrium. Caue ubi dicit mundū gubernari ab anima scilicet sua, quod addit geminam esse animam, unam quidem beneficam, alteram uero contrariam, ne substantiam accipias geminam, sed potentiā. Siquidē in anima mundi atq; cœlesti, potentia est: altera quidem motrix corporū, intellectualis altera. Intellectualis certe benefica est, ordine cuncta disponens. motrix uero eatenus benefica, id est ordinatrix, quatenus subest alteri. Cui quidem nisi subesset, quanto efficacior est ad motū, tanto magis carens arte præcipitaret uniuersum atq; confunderet. Animam uero cœlestem habere mentem, probat ex ordine quem in omni motu generationeq; semper obseruat. Profecto amentes uidemus quatenus à mente alieni sunt, eatenus ab ordine alienos. Ordinem in præsentia dicimus mutuam inter se rerum actionumq; cōnexionem congrua successione dispositam, & ad finem certum propria quadā ratione directam, atque in cunctis quoad fieri potest, simile, æquale idemq; seruantē. Eiusmodi ordinē ab his duntaxat qui mentis cōpotes sunt, seruari uidemus, atq; in ipsa uniuersi progressione prorsus impleri. Impleri inquam tam cōmodissime quàm pulcherrime. Ex quibus apparet ab anima quæ mentem habeat & artificiosissimā & optimā gubernari. Neq; ab re circuitū dixit propriū esse mētis. In circuitu enim indiuisibile centrum manet, dum circumferentia redit in idem, & in figura motuq; seruatur æqualitas. In mēte similiter, simplex fixusq; ad ipsum uerum directus manet intuitus, dum causæ in effectus per media explicantur, uicissimq; effectus similiter replicantur in causas. Reditq; interim animaduersio mentis in seipsam considerandam, & simili, æquali, eadem, intelligendo, ualendo, agendo, intentione, regula progressione procedit. Post quam uero & cœlestes sphæras animabus, & animas mentibus optimis præditas esse probauit, significauitq; et uniuersum anima una, & multas sphæras multis agi, iam distinguit paucis modos tris, quibus animæ cœlestibus coniungantur: dicens animam uel ita globo inesse sicut anima nostra corpori, ut inde animal unum efficiatur: uel sic adesse ut nō uiuificet quidem globum, sed moueat tātum atq; regat, siue mirabili quadam solum mouendi potentia, siue quodā insuper medio. Et si ex tribus propositis nullum præ cæteris manifeste hic eligat, Platonici tamē omnes primum absq; controuersia eligunt, idemq; omnino sensisse Aristotelem Theophrastumq; existimant. Putāt enim Platonem idem probabilius habuisse. Nam argumentatio ipsa per quam hic cœlum efficit animatum, animā ipsam innuit unà cum moto cœlo moueri. Quod nisi ex ea & globo unum fieret animal, certe non mobilis motor esset, sed motor immobilis. Idem confirmat in Phædro. Idem et in Timæo dicens, cum uellet mundi architectus, mundum intellectuale animal facere: neq; posset intellectus absq; medio adesse corpori: coniunxisse intellectum quidē animæ, animam uero corpori, atq; adeo ut medio infuderit mundo, & inde per cuncta diffuderit. Cæterum cur nam Plato hic cœlestes tantum deos manifeste confirmat? Quoniam superiorum cōtemplatio est à legum materia admodū aliena, & per cloestes deos qui mouentur, & proprijs mancipantur officijs, satis admonet superiorem esse quærendū, qui & immotus ipse moueat omnes, & communis dux, propria singulis assignet officia. Quid plura? Manifeste super cœlestes animas diuinam esse mentem mentesq; angelicas demonstrauit, ubi ait, cœlestem animam, utpote quæ ex se non habeat, si intellectum semper diuinum acceperit recte cuncta perducere, prout apud deos recta feliciaq; habētur: alioquin penitus aberrare. Ideo Plato ubi ab anima procedit ad mentē, quasi qui ab oculo ad superius ascendat lumē, ueretur admodū ne caligare cogatur. Postquam uero deos esse mōstrauit, prouidere demonstrat, à singulari quadam sententia sic exordiens: Natura quædam diuinitati cognata, homines nō omnino à specie humana degenerantes ducit ad affirmandum esse deum, quamuis interdum de prouidentia dei apparens prosperitas improborum, quæ falsa prosperitas est, quæ & statuto tempore dabit pœnas, dubitare nos cogat. Profecto deus in intelligendo facit, consequenter quod facit intelligit, ac si totum facit, intelligit quoq; totum. Si cognoscit totum, cognoscit et partes ex quibus totum necessario cōstat: si partes, ergo particulas ex quibus necessario partes. Potest ergo & scit uniuersum regere, qui potest & scit prouidere. Vult quoq; utiliter gubernare totū opus suum. Gubernari uero bene nō gubernatis partibus, nunquam potest. Ita neq; medicus, neq; architectus opus totum absque partibus ad id necessario conducentibus, optime curat. Non negligit deus minima gubernare, qui facere minima non neglexit. Neq; difficilis est gubernatio deo: cui est procreatio facilis. Neq; mollitie ad curandum tardior est, qui omniū est fortissimus, qui accuratius cūcta gubernat, quàm uel ars uel natura quæ ab arte naturaue fiunt. Nam quāto magis à deo dependent opera dei, quàm artis uel naturæ opera ab arte siue natura, tanto deus operibus suis prouidet

diligentius

diligentius: per cuius prouidentiam cætera quoq; id habent, ut similiter suis quæq; prouideant. Quoniam uero ars quo perfectior est, eo facilius parua simul expedit atq; magna, in deo autem ars est immensa, nimirũ minima simul & maxima summa facilitate gubernat. In quibus utiq; dispensandis, nõ totum gratia partiũ, sed partes totius gratia disponit, bonumq; cuiusque proprium refert ad uniuersi bonum. Inter omnia uero sub luna maximam habet circa humanam speciem diligentiam, tum quia perfectissima est: tum quia ipsa colit deum: quasi ipsa singulariter excolatur à deo. In his notabis, à deo summo per singula rerũ genera speciesq; diuinos distributos esse rectores, uel minimarum actionum passionũq; curatores. Qui sicut per potentiam eius possunt, quicquid possunt, ita per prouidẽtiam ipsius uel minimorum procuratricem, minima quæq; procurant. Notabis in sideribus esse sensus, et ut Plotinus Hermiasq; disputãt, uisum proprie atq; auditum. sed in alio quodam genere longeq; præstantiore quàm sensus animalium terrenorum. Notabis & animam humanam semper corpori esse cõiunctam, assidue quidẽ æthereo corpori, per successionem uero tum terreno, tum aereo corpori. item motũ animæ, quia primus est atq; ex se, ideoq; liber, posse in formas uarias deriuari: usqueadeo ut anima aliàs in habitum inferiorem homine, aliàs in superiorẽ homine conuertatur: & illo quidem quasi quadam grauitate ad loca inferiora descendere: hoc autem ceu leuitate sublimia petere. Ex quo apparet conceptos ex proprijs motibus habitus cum diuinæ uoluntatis lege concurrere. Sicut enim lex illa dictat, bonis quidem animis cœlestia, malis uero terrestria cõuenire: sic omnino nullo extrinsecus impellente, & quasi naturali quodã instinctu, & bonorum habitus sponte superiora petunt, malorũ uero ad inferiora labuntur. Hic profecto si longius cõmentari liceret, exponerẽ illud obscurissime dictũ, ubi inducit aliquem transumtare conãtem ignem in aquã animatã, quasi difficillima molientẽ. Nam cũ & aqua igni cõtraria sit, et anima creari nõ possit ex igni: nimirum impossibilia tentat, qui ignem in aquam animatam transmutare molitur. Neque minus obscure dictum est, quod de resolutione & diuisione dialectica est exponendum. Nempe si quis diuidendo procedat per tres gradus, scilicet à genere quodam generalissimo ad species subalternas, ab eisq; ad specialissimas, deniq; species facile diuidit: similiter qui per eosdem gradus resoluit, à specie specialissima ad subalternum genus, & inde ad generalissimum, facile quoq; resoluit. At uero qui per singula numero infinita peruagari uoluerit, irritum opus aggredietur. Sed de his in commentarijs in Philebum. Inter hæc notabis Platonis uerba Dauidis prophetæ oraculo quàm simillima: neq; ascensu in cœlum, neq; descensu in infernum diuinum posse iudiciũ euitari. Post hæc ostendit deum à prauis non posse muneribus iniuste placari. Vbi considerabis deum diligentiorem esse humani generis curatorem, quàm pastores ouium, gubernatores nauium, duces exercitus, agrorum rustici, equorũ aurigæ, medici ægrotantium. Præterea omnia sub cœlo plena malorũ, perpetuumq; circa animas bellum. In quo uitia deorsum trahunt: dij uero dæmonesq; sursum. Cõsiderabis uiuas esse in deo uirtutes, imò uitas: quarũ scintillis qui busdã in anima inde succẽsis anima ad sublimia eleuatur. Post uero proœmia seueriori censura animaduertit in impios, neq; solũ nefarias actiones, sed impudentiam quoq; uerborum, immo & cogitationes ipsas contra diuinam dignitatẽ diligenter explorat: ac tres species impietatis in superioribus positas, in sex deducit: uidelicet in duo quamlibet partiendo. Tres enim illæ in opinione contra deum falsa consistunt. Potest autem unà cum falsa opinione iniquitas quoq; morum cõcurrere: potest & tolerabilior æquitas. Cognosces hic & pœnas maleficorum, hæreticorum, superstitiosorum, illorum præterea qui Pseudoprophetæ cognominantur. Rursus quantum plebeam damnet superstitionem. Damnauit & suprà poeticam, à qua plebea etiam confirmatur. Vbiq; uero Plato tam poeticam quàm plebeam superstitionem improbat, & ante omnia humana officia, pietatem philosophicam ueneratur.

DIALOGVS DECIMVS DE LEGIBVS VEL DE LEGVM LATIONE.

POST leges de cæde uulneribusq; & uerberibus, communis lex illa de omni ui sanciatur, ut nemo ferat asportetq; rem alienam, aut uicini re ulla utatur, nisi possidenti antea persuaserit: hinc enim mala omnia quæ narrauimus, dependerunt, pendentq; iam, & in posterũ dependebunt. Reliquorũ uero maxima sunt, petulantium iuuenum contumeliæ atq; iniuriæ. quæ tunc maxima, quando in sacra committuntur: præsertim cum in publica atq; sancta, uel in tribuum aliquarum communionem, uel aliorum huiuscemodi. Secundo uero loco habenda sunt, quando in sacra priuata atq; sepulchra. Tertio quæ in parentes seorsum ab his quæ narrauimus. Quartum contumeliæ iniuriæq; genus est, quando quis contemptis magistratibus, rem illorum abducit, uel ea utitur, antequã illis persuaserit. Quintum, cum ciuis alicuius ciuilis dignitas læditur uel offenditur, quod genus omnino ultionem poscit. atq; his singulis cõmuniter prouidere lex debet. De sacrilegio quidem summatim dictum

ctum est, quid fieri oporteat, si ui aut clàm peragatur. De his autẽ quæ uerbo uel opera in deorum contemptũ aguntur, quomodo punienda sunt, deinceps proœmio quodam pro posito dicendũ uidetur. Huiusmodi uero proœmium sit. Qui deos esse putat secundum leges, nec facit unq; sponte impium quicquã, nec loquitur. Faciunt aũt, aut dicunt impiũ aliquid in deos, uel quia deos esse negant, uel quia & si putant esse deos, de rebus tamen humanis curare ipsos minime arbitrantur: uel tertio quamuis & sint, & de hominibus curam habeant, facile tamen placari eos uotis & sacrificijs opinãtur. CLIN. Quid faciemus igitur? quid ad ipsos dicemus? ATHEN. Audiamus ô bone uir, prius quid in nostrũ contemptũ ioco quodã dicturos illos conijcio. CLIN. Quidnã dicent? ATH. Ita fermè in nos nugabuntur. O Athenienſis hospes, uosq; Lacedæmonie atq; Gnosie, uere illud dicitis, quod nostrũ alij nequaq; esse deos, alij nihil nostra curare, alij muneribꝰ facile placari existiment. Quod igitur uos in omnib. legibus ferendis faciendũ esse putauistis, hoc & nunc à uobis fieri uolumus, ut scilicet ante legum minas sufficiẽtib. signis deos esse nobis persuadeatis, nec posse illos præterq; fas est, muneribus ullis moueri. Nunc enim hæc & similia quædã audiẽtes prædicari quotidie ab ijs qui excellere putãtur, poetis, oratoribus, uatibus, sacerdotibus, alijsq; permultis, ab iniuria quidem faciẽda nõ remouemur: sed cum fecerimus, placare deos conamur. A uobis aũt qui atroces nullo modo, sed mites legũlatores esse gloriamini, poscimus ut persuasione prius adhibita quòd dij sint ita doceatis, ut etiam si non multo sublimiora q; alij, ueriora tamen loquamini. Fortè namq; uobis credemus. Quare si æquũ quid postulamus, morem gerite. CLIN. Atqui ô amice, facile est ue-

De dijs

ritatem hanc ostendere quòd dij sint. ATHEN. Quo pacto? CLIN. Primum quidem terra, sol, sidera, ipsumq; uniuersum, temporũ quoq; ornatissima uarietas, annis, mensibusq; distincta id ostendunt, Græcorũ præterea barbarorumq; omniũ cõsensus, deos esse fatentium. ATHEN. Timeo ô beate uir, sceleſtos homines: timeo inquã, non erubesco, nec uereor, ne fortè uos contemnant. Vos enim differentiæ istorum causam ignoratis, & incontinentia uoluptatum cupiditatumq; tantũmodo putatis ad impiam animos eorum uitam corruere. CLIN. Sed quænam præter ista, alia istorum causa hospes est? ATHEN. Quod uos ipsius expertes penitus fugit. CLIN. Quid hoc? ATHEN. Ignorantia quædam certe grauissima, quæ maxima uidetur esse prudentia. CLIN. Quo pacto inquis. ATHEN. Feruntur apud nos sermones, partim metro, partim soluta oratione cõscripti, qui apud uos propter disciplinæ ciuilis excellentiam, ut audio, nõ reperiuntur. Quorũ antiquissimi primam cœli aliorumq; naturam deorum factam fuisse affirmãt, nec multum progressi, deorum generationem consuetudinemq; inter se narrant. Quæ quoniã prisca sunt, quantum ad alia quidẽ siue recte, siue nõ recte se habeant, reprehendere nõ facile est, ad cultũ tamẽ honorẽq; genitorũ, nec utilia ipsa, nec uera esse fatebor. Prisca igitur dimittamus, deq; illis, ut dijs placet, dicamus: iuniorũ uero sapientũ uerba sicubi mala hominib. afferãt, incusemus. Profecto istorũ uerbis illud efficitur, ut cũ ego & tu hæc ipsa signa esse, q; dij sint, asserimus, solemq; ac lunã, sidera & terrã, quasi deos & res diuinas in mediũ adducimus, tunc iuuenes ab istis sapientibus aliter persuasi, terram & lapides hæc esse dicant, nullãq; humanarũ rerum curam habere posse: sed uerbis tãtum ornatis uerisimiliter sermonẽ de istis esse digestum. CLIN. Graue id certe hospes, etiam si solũmodo unus dixisset. Nunc uero eo grauius & molestius est, quo plures sunt qui dicunt. ATHEN. Quid ergo dicere, quid ue facere nos oportet? Vtrum quasi apud impios homines accusati simus, q; falsos deos esse legibus affirmauerimus, ad defensionem accingemur? An his dimissis ad legũ tractationem iterum reuertemur, ne proœmium legum nobis hoc excrescat in longum: cũ oratio breuis futura non sit, si pronis ad impietatẽ hominibus quæ requirunt, sufficiẽter ostendere uoluerimus, atq; etiam terrore illos à scelere amouere, demum uero quemadmodum conuenit, leges ferre? CLIN. Sæpenumero in hoc breui tempore hospes à nobis dictum est, breuitatẽ non esse prolixitati anteponendã. Nihil enim nos, ut dicitur, urget. Quare ridiculũ simul & prauum esset, si breuiora melioribus præferremus. Multum enim cõferet, si uerisimili ratione sermo noster ostenderit q; dij sint, & boni sint, iustitiãq; multo magis quàm homines colant. q; ferè optimum pulcherrimũq; legum omnium erit exordium. Quamobrẽ absq; ulla molestia atq; festinatione, pro uiribus nihil prætermittamus, quod ad hanc rem persuadendã pertineat. ATHEN. Iste sermo tuus adeo te paratũ prom-

promptumq; ostendit,ut ad preces uotumq; uideatur prouocare,nec moram amplius patiatur. Verum quomodo absq; offensiõe esse aliquis deos differat? præsertim cum necesse sit, grauiter ferre odissecq; eos,qui horum uerborum nobis causam præbuerunt. Hi certe à pueritia ad deos affirmandos eo maxime inducere animum potuerunt,quod dum lacte nutrirẽtur,à nutricibus matribusq;,multa de illis ioco & serio dicta decantataq; in orationibus audiebant,& in sacrificijs uidebant consentanea quæq; illis fieri, quæ suauissime pueri & uident & audiunt, dum parentes eorum summo studio pro se liberisq; sacrificare,orareq; supplices,deos,quasi quammaxime dij sint,uiderent:nec non quotidie in ortu & occasu solis ac lunę Græcos & Barbaros omẽs tam in rebus aduersis quàm secundis conspicerent,supplíciter adorare:atq; ex hoc non suspicionẽ quòd dij nõ sint afferre: sed testimonium quòd sint absq; controuersia perhibere. At uero qui hæc omnia,nulla ratione,ut mentis compos quilibet diceret, moti despiciunt: propterea q; nos ad hæc dicenda compellunt:quo pacto eos nunc mansuetis uerbis corrigere, & primum quòd dij sint docere possumus?audeamus tamen:nec enim decet,cum illi uoluptate perdant, nos quoq; ira in eos corrumpi. Quapropter omni cõcitatione animi extincta proœmiũ ad eos qui ita mẽte corrupti sunt,aggrediamur: & quasi ad unum eorũ ita orationẽ mansuete uertamus. O fili,iuuenis adhuc es:nec dubito, quin progressio tẽporis faciat, ut de multis aliter q; nunc,sentias.Expecta igitur oro,ut tunc de rebus maximis iudices. Maximum autem est quod tu modo nihil arbitraris,ut recte de dijs sentiẽtes, bene uiuamus. Verum si hoc in his permagnum tibi certificauero,minime mentiar. Non tu solus nec amici tui primi,hanc de dijs opinionẽ habetis,sed aliqui semper, tum plures, tum pauciores hoc modo laborant. Quod uero plurimis illorum contigit,tibi narrabo. Profecto nullus eorũ ab adolescentia usq; ad senectam in hac opinione quòd dij nõ sint perseuerauit. Reliqui autem duo morbi quamuis non multis, nonnullis tamen permanserunt: quòd dij sint quidem,sed de rebus humanis nihil curent. Vel quòd curent, sed facile precibus sacrificijsq; placentur. Tu igitur si mihi credes,expectabis, donec plane cõstet tibi pro uiribus, quid de his iudicandũ sit. Vtq; id assequaris,diligenter considerabis,siue sic siue aliter se res habeat:& à cæteris omnibus,& à legum latore maxime scisciteberis. Interea noli iam temerarius esse,ut impie de dijs sentias. Is enim qui tibi leges ponit,& nunc & postea, quomodo ista se habeant,docere conabit. CLIN. Optime hucusq; hospes nobis est dictũ. ATH. Prorsus est ita ô Megille atq; Clinia. Sed in mirabilem quendam sermonem nescientes incidimus. CLIN. Quemnam? ATHEN. Qui à multis sapiẽtissimus esse putatur. CLIN. Dic clarius. ATHEN. Res oẽs nonnulli aiunt, quæ fiunt, quæ futuræ, quæq; factæ sunt, uel natura,uel fortuna,uel arte fieri. CLIN. Et probe quidem. ATHEN. Certe nõ absurdum est uiros sapientes probe dixisse. Quare sequamur ipsos:inquiramusq; quidnam intellexerũt CLIN. Omnino. ATH. Maxima dicunt atq; pulcherrima natura fortunaq; fieri: Arte uero minora:eamq; dicunt accepta à natura magnorum primorumq; operum generatione, fingere, fabricareq; minora omnia, quæ artificiosa ab omnibus appellantur. CLIN. Quomodo id ais? ATHEN. Sic planius dicam. Ignem, aquam, terram, aerem, omnia hæc non arte sed natura & fortuna esse dicunt. Corpora etiam quæ post hæc sunt: rerum terrenarum, solis, lunæ, stellarum omnium, ex istis anima prorsus carentibus facta fuisse aiunt: fortunaq; quo unumquodque uis sua impulit lata, singula singulis,frigida calidis,sicca humidis,mollia duris, & omnino contraria contrarijs, duce fortuna conuenisse,ac necessario contemperata fuisse. Hoc pacto cœlum totum, & quæ in eo sunt omnia,animalia quoque, & plantas, & anni tempora fuisse producta: non per intellectum,neq; per deum aliquem,sed natura,ut diximus, atq; fortuna. Ex quibus artem postea mortalem à mortalibus factam,posteriores quasdam res genuisse, non penitus ueritatis participes, sed simulacra quædam sibi ipsis cognata, qualia pictura, musica, cæteraq; artes his similes generant. Si quæ uero artes serium aliquid faciunt,eas esse quæ uim suam cum natura communicant: qualis est medicina, agricultura, gymnastica. Ciuilem præterea peritiam aiunt, parua quadam parte cum natura, magna uero cum arte concurrere: atque ita uniuersam legum positionem non cum natura, sed cum arte,cuius positiones ueræ non sint,conuenire. CLIN. Quonam pacto? ATHEN. Deos ô beate uir,non natura,sed arte & legibus quibusdam constare uolunt,eosq; alijs alios,prout sin-

Res oẽs uel natura uel fortuna, uel arte fieri

guli ſecum conſentientes lege ſanxerunt. Pulchra uero uel honeſta, alia natura, alia lege conſiſtere. Sed iuſta natura minime eſſe: imò uero homines de his ſemper inuicem diſceptare, & noua quotidie conſtituere: & quæ nuper ſtatuerunt, quatenus illis ſic placet eatenus eſſe iuſta, non natura quidē, ſed arte & legibus ſtabilita. Hęc ſunt ô amici quæ ſapientes uiri, tum poetæ, tum ſcriptores alij iunioribus tradiderūt, dicētes iuſtam eſſe eam poſſeſſionem, quæ ui & uictoria cōparatur. Vnde iunioribus impietas innaſcitur, ut credant non eſſe deos, quales credere leges iubent. Hinc etiam ſeditiones oriuntur, per quas ad eam homines uitam quaſi ſecundum naturam rectam trahuntur, qua ita uiuāt ut cæteros uincant, nec ſecundū leges alijs ſeruiant. CLIN. O qualem hoſpes rem narraſti, qualemq; peſtem iuuenū & publice ciuitatibus, & priuatim domibus ſuis illatam? ATHEN. Vera narras ô Clinia. Sed cum ita res ſe habeat, quid legumlatori agendum cenſes? An ſolū minari omnibus hominibus debet? eos oīno pœnas daturos, niſi deos eſſe credant, talesq; opinentur, quales à legibus traduntur: deq; honeſtis & iuſtis & maximis quibuſq; rebus, ac de uirtute & prauitate, ita omnino arbitrentur & agāt, ut legumlator præſcripſerit. Si igitur nō paruerint, alios mortis ſupplicio, alios flagellis & uinculis, alios dedecore, alios exilio, egeſtateq; puniendos. Itáne minabitur quidem tantum legumlator, ut autem in legumlatione perſuaſionem minis adiungat, qua mitiget, nihil curabit? CLIN. Miníme hoſpes, ſed ſiqua in huiuſcemodi rebus uel modica perſuaſio inueniri poteſt, non debet legūlator qui modo alicuius precij ſit, labore inde deterreri, ſed quammaximo, ut dicitur, clamore poteſt, priſcæ legi auxilium ferre, rationibusq; oſtendere quòd dij ſint, & quæcunq; ipſe pauloante dicebas: atq; ipſi legi & arti ita ſuffragari, ut uel natura, uel nō minus quàm natura conſtare affirmet, cum mentis ipſius proles ſint, ut recta ratio mōſtrat: quā tu modo dicere mihi uideris, & ego credo. ATHEN. O paratiſſimi animi Clinia, nónne arduum eſt, ea rationibus proſequi, quæ ita per omnes diuulgata ſunt, ipſaq; prolixa ſunt, nec breuitatem patiuntur? CLIN. Quid hoſpes? cum tam multa de ebrietate & muſica dicerentur, eam prolixitatem æquo animo tulimus: de ijs uero talibusq; rebus plura dicentem non auſcultabimus? Enimuero legumlationi prudēter diſpoſitæ, magnum hinc patrocinium eſt futurum, cum legum mandata literis tradita quæ toto tempore futuro rerdargutioni ſubiecta eſſe ſolent, ſic comprobata quieſcant. Quare terreri non debemus, ſi auditu ardua principio ſunt, quæ uel tardi ingenij homines ſæpius repetēdo animaduertere poterunt. Hæc igitur licet prolixa, ſi modo utilia ſunt, non uidentur abijcienda. Nec æquum eſt hos ſermones pro uiribus non defendere. MEG. Optime mihi hoſpes Clinia loqui uidetur. CLIN. Et maxime quidem ô Megille, quare faciendum eſt ut dicit. Profecto niſi ſermones iſti inter omnes, ut ita dixerim, homines uulgati eſſent, nihil opus eſſet, deos eſſe rationibus demōſtrare. Nunc uero neceſſe eſt. Cum igitur maxime leges ab improbis hominibus corrumpantur, cuiuſnam magis q̄ legumlatoris officiū eſt, auxiliū ferre? MEG. Nullius certe. ATH. Verum dic mihi Clinia, participem enim te rationis huius eſſe oportet, Nónne qui hæc dicit, ignem, terram, aquam, & aerem, prima omnium putare uidetur? atq; hæc eadem naturā uocare, & ex his poſteriorem animam arbitrari? Imò non uidetur ſolum, ſed iſta nobis oratiōe ſua uere ſignificat. CLIN. Ita prorſus. ATHEN. Num igitur per Iouem quaſi fontem quendam inuenimus ſtultæ illorum opinionis, qui nunquam quæſtiones rerum naturalium attigerunt? Conſidera obſecro, & rationem omnem ſcrutare. Non enim parum intereſt, ſi oſtenderimus eos qui impijs rationibus innituntur, cæterosq; ad impietatem trahunt, non recte ſed peruerſe diſſerere. Mihi igitur de his ita uidetur. CLIN. Probe dicis, ſed coneris iſta oſtendere. ATHEN. At uidebor rationibus uti non conſuetis. CLIN. Ne uerearis amice. Intelligo enim quòd putabas longe te à propoſito ferendarum legum abire, ſi diſputationem hanc ingrediamur. Verū ſi non aliter conuincere poſſumus recte ſe habere quæ de dijs ſecundum legem modo dicūtur, dicendum eſt omnino. ATHEN. Dicam iam nouam hanc penè inauditamq; rationem. Quod generationis corruptionisq; omnium prima cauſa eſt, non primum, ſed poſterius factum illi ſermones affirmarunt, qui animos impios effecerunt. Quod uero poſterius, id prius. Quare ueram deorum ſubſtantiam ignorarunt. CLIN. Nondum intelligo. ATH. Qualis anima ſit, & quā habeat uim, omnes fermè ignoraſſe uidentur, tum quo ad alia, tum quo ad eius generationē, quod ante omnia corpora nata ſit, & tranſmutationis decorisq;

Reijcitur opinio dicentiū omnium principia eſſe corpora

decorisq; corporum ipsa sit maxime omniũ princeps. Si hæc ita sint, nónne quæ animæ ipsius propria sunt, necessario priora his erunt, quæ ad corpus pertinẽt, cum ipsa corpore sit antiquior? CLIN. Necesse est. ATHEN. Ergo opinio, cura, intellectus & ars & lex, duris & mollibus, grauibus atq; leuibus priora sunt. Quare ingentia & prima opera, operationesq; ipsæ artis in primis erunt: quæ uero natura sunt, & natura ipsa, quam nõ recte sic appellant, posterius sunt, & artem intellectumq; sequuntur. CLIN. Cur non recte? ATH. Quia naturam generationum circa prima dicere uolunt, primaq; ponunt corpora. Si autem nõ ignis, nec aer, sed anima primo esse uidebitur, anima ipsa corpore antiquior rectissime affirmabitur: & hæc ipsa ita natura constare, si animã corporibus antiquiorem esse constiterit: aliter uero nequaquã. CLIN. Vera loqueris. ATH. Num deinceps ad hæc ita pergemus? CLIN. Ita prorsus. ATH. Rationem cauillatoriam fallacemq; fugiamus, ne si forte iuuenilis ipsa nos senes fefellerit, ridiculos reddat, uideamurq; magna aggressi ne parua quidem consecuti fuisse. Si amnem profundum rapidumq; tres ipsi transire uellemus, & ego iunior uobis, fluctusq; magis expertus dicerẽ, periculum me primũ uobis in tuto relictis facere oportere, utrum transiri fluuius à uobis senioribus possit, an nõ, & postea facto periculo, aut adhortari uos ad transitum, aut si transiri non possit, me solum periculum subijsse, modeste loqui uiderer. Non aliter modo cum ratio profundior adeunda sit, fermeq; uestris uiribus non accessibilis, ne uertiginẽ tenebrasq; uobis faciat, ad eas uos quæstiones deducẽs, quibus consueti nõ estis, atq; hoc pacto dedecore tristitiaq; afficiat, periculũ in me primo ita faciundũ censeo, ut & meipsum interrogem, & mihi ipsi respondeã, & hoc pacto uobis in tuto audientibus, totam hanc de anima disputationẽ pertranseam, qua prior esse corpore ostẽdatur. CLIN. Optime hospes loqui uideris, facitoq; ut dicis. ATHEN. Age igitur modo magis quàm unquã deum omni studio inuocemus, cum deos esse diligenter demonstrare conemur, rationemq; ingrediamur, rudentibus tutissime tensis. In hac autem disputatione, interrogationibus huiusmodi sic securissime respondere uideor, siquis roget. O amice, stant ne omnia, nihilq; mouetur: an contrà, stat nihil, cuncta mouentur? uel aliqua mouentur, aliqua permanent? Huic uticq; respondebo manere alia, alia uero moueri. Nónne in aliquo loco stant & mouentur? Quid ni? Nonnulla in una sede id faciunt, nõnulla in pluribus. Eáne dicis quæ stantium in medio uires capiunt, in uno moueri: quẽadmodum circuli stare dicuntur, licet circunferentia eorum uertatur? Ita prorsus, intelligimus autem quod in hac circulatione, cum huiusmodi motus maximum simul minimũq; circulum circunducat, secũdum proportionem, se ipsum maioribus minoribusq; dispertit: & ipse quoq; proportione seruata maior est & minor. Propterea cunctorum factus est fons mirabilium. Vnà enim cum magnis paruisq; circulis uelocitates tarditatesq; conuenientes ita transigit, ut incredibile quiddã peragere uideatur. Vera narras. In multis uero moueri, dicere mihi uideris, quæcunque ex alio in alium semper transeunt locum: & nõnunquam alicuius centri unius obtinent basim nõnunquam plura: eo quod circunuoluantur: & cum singula sibi inuicem passim occurrant, si stantibus resistentibusq; obuia fiunt, scinduntur: sin uero contrà latis, unum facta tam hæc quàm ipsorum intermedia coniunguntur, atque condensantur. Fateor uticq; hæc ita se habere, ut tu ais. Atqui coniuncta densataq; augentur, disiuncta uero rarefactaq; minuuntur, quando prior singulorum habitus permanet: quando uero non permanet, propter utraq; corruptio sequitur. Fit igitur omnium generatio, quando passio quædam sit; cum uidelicet principium capto incremento ad secundam perueniat translationem, & ab hac in proximã: cumq; ad tres usq; peruenerit, in sentientibus sensum habuerit. Hac ergo transmutatione atq; translatione quodlibet gignitur. Vere autem est, quando permanet. Quod si in alium habitum permutatum sit, iam penitus est corruptum. Species motuum omnes præter duas ô amici iam diximus. CLIN. Quas illas? ATHEN. Illos ô bone uir motus nondum diximus, quorũ pene gratia tota hæc consideratio est. CLIN. Dic planius. ATHEN. Animæ gratia disputationem hanc aggressi sumus. CLIN. Maxime. ATHEN. Sic ergo alter motus, quo quid alia semper mouere potest quidem: seipsum uero non potest. Alter quo quid & seipsum semper & alia potest mouere, coniungendo, disiungendo, augendo, & contrà: generando præterea & corrumpendo. Qui motus à cæteris omnibus est distinctus. CLIN. Sint ut uis. ATHEN. Nónne motum illum

Aggreditur demõstrare deos esse

nonum

nonum ponemus: quo aliquid ab alio mouetur, & alia mouet? Decimũ uero collocabimus illum, quo se mouet & alia: qui certe omnibus actionibus & passionibus se accommodat: rerumq; omnium quæcunq; sint, reuera motus & transmutatio nuncupatur? CLIN. Ita prorsus. ATH. Quem potissimũ ex decem motibus cæteris omnibus tanquam robustissimum & efficacissimũ præponemus? Necesse est eum quo quid & se & alia mouere potest, longissimo interuallo præcedere, cæteros autem omnes esse longe posterio res. CLIN. Probe. ATHEN. Sed unum uel duo non recte locata, aliter ponenda sunt. CLIN. Quænam? ATH. Quod de motu decimo diximus, non recte est dictum. CLIN. Quare? ATHEN. Quia qui decimo enumeratus est, tam generatione q̃ robore secundum rationem primus est. Secundus uero, quem nono absurde loco enumerauimus. CL. Quomodo hæc dicis? ATHEN. Sic. quando aliud ab alio mouetur: idq; rursus semper ab alio: erit ne in talibus aliquid quod primo moueatur? At quomodo id cum ab aliquo moueatur, eorum quæ mouentur, primum erit? Certe impossibile id est. Sed quãdo aliquid seipsum mouens, aliud quoq; mouebit: illudq; aliud, & sic deinceps plurima mouebũtur: an aliud totius motus principium erit, q̃ mutatio eius quod seipsum mouit? CLIN. Egregie dictum id, & concedendum est. ATHEN. Præterea sic nosipsos interrogemus, & ipsi nobis respondeamus, Si quouis modo uniuersa simul steterint, ut plurimi talium audent dicere, quem motum potissimũ ex omnib. primũ in ipsis fieri asseremus? Eum profecto, quo quid seipsum mouet: Motus enim dependens ab alio, non prius incidet, q̃ alia quædam ipsis inciderit permutatio. Quapropter initium omnium motionum primumq; motum, qui & in stantibus factus sit, & in his quæ mouentur modo insit, illum fateri necesse est, quo quid seipsum mouet: & hanc esse antiquissimam omnium potentissimamq; mutationem: secundam uero illam, qua quid ab alio mutatur, & alia mouet. CLIN. Verissime dicis. ATHEN. Postq; hucusq; disputando deuenimus, hoc quoque respondeamus. CLIN. Quidnam? ATHEN. Si primum motum in terreno uel aquatico uel igneo corpore, siue simplici, seu mixto uiderimus, quam inesse ipsi passionẽ dicemus? CLIN. Nun quid rogas, si uiuere ipsum dicendum sit, quod à seipso mouetur? ATHEN. Id ipsum. CLIN. Viuere certe. ATH. Quid uero cum animam esse in aliquo uiderimus, num ob aliud uiuere ipsum q̃ ob hoc putabimus? CLIN. Ob hoc ipsum. ATH. Attẽde per Iouem obsecro nũquid uelis tria in re qualibet intelligere. CLIN. Quo pacto? ATHEN. Vnum substantiam ipsam. Vnum substantiæ rationem. Vnum quoq; nomen ipsum. Interrogationes etiã de omni re duas esse? CLIN. Quomodo duas? ATHEN. Quod uidelicet non nunquam nomine nobis proposito, rationem ipsam quæramus: nonnunquam rationem assecuti, nomen iam inuestigemus. Sed uolumus ne hoc iterũ dicere? CLIN. Quidnam? ATHEN. Bipertita distinctio, & in alijs, & in numero reperitur. Et in numero sic diuiso, nomen quidem, par est: Ratio autem, numerus in duo æqualia diuisibilis. CLIN. Certe. ATHEN. Tale aliquid dico. Nónne idem in utroq; significamus, siue nomen interrogati, rationem: siue rationem interrogati, nomẽ reddamus? quandoquidẽ unam eandemq; rem nomine quidem parem, ratione uero numerum in duo æqualia diuisibilem appellamus. CLIN. Idem omnino. ATHEN. Rei uero illius cui nomen est anima, quænam ratio est? Num habemus aliam rationem, præter eam quam modo diximus, quod ipsa possit seipsam mouere? CLIN. A seipso moueri asseris rationem esse illius substantiæ quam nomine omnes animã appellamus? ATHEN. Assero equidem. Quod si ita est, an adhuc desideramus sufficientius demonstrari, idem esse animã, & primam generationem ac motum rerũ quæ sunt quæ fuerunt, quæq; futuræ sunt: omniumq; rursus istis contrariorum? quandoquidẽ transmutationis motusq; omnis omnibus causa esse apparuit. CLIN. Minime. Nam sufficientissime monstratũ est, animã omnibus antiquiorem esse, cum motus principiũ sit. ATH. Nónne igitur motus qui ab alio in alio fit: quóue nihil unq; seipsum mouet, secundus est, & quoto quis uelit numerorũ interuallo superiori motui postponẽdus? siquidem corporis uere inanimati mutatio est. CLIN. Probe. ATHEN. Recte igitur & proprie, uereq; & absolute diximus, prius corpore animam factã fuisse, corpus uero posterius atq; secundo, animę secundum naturã dominanti subiectum. CLIN. Verissima hæc sunt. ATHEN. Recordamur nos in superioribus concessisse, si antiquior corpore anima declaretur, illa etiam quæ animæ competunt, ijs quæ corporis propria sunt, priora

Quæ antiquissima & potẽtissima mutatio

Animæ ratio quòd potest seipsam mouere

priora esse simul declarari? CLIN. Maxime. ATHEN. Affectus ergo, mores, uoluntates, cogitationes, ueræ opiniones, curæ, memoriæ, omnia hæc longitudine corporũ, latitudine, profunditate, robore, prius facta sunt, sicut & anima corpore. CLIN. Necesse est. ATH. Num etiam concedere cogimur bonorum & malorũ, honestorum & turpium, iustorum & iniustorum, cæterorumq; contrariorum causam esse? siquidem causam omniũ ipsam asserimus. CLIN. Cur non? ATH. Animã cuncta gubernantẽ, & in omnibus quæ mouentur habitantẽ, nõne & cœlum gubernare necessario cõfitebimur? CLIN. Omnino. ATHEN. Vnam an plures? Plures certe, ut ego pro uobis respondeam. Nec pauciores quàm duas ponere debemus, unam beneficam, cõtrariam alteram. CLIN. Recte admodum. ATHEN. Vniuersa ergo quæ in cœlo sunt, quæ in terra, quæ in mari, suis motibus anima ducit: quibus nomina sunt, uelle, considerare, curare, consultare, recte & non recte opinari, lætari, dolere, audere, metuere, odisse, diligere, & cæteris prẽterea motibus omnibus, qui horum affines primiq; sunt, qui & secundos corporum motus susci pientes, omnia in augmentum decrementumq; perducunt: concretionem, uel condensationem, & discretionem, uel rarefactionem: & in ea quæ ista sequuntur, caliditates, frigiditates, grauitates, leuitates, durum, molle, album, nigrum, austerum, dulce, amarũ: & deniq; omnibus, quibus anima usa si intellectum quoq; semper diuinum acceperit, recte cuncta dijs recta feliciaq; perducit: sin uero amentia coniuncta fuerit, omnia his contraria facit. Damus ne ista sic se habere? an adhuc ambigui sumus? CLIN. Nullo modo ambigimus. ATH. Vtrum ergo animæ genus, cœlum, terrã, totumq; orbem regere arbitremur? quod mente uirtuteq; refertũ est? an quod caret utrisq;? Vultis ne ut ita respondeamus? CLIN. Quo pacto? ATH. Ita dicamus ô mirifice uir, si uniuersus cœli circuitus, & omnium quæ in eo sunt, progressio, mentis motui & circulationi, & rationi similem habet naturam, & simili quadam ratione peragitur, cõstat optimam animũ totius mundi curã habere concedendum esse, unde tali ratione circumuoluatur. CLIN. Recte. ATH. Sin uero furiose & sine ordine mouetur, malam. CLIN. Hæc quoq; recte. ATH. Quã igitur mẽtis motus naturam habet? Sed ad hanc quæstionem ô amici prudenter respõdere difficile est, Quare par est ut ego uobiscum respondeam. CLIN. Probe loqueris. ATHEN. Cauere itaq; debemus, ne quasi ex oppositio ad solem conuersi, & in meridie noctem agẽtes, perinde respondeamus, ac si mortalibus oculis mens sufficiẽter cõspici cognosciq; possit. Tutius enim uidebimus, si ad imaginem eius respiciamus. CLIN. Quo pacto dicis? ATH. Videamus cui potissimum decem illarum agitationum similis sit intellectus, ut tanq; imagine hac utamur. Eam ego in memoriã uobis reducã, & pro omnib. respondebo. CLIN. Optime. ATHEN. Meminisse oportet & illud à nobis in superioribus esse dictum, omnium quæ sunt, alia stare, alia uero moueri. CLIN. Sic dictum fuit. ATHEN. Quinetiam eorum quæ mouentur, nonnulla uno in loco, nonnulla in pluribus agitari. CLIN. Hoc quoq;. ATHEN. Motus autem qui semper in uno fit, necessario circa medium aliquod agitur, & circuli torno confecti similis est: ideoq; mentis circuitum pro uiribus imitatur. CLIN. Quomodo id dicis? ATHEN. Per eadẽ certe, eodem modo, in eodem, circa eadem, ad eadem, una ratione, & ordine uno ferri utraq; assero. Nempe si dicamus mentem motumq;, qui in uno sit, spheræ torno confectæ lationibus similes, nunquam rudes bonarum imaginũ opifices erimus. CLIN. Recte admodum. ATHEN. Contrà ergo motus qui nunq; similiter, nec per eadem, nec in eodem, neq; circa eadem, neq; ad eadẽ, neq; in uno fertur, nec ordine nec ornatu rationeq; aliqua, omni profecto amentię cognatus est. CLIN. Proculdubio. ATH. Iam ergo aperte possumus clamare, cũ ab anima cuncta circunducantur, necessarium esse cœli circuitum à procurante exornãteq; anima circunduci, siue optima illa quidẽ, siue cõtraria. CLIN. At hospes ex dictis iam apparuit, nefas esse aliter dicere, q; ab anima, omni uirtute referta, siue una seu pluribus hęc omnia circumagi. ATHEN. Optime tu Clinia citoq; hæc intellexisti. sed illud adde. CLIN. Quidnam? ATHEN. Si solem, lunã, cæteraq; sidera anima ducit cuncta, nõne singula quoq;? CLIN. Quid ni? ATHEN. De uno igitur uerba faciamus, quæ astris omnib. possunt accõmodari. CLIN. De quo? ATH. Solis quidẽ corpus omnes homines uident, animã nemo, nec etiam alterius animalium corporis, nec uiui, nec mortui, Idq; genus cum nullo corporis sensu percipiatur, sola mente comprehenditur. Quare & nos de ipso, hoc sola intellígentia

Quę sint nomina motuum animæ

Anima coniuncta intellectui producit omnia recte

Quàm reuerenter cẽsendum sit de deo

Translatio disputatõis

tia capiamus. CLIN. Quidnam? ATHEN. Cum ſolem anima moueat, ſi trium modorum aliquo ab ea fieri hoc aſſerimus, fortaſſe non aberrabimus. CLIN. Quos dicis modos? ATHEN. Quod uel intus in hoc rotundo corpore ineſt, & quólibet ipſum transfert quẽadmodum nos anima noſtra quòlibet ducit. Vel ipſa foris quidem eſt, & corpus aliquod ignis uel aeris nacta, ut quidam aiunt, per uim corpus corpore pellit. Vel tertio, quamuis ipſa nuda corpore ſit, quia tamẽ alias uires ſupra modũ mirabiles habet, facile ducit. CLI. Certe uno iſtorum modorum ab anima agitari cuncta neceſſe eſt. ATHEN. Præſtat autem, ut ſiue curru quodã intrinſecus teneat corpus illud eius anima, lumẽq; ita cũctis effundat, ſiue foris ſit, ſeu quomodocunq; quis excogitet, deum eſſe ipſam omnes arbitremur. An aliter? CLIN. Ita certe, niſi quis extrema dementia teneatur. ATH. De uniuerſis præterea ſtellis & luna, annis, mẽſibus, cunctiſq; temporibus, quid aliud q̃ hoc ipſum dicemus? Quoniam anima & animæ omnibus uirtutibus prædítæ horum omnium cauſæ demonſtratæ ſunt, deos eſſe eas affirmabimus: ſiue in corporibus ſint, & tanquam anima lia quędam cœlum totum exornent, ſiue quomodocunq; aliter agere id dicantur. CLIN. Omnino. ATH. Ita ergo iſtis conceſsis, poterit ne aliquis negare plena deorũ omnia eſſe? CLIN. Nullus adeo mente captus eſt hoſpes. ATH. Ei ergo qui deos eſſe negat, poſitis terminis ô Clinia & Megille ſermonem iam relinquamus. CLIN. Quos terminos imponemus? ATH. Vt uel doceat nos non recte opinari, cum animam generationem primam omniũ dicimus: cæteraq; à nobis conſequenter dicta, uera non eſſe. Vel ſi nihil melius q̃ nos dicere poteſt, nobis credat: & ita in poſterum uiuat, ut de dijs nõ ambigat. Verum conſideremus nunc utrum ſufficienter deos eſſe aduerſus negantes oſtendimus, an non. CLIN. Sufficienter dictum eſt hoſpes. ATHEN. Diſputatio igitur aduerſus iſtos, finem habeat. Sed ille iam, qui quamuis deos eſſe dicat, curam tamen humanarum rerum negat habere: ſic à nobis eſt perſuadendus. O uir eximie, dicamus, natura quædã diuinitati cognata ad rem tibi coniunctam affirmandam colendamq; ducit, quando deos eſſe aſſeris. Sed improborum iniuſtorumq; hominum publice priuatimq; ſucceſſus, qui licet re uera felices non ſint, uulgo tamen felices habent, & carminibus frequenter cæterisq; ſermonibus extolluntur, temere ad impietatem te præcipitem agunt: aut etiam cum ſceleſtos homines uideas ad ſenium uſq; ita deuenire, ut filios atq; nepotes in maximis relinquant honoribus, ualde turbaris. Audiſti fortaſſis, aut etiam ipſe uidiſti nonnullos, quam uis iniuſte & impie multa geſſerint, propter ipſa tamen ſcelera ex re parua in magnam, & ex infimo gradu ad tyrannidẽ peruenisſe. Propterea cum deos harũ rerum auctores eſſe propter ipſam cum illis coniunctionem incuſare, & aduerſus eos peccare nolis, nõnulla ductus abſurditate, ac dijs ipſis ſuccenſere nõ uolens, huc tandẽ delapſus es, ut licet deos eſſe arbitreris, humanas tamen res ab illis negligi credas. Ne igitur hæc opinio ad grauiorem te trudat impietatis morbum, remedium pro uiribus opinionẽ hanc refutantes, adhibeamus. Quocirca ſequentẽ diſputationem cum præcedente illa ratione iungemus: qua aduerſus eos etiam qui deos eſſe negabãt, uſi ſumus. Tu uero Clinia & Megille, pro adoleſcente, ut feciſtis hactenus, reſpondete. Atq; ego ſi arduum quid inciderit, uos ſuſcipiẽs ut nunc feci, trans fluuium ducam. CLIN. Recte dicis, & ita facito. nos quoq; pro uiribus faciemus. ATHEN. Non erit forſan difficile demonſtrare, deos non minus minimarum rerum q̃ maximarũ curã habere: præſertim cum paulo ante dictũ fuerit, eos omi uirtute refertos, prouidentiam omnium ſibi propriam uendicare. CLIN. Et maxime quidem. ATHEN. Quod ſequitur, communiter inueſtigemus: quæ ſit uirtus eorum qua boni eſſe conceduntur. Age, nónne temperatum eſſe, mentemq; habere, uirtuti dantur, & contraria uitio? CLIN. Certe. ATHEN. Quid porrò? Nónne fortitudo uirtuti etiam datur: timiditas uitio? CLIN. Valde. ATHEN. Et horum alia turpia, alia honeſta dicunt. CLIN. Neceſſe eſt. ATHEN. Et quæ in his uitia ſunt, nobis quidem ineſſe poſſe: deos uero eorum participes nullo modo dicemus? CLIN. Hæc etiam quiuis concederet. ATH. Nunquid negligentiam, delitias, otium, animi uirtutẽ putabimus? An aliter? CLIN. At quomodo? ATH. Num contrà? CLIN. Ita ſane. ATHEN. Horũ ergo contraria in contrarium. CLIN. Sic utiq;. ATH. Qui delicijs, negligentiæ, otioq; deditus eſt, quẽ Heſiodus ignauis maxime ſucis ſimilem dicit, nónne odio nobis habetur? CLIN. Rectiſsime profecto poeta ille cecinit. ATHEN. Non ergo dicendus deus eos mores habere, quos odit, nec permittendus

Solem mouet anima

Deos humanarũ rerum curã habere

Virtus deorum

mittendus est ullus ita dicere? CLIN. Nullo modo. ATHEN. An ille, ad quem operis alicuius effectio & cura maxime pertinet, magna in eo opere curabit, parua cõtẽnet? Quo modo si hanc opinionẽ laudauerimus, nõ errabimus. Sed ita istud cõsideremus. Nónne siue homo siue deus, duabus de causis negligit? CLIN. Quibus? ATHEN. Vel quia nihil interesse totius putat, si parua negliguntur: uel quia licet interesse opinet, pigritia tamen mollitieq; detentus, negligit. Aliter em̃ negligẽtia nõ contingit. Nam quando quis non potest omniũ curã gerere magnorũ paruorumq;, atq; ideo imbecillitate impeditus non curat, negligentia tũc in eo esse non dicitur, siue homo quidã sit impotens, siue deus aliquis non posse fingatur. CLIN. Non certe. ATHEN. Sed nunc illi duo tribus nobis respondeant, qui licet deos esse cõcedant, alter tamen facile placabiles, alter in rebus paruis negligentes putat, primumq; sic interrogentur. Ambo deos asseritis scire, uidere, audireq; omnia: nihilq; ipsos effugere posse eorũ quæ aut sensu aut intellectu percipiunt? hæc ne ita se habere dicitis? an aliter? Sic. Deinde omnia eos posse quæcunq; mortales immortalesue possunt? CLIN. Absque dubio ita esse concedent. ATHEN. Bonos etiam, imò optimos esse omnes quinq; confessi sumus. CLIN. Omnino. ATHEN. Nulla ergo pigritia, nulla mollitie capi eos possibile: quãdo quidem tales sunt, quales esse consensimus. Nã à timiditate in nobis otiũ nascit: pigritia uero ab otio atq; mollitie. CLIN. Vera loqueris. ATHEN. Nullus ergo deorum otio pigritiaq; corruptus quicq; negligit. Nullius enim timiditatis deus est particeps. CLIN. Probe. ATHEN. Ergo relinquitur si paruas paucasq; in uniuerso res negligunt, ut ita negligant, aut quia contemnenda illa esse sciunt, aut quidnã aliud reliquũ est, q; huius contrariũ? CLIN. Nihil penitus. ATH. Vtrum ergo ô uir eximie te dicere affirmabimus? an quod propter ignorantiã, cum prouidere debeant, non prouideant? an sicut improbos homines dicimus, meliora quidẽ uidere, sed uoluptate aut dolore fractos deteriora sequi, sic deos quãuis sciant prouidendũ esse, tamen non prouidere? CLIN. Quomodo id fieri potest? ATHEN. Præterea res humanæ, uiuẽtis naturæ participes sunt: & homo ipse præ cæteris animalibus dei cultor diligentissimus est. CLIN. Apparet. ATHEN. Quinetiam mortalia cuncta uiuentia à dijs fieri possideriq;, quemadmodũ & cœlũ uniuersum, dicimus. CLIN. Proculdubio. ATH. Iam ergo seu parua hæc siue magna quis dixerit dijs esse, nullo modo cum prouidentissimi atq; optimi sunt, negligẽda sibi sua possessio est. Sed istud præterea cõsideremus. CL. Quidnam? ATHEN. Num sensus & uires contrario inter se modo ad facilitatẽ difficultatemq; se naturaliter habeant. CLIN. Quid ais? ATH. Parua quippe difficilius q; magna uidentur & audiuntur. Facilius autem tenẽtur feruntur q; & prouidentia gubernantur parua omnia & pauca, quàm eorũ contraria. CLIN. Certe multo facilius. ATHEN. Quid uero? cum medicus totũ corpus curare uelit ac possit, si magnis prouiderit, parua contempserit, an bene huic unquam se totum habebit? CLIN. Nunquam. ATHEN. Sed nec gubernatores, nec imperatores, nec patresfamilias, neq; ciuitatũ moderatores, neq; ulli omnino tales, paucis paruis neglectis recte multa & ingentia gubernabunt. Nam lapides quoq; magnos sine paruis bene strui negant architecti. CLIN. Certe. ATHEN. Cà ueamus autem ne deum mortalibus opificibus uiliorem putemus. Isti sane quanto peritiores sunt, tanto arte una in propriis ipsorum operibus & parua simul & magna exquisitius absolutiusq; perficiũt: Deus uero qui sapientissimus est, & curare potest ac uult: magnis quidem prouidebit solum, parua autem quæ facilius gubernari possunt, propter pigritiam & ignauiam negliget? CLIN. Nullo modo hanc hospes de dijs opinionem admittendam putamus. Nefaria enim hæc & falsa penitus cogitatio. ATHEN. Satis iam aduersus eum, qui negligentiæ crimine deos incusat, disputasse uidemur. CLIN. Certe. ATHEN. Verum hactenus quodammodo ratione coegimus, ut falsa se opinari confitere tur. Indigere quoq; persuasione, qua ueluti cantu quodã capiatur, existimo. CLIN. Quæ nam hæc persuasio est? ATHEN. Huic adolescẽti persuadeamus, eũ qui toti prouidet, ad uirtutem salutemq; totius omnia ordinare, cuius pars quæq; pro uiribus quod sibi cõuenit agit & patitur: atq; his singulis præpositi principes sunt, qui minimarum etiam actiõnum passionumq; per singulas & extremas uniuersi particulas distributione ad ultimũ usq; peracta curam habent. Quarum una tua ô miser particula est, quæ ad totum semper respicit, quamuis minima sit. Tu uero ignoras omnem singulorum generationem illius

gratia fieri, ut uniuersi ipsius beata uita sit. eius substãtia nõ tui gratia est, sed illius tu gratia factus es. Medicus enim & artificiosus opifex omnis, totius gratia singula facit, & ad cõmunem perfectionem dirigit omnia: non totũ ad partem, sed partes ad totũ singulas referens. Tu aũt moleste fers, quia ignoras quo pacto quod tibi optimũ est, uniuerso simul & tibi pro cõmunis generationis uiribus conuenit. Quoniã uero anima cũ corpore semper, modo cum alio, deinde cum alio cõiuncta, uarijs mutationibus, aut propter se ipsam, aut propter aliam animam cõmutatur, nihil aliud harum rerũ ordinatori tanq; talos iacienti restat, q; ut quasi transponendo permutet, meliores quidẽ mores in meliorẽ locum: in deteriorem uero deteriores, prout singulis cõuenit, ut sortem sibi congruã singula consequant. CLIN. Quomodo id ais? ATH. Ea ratione mihi dicere uideor, qua facillime dij cunctis prouideant. Nam si quis ad totũ semper respiciens fingit quæq;, & ad ipsum omnia transfigurat, ut ex igne aquam animatã, nec multa simul ex uno uel ex multis unũ, primæ, aut secũdæ, aut tertiæ generatiõis participãtia multitudine infinita transpositi huius ornatus erunt. Nũc autem mira facilitas in eius opere est, qui toti prouidet. CLIN. Quo pacto id rursus ais? ATH. Quoniã rex ille noster actiones hominũ oẽs animatas esse perspexit, multamq; ipsas in se uirtutẽ, multã etiam prauitatẽ habere, quo due factum est animam & corpus, perditionem non pati, neq; tamen æternum esse, qua lege dij sunt: nam si alterutrum horum perderetur, omnis cessaret animalium generatio: præterea quod ipsius animæ bonum est, iuuare, quod malum, contrà nocere: hæc inquã omnia quoniã perspexit, idcirco excogitauit ubi pars quæq; locata maxime, optime, facillimeq; uirtuti uictoriam, uitio uero ne uincat, impedimentum in uniuerso præbere possit. Adinuenit igitur ad uniuersum hoc, quale factũ quodlibet qualem sedem habitationẽq; & qualia loca sortiri debeat. Causas uero huius uel illius generandi, uolũtatibus nostris permisit. Vbicunq; eñ quis cupiat, qualisq; animus sit, ibi fermè semper habitat, & talis fit, ut plurimum. CLIN. Congrue. ATH. Quæcunq; igitur animam habent, transmutantur: quippe cum transmutationis in seipsis causam habeant. Transmutata secundũ ordinem legemq; fatorum feruntur. Et quæ minus peccarũt, minus profunde, ac in regionis superficie uagantur: quæ magis atq; atrocius, decidũt in profundum, & in regionem inferiorem delabuntur, quam inferorũ uocabulo similibusq; nominibus appellantes, tam uiuentes q; à corporibus soluti somniant atq; formidant. Anima uero quæ maioris uirtutis uel uitij compos est, quando propria uoluntate & assidua cõsuetudine uehementius permutata, diuinæ uirtuti adhæsit, talisq; præcipue facta est, in locum similiter longe meliorem sanctumq; transfertur: quæ uero contrario modo affecta est, in contrariũ translata, uitã peragit suam. Hoc deorũ qui cœlum habitant ô puer & adolescens qui à dijs neglegi putas, iudicium est: ut qui peior sit, ad peiores, qui melior, ad meliores animas, tam in uita q; in omni morte proficiscatur, patiaturq; & agat quæ à similibus ad similes fieri oportet. Quare nec tu, nec alius ullus, optet cõfidatq; se adeo felicem fore, ut iudiciũ hoc deorum effugiat atq; exuperet. Nam qui hoc sanxerunt, firmius, quàm cætera omnia stabilierunt, ut cauendum omnino sit. Nunquã enim ab illo negligeris, nec si ita paruus sis ut in terræ profundũ ingrediaris, nec si adeo sublimis fias, ut pennis elatus in cœlum uoles: sed cõuenientia supplicia dabis, siue hic manens, siue ad inferos profectus, siue ad remotiorem aliquem inaccessibilemq; locũ translatus. Eadem quoq; de illis ratio sit, quos per nefaria scelera ex paruis in magnos uiros euasisse intuitus, putasti ad felicitatẽ ex miseria peruenisse. Quorum in operationibus uelut in speculo, deorũ ad omnia negligentiam inspexisse existimasti, quòd uidelicet ignorabas ad quid eorũ progressus uniuerso conducant. Non oportet autem hoc ó uir præstantissime ignorare, quod qui nescit, nec uiuendi formam unquam cõspiciet, nec uerba de uitæ beatitudine uel miseria facere poterit. Quare si Clinias hic, & uniuersus hic seniorũ cœtus tibi persuasit, te quid de dijs dicas penitus ignorare, satis tibi deus fauerit: sin uero rationẽ adhuc aliquã desideras, audi quæ ad tertiũ illum dicemus, siquo pacto mentis es particeps. Profecto deos esse, hominibusq; prouidere, satis arbitror demonstratum. Sed iniquorum hominum eos muneribus corrumpi, nullo modo dici permittendum est: & si dicatur, omnino pro uiribus refutandum. CLIN. Præclare dictum: & sic agamus. ATHEN. Age igitur per deos ipsos, quonam modo placabiles fiunt, siquo pacto fiant; & qui & quales sunt, si placãtur? principes

cipes enim esse eos necesse est, qui totũ cœlũ perpetuo gubernaturi sunt. CLIN. Certe. ATHEN. Sed quibusnã principibus similes sunt? qui ue illis principes similes, ut possibile nobis sit, minores maioribus cõparare? Vtrũ aurigę aliqui certantiũ bigarũ tales sunt? aut nauium gubernatores? Fortasse autem exercituũ ducibus conferri possunt, uel medicis: qui bella morborũ ab humanis corporibus arcent atq; propulsant: aut agricolis inimicas orientibus stirpibus tempestates timentibus cauentibusq;, aut etiam gregũ armẽtorumq; pastoribus. Nam cum inter nos cõuenerit, multorũ bonorum, multorũq; malorũ, & quidem pluriũ, plenum esse cœlum, immortale aliquod bellum hoc est, & mirabili custodia indiget. sed opitulantur nobis diį simul & dæmones. Nos aũt deorũ dæmonumq; possessio sumus. Verũ iniustitia & intemperantia unà cum imprudentia nos corrũpunt. Iustitia uero & temperantia cum prudentia, quæ in uiribus deorũ animatis inhabitãt, salutem nobis afferunt. Breue autem aliquid horum habitare in nobis manifeste hinc licet conspicere. Nam animæ in terra quædam habitantes iniustæ, & ferarũ instar atroces, aduersus custodum animas, canum puta aut pastorũ, uel etiam præcipuorum omniũ domi norum insurgunt, uerborumq; lenociniįs, deprecationeq; quorundam cantuum persuadent, ut fama malorũ est, licere male agendo inter homines sibi plurima usurpare, nec aliquam inde pœnam persoluere. hoc nos delictum, quo ad usurpationem pluriũ inhiatur, in corporibus animalium morbum uocamus, in anni temporibus pestilentiam, in ciuitatibus rebusq; publicis commutato nomine iniustitiam. CLIN. Omnino. ATHEN. Necesse est igitur eum qui credit deos ueniam hominibus iniustis præbere, siquis ipsis rapinæ partem tribuerit, dicere eos esse ueluti canes, quibus lupi particulam rapinæ concedant, & illi muneribus his placati, greges diripi patiantur. Nónne hic eorũ sermo est, qui placabiles esse deos prædicant? CLIN. Hic certe. ATH. Sed quibus prædictorum custodum deos aliquis conferens non erit omniũ hominum ridiculosissimus? Vtrum gubernatoribus, qui libatione uini atq; nidore carniũ deuoluti, nauem simul nautasq; euertunt? CLIN. Minime. ATHEN. Sed neq; aurigis, qui dum certant, corrupti muneribus, aduersariorum curribus uictoriam ipsam cõcedant. CLIN. Non certe. Turpis enim hæc in deos comparatio. ATHEN. Atqui nec imperatoribus, nec medicis, nec agricolis, nec pastoribus similiter persuasis, nec etiam canibus astutia luporũ blande seductis. CLIN. Bona uerba quæso. Hæc enim audienda non sunt. ATH. Nónne custodum omnium maximi & in maximis rebus diį omnes? CLIN. Ita prorsus. ATH. An optimarũ rerum custodes, & in uirtute custodiæ nimiũ excellentes, deteriores esse dicemus q̃ canes homines q; mediocres, qui nunq̃ muneribus ab iniustis hominib. impie acceptis iustitiã proderent? CLIN. Nequaq̃ hic sermo ferendus est, & qui hac opinione laborat, impiorũ omnium iure pessimus & prophanissimus iudicabit̃. ATH. Tria igitur illa quæ proposui mus, deos uidelicet esse, omniumq; curam habere, nec prẽter iustum precibus ullis flecti posse: sufficienter ostendisse uidemur. CLIN. Certe & his nos rationibus assentimus. ATHEN. Vehementius quodammodo propter improborum hominum controuersias diximus. Sed hac de causa ô amice Clinia contentiosa usi sumus oratione, ne praui dicendo se uicisse putantes, licentiã sibi datã credant faciendi quæcunq; uelint, & qualiacunq; aduersus deos existiment facienda. hac inquam de causa, noua quadã, & uehementiori dicendi ratione uti uoluimus. Quod siquid ad persuasionem attulimus, ut iam uelint mores suos odisse & cõtrarios cõplecti, probe nobis exordiũ legum de impietate dictũ est. CLIN. Speramus ita fore. sin minus, at genus orationis legum latori dedecori non erit. ATHEN. Post exordiũ sermo legum interpres recte sequitur: qui impijs omnibus prædicet, ut à suis moribus ad pietatem sese conuertant. Aduersus eos autẽ qui non paruerint lex ista de impietate ponatur. Siquis impie quicq̃ agit uel loquitur, qui forte præsens fuerit, deos defendat, magistratibus significet. Quorũ qui primi audierint, ad harum rerũ iudicium, secundũ leges deferant. Quod si quis magistratus audierit neq; detulerit, ipse impietatis reus fiat, & qui uelit, pro ultione legum prosequatur. Et si quis cõdemnatus fuerit, iudices hũc pro singulis impie cõmissis, singulis quibusq; afficiãt supplicijs. Carceribus quidem omnes coerceantur. Tres uero sunt in ciuitate carceres. Vnus plurimis cõmunis in foro rerum uænalium: ubi multi ne fugiant, custodiuntur. Alter ubi cœtus eorum fit, qui nocte congregant̃, correctionis nomine appellatus. Tertius in media regio

ne:ubi quãmaxime deſertus ſylueſtriſcꝫ locus eſt, ſupplicij nomine notatus. Tres quoꝙ impietatis,ut ſuprà narrauimus,cauſæ ſunt.Cumꝙ in ſingulis huiuſmodi cauſis duo quę dam proficiſcantur,ſex erunt aduerſus deos genera peccatorum,quæ ut dijudicentur di gna ſunt,nec æquali ſimiliꝙ pœna indigent. Nam alij quamuis deos eſſe non credant, ta men propter iuſtum aliquem naturæ affectum, malos oderunt, & odio quodã aduerſus iniuſtitiam moti ab iniurijs abſtinent: iniquos fugiũt,iuſtos homines diligunt. Alij uero ad hanc opinionem,quòd deorũ præſentia deſtituta omnia ſint:proniores quoꝙ ad uo luptates doloresꝙ ſunt: acumine etiam, & memoria pollent. Vtriſꝙ id eſt cõmune, ut eſſe deos negent.In hoc autem differũt:quòd cæteris hominibus ille minus, hic plus no cet.Ille quidẽ libere aduerſus deos,ſacrificia, iuſiurandum obloquitur: atꝙ ita alios deri dendo,niſi puniatur,multos forſan ſibi ſimiles faciet. Hic uerò eandem habet opinionẽ, ſed acriori ingenio præditus uulgo putat, doloꝙ & inſidijs plenus eſt. Ex iſtis multi ſor tilegi fiunt,& ad omne ueneficij maleficijꝙ genus prompti.Fiunt præterea ex iſtis non nunquam tyranni,exercituũ duces,cõcionatores,& qui ſolennitatibus priuatis inſidian tur, & qui homines captiunculis ſophiſtarum decipiunt. Horũ profecto multæ quidem ſunt ſpecies: ſed legũ poſitione dignæ duæ.quarũ quæ diſſimulatione referta eſt,ſcelera parit non una tantũ morte uel duabus digna,ſed plurib.Altera caſtigatione ſimul,& uin culis indiget.Similiter opinio qua dij negligentes exiſtimantur,duo gignit:& qua facile uotis muneribusꝙ placabiles,alia duo. Cum ita impij diſtincti ſint: eos quidẽ qui nõ ma lis moribus,ſed amentia quadam tales facti ſunt,in correctionis carcerem non minus ꝙ quinquennium permanſuros iudex conijciat. Quo in tempore nullus cum ipſis ciuium colloquatur,præter eos qui nocturni cœtus participes ſunt:hi uero admonentes,ad ſalu tem animæ colloquantur.Cùm autem uinculorũ tempus exactum fuerit,qui modeſtior factus eſt, unà cum modeſtis habitet:quod ſi rurſus impietatis crimine condemnabitur, morte plectatur. Sed ſunt nõnulli qui ad eam opinionem quòd dij ſint,uel negligentes, uel placabiles ſint,immanes quoꝙ fiunt,homines ꝙ deſpiciunt,& uiuentes ad ſe multos alliciunt, attrahũtꝙ: nec nõ defunctos ſe trahere cõſolariꝙ dicunt,profitenturꝙ ſe deos ipſos cantibus,ſacrificijs,uotisꝙ mulcere.Et hoc lenocinio conantur domos & ciuitates uniuerſas pecuniarum gratia perdere.Eorum qui damnatus fuerit in mediterraneis car ceribus uinciatur,nec ullus liber unquam ad eum accedat: ſed ſtatutum ipſi à legum cu ſtodibus cibum ſerui afferant. Vita deniꝙ functum, extra regionis fines inſepultum eij ciant.Quem ſiquis liber ſepelierit,à uolente impietatis crimine accuſetur.Quod ſi filios reliquerit ciuitati ſufficientes, orphanorũ tutores horum non minus quàm reliquorum, ab eo die quo damnatus fuerit curam habeant.Sed cõmunis de omnibus his lex iſta po natur, quæ faciet ut multi minus uerbo & re in deos peccent, & ut ab amentia reuocen tur:ex eo quod non licebit deos ſibi deorumꝙ ſacra prẽter leges effingere.Sit autem lex huiuſmodi ſimpliciter cunctis impoſita.Sacella nemo in priuata domo habeat.Cum ue ro animum quis ad ſacrificandũ induxerit,ad publica ſacrificaturus accedat, & ſacerdo tibus hoſtias præbeat, qui curam harum rerum caſtiſſime gerunt.Quibus cum & ipſe o ret,& quicunꝙ cum eo ſimul orare uelit.Hæc ideo ita fiant,quia ſacella & deos inſtitue re non facile eſt. Quippe magni ingenij eſt recte rem iſtam facere. Solent autem mulie res prẽcipue,ac imbecilliores,& in periculo conſtituti & indigentes ubicunꝙ quiſpiam indigeat,& contrà quãdo facultas rei alicuius affluit,quod adeſſe uidetur ſemper conſe crare, hoſtiasꝙ uouere, & ſtatuas dijs atꝙ dæmonibus & deorũ filijs polliceri. Phantaſ matibus cõmoti uigilantes, & in ſomnijs ſimiliter multa ſe uidiſſe præ formidine recor dati, ubi remedia ſingulis afferre conãtur,aris ſacelliſꝙ omnes domos uicosꝙ replerũt. Quorum omnium gratia lex iſta ponenda eſt,ac prẽterea impiorũ cauſa,ne iſta ſibi ope rationibus uſurpantes, ſacella & aras ſuis in domibus ſtatuant, putentꝙ deos clam uo tis,ſacrificijſꝙ placare: atꝙ ita in infinitum ſuam iniuſtitiam augeant, unde tam ad ſe ꝙ ad eos qui ſibi iſta permittunt,quamuis illi meliores ſint,indignationem deorum prouo cent:quo pacto tota ciuitas iure quodammodo impietatis crimine teneatur.Legum qui dem latori deus minime iraſcetur. Lex enim ſit, Sacella deorum neminem in priuatis do mibus poſſidere.Si uero quiſpiã habuiſſe, ſacrificaſſeꝙ alibi quàm in publicis deprehen datur: qui ſenſit, ad legũ cuſtodes deferat. Ipſi autẽ ſi nihil magni ſceleris à fœmina ſiue

Nemo ſacel la in domo priuata ha beat

à uiro

à uiro factum sit, ad publica templa iubeant priuata sacra deferri: & si non ilico delata fuerint, mulctent, donec deferantur. Si quis autem non puerilem, sed nefariam impietatem cõmiserit, siue in suis priuatim, siue in publico deorum cultu sacrificando deliquerit, morte ut impure sacrificans condemnetur. Puerile uero esse uel non, custodes legũ iudicent, tractosq; ita impios in iudicium, impietatis reos esse declarent.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI IN DIALOgum undecimum De legibus.

PLATO noster quemadmodum & philosophorum omnium sapientissimus, & eloquentissimus oratorum, ita iurisconsultorum omnium prudentissimus, ne in contractibus cogeretur, ut solent cæteri, uastum legum interpretationumq;, & id quidem frustra, opus conficere, merito antequam descenderet ad contractus, forensiaq; commercia, studuit disciplinis, legibus, iudicijs, religione ciues bonos efficere, sperans iustos homines, uel absque legibus sponte fidem & ueritatem in omni commercio præstituros. Et profecto admodum opportune post leges de iudicijs pertinentibus ad personas, leges iudiciorum ad res spectantium adducit in medium, quibus tam aduenæ quàm ciues discant iuste deponere, seruare deposita atq; pacta: aliena nõ mouere, sua cuiq; reddere: uti liberis, & libertis, & seruis: uendere, emere, reddere, ducere, militare, tueri pupillos, testari, testamenta seruare, hæreditates administrare, nuptias conciliare, diuortium facere, familiã gubernare: præ cæteris uero parẽtes religiose uereri, nihil adulterare, ueneficia odisse, irã insaniãq; uitare: iurgia, contumelias, detractiones fugere, restituere damna, ueritatẽ in testimonijs iuramentisq; seruare. atq; hæc fermè est undecimi huius libri materia, Post hæc autẽ, ut solemus, obscuriora quædam arbitramur breuiter exponenda. Principio deam itineris geminã esse scito, indicatricem scilicet atq; seruatricem. Et illam quidem esse lucem sub nomine Lunæ: hanc uero sub Dianæ nomine fidem. & quicquid casu quodam alienũ in itinere repertũ est, deo esse dicandum, ut agnoscas fortunam prosperã esse ad dei prouidentiam referendam. Contemplare Platonicam bonitatem, uidelicet uetantẽ in emendo atq; uendendo, nõ solũ rem adulterare, mentiri, peierare: sed iurare etiam, imò uero & rem uenalem laudare, & in eadem die preciũ permutare. Vbi illud edisce: Nemo dijs inuocatis mendacium dicat, aut decipiat, aut adulterare uerbo uel re quicquã audeat, nisi deo uelit odio esse: cui quidem primum odio est, qui falso iurans deos paruipẽdit: deinde qui corã maioribus se mentitur. Et uide iterum atq; iterum quàm libera & integra Plato optet ingenia ciuium, à quibus omnem cauponandi licentiam procul expellit. Addit quoq; tum opulentiam, tum egestatem esse morbum ingeniorũ. Inde enim inflatiores, hinc debiliores abiectioresq; homines fieri. Vbi uero ait Palladem, Vulcanumq; & Martẽ artibus præsidere, ex multis Platonis mysterijs alibi atq; alibi traditis collige: Ioui summo mundi architecto trinitatem quandam numinum, quam opificiũ Platonice nominamus, semper adstare. In qua quidem trinitate prima sit Pallas: secundus autem Vulcanus: Mars uero tertius. Sed quemadmodum trinitas tota ad Iouem ipsum, à quo est, refertur: ita fermè Vulcanus & Mars referũtur ad Palladẽ. Mitto nunc quod in Marte potentiam, in Pallade sapientiã, in Vulcano igneum spiritum somniasse uidetur. Tria certe ad ipsam Iouis arcem qua uniuersum perficit, requirũtur. Primum quidem ratio ipsa per quam singula sit facturus. Secundum efficax eorum quæ ratione conceperat, expeditio. Tertiũ eorũ quæ in effectum expediẽda sunt salus atq; defensio: Ideam primi Palladem, secundi Vulcanum, tertij Martẽ nominat. Et quia utrumq;, scilicet tam conseruatio siue defensio, quàm expeditio uel expressio rerum, indiget ratione atq; sapiẽtia: ideo Pallas & Vulcano præest & Marti, & quicquid uel à Vulcano fabricatur, uel à Marte postquam fabricatum est defenditur, & in sua forma seruatur, Pallade duce peragitur. Horum uero trium in arte diuina regnantiũ, tria quoq; in natura uidemus uestigia: per Palladem quidem ordinem quo singula disponuntur, per Vulcanũ uero efficacem progressum & promptum quasi partum ad quæ omnia properant, per Martẽ deniq; munitissimã structuram à generantibus adhibitam genitis, & uaria propugnacula naturam propriã à contrarijs defendentia, Tria similiter in arte humana quidem omni, maxime uero ciuili esse debent: ut singula & sapiẽter prius quàm fiant excogitẽtur: & mature strenueq; expediantur: & ea forma qua excogitata expromptaq; sunt, seruẽtur atq; fortiter defendantur. Et ut cognoscamus artem humanã in his omnibus absoluendis nõ minus quàm naturam ab ipso deo ideisq; pendere, inquit tres illos deos humanis artibus præsidere. At ne solas à dijs artes habuisse putemus, addit deos uitæ datores reuereri maxime omnium oportere, adeo ut uel eorum nomina nõ sint uel impudenter uel temere proferenda, sed omnia uel minima ad eos pertinẽtia, pure, reuerẽter, castéq; tractãda. Quibus præceptis nihil potest sanctius excogitari, si modo non deos sed deum nominasset. Sed ecce unam Iouis summi substantiã introduxit, neq; multiplicauit substantias, dum multiplicaret ideas. quidnam ultra in eo desideramus? Quinetiã ubi deos nominat, non aliter sentit quàm qui dixit, Millies mille ministrabant ei. Neq; uero silentio prætereundũ est, quod ait animã à deo uitã accipere, intelligẽdam esse uitã mediã inter illam quæ in æternitate manet, qualis est angelica tota simul, atq; illam quæ quodam tempore clauditur. Mediam inquã, ex æternitate temporeq; compositã: in qua cœli instar substantia quidẽ semper

manet,actio uero & affectio fluit ſemper. Ideoq; in libro ſuperiore animam dixit & eſſe ſimul & fieri, eſſeq; imperdibilem:nõ tamen æternã,qua lege ſunt dij,id eſt nõ omnino manentẽ. Dixit aũt deos,id eſt angelos manere:nõ ex ſe quidẽ,ſed lege diuina,eos per ſe mobiles æterne ſiſtente. Ait corpus quoq; imperdibile eſſe, corpus certe cœleſte. Fortè uero & elemẽtale,quatenus & elementorum moles,& materia prima non diſperduntur:ex quibus in Politico inquit corpus idem quandoq; diuinitus recreari. Notabis ubi de teſtamẽtis loquitur,& perſonam & rem cuiuslibet ciuis,nõ ſuijpſius eſſe,ſed patriæ. Item ubi de orphanorũ cura tractatur, animas defunctorũ res noſtras ſentire atq; curare,ſentire inquã per corpus cœleſte atq; aèreum:& curare præ alijs alia,ad quæ uel natura uel habitu,uel diuina prouidẽtia magis afficiuntur. Præſertim animas quæ cum mediã tenuerint uitam,mediã quoq; obtinent regionem. Mediam dico tum ſitu,tum qualitate. Situ quidem inter cœlum & terrã,qualitate uero inter beatitudinem ſummã extremamq; miſeriã. Meminiſſe namq; oportet in libro ſuperiore fuiſſe dictum: quemadmodum certæ quædã naturæ congrua loca & conuenientes naturas aſciſcunt,ſic animas cum factæ ex ſe tales fuerint aut tales,conſequẽter pro ſimilitudinis ipſius natura ad gradus ſedesq; & ſimiles & ſimilium tranſmigrare: ut cœleſtes quidem factæ cœleſtia,terrenæ uero terrena, aereæ aũt aerea petant. Profecto cum alia nõnulla circa animas Plato affirmare nõ audeat,hucuſq; tamẽ,& hic & in libro de ſciẽtia euidentiſsime aſſerit,atq; alibi ſæpe ſignificat. Vnde & ait,cauendũ eſſe pupillos lædere,ne parentum animæ nobis iure ſuccenſeant. Idemq; in nono,dum ageret de homicidijs,inquit,animas ſcilicet interfectorib. indignari. Huic illud ſimile, Marianorũ animæ Syllã ſollicitabãt. hinc & tragœdiæ furentẽ Oreſtem agunt. Animaduertes poſt hæc ubi de parentũ cultu tractatur,honorãdas quidem ſacratas deorum ſtatuas,non propter ſe,ſed quia deos nobis ſignificant, ſed magis honorandos eſſe parentes, quaſi animata deorum ſimulacra. Addit imprecationes parentũ in filios exaudiri à deo,neq; quicquam accidere ſi lijs peſtilentius. Audies poſt multa iterum,quod eſt ualde Platonicum. Pœnis maligni uexantur,non quia fecerunt (nam quod factum eſt,infectum eſſe non poteſt) ſed nequid tale poſthac fiat:& ut iniuſtitiam odio tam qui puniuntur,quàm qui puniri intelligũt,perſequantur,aut ſaltẽ minus in ſimili uitio delinquatur. Præterea iudicem legum latoris interpretem eſſe, iuſtitiæq; miniſtrum. Punit deinde ſuſurrones detractoresq;,& qui in ira obiurgant atq; conuitiantur,& qui grauiores perſonas mordacibus iocis offendunt,& qui inter iocandum acrius iraſcuntur. Audies maxime timendam eſſe diuinam uindictam,ſiquis in teſtimonijs iuramẽtisq; mentitur. Audies deniq; in teſtimonio atq; iureiurando,ueritatem ipſam per Themidẽ Iouemq; & Apollinẽ eſſe firmandam. Per Themidem quidem ſignificatur ius faſq; & ciuile & ſacrum: & apud homines & apud deum,ut intelligat quiſquis iurando teſtificando; mentitur,contra ius faſq; humanũ,diuinum,contra homines,contra deum grauiter ſe peccare. Per Iouem uero,qui nutu omnia concutit,cognoſcat:ſi peccauerit,diuinæ potentiæ ultionẽ ſe nequaquã euitaturũ. Per Phœbum autem,ne confidat delicta ſua,præſentia uel præterita,eum latere poſſe,qui futura omnia uaticinio præſagit.

DIALOGVS VNDECIMVS DE LEGIBVS VEL DE LEGVM LATIONE.

SEQVITVR ut dicamus de pactis:conuenientemq; ijs ordinem tribuamus. Simplex autem illud ſit: ut nec mea quiſquam pro uiribus tangat, nec moueat meorum quicq; etiam minimum,niſi mihi perſuaſerit. Atq; ego idem dum mentis compos fuero,alienis in rebus efficiam. In primis quidem theſaurũ cum dicimus quẽ ſibi quiſq; & ſuis depoſuit, qui meorũ parentũ non erat,nec reperire unq; optarim,nec ſi repererim,moueã: nec ariolis depoſitũ accipere conſulentibus credam. nunquã enim mihi tantum pecunia proderit,ſi accepero,quantũ uirtute animi iuſtitiaq; excellam,ſi nõ accepero. Pro poſſeſſione igitur pecuniæ melior mihi poſſeſſio animi iuſtitia erit,ſi uirtutem diuitijs præpoſuero. Quippe cũ bene de multis dicaẽ: quæ immobilia ſunt,mouẽda nõ eſſe: perpulchre etiã de hoc uno dicetur. Sed uulgatæ quoq; de his rebus famæ credendũ eſt, generationi hæc liberorum non conferre. Siquis uero de liberis nõ curet,legisq; latorem negligat: ac ideo quæ nec ipſe,nec ſuorum aliquis depoſuit,eo inuito qui depoſuit, auferat; is legem illam optimam & ſimpliciſſimã aſpernatur,quam generoſus uir promulgauit, qui dixit, Quæ non depoſuiſti,ne tollas. Quid ergo hunc pati oportet,qui hos duos legislatores deſpexerit,quodq; ipſe non depoſuit,ſuſtulit:nec paruũ quiddã quod abſtulit, ſed magnus theſaurus fuerit? Quæ pœna huic à dijs debeatur, deus quidem ipſe nouit. Quæ uero ab hominibus,declarabimus. Qui primus uiderit,iudicibus indicet. Ac ſi in urbe delictum eſt,ædilibus:ſin uero in agro,agrorum curatoribus eorumq; principibus:ſi in foro rerum uenalium,earundem curatoribus id ſignificet. Recq; ita patefacta Delphos ciuitas mittat,

&

& quod oraculo dei tam de pecunia q̃ de illo qui pecuniam mouit, dictum fuerit, id ciuitas deum secuta confirmet. Et qui fecit indiciũ, si liber fuerit, in uirtutis ueniat opinionẽ, & contrà uitij, si sciens cęlauerit: sinautẽ seruus fuerit, precio à ciuitate domino eius colla ro, liberandus est. Seruus uero qui cælauit, morte plectendus. Hanc legem illa deinceps similis de paruis simul & magnis sequitur. Si quis rem suam alicubi uolens, uel contrà, re liquerit: nõ tangat qui fortè repererit, sed putet deã itineris à lege sibi hæc cõsecrata serua re. Quicunq; uero hac lege spreta, domũ hæc suã asportauerit, si seruus sit, & parui precij, à quocunq; obuiã facto, & ultra annos triginta nato uerberibus multis pulsẽ. Si nautem liber, illiberalis primo pręuaricatorq́; habeat, deinde etiã decuplum precij rei illius quam mouit, ei qui reliquit retribuat. Quãdo quis magnum aliquid de suis, uel paruũ ab aliquo teneri conqueritur: quod ille habere quidem fatetur, sed eius qui petit esse negat: si res apud magistratus conscripta est secundum legẽ, uocẽ ad magistratus qui tenet. Réq; ipsa patefacta, si conscriptum est alterius de aduersarij rem esse, ille ipse habeat. Quod si neutrius esse, sed absentis cuiusquam inueniatur, qui sufficientem fideiussionem nõ dederit, illi se absenti cuius est, rem traditurum, is tantundem deponere cogat. Verum si apud magistratus res qua de agit, conscripta non sit, tunc apud tres inter magistratus seniores usq; ad latam sententiam deponatur: ac si animal est de quo ambigitur, lata sententia qui cecidit causa, magistratibus ipsis impendium alimẽtorum restituat. Tribus uero diebus id iudicium absoluatur. Mentis quilibet compos seruũ suum honeste ipso usurus, ducat quò uelit, ducat etiam amicorum necessariorúmue nomine, ut fugitiuum restituat in gratiam. Quod si quis aliquẽ ut seruum ductum ad libertatem uẽdicet, dimittat quidem qui duxit: qui uero ita adducit, si tres fideiussores dignos habuerit, sic iure sit ereptus. Aliter si abduxerit uim intulisse uideatur: damnatusq; duplum damni ei restituat, à quo abstulit. Libertum quoq; suum unusquisq; ducere possit, si ab eo non colit, aut si non sufficienter colit. Cultus autem est, primum ut ter domini domum mensibus singulis ueniat: paratumq; ostendat facere quicquid honestum possibileq; sibi sit: deinde ut de matrimonio quicquid domino uidetur, faciat. Nec ei liceat maiores sibi diuitias comparare quàm ille possideat qui liberauit: sed quicquid plus habuerit, domino detur. Libertus autem sicut & peregrini, ultra uiginti annos in ciuitate non maneat: sed post id temporis, bonis suis acceptis abeat: nisi domino quondam suo & magistratibus persuaserit. Si autem liberti & peregrini alicuius bona tertium censum excesserint, trigesimo die postea q̃ hoc factum deprehensum' ue sit, rebus suis acceptis recedat, nec ulla ipsi ulterius manendi facultas à magistratibus concedatur. Huic legi si quis non obtẽperasse condemnatus fuerit, morte plectatur, & bona sua in publicum redigantur. Hæc tribuum iudices cognoscant: nisi prius per uicinos & arbitros, litigantes conciliati fuerint. Si quis animal aut rem aliam suam esse dicit, qui habet, ad eum referat qui uel uendidit, uel legitime sufficienterq; donauit: uel quomodocunq; aliter ualide firmiterq; tradidit: & ueritas si ad ciuem uel urbis incolam ille retulit, intra triginta dies inueniatur: sinautem ad externos, mensibus quinque: quorum medius ille sit mensis in quo ab æstiuo sol circulo ad hyemalem recurrit. Quæcunq; emendo uendendoq; commutantur, in statuto fori loco permutẽtur, dando accipiendoq; ultro citroq; rem & rei precium illico, nec alicubi alibi. nulla uero emptio uenditioq; ad terminũ fiat. Quod si aliter aut in alijs locis permutatio facta fuerit, nullum sit secundum legẽ de ipsa iudicium. Sed nec de collatione conuiuijsq;, cum nõnulli ad aliquid inter se agendũ, pecuniã uel quoduis aliud conferãt, iudicium reddatur. Venditor qui precium rei uendi tæ non minus q̃ triginta drachmas accepit, decẽ in ciuitate necessario dies expectet: nec diuersoriũ eius emptor ignoret. Id uero querelarũ redditionumq; legitimarũ gratia, quæ in his contingere solent, ita fieri uolumus. Redditio autẽ legitima à nõ legitima ita discernitur. Quando quis seruum uendidit phreneſi, uel calculo, uel stranguria, uel eo morbo quem sacrum appellant, aut alia quauis plurimis occulta & longa & ægre sanabili corporis siue mentis ægritudine laborantem, si medicus aut gymnasticus emit, reddere non liceat. Sed nec etiam quando uenditor emptori cuiuis ueritatẽ prædixerit. Sinautẽ artifex aliquis huiusmodi rerum peritus, ignaro & rudi cuipiam tale aliquid uendidit, qui emit, citra sex menses in alijs, in morbo uero sacro usq; ad annũ integrũ reddere possit. Iudiciũ uero harum rerum apud medicos agatur, quos communi consensu litigãtes elegerint. Et

qui condemnatus fuerit,duplũ precij eius quod uendidit emptori persoluat. Quod si imperitus imperito uẽdidit, quemadmodũ de superioribus dictum est,redditio iudicium q̃ fiat:& qui conuictus fuerit,simplex precium deferat. Quando quis homicidã uendidit,si sciens quidem scienti,non reddatur:si nescienti, tunc reddatur quando senserit emptor. Id uero iuniores de legum custodibus quinq̃ cognoscant. Ac si nõ ignorasse inuenietur, emptoris domum primo secundum legem interpretum à piaculis purget: deinde precij triplum illi deponat. Qui nummos pro nummis,aut queuis animalia,& cætera quęcunq̃ uelit,commutat,nec afferat nec accipiat adulteratum quicquam, legemq̃ istam diligenter obseruet. Sed huic quoq̃ legi, quemadmodum legibus alijs,exordium præponatur. Adulterationem quidem,mendacium, deceptionemq̃ quasi genus unum putare oportet. In quo sane multorum damnandus est sermo:qui hoc ipso, quandocunq̃ opportune fit,recte se uti affirmant. Cumq̃ occasionẽ ipsam ubi & quando non determinent,& sibi & alijs hoc uerbo multum officiunt. Legis autem lator ita interminatum istud non omittet,sed diligenter pluribus paucioribúsue terminis declarabit. Atqui & nunc ita determinetur. Nemo dijs inuocatis mendaciũ dicat,aut decipiat,aut adulterare uerbo uel re quicquam audeat,nisi deo uelit odio esse. Cui quidem primum odio est,qui falso iurans, deos parui pendit. Deinde qui coram maioribus se mentitur. Maiores uero alijs præstant:ut seniores communiter iunioribus: parentes natis,uiri mulieribus atq̃ pueris:principes subditis. Quos reuereri par est,cum in omni principatu,tum uel maxime in ciuili: cuius gratia in hunc sermonem incidimus. Quicunq̃ enim aliquid in foro adulterat,mentitur certe ac decipit,dijsq̃ aduocatis aduersus rerũ uenaliũ curatores eorumq̃ iura peierat. qua certe in re nec homines ueretur,nec deos colit. Æquum profecto est nomina deorũ non facile inquinare,nec ea huc atq̃ illuc deuoluere:sed omnia quæ ad deos pertinẽt, pure casteq̃ seruare. Qui his rationibus non persuadetur,hac lege urgeatur. Qui uendit in foro aliquid,nunquã suæ rei uenalis duo precia dicat:sed quum simplex imposuerit precium, si nõ uendiderit,referat:iterum,& eadem die,nec maius,nec minus precium petat. Laus autem rei uenalis & iuramentũ longe absit. Eum uero qui hanc legem transgredit, quilibet ciuis non pauciores quàm triginta natus annos,cum iurantem audierit, impune uerberibus cædat:quod si non fecerit,legum proditor habeatur. Eum uero qui legi non obtemperauerit,remq̃ adulteratã uendiderit:quicunq̃ aduertit,potestq̃,arguat: & qui coram magistratibus redarguerit,seruus quidem aut inquilinus rem adulteratam secum asportet. Ciuis uero si accusare neglexerit,quasi dijs sustulerit,improbus habeatur:sin accusauerit conuicerit q̃,dijs qui foro præsunt,dedicet. Huius autem rei qui deprehensus fuerit manifeste uenditor,non solum reipsa priuetur:uerum etiam tot uerberibus publice cę datur,quot drachmis uendebat,præconis uoce causa cur uerberetur,declarata. Sed uendentium omnem malitiam adulterationesq̃ ipsi rerum uenalium curatores custodesq̃ legum ab hominibus harum rerum peritis diligenter inquirant: & in columna conscriptas in foro proponant,ut planè ex his pateat, quid oportet, et quid nõ,uendentes facere. De ædilium uero legibus satis supra diximus. Et siquid deesse ædilitijs legibus uideatur, ædiles ipsi cum legum custodibus habito cõsilio suppleant:deinde in columna primas secundasq̃ institutiones inscribant. Post adulterationẽ sequitur ut de cauponatione dicamus: de qua consilium primo & rationem dabimus:legem deinde ponemus. Cauponatio omnis in ciuitate non nocendi gratia:sed contrà omnino naturaliter adinuenta est. Quomodo enim ille non prosit, qui rem pecuniariam immoderatam & inæqualem, ad æqualitatem modumq̃ redegit? Quod nummularius,mercator,mercenarius, & hospitalis diuersorij magister faciũt. hi enim cæteriq̃ huiusmodi,siue honestiores,siue turpiores,indigentiam supplere,rebusq̃ æqualitatem præbere conantur. Sed consideremus quænam huic rei causa calumniæ sit:& cur honesta non uideatur:ut & si non totum, attamẽ partem legibus ordinemus. CLIN. Res hæc,ut uidetur,nec exigua est,nec paruã uirtutẽ postulat. ATH. Quomodo dicis Clinia? Pauci admodum natura homines,& ij quidem optima educatione prædíti,quando egestate cupiditateq̃ rerum aliquarum afficiuntur, ita continere se possunt, ut moderate se gerant: & cum liceat magnam pecuniam capere, modica contenti sint, mediocritatemq̃ excessui anteponant. Vulgus autẽ contrà facit omnino. Immoderata enim cupit:et cum mediocriter lucrari liceat,inexplebili lucri cupiditate ue

xatur

xatur. Quocirca omnia genera hominum quæ in cauponatione, mercatura, diuersorioq; uersantur, calumniæ & opprobrio subiacent. Nam siquis, quod absit, neq; fiat unq; : modo cogeret (dicam enim & si dictu ridiculum est) siquis inquam, cogeret optimos ubiq; uiros ad aliquod tẽpus diuersoriis præesse, aut cauponari, aut huiusmodi aliquid facere, mulieres quoq; sanctissimas aliqua fati necessitate ad hæc similiter descẽdere: cognoscemus plane honesta & approbãda hæc omnia esse. Quippe nisi corrupte fierent, matrũ nutricumq; personam gerere non iniuria qui hæc faciunt, putarentur. Nunc uero in desertis locis ad quæ multæ longæq; ducunt uiæ, cauponandi gratia domos ædificant: optato diuersorio tempestate pulsos suscipiunt, & caloribus pressos recreant: deinde non tam quã amicos hospitalib. muneribus donatos remittunt: sed ut inimicos atq; captiuos crudeliter se redimere cogunt, rebusq; omnibus spoliant. Hæc autem cæteraq; huiusmodi in his omnibus turpiter acta, faciunt ut huiusmodi studia quæ indigentibus opem ferũt, calumniæ sint subbiecta. Quorum remedium à latore legũ excogitãdum est. Recte igitur iam olim trito prouerbio dicitur: Arduum esse aduersus duo contrariaq; pugnare. Quemadmodum in multis aliis morbis, & in isto contingit. Pugna enim nunc nobis ad duo imminet: diuitias atq; egestatem: quorum alterum hominum animũ delicijs mollitieq; corrumpit: alterum doloribus ad impudentiã trudit. Quod igitur remedium in ciuitate pruDenter instituta ad pellendum hunc morbum excogitabimus? Dãda est opera primum, ut quàm minimo pro uiribus cauponum genere in ciuitate utamur. Deinde his hominibus cauponandi artes cõmendandæ sunt, quibus corruptis nõ magnum ciuitas detrimẽtum incurrat. Tertio inuenienda uia & ratio est, ne facile impudentia atq; illiberalitate illorum hominum animi repleantur. His dictis hæc Magnesiensibus lex de huiusmodi rebus bona fortuna feratur: quorum urbem deus erigens, coli iterum facit. Nullus eorum qui de quadraginta & quinq; millibus domorum sunt, caupo mercatorq; nec sponte, nec inuitus fiat: nec priuati cuiusquã fiat minister, qui non ex æquo in eadẽ sorte sibi respondeat, nisi patris ac matris, aliorũq; genere maiorum cæterorũq; seniorum qui liberi sunt & libere uiuunt. Liberum uero & non liberum, non facile potest legibus exquisite distingui. Discernatur tamen ab optimatibus: ac odio & amore ipsorum dijudicetur. Eum uero qui illiberali cauponationi in aliqua arte operã dederit, uolens quilibet ad optimates, uirtuteq; primos quasi generi suo dedecori sit accuset. Est si paternam domum indigno studio maculasse deprehendatur, ab hoc opere uinculis annuis arceatur. Qui si iterum lapsus fuerit, biennium uinciatur. Ac deinceps quoties peccasse deprehenditur, duplo tempore semper detineatur. Altera lex iubet, ut peregrini duntaxat, & aduenæ cauponarias artes sequantur. Tertia lex cauendum monet, ut peregrinus ille uel incola, aut quàm optimus, aut quàm minime malus sit. Nec ignorare legum custodes debent, non solum obseruatores illorum se esse, quos ab iniquitate prauitateq; amouere difficile non est, qui bene nati educatiq; sunt: uerumetiam illorum multo magis, qui tales non sunt, & in artibus his uersantur, quibus ad improbitatem facilius impelluntur. Quum uero cauponatio multiplex atq; uaria sit, cum peritis singulorum eius generum custodes legum conueniant: & ut pauloante de adulteratione huic affini dicebamus, quæ necessaria ciuitati uidebuntur, ei fieri primo constituant. Deinde impendio & emolumento diligenter examinato, quid mediocre cauponi lucrum sit, uideant: & tam impendium quàm emolumentum conscribant. Obseruentur autem alia ab ædilibus: alia à rerum uænalium curatoribus, alia ab agri magistratibus. sic fermè cauponandi artes singulis proderunt, & minime oberunt. Siquis non uideatur pacta seruasse, nisi lex aut decretum prohibeat, aut necessitas & uis illata coegerit, aut inopinatus casus inuitum detinuerit: in alijs non seruati causam pacti tribuum iudices cognoscant: nisi uicini aut arbitri prius reconciliauerint. Vulcano & Palladi opificũ genus qui uitam nobis suis artibus instruxerunt, cõsecratum est. Marti uero & Palladi genus eorum qui artificũ opera cæteris quibusdam ad tutandũ auxiliandumq; paratis conseruant artibus. Nec ab re horum genus his dijs est consecratum. Hi enim omnes regionem populũq; curant. Alij quippe bellicis certaminibus præsunt. Alij stipendiaria opera instrumẽtaq; efficiunt. Hi profecto deos autores ueriti nemi nem mendacio decipere debent. Si autem artificũ aliquis in tẽpore statuto opus per malitiam nõ absoluerit, ac deum uitæ datorem cæcitate quadã animi ignoscere sibi tanquã

Prouerbiũ, Arduum aduersus duo pugnare

Opificũ dij

dome-

domeſticum ſuum aliquem arbitratus, ipſum minime uereatur: primũ deo ipſi pœnas dabit: deinde hac lege reus factus, operis quod in tempore non fecit, mercedem perſoluat: ac ab initio rurſus in eodem ſpatio temporis opus gratis efficiat. Sed quod uẽditori de rerum uænalium precio lex conſulit, idipſum opifici quoq; conſulit. Caueat ergo ne pluris q̃ æquum eſt, ipſe ſuum liceatur opus: ſed quàm ſimpliciſſime, & ut dignum eſt, licitatio fiat. Non enim ignorat opifex quo precio dignum opus ſuum ſit. Nec debet in libera ciuitate artifex arte ipſa quæ aperta res eſt, & à mẽdacio longe remota, rudes decipere. In his igitur iniuriam patienti aduerſus facientem iudiciũ reddatur. Siquis opifici mercedẽ ſecundum pacta non dederit: ſed Iouem ciuitatis tutorem Mineruamq; huius rei participem neglexerit, & paruo lucro motus, magnam hominũ ſocietatẽ pro uirili parte diſſoluerit, lex unà cum deorum auxilio ciuitatis unioni patrocinet̃. Qui pauperis accepti mercedem tempore quo pactus eſt, non obtulerit, duplũ reddat: ac ſi annus prẽterierit, quamuis pecuniæ acceptæ mutuo ſine uſura reddi debeant, hic tamẽ pro ſingulis drachmis ſingulas ſextas drachmæ partes menſibus ſingulis dato. Harum rerum cauſas tribuum iudices cognoſcant. Verum quoniam de opificibus mentionem fecimus, & imperatores cæteriq; bellorum artifices, modo quodã opifices ſunt, non alienum eſt, ut de his quoq; dicamus. Si ergo quiſpiam horum opus aliquod publicum, ſiue ſpõte, ſeu iuſſus ſuſceperit, rectèq; quod cœpit, abſoluerit, iuſte huic lex honores qui bellicoſis uiris præmia ſunt, ita reddet ut laudare nunquã deſinat. Si nautem ei qui rem bellicam bene geſſerit, nihil redditur: iuſte conquerẽt. Itaq; lex quædam de his cum laude mixta, quæ non cogat quidẽ, ſed conſulat multitudini ciuium, ponatur. Honorentur boni uiri, qui aut fortitudine, aut bellica quadam peritia, ciuitatem totam ſeruauerint: & maximi honores illis primo attribuantur, qui bonorum legum conditorũ leges præcipue coluerunt. Iam igitur de pactis quæ maxima homines inter ſe tractãt, præterquã de orbis atq; tutoribus, ferè iam dictũ eſt: de quibus nunc neceſſario eſt dicẽdum. Horum omnium initium eſt, eorum quidem qui mortui ſunt, ut libuit, teſtãdi cupiditas: eorum uero qui nihil teſtati ſunt, fortuna. Ob id autem neceſſario dicendum ô Clinia, dixi, quoniam huius rei difficultatem conſiderabam, nec enim poſſibile eſt abſq; ordine id relinquere. Nam multa ſinguli diuerſaq;, & inter ſe ac legibus & uiuentium moribus maioribusq; ſuis contraria propere teſtabũtur, ſi quis ſtatuet, quodcunq; teſtamentum in fine uitæ conditum fuerit, id omnino fore inuiolatum. Stulta enim & abiecta quadam moroſitate fermè omnes premuntur, quando morituros ſe iam arbitrantur. CLIN. Quomodo id ais hoſpes? ATHEN. Difficilis quædã res eſt, ô Clinia, homo iam moriturus, hiſq; uerbis frequentiſſime utitur, quæ legumlatores terrent atq; fatigant. CLIN. Quomodo iſtud? ATHEN. Nempe quum uelit ſuorum omnium eſſe dominus, hæc ſolet, & quidem cum ira dicere. CLIN. Quẽnam? ATHEN. Graue inquit eſt nimium ô diĳ, ſi mea mihi non licebit cuicunq; uolo relinquere: & aliĳs plura, aliĳs pauciora, prout erga me boni malíue liquido inuenti ſunt, tum in morbo, tum in ſenio, tum in aliĳs fortunis meis ſufficienter comprobati. CLIN. An nõ recte hoſpes tibi loqui uidentur? ATHEN. Priſci legumlatores ô Clinia, molles fuiſſe mihi uidentur, & ad minimum quid humanarũ rerum in ferendis legibus reſpexiſſe. CLIN. Quonam pacto? ATHEN. Illis morituri hominis uerbis ô optime uir, cõmoti legem illam ſcripſerunt: per quam licet cuiq; utcunq; uelit ſimpliciter ſua diſponere. Ego autem & tu in ciuitate tua morituris cõmodius reſpondebimus. CLIN. Quomodo? ATHEN. O amici, dicemus, ac breui procul dubio morituri, difficile uobis eſt res ueſtras atq; etiam uoſipſos ſecundum Delphicum epigrãma cognoſcere. Ego qui leges cõdo nec uos ueſtros eſſe arbitror: nec rem familiarem hanc omnem eſſe ueſtram: ſed totius ueſtri generis præteriti atq; futuri: multoq; magis uniuerſæ ciuitatis & genus omne & diuitias eſſe. Hæc cum ita ſint, ſiquis aſſentatiunculis in morbo & ſenio uos aggreſſus, præter honeſtũ, teſtamentum condere perſuaſerit, nunq; id fieri ſponte concedam: ſed quod ciuitati uniuerſæ genericq; conferat conſiderans, ita leges conſcribam, ut ſingulorũ cõmoda minoris q̃ cunctorũ, ut par eſt, æſtimẽ. Vos igitur mites atq; beneuoli nobis ite modo, quò naturæ humanæ uos neceſſitas uocat. Nobis autem reliqua ueſtra curæ erunt qui nõ aliĳs magis q̃ aliĳs rebus ſtudemus: ſed omniũ æque pro uiribus curã gerimus. Hæc in proœmio ſolamina & uiuentium & morientiũ ô Clinia, ſint. Lex autem ſit iſta: Qui liberos habet, & teſtamentũ conſcribit

ſcribit,primo hæredem de filijs unum,quem dignum putauerit,conſtituat. Deinde quẽ cunq; aliorum adoptandũ alijs dederit,cõſcribat.Et ſi filiorum aliquis ſupereſt,nulla hæreditate munitus,quem ſecundum legem in coloniam ſperat profecturum,huic liceat patri de alia pecunia quãtum uelit legare,paterna ſorte ſemper excepta,& omnibus quę ad illam pertinent.Quod ſi plures ſint,eis pater quæcunq; ultra ſortem ſunt,ut uelit, diſtribuat.Ac ſi alicui eorum iam domus eſt,ei pecunias non tribuat:neq; filiæ ſimiliter quę uiro ſit deſponſata:ſi deſponſata non fuerit,tribuat.Et ſi filiorum filiarum ue alicui ſors aliqua in regione poſt cõditum teſtamentũ aduenerit, teſtatoris ipſius hæredi relinquatur. Si autem non filios,ſed filias habet,qui teſtatur cuius filiæ uelit uirum hæredem ſibi ac filium fore conſcribet.Et ſi alicuius filius ſiue naturalis,ſiue adoptiuus,antequã togam uirilem aſſumat,deceſſerit:has etiam fortunas ſuas teſtator ſignificet,& quem uelit loco illius melioribus auſpicijs filiũ ſibi fore,declaret. Siquis abſq; liberis omnino teſtamentũ condit,decimam partem fundi ultra ſortem acquiſiti leget cuicunq; ciui uoluerit. Cætera omnia futuro per adoptionem filio,benigne,ſine querela & ſecundum legem tribuat. Si cui liberi tutoribus indigent:& idem moriens teſtamento tutores quoſcunq; & quotcunque uelit conſtituerit,qui tutandi officium ſuſcipere uelint,ita fiat ſicut deſcripſerat. Sin uero uel inteſtatus naturæ conceſſerit,uel tutores non conſcripſerit,qui genere proximi ſunt,duo ex parte patris,duoq; ex parte matris,atq; unus ex mortui amicis,tutelam ſuſcipiant. Quos legum cuſtodes indigẽtibus pupillis ſtatuere debent. Nam quindecim ipſorum cæteris ſeniores,orphanorũ omnium quinquennio curã ſic habere uolumus,ut terni pro dignitate ſingulis annis curent:& exacto quinquennio ſimiliter quindecim alios. atq; id pro uiribus nunquam deficiat.Siquis autem nihil teſtatus deceſſerit,filiosq; tutela egẽtes reliquerit,ijſdem legibus eis prouideatur. Qui uero inopinata fortuna deceſſerit, filiasq; reliquerit,latori legum ueniam concedat,ſi ad duo de tribus reſpiciens, eius filias collocet:ad propinquitatem uidelicet generis,ſortemq; ſeruãdam.Tertium autem quod paterni officij eſt,ut moribus ciuium diligenter conſideratis,idoneum & ſibi filium,& filiæ ſponſum deligat:id quoniã impoſſibile conſideratu eſt, prætermittat.Lex igitur prouirib. hac de re huiuſmodi ſit. Siquis ex inteſtato mortuus filias reliquerit, frater eius ex patre aut ex matre,ſi abſq; ſorte ſit,mortui filiam,& ſortem ſuſcipiat. Quod ſi frater non extat,eius filius,niſi ætas obſtet,accipiat.Tertius ſororis filius ſi nullus illorũ extat.Quartus patris frater.Quintus filius eius.Sextus ſororis paternæ filius.Et ſimiliter per fratres cõſobrinosq; generis ſemper propinquitate ſeruata,ſi filias reliquit,ita procedatur, ut in eodem genere mares fœminis anteponantur.Conuenientiam uero ætatis ad nuptias & contrà,iudex nudos omnino mares,nudas quoq; ad pubem uſq; fœminas conſpiciens iudicet. At ſi ad fratrum uſq; auorumq; filios, cognatorum penuria ſit,quemcunq; ciuium ſponte puella cum tutorum conſilio deliget,is ſi uoluerit,eam in uxorem atq; inſuper hæreditatem accipiat. Quod ſi magna in penuria illorum qui urbem habitant,aliquẽ in coloniam miſſum puella hæredẽ facere ſui patris optauerit:is ſi ex eodem genere fuerit, hæreditatem ſecundum legem adeat: ſin uero ciuis quidem,ſed nõ ex genere ſit,ducat eam ſi uoluerit,ſecundum tutorum puellæq; electionem:& hæreditatem domum reuerſus adeat.Siquis abſq; liberis omnino,maſculis fœminisq; ex inteſtato deceſſerit,cætera quidem ſecundum ſuperiorem legem agantur. Mas uero & fœmina ex eodem genere tanquam conſortes,deſertam domũ ingrediantur:quibus ſors proprie competat. Prima ſoror:deinde fratris filia.Sororis filia,tertia,Quarta,paterna ſoror,Paterni fratris filia quinta.Sexta paternæ ſororis filia.Hæ cum illis,ut fas eſt, qui genere proximi ſunt, uitam agent:quemadmodũ in ſuperioribus ſanximus.Sed ne fugiat nos quàm graue ſit earum legum imperium,quibus genere propinquam ducere uxorem iubemus.Quippe qui huiuſmodi legem fert,minime conſiderare uidetur, quàm plurima impedimenta reperiri poſſe: quæ faciant,ne quis his præceptis uelit obtemperare.Multi etiam quiduis potius perpeti uolent,quàm ducant,nubant ue illi:cuius uel corpus ægrotum, mancum ue ſit, uel inſanus animus . In his ergo legumlator forte nihil penſi habuiſſe uidebitur. Et profecto in pleriſq; non recte ita uidebitur. Quare tam pro conditore legum quàm pro ſubiectis commune huiuſmodi ſit exordium. Veniam dare legumlatori hi quibus leges ponuntur,debent:quoniã publicis gubernandis incũbens, nunquã poterit priuatis quoq;

calami

calamitatibus simul consulere. Subiectis praterea ignoscendũ: si legislatoris ea nonnun quam præcepta complecti nequeant, quæ singularum calamitatum ignarus conscripsit. CLIN. Quid igitur hospes hac in re agere decet? ATHEN. Arbitri, ô Clinia, qui legibus his ciues concilient eligendi sunt. CLIN. Quomodo id dicis? ATHEN. Nonnunquã dives aliquis iuuenis, delicijs deditus, et ad maiores nuptias inhiãs, patrui auunculiue filiã aspernatur. Nonnunquã calamitate maxima puellæ seu corporis, siue animi coactus legi illi non obtẽperat, qua ad insana cõnubia inuitus trahitur: quibus implicitus uiuere nollet. Quare nobis hæc lex de istis sanciatur. Si qui testamenti aut nuptiarũ aliorumq; gratia de legibus querantur, asserantq; legislatorem si uiueret, minime impulsurũ hanc ducere, uel huic nubere, & propinquus aliquis seu tutor legislatorem affirmet orphanis tutandis conciliandisq; tanquã arbitros & parentes quindecim de legũ custodibus reliquisse, ad hos ipsos litigantes confugiant: eorumq; iudicijs pareant. Quod si alicui maiora legũ custodes urgere uideantur, rem ad electissimum iudicium deferat, expetatq; sententiam, & qui dãnatus est, infamia notetur: quod pecuniarũ multarum mulcta apud eum qui sapit longe maius supplicium est. Sequitur post hæc quasi secunda quædam orphanorum procreatio. Est autem post primam educatio disciplinaq; de qua dictum est: post secundã uero operã dare debemus, ut priuati parentibus quàm minime miserabili calamitate premantur. Legum ergo custodes quasi alteros istorum parentes, primis non peiores constituimus, & per singulos annos quasi suis prouidere iubemus. Sed in primis de orphanorũ educatione tã pro legum custodibus q̃ pro tutoribus ita exordiamur. Opportune uidemur in superioribus narrasse defunctorum animas uim quãdam habere, qua de rebus humanis curam habent. Id uerum quidem, sed longa oratione approbatur. Quamobrem et alijs tritis antiquisq; de hac re sermonibus, & legumlatoribus sic se habere ista sancientibus credere debent: nisi omnino demẽtes sint. Cum uero hæc ita natura sint, primũ deos maxime superos timeant, qui de puerorum desolatione procurãt: deinde etiam mortuorum manes, quibus natura inest, ut præcipua illorũ cura teneantur, qui ab eis geniti sunt, adeo ut honorantibus eos propitij, contemnentibus infensi sint. Præterea seniorũ uiuentium animos, qui maximis in ciuitate felici funguntr honoribus. Quos filij nepotesq; dũ colunt, iucundissime uiuunt. Hi acute hęc audiunt: & acute perspiciunt: eisq; qui iuste orphanos tractant, beneuoli sunt: Illis autem maxime indignantur: qui contumelijs parẽti bus orbos afficiunt. Orphanos quippe maximum sacratissimũq; depositum putant. His omnibus tutor & magistratus cõmonitus, mentem si quam habet, ad hãc rem adhibebit: ac de disciplina educationeq; orphanorum ita prouidebit pro uiribus: ut sibi & suis prouidere uideatur. Quicunq; hoc ante legem exordio persuasus ab omni in orphanos contumelia se cõtinebit, iram legum effugiet. At qui præfationem hanc aspernatus, aliquẽ patre aut matre priuatum iniurijs afficit, damnum duplum restituat, ac si quem parentes ambos habentem læserit. Sed leges quæ sequũtur, tutoribus prout erga orphanos se gerant, magistratibus prout de cura tutorum inquirant, cõscribimus. Si ergo educationis liberorum ipsi propria & distincta quædam haberent exẽpla: ac ipsos educãtes, de rebus suis aliter prouiderent, legesq; de istis mediocriter distinctas haberent: nõ absq; causa tutoris leges, quoniam multũ ab illis differrent, seorsum ederemus: alijs studijs orphanorũ uitam, alijs non orphanorum munientes. Nunc uero ad hæc uniuersa, orbitas eiusq; cura non multum differt, quantũ ad leges attinet, à gubernatione paterna. sed honore, cõtemptu, cura exæquari minime solet. Quapropter lex consolando minandoq; orphanorũ curæ studet. Neq; ab re fuerit, si hunc in modum minemur. Qui fœminã maremue tutatur & qui de legum custodibus tutorem obseruare constitutus est, non minus orphanos q̃ si genuisset eos, diligat. neq; res illorum peius q̃ suas gubernet, immo etiam affectu animi melius. Vnam uero hanc legem semper in anima habentes tutelam peragant. Siquis huic legi derogauerit, tutor quidem à magistratu condemnet: Magistratus autem ad electorum iudicium à tutore uocatus, duplo damno afficiatur. Id damnum sentẽtia iudicũ æstimetur. Quod si tutor negligere, aut malitiose agere propinquis aut cæterorũ ciuium alicui uidebitur in idem iudiciũ adductus, quadruplum damni restituat: cuius pars altera puero accusatori altera deferatur. Postq; uero ad pubertatem orphanus uenit, si male secum egisse tutorem duxerit, ad quinquenniũ usq; ab exacta tutela in tutorẽ sibi agere liceat

ceat. Et si tutor quispiam condemnabitur, quid pati daréue debeat, à iudicibus decernat. Si magistratuum aliquis per negligentiã obfuisse orphano uideatur: quid ipsi restituendum sit, iudices statuant. Sin uero etiam per iniuriam, non solum damnum restituat, uerumetiam magistratu legis custodum priuetur: & alius pro eo ciuitati regionicp à populo confestim creetur. Solent patrum aduersus filios querelæ fieri, filiorum quoque in parentes, maiores quàm deceat: quarum causa patres scribi oportere à legislatore forte putent, liceat sibi si uelint publico præconio filium abdicare, ne amplius secundum legem filius sit: & filijs parentes morbis uel senio turpiter affectos liceat amentiæ accusare. Hæc omnia ubi pessimi omnino mores hominum sunt, accidere solent. Nam si dimidium solum, esset malum, ut si parentes mali uel filij solum essent, tam grauium inimicitiarum calamitates non euenirent. Profecto in alia quauis republica abdicatus filius, non necessario ciuitate priuatur. In ea uero quæ his legibus gubernabitur, aliò abire patre priuatum necesse est. Quippe cum ad quadraginta & quinquies mille domos nulla possit accedere. Quapropter oportet filium iure abdicandum non à patre solo, sed à genere uniuerso depelli. Itaque in rebus huiusmodi tali quadam lege agendum. Quando aliquis infelici indignatione commotus, siue iure seu iniuria irascatur, quem genuit educauitque à cognatione sua cupit reijcere, non liceat leuiter subitóque id facere: sed primum genere sibi propinquos usque ad patrueles, propinquos item filio ex parte matris conuocet. Apud quos accuset filium, ostendátque dignum esse qui à propinquis suis omnibus depellatur. Deinde filio quoque causam suam dicendi potestatem concedat: quod uidelicet talis non sit, ut reijci debeat. Postremo suffragia præter parentes & filium ipsum propinqui omnes tam uiri quàm mulieres conferant, nisi ætas impedimento sit. Et si plura quàm dimidiæ partis suffragia patri suffragantur, liceat ei filium abdicare: aliter minime. Siquis autem ciuium, abdicatum adoptare uoluerit, nulla id lege uetetur. Iuuenum enim mores sæpe indies uariéque mutãtur. Ac si nemo citra decennium, reiectum filium coniungere sibi adoptione uoluerit, curatores prolis supra modum adauctæ, quam constituimus transmissis colonijs amputari, de his quoque prouideant, ut eiusdem coloniæ participes congrue fiant. Siquis morbo, aut senio, aut morum acerbitate, aut his omnibus magis quàm alij exagitatus in dementiam incidat, lateátque id omnes præter domesticos: ille uero tanquam dominus rem familiarem dissipet: & filius dementiæ patrem accusare formidet: lex ita fieri iubeat. primo quidem filius ad seniores legum custodes profectus calamitatem patris enarret, qui re satis inspecta, accusandus nec ne pater sit, consulant. dein si accusandum decreuerint, testes simul & adiutores sint accusanti. Et si pater damnabitur: nec minimum quidem de rebus suis in posterum disponere queat: nec tanquam paterfamilias amplius, sed quasi filius ac puer domum habitet. Si uir & uxor propter morum acerbitatem inuicem non conueniant, decem uiri de legum custodibus qui medij sint, & decem mulieres de curatricibus connubiorum prouideant. Quorum sententia si ita conciliati fuerint, ualida & stabilis habeatur. Sinautem illorum animi uehementius etiam iracundia fluctuent, facto diuortio, illos pro uiribus quærant, qui utriscp conueniant. Videntur autem in eiusmodi hominibus acerbiores natura mores ineste. Quare maturiora mitioráque ingenia istis accommodanda sunt: & quicunque sine filijs sunt, aut paucos procreauerunt, dissentiuntcp, procreandorum liberorum causa coniugium rursus quærere cõpellendi. Quod si filios non paucos habent, atque dissentiunt, senectutis mutuo curandæ gratia diuortio facto, aliud coniugium ineant. Si mulier liberis maribus fœminiscp relictis mortua est, lex uirum non cogat quidem, sed persuadeat, filios suos educare adducta nouerca. at si defuncta uxor filios non reliquerit, duci alteram cogat, ex qua tum familiæ suæ, tum ciuitati quantum satis sit, sobolem procreet. Si uir sufficientes reliquit filios, mater ipsos uidua educato. Quod si iunior esse uideatur, quàm ut sana sine uiro uiuere possit, propinqui eius cum mulieribus connubiorum curatricibus consilio habito, quod sibi illiscp uidebitur, id exequantur. Si uero liberis egeant, liberorum quoque gratia ducant nubant'ue. Liberorum autem sufficiens numerus, mas & fœmina secundum legem. Quoties utrinque conceditur, natos pueros eorum filios esse qui sibi eos uendicant, sed res iudicio eget, utrum parentum potius sequi natus debeat, sic agatur. Serua si seruo

Quando & quõ filius accusabit patrem

De diuortio

aut libero aut liberto coniuncta peperit, seruæ domino natus detur: sin ex seruo libera peperit, serui dominus, nati similiter dominus esto. Quod si quispiam ex serua sua natum susceperit, aut quæpiam ex seruo peperit proprio, idq; pateat, natum quidem ex serua & libero mulieres in aliam regionem cum patre simul emittant. Natum uero ex libera & seruo legum custodes unà cum matre extra fines expellant. Parentes negligere, nec deus, nec homo mentis compos alicui unquam cõsulet. Sed quod de cultu deorum ignorare non oportet, id recte dictum ad honorandos parentes proœmium erit. Leges de diis antiquæ apud omnes dupliciter positæ sunt. Nempe alios deorum cernentes, eos ipsos quos cernimus, colimus. Alios uero non uidemus quidem, sed eorum imagines fabricamus, easq; licet inanimes dum honoramus deos ipsos uiuentes existimamus ob id maxime nobis gratos & propitios fore. Cuius ergo pater, aut mater, uel horum parentes senio confecti quasi thesaurus quidam domi iacent: is putet nunquam aliud sibi tale simulachrum magisq; efficax domui suæ affuturum: si recte, ut decet, ab eo colitur. CLIN. Quisnam rectus colendi modus? ATHEN. Dicam. Digna enim ô amici hæc audi tu sunt. CLIN. Age igitur dic. ATHEN. Oedipus contemptus à filijs ea illis imprecatus est, quæ exaudita effectaq; à diis apud omnes feruntur. Amyntora quoq; Phœnici filio iratum, illi maledixisse ferunt: & Hippolyto Thesea: plurimosq; alios alijs. Quibus apertissimum factum est, à diis preces parentum aduersus filios exaudiri. Nihil enim imprecatione parentis non iniuria pernicioſius filio. Nemo uero cum pater aut mater ab eo contemnitur, tunc solum à deo putet orationes eorum secundum naturam exaudiri: sed cum etiam honoratur: ac ideo cum lætiores bona liberis à diis petunt, exaudiri eos similiter existimare debemus, atque ideo nobis æqua inde distribui. Nam aliter in bonis distribuendis iusti non essent: quod longe à diis abesse necesse est. CLIN. Certe. ATHEN. Quapropter existimandum est, ut paulo ante diximus, nullum apud deos magis honorandum simulacrum habere nos posse quàm patres & auos senio confectos matresq; similiter. Quibus honoratis deus gaudet. alioquin eos minime exaudiret. Mirabilius enim parẽtum simulacrum nobis quàm inanimes quæque imagines uideri debet. Nam quæ animam habent, quando coluntur à nobis, pro nobis orant fauentq; que quotidie. quando despiciuntur, contrà. quæ uero anima carent, neutrum horum faciunt. Quocirca qui erga parentes & auos cæterosq; huiusmodi recte se gerit, is ad deos sibi cõciliandos simulacrorum omnium optima possidet. CLIN. Præclare dixisti. ATHEN. Omnes igitur non insani uerentur coluntq; parentum orationes, non ignorantes multis sæpe profuisse ob fuisseq;. Cum hæc ita natura constituta sint: probis quidem uiris seniores parentes pro magno quæstu habentur, si ad senium usq; peruenerint. sin uero iuniores decesserint, ualde desiderantur, Improbis autem contrà ualde terribiles sunt. Quapropter quilibet rationibus his inductus, parentes suos secundum legem honoret. Siquis uero surdus ad hæc exordia sit, hanc legẽ recte statutã audiat. Si quis in hac ciuitate minus quàm decet parentes colat, nec magis eos quàm filios nepotesq; & seipsum diligat, præcæteris eorum uoluntati in omnibus obsequens, qui ita negligitur per se uel per alium adtres de legum custodibus seniores rem deferat: & ad tres similiter de connubiorũ procuratoribus: qui in re inuestigata, in eos qui iniuriã intulerunt, animaduertant. In uiros quidem si trigesimum annum non excesserint, & in mulieres si quadragesimum, uinculis atque uerberibus. Si autem prouectiores ætate quàm diximus sint: neq; desinant parentes negligere: imò eos etiam affligant, ad iudicium ire compellantur. Iudicẽt autem ciues qui ætate cæteros omnes maxime antecedunt: & condemnatus soluat patiaturue, quod à iudicio statuet: ita ut nihil prætermittatur, quod dare hominũ aliquis patiue possit. Siquis uero cum afflictus sit, deferre nõ potest, quicũq; liber audierit, magistratibus nunciet: aut improbus habeat, & à uolente quolibet damni illati accusetur. Si aũt seruus detulerit, liber esto. Quod si affligentis uel afflicti seruus sit, in libertatẽ à magistratibus uendicetur: sin autẽ alicuius alterius ciuis seruus fuerit, precium domino publice persoluatur. Curæ uero magistratibus sit, ne quis ei qui detulerit, noceat. Quæ ueneno alijs ab alio fiunt, letalia quidem diuisa sunt. Cætera uero siue potu, siue cibo, siue inunctione sponte & consilio peragant, nondũ distinximus. Bipertito enim generi humano uenena officiunt. Primo enim, ut modo diximus, corporibus corpora secundum naturam lęduntur:

deinde

deinde magicis ueneficijs & cantibus nodisq; quibusdam persuadetur, ijs quidem qui officere studeant, posse id assequi: ijs uero facile admodum ab illis ueneficio lædi posse. Hæc uero cæteraque huiusmodi quo pacto natura se habeant, nec facile sciri possunt: nec siquis sciat, alijs persuaderi. Sed animis hominum circa hæc ægre suspicioseque inter se affectis, haud admodum dignum est conari persuadere: ut si cerea simulacra siue in ianuis siue in triuio siue in monumentis parentum uiderint, hæc omnino despiciant, cum certam de his opinionem nullam habeant. Quare bipertito legem de ueneficio partientes, primum hortamur, monemus atque consulimus, ne talia faciant: ne multos quasi pueros terreant: nec legumlatorem & iudicem cogant huiusmodi hominum timori mederi. Quippe qui ueneno nocere nititur, si corporibus id illaturus est, nisi medicinæ peritus sit, quid agat, ignorat. Similiter qui magicis cantibus id tentat: nisi aruspex, monstrorumq; interpres sit. Sed iam lex ista de uenenis huiusmodi sanciatur. Qui non ad mortem hominis, sed pecorum aut examinum, ueneno utitur, siue etiam ut aliter quàm morte bestijs noceat, si medicus sit, & ueneficij reus fuerit iudicatus, morte supplicium luat. sin uero medicinæ ignarus, iudicium quid pati dare ue ipsum oportet, constituat. Quando uero quis nodis, inductionibus, cantibus, similibusque ueneficijs ad nocendum paratus deprehensus est, si aruspex aut prodigiorum interpres sit, occidatur, Sin uero non fuerit, iudicium de ipso similiter quid dare patiue debeat, statuat: Qui clam aut ui nocuit, magna reddat, si in magnis nocuit: minora, si in minoribus: & in omnibus tantum reddat, ut damnum exæquetur. Præterea in singulis iniurijs ut penitus moderatior fiat, mulcta afficiatur: leuiore quidem, si propter iuuentutis imprudentiam, aliena malitia fuit impulsus: grauiore autem si dementia sua, aut immoderatis uoluptatibus & doloribus aut timore, aut inuidia, aut iracundia insanabili. Pœnis uero maligni uexantur, non quia peccauerunt, nam quod factum est, infectum esse non potest: sed ut posthac & peccatores ipsi, & qui puniri iniquitates uiderunt, iniustitiam oderint, aut saltem minus in simili uitio peccent. Quorum omnium gratia oportet ut ad hæc leges respiciant, & boni sagittarij similes ad hoc signum tendant, punitionis magnitudinem in singulis, & quod dignum est, considerantes. Idipsum iudicem legumlatoris ministrum facere decet: cum à lege sibi cõmittitur, ut ipse statuat, quid dari patiue damnatum oporteat. Qui sanè non aliter quod reliquum est, superiora imitatus exequi debet, quàm pictor ita pingere ut exemplaria diligenter sequatur. Quod nobis ô Clinia Megilleq; faciendum quàm pulcherrime atq; optime censeo: & pœnas tam eorum quæ furto & clam, quàm eorum quæ ui aguntur, quales esse oporteat, dicendum, prout dij nobis deorumq; filij leges ponere concedunt. Nemo furiosus palàm in urbe cernatur: sed furiosum propinqui domi quomodocunque possunt custodiant. Quod nisi fecerint, mulctentur: qui maximi census sunt, drachmis centum, siue seruum seu liberum minus diligẽter custodiant. Qui secundi, quatuor de quinq; minęq; partibus: qui tertij tribus. & duabus qui quarti. Multis autem modis homines furore aguntur. Alij morbo, ut hi de quibus modo diximus. Alij per iracundiam prauæ naturæ uitiosamq; educationem: qui paruis inimicitijs moti altius inclamãt: & turpiter inter se conuiciantur. Nihil uero tale in ciuitate bonis legibus instituta, fieri decet. De conuicio igitur hæc una omnibus lex ponatur. Nemo alicui conuicietur. Sed quicunq; cum alio de re quapiam ambigit, discat potius doceatq; tam ambigẽtem quàm præsentes, ita ut omni conuicio prorsus abstineat. Cum enim sibi inuicem uerbis turpibus maledicunt, muliebres habentur: & in primis ex uerbis, quæ certe leuissima res est, odia grauissima & inimicitiæ sæpe nascuntur. Profecto qui iræ rei penitus ingratæ morem gerit, ipsamq; quasi alimentis quibusdam noxijs explet: is quantum per disciplinam antea excultus fuerat, tantum exacerbatus postea iracundam animę partem, efferatusq;, difficilem sibi uiuendi reddit rationem, & hanc amaram ab ira gratiam suscipit. Ex his pene omnes ad id deuenire solent, ut ridiculum aliquid in aduersarium dicant: qua in re quicunq; se assuefacit, aut bonos mores penitus, aut magnanimitatem maxima ex parte amittit. Quamobrem nemo in templo obiurgationibus his unquã utatur: nec ubi publica sacrificia uel certamina peraguntur: nec in rerum uenalium foro, nec in iudicio, ut alio quouis cœtu communi. Eum uero qui in hoc deliquerit, magistratus harum rerum præsens libere puniat, quod si nõ fecerit, quasi legum proditor, præceptorumq; legislatoris

Cur pœnis maligni uexentur

ſpretor nunquam ad publici cuiuſquã muneris certamẽ quaſi de uirtute certaturus aſcendat. Siquis autem alijs in locis maledicto uel prouocando uel reſpondendo utatur, quicunq; ſenior præſens fuerit, pro legum defenſione hunc uerberet: & eos qui ira alieno malo concitati ſunt, comprimat. Alioquin ut prędiximus, puniatur. Neminem præterea in his conuicijs dicacitatibusq; uerſari arbitramur, qui non ſæpe ridiculoſe aliquid obloquatur. Atq; hoc ipſum eſt, quod damnamus: quando cum ira ſit. Quid porrò? comicorum' ne ſatyrorumq; ſales & ridiculoſa conuicia quibus aduerſus ciues utuntur, ſi abſque ira ſic mordeant, admittemus? An id bifariam diſtinguemus, in iocoſam & ſeriam orationem: Et ioco quidem uti liceat ſic, ut ridiculum abſque ira dicatur: Concitato uero per iram animo, nemini, ut ante diximus, tale quid dicere liceat? Hoc igitur nullo modo admittendum. Cui uero liceat, & cui non, lege iam declarandum. Poetæ comico uel iambicæ muſicæ' ue melodiæ autori nec uerbo nec imagine nec perſona cuiquam ciuium detrahere liceat, ſiue id ira ſiue abſque ira faciat. Et eum qui contrà fecerit, qui dandis præmijs præſunt, eodem in die exterminent: aliter tribus minis mulctentur, deo in cuius honorem certatum fuerat, conſecrandis. Cæteris uero de quibus ſupra diximus, ſine ira & cum ioco ridiculum aliquid dicere liceat: ſerio autem & cum ira nequaquam. Cuius rei cognitio, communis iuuenum diſciplinæ curatori committatur. Et quod probauerit, proferre in medium licet: quod autem reprobauerit, hoc neque ipſe ulli unquam oſtendat, neque alium ſiue ſeruum ſiue liberum doceat. Si contra fecerit, prauus legumq; contemptor habeatur. Miſerabilis autem, id eſt miſericordia dignus exiſtimandus eſt: non qui fame uel re alia huiuſmodi premitur: ſed qui cum temperans ſit, & uirtute alia uel parte uirtutis ſit præditus, calamitate tamen ad hæc aliqua fortè uexatur. Quare mirum profecto erit, ſi uir talis uſqueadeo neglectus fuerit: ut ſiue liber ſeu ſeruus in ciuitate moderate gubernata in extremam paupertatem deueniat. Idcirco non iniuria legislator talem de hac re legem tuto ponere poteſt. Nullus in ciuitate noſtra mendicus ſit. Quicunq; uero id tentauerit: uictumq; inexplebilibus precibus collígere cœperit, à rerum uenalium curatoribus è foro pellatur, ab ædili magiſtratu ex urbe eijciatur, ex tota denicq; regione ab agri magiſtratu exterminetur, ut ab eiuſmodi animali omnino uniuerſa regio munda ſit. Si ſeruus uel ſerua alienæ rei offecerit ſiue imperitia, ſeu immoderato aliquo uſu id fecerit, nec qui damnũ paſſus eſt, cauſam præbuerit, dominus eius aut ſatisfaciat, aut ſeruũ ſeruam' ue illi qui damnũ paſſus eſt tradat. Quod ſi cõmuni quadam nocentis patientisq; aſtutia, ut ſeruus ſibi auferatur, ſerui dominus factum contendat, de malitię crimine agat aduerſus eum qui de ſeruo conqueritur. Et ſi conuicerit, precium ſerui à iudicio cõſtitutum à damnato duplicatũ accipiat. Sin aũt conuictus fuerit, & damnũ reſtituat, & ſeruum inſuper tradat. Si iumentũ, aut equus, aut canis, aut domeſticũ aliud animal proximi rem attriuerit, animalis dominus ſimiliter damnum reſtituat. Si quis ſponte teſtimonium ferre noluerit, citetur ab indigente citatusq; tempore idoneo adſit: & teſtimoniũ prout ſciuerit, afferat. Sin neſcire dixerit, iureiurando tribus dijs, Ioue, Apolline, Themide nominatis, neſcire ſe affirmet ac abeat. Qui ad ferendum teſtimoniũ citatus, non uenerit, damnum ei qui citauit ſecũdum legem deponat. Si iudex aliquis in teſtimoniũ citatus fuerit: teſtimonio allato, nullam in eadem cauſa ſententiam ferat. Mulieri liberæ ſi quadraginta annos exceſſerit tam ad teſtandũ q̃ ad dicendũ intereſſe iudicio liceat, imò uero & agendum, ſi ſub uiro non ſit. Viuente uero marito teſtimoniũ perhibere ſolũmodo liceat. Seruo autem & ſeruæ & pueris de homicidio ſolum dicere teſtariq; liceat: ſi idoneum fideiuſſorem dederint ſe uſq; ad latam ſententiã permanſuros: ſi forte falſi teſtimonij fuerint accuſati. Si quis falſi teſtimonij agere uoluerit, quod & in toto & in parte teſtimonij & utriſq; aduerſarijs licet: anteq; ſententiã iudices ferant, falſos fuiſſe teſtes obijciat. Falſi uero teſtimonij criminationes ab utriſq; illatas magiſtratus ipſi cõſcriptas ſeruent, & ad iudicium poſtea de falſo teſtimonio referant. Si quis falſo teſtimonium bis dixiſſe inueniatur, à nulla lege tertio teſtari cogat. Si uero ter, nullo modo poſtea teſtimoniũ ipſi dicere liceat: Quod ſi ter in falſitate deprehẽſus, teſtari ulterius auſus fuerit, à uolẽte quolibet ad magiſtratũ deferat & à magiſtratu tradatur iudicio: & ſi conuictus fuerit, moriat. Quando in lite, falſa teſtimonia interceſſerint, per quę aduerſarium ſuperaſſe uideri quis potuerit, ſi

rit,si plures quàm medietas testium condemnati fuerint,iudicium secundum illa nullum procedat.Disceptare uero conuenit:utrum secundum illa testimonia quicquam iudicatum sit,necne: ut quomodocunque iudicatum fuerit, hoc pacto iustum lis finem consequatur.Verum quum multa in uita hominum bona sunt,pluribus eorum quasi quædam diræ calamitates insident,quæ maculant illa atq; coinquinant. Iudicialis autem disceptatio iudiciumq; cur homini bonum nõ est,quod humana omnia mansuefecit? Atqui cum disceptatio talis,bonum sit, cur & adesse in lite alicui, & causæ iustæ fauere, bonum non sit? Hæc quum ita sint,peruersa calumnia bonum artis subit nomen: quæ artificium inuenisse in litibus asserit, quo agenda & dicenda, siue honesta,siue turpis sit causa, superare facile quis possit: uictoresq; facere, quibus ipsa rationibus suis fauet, si pro artis ipsius beneficio pecunia dabitur.Hæc siue ars, siue artis expers exercitatio quædam sit, danda opera est ne in nostra ciuitate aditum habeat,sed legum uerita conditorem, nihil aduersus leges proferat:& aliò profecta uires suas ostendat. Si quis uero non pareat, hac lege deterreatur.Siquis iustitiæ uires in animis iudicum in contrarium uertere conatur,ac præter opportunitatem multa litigia mouet, aut mouentibus adest: agat in eum quicunque uoluerit, male agendi, aut inique defendendi crimine, iudiciumq; huiusmodi apud electos iudices agitetur. Et si damnatus fuerit, discutiatur utrum auaritia an ambitiosa quadam contentione id fecerit. Ac si contentione, certum ipsi iudices tempus præscribant, in quo neque pro se, neque pro alio ullam agat dicat'ue causam. Sin autem auaritia, peregrinus quidem à regione, nunquam rediturus abito, & si redierit, moriturus. Ciuis autem si auaritia fecisse id deprehendatur, quoniam pecuniam tanti fecerit, omnino moriatur. Quòd si ambitiosa contentione bis tale quid fecisse iudicatus fuerit, idipsum supplicium subeat.

Aduersus rabulas & corruptos auaritia cau sidicos

ARGVMENTVM MARSILII FICINI IN DIALOgum duodecimum De legibus.

PLATO *diuinus in omnibus legum dialogis,diuini operis similitudine, ideoq; numero duodenario delectatus,nimirum duodecimum dialogum ita communem legum arcam esse uoluit, quemadmodum duodecimus mundi circulus commune stellarum est firmamentum.Et quemadmodum siquis circ'um duodecimum penetrauerit,perfectionem felicitatemq; animæ statim inueniet,immo etiam consequetur:sic Plato ultra librum duodecimum progressurus,non tam leges quàm beatam animæ perfectionem legibus acquisitam in* Epinomide *demonstrabit. In superioribus quidem libris leges partim ad officia publica,partim ad priuata negocia pertinent,partim ad urbana,partim ad externa,siue in pace,siue in bello. In duodecimo uero,omnes quodammodo congregantur ad omnia pertinentes, non leges inquam singulæ, sed nonnullæ ex quolibet genere singularum.Additur legibus id quod maximum est,ratio uidelicet & conseruatrix legum & emendatrix. Additur magistratibus id quoque quod maximum:ratio uidelicet repetundarum referendarumq; rationum,non aliter publicis magistratuum officijs præposita, quàm priuatis actionibus animorum,conscientiæ ipsius examen.Hoc utique examine tum priuato omnis animorum salus,tum publico ciuitatis salus uniuersa consistit.Atque id est compendiarium duodecimi argumentum. At quoniam mox in principio,& in sequentibus, & sæpe in antecedentibus deorum commemorat filios,atq; tum deos alios aliorum,tum homines deorum filios nuncupat,meminisse oportet duobus modis apud Platonem deos deorum filios esse,duobus quoque modis homines filios esse deorum.Primo quidem,ut Timæus docet,omnes sphærarum mundi rectores,siue ipsi sphærarum animi,siue dæmones citra sphæras,siue intellectus angelici ultra sphæras, filij sunt omnipotentis* Dei, *tanquam uoluntate ipsius beneficа procreati. Deinde in quolibet horum trium genere, inferiores superiorum filij ideo nuncupantur,quia à superioribus continue radios formasq; suscipientes,quodammodo inde formantur,& illis quasi patribus obsequundare uidentur. Homines similiter geniti dicuntur à superis, uel quoniam ab initio rerum è terræ uisceribus superorum fomento in lucem editi fuerint:uel quoniam nonnulli quotidie superorum inspiratione uehementer afflati, mox ex humana solitaq; affectione,in diuinum quendam uitæ statum quasi renati diuinitus transferuntur. Quo quidem in gradu & pios philosophos, & philosophicos principes sæpenumero collocat. Quod autem statim in principio libri Iouem Mercuriumq; legatis nuncijsq; præponit,intelligendum est primo quidem, & per Iouem, deum architectum mundi, & per Mercurium, omnem numerum angelorum: deinde per Iouem rursus planetam secundum imperatorum legumq; significatorem, per Mercurium uero planetam alium interpretationis expeditionisq; omnis significatorem. Significatores dico planetas. Quoniã ut testatur Timæus,& Plotinus disputat,pla*

netæ cœlestiaq; omnia significant utcunq; possunt & nunciant: quæ uel superi iamiam facturi sint, uel nos interdum quidem facturi, sæpe uero passuri. Detestatur mox poetas, qui scelera hominum transferentes in superos, & contra diuinitatem impie deliquerunt, & malo superorum exemplo hominibus grauiter nocuerunt. Præterea furta, cæteraq; facinora ex intentione peccãtis & habitu uel sanabili uel insanabili, magis quàm ab affectu putat esse censenda. Præcipit inter militiæ leges, quod & in omni uita omnium optimum arbitratur: ut nemo cognoscat quid sit sibi tantum uiuere, uel seorsum ab alijs quicquam agere, sed ad prudẽtis superiorisq; nutum, & ad cõmunem usum singuli singulas dirigant actiones. Docet iudices ne uel sponte uel etiam coacti præter ius sententiam ferãt. Iudiciũ enim ipsum ex antiquorum sententia, præcipue Orphei & Hesiodi, esse uirginem quandam pudicam. Pudori autem atq; iudicio in primis odio esse mendacium. Deam uero iudicij præsidem, diuinam esse existimant prouidentiam, humanis iudicibus uenerandam. Post hæc ubi damnat eos qui turpiter arma proiecerũt, & illos insuper belli duces qui eos sub signis suis iterum militaturos recipiunt: denarium minarum numerum hic à nobis translatum, leges alicubi millenarium. Paulo post reipub. nodum esse asserit repetundarum iudicium rationum, ut nullus in re pub. iudex sit absq; iudice. Alioquin per solutam iudicandi licentiam, primo quidem iustitiam perituram, deinde ciuitatem amissa iustitia uelut animam morituram. Templum uero Solis atq; Apollinis intelligit ædem nõ solum planetæ animæq; solari, sed multo magis summi boni luci, cuius imago sol est, dedicatam. Audies ex absentia religionis in iudicijs peccata cõmitti. Sed impiorum omnium pessimos esse, qui precibus hostijsq; ita deum placaturos se confidunt, ut ob hanc confidentiam impune sibi liceat grandem pecuniam extorquere. Tradit cautissimas post hæc leges de peregrinis excipiendis, peregrinationeq; ciuium, ne uel mores ciuium aliena & inconsiderata cõsuetudine confundantur, uel alienorum peritia reip. desit. Notabis hic paucis quoq; nõnullis diuinam quandam uim inesse, per quam discernãt captus ingeniorum. Quod quidem ostendit diuinitatem quandam non solum à nobis acquiri, sed ut ita loquar, innasci. Præcipit non esse pariuisciendum, utrum probus an improbus uidearis. Sed existimationem quoq; uirtutis quærendam esse, & ipsa duntaxat uirtute quærendam. Commemorat diuinos nonnunquam uiros uel in ipsa plebe & in ciuitatibus male gubernatis existere. Post hæc de actione causarũ, accusatione, defensione, appellatione, fideiussione, proscriptione, cæterisq; huiusmodi tractat multa. Miscet & his sua quadã opportunitate quæ donaria uel simulacra dicãda numinibus. quæ quidem symbolica Pythagoreo ritu traditio est. Terram inquit & Vestam deorum omnium habitationem sacram existere. Quod Vestam adiunxit, significauit sub Terræ huius nomine altius intelligi debere, & terram hanc elementalem, & terram lunarem, & terram postremo stelliferam. Item tres terrarum trium animas, tresq; angelos. Memẽto uero apud antiquos quicquid in uniuerso est efficax ad formandũ atq; mouẽdum, metaphoricè ignem dici. Item quicquid usquã facillime est formabile, dici aerem. Quod autem purgatorium, aquã: quod solidum uel stabile & consistens, terram cognominari. Talis quidem natura ob qualitatẽ uel densam uel consistentem, & hic & in luna & in firmamento terra à Platonicis nũcupatur. Cui ergo mirum sit terram deorum omnium habitationem sacram existere: si tribus terrarum trium terminis comprehenditur uniuersum? Cumq; sacratã ab initio dijs esse dixerit: uetat iterum consecrari, admonens, ne confidas deo quicquam quod nõ prius ipsius dei sit, offerre te possè. Ex auro quoq; uel argento statuas fieri uetat, ne cõfidamus magno horum precio nos grandia scelera purgaturos. Ex ebore rursus prohibet, cũ ab anima scilicet sensuali fuerit destitutum, ne absq; sensu id est uigilantia & animaduersione operemur in sacris. Aes etiam & ferrum respuit, culpans uidelicet bellica instrumenta. Animo enim intra se & alijs dissidente, frustra sacrificia operamur. Recipit deniq; lignum atq; lapidem, ex quibus deorum simulacra fiant. In lapide quidem commendans habilitatem mentis in sacris: in ligno uero ignis escam, id est flagrantiam animi, qui in diuinis facile accendatur. Iubet ex uno siue lapide siue ligno imagines integras fabricari, simplicitatem in primis integritatemq; commendans. Neq; uero silentio prætermittendum est, legatos in superioribus ad quatuor oracula missos fuisse, ut cognosceremus deum omnium auctorem, omnibus æque mundi partibus prouidere: quæ per quatuor quasi angulos designantur, orientis, occidentis, septentrionis, meridieiq; nomine: & quocunque ritu colatur deus, modo pura mente gratiaq; sui colatur, acceptum quodammodo esse deo. Sed de his alibi diligentius. Inter hæc uetat illos qui patriæ aliqua in re ministrãt, accipere munera. Agit & de tributis. Ait nihil melius à quoquam disci posse, quàm id quo ipse fiat melior. Ait legem esse rem mirandam atq; diuinam, nomenq; ab ipsa mẽte apud Græcos habere: à mẽte inquam tum diuina, uelut patre: tum humana, uelut matre. Legem uero sequi uult iudicium. Quæ quidem duo humanorum bonorum maxima sint. Sed hic redit in mentem, quod in fine undecimi, bona inquit nostra plerunq; à quibusdam suis calamitatib. inquinari. Et legis quidem calamitatẽ alibi esse inquit magistratus ipsius improbitatem. Calamitatẽ uero iudicij iudicialisq; disceptationis ibi appellauit peritiam quandam causidicam: quæ nulla iuris habita ratione, sed auaritiæ ambitionisq; studio omnem absq; delectu causam accipit defendendam. Quam ueluti reipublicæ pestem præ cæteris detestatur. Post hæc ubi funeribus imponit leges, hominem ipsum præcipue uult substantiã ipsam animæ rationalis haberi: corpus autem hominis huius simulacrum, & ut alibi nominat, umbram. Quidnam homo in nobis sit, quid animal, ex Timæo, & Alcibiade, & Plotino cognoscitur: quod quidem in Theologia latius disputamus. Vbi con-

cludi

cludit hominem quidem esse animæ rationalis substantiam, ultra rationem, habentem quoq; sensum quendam intimum, impatibilem, & communem. Animal uero compositum quiddam ex figurato corpore, atq; ex quodam uitæ uestigio impresso ab anima. In quo quidem uestigio impressus quoq; sit sensus, secundus à sensu primo, iam per instrumenta uaria distributus atq; patibilis. Id quidem nõnullis quoque apostoli Pauli dictis maxime consonare uidetur. Quando uero animam inquit ad alios deos abire, rationem suorum operum reddituram, alios deos nominat, mentes angelicas extra corpora, qui alij dicuntur dij ultra sphærarum animas. Animæ siquidem nostræ his coniunctæ corporibus, nimirum sub animarum superiorum regno ponuntur, separatæ uero ad separatorũ iudiciũ transferuntur. Hactenus quidem leges condidit: sed frustra constitui leges ait, nisi de legum salute stabilitateq; cogitetur. Ergo ad harum stabilitatem cœtum quendam magistratuum mirabilem excogitabit. Sed ante cœtus eiusmodi creationem, de ui fatorum nonnihil attingit, utpote qui intelligat ad operis tanti salutem humanam hominum prudentiam non sufficere, si uis fatalis penitus aduersetur. In his profecto uidetur probare eos qui in ædificandis urbibus, condendis legibus, creandis magistratibus, imò & plantandis hominibus aduersam nimis siderum dispositionem diligenter euitant. De fato quidem alibi multa, quibus & hic consentanea hæc quàm opportune tam breuiter adducuntur. Fatum est immobilis quædam in anima mundi rerum mobilium dispositio. Fati uero instrumentũ est na- Fatum
tura cœlestis. Sed materia in quam agit per instrumentum, est moles elemẽtorum. Tria uero nomina, Lachesim, Clotho, Atropon: tum quantum ad instrumentum, tum quantum ad materiam pertinet, accipit. Nam Lachesim nominare possumus firmamentum: in cuius stellis uires sortesq; inferiorum omnium continentur. Clotho uero planetarum cœtum in euoluendis rerum sortibus firmamento subministrantem. Atropon deniq; Saturnum præcipue, stabilitate sua euolutas in effectum sortes ineuitabiliter confirmantem. In materia quoq; fati ideo tres parcas connumeramus, quoniam uis fatalis per instrumentum cœleste elementis infusa, agit in materiam & formam atq; compositum. Item in essentiam & uirtutem & actionem. Item in principium medium q; & finem. Quoniam uero non solum agit in corpora, uerumetiam eatenus in animos, quatenus afficiũtur corporibus, uel utuntur: idcirco Plato hic ait, Parcas tum corporum tum animorum legumq; prosperitatem posse seruare. Et quoniam mens natura sua utpote mentis diuinæ prouidentia quãdoq; freta, uel fatum superat, uel fato feliciter utitur: subiunxit ad ipsam uitæ tam publicæ quàm priuatæ salutem, coniungendum esse cum mente sensum, adeo ut sensus menti pareat & ministret. Similemq; huic copulæ quæ ex mente & uisu audituq; componitur, procreat cœtum quendam magistratuũ in rep. stabilitati legum prospicientem, qui finem ipsum primo prospiciat reipub. deinde quæ uiæ potissimum perducant ad finem: studeatq; omnino, ut singula in ciuitate siue priuatim siue publice fiant, una quadam ratione conducãt ad unum: cuncta quidem ad uirtutem dirigens, uirtutes uero cæteras ad prudentiam: hanc deniq; ad sapientiam, quam sub nomine mentis significat. Cuius quidem ratione una uirtutes omnes comprobandæ censentur, quatenus uidelicet conducunt ad sapientiam. quam etiam ea ratione probat, quòd unius diuini boni sit particeps. Asserit exquisitissimam rerum considerationem esse, quæ non solum multa, quatenus multa sunt conspicit, sed etiam quæ sit in cunctis natura una communis. Item à quo uno principio hanc habuerint. Rursus ad quem finem unum per hanc conducere possint. Absq; eiusmodi contemplatione, neminem posse uitam perfecte uel priuatam, uel publicam gubernare. Cum uero hæc speculatio ad philosophum, præsertim diuinum pertineat, non iniuria inter ciues in cœtu illo electissimo congregatos, ad diuinos philosophos rerum summam iudicat referendam. Diuinos inquam rerum diuinarum inspectores atq; cultores. Itaq; eos qui ad diuina uel inspicienda sunt hebetes, uel colenda sunt pigri, uel docenda inepti: ab amplissimis reipub. muneribus procul arcet. Mox uero probat ad firmã summæ diuinitatis fidem duo esse potissimum necessaria. Primum, ut sciamus genus ipsum rationalium animorum diuinũ esse, corporibusq; antiquius, quo moueantur sphæræ: & intra sphæras omnia generentur. Secundum, ut cogitemus genus mentiũ scilicet angelicarum, animorum genere esse præstantius. Et animas ob ipsam mentis participationem sphæras ordinate mouere. Siquis enim duo hæc nouerit, facile cognoscet, sicut mens animæ forma ordoq; est, ita diuinum bonũ esse tum mentis, tum animæ uitam atq; lumen. Hæc uero tria, scilicet diuinum bonum mentemq; & animam, Plato proculdubio pene in omnibus eius scriptis aut demonstrat aut innuit omnium esse principia. Quod quidem in epistola ad Dionysium obscurioribus uerbis inuoluit. Animam uero nostram corpore antiquiorem esse, si non placet tempore antiquiorem dicere, dic saltem dignitate præstantiorem: atq; ex eo priorem, quòd à principio corporibus superiori habet originem: ideoq; motũ in anima ex se locauit: in corpore uero ab anima. Et quia crescit in corpore mutabilitas, ait à mutabili animæ, corpus non actione tantum, sed etiam substantia mutabili dependere. Reprehendit & Anaxagoram, quòd cum inter mentem & corpora non posuerit animã, compulsus fuerit naturales effectus non ab intelligentia per animam, ut pars est, disponi: sed elementali potius natura contingere. Asserit uero hic, quemadmodum in Timæo atq; Phædone, omnia siue per mentes angelicas, siue per animas, siue per corpora fieri dicatur, præcipue uoluntate diuina boni gratia fieri.

DIALOGVS DVODECIMVS DE LEGIBVS, VEL DE LEGVM LATIONE.

SI LEGATVS aut præco falso quæ sibi commissa sunt nunciauerit, dicenda' ue tacuerit, uel rursus ab hostibus amicis' ue rediens quæ ab illis accepit, aliter quàm acceperit retulisse reperiatur, quasi Mercurij louisq; mandata legationesq; contra legem contempserit: in iudicium deferatur. Et iudices pro magnitudine rei quid pati dare' ue ipsum oporteat, si damnatus fuerit, statuant. Pecuniæ furtum illiberale profecto est: rapina uero turpissimum. Nullus autem filiorum Iouis aut ui aut dolo delectatus quicquam huiusmodi unquam fecit. Ideo nemo uel à poetis uel à fabulosis alijs hominibus ita decipiatur, ut credat si furto aut ui usus sit, nihil se turpe, sed quod dij quoque fecerint, commisisse. Nam nec uerum id, nec ueri simile est. Et qui præter legem horum alterum facit, is nec deus, nec deorum est filius. Hæc legumlatori magis quàm cunctis poetis cognoscenda sunt. Igitur quicunque huic nostro sermoni paruerit, felix est, & in posterum semper erit. Qui contrà fecerit, hac lege arcebitur. Siquis aliquid publicum furatus fuerit, siue paruũ, seu magnum id sit, pari supplicio puniatur. Nam qui rem paruam sustulit, & si minori ui quàm qui magnam rapuit, æqua tamen cupiditate furatus est. Et qui magnum aliquid inde remouit, ubi ipse non deposuerat, is omnino iniquus est. Lex igitur non furti paruitate alterum minus quàm alterum puniendum censet, sed eo forsitan interesse putat, quòd alter sit insanabilis, sanabilis alter. Si seruus aut peregrinus furti publici accusatus & condemnatus sit, tanquam sanari quodammodo posse uideatur, quid pati dare' ue debeat, iudicio statuatur. Ciuem autem ita educatum ut ipsi instituimus, siquis publicum aliquid furatum esse uel uiolasse conuicerit, siue in ipso furto & scelere, siue aliter quomodocunque deprehenderit, tanquam insanabilem mortis supplicio condemnamus. Militiæ gratia merito magnæ habentur deliberationes, & leges multæ condũtur. Sed illud omnium maximum est, nequis mas fœmina' ue sine magistro ac principe quicquam agat: nec ciuis cuiusquam animus siue ioco siue serio aliquid facere solus & suo duntaxat arbitratu consuescat: sed tam in bello quàm in pace ad principem magistratumq; semper respiciat, & eum quocunque sequatur: atque ita ad eius nutum suam uitam instituat, ut uel minima quæque ab eo gubernatus faciat: stet quum iubetur, & rursus iussus proficiscatur, exerceatur, lauetur, comedat, surgat nocte, custodiam agat: det signa, & uicissim accipiat: & in ipso prælio nec insequatur unquam, nec cedat, nisi princeps & magister significauerint. Et ut summatim dicam: nemo penitus cognoscat, quid sit seorsum ab alijs agere: sed simul semper communisq; quammaxime omnibus uita sit. Nihil enim hac re melius, nihil præstantius, nihil artificiosius unquam erit ad salutem & uictoriam bello acquirendam. Hoc ipsum etiam in pace ab ipsa pueritia seruent: assuescantq; alios ducere, & ab alijs duci. Soluta uero licentia è uita penitus expellatur, non hominum solum, sed etiam bestiarum quæ sub hominibus sunt. Omnes quoque choreæ ita ut bene geratur bellum celebrandæ sunt, atq; omnis dexteritas, facilitas, promptitudo eiusdem rei causa comparanda. Ob eandem causam consuescere debemus à cibo & potu abstinere, frigus æstumq; & cubilis duritiem pati: & in primis capitis pedumq; uirtutem alienis tegmentis non corrumpere: nec pileorum calceorumq; à generatione datorum naturam perdere. Nam extremitates hæ cum naturam conseruant suam, maximas toti corpori uires præbent: contrà uero contrarium. Et altera quidem uniuerso corpori maxime ministrat: altera totum ducit cum principales eius sensus omnes natura possideat, sed huiusmodi quidem laudes bellicosæ uitæ iuuenes audiant. Leges uero has: Militet quicunq; conscriptus est, aut parti alicui deputatus. Siquis uero propter ignauiam imperatore nõ permittente militare detrectet, ad principes belli cum redierit, accusetur. Iudicent autem qui militarunt omnes, seorsum quidem pedites, & equites seorsum, cæteriq; similiter. Pedites quippe ad pedites & equites similiter ad equites, cæteriq; singuli ad eiusdem sortis principes deferẽdi sunt. Vbi quicunq; damnatus fuerit, & in certamen postea quodcunque descendere, & alium neglectæ militiæ accusare prohibeatur. Præterea quid dare pati ue ipsum oportet, iudices statuant. Sed desertæ militiæ iudicio peracto, peditum rursus equitumq; & aliorum

cœtus

cœtus à principibus habeantur,ut militaria his qui strenue se gesserunt,dona dentur.Iudicet autem de uictoria quisquis uelit inter ordinis sui participes,ita ut præteritorum certaminum nec coniecturas neq; testes adhibeat:sed eam quæ nuper gesta est pugnam dũtaxat consideret. Donentur deinde qui præclare certasse uidebuntur, corona ex frondibus arboris perpetuo uirentis conserta. Quam postea qui cõsecuti sunt in bellicosorum templis deorum utcunq; placuerit cum inscriptione titulo q; suspendant ut testimonium uirtutis sit diuturnum.Secundo quoq; ac tertio loco declarati sic faciant.Siquis autem in militiã profectus, antequàm principes dimiserint, ab exercitu abierit,apud eosdem iudices hic derelicti ordinis accusetur, apud quos & ille superior neglectæ militiæ accusatus est:& damnatus similiter puniatur. Cauere autem pro uiribus debet quisquis aliquem iudicaturus est, ne sponte aut inuitus supplicium mulctam'ue falso & non merito inferat: iudicium enim uirgo quædam pudica esse uere dicitur. Pudori autem atq; iudicio secundum naturam odio mendacium est. Quamobrem cum in alijs omnibus, tum maxime in bellicorum armorum proiectione cauẽdum est, ne deam iudicij præsidem offendamus: nequis necessarias armorum abiectiones quasi turpes per ignorantiam arbitratus,aliquẽ pœna indignum immerito puniat. Arduum quidem est hæc distinguere. Oportet tamen ut lex distinguere per singulas partes conetur.Fabula igitur ad hæc utatur. Si absq; armis semimortuus ad tentoria Patroclus fuisset delatus, quod pluribus accidit: & arma quæ à dijs,ut poeta dicit,in dotem Thetidi data fuerant ab Hectore rapta fuissent:utrum Menœtiades quasi arma abiecerit,à detractoribus uituperandus fuerit. Præterea siqui ab alto præcipitarunt,aut in mari,aut in tempestatis aquarumq; colluuione, aut in alijs huiuscemodi permultis, quæ ad purgandam ignauiæ suspitionem afferri possunt, coacti arma amiserint:erunt ne uituperandi? Danda uero opera est:ut maius grauiusq; malum pro uiribus à contrario secernamus.In ipsa igitur uituperatione, uocabulorum ipsorum prolatio differentiam quãdam ostendit. Nam sicuti abiector non de omnibus merito dicitur: armorum uero amissor de omnibus:nec similiter qui ui amisit,& qui sponte abiecit,sicuti abiector,est iudicandus.Omnino enim undiq; differunt. Sic igitur sanciamus. Siquis ab hostibus circumuentus cum armatus esset:non defendit se uersus ad eos,sed arma sponte dimisit,aut abiecit:turpemq; uitam uelocitate comparare sibi maluit,q; fortitudine honestam felicemq; mortem, de huiusmodi armorum proiectione iudicium habeatur, de superiori uero nullũ.Mali enim ignauiq; semper puniendi sunt,ut meliores fortioresq; euadant.Infortunati uero,minime,Nihil enim proficitur.Sed quęnam abiectionis armorum damnato & à uirili fortitudine degeneranti pœna cõgrua erit? præsertim cum impossibile sit huiusmodi in contrarium cõmutari, ut Cenеum Thessalum ferunt diuina quadam ui in naturam uiri ex fœmina cõmutatum. Abiectori enim armorum contrarium maxime conueniret,ut in mulierem ex uiro translatus sic puniatur. Nunc uero quoniam id fieri non potest:proximum aliquid excogitemus,ut postquàm ille usqueadeo uiuendi cupidus est, deinceps nullum periculum subeat, sed reliquam uitam & quidem quam longissimam improbus & cum dedecore uiuat. Hæc igitur lex sit. Eo qui arma turpiter proiecisse damnatus est,nec imperator neq; præfectus aliquis pro milite unquam utatur, nec in aciem recipiat. Si contrà fecerit, rationum referendarum iudex id cognoscat: & si maximi census sit,decem minis:si secundi,quinq;,si tertij tribus,si quarti,una ipsum condemnet. Proiectionis autem damnatus non solum ob naturæ eius ignauiam à uirilibus periculis arceatur,sed etiam si maximi census est decem similiter mulctetur minis: si secundi,quinq;:tribus si tertij:una uero,si quarti. De repetendis autem rationibus quas magistratus annui sorte creati,uel plurium etiam annorum consilio quodam delecti referre debent,quid dicemus? Quis enim sufficiens repetundarum iudex erit, siquis magistratus rerum pondere pressus, dixerit fecerit'ue suo aliquid indignum principatu? Difficile inuentu hoc est. Nam cum delecti magistratus uirtute alios antecellant,quo pacto præstantiorem eis inueniemus? Et tamen diuini aliqui uiri rationum referendarum exactores & iudices nobis quærendi sunt.Sic enim se res habet. Multæ occasiones soluẽdæ reip. quemadmodũ nauis aut animalis cuiusdã esse uidẽtur.Quarum licet una natura sit ubiq; diffusa,eas tamen intentiones,fulcimentaq;,& neruorum extensiones, multisq; alijs nominibus appellamus. Sed hæc tam salutis quàm euersionis Reipub. occasio non minima est

Repetundarum

ma est. Nam si iudices qui gesti magistratus rationem exigunt, uirtute magistratibus præ stent, atq; ita id fiat, ut nemo iure conqueri possit, uniuersa sic regio feliciter ciuitasq; flo rebit. Sin aliter iudicium repetundarum processerit, tunc eo iudicio soluto, quo in unum ciuilia omnia uinciuntur, omnes magistratus, alius ab alio distrahuntur: ipsiq; ex uno mul ti iam facti, ex una multiplicem ciuitatem efficiunt. hinc plena seditione cito omnia euer tuntur. Quare exactores rationum oportet in omni uirtutum genere cunctis excellere. Hoc igitur modo ipsorum generationem machinemur, Singulis annis post æstiuale sol stitium ad locum Soli atq; Apollini communiter dedicatum ciuitas uniuersa conueniat, tres uiros electuri, quem unusquisq; meliorem se solo excepto iudicet: qui non pauciores quàm quinquaginta natus sit annos. Electorum deinde dimidiam partem, qui à pluribus prælati fuerint, si pares sunt anteponant: sin uero impares sint uno excepto cui pauciora suffragia contigerunt dimidiam similiter reliquorum partem accipiant, suffragiorum numero præiudicãtes, Quod si æqualia numero suffragia multis fuerint, dimidiumq; numerum auxerint, iunior postponatur. Acceptisq; alijs rursum ferantur suffragia, quorusq; tres inæquales obtineant. At si omnibus his uel duobus æqualia suffragia sint, bonæ iam fortunæ res committatur: sorte hi discernantur. Eum qui suffragijs superat, rursumq; secundo loco & tertio declaratum, corona ex semper uirentis arboris fronde contexta co ronet. Datis præmijs præconio declarent, quemadmodum Magnesiorum ciuitas rursus deo duce nacta salutem, ciues eius tres omnium optimos, Soli & Apollini communes primitias prisca lege quatenus iudicium secuturi sunt consecrat. Qui primo anno duode cim repetundarum rationum examinatores constituant. Idq; faciant donec singulis septuagesimusquintus annus exactus sit, deinde singulis annis tres semper addantur. Hi magistratus omnes in partes duodecim distributos omni libera examinatione iudicaturi, diligenter obseruent. Habitent autem tempore quo rationes ipsis redduntur, in loco ubi electi fuerint, Soli atq; Apollini dedicato. Et tum per se solum quemlibet, tum communiter omnibus diligenter perquisitis, de singulis magistratibus publice perscribant, quid pati eos dareue ex repetundarum iudicum sententia deceat. Ac siquis magistratus horum iudicio non recte damnatum esse queritur, ad electum iudicium repetundarum iudices deferat. & si euaserit, accuset eos si uelit. sinautem ibi quoq; damnetur, atq; antea ab ipsis repetundarum iudicibus morte fuerit condemnatus, quemadmodum necessitas exigit moriatur. Quod si ea mulcta ab illis damnatus fuerit, quæ dupla ab ipso persolui potest, duplam persoluat. Sed iam audiendum est, quæ horum de repetundis sententiæ, & quomodo ferendæ sint. His igitur qui totius ciuitatis consensu omnibus præpositi sunt, donec uixerint primi consessus semper in omnibus solennitatibus præbeantur. Et quandocunq; ad communia græcorum spectacula sacrificiaq; mitti iudices ac præsides aliquos à ciuitate necesse est, ex istis mittantur. Hi soli in ciuitate, corona laurea coronentur, hi Solis & Apollinis sacerdotes sint. Pontifex etiam summus singulis annis ex his ille sit, qui superiori anno cæteris excelluisse sacerdotibus iudicabitur, horum nominibus quousq; ciuitas habitatur tempora distinguantur. Defunctis autem funera & sepulchra excellentius quàm cæteris ciuibus fiant. Indumenta quælibet alba sint. luctus ploratusq; absit. Chori quoq; duo, unus puellarum quindecim, alter totidem puerorum, feretro undiq; circũdato uicissim sacerdotem carminibus laudent, felicitatemq; eius per totam diem decantent. Mane uerò ad monumentum feretrũ iuniores ferant, qui gymnasiis operã impẽdunt, quos defuncti hominis propinquiores delegerint. primiq; cælibes quasi ad pugnam armati præcedant, cum equis equites, & cum leuibus armis pedites, cæteriq; similiter. Pueri uero ante feretrum, patrium cantum concinant, & puellæ post eos, ac mulieres iam effœtæ sequantur. Postremo utriusq; generis antistites quamuis ab alijs monumentis arceantur, tamen si Pythius quoq; confirmauerit, ad hoc sepulchrum quasi purum quiddam sit, nil prohibet deuenire. Monumentum huic sub terra sit fornix quædam longior ex durissimis pulchrisq; lapidibus, ubi lapidei lecti duli utrinq; sint, hic beatum illum sepeliant, arboresq; in circuitu plantent, una excepta solummodo parte, ut hoc sepulchrum augeri possit. deinde singulis annis musico, gymnico, equestriq; certamine hos uiros honorent. Hæc præmia illis reddantur, quorum de relatis rationibus iudicia, damnata non sunt. Siquis autem horum iudicio confidens quo

prælatus

prælatus fuit, naturæ humanæ fragilem conditionem detexerit, lapsus uidelicet in errorem postq; egregius habitus est, sanciatur lege, ut à uolente quolibet accusetur. Iudiciumq; de ipso sic agatur. Primo legũ custodes adsint, deinde accusati ipsius collegæ, electi præterea iudicij iudices. Adducat autem accusator, indignum esse illum qui accusatur, & magistratu & magistratus præmijs. Si ergo damnatur, magistratu, sepulchro, cæterisq; illi magistratui competentib us præmijs priuetur. Sin uero accusator quintam suffragiorum partem nõ habuerit, qui primi census est XII. qui secundi, octo: qui tertij, sex: qui quarti, duas minas persoluat. Magna autem in iudicando admiratione dignum fuisse Rhadamãthum uideo. Ille siquidem perspiciebat, in illis temporibus deos esse, omnes uno ore homines confiteri. neq; id iniuria, cum multi illis tempoibus ex dijs progeniti essent, quorũ in numero ipse etiam habebatur. Itaq; uidetur putasse dijs non hominibus esse iudicia cõmittenda. Quocirca simpliciter uelociterq; iudicia peragebat. Nam iureiurando in singulis causis à litigantibus requisito, cito simul ac tuto iudicare solebat. Nunc uero alij deos esse negant, alij res humanas curare non putant, plurimi uero & pessimi uilibus hostijs multisq; blanditijs ita conciliari sibi eos existimant, ut impune liceat grandem pecuniam extorquere. Quocirca Rhadamanthi iudicandiq; modus ille his hominibus minime congruit. Nam cum opiniones hominũ de dijs mutatæ sint, leges quoq; commutandæ sunt. Itaq; prudens legislator in iudiciorũ executione iusiurandum litigantium prohibebit, ut tam accusatoris intentio q̃ defensoris deprecatio sine iureiurando in iudicijs conscribatur. Nam si iurandi licentia in ciuitate cuiq; dabitur, ubi plura ad iudices quotidie deferũtur, omnes penè perituri erunt, præsertim qui præsentibus conuiuijs, aliaq; consuetudine ac priuata necessitudine coniuncti sunt. Lege igitur statuatur, iudicaturum iudicem iurare, atq; eos etiam qui reip. magistratus suffragijs constituent. Choreę quoq; iudicẽ, & omnis musicæ, ac gymnicorum etiam equestriumq; munerũ in certamine præsides atq; datores: & summatim in quibuscunq; secundum hominum opinionem nulli emolumẽto periurium sit. In quibus autem utilitatem ex periurio aliquis assequitur, ea sine iureiurando iudicentur. Et qui iudicaturi sunt nullo modo litigantes permittant aut iurare persuadendi causa, aut sibi generiq; suo imprecari, aut turpiter supplicare, aut commiseratione muliebriter uti: sed quod iustum putant, mansuete doceant, & docentem audiant. quod si ab his aberrat, ad rem à magistratu reducatur. Peregrinis autem inter se litiga ntibus, quemadmodum nunc si uelint, iurare liceat. Nam cum in ciuitate cõseneſcere non debeant, non formidandum ne alios corrumpant. Eodem autem modo inter liberos homines exe cutio iudicij fiat, siquis liber ciuitati non ob temperat in ijs quæ nec uerberibus nec uinculis nec morte plectuntur. Ac siquis ad choream uel ad pompam celebrandam non uenit, uel aliam huiuscemodi rem communem, ut ad ministerium sacrificij pacisq; sacra, uel belli, tributum non contulit: in his omnibus quamprimum damnum restituatur, aut pignus cui ciuitas lexq; commiserit, deferatur, exactoq; tempore pignore uendito pecunia in ærarium conferatur. Quod si maiore mulcta opus est, magistratus singuli pertinaces homines in iudicium uocent, & debita mulcta imposita legibus parere compellant. Sed ciuitati quæ colligendæ pecuniæ operam non dat, & sola ex agricultura pecunias habet, cum neq; mercaturæ neq; peregrinationibus uacet, neq; peregrinos aliunde suscipiat, deliberare necesse est quid faciendum sit. Quare legislator suadendo primum ita pro uiribus consulat. Solet gentium diuersarum commixtio uarios mores confundere, & peregrinorum cum peregrinis consuetudo plurima innouare. Quod ciuitati bene rectis q̃ legibus institutæ maxime omnium nocet. In ciuitatibus autem male institutis nihil refert, si tam senes quàm iuuenes pro arbitrio, & aliò peregrinentur, & aliunde peregrinos suscipiant. Contrà uero nullos unquam recedere aduenas, nec aliò ipsos proficisci, tum impossibile est, tum crudele atq; superbum cæteris hominibus uideatur necesse est, qui ciuitatem turpi uocabulo notent, peregrinorum hostem & difficilem atq; inhumanam appellantes. Non o portet autem unquam paruifacere, utrum probus an improbus alijs uidearis. Multi enim quamuis uirtutis expertes sint, qui tamen probi sint, qui improbi, iudicant. Nam prauis quoq; hominibus diuina quædam conijciendi uis ineſt, per quam multi uel pessimi recte tum opinione tum uerbis à melioribus deteriores distinguant. Quocirca utiliter ciuitatibus præcipitur, ut bonam apud multos existimationem non par

Iuramẽtum quãdo offerendum

Causa quomodo dicẽda

uipendant

uipendant. Maximum sanè atq; rectissimum est, ut cum sis probus, ita gloriam quæras, aliter minime, si modo perfectus uir futurus es. Quapropter Cretensis quoq; ciuitas ista conari debet, ut quamoptimam uirtutis existimationem apud cæteros homines consequatur. Maxima uero spes est eam ratione uiuentem, merito Solem cæterosq; deos cum alijs ciuitatibus regionibusq; bene gubernatis uisuram esse. Sic igitur de peregrinatione aliò & de peregrinorũ receptione faciendum est. Ei primum qui pauciores annos quàm quadraginta natus est, nullo modo peregrinari liceat. priuato quoq; nemini liceat. publice autem præconibus, legatis, atq; exploratoribus liceat. Profecto uero extra regionem ad gerendum bellum, ciuilis peregrinatio putanda non est. Ad Pythium uero Apollinem, Ad Iouem Olympicum, Nemeam etiam & Isthmum mittendi sunt aliqui, per quos sacrificia ludosq; his dijs ciuitas nostra communiter conferat. Mittantur autem pro uiribus plurimi, pulcherrimi, optimi, qui in sacris pertinẽtibusq; ad pacẽ communionibus ciuitati suæ honorem & gloriam bellicæ gloriæ respondentem comparent. Cumq; redierint, iuniores doceant, ciuiles aliorum institutiones suis multo posteriores esse. Spectatores quoq; alios qui otio abundantes aliorũ res hominum considerare cupiunt, ex legum custodũ instituto lex nulla prohibeat. Nam ciuitas bonorũ malorum'ue hominum ignara, & externæ consuetudinis expers, nunquã satis humana atq; perfecta esse potest, nec leges seruare moribus & consuetudine solum, nisi etiam notitia legũ prudentior fiat. Existunt uel in uulgo & multitudine homines quidam diuini quamuis pauci, attamen digni quibuscum cõsuetudinem habeas. hi non magis in bene gubernatis ciuitatibus quàm in alijs oriuntur. Quicunq; igitur in ciuitate recte gubernata incorruptus erit, horum uestigia à patria profectus, terra mariq; sequetur, ut tandẽ reuersus, legũ patriæ alias probet, alias siqua in re deficiunt, corrigat. Quippe sine inspectione inuestigationeq; nunquam optime ciuitas permanebit, neq; etiam si male inuestigetur. CLIN. Quomodo hæc utraq; fient? ATH. Hoc certe pacto. Primo spectator huiusmodi annos plures quàm quinquaginta natus sit: deinde cum in cæteris, tum maxime in bello probatus, si modo legum custodum exemplum in alijs ciuitatibus sit relicturus. Is ultra sexagesimum annum non amplius uagetur. Sed citra decimum annum quando uoluerit domum reuersus eorum ineat cœtum qui leges examinant. Hic cœtus è iunioribus atq; senioribus constet, quotidieq; mane donec sol oriatur, conueniant: primum de sacerdotibus qui tanquam cæteris excellentiores muneribus affecti sunt, deinde decem de legum custodibus seniores, postremo disciplinæ uniuersæ censor, qui magistratum hunc gerit, & qui iam exegerunt. Nec ullus istorum solus, sed cum iuniore aliquo quem delegerit à trigesimo ad quadragesimum annum nato. hi de legibus semper & de Repub. differant, conferantq; inuicem siquid de his excellens audierint. De disciplinis etiam ad id conducentibus colloquantur, quas qui sciunt, facilius, qui nesciunt, difficilius legum intentionem intellecturi sunt. Quæ uero ex his seniores probauerint, magno studio iuniores perdiscant. Quod si quis iunior adductus indignus uidebitur, totus cœtus ei exprobret, qui adduxit. Iuuenes autem qui se in his recte gesserunt, tota ciuitas honoret atq; conseruet. Sed si peiores alijs se reddunt, maiori quàm alij dedecore afficiantur. Ad hunc cœtum qui aliorum leges & mores inspexit, illico profectus, siquid de ferendis legibus aut disciplina aut educatione apud alios reperit, exponat. siquid etiam ipse inuenit, cœtui uniuerso declaret. Qui si nec peior reuertisse uidebitur, laudetur, quia quod potuit, libenter effecit. Sin multo melior, & uiuus magnis afficiator honoribus, & defunctum cœtus omnis decoret. At si corruptus redijsse uidebitur, cum se sapientem esse simulet, cum nemine iuniore uel seniore audeat se miscere. Hic si magistratibus paret, priuatus uiuat. Sinautem contra magistratuum uoluntatem de disciplina legibusq; ciuilibus disputare condemnatus in iudicio fuerit, moriatur. Et si cum in iudicium deduci iure debuerit, à nullo magistratuum sit adductus, quando de muneribus postea decernitur, opprobrio hæc res magistratibus sit.

Peregrinationes

Atq; aliò quidem profecturus, huiusmodi esse & ita peregrinari debet. Sed & aduenæ benigne suscipiendi sunt. Quatuor autem peregrinornm genera sunt, de quibus faciendamentio est. Primum eorum qui semper æstiuales sunt, & quasi aues per mare ut plurimum acquirendæ pecuniæ graria, æstatis tempore ad alias deuolant ciuitates. hos foro, portubus, publicisq; domibus extra urbem in ipsis suburbijs magistratus

Peregrinãtium genera

locis

locis illis præfecti ſuſcipiãt, obſeruantes nequis eorum noui aliquid faciat. Iudicia etiam illic eis iuſte reddantur, ita ut nihilo plus q̃ neceſſitas cogat, cum ijs familiaritas habeat̃. Alterum eſt eorum qui ſpectaturi ueniunt, & ciuitatis muſas illic audituri. hi oẽs diuerſoria iuxta templa habeant, quæ ſuſcipiendis hoſpitibus cõmodiſſima ſint. Sacerdotes uero & æditui curam ipſorum habeant, ut iucunde poſſint ſufficienti tempore permanere, & uidere, audireq̃ illa quorum gratia uenerunt, & tandem ſine detrimento & ſuo & aliorum recedere. Quod ſiquis eorũ iniuriã cuiquã intulerit, aut affectus iniuria ſit, uſq̃ ad drachmas quinquaginta ſacerdotes cognoſcant. Crimina uero maiora ad curatores rerum uænalium deferantur. Tertium peregrinorũ genus publice ſuſcipiendum eſt, cũ aliunde quiſpiã publica cauſa miſſus aduenerit. hunc imperatores, magiſtri equitum, tribuni militũ ſoli ſuſcipiant. Et is apud quem diuertit, cum principibus conſilij curã huius habeat. Quartum genus rariſſimum eſt. Accedere tamen aliunde aliquis poterit ſpectatoribus noſtris altera parte reſpondens. hic ita recipietur: primo ſi quinquaginta annos impleuerit, deinde ſi ea mente uenerit, ut uel conſideret quæ apud alios præclara habentur, uel ſua doceat. hic ſanè diuitum ſapientumq̃ ianuas iniuſſus adeat, cum ipſe huiuſmodi ſit, & quaſi hoſpes diſciplinæ prefecti domũ recte petat, non dubitans hoſpitalem eam propter uirtutis coniunctionem ſibi futuram. Cumq̃ ab alijs didicerit atq̃ docuerit quæ diſcenda docendaq̃ putauit, honore ſibi congruo muneribusq̃ affectus, ut ab amicis amicus abeat. His legibus peregrinos peregrinasq̃ ſuſcipiamus, noſtrosq̃ ſimiliter emittamus, hoſpitalem ueriti louem. Non enim eſu & hoſtijs, quemadmodum apud Nilum fit, peregrini pellendi ſunt: nec atroci edicto à finibus noſtris arcendi. Fideiuſſor quilibet, palàm fideiubeat, totumq̃ negotium conſcriptum coram tribus nec paucioribus teſtibus fateatur, ſi citra mille drachmas fideiuſſio fiat: ſin ultra mille, quinq̃ ad minus teſtes adhibeantur. Fideiuſſor autem ſit qui prius uendidit, eius de quo an iure poſſit uendere dubitatur: atq̃ eius qui uidetur minus ad promiſſa ſufficere: ſimiliterq̃ tam qui præuendit quàm qui uendit tanquam obnoxius iudicio ſubijciantur. Siquis in domo alterius quęrere quippiam tanquam ſuum uelit, is primo iureiurando affirmet ſperare quod quærit, ibi ſe inuenturum: deinde nudus aut interula indutus ingrediatur præcinctus, præbeaturq̃ ipſi domus, & ſupellectilia ſignata ſimul & non ſignata. Quod ſiquis ſcrutari uolentem non permiſerit, qui prohibitus eſt, precio amiſſæ rei ſtatuto accuſet eum qui ipſum depulit, & ille ſi damnatus fuerit duplum reſtituat. Si dñs ipſius domus abfuerit, non ſignata ſolummodo à præſentibus præbeãtur: ſignata uero ipſe quoq̃ obſignet, & cuſtodem ad quinq̃ dies relinquat. Quo in tempore ſi patronus non uenerit, ædilibus ſecũ acceptis obſignata reſignet, & cum ante oculos domeſticoum & ædilium quæſierit, rurſus obſignet. In rebus ambiguis ſpatium temporis ad præſcriptionem determinandũ eſt. De domibus quidem & agris nulla hac ratione diſceptatio erit. Aliarum uero rerum ſi qua à quoquam habetur, iſq̃ in urbe, foro, ſacris, aperte anno integro re illa uſus fuerit, atque hunc non occuluiſſe conſtet: nec quiſquam interea quamuis quærens eam exegerit, nemini liceat deinde rem illam quaſi ſuam repoſcere. Verum ſi non in urbe, ſed in agris manifeſte utatur: nec in annis quinq̃ rei dñs cõpertus ſit, quinquennio exacto repeti nequeant. Sin uero in urbe domi utatur, ad triennium uſq̃ apprehendere poſſit qui amiſit. In agris autem ſi occulte habet, uſq̃ ad decennium. Sin extra regionem, ſemper quandocunq̃ inuenerit, apprehendat. Quando aliquis ui eum qui litigat ſeu teſtes uenire in iudicium prohibet, ſi ſeruus ille ſit, ſiue ſuus, ſiue alterius, nullius momenti lata ſit. ſin uero liber, & ſententia irrita ſit, & anno uinciatur qui depulit, & ſiquis latrocinij eum accuſare uoluerit, fas eſto. Siquis aliquem ſecum muſica uel gymnica uel alia quauis facultate certaturũ in certamen deſcendere ui prohibuerit, quiſquis uelit munerũ declaratoribus id ſignificet, qui procurent ut quilibet liber certare poſſit. Id ſi facere non potuerint, uictoriæ munera prohibito dentur, ſi prohibitor uincet, & ipſius tanquam uictoris nomen in quibuſcunq̃ uelit templis inſcribatur. Prohibenti uero nec nomen inſcribere nec uictoriæ offerre inſignia liceat. Ac ſeu uincat certando ſeu uincat̃, illati damni crimine reus ſit. Siquis rem furto ſublatam ſciens receperit, in eadem culpa ſit qua ille qui furatus eſt. Qui exulẽ ſeu quemuis huiuſcemodi fugientẽ ſuſceperit, moriatur. Quippe quem ciuitas amicũ ſibi uel hoſtem decreuerit, eundem ſibi quiſq̃ ſimili-

Fideiuſſor

Præſcriptio

ter existimare debet. Siquis consilio suo absq; auctoritate cõmuni pacem iniuit, aut bel lum mouit, ultimo supplicio condemnet. Quod si pars aliqua ciuitatis id tentauit, huius rei auctores à militiæ imperatoribus tracti in iudiciũ, & damnati morte plectantur. Qui patriæ in aliqua re ministrant, nullo modo munera recipiant: nec ulla occasione aut ratione nobis persuadeamus, in rebus quidem bonis suscipienda esse munera, in alijs minime. Nam nec cognoscere facile est, neq; cum cognoueris, continere. Idcirco tutius est, legibus obtemperare, dicentibus nulla pro patriæ ministerio munera esse suscipienda. Siquis uero minus obtemperasse damnatus fuerit, moriatur. Tributa uero sic publica disponantur. Primo quidem multorum gratia rerum omnium cuiuscunq; ciuis census habeantur. Deinde annuos fructus tribules ad agri magistratus conscriptos deferant, ut cum duo tributa sint, Respub. possit alterutro, ut uidebitur, annis singulis uti, scilicet uel uniuersi census uel annui fructus parte. Vnde quæ ad alimenta tribuuntur, semper excipiantur. Donaria dijs moderata à moderatis hominibus offerantur. Terra quidem & Vesta, sacra deorum omnium habitatio est. Nemo igitur ex hac materia iterum simulachra dijs cõstituat, Aurum autem atq; argentum & priuatim & in templis, in alijs ciuitatibus inuidiosa possessio est. Ebur uero cum olim ab anima destitutum fuerit corpus, ad deorum simulacra ineptum est. Aes atq; ferrum bellica sunt instrumenta. Ex ligno igitur uno uel uno quouis lapide, integrę deorum imagines in templis cõmunibus statuantur. Texturæ quoque opus offeratur non maius q̃ quod ab una muliere mense uno fieri potuit. Colores albi tam in alijs quàm in textili artificio, dijs congrui sunt. Tincta uero coloribus alijs, ad bellica insignia solum exhibeãtur. Diuinissimæ uero oblationes sunt aues, atq; picturæ, quas singulas uno die pictor unus depinxit. cætera quoq; omnia his similia sint. Postq̃ uero urbis partes quæ & quot esse debẽt, distinctæ sunt, & leges de pactis commercijsq; maximis pro uiribus positæ: superest ut de iudicijs iam dicamus. Primum igitur arbitri iudices quos litigantes elegerint, locũ habeant. hi conciliatores commodius q̃ iudices appellari possunt. Deinde uicini & tribules secundum partem duodecimam distributi. Apud quos si reconciliati à primis non fuerint: maiori cum damno litigent. Vbi si debitor iterũ condemnabitur, quintã debiti partem persoluet. Quicunq; uero ab hoc quoque iudicio appellat, ac tertio certare uolet, electos iudices petat. Et si ab ijs etiam cõdemnabitur, & quantum debitum ipsum est, & dimidiam supra debitum partem afferat. Ac si accusator à primo iudicio repulsus non quieuerit, sed in secundo iudicio iterum certare uoluerit, quintam si uicerit partem accipiat, uictus autẽ tantundem amittat. Quando uero per primos & secundos iudices nondum reconciliati, tertios petunt, debitor quidem uictus, tantundem & dimidiã insuper debiti partem, ut diximus, uictori deponat: accusator aũt superatus dimidiam. Sed de creandis declarandisq; iudicibus, de istorum omnium administratione, de temporibus, in quibus singula facienda sunt, de ferendis suffragijs, & mora & dilatione iudicij, termino, citatione, repulsa, ac de cæteris omnibus quæ iudicijs necessaria sunt, quamuis in superioribus tetigimus: tamen quæ pulchra sunt, ut habet prouerbium, & bis & ter recte dici possunt. Parua uero quæq; & inuentu facilia, si legũ lator antiquior prætermiserit, iunior repleat. Sed de priuatis quidem iudicijs satis iam dictũ est. Publica uero atq; cõmunia, quibus usi magistratus, quæ ad hos pertinent peragunt, in multis ciuitatibus à prudentibus uiris recte constituta reperiunt. Vnde custodes legũ oportet quæ huic nouæ reip. congruant accipere, ita ut singula periculo examinata & corrigãt diligenter & probent, donec sufficiẽter se habere putent. & denicq; discussioni fine imposito his tanq̃ immobilibus per totã uitam utant. De silentio uero, laude, uituperationeq;, & de iustis, bonis, honestis, quæ in alijs ciuitatibus differunt, & dictũ est, & in fine dicet. Ad quæ omnia æquus futurus iudex respicere debet, atq; operã dare, ut has legum cõstitutiones ante omnia discat, & mente firmiter teneat. Nam ad faciendũ eum uirũ qui didicit bonũ, scripta legum præ cæteris doctrinis, si recte se habent, maxime cõferunt. Neq; enim temere miranda diuinaq; lex nomen menti proximũ possidet. νόος enim mentẽ, νόμος uero leges significat. Nã cũ multi sermones de laude uituperationeq; nonnullorum partim carminibus partim soluta oratione tũ scripti circũferant, tum quotidie in coronis seu cõtendendo, siue falso assentiendo habeãtur, horum omniũ perspicuũ examen legislatoris scripta nobis sunt. Hæc quasi

Quæ dijs offerenda

Iudicia priuata

Publica

remedium

remedium medelamq; aduersus aliarum orationum uenena, probe iudex secum semper tenebit: quibus seipsum ciuitatemq; emendabit, bonos confirmabit atque extollet: prauos ex ignorantia, incontinẽtia, timiditate, & ut summatim dicam, ex iniustitia uniuersa pro uiribus si sanabiles sunt, reuocabit. Nã si sanari nõ possunt, qui eos morte afficiunt, apud oẽs laude digni iudices iudicumq; principes nõ iniuria sæpius dici posse uidentur. Sed postq; annua iudicia exacta sunt, legibus his utant. Primum magistratus qui iam iudicium exercet, debitoris damnati pecuniam petitori omnem tradat, necessarijs tantum ad usum relictis. Idq; statim post lata suffragia fiat nunciante præcone, & iudicibus audientibus. Deinde si secũdus à lata sententia aderit mensis, neque uictori uictus sponte iuste persoluerit, iudices qui sententiã tulerunt, cunctã debitoris pecuniam uictori tradant. Quod si præsentia minus sufficiunt, nec minus q; drachma deficit una, non liceat deinde debitori prius alium quenquã in iudiciũ trahere q; debitum creditori totum restituat. Trahi uero ab alijs possit. Siquis in iudicio damnatus iudices ipsos læserit, aut quicquã eorum iniuste abstulerit, ijdem ipsi iudices ad custodes legum deferant. A quibus si criminis huius damnabit, quasi ciuitatẽ omnem leges q; euerterit, moriatur. Qui sub his legibus geniti educatiq;, liberos similiter genuerunt atq; educauerunt, ita cum alijs uersati ut moderatũ fuerit eorum commercium illatæ iniuriæ pœnas dederint, acceptæ exegerint. sicuti iuste legibus his usq; ad senectutem uiuunt, ita secundum naturam è uita decedunt. Mortuis uero tam uiris q; mulieribus parentationes quidem, & quæ ad deos siue inferos siue superos pertinent, secundum responsa interpretum fiant. Nullum in loco fœcundo & agro ad culturam apto sepulchrũ fiat. Sed is locus corpora defunctorum recipiat, qui ad cætera inutilis & ad id tantum commodus uiuentes minime lædit. Nec enim à uiuis neq; à mortuis terræ matris fœcunditas impedienda est. Nemo ergo aut uiuens aut mortuus uiuum aliquem alimẽto priuet. Agger non altior sit eo cumulo, quem uiri quinq;, diebus quinque construere possunt. Lapides quoq; superstruantur nõ maiores q; ut possint defuncti laudes quatuor solum heroicis uersibus æditas comprehendere. Elationes aũt non breuiori uel longiori tempore intus fiant, quàm uere mortuus significari cognosciq; possit. Ac ut humana se habẽt, triduana elatio ad sepulchrum mediocris uidetur. Credendũ est autẽ & de alijs legum latori & de anima, cum eam dicat omnino à corpore differre, nec aliud præter ipsam esse, quod in hac uita facit ut qui libet nostrum hoc ipsum sit quod sumus. Corpus uero tanq; imaginarium quiddam hominem sequi. Commode etiam mortuorũ simulachra corpora uocari. Ac reuera unumquenq; nostrum animam ipsam immortalem esse, eamq; ad deos alios proficisci, rationem suorum operum reddituram, ut lex patria continet. In quo certe bonis uiris confidendum esse, malis autem formidandum: quippe cum post mortem omni auxilio careant. uiuentibus autem necessarios omnes consulere debuisse ut quàm iustissime atq; sanctissime uiuant, ne maxima eos scelerum post mortem supplicia maneant. Hæc cum ita se habeant, rem familiarem atterere minime debemus, quasi arbitremur hanc carnis molem quæ sepelitur, nostrum illum esse, cùm ille filius aut frater aut quiuis alius à nobis desideratus, quem sepeliri putamus, hinc aliò fatis suis exactis profectus fuerit. Probe igitur factum erit, si tanquam ad manium aram anima carentem moderato utamur impendio. Moderatum uero quantum sit, à legum latore merito statuetur. Lex igitur ista sit, ut qui maximi census est, ad funus & sepulturam non plus quàm minas quinq; impendat: qui secundi tres: tertij duas, quarti unam: atq; ita singulorum moderata erit impensa. Cæterum custodes legum cum alia multa, tum hoc maxime curare debent, ut pueri & uiri, & ut summatim dicam, cuiuscũq; sexus uel ætatis homines ab illis iugiter obseruati bene uiuant, & ciuis cuiusq; dececessu, unus ipsorũ quem mortui hominis cõiuncti elegerint, funus totũ obseruet, prouideatq; ut bene moderateq; omnia, non contrà gerant, & illud sibi honori, hoc dedecori sit. Expositiones utiq; & elationes & cætera omnia secundũ leges de his conscriptas fiant. Ciuilis aũt legis latori concedantur ista. Lachrymis mortuos decorare aut nõ, turpe legũ latori cogere est: plãgere uero & extra domũ uociferari, prohibendũ est. Cadauer etiam manifeste per uias urbis frequentiores efferre, & palàm eiulare, aut ante diem extra urbem se afflictare, non liceat. Hæc ita de his statuta permaneãt. Quibus qui paret indemnis esto. Qui uero uni legum custodi nõ

Locus sepulchrorum

De corpore & anima quædam

paret,ab omnibus ut cõmuniter uidebitur,puniatur.Cætera quæ uel ad mortuorum monumenta,uel ad eos qui propter patricidiũ sacrilegiumq; sepultura indigni sunt, pertinent,superioribus legibus cõprehendimus.Quare legũ positio fermè finem habet. Omniũ uero finis est,non in eo quòd facta sint uel possessa uel habitata,sed in eo potius, quòd sicut recte sunt facta, ita firmiter stabilita sint. In huiusmodi enim conseruatione putandum est quantum oportuit factum esse: aliter minime. CLIN. Probe loqueris hospes,sed quorsum ista,explanatius dicito. ATH. Multa ô Clinia priscorum præclare dicta laudant: nec minus Parcarũ nomina. CLIN. Quænã? ATH. Quod Lachesis prima sit,Clotho altera: Atropos tertia,quæ salutem prædictis affert. Hæc ad ignẽ cõtortis quia uim incõuertibilem cõtinent,cõparata sunt. Quæ quidẽ in ciuitate & Rep. oportet non solũ sanitatem corporibus stabilẽ,sed animis quoq; legũ cultũ, imò uero legum salutẽ afferre.Sed mihi uidet negotio legũ adhuc illud deesse ut differat, quo pacto illis secundũ naturã uis incõuertibilis possit inesse. CLIN. Nõ paruum est quod dicis, si inuentu possibile est,quo pacto in unaquaq; recte id fiat. ATH. Possibile est profecto, ut mihi ad præsens uidetur. CLIN. Ne igitur abeamus hinc obsecro, anteq; nostris legibus id tribuamus.Ridiculũ est em̃,frustra in aliqua re sumpsisse laborem, nec stabile aliquid fundauisse. MEG. Recte tu admones: me quoque talem inuenies. CLIN. Probe dicis. Quæ igitur salus ista est? & qua ratione Reipub.nostræ & legibus aderit? ATH. Nónne diximus cœtũ in ciuitate huiusmodi esse cõstituendum quo decem de legũ custodibus semper seniores cõueniant? His accedant oẽs q; munerib. præmijsq; honorati sunt. Præterea & illi qui multas urbes peragrauerunt,ut aliquid ad patriarũ legũ cõseruationem conferens reperirent. sed hi ad cœtũ huiusmodi nõ recipiant, nisi ex ea peregrinatione incorrupti & integri redijsse,& cœtu digni esse probentur. Atq; horum singuli singulos sibi iuniores asciscant, non pauciores annos q; triginta natos,qui natura educationeq; digni esse asciscenti primũ deinde & uniuerso cœtui uideantur. Quod siquis indignus adhibeatur,nullius momenti sententia sit. Hunc cœtũ ante lucem conuenire diximus oportere,quando à cæteris tam priuatis q; publicis negotijs uacat. An non tale aliquid in superioribus diximus? CLIN. Certe. ATH. De hoc cœtu iterũ illud dicã. Aio enim, siquis hunc quasi ancoram uniuersæ ciuitatis quæcunq; ad hoc exiguntur in se continentem,iacíat,omnia quæ uolumus, seruaturum. CLIN. Quo pacto? ATH. Opportune modo dicemus,totisq; uiribus incumbemus. CLIN. Probe dixisti,& ut cogitas facito. ATH. Oportet sanè ô Clinia in unaquaque re congruum singulorum operum seruatorem excogitare. Qualem maxime locum in animalibus anima & caput habere uidentur. CLIN. Qua ratione rursus id ais? ATH. Horum nempe uirtus omni animali salutem præbet. CLIN. Quo pacto inquam? ATHEN. Nam animę quidem ad alia mens infusa est: capiti quoque ad alia uisus auditusq; insertus. Atque ita summatim pulcherrimis sensibus mens coniuncta,& in unũ redacta,salus singulorum efficitur. CLIN. Ita uidetur. ATH. Certe. Nam & mens sensibus coniuncta nauibus in tempestate & tranquillitate salutem afferre solet. An non uides quòd gubernator & nautæ simul cum mente gubernatrice sensum coniungentes seipsos nauemq; tutantur? CLIN. Quid ni? ATH. Non multis exẽplis opus est. Sed in exercitu & medicina cõsideremus,ad quod signum respicientes imperatores & medici,salutẽ rectissime consequuntur. Nónne illi ad hostium fugam & uictoriam suam? isti ad corporis sanitatem? CLIN. Proculdubio. ATHEN. Si medicus corporis sanitatem ignoret,aut uictoriam imperator, & cætera quæ dicebamus,mentem ne habere scireq; aliquid in his uidebunt? CLIN. Nequaquam. ATHEN. Quid porrò in ciuitate? siquis finẽ ad quẽ uir ciuilis respicere debet, ignorare uideatur, an primũ iure princeps poterit appellari? Deinde seruare id poterit,cuius finem prorsus ignorat? CLIN. Minime. ATH. Oportet igit & nunc ut uidet, si nouæ huius urbis constructio bonũ exitum habitura sit,aliquid in ea esse quod cognoscat primũ quisnam ciuilis sit finis: deinde quomodo illum assequamur: & demũ quæ lex primũ, deinde quisnam hominũ recte ad illam consulit,aut non recte: quippe quæ ciuitas his carebit, non erit mirũ,cũ mente sensuq; capta sit,si fortè casuq; singula faciat. CLIN. Vera loqueris. ATH. Nunquid dicere possumus in qua maxime ciuitatis nostræ parte uel quo studio huiusmodi aliquod ad salutẽ præsidiũ sufficienter constitutum sit? CLIN. Quamuis non liquido

liquido id asserere audeam hospes, conijcio tamen hanc orationẽ tuam ad nocturnum illum cœtum quẽ modo dixisti, contendere. ATH. Recte ô Clinia coniecisti. Oportetq; illum ut ratio præsens significat, omni uirtute præditum esse. Virtus autem eius prima atq; præcipua est, ne per multa uariaq; uagetur: sed ad unũ respiciat semper, quò omnia quasi tela sibi semper dirigenda sunt. CLIN. Ita prorsus. ATHEN. Nunc ergo intelligimus non esse mirum si ciuitatum leges longe aberrent. Nam in qualibet ciuitate alia legum positio ad aliud, & alia ad aliud respicit. Et alijs iustorũ finis est, ut aliqui siue meliores illi quidem siue peiores in repub. dominentur. Alijs ut ditentur, siue seruiant, siue non. Aliorum studium uertitur ad libertatem. Alij leges ad duo condunt, ut & ipsi liberi sint, & alias urbes subigant. Qui uero sapientissimos se putant, ad huiusmodi omnia simul. Vnum uero præcipuum ad quod cætera dirigant, non habent. CLIN. Nos igitur hospes recte iamdiu legibus nostris ad unũ respiciendum putauimus, idq; uirtutẽ appellari concessimus. ATHEN. Ita est. CLIN. Et uirtutem quatuor quædam ponebamus. ATHEN. Certe. CLIN. Mentem uero horum omnium ducem, ad quam & cætera omnia, & tria illorum respicere oporteret. ATHEN. Pulcherrime sequeris ô Clinia. Et in cæteris similiter sequere. Mentem quidem gubernatoris, medici, imperatoris, ad certum quiddam respicere dicebamus. Ciuilem uero redarguentes huc processimus, & nunc ueluti hominem, ita ciuilem hãc mentem percontemur. O mirifice uir quó tendis? Quid illud unũ est, quod in arte sua medicus plane assignare potest, & tu qui cæteris prudentibus præstare te dicis, in tua facultate nõ poteris? An uos ô Clinia & Megille pro ipso respondere potestis quid hoc ipsum sit, ut ego sæpe ad uos pro alijs feci? CLIN. Nequaquam hospes. ATHEN. An non quærendum putatis, quid illud sit, & in quibus? CLIN. Dic plane. ATHEN. Cum quatuor uirtutis species posuerimus, patet earum quamlibet unam esse si quatuor simul conficiunt. CLIN. Quid ni? ATHEN. Vnum etiam cuncta hæc nominamus. Fortitudinem enim uirtutem esse dicimus, prudentiam uirtutem, & reliqua duo similiter, quasi reuera non multa sint, sed unum id solum, quod uirtus est. CLIN. Omnino quidem. ATH. Inquantum igitur duo hæc inter se differunt, & duo nomina acceperunt, atq; alia duo similiter, difficile dictu nõ est. inquantum uero in utrisq; unum posuimus, idq; uirtutem uocauimus, & in duobus reliquis similiter, non ita facile. CLIN. Quomodo istud ais? ATHEN. Non est arduum quod dico, explanare. Agite ergo interrogandi respondendiq; munus inter nos partiamur. CLIN. Quo pacto? ATHEN. Interroga tu me quidnam unum appellantes uirtutem, duo utraq; rursum diximus, alterum fortitudinem, alterum uero prudentiam. Causam equidem tibi affero, quòd alterum circa timores uersaretur. Vnde beluæ quoq; fortitudinis participes sunt, & infantium animi. Natura enim quodammodo & sine ratione animus fortis efficitur, sed absque ratione prudens anima & mentis compos nec fuit unquam, nec est, nec erit. Aliud ergo hæc est quàm illa. CLIN. Vera loqueris. ATHEN. Quomodo ergo duo hæc & differentia sunt ratione, à me accepisti. Quomodo uero unum & idem, tu rursum me doceas, ita ut dicturum te putes, quo pacto cum sint quatuor, rursus unum sint: & me postea tibi rursus quomodo quatuor sint, declaraturum. Deinceps autẽ consideremus, utrum qui res aliquas sufficienter intellecturus est, quæ & nomen habent & rationem, nomen solummodo scire debeat, rationẽ minime. An potius si precij alicuius est, turpe est rerum magnitudine & pulchritudine excellentiũ tam nomina q̃ rationes ignorare. CLIN. Ita uidet̃. ATH. Legum uero conditori atq; custodi, & ei qui uirtute præstare cæteris opinatur, & munera pro his rebus accepit, est ne maius aliud q̃ fortitudo, temperantia, iustitia, atq; prudentia? CLIN. Quomodo aliud? ATH. De ijs igitur interpretes doctores, legũ conditores, aliorum custodes, nónne cæteros qui scire cupiunt, uel punitione & increpatione indigent, docere debent, quas uires uirtus, quas uitiũ habeat, atq; hæc significando excellere cæteris? An uero poeta quispiã aut iuuentutis magister urbẽ nuper ingressus, eo præstantior iudicabit̃, qui omni se uirtute excellere profitetur: & deinde mirum uidebitur, si ea ciuitas ubi custodes uirtutis nomen rationemq; non tenent tanq̃ deserta custode, eadem patiatur, quæ & aliæ multæ hodie patiunt̃. CLIN. Nihil certe mirum. ATH. Ad hoc itaq; incumbamus. Quõ igitur custodes in uirtute cæteris tam re q̃ uerbo exquisitiores reddemus? Vel quo pacto prudentum capiti atq; sensibus similis ciuitas

Cur ciuitatum leges lõge aberrent

Fundamenta legũ omnium

lis ciuitas noſtra propter huiuſmodi cuſtodiam fiet. CLIN. Quonam pacto hanc ô hoſpes ſimilitudinem faciemus? ATH. Patet quia ciuitas capitis quædam capacitas erit, cuſtodes autem iuniores ſagaces ſolertesq; ſupremo in uertice collocabuntur. Vnde urbem totam circumſpicient, & cuſtodiendo quæ ſentiunt, memoriæ commendabunt, omniaq; ſenioribus nunciabunt, qui mentis ob rerum multarum cognitionem perſimiles, ciuitati conſulent iuuenum miniſterio uſi. Atq; ita utriq; communiter ciuitatem omnem conſeruabunt. Sic ne an aliter ipſos præparandos putamus? An æquales omnes habendos eſſe cenſemus? nec exquiſitiori ratione educari eruditi'que nonnullos uolumus, eos'que cæteris anteponi? CLIN. At id quidem ô mirifice uir impoſsibile eſt. ATH. Ad exquiſitiorem ergo diſciplinam quàm ſuperior illa ſit, ueniamus. CLIN. Sic fermè. ATHEN. Atqui ea fortè quam modo tetigimus, hæc ipſa eſt quam quærimus. CLIN. Omnino. ATHEN. Dicebamus autem præcipuum in ſingulis opificem atque cuſtodem, non ſolum oportere, ut multa cernere poſsit, ſed ut ad unum etiam tendat, illud'que cognoſcat, & cum cognouerit, cuncta illo quæ perſpicit, dirigat. CLIN. Recte. ATHEN. Eſt ne igitur exquiſitior conſideratio alia rerum quàm ut poſsis ad unã ex multis diſsimilibus' que ideam aſpicere? CLIN. Fortaſſe. ATHEN. Ne Fortaſſe dicas, ſed reuera ô beate uir, nemo certiorem hac uiam rationemq; unquam habebit. CLIN. Tuis rationibus hoſpes perſuaſus cõcedo, quare ita proſequamur. ATHEN. Cõpellendi ergo diuinæ Reipublicæ cuſtodes nobis ſunt, ut exacte inſpiciant, primum quid in omnibus quatuor idem ſit, quod cum in fortitudine, temperantia, iuſtitia, & prudẽtia inſit, uno uirtutis nomine iure uolumus appellari. Id ô amici ſi uultis, modo apprime teneamus: nec dimittamus antequam ſatis pateat quidnam illud ſit, ad quod ſiue quaſi ad unum, ſiue quaſi ad totũ, ſiue ad utraq;, ſiue quomodocunque ſe habeat, reſpiciendũ ſit. An putamus ſi hoc nos effugerit, ſatis nobis patere, quæ ad uirtutem pertinent, de qua nec ſi multa, nec ſi quatuor, nec ſi unum, explanare poſsimus. Aut igitur ſi noſtro conſilio creditis, modum adinuenire conabimur quo id in ciuitate nobis aderit, aut ſi uidebitur, dimittemus. CLIN. Minime per hoſpitalem deum, ô hoſpes, dimittendum hoc eſt. Rectiſsime nanq; id dicere uideris, Sed quo pacto quis hoc inueniet? ATHEN. Nondum quomodo agendum dicamus: ſed primum inter nos, oporteat nec ne, conueniamus. CLIN. Oportet certe ſi poſsibile eſt. ATHEN. Quid porrò de honeſto ac bono? utrum quod ſolummodo multa ſint, cuſtodes nobis cognoſcent? an etiam quomodo unum cognoſcent? CLIN. Neceſſarium uidetur ut etiam quomodo unum ſunt, intelligant ATHEN. Quid deinde? Intelligere'ne ſolum debent, oratione autem declarare non poſſe quod intelligunt? CLIN. Quo id pacto? ſeruilis enim habitus eſſet. ATHEN. Num etiam de omnibus ſtudio dignis eadem ratio eſt, ut eos qui ueri cuſtodes futuri ſunt, oporteat ueritatem legum optime intellígere, oratione' que ſufficienter exponere, & operibus aſſequi, quæ recte fiunt quæ non, ſecundum naturam diiudicantes? CLIN. Cur non? ATHEN. Nónne una de rebus optimis eſt ea de qua ſuprà ſerio diſputauimus? Vbi quòd ſint dii, & quòd uires maximas habeant, demonſtrauimus: idq; pro uiribus homini eſſe ſciendum: ita ut multis ignoſcamus, ſi legum tantummodo ſententiam ſequantur: cuſtodiam uero nulli cõmittamus qui non multo labore firmaq; fide quæcunque ad deos pertinent, fuerit aſſecutus: ut neminem unquam cuſtodem legum eligamus aut cæteris uirtute anteponamus, niſi diuinus ſit, diuiniſq; ſtudijs operam dederit. CLIN. Par eſt igitur, ut ais, ſiquis in re diuina tardus & ineptus ſit, ut is longe à rebus pulcherrimis arceatur. ATH. Scimus'ne igitur duo eſſe, quæ faciunt ut quæ ſuprà de diis expoſita ſunt, credantur? CLIN. Quæ' nam? ATHEN. Vnum quidem illud de anima ſupradictũ, quòd antiquiſsima diuiniſsimaq; omnium ſit, quorũ motus generationem ſortitus ſubſtantiam ſemper fluentem produxit. Alterum de ordine: quo aſtra cæteraq; feruntur, quæ intellectus ducens, omnia exornauit. Nemo enim qui hæc diligenter conſiderauit atq; percepit, adeo impius unquam fuit, ut contrà non ſit affectus q; multi ſuſpicentur. Plericq; enim putant eos qui hæc tractant aſtronomiæ & aliis huiuſmodi ad hæc neceſſariis artibus dediti, à religione alienos eſſe. Quippe cum neceſsitatem pro uiribus qua res ſiũt, inſpexerint, non uoluntate diuina boni gratia omnia gigni credere illos arbitrantur. CLIN. Quomodo igitur id ſe habet? ATHEN. Contrà ſe habet penitus

tus nunc,& quando ſine anima eſſe hæc putabantur.Quamuis etiã tunc quicunq; diligentius alijs illa perſcrutabantur,mire ueritatem tangebant: quòd uidelicet nunquam ſi anima carerent tam exquiſita ratione uterentur, mentis expertia, audebant affirmare nonnulli mentem cœleſtia omnia ornauiſſe. Sed ijdem ipſi neſcientes animæ naturam antiquiorem eſſe corporibus,omnia rurſus,ut ita dixerim, immo uero ſeipſos euerterunt,cum iuniorem putauerint.Nam & quæ ante oculos ſunt,hæc & in cœlo eſſe crediderunt. Itaque terra, lapidibus,alijsq; inanimatis corporibus referta eſſe cœleſtia credentes, his cauſas totius mũdi dederunt. His igitur factum eſt,ut qui hæc tractant philoſophi,tanquam impij uulgo exiſtimarentur, & à poetis compararentur canibus fruſtra latrantibus,aliaq; in eos plena ſtultitiæ dicerentur.Nunc autem,ut diximus, contrà omnino ſe res habet. CLIN. Quo pacto? ATHEN. Nunquam mortalis quiſpiam poterit deum firmiter colere,qui hæc duo antea non acceperit.Primum,quòd rerum omnium quæ generationis participes ſunt,antiquiſſima anima eſt, atque etiam immortalis: cumq; talis ſit,omnibus dominatur.Deinde quod ſæpius diximus, ueram eſſe mentem in aſtris non ignoret, & quæ antecedunt ad hæc diſciplinæ ipſum non lateant. Muſæ etiam his conuenientis nõ ignarus ad mores componendos legesq; ſeruandas ipſa utatur:poſſit́ que earum rerum rationem reddere, quæ rationẽ habent. Qui uero ad uirtutes publicas,hæc inſuper non poſſederit, is nunq; fermè totius ciuitatis ſufficiens princeps erit: ſed aliorum miniſter. Conſiderandum uero nunc ó Clinia & Megille,utrum prædictis legibus hunc ut apicem cuſtodeḿ que illarum apponere debeamus,ut ſalutis gratia nocturnus principum cœtus adſit,diſciplina quam prædiximus,præditus. Quid ergo agemus? CLIN. Quid prohibet optime uir,quo minus quantulumcunque poſſumus,apponamus? ATH. Certe ad id contendere omnes debemus.Ego quidem libenter uobis opitulabor.fortè etiam ob harum rerum peritiam alios quoq; multos adiutores inueniam. CLIN. Hac uia ó hoſpes maxime proficiſcamur, qua deus ipſe ducere uidetur.Sed modum nũc quo recte hoc fiat, excogitemus. ATH. Leges de iſtis ô Clinia & Megille non ante ſcribi poſſunt,quàm ciuitas uniuerſa fuerit exornata. Tunc enim debita cum auctoritate conſtituendæ uidentur.Sed eæ non aliter recte q̃ doctrina multa & longo diſputationis examine probabuntur. CLIN. Quid hoc iterum ſibi uult? ATH. Primum igitur cætus eorum hominum qui ætate, doctrina, moribus, conſuetudine, ad cuſtodiam idonei ſunt, conſtituatur. Deinde quæ diſcenda ſunt,ea nec inuenire facile,& inuẽtoris diſcipulum fieri arduũ. Tempora præterea in quibus percipere oportet ſingula, fruſtra ſcribentur. Nec enim poſſunt ipſi qui diſcunt,cognoſcere quando quid oportune diſcatur:antequam in eorum animo rei ipſius ſcientia ſit. Quæ igitur in his palam dici non poſſunt,non recte tentantur.dici autem non poſſe inquam: quoniam ſi dicantur,nihil planius explicant. CLIN. Cum hæc ita ſe habeant hoſpes, quid nobis agendũ cenſes? ATH. Quod ut prouerbio dicitur,in cõmuni & medio poſitum eſt, id nobis ô amici nunc competit,ac ſi de uniuerſa reipublica periculum ſubire uelimus: faciunda omnia ſunt ita,ut ter ſex, uel tres talos iaciamus. Equidem periculum id uobiſcum ſubibo,dicendo atque exponendo, quæ mihi de hac diſciplina & educatione quam modo tetigimus,uidebuntur: periculum autem paruum non eſt, nec alijs ſimile. Quod tibi ô Clinia curæ modo eſſe iubeo. Tu enim in Magneſienſium urbe, uel illa cui deus ipſum cognominem faciet, ſumma florebis gloria, ſi recte ipſam conſtitues. Certe nunquam effugies quin poſteriorum omnium fortiſſimus uideaˢis. Si ergo diuinus hic cœtus nobis ô amici conſtituetur,huic ciuitas erit tradenda. Neque his reliqui legumlatores tanquam minus ſufficientibus aduerſabuntur. Profecto quod paulo ante quaſi ſomniantes uerbis tetigimus, quando capitis mentisq; cõmunionem per imaginem quandam attulimus, id penè uigilantes perficiemus, ſi nobis hi uiri exquiſite docti conuenerint, & in arce regionis habitauerint cuſtodes ciuitatis conſtituti,quales nunquam nos in præterita uita ad cuſtodiã agendam fuiſſe cognouimus. MEG. Ex omnibus quæ diximus,ô amice Clinia,patet,aut huiuſmodi ciuitatis conſtitutionem prætermittendam eſſe,aut hunc hoſpitem non dimittendum, ſed precibus modisq; omnibus ſociũ ad diſponendam ciuitatem accipiendum. CLIN. Probe loqueris ô Megille. Ego quidem ſic prorſus efficiam,ſed tu quoq; opem feras. MEG. Feram equidem.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI IN EPINOMIDEM
id est legum appendicem, uel philosophum.

THESAVRVM diuini Platonis, magnanime Laurenti, latere in hoc Epinomide qui philosophus rursus inscribitur: Platonicorum ambigit nullus. Sed ad hunc in lucem penitus expromendum, multis opus est machinis, Marsilio uero tuo argumenta promittenti, non licet prolixiora præstare. Præsertim cum & scriptorum expressorumq; tabellarij opus assidue urgeant, & argumenta procacius è manibus extorquẽtes, uix permittant in singulis uoluminibus summa sequi fastigia rerum. Præcedentium legum consilium est, animos ciuium pro uiribus ita componere, ut expeditã adepti tranquillitatem, diuinorum operum rationes & causas perscrutentur, & in his quasi speculis auctorũ deum speculentur, & colant. In speculatione quidem sapientia, in cultu uero religio, in ambobus tota consistit humana felicitas finisq; legum. Eiusmodi finem superiores quidem promittunt leges: Epinomis uero præstat donante deo. Itaque perfectum hunc mentis habitum in exordio uaticinatus deinceps supplici quadã oratione petit à deo. Felicitatem alij in hac uita haberi posse iudicauerunt: alij in altera, alij uero nusquam. Profecto quicunq; in hac uita humanis eam uiribus acquiri putant, totius uitæ testimonio reclamante manifeste falluntur. At uero qui nusquam, ij tanquã uani, uanum quoq; esse uolũt naturæ totius instinctum. Sapienter admodum Plato noster felicitatem in altera uita sperat, tum præsentis uitæ uirtutibus, tum dei munere comparandam. Non diffidit tamen pauciſsimos quosdam in hac quoq; uita felicitatem degustare posse. Quos in Phædro, in Phædone, in Republica tales esse uult, ut extra corpus uiuant potius quàm in corpore, deoq; ipsi potius quàm sibi uiuant: quo efficiatur, ut aspirante deo uel inter ipsos fluminis Lethei fluctus, libare nonnihil ætherei nectaris uideantur. Neq; ab re hunc Epinomidem præterea inscripsit Philosophũ. Siquidem ut in Reipublicæ sexto & septimo, & in præsenti libro patet, philosophi officium est rerum omnium rationes inuestigare, ut diuinam ipsam qua factæ sunt, inueniat rationẽ, inuentam colat, cultafruatur. In hoc autẽ libro dum ad felicitatem, quam in sapientia religiosa procul dubio collocat, perducere nos contendit, proprium legitime philosophantis depingit ingeniũ, & conuenientibus disciplinarũ gradibus erudit & format. Atq; ubiq; non minus, imò multo plus uirtutis & pietatis, quàm scientiæ à philosopho uidetur exigere: & quicquid scientiæ ab hoc exigit, idcirco requirit, ut deum ipsum uerum tam scientiæ magistrum quàm auctorem rerum quæ sciuntur, præ cæteris ueneretur. Primo uero uim nobis ad diuinam felicitatem naturaliter insitam ex eo probat, quòd omnes in omnib. actionibus ipsam & uaticinamur & quærimus, & alijs omnino nullis implemur. Deinde singulas ordine facultates enumerans, ostendit hanc neq; naturalibus, neq; necessarijs, neq; ludicris & iocosis, neq; auxiliatricibus facultatibus comparari. Tertio demonstrat uirtutibus tum moralibus, tum speculatiuis acquiri sapientiam & pietatem beatitudinis fundamenta. Vbi uero speculatrices doctrinas enumerat, primo quidem arithmeticam non laudat solum, uerum etiam admiratur. quam in libris superioribus maxime omnium inquit ingenium acuere, memoriam confirmare, animum ad omnem speculationem actionemq; aptissimum promptissimumq; efficere. Atq; hic addit numerum ab ipso deo hominibus traditum uelut rationis discursionisq; necessarium instrumentum. Quo sublato, & animus amens appareat, & scientiæ artesq; penitus euanescant. Laudat præterea geometriam mensuras spectantem, & stereometriam librantem pondera, & astronomiam cœlestia obseruantem, & musicam concentum cœlestium imitantem. Commendat quoq; physicam, ubi de corporum generibus, compositionibus, animalibus motionis & generationis principio tractat: sed ita, ut minutissima quæq; naturalium relinquat medicis, tanquam ab eo qui ad diuina se confert, minimum aliena. Dialecticam deniq;, id est metaphysicam, & apicem huius theologiam uelut reginam omnibus anteponit: uidelicet singulis ceu gradibus utentem ad inueniendum deum atq; adorandum. Tria uero reginæ huius circa cæteras facultates munera esse probat. Primum, ut multitudinem harum omnium circumspiciat. Secundum, quæ nam una in cunctis communio cõnexioq; sit conspiciat. Tertium, qua ratione ad unum ipsum diuinumq; bonum, & multitudo hæc, & huius unio conferat manifeste suspiciat. Addit autem, nisi eiusmodi unio doctrinarum ad diuinum unum conducens, comprehendatur, cunctas omnino inanes euadere: neq; quid in eis unum sit percipi posse, nisi comparentur ad unum, à quo & ipsam accipiunt unionem. Mentem uero hæc omnia cõsequutam, atq; ita unitam sibi: rursusq; per se unitã deo: & hic ait pro uiribus beatam esse, & in altera fore uita omnino beatam. Id autem libri totius est argumentũ. Paulo post exordia, ubi traduximus hæc uerba, scilicet, Breue autem tempus, quod deinde sequitur, alibi legitur, Ad rationis discursum idoneum, & id quidem non solum in deprauatis, sed & moderatis hominibus relinqui uidetur. Vbi uero cœlum laudat tanquam & prudentiæ & bonorum omniũ causam, eiusmodi laudes à cœlo corporeo ad incorporeum cœlum, id est ideam cœli uult transferri. Quam ibidem adorari iubet per cœlum uisibile quasi per simulacrum significatam. Tu uero hic attende, homines in genere terrestriũ dæmonũ iudicari, ubi inquit, dæmones alij simul omnes, & quæ sequuntur. Post hæc ait, siquis quod diuinũ est generatione cognouerit, uerum numerũ, pietatemq; cognituruũ. Diuina in generatione duo significat: tum spiritalem quandam motionẽ quæ in anima est, siue uim motricem corporeæ motionis, generationisq; originẽ: tum speciẽ naturalẽ, quæ in perpetua generationis successione

seruatur

ſeruatur. In motu quidem animæ uerus eſt numerus muſica, ut Timæus ait, proportione concentuq; conſonans. In ſpecie quoq; mens numerus. Rerum nanq; ſpecies certo quodam numero et ordine diſponũtur. Per hæc utiq; religio confirmatur. Nam ex libero animæ motu diuinã ſubſtantiam per ſe exiſtentem uaticinamur: & ex perpetua in ſpeciebus perſeuerantia idearum auguramur æternitatem. Audies ſententiam Moſaico myſterio ſimilem. Ait enim, ſi quid mali ab aeris qualitate & plantis & animalibus nobis infertur, non diuinam naturã culpandam eſſe, ſed humanam, quæ iniuſte uitã ſuam diſtribuit. In ſequentibus, legum finem manifeſte cognoſces his uerbis. Finis hic legum tibi propoſitus eſt, ut dei cultu & uitæ puritate optimum atq; pulcherrimum exitum conſequaris. Mox repetit tria pietatis capita. Primum, ut deum eſſe credas. Secundum, ut maximorum ſimul & minimorum curam habere confitearis. Tertium, ut nullis precibus aut donis inique flecti eum exiſtimes. Confirmat & iterũ diuinitatis fidẽ ex ipſius animæ excellenti quadã diuinitate. Putat aũt quicquid ita corpore melius eſt, ut ſit & diuinius, id eſt diuinis ſimilius quàm corporeis, idẽ corporib. cũctis antiquius eſſe, propterea quòd in quolibet rerũ genere ſiue ordine, quod perfectius eſt, eſſe quoque magis poſsidet: ideoq; cauſam imperfectioribus exhibet exiſtendi. Quod uero alteri eſſe præbet, nimirum eſt & antiquius. Addit, quando ex congreſſu animæ cum corpore, conficitur animal, unam quandam ibi formam in corpore reſultare, id eſt uitam corpoream in ſubiecto ex acceſſu uitæ incorporeæ procedentem. Ponit & duo rerum genera. Alterum quidem corporeum, incorporeum uero alterum. Et huic quidem actionem, illi uero attribuit paſsionem. Huius item unam eſſe dicit formam, ob id potiſsimũ, quòd & ſimplex, & in ipſa ſemper forma ſubſtantiæ permanet. Sed quod legitur, Non enim eſt aliud, & quæ ſequuntur: alibi ita legitur, Nam quod in alia tranſmutatur, non eſt incorporeum, & omnino coloris expers præter diuiniſsimum reuera animæ genus. In genere uero corporum quinq; collocat corpora. Quæ ideo uocat ſolida, quia & in profundum adacta diſcernũtur à planis, & in omni corpore uel liquidiſsimo eſt aliquid ſolidi, tum per ipſam naturæ propriæ conſiſtentiã, tum Platonice per quandam terrenæ naturæ ſimilitudinem ad cœlum uſq; diffuſam. Cœlum quidem ex eo ignem nominat, quod propriam habet lucem, quæ præcipua ignis eſt qualitas. Habet et perennem motum, qualem uidemus in igne: & inſtar ignis non patitur mixtionem, & quia nondum naturali depellitur loco, ideo non cogitur aſcenſu redire, ſed reuoluitur. Et actu quidem lucet, uirtute uero calet. omnino uero diuerſiſsimi generis eſt à noſtro. Poſt cœleſtem ignem, alteram collocat ignis ſpeciem, calentẽ iam magis quàm lucentem ſub luna ætheris nomine nuncupatã. Cuius quidem ueſtigium quoddam eſt noſter ignis, iam non ſolum calens, ſed adurens: adurens inquam ob nimiam aſperitatis terrenæ permixtionem. Qui uero in tenui uiget materia lucet purius, caletq; ſuauius: præſertim ubi à nullo coarctatus ſpatiatur in amplum. Huic ſubdit aerẽ, aquamq; & terrã. Putat autem quamlibet mundi ſphæram ex his quinq; componi, ut perfectiſsima inter omnes ſit, tam in ſubſtantiæ connexio quàm in uirtute & actione communio. Verum in qualibet ſphæra unum eſſe præcipuum, ac pro natura ſua reliqua inſuper contineri. Sic & æther in terra terrenus eſt: & terra in æthere euadit ætherea, ſimiliter & in cœlo. Sed de his nõnihil in Theologia, nonnihil in Timæi cõmentarijs diligẽtius. Proinde animalia in cœlo, æthere, aere, aqua, terra rationalia collocat. Quæ dicit ab anima fieri: ab anima inquam triplici. Vult enim ultra unã mundi totius animam, duodecim eſſe ſphærarum duodecim animas: deinde in qualibet ſphæra duodecim eſſe ordines animarum. Hi ordines in cœlo ſidera ſunt & ſtellæ, in terra homines: in æthere, aere, aqua, ſcilicet ſublimiori, ſunt dæmones. In his ſingulis animatis animam rationalem corpori ſuo coniunctam animal procreare, id eſt cõpoſitum quiddam ex proprio corpore, uitaq; corpori prorſus infuſa. Quæ quidem uita iam facta corporea à triplici dependet anima. Nam & à propria, & ab anima ſphæræ, & à mundi totius anima. Quod aũt cœleſtia animas habeant argumento ſunt apud Platonem diuinitas ſubſtãtiæ cœleſtis, quantitatis amplitudo, qualitatis uirtus uiuificã omniũ, motionis uelocitas atq; efficacia. Quod inſuper animæ cœleſtes mentem habeant, ex ordine tenorisq; eiuſdem perſeuerantia conijcit. Subdit neceſsitatẽ animæ mentem habẽtis eſſe quàm maximã, duobus id modis intelligens. Primo quidẽ, quia naturalis neceſsitas, puta in hac uel illa ignis parte ad comburendũ & aſcendendũ, agit aliũde ducta. Animæ uero intellectualis natura, quatenus participat intellectũ, eatenus ſuæ actiõis eſt domina. Deinde quia motus animæ cũ ſit natura liber, præuaricari facile poteſt, uiciſsimq; peruagari niſi mente uelut auriga regatur: mento inquã perfecta, & optimum actionis finem, & electiſsimam uiam ab initio prouidente. Quæ quidem cum optima optimæ adeſt animæ, qualis eſt in ſtellis, neceſſario præſcriptũ opus aſſequitur. Nam & optimæ animæ, id eſt potentiſsimæ nõ reluctantur corpora, et mens optima conſiliũ non permutat. Hinc ergo ait tres Parcas conſeruare perfectum quicquid certo cõſilio cœleſtes dij deliberarunt. Tres ait parcas, fatũ unum ad diuinariũ mentium nutum tria diſponens, principia ſcilicet, ac media, fineſq; rerum. In ſuperiori uero libro, quæ fatis cõſtituta ſunt, materijs ad ignẽ elaboratis, ſiue directis, ſiue contortis dixit eſſe ſimilia. Nam ut hæ materiæ in oppoſitũ ultrà flecti nõ poſſunt, ita neq; fatalia. Neq; iniuria ad ignem contorta cõmemorauit. Nam igneæ cœlorũ ſphæræ fati ſunt inſtrumẽta. Præterea ubi ſtellas ait uel ſempiternas eſſe uel longæuas, ſufficienter Orphicã, & forte Mercurialem tangit opinionẽ: Mundum ſcilicet poſt multa ſecula in ignem reſolutum iri. Nam & diſſolubile eſſe tandem quod compoſitũ, & ignem uelut maximum omnium atq; potentiſsimũ in ſe omnia tandem mirabiliter aſſumpturum

pturum. Mentem uero diuinã operis huius artificem ex igne rursus opus simile & simili fato facillimoq; nutu reformaturam. Quam quidem sententiam Anaxagoras, Empedocles, Heraclitus, & Stoicorum pleriq; confirmauerunt, fatentes deũ quidem omnipotentem posse opus suũ semper in ordine simul tradito conseruare: at opus ipsum, quia & finitæ naturæ est, & intra se repugnans, nõ posse seruari: deum uero quod formationi deest, informatione rependere. Sed hæc illi uiderint. Tu uero notabis hic Platonem eos redarguere, qui cœlestia idcirco negãt uiuere quia semper eodem modo ferantur. Quod quidẽ nõ absentis uitæ, sed præsentis sufficientiæ atq; sapientiæ esse omnibus debuit argumentũ. Memento præterea animã à corpore adeo diuersam existimari, ut nihil sit utriusq; cõmune, id est nulla cõmunis materia. Item quia anima ex materia nõ dependet: rursus quia natura corporea, neq; uera substantia, neq; uera essentia iudicatur: appellat animas stellarum deos, eorũ uero corpora deorum simulacra. Proinde in dijs cœlestibus Iouem nominat prouidentiæ munus: Iunonem uero, uim animalem prouidentiæ subditã. Ait & stellas singula acute sentire, per sensum uidelicet à nostro lõge diuersum. Describit quoq; naturã dæmonũ prudentia, sensu, memoria, motu potentem: inter deos hominesq; mediam: intercessionis, interpretationisq; gratia honorandam, cogitationes nostras cognoscentem, ex nostris uidelicet figuris & motibus & affectibus, diligentẽ bonos, malis infensam. Omnes hic dæmones uidetur bonos existimare, quos uidelicet doceat coli. Alibi uero nõnullos significat esse malos. Et æthereos quidẽ aereosq; inuisibiles: Aqueos uero, quos nominat semideos, uideri ait nonnunquam & uix, uisu scilicet intimo potius quàm externo. Addit admoueri animos à dæmonib. per somnia, uoces, uaticinia, ostenta: maxime uero quo tẽpore animus migrat è corpore. Multa his admonẽtib. religioni addita esse inquit. Ait præterea nõ licere quæ in religione legibus firmata sunt, mortali naturæ mutare. Mortali, inquit, diuinæ enim licet. Edisce diuinum dictũ. Ratio omniũ diuinissima uisibilem constituit mundũ, quem uir felix admirans charitate accenditur diuinitatis inueniendæ, unde felix & hic et in altera uita euadit, fitq; per sapientiã uere unã uere unus: ad congrua uirtuti loca translatus reliquum etiam omne tempus diuina cõtemplaturus. Mox ubi traductum est, Res enim diuinas, & quæ sequũtur, alibi legitur: Non enim prudentis est diuinorũ alia quidẽ honorare, alia uero negligere. Narrat inter hæc astronomica quædã notissima. Laudat ad ingenij uirtutem temperatã acris qualitatẽ. Deinde ubi ait motionẽ, ad bonũ tendentem à bona anima proficisci, desinentẽ uero in malũ, contrario se modo habere: ne cogites alteram quidem mundi animã bonam esse, alteram uero malam: sed ab ipsa mũdi anima proficisci bona, quatenus mentis est particeps. Alioquin prouentura inde mala, id est ordine numerorũ omnino carentia. Mala enim in superioribus nominauit, quæ cõcordi numero & pulchritudine carẽt. Bona uero quæ consentientibus numeris coaptantur. Subdit mala, id est priuationẽ ordinis, uicta fuisse à bonis, id est ab initio rerũ ab ipsis diuinæ mentis ideis. Item uinci oportere, scilicet mundo perseuerante. Hæc uero fuisse dicta secundũ iudiciũ impios puniens: quia uidelicet diuinũ iudiciũ malos puniens, iniustitiæ malum uincit iustitiæ bono. Notabis uirtutem maximam esse religionẽ, negligentiamq; religionis causam infelicis ignorantiæ hominibus extitisse. Item optimũ ingeniũ esse quod ex temperãtia & fortitudine mixtũ sit, docile, memor, ad diuina propensum. Cũq; eiusmodi ingenia recte educata sunt, religionis cultũ ab ijs in alios ueriſimũ proficisci, ciuitatiq; omniũ utilissimũ. Et sapientiam nisi adiuuante deo disci non posse: ab eo aũt qui modũ in docendo non seruat, satius fore non discere. Item deorum plena esse omnia: adeo ut superi neq; obliuiscantur nostrarũ rerũ, neq; nos deserant. Quæ uero de numeris attingit raptim, ubi opportunius fuerit, latius explicabimus. Nũc ita perstringe. Numeri in se qdẽ incorporei sunt, quando nihil aliud sunt q̃ repetita unitas. hæc aũt indiuidua est. At cum primum situm sortiri putantur, fingi possunt in puncta conuerti. Item ex tractu quodã à puncto in punctũ nasci lineã, ex cuius ductu superficiẽ, ex cuius descensu profundum. Numeri lineares quidã sunt, superficiales alij, alij uero cubi, atq; solidi. Primi sicut binarius unitati q̃ proximus, Secũdi sicut quaternarius, per binariũ ab unitate procedens. Tertij, ut octonarius ex binario in se reuerso profectus. Perfecta itẽ proportio dupla putatur. Primo quidẽ, quia prima est, inter unũ scilicet atq; duo progenita. Secundo, quia dum uidetur discessisse ab uno, geminando restituit unũ. Tertio, quoniã octes proportiones intra se cõtinet. Nam & sesquialtera & sesquitertia similesq; uelut partes sunt infra duplam. Hanc natura obseruat in cœlo: seruat et huius gratia sesquialtera etiã sesquitertiã: ex quibus dupla cõponitur. Pythagorici enim, ubi sphærarũ interualla dimetiuntur, terram ad firmamentũ cõparant: Item ad Lunã & Solem, Solẽ quoq; ad firmamentum. In quibus sanè cõparationibus interuallũ à terra ad Solem, cõparatum ad interuallũ ab eodem ad firmamentũ, efficit quidem inter terram ac solem sesquialteram: inter hunc uero & firmamentũ sesquitertiam. & in illa quidẽ proportione diapente consonantia nascitur: ex hac aũt diatessaron. Ex quibus certe ambabus cõficitur proportio dupla consonantiaq; diapason. Volunt & à terra ad lunã fieri diatessaron, sicut ad solem fit diapente, & à sole ad firmamentũ iterũ diatessaron. Quemadmodũ uero natura proportiões eiusmodi obseruat in sphæris: ita in actionib. passionibusq; elementorũ. ut enim actio perfecta proueniat, oportet agens duplo potẽtius esse subiecto. Sed quare? Quia cũ intendat in agendo geminare seipsum, nimirũ proportione indiget geminãte. Alioquin si minore spatio superarit, reluctans subiectũ perfectã impediet actionem. Sicut uero dupla conducit ad substantialem speciem generandã, ita sesquialtera ad familiarẽ speciei effectionem atq; figurã, & sesquitertia ad accidentia

quædam

quædam communiora. Præterea proportionis eiusdē modus in nostris seruatur humoribus. Duplū enim esse uolūt sanguinē ad pituitam, duplam & hanc, ad bilem: hanc similiter ad atram bilem. Quod si duplas habent, consequenter sesquialteras & sesquitertias, quæ in dupla sunt, cōtinēt. Similes quoq; in auditu cōsistūt. In quo quatuor aeris insunt gradus: Tres ignis: Duo aquæ: Terræ unus. Scis aūt inter quatuor atq; tres proportionē fieri sesquitertiā. Continet enim quaternarius ternariū. ac insuper unitatē partem ternarij tertiā. Scis quoq; ternariū inter atq; binarium sesquialteram collocari, quando ternarius binarium cōtinet, insuperq; unitatē alteram id est dimidiā binarij portionem. Quamobrē in ipsa auditus affectione proportiones omnes manifestius q̄ alijs insunt. Itaq; & consonātiæ. Diapason quidē, id est octauæ uocis, in dupla. Diapente uero, id est quintæ, in sesquialtera. Diatessaron aūt id est quartæ uocis, in sesquitertia. Mitto quod in quatuor elemētis proportiones possunt similes cogitari. Sed de his aliàs. Consentiunt his & medici in ijs quæ ad tactum & quodāmodo ad gustum pertinent, gradus quatuor numerantes. Primū quidē qui uix sensu percipiatur. Secundū uero qui manifeste percipiatur, sed nō offendat. Tertiū iam offendentē & deinde lædentē. Quartum breui interimentē. In his quidem gradibus, dupla & sesquialtera & sesquitertia reperitur. sed hæc medici uiderint. Adducit hic Plato unum, duo, quatuor, sex, octo, duodecim. A quatuor ad duo, dupla est, ab octo ad quatuor quoq; dupla. hi quidē excessus duo, proportione sunt pares. uterq; enim fit per duplā. nō tamen pares numero: octonarius enim quatuor superat quaternariū: hic uero binario excedit binarium. Compara rursus senarium, hinc quidem ad quaternariū: inde uero ad octonarium. Hinc certe fit sesquialtera: inde uero fit sesquitertia. Hi ergo excessus proportiōe sunt impares numero uero pares. Vtrobiq; enim per binarium fit excessus. Rursus compara sex ad duodecim proportione dupla. & inter hæc ad utrunq; conferas octonarium. Certe à duodenario ad hūc sesquialtera nascitur. Ab hoc ad sex, oritur sesquitertia: ex quibus dupla inter sex duodecimq; componitur. in qua duo illi excessus tam proportione quàm numero impares euidenter apparēt. Hæc omnia in commentarijs Timæi commodius pertractantur.

Proportio humorū nostri corporis

PLATONIS EPINOMIS, VEL PHILOSOPHVS

CLINIAS, ATHENIENSIS HOSPES, MEGILLVS.

IAM, ut communiter statueramus, huc tandem omnes tres ô hospes recte peruenimus, ego & tu, & hic Megillus de prudentia quæsituri, qua ratione illud attingere ualeamus, quo intellecto humanus habitus optime se quantum natura fert, ad prudentiam habet. Cætera enim quæ ad ferendas leges pertinebant, iam tractauimus. Quod uero & inuentu & dictu maximum est, quonam uidelicet si cognitum sit, sapiens homo fiat, neq; inuenimus, neque diximus. Verum nullo pacto prætermittendū censeo, ne fortè imperfectum illud relinquamus, cuius aperiendi gratia hucusq; profecti sumus. ATH. Scite loqueris ó amice Clinia. Sermonem uero quendā nunc mirum, & rursus quodāmodo non mirū auditurum te puto. Multi enim fluctibus huius uitæ iactati illud prædicant, humanum genus felix atq; beatū esse non posse. Attende igitur & cōsidera utrum & ipse recte hac de re dicere uidear. Impossibile arbitror homines in hac uita præter admodum paucos felicitatem & beatitudinē assequi. Bona tamē spes est, ut post mortē quis ea omnino consequatur, quorum desiderio accensus, optime pro uiribus egit uitam atq; exegit. Nec inauditum aliquid nouumq; adduco, sed quod Barbari omnes & Græci modo quodam cognoscimus. Nemo enim ignorat quanta sit in prima generatione animalium difficultas, in conceptione & utero primum: deinde in natiuitate & partu, postea in nutritione atq; educatione. Nam per mille labores fieri hæc non ignoramus. Breue aūt tempus est, non solum respectu diuturnitatis malorū, uerū etiā quocunq; modo quis cogitet, quod quasi circa humanæ uitæ mediū respirare parumper nos facit. Sed cito tristis senectus superueniens efficit ne quis optet rursus in uitam redire, cum præteritas molestias cogitet, nisi puerili opinione feratur. Quæ omnia ita se habere, illud mihi argumēto est, quod modo quærit. Quærimus enim quonā pacto fieri sapientes possimus, quasi aliqua huiusmodi uis singulis insit. Quæ quidem tunc nos fugit, quādo ad aliquā earum facultatū, quæ artis uel prudentiæ uel scientiæ nomine cōmuniter appellant, quis perrexerit, tanq̄ nulla istarū in huiuscemodi humanis rebus digna sit sapientiæ uocabulo nuncupari, animus tamen ualde confidat, uaticinetur q̄ aliquam huiusmodi uim sibi secundū naturā inesse, quæ

Quæ artes sapientē nō reddant

quæ uero sit,& quando,& quõ adsit,facile inuenire non possit. Nonne dubitatio & inquisitio hæc nostra de sapientia, huc spectat maxime? plena nimirum spe in singulis, quicunq; & seipsos & alios prudenter concorditerq; possunt in omni genere sermonis disputationisq; examinare. Ita' ne,an aliter hæc se habere dicemus? CLIN. Nos quidem hospes ista concedimus, sperantes uidelicet unà tecum deinceps ad ueriſſimam de his sententiam peruenturos. ATH. Alias igitur artes, quæ cum scientiæ appellentur, hominem sapientem non faciunt,primum percurramus, ut illis remotis, eas quibus egemus admoueamus,cõparemusq;,& facta comparatione discamus. Atq; eas in primis uideamus, quibus humanum genus maxime indiget. Vere enim hæ primæ sunt, & maxime omnium necessariæ. Quarum artifices quamuis ab initio sapientes uisi sint, nunc tamen & sapientes non habentur, & propter eas artes uituperantur. Dicendum igitur quænam hæ sint,& quod quicunq; optimi uiri cupiunt uideri, artium huiusmodi studia fugiant. Prima uero sit, quæ ab humanarum carnium esu, qui ferarum ritu quondam inter homines inoleuerat,ut fabulæ ferunt,abstinere iusit,& ad uictum modestiorem nos reuocauit. In quo sane prisci homines quamuis mansuete & humaniter nobis consulu-erint,ualeant tamen,nec sapientiæ nomen usurpent. Deinde cibi Cerealis artificiũ utile quidem & pulchrum,sed sapientẽ absolute uirum nunq; efficiet. Difficultatem enim & molestiã potius q; sapientiam afferet. Neq; etiam agricultura id faciet. Non enim arte, sed natura & dei quodam fauore terræ culturam aggressi uidemur. Sed nec domorum constructio,& reliqua omnis ædificatio,supellectilium' ue effectio,nec æraria, uel ligna ria fabrica,aut figlina,aut textura,nec instrumentorum omnium artificia, quæ plebi accommodata,quicquam ad uirtutem afferunt. Venatrix etiã ars omnis quãuis uaria & ingeniosa sit, magnificentiam tamen sapientiamq; non tribuit. Sed nec diuinatio aut interpretatio ulla. Nam & si quæ dicuntur cognoscit, utrum tamen uera sint nec ne, non intelligit. Postq; uero nullam earum artium quibus necessaria parantur, sapientem hominem facere nobis constitit, relíqua est imitatrix quædam facultas minime seria. Sæpe enim instrumentis imitatio fit,plerunque deformibus corporum gestibus & figuris. In eloquio etiam & musis imitatio est,& in fingendo pingendoq;, ubi multa & uaria in corporibus tam duris quàm mollibus exprimuntur. horum nihil hominem imitationi deditum, sapientem reddit: imitatione uero sublata, artes aliæ restant quæ in ferendo auxilio uersari uidentur. hæ quidem multæ & uariæ sunt, sed omnibus bellatrix, quam imperatoriam uocant,excellit. Hæc summopere propter usum probatur, sed felicitate maxime indiget, & fortitudine magis naturali quàm sapientia perficitur. Medicina quoq; nobis opitulatur contra immoderati frigoris & caloris impetum, cæterorumque huiusmodi quibus natura animalium læditur. sed horum nihil ad sapientiam ueram conducit, incertis enim coniecturis opinionibusq; procedunt. Nautas quinetiam gubernatores' que ferre auxilium non negabimus. Nec tamen eorum quenquan sapientem uocari ab aliquo permittemus. Nullus enim eorum iram uentorum amicitiam' ue cognoscit,quod & optimum est,& maxime in gubernandi arte requiritur. Neque etiam sapientes dici eos uolumus,qui litigantibus dicendi uiribus adsunt. Quippe cum memoria & usu opinionis moribus se accõmodent, & à ueræ iustitiæ intelligentia procul aberrent. Reliqua est mira quædam uis, quæ sibi opinionem sapientiæ similiter uendicat, quam naturam magis quàm sapientiã multi dicerent. Hæc in eo consistit,quando facile quispiam discit,quæ uelit,& multa diu ac firmiter meminit, & quod unicuiq; idoneum est cum oporteat,cito & commode reddit. Hæc enim omnia alij naturam, alij sapientiam,alij naturæ solertiam nuncupabunt. Sed nullus mentis compos uere sapientem propter hæc esse quenquam concedet. Veruntamen necesse est scientiam aliquam inueniri,quam quisquis habuerit non solum uideat', sed reuera sit sapiens. Attentione opus est. Nam arduam omnino rem aggressi sumus, qui aliam præter dictas artes scrutemur, quæ iure sapiẽtia uera dicatur: quã qui adeptus est,nec abiectus,nec stultus erit, sed sapiens bonusq; propter ipsam ciuis,modestus' que ciuitatis princeps & subditus. Hanc igitur primam inspiciamus, quæ ex omnibus humanis artibus ita se habet,ut si hæc una semoueatur,amentissima & insipientissima hominis natura reddatur. Non est autẽ hoc in uentu difficile. Nam si uni unam conferes, illa quæ numerum mortalium generi dedit,

id profecto

id profecto efficiet. Deum autem aliquem magis quàm fortunam ad salutẽ nostram hoc munus nobis arbitror contulisse. Quem uero deum putem, uobis dicam, etiam si absurdus uidebor, & rursus modo alio non absurdus. Nam ipsum bonorum omnium autorem cur nõ etiã maximi boni, prudentiæ dico, causam arbitrabimur? Quem uero deum laudi bus ô Megille & Clinia effero? Cœlum ferme: quod par est, sicut dæmones alij simul om nes cæteriq; dei faciunt, nos quoq; honoribus colere, ac pręcipue adorare. Atq; cæterorũ omnium bonorũ causam nobis cœlum fuisse omnes confiterentur. Dedisse præterea nu merum, atq; etiam siquis obseruare uelit daturũ, nos affirmamus. Quod quidẽ is assequè tur, qui in rectam eius speculationem ascenderit, siue mundum, siue olympũ, siue cœlum id libeat appellare, dũmodo uarietates ipsius cõsideret, & quomodo anfractu circuituq; astrorum diuersa efficiat tempora, alimentaq; animalibus largiatur, ac sapientiã unà cum numero cæterisq; bonis, hominibus tribuat. Id uero maximũ est, siquis numerorum mu nus ab eo susciꝑiens, omnem percurrat circuitum. Sed memoria repetamus, dictum & re ctissime quidem in superioribus à nobis fuisse, siquis ab hominũ natura numerũ auferat, nunq; prudentes nos fore. Nunq; enim ferme animalis huius anima uirtutẽ omnem per cipiet, à quo rationem abstuleris: nec animal quod duo & tria, & par & impar, ac nume rum prorsus ignorat, rationem de rebus reddere unq; poterit, quas sensu solum atq; me moria percipit. Reliquam uero uirtutem, fortitudinem dico atq; temperantiam, habere nihil prohibet. Qui autem uerę rationis est expers, is quomodo sapiens unquam euadet? Cui uero deerit sapientia, uniuersæ uirtutis pars maxima, is cum bonus absolute esse non possit, nunquam beatitudinem assequetur. Ita necesse est omnino numerum præsuppo nere. Idq; necessarium esse, pluribus etiam rationibus monstrari licet. Sed recte nunc ra tione hac ostenditur, quod cæteræ artes quas omnes paulo ante enumerauimus, sublato numero penitus euanescent. Forte uero qui de artibus cogitabit, pauca esse arbitrabitur, in quibus humanum genus numero indiget, quamuis & hoc magnum sit. Verum siquis, quod diuinum in generatione, & quod mortale est, inspexerit, qua in re pietas erga deos & uerus numerus cognoscetur: is profecto inueniet, nullum uatem quantę uirtutis nobis causa numerus sit, si modo uniuersus affuerit, comprehendere posse. Nam & tota musica motus & uocũ numero indiget. Et quod maximũ est, bonorum quidem omniũ, mali uero nullius causam esse numerũ, hinc facile cognoscere possumus, quod irrationalis & in ordinata, deformis, inepta, incõcinnaq; agitatio, omnia deniq; in quibus mali quippiam inest, omni numero carent. Quod sane qui beatus tandẽ futurus est, ignorare non debet. Et qui iustũ, bonũ, honestũ, cæteraq; huiusmodi ignorauerit, nec uerã opinionẽ de his ac ceperit, ad seipsum & alios persuadendos numeri rationisq; ui uti nõ poterit. Sed conside remus iam quomodo numero uti didicimus. Age, unde unũ & duo percipimus? ut illud animaduerteremus, ad quod cognoscendum ab uniuerso naturã uimq; accipimus. Profe cto cũ multis animaliũ natura negauerit, ne à patre queant usum numeri discere, nobis id primũ indidit deus, ut possimus in eo quod ostenditur, numerũ intelligere. Deinde osten dit apertius, idemq; assidue facit. In qua explicatione rerũ nihil aliud, si unum uni confe ratur, pulchrius aspicere possis q̃ diei lucẽ. Vnde & noctẽ oculorũ officio uicissim consi deres, ubi maxima apparet diuersitas. Nam si reuoluere hæc non desinas, multas noctes, & multos dies uidebis, quibus cœlum nunq; cessat docere homines unũ atq; duo, ut etiã qui tardissimus est, hinc uti numero discat. Sic enim & tria, & quatuor, & multa quilibet cernendo, hæc intelliget. Sed de his unum deus lunã formauit, quæ modo minor, modo maior apparens, ita quotidie uaria ad quindecim usq; dies ac noctes cernitur. Hic autem circuitus est, si quis totũ circulum in unũ conferre uoluerit. Quare, ut ita dicã, tardissima etiam animalia, quibus naturã aliquam deus dedit ut possint discere, numerũ perciperẽt. In his igitur ad hæc usq;, quodcunq; animal discendi potestatem habet, unumquodq; per seipsum considerando, ad numerandum idoneũ maxime factũ est. Sed numerũ omnem ad numerũ conferre, maius opus est, atq; idcirco lunam, ut diximus, modo crescentẽ, mo do decrescentem fecit. Hinc menses ad annum constituit, numerumq; omnem felici qua dam fortuna conferri ad numerum docuit. Hinc terra fœcundior facta cõcipit, fructusq; ad alimentum animalium omnium parit, quum & suauiter uenti flant, & imbres in terræ gremiũ salubriter defluunt. Ac siquid mali in his accidit, non diuina culpanda natura est,

Arithmetica

De præstantia numeri in cognoscẽdis rebus

Vnde discimus numerum

ſed humana,quæ iniuſte uitam ſuam diſtribuit.Nobis autem de legibus modo ſcribentibus cætera quæ hominibus optima ſint, facilia cognitu eſſe uidentur,& quemlibet poſſe ſufficienter quæ de iſs dicuntur,intelligere,ac præterea facere,poſtquam quid confert,et quid non confert,perſpexerit.Cætera inquam nobis uiſa ſunt,& modo uidentur non nimium ardua:quo autem pacto homines boni efficiantur,penitus difficillimum.Reliqua rurſus bona,poſſibile eſt,ut dicitur,& non arduum poſſidere,opes quatenus oportet,& quatenus non:& corpus quale decet,& quale non decet.Animum quoq; bonum habere oportere quiſq; fatetur.Quomodo etiam bonus futurus ſit, interrogatus quiſq; ita reſponderet,ſi iuſtus,moderatus,fortisq; ſit,cæteraq; huiuſmodi.Sapiẽtem quoq; animum eſſe debere,quis neget? Quæ uero ſapientia comparãda ſit,ut nuper diſſeruimus, nullos de multis inter ſe conuenire cognouimus.Nunc ergo præter omnes quas ſuprà narrauimus ſapientias,non uilem quandã ad hoc ipſum inuenimus,ut qui iam dicta didicerit,ſapiens uideatur.Vtrum uero ſapiẽs bonusq; ſit,qui hæc didicit,ratione quærendũ. CLIN. Scite nimium loquutus es hoſpes,cum affirmares magna te de magnis dicturũ. ATHE. Certe non parua ſunt hæc,ô Clinia:& quod maius eſt penitus uera. CLIN. Ita ſane,ô hoſpes.Labori ne cedas,quin ut cœpiſti progrediare. ATHEN. Dabo operam:ſed uos etiã labori audiendi ne cedatis. CLIN.Sic utiq; facimus,ut ego pro utriſq; reſpõdeam. ATH. Probe.Quare altius repetendum:& primo quidem ſiquo modo poſſumus, uno nomine comprehendendum uidetur,quænam ea facultas ſit,quam ſapientiã eſſe arbitramur.Sin minus id fieri poteſt,ſaltem alterum declarandũ,quænam,& quot ſunt artes, quibus habitis,ſapientem more noſtro hominem appellamus. CLIN. Dicam. ATHEN.Omni crimine legumlator carebit,ſi melius de diſs q̃ priſci ſentiat,& optima uſus diſciplina, deos hymnis colat,beatitudineq; extollat,atq; ita uitã tranſigat. CLIN.Recte tu hoſpes,quandoquidẽ finis hic legũ tibi propoſitus eſt,ut dei cultu & uitæ puritate optimum atq; pulcherrimum exitum cõſequaris. ATH.Quomodo ergo dicemus Clinia? An deos hymnis magnopere honorabimus? ſupplicabimusq; ut ſequẽtem de ipſis diſputationem optime & pulcherrime tranſigamus? Itáne,an aliter agendum cẽſes? CLIN. Ita prorſus.Sed ô uir felix,diis fide habita precibusq; præmiſſis,bene de diis atque deabus loquaris. ATH.Sic erit,ſi deus ipſe nos duxerit.Et dummodo mecum ores,dubitandum non eſt. CLIN.Proſequaris ergo. ATH. Principio deorum animaliumq; progeniem,quoniam male maiores noſtri de diis tradiderunt,nunc melius tractandam ita ſuſcipere operæprecium eſt,ut ſuperiorem aduerſus impios diſputationẽ à nobis habitam reſumamus,qua aſſeritur eſſe deos,rerumq; omnium maximarum ſimul & minimarum curam habere,nec precibus ullis muneribusq; pręter iuſtum placari.Recordamini ne hęc dicta eſſe,ô Clinia? Profecto ita tunc accepiſtis,ut meminiſſe debeatis,præſertim quia maxime uera eſſe conſtitit.Omnium uero maximum illud habitum:Antiquiorem omni corpore omnem animam eſſe. Num recordamini? Vel maxime id quidem.Nam quod melius id et antiquius,atq; quod diuinius eſt,id inferiore ac uiliore prius eſt. Et ſimiliter dux ducto, & princeps ſubiecto natura prius.Id igitur admittamus,animã corpore antiquiorem eſſe.Quod ſi ita ſe habet, quod in generatione primi primũ eſt,ueriſimile profecto eſt præiuiſſe. Quare ponamus principatum principiumq; principij decẽtius ſe habere,& ſic rectiſſime in ſapientiam de deorum generatione nos ingredi. CLIN.Maneant iſta pro humanis uiribus affirmata. ATH.Age igitur,nónne ueriſſime animal ſecundum naturam tunc affirmamus,cum una animæ corporisq; conſtitutio unam ſuo concurſu formã parit? CLIN.Recte. ATH.Animal ergo huiuſmodi aliquid merito nuncupat. CLIN. Certe. ATH.Solida uero corpora quinq; conuenienter dicere poſſumus, ex quibus pulcherrima optimaq; finguntur.Alterum autem genus uniuerſum unam poſſidet formã. Non enim eſt aliud quicq̃ quod incorporeũ eſſe queat,et omnino coloris expers extra diuiniſſimum illud genus in quo eſt anima.Cuius generi ſoli fingere fabricareq; conuenit,corpori uero fingi,gigni,atq; oculis cerni.Sed animæ generi,ut iterũ repetamus,cõuenit ut inuiſibile ſit, cognitionis compos,intelligibile,memorię rationisq; in ipſis imparibus paribúsue trãſmutationibus particeps.Sed cum quinq; ſint corpora,ignis,aqua,tertiũ aer,quartum terra,quintum æther: horum principatibus multa uariaq; ſingula animalia producuntur.Quod in uno ſic diſcere poſſumus.ponamus em̃ primo terrenũ animaliũ genus eſſe homines, animalia multi-

peda

peda,pedibusq; carentia,progressiua simul, & stabilia, radicibusq; cõnexa. Vnũ autem id ubiq; existimandum,ut quamuis omnia ex omnibus corporũ generibus sint:plurimũ tamen in hoc terræ solidæq; naturæ insit. Alterũ animaliũ genus ponendũ,quod etiã gignit cerniq; potest,& ignis plurimũ possidet:terræ quoq; & aeris cæterorũq; omniũ paruas particulas habet, uariaq; idcirco hinc omnino animalia & uisibilia gigni dicendum. Hæc cœlestia putamus animalia esse,diuinũ astrorum genus,corpore pulcherrimo,animaq; beatissima & optima constitutũ.His utiq; animalibus è duabus sortibus alterã tribuendã putamus.Nam aut absq; pernicie immortalia prorsus atq; diuina necessario singula sunt:aut uitã longæuã agunt, singulis adeo sufficientẽ ut longiore non egeãt. Hæc inquam duo esse animaliũ genera cogitemus.Rursusq; dicamus utraq; uisibilia esse,quorum alterũ ex igne totũ,ex terra alterũ uideatur.Sed terrenũ quidẽ absq; ordine:igneum uero omni ordinis ratione mouet. Quod absq; ordine fertur, amens esse putandum est, quod plerunq; faciũt, quæcunq; apud nos animalia sunt. Quod autẽ ordine in cœlo progreditur,id mentem habere sufficienter eo uestigio demonstratur, quod per eadem semper & similiter proficiscitur, agitq; & patitur eadem. Animæ uero intellectum habentis necessitas omniũ necessitatũ maxima est,ducens enim sed non ducta gubernat.Quãdo autem anima quæ res optima est,consilio secundũ optimũ intellectum se gerit,tunc sine persuasione id quod uere secundum intellectũ perficit, necessario eueniet, nec adamas solidius immobiliusq; esse poterit. Sed tres profecto Parcæ, quod singuli deorũ optimo deliberarunt consilio,perfectũ conseruant. Oportebat igitur hominibus argumẽto esse, quòd astra uniuersusq; ille circuitus mentẽ habeant, quia eadem semper agũt. Maximo enim atq; mirabili tẽporis spatio iam ante quid sibi agendum sit,deliberarũt.Nec sursum deorsumq; modo hoc modo illud consilio probãt.Quare nec errant,nec præter antiquũ ordinem reuoluuntur.Multis autem nostrum contrà uisum est,hæc quia eadem & similiter semper agunt,animam non habere. Hanc insanam opinionem sequutum uulgus, genus humanum quia moueatur,uitam mentem'q; habere putauit: Diuinum uero quia in eisdem permanet lationibus,mente carere.Decebat aũt pulchriora melioráq; & dijs gratiora sentire,quòd propterea mentẽ habeant, quia per eadem similiter profecta, eadem semper agunt. Hanc astrorum naturam esse, uisu pulcherrimam, quæ progressu & chorea optima utens,omniumq; chorearũ magnificentissima, cunctis animalibus cõmoda præbet. Quod aũt non immerito animata hæc esse dicamus, magnitudo quoq; ipsorum testatur. Non enim tanta sunt duntaxat quanta cernunt:sed incredibili magnitudine singula sunt. Quod ideo credendũ est, quia sufficientibus demonstrationibus id ostendit; quibus solem totũ tota terra maiorem esse, & quæcunq; feruntur astra mirabilem habere magnitudinẽ intelligemus.Cogitemus igitur quomodo fieri possit,ut tanta magnitudo ab aliqua natura possit tanto tempore circũferri.Ego igitur asserо deum causam esse, nec aliter fieri posse. Animatum enim non aliter q; propter deum fieri posset, ut nos declarauimus.Quoniã ergo id facere deus potest,facile ipsi fuit primũ oĩni corpori magnitudiniq; uitam tribuere:deinde qua ratione optime fieri cogitarit,hac ducere. Demũ de his omnibus uerã hanc sententiã ferri uolumus : impossibile esse terrã, cœlum, stellasq; omnes,& quæ ex his cõstant moles,nisi anima singulis aut adsit aut insit,adeo exquisita ratione annis,mensib.diebusq; circũuolui,nobisq; omnibus bona omnia facere. Hominem uero decet quo uilior est, eo minus de ipsis nugari:sed conari potius certi aliquid dicere. Siquis aũt impetus corporũ, aut naturas, aut huiusmodi quicq; ordinis huius agitationisq; causam esse dicet:perspicuũ nihil adducet. Verũ quod diximus, iterũ considerемus, ut pateat utrũ oratio illa ꝓbabilis sit, an omnino futilis iaceat:qua primo dicit,duo quædam esse, animã atq; corpus, & quæ ad utriusq; genus pertinent esse multa: eaq; ab alijs in genere suo differre,& utraq; genera à se inuicẽ esse diuersa: adeo ut tertiũ nihil sit utriusq; cõmune.Animã uero ita differre à corpore, quod illa mentẽ habeat, hoc non habeat.Illa dominet,hoc subijciatur. Illa omniũ passionũ corporibus,hoc nullius causa sit. Quocirca siquis cœlestia ab alio quoq; facta fuisse, nec ex anima & corpore,ut diximus, cõstare cõtendat,stultus omnino imperitus'q; habẽdus est.Igit si rationes in his omnib. adductæ quicq; ualent,atq; hæc omnia diuina prorsus iudicanda sunt,duorũ alterũ arbitrari oportet.Nã aut deos esse hæc & rectissime quidẽ putabimus: aut deorũ imagines,

& quaſi ſtatuas eſſe ab ipſis dijs prudẽtib. digniſſimiſq; artificibus fabricatas credemus. Alterum inquam horũ decernamus, & quod decreuerimus firmiter teneamus: multóq; magis hæc quàm alia quælibet ſimulacra ueneremur. Nunq; enim pulchriora cunctiſq; hominibus cõmuniora ſimulacra reperient: nec in excellentioribus locis locata, puritate, maieſtateq;, & perpetua uita pollentia, q; hæc quę undiq; ſimiliter cõſtructa ſunt. Sed nunc id quoq; de dijs aſſeueremus. Nempe cum duo animalia nobis uiſibilia cognoueri mus: quorũ alterum immortale, alterũ uero quod terrenũ eſt, omne mortale ſit: iam tria de quinq; mediũ ſortita locũ probabili ratione declarare conemur. Æthera poſt ignem ponamus, ex quo animã animalia gignere arbitremur: quæ ſimiliter ut in cæteris generibus ſit, plurimũ de ſuo habeant, minimũ aũt copulæ gratia de generib. alienis: poſt æthera ex aere alterum animalium genus: tertiũ ex aqua ſimiliter ab anima fingi. Quæ omnia cum anima finxerit, totũ animalibus cœlum impleuit, omnibus quoad fieri poterat generibus uſa. quæ omnia uitæ participia ſunt. Secũda uero & tertia, quarta & quinta à manifeſtorũ generatione deorũ incipiẽtia ad nos tandem homines deducunt. Deos igitur Iouem & Iunonem cæteroſq; omnes quomodocũq; aliquis uelit locato, modo legẽ eandem ſeruet, atq; hanc rationẽ ſtabilem teneat. Viſibiles itaq; deos maximos, ſummopereq; honorandos, acutiſſimeq; undiq; cuncta uidentes ac primos, naturã aſtrorũ & quæ cum aſtris facta ſentimus, fatendum. Deinceps uero ſub his dæmones genus aereũ in tertia mediaq; regione, qui interpretatiõis cauſa ſunt, collocatos, orationibus colere, gratia laudabilis interceſſionis interpretationiſq; debemus. Horũ quidem duorũ animalium alterum ex æthere, alterum deinceps ex aere eſt. Ac neutrum conſpici totum poteſt: ſed quamuis hi dæmones prope nos ſint, nunq; tamen manifeſte nobis apparẽt. Prudentiæ mirabilis participes ſunt: acuto quippe ingenio, tenaciq; memoria cogitationes noſtras omnes cognoſcũt. Honeſtos bonoſq; homines mirifice diligũt, improbos uehementer oderunt, utpote qui doloris participes ſunt. Sed deus qui diuinam ſortem perfecte poſſidet, à doloribus uoluptatibuſq; liber, ſapiẽtia cognitioneq; penitus fruitur. Cum autem refertum animalibus cœlum ſit: & dij ſummi & dæmones ſeinuicem interpretantur. Media enim animalia tum ad terram tum ad cœlum leui motu feruntur. Quintũ uero quod ex aqua eſt, recte ſemideum uocabimus. Id nonnunquã cernitur, nonnunquã aſpectui noſtro ſe ſubtrahit: & cum uidetur, tenui uiſu perceptum admirationẽ affert. Cum igitur quinq; hæc animalia ſint, quę aut ſomnijs, aut uaticinio, auditúq; per uocẽ ſanorũ, aut ægrotantiũ auribus percepta, aut etiã in ipſo è uita exceſſu nobis ſeſe offerẽtia, noſtros animos mouẽt, unde multa multis ſacra & priuatim & publice his opinionib. inſtituta ſunt, inſtituenturq; in poſterum: horum omniũ legislator qui uel minimũ mentis habeat, nunquam aliquid innouabit. Cauebit enim ne ad nouũ minus certę religionis cultum ciuitatem ſuam uertat. Nec quæ patria lege uel conſuetudine de ſacrificando firmata ſunt, mouere audebit. Scire nanq; debet, mortali naturæ nõ eſſe poſſibile certi quicquã de his cognoſcere. Eadẽ ratione peſſimi habendi ſunt hi, qui deos uere oculis manifeſtos nõ prædicant, & ſine ſacrificijs debitiſq; honoribus relinqui eos ab hominibus patiũtur. perinde enim faciunt, ac ſi quis Solem Lunamq; omnia luſtrare, nullóq; in honore haberi uideat: nolit tamen pro uirili ſua parte clara hæc hominibus reddere, ut ſolennes dies eis ſacrificiaq; agantur, ac tempora maiorum minorumq; ſæpe annorum certa diſtribuantur. Nónne malus & ſibijpſi & cognoſcenti cuiq; ſi dicatur, merito dici uidebit. CLIN. Immo uero peſſimus. ATHEN. Id ipſum, ô Clinia, ſcias nunc mihi accidiſſe. CLIN. Quonam pacto? ATHEN. Scitote octo in cœlo eſſe uirtutes, ſibijnuicẽ ſorores, quas ego inſpexi, nec magni aliquid feci. cuiuis enim hoc facile eſt. Harum tres hæ ſunt, ſolis una, lunæ una, ſtellarum omnium, de quibus antè diximus, una, atq; aliæ quinq;. Has omnes & eos qui in his ſunt, ſiue ipſi progrediantur, ſiue in uehiculis ferantur, nullus ita habere ſe putet, ut alij eorum dij ſint, alij minime, alij legitimi, alij tales quales nefas eſt dicere: ſed omnes fratres, & in fraternis ſortibus uiuentes dicamus, ijſq; honores reddamus, nõ alij annum, alij menſem, alij nullam ſortem, nullum ue tempus, in quo circulum ſuũ percurrit mundum ornatumq; unà perficiens, quem ratio omniũ diuiniſſima uiſibilem ſtatuit. Hunc uir felix primum ſummopere admiratur: deinde cupiditate ardet ea diſcendi quę cunq; à natura mortali percipi poſſunt; ſic arbitratus optime atq; feliciſſime ſe uictutũ:

& cum

& cum decesserit ad congrua uirtuti loca uenturum. Atq; ita uere initiatus, & ipse unus unam reuera sapientiam nactus, reliquũ tempus in rerum omniũ pulcherrimarũ contemplatione uersatur. Post hæc quæ & quot sunt, dicendum est. Equidem affirmare audeo, nunquam nos in hoc mendaces fore. Iterum octo esse dicimus. Quarum tres dictæ sunt, quinque restant. Quarta uero & quinta latio & anfractus æquali fermè uelocitate cum sole feruntur. itaq; neq; tardiores sunt, neq; uelociores. Atq; harum trium semper sufficiens ductor est intellectus. Solis dico & Luciferi, & tertij illius, quod cum ignoretur, nominari non potest. Quod propterea factũ est, quoniã primus harũ rerum spectator Barbarus fuit. Antiqua enim regio illos aluit, qui propter æstiui temporis serenitatẽ, primi hæc inspexerunt. Talis Ægyptus & Syria fuit, ubi stellæ semper oẽs, ut ita dixerim, clare cernunt: quia cœli aspectũ nubes & pluuiæ non impediunt. Inde huc & aliò quocunq; infinito tempore probata ista manarunt. Quapropter magna cum fiducia hæc legib. sanciantur. Res enim diuinas nõ esse uenerandas arbitrari, aut hæc nequaq; esse diuina, extremæ dementiæ foret. Quod autẽ nominib. caruerunt, causa dicta est. agnomina tamen deorũ tenent. Lucifer enim qui & Vesper est, stella ἀφροδίτης, id est Veneris, esse dicit. Quod dictum Syrio nominũ auctori ualde congruum est. Stella uero quæ æqualiter fermè cum sole & hoc currit, Mercurij. Restant tres adhuc lationes eorũ qui ad dextrã cum sole lunaq; mouent. Octauum præterea circa unum oportet dicere: quem iure mundum supernum quis nuncupabit, qui contrà q; cæteri mouetur, cæteros' que secum trahit: ut hominibus pauca de ijs scientibus uidetur. Sed necesse est ea dicere, qui sufficienter cognoscimus. Vera enim sapientia hac ratione quodammodo illi apparet, qui uel modicũ quid recte diuinæq; intelligentiæ nactus est. Reliquæ sunt stellæ tres: quarũ una cæteris tardior est, quæ Saturni nomine à quibusdam cognominat. quæ post hanc situ & tarditate ponitur, Iouis esse dicatur. deinde Martis, qui cæterorum maxime rubens est. Hæc intellectu, siquis exponat, difficilia non sunt. sed postq; intellexeris, ita de dijs, ut diximus existimandũ est. Illud etiã cuilibet Græco sciendum est: nos regionẽ ad uirtutẽ omnium penè optimam habitare. In hoc maxime laus regionis huius consistit, quod inter hyemalem æstiuamq; naturã media est. Quoniam uero magis q; Barbari, ut diximus, ab æstiua serenitate distamus: horũ deorum ordinẽ tardius intellexim us. Verum quicquid Græci à Barbaris accepere, melius reddiderunt. Quod & in his quæ modo tractamus, cogitare debemus: quod quamuis inuentu hæc difficilia sint, magna tamen spes nobis est Græcos præstantiori cultu q; à Barbaris acceperint, hos deos oẽs honoraturos, ac tum disciplina, tum Delphicis oraculis monitos omni legitima obseruatione diligenter prosecuturos. Nec Græcorũ quispiam existimet non oportere mortales de diuinis rebus tractare: sed contrà omnino putet, nec mente carere deum, neq; naturam humani generis ignorare. Scit enim se docentem ita sequuturos homines, ut quæ docent perdiscãt. Quod aũt numerum numerareq; docet, quodq; nos id ipsum discimus, nõ ignorat. si enim id ignoraret, esset omniũ amentissimus: certe & quod fertur, accideret. Ipse enim seipsum ignoraret, si potentibus discere inuideret magis q; gratularet, quod propter deum boni efficiantur. Profecto uerisimile est, quando primum homines de dijs cogitare cœperunt, quòd essent, & quales, quid' ue agerent, non ut prudentes quidem, nec ut secundi iudica uisse, qui antiquissima esse putauerunt ignem & aquam & cætera corpora: mirabilem autem animã posteriorem, Vnde & corporis motũ potentiorẽ, honorabilioremq; ducebant. Nempe seipsum calore & frigore, cæterisq; huiusmodi agitare. Animam uero neq; corpus, neq; seipsam mouere. Nunc uero cum dicamus, si anima corpori adsit, nihil mirũ esse ut & seipsam moueat, & corpus circunferat, dubium nobis nullũ est quin pondus ab ea circunferri possit. Cum aũt uniuersi causa anima sit, & rerũ aliæ bonæ sint, aliæ malæ, lationis quidem omnis motusq; causam animã esse dicendũ: sed lationẽ motum' q; ad bonum ab optima anima proficisci, motum uero ad contraria, contrarium. Mala aũt à bonis uicta esse, uinciq; oportet. Hæc nobis secundum iudiciũ impios puniens, dicta sunt omnia. Quantũ uero attinet ad id quod modo probat: dubitandum non est, quin bonus uir sapiens sit dicendus. Sed uideamus nunquid hanc sapientiã quam iamdiu quærimus, per disciplinã uel artem aliquam assequamur. quod si ignorauerimus, expertes, ignaricq; iustitiæ futuri simus. Ita profecto mihi uidet, quare dicendum est. Quod igitur sursum deor

sumq́ inuestigando cognoui, oratione uobis aperire conabor. Nam maxima uirtus neglecta ignorantiæ causa fuit, ut prædicta nobis significare uidenť. Maiorẽ uero uirtutem religione pietateq́ in deum, nullam in humano genere inueniri quisq́ sibi persuadeat. Id ex maxima ignorantia in optimis naturis factũ non est. Optimæ aũt naturæ sunt quæ rarissime reperiunť, & siquando reperiantur maxime prosunt. Animus certe facilis ille est, qui tardã cõtrariam'ue naturã mansuete & mediocriter possidet: fortitudinem admirať & temperantiã diligit, & quod maximum est in his naturis, ad discendũ promptus est ac memor: & huiusmodi rebus maxime delectať, discẽdi studio deditus. hæc utiq́ nec facile innascunť, & cum innata fuerint, si educationẽ disciplinamq́ idoneã consequanť, plurimos inferiores ita moderari & continere possunt, ut cogitando, loquendo atque agendo singula erga deos ut oportet, & quod oportet, in sacrificijs purificationibusq́ eorum quæ in deos & homines facta sunt, nõ simulatione, sed ueritate uirtutem maxime colãt, quod ciuitati omniũ utilissimũ est. Hanc igitur partem natura principalissimam esse assẽrimus, possẽq́ quam maxime atq́ optime si quis doceat, discere. Nemo autẽ docebit nisi deus adiuuerit. Ab eo uero qui modũ in docendo non seruat, præstat non discere. necessariũ tamen ex his quæ modo dicta sunt, uideť hæc discere, & à nobis naturã hanc optimam dici. Quare conemur exponere quæ & qualia sint, & quomõ perdiscenda, idq́ pro meis qui dissero uiribus agatur, & eorum qui exaudire poterunt quo pacto cultus diuini nonnulla discanť. Inusitatum quid forsan audietis, nomen tamen rei dicamus, quod nullus propter huius rei imperitiam arbitraretur. Nolite ignorare Astronomiam sapientissimum quiddam esse. Nempe necesse est uerum astronomum esse, non eum qui secundum Hesiodum oẽsq́ huiusmodi, occasum ortumq́ consideret, sed eum potius qui circuitus octo, & quomodo septẽ sub primo uersenť, quóue ordine circulos suos singuli peragãt, Quod nulla natura nisi mirabilis sit facile unquam inspiciet, ut modo diximus, & dicemus, declarantes quid oporteat & quomodo oporteat discere. Primo igitur id dicatur, quod Luna celerrime circulum suum euoluit, atq́ ita plenilunium primum & mensem peragit. Sol deinde inspiciendus est, qui solstitia uersionesq́ temporum circuitu efficit suo, præterea & qui unà cum Sole currunt, considerandi. Denique ne eadem de eisdem sæpius disseramus, cursus omnes quos paulo ante tetigimus, quiúe non facile intelliguntur, contemplari debemus, ita ut naturæ prius doctrinis ad hæc pertinentibus longo usu laboreq́ à iuuenta, immo uero & à pueritia præparentur. Quo circa doctrinis quæ mathematicæ appellantur, opus est, primo uero ac maxime numeris. non ijs dico numeris qui corpus habent, sed qui omnem paris imparisúe generationẽ atq́ uirtutem, quam ad perficiendam cognoscendam'que rerum naturam conferũt. Quibus perceptis illa de inceps quam ridicule Geometriam appellant, discenda est. Numerorum uero inter se natura dissimilium similitudo ad planorum partem relata clarescit. Quod quidem non humanum sed diuinum miraculum, si quis planè intelligat, uideatur oportet. Post hanc numeri, qui in tres usque dimensiones adaucti sunt, naturæ solidæ similes, ac rursus dissimiles, alia quadam arte, stereometria uidelicet huic simili, considerandi sunt: sed hanc quoq́ qui in ea obiter uersati sunt, Geometriam nominauerunt. Illud aũt mirũ diuinũq́ intelligentibus est, quòd cum rerum uirtus in duplo semper, & in suo oppositio reuoluatur, in singulis proportionibus per genera speciesque uniuersa natura formatur. Prima igitur dupli uirtus secundum numerũ per unum ad duo proportione procedit, duplum potentia possidens. Sed in solidum & tangibile rursus ab uno in octo dupli ratio proficiscitur, alio uero dupli in medium: sed forte minore maius, & minus maiore æqualiter. Verum aliud eadem parte extremitates excedit, ab eisq́ exceditur. In medio uero senarij ad duodenarium numerum, sesquialtera, & sesquitertia emersit proportio. horum in medio uis huiusmodi ab utraq́ uersa concinnum hominibus usum commodum'que attribuit, ludi & tẽporalis numeri concentusq́ gratia, choreæ musarum felici tributa. Hæc igitur ita fiant, & ita se habeant. horum finis est ut ad diuinam generationem, & eorum quæ cernuntur oculis pulcherrimam diuinamq́ naturam considerandam nos conferamus, quatenus hanc hominibus inspiciendam deus largitus est, quam nunquam sine dictis artibus assequemur. Ad hæc singula quæq́ ad species suas, omnia deniq́ ad unum in disputationibus referenda, interrogando & arguendo si qua minus recte dicanť. Re-

Astronomiæ laus & dignitas

cte enim

cte enim omnium pulcherrima & prima hominibus huiusmodi examinatio est. Vbi uero non talis reuera, sed simulata inquisitio est, frustra contenditur. Præterea temporũ cõsiderãdus est ordo, quàm exacte cœlestia omnia perficit, ut quicunq; uere dictum fuisse crediderit antiquiorem diuinioremq; corpore animam esse, putet præclare sufficiẽterq; illud quoq; esse dictum: deorum plena esse omnia: adeo ut superi neq; obliuiscantur nostrarum rerum, neq; nos deserant. Sed hoc in his omnibus aduertendum est, maxime illi qui recte perceperit, profutura: ei uero qui non recte, deum inuocandũ esse. Modus uero hic est. Necesse enim est id quoq; tangere. Omnem linearum descriptionem, constitutionemq; numeri, & concentus rationem, circuitusq; astrorum conuenientiã, & quæ una cunctorum conspiratio est, perspici oportet ab eo qui modo cõgruo discit. perspicietur autem si quis quod dicimus ad unum recte respiciens discat. Vnum enim horum omnium intelligenti uinculum apparebit. Qui uero aliter hæc adipisci studet, fortunã ut dicimus inuocet. Nunquã enim absq; his natura in ciuitatibus ulla felix efficietur. Etenim hic modus est, hęc educatio, hæ disciplinę. Per hęc itaq; siue facilia siue difficilia sint, eundum. Nefas autem est deos negligere, quum felix omniũ illorũ doctrina omnibus recta ratione patuerit. Eum sanè qui cuncta hæc ita percepit, uere sapientissimũ appellamus. Quem ego etiam ioco & serio affirmo, cum diem suum obierit, non amplius multorum sensuum ut nunc, sed unius sortis participem fore, unumq; de multis factum, felicem, sapientissimum atq; beatum: & siue quis in continenti, siue in insulis, seu publice seu priuatim uixerit, modo ita se gesserit, eandẽ à deo sortem reportaturũ. Sed quod in principio diximus, nunc quoq; uerũ nobis apparet, non posse homines præter paucissimos perfecte beatitudinem consequi. Quod quidem recte nobis assertum est. Nam qui diuini modestiq; simul, alijs uirtutibus natura præditi sunt, disciplinas præterea felices consequuti quas diximus, ijs solummodo satis ad felicitatem omnia se habere uidentur. His igit̃ qui ita & priuatim & publice in his elaborarunt, cum ad senectã peruenerint, maximos tradi magistratus iubemus, cæteros uero sequi, & deos simul deasq; laudare, ac cœtum nocturnũ ad hãc sapientiã omnes diligenti examinatione peracta q̃ rectissime adhortari.

ARGVMENTA MARSILII FICINI
IN EPISTOLAS DVODECIM PLATONIS.

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM PRIMAM

DIO SYRACVSANVS *uir profecto magnus, Platonis non auditor solum, sed etiam imitator, à tyranno expulsus, & magno animo pecuniam quam miserat tyrannus, statim remittit: & utpote Platonicus, pro summa iniuria, summo quodam Dionysium afficit beneficio, tribus scilicet præceptis salutaribus admonens. Primum est, principes non pecuniarum, sed amicorum defectu perire. Secundum, nullam petantiam maiorem esse bonorũ prudentiumq; consensu. Tertium oportere errata præterita recognoscere, & quanto nobis detrimento sint augurari, quo à futuris delictis absterreamur.*

ARGVMENTVM MARSILII FICINI AD EPISTOLAM secundam: quæ est Platonis ad Dionysium Siciliæ tyrannum.

IN HAC *epistola quam Plato scribit ad Dionysium iuniorem post primum ab eo discessum, & expulso Dione, quatuor sunt præ cæteris obseruanda. Primum quidem, quòd ait magnam potentiam naturali quodam instinctu, atq; sapiẽtiam sese inuicem petere, quo in unum congrediãtur. Id quidem in diuinitate, in natura, in arte cõpertum habemus. Principio penes deum infinitã dei potentiam immensa sapientia comitatur. Quod hic sub Iouis & Promethei nomine indicat: Iouem quidem potentiam, Prometheum uero prouidentiam esse indicans. Nempe diuinæ intelligentiæ fontem atq; speculum eiusdem potentiam esse putat. Siquidẽ & quia potest intelligere, iccirco intelligit, & potẽtiam eandẽ contemplatur intelligendo. Apparent & horũ uestigia in natura. In his enim quæ naturaliter composita sunt, siue lapides & metalla, siue plantæ et animalia, immo & in primis in ipso cœlo, ita natura cõparatũ est, ut ex intima naturæ potentia naturaliq; uigore procedat ordo quidã tum in ipsis horum formis, tũ in actionib. atq; effectibus.*

Ordo uero eiusmodi extrinsecus euidens, interioremq; uigorem potẽtiæ comitans, sapientiã quandam præ se ferre uidetur. Non enim aliter in progressibus ordinatis natura procedit, aliter sapiẽtia: sed similis omnino est utriusq; progressio. In arte quoq; humana siue priuata, siue publica, similis quidam uidetur potentiæ sapientiæq; cõgressus. Naturalis quidem ingenij, memoriæ, uoluntatis uirtus ad potentiã pertinet. Ex hac uero acquisita oritur sapientia, & in actionibus ipse ad sapientiam pertinens ordo seruatur. Huius autẽ mysterij diuinitate, natura, arte constantis, in consuetudine eleganti habemus exempla, quæ hic Plato recensẽt, in mutua uidelicet potentũ sapiẽtumq; familiaritate, & quasi naturali quadam necessitudine. Qua de re nos admonet cœlũ, in quo planetæ significatores principum his proximi sunt, qui significant sapientes. Nam & Iupiter Saturno est situ proximus, & Sol fermè à Mercurio non discedit. Morale igitur apud Platonem præceptum est: Principes sapientes honorent: sapientes libenter principibus cõsulant. Nam & sapiẽtia absq; potentia prodest paucis, & potentia remota sapientia obest multis. Potentia quidẽ expers sapientiæ quo maior est, eo pernicioſior. Sapientia uero procul à potẽtia manca uidetur. Docent hoc magnæ planetarum coniunctiones. Iupiter quidem dominus est: Saturnus uero philosophus. hi profecto nisi cõiungantur, nihil uel magnum uel stabile moliuntur. Felicem quidem familiaritatẽ Plato uult esse ex potente sapiẽteq; conflatam. Felicissimam uero copulam, ubi utraq; in eodem animo cõiunguntur. In quo & ipsum Palladis sedet numen, potentiam unà cum sapientia copulans. Pallas enim sola & artes callet simul & uibrat hastam. Hactenus de primo epistolæ huius mysterio dictum sit. Ad secundum iam pergamus. Animi boni tate excellentis, est gaudere bono, maxime uero diuino, hoc est amplissimo. Tale uero est quod & quàmplurimis & quàm diutissime prodest. eiusmodi est uera uirtutis gloria ad doctrinam & mores tam posteris quàm præsentibus conferens. Hac ergo uiri optimo ingenio præditi, duabus de causis maxime omnium delectantur: tum quia sicut intimam uirtutis lucem amant, sic exteriorẽ quoq; diligunt uirtutis splendorem: tum quia splẽdore hoc optãt semper prodesse quàmplurimis, & hoc certe perpetuo in genus humanum beneficio gaudent. Gaudent inquam, quatenus sentiunt. Quum uero sempiterna gloria studeant posteritati prodesse, sperantes uidelicet, sicut nunc, ita & tunc splendore hoc & beneficio se gauisuros: profecto id se post hanc uitam persensuros uaticinantur. Naturæ siquidem diuinioris instinctu ad tantum beneficium instigantur, non tam quia hoc ipso gaudent, quàm ut gaudeant. Ac si multæ animalium species in ipsa nidorum escarumq; opera instigante natura nõ frustra futuro usui cõsulunt: multo minus diuinos animos sperantes se sempiterno quodam officio gauisuros, frustratur euentus. Eiusmodi uero uirtutis splendorem, & beneficiũ tã in doctrina quàm in moribus his uerbis propheta Daniel cõprehendit. Fulgebunt docti tanquam splendor firmamenti, & qui multos erudiunt ad iustitiam, sicut stellæ in perpetuas eternitates. In quibusdam uero animis à sua diuinitate degenerantibus, beneficum ueræ gloriæ studium uel extinguitur, uel in uanam gloriam permutatur. Tertium epistolæ huius mysterium surgit altius. Sed quoniam in theologia, & libro de Amore latius exposuimus, satis fuerit in præsentia leuiter delibasse. Quando diligenter formas ab artifice factas consideramus, paulatim qua ratione factæ fuerint, animaduertimus: & quando rationes per quas efficit formas apprehendimus, facile per eas ad ipsas ideas artificioſæ mentis accedimus ad quarum exemplar rationes suas ad formas direxerit efficiendas. Quemadmodũ uero in artificijs à formis ad rationes, ab his ad ideas, id est exemplaria proficiscimur: sic in ipso rerum ordine contemplando, pulcherrimas rerum formas cognoscimus artificioſissimis rationibus esse compositas: ac si rationibus, ergo ideis, id est exemplaribus, ad quorũ similitudinem ipsa ratio formas producit in ordinem. Tres ergo in uniuerso sunt ordines, formarum scilicet & rationum, & idearum. Ordo quidem formarum quæ patẽt sensibus, ad animam ipsam mundi reducitur: quæ utiq; uelut principium motus formas in materia generat. generat autem alias alijs rationibus atq; seminibus. Hunc uero ordinem in anima rationũ ad mentem redigimus anima altiorẽ, à cuius ideis anima gubernandarũ rerũ suscipit rationes. Ordo deniq; idearũ in mentem ab immenso & simplici diuini boni splendore descendit. Siquidẽ una hominũ idea bonorum, id est ipse deus, alias aliorum bonorũ mẽti angelicæ ideas infundit. Quamobrẽ tres rerum ordines ad tres principes fontesq; reducuntur. Ordo quidem formarũ ad mundi animam, ordo uero rationum ad mentem angelicam, ordo deniq; idearum ad ipsum bonum. Et quia per ideas cuncta referuntur ad bonum, ideo Plato inquit: Circa omniũ regem cuncta sunt, id est circa ipsum bonum sunt ideæ, perq; ideas omnia. Circa secũdum, ideſt, mentem sunt secunda, id est rationes quæ sequuntur ideas. Circa tertiũ uero tertia, id est circa animam mundi formæ. Significauit autem deum esse rerum causam exemplarẽ, ubi dixit circa. Item finalem ubi ait: Eius gratia. Rursus efficientẽ, quando subiunxit: Ipse causa est pulchrorũ omniũ. quòd enim nonnulla sint deformia nõ ob id habẽt quòd ab ipso sunt, sed quatenus ab eo degenerant. Neq; mirũ Platonici uideri uolunt, quod Plato quodlibet illorũ trium principium nominauerit. Nominasse enim similiter, sed non æque. Deum quidem per se unum bonumq; existere. Cum uero unitas bonitasq; amplissima sint, sequitur ut deus per se sit omnino. Mentem uero summam Deo proximam per deum esse, quatenus unum quiddam est & bonum: præterea & per se, quatenus mens est & ordo naturæ secundæ. Mundi denique animam productam quidem & ipsam à primo deo, quà unum atque bonum. Productam quoque ab ipsa mente, quà mens. Sed quà per se mobile est, à seipsa productam. Hucusque ait Plato

proceſſus

prōcedere diuinorum origines,rerumq; principia. Præterea animum nostrum esse diuinū quando addidit affectare diuina:uerum non comprehendere quandiu aspicit in ea quæ sibi cognita sunt,id est,uel sensus & sensibilia,uel formas horum obiectu conceptas ab anima. Hæc enim omnia à diuinis longe diuersa sunt.unde animus in hæc aspiciens cogitur de diuinis aliter sentire, & pronunciare quàm sint. Sequitur quartum mysterium de diuinorū perceptione.Primo quidem ait inuestigationem diuinorum nō recte factam,id est non debitis,tū purificationis, tū disciplinarum gradibus instructam,malorum esse omnium causam. Quia uidelicet qui sic inuestigant deum,tandē cō perueniunt,ut uel negent deum esse,uel de deo affirment quæ nō sunt dei. Hinc uera perit religio, extincta religione mala omnia confluunt. Deinde ait stimulum inuestigandorum diuinorum esse malorum causam,id est si hoc abutamur,& omnino quomodocunq; utamur,nō permittit præsentibus oblectamētis frui,& hac in uita quiescere, altioribus anhelantes. Verum quid sibi uult,ubi ait: Nisi quis hunc ex animo stimulum eruat,ueritatem nunquā assequetur? Profecto negat ueritatem rerū à deo dependentiū haberi posse,nisi ipsa de deo ueritas habeatur. Præterea per illa quæ mox subiungit,scito Platonem ipsum assidue in diuinorū inuestigatione uersari consueuisse,& qui Platonem primo audiebant diuina contemplantem,solitos sub nimio diuinorum splēdore protinus caligare, diuq; nexari,donec uidelicet metem deniq;,tum ab affectibus sensuum,tum à phantasiæ imaginibus segregarēt. quo quidem facto diuina quadam sorte,id est luce ueritatem non prius inuentam reperiebāt. Propterea Pythagoras quē Plato noster in omnibus ueneratur,sacra doctrinarū mysteria ab exactissima expiatione mētis exordiebatur:præcipiebatq;,& Plato similiter præcipit,ne efferantur in uulgum,ne uulgus accepta peruerse uel cōtemnat uel incidat in errores. Si enim in uulgū ædideris,deum nihil ex ijs quæ sentiūtur in se habere,uel te ridebunt,uel deū esse negabunt. Hinc illud Lysidis Pythagorei ad Hipparchū. Haud pium est,mysteria philosophiæ cum his communia facere,qui ne somniare quidem purificationem animi potuerunt. Sunt præterea nōnulla mysteria theologorū circa deum, quæ non uulgum modo, uerumetiam elegantes plerosq; fatigent. E quibus id unū est,nihil ex his quæ intelliguntur,absolute de deo affirmari debere. Quicquid enim intelligentia definitum est,infra infinitum deū extare compellitur. Ad hæc itaq; secretiora mysteria ita pleriq; docti adhuc sunt inepti,sicut & uulgus ad leuiora,usq; adeo ut etiam nonnulli quamuis acumine,memoria,iudicio ualeant,diuq; hæc audierint,nōdum tamen perfecte cōprehendant: quia uidelicet & si ad alia quædā,tamē ad theologica nati non sunt,uel si nati,non tamen cōgrue ad hæc eruditi atq; educati:uel si educati & eruditi,nondū tamen ætatis maturioris beneficio à perturbationibus segregati. Perturbatio uero,quia & mouet,& per diuersa distrahit,& ad materiam trahit,idcirco alienā reddit mentem à deo, quo nihil à motū,à diuersitate,à materia potest remotius cogitari. Non ergo iniuria Lysis Hipparchum sic admonuit. Operæprecium est recensere quantum temporis in abstergendis maculis,quæ nostris inustæ pectoribus erant consumpserimus,antequā præcepta Pythagoræ percipere digne possemus. Accedit ad hæc,quòd si quis etiā tranquillo & erudito ad deum intellectu se cōferat, ita fermè ab ipsa intelligentia circa deum decipitur, quemadmodum & uulgus sensu imaginatiōeq; fallitur,et pleriq; docti perturbationibus repelluntur. Intelligentia enim pro natura sua iudicans,compellit nos deum ipsum,uel intellectum quendam,uel intelligibile quiddā asseuerare:Immensum uero bonum,neq; intellectus est,qui uelut egenus ad intelligibile se uertit,tanquam bonū quo illustrante proficiat:neq; intelligibile est dicendum,quod quidem communem quandam cum intellectu naturā habet,per quam etiam proportionem habet cum intelligentia cōgruam. At nulla est immenso bono ad finita bona naturæ communio,nulla proportio. Hinc in Parmenide probat nos neque nomen,neq; definitionem,neque scientiam habere de deo,utpote qui sit super intelligentiæ limites. Idem ante ipsum Mercurius asserit,Idem post ipsum Dionysius Areopagita,probans deum nō esse dicendum ens atq; intelligibile,sed super utrunq;. Quamobrem cū deus intellectum atq; intelligibile infinito superet interuallo,nemo ulla intelligentiæ actione diuinā substantiā potest cōsequi,potest tamē quādoq; assequi passiōe. Passione inquàm benigna,per ipsam beneficā infiniti boni actionem nobis illatam. Illatam inquam in unitatem ipsam nostræ mentis caput,quando uidelicet mens in unitatē suam, quæ expressa est diuinæ simplicitatis imago,totam undiq; se collegerit. Verum quod menti unitatem hanc indutæ sub diuino Sole subrutilat,tunc fermè abit,cum unitatem exuta rursus induit multitudinem. Ex his utique patet ex Platonis nostri sententia,diuina à nobis non inueniri,sed potius desuper reuelari,neq; mēte comprehēdi posse substantiam proprietatemq; diuinorum,nedum uerbis & literis explicari. Ideoq; de his ea mente differendū describendumq;,ut per uerba & literas exhortari & præparare animos ad diuina speremus,potius quàm demonstrare. Sic & Plato de substantiæ proprietatisq; diuinæ definitione scribit nihil. Scribit tamen multa quæ uel per negātiones,uel per relationes,uel exhortando,uel instruendo ad eum mentis statum quandoque perducant, cui tandem ex alto panditur domus omnipotentis Olympi. Vbi postquam se & ab inferioribus receperit ad seipsam, & à seipsa ad superiora conuerterit,statim uno quodam statu simplici ipsam unitatem,stabilitatem,simplicitatem ut ita loquar,attingit. Sed quæ attigerit,nō licet apud Paulum homini loqui, & apud Platonē multo minus licet scribere,ne detur sanctū canibus. Cum uero neq; uerbis neq; literis in diuinorū explicatione cōfidat,tutius tamen committenda uerbis censet quàm literis. literæ nanq; cuiuis communia faciunt. Atqui & quàm electissimis dicēda

permittit

permittit. Omnino uero iudicat diuinorum dignitatem exigere, ut ex mente in mentẽ uerbis potius quàm scribendo in exteriores materias traducamur. Hac ratione Iudæi aiunt mysticum suæ legis sensum ab ipso deo per Moysen non tam literis traditum, quàm animis commendatum. Sed hoc illi uiderint. Pythagorici certe id obseruabant, & Plato seruauit. Nam & hic pollicetur nonnulla per Archedemum potius quàm per literas se missurũ. Asserit autem quæ ab ipso scribuntur, esse Socratis, cuius proprium in purificando erat officium. Sed cur additum est Socratem etiã & in iuuentute fuisse pulchrum, id est diuinitus illustratum? Vt intelligamus Socratem tam educationis primæ perfectione quàm naturæ felicitate à deo per familiarẽ dæmonem mox accepisse quæ cæteri uix tandem multis laboribus assequuntur. Rursus mysteria eadem per diuinam reuelationem accepta in Platonem transfusa fuisse, & per Platonis exhortationes in homines similiter affectos posse transfundi. At ne quis in hac expositione existimet me somniare, audiẽdus est Proculus hæc ita cõfirmans. His qui ad summũ bonum peruenire cupiunt nõ scientia & exercitatione ingenij opus est, sed firmitate, quiete, tranquillitate. Quæ quidem diuina fides est. quæ nos ad summum bonum diuinaq; omnia ineffabili ratione trahit atq; coniungit. Profecto non per scientiam, aut actionem ullam ingenij exquirere summum bonum, aut ad ipsum aspirare debemus sed offerre commendareq; nos diuinæ luci, & præclusis sensibus in illa incognita & occulta entiũ unitate quiescere. Hoc enim fidei genus omni doctrina antiquius est. Hæc Proculum à Plotino accepisse constat. Si quis autem hæc diligenter considerauerit non exigat à Platone in dialogis suis consuetũ illum apud humanos disputatores ordinem doctrinalem, sed eo duntaxat stylo cõtentus erit, qui rectiori tramite perducat ad deum. Eiusmodi uero stylus siue ordo in purgãdo & conuertendo cõsistit. Oportet enim mentis oculum & purgare à caliginosis materiæ sordibus, & purgatum in ipsam diuini Solis lucẽ rite dirigere. Vlterius uero perquirere, aut cõtendere nõ oportet. Immensa enim lux ubiq; præsens sua prorsus natura, creato ad ipsam mentis oculo, cum primum in eam purus rite respexerit, se infundit. Ac si ad suscipiendum deum intellectus assidue actione utatur propria, quæ & accidens quiddam est & multiplex, & modo quodã suo mobilis, profecto per ipsam à dei substantia simplicissima, & ab omni motionis imagine remotissima, quodam modo disiungetur. Sat ergo fuerit post conuenientem inquisitionem purificasse mentem, atq; direxisse. Reliquũ Mercurius sacro mentis silentio tribuit. Deum enim à mente suo quodã silentio potius quã sermone suo censet pronunciari. Omnes itaq; Platonis dialogi in hoc ipso uersantur, & alij quidem in purgando solum, alij uero solum in conuertendo, alij in utroq; consistũt. Mysteria uero hæc in epistola ad Syracusanos iterũ cõfirmãtur. Atq; hæc confirmata mirum in modum præcepta euangelica comprobant.

ARGVMENTVM IN TERTIAM EPISTOLAM

HAEC Platonis epistola scribitur ad Dionysium iuniorem post secundum Platonis ab eo discessum. Et primo quidem ad Dionysii quæsita respondet: deinde calumniam in se à Dionysio conflatam dissoluit. In responsione igitur ad quæstionem docet non esse in Deo uoluptatẽ. Illam scilicet quæ dolorem habet oppositum, & in motu quodam, uel indigentiæ expletione uersatur. Esse autem in Deo totum id bonum cuius causa bona uidetur uoluptas, non negat. Addit uoluptatem, scilicet mobilẽ, esse causam detrimenti, scilicet in pecunijs & honore. Item doloris in corpore. Rursus auferre acumen memoriam, iudicium, grauitatem. Post hæc contra Dionysii insimulationẽ probat se iustissimis de causis in Siciliã profectum, de restituendis urbibus olim dirutis, ac de æqua gubernandi forma consilium manifeste dedisse.

ARGVMENTVM IN QVARTAM EPISTOLAM

POST Dionysium expulsum tyrannide, scribit ad Dionem in patriam iam reuersum, admonens eum atq; etiam Heraclidem & Theodotum cæterosq; amicos, penes quos rerum potestas erat, ut procul à tyrannide uiueret, formamq; gubernãdi teneret ex optimatum gubernatione plurimum atque ex populari quodãmodo temperatam. Sunt hic præcepta quædam memoriæ commendanda. Primum quidem ad principes proprie pertinere, cunctis excellere ueritate, iustitia, magnificentia, temperantia. Omnino autem prudentia tantum cæteros superare, quantum uiri pueros prudentia superãt. Secundum uero, oportere tales præstare seipsos, quales uideri uolunt. Tertium, circumspicere oculos omniũ in se esse cõuersos, ut meminerint, neq; uitia sua latere posse, neq; mediocri dũtaxat uirtute se expectationi maximæ satisfacturos. Quartum, probatissimos imitari legumlatores, & discordiam inter collegas quasi pestem uitare. Quintum, meminisse cõmunem beneuolentiam esse ad res agendas summopere necessariam. Hanc uero sola humanitate comparari posse atq; seruari.

ARGVMENTVM IN QVINTAM EPISTOLAM

ET SI quintam hanc consuetudo quædam Platoni inscribit epistolam, uidetur tamen potius esse Dionis, Platonem in seipso totum pro uiribus effingẽtis. Instruit autem Perdiccam principẽ constitutum in monarchia, ut meminerit se iuuenem esse, ideoq; consilio ac ministerio seniorum indigere, non quidem omnium, sed probatissimorum, non quauis in re, sed in gubernandi forma, qui intelligant, quid potissimum gubernationis cuiusq; sit proprium, siue gubernet unus, siue pauci, siue multi. Vocem uero gubernationis esse uult spiritum uitamq; eius, id est legẽ, quæ officia & erga deum & erga homines congrua instituere debet & exequi. Alioqui salua esse non possit. At quoniam significat se & Euphreũ disciplina Platonis imbutos, tenere quæ ad ciuilem pertinẽt disciplinam, idcirco ne Perdiccas hac de re differet: propterea quòd Plato ipse nunquam populo suo in ciuili disciplina profuerit, subiungit Platonem cognouisse populum suum morbo insanabili laborare, ideoq; medicorum prudentum more noluisse, & frustra, & cum sui discrimine bestiam insanabilem curandam suscipere.

ARGVMENTVM IN SEXTAM EPISTOLAM

PLATO diuinus, Hermiam, Erastum, Coriscum, finitimos inter se principes, ad ueriſsimam concordiam cohortatur, hac sola saluos fore uaticinans, perq; hanc aspirante deo, qui unione gaudet, bona omnia consequuturos, præterea eò denique peruenturos, ut rebus rite compositis diuinam sapientiam propensiori studio quàm humanam, ut par est, prosequi ualeant. Concordiam uerò stabilem firmari inter illos posse tradit pacto duntaxat atque lege: pacto inquam legitimo sacris rite peractis inuicem stabilito, ac iureiurando interposito, deum ipsum testando atque obsecrando tanquam unionis autorem atque conseruatorem. Testando inquam, & obsecrando sub impari, quo deus gaudere dicitur, numero. Tria enim summa rerum principia, quæ in prima quoq; epistola attigit, huc adducit. Vbi enim ait, omnium ducem præsentium atque futurorum, mundi animam uult intelligi, quæ utpote principium motus, res omnes à futuro in præsens, à præsenti in præteritum temporali ratione perducit. Vbi uero patrẽ dicit & dominum, summum deum ipsumq; bonum significat. Sed mediam inter duo hæc mentem quandam diuinam uidetur inferere, quando dum repetit ducis, subiũgit & causæ. Nam apud Platonem sæpe rex significat ipsum bonum, causa uero mentem, dux deniq; animam. Et quoniã causam refert ad mentem, ideo in Timæo Platonici disputant, Intellectum ipsius boni filium, mundi architectum proximum extitisse. De quo in Epinomide scribitur: Ratio diuiniſsima, siue diuiniſsimum uerbum, mũdum uisibilem exornauit. Appellat autem hic ipsum bonum, tum patrem, tum dominum: ut per primum quidem designaret mẽtis patrem, per secundum uero animæ dominum. Ita forsitan Platonicus numerus exponet. Ita quoq; Platonicus Christianus, sed Arianus. Poterit & quispiã per ducem, sanctum spiritum intelligere, per mẽtem uerò filium. Nam ubi Plato patrem dicit, filium pariter subintelligit. Ac siquis unam trium ponat essentiam, Platonicis quidẽ multis uidebitur aduersari, Platoni tamen manifeste non repugnabit. Exhortatur autem ad grauiora simul studia doctrinarum, atq; ad iucundiores quasdam disciplinas his cognatas, scilicet eloquentiæ, poesisq; & musicæ. Quibus omnibus eo consilio iubet incumbere, ut per hæc quasi uestigia odorem diuinum inuestigãtes, ipsum solum ament, & amando saporem insuper consequantur. Inquit ergo, si uere uel si ita deum philosophemur, id est uel amãdo inuestigemus, uel inuestigando amemus, ipsum deniq; omnes proculdubio cognoscemus. Profecto philosophiæ nomen, & si indagationem quandam præ se ferre uidetur, amorem tamen sert proprie amatoriamq; indaginem. Cognouit ergo Pythagoras, cognouit & Plato aliter nos habere ad finita bona, aliter ad infinitum bonum: & finita quidẽ bona cognosci à nobis priusquam amentur, & ut cognoscantur amãda: infinitum uero amari antequam cognoscatur, neq; tantum ut cognoscatur quantũ ut ametur, inuestigandum. At cur amandum prius quàm intelligatur? Quia uidelicet amor amantem transferens in amatum, quod proportioni deerat, transformare supplet affectu. Nõne deus in sacris, ignis sæpe cognominatur? Eadem ergo metaphorica uenia, angelus quidem corpus diaphanum, anima uero opacum corpus cognominetur, quãdiu uidelicet cæco hoc carcere clauditur. Itaq; quemadmodum sub igne corpus diaphanum, id est perspicuum, uelut aer, & aqua subito lumen & extra & intus admittit: terrena uero corpora uehementer calefacienda sunt prius, & calore in diaphani similitudinem prius extenuanda quàm igneam suscipiant lucem: sic spiritus à corpore segregati, diuinum lumen subito capiunt: spiritus uero terrenis coniuncti corporibus transformantis amoris incendio indigent: quo quidem purgati, & in diuinam translati similitudinem, diuinitus tandem splendore scientiæ collustrentur. Hinc Porphyrius ait: Inquisitio quidem diuinorum purificat animũ, amor uero deificat. Proprio enim rem sic exprimit uerbo. neq; id quidem iniuria. nam & nulla materia ex eo fit ignis quod lumen, sed ex eo quod calorem suscipiat igneum. Platonica ergo sententia est, inuestiganda esse diuina, scilicet illa esse, & qualia quoq; sint communi quadam perceptione: sed interim non communi, sed singulari incomparabiliq; charitate amanda: sic enim duntaxat ea nos alicubi aperte quid sint, intelligere posse atq; fore beatos. Quantum uero hæc sacris consonent literis, nemo nisi prophanus ignorat.

ARGVMENTVM IN SEPTIMAM EPISTOLAM

SEPTIMA epistola Platonis est ad propinquos amicosq; Dionis scripta, iam liberata per Dionẽ patria, & inique occiso Dione. Verum ut multa ad historiam pertinentia, tum in hac epistola, tum in alijs planè intelligantur, paulo altius repetendum. Plato ter Syracusas profectus est. Semel quidem superioris Dionysii tempore, quadraginta ætatis annos natus. Bis uero postea iuniore Dionysio tyrannidem obtinente. Quid autem in singulis profectionibus egerit, aut qua de causa profectus sit, partim in ipsa eius uita à nobis scripta, partim in his apparet epistolis. Dio uero ex eadem familia qua & Dionysius fuisse uidetur, affinitate insuper cum illo uariè implicatus. Quoniam Dionis sororem Aristomachen superior in matrimonio Dionysius habebat. At ipse Dionysii filiam nomine Aretam habebat uxorem. Dionysius autem iunior non ex sorore Dionis, sed ex alia uxore natus erat nomine Dorade. Prima profectione Dio auditor Platonis effectus, uitam ad uirtutem traduxit, & concupiscere cœpit publicum patriæ bonum. Itaq; defuncto Dionysio seniore, cum iunior Dionysius in tyrannidem successisset, ac puer adhuc ferè Dionis consilio gubernaretur, optans Dio ipsum in philosophicæ uitæ cupiditatem traducere, Platonem multis precibus Syracusas uocauit, ac Dionysium ut accerseret, induxit. Paruit ergo Plato, hac in primis spe ductus, se suis consilijs effecturum, ut illic ex tyrannide respu. fieret aut regnum. Sed quarto ferè post Platonis accessum mense Dionysius falsis adductus calumnijs, Dionem quasi tyranni di insidiantem expulit, Platonem tamen libenter amplectebatur. At Plato indignatus re infecta in patriam redijt. Tertio accessit, Dionem Dionysio reconciliaturus, & ab utroq; iterum atq; iterum obsecratus, rogatus etiam ab Archita & Archedemo Pythagoricis nobilibusq; permultis. Tunc & Dionis reuocationem pollicitus est Dionysius, & optimam insuper gubernandi formam se seruaturum. Sed nihil eorum quæ pollicitus fuerat præstitit. Cum uero Plato palàm Dionysium redargueret, quòd fefellisset fidem, tum sibi de reuocando Dione, tum Theodoti suo de Heraclide seruando, infensum deinde habuit Dionysium. Itaq; in summo uiuebat discrimine, ne à militibus interficeretur. Sed Architas Tarentinus Salmiscum oratorem misit ad Dionysium unà cum naui, rogans ut Platonẽ dimitteret. Ille eum dimisit, ac præbuit commeatum. Plato in patriam redijt sospes. Dionysium paulo post Dio clàm collectis copijs, Syracusasq; profectus expulit, Syracusanis reddita libertate. Ipse uero paulo post dolo suorum inuidiaq; interficitur. Post hæc Hipparinus Dionis filius, & Hipparinus Dionysii frater, Dionis ex sorore nepos, Syracusas tenentes consilio nobilium freti de honestiori gubernandi forma deliberabãt. Interea Dionysius hostib. coniunctis redire in principatum conabatur. Plato igitur ad hos scribit, cohortans eos & instruẽs ad optimam speciẽ gubernandi, id est regnum parens legibus, & optimatum autoritate suffultũ. Sparsim uero præcepta eiusmodi ex hac epistola colliguntur. Non est alienum à bono ingenio optare gubernacula reipub. præsertim quando necessitas postulat: à bono ciue alienum est optare hæc cum omni licentia obtinere. Nõ est prudentis temere publicis se negocijs implicare, præsertim ubi absq; salutis publicæ spe periculũ subeatur. Sola philosophia in re tam publica quàm priuata quid bonum iustumq; sit, quid non sit eiusmodi, potest discernere. Humanum genus nõ prius desinet in malis uersari, quàm aut philosophi dominentur, aut qui dominantur, deo illustrante philosophentur. Delicata luxuriosaq; educatio ingenia uel diuina deprauat. Nullus intemperans potest esse prudens. Ciuitas in qua ciues inconti nentes sunt, nulla legum potentia cõtineri potest, quin frequentes mutationes, ac semper in deterius patiatur. Violentia neq; patriæ, neq; parentibus inferenda, sed utrisq; procul à uiolentia consulendum. Autoritas antiquorum sacrorumq; sermonũ cæteris opinionibus anteponenda est. Bono uiro nihil mali potest cõtingere. Anima ab hoc corpore seiuncta sub diuini iudicis sententia scelerum luit pœnas. Præstat grauissimas iniurias pati quàm inferre. Auari atq; intẽperati adres diuinas cæci surdiq; sunt, adeò ut nec ipsi uideant, neq; ab alijs uel audire sustineant, uel auditas percipiant. Impietas omnibus peccatis mixta est, atq; uicissim. Impietas ipsa mixta peccatis, stimulus est quo præcipue peccatores tum in hac uita sollicitantur, tum in altera cruciantur. Post hæc ubi de consuetudine sua cum Dionysio, ac de philosophiæ studio scribit, probat neminem in philosophia aliquid profecturum, nisi amore sapientiæ accensus, omnes eius gratia & labores sustineat, & oblectamenta contemnat. Tum uerò quoniam sapientis est contemplari diuina, opportune ostendit diuina, neq; literis unquam uulgo, neq; uerbis exprimi posse, immo etiam non deberc. Non posse quidem, quia quod maius est, neq; etiam mente omnino comprehenduntur. Non debere etiam, quia & qui in plebe infimi sunt, tanquã monstrosa uiderent: & qui paulo in plebe superiores, his auditis uel in hæresim falsam inciderent, uel ob leuem quandam altiorum rerum opinionem uani supra modum contentiosiq; euaderẽt. Non inquit Plato usquam nihil ueri certiq; de diuinis intelligi posse: sed neq; posse exprimi, quod de his intelligitur: neq; propriam horum ueritatem intelligi eadem ratione qua cætera. Formæ quidem aliæ omnino sunt coniunctæ corporibus, aliæ penitus segregatæ. Illæ naturales, hæ diuinæ uocantur. Sunt & aliæ coniunctæ quidem quodammodo, & quodammodo separabiles, id est rationales animæ, inter diuina & naturalia mediæ. Quæ quatenus corporibus coniunctæ sunt, eatenus à diuinis necessario disiunguntur. Coniungi enim formis à materia separatis, nisi separatione non possunt. Separantur autem in materia duobus præcipue modis, tum morali purgatione, tum resolutione cõtemplatiua. Philosophiæ studium utrumq; facit: & quemadmodũ qui humidum lignum exiccat,

prius

prius sole, deinde admouet igni, occasionem quidem ligno præbet ut accendatur, neq; tamen ipse, sed ignis accēdit lignum: ita studium philosophicum & per moralem disciplinam, & purificando præparat animam ad diuina, & per contemplatiuam resoluendo admouet mentem diuinis atq; coniungit: neq; tamen ipsum diuina ueritate format mentem, sed deus ipse ignis instar mentem quasi materiam philosophiæ beneficio paratam, & propinquantem ueritatis suæ luce perlustrat. Plato igitur cum dixisset diuina neq; literis, neq; uerbis exprimi posse, significauit præterea neq; posse doceri uel inueniri eadem ratione qua cætera. In alijs enim percipiendis inquisitio nostra intellectum & parat & formati: cū tamē in diuinis percipiendis inquisitio uel purgatissima atq; eminentissima paret quidem, sed nō formet. Idcirco inquit opus esse diuturna cum diuinis consuetudine, significās speculationis assiduitatē: item uitæ coniunctione siue cōmunione, significans purificationem morali disciplina perfectam. Addit in mentem deniq; sic affectam non paulatim quidem humano quodā amore, sed subito lumen ueritatis accendi. Sed undenam? ab igne, id est à deo, prosiliente siue scintillante. Per scintillas designat ideas exēpla rerū in mēte diuina. Designat & formulas idearum nobis ingenitas. Quæ per desidiam olim consopitæ, excitātur uentilante doctrina, atq; uelut oculorum radij emicātes, ideis uelut stellarū radijs collustrantur. Subdit eiusmodi lumen non accendi solum, sed fieri in anima, ut ostendat tum formulas esse innatas animæ, tum splendorem huiusmodi familiarē euadere. Ac ne putes in eo statu mentem ambiguam sollicitamq; esse addidit: Seipsum iam alit, id est lumen hoc primū diuinitus in mente accensum, deinceps sua uirtute diuinorum haurit copiam radiorum, atq; almo mentem gaudio complet. Hic animus seipsum nutrit, id est nihil quærens extrinsecus uiuit seipso contētus, & quàm beate intus afficiatur, et si uelit, nequit tamen, & nescit exprimere. Plato quinq; in hac contemplatione meditatur gradus, quos in theologia legito diligentius à nobis expositos. Iubet enim cupidum ueritatis tum per auditum ab ipso rei nomine, tum per uisum alioq; sensus à rei ipsius accidentibus ad ipsam rei definitionē procedere, per hanc ad formulam rei innatam menti, per formulam deniq; ad ideam tam formularum quàm rerum procreatricem. Docetq; interea ideam à reliquis longe differre, quatuor præcipue modis. Quia scilicet idea substantia est, simplex, immobilis, cōtrario nō permixta. Reliqua uero quatuor, id est nomen & accidentale simulacrum & definitio & formulæ notio à substātia, simplicitate, stabilitate, puritate ideæ degenerās. Idcirco haud sufficienter ideam nobis imprimunt, sed ad diuinam impressionem nos utcunq; possunt accommodant. Deniq; mens impressa diuinitus, siquando studeat idearum characteres uerbis literisq; exprimere, pulcherrimarum rerum deformes reddet imagines. Verum si crediderit Pythagoricis, nō tā contēdet ut depingat ideas, quàm ut audientiū animos excolat, ac uelut tabellas expoliat, quibus tandē diuinæ formæ diuino digito depingantur. Ipsa sane cœlestes suspiciens radios, non conabitur apud cæcos radiorum formas frustra describere, immo si insanabiles sint, dimittet: si sanabiles, duntaxat purgare aciem aggredietur, sursumq; erigere, utpote quæ intelligat alio se pacto frustra purgaturam.

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM OCTAVAM.

IN superiori epistola principes Syracusanos instituens, latius in cōnubijs, præceptis, & in rebus à se Dioneq; gestis uersatus est: in hac uero propria iam instituta breuioribus comprehendit, medium semper inter unius ac populi gubernationē obtinens, maxime uero omniū studens, ut concilientur ciues potius quàm expellantur, & quantum fieri potest sine aliena iniuria reipub. status rite stabiliatur. Mox in principio asserit homines impio scelere pollutos insanabiles esse, neq; his ullum consilium profuturum. Item omnibus in rebus & dicendis & cogitandis à deo principium faciendum. In tota uero epistola obseruabis quàm cautus simul & clemens gubernator sit Plato, quamue diligens animorum conciliator. Comprobat, ut sui moris est, gubernationē Lacedæmoniæ similem. In qua plurimum sit optimatū, sit quoq; regia quædam forma, sit & populare nonnihil. Damnat extremam seruitutem, per quam omnia libidini humanæ subduntur. Improbat & extremam libertatem siue licentiam, in qua quilibet fermè absq; delectu sortitur reipub. gubernacula. Medium uero probat. Nota aureum dictum. Moderata seruitus est qua seruitur deo, immoderata qua hominibus. Temperatis quidem hominibus lex deus est, intemperatis uero libido.

ARGVMENTVM IN NONAM EPISTOLAM.

IN epistola ad Architam philosophum publicis rebus occupatissimum, consilium dat contemplanti, ne honestam simul & necessariam deserat actionem. Prodesse enim hominibus & publice et priuatim, actionem honestam uocat & necessariam. Honestam quidem, quia quemadmodum quodlibet corporis membrum nō suijpsius tantum est, sed aliorum etiam, maxime uero totius, ita homines alij aliorum sunt, ac potissimum speciei. Necessariam uero, quia, & nisi alijs uixeris, nō potes tibi uiuere, & nisi domesticis patriæq; succurreris, res profecto familiaris & publica uel destituta gubernatore nutabit, uel à deterioribus gubernata periclitabitur, ac deniq; faciet naufragium.

ARGVMENTVM IN DECIMAM EPISTOLAM.

ARistodemum Dionis familiarem elegãtia morum in primis philosophantẽ, in sua opinione & uita confirmat, asserens substantiam quidem philosophiæ moralem uirtutem esse, quod & nomen ipsum declarat, amore quodam cultuq; definitum. Speculationes uero humanas esse uel ornamẽta quædam philosophiæ extrinseca, uel uias ad ipsam mẽtis firmam puritatẽ quæ ad mores pertinẽt, comparandam. Qua comparata diuina potius quàm humana: & infusa desuper potius quàm acquisita sequitur contemplatio: ad quam speculatio illa prior si conferatur, ludus quidam à Platone cognominatur. Id autem Pythagoræ Socratisq; maximum est præceptum. Vbi uero ornamenta traducimus, Græcum uocabulum ornamentum significat argutæ cuidam uanitati & superbiæ mixtum. Quasi dicat: Scientia inflat, charitas ædificat. Item: In maleuolam animam sapientia non intrabit. Synceritatem quidem siue sanitatem ponit in animo simplici et tranquillo: fidem uero in uerbis: firmitatem deniq; in gestibus atq; actionibus.

ARGVMENTVM IN VNDECIMAM EPISTOLAM

PRincipi Laodamanti de gubernatione optima consultanti consuetum illud suum dat consilium, leges quidem omnes fore uanas, nisi præterea probatissimi uiri per quos uiuunt leges, ingentem in republica habuerint potestatem, ac nisi constitutus sit magistratus quidam in ciuitate, & is quidem maxima cum autoritate, qui morum censor per exploratores singulorum actiones diligenter obseruet, ad id semper intentus, ut quotidiana ciuium uita animos ad fortitudinem temperantiamq; perducat.

ARGVMENTVM IN DVODECIMAM EPISTOLAM

EPistola duodecima nobis argumento est, quàm liberalis & simplex Plato fuerit: utpote qui secretiora quædam commentaria sua nondum absoluta Architæ crediderit. Argumentum quoq; id est, Architam non minus moribus quàm uerbis philosophantem, dignum fuisse cui charissima quæq; commodo traderentur. Fortè uero commentaria hæc ad explendum Critiam non absolutũ, & ad conscribendum Hermocratem nondum compositum pertinebant. Epistolam uero ad Dionysium quæ ab ignorantibus his adiungitur ideo non traduximus, quia & ipsa epistolæ uerba, & docti omnes negant esse Platonis. Est autem operæprecium in his epistolis animaduertere, quàm magno & constanti animo Plato noster, præsertim in amicorum rebus fuerit, & quàm grauia sæpe discrimina pro amici salute subierit. Præterea quàm libere atque benigne tyrannum sæpius corripuerit, ab adulatione quidem maxime omnium alienus, charitate uero atque officio nemini cedens, ut non minus uita & moribus quàm disputationibus conducere nobis possit ad bene beateq; uiuendum.

LIBER TRIGESIMVS SEXTVS
PLATONIS EPISTOLARVM DVODECIM.

DIO DIONYSIO BENE AGERE. EPISTOLA I

EGO DVM apud uos diuturna opera ita imperium uestrum administrarem, ut cæteris utilitates uestras captantibus fidei dignitate præstarem, graues calumnias sustinui. Noui enim quod me uobis adstipulante crudele nihil omnino factum uidebitur. Omnes autem qui eadem in gubernatione uersati sunt, testes mihi esse possunt. Quorum ego permultos summo conatu à damnis non mediocribus liberaui. Imperio quinetiam apud uos fungẽs, ciuitatem uestram sæpius custodiui. Tandem uero ignominiosius à uobis expulsus sum, quàm uilissimum aliquem expelli conueniat, iussus à uobis abire, qui tam diuturnam operam uestris sum cõmodis impertitus. Igitur posthac modo quodam inhumaniori mihijpsi cõsulam. Tu autem talis tyrannus gubernabis solus. Pecuniam uero illam egregiam abs te in uiaticum missam, per Bacchium hunc unà cum his literis ad te remitto. Neq; enim ad uiaticum sufficit: neq; ad cæterã uitam satis est utilis: tibiq; danti dedecus allatura maximũ, & mihi nõ multo minus accipienti. Itaq; illam accipere nolui. Tua uero nihil interest & dare & accipere tantundem, sed illa recepta tuorũ quemuis alterũ honorabis, quemadmodum me honorasti. Ego enim abs te satis iã sum honoratus. Et mihi opportune nunc Euripidis illud uenit in mentem: te rebus quandoq; poscentibus talem tibi uirum assiste re optaturũ. Meminisse autem te uolo, & alios tragicos plurimos, cum tyrannũ aliquem pereun

pereuntem inducunt,huiuſmodi illi uoces attribuere. Heu miſer,pereo nullis fultus amicis. Auri uero defectu pereuntem aliquem nullus adhuc retulit poetarum. Illud quoque poeticum,mentem habentibus ualde probatur, Non auri fulgor in miſera mortalium uita rariſſimi,non adamas,nõ argenteæ menſæ quæ apud homines habentur in precio, ita oculis coruſcant:neq; lati fundi,aut pinguia culta tantum ualent ad uitam,quantum mẽs bonorum uirorum inter ſe conſentientiũ. Vale:atq; conſidera tantum erga nos erratum quo erga cæteros rectius te geras.

PLATO DIONYSIO BENE AGERE. EPISTOLA II

AVDIVI ex Archedemo te cenſere nõ ſolum me,ſed familiares etiam meos præter unicum Dionem nihil mali aduerſus te loqui debere uel agere. Hoc autem quod de Dione excipis,oſtendit me in familiares meos imperiũ non habere. Si enim haberem cum in alios tum in Dionem ac te imperium,tam uobis q̃ cæteris Græcis bona,ut arbitror,plurima prouenirẽt. Nunc autem hoc duntaxat magnus ſum,q̃ meipſum præſto rationi meæ obedientem. Quæ ideo dico, quia nihil ſynceri Cratiſtolus & Polyxenus ad te detulerunt. Quorum alterum dicere ferunt,audiſſe Olympijs multos eorum qui mecũ erant obtrectantes tibi. Forſitan acutius q̃ ego,ille audit. Ego enim tale nihil audiui. Videt autem mihi poſthac quoties huiuſcemodi ad te aliquid defertur,te ita facere oportere,ut ſcribas ad me, & rem ipſam perquiras. Ego enim uerum fateri nec formidabo,nec erubeſcam. Mihi autẽ & tibi ita ſe res inuicem habet. Neq; nos alicui,ut ita dicam,Græcorum incogniti ſimus: neq; familiaritatẽ noſtram huius ſeculi homines conticeſcunt:certum quoq; illud habeto, neq; poſteros tacituros. Tales ſunt qui eam exceperũt,utpote neq; paruam,neq; obſcurã. Quorſum hæc? Statim aperiam,altius rem aliquanto exorſus. Naturę quidẽ lege ſapientia potentiáq; excellens in idem tendunt. Semperq; iſta duo ſe inuicem affectant,perſequuntur,congrediuntur. Deinde etiam iſtis homines admodum delectant, quoties ſiue in carminibus poetarum,ſiue priuatis colloquijs huiuſmodi quædam referũt,aut audiunt:ceu cum de Hierone & Pauſania Lacedęmonio loquuntur homines,gaudent Simonidis familiaritatem quæ cum illis fuit cõmemorare:& quæ ad eos dixit fecitq; referre. Similiter Periandrum Corinthium,& Thaletem Mileſium unà celebrare conſueuerunt,Periclem & Anaxagoram, Crœſum atq; Solonem,ut ſapientes:& Cyrum ut potentem. Atqui hæc imitati poetæ,Creontem & Tireſiam ſimul inducunt:Polydumq; & Minoa:Agamemnonem & Neſtorem:Vlyſſem & Palamedem:atq; ut mihi uidetur, eadem ratione priſci homines Ioui Prometheum coniunxerunt. Horum uero alios conſentientes,alios diſſentientes inducunt:alios autem quandoq; concordes,quandoq; uero diſcordes. Eorumq; tam diſſenſiones q̃ conſenſiones canunt. Cuncta uero hæc ideo dixi,ut illud oſtenderẽ, q̃ etiam cum mortui fuerimus,de nobis homines non ſilebunt. Quocirca non eſt negligendũ à nobis: ſed cura habenda temporis ſubſequentis. Fit enim natura quadam,ut ignauiſſimi homines nihil curent quę ſit de ipſis futura opinio:probatiſſimi autem uiri cuncta faciant quo in futuris ſeculis bene inter homines audiant. Quam ego cõiecturam facio, eſſe aliquem ſenſum ijs qui mortui ſunt,rerum noſtrarum. Quoniam optimi animi ſic forte diuinant: deterrimi autem nequaquã. Validiora uero ſunt diuinorũ uirorum præſagia,q̃ aliorum. Puto autem,ſi liceret ſuperioribus illis defunctis de quibus loquor, ſuam cõſuetudinem emendare:plurimam operam adhibituros,ut meliores de ſe q̃ nũc opiniones circumferrentur. Hoc nobis quidem etiam nunc fauente deo facere licet: & ſi quid in ſuperiori familiaritate noſtra eſt peccatum,tam factis q̃ dictis emendare illud atq; corrigere:ut uera & optima pręſertim quantum ad philoſophiam attinet,de nobis ſuperſit opinio:ac fama noſtrarum rerum,ſiquidem bona eſt,melior:ſin mala,bona efficiatur. Atqui nos iſta curantes,nihil magis pium agere poſſemus:& negligentes, nihil æque impium & prophanum. Quemadmodum autem & hoc fieri conueniat,ac iuſte fieri poſſit, ego iam dicam. Quando in Siciliam ueni,fama erat me permultũ inter eos qui tunc philoſophabant, excellere. Cupiebã etiam cum Syracuſas ueniſſem, opinionis illius teſtem habere te:ut etiã apud multitudinem in honore mihi philoſophia eſſet. Verum nõ ſatis proſpere mihi res illa ſucceſſit. Cauſam uero huius nõ illam fuiſſe dico, quam plericq; exiſtimarẽt,ſed illam

fuisse causam affero: quòd tu non satis mihi credere uisus es, sed me quodammodo dimittere uelle: alios uero uocare: & quid mihi esset negocij inquirere, diffidens scilicet ut mihi uidebaꝫ. Et qui de ijs loquebantur, permulti erant: affirmantes quod me quidem contemneres, atq; ad alia animum intendisses. Hæc igitur tunc fama increbruit. Quid autem post hæc fieri oporteat, iam audi: ut ad illud quod interrogasti, respondeam, quo pacto nos in uicem gerere debeamus. Si tu quidem omnino philosophiã spernis, ualere sinamus. Sinautem uel ab alio audisti, uel ipse per te inueneristi meliora q̃ ea quæ à me traduntur, illa complectere. Quod si nostra tibi placent, nos quoq; maxime honorare debes. Nunc autẽ tanquam ab initio tu ducas, ego sequar. Honoratus enim à te, te honorabo: nõ honoratus autem, conquiescam. Prẽterea si tu honorare prius me cœperis, philosophiam uideberis honorare: idq; apud multitudinem quod tu in primis cupiebas, tibi gloriam pariet tanquam sapientiæ amatori. Sinautem ego te honorauero me minime honorãtem, diuitias admirari uidebor & sequi. hoc uero quàm turpe ab omnibus censeaꝫ, non ignoramus. Vt autem summatim dicam, te honorante, ambobus honor erit: me autem honorante, ambobus infamia. Et de his quidem satis. Summa uero ipsa non recte se habet. Narrabit uero ipse tibi Archedemus, cum ad te redierit. Illud autem preciosius & diuinius, de quo per illum me interrogas, omnino ipsi est ostendendũ. Ais enim, ut ille fert, nõ sufficienter tibi à me de prima natura demonstratũ fuisse. Dicendum est igitur tibi nunc per ænigmata quædam: ut siquid huic tabellæ uel mari uel terra contingat, qui eam legerit, intelligere non possit. Est aũt ita. Circa omniũ regem cuncta sunt: ipsius gratia omnia: ipse pulchrorũ omnium causa: circa secundũ secunda: tertia circa tertiũ. Humanus animus affectat qualia illa sint, intelligere: aspiciẽs in ea quæ sibi cognata sunt. quorum nihil sufficienter se habet. Sed in rege ipso, & in his quę dixi, nihil est tale. quod aũt post hoc est, animus dicit. At enim qualis hæc tua interrogatio est Dionysii & Doridis filiæ quæ malorũ omniũ causa est. Imò uero magis huius stimulus quidam animo nostro ingenitus. Quem nisi quis eruat, ueritatẽ certe nunq; assequetur. Tu hoc ad me in hortis cum essemus sub lauris, excogitauisse dixisti: ac tuam fuisse inuentionẽ. Atq; ego inquam, si hoc ita se habere tibi uideret, multis me disputationibus liberasses. Nec alium unquã huius inuentorem reperisse, plurimamq; in uestigationem meam circa id uersari. Verum tu forsan audito aliquo diuina quadam sorte eò progressus es. Demonstrationes autem eius rei nunquã firmas tenuisti, sed aliàs protulisti aliter: quatenus phantasia coniectabas. Hoc autem nihil est tale. & hoc non tibi soli contigit. Sed certo scio neminẽ quando primum me audit, aliter affici. Et alius quidem magis, alius uero minus defatigatus, uix tandem à labore cessant. Omnes autem fermè laborant nõ parum. Hęc aũt cum ita sint & fuerint, ferè inuenimus, ut opinor, quod tu per epistolam petijsti, quemadmodũ oportet inuicẽ nos habere. Postquã uero hæc & per se discusseris, & cum aliorũ opinionibus cõparaueris: modo rectum examẽ peregeris, consentientem nobis te & nostris præbebis. Quonam igitur pacto hæc & alia quæ diximus, fient? Recte tu quidem ea de causa Archedemum ad nos misisti. Ac postq; ad te reuersus sententiã tibi meam retulerit, dubitationes aliæ te forsitan capiẽt. tu uero si recte tibi consules, mittes iterum ad me Archedemũ. Ille rursus quasi mercator, non sine lucro redibit: quod si bis aut ter feceris, atq; illa quæ mittimus, diligẽter examinaueris, mirabor equidẽ si non multo melius q̃ nunc ad ea quæ dubitas te habeas. Audacter igitur id agatis. Neq; enim uel tu, uel Archedemus negociationẽ ullã suscipere potestis, quæ aut honestior sit, aut deo acceptior. Caue tamẽ ne excidant hæc unq; in aures hominum disciplinæ eruditionisq; expertium. Nulla sunt enim, ut mea fert opinio, quæ dicta ad populum magis ridicula uideantur: neq; quæ apud ingenuos prolata, magis mirabilia & diuina. Sæpe uero dicta semperq; audita & multis annis, uix tandem uelut aurum cum magno labore purificantur. Nam quod in hac re mirabile contingere consueuit, id audi. Sunt cõplures homines qui ista iam audierunt: pollentes acumine, pollentes memoria, in examinando & iudicando solertes, prouecti iam ætate, neq; minus triginta annis hæc audierũt. hi tamẽ affirmant quæ auditu quondam incredibilia maxime uidebantur, ea sibi nunc primum ualde credibilia uideri atq; perspicua: & quæ tunc probabilissima, ea nũc sibi cõtrà uideri. Hæc igitur intuens, caue ne quando te pœniteat eorum, quæ tibi indigne nunc exciderunt. Maxima uero huius rei custodia est, nihil scribere, sed addiscere. Nam quæ scribunt, con-

tineri

tineri non possunt. Hac de causa nihil ego de ijs scripsi unquam, neque est Platonis opus præscriptum aliquod, neq; erit. Quæ autem modo dicuntur, Socratis sunt: qui uir etiam dum iuuenis esset, uirtute claruit. Vale: & nobis crede. Atq; hanc epistolam, cum sæpius eam legeris, statim combure. Et de his quidem satis. Miraris autẽ quòd ad te Polyxenum non mittam. Ego autem de Lycophrone etiam & reliquis qui apud te sunt, idem iamdudum & nunc prorsus affirmo: te scilicet istis tum ingenio, tum differendi arte præstare q̃ plurimum: nec illorum quenquam sponte tibi in disputando, ut aliqui suspicantur, cedere, sed inuitos. Atqui uideris admodum modeste illis fuisse usus, & honestis eos muneribus prosequutus. Sed de ijs quidem perinde atq; de talibus talia multa licet dicere. Philistione si uti contigerit, utere quammaxime. Et si fieri potest, Speusippi utere opera, atque remittas. Eget quidem tui & Speusippus. Pollicitus autem mihi est Philistio, si abs te dimittatur, se Athenas euestigio petiturum. Lithotonienſem uero illum dimisisse, laudabile fuit. Leuis autem petitio tam de illius necessarijs, q̃ de Egesippo Aristonis filio. Nam & ad me scripsisti: siquis huic uel illis iniuriam uelit inferre, ac tu id persenseris, te minime permissurum. De Lysiclide præterea uera fateri decet. Nempe solus iste ex ijs qui Sicilia Athenas profecti sunt, nihil in tua meaq; consuetudine immutauit. Sed quæ facta sunt, quotidie uerbis pro uiribus magis honestat.

PLATO DIONYSIO. Epistola III

PETIS an rectius ponatur in salutationibus, gaudere: an quemadmodũ egò solitus sum scribere ad amicos, bene agere. Tu quidẽ, ut aiunt hi qui tecum in Delphis affuerunt, ita Deum ipsum blande alloqui, ac similiter scribere consueuisti: Gaude, uitamq; tyranni iucundã serua. Ego autem neq; Deum hoc modo, neq; hominem salutarim. Non Deum, quia cõtra illius naturam loquar. nam procul à molestia & uoluptate diuinitas. Non hominẽ, quia sæpius detrimentum & dolorem sibi affert uoluptas, hebetudinem in animo & obliuionem, insipientiam & petulantiam pariens. Et de salutatione quidem hæc mihi dicta sint. Quæ tu postquam legeris, sicuti uoles ita capies. Ferunt uero non pauci te dicere solitum ad legatos quosdã dum te adeunt, in animo habuisse Græcas ciuitates in Sicilia restituere: & Syracusanos releuare: ac pro tyrannide regiam gubernationem illis inducere. Audientem uero hæc me tibi ne faceres illa obstitisse: cum tu uehementer id cuperes. Nunc autem illa ipsa ut facias Dionem docere: ac tuis proprijs cogitationibus imperium à nobis tuum labefactari. Vtrum sermones huiusmodi aliquam tibi utilitatem ferant, tu ipse cognoscis: iniuria certe me afficis, cum contraria dicas quàm ueritas sit. Et profecto satis superq; hactenus à Philistide & alijs compluribus inuidia mihi conflata est & apud milites & apud Syracusanos. Nam cum in arce unà tecum habitarem, omnia malefacta in me conuertebantur, asserentibus qui extrà erant, te singula meo consilio facere. Cum aperte scias per pauca me tecũ de gubernatione ciuili sponte mea, atq; id ab initio tractauisse: dum aliquid posse me proficere arbitrarer, & alia quædã exigua, Legum procœmijs mediocriter incumbentẽ. Quibus tamen postea uel te uel alium audio quædam præter mentem meam inseruisse. Quæ facile internoscẽt ij qui possunt morem ingenij nostri discernere. Sed ut modo dicebam, non egeo calumnia & apud Syracusanos & apud alios, quibus me ista dicens criminaris: sed multo magis purgatione contra primam calumniam, & contra nouã nuper exortam, maiorem quidem ac uehementiorem. Ergo aduersus duas calumnias necesse est excusationem me duplicem aggredi. Primum quidem merito noluisse me de gubernatione rei publicæ tecum agere, deinde meum illud consilium non fuisse quod tu ais, ut suaderem tibi ne ciuitates Græcas restitueres. Et primum quidem de primo sic accipe. Veni Syracusas à te uocatus & à Dione, quum esset ipse Dio magnæ apud te dignitatis, mihi iampridẽ hospes, ætate uero media atq; perfecta: quibus omnino uel mediocriter prudẽs, opus esse ad res huiusmodi gerendas quales tuæ erant, existimarit. Tu uero eras admodum iuuenis, & omnium quorum oportebat te peritiam habere ignarus, mihi quoque ualde ignotus. Post hæc, siue quis homo, siue deus, siue fortuna quædã tecum, Dionem pepulit. Tu solus relictus es. An igitur communionem mihi aliquam tecum rerum ciuilium tunc relictam putas: cum uiderem prudentẽ quidem consultorem abs te pulsum: te autem imprudentem cum multis flagitiosis ita fuisse relictũ, ut non imperares, licet imperare arbitrare

ris,ſed huiuſmodi hominibus reuera ſeruires? Tunc ergo quid oportebat me facere? An nõ id quod faciebam? Abſtinere uidelicet omni gubernatione,ne inuidia maleuolorum in calumnias uocarer. Et illud omnino conari,ut uos inuicem diſſidẽtes, & longe diuiſos in priſtinam amicitiam gratiamq; reducerem. Tu mihi teſtis eſſe potes quãto conatu hoc à me negocium ſuſceptum fuerit:neq; unquam deſertum. Tandem uix ita cõuenimus,ut domum remearem,finitóq; bello quod tunc erat,ego & Dio Syracuſas rediremus:tu autem nos aduocares. Hæc ſunt acta in prima illa profectione ad te mea; & in patriam redi tu. Facta deinde pace iterum me uocaſti:non tamen ut inuicem conueneramus,unà cum Dione,ſed ſolum. Scripſiſti enim ut ipſe tunc uenirem:Dionem uero poſtea te uocaturũ. Ea de cauſa ego tunc non ueni,quod quidẽ Dioni diſplicuit,qui præſtare putabat ut parerem tibi atq; uenirẽ. Tranſacto poſt hæc anno, triremis una à te miſſa eſt: & ſimul cum illa literæ tuæ,quarũ caput erat:ſi uenirẽ,Dionis res ita fore ut ego maxime optabã. contrà uero ſi nõ uenirem. Pudet referre q̃ multæ tunc epiſtolæ ſcriptæ ſunt,tam abs te q̃ ab alijs tua cauſa,ex Italia atq; Sicilia ad me & ad multos propinquorum familiariumq; meorum:quæ omnes exhortabant̃ precabanturq; ut tibi obſecutus accederẽ. Viſum eſt igitur omnibus,& in primis Dioni,abſq; dilatione eundum eſſe. quanq; ego ob ætatem me excuſabam,& de tua conſtantia me diffidere dicebã,quaſi nequires obtrectatorib. maleuolisq; meis diſſidium inter uos quærentib. reſiſtere. Conſpexerã enim iampridem,& nunc etiam perſpicio opes tam priuatorũ q̃ principum quanto maiores ſunt,tanto magis inſidiatores,& turpiũ noxiarumq; uoluptatum machinatores nutrire. quo nihil pernicioſius gignit opulentia atq; poteſtas. Veruntamen omnibus his omiſſis,uenire decreui, ne quæ relæ materiã alicui familiarium meorũ relinquerem,q̃ cum poſſent eius res ſaluæ eſſe,ob negligentiã meam periſſent. Quæ uero poſt aduentũ meum ſecuta ſint, tu optime noſti. Cenſebam equidẽ ut ſecundum promiſſa epiſtolarũ tuarum q̃ primum Dionem reuocares,& priſtina familiaritate reciperes. cuius ego rationẽ habendam eſſe putabã. In quo ſi mihi paruiſſes,forte melius tuæ & Syracuſanorũ cæterorumq; Græcorũ res, ut mea uaticinatur opinio,ſeſe haberent. Arbitrabar deinde bona Dionis ſuis reſtitui debere,nec illis diuiſoribus quos tu præfeceras,eorum adminiſtrationẽ amplius relinqui. Iudicabã prẽterea pecuniã ſingulis annis Dioni ſolitam mitti,eſſe mittendam,nõ diminutam ob præſentiam meam,ſed magis adauctã. Cum autem horum nihil abs te impetrare poſſem,abire conſtitui. Tu uero annũ me ut expectarẽ rogaſti,affirmãs te Dionis bona omnia redditurum,ita ut media pars Corinthũ ad Dionem ipſum mitteretur, reliqua uero pro eius filio Syracuſis maneret. Multa præterea referre poſſum, quæ ꝓmiſſa à te ſeruata nõ ſunt. Sed ea ob multitudinẽ omitto. Cum enim bonorum Dionis omnium uenditionem faceres,abſq; ullo eius conſenſu: quanq; ita demũ hoc faciendum dixeras, ſi ille aſſentiretur, promiſſis omnibus ô uir mirabilis,Colophoniũ,ut aiunt,ſuffragium,finemq; glorioſiſſimum impoſuiſti. Rem profecto neq; honeſtam,neq; honorificã,neq; iuſtam,neq; utilem machinatus,me deterrere conatus es tanq; rerum illarum neſcium:quo ego pecunias ad Dionem mittendas poſtulare deſiſterẽ. Nam cum Heraclidem pelleres:quod neq; Syracuſanis,neq; mihi iuſtum uidebatur:egóq; unà cum Theodoto et Eurybio pro Heraclide deprecarer,accepta hinc quaſi ſufficienti quadam occaſione,iampridẽ te deprehendiſſe dixiſti,nullam mihi curam eſſe rerũ tuarũ, ſed Dionis ſolum eiusq; amicorum & propinquorum. Itaq; cum Heraclides & Theodotus Dionis amici ſuſpicione criminis nõ carerent,me omnia facere quo meritas pœnas nõ darent. Hæc quidem in noſtra illa ciuilis adminiſtrationis cõmunione,& quamcunq; aliam diſſenſionem nobis accidiſſe quid mirũ? Prauus enim à prudentibus uiris merito exiſtimari poſſem,ſi potentiæ tuæ magnitudine adductus,ueterẽ amicum & hoſpitẽ meum à te patria pulſum, nulla in arte,ut ita loquar, te deteriorẽ prodidiſſem atq; deſtituiſſem:te uero iniuriantẽ illi præpoſuiſſem: & omnia feciſſem quæ imperares, tuarũ ſcilicet opum gratia. Certe ſi illum tui gratia prodidiſſem: nemo aliã mutationis meæ cauſam fuiſſe dixiſſet. Hęc igiẽ ita geſta,cauſa fuerunt ſuccenſendi inter nos,& nihil cõmunicãdi. Verũ mihi opportune iam ſermo in eam trãſit partẽ, de qua ſecũdo mihi loco dicẽdũ propoſui. Attẽde obſecro diligẽter,ſi uerũ tibi dicere uideor. Dico te Archidamo præſente & Ariſtocrito,cũ eſſes in hortis uiginti ferme dies ante receſſum meũ è Syracuſis Athenas,dixiſſe mihi illa quæ nunc etiam dicis: q̃ Heraclidis

dis & aliorum omnium,magis quàm tui curam haberem. Præterea me in præsentia illorum rogasti,an meminissem cum primò Syracusas ueni,suasisse me tibi ciuitates Græcas restituere.Egóq; concessi meminisse me:& addidi etiam tunc optimum mihi uideri. Fatendum est ô Dionysi,quod subinde dictum est. petij equidem utrum id solum tibi consuluissem:an aliud præterea.Ad hæc tu iracunde nimium ac contumelioſe respondisti:& alia etiam me præcepisse.Itaq; contumelia tunc in me id fuit,ut putasti: nunc autem asseueratio pro somnio est.Rogasti autem me aperte nimium,si bene quid memini,me deridens,an ista præcepissem tibi quasi docto, an non. Respondi te id optime meminisse. At ipse ad hæc adiecisti:Vt docto in geometria,an quomodo? Tunc ego quod respondere poteram,reticui:ueritus ne uerbi alicuius exigui causa,nauigatio illa à me expectata,mihi prolata angusta fieret. Cæterum ad illud iam redeamus,quò tendunt hæc omnia.Noli inuidiam conflare mihi,dicens te prohibitum fuisse à me ciuitates Græcas dirutas à Barbaris,restituere:ac Syracusanis gubernationem pro tyrānica regiam mutare. Nihil enim de me potes mentiri,quòd à meis sit moribus alienius. Atqui si foret alicubi sufficiens huius rei iudicium,etiam alia dicerem superioribus clariora:probaremq; manifeste me suasisse tibi ut illa faceres:te autem recusauisse.Nequaquam difficile est ostendere illa futura fuisse optima & tibi & Syracusanis & Siculis omnibus.Si ergo negas te ista dixisse quum dixeris,satis equidem habeo quo te criminer.Quod si fateris,Stesichorum sapientem puta:atq; eius palinodiam,id est cantum superiori contrarium imitatus,ex mendaci sermone te ad uerum traducas.

PLATO DIONYSIO BENE AGERE. EPISTOLA IIII

PVTO manifestam esse per omne tempus propensissimam uoluntatem meam circa singula quæ contigerint,neq; occultum esse uobis,studium conficiendi fuisse mihi nõ aliam magis ob causam,quàm ut in rebus honestis honorem consequerer.Censeo enim esse iustum,ut qui reuera boni sunt uiri,& talia faciunt,dignam gloriam consequantur.Præsentia igitur,deo gratias,recte se habent. De futuris uero maximum uobis propositum est certamen.Nam fortitudine quidem,celeritate,ac robore præstare tale est, ut aliorum quoq; esse possit:sed ueritate,iustitia,magnificētia,& huiusmodi quadam honestate & dignitate præcellere,ad eos qui ista gerunt,& talium sibi gloriam uendicant,præ cæteris attinet.Manifestum sane est quod dico.Meminisse autē debemus,oportere nos, ut te non latet,plus ab alijs quàm uiros à pueris differre. Itaq; constare omnibus debet,tales nos esse,quales uideri uolumus:præsertim cum deo iuuante perfacile sit futurum.Cæteris siquidem hoc contigit,ut multa loca obire compulsi fuerint ad id consequendum: rerum uero tuarum status huiusmodi est, ut ex uniuerso, ut ita dixerim, terrarum orbe unum in locum,& in illo ipso in te unum maxime oculi omnium sint cõuersi. Tanquam igitur subiectus oculis spectatusq; ab omnibus,conare Lycurgum illum antiquũ exprimere,& Cyrum:& siquis alius uideatur unquam moribus & publicis institutis excelluisse:præsertim quum sit multorum ac penè omnium uestrorum opinio, post Dionysium sublatum res esse perituras,propter tuam & Heraclidis & Theodoti cæterorumq; nobilium ambitionem & excellendi cupiditatem.Primũ quidem optandum est,ne quisquam talis existat:quod siquis apparuerit talis,tu medebere:ut res in melius deducantur.Ridiculum tibi forte uidetur,me ista monere,cum tibi sint nota. Sed ego in theatris cõspicio, certatores à pueris prouocari,nedum ab amicis,qui beneuolētiæ studio cohortari putantur. Vos certe nunc tanquam in theatro quodam certatis. In quo si nostra opera opus est, certiores nos facite.Hic autem perinde se res habent,ut cum uos aderatis. Scribite mihi quid actum sit,quid'ue agatur.Nam licet audiamus multa,certi nihil habemus. Multæ à Theodoto & Heraclide feruntur epistolæ Lacedæmona & Æginam. Nos autem,ut dixi,audientes multa de rebus uestris,nihil aperte percipimus. Nec te lateat eam esse de te apud quosdam opinionem,quasi de homine aliquanto minus quàm decet,officioso atq; affabili.Memento igitur necessariam esse ad res gerendas,hominum beneuolentiam: austeritas uero solitudinem amicorum parit. Felix esto.

DIO Perdiccæ, bene agere. Epistola V

EVPHREO suasi quemadmodum ad me scripsisti, ut in rerum tuarũ administratione perseueraret. Est autem meum tibi quoq; & de alijs rebus, quemadmodum religio & hospitalitas postulat, consiliũ dare: & quemadmodum Euphreo uti debeas. Profecto uir ille ad multa utilis esse potest. maxime uero ad id, cuius tu plurimum indiges ob ætatem, præsertim quum haud multi reperiantur, qui de his rebus consilium iuuenibus cõmode afferre possint. Est enim uox quædam uniuscuiusq; ciuilis gubernationis: uelut animaliũ quorundam. Nam aliam popularis, aliam paucorũ, aliam unius gubernatio uocẽ emittit. Has intelligere multi profitentur, sed longe absunt ab intelligendo, præter admodũ paucos. Quæ igitur gubernatio propriam uocem erga deos & erga homines emittit, cõsentaneasq; uoci actiones reddit, ea uiret semper atq; seruabit. quod si uocem alterius imitatur, interitum recipit. Ad hæc Euphreus tibi perutilis esse poterit: quãuis & ad alia uir fortis sit. Rationes enim monarchię id est principatus unius, nõ minus q; eos qui apud te sunt, eum inuenturũ esse spero. Ad hæc igitur illo fretus, utilitatẽ ex eo percipies, & referes ipsi deinde q; plurimam. Quod si quis hæc audiens obijciat: Plato quidem profitet quæ ad populare statum conferant intelligere: nunq; tamen licet occasio data fuerit, in ciuitate sua surrexit ad consilium populo exhibendum: ad hæc respondebitur: Platonẽ sero tandem fuisse in patria, populumq; offendisse iam senescentẽ, assuefactumq; per illos qui ante se fuerant, multa diuersa facere à consilio suo. Nam libentissime ut parenti illi consuluisset, nisi frustra seipsum periculo subiecturum existimasset. Idem quoq; circa consilium mihi futurum existimo. Si enim insanabiles uideremur, re dimissa, omni de me meisq; consilio abstineret. Esto felix.

PLATO Hermiæ, Erasto, & Coriſco, bene agere. Epistola VI

MIHI quidem uidetur deorum aliquis fortunã uobis optimam, modo recte eam recipiatis, benigne abundeq; parasse. Quippe finitimi estis, & utilitatẽ uobis mutuam conferre ualetis permaximam: Hermiæ siquidem neq; multitudo equorum, neq; alius belli apparatus, neq; auri magnitudo usq; adeo uires augeret, quantum amicorum bonorum constantia atq; fidelitas. Erasto autem & Coriſco præter sapientiã istam de speciebus pulcherrimam, alia insuper affirmo, & si sum senex, opus esse sapientia aduersus improbos iniustosq; cauendi, & ad resistendum potentia. Sunt enim inexperti fraudum: quia penes nos cum hominibus uiuere diu consueti sunt minime malis. Quapropter illos huiusmodi quadam indigere dico cautione, ne compellantur ueram negligere sapientiam & humanam hanc necessariamq; sapientiam, plus quàm deceat meditari. Rursus uero eam ipsam uim mihi uidetur Hermias in primis natura usq; & arte consecutus. Quid igitur dico? Equidem Erasti & Coriſci mores ingeniaq; expertus magis quàm tu confirmo tibi, ô Hermia, denuncio, testor, non facile magis fidos homines istis finitimis esse te reperturum. Tibi itaq; consulo, ut quoad fieri potest ac licet, omni studio hos uiros complectaris. Vobis quoque ô Eraste & Coriſce consulo, ut Hermiam uicissim suscipiatis, certantes mutuo amore & beneficio, uno maxime amicitiæ nodo uinciri. At si quis uestrum coniunctionem istam dissoluere uideat, nam humana quidem mobilia sunt, huc ad me meosq; mittite accusatoriam in delinquentem epistolam. Puto enim iustitia & pudore refertos, qui à nobis proficiscuntur sermones, nisi quid magnum subsit, magis, ut dicitur, omni incantatione uos in pristinam amicitiam & cõmunionem copulaturos. Ita si philosophemur omnes, utriq; quantum ualebimus, & nostrum cuiq; concedetur, rata hæc modo edita oracula seruabuntur. Quod si ista negligamus, nihil equidem præfabor. Omen namq; bonum uobis prædico, atq; uaticinor, hæc bona omnia uos ita demum esse facturos, si deus uoluerit. Hanc uero epistolam à uobis tribus simul legendam censeo: aut saltem duobus unà legentibus, & sæpe etiam repetentibus. Vtendumq; uobis pacto & lege certa: etiam iureiurando ut æquum est interposito, non sine eleganti studio atq; huius studij sorore disciplina, testando deum rerum omnium ducem præsentium & futurarum, ac ducis & causæ patrem dominum. Quem si uere philosophemur, cognoscemus aperte omnes, quatenus felicis hominis natura pertingere potest.

Plato

PLATO Dionis propinquis & amicis, bene agere. Epistola VII

SCRIPSISTIS mihi censere uos eandem mentem in republica esse uobis conseruandam, quam Dio habuisset: meq; rogatis in communionem accedere quãtum uerbo factóq; uirium habeam. Ego autem si eam uoluntatem opinionemq; quam ille habuit, habetis, assentior uobis, & in communionem accedo. Si non habetis, de ea re consultandum etiam atq; etiam dico. Quæ uero fuerit illius mens atq; uoluntas: non ut coniectans, sed tanquam sciens referre possum. Quando ego primum Syracusas profectus sum, annos circiter quadraginta ætatis agens: Dio in ea erat ætate, qua nunc Hipparinus. & in ea quam tunc cõprehenderat opinione semper perseuerauit, Syracusanos putans esse liberos oportere: atq; optimis legibus gubernari. Itaq; nõ sit mirandum, siquis deorum hunc in eadem opinione reip. gubernandæ ipsi consentientem præstitisset. Qua uero ratione id fuerit faciẽdum, digna res est, quæ & seni & iuueni audiat. Conabor aũt, quoniam præsens tẽpus id poscit, rem omnem à principio uobis referre. Equidem adolescens dum essem, eandem quam plerique habui cupiditatem. Statueram enim cum primum mei ipsius cõpos factus essem, ad remp. me conferre. Interim talia quædam circa rempub. contigerunt. Nam quum præsens reip. status à multis improbaretur, secuta mutatio est. Tunc unus & quinquaginta uiri gubernatione suscepta: undecim in urbe, decem uero in Piræo forensiũ urbanarumq; rerum administrationẽ habebant. Sed penes triginta uiros summa erat omniũ autoritas cõstituta. Horum nonnulli domestici & noti erant mihi, qui me statim ad remp. capessendam inuitauerunt. Atq; ego nihil mirabile sum ob iuuentutem perpessus. Quippe existimabã illos ab iniusta uita ciuitatẽ ad iustos mores debere cõuertere. Itaq; diligẽter indies quid facerent obseruabã. Verum animaduerti eos breui admodũ tempore ita se gerere, ut prior ille reipub. status fuisse aureus putaret. Nam & alia multa iniuste fecerunt, & amicũ meum seniorem Socratem, quem ego iustissimũ omnium qui tunc erant, appellare non uereor, unà cum alijs quibusdam ad adducendum ciuium quendam ad se miserũt, ut ultimo supplicio afficeretur: Socratemq; ipsum uel sponte uel inuitũ quasi participem sibi cõiungerent. qui tamen parere noluit, ac potius cuncta pati grauissima cõstituit, q̃ impiorũ scelerum illis socius existere. Hæc igitur cum uiderem, & alia quædam nõ parua, grauiter tuli, & ab illis malis me recepi. Nec multo post sequuta horum triginta euersio est, totaq; resp. mutata. Rursus igitur quanq̃ moderatius, cupiebã tamen adire remp. Sed agebantur tũc etiam utpote turbata repub. quæ improbares permulta. Nec sane mirũ fuerit in huiusmodi mutationibus inimicos quosdam pœnas dare graviores, quanq̃ qui redierant, magna uterentur clementia. Iterum sorte quadam accidit, ut Socratẽ hunc amicum nostrum potentes in repub. quidam accusarent, impium crimen obijcientes, ac minime omnium ipsi conueniens. quasi enim non recte de dijs sentiret, alij quidem in iudiciũ traxerunt: alij sententiam in eum dixerunt, condemnaueruntq; : & eum hominem necauere, qui superiori tempore quo nihil impie faceret, unũ ex ipsis tunc exulantẽ ducere, atq; rei impiæ nullo modo particeps fieri sustinuerat. Cum hęc igitur animaduerterẽ, & homines qui in reip. gubernatione uersabantur, legesq; & mores, quanto magis considerarẽ, quantóq; magis ętate progrederer, tanto difficilius arbitrabar esse recte remp. gubernare. Neq; enim hoc fieri potest absq; amicis socijsq; fidelibus. Quos tũ reperire haud facile erat: nõ enim amplius patrijs moribus institutisq; ciuitas nostra gubernabat: & parare nouos impossibile erat sine summa difficultate: utpote simul legib. moribusq; penitus corruptis. Itaq; ego ille qui primus exarseram incredibili cupiditate me ad rempub. cõferendi, intuens cuncta in præceps deferri, tandem quò me uertere, nesciebam. Et ab inuestigatione quidem nequaq̃ desistere placuit: si quid forte melius eueniret & circa hęc ipsa, & uniuersam remp. agendi uero opportunitatem aliquam expectare. Tandem uero compertũ est mihi, resp. omnes quæ nunc sunt, improbe gubernari. Nam quantũ ad leges attinet, insanabiles ferme sunt: nullo instituto egregio, sed fortuna quadã uiuẽtes. Quapropter dicere adductus sum, laudans rectam philosophiã, quid iustum sit & quid nõ, tam in rep. q̃ in priuata per eam duntaxat discerni. Itaq; non prius desinere humanũ genus in malis uersari, q̃ aut homines recte ueréq; philosophantes rerumpub. gubernationem adepti fuerint: aut hi qui gubernant, diuina quadam sorte uere philosophentur. Hac ego mente Italiam Siciliamq;

adiui

adiui.hæc fuit prima in ea loca profectio mea.Eò autem quum peruenissem, uitam illam quam beatam uocant,Italicarum Syracusanarumq; mentarum plenam nullo modo probaui:bis uidelicet in die saturum fieri,& nocte nunquam iacere solum:& cætera quæ uitam huiusmodi subsequuntur. Nemo enim omnium qui sub cœlo sunt, si in huiusmodi moribus ab adolescentia nutriatur,quamuis natura & ingenio excellenti præditus, unquam tamen prudens euadet.Temperatus esse certe nunquam curabit. Eademq; erit de cæteris uirtutibus ratio.Ciuitas autem nulla legibus acquiescere poterit, si cuncta in superfluos sumptus eroganda ciues existimẽt:cæterisq; posthabitis omnibus,cõuiuijs dun taxat & uenereis oblectamentis obnixe putent operam impendendam. Necesse est huiusmodi ciuitates modo in tyrannidem,modo in paucorum potentiam,modo in popularem statum mutari:neq; unq; quiescere:iustæ uero æquabilisq; gubernationis,eos qui in his ciuitatibus potentes sunt,ne nomẽ quidem ipsum audire uelle.Hæc ego unà cum superioribus illis considerans,Syracusas profectus sum:forte quidem fortuna quadã. Videtur autem alicuius eorum opera qui supra nos sunt, principium tunc fuisse datum omnibus quæ nuper Dioni Syracusisq; contigerunt:ac uereor ne pluribus insuper,si uos mihi nunc iterum consulenti nequaquam assentiamini. Quemadmodum uero dicam omnium fuisse principium,profectionem tunc Syracusas meam accipite.Ego cum Dione tũc iuuene conuersabar frequens,& quę hominibus optima fore arbitrabar quibus poteram rationibus suadebam,& ut faceret consulebam. Sed his dicendis uideor latenter & præter intentionem tunc eam tyrannidis ruinam quæ sequuta est,parauisse.Dio enim quum esset acerrimo ingenio, cum ad cætera omnia, tum ad ea quæ tunc dicebantur à me perdiscenda,ita celeriter ac uehementer illa arripuit,ut nemo ex omnib. iuuenibus quos unquam conuenerim.Ac reliquam uitam ducere statuit multo præstantius q; alij multi Italicorum atq; Siculorũ,uirtutem potius q; uoluptatem delicias q; sectatus.Itaq; infensus uiuebat illis qui in tyrannicis institutis degebant:atq; hoc usq; ad Dionysii mortem.Postea uero animaduertit eam sententiam quam ipse rectis cõceperat rationibus, non in se uno solum uerumetiã in alijs quibusdam licet nõ multis existere,in quorum numero Dionysium iuniorem dijs bene iuuantibus sperabat fore:quod si accideret, & ille ipse & cæteri Syracusani mirificam felicitatem nancisserentur. Quapropter censuit me q; celerrime Syracusas debere accedere,ut horum socium adiutoremq; me adiungerem: memoria tenẽs quàm facile dudum mea consuetudo ipsum in cupiditatẽ uitæ pulcherrimæ atq; optimæ traduxisset.Quam cupiditatẽ si in Dionysio ut aggressus erat perficeret,magnã spem habebat absq; cædibus & sanguine,& absq; ijs quæ nunc euenerunt malis,ueram uiuẽdi rationem ac beatam uitam in uniuersa illa regione constituere posse.Hæc Dio recte considerans,Dionysio suasit ut me uocaret:& ipse quoq; rogauit, ut accedere cunctis posthabitis festinarem:prius q; ulli alij Dionysio adhærentes, neglectis optimis uitæ institutis ad alia illum deflecterẽt.Cohortationem insuper precibus longam adiunxit.Quódnam, inquit,tempus aliud iam expectamus ad agendum opportunius,quàm quod nũc nobis est diuina quadam fortuna concessum? Narrabat præterea magnitudinem imperij Dionysii per Italiam atq; Siciliam,eiusq; in his ipsis locis potentiam,iuuentam quoq; atq; cupiditatem eius ad philosophiæ & disciplinæ studia uehementissimam. Quinetiam quàm propensi forẽt eius necessarij atq; domestici cum ad eam quam suaderem disciplinam uitæ recipiendam:tum etiam quàm in ipso quoq; Dionysio ad hoc prouocando ualerent. Itaq; si unquam aliàs, nunc certe maximam adesse spem, eosdem fore & philosophos & magnarum principes ciuitatum.Ille igitur his me rationibus alijsq; generis eiusdem permultis adhortabatur.Ego uero quo tandem affectus iuuenum euasurus esset,formidabã. Talium enim cupiditates & ueloces sunt,& sæpe sibimet contrariæ feruntur.Dionem tamen tum natura grauem,tum ætate iam satis maturum esse sciebam. Itaq; cogitanti ambigentiq; mihi utrum eundum parendumq; foret,necne:subijt tandem,obsequendum esse. Atq; si quis unquam ea quæ de legibus & republica cogitauerat,perficere uelit,nunc fore tentandum.Quippe quum iudicarem si uni duntaxat persuasissem,me bona sufficienter omnia perfecturum. Quamobrem hac sententia fiduciaq; domo abiui:nõ qua opinabantur quidam:sed quadam scientiæ uerecundia in primis adductus, nequando mihijpsi uiderer uerba solum habere,effectum uero officiumq; nullum spõte præstare: proderecq;

primum

primum Dionis hoſpitalitatem amicitiamq; non paruis ſubiecti periculis. Cui ſi quid aduerſi accideret, uel pelleretur à Dionyſio cæteriſq; inimicis, atq; profugus ad nos his uerbis cõfugeret: O Plato, uenio ad te patria pulſus: cum neq; militibus, neq; equitibus carerem, quorum uiribus reſiſterem inimicis: ſed uerbis perſuaſionéq; indigerem: qua maxime ſciebam te poſſe, iuuenes ad probitatem iuſtitiamq; exhortando in amicitiam neceſſitudinemq; deuincire. Quarum defectu rerum, modo per te factum eſt ut ego Syracuſis expulſus huc acceſſerim. Et mea quidem fortuna abs te deſerta minus tibi uituperationis affert. At uero ipſa philoſophia, quam ſemper laudas, quam' ue apud alios carere honore conquereris, nónne abs te nũc unà mecum prodita eſt? Quod ſi Megaris fuiſſem, ueniſſes utiq; mihi adiutor, cum te uocaſſem: alioquin te omniũ ignauiſſimũ iudicauiſſes. Nũc autem ob itineris longitudinem, periculumq; nauigationis atq; labores, te excuſans infamiam euitare te putas. permultum certe aberit. Si inquam hæc ille diceret, quænam mihi eſſet probabilis reſponſio? Certe nulla. Quas ob res rationibus quoad fieri poteſt probabilibus atq; ipſo iure adductus acceſſi, relinquẽs conſuetudines meas ſatis quidem honeſtas, ſub tyrannidem neq; meis ſermonibus, neq; mihi conuenientẽ. Veniens autem me liberaui, ne uel hoſpitalis Iupiter, uel philoſophica ſors accuſare me poſſet. Certe philoſophiæ dedecori fuiſſem, ſi ob mollitiẽ timiditatemq; uituperari potuiſſem. Cæterum cum eò ueniſſem, neq; enim oportet longius euagari: omnia apud Dionyſium ſeditiõis plena offendi: atq; calumniarũ in Dionem, quaſi tyrannidẽ affectaret. Defendi igitur quantum ualui, ſed parum potui. Quarto enim ferè menſe poſt aduentum meum Dionyſius accuſans Dionem quaſi tyrãnidi inſidiaretur, in paruum coniecit nauigiũ, ac turpiter expulit. Amici uero Dionis, quotquot eramus, cuncti formidabamus ne fortè aliquẽ noſtrũ Dionyſius quaſi ſocium illius criminis ſupplicio afficeret. Rumor autem exortus eſt Syracuſis, me occiſum eſſe à Dionyſio, quaſi omnium quæ tunc acciderant, autorem. At ille ſentiẽs nos omnes ſic affectos, ueritus ne ex metu noſtro aliquid forſan accideret grauius, benigne admodum omnes recepit. Me certe ipſum conſolatus bonam habere ſpem iuſſit, atq; ut permanerẽ omnino rogauit. Erat enim ſibi in fuga quidem mea nihil honeſti: ſed in permanendo. Atq; idcirco precari me maxime ſimulabat. Preces autem tyrannorũ neceſſitati permixtas eſſe non ignoramus. Cum uero ne abirem machinaretur, collocauit me in arce: atq; his locis habitare uoluit, unde nullus poſthac nauta non modo prohibente illo, ſed niſi iubente atq; mittente foret abducturus: neq; quiſquam ſiue mercator ſiue alicuius prouinciæ magiſtratus, me ſolum exeuntem conſpexiſſet, qui nõ me captum ad Dionyſium repente reduceret: præſertim quum iam contrà quàm prius uulgatum eſſet, Dionyſium rurſus Platonẽ uehementer complecti. Et quodammodo ita erat. Neq; enim tacendum eſt uerum. Complectebatur ille quidem indies me magis atq; magis, & gaudebat moribus noſtris atq; conſuetudine. Cupiebatq; à me laudari magis quàm Dionem, & amicum longe magis exiſtimari. Et ad id quidem maxime contendebat. Rationem uero qua id optime fuiſſet factum, ſi modo id fieri potuiſſet, neglexit. Hæc enim fuerat, ut mihi uidelicet in audiendis addiſcendisq; philoſophiæ rationibus liberius adhæreret, mecũq; conueniret. At uero ad hoc ille diffidentior erat: timens ne quemadmodũ aſſerebant calumniatores, ſi rationibus illis implicaretur, Dio quæ cupiebat, iam eſſet omnia conſecutus. Ego autem omnia pertuli, in eadem ſententia perſeuerans, qua ab initio profectus eram: tentans ſi quo pacto fieri poſſet, ut in cupiditatẽ uitæ philoſophicæ peruenirem. At ille contrà nitens me uicit. Et primũ quidem tempus meæ profectionis in Siciliam, actionumq; illic mearum per hæc omnia traductum eſt: poſteris uero temporibus in Siciliam iterum ſum reuerſus: quò me omni ſtudio Dionyſius reuocabat. Quam uero ob cauſam rurſus acceſſerim, quid' ue illic egerim, neq; id quidem abſq; ratione, tunc demũ uobis referã, cum uobis quid potiſſimũ rebus ſic habentib. agendũ ſit, conſuluero. Referam inq; eorum gratia qui interrogant quonam conſilio ſecundò redierim. Sed ne quæ acceſſoria ſunt præcipuis anteponantur, ad conſilium iam deuenio. Reor equidem hominem conſulentem ægroto & circa uictum intemperato, in primis hoc ſuadere debere, ut modum uiuendi mutet: ac ſi ægrotus in hoc obediat, tunc alia iam illi ad medelam conferre. At ſi parere nòlit, tunc conſulentem ipſum uirũ putabo & medicum, ſi eum omiſerit: quòd ſi conſulendo ulterius perſeuerauerit, cõtrà putabo: ignauũ ſcilicet atq; artis expertẽ. Idem

quoq;

quoq; de ciuitate, siue unus eam gubernet, siue plures, existimo. Si enim probabili quadã ratione rectaq; uia incedenti, populo utile aliquid consulatur, id quidem agere, sapientis officium arbitror. Sin autem penitus à ciuili ratione desciscat, neq; uestigia quidem eius sequi uelint, dicantq; consultori: præstare ut rempublicã omittat, neq; quicquã in ea commoueat, utpote si commouerit perituro: uoluptatibus autem libidinibusq; ipsorum indulgeat: atq; ea ratione cõsulat, qua facillime semper celeriterq; satis eorum uoluptatibus fiat: equidem eum qui in eiusmodi gubernatione perstiterit, nequaquam uirum putabo: sed eum potius qui prorsus omiserit. In hac ergo sententia cõstitutus, quoties aliquis me de rebus grauioribus consulit, siue ad diuitias, siue ad corporis uel animi purgationẽ pertineant, si quotidiana illius uita modum aliquem seruare posse uideatur, uel saltem consulenti mihi uideatur obtemperaturus, libenter consulo, neque prius desino quam initium pro uiribus ad finem usq; perduxerim. Si autem aut omnino nõ petat à me consilium, aut qui petit, manifeste appareat consulenti mihi nullo modo obtemperaturus: ultro quidem non accedo ad consultandum: per uim uero, ne si meus quidem sit filius. Seruo tamen etiam inuito consulerem, ac ui adhibita compellerem. At patrem uel matrem per uim cogere nefas esse arbitror, nisi propter morbum mente alienatos. Quod si suo quodam more uiuant, qui mihi nequaquam probetur, neq; infensus aduersarer frustra monẽdo, neq; rursus blandiendo eorum cupiditatibus assentarer ea porrigens, quibus ego si indulgerem, uiuere nolim. Hac eadem mẽte circa patriam uir prudens esse debet: ut ita reprehendat ciuitatis errores, si neq; frustra sit reprehensurus, neq; ob reprehensionis studium periturus. uim autẽ patriæ per reipub. mutationem afferet nunquam: quando absq; expulsione & cæde ciuium emendari non possit. Sed quietem aget, uotoq; precabitur optima & sibi & patriæ. Hoc igitur pacto ego uobis consulerem. Consulebam similiter Dionysio unà cum Dione: ea uidelicet ratione quotidie uiuere, qua suiipsius cõpos maxime redderẽt: amicosq; & familiares fidos haberet: ne idem sibi quod & patri accideret. qui cum multas in Sicilia magnasq; urbes suscepisset, quondam à Barbaris deuastatas: easq; restituisset, nõ potuit in singulis illarum gubernatores rerumpub. constituere fidos, neq; ex domesticis suis, neq; ex alijs undecũq; comparatis, neq; ex fratribus suis iunioribus quos ipse educauerat: sed tum ex priuatis hominibus præsides, tum ex pauperibus admodũ diuites fecit. Horum tamen nullum fidum sibi gubernationis sociũ potuit adhibere, uel sua dendo, uel docendo, siue largiendo, siue in necessitudinẽ recipiendo: septies deterior Dario: qui neq; fratribus confidẽs, neq; his qui sub eo educati fuerãt, sed socijs duntaxat Midæ eunuchiq; captiuitatis, partes diuisit septẽ, singulas maiores tota Sicilia, assignauitq; singulis. Atq; eos fidos nactus est regni socios, neq; uel sibi uel inuicẽ insidiãtes. Prẽterea exemplũ dedit, qualem oportet seipsum legumlatorẽ regẽq; bonũ præstare: quippe cum leges tulerit, quibus adhuc Persarũ seruatur imperium. Accedit ad hęc quod Athenienses cum multas Græcorũ urbes non à se quidẽ sed ab alijs cõstitutas, deinde occupatas à Barbaris in potestatem suam recepissent, annos septuaginta in eas tenuerunt imperium, utpote qui amicos sibi in singulis ciuitatibus comparauerant. Dionysius autem cum in urbem unam uniuersam Siciliam congregasset, ob sapientiã nulli confidens ægre seruatus est. Carebat enim amicis fidisq; hominibus: quo nullum maius est argumentũ uel improbitatis si desint, uel probitatis si adsint. Hæc igitẽ Dionysio ego ac Dio cõsulebamus, post quam paternæ res sic se habuissent, ut neq; eruditorũ uirorum familiaritates, neq; decentes haberet consuetudines. Admonebamusq; ut animũ ad hæc intendens, in primis amicos sibi alios ex domesticis & æqualibus compararet, ad uirtutemq; concordes. Maxime uero ut seipsum sibi consentientem constantemq; præstaret: huius enim rei defectũ apud eum esse quammaximum ostendebamus, non apertis quidem nunc uerbis, neq; enim tum fuisset, sed ratione quadam latentiore idem tamen significante, docentes ita demum unumquemq; hominum tam se quàm illos quibus imperat posse seruare, si hęc obseruauerit: sinautẽ contrà se gesserit, cõtrà prorsus accidere. Quòd si ita ut dicebamus se compararet, seq; ipsum prudentẽ temperatũq; præstaret, si rursus deuastatas urbes Sicilię restitueret, ac legibus institutisq; ad rempub. pertinentibus eas muniret, ut & sibi beneuolæ, & inter se inuicẽ contra uim Barbarorũ auxilio forent, non duplicaret modo regnum paternum, uerumetiam multiplicaret. Fore quidẽ si ita se gereret ut Carthaginenses multo magis

magis faciliusq; ſuæ poteſtati ſubijcerentur, q; Geloni ſubditi fuiſſent: cõtrà, quàm patri accidit ſuo. ille enim pendere tributũ Barbaris coactus fuerat. Hæc erant quę dicebamus præcipiebamusq; Dionyſio, nos uidelicet inſidiantes ſibi, ut multi diuulgauerãt. qui & cum nos apud Dionyſium ſuperauiſſent, Dionem quidem expulerunt, nos autem in formidinem coniecerunt. Verum ut non pauca paucis cõprehendamus. Dio profectus ex Peloponneſſo atq; Athenis, rebus iam ipſis Dionyſiũ cõmonefecit. Cum ergo liberaſſet ciuitatẽ Dio: eamq; iam bis ciuibus reddidiſſet, eodem pacto affecti fuerunt aduerſus Dionem Syracuſani, quo & antea Dionyſius. Nam olim Dionyſium Dio educare atq; erudire contenderat, quo eum regem regno redderet dignum: talemq; ſe illi per omnẽ uitam præſtare ſtatuerat. Obtrectatores autem calumniatoresq; Dionyſio perſuaſerunt, Dionem quaſi tyrannidi inſidiantem in eo tempore hæc omnia machinari: ut mens Dionyſii diſciplinæ ſtudijs irretita, dominationẽ negligeret, eamq; Dioni totam relinqueret. Dio uero gubernationem dolo uſurpans, illum expelleret. Quemadmodum uero tunc apud Dionyſium, ita poſtea inter Syracuſanos hæc eadem dicta iactataq; peruicerunt, infami prorſus turpiq; uictoria his ipſis qui ſuperauerũt. Sed quale id fuerit, audire uos oportet, qui me ad res nunc ueſtras componẽdas uocatis. Veni ergo Athenienſis homo Dionis amicus atq; adiutor eius aduerſus tyrannum, ut pro bello amicitiam facerem: at pugnans contra calumniatores ſuperatus ſum. Cum uero Dionyſius conaretur non uerbis ſolum, ſed pecunijs etiam & honoribus me ſibi cõciliare atq; detinere, ut mea cum ipſo familiaritas teſtimonio foret Dionem non iniuria expulſum fuiſſe: nihil apud me hac in re tanto ſuo conatu conſequi potuit. Poſteris uero temporibus Dio rediens domum fratres duos Athenienſes ſecum duxit: non ex philoſophia ſic amicos, ſed ex hac communi uulgariq; familiaritate: quæ hoſpitalitate quadam & frequenter inter ſacra ſpectaculaq; cõſuetudine, amicitiam contrahere conſueuit. Similiter illi tum ex his quæ dixi, tum quia redeunti obſequia præſtiterunt, amicitiam cum Dione cõflauerant. Hi ergo cum in Siciliam profecti eſſent, intelligerẽtq; calumnias inter illos ipſos qui ab ipſo liberati erãt, in Dionem coniectas, quaſi tyrannidem affectaret, non prodiderũt modo amicum & hoſpitem, ſed ceu propriis manibus, ipſi percuſſores fuerunt. Arma enim tenentes interfectoribus palam auxiliati ſunt. Et facinoris quidem illius turpitudinem impietatemq; neq; prætereo equidem neq; enarro. Multi enim hæc diligentius narrauerunt, atq; narrabunt. Sed aduerſus infamiam ciuitatis noſtrę reſpondeo. Nam ſi Athenienſes fuerunt illi qui prodiderunt: ille quoq; Athenienſis fuit, qui neq; pecuniarum neq; honorum pollicitatione, ut proderet illum adduci unquam potuit. Non enim per uulgarẽ mercenariamq; beneuolentiam factus erat amicus: ſed per liberalis diſciplinæ communionem. Cui certe uni, qui ſapit, plus adhibet fidei, quàm ulli & amicorum coniunctioni & corporum conſanguinitati. Itaq; nõ tanti æſtimandi ſunt illi: ut dedecus ciuitati ob Dionis cædem afferre potuerint: quaſi alicuius pretij unquam fuerint. Hæc dicta ſunt omnia: quo Dionis amicis propinquisq; conſuleretur. Conſulo autem præterea & tertio uobis quoq; iam tertijs idem prorſum eademq; ratiõe: ne Sicilia, néue ciuitas ulla aliquibus hominibus, ſed legib. duntaxat ſubijciatur, ut noſtra fert ratio. neq; enim dominantibus ipſis, neq; ſeruientib. id utile eſt, neq; eorum filijs aut natis natorum: ſed pernicioſorum omnino hominum eſt id aggredi. Anguſti uero & illiberalis animi eſt eiuſmodi lucra præripere: nihil uel in præſens uel in futurum tempus bonorum iuſtorumq; uel diuinorum humanorum'ue intelligentis. Hæc ergo Dioni primum perſuadere conatus ſum: deinde Dionyſio, tertio uero nũc uobis. Ergo pareatis mihi Iouis tertij ſeruatoris gratia. Præterea Dionyſii Dionisq; exitum animaduertite. Dionyſius quidem non obtemperans conſilijs meis, uiuit etiam nũc non honeſte: Dio uero cum obtemperauiſſet, honeſte interijt. Ei nanq; uiro qui præclariſſima ſibi patriæq; affectat, nihil unquam niſi rectum pulchrumq; poteſt accidere. Nec uero quiſquam noſtrum natus eſt immortalis: neque ſicui id contigerit, eſſet is præterea felix ut uulgo uidetur. Rebus quidem carentibus anima nihil uel bonum eſt uel malum exiſtimatione dignum: ſed unicuiq; animæ id accidet, aut dum eſt cum corpore: aut à corpore ſeparatæ. Credendum eſt reuera ſemper antiquis ſacrisq; uerbis: quæ nobis nunciãt immortalem eſſe animam, iudicesq; habere, ſupplicia q; pati maxima: poſtquã à corpore fuerit ſeparata. Quamobrem minus malum exiſtimandũ eſt, perpeti grauiſſimas iniurias

à delinquentibus illatas,quàm inferre. Quæ quidem homo cumulãdæ pecunię deditus, & in paupertate animi constitutus non audit:ac si audiuerit, quasi suo iudicio deridenda contemnit:atq; impudẽter rapit undiq; quicquid existimat sibi ueluti bestiæ, uoluptates uentris suppeditaturum,oblectationemq; uenerem:seruilem certe atq; ingratam & absurdam,nec ueræ uoluptatis nomine dignam:& quasi cæcus non cernit se frustra contendere inexplebilem explere concupiscentiam.Neq; rursus cernit quantũ sit impietas malum,quibusq; insit rebus semper iniustitiæ mixta. Quam quidem necesse est animã quæ perpetrauerit iniusta,secum habere: & dum per terrã reuoluitur inter homines: & dum sub terram passim turpiter omnino atq; misere circunfertur. Cum igitur hęc aliaq; generis eiusdem Dioni dicerem, persuasi. Interfectoribus autẽ eius iustissime quidem irascerer,eodem quasi modo atq; Dionysio.utriq; enim & mihi & alij,ut ita dixerim,omnibus damna grauissima intulerunt. Illi quidem cum interficerent eum qui uolebat iustitia uti. Hic autem cum nullo pacto uellet iuste agere: in uniuerso regno maximam potentiã obtinuit. In quo si philosophia unà cum potentia uere in idem quasi domicilium coccurrisset,per omnes homines & Græcos & Barbaros elucentẽ ueramq; opinionem sufficienter omnibus ostendisset:neq; ciuitatem neq; hominem unquam fore felicem, nisi & cum prudentia,& sub iustitia uixerit, siue per se illas possideat,siue sub sanctorum principum moribus rite educetur atq; erudiatur. In his quidem nocuit Dionysius. Cætera uero si ad hæc comparentur,damna perexigua mihi uidentur. At enim qui Dionem interfecit, nõ intellexit, idem quod Dionysius, se fecisse. Equidem certe scio, quantum homini de homine affirmare licet,Dionem si regni gubernacula diutius tenuisset,nunquã in aliam dominandi formam fuisse conuersurum, quàm cum ab initio patriam suam Syracusas, expulsa seruitute in suo iure constituit libertatis iam splendore lætissimam: deinde omni studio ciues congruis optimisq; legibus ornaturum: præterea omnẽ diligentiam adhibiturum fuisse: quo tota inhabitaretẽ Sicilia, liberareturq; à Barbaris,alijs quidem expulsis, alijs uero subactis facilius quàm fecerat Hieron. Cum uero hæc per uirum iustum, fortem,temperatum,uel philosophum gesta fuissent, eadem apud multos uirtutis floruisset opinio:quæ & salua re apud omẽs,ut ita dixerim, homines uiguisset, si Dionysius nobis ab initio paruisset.Nunc autem siue quis dæmon, siue pernicios⁹ aliquis his sese obijciens, iniquitate & impietate: & quod pessimum est ignoranti audacia: ex qua mala omnibus omnia & radicibus hærent, & pullulant, & in posterum producunt fructum ijs qui nascentur amarissimum: cuncta hæc peruertit rursus & perdidit. Sed nũc tertio felicium auspiciorum gratia,bona duntaxat ominemur. Consulo igitur uobis amicis, ut Dionem imitemini:amorem illius in patriam uitæq; temperantiam magis magisq; cõplectentes. Quibus autem auspicijs consilia eius perficere conandum uobis sit, & qualia cõsilia fuerint:aperte quidem ex me audistis. At siquis est inter uos, qui Dorice nequeat uiuere secundum patriæ institituta, sequaturq; Siculum uiuendi morem, & eos qui Dionem occiderunt, neq; eum recipere, neq; existimare uelitis ulla in re fidelem atq; syncerum. Cæteros autem adhortari potius debetis ad habitationem totius Siciliæ disponendam, legumq; puritatem:tum ex ipsa Sicilia, tum ex omni Peloponneso: nec Athenas horrere. Sunt enim & ibi uiri uirtute omnium præstantissimi, & qui odio habeant eorum crudelitatem,qui hospitũ cæde se polluant. Verum si hæc tardiora iam sunt, urgentq; uos quotidianæ multiplicesq; seditiones atque discordiæ: intelligere unumquẽq; oportet: cui modo uel paulum rectę opinionis sors quædam diuina largita sit, nullum fore finem seditionum,malorumq; ex seditione nascentium, prius quàm illi qui uicerint prælio,à cædibus pulsionibusq; ciuium, atq; etiam iniuriarum commemoratione uindictæq; cupiditate temperantes inimicis concilientur,suiq; ipsius compotes fiant:præterea leges ferant communes nihilo magis ad uoluptatem suam quàm eorum quos uicerint:cogantq; illos his legibus uti.Cogant inquã gemina necessitatis uia:metu scilicet & pudore: metu quidem, propterea quòd potentiores sint, suam uim demonstrantes: pudore uero ex eo, quòd rursus potentiores promptioresq; appareant,tum in uoluptatibus superandis,tum in legibus obseruandis. Aliter autem nulla prorsus est uia finiendorum malorum ciuitatis in seipsa seditionibus laborantis: sed seditiones, inimicitiæ, odia, proditiones in republica, ut in ciuitatibus ita se habentibus intra se atque uicissim fieri consueuit: sem-

per exo-

per exorientur. Quamobrem qui tanquam potentiores rempub. tenent, si salutem exoptãt, ipsi inter se eligere atq; in honore prę ferre eos debẽt, quos esse audiuerint optimos: primum quidem senes qui filios & uxores habeant, atq; domicilium: ac maiores eorum quamplurimos, & probatos, & insignes, sufficiensq; omnes patrimonium possidentes. Ciuitati uero decem milium uirorum, quinquaginta eiusmodi sufficient. Hos ergo precibus honoribusq; quammaximis domo euocare debent: euocatos autẽ precari, atq; iure iurando astringere, ut leges condant, quæ neq; uictoribus, neq; uictis plus tribuãt: sed ius uniuersæ ciuitati æquum atq; cõmune. Latis deniq; legibus in hoc iam omnia cõsistunt. Si enim uictores subesse legibus uoluerint, magis etiam quàm illi qui uicti sunt: omnia iam erunt salutis, felicitatisq; plena: malaq; omnia procul aberũt. Sin minus, nec me, nec alium in commune consiliũ ad eum uocare oportet, qui præceptis eiusmodi non acquieuerit. Hæc uticq; germana sunt eorum quæ iamdiu ego ac Dio Syracusis efficere recto iudicio aggressi sumus: posteriora tamẽ. Nam prima quidem illa fuissent, quæ apud Dionysium ipsum primo, bona omnibus communia agere conati sumus. Sed fortuna quædam hominibus potentior illa dissoluit. Nunc autem uos ista conemini bona quadam sorte diuinaq; fortuna fortunatius agere. Atq; hic finis epistolæ de consilio, deq; prima in Siciliam nauigatione mea. Quod autem sequens profectio & nauigatio mea, neq; abre, neq; temere suscepta fuerit: sicui id curæ sit, audire iam licet. Primum quidem habitationis in Sicilia meæ tempus mihi transactum fuerat, quemadmodum suprà dixi, prius quàm amicis necessariisq; Dionis consilium darem: postea uero quantum potui Dionysio persuasi ut me abire permitteret. Conuenerat aũt inter nos: ut cum pax facta esset ex bello, quod tunc in Sicilia erat, statusq; illius tutius confirmatus, Dio reuocaretur, atq; ego simul accederem. Voluit autem Dionem intelligere atq; existimare se non quasi in exilio, sed in secessu quodam constitutum esse certo tempore rediturum. Ego uero consentiens recepi me ita facturũ. Sed cum postea pax secuta esset: me quidem accersiuit Dionysius: Dionem uero ad annum insuper hortatus est absentiam tolerare. Me autem, ut omnino ad eum properarem, rogauit. Dio igitur ut illuc accederem, & iubebat, & precabatur. Increbuerat enim ex Sicilia fama, Dionysium miro quodam rursus philosophiæ desiderio affici. Qua re commotus Dio, ne profectionem omitterem magnopere flagitabat. Ego uero quanquam sciebam iuuenes pleruncq; erga philosophiam affici ita solere, existimaui tamen tutius fore, ut rem totam dimitterem, neq; Dionysio, neq; Dioni parerem. Odiose igitur utriq; respondi: me uidelicet idcirco non profecturum, quia senex iam essem, & eorum quæ in præsentia fierent, nihil ita ut conuenerat, fieret. Audiui autem Architam Tarentinum interim ad Dionysium accessisse. Ego enim illum ante discessum meum nonnullosq; alios Tarentinos in Dionysii familiaritatem adduxeram. Erant & alij quidã Syracusis nonnunquam Dionis auditores: atq; inter hos alij quidam, qui alia plurima in philosophia audiuerant: qui mihi uisi sunt contendisse de rebus huiusmodi apud Dionysiũ disputare: quasi ille omnia quæ excogitauerim, audiuisset. Ille uero nec hebes est ad perdiscendum: & honoris cupiditate uehementer incensus. Placuerunt igitur sibi forte quæ dicebantur: manifesteq; erubescebat, nihil à me cum ad eũ profectus sum, audiuisse. Itaq; partim amor planius audiendi eum inuaserat: partim cupiditas gloriæ stimulabat. Quam uero ob causam in prima illa peregrinatione mea non audiuerit, in superioribus enarraui. Cum ergo domum ego sospes rediissem: atq; illi iterum reuocanti negauissem, ut dixi, usus iam mihi est Dionysius honoris sui cura prorsus ardere: ueritus ne sic acciperent homines negationem meam, quasi illum prorsus contemnerẽ: cum eius ingenium moresq; & uitam ipsa experientia cognouissem. Iustum est autem me uerum fateri: ferreq; æquo animo, siquis quæ contigerint audiens, meam quidem spernat philosophiam, tyrannum uero mentem putet habere. Misit enim Dionysius tertio ad me triremem: qua facile nauigarem. Misit & Archidemum: quem ex omnibus Architæ in Sicilia familiaribus plurimi à me fieri existimabat: atq; unà alios ex Sicilia nobiles. omnes ijsdem mihi uerbis affirmarunt Dionysium mirum in modum philosophiæ deditum esse. Misit ipse præterea pergrandem epistolam: cum sciret quẽadmodum & ipse erga Dionem afficerer, & Dionis cupiditatem id prorsus expetere, ut Syracusas me conferrem. Ad hæc igitur omnia composita epistola fuerat, tali quodam exordio. Dionysius Platoni. Legitima & cõsueta

ratione in his præfatus:nihil deinceps prius ait,quàm quòd in Siciliam pro noſtra uolun tate ueneris.Primum quidem de Dione ita fiet ut ipſe uolueris. Voles autem,ut arbitror, moderata:atq; ego concedam. At uero niſi ueneris,nihil impetrabis eorũ, quæ pro Dio ne optas:neq; in rebus alijs,neq; in ijs quæ ad perſonam ſuam ſpectantia in primis deſide ratis. Hæc ita ſcripſit. Cætera uero prolixa forent:neq; ſatis opportuna relatu : Venerunt aliæ quoq; epiſtolæ ab Archita alijſq; Italis & Tarentinis,laudantes in Dionyſio ſapien tiæ ſtudium.præterea his addebant:niſi proficiſcerer amicitiã illam quam ipſis cum Dio nyſio conflaueram,neq; paruam quidem quantum ad ciuilia ſpectat, me omnino calum nijs ſubiecturum. Cum igitur eo tempore ſic accerſerer,alijs quidem ex Sicilia atq; Italia me trahẽtibus,alijs uero precibus Athenis quaſi me impellentibus,ratioq; mihi dictaret non decere Dionem Tarẽtinosq; hoſpites & amicos prodere: atq; mihi ipſi ſuccurreret, non eſſe mirum ſiquis ingenioſus iuuenis cum prius ſermones de rebus magnis audire noluerit, mutata deinde ſententia ardore quodam uitæ optimæ accendatur: oporteregq; ipſum euidenter arguere,utram in partẽ declinet:nec ipſum prodere:nec me ipſum cau ſam illi præbere tantæ uituperatiõis ſuæ:ſi modo res eius reuera ita ut fertur, ſeſe habeãt: harum inquam rationum patrocinio protectus iter ingredior multa quidem timẽs,mul taq; fore diuinans,nec recte quidem ut uidetur. Profectus deniq; ſum tertio ſub ſeruato re. Id enim reuera conſecutus ſum.nam rurſus feliciter ſum ſeruatus. At horũ poſt deum Dionyſio habeo gratiam.quoniam cum plerisq; me interficere cuperent,reſtitit ipſe:par temq; aliquam pudoris ſui meis in rebus exhibuit. Cum itaq; ad eum peruenijſſem, ope ræprecium in primis fore cenſui;hoc ipſum examinare : utrum reuera Dionyſius amore philoſophiæ accenſus uelut igne flagraret: an uanus de eo rumor Athenas uſq; fuerit per uagatus. Eſt modus quidam experientiæ circa hęc ſumendæ:nõ ingenioſus ille quidem, ſed tyrannis reuera conueniens, his præcipue qui plurimos iam audierint.quod quidem ego ſtatim ueniens perſenſi prorſus Dionyſio cõtigiſſe. Oſtendendũ eſt utiq; illis quàm magna res philoſophia ſit:quantoq; ſtudio egeat:& quantis laboribus comparetur. Qui igitur hęc audierit,ſi reuera ſapientiam amet, eiq; natura cognatus atq; ipſius poſſeſſione ſit dignus,quaſi qui diuinus ſit,uiam ſibi mirabilem eſſe putat oſtẽſam, perq; eam ſibi o mni conatu exiſtimat gradiendũ, aliterq; facienti uiuendũ eſſe non cenſet. Itaq; ſeipſum atq; etiam huius uiæ ducem impenſius cohortatur:neq; prius deſinit, quàm uel finem o mnium fuerit conſecutus,uel ſaltem eam ſibi comparauerit facultatem, per quam ipſe ſe iam ſine duce ad terminũ perducere ualeat. Hęc igitur atq; huiuſmodi rationibus ille con ſiderans,per uniuerſam uitã,quicquid omnino agat,ante omnia eſt philoſophiæ ſemper intentus : victuq; quotidiano utitur quo maxime queat ingenium & memoriam & iudi cium conſeruare, ſeſe ſobrium præſtans,contrariumq; huic uictum ſemper odio habens. At uero qui non ſunt reuera ſapientiæ amatores , ſed opinionibus duntaxat extrinſecus colorati,inſtar eorum qui ſub ſole uruntur atq; colorantur, cum audiuerint quot diſcen da ſint, quanto labore, qua quotidiani uictus tẽperantia philoſophiæ ſtudijs neceſſaria, rem protinus ſibi duram impoſsibilemq; rati, ut operam dent adduci nõ poſſunt. Plerisq; uero ſibimet perſuadent,ſufficienter ſe omnia iã audiuiſſe,neq; ſtudio prorſus ullo ulteri us indigere. Hæc utiq; faciẽdi periculi ratio perſpicua eſt & minime fallax aduerſus eos qui proſequi præ mollitie nequeunt: ut crimen in præceptorem reijcere nunquam poſ ſint,ſed ipſi iam ſeipſos ad ea quæ philoſophiam decent peragenda redarguant ut impo tentes. Hac utiq; examinis ratione apud Dionyſium tunc uſus ſum,cuncta uero nec ego percurri:neq; Dionyſius requirebat. Nam erant permulta & maxima, in quibus ſe ſatis doctum ob ea quæ ab alijs audiuerat, exiſtimari ſtudebat. Audio uero ipſum de his quæ tunc audiuit ſcripſiſſe poſtea,quaſi artem propriam componentem : cum nihil tamen ho rum reuera ipſi ineſſet, ut equidem audio . De his uero ego nihil certi ſcio . Alios tamen quoſdam noui de rebus eiſdem ſcripſiſſe. quicunque uero hi fuerint, ne ipſi quidem ſeipſos cognouerunt. Tantum uero dicam de his omnibus qui aut ſcripſerũt,aut ſcriptu ri ſunt,ſe ſcire affirmantes quæ ſint ea quæ ipſe tanquam ſeria ſtudioſe meditor,ſiue à me ſiue ab alijs audiuerint, ſiue tanquam inuentores ipſi fuerint, nihil eos ipſa de re meo iu dicio percipere poſſe.nec enim de ipſis ſcripſi unquam,neq; ſcribam. Id nanq; nullo pa cto uerbis exprimi poteſt, quẽadmodũ cæteræ diſciplinæ: ſed ex diuturna circa idipſum conſue-

consuetudine,uitæq; ad ipsum coniunctione:subito tandem quasi ab igne scintillanti lumen refulgens in anima seipsum iam alit. Atqui tantum equidem scio: Videlicet scripta à me uel dicta optime dicerẽtur, male uero scripta non minimam mihi afferrent molestiã. Quod si scriptis uel uoce proferenda mihi in uulgum uiderentur:quid'nam pulchrius nobis in uita fieri posset, quàm rem ualde utilem hominibus afferre, atq; naturam omnibus proferre in lucem? At uero studium in his edendis,utile nõ esse reor hominibus, nisi admodum paucis:qui uidelicet exiguis ante uestigijs demonstratis,ad inueniendũ ipsi sagaces sint. Alios uero partim contemptu nefario,partim elata spe uanaq; impleuisset: quasi præclara quædam iam didicissent. Proinde longiora de ipsis dicere cogitaui. Fortè enim si hæc dicantur, nonnihil de his quæ dico clarius apparebit. Est nanq; sermo quidam uerus, obstans illi qui de rebus eiusmodi nihil omnino audet scribere: sæpe quidẽ à me aliâs dictus,& nunc,ut uidetur,dicendus. Vnicuiq; ipsorũ quæ sunt,tria sunt,ex quibus scientiam fieri necessarium sit. Quartum ipsa scientia est. Quintum uero oportet ipsum ponere quo quid est cognoscibile, id est quod agnosci potest, atq; uere existit. horũ unum est nomen:secundum oratio siue ratio quædam:tertium simulacrum: scientia quartum. De uno quouis igitur accipe,cupiens quod modo dictum est discere, deq; omnibus similiter cogita. Circulus aliquid dicitur,cui nomẽ id est quod modo pronunciabamus. Sequitur autem eius oratio siue ratio quædam ex nominibus uerbisq; composita. Quod enim ab extremis ad medium æqualiter undiq; distat, illius ratio est, quod rotundi & circunferentiæ & circuli nomine designamus. Tertium uero est:quòd pictus circulus sit uel deletus, aut torno factus uel destructus. Quorum nihil ipse circulus circa quem hæc singula sunt, patitur:utpote aliud quiddam existens. Quartum autem scientia est & intellectus,atq; uera circa hæc opinio. Hoc rursus totum tanq; unum est ponendum: quod nec in uocibus nec in corporum figuris est, sed animis. Ideoq; manifestũ est,aliud esse q̃ sit ipsa circuli natura, rursus aliud q̃ tria illa quæ suprà diximus. Horum uero ex numero, intellectus, cognatione, similitudineq; quinto proximus hæret, cætera remotiora sunt. Idem quoq; de recta & curua dici potest figura,atq; colore:deq; bono & pulchro & iusto. rursus de quo cũq; corpore,uel manu facto uel naturali,siue igni siue aqua, cæterisq; huiusmodi. similiter de omni animali,ac de moribus animorũ, atq; de actionibus passionibusq; uniuersis. Nisi enim quis in his illa quatuor quodammodo capiat,nunq; scientiæ circa quintũ perfecte particeps erit. Proinde illa non minus quale quid sit unumquodq; q̃ quid sit aggrediuntur ostendere propter rationum debilitatẽ. Quapropter nemo mentis compos audebit unquam in idem atq; id quidẽ immutabile, referre quæ ab ipso intelliguntur, atq; quatuor illa. Quod utiq; patiuntur,quæ designantur figuris. Id uero quod nunc dicimus, rursus est considerandum. Sane circulus quilibet horũ qui inter hominũ manus uel pinguntur uel torno fiunt,plenus contrarij est ad quintum. Recti nanq; unde quaq; fit particeps. Ipsum uero circulũ affirmamus neq; minus neq; magis aliquid: id est nihil omnino habere in se naturæ contrariæ, Præterea nullius horũ nomen firmitatẽ dicimus ullam habere. Nihil enim prohiberet quæ nunc rotunda nominamus,recta uocari:rectaq; rotunda:nec firmitatem ullam maiorem fore nominibus in contrarium permutatis. Eadem quoq; de oratione ratio est: cum ex nominibus uerbisq; componatur nullam omnino habentibus firmitatem. Multipliciter rursus probari potest, nullum horum quatuor certũ firmumq; esse. Maximũ uero omnium,quod paulo ante dicebamus:quòd cum duo sint, essentia & qualitas:quando animus non quale,sed quid sit quærit: nisi quodlibet horũ quatuor quæ sitũ prius ab anima tam ratione q̃ affectu, denicq; sensibus bene discussum, per oẽmia quę dicuntur atq; ostenduntur euaserit:omni ambiguitate & obscuritate,ut ita dixerim,omnes implebit. In quibus igitur haudquaq; consueti sumus ob prauam educationẽ uerum perquirere,sed satis nobis factum putamus si apposita simulacra attigerimus,minime derisui sumus inuicem interrogati interrogantibus,potentibus duntaxat quatuor illa discutere atq; arguere. Vbi uero necessitas cogit quintum ostendere, quiuis eorũ qui possint subuertere atq; retractare peruincit: facitq; ut qui exponit sermonib. uel literis uel disputationibus,apud audientium multos nihil eorum quæ uel dicere uel scribere aggreditur, intellígere uideatur. qua in re sæpe ignoratur non animum scribentis uel dicentis redargui,sed naturam potius cuiuslibet illorum quatuor se male habentis. Traductio uero per

omnia illa ſurſum deorſumq; in unum quodq; diſcurrendo perueniens, uix tandem ſcien
tiam parit intrinſecus, ſcientiã inquam ipſius quod naturaliter bene affectũ eſt in animo
ad ipſum quoq; naturaliter bene affecto. At ſi quis male affectus ſit natura, qualis natura
liter animæ habitus ineſt multis, tum ad illa quę diſcẽda ſunt, tum ad mores, corruptiq; il-
li ſunt, ne Lynceus quidẽ, ut eiuſmodi animus uideat, efficere poſſet. Atq; ut ſummatim
dicã, neq; acumẽ, neq; memoria faciet unquã, ut qui rei ipſius qua de agitur, nõ eſt cogna
tus, ipſum inſpiciat. Principiũ etenim in habitibus alienis nõ ſortitur. Quãobrẽ quicũq;
iuſtis alijsq; quotcunq; ſunt pulchra, non ſunt apti natura atq; cognati, licet alij in alia in-
genioſi ſimul & memores: rurſus quicũq; cognati ſunt quidẽ, ſed hebetes & memoria pa
rũ ualidi: nunq; ad ſummũ diſcẽdi ueritatẽ peruenient uel uirtutis, uel uitij. Neceſſe enim
eſt ea ſimul perdiſcere, & falſum ſimul & uerũ toties eſſentiæ cum omni exercitatiõe atq;
longitudine temporis: quod & ab initio dixi. Poſtquã uero ſingulatim ipſorũ nomina, ra
tiones, uiſusq; & ſenſus agitata inuicem tritaq; fuerint, benigniſq; reprehenſionibus re-
darguta, & abſq; inuidia interrogando reſpondendoq; diſcuſſa, uix tandem refulget cir-
ca unumquodq; prudentia atq; intelligẽtia, ad ſummũ omnino pro humana facultate cõ
tendens. Quãobrem permultũ abeſt, ut uir ſtudioſus de ijs quæ reuera digna ſunt ſtudio,
ſcribens, hominibus, ſe ſimul & ſua inuidiæ ambiguitatiq; ſubijcere debeat. Vno uero ex
his ſermone id intelligere licet: quãdo uidelicet qui alicuius ſcripta cernẽs, ſiue legũlato-
ris in legibus, ſiue in quibuslibet alijs aliorũ, animaduertat illa non eſſe illi tanq; omnino
ſeria ſtudioſiſſime pertractata: ſiquidẽ ſit ipſe ſtudioſus. iacẽt aũt inter ſua in regione pul
cherrima. Sin aũt reuera ipſi hęc tanq; ſeria ſtudioſe literis tradita ſunt, dij quidẽ miníme,
ſed homines mẽtem eripuerunt. Hanc utiq; fabulam digreſſionemq; quicunq; ſequetur,
plane intelliget, ſiue Dionyſius aliquid de ſummis & primis naturæ ſcripſerit, ſiue quiuis
alius aut minor aut maior, nihil eum ſyncerũ audiuiſſe uel didiciſſe eorum quę ſcripſit, ut
mea fert opinio. Alioquin pariter atq; ego ipſa ueneratus fuiſſet, neq; auſus fuiſſet unquã
temere edendo abſurditati indecentiæq; ſubijcere. Neq; uero quaſi in memoriæ ſubſidi-
um illa ſcripſit. Non enim hac in re memoriæ diffidendum: ſi id ſemel animo fuerit com-
prehenſum. Nam id totum breuiſſime omnium eſt collectum. Fortè uero turpi quadam
ambitione id fecit, uel tanq; ſua hæc aſſerens, uel tanquam particeps diſciplinæ, qua indi
gnus erat, gloriam quærens. Verum ſi ex una duntaxat cõgreſſione id Dionyſio cõtigit,
eſſet id forſan cõcedendũ. Qualis autẽ fuit? Prò Iupiter, inquit Thebanus. Percurri equi-
dem hęc illi, eo quo dixi modo, ſemelq; tantũ: poſtea uero nunq;. Poſt hæc autem cõſide-
randum eſt, ſicui cura ſit inuenire eius quod nobis circa illa accidit, cauſam: cur uidelicet
& ſecũdo, & tertio, & ſæpius ea non pertractauimus. Vtrũ Dionyſius, ipſis ſemel dunta-
xat auditis, adeo ſufficiẽter ea ſe ſcire putauerit ſatis ue norit, ſiue inuenerit ipſe ſiue ab
alijs ante didicerit: an friuola quæ dicebanť exiſtimarit. An forte præter hæc tertiũ quid-
dã acciderit: uidelicet ut ipſa haud ſuis ęqualia uiribus, ſeu maiora cenſuerit: ac reuera ſe
minime idoneũ eſſe qui ſub prudentiæ uirtutisq; diligẽtia uiuat. Si eñ friuola exiſtimaſſe
dicatur, multis certe teſtibus pro cauſa noſtra cõtrà pugnabitur: qui in rebus eiuſmodi iu
dicandis longe maiorem q; Dionyſius autoritatẽ habeant. Quod ſi inueniſſe uel didiciſ-
ſe, atq; ipſa quidẽ digna uideri, quæ liberali animo in diſciplinam adhibeantur, quis nõ id
mirum putet, Dionyſium ſic affectum horũ aliquando ducem & auctorem tam facile cõ
tempſiſſe? Quo autẽ pacto contempſerit, iam dicam. Profecto non multo poſt hoc tem-
pore patrimoniũ Dionis, q̃d prius eũ libere poſſidere, fructusq; inde percipere permitte
bat, iam uetuit omnino per eius procuratores attingi: pecuniasq; ut cõſueuerãt ad ipſum
in Peloponneſum mitti: quaſi epiſtolæ illius prorſus oblitus, quã mihi ſcripſerat. Aſſere-
bat enim res illas nõ Dionis eſſe, ſed filij: qui cum eſſet ex ſorore nepos, eum ex lege ſub
tutela ipſius eſſe. Hæc igitur uſq; ad illud tempus acta fuerunt. quæ ego cõſiderãs iam pla
ne perſpiciebam quo pacto erga philoſophiã Dionyſius fuiſſet affectus, conturbariq; li
cebat ſiue ſponte ſiue inuite. Erat iam tunc æſtas: & frequenter nauigabatur: uidebaturq;
mihi non tam de Dionyſio q; de me ipſo conquerendum, & de his qui me impulerant ut
in aſtũ Scyllæ tertio deuenirem, Charybdimq; remetirer pernicioſam. Compulſus itaq;
ſum Dionyſio dicere, nõ poſſe me ullo modo apud ſe fore, Dione tam ignominioſe con-
tempto, at ille me conſolabať, rogabatq; ut manerẽ, non putans ſibi honeſtũ, ut ego ipſo

tam ecit

tam cito horum à se factorum nuncius irem. Cum uero mihi manendum persuadere nõ posset, ipse mihi se paraturum ait, qui & quo pacto me deferrent. Ego autem in transmissorijs nauigijs traijcere constituerã: omnia esse perferẽda ducens si abire me prohiberet: quippe cum manifeste ipse nulla Dionysiũ iniuria afficiẽs, ab eo iniuria affectus fuissem. At ille cũ me nullo modo manere uelle cognosceret, quo nauigationẽ tunc meã impediret, talia machinatus est. Postridie sermonẽ ad me habuit gratiosum atq; probabilẽ. Mihi & tibi inquit, Dio Dionisq; res, quatenus discordiæ nostræ causam præbẽt, tollãtur è medio. Dioni equidem tui gratia hæc faciã. Decerno Dionem recipientẽ sua habitare in Peloponneso, non tanq; exulẽ, sed tanq; cui liceat huc proficisci, quãdo illi & mihi uobisq; amicis cõmuniter uideatur: dummodo nullam mihi iniuriam faciat. Huius autẽ rei fideiussores mihi fore te familiaresq; tã tuos q; Dionis qui hic habitãt. Dionẽ quoq; ipsum id uobis obseruaturum, sufficiẽter cõfirmare debere. Pecuniæ uero omnes quas ille acceperit, in Peloponneso & Athenis deponantur penes quos uobis uidetur. Harũ quidẽ pecuniarum fructus accipiat Dio, sed ipsas tollere nisi uobis concedẽtibus nequeat. Non eĩ confido, si pecunias susceperit, eum mihi fidem seruaturum, cum non paucæ futuræ sint. Maiorem uero tibi tuisq; habeo fidem. Considera igitur an tibi hæc placeant: maneq; horũ gratia hic annũ. quo peracto, susceptis his pecunijs abibis. Dionẽ equidẽ scio magnã tibi gratiã habiturũ: cum hæc sibi perfeceris. Cum hæc igitur audiuissem, quanq; ægre omnino ferebã, respondi tamen hac in re me consultaturũ, tempusq; respondendi in crastinum sumpsi. Atq; in hoc consentientes tunc discessimus. Consultabã itaq; posthac ipse mecũ ualde quidem ambiguus. Occurrebat aũt quasi cõsilij dux prima mihi eiusmodi ratio. Age utiq;, & si Dionysius nihil eorum quæ promittit, seruare cogitat, si tamen abeunte me, per se ac per amicos probabiliter ad Dionem scribat, quæ nunc mihi dicit, se quidẽ obtulisse ultro, me uero noluisse, resq; suas penitus neglexisse. Præterea his addebam. Si Dionysius me nolens dimittere, ideoq; nauigiũ nautasq; nõ det: imò facile cunctis significet, uelle me ipso nolente discedere: quisnã me naui asportare ex ædibus ipsis Dionysii audeat: Habitabã equidẽ, ne quid deesset incõmodi, in ipsis qui circa ædes erant, hortis. Vnde ne ianitor quidẽ nisi iubẽte Dionysio egredi permisisset. Quod si annũ permãsero habeo equidẽ quid Dioni significem, notumq; faciã in quibus sim constitutus, quid'ue agam. Ac si Dionysius nõnihil eorum quæ promittit, seruabit, opera tolerãtiaq; hæc mea non oĩno deridenda uidebitur. patrimonium nanq; Dionis non pauciorum q; centũ talentorũ, siquis recte æstimare uelit, censebit. At uero si ita res cadãt ut eas uerisimile est casuras, quò me uertã nescio. Veruntamen fortè necesse est me annũ adhuc tolerantẽ machinationes Dionysii re ipsa pro uiribus redarguere. Cũ ita mecũ cõsultauissem, sequenti mox die ad Dionysium retuli, uideri mihi manẽdũ. Sed addidi: ne existimaret me posse apud Dionem prorsus omnia quasi dominũ, ideoq; operæpreciũ esse ut una mecũ ipse quoq; ad eum scriberet, significans hæc nostra consilia, atq; interrogans utrum sibi hæc satisfaciant, necne: & nunquid aliud præter ea quiddam exigat. Idq; q; primũ inquam scribendum esse. Interea uero nihil in re Dionis ab eo noui esse tentandum. Hæc inter nos dicta sunt. In his fermè, ut nunc dico, cõuenimus. Post hæc aũt cum iam naues abijssent: ideoq; nulla mihi foret ulterius nauigãdi facultas: Dionysius quasi nonnihil prætermissi reminiscens, dimidia inquit bonorũ Dionis pars filio iure manere debet: dimidia uero ad Dionem mitti. hanc ergo uendi curabo. Qua uendita, pecuniarũ dimidium tibi tradam, quod ad Dionem perferat: reliqua uero pars penes nos pro filio reseruabitur. ita enim ius ipsum exigit. His ergo illius dictis percussus, ridiculũ putaui amplius ea de re loqui. Dixi tamẽ decere nos expectare à Dione responsum, atq; rursus hæc ipsa ad illũ rescribere. At ille pòst nimis audacter patrimoniũ Dionis totũ quãto libuit pretio & quo pacto hæc & quibus placuit uendidit. Mihi uero ea de re uerbũ omnino fecit nullum. at ego similiter posthac de re Dionis nihil ulterius locutus sum, quippe cũ nihil amplius me profecturũ existimarẽ. Hactenus hac ratione & philosophiæ & amicis auxiliũ præstiti. Post hæc autem ego & Dionysius ita uiximus, ut ego quidem semper extrà spectarẽ, quasi auis quædam alicunde cupiens euolare: ille uero assidue, quo pacto me cohiberet machinaretur, de rebus quidẽ Dionis concedens nihil. In cæteris tamen negocijs per uniuersam Siciliã amicos inter nos esse fatebamur. Eo aũt tempore Dionysius ueteranis militibus stipẽdia

minuere tentauit,præter parentis cõsuetudinẽ.Irati uero milites in unum conuenerũt, neq; id se toleraturos cõminabantur.Itaq; ille clausis ipsius arcis portis,coercere illos co-nabatur.At illi repente aduentarunt ad mœnia,clamorẽ quendã barbarũ ac bellicum at-tollentes.Quo metu conterritus Dionysius,cuncta illis consueta atq; etiã plura cõfluen-tibus illis concessit.Rumor aũt fuit Heraclidem tumultus omnis causam extitisse.Quod Heraclides quidem persentiens clam fugã arripuit.Dionysius uero cum illum capere af-fectaret,neq; inueniret,Theodotem ad se in hortos accersiuit. Eram fortè tunc & ipse in hortis perambulans.Cætera quidem quæ inter illos tractata sunt,neq; scio,neq; dum col loquerent audiui:sed quæ me præsente inquit Dionysio Theodotes & noui & memini. O Plato ait,Dionysio suadeo huic,si Heraclidẽ huc adducere potero,crimínibus in se de latis responsurũ:ac si nolit deinde eum Dionysius in Sicilia permanere, saltem permittat uxorem filiumq; suscipere,atq; in Pelopõnesum abire,ibiq; habitare,nihil ibi molientem contra Dionysium,& bonorũ quæ hic possidet fructus percipientẽ.Hac ergo fiducia He raclidem iam uocaui,atq; iterũ uocabo. Siue igitur ex prima uocatiõe siue ex secũda huc ille uenerit,cum Dionysio constituebã rogabãq; nequid Heraclidi mali inferat uel extra urbem uel in urbe.tantũ uero si uidebitur,extra fines mittatur, donec aliter Dionysio ui-deatur. Hæc inquit Dionysi,cõcedis ne? Concedo respondit,neq; etiam siquando in ædi bus tuis appareat,aliud quicq; mali esse passurũ.Sequenti uero die in ipso crepusculo Eu rybius & Theodotes ad me mirum in modum perterriti conuolarũt. Confestimq; Theo dotes,ô Plato inquit,affuisti heri conditionibus in quibus de Heraclide Dionysius me-cum tecumq; cõuenit.Affui,inquã. At ille:nunc,inquit,discurrũt satellites ad Heraclidẽ comprehẽdendũ:atq; periculũ est ne ille prope alicubi sit. Sequere ergo nobiscum omni studio ad Dionysium.Iuimus itaq;:& ingressi ad ipsum,illi quidem silẽtio stabant lachry mantes:ego uero inquam,uerentur hi Dionysi, ne tu cõtrà q̃ heri conuenerit,noui quic quam agas aduersus Heraclidem.Nam uidetur ille mihi prope alicubi diuertisse, manife steq; adesse.Dionysius uero his auditis exarsit in iras,in uariosq; se mutauit colores,qua-les ira consueuit afferre.Et Theodotes ad pedes eius procumbens,manu eius apprehen-sa multis cum lachrymis ne quid tale faceret deprecabatur. Tunc ego sermonẽ suscipiẽs eum consolaturus,Bono sis animo,inquam,ô Theodotes.Non enim aliter facere audet Dionysius q̃ heri promisit.At Dionysius tyrãnico nimiũ uultu me intuitus,Tibi,inquit, promisi nihil,siue magnũ siue paruũ.Imò uero per deos,inquam,promisisti nõ facturum te hæc ipsa,quæ nunc ne facias hic deprecat.Hæc ego locutus egredior.Post hæc Diony sius quidem Heraclidem capere conabatur. Theodotes autẽ hæc per nuncios illi signifi-cans,ut fugam arriperet admonuit.Miserat quidem Dionysius & Tisiam quendam cum satellitibus,iubens passim Heraclidẽ insequi.Sed ille,ut fertur,anticipans,& paruo quo-dam diei spatio satellites deuitans intra Carthaginensium fines se recepit. Iam uero exi ni micitijs cõtra me exortis probabilẽ Dionysius occasionẽ quam per insidias diu captaue rat,ne uidelicet ad Dionẽ pecuniæ mitterent,assecutus fuisse uideť.Ac primum quidem ex arce me amisit,occasionẽ præferens quod mulieres sacra decem dierum in quibus ha bitabam hortis essent facturæ.Itaq; me per eos dies extra arcem apud Archedemũ mane re iussit.Interea Theodotes me ad se uocãs,multa circa ea quæ tunc facta erãt,de Diony-sio conquestus est.Dionysius uero cũ audiuisset ad Theodotẽ me profectũ fuisse,nactus & hanc rursus occasionẽ contra me odij priori similem,misit ad me qui percontaret,nun quid apud Theodotẽ uocatus aliquando fuissem.Atq; ego affuisse libere confessus sum. Tunc ille:Iussit ergo,inquit,Dionysius me tibi edicere,nõ recte facere te:quod Dionem Dionisq; amicos pluris q̃ ipsum semper æstimes. Hæc dicta fuerunt. Nec unq; posthac me in suas ædes uocauit, quasi manifeste Theodotis Heraclidisq; amicũ:sibi uero inimi-cum:ac propterea infensum,quòd res Dionis iam omnino perissent.Habitabam deinde extra arcẽ inter milites mercede cõductos.Adeuntes uero me & alij quidã & ministrorũ aliqui Athenienses patria,significarũt calumnias aduersus me inter milites fuisse diffusas. Præterea quosdam comminatos esse,sicubi me nanciscantur interfecturos.Excogito igi tur euasionem eiusmodi.Mitto Tarentũ ad Architam,aliosq; amicos, significans in quo essem discrimine constitutus.Illi uero occasionẽ quandam legationis patrię nomine ex-cogitantes,Salmiscum eorũ unum,unà cum naui ordinis triginta remorum mittũt. Qui

ueniens

ueniens ad Dionyſiũ, rogauit ut me omnino pro uoluntate mea ſaluum abire permitteret, Ille autẽ aſſenſus me dimiſit cõmeatum præbens. Pecunias uero Dionis neq; ego petij, neq; quiſquam dedit. Poſt hæc cum in Peloponneſum peruenissem, ibiq; offendiſſem Dionem ludos ſpectantem Olympiacos, quæ facta fuerant, enarraui. Ille uero Iouem teſtatus, ſtatim mihi meisq; propinquis & amicis edixit, ſe pœnas à Dionyſio exacturum: tum quòd me illic hoſpitem decepiſſet: ſic enim ille & dixit & ſenſit: tũ quòd ipſum iniuſte admodum expuliſſet. Hæc ego audiens, ſuaſi ut ad hæc ſi uideret, amicos alios conuocaret. Me autem quoniam & ſua & aliorum opera quaſi uiolenta impuliſſent in Dionyſii familiaritatẽ, habitationis, uictus, ſacrorũ communione aſtrictum, putarẽt quaſi medium quendã, æquumq; utrinq; eſſe debere: præſertim cum iamdiu multis apud Dionyſiũ me calumniantibus quaſi tecum ipſi tyrannidiq; eius inſidiantẽ, ipſe non occiderit quidem, ſed reueritus ſit. Ad hæc ætatẽ meam rebus bellicis ineptam eſſe addidi: ſimulq; medium quendam me inter eos eſſe, ſiquando cõciliatore quodam opus ſit, qui reſarcire optantibus amicitiam poſsit. Quamdiu uero odijs certabitis, ad hæc tanq; propugnatores alios aduocabitis. Hæc ego inquã, peroſus errorem fortunãq; in Sicilia mihi aduerſam. Quoniam uero illi rationibus meis non obtemperauerunt, omniũ quæ ſequuta ſunt malorum ipſimet ſibi cauſam præbuere. Profecto ſi Dionyſius res Dioni ſuas reſtituiſſet, uel potius ſi omnino placatus ſuiſſet, nihil prout conditio fert humana, accidiſſet aduerſi. Nam Dionem quidem pro uoluntate mea, & cõſilio, & autoritate facile continuiſſem. Contrà uero nunc, in ſe inuicem impetum facientes omnia calamitatibus impleuere. Dio certe eãdem habebat uoluntatem, quam ego dicerem & mihi & alijs quicunq; moderati ſunt, habendam eſſe: uidelicet ut poteſtas uel propria, uel amicorum, uel ciuitatis optetur, quo in ipſis honoribus & potentijs quis conſtitutus præſertim in maximis, ſe & ſuos & patriam beneficijs iuſtis afficiat. Neq; uero id fit, ſiquis ad id duntaxat incumbat, ut diuitijs ſe amicosq;, & ut libet ærarium expleat per inſidias crudeliumq; coniurationes: ipſe pauper uidelicet impotens ſe continere, ſed præ animi anguſtia uoluptatibus ſuccumbens: præterea opulentos homines tanq; inimicos decernens trucidet, rapiatq; pecunias: atq; interea ſocijs, familiaribusq; edicat, ſibi quidẽ in his cum ſit egenus, ſuccenſendum non eſſe. Eodem modo ſiquis ſimiliter ciuitatem ſuam beneficijs afficiens honoretur ab ipſa: dum multis res paucorum ciuium per ſua decreta diſtribuit: uel ſiquis magnæ præſidens ciuitati pluribus minoribusq; ciuitatibus imperanti pecunias minorum ciuitatum iniuſte attribuat ſuæ. Hoc eñ pacto, neq; Dio, neq; alius unquam ſponte ſua ad potentiam progredi tur pernicioſam & ſibi & poſteris perpetuo futuram. Prudens uero ad conſtituendam accedit Remp. leges q; condendas iuſtiſsimas atq; optimas. et id quidem abſq; cædibus, expulſionibusq; ciuilibus. Quæ modo cum ageret Dio cõſtituens pati prophana potius q̃ facere, cauens quoq; ne ipſe pateretur, cecidit tamen cum iam ad ſummũ ſuperandorum hoſtium peruenisſet. Neq; mirũ alicui quod accidit Dioni, uideri debet. Pium eñ uirum temperatumq; & prudentẽ, omnino quidem in rebus eiuſmodi impij nunq; fallunt. Sed neq; mirandũ eũ ſi idem ipſi, quod probo gubernatori forſan acciderit: quem futura tempeſtas haud admodum lateret: ſed inſueta & idcirco improuiſa tempeſtatum magnitudo latere poteſt, ac ui latendo ſubmergere. Hoc utiq; modo Dionẽ fors aliquantũ fefelliſſe uidetur. Quod eñ mali eſſent, eũ non latebat: quamuis q̃ profunda eſſet in eis inſcitia & iniquitas uoracitasq;, latuerit. Qua quidem in re deceptus occubuit, Siciliam incredibili dolori ſubijciens. Quæ igitur poſt hæc quæ narrata ſunt uobis conſulo, hactenus quidem dicta ſint. Quibus autẽ de cauſis ipſe in Siciliã quaſi cõpulſus redierim, oſtendere arbitratus ſum oportere, necui reuerſio mea abſurda, ac præter rationẽ ſuſcepta uideretur. Quamobrẽ ſicui quæ nunc dixi probabiliora uiſa ſunt, ac ſufficientes extitiſſe occaſiones cur ita fieret, uidentur, ſatis quidem ſufficienterq; iam fuiſſe dictum putabimus.

PLATO Dionis propinquis & amicis. Epiſtola VIII



Va potiſsimum uiuendi ratione proſpere ſuccedãt res, reuera conabor uobis pro uiribus enarrare. Spero aũt nõ uobis ſolum, quæ in rem ueſtrã ſint, me cõſulturũ: quanq; uobis quidem maxime: ſed & omnibus qui ſunt Syracuſis: tertio inimicis etiã ueſtris & hoſtibus: præterq; ſiquis illorum impio ſeipſum ſcelere polluit. Hæc eñ inſanabilia ſunt, neq; expiare unq; hæc quiſquam poſſet. Conſide-

rate uero quod in præsentia dicã, omne iam uestrũ circa Siciliam omnem dissoluta tyrannide consiliũ atq; studiũ in his uersat̃. Nempe alij quidẽ affectant tyrannidem iterũ suscitare: alij tyrannidis memoriã omnem prorsus extinguere: consilium uero in eiusmodi rebus apud multos rectum ubiq; uideri solet: si ita res constituant̃, ut hostes q̃ maximis afficiant̃ malis: amicis aũt beneficij plurimũ afferat̃. At uero nequaq̃ id facile est, ut qui multa alijs inferunt damna, ipsi nõ multa uicissim ab alijs patiant̃. Neq; nunc opus est horum exempla longe perquirere: quippe cũ quæ nuper in Sicilia acciderunt, satis exemplo nobis esse possint. Cuncta enim sic accidisse uident̃, dum alij quidem inferre mala: alij uero repellere & ulcisci cõtenderent. In quibus enarrandis idonei aliorum magistri ubiq; esse potestis. Vt in his ergo percipiendis nulla fermè sit difficultas. Quę uero aut cunctis tam inimicis q̃ amicis utilia sint, aut saltẽ quæ his q̃ minimũ obsint, hæc certe ipsa, nec facile est perspicere, neq; postq̃ perspexeris, ad uotum perficere. Hæc igitur consultatio atq; in quisitio uoto persimilis esse uidetur. Ideoq; sit nobis ipsa omnino tanq̃ uotum & deprecatio quædam. Omnibus eñ in rebus & dicendis & cogitãdis principiũ semper & à dijs est sumendum. Votũ utiq; eiusmodi absolutũ talem nobis significabit rationẽ, quæ uobis simul, inimicisq; cõducat. Principio ex quo tempore bellum in Sicilia gestum est, familia una continue dominata est: quam publicis rebus præfecerunt uestri maiores, in summo tunc periculo cõstituti, cũ à Carthaginensibus premerent̃, ueniss̃etq; res in extremum discrimen, ne Sicilia quæ excolebat̃ à Græcis, iã à Barbaris euertere t̃ atq; deuastaretur. Tũc igit̃ Dionysiũ quidem elegerũt: ut iuuenem bello strenuũ: qui rebus bellicis cõuenientibus sibi præesset: Hipparinum uero utpote seniorem, consilio res moderari uoluerunt. Atq; pro totius Siciliæ salute absolutã his auctoritatem concedentes, tyrannos, ut fertur, appellauerunt. Proinde si quis fortunã quandam diuinã, deumq;, siue eorum quibus commissa res est, uirtutem, siue utrunq; unà cum temporis illius ciuibus, salutis illius causam extitisse censeat: esto id quidem, ut quisq; existimat. Salus certe hoc pacto tunc illis parta est. Quamobrem cum ita se illi gessissent, iustum erat gratiam ab illis qui seruati erant, referri. Siquid autem postea mali tyrannis ipsa munere ciuitatis abutens patrauit, habet quidẽ sceleris sui iudices: unde & pœnas persoluat. Sed quænam illis pœnæ ob ea quæ acta sunt, necessario rectęq; admoueri possunt? Si enim uel uos illorum uim facile propulsare possetis, & absq; magnis periculis laboribusq; id facere, uel illi se dominationem facile recepturos arbitrarentur: haud sanè possemus ea uobis quę nunc dicturi sumus cõsulere. Nunc uero utriq; considerare atq; meminisse debetis, quoties iam alterutri in spẽ prope certam peruenistis consequendi quod optabatis, paulum deesse opinantes ad cuncta pro arbitrio consequenda. Idipsum tamen paulum ingentium plurimorumq; malorũ ubiq; causa extitit, neq; dum peruenit ad terminum: sed continuata quadam successione, inueterati iam mali apparenti termino principium suboritur nouum. Eiusmodi uero circuitus perditurus uidetur tyrannicum genus simul atq; populare: & quantũ ueri simili ratione formidandũ portendit̃, tota Sicilia in Græcæ linguæ obliuionem lapsura uidet̃, ad Phœnicũ Opicorumq; potestatem, dominationemq; translata. Quamobrem contra hæc Græci oẽs omni prouidentia remediũ afferre debent. Siquis igitur rectius meliusq; consilium eo quod à me dicetur, adducat in mediũ, merito Græcorũ amator cognominabitur. Quæ uero quodammodo sit mea sententia, conabor nunc libere prorsus cõmuni ratione, legeq; fretus exponere. Ego igitur personam mihi arbitri assumens, quemadmodum iamdiu cõsueui, tam exercenti q̃ perferenti tyrannidem cõmuniter consulam. Atq; in primis omni tyranno: ut appellationem hanc, remq; ipsam fugiat: atq; in regnũ, si potest fieri transferat. Fieri uero posse, Lycurgus uir bonus & sapiens re demonstrauit. Is enim cũ uideret genus propriũ Argis, & apud Messenios ex regno in tyrannidem iam translatũ, ideoq; hos populos utrosq; tam seipsos perdentes q̃ ciuitates utrinq; uastasq;, timens patriæ simul & generi remedium adhibuit, senatum procreãs, Ephororumq; magistratũ in regni salutẽ. Quapropter tot iam secula seruat̃ cum gloria: postq̃ uidelicet lex auctoritatis plena hominũ regina facta est, nõ aũt homines legum tyrãni. Ad hoc ipsum in præsentia ratio mea oẽs homines cohortatur, suadens his qui tyrannidẽ affectant, declinare ac fugere indefesso quodã studio eiusmodi famescentiũ stultorũq; hominum felicitatem: atq; ad regiam gubernationis formã pro uiribus se trãsferre, legibusq; regijs ob

temperare

temperare,maximos honores ab hominibus,legibusq́ uolentibus quandoq́ reportaturis. Qui uero omnibus uiuendi præferunt libertatem,iugū uero ſeruile fugiunt tanq́ malum,ñ caueant moneo,ne inſatiabili importunæ libertatis auiditate in maiorū ſuorum incidant morbū. Quem quidē illi propterea paſsi ſunt,quòd nulli parere uolentes libertatis amore intemperanter abuſi ſunt. Qui enim ante Dionyſiū & Hipparinum in Sicilia gubernabāt,beate ſibi uiuere uidebantur,libidinibus diſſoluti,principibus imperantes. Prę terea decē ante Dionyſiū præfectos depoſitos,profligarūt, neminem ſecundū legem iudicantes,quo nulli ſubeſſent homini iuſte iudicanti,aut dominati legi,ſed omnino in ſingulis liberi forent. Qua quidem cauſa illis tyrannides exortæ ſunt. Seruitus enim ac libertas,ſi modū excedat,utraq́ mala eſt:ſi modū obſeruet,utraq́ bona. Moderata quidem ſeruitus eſt,quæ deo exhibetur:immoderata uero quæ hominibus. Deus quidem hominib. temperatis lex eſt:intēperatis uero uoluptas. Cū igitur hæc ita natura ſe habeāt,quæ conſulo,mando Dionis amicis, ea Syracuſanis omnibus promulgāda, ex communi Dionis meaq́ ſententia. Equidē uobis exponā quæ ille adhuc ſpirās locutus eſt. Quam igitur rationem,quæret quiſpiā,circa præſentia nobis Dionis conſiliū affert? hanc uero omnium primā nunc accipite. Principio leges tales ſint:quæ non ad opes pecuniasq́ cōparandas, neq́ ad libidines mentes cōuertant:ſed cū tria ſint,anima,corpus,pecunia, uirtutem animi maxime anteponant:Secundo uero loco uirtutem corporis uirtuti animi ſeruientem: Tertio ultimoq́ gradu pecuniarū precium collocēt,animo,corporiq́ miniſtrans. Quæcunq́ lex hæc efficit,recta eſt,reuera beatitudinem utentibus afferens. Locupletes uero beatos appellare,ſermo amens eſt,& infelix,mulieribus puerisq́ cōueniens:atq́ eos qui id credunt,tales efficiens. Quod autē ego nunc ad uera uos bona cohortor, ſi quæ modo dixi de legibus,deguſtetis,opere ipſo intelligetis quæ quidem examinatio in cunctis ueriſsima eſſe uidetur. Receptis uero huiuſmodi legibus,cū Sicilia in diſcrimine poſita ſit, neq́ ſufficienter uos ſuperetis,neq́ rurſus admodū ſuperemini, iuſtū fortè atq́ utile uobis omnibus erit mediū incidere,tū uobis dominationis acerbitatē fugientibus,tum aliis dominationē adipiſci deſiderantib. Quorū maiores olim, quod maximi faciendum eſt, Græcos à Barbaris ſeruauerunt: adeo ut in præſentia liceat de Repub. conſultare. Alioquin ſi tunc perditæ res fuiſſent, neq́ nunc de his loqui liceret, neq́ ſpes ulla ſupereſſet. Nūc igitur aliis quidē libertas ſit cū regia poteſtate:aliis aūt poteſtas regno ſubiecta,legibus dominātibus non aliis tantū ciuibus,ſed ipſis etiā regib. ſiquid egerint contra leges. In his autē omnibus mente à dolis aliena atq́ ſana,cū diis reges create. Primū quidem filium meum duplici gratia, mei ſcilicet gratia atq́ aui ſui. Ille enim ſua tēpeſtate patriā à Barbaris liberauit:ego uero iam bis à tyrannis. Quorum quidē teſtes mihi uos ipſi eſtis. Secundum uero regem create eū qui idem quod & pater meus nomen habet: Dionyſii inquā filiū. Atq́ id facite præſentis eius in patriā officij memores,piorumq́ eius morum, qui patre tyranno natus,patriā ſponte liberare aggreditur,pro breuiſsima iniuſtaq́ tyrannide gloriā ſibi generiq́ cōparans ſempiternā. Tertium deniq́ ad regnum Syracuſanum inuitare oportet uolentē ciuitate uolente Dionyſiū Dionyſii filium, nunc exercitus hoſtium ducem. Si uelit inquam regiæ dignitatis forma contentus uiuere,timens uidelicet fortunæ uices:& patriā miſeratus,ſacraq́ & ſepulchra maiorum:ne contentione prorſus omnia perdat,Barbaris ex patriæ infelicitate gratificans. Hos uero tres reges,ſiue illis auctoritatem eandem quam Lacedæmonij reges habent,dederitis:ſiue quid ademeritis, cōmuni conſtituetis tali quodam pacto:ut prius dictum eſt:atq́ iterum nunc audite. Si Dionyſii & Hipparini genus uoluerint pro Siciliæ ſalute his calamitatibus quæ nunc urgent, finem imponere,honores ſibi totiq́ familiæ cōparantes non ad præſens ſolum,ſed in poſterum,hac inquam conditione,quemadmodum & prius dictum eſt,ad regnum uocate: & legatos quos ipſi uelint concordiæ gratia cum publica auctoritate deligite: ſiue ex ueſtris ciuibus,ſiue ex alienis,ſiue ex utriſq́,totq́ præterea quot illi conceſſerint. Qui communi ſententia leges condant:atq́ Rempub. ita conſtituant,ut in ea reges eſſe deceat ſacrorum dominos,aliarumq́ rerum quaſcunq́ decet his concedi,quorum beneficia in patriā extant. Proinde belli paciſcq́ arbitriū habeāt cuſtodes ipſi legū creati numero quinq́ & triginta unà cū populo atq́ ſenatu. Iudicia uero diſtincta ſint alia aliorū. Mortis quidē atq́ exilij autoritas ſit penes triginta & quinq́ uiros; & præter eos,penes alios quoſdam

iudices

iudices ex illis electos qui magistratibus proxime perfuncti sunt: ita ut unus ex quolibet magistratu eligatur, qui optimus iustissimusq; appareat. Hi sequenti anno de morte & carcere et exilio sententiã ferant. Regi uero his iudicijs interesse nõ liceat: utpote sacerdoti: quem in ferenda necis, carceris exilij sententia contaminari nefas sit. Hæc equidem & dum uiuerem, cogitabam: & nunc etiam cogito facienda: atq; tunc, cum inimicos superauissem unà uobiscum, nisi externi, furiæq; obstitissent, ut decreueram, constituissem. Proinde si ad uotũ res processissent, colonis reliquam Siciliã repleuissem, Barbaris quidem ex his locis quæ nunc occupant expulsis: præterquam siqui eorum pro communi libertate contra tyrannidem pugnauerunt. Priores aũt Græcorũ locorum colonos in antiquas, patrias q; sedes restituissem. Hæc igitur eadem in præsentia omnibus consulo communi consilio deliberare & agere: atq; ad hæc agenda omnes cohortari: q; siqui dissenserint, eos cõmuni sententia hostes existimare. Neq; uero hæc talia sunt, ut fieri nequeant. Quæ enim in duorum animis consistunt, atq; his qui cõsultando perquirũt optima, mox facileq; occurrunt, ea qui impossibilia iudicat, non recte sentit. Dico autem duos, Hipparini scilicet Dionysij filij, atq; insuper mei filij animos. Arbitror enim si hi consenserint, álios quoq; Syracusanos & omnes quibus patria curæ est, consensuros. Sed dijs omnibus honores cum precibus offerentes, & alijs præterea quibuscunq; unà cum dijs uouere decet: præterea cohortantes, inuitantesq; amicos & inimicos omnino atq; benigne, nolite prius desistere quàm ea quæ à nobis dicta sunt, quasi diuina somnia uigilantibus superuenientia, perspicua quidem atq; felicia perfectissime impleatis.

PLATO Architæ Tarentino, bene agere. Epistola IX

VENERVNT ad nos Archippi Philonidisq; familiares, ferẽtes epistolam quam eis dederas, ac de rebus tuis quæ oportuit nunciantes. Publica quidem ciuitatis negotia absq; difficultate peregerunt. Neq; enim admodũ laboriosa erant. Te uero narrauerunt permoleste ferre, q; à publicis ciuitatis occupationibus liberari non ualeas. Quod igitur dulcissimũ uitæ genus sit agere sua, præsertim si quis talia elegerit faciẽda, qualia tu, omnibus fermè est manifestum. Sed illud quoq; te considerare oportet: nullum nostrũ sibi soli natũ esse: sed ortus nostri partẽ sibi patriam uendicare: partem parentes: partẽ amicos. Multa insuper pro temporũ diuersitate uobis accidere: quibus uita nostra occupata est. Vocante igitur te patria ipsa ad rempub. gubernandam, absurdum forsan esset non parere: præsertim cum simul accidat: ut aditus prauis hominibus relinquatur, qui nulla ipsius quod optimũ est ratione proficiscũtur ad publica. De his ergo iam satis. Echecratis autẽ curam habemus in præsentia habebimusq; in posterum: & tui gratia, & patris eius Phryniõnis, & propter ipsum adolescentem.

PLATO Aristodoro, bene agere. Epistola X

AVDIO te ante alios & nunc familiarem esse Dionis, & per omne tempus sapientiã morum ad philosophiã spectantiũ in primis exercuisse. Nam firmitatem, fidem, syncerítatem, uerã esse philosophiam existimo. Alias uero & ad alia declinantes scientias & facultates siquis ornamanta dixerit, recte, ut arbitror, appellabit. Sed uale iam, & in præsentibus his perseuera moribus.

PLATO Laodamanti, bene agere. Epistola XI

SCripsimus etiã prius ad te, referre multũ ad ea quæ dicis omnia, ut Athenas ipse proficiscaris. Quoniã uero ais te uenire nõ posse, secũdo id loco forer, si uel ego, uel Socrates, ut per tuas literas significasti, istuc nos conferre possemus. Verum Socrates quidẽ hoc tempore morbo stranguriæ impedit. Mihi uero istuc proficiscenti dedecus foret: si illa quorũ gratia me uocas, nequaq; perficerent. Quæ quidẽ perfici posse haud admodũ spero. Siquis aũt ea omnia referre aggrediat quorum de causa ita diffidã, prolixa opus erit epistola. Præterea per ætatem non satis corpore ualeo ad iter conficiendum, periculaq; mari terraq; obeunda, qualia iter solet obijcere. præsertim uero per id tempus omnia iter agẽtibus plena periculis sunt. Cõsulere tamen tibi colonisq; possum, quod nunc me referente, inquit Hesiodus, putare quidẽ fallax quiddam esse, difficile uero intelligere. Nam si putant aliqui legum quarumlibet positione ciuitatẽ bene quandoq; constitui posse, nisi sit aliquis cum auctoritate præsidens ciuitati, quotidianæ omnium uitæ moderator, adeo ut sit temperata & fortis tam in seruis quàm in liberis

in liberis,nõ recte putant.Proinde si sint iam apud uos uiri hac potestate digni, id fieret. Sinautem ad disciplinam opus sit aliquo:neq; qui doceat,neque qui doceatur,ut opinor, apud uos sunt:reliquum est,deos precari.Nam ferè quæ ante hoc tempus fuerunt ciuitates,sic ab initio constitutæ sunt:ac postea bene excultæ pro opportunitate magnarum rerum,tum bello,tum pace, quando in huiusmodi temporibus uir clarus & probus magnã adeptus fuerit potestatem. Prius autẽ ipsa promptissime curare oportet atq; necesse est: considerare tamen ea qualia dico:neq; temere aggredi quasi leuiter peragantur:cogitare uero quid commode fieri possit. Vale felix.

PLATO Architæ Tarentino bene agere. Epistola XII

MIRVM est quanta cum uoluptate commentaria abs te missa accepimus, eorumq; auctoris ingenio delectati sumus. Visus quidem nobis est uir ipse dignus maioribus illis iam olim suis.Ferũt uirorum decem millia fuisse:qui ex omni Troianorũ,qui sub Laomedonte secessere numero,ut fabula tradit,præstantissimi fuerunt. Cõmentaria uero quæ tu per literas à me petis, nondum absoluta sunt. Qualiacunq; tamen sunt,ad te misi. De custodia uero,idem sentimus ambo.Quapropter nihil cohortatione opus esse uidetur.

AXIOCHVS PLATONIS DE CONTEMNENDA MORTE, RODOLPHO AGRICOLA INTERPRETE.

SOCRATES. CLINIAS. AXIOCHVS.

EXEVNTI ad Cynosarges mihi, cum ad Ilissum uenissem, uox cuiusdam allata est clamantis, Socrates Socrates. Vtq; conuersus circumspectabam unde ea redderetur,Axiochi filium uideo Cliniam,ad Callirhoen currentem, cum Damone musico, Charmideq; Glauconis filio. Horum alter quidem musicam docebat:alter ex familiaritate amabat, simul atq; amabatur. Visum est ergo mihi rectà deflectenti occurrere eis: ut q̃primum conueniremus.Perfusus autem lachrymis Clinias,nunc tempus est, inquit, Socrates,ut uulgatam semper de te sapientiã ostendas.Pater enim ex aliquo iam tempore uiribus de improuiso destitutus est,& est prope exitum uitæ, molestèq; fert adesse sibi finem, tametsi antehac contemneret mortem horrenda imagine exprimẽtes , comiterq; derideret.Perge ergo,proq; tua consuetudine illum confirma:ut uolens eò quò ducit necessitas,sequatur,utq; ille mihi ad reliqua hoc ipso etiam pie colatur. SOC.Nullã me Clinia,moderatam rem rogaueris frustra,quanto nunc magis,cum ad hæc me uoces pietatis officia.Acceleremus aũt. Si enim ita se res habet,festinato opus est. CLIN. Vbi modo te uiderit Socrates,rectius habebit. Crebro enim iam euenit ei,ut exanimatus rursus reficeretur. SOC. Quo citius autem perueniremus, eà quæ circa murum cognominata est, iuimus.In proximo namq; habitabat portę quæ est apud Amazoniam columnam. Inuenimus ergo eum æquisumptis rursum sensibus,& corpore robustum,defectum uero mente,prorsusq; indigentẽ consolationis,reuoluentẽ crebro se,suspiriaq; cum lachrymis atq; manuum crepitu cientem.Aspicẽis autem illum,quid hoc,inquam,rei Axioche? Vbi nobis illa pridem magnifica uerba, cõtinentesq; laudes uirtutũ,& maius q̃ ut dici posset in te animi robur? Sicut enim timidus athleta,cum in gymnasio insignẽ te præbueris,ad certamen ipsum defecisti.An non mediate considerabis naturam uir tantus & rationi obsequens,utq; nihil aliud,Atheniensis? quòd cõmune uidelicet hoc & ab omnibus iactatũ peregrinatio quædam uita est,quodq; peragẽtes eam alacriter,& tantum non pæana canentes,ad postremam accedere necessitatẽ:tam molliter uero habere se,tamq; ægre, pueri more diuelli, nequaquam prudentiæ præ se fert altioris ætatem. AX. Recte quidem Socrates,ista mihi dicere uideris,uerum nescio quo pacto ubi propius accessi periculũ, fortia illa grandiaq; uerba occulte subteruolant atq; negligũtur. Oboritur autem metus quidam,mentem multipliciter discerpens , si hac luce, hisq; priuabor bonis, & expers mentis sensuumq; iacebo ubicunq; demum putrescens , & in puluerem uermesq; conuersus. SOC. Imperfecte coniungis Axioche, propter imperitiã cum sensuum orbitate sensum, tibiq;

tibiq́ ipſe cõtraria facis & dicis,neq; cogitas quòd ſimul quidem defles id,quod ſenſibus carebis,ſimul ob putrefactionem doles amiſſionemq́ uitæ oblectamẽtorũ,ueluti morte ſis in aliam uitam tranſiturus,neq; in omnimodã abiturus ſenſuum abolitionem, & eandem in qua prius q̃ naſcereris,fuiſti. Vt enim cũ Dracon Cliſthenesq́ gubernabant rem publicã,nihil te mali habebat(necdum enim cœperas eſſe ut male tibi quid accidere poſſet)ita neq; poſt mortẽ erit.Nullus enim ut male tibi eſſe quicq̃ poſſit, es futurus. Quintu igitur hãc omnem diſcutis ineptiã,illud cogitans,quòd ſoluta ſimul hac compage, animoq́ rurſus in proprium reſtituto locum,relictum iſtud corpus terrenũ,atq; rationis expers amplius nequaq̃ eſt homo. Nos etenim anima ſumus,animal immortale,mortali in cluſum munimento. Hoc autem tabernaculũ non ſine malo nobis circũdedit natura,cuius læta quidem abſtruſa ſunt & uolucria,pluribusq́ doloribus admixta: triſtia uero improuiſa, diuturna,prorſusq́ uacua gaudiorum. Valetudinis nempe,ſentientiũ membrorum ulcera,morbi interni.Quibus neceſſario(quoniã per corporis meatus ſparſa eſt) cõ dolens anima cœleſtem,& cognatũ deſiderat æthera,ſititq́ cupide ſupernæ illius conſuetudinem gaudiaq́ uitæ.Diſceſſus itaq; è uita mali cuiuſdam eſt in bonum commutatio.

AX. Cum malũ ergo Socrates uitam putes, quid ita uiuere perſeueras,cum rerũ ſis indagator,& nobis, id eſt multitudini,intelligentia præſtes? SOC. Nequaquã uerum de me Axioche teſtimoniũ dicis. Arbitraris enim quemadmodũ uulgus Atheniẽſium,quandoquidem res inquiro,alicuius quoq; me ſcientiã habere. Abeſt aũt tantum ut reconditiora ſciam,ut uoto optauerim etiam uulgata me iſta nouiſſe. Sunt aũt iſta quæ dico,Prodici ſapiẽtis tradita. Illa quidẽ duobus obolis,illa duabus,illa quatuor drachmis redempta. Gratis enim hic uir neminem docet,eſtq́ mos ei ſemper Epicharmi illud in ore habere, Manus manum fricat,da aliquid,& aliquid cape. Nuper ergo cum apud Calliam Hipponici filium declamaret,tantis diſſeruit contra uitam, ut ego ad ea quæ nullius ſunt momenti, aſſcripſerim illam. Ex eoq́ iam in mortem mihi animus Axioche propendet. AX. Quæ dixit autẽ? SOC. Dicam equidem tibi ea,quorum mihi ueniet in mẽtem. Quæ enim pars inquit,ætatis,calamitatibus uacat? Nõne ſtatim à principio plorat, ut primũ natus eſt in fans:uitãq́ à lachrymis auſpicatur? Quæ tandem nõ premit eum moleſtia? Semper enim uel penuria,uel frigore,uel calore,uel uerberib.urgetur. Antea quoq; quàm loqui poſſit, quanta patitur? flens ſcilicet,hancq́ ſolam habens anxietatis ſuæ querelã. Vbi ſeptimum dehinc expleuerit annum:multosq́ labores exhauſerit:iam cuſtodes,gymnaſtę,magiſtri ludi,iam adoleſcenti critici,geometræ,rei militaris præceptores:ingens plane dominorũ multitudo. Poſt iſta ubi in Ephebos inſcriptus eſt,peior iam metus,Lyceum, Academia, gymnaſiarchia,uirgæ,nullaq́ prorſus malorum mẽſura. Omnis adeo adoleſcẽtis ſub moderatoribus eſt labor:qui ex Areopagi delecti cõſilio præſunt iuuentuti.deinde cum fuerit iſtis exolutus,iam curæ palàm emergunt,reputatioq́ q uiuendi potiſſimum inſtituat iter:præq́ ſequentibus incõmodis priora illa puerilia uidentur,& infantiũ reuera territamenta:expeditiones enim & uulnera,perpetuiq́ certaminũ labores. Hinc iam fallẽs ſubrepit ſenectus:in quam cõfluit quicquid eſt infirmum fragileq́ naturæ. Quod niſi ocyus quis uitam uelut æs alienũ reddiderit:aſtans ſupra caput natura tanq̃ fœnerator repoſcit uſuram. Ab alio quidem uiſum,auditũ ab alio:perſępe utrũq;, at ſi quis diutius cũctetur, debilitat eum,excruciat,membrisq́ deſtituit. Alij itaq; multa ſenectute repueraſcũt:animoq́ bis pueri fiunt ſenes. Dij ergo propter hoc ipſum (ut quibus notiſſimæ ſint res humanæ) quos plurimi faciunt:eos citius auferunt è uita. Agamedes & Trophonius itaq;, cum Pythij Apollinis ædificaſſent templũ:orantes dari ſibi quod optimũ eſſet:quum obdormiuiſſent,nunq̃ deinde ſurrexerunt. Sic etiam Iunonis Argiuæ ſacerdotes, precante matre eorũ,ut gratiam eis aliquã Iuno pietatis illorum referret.cum enim cunctarẽtur iumenta, ſuccedentes ipſi uehiculo matrem ad templum pertraxerant. Poſt preces ergo nocte deceſſerunt. Longum foret aũt poetarum dicta recenſere:qui diuinioribus poematis ea quę ad uitam pertinẽt noſtrã,uelut ex oraculo decantant,quemadmodũ deplorent illam. Vniusq́ ſolũ memoratu digniſſimi ſat habeo meminiſſe:qui inquit: Quàm ſuperi miſerum ſtamen mortalibus æui Neuere, ut uiui deflenda per omnia durent. Iterumq́: E cunctis hominũ generi ſors peſſima uitæ Stat, quæcunq; ſupra terrã ſpirantq́ meãtq́. De Amphiarao uero quid dicit? Iuppiter hunc totis animis, hunc magnus Apollo Dili

git, &

git,& iusti metas non attigit æui. De illo quoq; qui ita iubet: Nascens fleat, qui tanta uitæ intrat mala: quid tibi uidet? Sed cesso: ne cõmemorando alios, rem cõtrà q̃ instituí longius ducam: Quod aũt uitę quisquam institutũ, quam'ue artem deliget, ut non queat̃ de ea, atq; præsentibus offendat̃? Opifices, mercenarias q; recenseamus artes: ex nocte in noctem usq; laborãtes, & uix tolerantes uitæ necessarios sumptus, cõplorantes seipsos, omnem q; uigiliã suam mœrore lachrymis q; cõplentes. At nautam dicamus, per tanta penetrãtẽ pericula, quic̃q;, quemadmodũ Bias ait, neq; inter mortuos est, neq; inter uiuos. Terrestris enim homo uelut ambigui generis, ipse in mare sese proiecit: totus q; arbitrij factus est fortunæ. Verũ dulcis est agricultura. Est sanè. nõne tota tamen est, quod aiunt, ulcus, semper paratã doloris habẽs causam, nunc quidẽ siccitatem, nũc pluuias, nũc uredinem, nunc rubiginẽ, nunc uel æstum intempestiuũ, uel frigus conquerens? Illa quoq; honorata in primis reipub. cura, multa enim prætereo, per quantas rapitur anxietates? Quæ gaudia quidẽ habet furũculi in modũ trepida semper, atq; stimulis repleta, repulsas uero acerbas & millies morte peiores. Quis enim beatus esse possit uulgi uiuẽs arbitrio? tametsi faueatur ei plaudaturq;, populi scilicet ludicrũ iactatus, exibilatus, damnatus, mortuus, & tum miserãdus uisus. Vbi nãq; Axioche tu qui in repub. uersaris, ubi Milciades, ubi Themistocles, ubi Ephialtes abijt, ubi itẽ qui nuper in repub. duces fuerunt? quando ego quidem in eam nõ sum adductus sententiã. Neq; enim honestum mihi uidebat̃, ut insanienti populo dominationis particeps fierẽ. Theramenes autẽ & Calixenus deinde cõstitutos præficientes magistratus, ut indemnati necarent̃ homines effecerunt: tuq; cum Triptolemo resistebas illis solus è trigínta millibus in concionẽ coactis. AX. Sunt ista Socrates ut dicis itaq; ex eo suggesti me satietas cepit, neq; mihi quic̃q; acerbius repub. uisum est. Perspicuũ id quidem illis qui in ipso sunt negotio uersati. Tu nãq; dicis hæc, ueluti qui de sublimi spectaueris: nos uero qui fecimus periculũ, quanto exactius scimus? Populus em̃ chariſſime Socrates, ingratus est, morosus, crudelis, inuidus, immodestus: ut qui sit ex colluuie turbæ, & stultis insolentibus collectus. Huic aũt qui assentatur, multo ipse miserior est. SOC. Quando igitur Axioche hãc quæ liberalis maxime omniũ est artium, omnium maxime abominandã putas, quid reliqua uitæ genera? an non putabimus prorsus esse fugienda? Audiui etiam Prodicũ quandoq; dicẽtem, quod nihil quic̃q; neque ad uiuentes mors, neq; ad defunctos pertineret. AX. Quomodo dicis ista Socrates? SOC. Quoniam neq; circa uiuentes est: hi uero qui obierunt, non sunt amplius. Itaq; neq; apud te est: non dum em̃ obijsti. neq; siquid tibi accidat, est circa te futura. non enim eris. Stultus est igitur dolor de Axiocho, qualis neq; est, neq; futurus sit, Axiochũ mente torqueri: sitq; simile, ueluti si Scyllam, aut si quis Centaurũ reformidet, quæ neq; iam imminent tibi, neq; sint unq; ad exitium tuũ affutura. Existẽtium enim rerũ est metus: quæ non sunt aũt, nemo est qui pertimescat. AX. Tu quidẽ docta hæc uerba ex ea quæ nunc pullulat, garrulitate protulisti. Illinc est enim hæc quæstus captatio illiciẽdæ iuuentuti apparata. Me uero amissio bonorũ quæ sunt in uita, tristem reddit: & si Socrates probabiliorẽ etiam hac quã modo dixisti, crepueris orationẽ. non enim errabunda iam mens ducitur apte cohærẽtibus uerbis: neq; contingunt mentem ista: sed in ostentationẽ splendorem q; orationis parata multum absunt à ueritate. At animi ægritudo captiosis nequaq; sistitur uerbis: sed illis acquiescit solũ quæ ualeant ad mentem usq; penetrare. SOC. Cõiungis imprudenter Axioche: & bonorũ priuationi malorũ substituis sensum, oblitus q; tunc mortuus sis futurus. Eum namq; qui bona amittit, contraria lædunt quæ patitur mala: at qui nõ est, nihil in eius quo priuat̃, loçũ recipit. Quomodo ergo esse posset ullus in eo dolor, quod nullã lædentiũ notitiam exhibebit? Quòd si nõ ab initio Axioche per imprudentiã unum aliquem sensum cum morte cõponeres: nequaq; metueres eam. Nunc ipse te subuertis: timẽs amissum iri animã, aliamq; animã illius amissioni circũdas. Et turbaris q; sis sine sensu futurus, hocq; ipsum non sentire alio te sensu cumprehensurũ putas. Ad hæc multæ sunt perpulchræq; de animi immortalitate rationes. Neq; enim mortalis natura in tam uarias res attollere sese posset, ut cõtemneret ingentium ferarũ uires, maria trãsmitteret, conderet urbes, resp. cõstitueret, respiceret etiã in cœlũ, & astrorũ uideret reuolutiones, cursusq; solis & lunæ, ortus itẽ & occasus: defectus, celeritatẽ, distantias, æquinoctiaq;, & duplices cõuersiones, Pleiadũ etiam & hyemis atq; æstatis uentos, imbriũq; casus & horrendos turbinũ raptus,

ut com

ut comprehẽsos quoq; mundi labores seculis traderet:nisi diuinus quidam mentibus nostris spiritus ineſſet:quo complexum notitiamq; tãtarum attingeret rerum. Transis itaq; non in mortem Axioche,sed in immortalitatem:non in amissionem bonorum,sed in syn ceriorem eorum perceptionẽ,neq; ad uoluptates mortali confusas corpori,sed ab omnibus prorsus molestijs purgatas.Illuc enim ex hoc solutus carcere proficiscēris,ubi requieta lotaq; omnia,& nulla fathiscentia senecta:tranquillamq; illic perages uitam, ab omnibus liberam incõmodis,& serena placidam quiete,rerum contemplans naturam:atq; philosophiæ non ad turbam,neq; in speciem,sed ad puram germanamq; deditus ueritatem. AX.In contrariũ me Socrates hac oratione distulisti. Non enim metus iam me,sed desiderium tenet moris. Vtq; ego rhetores imitatus grandius aliquid dicam,iamdudũ superna mente concipio,et immensum illum diuinumq; recensco cursum, collegioq; ex infirmitate me:sumq; iterum quasi nouus effectus. SOC. Si uis autem aliam etiam rationẽ cape, quam retulit mihi Gobrias Magus. Is dicebat secundũ Xerxis in Græciam transitum auum suum sibi cognominem missum esse in Delum,quo eam tueretur insulã,in qua bina sunt numina prognata. Ibi illum ex æneis quibusdam tabulis quas attulissent ab Hyperboreis Opis & Hecaergus, didicisse animam postea q; corpore sit exoluta in ignotum quendam locum subterraneo discedere recessu, in quo Plutonis sit regia nihilo minor q; aula Iouis. Terra & enim mundi medium tenente ambitũ eius esse globosum:cuius alterum quidem semiorbem dij superi acceperint, inferi alterũ:atq; hi quidem fratres illorũ, hi uero filij fratrum. Vestibula autem qua aditus ad Plutonis est regnum,ferreis esse claustris atq; clauibus offirmata. Aperientem illa fluuius excipit Acheron:post quem Cocytus est. Eos ubi quis traiecerit,ad Minoem & Rhadamanthũ est accedere necesse. Vocãt hunc campum ueritatis,inq; eo iudices sedent,recognoscentes eorum qui aduenerint uniuscuiusq; uitam,& qua quisq; ratione corpus inhabitans ætatẽ peregerit. Nec mentiẽ di illic ulla facultas. Quibuscunq; autẽ in uita melior aspirauerit dęmon,ij sedes incolunt piorum:ubi omnes horæ scatent omnigena fructuũ ubertate,fontes puris labũtur aquis, uarijs prata omnimoda floribus uernant,conuentus sunt philosophorũ,theatra poetarũ, exultantiũ coronæ,musiciq; concentus. Ad hæc instructa diligenter conuiuia, & ipsa sese suppeditans affluentia uictus. Non enim frigus illis, non æstus est grauis,sed temperatus aer funditur mitibus solis radijs illustratus. Hic etiam initiatis est dignatio quædã, & religiosa ibidem quoq; peragunt sacra. Quomodo ergo nõ hic tibi honor habebitur collegæ deorũ? Herculem nãq; Liberumq; patrem descẽdentes ad inferos priscus est sermo hic initiatos fuisse,& fiduciam quo illuc irent,ab Eleusina conceptam esse. At illi quibus per scelera uita fuerit peracta,per Tartarum à Furijs ad erebũ chaosq; rapiuntur, ubi impiorum est locus,inexplebilesq; Danai filiarum urnæ. ubi Tantali sitis,præcordia Tityi, Sisyphi inexplicitũ saxũ,cuius finis ab alio incipit rursus labore. Ibi circũlambẽtibus eos feris, indesinenter lampadibus adusti,& omnium pœnarum afflicti cruciatu,tormẽtis laniantur immensis.Ista quidem ex Gobria ego audiui,tuum uero de eis erit Axioche iudicium.Illud namq; ratione adductus solum scio cõstanter,quod omnis immortalis est anima quæcunq; ex hoc loco transfertur & prorsus expers doloris.Siue sursum ergo Axioche,siue deorsum beatus sis oportet,qui probe pieq; uixisti. AX. Pudet me Socrates dicere tibi quiddam. Tantum abest ut timeam mortem,ut nunc eius etiam tenear amore, usque adeo & hæc mihi,& illa persuasit oratio. Contemno etiam uitam, ut qui sim in melius domicilium transiturus: nuncq; paulatim ea quæ dicta sunt, ipse mecum recensebo. Tu uero meridie fac adsis mi Socrates. SOC. Faciam ut dixisti. Ego quoq; ad Cynosarges unde huc uocatus sum,redeo ad ambulationem.

FINIS.

BASILEAE APVD HIER. FROBENIVM ET NIC.
EPISCOPIVM, AN. M D LI.
MENSE MARTIO.

INDEX IN PLATONIS SCRIPTA

OMNIA LOCVPLETISSIMVS, VBI P. PRINCIPIVM

m. medium paginæ: & f. finem eius declarat.

A

ABARIDIS Hyperbolei incãtationes 280.p
Ab asino excutiatur, prouerbium 781.m
Abdi nomen dei, & apud quos 303.p
Abdicationis filiorum lex 889.p
Aberrare à uero idem est quod à legitimo 50.f
Absolui à iudicibus precando iustũ non esse 477.m
Absoluta sapientia quæ 8.m
Acarnanij fratres athletæ 253.p
Absolutũ nihil natura sua esse 130.p
Acclamatio Lacedæmoniorũ qd 47.f
Accusatio quanti fiat à Socrate 351.m
Accusatores quales sint, & quid in accusationibus seruare debeãt 54.m
Acheron flumen 489.f
Acheron in paludem defluit Acherusiam 517.f
Achilles fortißimus fingitur ab Homero 270.p
Achilles Vlysse præstantior 269.f
astutior 273.p
Achillis commendatio 420.p
Achilles uitam cõtempsit, ut infamiam deuitaret 474.p
Achilli quæ falso attribuantur ab Homero 559.f
ἀπολαυστίκε unde dicta 330.f
Acquirere nõ semp uocatur lucrũ 4.p
Acquirendi duæ species 176.f
Actio errans ab inscitia prouenit 248.p
Actionem bonorũ temperantiam esse 282.f
Actio scientiã ad quid cõducat 287.p
Actio agentis in patientem transfertur 349.f
Actionis quouis genere pro iustitia duntaxat utendum 372.f
Actio quatenus iustitiæ, eatenus & honesti particeps 855.f
Actio quæ honesta et necessaria 925.f
Actiones esse in eorũ numero quæ sunt 141.m
Actiones uerbo significantur 194.f
Actiones mortales ad purgandã mentem cur referantur 276.m
Actionum omnium finis quis 360.p
Actionis principiũ & finis qs 528.p
Actiones quæ uilipendendæ 616.f
Actionum humanarum capita quinq; 852.p
Actiones quæ uiolentæ, uoluntariæ, aut inuoluntariæ 862.p
Actus primus quomodo diffundatur in creaturas 107.f
Actus quando praui, & quando recti 18.p
Actiuæ uitæ qui dæmones dominentur 465.f
Acusileus poeta quid de amore senserit 374.p
Acusileus cũ Hesiodo consentit de amoris generatione 419.m
Acuti qui 159.f
Adamantis generatio 718.f
Adamantus uterq; tum Cepidis tũ Leucolophi filius 230.p
Adorandum sine externis cæremonijs quis senserit 42.f
Admiranda quæ 373.f
Admirationẽ parit ignoratio 214.f
Admiratio cum amore imitationem parit 609.m
Admonitio quæ doctrinæ pars 180.f
Adolescentes quõ instruendi 124.p
Adolescentes cur ad temperantiam adhortandi 275.f
Adolescenti nihil optimo amatore melius posse accidere 419.m
Adolescentum ingenia quomodo mutentur 637.m
Adolescẽtiæ quantũ obsit licẽtia 288.f
Adonai dei nomen apud Hebr. 303.p
Adrastia dea 451.m
Adrastia regina ineuitabilium legum 585.m
Adulator cui sit persimilis 520.f
Adulationis partes quot 343.f
Adulationes quõ subeant artes 344.f
Adulteratio rerum uenalium quomodo puniendæ 884.f
Aeacus iudex mortuorum 370.p
Aedes quis primus cõstruxerit 232.f
Aedificia nuptias præcedere debent in ciuitate 818.f
Aedilium officium 810.f 811.f & 812.m
Aegisthus qui Agamemnonẽ apud Argos interfecit, quomodo imperauerit 10.m
Aegrotare an aliquibus conducat, nec ne 297.f
Aegrotum inter & sanum nullum medium ponit Socrates 43.m
Aegyptum accommodam stellis cõtemplandis 917.p
Aegyptijs quis leges tradiderit 49.p
Aegyptij quõ deum appellent 303.p
Aegyptij diu seruant corpora 502.p
Aegyptios quæstus auidos esse 580.m
Aegyptiorum historiæ 703.f
Aegyptiorum leges de musica & pictura 760.m
Aeneæ laus ab Homero 295.f
Aenigmatis expositio. 586.m
Aequalis definitio 67.f
Aequale et æqualitas comprehendũtur sub genere finiti 87.f
Aequale, quid semper 140.f
Aequalitas medium inter magnitudinem & quantitatem 78.f
Aequalitatem nullam uoluptate & opinione non uera iudicandam esse 765.p
Aequalitas quæ seruanda in ciuiliũ numerorum distributione 805.f
Aequalitates duæ eodem nomine appellatæ, sed effectu contrariæ 809.f
Aequilibre in nullam partem inclinatur 516.p
Aer quando descendat 682.p
Aer quomodo ignis fiat 714.p
Aere suffulciri terram 511.p
Aeris multa genera 718.p
Aeschinem ex paupere diuitẽ fecit Socrates 416.p
ἀεχεδὺ quid significet 321.p
Aeschylum qui Thetidem inducit dicentem filium suum ab Apolline interemptum, exsibilat 555.f
Aeschyli dictum 633.m 638.f
Aesculapio cur gallo sacrificauerint prisci 490.p
Aesculapij præstantia & medicina 566.p.m
Aesculapij filij licet medici, in armis tamen præstantißimi 567.p
Aesculapium falso criminantur Poetæ 567.m
Aesopi fabulam carmine reddit Socrates 492.p.m
Aestimationem lucro qualitatem addere 4.p
Aetas primæ lanuginis gratißima 227.p
Aetas grandior non debet absterrere à disciplina 253.m
Aetas generationi apta quæ 591.f
Aetatis primæ descriptio 771. per to.
Aetates quæ ad discendũ aptæ 627.m
Affectio in mente quæ contemplationem perfi-

nem perficit quomodo appellari debeat 14.p
Affectus in comœdijs mixtus 98.f
Affectibus dominari sapientiæ est (248.m
Affectum quæ potißimum deprauent 332.p
Affinitas quæ seruanda sit 592.p
Affirmatio & negatio ab oratione prouenit 195.m
Affirmandum nõ esse nisi post longam consultationem 829.m
Agamemnonem quid paßim in tragœdijs ridiculum facit 621.m
Agamemnonis etymologia, & quàm recte ei conuenerit 312.p
Agathon optimo ingenio, & generosa indole præditus 230.p
ἀγαθὸν quid 319.f
Agere sua, quid sit 281.f
Agere sua, seq; ipsum cognoscere quis doceat 724.m
Agere & facere an idem sit 282.m
Agens quando agens 141.f
Agentiũ & patientiũ natura 142.f
Agens, efficiens esse aliquid, nõ tamen qualitatem esse 153.m
Agentibus signum impositũ nomen dicitur 194.f
Agitandum absq; agitaturo & contrà inuenire est impoßibile 718.p
Agnus in lupo quid horreat 382.f
Agrorum diuisio 803.f
Agraria pœna male curantibus agros, quæ 811.f
Agrariæ leges 800.m
Agricola sapiens 146.f
Agricolariũ opus præcipuũ quod 59.m
Agriculturæ opus quod 261.f
Agriculturæ leges 847.m
Agriculturam non arte sed fauore dei aggreßi sunt homines 912.p
Aiax ferro indomabilis 438.f
Alceßis Admeti uxor quantum uirum suum adamauerit 375.f. 419.f & 420.p
Alcibiades quibus rebus operam dederit 29.m
Alcibiadis pater ubi perierit 32.m
Alcibiades Dinomaches filius 37.p
Alcibiadis unicus amator Socrat. 40.f
Alcibiadis pulchritudo 227.p
Alcibiades maior & minor 254.m
Alcibiades ex ignorante doctißimus factus à Socrate 416.p
Alcibiades se nunquã mentiri ipso teste dixit 436.m
Alcyni apologus 668.f
Aleuadarum familia 14.m
Algazeles 521.p
ἀλήθεια unde dicatur 323.m
Aliena scrutari turpe ei qui sua ignorat 443.p
Alienationis genera duo 167.p
Alimenta ex terra quis primus collegerit 232.f
Aliquid, est signum unius 184.p
Aliqua, duoriũ & pluriũ signũ 184.p
Aliud & alia Platoni quid significent 61.p
Alla dei nomen, & apud quos 303.p
Alteratio et latio soli motus sunt 66.f
Alterum, quinta species 191.f
Amare dicimur quæ propter nos desideramus 387.f
Amasse legitime qui dicatur 409.p
Amare palàm præclarius quàm clam 421.m
Amore nihil conducibilius ad beatæ immortalitatis possessionẽ adipiscendam 435.p
Amare quos deceat 534.p
Amandũ priusquã intelligatur 923.f
Amantium mos 121.m
Amantium paßiones 378.f
Amantes quid quærant & deinceps 380.f
Amantes cur palleant 399.p
Amantes cur melancholici 399.m
Amantium gradus diuersos esse in cœlesti mensa 386.m
Amantium miseriã deplorat 400.p
Amantium uenatio qualis 401.p
Amãtes quõ fiant amati similes 412.f
Amantium licentia quanta 421.f
Amantibus morem gerendum ubi lege statutum sit 421.p
Amatorij affectus quomodo à medicina cognoscantur 423.p
Amantium uitia exponuntur 444 per totum
Amans à non amante quomodo dignosci poßit 446.f
Amatum quomodo curare soleat amator 447.p
Amantẽ citra amatũ obcæcari 798.p
Amator legitimus necessario redamatur 128.f
Amator q̃ prauus & inßtabilis 421.f
Amatores ingrati post libidinem expletam 443.f
Amator quid semper timeat 447.m
Amator qualem præparat sibi amatũ 447.p
Amator lupo comparatur 448.m
Amatoriã artem unde didicerit Plato 224.m
Amatoriæ species 177.f
ἀμαρτίαι unde dicta 330.f
ἀμαθίαι unde dicta ibid.f
Amazones 523.f
Amazones sagittariæ 831.f
Amphidexteri in Republica quomodo fiant 585.m
Ambigere est amicorum 239.m
Ambiguitatis duæ species 178.f
Ambitiosum depingit 632. per totum
Ambitiosum à matre discere rudimẽta quodammodo ambitionis 633.p
Ambitiosos seditiones excitare in ciuitate 620.m
Amelitæ aquam nullo unquã uase contineri posse, quid significet 659.f
Amicorum omnia communia 122.m & 574.f
Amicorum alter altero non est ditior 122.m
Amici quando laudandi 122.p
Amicorum & amantium differentia 124.f
Amici qui 124.f. & 533.f
Amicum cognoscere arduum 125.p
Amicos ductu dei fieri 125.m
Amici definitio 127.f
Amicum bonum malo, & malum bono esse non potest 127.p
Amicus uerus nullius gratia est amicus 128.p
Amici quõ natura propinqui 128.f
Amicũ non est malo sublato 128.m
Amici officium 144.p
Amici etiã & carißimi accusandi sunt 351.m
Amicum malum malo, uel bonum bono non amicum esse, nunquam fato decretum est 454.f
Amicum ridiculum esse præstat quàm grauem & inimicum 457.p
Amicorum mortem non esse dolendam 558.p
Amicum amico similem esse debere 845.p
Amicitia quid 38.m. 120.m
Amicitia inter homines quomodo seruetur 38.f
Amicitia uera qd ĩ amico diligat 40.f
Amicitia publica quid 28.p
Amicitiæ principium et medium quod & finis 119.m
Amicitia ab honestate definita 119.m
Amicitia quid à beneuolentia & lasciuo amore differat 119.f
Amicitiæ duæ species 120.m
Amicitiæ hominum quales 120.f
Amicitiæ paradoxa 126.p
Amicitiæ quæ falso appellentur 301.f
Amicitiæ duraturæ argumẽta 444.f
Amicitia an ex opinionum cõcursibus constet 301.p
Amicitia cum amante, uel cum non amante potius sit iucunda 446.m

Amicitia quæ dura & aspera dicenda sit 845.p
Amictuum uarietas 209.f
Amistris Xersis uxor, Artaxersis autē mater 37.p
Ammon deus 463.p
Ammonis responsum Athenien sibus factum 47.m
Amor pulchri est desiderium 119.m
Amor Amicitiæ medium 119.m
Amor ad amicitiam quid 120.m
Amor furoris species à Venere 167.m
Amor Venereus in Symposio tractatur 167.f
Amor magus 174.m
Amoris nodū cæteris omnibus esse potentiorem 305.m
Amoris uis ad quem spectet influxum 306.p
Amoris laus, dignitas, magnitudo 373.m. & deinceps
Amo. origo unde 374.p. & deinceps
Amore non solum mortalium, sed immortalium quoque mentes domari 373.f
Amoris utilitas quæ 374.f
& deinceps
Amorem non esse ubi libido est 375.p
Amoris nomen deo, à quibus attributum sit 375.p
Amor pro pulchritudinis desiderio accipitur 375.p
Amoris exempla tria 375.f
Amoris duo genera 379.p
Amorem γλυκύπικρον esse 379.p
Amor mors est uoluntaria 379.f
Amor simplex & mortuus 379.f
& 380.p
Amor quod nam desiderium sit 380.f
Amoris iucunditas in seniore qualis, et in iuniore 381.p
Amor coniungit similia 381.f
Amorem omnium esse autorem, & seruatorem 381.f
Amor moderatus & immoderatus qs 382.m
Amor benignus cur dictus & à quo 382.f
Amor quis secundum Aristophanem 383.m
Amor animas restituit cœlo, beatitatis gradus distribuit, æternum largitur gaudium 386.p
Amoris beneficia tria 386.f
Amor cur beatissimus dicatur & pulcherrimus 386.f
Amor quomodo pingatur 387.p
Amorem ad scientias, figuras & uoces duntaxat pertinere dicimus, & cur 387.f & 388.p
Amorem auiditatem angeli esse dicit 389.m
Amor cur iuuenis tener et mollis pingatur 391.m
Amor cur iustus, temperatus, fortis dicatur 391.f 392.p
Amor quomodo nascatur 390.p
Amoris simplicis dona quæ 392.f
Amoris mutui dona quæ ibidem
Amorem cæteris dijs & antiquiorem, & iuniorem esse 392.f
Amoris imperium quid apud Platonem 392.f & inde
Amorem ante necessitatem regnare 393.p
Amor medius inter pulchritudinem, et turpitudinem 394.f
Amor medius inter hominem & deum 394.f
Amorum distributio 396.p
Amor quomodo diuersa ratione in diuersis subiectis excitur pulchre & longe differitur 396.f. 397.p
Amor ex Penia & Poro ortus 397.p
Amores gemini in omnium animis, ac in humanis quinq; 398.p
Amorē in quinq; diuidi species 398.m
Amoris passiones quomodo generentur in amantibus 399.p
& deinceps
Amor quomodo curetur ibidem
Amori qui facilius submittūtur 399.f
Amor cur dicatur immortalis 401.f
& deinceps
Amor sequitur sapientiam 402.p
Amor erga masculos & fœminas unde 404.m
Amor ferinus unde nascatur 410.p
Amore quàm facile irretiantur homines 411.m
Amor uulgaris quid, & eius affectus 412.f
Amori uulgari qui dent operā 420.f
Amore qui facile irretiantur 413.p
Amoris melācholici exitus qs 413.m
Amoris solutio uel cura duplex 413.f
Amoris diuini utilitas, & species quatuor 414.m
Amor Socraticus quàm utilis 415.f
Amorem Deum nunquam pro dignitate laudatum esse 418.f
Amoris laudes 419.p
Amor geminus 420.m
Amoris pulchritudo unde colligatur 427.p
Amorem uoluptatibus omnibus fortiorem 427.f
Amorem Poetam esse, & Poetas facere ibidem
Amorem Saturno & Iapeto minime antiquiorem esse 427.p
Amor quid cupiat & appetat, & quorum sit 429.m.f
Amor medius inter turpe & pulchrū 430.m
Amoris generatio & origo 430.f
Amorem mediū esse inter deos & homines 430.f
Amorem unū esse ex dæmonib. 430.f
Amorem esse philosophum 431.m
Amor non pulchri est, sed generationis, partusq; ex pulchro 432.m
Amor sempiternū quiddā est 432.f
Amorem mortales aliter, & aliter immortales uocant 453.m
Amorem recta sui natura tēperate & musice amare 565.p
Amorem mixtum esse dolore & uoluptate 710.f
Amores tres esse 845.m
Amphilytus quonam pacto cognominandus sit 10.m
Amphion Lyræ inuentor 770.f
Amussis alba in albo lapide, Prouerbiū 278.m
Amyci luctatio indigna mentione 827.f
Amyntora Phœnici filio maledixisse 890.p
Anacreonta Teium quis Athenas accīuerit 2.f
Anacreontis sapientis scripta 445.m
ἀναγκαῖον unde dictum 323.p
Anagogicus sensus Platonicis necessarius 734.m
ἀναψύχου 314.p
Anaxagoras amplum patrimoniū dissipauit 108.f
Anaxagoras perstringitur 344.f
Anaxagoræ Clazomenij libri quibus opinionibus pleni sint 473.p
Anaxagoræ confusio 497.f
Anaxagoræ sententia de mente 510.f
Anaxagoram diligentiorem in naturalibus quàm in diuinis 616.m
ἀνδρία quid 320.p
Androginus genus quale fuerit 424.f
Andron Androtione genitus 229.f
Angeli quid admirentur 373.f
Angelos dei ministros esse 395.m
Angelum super animam esse 405.p
Angeli mobiles an immobiles sint 882.p
Animæ uires quæ, & quot 13.f
Animæ impetus, & declinatiōes quando ad beatitudinem, & quando non tendunt 22.m
Anima solā corpore utitur & eidem imperat 41.p
Animæ cura habenda 41.p

Animæ habitus quomodo fiat 140.p
Animæ uirtus quæ 41.m
Anima quomodo seipsam cognoscere posßit ibidem
Animæ partes quæ trahuntur affectibus unde hauserint homines 53.m
Animæ summum bonum quod 81.m
Anima mũdi quæ sit necessario 90.m
Animam humanam cui similem faciat Plato 94.p
Animæ uoluptatũ & dolorum mixtiones 97.p
Animæ quibus uoluptatibus maxime gaudeant, & quibus maxime perturbentur 104.m
Animæ uis quotuplex 132.f
Anima quædam per se quædam per corpus apprehendit 155.p
Animã appellat cogitationem 157.p
Animæ operatio ibidem
Animæ cor ab Homero quid dicatur 159.f
Animæ naturalibus rationibus à sublunari opifice mulcentur 174.m
Animæ sphærarum nouem cœlestium quæ 168.m
Animum nullum sponte aliquid ignorare 180.p
Anima qualis ignara sit 180.p
Animam cognoscere, essentiam cognosci 188.f
Animæ interior collocutio quomõ appellari debeat 195.f
Anima potentior an iustior 275.m
Anima corpori quid conferat 314.p
Animæ sepulchrum quod 314.p
Animam uitiorum & uirtutum habitus secum ferre 336.f
Animæ malum quod 349.f
Animam alicuius probaturum quid habere deceat 354.m
Aniæ ornatus cũ adest bona est 363.p
Animæ quæ facultates 360.f
Animam peccatis refertam ad inferos descendere extremum omnium malorum est 370.m
Animæ post mortem status & conditio 371.m
Animam quid prisci theologi uocauerint 377.m
Animam immortalem esse 384.p
Anima quid corpori afferat 384.m
Anima cur in corpus descendat duobus creata luminibus 384.f
Animam in deum conuerti ibidem
Anima quot uijs ad deũ redeat 385.m
Anima cur altero lumine non utatur 385.p
Animas quis in cœlum reducat 386.p
Animã nasci ueritate præditã 402.m
Animam supra corpus esse 404.f
Anima à corporis pulchritudine quomodo ad dei pulchritudinem eleuetur 406.f
Anima quibus gradibus à diuino furore extollatur 414.f
Animam corpore pulchriorem esse 434.p
Animarum humanarum ordines quot 441.m
Animæ immortalitas probatur 450.p
Animæ Idea qualis 450.m
Animæ currus & equi: & qui & quales 450.f
Animæ obliuio quot modis accidat
Animæ aut corporis natu- (452.p
ram non posse absq; totius natura cognosci 461.m
Animarum asserit immortalitatem 480.p
Animæ immortalitatem cur non approbet Socrates ea ratione motus in Phædone, qua usus est in Phædro 487.p
Animæ substantiam in hac uita intelligere difficillimum 488.f
Animam immortalem credere magna fide & persuasione opus esse 496.f
Animæ mortuorum an sint apud inferos nec ne 496.f
Animæ nostræ quando scientiam acceperint 499.f
Animam præesse corpori, utpote quæ diuinitati sit similior 501.f
Animas prauorum uersari circa sepulchra 502.f
Animam temperamentum eorum esse quæ sunt in corpore 505.p
Animam per omnem modum corpori præstare, etiam si immortalis non sit 505.m
Animam mortalem esse quæ rationes sint 504. & 505 per totum
Animam prius quàm in corpus labatur alicubi esse 508.p
Anima an maius & minus recipiat 508.m
Anima quicquid occupat, ad illud uitã affert 514.m
Anima migrans ad manes quid secum afferat 515.m
Anima quando ad omnia intrepida sit 552.m
Animæ proportiones quatuor 556.m
Anima corpus curat 567.f
Anima ita se habet ad bonum ut uisus ad solem 613.p
Animarum transitus in bestias quomodo fiat 642.m
Animæ tres partes & tres uoluptates 646.f
Animæ imaginem inuestigat 650.m
Animam immortalem esse 666.m
Animæ uera essentia quomodo contemplanda 667.f
Animæ uniduanæ 670.m
Animæ uirtus & cõpositio 685.p.m
Animæ essentiæ quid pertineat 685.f
Anima cur rei compositæ, & consonãtiæ musicæ comparetur 687.m
Animæ harmonica compositio 692.p
Animæ partes quomõ aucupetur Plato 695.p
Anima irrationabilis quid à Platonicis existimetur 699.p
Anima mundi in qua eiusdem parte collocata sit, & quur 707.p
Animæ substantiæ partes quæ ibidem
Animabus singulis unum esse attributum astrum 710.f
Anima cur amens efficiatur quãprimũ corporis uinculis includitur 711.f
Animæ mortalis species in corpore 723.m
Animæ corporisq; solutio quando fiat 723.f
Animæ morbi qui, & quomodo nascantur 731.p
Animæ morbis quomodo medendum sit 732.f
Animæ nostræ species præstantißima quomodo tractanda ibidem
Animas quondam sub Saturno beatas uixisse quõ intelligendum 783.m
Animæ nostræ ad influxus numinum quomodo parentur 794.m
Animam natura esse per se mobilem 867.f
Anima cur seipsam mouere posßit 874.f
Animam cõiunctam intellectui omnia recte producere 875.p
Animæ motus quõ appellentur 875.p
Animam esse inuisibilem 875.f
Animam à deo uitam accipere 881.f
Animæ defunctorum quomodo res nostras sentiant 882.p
Animã solam esse, et præstare id quod sumus 903.m
Animæ naturam antiquiorẽ esse corporibus 907.p.914.m
Animæ generi quæ conueniant 914.f
Anima à corpore quomodo differat 915.f
Animata omnia transmutari & transmutationis causam intra seipsa habere 877.m
Animatum à nemine quàm à deo fieri posse 915.f

Animanti unicuiq; certum uiuendi spacium esse à fatis datum 732.f
Animantia omnia grauiter affici cum ad generationem toto impetu ferantur 432.f
Animi immortalitas quomodo asseratur à Poetis 19.p
Animum cuncta didicisse 19.m
Animum semper scientem fuisse 21.m
Animus qualis sit ueritatis capax 43.p
Animus quando maiora peccata committat 46.f
Animi uoluptates, & dolores præcedunt corporis uoluptates & dolores 94.p
Animi affectiones trisariam diuiduntur 120.p
Anima quomodo afficiatur furoris quatuor speciebus 167.m
Animi morbus ex falsis opinionibus, malisq; moribus conflatur 224.p
Animi longe maiorē habendam curam quam corporis 224.f
Animus quibus alatur 229.p
Animum nō cuiuis committendum esse 250.f
Animus huic coniunctus corpori diuinis reb. prorsus est ineptus 251.m
Animi temperati, & intemperati discrimen 276.f
Animo duo potißimum ineſſe 332.p
Animi uitium quare turpißimū 350.p
Animi quam partem quis dolium appellauerit 357.p
Animi ordinatio quæ 362.p
Animus prauus quomodo sanari debeat 362.f
Animi pulchritudo in qua re sit 380.f
Animi cibus quis 387.f
Animum nullo adiumento egere, ut pulcher sit 391.m
Animum omnium prægnantem esse 403.m
Animum præsagire 441.p
Animus quo pacto fiat 450.m
Animarum nouem conditiones 451.f
Animam post decem millia annorū ad idem reuerti 451.f
Animæ humanæ transmutatio 451.f
Animarum transitus in bestias quid significet 488.f
Animus moderatus ducem libenter sequitur post hanc uitam 515.f
Animi ornamenta quæ 518.f
Animi puerorum fabulis multo magis quàm corpora manibus formandi 55.m
Animum sapientis non esse mutabilem 554.f
Animo ipsi animo imperandū 567.f
Animum quæ deprauent 605.m
Animum regium optimum esse & beatißimum 629.f
Animi qua in parte uoluptates excitentur in somnis 643.p
Animarū transmutatio in bestias 671 per totum
Animarum natura & habitus cuius facultatis sit 757.m
Animi bona quādo honorāda 779.m
Animum nostrum speculum esse diuinorum 794.f
Animos nostros quomodo ab ipsa statim pueritia lædamus 795.f
Animi cultus uerum à falso distinguit 796.p
Animus quis facilis sit 918.p
Animos optimos diuinare 927.m
Animositatem iracundam ex priuatis hominibus in ciuitatibus inuectam esse 580.m
Animal an semper sentiat quicquid patitur 95.f
Animalium cura duplex 201.f
Animalia quæ domestica, quæ syluestria appellata sint 202.f
Animalia quondam sub terra latuisse 224.f
Animalia ex elemētis cōpositā 224.f
Animalia dæmonum ministerio instrumentis ad uitam necessarijs deus armauit 225.p
Animaliū curator malus quis 367.m
Animalia cœlestia quæ 395.p
Animalia terrestria duplicia ibidem
Animalia post diluuium ultro nasci 521.p
Animalium generatio 140.p
Animalia cuncta & gigni et nasci per amoris sapientiam 427.f
Animalium ideæ quatuor 709.f
Animal quid nominandum sit 726.f
Animal nullum præter hominem harmoniæ sensum habere 758.m
Annonæ ratio 849.m
Anni intēperies unde nascatur 423.f
Annus magnus quis 655.p
Anni mensura unde 709.m
Anni Platonis Aegyptijs similes 768.f
Antæi audacia 147.m
Antæi luctatio 827.f
Antenorem Pericli comparare possumus 439.m
Anthemiones laus & commemoratio 23.p
ἄνθρωπος quid significet 313.f
Antimirus Mendeus insignis Protagoræ auditor 229.f
Antiphonis pater Pyrilampes 61.m
Antiphon Rhamnusius malus rhetor 522.m
Antiquitatis inuestigatio quando in ciuitate orta 737.f
Antonius Allius Episcopus Fesulanus 373.p
Anytus cur Socratem accusarit 471.f
ἀφροδισιτη quid significet 316.f
Apibus Rex nascitur tā corpore, quàm animi habitu cæteros præcellens 219.m
Apocalypsis locus illustratur 43.p
Apollo animæ mundi mens 168.f
Apollo ab Ioue ducitur ibidem
Apollo Solis anima 168.f
Apollo triplicem significat Solem 305.f
Apollinis etymologia pulcherrima 316.p
Apollo quas artes hominibus dederit 393.f & 428.p
Apollinis instrumenta 563.m
Apollo quid apud Platonem significet 757.f
Apollodorus Cyzicenus hospes ab Athenienſibus delectus in Imperatorem 174.p
ἀπορίαι quid significet 320.f
Appetitio nulla naturalis ad malū tendit 382.f
Appetitiuæ animæ uires quæ & quot 13.f
Apulei Platonici locus 411.p
Aqua uilißimo precio emitur cum sit precioſißima 267.p
Aquā nostram alijs esse aerem 517.p
Aqua quomodo ascendat 682.p
Aqua in quibus aeri similis 682.m
Aqua quādo lapis et terra fiat 714.p
Aquarum fluxus unde 728.p
Aquarum lex 847.f
Aquario Iunonem præesse 393.f
Aquatilium generatio qualis 733.f
Arabibus quis leges tradiderit 49.p
Arbitrij humani libertatem concurrere cum diuina prouidentia 735.f
Arcadibus quis leges dencgauerit 49.p
Archelaus Perdiccæ filius in Macedonia quomodo imperauerit 10.m
Archelaū Macedonum tyrannum quare occiderit Crateuas 44.f
Archelaum Perdicæ filium imperasse Macedoniæ 346.f
Archelaus ex ancilla Alcetæ ortus 347.p
Archelaus quomodo ad regnum peruenerit 347.p
ἀρχέπολις 311.f

Archilochus quid commune cum Homero habeat 169.m.& 170.f
Archilochi uulpem trahere 548.f
Archinus 521.f
Architectos raros fuisse in græcia 6.m
Architecti facultatẽ speculationis magis quam ministerij esse participem 198.m
Architectus in qua scientiæ parte constituendus sit 198.m
Architectus speculandi scientiæ particeps 201.p
Architectum nullum manuum ministerio uti, sed utẽtib. præsidere 201.p
Architecturã actionibus innatã sciẽtiam sortitam esse 20.f
Architecturæ nobilitas 101.m
Architectura duo efficit 301.f
Arcus secum discrepans conuenit 423.m
Ardicus tyrannus 669
Arduum esse aduersus duo contraria pugnare, Prouerb. 885.p
Arena maris innumerabilis, Prouerbium 149.m
ἄρρης quid significet 317.m
Areta Dionysii filia 924.p
ἀρετὴ quid significet 320.f
Argentũ quãti fieret à sophistis 108.f 109.p
Argiui auxilium ab Athenienſibus implorant 526.p
Arieti Palladem præesse 393.f
Ariphron Cliniæ educator 231.f
Aristarchus Homericus quomodo probabat carmina Homeri 275.f
Aristidi Lysimachi filio quid apud Socratem acciderit 13.p
Aristidem Lysimachi filium bonum uirum fuisse 24.f.372.p
Aristides Lysimachi filius 139.p
Aristippi Larissæi origo & familia quæ 14.m
Aristippus à Socrate diues factus 416.p
Aristocrates Scellij filius 347.f
Aristogitonis amor 421.m
Aristophanes comicus acerrimus Socratis insectator 409.p
Aristophanes carpitur 422.f & 424.p
Aristopho pictor 337.m
Aristoteles unus de triginta 61.f
Aristotelis de Socrate iudicium 399.f
Aristotelem in Ethicis aduersus Platonem circa ideam ludere 601.f
Aristoteles quid de moralis uitæ fundamento sentiat in Ethicis 757.f
Aristotelicæ sententiæ aduersatur. Nihil esse in intellectu, quod prius non sit in sensu 212.m
Arithmetica Philosophantium quomodo à uulgarium differat 101.f
Arithmeticæ perspicacitas 101.m
Arithmetica duplex 101.f
Arithmeticam ab actione liberam esse 200.f
Arithmetica circa quid uersetur 338.f
Arithmeticæ utilitas 621.m & 622.p
Arithmeticam quoque persuadere ea quæ docet 339.f
Arithmeticam circa puros uersari numeros 616.f
Arithmeticæ commendatio 913.p
Arithmetra in qua scientiæ parte uersetur 198.m
Arithmeticos natura ad omnes doctrinas aptos esse 622.f
Armorum disciplina quid, & quibus prosit 291.f
Armorum qui maxime fuerint studiosi 292.p
Armorum peritia an disciplina sit, & quanti facienda 292.p
Arma quæ in templũ transferenda non sint 595.f
Arrianorum distinctio dei patris à filio 601.f
Ars Glauci 516.p
Artis unumquenq; peritum de sua arte interrogandum esse 6.p
Artis cuiusq; summitas quid 8.m
Ars oĩa ad rectitudinem dirigit 30.m
Artium præceptiones legis nomine appellandæ sunt 50.f
Artium potißima quæ 101.p
Artes in duplici ordine 101.m
Artes differre à se inuicem ibidem f
Ars dicendi cur omnibus præponeretur à Gorgia 102.p
Ars præstantior quæ 102.m
Artes omnes nosse innocuũ & in uita conferens esse 104.p
Artium multarũ similitudo potius odium, quàm amicitiam gignit 120.p
Artis peritus omnia eidem arti subiecta iudicat ex æquo 168.p
Artem aliquam qui tenet æque de omnibus quæ sub arte sunt iudicat 170.p
Artium præcepta sæpe tradit Homerus 172.p
Arti cuique facultas à deo tribuitur 172.p
Arte eadem necessarium ne sit eadem cognoscere 172.m
Artium fermè omnium duæ species 176.m
Artes omnes aut in acquirendo, aut in efficiendo uersantur 176.f
Artes à quo datæ 207.m
Artes geminæ circa omnia quæ fiunt 210.f
Ars causa, & ars concausa quæ 210.f
Artes omnes commensurari secundum maius & minus 211.f
Ars nulla potest quicquam de omnibus in uniuersum in omne tempus ualens constituere 216.p
Artem nullam multis cõpetere 218.p
Artes an secundum præscripta, uel secundũ artem tractandæ 218.p.m
Ars regia quæ 251.f
Artium genera duo solet adducere Socrates 251.f
Artem aliam esse quæ cõdit, aliam quæ conditis utitur 260.f
Ars oĩs aliqua de re persuadet 333.p
Ars peritiam sequitur 337.m
Artes omnes circa sermones uersari 338.p
Artium quædam diuisio 338.m
Artium abusus improbandus non artes ipsæ 341.m
Ars ad animam pertinẽs quomodo appelletur 344.p
Ars ad corpus pertinens non uno nomine appellari potest 344.p
Ars nulla sine ratione 344.m
Artium magister & gubernator quis 382.p.m
Artiũ facultatẽ ab amore tradi 427.f
Artes quæ quomodo à dijs hominibus distributæ 393.f.428.p
Artem dicendi neq; multis neq; paucis, sed mediocribus uerbis indigere 460.p
Artes magna dialecticæ exercitatione indigere et cõtemplatione 461.p
Artes literis mandare ut certum quiddam ex ijs futurum sit, ineptum putat Socrates 463.f
Artem dicendi nõ posse extare sine earum rerum certa scientia quæ dicuntur 464.f
Arti nullum ineſſe defectum uel errorem 537.m
Artes sibijpsis non esse utiles, sed illi rei cuius sunt artes 537.m
Arte quicqd bene se habet minime permutationem recipit 554.f
Artes omnes absq; dialectica cæcas esse 617.m
Aristotelis ridentur calumniæ 629.f
Artes quæ ferro utantur & ære quãdo ignoratæ fuerint 771.m
Artem deo aduersari nõ posse 782.m
Artium doctores quõ diligendi 812.f
Artes quas libenter amplectantur homines 842.f

Artis opera minora q̃ naturæ 871.f
Artem Iouis tria requirere 881.f
Artes quæ minime conferant ad sapientiam 911.f
Artificem quemlibet in sua arte consulendum 30.p
Artificem solum de sua arte iudicare 131.p
Artifices an sua tantũ, uel aliena quoq; faciant 281.p
Artifices qui probandi 564.m
Artificum uita qualis 703.m
Artificem non decet rudes decipere 886.p
Artifici cuiq; in sua arte credendum 151.f
Artificia quæ similitudinem aliquam habent nemo simul exercere possit 849.p
Artificiosum omne mensuræ particeps 212.p
ἄσσειμις quid significet 316.f
Artemisiæ Mausoli regis cariæ Coniugis amor maximus 412.m
Articulis quæ careant 725.f
Articulorum in corpore usus 725.m
Asinorum & equorum genus inter se promiscue generat 203.m
Aspasias rhetoricæ professor 394.m
Aspasia mulier 520.f. 522.m
Aspectus quorũ sint uirulenti 411.p
Asperum quid 720.f
Assyriorum potentia magna 774.m
Astianax quid à Scamandro differat 310.f
ἀστραπὴ quid significet 318.m
Astrorum parem esse numerũ & animarum 710.f
Astrorum peritiam in ciuitate necessariam esse 833.p
Astronomia circa quid uersetur 338.f
Astronomiam quis inuenerit 463.p
Astronomiam animi oculos ad superiora attollere 624.p
Astronomiæ laus et dignitas 918.p.m
Ate dea mobilis 27.p
Athamãtis successores diuersos ab alijs græcis ritus habuisse 50.m
ἀθλων quid significet 317.f
Athenis periculosum erat quenquã iniuria afficere 25.p
Athenarum mœnia & naualia quorũ consilio constructa sint 340.f
Athenis maxima loquendi libertas 343.p
Athenas alias extitisse ante diluuium tum apud Græcos, tum apud Aegyptios 529.p
Athenæ uerbosæ 753.f
Athenienses quamdiu tyrannidem Hippiæ sustinuerint 3.p
Athenienses quibus cum bellum gerere consueuerint 35.m
Atheniensium reges unde originem duxerint 36.p
Atheniensium magna superstitio erga deos taxatur 47.f
Athenienses cur infelices in pugna contra Lacedæmonios fuerint 47.m
Athiensib. qs leges tradiderit 49.p
Athenienses cur tributa Minoi pendere coacti sunt 52.f
Athenienses perstringit quod adulatoribus oblectarentur 366.p
Atheniẽses quales Periclis oratione facti sint 367.m
Atheniensibus quos nam publica oratione laudare mos fuerit, et quibus inferias publice celebrauerit 520.f & 522.p
Athenien. quos in bello iuuerint 523.f
Atheniensium misericordia 526.m
Atheniensium ueterum historiæ 703.f
Atheniensium nomine quid intelligatur apud Platonem 734.m
Athenienses probi an præcipue probi sint 745.p. 154.p
Athenienses à Dario quãdo perterriti ualde fuerint 780.p
Attica quàm studiosa fuerit tragœdiæ 292.p
Attica tellus primo hominem produxit 523.p
Attica bellaria commendantur 565.f
Atticam regionem esse ingenijs accõmodam 735.m
Atticæ regionis antiqui fines 738.p
Attica democratia qualis 779.f
Attica septem pueros quotannis pendebat Minoi 786.m
Atlanticam insulam sub uasto gurgite mersam 704.p
Atlanticum mare quale 703.f
Atlanticũ pelagus unde cognomen habuerit 739.f
Atlantici figuræ quid apud Platonem significent 734.p
Athletæ canibus similes esse debent 565.m
Atrei, Thiestisq; lis 204.f
Atreo cur recte nomen impositum 312.p
Auari aberrãt à bono, quod tamen appetunt 1.p
Auarum non facile assequi uoluptatem in discenda ueritate 647.m
Auarum nõ tenere iudicandi organum 647.f
Audaciã distare à fortitudine 244.f
unde proueniat 245.m
Audacia carens prudentia quid 289.f
Audenda quæ arbitremur 299.p
Auditus definitio 49.m
Auditus passiones quibus ex causis proueniant 722.p
Auditum cur nobis dederint dij 713.p
Auditoris communis & æqui discrimen 239.p
Auguralis scientia græce quomodo prius græcis dicta sit 449.f
Augusti oculi quales fuerint 410.f
Augustini locus 654.m
Auicẽnæ de prophetis opinio 466.m
Auicennæ locus 654.f
Auis nulla canit cũ aliquo afficitur incommodo 504.p
Auium generatio qualis 733.f
Auiarium in anima fingit 161.p
Auri pondo, quot argenti ualuerit 4.p
Aurum ignitum apud Ioannem in Apocalypsi quid significet 43.p
Aurum non simpliciter pulchra facit 106.f
Aurũ quàm difficile purgetur 220.m
Aurum multum in capitis esse continere pulchrum putant Scythæ 265.p
Auri & argenti habendi lex 802.m
Aurium circuli quanti esse debeant 390.f
Autochthones qui 739.f
Autolycum maternum Vlyssis auũ admiratur Homerus 533.f
Autoris sententiã & rationem an quærere oporteat 461.m
Auxilium pulchrum quod 33.m

B

Bneq; uocem neq; sonum ullum habet 163.m
Bacchus quid Platoni significet 757.f
Bacchantes fœminæ mente non sana, mel & lac ex fluminibus hauriunt 170.f
Bacis quo pacto cognominandus 10.m
Bactrianis quis leges tradiderit 49.p
Baptista Leo architectus 698.p
Barbari quæ studia minime curent 421.p
Barbarorũ uoces multas accepisse Græcos 318.m
Bartholomeus Fatius rhetor egregius 699.m
Basem uocabulũ esse diuersum 556.f
Batica quid à Myrine differat 310.f
Beatus qui 122.f. 357. p. 386.f 430.f 762.f
Beatum uiuere quid 287.m
Beatitudo cuius boni adeptio sit 1.p

Beatitudinis gradus quis distribuat 386.p
Βέβαιον unde dicatur 330.m
Belle omnia, Prouerb. 262.m
Bellū quibus de causis suscipiatur 30.f
Belli calamitates magnæ 551.f
Bellū à seditione quid differat 596.p
Belli studium ad quid referendum 744.f
Bello quæ exercitia conducant in ciuitate 843.m
Beneficiū sine mercede contulisse quos maxime deceat 369.m
Beneuolentiam reciprocam amicitiam esse uocandam 120.p
Bernardus Nutius rhetor 373.p
Bestias multas non nisi ab homine gubernari posse 225.p
Bestiarum libertas in ciuitate populari quanta 639.p
Bias cur abstinuerit à ciuilibus actionibus 108.p
Bias Prienæus 241.f
Bibens quō seipsum decipiat 757.p
Bilis qualitates 399.f
Bilis quid, & unde 729.f
Bis eadem recensere ridiculum 256.m
Byzantius optimus orationum faber 459.f
Bis atq; ter quod pulchrum, Prouerbium 359.f
Βλάβερον quid 321.f
Bœotiorum de amore lex 421.p
Bœotios auxiliū ab Athenienſibus implorasse 526.p
Bonum duplex 1.p
Bonum appeti ab omnibus hominibus 1.p. & 2.m
Boni natura quomodo consideretur à philosopho 4.m
Boni intelligentia à quo, & in quibus infundatur 8.f
Bonum nullum quin scientia comprehendatur 22.p
Bona à bonis perdiscenda 25.m
Bonorum possessio unde 34.p
Boni uiri qui uocandi sint 37.f
Bonus quisq; in eodē est in quo & prudens est ibidem
Bonii petitio quando secura, & quando periculosa 42.f
Bona omnia à dijs ad nos descendere 59.f
Bonum cur nobis ignotum 64.f
Boni summi triplex conditio 81.m
Bonorum gradus ibidem
Bonum animantium rationalium quod iuxta Socratem 81.f
Boni conditio an sit perfectum esse 86.p
Bonum nemo appetit nisi cognoscens 86.p
Bonū omne non esse uoluptatem 89.p
Bonum id cuius gratia fit 100.f
Bonum & iucundum duas differentes naturas esse 103.p
Boni natura quo ab alijs discrepat 103.p
Bonum in mixta uita indagandum esse 103.f
Bonum quibus & quot ideis comprehendatur 105.p
Bonum secundum se esse oportere 110.f
Boni summi appetitus in nos quid agat 120.f
Boni bonis inimicissimi 125.f
Bonum, mali remedium 128.p
Bonum, utilium principium & finis 131.p
Bono oppositū aliquid esse semper necesse est 150.f
Boni quo à malis differant 211.m
Bona ex omni rerum genere quæ nam sint 256.p
Bonorum omnium summum quod 256.m
Bonorum possessio & usus an ad bene, beateq; uiuendum sufficiat 256.f
Bonū nihil aliud quàm scientia 261.f
Bona unde in corpus dimanent 279.f
Bonus ad illa quisq; est, ad quæ etiam sapiens fuerit 289.m
Boni ratio ad quam naturam pertineat 306.p
Bonorum gratia agenda esse omnia 360.p
Bonum honeste & recte agere quicquid agat 363.f
Bonus nullus accusat insontem 369.f
Bonitas rerum omnium quæ 377.f
Bonum quid dicatur 378.m
Bona cupiunt omnes 402.m
Bono uiro nihil mali accidere posse neque uiuenti, neq; defuncto 480.m
Bonorum premium quod nam, ut magistratum ineant 539.f
Bonū idē esse atq; expetendū 543.p & 544.m
Bona quæ nam uulgus æstimet 605.f
Boni quæstio difficillima 612.p
Boni filius quis 612.p
Bonum genuisse sibi consimilem filium 612.f
Boni maiestas quàm angusta 613.p
Bonum nunquam destruit quicquam 666.m
Bonum esse omnium causam 675.p
Bonorum ordo 749.p
Bonos esse illos qui sibimet imperare possunt 754.f
Bonum summū quomodo assequi possimus 922.p
Bonorum consensu non esse potentiam maiorem 927.m
Bonitatem in centro posuerunt Theologi 376.f
Bonitatem per doctrinam comparari non posse 25.p
Boreæ Orithyam rapientis fabula 443.f
Brachia quomodo assuefacienda 585.m
Brachmanarum philosophorum communio 585.p
Brasidas Achilli collatus 439.m
Breuiloquentia Laconica 244.f
Breuiloquentia socratica 239.m
Breuitas loquendi conscia à Lysea & Gorgia adinuenta 460.p
Brutorum pastores cur homines 206.m
Bruta cui commendata sint 225.p
Brutū nullum ea quæ homo nosse posse 298.m
Brutorum beneuolentiæ, an amicitiæ dicendæ sint 301.f

C

Cadauera quō curāda 903.f
κακία quid significet 320.f
Cadmea disciplina nulla 753.m
Cæci præceptum, modus loquendi socraticus 166.m
Cædem duplicem esse 859.p
Calamitas dea qualis iuxta Homerum 427.p
Calceos quis primus confecerit 232.f
Callias Calliadæ filius cuius consuetudine doctus euaserit 35.m
Callie filius quis 85.m
Callias orator Socratis inimicus 409.p
Calliclis oratio de philosophia 353.p
Calliclis qui nam sententiam secuti sint in leuiter philosophiam attingendo 354.f
Callides Acharneus uoluptatem bonumq; idem esse dicebat: item scientiam & fortitudinem, tum inter se, tum à bono differre 358.m
Callicrates Cyane nata quid nouisse dicta sit ab Anacreonte 11.p
Calliope Orpheum afflauit 168.f
Calliope uox sphærarum omnium 168.f
καλλος quid 388.p
καλὸν quid significet 321.p
Calor ex motu 129.f
Calumniam in omnibus multam esse 609.m

Calumnias quis dicendo, & conficere & soluere facile potuerit 460.p
Calyptra regio ubi, & cur sic uocitata 37.p
Cambisæ gubernatio qualis & inde 778.p
Cancer sophisticus 264.p
Cancro Mercurium præesse 393.f
Canephoria soror Hippeæ 3.p
Canes lacenæ 62.p
Canem cognitione & ignorantia præditum esse 552.f
Capilli cur in cute nati 726.p
Caput membrũ esse diuinissimũ 711.f
Capitis textura qualis 726.p
Capricorno uestam præesse 393.f
Car quidam 258.f
Carceres non uiolandi etiam si posßis 484.m
Carceres in ciuitate quot esse debeant 879.f
Carmina sua unde carpãt poetæ 170.f
Carminatoris diductio 211.p
Caro mollis qd indicet in hoïe 391.m
Carnium natura 725.p
Carnibus uesci quando impium fuerit 820.m
Carolus Marsupinus 373.p
Carthaginensibus quis leges tradiderit 49.p
Catellæ perinde ac heræ sunt, Prouerbium 639.p
Catena aurea Homeri 140.p
Caupones qui sint 550.f
Cauponaria est commutationis species 178.p
Cauponari quibus liceat 850.p
Cauponatio cur instituta sit 884.f
Causæ ab effectibus quõ distinguendæ, & quomodo assignandæ 57.m
Causa quid 115.m
Causa & concausa in geminis artibus consideratur 210.f
Causam qua singula fiunt quomodo inuestigare debemus 510.f
Causarum duæ species 723.p
Causas rerum omniũ tres esse 871.m
Causa quomodo dicenda 899.f
Causidicos abundare sapientibus uerbis 1.f
Causidici corrupti carpuntur 893.p
Causidicos non esse sapientes 912.m
Celeritas quibus in rebus commẽdetur 280.f
Ceneus thessalus in fœminam commutatus 897.f
Census maximus ciuiũ quem uult Plato 808.f
Censorum electio & officium 812.f
Censura iudicialis cur inuenta 180.m
Centum pro uno accipietis Euangelij locus 655.f
Centrum cur deus appelletur 376.f
Centrũ qd iuxta mathematicos 376.f
Ceramicus locus 61.f
Κεραὸς βολαὶ 853.m
Cercyonis luctatio inutilis 827.f
Κεργόαλέου quid 321.m
Cerea effigies in animo ab homero quomodo uocata sit 159.f
Cerebrum quibus rebus offendatur 410.p
Ceremonias externas quis abstulerit in numinis adoratione 42.f
Ceremoniæ circa defunctorum cadauera antiquissimæ 50.m
Cereris etymologia 316.p
Certamen homini quod acrius subeundum 336.f
Certamen maximum in hac uita quod 654.p
Certaminum partitio 843.f
Certandum esse de uirtute absq; inuidia 797.f
Chalcedonij oratoris præstãtia 460.p
Chalcis à Cymindi quid differat 310.f
Chaos ante mundum & deos quis posuerit 373.f
Chaos quomodo uocetur à Platonicis 374.p
Charitatis uis quanta 391.f
Charmidi Glauconis filio male succesßit spernenti dæmonij socratici præceptum 12.m
Charmides grauis & uerecundus à Socrate factus 416.p
Charondas quibus leges tradiderit, & in quem earundem inuentionem retulerit 49.p
Charmides Glauconis filius 229.f
Charondam qui celebrent 662.m
Chilo lacedæmonius 241.f
Chorea quid 759.p.764.p
Choreæ Aegyptiorum quales 760.f
Choreæ partes quæ 767.m
Chori tres in ciuitate quomodo instituẽdi 763.f
Chori princeps quomodo eligendus 813.p
Chori quomodo distribuendi in ciuitate 844.p
Christi uitam totius esse uirtutis ideam 486.f
Christianorum communitas 585.p
Christophorus Landinus poeta 373.p
Christophorus Marsupinus 373.p
Chromatica quid 692.p
Cibi definitio 3.f
Cibi usus duplici de causa necessarius 637.p
Cicadarum origo 456.f
Ciconiæ amoris comparatio 42.m
Cimo quomodo imperauerit 11.p
Κίνησις unde dicatur 325.f
Circulo conclusum aliquid in medio stare oportere 67.p
Circuli quatuor ãßidue reuoluti circa centrum, qui 376.f
Circulus unus à deo in mundum & à mundo in deũ tribus nominib. nuncupatur 376.m
Circũuallationũ duplex ratio 209.f
Citharistæ artẽ q tenere dicatur 164.f
Citharœdica ad quid conferat 361.p
Ciues quomodo boni fiant 288.f
Ciuium nomina quæ 592.f
Ciuem quæ non deceant 885.m
Ciuilis sapientia quid 8.m
Ciuilis scientiæ subiectum quod & finis 8.m
Ciuilis peritia quomodo uirtutis definitione comprehendatur 14.m
Ciuiles recta opinione ciuitates gubernant 27.p
Ciuiles diuino afflari numine 27.p
Ciuilia cur non tractarint prisci sapientes 108.p
Ciuilis an in scientum numero collocandus 200.m
Ciuilis, rex, dominus, pater familiâs an idem sint 200.f
Ci. facultas circa quæ uersetur 204.p
Ciuilis ars quæ 208.m
Ciuilis ars unde denominata 209.f
Ciuilis facultas quomodo ab alijs differat 221.m
Ciuilis scientia quæ ibidem
Ciuilis scientia quid in constituenda ciuitate obseruat 222.f
Ciuilis administratio quibus cõstet partibus 233.p
Ciuilis actionis finis quis 223.f
Ciuilem disciplinam omnibus præfert Plato 224.f
Ciuilem uirtutem donum esse diuinum 225.p
Ciuilem facultatẽ non solũ rebus humanis, sed etiã artib. imperare 225.m
Ciuitas quæ optima, & ex quibus talis constituatur 46.m
Ciuilem uirtutem qui falso profiteãtur 252.m
Ciuilem artem ad animam pertinere 344.p
Ciuilitatis figuræ quatuor præcipue numerantur 678.f
Ciuilium gubernationum matres duæ 777.f
Ciuilem artem tria requirere 881.f
Ciuitates quãdo opti. gubernẽtur 7.f

Ciuitates quõ conseruentur 28.p
Ciuitas quo remoto melior fiat 38.m
Ciuitatis felicitatem quæ non promoueant 41.f
Ciuitatem quid pulcherrimã aut contrà turpißimam faciat 49.f
Ciuitatis administratio recta apud unũ uel apud paucos 217.m
Ciuitas suapte natura robusta 219.m.f
Ciuitatis ornamentũ quod 232.f
Ciuitatem non lapides sed homines faciunt 415.f
Ciuitatem nulli placere posse cui non etiam leges eius placeant 485.f
Ciuitatis actio tam publica quàm priuata quò deducenda 528.f
Ciuitas sine quibus nec ab initio constitui prospere, nec constituta feliciter gubernari possit 529.p
Ciuitatem cõstruere in eo loco qui coniunctionibus non egeat est impossibile 550.m
Ciuitatis male institutæ signa 557.p
Ciuitatem non diuitijs, sed uirtute seruari (& 566.p 571.m
Ciuitatis magnitudo quanta esse debeat 571.m & 574.f
Ciuitas cur sapiens appellanda ueniat
Ciuitas quãdo iusta esse dicatur (576.f 580.p
Ciuitas quando optime habeat 593.p
Ciuitatibus qui dominari debeant si felices esse debeant 597.f
Ciuitatem nullam à malis requiem habituras donec in ipsis philosophi dominentur 603.f
Ciuitas quæ nam careat seditionibus
Ciuitas popularis quid (620.m
præclarum putet 638.m
Ciuitatis popularis triplex diuisio 639.m
Ciuitas tyrannica, libera ne dicenda sit an serua 645.m
Ciuitatis tres species 646
Ciuitas ne aliqua per Homerũ facta sit melior 662.m
Ciuitatis cuiusdã quæ ante diluuiũ fuit præstantia narratur 703.p
Ciuitatis felicitas in quibus consistat 769.m
Ciuitatem & liberam & prudentem, sibi amicam esse oportere 777.f
Ciuitatis situs qualis esse debeat 785.f
Ciuit. copia quanta esse debeat 786.p
Ciuitatis dispositio quæ melior & uelocior 788.p
Ciuitatem fundare bonis legibus quàm difficile 789.p
Ciuitas quo nomine appellãda 789.m
Ciuitas quomodo diuidenda 803.f
Ciuitatẽ ppetua egere custodia 810.p
Ciuitatis fines quomodo & unde appellandi 811.m
Ciuitatem qui offendit, omnibus iniuriam intulisse dicendus est 814.m
Ciuitatem pateræ similem esse, difficile intelligi posse 816.f
Ciuitatẽ debere singulis mensibus bellicas uires experiri 841.f
Ciuitates quid connectat aut dißipet 862.m
Ciuitatem capitis quandam esse capacitatem 906.p
Cleobulus Lindius 241.f
Cleophanis filius Themistocles 24.m
Cleombrotus qualiter affectus fuerit ex Platonis scriptis 654.m
Clinias Alcibia. pater ubi perierit 32.m
Clio Martis uox cur dicta 168.f
Clipeatus uir 145.f
Clitonem quis genuerit 739.m
Cnosos ampla ciuitas, & quis in ea regnauerit 51.f
Cocytus 489.f
Cocytus locus quis 518.p
Cœlij nomen quot significata habeat 304.m
Cœlius quando à Saturno castratus 393.m
Cœlo cur circuitus à deo datus 205.p
Cœli cur nouem 394.p
Cœlos octo esse iuxta Platonẽ 395.p
Cœli animam totam esse in quibuslibet cœli punctis 381.f
Cœlum cur caleat 615.f
Cœli uinculum 669.f
Cœlũ esse calidũ, sed nõ urens 684.p
Cœlum quæ præcesserint 715.f
Cœlum deum facit 913.p
Cœlestia cur quidam coluerint 465.f
Cogitare quid 157.p
Cogitatio & oratio an idem 195.m
Cogitationis definitio qua separatur ab oratione 195.m
Cogitationis conclusio quæ 195.f
Cogitationes partim ueras, partim falsas necessario esse 196.f
Cogitationẽ uerbis tribuere qd 260.p
Cogitatio uehemẽs quãtũ possit 412.f
Cognatio amicitiæ principium 119.m
Cognitionem suijpsius, & aliorũ philosophiam esse 7.m
Cognitio rerũ scibilium quid 8.m
Cognitio unde oriatur 31.p
Cognitionẽ quæ deprauent 332.p
Cognitio hũana à sensib. oritur 378.p
Cognitio & cognoscibile quid 598.f & deinceps
Cognitionem rerũ optimarũ ab oculis nobis allatam esse 712.f
Cognosci posse aliqd duob. mod. 29.m
Cognoscere seipsum difficillimũ 39.m
Cogno. ab opinari qd differat 166.p
Cognoscere cognosci, actio an passio sit 188.f
Cohibendi scientia quæ 7.f
Colendi rectus modus 890.p
Collaudationes quis primus inuenerit 459.f
Collectio, et discursus per ea quæ à sensu proficiscuntur 13.f
Colophoniũ suffragiũ, prouer. 930.m
Coloris secũdũ Gorgiã definitio 17.p
Coler à colore non differt, cum tamen nigrũ albo etiã sit contrariũ 82.m
Colores unde, & quid 722.p
Comica quæ effusiorem cõcitant risum damnat in tertio Dial. de Iusto p to.
Comitia ingredi qui cogẽdi sint 813.m
Commercij duæ species 178.p
Commercia quid sint 533.m
Commiserationes quis orando mirifice egerit 460.p
Commixtione sublata nulla de re loqui possemus 193.f
Cõmunicatio inter bonos ciues 550.p
Communio rerũ quõ discenda 190.f
Communio filiorum, uxorum, & rerũ ubi fuerit 585.p
Commutationis duæ species 178.p
Commutatio in ciuitate, quæ 850.p
Comœdia duplici utitur narratione 560.f & 561.p
Complexionẽ speciei naturalem unde hauriant homines 53.p
Composita omnia à superiori simplicitate pendere 674.f
Compotationes in ciuitate sint ne admittendæ 752. per totũ, & dein.
Cõputãdi facultas ĩ speculãdo uersatur
Concentũ ex discrepan= (201.p
tibus constare 423.m
Concentus effectus qui 687.m
Conceptio immortalis in hoĩe 432.m
Concinnitas quid 375.p
Cõcionatorib. qd nõ cõcedẽdũ 369.p
Conclusio aduersa 145.f
Cõcordia quã omnib. reb. utilis 381.f
Concupiscibilis in anima potestatis actus quis 13.f
Concupiscentiæ nomine quid appellandum ueniat 92.p
Conditionalis sapientia quæ & quibus cõmunis 8.m
Cõducibile an genus pulchri sit 115.p
Cõfabulari quõ liceat de reb. antiquis, quarũ ueritas ignoratur 556.p
Confabulatio quando nata in ciuitate
Confessio apud Christianos utilis, & cur (737.f 289.p

Confusio in ciuitate quid dicatur, & quantũ mali apportet 579.f
Connus Metrobij filius citharista insignis 253.m.394.m.522.m
Consideratio quarum rerum pulcherrima 354
Considerandatria in omni re 373.f
Considerare seipsum, maximũ esse studium 440.f
Consilium res sacra 9.m
Consilia quæ bona 38.m
Consonantia quæ nam magis oblectet 289.
Consonantiæ nouem gradus 556.f
Consonantia quõ definiatur 689.f
Consonantiarum origo 690.f
Constitutiones quando legum nomine dignæ sint 784.p
Consuetudo quid 329.f
Consuetudinẽ inire quibus cum sit difficile 28.f
Consulere ad quem pertineat 29.f
Consulens quid principio obseruare debeat 446.m
Cõsultaturi quid præfinire debeãt 9.m
Consultationem in ijs quæ nos agimus quid perficiat 14.p
Consultatio matura præponi debet rebus grauioribus 228.f
Consultatio de ea re dicitur esse, cuius gratia aliud quæritur 293.m
Consultatio humana talorum iactui similis 664.m
Contagio quæ facilius generetur, & grauior sit 411.m
Contemplatio ueritatis, cuius ex tribus animæ uiribus opus sit 13.f
Contemplationẽ quid perficiat 14.p
Contemplatio uniuersa in duo distribuitur 201.p
Contemplationis donũ à quo detur hominibus 395.f
Contemplatiua uita diuinissima 91.m
Cõtemplatiua uita quantũ actiuæ præstet 528.f
Contemplatiua et actiua circa quæ uersentur 398.f
Contẽplat. animi amor diuinus 399.f
Contendere est aduersariorũ 239.m
Contentio quid 178.f
Contingens nõ est ubi uoluntas est atq; necessitas 678.p
Contradictio quæ 178.f
Contradictio commerciorum sine nomine est 178.f
Contradicendi ars omnia in controuersiam deducere potest 182.p
Contradicere aliud q̃ cõuitiari 259.p
Cõtraria duo nõ posse esse ĩ eodẽ 43.f
Contraria contraria non amant, licet appetere uideantur 120.p
Contraria contrarijs dignosci 133.m
Contraria quomodo pendeant à se inuicem & cõnectãtur 497.f per totũ
Contrarium sibijpsi nunquã fieri contrarium 513.m
Contraria & si alicui nõ sint cõtraria ipsum tamen non admittũt 514.p
Contrarij unius summum alterius esse principium 630.p.639.p
Cõtraria cur difficile discãtur 834.m
Controuersia iudicabilis quæ 178.f
Conuersioni cui pedes nec crura dederit deus 707.p
Conuexum duplex 727.m
Conuiuium platonicum unde originem habuerit 373.p
Conuiuia commode ne admittenda sint in ciuitate 751.p
Conuiuiorum leges 812.p
Conuiuium nuptiale 817.m
Copiam non minus quàm inopiam ciuitati nocere 571.m.524.p
Coqui uerba contra medicum 370.p
Coquinariæ artis uocabula 179.m
Coquinaria ars ad profiteatur 210.p
Coquinaria ars nulla, sed peritia quædam 343.m
Coquinaria medicinã simulat 344.m
Cor quando nõ recte se habeat 159.f
Cor esse uenarum originem 723.f
Corinthium luxum damnat 565.f
Corinthios auxilium ab Athenienſibus imploraſſe 526.p
Coronã datã esse propter artẽ à militibus tanquã primitias 48.m
κόρος 312.m
Corporis bonã habitudinẽ quæ faciunt 5.f
Corpore quid nam utatur, & idem imperet 40.p
Corpus qui nouit, sua non seipsum nouit 40.m
Corpus ab elementis quatuor suscipiũt homines 53.p
Corpus receptaculum doloris & uoluptatis quæ passione fit 95.p
Corporis nomine quod appellandũ uenit ex quibus cõponatur 90.p
Corpus hominis instrumentũ 119.m
Corporis habitus corruptio 140.p
Corpus in infimo gradu colloc. 167.p
Corpus quomõ afficiatur furoris quatuor speciebus 167.m
Corporis particeps, nõ est mutationis expers. 205.m
Corpus sub anima temperata immortale effici posse 277.p
Corpus sine anima curari non posse 279.m
Corporis habitus robustus quõ acquiratur 291.f
Corpus animæ sepulchrum 314.p
Corpus bene affectum non omnes cognoscunt 344.p
Corpus curans ars duplex 344.p
Corporis malum quod 349.f
Corporis ordinatio quæ 362.p
Corporum formæ post animũ sequenti gradu disponuntur 378.p
Corpora post mortẽ qualia fiat. 371.p
Corporis pulchritudo quid, & quibus ex rebus constatur 380.f
Corpus quarum rerum concordia constet 381.f
Corpus ex quibus constet 384.p
Corpus hominis instrumentũ 384.m
Corporum operationes unde proficiscantur 384.m
Corpora iugiter fluere 384.f
Corpora pulchra non esse ex sua ipsorum materia speciosa 388.m
Corpus et pulchritudo cur diuersa sint
Corporis proceritas quanta esse debeat 390.m
Corporis pulchritudo quid 390.f
Corpor. humani proportio qualis esse debeat ibid.f
Corpus humanũ cœlo debet esse simillimum 390.f
Corp. omniũ quõ prægnãs sit 391.p
Corpus omne ab alio quodam moueri 403.m
Corpora non esse seorsim ab animis diligenda 404.f
Corpus inanime quod 434.p
Corpus aereũ quod nam secundũ Proclum & Platonem 450.m
Corpus philosophãti impedimẽto esse 494.m.& deinceps
Cor. quãta mala in orbe excitet 494.f
Corpus diu durat apud Aegyp. 502.p
Corporis quædam fermè immortalia 502.p
Corpus nobiscũ, aut cũ mente agit, non aũt mẽs propter corpus agit 511.p
Corpus bonum ex bono animo fieri 557.p.565.m
Corpus ciborũ uitio dissipari ne possit 666.f
Corporis proprietas 712.p
Corporis naturali habitudini quæ aduersentur 729.m
Corpus eò dirigitur, unde primus animæ datus est motus 733.p
Corporis formam non esse uirtuti anteferendam 796.p
Corpus cur honorandum & quomodo 796.f
Corpora quæ pulcherrima sint 824.f
Corporis exercitationes quæ liberales 827.f
Corporis motus duplices 835.p

Corpus humanorum delictorũ purgatorium esse aptum 852.f
Corpus tanquam imaginariũ quiddam hominem sequi 903.f
Corporum quinq; genera 909.m
Corporis motum qui prætulerint animæ 917.f
Correctionis quàm studiosus fuerit Socrates 343.p
Corruptiõis genere quot cõprendenda ueniant, regula notatur 91.p
Corrumpitur quodlibet à propria sui prauitate 666.m
Corybãtes nõ sana mente saltãt 170.f
Corybantes aliquem initiaturi quid faciant 255.m
κόσμος græcis quid 374.m
Crãtor primus Platonis interp. 672.f
Crateuas cur Archelaum Macedonum tyrannum occiderit 43.f
Cratistolus 927.p
Creata oĩa esse ex nihilo à deo 196.p
Credere an idẽ sit quod discere, & credulitas quod disciplina 340.p
Credulitatem aliam ueram, aliam falsam 340.p
Creonis interpretatio de corõis 48.m
Cresphantes Messenes rex 773.m
Creta populosa, & in qua nonaginta urbes 51.f
Cretam Lacedæmonijs leges tradidisse
Creta intelligentiæ magis quàm uerbis studet (51.f 753.f
Cretensib. quis leges tradiderit 49.p
Cretenses inter græcos à compotationibus abstinuerunt 52.p
Cretensem rẽp. à multis laudari 630.f
Criso Imereus cursor celeber 238.f
Criteas Callæscri filius 229.p
Crito Socratis auditor 476.f
κρόκη quid 325.f
Crisippus Pæaneus 253.f
Culpa cur doloribus aboleatur 655.m
Cultus difficilior plantatione in agricultura 9.p
Cunctorũ uoce qd significetur 182.m
Cupidinem Veneris comitem quis dicat 370.p
Cupidines tot esse quot Veneres. ibid.
Cupiditas lucri quæ nam bona & laudanda, uel contrà 1.p
Cupid. quid in animãte declaret 92.m
Cupiditas quæ uehementior 315.f
Cupiditas quando expleta esse dicatur 388.f
Cupiditatem innatam esse ab incunte ætate 124.m
Cupiditatem omnem doloris esse participem 358.f
Cupiditates quid uere expleat 361.f
Cupiditatis uaria nomina 446.f
Cupid. imperium quod 446.f
Cupiditates tres esse 650.p
Cura quid in unaquaq; re intẽdit 58.f
Cura erga nostros 135.f
Cura & curator duplex 208.m
Curare seipsum quid 39.p
Curat quisq; quæ max. diligit 569.p
Curatio humana duplex 208.m
Curetarum armatorum lusi 827.f
Currere male uel bene quinam dicatur
Currus quid 165.p (274.p
Custodem qualem corpore oportet esse 552.m
Custodes ciuitatis quæ audire non deceat 554.555 & deinceps
Custodem nihil magis quàm ebrietas decet 565.m
Custodes in ciuitate ad turpia prohibẽda qui 593.f
Custodum officium & ingenium quale esse debeat 600.f
Custodes legum quamdiu in eo munere uiuere debeant 808.f
Custodum in animis naturam duplicem esse debere 700.f
Cyclopum simplicitas 772.p
Cygnus in numero solarium animaliũ refertur 488.f
Cygni quur gratulentur & suauius canant morituri 504.p
Cygnum ad humanæ uitæ electionẽ cõuersum quis uiderit 671.m
Cinesias Meletis filius 361.p
Cynira ditior prouerb. 762.p
Cypselidæ in Olympia. 445.f
Cyrenaicis qs leges denegauerit 49.p
Cyrus Persas in libert. redegit 524.p
Cyri gubernatio qualis 778.p et inde

D

Δ Pro ζ sæpe ponebant antiqui 322.per totum
Dædali statuæ ligatæ magni fiũt 26.m
Dædali origo ad quem referatur 36.p
Dædali opera, prouerb. 58.p
Dædalum ridiculum fore si reuiuisceret 108.p
Dædalus Metionius statuarius 170.m
Dæmonium Socratis 12.m
Dæmonium Socratis non omnes ad Socratis cõsuetudinẽ admittebat 12.f
Dæmoniũ Socratis nõ esse illi aduersatum cũ in iudiciũ descẽderet 479.f
Dæmonum simulacra quæ 196.f
Dæmones sortiti animaliũ curã 206.p
Dæmones altiores incorporeæ, humiliores corporeæ naturæ fauẽt 125.p
δαίμονας quos Hesiodus putauerit
Dæmones malos nonnullos esse qui senserint (313.p 395.m
Dæmonũ Veneream ordo 396.p
Dæmonũ amicitia quosdam in Magos euasisse 401.f
Dæmonũ natura munia et offic. 430.f
Dæmones tradere diuinationẽ & magicam ibidem
Dæmonibus cur aliqui sacrificauerint 465.f
Dæmones quidam in tot distribuunt ordines quot ĩ cœlo sunt stellæ 465.f
Dæmonum alij patibiles, alij longæui, alij immortales 466.p
Dæmones cur nostris temporibus miracula non excitent 466.f
Dæmonum influxus cur in statuas deriuauerit 466.f
Dæmones quomodo in mentibus humanis attrahantur 467.m
Dæmo. multos Ioui rebellasse 467.m
Dæm. deos esse, aut deorũ fil. 473.m
Dæmonum genera quot 659.m
Dæmonum triplex diuisio 673.f
Dæmones cur coli iubeat Plato 785.p & 791.p
Dæmonum natura qualis 910.p
Dæmonica præstigia quæ 175.p
Damno lucrum contrarium 11.p
Damnum malum ibidem & 2.p
Damonis de musica sententia 575.p
Darius immortalis in ciuitate scriptor 456.p
Darius ad Scythas usq; suum extendit imperium 524.p
Darij gubernatio qualis 778.p et in.
Data recte auferri nõ debere. prouerb. puerorum 85.f
Datis Darij exercitus præfectus cõtra Athenien. 524.m
Dati cur mors à Dario indicta 779.f
Debitũ qd appellet Simonides 533.p & an inimico reddendum ibidem
Deceptio unde oriatur 194.p
Deceptio in quibus accidat 457.f
Decipienti quid notũ maxime esse debeat 457.f
Declarationũ quæ citra essentiam uoce fiunt genera duo 194.f
Decorum quid 113.f
Decorum incorporeum esse, & pluribus commune 106.p
Definitio quid 134.p
Definitio absurda quæ 134.m
Definitio græcis quõ dicatur 165.p
Definitio per differentias 166.p
Definitio absq; diuisione haberi nõ potest 174.f
Definitio per diuisionem qua in re peccet 208.m
Definitionis ars 208.f
Definire cuius sit artis 626.p

Definire idē per idē stultū esse 602.p
Defluxus secundum Empedoclem unde manent 17.p
Deformitatem tollit gymnastica ars 180.m
Defuncti quo uinculo teneantur apud Plutonem 315.f
Defunctis aliquid superesse sperabat Socrates 493.m
Defunctos plerosq; ad Acherusiam paludem deuenire 517.f
Defunctis ingratas esse uiuentium lugubres querelas 521.f 527.f
Defunctorum annua cura habenda 791.m
Defuncti animā perturbationibus esse obnoxiam 852.p
Delectandi modi plures 82.m
Delectans uisum & auditum an genus pulchri sit 115.f
Delictorum causas tres assignari posse 851.p
Delinquere in dei nomen quàm graue sit 441.p
Delphici oraculi sensus quis 7.f
Delphicum oraculum quomodo omnis generis homines peccando offendant 98.p.m
Delphicæ inscriptiōis expositio 41.p
Delphici dicti expositio 283.p
Delta regio ubi 702.m
δημιτης quid significet 316.p
Demētes quō euadāt homines 410.p
Dementium animum uanum appellauit quidam 457.m
Democritum negligentiorem in diuinis, q̄ in naturalibus 616.m
Demonstrare qui nouit uni, & multis quoq; posse 33.p
Demonstratione necessaria in rebus arduis non uerisimili utenda 144.f
Demonstrationes quæ cauēdæ 508.p
Demonstratio de animi immortalitate 665.m
Demosthenis Platonis auditoris sententia pulcherrima 654.m
Denarius numerus qualis 529.p
δεον quid 322.p
Derisio quid 98.f
Deteriorē se nemo ne faciat sua sponte 555.p
Deus quomodo adorandus 42.f & 47.f. 48.m
Deus nunquam iniustus, & nihil illi similius iusto homine 150.f
Deus solus sapiens est 174.f
Deus hospitalis 175.m
Deus cur hominem produxerit 198.p
Deus quomodo appelletur in unaquaq; lingua 303.p
Deus bonitas, pulchritudo, iustitia, medium, finis 376.p. & deinceps
Deus quomodo omnia ad se trahere dicitur 376.f
Deus quomodo considerandus 406.p
Deus quomodo amandus 408.p
Deus si mutaretur, in melius an in peius mutandus ueniret 555.p
Deus & quæ dei sunt omni ex parte bene se habent 555.p
Deus cur mentiatur nullam esse causam 555.f
Deus quomodo rerum autor dicendus sit 653.m
Deus consilium & cōsilij fons 397.m
Deus mundi auctor an idem sit & materiæ effictor 675.f
Deus quæ per se, quæ uero per media faciat 696.m
Dei imaginem uirum bonum esse 51.f
Dei mens qualis 168.m
Dei munera quomodo ad creaturas decidant 393.m
Dei definitio 913.p
Deo etiam non tantū hominibus tyrannidem adtribuit Theages 11.p
Deo omnia adscribit, & in deum refert Socrates 13.m
Deo quomodo tribuatur quod suum est 53.p
Deo inimicum aut amicum opus quod 56.p
Deo similes quomodo efficiantur homines 150.f
Deo magis obediendum esse quàm hominibus iuxta apostolicam uocem 474.f
Deo qui amicus aut inimicus iudicandus 791.p
Deum quomodo placandum esse asserit Socrates 13.m
Deum quomodo adorauerit & Plato, & Mercurius 42.f
Deum quid poscere debeamus 43.p
Deum uerbo aut opere ne offendamus, principio cauendum 51.f
Deum solum supremam habere scientiam 65.p
Deum humani generis fuisse pastorem aurea ætate 198.f
Deum orandum esse in contemplatione difficilium 88.p
Deum inter prudētes homines uersari 175.m
Deum omnia ex nihilo creasse 196.p
Deū omnibus rebus prouidere 226.p
Deum apud diuersos populos quatuor tantum literis appellari, & cur id 303.p
Deū unicū esse secundū Platonē 303.f
Deum omnia potentissime, & suauissime rapere 305.m
Deum sæpe cœlū cur uocemus 274.m
Deū pulchrorū omniū causam 377.f
Deum qui non esse asseruerint 385.f & 386.p
Deū qui fecerint corporalem 387.p
Deū animalē qui fecerint 386.p
Deum quidam animum, alij corpus esse dixerunt 386.p
Deum super angelos esse 405.m
Deū amore diligendū infinito 407.f
Dei umbrā in corporibus, similitudinē uero in animis, diligendam 408.p
Deum homini non misceri, sed per amorem colloqui & hominibus adesse 430.f
Deum non negligere bonos uiros, nec eorum res 480.m
Deū omnia sub bono cōclusisse 489.p
Deū bonorū tantū causam esse 554.p
Deū semper & ubiq; talem describendum qualis reuera est 554.p
Deū mortalibus causam præbere, quando uult funditus domum subuertere non esse credendum 554.m
Deum mortales affligere nō dicendum 554.f
Deum non esse mutabilem, ut Poetæ fingunt 554.f
Deū nō suscipere plures formas 555.p
Deum non esse indignum uirtutis, aut pulchritudinis 555.p
Deum esse idearum fontem 601.f
Deum adiri duabus uijs 614.f
Deum intelligendo concipere & fabricare uolendo 653.m
Deū omnia in numero mensura & pōdere fecisse 680.f
Deum aquarū diluuio peccata diluisse 735.f
Deum & fortunā, & opportunitatem cuncta gubernare 787.f
Deum ante omnia opera inuocandum 789.p
Deum eorum qui mentis compotes sunt dominum esse 789.m
Deum principium & finem & media rerum solum continere 790.f
Deū propter se adorari debere 839.m
Deum quàm reuerenter tractare debeamus 875.m
Deum omnia ad uirtutem, salutemq; totius ordinare 877.f
Deum negantes quò tandem euadant si impune dimittantur 880.p
Deum posse opus suum ordine tradito conseruare 910.p
Dei quomodo nominandi ab hominibus sint 314.m
De deorum nominibus nihil certi scire homines 314.m

Dij an pulchri sint 430.f
Dij Opificum qui 885.f
Deorum dissensiones irridendo docet unde prouenerint 56.m
Deorum opus præcipuũ quod 59.m
Deos nec tristari, nec lætari 91.m
Deorum originem quam esse dixerit 315.p
Deorũ opa distincte laudanda 420.m
Deorũ gesta qui cõscripserint 427.p
Deorum nullus philosophatur 431.p
Deorum genus qui attingant 502.f
Deorum amico omnia quoad fieri potest optima tribui 668.p
Deorum quorundam genealogia recensetur 710.p
Deorũ diuisio iuxta Platonicos 734.f
Deorum patriorũ statuæ quomodo ornandæ 785.p.791.m
Deos humana curare 876.m
Deorum uirtus qua boni esse conceduntur, quæ 876.f
Dijs quid in Panathenæis dare consueuerint, Græci 55.f
Deos dubitare, aut disputare negat Plato contra poetarum figmenta 56.f
Dijs nos nihil donare posse 59.f
Dijs quæ offerenda 902.p
Deos impie ab hominibus accusari 45.p
Deos non posse fieri meliores 59.p
Deos esse quis primus putauerit 232.f
Deos quos crediderint græcorũ prisci 313.p
Deos omnia propter pulchrorum amorem disposuisse 429.f
Deos cur quidam uenerati sint 465.f
Deos facile propitios fieri peccantibus 547.f
Deos gignere posse putat Plato 735.p
Deos esse quibus argumẽtis probet Plato 866.p.870.p.& 873.m
Deos scire, uidere & audire omnia 877.p
Deorum antiquæ leges dupliciter positæ sunt 890.p
Dialecticæ officium quod 190.f
Dialectica latinius dicitur quàm dialectice 251.f
Dialectica apud Platonem quid significet, & quomodo à Logica differat 251.f
Dialectica quàm sit necessaria ijs qui magnas artes attingunt 461.p
Dialecticam philosopho necessariam esse 625.m
Dialectica qua ætate attingẽda 628.f
Dialecticum haud alteri dandum quàm philosophanti 191.p
Dialecticus solus nouit recte interrogare & respondere 310.p
Dialecticus nouit recténe imposita sint nomina rebus, an non 310.p
Dialecticus consummatus, quis 441.f
Dialecticum pro Metaphysico accipit Plato 459.f
Dialecticum cuiuslibet scientiæ rationem capere 626.m
Dialogorum Platonicorũ species tres 13.m
Dialogi officia quot & quæ ibidem
Dianæ sterilis præceptum de obstetricibus 138.m
Dianæ etimologia 316.f
Diapason 572.p
Diapason ubi sedem habeat per totum 691
Diapente ubi sedem habeat per totum 691
Diaphragma quid diuidat 723.m
Diarrhœa & dysenteria quid & ubi generetur 730.f
Diatonica quid 691.f
Δίκωλον quid 843.m
Δικαιοσύνη quid 319.f
Dicendi arte alicubi carere homines 421.p
Dicendi recta ratio circa quæ uersetur 457.p.m
Dicendum quomodo sit arte 461.f
Dicta examinanda esse, nec statim admittẽda etiã si ucra uideãtur 57.m
Dictiones theologicæ 28.p
Didonis amorem melancholicum fuisse 413.m
Diei & noctis mensura unde 709.p
Difficilia præclara esse, Prouerbium 608.m
Digitorum cutis qualis 726.m
Δίδλία quid significet 320.f
Diligat quænam quisq; facile 569.p
Diluuij causa 735.p
Dimetiendi facultas quid 247.f
Dimidium quomodo dicatur plus esse quam totum 594.m.776.f
Dinomaches filius Alcibiades 37.p
Diodori Siculi locus 585.p
Diomedi nebula ab oculis absterſa cur fuerit à Minerua 48.m
Diomedea necessitas, Proverb. 606.f
Dion Syracusanus auditor et imitator Platonis 919.m
Dionis sententia de Repub. instituenda 933.per totum
Dionem honeste interijsse 937.f
Διόνυσος quid significet 316.f
Dionysium olim à nouerca mente deturbatũ uinum adinuenisse 767.p
Dionysiacus seniorum chorus 764.p
Diotima fatidica mulier 394.m
Diotima fatidica Atheniensibus mobi dilationem dedit 430.p
Δίφιλος 313.f
Discere an idem sit quod credere, & disciplina quod credulitas 340.p
Discentes ad quos nã ire debeãt 11.m
Discendi studiosum & philosophum, idem esse 552.f
Disc. uoluptas qualis et quãta 647.f
Discendum tamdiu, quamdiu uiuendũ 289.p
Discendum esse in omni ætate potius quàm docendum 529.f
Discenda quæ sint in ciuitate bene instituta 833.m
Discernere per genus quid 191.p
Disciplinas ex ijs esse quæ animæ adhibentur, eidemq; conferunt 6.p
Disciplinæ quæ nam utilitatem afferunt ibidem
Disciplina regia quæ 8.m
Disciplinam esse reminiscentiã 19.m
Disciplinarum uoluptates duplices 99.m.f & quorum hominum
Disciplinarum mercatura 178.p
Disciplinas periculosius emi quàm cibos 229.p
Disciplinis quæ res aduersentur 627.f
Disciplinæ definitio 745.m
Disciplinæ caput quod ibidem
Disciplinam quid soleat uocare Plato 757.m.758.f
Disciplina prima an sit per musas & Apollinem 759.p
Disciplina duplex 827.m
Discursũ phantasiæ qd perficiat 14.p
Dissentire à sapientibus, inscientiæ est argumentum 273.f
Dissensio quid pariat 56.p
Differendi facultatem diuinum esse donum 225.m
Differendi rationem tractat 625.f
Dißimilia amica esse nõ posse 120.p
Dissonantia quæ nam magis offendat 289.p
Disso. suijpsius peior omni alia 352.p
Dissonantiæ nouem gradus 556.f
Dissonum quid 432.m
Disputare interrogando quis consueuerit 175.f
Disputandi modus dialecticus quis, & contentiosus quis 16.m
Disputandi modus Socraticus 289.p
Disputandi præcepta duo 488.f
Disputandi præceptum 341.m
Disputationis finis quis 83.p
Disputationẽ eam finitã dici non posse quæ perplexos animos reliqt 85.f
Disputatio longa nõ temere damnãda 213.p

Disputatio de rebus Poeticis qualis sit
Disputationes sapien= (243.f
tum quales sint 243.f
Disputatores ueri qui 243.f
Disputationem non egere ornamento uerborum 298.p
Distantia medium habent 78.f
Dithyrambus quid 780.f
Diues qui casu factus sit 23.p
Diuitem solum sapientem esse 43.p
Diuitẽ nullũ esse nisi sapientẽ 465.m
Diuites cum tyrannis quam habeant si militudinem 646.p
Diu tes ualde,bonos non esse 803.p
Diuitijs q illustres apud græcos 14.m
Diuitiæ tertium inter optima locum occupant 339.p
Diuitias non multum admirantur qui, eas non pepererunt 532.p
Diuitias afferre timorem mortis possidenti 532.p
Diuitias male possidenti nullum afferre splendorem 527.p
Diuitias immoderatas obesse ciuitati 571.m 574.p
Diuitias simul cũ uirtute in ciuitate honorari difficile 630.p.633.f
Diuitias nimias in ciuitate prohibere q̃ salutare sit 844.m
Diuitiæ tertium bonorum tenent locum 860.p
Diuidendum quousq; 212.p.213.p
Diuisionis genera in species causa uetus superioribus ignota 197.p
Diuisionis magister est dialect. 459.f
Diuisionem ciuitati esse pernicios ssi= mam 592.m
Diuinorum cognitio 134.f
Diumæ affectationis opera duo 196.f
Diuinorum conditio 205.m
Diuini & humani generis cognatio
Diuinũ quiddam exci= (304.f
piamus,Prouerb. 606.p
Diuinarum rerũ qui fuerint negligentes 616.m
Diuinis quot motuum genera data sint 709.f
Diuina desuper reuelari, non autem à nobis inueniri 921.f
Diuinitas nullam habet certã sedem in mundi parte ulla 387.m
Diuinitatis radios qui sustinere nõ possint 191.p
Diuinitas q̃ magna in momento assequatur 168.m
Diuinandi artem quis hominibus dederit 393.f
Diuinandi uim humanæ dementiæ datam esse, & in qua parte generetur 724.p
Diuinatio à quibus concedatur 430.f
Diuortij lex 889.f
Docere quæ nescias furiosũ esse 32.m
Docendi modus Socraticus 119.m
Docendum esse sine inuidia 269.p
Docens an persuadeat etiam ea quæ docet 339.f
Docenti semper gratia habẽda 269.p
Docentis atq; discentis officia 273.f
Dociles qui 159.f
Docilitas quid 280.f
Doctrinæ obliuionem absq; tristitia uenire 99.f
Doctrinæ genera duo 180.m
Doctrinæ pars præcipua quæ 240.p
Doctrinarum mysteria sacra unde exordiri cõsueuerit Pythagor. 921.p
Dodecaedra figura 698.m
Dolia duo Homeri bonorum & malorum damnantur 554.m
δολιχόν quid 843.m
Dolorem comprehendi sub genere infinitorum 89.p
Dolo.magis & minus suscipere 95.p
Dolores uoluptatibus in tota huius uitæ tragœdia mixtos esse 98.f
Doloris mixtiones in corpore 97.p
Dolores superare difficilius quàm à uoluptatibus abstinere 290.p
Dolori statim succedere uoluptatem
Dolore non esse ani= (492.p
mum deijciendum 521.f.527.f
Doloris & uoluptatis mediũ 648.p
Dolor quomodo à uiro probo tolerẽtur 664.m
Dolor quid & unde 721.p
Domini nomen cui conueniat 7.f
Dominus,ciuilis,paterfamiliâs,rex,an idem sint 200.f
Dominos & seruos amicos nunquam futuros 809.f
Dominum agere non potest qui nõ seruiuit 812.p
Domus qua re max.conseruatur 28.p
Domus gubernatio ex filiorum educatione cognoscitur 293.p
Dom.quãdo bona,quãdo mala 362.p
Dona hominũ quam in partẽ à dijs accipiantur 59.f
Dona septem à deo per administratorios spiritus dari hominibus 395.f
Doris Dionysii filia 924.p
Dores unde dicti 763.p
Dorica harmonia quæ 294.f
δόξα unde dicatur 323.p
Draco quibus leges tradiderit, & in quem earundem inuentionem retulerit 49.p
Dubitatio ignorantiam expellit 20.f
Dulcedo quomodo generetur 410.m
Dulcis cubitus,&c.Prouerb. 455.f
Dupla non duplũ,sed quadruplum spatium parit 20.p
Duplum sub genere finiti comprehẽdi 87.f
Dupla ubi sedem habeat per totum 691
Durum quid 720.p
Dux exercitus qua potissimũ re confidere debeat præliaturus 37.m
Duces ad rectum qui 20.f
Duces exercitus à quibus deligendi 809.p
Ducum opus præcipuum quod in exercitu 59.m

E

Pro n utebãtur antiquitus 325.f
Ebrium gerere animum tyrannicum 643.f
Ebrietatem à Minoe esse prohibitam 52.m
Ebrietas duplex 543.f
Ebrietatis incommoda 565.m
Ebrij uitam edormire dicũtur 565.m
Ebrietas quõ sensim irrepat 757.p
Ebrietas cur uitanda 817.f
ἔκστιον unde dictum 323.p
ἥδονὴ quid 322.f
Educatio difficilior generatione in omnibus rebus 9.p
Educatio & eruditio bona quantũ prosit 575.p
Educatio quantum momentum habeat 754.m
Educatus in nauibus pro illiberali homine 449.p
Effectus à causis distinguendi in disputationibus 57.m
Effectus omnes in unam omnium causam referri debere 675.p
Effectricis facultatis duæ par. 196.p
Effectricis pars humana duplex & diuina itidem duplex 196.m
Efficiens semper natura præcedit, sequitur uero factum 88.f.115.m
Egeno uerecundiam nihil conducere 300.p
Egenis benefaciendum 444.f
Egestiæ auditores quales 654.m
εἰρεσιὼν quid significet 313.f
Electio ad quod bonum pertineat 1.p
Electionis rectæ peritiam cunctis artibus præponendam 660.p
Electionis iudicium non uulgare esse
Electri mirabilis attra= (671.p
ctus unde 728.p
Elemẽta quæ apud nos sunt quàm uilia sint 89.f
Elementum simplex, & elementorum ignorantia 133.f

Elementa nec definitionem, nec rationem habere 163.m
Elementorum plurimorum neq; uox, neq; sonus est 163.m
Elementa ignota esse 163.m
Elementi elementa referre nemo potest 163.f
Elementorum concordia constare corpus 381.f
Elementorum permixtio ubi temperatissima 387.p
Elementa inter se esse cõtraria 679.f
Elementorũ quaternarius numerus cur mundo conueniat 681.p
Elementa Metaphysici quæ 681.f
Elementorũ uires & proportiones tractantur 682.per totũ
Elementa aliter in cœlo, et infra lunam aliter se habere 683.m
Elem. quatuor apud inferos esse 683.f
Elementa quæ uocantur ne pronomini bus quidẽ monstrari posse 714.p
Elementorũ dispositiones & genituræ 715.f. & deinceps
Elenchus sophisticus taxatur 588.f
Elephantum copia ubi 739.f
Elienses quonam uterentur in legationis munere ad exteros 108.p
Elienſium de amore lex 421.p
Eligenda nõ breuissima aut longissima, sed optima 793.p
Ἥλιος quid significet 318.p
Emendi & uendẽdi species duæ 178.p
Ἡμέραι quid 322.p
Empedoclis de defluxu sententia 17.p
Empedoclis Pythagoræi de concordia sententia 381.f
Endymionis fabula 497.f
Ἐνιαυτὸς quid 318.f
Enophitica uictoria 525.p
Ens & unũ mutuis nexib. claudi 69.p
Entium numerum parentes opiniones recensentur 186.p
Ens illud tantum dicentium quod tangitur positio 187.f
Ens illud tantum dicentium intelligitur positio 187.f
Ens uerum nec uita, nec anima, nec motu carere potest 188.f
Ens motui & statui miſceri 191.m
Ens & idem non sunt unum 191.f
Ens circa speciem quamlibet multiplex 192.m
Entis prima definitio 188.m secunda 189.p tertia m
Enti nõ esse contrariũ Non ens 192.f
Non ens multitudine infinitũ 192.m
Non ens nulli eorũ quæ sunt attribuendum 183.f
Nõ ens incogitabile et ineffab. 184.m
Non ens, nec unius, nec multorũ est particeps 184.m
Non ens in quibus sit 192.m
Non ens Enti nõ esse contrariũ 192.f
Non ens firmiter habere naturã suam 193.p
Non ens utrum opinioni atq; orationi immisceatur 193.f
Eorum quæ sunt diuisio 191.f
Ἄφασος quid significet 317.m
Ephesii prisca origine Athenienses 174.p
Ephialtus quis 424.f
Ephororum potestas qualis apud Lacedæmonios fuit 789.p
Epidaurij certamen rhapsodorum instituere consueuerunt 169.p
Epigrãmata duo Delphis inscripta 3.p
Epigramma Midæ Phrygio inscriptũ 458.f
Epimenides quid fecerit 754.p
Epimenides in excogitando præstans
Epimetheo bruta fulcien- (771.p
di cura data 225.p
Ἐπισήμη quid significet 319.m
Ἐπιθυμίαι quid 322.f
Epius Panopei filius statuarius 170.m
Epij luctatio 827.f
Ἐπῳδαὶ ad quid conducant 761.f
Equa in oraculo à deo laudata 111.m
Equis erectum stetisse, ac iaculatum fuisse Cleophantum 24.m
Equorum & asinorum inter se promiscue generatio 203.m
Equi Aeneæ quomodo laudẽtur ab Homero 295.f
Equorũ usus ubi nõ magnus sit 843.f
Equestri facultate q illustres apud græcos 14.m
Equestris facultas plurimum in Thessalia colebatur 109.m
Equitũ magistri quõ creandi 809.m
Ἔραι quid significet 316.p
Erato Saphonem afflauit 168.f
Erato Veneris uox cur dicta 168.f
Erechthei populus 40.f
Eretriã triduo subiecit Datis 524.m
Eretriensium pugna 524.m
Eri Armenij q reuixit narratio 668.f
Ἑρμῆς quid significet 317.f
Ἔρως unde dicatur 322.f
Ἵμερος quid significet 313.m
Ἔρως unde dicatur quando à cupiditate absq; ratione prouenit 446.f
Errat nemo cum nescire se ignorat 34.m
Errat rarius qui pauciora agit 257.p
Errantem & recte sentientem cognoscere, ad eundem pertinet 170.p
Errata omnia hominum unde 289.f
Errata præterita recognocẽda 919.f & 928.f
Ἑρύκειν 325.f
Eryximachus Acumeni filius 229.f
Esse & fieri an idem 240.f
Essentiam rei non ostendi per passiones 57.f
Essentiã rei non percipi à sensu 155.f
Essentiæ si naturaliter sese habent naturales quoq; sunt actiones & passiones 304.p
Esseorum philosophorum communitas
Est, & sit præsentis temporis notæ (585.p 68.m
Ἐσίαι cur denominauerint homines 314.f
Ἑστίη apud Poetas quid 319.m
Esurire non dicitur corpus 92.m
Ἔτος quid significet 318.f
Euander quid de columna Aegyptia 572.m
Euclides geometra 135.f
Eudicus Apemanti filius 110.p & 269.m
Eudorus alterum ex Thucydidis filijs instruxit 24.p
Eudoxi de nouem annorũ milibus computus 673.m
Euenor quem locum coluerit 739.m
Euenus Parius subdeclaratiões & collaudationes primus inuenit 459.f
Eueni scripta cõmendantur 492.p
Εὐνομία quid 564.p
Eumolpus 523.f
Euphemus Stesichori pater 449.m
Euripides in tragœdia excellẽs 641.p
Eurybatus 235.p
Euryclis instar absurdi, Prouerbium
Eurymedontem circa pu- (190.m
gna facta 525.p
Euryſacis origo ad quẽ referatur 36.p
Eurysthenes Lacedæmõis rex 773.m
Europæ filij qui, & quàm præstantes in condendis legibus 51.f.
Euterpe Ouidium afflauit 168.f
Euterpe Mercurij uox cur dicta 168.f
Euthyphron Pantij filius 312.f
Euthyphronis de anima sententia 314.p
Euthydemum à sophistarum captiunculis ad ueram transtulit philosophiam Socrates 416.p
Excellendi studiũ prouocat ad honesta 375.p
Excessum omnem uerti penitus in contrarium 639.p
Exempli uis in docendo 208.f
Exempli generatio quæ 209.p
Exemplaria duo in rerum ordine 151.p

Exemplaris causa 705.f
Exercitationes communes apud omnes nationes esse 216.m
Exercitationem corporis amorem solvere 414.p
Exercitatio quibus sit utilis 732.p
Exercitatiõis cura quibus dãda 813.p
Exercitus multos perijsse rapiendi cupiditate 595.f
Exijstens ante cœli ortum fuisse 715.f
Experientiã in iudicando necessariam 642.p
Expetimus tripliciter 543.p
Extremorũ summa admodũ pauca & rara esse 506.f
Exules quos recipere non liceat 901.f
Exue uel abi, Prouerb. 147.m

F

Faber in qua scientiæ actione uersatur 198.m
Fabricam æreariam quis hominibus dederit 393.f. 428.p
Fabula tragica et attica de Minoe 51.f
Fabulas mancas dimittere 362.f
Fabulis colophonem imponere ibidem
Fabulæ pueris proponendæ quales
Fabulæ noxe quomõ abutatur Plato (553.m 655.p
Facere & fieri quid 176.m
Facere an idem sit quod agere & operari 282.m
Facere quid 431.f
Factum quod est semper totum factum est 187.m
Factorum humanorũ magna diuersitas
Factum infectum fieri non potest (209.f 233.m
Faciliora prægustãda antequam ad difficiliora ueniamus 176.m
Falsitas deceptionem gignit 94.p
Falsa opinari posibile 259.m
Familiæ antiquitas quomodo commendanda 523.p
Familiaris administratiõis lex 832.m
Fascinatio unde proueniat 411.p
Fatum quid 895.p
Fatum uitari non posse 366.p
Febrium uariarũ sedes ubi 412.f
Febrium origo causa & locus & deinceps 730.f
Federici urbini etymologia 197.f
Felix quis 347.p
Felici ut iustitia & temperantia adsit necesse est 363.f
Felices quid nos efficiat 256.f
Felix quis apud Scythas existimetur 265.p
Felicitatis tria nomina quæ sola scientia perficit 251.p
Felicitatis definitio quædam 256.p
Feliciter nihil posse agi absq; diuino auxilio 615.p
Ferarum generatio qualis 733.f
Festa nuptijs dicata per leges 591.m
Festa cur à dijs instituta 757.f. 759.p
Fides in uerbis sita 926.p
Fide iubendi forma 901.m
Figulariam in dolio experiri, Prouerbium 294.p
Figulariam in ipso uase discere, Prouerbium 366.f
Figura quid 16.m
Figuræ nullius particeps esse Vnum 66.m
Figurata omnia non semper aliquid significare 383.f
Filijs instituendis quanta diligẽtia adhibenda 11.f
Filios optare non semper bonum esse 45.p
Filios immolare apud quos receptũ fuerit 50.p
Filij mali cur ex bonis parentibus sæpe proueniunt 234.f
Filiorum educatio domus gubernationem declarat 293.p
Filij cur nobis comparandi & amici 343.p
Filiorum causa quàm multa fiant natura docente 434.f
Filiorũ procreatio quomodo curanda 591.m
Filios ex robustißimis oportere procreari 591.f
Filios adultos ad prælium ducendos esse, & cur 594.f
Filij tyrannorum quomodo educentur 644.p
Filij cur nascãtur tam animo quàm corpore ægrotantes 806.f
Filiorum procreationi quomodo sit animus intendendus 821.p
Filio quando & quomodo liceat accusare patrem 889.m
Finis melior gratia eius cuius est finis 100.f
Finem humani generis circa perfectiora consistere 198.p
Finem omnibus rebus & singulis certum esse 198.p
Finis qui optimus existimãdus 198.p
Finẽ orationis alij aliter uocãt 460.p
Finiti genere quæ cõprehẽdãtur 87.f
Firmitas in actibus est 926.p
Flagitioso ut uiuat nõ expedire 365.f
Fluenta præcipua quatuor 517.f
Fluere omnia dixit Heraclitus 315.p
Fluxa omnia 143.m
Felix quis 41.f
Fœminæ uirtus quæ 15.p
Fœminæ suscipere est propriũ 385.f
Fœm. quæ facilius uiros capiãt 413.p
Fœminæ generatio 733.p
Fœminarum ingenium & natura qualis 589.f. 819.f
Fœmininum genus unde principio genitum 383.m
Fori ratio 813.f
Formæ eiusdem quædam bona, mala alia 3.m
Formæ quæ sunt in anima & in corpore 132.f
Formæ apud Platonem quæ dicantur 389.m
Formosi flagitiosorũ consuetudine potißimum depranantur 275.f
Formosi cur maxime ad temperãtiam adducendi 275.f
Formosum esse quem locũ obtineat inter res optimas 339.p
Formosos cur libentius erudiamus
Fortis quis sit 583.p (403.p
Fortes ad quæ sint præcipites 249.p
Fortes qui sint iudicandi 745.p
Fortitudo quæ 33.m
Fortitudinis opus quod 14.p
Fortitudo in homine quomodo perficiatur 14.p
Fortitudo in quibus cedat, & in quib. præcellat 223.f
Fortitudo unde hominibus adueniat 245.m
Fortitudo & fortis quid iuxta Homerum 289.m
Fortitudinem temperantiæ præponendam 290.p
Fortitudinis definitio falsa 295.f
Fortitud. species enumerantur 296.p
Fortitudinem aliquid pulchrum esse 296.f
Fortitudo an sit metuendorum & non metuendorum scientia 298.p
Fortitudinem partem aliquam esse uirtutis 299.m
Fortitudo quõ laudabilis 320.p
Fortitudo ex gymnastica & musica nascitur 557.p. 568.m
Fortitudo in qua parte ciuitatis locanda, & quid 577.p.m
Fortitudinem continentiæ anteponendam 745.p
Fortunam non subesse hominis imperio 26.f
Fortuna imperitiam sequitur 337.m
Fortunam deo aduersari non posse 782.m
Fortunam inuocet, Prouerb. 919.p
Franciscus Berlingherius 698.p
Frater adesto uiro, Prouerb. 546.f
Frigoris causa 719.f

Fructuum lex 848.p
Fruimur bono,& utimur alio tamen atque alio modo 1.p
Fucorum genera duo 634.m
Fucatoria artẽ imitatur gymnasticam 344.m
Fugiẽtes quos recipere nõ liceat 901.f
Fulminum impetus unde 728.p
Funeris descriptio in Odyssea apud Homerum 52.p
Furia triplex 785.p
Furor quæ nã mentis alienatio 167.p
Furor quomodo ab insania differat
Furor idem quod mentis alienatio (167.p 167.p
Furor diuinus quomodo hominem afficiat ibidem
Furor diuinus quid 414.m
Furoris diuini species quatuor 167.m
Furor Poeticus à Musis ibidem
Furor mysterialis à Dionysio proficiscitur 167.m
Furor Poeticus quomõ à Platone definiatur 167.f
Furores quatuor quomodo tum animã, tum corpus afficiant 167.m
Furoris primi,secundi,tertij & quarti officia 167.f
Furorum quis nam præstantißimus 415.m
Furorem quibusdam à dijs inspiratum esse 419.f
Furorem simpliciter non esse malum 449.f
Furor duplex 459.p
Furor diuinus quadruplex tbidem
Furem quomodo impune liceat occidisse 862.p
Furiosi quõ custodiendi sint 891.f
Furto quis ualuerit 533.f
Furtum multis modis committi posse 854.f
Furtum pecuniæ illiberale esse, rapinã uero turpißimam 896.p

G

Gallum diei solisq; nũcium cur prisci Aesculapio sacrificauerint 490.p
Ganymedis fabula culpanda 751.m
Garrulus quis dicendus 179.p
Gaudiũ quis largiatur æternũ 386.p
Gaudium mentis unde nascatur 822.f
Gaudere & uoluptatem capere quid differant 239.m
Gaudere non idem quod felicem esse 358.f
γῆ, siue γαῖα quid 318.f
Geminis Apollinem præesse 393.f
Generandi uis quæ per se mouetur 377.m
Generandi cupiditas 733.m
Generando recreatio fit 402.f
Generatio ex calore 129.f
Generationes in numero eorum esse, quæ sunt 141.m
Generatio promiscua & simplex 203.f
Generatio immortale quid est in homine 432.m
Generatiõe semper carẽs qd sit 704.f
Generationem fuisse ante cœli ortum
Generatio omnium fit,si (715.f adsit passio 873.f
Genitum illud uel mixtum Socraticum ex quibus constet 89.p
Genita diuerso motu diuersimode ferri
Genita omnia bifariã partiri (141.m 201.f
Genitalis uis animi sexuum nullum habet discrimen 404.f
Genitalia retro aliquãdo fuisse 425.p
Genus aureum quod & cur ita dictum 313.p
Genus masculinum,fœminiñ & promiscuum,unde primo nata 383.m
Genera omnium maxima quæ 191.m
Genera tria in ciuitate 579.f.582.f
Genera rerum propria ad propria rerum capita & uniuersum genus ad uniuersum caput oportere referri
Genium nostrũ & intellectum,& numen esse idem (676.f 852.f
Geometra in qua scientiæ parte à Platone constituatur 198.m
Geometria duplex 101.f
Geometriam quis inuenerit 463.p
Geometriã circa puras uersari dimensiones 616.f
Geometria an utilis 623.p
Georgius Cyprius medicus insignis
Geryonis natura 827.m (699.f
Gibbosum duplex 727.m
Gignatur quid semper neq; est unquã
Glaciei generatio 718.f (704.f
Gladiatoria ars irridetur tanquam inutilis 292.m
Glaucon rhapsodus 169.p
Gloriam maximam quomodo philosophus acquirere possit 6.m
Gloriæ qs max.cupidus fuerit 37.m
Gloria quomodo quærenda 900.p
γνώμη quid significet 319.p
Gobrias magus 952.m
Gorgias Leontinus quo tempore floruerit 12.p
Gorgias amicos sibi ob sapientiã comparauit 14.m
Gorgias Menonis præceptor 25.f
Gorgias qua ratione artem dicẽdi cunctis præponeret 102.p
Gorgiæ laus & cõmendatio 108.m
Gorgiæ audacia & impudẽtia 337.p
Gorgias qualem artem suam esse imprudenter concedat 342.f
Gortynis ex Peloponneso migratio
Gradus sex in omni rerum ordine (787.p 414.m.167.p
Graduũ in naturalibus ordo & dispositio tractatur 676.p
Græciam per quadraginta annos docẽdo quis deceperit 23.f
Græciam omnem ab Homero eruditã esse iactabant quidam 665.m
Græci quid æstimatione dignũ habuerint 37.p
Græci quàm superstitiosi fuerint,& parum dijs grati 47.f
Græcos non habuisse easdem ceremonias & sacrificia 50.m
Græcorũ gentes quæ antiquißimis usæ sint legibus 51.m
Græcorum qui soli à symposiis & compotationibus abstinuerint 52.p
Græcos à Barbaris nomina multa habuisse 318.m
Græci qui nam lege tantũ non natura
Græcos inter se propinquos (526.f genere atq; cognatos esse 596.p
Grammaticam artem quis primus considerauerit 85.p
Grãmaticus à rhetore qd differat 33.p
Grandinis generatio 718.f
Gratia quibus uel quorum ratione pulchritudo non sit 107.p
Gratia in rebus alio nomine appellatur quàm in cognitiõe ipsa 758.m 765.p
Graue quod est malum esse 241.p
Graue quid 720.m
Grauidæ mulieres quõ curãdæ 826.m
Greßibilis alimonia duplex 203.p
Gubernatio humanorũ ex quibus constet 4.f
Gubernationis rectæ finis quis 199.p
Gubernationem rectam circa paucos quærendam 215.f
Gubernationes septem, & earundem pulchra inter se cõparatio 219.f
Gubernationem diuinam Regnum esse & appellari 783.p
Gubernationes quæ tyrannidi propius accedant 843.p
Gubernatoria ars utilis licet non ampulosa 365.f
Gummi natura 719.p
Gigantum fabula 570.p
Gygis licentia & anulus & 668.p 545.m
Gymnasia pro omnibus bellicis exercitationibus accipit 834.f
Gymnasiarcharum præcepta 216.m

Gymnasticæ finis 5.f
Gymnastica aduersus deformitatem reperta 180.m
Gymnasticæ nomine quis sophisticam artem appellauerit 230.m
Gymnastica ars pueris cur addiscenda 234.m
Gymnastica certamina an admittenda sint in ciuitate 751.p
Gymnast. sola parit ferocitatẽ 557.p & 568.m
Gymnasticæ utilitas 557.p 565 & deinceps
Gymnosophistarũ cõmunitas 585.p
Gymnastica duplex 827.f
Gymnasticam exercitationem esse salubberrimam 732.m
γύνη quid 320.p

H

HAbitationũ ordo quis 849.f
Habitus duplex 851.f
Habitus malos inuolũtarios esse 851.f
Harmodius & Aristogiton Hippiã ob inuidiam occiderunt 3.p
Harmodij amicitia 421.m
Harmonia quomodo conflatur 84.f
Harmoniæ contemperatio uel dissolutio quantum momentum habeat in natura 90.f
Harmonia græca quæ 294.f
Harmoniam discrepare 423.p
Harmoniã humanã ex corporis & animæ coniunctione fieri 504.f
Harmoniam maius & minus recipere 505.p
Harmo. ex phthongis cõstitui 556.m
Harmonia omniũ optima quæ 556.f
Harmoniam in animum posse plurimum 556.f
Harmoniæ quæ remouendæ à ciuitate 563.p
Harmoniæ definitio 759.p.764.p
Harmonica quid 692.p
Hebetudo quid 280.f
Hebetudo uitium oculorum 274.f
Hebræi quanti fecerint nominum uerorum scientiam 302.f
Hecamede Nestoris pellex 172.f
Hectori nomen quis imposuerit 311.p
Heraclides Clazomenius Athenienſiũ imperator 174.p
Heraclidarum coloniam cur felicem dixerit 800.p
Heraclidarum seruitus qualis 819.p
Heraclij lapidis attractus unde 728.p
Heracliti opinio de amicitia confutatur 120.p
Heracliti locus pulcher 423.m
Heracliticorũ mos ĩ disputãdo 152.m
Hercules cur in deorum numerũ à dijs relatus 290.p
Hercules aduersus hydrã sophisticam, & cancrum sophistam 264.p
Herculis origo ad quẽ referatur 36.p
Herc. ad cœlites scandẽtis uox 290.p
Ne Hercules quidem contra duos, Prouerbium 506.f
Herculis columnæ 703.f
Hermum calculosum adire 640.m
Herodicus medicus 337.m
Herodici mos 442.m
Herodicus 566.p
Heroes ex quibus & quomodo nati 313.m
Heroes quos uocet Plato 735.p
Heroas colendos iubet Plato 785.p
Heroũ quis à Ioue eruditus, & ab Homero maxime laudatus 52.p
Herus Pamphylius cur resurrexerit 654.f
Hesiodi Musa quæ 168.f
Hesiodus quid cõmune habeat cum Homero 169.m.170.p
Hesiodus quantã uim amori tribuerit 373.f
Hesiodum prisca deorum gesta descripsisse 427.p
Hesiodi q̃ fabulæ improbentur 553.m
Hiatus terræ maximus unus 517.m
Hilotia seruitus Lacedæmoniorum an bona sit 818.p
Hipparchus quis, & qualis 2.f
Hipparchi præcepta duo in tẽplo Delphico scripta 3.p
Hippias quandiu Athenienſes oppresserit 3.p
Hippiæ mortis causa quæ 3.p
Hippias Pisistrati filius quonam modo Athenis dominatus sit 10.m
Hippias quibus reb. excelluerit 110.p
Hippias seipsum alijs præfert qd' plus cæteris sophistis lucratus sit 108.f
Hippiam anulum sibi & uestes feciſſe, &c. 271.f
Hippias Elienſis sophistarum insolentissimus, & fallacissimus 268.f
Hippocratis coi ex Aesculapij stirpe nati mentio 228.p
Hippocrates Aescul. successor 461.m
Hippodromi cuiusdã magnit. 741.p
Hirsutum corpus quid indicet 391.m
Historias sæpe à Platone fabulas appellari 655.p
Homerum quis primus Athenas inuexit 2.f
Homerus sapientum dux 139.f
Homeri aurea catena 140.p
Homeri carmina quis facile interpretatus sit 168.p
Homeri musa quæ 168.f
Homerus Poetarum omnium optimus & diuinissimus 169.p
Homeri poesis quid tractet 169.m
Homerus an aliquid tractet quod ab alijs Poetis quoq; tractetur 169.f
Homerus poematis specie Sophisticam artem dissimulauit 230.m
Homeri locus 370.f
Homerus ubi uideatur uiolare, Prouerbium 417.f
Homerus cæcitatis suæ causam non cognouit 449.p
Homeri scripta fabulosa abijcienda 553.m
Homero cur deroget Plato 652.m
Homerũ ducẽ tragœdiæ carpit 661.f & 662.p
Homerum apprime poetã esse, & tragicorum præcipuum 665.m
Homerus cur inducat Heroas à dæmonibus ad iram exagitari 806.m
Homo quid 27.m
Homo per prudentiam gubernat 28.p
Homo aliud est à corpore suo 39.f
Homo ex quibus constet 40.p
Homo animus est 119.m
Homo mensura rerum omniũ 129.m
Homo ingeniosus mansuetus ac utilis rarus 136.p
Homo ut agat gratia diuinorum creatus est 198.p
Homo iocus est, ludusq; deorum 305.f & 830.f
Homo an omnium mensura 308.p
Homo solus est animus 384.f
Homo nullus ex omni parte & absolute pulcher 407.p
Homo uerus qui nã sit dicẽdus 408.p
Homo qua furoris specie in bestiæ naturam deuoluatur 414.p
Homo an per potum & cibum augeatur 510.p
Homo difficilis possessio 818.m
Hominis uirtus quid 13.f
Hominis officium trifariam distribui 27.f
Hominis creatio 225.p.m
Hominis essentia quæ 384.p
Hominis tractatio quo ad animam pertinet & corpus 696.f
Hominis naturam esse geminã 710.f
Hom. quæ partes præstantiores 712.p
Homini in afflicto corpore uiuere an conferat 362.m
Homini potissimũ tum de se, tũ de alijs quid considerandum 510.f
Hominem nihil aliud esse quàm animã 40.p
Hominem non esse mensuram omnium 131.p

Hominem omniũ mensurã esse 148.p
Hominem liberum quæ nam exercitatio deceat 291.f
Hominẽ solo aere & Sole nutriri quis uiderit 489.f
Hominem alterum ciuitati alteri cõuenientem esse 633.m
Hominẽ inter animalia miraculũ esse diuinum 745.f
Hominem generatione fieri sempiternum 793.p
Hominem mansuetum animal dicimus 813.f
Homines oẽs lucri cupidos esse 4.m
Hom. natura bonos nequaq; esse 22.f
Hoĩes uniuersi curatiõe indigẽt 37.m
Homines à musis qui alieni 41.m
Hom. peiora sibi accersere q; dij ipsi ultro daturi fuerint 45.p
Homines quãdo deo similes effici possint 150.f
Homines multos non nisi ab uno deo regi posse 226.p
Hom. cur putauerint oĩa uerti 306.p
Homines cur ἄνθρωποι nominentur 313.f
Homines nudos iudicandos fore post mortem 370.f
Homines cur mortem suam non præsentiant ibidem
Homines quid admirentur 373.f
Homines bonum amare 432.p
Hom. omnes prægnantes esse 432.m
Homines ante musas fuisse 456.f
Hom. sub assidua dei custodia esse nec licere hinc emigrare, nisi quãdo deo placuerit 487.p
Homines læsos iniustiores fieri 534.m
Homines non admodum similes nasci 551.p
Homines uera opinione inuitos priuari 569.m
Homines qui nam disciplina indigni sint 607.m
Homines ad quid impellẽdi sint 619.f
Homines ijdem an in officijs uersari deb eant diuersis 634.p
Homines q deorsum ferantur 649.m
Homines paucos esse intelligentiæ participes 715.m
Homines ex dijs & terra generari posse 735.p
Homines beatos aliquãdo fuisse 735.f
Homines in greges distributos à Saturno dæmonum custodiæ commendatos quõ intelligendũ 783.f. 789.f
Homines ab hominibus absq; duce deo gubernari non posse 784.p
Homines deprauatæ naturæ sui dominos non esse 846.f
Homines cur à superis geniti dicantur 893.f
Hominũ tripartita distinctio 43.m
Hominũ ad peccandũ pcliuitas 115.p
Hominũ genera principio tria fuisse 383.m
Hom. figura qualis principio 383.m
Hominum sectio cur & quando facta 424.f. 425.p
Hominum alios deteriores, alios meliores 590.p
Hominum tria prima genera 647.p
Hominum arma naturalia 762.m
Hominũ interitus multos ex diluuijs, morbis, alijsq; pestibus olim accidisse 770.m
Hominum generationem nullum habuisse initium 820.p
Hominibus neq; scientiam, neq; ueram opinionem inesse 26.f
Hominibus præesse boni uiri tantum possunt 37.f
Hominibus natura & intemperantia morbosis uiuere nõ præstare 567.p
Homicidæ quomodo puniantur apud inferos 518.m
Humana hostia apud Carthaginenses litare iustum fuisse 50.p
Humana omnia à quibus gubernentur 168.p
Humani generis certum esse finem necesse est 198.p
Humanum genus non posse absq; optimis gubernatoribus uel honeste uiuere, uel feliciter regi 288.f
Humanum genus fuerat ne ab æterno, nec ne 768.f
Humana uiuẽtis naturæ participia esse 877.m
Humana oĩa tribus gubernari 782.m
Humana quæ sint natura 798.m
Humana diuinis collata nullo studio digna esse 822.m
Honestorũ honestas esse imagines 18.f
Honestum utilium principium & finis 131.p
Honesta quæ sint 243.m
Honor quid 796.m
Honores sæpe ac fermè semper secum afferre magna discrimina 44.f
Honoris uoluptates q̃ itelligũt 647.f
Horti Adonidis 464.p
Hostem domi habere, Prouerb. 190.m
Hostiles qui nam dicendi sint 98.m
Humorum concordia constare humanum corpus 381.f
Humorum corporis nostri proportio 911.p
Hydra sophistica 264.p
Hypate quid 583.f. 691.f

I

Iusus apud antiquos Græcos 325.f
Iamblichus magnus 174.m
Iamblichus Iuliani præceptor 601.f
Iactantiæ detestatio 365. per totum
Iactura quibus de rebus fieri nullo modo possit 91.f
Iacula Venerea à quibus & quo ordine iaciantur 396.p
Ibyci dictum de seipso sene 66.p
Ibycius equus ibidem
Icci Tarentini temperantia & fortitudo 846.m
Idea quid 134.m
Ideas duobus modis fieri 488.p
Ideæ præstantia & utilitas in cognoscẽdis rebus 611.m
Ideas singulas esse singularum specierum 660.f
Ideas esse probat 715.p
Idea quomõ à reliquis differat 925.m
Idem quarta species 191.f
Idolum cogitatiõis in uoce quid 165.f
Iecur quale sit ex Pythagoricorum sententia 699.m
Iecoris natura 724.m
Iesum cur diuinum cogantur fateri Iudæi 302.f
Iesu nomen ab angelo quibus indicatũ 303.p
Ignaui fucis comparantur 876.f
Ignari qui 159.f
Ignis quomodo fiat 139.f
Ignis à quo datus 207.m
Ig. à Prometheo furto sublatus 232.m
Ignis partes libenter inuicem cohærescunt 381.m
Ignis ingentes amnes ubi 517.p
Ignis facilitas & commoditas 565.f
Ignem diuidere potentes, & penetrare 673.m
Ignis & terra quõ differant 682.p
Ignis natura illa excellentißima quid conferat 683.m
Ignis quid proprium 684.p
Ignis multa genera 718.p
Ig. qua ratione calidus uideatur 719.f
Ignem minutißimis constare particulis
Ignis cur sit adeo penetrabilis (727.p ibidem
Ignorare qui se nouit facile discit 31.p
Ignorare & nosse circa omnia uersatur 156.p
Ignorans seipsum quid præterea ignoret 7.m
Ignorantem miserum esse 41.f
Ignorans nosse idem nõ potest 156.p
Ignorans seipsum temperatus esse non potest 283.p
Ignorantes nõ philosophari 431.p

Ignorantia quid 180.p
Ignorantiam quid expellat 20.f
Ignorantiam ex responsione inconstanti cognosci 34.p
Ignorantia boni mala est 45.m
Ignorantia quando prodesse dicatur 45.m
Ignorantiæ cognomina 98.p
Ignorantia potentum et imbecillium quo modo differunt 98.m
Ignorantiam omnibus malam esse, & aliquãdo ridiculã, odiosam aliquando 98.f
Ignorãtiam falsã esse opinionẽ 147.f
Ignorantia gemina 180.m
Ignorantia parit admirationẽ 214.f
Ignorantiæ & sapientiæ medium quod 430.p
Ignorãtiæ quæ ciuitati pernicioſiſsimæ 775.f
Ignorantiam suam cur quisq; sapientiam esse opinetur 798.p
Ilias & Odyssea Homeri quid tractẽt 32.p
Iliados principium 560.m
Iliadem præclarius esse poema quàm Odysseam 269.m
Ilij situs & descriptio 772.f
Illud in fabula placuit, Prouer. 773.m
Ilyssius fluuius 442.f
Imago dei ubi melius reseruet. 303.m
Imagines apud Platonicos quæ dicãtur
Imaginatio mouet, formatq; corpus (389.m 543.f
Imaginariæ facul. species duæ 183.f.m
Imbecilles qui nam dicendi sint. 98.m
ἴμερος unde dicatur 322.f
Imitãda plura nõ esse 556.m. 561.p
Imitatio iocunda ioci species 182.m
Imitatio phãtastice quæ dicatur 196.f
Imitatio duplex 197.p
Imitatio opinabilis quæ 197.p
Imit. historica & sciens quæ 197.m
Imit. transit in naturã 556.m. 561.f
Imitatio quæ bona 562.m
Imitationem quid pariat 609.m
Imitatio quæ tertio gradu distet à uerita te 663.m
Imitationis Iudices quales esse debeant 758.p
Imitationem nullam uoluptate & opinione nõ uera iudicãdã esse 765.p
Imitator ironicus duplex 197.m
Imitatores neq; res ipsas intelligunt, neque faciunt 652.m
Imitator tertius à natura 661.m
Immemores qui 159.f
Immobilibus mentem nõ adesse 189.p
Immortale qd'est ĩteritũ nescit 515.p
Immortalitatem magi corporibus quo modo polliceantur 276.f
Immortalitas imperfecta quæ 700.p
Immortalitate seipsum sponte priuare nefas 793.p
Impartibile quod est secundum ueram rationem unum omnino esse dicendum est 187.p
Imperandi dignitates quot 769.f
Imperantes & parentes ĩ ciuitate necessarios esse (776.p 776.p
Imperiũ quod nam legitimum 840.m
Imperiũ ambitioſum ex optimatũ gubernatione quõ oriatur 631.m
Imperitus homo 122.p
Imperitiã facere locũ fictiõib. 736.m
Impij nõ credunt pœnas se daturos post hanc uitam 151.m
Impiorum carcer quis 370.f
Impij quõ timeant extremum illud iudicium post mortem 372.m
Impietatis noĩe quæ comprehendantur
Impietatis occasiones dũas esse (865.f 866.m. 872.p. 880.p
Improbitatis uniuersæ genus quoddam
Imprudens in ea re malus quam ignorat (esse 98.p 37.f
Imprudentes qui dicendi sint 44.m
Imprud. non distare ab insanis 43.f
Imprudentiæ gradus multi 44.m
Impurũ puro attingere nefas 495.m
Inachi Argiuorum fluminis fabula damnatur 555.p
Inanimũ noĩe carẽs dimittendũ 176.f
Incantandi facultas quid 260.f
Incantatio ad capitis dolorem sistendum 279.p
Incendia diuinitus missa iuxta Mosen, quomodo descripserint profani autores 673.m
Incendij causa 735.p
Incognita nemo desiderat 397.f
Incolæ quomodo tractandi 850.m
Incorporea sensu nõ posse comprendi 212.f
Indigentiam omnem doloris esse participem 358.f
Indigentiæ repletiones appellari uoluptates 642.m
Indoctiores in omni arte plus sibi arrogare quàm doctos 541.p
Industria necessitatis mater 207.m
Iners homo 122.p
Infantes qui atra bile laborent 822.p
Infantium more incõmodo accepto sapere, Prouerb. 439.f
Infantium exercitatio confert ad uirtutem capessendam 825.f
Infelicitatis humanæ origo 406.f
Inferos adeat necesse est qui impurus ex hac uita migrat 496.m
Inferorũ pœnas timendas esse 852.p
Inferior seipso quis 750.m
Infidũ esse qui sponte mẽtitur 797.m
Infinitudo apud Platonẽ quid 676.f
Infinitum cur Vno attribuatur 66.m
Infiniti genere quæ comprehendantur 87.m. & f
Infinitæ naturæ signum 87.f
Infinitis & finitis coeuntibus q̃ multa pulchra oriantur 88.m
Ingenia acuta falsis redargutis facile uera uenãtur 119.m
Ingeniũ non ætas liberat 123.m
Ingenia diuersa 136.p
Ingenia mitia facilius capi, & quomodo cognoscantur 391.f
Ingenia meliora ne sint nobilibus an ignobilibus 36.p
Ingenia hominum uaria 401.f
Ingenium humanum in summa rerum licentia superbire 784.p
Ingenia diuersa diuersis in locis fieri tribus de causis 805.p
Ingenium humanum bene cultum diuinissimum euadere 806.p
Ingenium humanum cur ferocius euadere possit quàm ferarum ibidem
Ingeniorum morbi qui 881.m
Ingluuies quid 446.f
Inimico quid debeatur 533.p
Inimicitiæ unde oriantur & iræ 56.p
Iniquissimus qs sit & miserri. 645.p
Iniuriari quid 275.m
Iniuria aliquem afficere Athenis periculosum fuisse 25.p
Iniuriantẽ beatũ esse nõ posse 347.m
Iniuriam inferre malorum omnium maximum 346.m
Iniuriarũ pœnas nõ luere miserius est q̃ iniuriã facere 347.f. 349.p to.
Iniuriam inferentes an patientes magis doleant 349.p
Iniur. facere nõ solũ lege turpius est q̃ pati, uerumetiam natura 355.m
Iniuria ut nulli inferatur quomodo curandum sit 364.f
Iniuriã cum magistratibus ulciscens mirifice commendandus est 797.m
Iniustus sit ne felix cum iniustitiæ pœnas dederit 347.f
Iniustos plus sibi arrogare quàm iustos 541.p
Iniustorum pœnæ quæ 547.p
Iniustos ne inuicem quidẽ tractare quicquam posse 542.p
Iniustus num si ei cætera oĩa quæ uocantur bona adsunt infelix sit 762.f
Iniustis negari uenĩã à dijs 879.m
Iniustitia quid 584.p
Iniustitiæ mulcta nõ ignoranda 150.f

Iniustitiæ mulcta quæ 151.p
Inuisibile semp eodē modo esse 501.m
Iniustitiā uitiū esse & inscitiā 541.p
Iniustitia quid faciat 541.f
Iniustitiam non tantum ob legum metum, sed etiam ob naturæ suæ uenenum uituperandam esse 641.f
Iniustitia quando malum non uideatur 667.p
Innocentia unicū uitæ solamen 529.p
Inopia nō minus quàm copia ciuitatem dissipari 571.m.574.p
Insanabiles ex ciuitate tollendos esse (857.p
Insania quæ nam mentis alienatio sit 167.p
Insania magna quæ 474.m
Insania duplex 699.f
Insania quō à furore differat 167.p
Insano an depositū reddendum 533.p
Insensatio in anima quid 91.f
Inscitiæ nomen cui ignorātiæ parti cō ueniat 180.f
Inscitia extrema quæ 248.p
Inscitiæ argumentum quod 273.f
Inscitia extrema ciuium quæ 775.f
Inscius quis dicendus 163.p
Insipientes qui 130.f
Insontem nullus bonus accusat 369.f
Inspiratione opus esse ad ueram diuinorum perceptionem 304.m
Instantijs cogūtur ignorantes ad sui cognitionem 20.f
Institutione sui & suorum nihil diuinius 9.m
Institutiones principū quomodo differant à Legibus 48.f
Instrumenta musica quæ deceant ciuitatem, & quæ minus 563.m
Insulam in Oceano esse, in qua præter cætera communes sint etiam uxores 585.p
Insulæ cuiusdam descriptio 739.p
Intelligendi actum generationem partumq; uocari 601.p
Intellectū esse cœli ac terræ regē 89.m
Intellectus cuius sit 134.f
Intellectus animæ gubernator 451.p
Intellectus ita se habet ad bonum, ut uisus ad Solem 613.p
Intellectiuæ uirtutes quæ 407.m
Intelligentia in anima quid 677.p
Intelligentiam quænam ex his quæ sentiuntur excitent 617.p
Intelligibile idem esse quod ens 652.f
Intemperatus dei inimicus iudicandus
Intemperatos obnoxi- (791.p
os esse maioribus uoluptatibus & doloribus quàm sanos 96.f
Intemperātia quæ mala ciuitati afferat 222.p
Intemperantiæ incōmoda 565.f
Intemperantia nomen unde acquisierit 651.p
Interfectores suijpsorum quomodo puniendi 861.f
Interficere seipsum an liceat 493.p
Interrogare quis recte sciat, & respondere 310.p
Interrogans ne aut respondēs ea dicat quæ ex cōclusione colligūtur 32.m
Interrogationes per coniugata & contraria 237.p
Intestatis qui sine liberis moriūtur quo modo succedendum 887.f
Intestina eorūq; spiræ tractan. 724.f
Inuentio à quo reperiatur 31.p
Inuenta aliena sibi non esse usurpanda 269.p
Inuētores qdā rerū recēsentur 770.f
Inuestigatio ueritatis cuius actus sit, & ad quā animæ partē spectet 13.f
Inutiles qui 7.p
Inut. à nullo amari, nec à seipso 123.f
Inyca angusta regio 108.f
Io Homeri carmina ad lyram canebat 168.p
Ioannes Caualcantes 373.p
Iocari uidetur qui se omnia scire dicit 182.m
Iocorum distinctio 892.p
Iocus sepenūero remittit studia 90.m
Iolaus Herculis nepos 264.p
Ion Ephesius 170.f
Iones quæ studia minime curēt 421.p
Iphicles Herculis frater 264.p
Ipsum idem, & ipsum unūquodq; quid in theologia 28.p
Ira qualis prudentis uiri 97.f
Iræ dulcedinem quandam aliquādo misceri ibidem
Iram sæpe pugnare aduersus concupiscentiam 582.p
Iram quis sedare & concitare dicendo potuerit 460.p
Iram inexpugnabilem & inuictā esse 552.m
Irasci ex ignorantia iudicandi nascitur 56.p
Irascantur qui uehementißime, & quæ causa 410.p
Irascibilis animæ partis actus qs 13.f
Irascibilem quid perficiat 14.p
Iridis originis explicatio 141.p
Irrideri à prauis nihil referre 54.p
Isis auis cui dicata sit 463.p
Isidis poemata apud Aegyptios 760.f
Ismenias thebanus quomodo ad diuitias peruenerit 23.p
Isocratem Lysiæ præfert 465.m
ἰσογίαι unde dicatur 330.m
Italiæ qui leges dederit 662.m
Itineris deam geminam esse 881.m
Iucundum & bonum duas differentes naturas esse 103.p
Iucunda omnia, an bona sint 245.m
Iucunditatem musis omnibus esse communem 830.m
Iudæis quis leges tradiderit 49.p
Iudex prudēs q̄ spectare debeat 765.f
Iudicis officiū quod 468.f.567.f
Iudici se subijcere debet, qui bonus esse cupit 351.p
Iudicem precari iustū nō esse 477.m
Iudicem mortalium nudum esse oportet 370.f
Iudices pecunia etiam in bona causa an corrumpendi sint 483.m
Iudicum uis legum est custos & Regis ministra 221.p
Iudicum arbitrio quid relinquēdum sit 862.f
Iudicibus cum eget ciuitas, quid indicet 566.p
Iudicij præses dea quæ 894.p
Iudicium qui fugiant 351.f
Iudiciū quod circa uirtutes & uitia decipiatur 336.f
Iudicium mutuū & clamosum pestem esse magnam in ciuitate 852.f
Iudicium an idem sit cum opinione uera & scientia 162.f
Iudicium pudicæ uirgini comparatur 894.p.897.p
Iudicium post obitum de hominibus faciendum 370.f
Iudicium uerum uel falsum non tollit rerum possessionem 161.f
Iudiciū bonum quid requirat 642.p
Iudicij formula ex Rhadamāto 372.p
Iudicij postremi de hoīibus locus 371.p
Iudicia priuata quō exercenda 902.m
Iudicia publica quō exercenda ibid.f
Iudiciorum ratio 813.f
Iudiciorum commendatio 893.p
Iudicijs qui interesse debeant 854.p
Iudicijs publicis standum, siue iusta, seu iniusta sint 484.m
Iudiciariā regis esse pediſequā 221.p
Iudicandum quomodo 293.p
Iudicandum esse per rationes 647.f
Iudicandos esse oēs post mortē 515.f
Iuliani librum de Sole citat 601.f
Iuncturarum in corpore species uarias esse 726.p
Iunior in seniorem nō nisi principum iussu sæuiet 593.f
Iuniorum sententiam instabilem esse 871.p
Iuniores tacere debent coram senioribus 575.m

Iuniores subesse debere senior. 569.p
Iunonis etymologia 316.p
Iunonis fabula quædam improbatur colligentis munera ob filios Inachi uita donatos 555.f
Iupiter sophista, quẽ nã docuerit 52.p
Iupiter mens dei est 168.m
Iupiter patrius Athenienſibus 266.m
Iupiter Ganimedis amore captus fluxũ quendam ἡμερον uocauit 454.f
Iupiter contribulis & hoſpitalis, quid 847.m
Iouis Lex quæ manſit 48.f
Iouem, imò homines Iouem colẽtes perſtringere uidetur Plato 55.m
Iouis Corinthus, Prouerb. 262.p
Ioui ſeruatori cur tertia patera præcipue conſecrabatur 277.p
Iouis etymologia 312.m
Iouem principiũ medium & finem omnium quis dixerit 376.p
Iouem non eſſe nobis penuarium malorum & bonorum, ut Homerus fingit 554.m
Iouis ſtella tarda 917.m
Iuramentum quantum & cur offerendum & cui 899.m
Iurandi modus Socraticus 115.f
Iuſiurandum Venereum 411.f
Iuriſiurandi forma 892.f
Iureiurando quis ualuerit 533.f
Iuſtinus Platonicus quid de Heri reſurrectione dixerit 654.f
Iuſtus quis ſit 583.m
Iuſti definitio ex Simonide 532.f
Iuſtus qualis 342.f
Iuſti & iniuſti diſcrimen apud Homerum 32.p
Iuſtus uir iniuſtum quanta ſuperet uoluptate 650.p
Iuſto legibus non eſſe opus 571.f
Iuſtum nunquã lædere, ſed ſemper prodeſſe 302.p
Iuſtus quõ ſit affectus 582.f
Iuſtum ubiq; iam illud eſſe quod potentiori conducat 536.p
Iuſtum uirum à ciuitate iuſta quoad ſpeciem nihil differre 579.f
Iuſti qui nam ſint 48.p
Iuſtos tanquam dei amicos nunquam negligi ab eodem 654.f
Iuſto homine nihil deo ſimilius 150.f
Iuſtum quid ſit 319.f
Iuſti manſueti ſunt 367.f
Iuſta & utilia non eſſe eadem 32.f
Iuſtorum patientia quanta 668.f
Iuſtos tantum cõmendare debent Poetæ 762.p
Iuſtos ad agendum potentiores ſapientioresq; eſſe quàm iniuſtos 542.p
Iuſtos à dijs illæſos eſſe 548.p
Iuſtis quæ concedant dij 547.p
Iuſtitia quid 275.m
Iuſtitia an idem quod ſanctitas 236.m
Iuſtitia in homine quomodo perficiatur 14.p
Iuſtitia concordiam & amicitiam parit 541.f
Iuſtitia uirtus ne ſit, an uirtus aliqua 15.f
Iuſtitia cur expetenda 543.p
Iuſtitia res quædam ſit, an nulla 236.p
Iuſtitia maxime in uoluntate conſiſtit 269.p
Iuſtitia in quo genere bonorum ponenda ſit 544.f
Iuſtitia in pace ad quid utilis ſit 533.p
Iuſtitia quid, & eius officium in republica 7.m
Iuſtitia publica quid 28.p
Iuſtitia quantum conferat ad uerum inueſtigandum, & deum colendum 529.p
Iuſtitiæ partes duæ 58.f
Iuſtitiæ nominæ morales uirtutes omnes comprehendit Plato 4.f
Iuſtitiæ opus quod 14.p.301.f
Iuſtitiæ uirtus & præſtantia quanta 226.p
Iuſtitiæ inueſtigatio 578.f
Iuſtitiam apud deos & homines maxime honorari 48.p
Iuſtitiam bonum eſſe quoddam, malum uero nunquam 301.f
Iuſtitiam eſſe uera fateri, & unicuiq; ſuum tribuere 529.m
Iuſtitiam humanam eſſe uirtutem 534.m
Iuſtitiam uirtutem eſſe & ſapientiam 541.p
Iuſtitiam cum clementia cõmiſcendam eſſe & ubiq; & ſemper 850.f
Iuſtitiam comprehendere reliquas tres uirtutes 579.p
Iuſtitiam non poſſe impune inter homines defendi 607.f
Iuſtitiam non opinione tantum humana laudabilẽ eſſe, ſed per ſe 641.f
Iuſtitiam ſpeculatricem animorum eſſe atq; uindicem 861.m
Iuſtitiam optimum animæ præmium eſſe 667.f
Iuuare quos maxime conueniat 444.f
Iuuenum cura cur ſuſcipienda 54.p
Iuuenes facile perſuaderi 144.m
Iuuenes quando honorandi 595.m
Iuuenes quomodo ſe habere debeant in rebus grauibus iudicandis 306.f

L

LAtius apud græcos 326.p
Lacedæmoniorũ reges unde genus duxerint 36.p
Lacedæmoniorũ laudes et diuitiæ 36.f
Lacedæmoniorũ reges ditiſſimi 37.p
Lacedæmonij cur fortunati in pugna contra Athenienſes 47.f
Lacedæmõijs qs leges tradiderit 49.p
Lacedæmoniorum leges unde uenerint 51.m
Lacedæmonij à Cretenſibus edocti inter græcos à compotationibus abſtinuerunt 52.p
Lacedæmonij non mutant leges, nec filios præter ſolita erudiunt, & diſciplinas peregrinas non admittunt 109.m
Lacedæmonij Aſtronomiam, & Geometriam contemnebant 109.f
Lacedæmonij hiſtoriarũ cupidi 110.p
Lacedæmoniorum dictũ, Exue uel abi 147.m
Lacedæmoniorum uirtutem in ſapientiæ magis q̃ in exercitationis ſtudio conſiſtere 241.f
Lacedæmoniorũ ſtudium circa bellum 292.p
Lacedæmoniorum pugna, fuga, & uictoria in Plateis 295.f
Lacedæmonio cuidam nomẽ fuiſſe σῶς 319.m
Lacedæmonij quãdo Athenienſibus & Eretriẽſibus ſuccurrerint 524.m
Lacedæmon breuiloqua 753.f
Lacedæmonem per Lycurgum meliorem factam eſſe 662.m
Lacedæmoniorum puerorum uulgare dictum 753.f
Lacedæmoniorũ Reſpub. tyrannidi ſimilis 789.p
Lacones quomodo bonos uiros cõmendare conſueuerint 27.p
Lacõis de arte dicẽdi ſentẽtia 457.p
Laconica breuiloquentia 241.f
Laconicã remp. à multis laudari 630.f
Laconici moris eſſe ſemper breuiora eligere 793.p
Laconicarũ mulierum uita quæ 831.f
Lædi quid 2.m
Lædere non eſt boni, ſed eius contrarij
Lætitia non eſſe exultandum 534.m 521.f.527.f
Læti. nimia cur abſtinendũ ſit 798.m
Lætitia rationis unde naſcatur 822.f
Labij tempora citat 844.f
Labij lõgitudo quãta eſſe debeat 390.f
Lamentationes lugubres defunctis eſſe moleſtas 521.f.522.f
Lampidone Leotychidæ filia Archidami uxor Agidis mater 37.m

Lamprus malus musicus 522.m
Lanificij uocabula 179.m
Lanificium partitur bifariam 210.f
Lapidum diuersitas unde 719.m
Lapillorũ nitor exterior unde 387.p
Latio et alteratio motus soli sunt 66.f
Lationis species 131.m
Latonæ etymologia 316.f
Laudare et probare qd differãt 239.p
Laudandi recta ratio 426.f
Laudatio quæ proba 373.f
Laudatio reprehensibilis quæ 428.f
Laus & uituperatio à bono uiro quomodo tractanda 51.f
Laudem fastus sequitur 122.p
Laudes ueræ quæ 289.f
Legati lex 896.p
Lene quid 720.f
Leoni Iouem præesse 393.f
Leonem tondere, Prouerb. 537.p
Leontinos qui saluauerint 525.f
Leontinus Aglaionis filius 582.p
λυτὸν cur uocetur, & quid significet 316.f
Leucippe Euenoris uxor 739.m
Lex unde proficiscatur 40.p
Lex qua gratia condatur in ciuitate 109.f
Lex de hominib. sub saturno 370.f
Lex de amore apud Atheniẽses & Lacedemonios uaria 421.p
Lex de dijs 554.f
Lex quid 744.p
Legum finis ultimus quis 744.f
Lex optima quæ 750.f
Lex uenefici 891.p
Lex de uictore declarando in spectaculis 761.f
Legis definitio 48.f. 49.m
Legis ueræ, quæ sint conditiones 48.f
Legis species quot ibidem
Legis nomine omnes artiũ præceptiones comprehendi 50.f
Legis conditor quis dicendus 309.p
Legem non posse quod optimũ est, omnibus præcipere 216.p
Legem reginã esse omniũ mortalium & immortalium 353.p
Leges qua prudentia condi debeãt 8.f
Leges à se inuicem non differre quatenus leges sunt 49.m
Leges ferre quem oporteat 217.p
Leges meliores prioribus præferendas ibidem
Leges an immutabiles ferendæ 217.f
Leges an trãsgredi liceat disputat 218 per totum, & deinceps
Leges imitamenta sunt ueritatis, quæ ab intelligẽtibus cõstituũtur 218.f
Leges quid præcipue intendãt 374.f
Leges quomodo etiam tacendo nobis placere significamus, quæ idcirco postea nobis seruandæ sunt 485.p
Leges multiplicare non debet optimus legum conditor 576.p
Leges duplices 585.m
Leges uel optimas absq; probatißimis magistratibus mortuas esse 600.f
Leges congregationi necessarias esse 744.p
Legibus necessariam esse diuinam auctoritatem 744.p
Leges Cretensium quid respiciant potißimum 747.p
Leges nõ ppter bellũ latas esse 747.p
Leges quomodo duplices appellentur 793.f
Leges singulas singula habere præmia 795.p
Leges de rebus diuinis unde petendæ 810.f
Leges de maleficijs & unde 858.p
Leges quomodo abrogandæ 816.m
Leges quæ difficile mutentur 828.f
Leges ciuitatum cur longe aberrent 905.p
Legũ inuentio in quẽ referenda 49.p
Legum latores enumerantur ibid.
Legũ conditores qui optimi apud Græcos 51.m
Legum institutio uaria 289.f
Legum fructus qui 787.f
Legum corruptor qualis sit 486.p
Legũ græcarũ cõditores tres 743.m
Legum optimarũ officiũ quod 857.p
Legum omniũ fundamentum 905.f
Legum finis in qua re consistat 908.p
Legibus si præficiatur iners quid sequatur 218.f
Legibus anteponit magistratus optimos Plato 288.f
Legibus qui non egeant 571.f
in Legibus errare cõstituẽdis peius esse quàm hominem interficere 585.m
Legislatoris finis quis 151.m
Legislatores priores nihil curasse Poetas 662.f
Legislatori an liceat mendacio uti 763.m
Legislatoris officium 749.m. 815.p
Legumlatorem non scelera tantum punire, sed ne perpetrentur cauere in primis debere 768.m
Legislatoris intentio quæ 781.m
Legislatoris institutum tribus perficitur 782.m
Legislatori non licere duo diuersa de uno in lege loqui 792.p
Legislatorem hortationem sæpe intermiscere debere legibus 838.m
Legumlatores cur à Platone filij dei appellentur 851.p
Legumlatoris officium 855.m
Legumlatorẽ crimine omni carere debere 914.p
Legũlationẽ ad regẽ pertinere 216.p
Legumlatio cur necessaria 216.m
Legitimum à uero non differre 50.f
Legitimum & illegitimum in unoquoque negotio qd appellandũ sit 51.p
Liberalitatis opus quod 14.p
Liber quare pædagogo & seruis ad tẽpus inseruiat 123.p
Liberos communes esse debere in ciuitate 701.p.
Liberis non auri sed pudoris multũ relinquendum 796.f
Liberorum disciplinã tractat 824.m
Liberorum generationi quæ non conferant 882.f
Libertas in ciuitate populari quãti fiat 638.m
Libertas quæ moderata & quæ immoderata 925.f. 447.p
Libertorum usus qualis 883.m
Libræ Vulcanum præesse 303.f
Libros scelestorum hominum etiam bonos è medio tollendos 304.m
Libido fugat amorem 375.p
Libido quid & unde 446.f
Licẽtia agẽdi qdlibet quid pariat 42.p
Licentia peccandi paucos dimittit puros 372.p
Licurgus quales Lacedæmonijs filios reliquerit 433.f
Licymnion Poli magister 460.p
Licentia quomodo labatur in iuuenum animos 637.f
Licentiam solutam è uita penitus expellendam 896.f
Lenis natura & officium 724.f
Limbi mentis 655.f
Limma apud Platonem quid 690.f
Lineã latitudine profunditateq; carere 390.f
Linguæ magister quis 31.f
Linum Phœbus afflauit 168.f
Linũ lino connectis, Prouerb. 264.m
Liquorum quatuor distinctio 719.p
Lisphæ animalia 426.p
Literas quis inuenerit 463.p
Literarum diuisionẽ quis primus excogitarit 85.p
Literarum uinculum quod 190.f
Literis qua ætate pueri mancipandi 833.m
Litigium quid 179.p
Litigium duplex 179.p
Liuoris qualis definitio 98.m
Liuorẽ abesse à diuino choro 386.m

Locum

Locum ante cœli ortum fuisse 715.f
λόγος græcis quot significet 165.p
Logica circa quid & an omnibus artibus præferenda 102.p
Logica apud Platonem quid significet, & qd à Dialectica differat 251.f
Locrensium leges 752.p
Loqui male non posse qui mali nõ sunt concludit Socrates 95.f
Loquantur recte quomodo 260.p
Loquẽdi libertas ubi maxima fuerit in Græcia 343.p
Lucretij loci aliquot 411.f. 412.m & 414.p
Lucretij amorem melancholicũ fuisse 413.m
Lucretio philosopho qd propter amorem acciderit 399.m
Lucrari non dicitur qui quoduis assequitur 4.p
Lucrum quid 1.p.3.f
Lucrum aliud bonum, malum aliud, utrunq; tamẽ ex æquo lucrũ est 3.m
Lucrum damno contrarium 1.p
Lucrum bonum ibidem
Lucro carentia quæ 4.p
Lucricupidos oẽs mortales esse, idq; neutiquam uituperandum 1.m
Lucricupiditas & Lucricupidi qui 1.m.2.p.m
Lucis encomium 407.m
Lucidum nihil sine igne 706.p
Lucifer Veneris Stella 917.p
Luctatiõis genera quæ inutilia 827.f
Ludendi in uita quæ sit recta ratio 831.p
Ludi iuuenum post sacra qui 122.m
Ludos in studia sensim, moresq; conuerti 571.f
Lumen Solis incorporeum esse 389.f
Lumen medium inter uisum & colorem 612.f
Lumen quid iuxta Iulianum Platonicum 615.m
Lumen Solis imaginem appellari debere 615.f
Lumen triplex 616.p
Lunam promiscuam esse, et cur 385.f
Lunæ radij cur non calefaciãt 684.m
Lunam et Solem magnos appellat deos 837.f
Lupus ex homine fab. 640.p
Lycaon Samius cuius instrumenti fuerit autor 688.p
Lychanos quid 691.f
Lycij exercitationes 53.f
Lycon Socratis hostis infensissimus 409.p
Lycon cur Socratem in iudicium uocauerit 471.f
Lycurgus unde leges acceperit 51.m
Lydiæ Harmoniæ duplices 563.p
λύπη quid 322.f
Lyra secum discrepans quomodo conuenire dicatur 433.m
Lyræ inuentor quis 770.f
Lyræ quamdiu incumbendum 833.m
Lysias thebanus oratione sibi familiaritatem Phædri comparandam duxit 373.p
Lysiæ oratio per Socratem examinatur 458.per totum
Lysias cõtemnitur quòd uerisimilia ueris anteposuerit 459.f
Lysidis indoles & forma 121.m
λυσιτελοῦν quid 321.m

M

Macareus mortem sibi debitã consciuit 845.f
μαίεσθαι quid 323.m
Magi corporum immortalitatem pollicentur 276.f
Magica Zoroastri deorum cultus est apud Persas 36.m
Magicæ opa eadẽ quæ naturæ 401.m
Magicæ qui fuerint studiosi 401.f
Magica à quibus concedatur 430.f
Magistratus quando optimi esse non possunt 288.f
Magistratus optimos legibus sæpe anteponendos ibidem
Magistratum ambire non decet 530.p & q admittẽdi ad magistratũ ibid.
Magistratuum nomina quæ 592.f
Magistratus optimos uiuas esse leges 600.f
Magistratus cur illorum minime cupidis dandi sint 620.f
Magistratus quibus committi debeant 784.p
Magistratũ omnem quorundam esse iudicem debere 814.p
Magnanimitas homini cur data 290.p
Magnanimitatis nomẽ honestißimum esse 48.p
Magnesiis quis leges tradiderit 49.p
Magnes ab Euripide nominatur lapis ille qui à nonnullis Heraclius dicitur 170.f
Magnes uim suam cõmunicat 170.f
Magneti cõparatur rhapsodus 171.f
Magna admirari consueuimus 373.f
Magnũ quidpiam nõ esse facile 548.p
Mahomethus quibus leges tradiderit, & in quem earundem inuentionem retulerit 49.p
Maiorũ splendor quando nam & quõ à filijs obscuretur 521.m. 527.f
Maius dupliciter dicitur 211.m
Malo contrarium bonum 1.p
Malũ bene sopitũ ne moue, Pro. 84.p
Malum omne non esse dolorem 89.p
Mala penitus extirpari posse impossibile 150.m
Mala circa inferiora uersari 150.f
Mala qua ratione fugienda in hac uita 150.f
Malorum in anima genera duo 180.p
Mala nemo tanq̃ mala eligit 248.m
Mala unde in corpus manent 279.m
Malorum omniũ quod nam maximum 346.m
Malorum declinationẽ nullã supereſſe si animã immortalẽ ponas 515.m
Malorum causam quamlibet aliã quàm deum aßignare licet 554.p
Mala quæ uidentur uiro bono conducere 668.m
Mala quando teneamus 755.f
Malos inutiles esse 7.p
Malos miseros esse, quoniam ignorantes sunt 41.f
Malum à malo propter iniustitiã lædi 120.p
Malus nulli amicus 125.f
Malis natura aut casu factis nemo succenset 233.p
Malum hominem etiam bene loquentem audiendum non esse 289.p
Malus ad illa quisq; est, ad quæ sapiens 289.f
Mali perseuerãtia unde oriatur 351.p
Malis bona adesse uidentur in hac uita 547.m
Malum tantũ irridendum esse 588.p
Malus q sapiẽs habeatur, eo plura mala peragit, quo acutius cernit 619.f
Malos esse qui sibimet imperare non possunt 754.f
Mali semp impurũ esse animũ 791.p
Malum neminem sponte fieri 851.f
Maleficia in ciuitate quomodo dignoscenda 635.p
Maligni cur pœnis uexentur 891.m
Malitia quãdo prodesse nicatur 45.m
Mandatũ cæci locutio Socrat. 166.m
Mancipatio duplex 176.f
μανικὴ prius μαντικὴ dicta à furore fuit 449.f
Manus num sibi inferre aliquãdo liceat 492.f
Manibus utrisq; ex æquo utendum esse 827.p
Marathonica pugna 524.m
Marcellus Aethiopum scripsit historias 734.m
Marcus Manilius quam dei essentiam dixerit 386.p
Marcus Varro animam deum esse dixit 386.p
Margites qualis fuerit 47.p
Martis etymologia iuxta græcam dictionem 317.m
Maris princeps quis 315.m

Maris dare est proprium 385.f
Mare nihil digni habere 516.m
Maritima regio malos mores habet 786.p
Mariandynorum seruitus 818.p
Marsya optimus tibiarũ inflandarum præceptor 51.m
Mars à Venere quõ superetur 392.p
Marsyas Olympi discipulus 436.m
Marsyæ instrumenta 563.m
Mas & fœmina uires habent rationis eiusdem 822.p
Marium concubitus unde 425.f
Masculi erga masculum amoris exemplum 375.f
Masculorũ amore cur quidam facilius irretiuntur q̃ fœminarum 413.p
Masculinum genus Sole genitum fuisse
Materia quõ dependeat ab ipso bono (383.m 675.f
Materiam quomodo dicamus inordinatam ante mundum 677.p
Materiã non esse æqualem mũdi fabro
Materiam deus demensione protendit (677.p 679.f
Materiam non tam per ideam propriam quàm per ideã formæ à deo procedere 691.f
Materia analogice mõstratur 714.m
Materiam nunquam recedere à potentia 714.m
Materiam esse informem 714.f
Materiam esse locum 715.m
Mathematicæ pars quæ non fuerit tempore Socratis 623.f
Mathematicæ rationes quomõ ad physica referantur 680.f
Mathematicas ab actione liberas esse, & cognitionẽ tantũ habere 200.f
Mathematicarũ disciplinarum utilitas
Mathematicis conuenire corporis motum (918.f 732.p
Matrimonij tractatio 591.m
Matrix in fœmina quid 733.f
μαχόνια quid significet 320.f
Medendi artem quis hominibus dederit 393.f
Medendi artis & dicendi eandem fermè rationem esse 461.p
Medendi modi duo 702.m
Medici proprium 146.m
Medici quomodo artem suam euertere aut ipsa abuti possint 218.p.m
Medicum bonum quid efficiat 242.f
Medicos cur morbi corporum multi lateant 279.m
Medici sapientes duplici utuntur purgatione 487.m
Medicis egens ciuitas malã indicat imbi disciplinam esse 566.p
Medici officium 567.m
Medicum excellentissimum an in ciuitate habere præstet 567.f
Medicinæ debilitas 101.m
Medicina Hecamedis 172.f
Medicinæ recta definitio 215.f
Medicinæ opus quod nam 261.f
Medicina corporis quomodo à Socrate curetur 276.m
Medicina quid cognoscat 285.f
Medicina duo efficit 301.f
Med. an circa sermões uersetur 338.p
Medicina cur ars dicenda sit 360.f
Medicina consideratio quæ 382.p
Medicina amatorios affectus quomodo cognoscat 423.p
Medicina quibus obsit 566.p
Medicina cui superuacanea 571.f
Mediocritas in omnibus mirifice extollenda 147.p
Meditatio quid 433.p
Meditatio seruat scientiam 402.f
Media quõ effugiant sapientes 84.m
Medium aliquod inter cõtraria duo nõ posse alterum duorũ fieri 96.p
Media plura inueniri quàm extremorum summa 506.f
Medullæ officium 725.p
Melancholici difficile amore capiũtur capti nunquã liberantur 413.p
Melancholicorum quod nam optimum oblectamentum 399.m.f
Melancholici atræ bilis corroduntur asperitate 399.f
Melanippe Euripidis 418.f
Meles citharœdus 361.p
Meliorẽ à deteriore lædi nefas est maximum 475.p
Melisias Thucididis filius 24.f
Melissei omnia unũ esse, idq; unum in seipso consistere 152.f
Mellis qualitas 719.p
Melitus Pyttheus 53.f
Melitus cur contra Socratem insurrexerit 471.f
Melodiã pulcherrimã cur per ineptissimum Poetã deus cecinerit 171.m
Melodiam ex tribus constare 562.f
Melpomene Solis uox cur dicta 168.f
Melpomene Thamyrã afflauit 168.f
Membrũ nullũ mũdi odit aliud 382.f
Membrorum humanorum errores oẽs à uisu procedunt 289.f
Memoria quid 91.f
Memoria mater musarum 157.f
Memoria quonam differat à Socratica reminiscentia 91.f
Memoriam deam inuocat 737.p
Memores qui 159.f
Mendax quis dicẽdus 268.f.617.m
Mendacij species 159.m
Mẽdaciũ oẽs hoïes dijq; oderũt 555.p
Mendacium in sermone imitatio quædam est passionis unius, quæ est in animo 555.m
Mendacium ciuitatis esse calamitatem 556.p 558.f
Mendacio quib. liceat uti mali cuiusdã grauissimi deuitandi causa 556.p
Mentiri turpe 159.m (558.f
Mentiri in ea re quilibet potest quam optime callet 268.f
Mentiens quis grauius delinquat, uolens aut nolens 269.p
Mentiri cõtra deorũ dignitatem quocunq; modo stultissimum 824.p
Mendici ubi uideãtur esse scelerum omnium autores 634.m
Menelaum qui eurauerint 567.p
Menætiades an uituperandus fuisset si absq; armis et semimortuus ad Achillis tentoria ductus fuisset 897.m
Menexenus contentiosus uehemens facundus Ctisippi discipulus 124.p
Menonis præceptor quis 25.f
Menonem à sophistarum captiunculis ad ueram sapientiã Socrates transtulit 416.p
Mens, animæ uis prima, & quis eius actus 13.f
Mens sana an posit hominibus tradi
Mens & sapientia nomina sunt purissima (25.m 102.f
Mẽs aut idem quod ueritas aut certe omnium simillima 105.m
Mens multitudo stabilis 167.p
Mens mala qualis 334.p
Mens animi mundi quæ 168.f
Mentis studia exercitiũ requirunt corporis 732.p
Mentis illius Socraticæ definitio uel expositio 90.m
Mentis distributionẽ legũ esse 784.p
Mentis motus natura quæ 875.m
Menti inesse non tantum imaginariam uerumetiam naturalem formam & ueritatem 601.p
Mentem omnia exornare 510.m
Mentem cum corpore nõ propter corpus agere licet posit sine corpore agere 511.p
Mentẽ purgari sacrificijs putauit Plato 840.p
Mentem pluribus nominibus appellari à Platonicis 379.p
Mentem illam Anaxagoræ solam iustam esse 319.f
Mentem à senectute nobis datã iri non esse sperandum 294.f
Mentem seiungi à corpore in ipsa ueritatis inuestigatione 600.f
Mentem liberam omni lege præstantiorem esse 852.f

Mentem nulli rerum immobilium ad= esse 189.p
Mente & scientia nihil moderatius
Mentes mortaliũ & im= mortalium amore donari (105.m 373.f
Mensis mensura unde 709.m
Mensis ultimus quis dicatur more com muni 840.p
Mensuræ capaciorne sit uoluptas an sa pientia 105.m
Mensuræ particeps omne artificiosum 212.p
Mensura omnium optima 276.m
Mensuram non posse esse quod est defi ciens 611.m
Mensurarum proportio 837.m
Mercatorum Geometria quid à Philo= sopho rum distet 101.f
Mercatura duplex 178.p
Mercatura an utilis in ciuitate 550.m
Mercenarios cõplementũ esse ciuitatis
Mercurius quid à Piman= dro petierit (550.f 53.f
Mercurij uim totam uersari circa ser= monem 305.f
Mercurij etymologia iuxta græcam uo cem 317.f
Mercurius tetrachordi inuẽtor 688.p
Mercurius Trismegistus quid de amo= re senserit 374.p
Mercurij stella quæ 917.p
Mese quid 691.f
Messeniorum rebelliones 818.m
Metallorum generationes 718.f
Metalla planetis dicata et quib. 734.f
Metaphysicũ tanq̃ deũ colendũ 441.f
μῆτις quæ 430.f
Metrodorus Lampsacenus rhapsodus 169.p
Metus & pudor custodes optimi in ci= uitate 593.f
Metus qd & quæ metũ inferãt 299.p
Meum & non meum quàm uim in ciui tate habeant 592.f
Miccus sophista 121.m
Mida locupletior, Prouerb. 567.m
Midas coturnicum nutritor 35.m
μείης μειζὸν ἄνω quid 318.p
Milciadem qui ad marathonem pugna uit, quomõ damnare cogitauerint quidam 367.f
Miles quõ educari debet 544.p
Militi Arithmeticã & cõputatoriam necessariam esse 621.m
Milites nihil propriũ possidere debere 557.p. 571.f
Milites præstantes maxime honoran= dos esse 595.m
Militum uita qualis 703.m
Militibus quid iuris in agros expugna torum uicinorum 596.p
Militibus in castris uinum negandum esse 768.p
Militiam communem esse, tam mari q̃ fœminæ 594.f
Militiæ gratia merito magnas haberi deliberationes & leges multas cõdi
Militarem scientiã ciui= li esse subiectam (896.m 221.p
Militaris res pars est ciuilis prudentiæ 232.f
Militarem artem nullus unquam uendi dit præter sophistas 250.m
Militaris ars in ciuitate quomodo exer citanda 842.m
Minæ centũ cui datæ ob filios instituen dos 35.m
Minerua cur ab oculis Diomedis nebu lam absterserit 48.m
Minerua quod artificiũ hominibus de= monstrauerit 393.f. 428.p
Mineruæ templis inscriptum epigram ma 673.f
Mineruam & Vulcanum naturam ha bere communem 737.f
Minima etiam à deo nõ negligi 868.f
Minos quibus leges tradiderit, & in quem earundem inuentionem retu lerit 49.p
Minos cuius filius, & quàm præstãs in condendis legibus fuerit 51.f
Minos ubi regnauerit, & quanti fiat hic idem ab Homero 51.f
Minoem mortuorũ animas cũ sceptro iudicantem ubi recitet Hom. 52.p
Minos annis nouem Iouem ipsum allo= quutus est 52.p
Minoem nõ alia præcepisse quàm ipse seruauerit 52.m
Minos qua in re deliquerit Platonis iu dicio 52.m
Minos cur duri nomen & agrestis ad= eptus sit 52.f
Minos & Radamanthus iudices mor= tuorum 371.p
Minoa per nouennium patris collocu= tionem petere solitum 746.m
Minos crudele Atticæ tributum impo= suit 786.m
Miserum describit 762.m
Miserrimũ quid iudicio Plat. 769.p
Misereri quorum debeamus 797.f
Miserabilis uel misericordia dignus qs
Mithecus de Siculorũ ar= te coquinaria scripsit (892.m 368.m
Mixtio quibus in rebus facilius inuenia tur 99.f
Mixtionis officiũ qs deorũ sortitus sit
Mixtionis Homericæ ue lut conuallis (103.f 104.p
Mixtionis cuiusq; dignitas aut utilitas quomodo dignoscenda 105.p
μνήμη unde dicta 330.m
μνησίθεος 311.f
Moderata corpori maxime conducere
Modestiam diffidenter ag= gredi difficilia (5.f 585.m
Modestis pecuniam plurimi faciendam 532.f
Mœchi unde ducant originem 425.m
Molestiarum qualitates 93.m
Molestissimum quid 121.m
Molle quid 720.p
Momentũ indiuiduũ esse & inueniri
Momentũ mediũ quoddã in= ter motum & quietem (76.p ibidem
Momus, p diuina cura accipitur 601.p
ne Momus quidem id carperet, Prouer bium 603. m
Monarchiæ ueræ umbra sub Octauia= no uisa est 198.f
Mouẽs seipsum, immortale esse 450.p
Mõtes esse q tãtũ apes pascãt 738.m
Moralis uirtutis officiũ totũ in quadã animi purgatione uersari 487.f
Morales uirtutes quæ 407.m
Moralem disciplinã in omni ætate ma= gnopere necessariam 289.f
Morato tantum de moribus loqui lice= re 289.p
Morbi omnes licet in aliquo cõueniãt, nõ tamen eandem esse omnium cura tionem 44.p
Morbus ex quib. cõstare dicatur 88.m
Morbus animi quibus in rebus consi= stat 224.p
Morbos animi & corporis qui uerbis tantum curauerint 302.f
Morbi ubi nulli sint 517.p
Morbi noui unde 566.p
Morbum ab externis causis prouenire 706.f
Morbus unde nascatur 728.f
Morbi acriores ubi generentur 730.p
Morbos periculosissimos nõ esse phar= macis iritandos 732.m.f
Morum uarietas & nouitas unde na= scatur 899.f
Mores moderatos à fortibus nunquam separari oportere 223.f
Mores mali facile malas sequuntur opi niones 224.p
Mores priuatorum quantum cõferant ciuitati 821.f
Mores in ciuitate una de causa maxi= me mutari 782.f
Morales uirtutes ab hominibus quomõ acquirantur 14.p
Mori, p alio amãtes soli eligũt 418.f
Mori honeste præstat quàm turpiter ui uere 654.m
Mori in bello quam commendabile sit 595.m

Moritur quisquis amat 379.f
Mori an multis cõducat nec ne 297.f
Mori pro patria q̃ præclarum 520.f & 521.f
Moriendũ pro patria quando, & quibus de causis sit 815.f
Mors quid 371.p
Mortem suam homines præsentire nõ posse qua lege cautum sit 370.f
Mors uoluntaria quæ 379.f
Mortem timere quid sit 474.m
Mortem non esse timendam 479.f
Mortis periculum subeundum potius quàm peccandum 485.& deinceps per totum
Mortis metum quomodo fugare debeamus 488.p
Mors philosophi meditatio 493.f
Mors & mortuus quid sint 493.f
Mortem medium esse optimum ad ueram rerum scientiam acquirendam 495.m
Mortem qui moleste ferant 495.f
Mortem unum ex maximis malis existimari 496.p
Mortis timorem quid afferat 532.p
Mors quomõ generetur in animantib. 728.f
Mortẽ non esse ultimũ supplicium 852.p
Mortẽ sacrilego malorũ minimũ fore 853.f 861.p
Mortuorum resurrectionem in Politico, in Phædone uaticinatur Plato 487.f
Mortuos domi sepelire antiquissima fuit superstitio 50.m
Mortuorum animæ quo & à quibus ducantur 515.f
Mortuorum cadauera in bello an præter arma spoliare liceat 595.f
Mortuus quis reuixerit 668.f
Mortuis parentibus monumenta struenda esse 791.m
Mortui qui laudandi 830.p
Mortuos quibus officijs prosequi deceat 903.f
Mortalis generis primordia 232.p
Mortale quid in se immortalis habeat 432.m
Mortale quomodo seruatur 433.p
Mortalium genera tria 710.m
Motuum qui optimus, & qui deterrimus 732.m
Motus qui & quot sint 66.f
Motus quomõ efficiatur & eius species
Motus species quot 141.m 131.m
Motum & statum maxime contraria esse 189.m
Motus naturales et cœlestes à quo principium ducant 528.f
Motũ circularem omnem semper sphæræ mobili proprium esse 684.p
Motus localis septem species 706.f
Mo. genera duo diuinis esse data 709.f
Motionũ species decẽ 867.p 873.f
Motuum quis robustissimus 874.p
Mouendi uigor 13.f
Moueri omnia 152.f.188.f
Moueri quid 153.p
Motus sint ne species duæ 153.p
Moueantur ne omnia an stent 873.m
Moyses quibus leges tradiderit, & in quem earundẽ inuentionẽ retulerit
Moysi locus. Terra erat inanis & uacua 49.p 677.p
Mosaicæ legis præcepta duo primaria Platoni nota 51.f
Mosaici mysterij confirmatio 489.p
Mosaicæ doctrinæ locus Platonis consonus 521.m
Mulieris uirtus quæ 15.p
Mulieri quando & cur iudicio interesse liceat 892.f
Mulieres maxime priscarum uocũ obseruantes 322.p
Mulierum corpora an earum custodibus nudanda sint 590.p
Mulieres multas ad multa uiris esse præstantiores 589.p
Mulieres eadem disciplina qua uiri curandas esse 590.p
Mulieres cõmunes esse debere 590.m
Mulieres in Lucinæ templo quid quoti die tractare debeant 821.p
Mulieres circa Pontũ militare 831.m
Mulieres ubi agriculturam & pastorũ officia exerceant 831.f
Mulieres cur oporteat arma & castra tractare 834.f
Mulierũ uulgare quoddã dictũ 366.p
Mulierum menstruo laborantium oculi quales 410.f
Mulierum fascinationem uehementissimam esse 411.p
Mulierum de mimis iudicium 761.p
Mulierum cur plus curandæ res sint q̃ uirorum 807.p
Mulieribus leuiora cõmittenda in republica 585.m. 589.f. 590.f
Multa quõ unum dici possint 62.m
Multos nouit qui unum nouit 7.m
Multitudo quæ non possit docere quomodo iudicet 32.p
Multitudo stabilis quæ, & mobilis quæ 167.p
Multitudinem non posse regendi disciplina præcellere 217.m
Mundus quomodo uocatur à Platonicis, & mundi quot 374.p
Mundus Latinis quid 374.m
Mundus quarum rerum concordia constet 381.f
Mundus intelligibilis quid 675.f
Mundus superior quid sit 676.p
Mundus cur sit unus, & moueatur in sphæram 678.f
Mundus cur in quinq; uel sex plagas diuidatur 679.p.m.f
Mundus quõ & ex quibus sit compositus 697.m
Mundus semp fuerit, nec ne 705.p
Mundi totius anima quæ 168.m
Mũdi aĩa quæ à Platone dicatur 199.f
Mundi totius inordinatio semel facta 206.f
Mundi partes per seipsas nasci, generare & nutrire 207.m
Mundi pictura in quibus cernatur expressior 389.m
Mundi corpus quale 395.p
Mundi machinã unam esse, & ab alio pendere 624.m
Mundi spiritum & intelligentiam, animam & naturam 684.m
Mundi plures sint an unus 706.p
Mundi intelligibilis unitas 706.p
Mundi originem duplici modo narrat 677.m
Mundi definitio 705.f
Mundi generatio ex quibus 713.m
Mundum uiuere, & sapientiam sortitum esse à deo suo 205.p
Mundum institutum suisse dominũ motionis suæ 207.m
Mundum initium habuisse 225.m
Mundum anima quadam regi & moueri 395.p
Mundum habere supra se tres causas
Mundum esse nunquam sed semper fieri 674.m 674.f
Mun. pendere causa ĩcorporea 674.f
Mundum intelligibilem mediũ esse inter uisibilẽ & ipsum bonũ 676.p
Mundum quomodo dixerit Plato existere 678.p
Mundũ boni gratia procreatũ 678.m
Mundũ fieri semper & fluere 677.f
Mundũ ex quatuor elementis esse compositum 683.p
Mundum animatum, intellectualem, uiuentem à deo factum esse 685.f
Mundum ex tota materia constare 706.m
Mundum æternum esse à defectu causæ non à materia 706.f
Mundos plures non esse credendos 678.f
Munera ab impuro capere neq; hominem, neq; deum decet 791.p
Munerum corruptelam tractat 559.p
Munitionum duplex usus 209.f
Musæ quid significent Platoni 757.f
Musarum mater quæ 157.f

Muſæ ſunt animæ nouem ſphærarũ cœleſtium 168.f
Muſæ ab Ioue ducuntur 168.f
Muſa Poetas diuino inſtinctu concitat 170.f
Muſarum cognomen unde 446.m
Muſas poſt homines natas eſſe 456.f
Muſarum nouem myſterium 657.m
Muſæi muſa quæ 168.f
Muſica unde dicatur 30.m
Muſ. uſuraria & ſine menſura 101.m
Muſica cur tradenda pueris 234.m
Muſica circa quid uerſetur 337.f
Muſica ſola parit molliciem 557.p & 568.m
Muſica unde originẽ habuerit 690.f
Muſica quàm amica ſit homini 399.m
Muſica Aegyptiorum qualis 760.f
Muſicæ elementa quæ 164.f
Muſicæ Platonicæ et Pythagoricæ propoſitiones, et proportiones 687.f
Muſicæ utilitas 557.p.564.m
Muſicæ uis 822.m
Muſ. perfectionẽ qd præſtiterit 88.m
Muſicæ tractatio antiqua 780.f
Muſicæ noua ſpecies deuitãda 575.p
Muſicæ genera imitationes eſſe morum 828.f
Muſicam conſonantiã fieri in elemento omnium medio 687.m
Muſicã numeris addere uocem 616.f
Muſicam ſola uoluptate non eſſe iudicandam 765.m
Muſicã Aſtronomiæ ſimilem, & æquipollentem 624.f
Muſicam omnem imitatricem & ſimilium effectricem eſſe 765.m
Mu. in amatoria pulchri finiri 565.p
Muſici celebres aliquot 409.f
Mutatio quæ nam maxima & extrema omnium cœleſtium alternationum 205.m
Mutatio quæ nam uelox, & uehemens 634.f
Mutatio quæ antiquiſſima & potentiſſima 874.m
Mutationis qui non ſit expers 205.m
Mutationem præterquàm in malis eſſe rerũ omniũ periculoſiſſimã 823.p
Mutationem aſſiduã eſſe (828.m in corpore & anima 432.f
Mutabilia quæ non ſint 554.f
Muti quales eſſe debeant 818.f
Mutarũ literarũ ſonus qualis 163.m
Myrine quid à Batiea differat 310.f
Myſo Chenæus 241.f

N

Nandi peritia utilis licet humilis 365.m
Narciſſi fatum crudeliſſimum 406.f
Narratio duplex 560.m.f
Naſi longitudo quanta eſſe debeat
Natura quid 657.p (390.f
Negligentia quomõ contingat 877.p
Natura infimum diuinæ prouidentiæ inſtrumentum 743.f
Natura magna 174.m
Natura quomodo ſeipſam reparet 432.m.f
Natura quicquid bene ſe habet minimam ab alio permutationem accipit 554.f
Natura in mundo qualis ſit 652.f
Natura quicquid peius eſt eſſe idem & turpius 352.f
Naturæ fortis conditio 223.m
Naturæ ſapientis cauſæ quomodo inueſtigandæ principales 712.f
Naturæ opera qualia 871.m
Naturam ſibi cognatam & conſonam eſſe 19.m
Naturam oſtendere quid ſit 461.f
Naturam quotidie aliquid diuinum tradere 467.p
Naturam generoſam ſine recta cultura inutilem ſemper & plerunq; noxiam fieri 600.f
Naturam noſtram quomodo contemplari debeamus 617.f
Naturales res opera dei eſſe 175.p
Naturalium ſpecies formasq; ſubſtantiales numeris computari 680.f
Naucleri quomodo arte ſua abuti poſſint, & quomodo abutentes puniendi 218.p
Nauclerus unde appelletur 537.p
Naucratis Aegypti 463.p
Nauis ab Athenienſibus in Delum quotannis mittebatur 490.f
Neate quid 583.f
Neceſſariũ qd corpori dicatur 726.p
Neceſſaria turpe eſſe neſcire 836.m
Neceſſitas induſtriæ mater 207.m
Neceſſitas nõ differt à uolũtate in ſumma diuinitatis ſimplicitate 653.f
Neceſſitatis regnum quid apud Platonem 392.f & inde
Neceſſitatem expectandam eſſe in magiſtratu ineundo 539.f
Neceſſitatẽ in diuinis eſſe penitus uoluntariam 735.p
Neceſſitati nec deum ipſum aduerſari 836.f
Negatio quando contrarium non ſignificet 192.m
Negatio & affirmatio ab oratione prouenit 195.m
Negatiuarũ quædam cõtrarietas 78.p
Neithe dea 702.f
Nemeſis iudicij angelus 791.m
Neonus Cali filius 12.f
Neptunus quid apud Platonem ſignificet 734.m
Neptunus quomodo & ubi filios genuerit 739.p
Neptuni filij quas terras coluerunt, & quib. de ſe dederunt nomina 739
Neptunum ſignificare naturalem prouidentiam 653.f
Neq; literas, neque natare nouit, Prouerbium 776.p
Neruorum natura 725.m
Neſtor prudentiſſimus fingitur ab Homero 270.p
Neſtoris pellex quæ 172.f
Neſtoris orationes 457.m
Neſtorem & dicendi facundia, & uitæ temperantia multos excelluiſſe 788.f
Nete quid 691.f
Neutrum amare malũ impoſſibile eſſe 120.m
Nicias Hieroſcamandri filius 12.f
Nicias Nicerati filius 347.f
Nihil nimis, Prouerb. 96.f
Nili ſalubritas 702.f
Nitri generatio 719.m
Niuis generatio 718.f
Nobilium filij quæ diſcere conſueuerint 9.f
Nobilibus an ignobilibus meliora ingenia ſint 36.p
Nobiles cur ad temperantiã excitandi 275.f
Nobilitatem ueram in uirtute ponendam 275.f
Nocere cuiuſuis eſt 847.f
νόησις quid ſignificet 319.p
Nomen quid 304.p
Nomẽ imponere nõ cuiuſuis eſt 309.p
Nomen quod nã inſtrumentũ ſit ibid.
Nomen quid ſit diſquiritur 307.f
Nomen ſignum illud eſt agentibus impoſitum 194.f
Nominis quæ uera rectitudo 310.p
Nomina qualia pueris imponenda 9.f
Nom. quæ cõgruant, quæ nõ 194.m
Nomina Poetica quæ abijciẽda 558.p
Nominum copulatio orationis eſt ſubſtantia 163.p
Nominum origo triplex 306.m
Nominũ uerorũ ſciẽtia quanta 302.f
Nominũ inſcriptio præcipitur 808.p
Nominibus quomõ pro arbitrio utendum ſit, & qua conditione 282.f
Nominibus uti communioribus generoſi animi eſt, contrariũ autem illiberalis 154.m
Nomenclatorem rerum fuiſſe ſapientem 330.p

Non altera manu apprehẽdendũ, Prouerbium 179.p
Non ſus hoc quiuis norit, Prouerbium 298.m
Noſce teipſum epigramma in Delphis 37.m
Noſcens ignorare idẽ nõ poteſt 156.p
Noſſe & ignorare circa omnia & ſingula uerſatur 156.p
Noſſe an idem quod ſcientiam accipere 166.f
Nugator quis dicendus 179.p
Nullus unquam prauus intelliget, &c. Prouerb. 802.m
Numæ laus 614.f
Numerus quid 133.f.617.p
Numerus impar deo gratus 376.p
Numeros triplices apud Pythagoricos 680.p
Numerorum planorum cur ſit unũ tantum medium & ſolidorum plura 680.m
Numerus ſub genere finiti ex qbus redditur 88.p.m
Numerus ſingulorum nihil aliud eſt q̃ partes 164.p
Numerus uerus ubi inueniatur 909.p
Numerus qui aptus ad plures diſtributiones 800.f
Numeri ratio quibus in rebus conſiſtat
Numeri ternarij triplex (306.m
expoſitio 586.m
Numeri ſeptimi myſteria 652.f
& deinceps 656.m
Numeri duodenarij myſteria 795.m
Numeri præſtantia in rebus cognoſcendis 913.m
Numerum unde diſcamus 913.f
Numeri quaternarij ratio 681.p
Numerum parem appellari diuiduum imparem indiuiſibilem 685.m
Numerum & numeri computationem quis inuenerit 463.p
Numerum quinarium quibus de cauſis animæ compoſitioni conuenire putet 685.f
Numerus omnium quis integerrimus 529.p
Numerorũ cognitio quàm utilis 918.f
Numerorum cognitionem commendat
Numerorum genus in ordine eorum (804.f
84.p
Numerorum duplorũ, triplorumue interualla quõ numerentur 695.p
Numerorum harmonicorum ad animæ compoſitionem conducentium ſumma 694.per totum
Numina octo in columna Aegyptia qd
Numinum contemptores quõ cohibendi (572.m
870.p
Nuptiæ quæ contrahendæ 816.f
Nuptiarum leges 792.f
Nuptiarum tempus 821.f
Nuptiarum curatrices quomodo eligẽdæ 827.p
Nuptiarum numerum arbitrio principis concedendum 591.m
Nuptias communes eſſe debere in ciuitate 701.p
Nuptias ſacras utiliſſimas eſſe 591.p
Nutrices puerorum quales eſſe debeãt
Nutriendi uigor 13.f (825.p

O

O Pro ω utebãtur antiqui 323.p
ω uſus apud græcos 326.p
ὄαροι καὶ ὀαρισμὸς 52.p
Oblata nõ ſemp acceptãda eſſe 44.f
Oblationes deorum quales 902.p
Obliuio quid 91.f.433.p
Obſequiũ quod minime turpe 422.m
Obſtaculorum duplex ratio 209.f
Obſtetrices quales eſſe debeant 138.f
Obteſtandi modus apud Platonẽ 52.f
Obuius aliquis cur ſtatim placeat, aut diſpliceat 390.p
Occidiſſe quos impune liceat 862.p
Oceanus & Tethys omnium aliorum origo 152.f
Oceanum deorum originem 315.p
Oceanum unum ex quatuor præcipuis fluentis 517.f
Oceanum ad flumina inferorum pertinere 490.p
Oceani parentes qui 210.p
Octauiani monarchia qualis fuerit
Oculus mentis quando (198.f
acute uideat 438.p
Oculus quando uidens 141.f
Oculus quomodo ſeipſum uideat 41.p
Oculus quantũ in amore poßit 413.m
Oculi pupilla hominem intuentem exprimit 41.p
Oculum quis generet, & quis eidem uidendi uim tribuat 616.f
Oculi cur dati hominibus 712.f
Oculi pulchri qui dicendi ſint 114.m
Oculorum præſtantia 712.p
Oculorum orbes quanti eſſe debeant 390.f
Oculos duobus modis turbari conſueuiſſe 619.p
Oculis quæ uis inſit 410.f
Oeconomi nomen cui conueniat 7.f
Oedipus inter imprudẽtes cur à Socrate numeretur 44.m
Odiſſe quos deceat 534.p
Odium quomodo naſcatur 390.p
Odorum generatio 721.f
Odyſſea & Ilias Homeri quid tractent 32.p
Oedipi imprecatio aduerſus liberos à dijs exaudita 890.p
Oedipodis mortem debitam fuiſſe ſuis ſceleribus 845.f
Oedipũ imprudenter mala à dijs precatum eſſe 43.m
Officia humana mentes ad felicitatem præparant 252.m
Officia quæ debeantur patriæ quæ peregrinis, & quæ ſupplicibus 797.p
οἶνον cur dictum 317.p
οἰονοπικὴ prius dicta, deinde honeſtius οἰωνιστικὴ 449.f
Oleum laborum ſubſidium 523.m
Olei natura 719.p
Olfactus caliginoſo aeri cur aßignetur 387.m
Ollæ pulchræ deſcriptio 111.m
Olympus Phrygius optimus tibiarum inflandarum præceptor 51.m
Olympi opera 170.f
Olympiodori de Platone locus 655.p
Omne & totum an idem 163.f
Omnia omnibus eſſe ſimiliter, ac ſemper 308.m
Omnia & omne an differant 164.p
Omnia boni gratia fieri 895.f
Omnium centrum quod 376.f
ὄν unde dicatur 323.m
Operari & facere an idem ſit 282.m
Opera dei quæ 53.m
Ope. quæ nã appellari debeant 282.m
Operimentorum duplex uſus 209.f
Opifex ſublunaris quis 174.m
Opificum dij qui 885.f
Opificium ab imperfecto incipiens, in perfectum deſinit 174.m
Opinari animæ quid 157.p
Opinari tribus modis 156.p.m
Opinari circa quid uerſetur 156.p
Opinari à cognoſcere quid differat 166.p
Opinatrix cõtraria ueræ ſcientiæ 182.p
Opinio quæ 133.p
Opinio unde oriatur 93.f
Opinio cuius ſit 134.f
Opinio falſa quid 132.m. 185.p
Opinio falſa quomõ contingat 159.m
Opinio falſa quomodo fiat 133.p
Opinio falſa quantum malum 341.f
Opinionibus falſis qui proni 159.f
Opinio uera quid 132.m
Opinio uera an idem ſit cum iudicio, et ſcientia 162.f
Opinio uera quando ſcientia ſit 162.f
Opinio recta quæ 430.m
Opinio recta à ſcientia quid differat
Opinio recta quomodo hominibus accidat (26.p
14.p
Opinio acquiſita optimi affectatrix in nobis

in nobis quid agat 444.f
Opinio quædam recta est cum ratione nec tamen est scientia 165.f
Opinio particularis 132.p
Opinio falsa quibus insit, & quib. non 159.m
Opinio animæ quid à sermone eiusdem differat 157.p
Opinio gignitur per cogitationem silentem 190.m
Opinio media inter sapientiã & ignorantiam 430.p
Opinionis species duæ 155.f
Opinionis falsæ species 133.p
Opinionis rectæ opus quod 14.p
Opinionis, orationisq; falsitas, uel ueritas à non ente nascitur 194.p
Opinionem circa aliud uersari q̃ scientiam 599.p
Opinionẽ inducere an idem quod persuadere 162.f
Opinionem ueram hominibus natura non inesse 26.f
Opinionem ueram scientiam non esse 155.f 156.p
Opinionem ueram cũ ratione non esse scientiam 166.f
Opinionem omnium nõ omnem ueram existere 152.p
Opiniones quando ueræ, quando falsæ 148.p
Opiniones discordes quid indicent in multitudine 32.p
Opin. falsæ unde proficiscantur 180.f
Opiniones partim ueras, partim falsas necessario esse 195.f
Oppositionis uariæ diffinitiões 673.p
Optandum non esse ut omnia succedãt ex uoto 521.f
Optimatũ gubernatio optima 629.f
Optimum omnium quid nam primum, quid secundum, quid tertiũ 339.p
Optimũ quod cuiq; illud maxime proprium 649.f
Optimũ esse in aduersis quietem agere 664.m
Optimo nihil esse addendum 674.f
Opus nullum turpe esse quis senserit 282.m
Opus cuiusq; potentiæ quando optime exerceatur 13.f
Opus denominationes unde desumere possit 48.f
Oraculum Crœso datum 640.m
Oraculum Delphicum quas cogitationes Socrati immiserit 470.p
Oracula agendorum sæpe hominibus per medios spiritus pandi 8.f
Ὥρα quid 318.f
Orandum quomodo sit, & unde orationis exempla petenda 42.f
Oratio quid 165.p
Oratio mediocris quæ 195.p
Oratio quomodo à cogitatione per os effluat 195.m
Oratio prima & breuiß. quæ 194.f
Oratio uera quæ & quæ falsa 307.f
Oratio qualis in ciuitate admittẽda sit 562. per totum
Oratio græcis quõ dicatur 165.p
Oratio animi affectionem sequi debet 563.f
Orationis funebris ordo 520.f 522.f & deinceps
Oratiõis ueritas, aut falsitas ex re ipsa dimanat 78.f
Orationis substantia 163.p
Orationis Hippiæ Lacedæmone habitæ initium 110.p
Orationis pars minima quæ 307.f
Orationis partes & ordo 459.f
Orationis species duæ 553.p
Orationis definitio qua separatur à cogitatione 195.m
Orationem querulam quando habere non liceat 829.f
Orationẽ in duas diuidi species 562.p
Oratione soluta quomodo pueri exercendi 833.p
Orationes partim ueras partim falsas necessario esse 195.f
Oratoria facultas quid 260.f
Oratoria facultas persuadet 133.m
Oratoria à Ciuili facultate quomodo distincta sit 220.f
Oratoriã facultatem sine ueritate esse ridiculam 457.f
Oratoriæ facultatis dignitas 220.p.m
Orator qui laudandus 442.p
Orator excellens quis 461.p
Oratoris ineptiæ omnibus notæ qui liberi & ingenui sunt 150.m
Oratoris & philosophi oratio qd differat 149.p
Oratori quæ dicenda sint 456.f
Optari tria necessaria 441.f
Oratorem rectum quid scire deceat, et qualem esse oporteat 364.p
Oratorem in dicendo nunquã liberum esse posse 149.p
Oratorem legitimum quid intelligere oporteat 332.f
Oratorem scire oportere & loquendi, & tacendi tempus 462.f
Oratorem non docere sed fidem inducere 340.m
Oßium natura 725.p
Oratores tyrannis similes 345.p
Oratores qui uituperandi 332.m
Orat. quæ scribere permittãtur 560.p
Oratores minime omnium in Repub. posse 344.f
Oratores deceptores esse 522.p
Oratorum multorum præstantium enumeratio 460.p
Oratorum adulatio declaratur 361.f
Orbis terrarũ magnitu. quãta 516.p
Ordo quantum in unaquaq; re momentum habeat 362.p
Ordo seruandus in ciuitate maiorũ & minorum 884.p
Ordinem inordinato præstare 705.f
Ordinem certum non admittũt quæ uaria sunt 216.m
Ordines tres in uniuerso esse 920.f
Oresti nomẽ recte impositũ esse 311.f
Orestem imprudẽtia matrem occidisse (45.m
Orichalcum insigne metallum ubi multum 739.f
Oris usus & ornatus 726.p
Oris lõgitudo quãta esse debeat 390.f
Ornamenta reginarum prouincijs ubi nomen dederint 37.p
Orithyæ fabula à Borea raptæ 443.p
Oromansius Zoroastri pater 36.m
Oromasis unde 303.p
Orphanorũ cura quibus committenda
Orpheus quantã uim amori tribuerit (887.m 373.f
Orpheus de rerum principijs cecinit
Orpheus de Ioue quid senserit (376.p 376.p
Orpheus Oeagri filius uoti impos ex inferis dimittitur 419.f
Orphei opera 170.f
Orphei musa quæ 168.f
Orphei iuramentum quod 572.m
Orphei erga Eurydicen amor 375
Orphica uita quæ 820.m
Orthagoras Thebanus 231.p
Orsi dei nomen & apud quos 303.p
Otus quis 424.f
Ouidij musa quæ 168.f
ὄσιον quot modis nuncupauerint homines 314.f

P

Pacis studium ad quid referendum 744.f
Pæana testem dictorum à quibus inuocandum iubeat 763.f
Pæanis species 780.f
Palamedis Eleatis in dicendo artificiũ quantum 457.f
Pallas intellectualem significat prouidentiam 673.f
Pallas quid apud Platonem significet 734.m
Pallas armata cur palàm culta fuerit 737.f
Palladis descriptio 673.m

Palladis etymologia 317.p
Palladem ante diluuiũ duas condidisse, educasse, et docuisse Athenas 529.p
quid significet 317.f
Pan Mercurij filius biformis 305.f
Pandari confusio sacramentorum inducia rumq; 554.m
Paralus Periclis filius qua re exercitatus fuerit 24.f
Paralus Pericle natus 229.f
Paramese quid 691.f
Paranete quid ibidem
Parcæ cur tractẽt manibus glomos, mater uero nequaquam 657.f
Parcarũ uim esse incõuertibilẽ 904.p
Pares cum paribus facillime congregãtur, Prouerb. 447.f
Parmenides quonam modo disputare consueuerit 175.f
Parmenides Pythagoricus librũ De natura scripsit 374.p
Parmenidis magni de eo quod non est sententia 183.f
Parmenidis carmina 193.p
Parmenidem prisca deorum gesta descripsisse 427.p
Parentes quasi dei uicarios honorãdos 785.p
Parentes cur filios se genuisse considerare debeant 527.f
Parentes boni qui malos filios habuerunt 24.f
Parentum bonorum cur mali sæpe filij 234.f
Parentum amor 122.f
Parentum preces aduersus liberos sæpe audiri 890.p
Parentum cura erga filios qualis esse debeat 9.p
Parios iuuerũt Athenienses contra Lacedæmonios 526.f
Paricidæ quomodo puniantur apud inferos 518.m
Pars nõ est multorum, sed totius 76.m
Pars quõ à specie differat 202.m
Partis cognitio qd cõferat ad tot. 18.p
Partes ob finis intentionem uniuntur 198.p
Partibus quæ constent 164.p
Parua prius consideranda ei qui maxima assequi cupit 176.p
Parum bene, quàm multum non sufficiẽter determinare, præstat 156.p
Parypate quid 691.f
Passiones quæ uiolentæ 864.p
Passionum sensibilium et insensibilium causæ 720.f
Pastores cur appellentur ab Homero exercitus duces 52.f
Pastorum dignitas non parua 206.m
Patris & filij in diuinis eandẽ esse substantiam 601.f
Patrem quomodo & quando accusare liceat 889.m
Patrem homicidij accusare etiam licere 54.m
Paterfamiliâs uir nihil metuat seruorũ multitudinem 646.p
Paterfamiliâs, ciuilis, dominus, rex an idem sint 200.f
Patiens quando patiens 141.f
Patiẽs sensibile esse nõ sensum 153.m
Patria honoranda 797.p
Patria quomodo colenda per totum 484
Patria quomodo laudanda 523.p
Patriæ hostis quis iudicandus 851.m
Patriæ cura & studium erga filios suos 528.m
Patrocles Iolaus 264.p
Patrocli erga Achillem amor 375.f
Patroclo quæ falso adscribat Homerus 559.f
Paulus splendor ueritatis 303.f
Paupertatem nimiam obesse ciuitati 571.m. 574.p
Pausanias Ceramensis 230.p
Pecunia quibus plurimi faciẽda 532.f
Pecunia quæ Iunoni cõsecratur 817.p
Pecuniæ malum quod 349.f
Pecuniæ usus qualis apud uirum probum 529.m
Pecunias quærimus corporis gratia 499.p
Peccat quisq; deficiente scientia 136.f
Peccant homines, facile sed non sponte 115.p
Peccantes in pugna quomodo puniendi 595.p
Peccantium confabulando expiatio uetus fuit 449.p
Peccatorum iudicandorum ordo 854 per totum
Pedum motus qui illiberales 563.f
Peleus Aeaci filius in Phthia quomodo dominatus sit 10.m
Pelopes lege græci, natura barbari 526.f
Pelopi cur recte nomen impositum 312.p
Pentathli quem nam locum in certationibus habeant 6.f
Percipiant qui facile 159.f
Peregrinantium genera 900.f
Peregrinus cur maiorem misericordiam à Deo & hominibus mereatur 797.p
Peregrino quantũ sit fauendũ 797.p
Peregrinationis utilitas cur instituenda 900.p
Perfectio absoluta ubi 381.f
Pericles Xanthippi filius 28.m & 522.m
Pericles quomõ sapiens euaserit 34.f
Pericles uolentibus imperauit 11.p
Pericles quales reddiderit Athenienses 367.m
Pericles non fuit bonus ciuium curator 367.f
Pericles Alcibiadis tutor 34.f
Pericles Anaxagoræ auditor 461.p
Pericles cur oratorũ perfectissimus fuerit 461.p
Periclis consilio quæ Athenis facta sint 340.f
Periclem uirum sapientissimum fuisse & quõ filios suos instituerit 24.f
Periurijs quibus dij dent uenią 421.f
Peripateticos dei cultum minime curare 839.f
Peritia quid ab arte differat 360.f
Peritorum & imperitorum discrimen in legum imitatione 219.p
Persuasionis artificem non solam esse Rhetoricam 339.f. 340.p
Persuasionis species quot 340.m
Persæ Regem suum quomodo educare consueuerint 36.m
Persæ quomodo deum appellent 303.p
Persarum deliciæ 752.p
Persarum regis cuiusdam anima qualis fuerit 371.m
Pers. reges unde genus duxerint 36.p
Persarum reges ditissimi & regiæ uxores similiter 37.p
Persarum imperium cuius legibus gubernetur 936.m
Persarum mollities 36.f
Persas qui primi inhibuerint 524.p
Persas nauali pugna inexpugnabiles aliquando fuisse 524.f
Persis quis leges tradiderit 49.p
Perses Iouis filius 36.p
Persuadere an idem sit quod opinionẽ inducre 162.f
Perturbationes animi rursus recensẽt 857. per totum
Perturbationes ad sensibilia pertinentes in anima seiunctas ab corpore remanere posse 852.p
Perturbatiões omnes tũ corporis, tum animæ, tum utriusq; doloris & uoluptatis concursum habere 99.p
Perturbationes in qua hominis parte sint 723.m
Pessimus uir qui sit 645.p
Petrus Leo spoletinus Mathe. 697.f
Phedonem adolescentulũ lupanari publico prostitutum Socrates ad philosophiæ studium adduxit 416.p

Phædrus Myrrhinusius 228.f
Phædrus qualis fuerit 373.m
Phædrus ex oratore philosophus à Socrate factus 416.p
Phaeton Solis filius fulminatus quid significet 673.m
Phantasia quomodo à cogitatione distinguatur 195.f
Phantasia, tertia animæ uis & eius actus quis 13.f
Phantasmata nocturna dæmonum sunt simulacra 196.m
Phantasticũ genus ĩ duo secatur 196.f
Phãtastica uis simulachrorũ magistra
Phaostenes Andrius Athenienſium imperator (194.p 174.p
Phelleos agros solo pingui fertiles aliquando fuisse 738.m
Phenicem Achillis præceptorem damnat 559.m
Phemius Itacensis rhapsodus 170.f
Pherecrates Poeta 235.p
Pherecydem summũ fuisse theologum 616.m
φερέφαττα quid significet 316.p
φερσεφόνη quid significet 316.p
Phidiæ pulchra extabant opera 23.f
φιλήκοος καὶ φιλοθεάμων à philosopho quid differant 598.f
Philemon Philemonidis filius 12.f
Philippides Philomeli filius 229.f
φιλόλογοι qui 600.m
Philolaus 492.f
Philosophari quid iuxta Solonem 5.f
Philosophandum quibus nõ sit 127.p
Philosophantis studium quod 487.m
Philosophãtib. qd obijci soleat 471.m
Philosophiæ principium 141.p
Philosophiæ priscæ figura 241.f
Philosophia scientiæ acquisitio est 260.m
Philosophiæ alia definitio 6.m
Philosophia gratiosa est 267.m
Philosophia Socratis qd doceat 352.p
Philosophiæ exactã diligentiã nõ esse impendendã qui senserint 354.m
Philosophiæ quõ danda opera 353.p
Philosophia quæ uiro rempub. gubernaturo sit ualde necessaria 520.f
Philosophiæ calumnia maxima unde oriatur 604.f
Philo. à studio quæ auertant 607.p
Philosophiã donũ esse diuinũ 615.p
Philosophia quibus non sit communicanda 921.m
Philosophum quomodo conueniat omnes artes attigisse 6.m.f
Philosophus quando inutilis sit 7.p
Philosophum unoquoq; artifice inferiorem esse 7.p
Philosophorũ quibus in rebus secũdas tenere turpe sit 8.p
Philosophi officium & actiua, & contemplatiua comprehenditur 14.m
Philosophi affectio 145.p
Philosophus in indagando quomodo à sophista distet 106.m
Philosophi qui 127.p
Philosophorum opinio de rerum omnium principio 131.m
Philosophorũ otiũ & mos disputandi
Philosophus ineptus ad ciuiles actiones (149.p 149.f
Phil. quõ cõtemnat ea quæ magna alioqui uulgaribus uidentur 149.f
Philosophus duabus de causis apud populum ridiculus 150.m
Philosophus quis 174.f
Philosophi diuini appellandi 175.m
Philosophi quales habeantur 175.m
Philosophorum genus haud facilius q̃ deorum discerni 175.m
Philosophus aliter quàm sophista refugit intuitum oculorum 191.p
Philosophi ueritatis amore eiusdem studiosi sunt 224.p
Philosophorũ uita cõmendatur 372.p
Philosophus definitur 431.p
Philosophum nõ modo non timere, sed cum lætitia sperare mortẽ 487.m
Philosophus quid post hanc uitam sperare debeat 493.f
Philosophus cur mortem optet cum seipsum uiolare non liceat 492.f
Philosophorũ custodem qualem esse oporteat 552.f
Philosopho quid maxime necessarium 557.p
Philosophos regnare aut reges philosophari oportere 597.m
Philosophus quis sit 598.p
Philosophi ueri qui 598.m
Philosophi proprium quid 600.f
Philosophorũ ingenijs propria 602.f
Philosophos cur calumniati sint multi 601.p. 604.f
Philosophi cur rempub. non attingant
Philosopho quo pacto conducat Geometria (620.p 623.m
Philosopho Dialecticam necessariam esse 625.m
Philosophum non decere esse claudum
Philosophus quas uoluptates floccipendat (627.p 647.m
Philosophi instrumenta quæ 647.f
Philippus Valor 700.m
Philosophum quantũ ab alijs differre deceat 931.m
Phlegeton 489.f
Phœbus Linum afflauit 168.f
Phœbum diuinis uerbis tum animi, tum corporis morbos curauisse 302.f
Phœbum duos genuisse filios 224.p
Phœnices quæstus auidi 580.m
Phrenes in homine quid 723.m
φρόνησις quid 319.p
Phrynondas 235.p
Phthia latigleba 481.f
Phthongus quid 556.m. 687.f
Phyllidis amorem melancholicũ fuisse
Physica quomodo constant ex Mathematicis (413.m 697.f
Physici aliquot insignes nominantur
Pictura quid 463.f (393.m
Pictura apd' Aegyptios qualis 760.m
Picturæ laus 399.m
Picturæ immensum studium 815.m
quod & Horatius alicubi innuit
Picturam procul à ueritate positã esse 663.f
Pictorum Tragelaphi 604.p
Pictoribus similem artem esse in sermonibus 182.m
Pietatis definitio 53.m
Pietatem in rebus grauibus semper diuinum auxilium implorare 585.m
Picis natura 719.p
Pij quam regionẽ inhabitent post hanc uitam 518.f
Pindari musa quæ 168.f
Pindari testimonium de animi immortalitate 19.p
Pind. & aliorũ poetarũ criminationes reprobantur de Aesculapio 567.m
Pindari pulchrum dictum 532.m
Pingendi arte præstans quis 231.p
Pinguis Mineruæ homines, Proverb.
Pirithoo quæ falso ab Homero adscribantur (170.m 559.f
Piscatio in duo mẽbra diuiditur 176.f
Piscatio ignifera, & contorta 177.p
Pisces circa Nilũ mansuefieri 203.p
Piscibus Neptunum præesse 393.f
Pithagoricorum de trinitate sententia
Piratarũ furta & latrocinia unde (376.p 818.m
Pittacus cur à ciuilibus actionibus abstinuerit 108.p
Pittacus Mityleneus 241.f
Pittaci sapiẽtis sentẽtia absona 240.p
Pituitam quæ augeant 566.p
Pituitæ species, & unde 729.f
Placa urbs apud Boemos quomõ gubernata fuerit 585.p
Platearum bellum 524.f
Plato cur suos neglexisse uideatur 923.p. 932.m
Plato quibus leges tradiderit, & in quẽ earundẽ inuentionẽ retulerit 49.p
Plato quibus leges postulantibus denegauerit 49.p
Plato quantum uixerit & quo die mortuus fuerit 373.p
Platoni quædã sunt extra cœlũ 451.p

Platoni quæ argumentationum genera familiaria 13.m
Platonis uis in loquẽdo quãta 654.m
Platõis academia in insalubri loco cur sita fuerit 782.p
Platonis sapientiã tum in contemplando, tum in agendo cõsistere 743.p
Platonis sapientia semper excelsa suspicit 302.m
Plat. scripta tria fermè tractãt 895.f
Plato. reuerentia erga Homer. 660.m
Platonis mens 133.p
Platonem Phœbi filium dixerũt græci
Platonem à Dionysio occisum, cur dictum sit (224.p 935.m
Platonem uarie interpretari de mundi origine 677.f
Platonem ægrotasse eo tẽpore quo Socrates in carcere mortem expectabat 491.m
Platonem Mosi qui comparet, & simile faciat 683.f
Platonem tragœdũ Socrates coegit tragœdias igni tradere 416.f
Ploratus clarorum uirorum tollendos esse 558.p
Plutonis etymologia 315.m
Plutonis galea, Prouerb. 668.p
Pœnam dare an malum 346.f
Pœnis cur uexentur mali 882.m
Pœnas luens maximo liberatur malo 349.f
Pœnas fugere quid pariat 351.p
Poesis dithyramborum ad quid conferat 361.p
Poesis sine cõcentu & numero quid sit
Poesis quæ pars in ciuitate non sit recipienda (361.m 660.p
Poesis imitatur homines ui aut sponte aliquid agentes 664.p
Poesim in Ione tractat Plato 167.f
Poesim non posse absq; dei fauore comparari 168.p
Poesim omnem aut per imitationẽ, aut per enumerationẽ proferri 561.p
Poesis uel donum dei, uel fortunæ sors, uel artis opus est 168.p
Poematis specie qui sophisticam artem dissimulauerint 230.m
Poemata ænigmatibus scatere 47.p
Poematum electores quot esse debeant 830.m
Poeta ineptissimus quis 171.m
Poetã nemo debet sibi offensum reddere
Poetæ & ad laudandũ & uituperandum uehementes (52.f 52.f
Poetã non sermones, sed fabulas facere 492.p
Poetæ quõ pueris tradendi 833.f
Poetæ conciti alios furore corripiunt 170.f
Poetæ non arte, sed diuino afflatu mente capti oĩa canũt præclara 170.f
Poetæ patres et duces sapiẽtiæ 125.m
Poetæ elegans dictum de docto imprudentẽ 46.f
Po. unde ad nos carmina afferãt 170.f
Poetæ quæ scribere debeant 560.p
Poetæ uirtutum genitores 433.m
Poetæ deorum interpretes 171.p
Poetæ qui uituperandi 332.m
Poetarũ multos prius rudes, in momento doctissimos cuasisse 168.m
Poetarum de animorum immortalitate sententia 19.p
Poetarum scripta de dijs & Heroibus fabulosa abijcienda 553.m
Poetarum lex 830.p
Poet. cantus quales esse debeãt 762.p
Poetarum studia cõmendantur 169.p
Poetas carpit 641.p
Poetas absq; furore inaniter laborare 440.f
Poetas uocat deorum filios 548.p
Poetas sæpe sua scripta non intelligere 168.m
Poetas tradere artes omnes 186.p
Poetas lectos esse à Socrate, & qua de causa 470.f
Poetica imitatio quæ 652.p
Polemarchus Lysiæ frater 455.f
Polius orator Socrat. ĩsectator 409.p
Polus Agrigentinus sophista quo tempore uixerit 12.p
Poli musica in dicendo concinnitas 460.p
Polycratis pecunias quis nactus fuerit
Polygnotus Aglaophontis filius (23.p 170.m
Polymnia Pindarum afflauit 168.f
Polymnia cur Saturni uox ibidem
Polyxenus 927.p
Pompam externam & cultum superstitiosum minime deo placere 48.p
Pompilius quibus leges tradiderit, et in quem earundem inuentionem retulerit 49.p
Pomponij Melæ locus 585.p
Pontificis electio fumus 898.f
Populum magistrum esse linguæ 31.f
Popularem tractat gubernationẽ constitutionem & conditionẽ 635.m
Popularis respub. quàm pulchra uideatur ad aspectum 636. per totum
Popul. sermo quædã poesis est 361.m
Popularem hominem nullum habere uiuendi delectum 638.p
Porticus regis 53.f
Porticus Iouis liberatoris 9.p
Portiões quas accipiat deus ex ipso generum fermento ad animam effingendam 693. per totum
Porus Consilij filius 397.p
ποσ{δολῶν cur ita uocatus fuerit
Positioni non credens reprobare debet (315.p 193.m
Possessionem rerum tam excedentem, quàm deficientem obesse artibus 571.m 574.p
Possessionem rerum non tollit iudicium uerum uel falsum 161.f
Possessionem omnem esse absq; morali uirtute uanam 521.m 527.p
Post festum uenire, Prouerb. 336.f
Potens quis dicendus 270.f
Potentem esse in sua Repub. pulcherrimum 114.f
Potentia an idẽ sit quod robur 245.m
Potentia & utilitas idem esse uidentur 107.p
Potentiam nullam maiorem esse bonorum consensu 919.m 927.m
Potentiam omnibus esse exoptandam
Potentiã qui minimã in citate obtineant (333.f 345.p
Potentiam non esse pulchrũ quod quæritur 114.f
Potentũ ignorãtia teterrima res 98.m
Potentiores semper legib. abuti ad suã utilitatem 529.f
πόθος unde dicatur 322.f
Potestas magna bonũ qddã est 346.p
Potus definitio 3.f
Potui moderationem quandam adhibendam esse 468.m
Præceptores bonos quid habere deceat
Præceptorum operam quibusdam inutilem esse (31.f 293.m
Præconis lex 896.p
Præesse neminem posse nisi prudẽtem 26.p
Prægnantes cur rei optatæ pingãt imaginem in fœtu 412.f
Prægnãtes quomodo curandæ 826.m
Præmia danda præstantioribus 591.f
Præparatiões duæ tam ad corpus, q̃ ad animam pertinentes 366.m
Præscriptio tẽporis in ambiguis qualis 901.f
Præsenti sorte pro uiribus bene utatur, Prouerbium 360.p
Præstantissimus qui uult euadere, quibus se conferre debeat 35.m
Præstigiator sophista sermonibus decipit 182.f
Prætoris electio & officium 814.p
Prætorum munus quod 221.p
Prauitatis innumeras esse species 584.f
Prauitatis in anima species duæ 180.p
Prauitatem quasi priuationem neq; se, neq; uirtutem cognoscere 557.p 568.p

Prauitatem seruilem esse 42.m
Prauitatem morbũ esse 584.m
Prauos secum dissidere 125.m
Precandum quomodo sit, & unde precum exempla petenda 42.f
Preces quomõ probauerint multi philosophi 673.f
Precum qualitates quæ 44.f
Priamo quæ falso adscribat Homerus 559.p
Principes an quæ sibi non cõducant imperent 536.m
Principis ignauia quantum toti ciuitati obsit 636.p
Principem in omni conuentu esse oportere 752.f
Principem nõ sibijpsi sed subiectis consulere debere 537.f
Principes non pecuniarum, sed amicorũ defectu perire 919.m 927.p
Principes quo uno seruato nunquã peccant in administratiõe sua 217.m
Principes in repub. quãdo boni esse nõ possint 288.f
Principes ciuitatis amatores sint 610.f
Principes quõ uocãdi in ciuitate 592.f
Principũ mores imitãtur cæteri 782.f
Principatus qui plurimus & secundum naturam est, in ciuitate maxime est necessarius 776.m
Principatũ appetere non decet 530.p
Principia summa rerum qualia 8.m
Principia omnium esse corpora reijcitur 872. & inde
Principia cuiusq; rei statuere quomodo debeant 330.p
Principium dimidiũ totius operis, Prouerb. 808.m
Principium in omnibus rebus à dijs sumendum 946.p
Principium sine ortu esse 450.p
Principium in unaquaq; re maximum 553.p
Principium & finem terminos cuiuslibet esse 66.m
Principiũ rectum nunquã ab aliquo satis fuisse laudatum 808.m
Principium primo omniũ fieri 74.m
Principium et simplicissimũ debet esse & optimum 675.m
Prisca an in ciuitatibus uituperanda 828.m
Prisci homines cur recentioribus anteferendi 108.p
Priscorum laus & cõmendatio 84.p
Probare et laudare qd differãt 239.p
Probus ut dolorem toleret 664.p
Procles lacedæmonis rex 773.m
Proci ab Homero inducti tumentes fastu 6.p
Prodesse non est cuiuslibet 847.f
Prodicus cuius præceptor fuerit 25.f
Prodicus Chius sophista quando floruerit 12.p
Prodicus sapientissimus & diuinissimus uir 230.p
Prodicus sophista 139.p
Prodici laus & commendatio 108.p
Prodici pulchra de dicendi arte responsio 460.p
Progressus quis melior 212.f
Prolixitas uerborum infinita à Lysia & Gorgia adinuenta 460.p
Prometheus ignis dator 207.m
Promethei & Epimethei fabula rursus adducitur ut ostendat uirtutem doceri posse 232.p
Prometheo hominum cura tradita
Promiscuum genus unde principio genitum (225.p 383.m
Promittentes facile nihil unquam præstare 250.f
Propagationis instinctus omnibus inditus 381.f
Properatio nimia serius absoluit, Prouerbium 202.f
Prophani qui 141.p
Prophanum quid 55.m
Prophanissimum quid 51.f
Prophetas angelorum audire uoces 466.m
Propinqui quõ amãdi 785.p. 791.m
Proportio totius unde nascatur 388.f
Proportionalitatis definitio 688.f
Proportionum consonantiæ 690.f
Proprium cuiusq; optimũ esse 649.f
Propugnaculorũ duplex ratio 209.f
Proserpinæ pœnas dare antiquæ miseriæ 19.p
Proserpinæ etymologia 316.p
Prosperitas quid pariat 521.m
Protagoras sophista diues docendo factus 23.f. 108.f
Protagoras quot annos uixerit et quot docuerit 23.f
Protagoræ sententiam ad deos minus quàm ad homines ptinere 144.m
Protagoræ defensio 145.f
Protagoræ tutores 145.m
Protagoræ propria ac recta colloquutio & stylus præclarus 460.p
Protagoræ paradoxon 130.f
Protagorã insipientem testimonio Socratis 143.f
Protagoræ fabula 145.m
Proteus Aegyptius sophista 260.p
Protei fabula damnatur 555.p
Proteo mutabilior. Prouerb. 174.p
Prouerbium quod semper seruandum 521.f
Prouidentia Iouis uniuersalis, dæmoniũ uero particularis 225.m
Prouidentia dei omnia ad finem sibi notum ducit 782.f
Prouidentiam dei mirifice & exaggerat & tuetur 877.f & deinceps
Prouidentiam diuinam nunquam hominibus deesse modo sibijpsis non desint 784.p
Proximi non lædendi præceptum 51.f
Pruinæ generatio 718.f
Prudens paucorum sapientũ iudicium multorũ sententiæ insipientiũ præfert 426.f
Prudens quis sit appellandus 46.m
Prudentis opus quod 724.m
Prudentes qui sint tertio concludit ex pulcherrimo digressu 48.p
Prudentes qui dicendi sint 44.m
Prudentes homines cum simul sunt deũ habent præsentem 175.m
Prudentibus administrationem rerum committi 123.m
Prudentissimum quid efficiat 447.m
Prudentia quantum præstet 22.m
Prudentia eadem quæ & iustitia 7.f
Prudentia hominibus quomodo aduenial 14.p
Prudentiæ opus quod 14.p
Prudentiæ definitio 226.f
Prudentiæ usus & utilitas quæ 27.f
Prudentiam esse magistram uitæ 28.p
Prudentiam sequi debet uoluntas 775.m
Prudentiam apud deos & homines maxime honorari 48.p
Ψ usus apud Græcos 325.f
Psittæ pisciculi 383.f
Ψυχὴ ut recte notata fuerit 314.p
Publicum ciuitates connectit, priuatum dissipat 862.m
Pudor quã ætatẽ maxi. deceat 280.p
Pudor ingenitus est temperantiæ fundamentum 225.f
Pudor cur homini datus à deo 290.p
Pudor absterret à turpibus 375.p
Pudor in ciuitate quàm utilis 593.f
Pudorem uiro egeno bonum non esse 281.p
Pudorẽ non esse ubicunq; timor 58.m
Puellarum separatio à uiris quo tempore facienda 827.p
Puerum omni bestia intractabiliorem esse 832.f
Puerum duo maxime decere 419.m
Pueri quibus rebus instituendi, & quãto tempore 833.m.f
Pueri armorum disciplinam cur discere debeant 291.f
Pueri quomodo ad bellum præparandi 827.f
Pueri in qua solennitate ad carmina cãnenda conuocari solcant 702.p

Pueros

Pueros bellorum spectatores esse debere, & cur 594.f
Pueri quomodo alliciendi ad studia disciplinarum 837.p
Pueri quomodo educandi & erudiendi
Pueri instituendi in iocis honestis (234.p.m 575.p
Pueri quo pacto docendi sint 627.f
Puerorũ beneuolentiæ an amicitiæ appellãde sint 301.f
Puerorum de minis iudicium 761.p
Puerorum ingenia unde & quo tempore spectanda 826.p
Puerorũ naturã iniquum esse 757.f
Pueris fabulas narramus, et cur 553.p
Pueris deliciæ an auctoritas magis cõferat 825.f
Pue. quãdiu interdicatur uinũ 764.m
Pueris agitatio quid conferat 825.m
Pueros facile persuaderi 144.m
Pueros nõ amãdos esse cur legibus cauendum sit 421.p
Pueros non esse absterrendos diuersis deorum formis nocturnis 555.p
Pugnãtiũ apices cõiunctos esse 491.f
Pugnaturus qualis esse debeat 552.m
Pulchritudo quid 107.m 276.p 375.p & 378.m
Pulchritudo uera quæ 227.p
Pulchritudo triplex 375.p
Pulchritudo ad quæ pertineat 440.m
Pulchritudo diuina quomodo amorem pariat 376.m
Pulchritudo quid à Platone uocetur 106.m
Pulchritudo animalibus unde 387.p
Pulchritudo quõ describatur 376.f & deinceps
Pulchritudo quibus animæ partibus cognoscatur 387.m
Pulchritudo ex mensura, & commensuratione 105.p
Pulchritudo quõ consideranda 276.p
Pulchritudinis naturã unam cõmunem esse in omnibus corporibus 406.f
Pulchritudinis radius quomõ per gradus penetret in omnibus 107.f
Pulchrit. corporeũ contẽplatione mirabilia uenabatur Socrates 224.m
Pulchritudinem corporis non propter se amandam 276.p
Pulchritudinem uniuersalem incorpoream esse 390.p
Pulchritudinem splendorem esse diuini luminis 389.m
Pulchritudinẽ diuinã per omnia splendere & amari in omnibus 378.m
Pulchritudinẽ solam maxime omnium amabilem esse 452.f
Pulchritudinẽ in circulo posuerũt theologi 376.f
Pulchritudinem corporis qui, & diuinam qui admirentur 373.f
Pulchritud. donũ esse spiritale 390.f
Pulchritudinem in concinnitate consistere 375.p
Pulchritudinem aliquid esse incorporeum 388.m
Pulchritudinẽ omnino aliud esse quàm quantitatem ibidem
Pulchritudinũ dei angeli animæ et corporis comparatio 404.f. 406.p
Pulchrum qua causa pulchrũ sit 511.f
Pulchrũ qd' nõ est an sit turpe 430.p
Pulchrum quod amabile 564.f
Pulchrum cur nobis ignotum 64.f
Pulchrum sine moderatione & mensura esse non posse 731.f
Pulchrũ nec per sensus, nec opinionis indagationẽ cognosci posse 107.p
Pulchrum omnia quibuscunq; inest pulchra efficit 113.p
Pulchrum cur amicum 126.m
Pulchri idea qualis 434.m
Pulchri & turpis mediũ quod 430.m
Pulchri definitio 111.p. & inde
Pulchri ratio ad quã naturã pertineat
Pulchrorũ cõparatio quomodo facienda (306.p 349.p
Pulchra bis & ter repetenda, Prouerbium 103.p
Pulchra quæ sint 348.f
Pulchra non minus uelocia quàm quieta esse 281.p
Pulchra difficilia esse, Prouerb. 119.p
Pul. difficile cognosci, Prouer. 307.m
Pulchra ut res aliqua sit quot requirantur 390.f
Pulcherrimum quid in ciuitate 49.f
Pulmonum natura & officium 723.f
Punire iniustos cur debeant Magistratus 233.m
Punitus duplicem utilitatẽ afferre potest 371.f
Pure nihil possumus cum corpore scire
Purificatio animi qua in re consistat (495.m 495.m
Purgatio quid 179.m.f
Purgationis gemina species ibidem
Purgatio animarum post hanc uitam 490.p
Purgationes medicorum quibus adhibendæ morbis sint 732.m
Purgationũ corporaliũ species multæ
Purgatorium humanorum delictorum quod (179.m 852.m
Pusillanimitas aduersa animo diuina et humana indagaturo 603.p
Putandi modi 156.p.m.f
πῦρ quid significet 318.m
Pyrilampes Antiphonis pater 61.m
Pyrilampus quis 279.f
Pyriphlegeton quò perueniat 518.p
Pyrrhice quid 835.m
Pythagoras unde Musicam didicerit 690.f
Pythagoræ sapientiam in contemplando tantum fuisse 743.p
Pythagoræ de temperantia sententia 276.p
Pythagorã diuinis uerbis & animi, et corporis morbos curauisse 303.p
Pythagoricos summos fuisse theologos 616.m
Pythagoricorum communitas 585.p
Pythodorus Isolochi filius cuius consuetudine doctus euaserit 35.m
Pythoclides sapiens uir 34.f

Q

Quadruplũ unde eliciatur 19.p
Quæstio difficillima 145.m
Quæstorum munus 811.p
Quæstus in ciuitate qualis 802.m
Qualitas omnis ab extremo additamẽto secreta infinita dicitur à physicis 407.f
Qualitates in corpore unde sustineantur 384.m
Quantitatem & pulchritudinem omnino esse diuersas 388.m
Quatrinitate Pythagorici plenitudinem designabant 681.p
Quid sit præcedit quale sit 14.f
Quies unde originem habeat 819.p
Quieti hoĩes an tẽperati sint 280.m
Quiete res corrumpi 140.p

R

Pvsus apud antiquos græcos 325.f
Rana Gyrina 143.f
Rapinis abstinendum esse etiã in bello 595.f
Rasis medicus de cura amoris quid scripserit 399.m
Ratio quid 133.f
Ratio uniuersalis 132.p
Ratio nullam in membro corporis sedẽ habet propriam 387.m
Ratio græcis quomodo dicatur 165.p
Ratio multitudo mobilis 167.p
Ratio, animæ uis secunda, & quis eius actus 13.f
Ratio in anima quid sit declaratur per simile 677.p
Rationis uestigia sequuntur qui beati esse cupiunt 548.p
Rationis nomen 134.p
Rationis species tres 165.f
Rationi nos tanquam medico committere debemus 349.m
Rationem esse à libidine differentem 572.f
Rationum uis ubi 705.m

Rationalem partem unde hauserint homines 53.m
Recitandi ars non omnia comprehendit 173.m
Recitatorem hominem non decet obliuiosum esse 173.p
Recitatores ut ludis publicis ordines referrent quis primus Athenis impulerit 2.f
Recordatio quid sit 798.p
Recte quid se habere dicendũ sit 30.m
Redargui nolle quantũ sit malũ 341.f
Redargutio quõ fieri, & geminari in oratione posśit qs inuenerit 459.f
Relatiua quõ inter se differant 57.m
Religionis definitio 53.m
Religionem in cultu consistere 908.p
Religiosus quis dicatur, et qd significet ἐμβλὴμ 325.f (53.m
Rhetorica circa q̃ uersetur 457.p.m
Remedium quod oportunum aduersus fortunæ ictus 664.m
Reminiscentia quid 498.m
Reminiscentia quõ fiat & unde ibid.f
Reminiscentia Socratica quid à memoria differat 91.f
Reminiscentiam duobus modis probat Plato 487.f
Repetenda quæ bene dicta sunt 808.f
Repetundarum lex 897.f
Res per nomina iudicare fallacißimum 306.f
Rei cognitionem cum rationibus quàm solum nomen perpendere præstat
Rerum distinctio in genera duo (176.p 613.f
Rerum naturam omnium mente quadam contineri 314.p
Rerum omniũ generica diuisio 871.m
Rerum formas animis nostris esse ingenitas 529.f
Rerum essentia quæ 308.p
Rerum duæ species 501.m
Respublica quæ recta dicẽda sit 215.f
Respublicæ totidem quot mores hominum 631.p.633.m
Respub. ambitiosa unde oriatur 631.m
Respub. quõ fiat censu potentũ 633.f
Reipublicæ constitutionem ab eo quod utile est sæpe aberrare 152.p
Reipublicæ administratiões uel formæ quot 219.p.m
Reipub. prima cura quæ 288.f
Reipub. finis quis præcipuus 529.f
Reip. quæ gubernatio optima 629.f
Reip. status optimus unde spectari & colligi debeat 636.m
Reipub. gubernandæ artem totam sibi hominem uindicare 841.p
Reipub. administration ẽ aggredi non esse alienũ à bono ingenio 924.m
Rempublicam quomodo in lib. de Legibus instituat Plato 529.p
Rerumpub. modi quinq; 584.f
Rempub. qui administrare non posśint
Rempub. ditiori non esse (619.f tradendam 630.p
Rerumpublicarum mutatio quomodo fiat 631.f
Rerumpublicarũ legitimarum quæ deterrima 220.p
Rerumpub. iniquarũ quæ optima 220.p
Rerumpublicarum formæ aliquot inferiores 629.f.630.f
Respiratio unde 728.p
Respondere intrepide & alto animo quosnam deceat 14.m
Respondere quis recte sciat, & interrogare 310.p
Respondens an interrogans dicat quæ ex interrogatione & responsione concluduntur 32.m
Responsionem inconstantem indicare ignorantiam 34.m
Resurrectionẽ mortuorũ ubi uaticinetur, uel comprobet Plato 487.f
Retinaculi nomine quæ contineantur
Reuerendi qui sint & quibus (177.p 884.p
Rex qui uere dici debeat 36.m
Rex architecto similis sit 198.m
Rex humani generis pastor atq; curator 198.m
Rex uirtutis exẽplar esse debet 198.f
Rex sacer est, & quibus interesse non permittitur 199.p
Rex, ciuilis, dominus, paterfamiliâs an idem sint 200.f
Rex quare plurimum ad imperium administrandum posśit 200.f
Rex à precone quõ differat 201.m
Rex qui sit gubernando 218.p
Rex uniuersorum qualis 376.p
Regis nomen cui conueniat 7.f
Regis interesse animis hominum leges condere 51.m
Regis officium quod 199.m
Regis textura qualis 221.m
Regis officium 217.m.f
Regi ubi tributum grande pendebatur
Reges apud quos populos di- (37.p tißimi fuerint ibidem
Regi q̃ regere melius homini 42.m
Regem max. decere sacerdotiũ 214.f
Regem quibus cõparet 217 per totũ
Regẽ speculatiuæ scientiæ q̃ regiæ propinquiorem 200.f
Reges apud Cretenses q præstantißimi
Rege uero & legitimo or- (51.f bem carere 199.m
Reges qui omni tempore apud inferos crucientur 371.f
Regia autoritas multis tribui non potest, & à quib. tribui debeat 199.p
Regia lex quid 51.p
Regiæ facultatis opus quod 261.f
Regiæ texturæ opus 223.f
Regiæ autoritati quid uicinũ 220.m
Regiæ maiestatis officia quædã 222.f
Regiam gubernationem optimam esse
Regius homo qui meri- (629.f to nuncupandus sit 200.f
Regiam dignitatem unam quandã scientiarum esse 215.m
Regius homo in qua arte constituendus 210.m
Regnandi artem quis hominibus dederit 393.f.428.p.482.p
Rhadamãthus cuius filius & quã præstans in legibus seruandis 51.f
Rhadamãthi peritia ĩ iudicãdo 899.p
Rhadamanthi modus iudicandi & sceptrum 372.p
Rhadamãthi laus, & à quo, et ad quid eius opera usus sit Minos 52.m
Rhadamãthũ iustißimũ fuisse 746.m
Rhapsodus quid 168.p
Rhapsodus quid in Poetarũ recitatiõe præstare debeat 169.p
Rhapso. cur magneti cõparetur 171.f
Rhapsodi carpuntur 171.f
Rhapsodorum usus qualis esse debeat in ciuitate 844.p
Rhapsodorum certamen apud Epidaurios 169.p
Rhapsodorum aliquot nomina 169.p
Rheæ nomen quid signi- (170.f ficet 315.p
Rhetor an iustus sit, et Rhetorica an iustum doceat disquiritur 342.f
Rhetor à grãmatico qd differat 33.p
Rhetoris officium 468.f
Rhetores sapientes 146.f
Rhetores deludit 522.per totum
Rhetores aliquot insignes nominantur 393.m
Rhetorũ usus quis in ciuitate 46.p
Rhetorum mores deprauati & seruiles 149.p
Rhetorica cuius rei peritia 343.m
Rhetorica ars nulla 343.p
Rhetorica circa quam persuasionẽ uersetur 340.m
Rhetorica particulæ ciuilis simulachrũ
Rhetorica iudiciariã imi- (343.f tatur scientiam 344.f
Rhetorica cur cæteris artibus præponeretur à Gorgia 102.p
Rhetorica quarũ rerũ scientia sit disquiritur 338.p et deinceps

Rhetorica pro iustitia tantũ utendum esse 372.f
Rhetoricæ duplex membrum 361.f
Rhetor. usus iuxta Gorgiã 341.p.m
Rhetoricæ adulatio ostenditur 361.m
Rhetoricæ usus bonus in accusando tãtum 351.m
Rhetoricæ potestas quanta 340.f
Rhetoricam persuadere tantũ non etiã docere 340.m
Rhetoricã medicinæ similem esse 461 per totum
Rhythmus quid 556.f.563.f
Rhythmus cur datus hominib. 713.p
Rhythmi definitio 759.p.764.p
Rideant effuse qui 410.p
Ridenda quæ sint 588.p
Ridiculus quis 122.p
Risu nimio abstinendũ, & cur 798.m
Risus profusos esse deuitandos 558.f
Robur ex multis an temperatis laboribus acquiratur 5.f
Robur unde proueniat, & an idem sit cum potentia 245.m
Robusti qui nam dicendi sint 98.m
Romanis quis leges tradiderit 49.p
Rara omnia honoranda sunt 267.p

S

Σ Vsus apud græcos 325.f
Sacella non esse intra priuatos parietes habenda 880.f
Sacer morbus quis 730.m
Sacerdotes in ueteris belli narratione plurima inseruisse nomina posteris per similia 737.f
Sacerdotum officium quod 382.m
Sacerdotum uita 703.m
Sacerdotibus ad quam summã usq; permittatur iudicare 901.p
Sacerdotium quàm fuerit apud Aegyptios dignum 214.f
Sacerdotia per successionẽ tradita non esse mouẽda, et quàm sint diuturna (810.f
Sacra præcipua à summis magistratibus instituta 214.f
Sacra cur faciẽda iusserit Plato 840.p
Sacrorum numerus apud Platonẽ quis (841.p
Sacrorũ antistes 122.f
Sacratissimũ quid apud Platonem 51.f
Sacrificare quid 59.m
Sacrilegij lex 853.f
Sagacitas quid 14.p
Sagittandi artem quis hominibus dedere rit 393.f.428.p
Sagittario Dianam præesse 393.f
Sal miris laudibus extolli ad uictus utilitatem 418.f
Salis generatio 719.m
Salamina Eurysacis patria 36.p
Solomõis locus de funiculo triplici red ditur clarior 53.m
Salus unde Reip. petenda 904.m
Saltatio duplex 827.f
Saltationis duæ species 835.p
Salutationis formulam tractat 929.m
Salutatio quæ nam decens 283.p
Sancti definitio 55.m
Sanctum quid 57.f
Sanctum primæ iustitiæ pars est 58.f
Sanctitas quæ nam iustitiæ pars apud Platonem 53.p
Sanct. circa deorũ curã uersari 59.p
Sanctitas an idẽ quod iustitia 236.m
Sanctitatis definitio 53.m.59.m
Sanguinis conditiones in adolescentia 410.m
Sanguinis fons ubi 723.f
Sanitas in quocũq; sit eadem specie est (15.m
Sanitate nihil præstantius 339.p
Sanum inter & ægrũ nullum medium ponit Plato 43.m
Sapere quid 7.m
Sapiens quis sit 583.p
Sapiens quis sit dicendus 313.m
Sapiens quod non est an sit ignorans 430.p
Sapiens cur bonus 304.f
Sapiens & insipiens quomõ in eodem opere diuerse agunt, cum tamẽ idẽ efficiant 493.p
Sapiens ab omnibus amatur 123.f
Sapientis cognomen soli deo cõuenire 465.p
Sapientem solum diuitem esse ibidem
Sapientem quem appellet Protagoras (146.m
Sapientem in primis sibi ipsi sapere oportere 108.f
Sapientes qui uocandi 9.f.130.f
Sapientes Protagorei 146.f
Sapientes græciæ numerantur 241.f
Sapientes multos in cerebri uertiginẽ incidisse 319.p
Sapientes prisci cur à ciuilibus actionibus abstinuerint 108.p
Sapientes aliorum duces 123.f
Sapientum de rebus sententia 139.f
Sapientia uera quæ 150.f
Sapientia diuina quis dignus 42.p
Sap. omniũ rerũ pulcherrima 402.p
Sapientia duplex 8.m
Sapientia felices efficit 256.f
Sapiẽtia nunquã aberrat, neq; fallitur 256
Sapientia quid in anima faciat 14.p
Sapientia imperandi multiplex 10.p
Sap. uera imperandi hoĩb. quæ 10.m
Sa. à Prometheo furto sublata 232.m
Sapiẽtia in qua parte ciuitatis locãda 576.f
Sapientia animæ uirtus 41.m
Sapiẽtia res fluẽtes & attingit & assequitur 315.p
Sapientiæ studiũ quod potiss. 440.f
Sap. gratia cuilibet seruiendũ 257.m
Sapientiæ definitio & quomodo ab hominibus habeatur 14.p
Sapiẽtiæ nomen multis facultatibus ali quomodo concedi 10.p
Sapientiæ nomine facultas quæ appellanda sit 914.p
Sap. Lacedæmoniæ studiosi qui 241.f
Sa. primitiæ cui tẽplo dedicatæ 241.f
Sap. meditatiõe qd assequamur 487.f
Sapientiæ & ignorantiæ mediũ quod Sapientiã ne excogitare (430.p
quidem posse deformem 105.m
Sapiẽtiã uerã esse cogitationẽ 147.f
Sap. ciuilem qui nanciscantur 8.f
Sapientiã non tam humanis studijs cõparari quàm purgatis moribus diuinitus infundi 251.m
Sapientiam duobus modis definire solet Socrates 251.f
Sapientiã optimũ esse nummũ 496.p
Sapientiam nonnisi adiuuãte deo disci posse 910.p
Sapientiam nemini inuidere 2.f
Sapientiam nõ esse summũ bonũ 85.f
Sap. secundum se esse oportere 110.f
Sapientiam magis q̃ uoluptatem boni participem esse 103.p
Sap. humanã nihili pendendã 471.p
Sapientiam unam quandam esse super animam hominis 407.f
Sapientiam uim suam nunquam amittere 619.f
Saporum generatio 721.m
Sappho melancholica fuit 399.f
Sapphonis musa quæ 168.f
Sapphus pulchre scripta 445.m
Satietatis tædium tollendum 817.f
Saturnus quid apud Platonẽ significet
Saturni malignitatem sæpe à Ioue coerceri (336.m 393.f
Saturni nomen quot significet 304.m
Saturni ætas 206.m
Saturni lex quæ nam ab Orpheo, et Platone dicatur 48.f
Saturni stella tardior omnibus 917.m
Saturno filios qui immolauerint 50.p
Saturnũ modo Iouem, modo Venerem uocari 379.p
Saturnia prouidẽtia in quot distribuatur officia 336.m
Scabiosus an beatus putãdus sit 357.f
Scabiosi in fricãdo uolup. qualis 97.p
Scamandrũ hoĩes uocant nõ dij 310.f
Sceptrũ Iouis quõ exponat Plato apud Hesiodum 52.m

Scientia quid 133.f
Scientia ne sit uera & falsa 340.p
Scientia à recta opinione quid differat
Scien. ubi sit 132.m (26.p
Scientia quantum posßit ad felicitatem consequendam 251.p
Scientia omnis praua abijcit & utilia captat 222.m
Scientia nominum uerorum quanti sit facienda 302.f
Scientia nulla utilitatem potẽtioris, sed debilioris præcipit 537.f
Scientia in omni actione hominibus qd præstet 252.p
Scien. qua in re quærenda sit 155.f
Scientiáne ulla sit quæ suijpsius scientia sit 284.f
Scientia nihil potentius esse 248.p
Sciẽtia boni & mali ad quid conferat 287.f
Scientia nulla bona quæ facere tantum uti uero non docet 260.m
Scientia ab hominibus quomodo acquiratur 14.p
Scientia de quibus habeatur 8.m
Scientia an idem sit cum opinione uera & iudicio 162.f
Scientiæ officium quod 14.p
Scientiæ triplex actio 198.m
Scientiæ ciusdẽ esse præsentia & præterita & futura intelligere 289.f
Scientiæ partem quã Arithmetra, quã Geometra, quam Architectus, & quam faber occupet 198.m
Scien. diuinæ præstantia quãta 626.f
Scientiæ difinitio 166.f
Scientiam ueram nullius rei nonnisi à corpore separati acquirere possumus 495.p
Scientiam unam esse totam, et duas habere species 200.f
Scientiam circa aliud esse, & circa aliud opinionem 599.p
Scien. & sensum nunq̃ idẽ esse 155.f
Scien. esse sensum 143.m 130.p
Scientiam non esse sensum 130.p
Scientiam in paßionibus nequaquam inesse 155.m
Scientiam consensum qui iudicauerint 129.m
Scientiam seorsim à uirtute mortali nõ sapientiam, sed calliditatem appellandam esse 521.m. 527.p
Scientiam humanam in negatione falsi potius quàm in ueri affirmatione consistere 529.f
Scientiam nostrã reminiscentiam esse 498.p
Scientiam habere quid 160.f
Scientiam habere aliud est quàm uti, et posßidere 161.p
Sciẽtiam esse uirtutem quomodo sustipicari posßimus 22.p
Scientiam in actione ciuili principatũ non tenere 27.p
Scien. accipere an idẽ qd nosse 166.f
Scientiam natura hominib. nequaquã inesse 27.p
Sciẽtiam esse in quadam mediocritate
Scien. optimũ esse contra (84.m omnia uitia custodem 630.p
Scientiam in omnium uirtutum definitionem ingredi 251.m
Scientiarum puritas 101.p
Scientiarum posseßio quando prodesse & quando obesse dicatur 46.p
Sciẽtias omnes quæ uersantur in speculando theologiæ subijcit 252.p
Scientias multas esse, & differentes ac inter se contrarias 83.p
Scientias omnes duabus contineri speciebus 200.m
Scientias inter se differẽtes esse 103.f
Scire quid 161.m 499.f
Scire multa aliquando malũ fuisse quibusdam 47.p
Scire per genus discernere qd 191.p
Scire male, impoßibile esse 47.p
Scire an posßit unus omnia 182.p
Scire omnia an præstet 292.p
Sciri quæ posßint, aut nõ posßint 162.f
Sciendi analyticus ordo 5.m
Sciens qua coniectura optime dignoscatur 35.p
Sciẽs an posßit reddere rationem eorũ quæ scit 499.f
Scientijs nemo offenditur qui primas callet 104.p
Scientis sermo uiuẽs et animatus quantum ab eiusdẽ scriptis distet 464.p
Scientes quõ respondere deceat 14.m
Scipionem Ioue magistro adijsse rempublicam 614.f
σκληρότης καὶ σκληρότης quid differant 329.m
Scopa Creontis filius 240.p
Scorpioni Martem præesse 393.f
Scribendi decor 463.p
Scriptura pict. admodũ similis 463.f
Scriptor quare laudandus 445.m
Scriptores immortales in ciuitate qui habiti sint 456.p
Scythis quis leges tradiderit 49.p
Scythæ non minus fugiendo quàm insequendo pugnant 295.f
Scythæ quõ uino utantur 752.p
Scythæ ex capitibus deauratis bibunt 265.p
Scytharum ingenium quale 580.m
Seditio quid 180.p
Seditio à bello quid differat 596.p
Seditiones tam ex nimia copia, quàm ex inopia oriri 571.m 574.p
σελίνη quid significet 318.p
Semen hominẽ laceßit ad sobolem procreandam 403.p
Semidearum cœtus 480.p
Seminaria naturæ apud Physicam quæ 681.f
Sempiternum haud facile erit quod ex pluribus constitutum est 667.m
Senatorum maiorem partem in priuatis rebus uersari debere 810.m
Senectus in homine qd & unde 728.f
Senectutis cõmoda et incõmoda 531.f
Senium non dedecet discere 300.p
Seniores quõ se accommodare debeant iuniorum musicæ 758.m
Seniores sapientiores quoque esse debere 148.m
Seniores cur prudentes 711.f
Seniores cur ardentius amauerit Socr.
Seniorũ interesse autori- (224.m tatem regiam tribuere 199.p
Seniorũ de spectaculis iudiciũ 761.p
Senioribus imperium deberi 569.p
Senex bis puer 755.m
Seni mortem non esse ualde refutandam 481.p
Senem non decere dare operã philosophiæ iuxta Calliclem 353.f
Senes in naturã regredi pueri 206.p
Senes impudici iuuenes faciũt impudentißimos 796.f
Senũ uirorũ leuis fascinatio est 411.p
Senum sermones audiendi 531.m
Senum ueneratio 864.p
Senum corpora quõ molliãtur 766.f
Senibus quanta debeatur à iunioribus reuerentia 593.f
Senibus cur largius bibere concedatur 764.f
Senium ab externis causis 706.f
Sermonis uades qui 163.m
Sensibile genus 141.m
Sensibilia quæ nam intelligentiam excitent 617.p
Sensus puerorum primus quis 758.f
Sensus ne aliquis sit, qui seipsum cæterosq; sensus percipiat 284.m
Sensus à ratione quid differat 653.f
Sensus oĩs organa esse corporis 154.f
Sensum inter & sensibile qd nã mediũ
Sensum non posse uerita- (612.f tem percipere rei 155.m
Sensum non esse scientiam 166.f
Sensu nõ omuia prius percipi quàm in intellectu sint 212.f
Sensu nihil quicquã syncere capi posse 494.m

Sensuum nomina 141.m
Sensuum fallax iudicium 503.p
Sensuum deceptio unde 143.p
Sententiæ quomodo probandæ 148.p
Sepulchra morientium in bello seruanda & colenda esse 595.f
Sepulchrum locus quis 903.m
Seriphio quid responderit Themistocles 532.p
Sermo animæ quis 157.p
Sermones qui Rhetoricæ subijciantur
Seruire uirtutis auiditate semper honestum esse 338.p 422.m
Seruitus quæ cõmendabilis 422.m
Seruitus quæ moderata, & quæ immoderata 925.f 947.p
Seruitus quomodo cõferat ei qui domi nari debet 812.p
Seruitutes rusticanæ quæ 847.f
Seruitium graue 122.f
Seruorum leges quædam 883.p
Seruorum qualis habenda cura 818.m
Seruis dimidium mentis auferri à Ioue
Seruos & dominos, amicos nunquam futuros 818.p 809.f
Seruos sine cõtumelia castigandos esse 826.f
Sexqui altera proportio 140.m
Sexus tres 384.p
Si lupus sit autor, Prouerb. 462.m
Si non ut uolumus ut possumus, Prouerbium 117.m
Sibylla quo cognomine appellari debeat 10.m
Sibyllæ Diotimæ secretum discipulis à Socrate reuelatum 107.m
Siciliæ qui leges dederit 662.m
Siculorum luxus damnatur 565.f
Siculis quis leges tradiderit 49.p
Sidonij fabula 763.f
Silẽtiũ dulce esse post ambages 736.p
Similes quisq; sibi quærit 223.m
Simile non necessario simili amicum 125.m
Simile simili adhæret 816.f
Simile simili natura cognatum 239.m
Simile à simili prouocatur 575.m
Simili simile gaudet, Prouerb. 427.p
Similia similibus conseruari 381.f
Similitudinis & dißimilitudinis species 62.m

SIMILITVDINES.

Calceos commutare 159.p
Speculo transuerso intueri 159.p
Sagittarij imperiti more aberrare à scopo 159.m
Aberrare à scopo more ĩperiti sagittarij 159.m
Aqua q̃ sit alta ipsa met ostendet 162.m
Cani mansuetißimo lupus ferus 181.p
Pugna Gigantum 187.f
Statuariorũ emblemata morãtur opus
Orphei more aliquem uoce demulcere 208.f 229.f
Sedentibus subsellia subtrahere 255.f
Medeæ colchidi se dedere 258.f
Artem suam uelut in Care quodam periclitari 258.f
Marsiæ pellis in utrem uersa 259.p
Cronus es 259.f
Fallere præstigijs Protei sophistæ Aegyptij more 260.p
Aprorũ instar contra ictũ niti 262.f
Indignari nõ secus atq; Poeta aduersus ineptum Histrionem 282.p
Palladiæ legis quasi præludium quoddam præcinere 321.f
Tragicorum more ad deos confugere
Respondere more corũ qui decreta cõscribũt in populo 325.m 338.f
Sufficiẽs uates quemadmodũ qui male sciunt literas 448.f
Delinquere apud deos secũdũ Ibycũ et apud hoĩes gloriã cõsequi 448.f
Reflecti eò unde uenerit, ueluti aer, aut Echo à leuibus solidisq; repulsa corporibus 454.f
Pugnare tanquam in nocte 469.p
Omnia tanquã in Euripo sursum deorsumq; iactari 507.p
Soli quãdo sumus si nudatũ fermè saltare me iuberes tibi obsequerer 522.f
Pugnare tanquam in nocte 469.p
Carminibus quasi serpens delinitus
Otium quemadmodũ in fabulis agentes 544 553.p
Tertium Olympicorũ ritu Ioui Olympio & seruatori tribuere 648.p
Currẽdo Boreã thraciũ superare 762.p

Simmias Thebanus 448.f
Simonidis carmen contra Pittaci sententiã declaratur 242.p & dein.
Simonidis dicta quædam 240.p
Simonidem Ceum quis amplis muneribus apud se diu retinuerit 2.f
Simplicia animo & corpori prodesse 557.p 562.f
Simulachrum nullum magis patre adorandum 890.m
Simulachra cerea despicienda esse
Simulachra dæmoniũ machinatione producta 891.p 196.m
Simulacra rerum uerarum esse quæ in materia fiunt 714.m
Simulachrorum magistra quæ 194.p
Singultum quæ tollant 422.f
Sirenes nouem deo canentes 168.f
Sitire non esse corporis, sed exhaustum esse 92.m
Sinceritas in animo sita 926.p
σώφρων quid 319.m
Socrates uehemens in disputando, & idcirco admiratione dignus 63.p
Socrates uiros legitimos tantum docet 252.p
Socrates per Iunonem iurat 140.m
So. obuolutus ob pudorẽ dicit 446.m
Socrates cur gratias requirat 141.p
Soc. contemnebatur à sophistis 118.f
Soc. quod premiũ sibi à patria de qua se benemeritũ dicit, petat 478.p
Socrates qua ratione ad defensionẽ sui descenderit 478.m
Socrates uictoriã in Potidea acquisitã Alcibiadi sponte concesßit 409.f
Socrates quàm strenuus fuerit in rebus agendis 409.f
Socrates ob quam sapientiam male audiret apud populũ Athen. 470.p
Socrates à diotima fatidica artem amatoriam didicit 224.m
Socrates filius obstetricis 166.f
Socrates quò disputantem secum deducere consueuerit 289.p
Socrates quomõ calumniatoribus suis respondeat 369.f
Socratis familiares parturientibus similes 139.p
Socrates negat se sapientẽ esse 138.f
Socrates iurat per Zethum 355.f
Socrates per canem iurabat 115.f
Socrates aliâs restitit magistratui cum ciuitas sub populi libertate constituta 475.f
Socrates cur longo tempore fuerit in carcere post peractum iudicium capitis 490.f
Socrates quot filios habuerit 477.p
Socrates annos septuaginta natus & plures nondũ forũ attigerat 468.f
Socrates cum careret argento, quõ gratiam rependebat 535.f
Socrates nullius unquã præceptor fuit, omnibus tamen interrogantibus respondit 476.m
Socrates qualis uir fuerit 428.f
Socr. in castris obediens fuit 474.p
Soc. quõ aspicere consueuerit 520.p
Socrates libenter redargui se patiebatur 341.f
Soc. in quibus artib. moderatus 136.f
Socrates à quo edoctus fuerit artem amandi 394.m
Soc. cur sophista appellatus sit 405.f
Socrates ante uenenum corpus curauerit 518.f
Socrates amicis quid postremo mandauerit ibidem
Socrates quõ sepeliri uoluerit 519.p

Socrates

Socrates cõmendat lictorem qui illi uenenum denunciat 519.f
Socrates cur in senatu risum excitarit 348.m
Socrates mundanũ se dicebat 409.p
Socrat. qua de re accusatus fuerit 53.f
Socrates spectaculi gratia non nisi semel urbem egressus 485.m
Socrates in amore uerecundus 437.f
Socrates ad uiros bonos se iturum sperabat 493.m
So. forensium negligens 353.f
Socrates Aesopi fabulam suis carminibus inseruit 492.p.m
Socrates in carcere poemata cur scripserit 492.p
Socrates Poeticæ deditus 440.m
Socrates quos contempserit 409.m
Socrates disputans cum aliquo cogebat eundem uitæ suæ reddere rationem ibidem
Socrates quàm reuerenter de deorũ nominibus locutus sit 82.m
Socrates quomodo filios suos iam iam moriturus commendauerit 480.f
Socrates quid primum in disputando proponeret 110.f
Socrates qd sciresse profiteretur 12.p
Socrates cui similis esse dicatur ab Alcibiade 436.m
Socratis disputãdi ratio insueta 136.f
Socratis mos fuit ludere ĩ crines Phæd. 291.m (506.m
Soc. celebritas
Socratis præceptor quis 25.f
Socratis memoria quàm dulcis fuerit familiaribus eius 491.p
Socratis tantũ præsentia proficiebant multi 13.p
Socratis sermones uiles & contemptibiles uidebantur 439.f
Socratis commendatio 294.m
Socratis mores quales 273.f
Socratis præceptor quis 25.f
Socrates in disputando Proteo comparatur 69.p
Socratis oratio ad deos 42.f
Socratis familiares pecunia illum liberare uoluerunt 482.p
Socratis auditores 476.f
Socratis effigies amori similis 409.p
Socratis uis quanta uel ex præsentia, uel aspectu 13.m
Socratis parentes qui 409.m
Socratis integritas quanta 437.p
Socratis artificium in disputando Dedali operibus simile 59.f
Socratis cupiditas maxima 124.m
Socratis breuiloquentia 239.m
Socratis frequens sententia de omni uirtute & bonitate 297.p
Socratis uehementia in loquendo & facundia 409.f
Socratis admiratio 143.f
Socratis discipulos nihil discere noui, quod in se prius nõ habeant 138.f
Socrates Phænaretæ filius 40.f
Socratis uitam Christianæ uitæ imaginem quandam aut saltem umbram esse 486.f
Soc. ars arti obstetricis similis 138.f
Socratis quibus plurimum consuetudo profuerit 416.p
Socratis præsentia quantam apud multos uim haberet 13.m
Socratis somnium 481.p
Socratis magna pietas 120.f
Socratis sapientiam in agendo consistere 743.p
Socratis acris defensio pro Protagora aduersum se 146.p
Socratis mos alicubi consistere, & corpus exercere 418.p
Socr. de coronis interpretatio 48.m
Socratis facies 135.f
Socratis munus à deo datũ primo aspectu agnoscere amatores 121.m
Socratis frequens ironia ad quid conducat 252.m
Socratis auditores enumerantur ibid.f
Socrati q̃ à Callicle obijciũtur 364.p
Socrati qui infensi fuerint 409.p
Socrati quæ obiecta fuerint 468.f & deinceps
Socrati qd ueritas pepererit 467.m
Socratem se ignauissimũ appellare in persona Protagoræ 146.p
Socratẽ historiæ studiosum fuisse 509.f
Socratem purgandarum animarũ gratia à deo missum fuisse 224.p
Socratem iniurium in sermone 146.f
Socratem in calamitatibus sui similem semper fuisse 481.p
Socratem melancholicũ indicauit Aristoteles 399.f
Socratem à deo datũ ciuitati Athenien sium 475.m
Socratem nullo functum munere publico in patria sua præter quàm quod ad consilium electus esset 475.f
Socratem non dubitasse de animarum immortalitate 467.f
Socratẽ impræmeditatũ habuisse Apologiam suam 468.m
Soer. pro Protagora certasse fortiter
Socratem filiũ fuisse Phænaretæ obstetricis (147.p 138.p
Socratem fuisse uerum amatorem cupidini similem 409.p
Socraticus modus docendi à contrarijs refutatis 119.m
Socraticus mos in omnib. dialogis obseruandus 252.p
Solertia quid 280.f
Sol ut intercedat inter uisum et uisibile 612.f
Sol ijs quæ uidẽtur quid cõferat 613.p
Sol triplex 305.f
Solis imago in aqua contemplari citra uisus periculum potest 511.m
Solis etymologia iuxta græcam linguã 318.p
Solis uirtus qualis & quanta 107.f
Solis corpus lyra Apollinis 168.f
Solis nerui qui 168.f
Solis lumen sola repercussione comburere 684.m
Solem solum iussum esse 319.f
Solidum nihil sine terra 706.p
Solem in secundo à terra circulo positũ esse 709.p
Solem & Lunã magnos appellat deos 837.f
Solem esse boni filium 612.p
Solõ cur honoretur apud Athe. 433.f
Solo Athenienſis 241.f
Solon quibus leges tradiderit & in quẽ earundẽ inuentionẽ retulerit 49.p
Solonis præceptum 294.m
Solonis præstantia in carmine 702.m
Solonis dictum 5.f 737.f
σῶμα à græcis cur corpus nominetur 314.p
Somniantium conditio 130.p
Somniũ Agamemnonis deridet 555.f
Somniũ per cornu uel p̃ ebur emergẽs
Somnus meridianus maxime deuitari debet (286.f 456.f
Somno quantum indulgendum 832.m
σοφία quid 319.m
Sophista quid 319.m
Sophista quis dicendus 106.m
Sophista quæ promittat docere 231.p
Sophista aliter q̃ philos. latitat 191.p
Sophista in quibus cõtradicere doceat
Sophista opinatricem pro (181.f uera scientia posidet 182.p
Sophista in indagando quomodo à philosopho distet 106.m
Sophista est philosophus 174.m
Sophistam nõnulla legisse bona & adducere decet 224.f
Sophista unde sic dictus 197.f
Sophistæ proprium 146.m
Sophistæ opinionis amore philosophiam affectant 224.p
Sophistæ disciplinarum quasi caupones & mercatores 224.p
Soph. q̃ noxij ingenuis animis 224.p
Sophistæ quantum argenti lucrarentur 108.f

Sophista multiplex 197.m
Sophistæ secunda & tertia definitio 178.m. Quarta 179.p
Sophistæ ultima definitio 197.f
Sophistæ sex formæ & totidem definitiones 181.m
Sophistæ professio quæ 228.f
Sophistæ mos uagandi, cum in disputãdo perstringitur 232.f
Sophistæ cognomentũ ingratũ græcis
Sophistæ q uiguerũt tempore Platonis (228.m 12.p
Sophistæ diuini 139.p
Sophistarum laudes 108.m
Sophistarum uitia quæ 268.f
Sophistarum argutiæ quomodo dissoluendæ 251.p
Sophistarum confutatio 133.p
Sophistarum munus 12.p
Sophistarum auarum ingeniũ 250.m
Sophistarum improbus error 368.f
Sophistarũ mos in disputando 341.m
Sophistis quid non concedendũ 369.p
Sophistas deteriores esse ijs quos ipsi docere profitentur 23.f
Sophistas ad bonam frugem reuocari non posse 251.f
Sophistica Legalem imitatur scientiã 344.f
Sophistica ars præclariß. ibidem
Sophisticam artem quis gymnasticæ nomine appellauerit 230.m
Sophisticam artem antiquã esse quam aliarum artium specie dißimularũt præstantißimi uiri 230.m
Sophisticæ artis definitio 178.p
Sophisticarũ Captiunculariũ exempla multa 262.263.264 per totum
Sophos solus deus 174.f
Sophoclis perbellum responsum 531.f
Sophroniscus Socratis pater 40.f
σωφροσύνη 319.p
Sorte præsenti pro uiribus bene uti 360.p
Species quõ considerandæ 96.m
Spec. corporalis in materia qd 677.p
Species à parte quõ differat 202.m
Sponsi quõ conuiuere debeant 819.m
Speciei unius naturalis unã tantũ esse id eam 653.m
Speciem tunc ignoramus cum scientiæ ipsius minime participes simus 64.f
Specierũ altercatio ciuitati morb. grauißimus 222.p
Speciebus singulis qs præsideat 661.p
Spectacula dolores mixtos uoluptatib. gignunt 98.f
Spectacula quãdo exclamare cœperint 781.p
Speculum ad imagines suscipiendas quinque modis parari 794.m
Speculi natura 410.f
Speculationem in sapientia consistere 908.p
Specus Platonis 617.f
Specus similitudo declaratur 618.f
Sperchius flumen 559.f
Sperma unde descendat 733.m
Sperandum quid bonis uiris sit in infortunijs 798.m
Spes optima nutrix senectutis 532.m
Sphæræ mundi duodecim 395.p
Sphæræ mobilis proprius motus quis
Sphæræ maioris concaua (684.p superficies minoris sphæræ locus est naturalis 381.f
Sphærarũ cœlestiũ nouem animæ quæ σφίγγας non σφίγγας dicere debemus (168.m 320.m
Spiritus cur per oculos maxime emicat
Spir. dei ab Dionysio areopagita principatus appellari (410.f 8.f
Spiritus animæ currus 400.p
Spiritib. humanis qd cõueniat maxime
Statua Delphica 284.f (399.f
Statuis quibusdam ordine certo compositis dæmones ineludi 302.f
Statuarij aliquot celebres recensentur
Status tertius præter mœrentis & gaudentis affectum (170.m 91.m
Statum & motum sibi inuicem maxime aduersari 189.m
Stella quæ æqualiter fertur cũ sole quæ
Stellæ ubi semper fermè clare cernantur (911.m 917.p
Stellarum uires in nos quantæ 805.m
Stellarum mutatio in quibus uolutionibus contingit 206.p
Stephanus Thucydidis filius 24.f
Stereometria dimensionibus addit pondera 616.f
Sterilibus abstinendum 845.f
Sternutatio tollit singultum 422.f
Sternutamenti commodum quantũ cor pori afferat 424.p
Stesichorus cæcitatis causam noscẽs palinodiam cecinit 449.p
Stesichori sententia 649.m
Stesileus gladiator cur ridicul. 292.m
Stesimbrotus Thasius rhapsod. 169.p
Stramenta quis primus elaborauerit
Studium quoddam inarti ficiosum describitur (232.f 343.m
Studia hominiũ in trib. ponẽda 803.p
Studia quæ remorentur 628.p
Studia quæ hominem ad mentem reuocent 27.f
Stultorum infinita gens 243.m
Stupescit noua & pulchra Socra. 6.p
Stygius fluuius cuius sit coloris, & quò deueniat 518.p
Styx 489.f
Subdeclarationes quis primus inuenerit 459.f
Subintelligendum nihil esse in disputando 340.p
Sumptus nimius in ciuitate quantũ obsit legibus 934.p
Superorũ indignationẽ timẽdã 852.p
Superari præter uoluntatẽ est, superare uero ex uoluntate 300.f
Supellectilia quæ cõmuniter dicuntur, uno noïe appellari debent 176.m
Supellectilium mensura 814.m
Supplicatiões diuinæ probãtur 673.f
Supplicio ultimo qui afficiendi 857.p
Supplicem nemo impune lædit ibidem
Supplicibus cõdonandum esse 797.p
Supercilia quanta esse debeant 390.f
Supergredi caueã uallũq;, Prou. 319.f
Sus Crommyonia 208.m
Suis q nescit uti, nescit et alienis 301.p
Sursum & deorsum quid 720.m
Syderibus inesse sensum 869.p
Syllabarum genus notum esse 163.m
Syllabas definitionem & rationem habere 163.m
συμφορὰ unde dicta 330.f
συμφέρον quid sit 321.m
Syre dei nomẽ est et apud quos 303.p
Syracusanus apparatus dãnatur 565.f
Syriam aptißimam esse stellarum contemplationi 917.p

T

Tactũ terræ adscribendũ 387.m
τάλαντος 312.m
Talos cur æreus nominatus sit, et quod eius officiũ apd Minoẽ fuerit 52.m
Tales nos esse debere quales uideri uolumus 931.m
Talorũ iactum uocat humanam uitam 664.m
Talorum ludos quis inuexerit 463.p
Tanagræ pugna facta, p libertate Bœotiorum 525.p
Tangendi cupidinem amoris non esse partem 380.f
Tantali etymologia 313.m
Tardi ad percipiendum qui 159.f
Tardiores uenire post festum, Prouerbium 336.f
Tartarus impiorum carcer 370.f
Tartarus 489.f
Tartarũ quid Poetæ appellent 517.m
Taurei palæstra ex oppositio regij templi fuit 278.p
Tauro Venerem præesse 393.f
Telephus apud Aeschylum quid 515.f
Temenus Argorum rex 773.m
Temperans qui sit 583.m

Temperantia quid 578.f
Temperantia quo pacto sit utilis 287 per totum, & deinceps
Temperantia circa quid potißimũ uersetur 276.p
Temulentus etiam bis puer 755.m
Tẽperantia an sit scientia, & quod nã eius opus sit 283 per totũ & inde
Temperantia nihil difficilius uel definiri, uel comparari 277.f
Temperantiæ nihil cũ nimia uoluptate commercij 565.p
Temperãtiæ definitio 280. m 281.p
Temperantiæ fundamentum quod & uis qualis 225.f
Temperantiam cognosci nõ posse, nisi perfecte posideatur 277.f
Temperantiam uirtutum omnium saluberrima 276.p
Temperantiam homines quomodo assequantur 14.p
Temperantia ab omni uirtutis auxilio destituta an sit ueneranda 779.p
Temperantiã semper cum fortitudine miscet Plato 557.p 559.p
Temperantiã simul & diuitias in ciuitate honorare est impossibile 635.f
Temperatus qui dicendus 756.p
Temperatus solus dei amicus dicitur
Temperati uiri nõ esse prosequi aut fugere aliter q̃ decet (791.p 363.m
Tẽperato medicina superuacanea est
Temperatum quod est, & pulchrum esse debet (571.f 281.p
Temperatine an intemperati uita sit beatior 357.m
Tẽperatorũ uoluptates & dolores minores esse q̃ intemperatorũ 96.f
Temperatos non esse qui corporeæ uoluptatis gratia à uoluptatibus abstinent 276.m
Templum regium 278.p
Templi Neptuni latitudo, lõgitudo & altitudo 740.m
de Templo Iouis Lycæi in Arcadia fabula. 639.f
Temporis genitura 708.m
Temporis præsentis notæ quæ 68.m
Tempore quæ participant cum ipso ætatem agunt 68.m
Tempora ubi maximam habeant temperiem 557.p
Temporũ distinctionem in menses & annos esse ĩ ciuitate necessariã 833.p
Tentandi ars Socratica 110.m
Terminus est quicqd cõprehẽdit 70.p
Terpandri instrumentũ quod 688.p
Terpsichore Iouis uox cur dicatur 168.f
Terpsichore Hesiodum afflauit 168.f
Terra cur fœmina appellata sit 385.f
Terra ab igne quõ differat 682.p
Terra quõ & à quibus soluatur aut penetretur 719.m
Terræ pondus iners, Prouerb. 150.f
Terræ ficiẽ in duodecim diuidit plagas
Terræ superficiem nos neq̃quam habitare (489.f 516.p
Terræ cœliq; filij qui 710.p
Tertium Seruatori, Prouerb. 284.p
Terram sub cœlo quidam stabilem faciunt 511.p
Terram fertilißimam esse post aquarũ illuuiones 521.p
Terram non opus habere aere, &c.
Terrã puram in puro iacere cœlo (516.p 516.p
Terram antiquißimam esse deorũ qui intra cœlum sunt 709.f
Terram diei noctisq; effectricem esse uoluit deus ibidem
Terram quõ mulier imitatur 523.m
Terram non esse talem qualem multi scribunt 515.f
Terrigenarum fabula 570.p
Terrigenarum fabulam tangit 205.p
Terror an idem quod timor sit 248.f
Terribilia quæ arbitremur 299.p
Testamentorum leges 887.p
Testium falsorum lex 892.f
Tetrachordum quis inuenerit 687.f
Tetragrammaton nomen 302.f
Textor qd à uestiario differat 210.p
Textrinam quis hoĩes docuerit 303.f & 428.p
Thalia lunæ uox cur dicta 168.f
Thalia Vergilium afflauit 168.f
Thales Milesius 241.f
Thaletis casum q̃ facete ancilla carpse-
Thaletẽ diligẽtiorẽ in naturalibus quã in diuinis (rit 149.f 616.m
θαλλεῖν 320.p
Thamiræ opera 170.f
Thamus totius Aegypti rex 463.p
Thamyræ musa quæ 168.f
Theætetus adolescens 135.m. 136.p
Theæteti proles 143.m
Theages iustus & fortis in Repub. ciuis à Socrate factus est 416.p
Thebanis qs leges denegauerit 49.p
Thecæ Aegyptiæ 463.p
θῆλυ quid 320.p
Thearion pistor 368.m
Themis quid significet apud Platonem
Themistoclis consilio quæ Athenis facta sint (782.m 340.f
Themistocles Cleophanis pater uir bonus, & bonus uirtutis suæ præceptor fuit 24.m
Themistoclis pulchrũ respõsum 532.p
Themistoclem non tanquam tyrannic imperasse 11.p
Themistoclẽ qui damnauerint 367.f
Theodorus Samius statuarius 170.m
Theodorus quadam inter oratores adscribitur 45.m
Theognidis præcepta 25.m
θεοί quare dei uocati sint 313.p
Theologi summi qui fuerint inter philosophos 616.m
Theologi ueteres amoris nomen deo attribuerunt 375.p
Theologos antiquos sacra uelaminibus tegere consueuisse 383.f
Theon Smyrnæus Mathematicæ Platonicæ professor 630.p
Theophrasti de Platone dictũ pulchrũ θεόφιλος 311.f (678.f
Theos dei nomen apud græcos 303.p
Thesauri inuenti lex 883.p
Thessalia plurimum equestrem facultatem colebat 109.m
Thessalorum turba seruilis 818.p
Thessalos absq; ordine uixisse 486.p
Thessalici homines inter græcos quibus rebus illustres 141.m
Thessalicæ mulieres ueneficæ 366.p
Thesei fabula 490.f
Thesei erga Hippolytũ affectus qualis
Theseo quæ falso ab Homero adscribantur (775.m 559.f
Thesea Hippolyto maledixisse 890.p
Theuth apud Aegyptios qd inuenerit
Theuth auis dicata quæ ibis appellatur (84.f 463.p
Theuth nomen dei apud quos 303.p
Thetys deorum genitrix 315.p
Thetidis fabula damnatur 555.p
Tholus Athenis 476.p
Thomas Bencius 373.p
Thraces quomodo uino utũtur 752.p
Thraces quæ opera cũ mulieribus communia habeant 831.f
Thracum ingenium quale 580.m
Thrasymachus orator Socratis aduersarius 409.p
Thrasimachi mentio 459.f
Thrasylus 12.f
Thucydides filios diligẽter docuit 24.f
Thucydides Melißi filius apud Socratem uixit 12.p
Thyestis Atreiq; lis 204.f
Thyestis mors debita eius scelerib. 845.f
Thyphone multiplicior 443.p
Thyrsigeri multi, Bacchi uero pauci, Prouerbium 496.m
Tiberij oculi quales 410.f
Tibiarum inflandarũ qui optimi præceptores 51.m

Tibiarum ſono qui præſtans 231.p
Timarchum mortuũ eſſe quia Socrati obtemperare noluit 12.m
Timidi quomodo dignoſcendi ab audacibus 569.f
Timorẽ in ciuitate nutriendũ 842.f
Tolerantia prudens an fortitudo dicenda ſit 296.m
Tolerantia qualis eſſe debeat 289.m
Totum quod non eſt quãtum eſſe nullo modo poteſt 187.m
Totũ qd ſecũ afferat neceſſario 70.p
Totum & omne an idem 163.f
Totum an ſit una ſpecies ex partibus facta 163.f
Totius definitio 69.p
Toti definitio 66.m
Tractãtes aliquid cõmune quando ſibi inuicem ſatisfactũ putent 201.m
Tragœdia Athenarum antiquiſſimum inuentum 52.f
Tragœdia duplici utitur narratione 560.f 561.p
Tragœdiæ commendatio 52.f
Tragœdi unde multa deſumant de defunctorum manibus 882.p
Tragœdiæ qui ſtudioſi fuerint 292.p
Tragœdiã ſapiẽs eſſe artificiũ 640.f
Tragica de inferis dãnat Plato in Dialo.3 de Iuſto. per totum
Tragici an ĩ ciuitate admittẽdi 836.p
Tragicos carpit 661.f
Tria in re qualibet intelligẽda 874.f
Tributa publica quõ pendenda 902.p
Trinitatem qui rerum omnium principium eſſe uoluerint 376.p
Triſmegiſtus quibus leges tradiderit, & in quem earundem inuentionem retulerit 49.p
Triſmegiſti de ſtatuis ſentẽtia 467.p
Triſtia uoluptatibus non carere 97.f
Triſtia omnia, an mala ſint 245.m
Triſtitia nimia abſtinẽdũ eſſe 798.m
Trite quid 691.f
Triuium Platonicum 489.m
Troiæ potentia unde 774.m
Troianos ueræ ignaros Helenæ de imagine ipſius decertaſſe 649.m
Troianorũ uiri ſapiẽtiores q̃ mulieres
Turba pro hominib. ignorantibus accipitur (310.f 342.p
Turpis & pulchri mediũ qd' 430.m
Turpe dolore ac malo definiendum
Turpe quod nõ eſt, an ſit pulchrum (348.f 430.p
Turpiũ cõparatio quõ faciẽda 349.p
Turpiſſimũ quid in ciuitate 49.f
Turpitudo quid 180.p
Tutores orphanorum quomodo ſubſtituendi 813.f
Tutorum officium 887.m 888.f
Tymnichus Chalcidenſis quid egregie ſcripſerit 171.p
Tyrannus qui appellandus 218.p
Tyran. quãto triſtior uiuat rege 650.p
Tyrannus quem diligat 365.p
Tyranni nomen cui conueniat 7.f
Tyr. animus qualiter afficiatur 645.f
Tyrannum ex radice tutoria pullulare
Tyrannũ neminem ſe meliorem diligere (639.f 364.f
Tyrannum eſſe patricidam 641.m
Tyranno dicit eſſe ſimilẽ ebriũ 643.f
Tyrannum & iniquiſſimũ eſſe & miſerrimum 645.p
Tyrannũ à uera & propria uoluptate longe abeſſe 649.f
Tyrannos ſapientes eſſe ſapiẽtum conſuetudine 641.p
Tyrãnis Athenis quãdiu uiguerit ante Platonis tempora 3.p
Tyran. quæ ſtudia nõ cõducãt 421.p
Tyrannidis quis modus, & unde oriatur 638.m
Tyrannidem amicitia & amor ſæpe diſiparunt 421.m
Tyrannidem non eſſe optandam 10.f
Tyrannidem qui affectent 11.p
Tyrannicus animus feræ comparatur 641.f
Tyrtæi Poetæ carmina 748.p
Tyrtæus Poeta 855.m

V

Vacuitas animi & corporis quæ appelletur 648.f 649.p
Vænaliũ cura cẽſorib. pertinet 848.f
Valetudo proſpera oĩm rerum optima
Valetudo bona aut mala quomodo generetur (339.p 729.m
Valetudinis bonæ cõſeruãdæ lex 52.f
Validiores an ſint potentiores 354.f
Varia quæ ſunt certum ordinem non recipiunt 216.m
Vates non niſi furentes uaticinantur 449.f
Vatis officiũ quod nam 297.f. 382.p
Vaticiniũ appellari ciuilẽ ſcientiã. 8.f
Vaticinium furoris ſpecies ab Apolline
Vaticinij definitio 49.m (167.m
Vaticiniũ inter deos & homines amicitiæ opifex 424.p
Vaticinium dignius augurali ſcientia 449.f
Vaticinium quadruplex 488.f
Vectigal importandarũ & exportandarum rerũ nullum ſit 849.p
Veloces ad percipiendum qui 159.f
Velocior Borea thracio, Prou. 763.f
Velocitatis definitio 296.p
Velocitas quibus in rebus maxime cõmendetur 280.f
Velut apes relicto aculeo abis, Prouer.
Velut à machina tragica deus ſubito apparens, Prou. (507.m 300.m
Venarum origo ubi 723.f
Venatio quid 176.f
Venationis duæ ſpecies 176.f
Venatiõis terreſtris duæ partes 177.f
Venationem omnem uariam & ingenioſam eſſe 912.m
Venationis ſpecies & lex 838.f
Venatoris boni officium 297.p
Venatoria ars quædam hominum eſſe uidetur 261.p
Vendẽdi & emendi ſpecies duæ 178.f
Venditoris & emptoris leges 883.f
Venena quõ officiant humano generi
Venenũ quõ quidam bibere conſueuerint (890.f 519.f
Venenum bibituris non conferre loqui multum 493.f
Venus quomodo mortem ſuperare dicatur 392.p
Venus duplex 379.p 420.m
Veneris etymologia ſecũdum græcam dictionem 317.p
Veneris uerißimũ nomen quod 80.m
Veneris primæ lex quæ nam ſit 49.p
Veneris conuiuium 430.f
Venere immodeſta quomodo abſtinendum 844.f. 846.p
Venereorum intemperantiam animæ obeſſe 731.m
Venereos motus dulciſſimum quid & turpißimum eſſe 116.p
Venuſtatem mulierum eſſe 830.f
Verberãdi genus omne uiolẽtũ 864.p
Verbo actiones ſignificantur 194.f
Verborum nimium curioſos res bonas nunq̃ uel cõſequi, uel afferre 250.f
Verborum leuiũ grauißimam eſſe pœnam apud Nemeſim 791.m
Verborum curioſitas euitanda 201.f
Verborum ornamenta quãdo deceant, & quando non 298.p
Verbis communioribus uti ſæpe generoſi animi eſt, contrarium autem illiberalis 154.m
Verecundia cui nihil conducat 300.p
Vera ſemper & ubiq; uera ſunt 50.m
Vera qui loqui dicatur 650.f
Vera loqui de ea re quilibet poteſt quã optime callet 268.f
Verax quis dicendus 268.f
Veritas animi cibus 387.f
Veritas quõ mentibus diuinitus infundatur 529.f
Ver. pulchrũ et ſtabile qddã eſt 763.f
Veritatem raro perſuadere 763.m
Veritatis lumen in anima eſſe 404.p

Veritatis cognitionẽ solus dare potest deus 43.p
Veritatis inuentionem attribuendam esse legi 50.p
Veritatis imperiti nõ possunt recte de uoluptate aut dolore iudicare 648.f
Veritatis indagandæ instrumentũ præcipuum quod 441.f
Veritatis cognitionem nõ ex æquo intemperati, & temperati uiri assequuntur 43.p
Veritatis contemplatio, cuius ex tribus animæ uiribus actus sit 13.f
Veritati propinquior ne sit uoluptas, an mens 105.m
Veritatem cum dijs tum hominibus ducem esse bonorum 797.p
Veritatem ex redargutione falsitatis elucẽre 13.f
Veritate duce fugatur malorũ chorus
Vergilij locus Pythagoricis consentiens (605.p 376.p
Vergilius cholericus pudicus, & ad amores pronus 399.f
Vergilij loca quædã de supplicijs mortuorum 655.m 656.p
Vergilij musa quæ 168.f
Versutus an idẽ sit qd' mẽdax 270.m
Vestes quis primus confecerit 232.f
Vestes ubi mero profundantur 752.p
Vestium species unde 209.f
Vestam cur denominauerint homines
Vestium artifex quid ab textore differat (314.f 210.p
Vestigia alicuius rei inueniendi regula
Vicinis quõ & cur bellum inferendum (103.m 596.m
Victus facilitas apud antiq. cur 206.m
Victus omnis melodiæ & cantilenæ cõparatur 565.f
Victũ græci quõ sibi acquirãt 847.p
Victus diligentia morbos curãdos esse 732.f
Vigiliæ quomodo exercendæ 832.m
Vinci à seipso turpissimum 747.p
Victoria qua ciuitas seipsam superat, sit ne optima aut necessaria 748.p
Victoriæ rapinas obesse 595.f
Victorum bona cedere victoribus 747.p
Victoriam quæ pariant 756.p
Violare seipsum non licet 992.f
Violentia quid 178.f
Vinculum malorũ inter se & bonorũ erga malos nunquã stabile 223.p
Vinũ quãdo à Baccho inuentũ 767.p
Vinum remedium esse aduersus senectutis duritiam 764.f
Vinum cur hominibus datum 767.m
Vinum quando negandum 768.p
Vinũ semper esse ueridicum, Prouerb.
Vinũ calefacere animã simul cum corpore (437.f 719.p
Vini etymologia secundum græcam uocem 317.p
Vinosus an affectus uehementius concitet 754.f
Vino quomodo utendum 751.f
Vir bonus qui 275.m
Vir bonus deo similis 51.f
Vir bonus ut bonus uideatur uirtutem sectatur, & uitia fugit 150.f
Vir sanæ mentis quid magis contendere debeat 360.m
Vir à fœmina quid differat in rebus agendis 589.p
Viri boni in qua re sint præstãtes 37.f
Viri uxorem amãtis exemplũ 375.f
Viri boni cõditiões enumerãtur 81.m
Viro moder. oĩa nosse, præclarũ 85.m
Viro ciuili quid maxime necessarium
Virũ bonũ fieri uelle, difficile admodum (557.p 240.p
Virũ bo. manere difficile esse 240.p
Virum bonũ malũ fieri posse 242.m
Virile quid dicendum sit 830.m
Virgini Cererem præesse 393.f
Virginem pulchram, pulchrum esse docebat Hippias 111.p
Virtus uera quæ 150.f
Virtus uera cupiditates explet 361.f
Virtus unde nascatur 820.f
Virtus doceri an memoria reuocari possit 22.p
Virtus quandiu exercenda 566.f
Virtus ex mensura & commensuratione 105.f
Virtus sequenda non ea de causa, qua uulgus existimat 150.f
Virtus cuiusq; rei ordinata est 363.p
Virtus rerum ubi consistat 653.f
Virtus an unum sit 235.f
Virtus uniuersa qua consensione comprehendatur 757.m
Virtus unde hominib. adueniat 27.m
Virtutis definitio 14.m
Virt. absentia qd mali afferat 42.m
Virtutis præceptores nullos esse 23.p
Virtutis ingentia præmia 665.m
Virtutis unã tantũ esse speciem 584.f
Virtutis pars à uirtutis specie quomodo differat 221.p.m
Virtutes inter sese quomodo contrariæ uideantur 221.f
Virtuti omnia parent 521.m
Virtutem sanitatem esse 584.m
Virtutem liberalem esse 42.m
Virtutem uniuersam sub legum prouidentiam esse institutam 641.f
Virtut. doceri nõ posse 231.m. 250.f
Virtutem non esse prudentiam 26.f
Virtute omnia domari 734.p
Virtutes octo esse in cœlo 916.f
Virtutes à prudentia tanquã inferiora membra à capite duci 769.p
Virtutes quatuor ciuitatibus maxime conducentes 577.p & deinceps
Virtutes quanquã multæ ac uariæ specie tamen conueniunt 15.p
Virtutes uario modo habentur ab hominibus 14.p
Virtutes ubiq; proprias in propria natura fundari 683.p
Virtutes morales oẽs iustitiæ nomine à Platone comprehendi 4.f
Virtutum species quõ plures sint 13.f
Virtu. mortaliũ principia quæ 14.m
Virtutibus quatuor ad beatitudinẽ perducimur 385.m
Vis illata non semper mala aut damnanda 217.m
Vis nulla durior quàm quæ contemptu quodam infertur 865.f
Vim quibusdam à dijs immitti 419.f
Vim omnem in genere tractat 869.f
Vi uti nefas uel contra parentes, maxime uero omniũ cõtra patriã 485.p
Visionis species 145.f
Visus definitio 49.m
Visus nihil sine colore cernit 284.f
Visus in suprema corporis parte positus cui assimiletur 387.m
Visui comparatur anima & intellectus pulchre 613.p
Visum qs ob uituperationẽ amiserit, et palmodia recuperauerit 449.p
Visibile nunq̃ eodẽ modo esse 501.m
Vita nõ mala quibus occurrat 471.p
Vita tyranni tyrannidem nacti q̃ duræ sit, atq; misera 646.m
Vita ubi consistat & unde prorogetur iuxta medicos 735.p
Vita talorũ iactib. cõparatur 654.p
Vita hominũ Saturni tẽpore 206.m
Vita hæc quãti faciẽda uiro bo. 366.p
Vita omnis hominis numerosa quadã indiget consonantia 234.m
Vita honesta cur laudanda 798.m
Vitæ eligendæ præcepta quo ad uoluptatem & dolorem attinet 798.f
Vitas quatuor cum suis contrarijs tractat. 798.f & inde
Vita triplex à Socrate cõstituitur 95.f
Vitæ beatæ conditiones aliquot 199.f
Vitæ ratio certa maxime quærẽda est 360.m
Vitæ salus in quibus consistat 247.f
Vitæ spaciũ unicuiq; fatale esse 732.f
Vitam non esse magnificiendã 473.f
Vitam qui optime instituat 521.p

Vitam hanc mortẽ appellauerunt quidam 357
Vitam iniuſtam non ſolum turpem, ſed iniucundam quoq; & amaram eſſe 763.m
Vitæ quatuor ſecũdum quadruplicem mundi ſpiritũ numerantur 684.f
Vitarum triũ quæ nam optima 86.m
Viuere bene an cupiant omnes 256.p
Viuere non multi faciendum, ſed bene uiuere 483.m
Viuere bene, honeſte et iuſte idem eſſe
Viuere an aliquibus conducat nec ne (483.m 297.f
Vi. bene in quib. rebus cõſiſtat 251.p
Viuendi ratio quæ proſpera & deinceps 945
Viuendum inter homines non inter arbores 443.f
Viuentes an aliunde fiãt q̃ ex mortuis 497.p 500.f
Viuentes non eſſe laudandos 830.p
Vitium non ea de cauſa fugiẽdum, qua uulgus exiſtimat 150.f
Vitium unde naſcatur 820.f
Vitia in ciuitate quõ foueantur ſub tyrannide 644.m
Vitiorum maculæ duplices 336.m
Vitiorum uiam planam eſſe 791.f
Vitiorũ ignarus quando irridendus ſit
Vitri generatio 719.m (149.f
Vituperatio & laus à bono uiro quomodo tractanda 51.f
Vlciſci nũ liceat acceptã iniur. 483.f
Vltionem non eſſe iuſtitiam 796.m
Vlyſſes uerſutus et multiformis pingitur ab Homero 270.p
Vlyſſes ſemper inſidias tendẽs 273.m
Vlyſſes apud Iliũ loquens 457.m
Vmbram tuã metuis, Prouerb. 512.m
Vnguium uſus 726.f
Vnionem ciuitati utiliſſimã eſſe 592.f
Vnum immobile eſſe ſecundum quemlibet motum 67.p
Vnũ maxime diſcrepat ab eodẽ 67.m
Vnũ qd' eſt ab uno debet oriri 407.f
Vnum aliquid nihil ſecundum ſeipſum eſſe 153.m
Vnũ in nullo alio q̃ ĩ ſeipſo eſſe 66.m
Vnum ex multis effici in muſicis conſonantijs 689.f
Vnum omnium principium eſſe 60.f
Vnũ quid apud Plato. ſignificet. 61.p
Vnum quõ per detractionem & negationem ruditer dedolet 66.m
Vnũ uni contrariũ quõ probet 237.p
Vnum primum omniũ quæ numerum capiunt 74.p
Vnũ in triplici ordine reperiri 60.m
Vnũ et ens mutuis nexib. claudi 69.p
Vnũ participare multis nihil prohibet
Vnũ nihil eſſe p ſe 141.f (78.m
Vnum, eſt rerũ omniũ terminus, &c.
Vnum in ſupremo gradu collocatur (167.p 167.p
Vnum quõ multa eſſe poßit 70.p
Vnum quare nec iunius, nec ſenius ſeipſo fiat 68.m
Vnius eſſentia nõ idem eſt quod ipſum Vnum 68.f
Vnius dominatio in republica adminiſtranda omniũ optima 220.p
Vnius diſputationem difficilem admodum eſſe 83.p
Vni nõ poſſe duo cõtraria ineſſe 43.f
Vnitas quantum momentum rebus in omnibus habeat 381.f
Vnitates coniunctæ cur faciant binarium numerum 510.m
Vnitatem eſſe differentiam inter duo & tria 688.m
Vnitate partium ſuarum cuncta ſeruantur 381.f
Vnitatem partiũ quid efficiat 381.f
Vnitatem non eſſe corpus 617.p
Vniuerſum ĩ duo fuiſſe diuiſũ 697.m
Vniuerſum quibus terminis comprehenditur 894.f
Vocales uinciũt literas reliquas 190.f
Vocem in uerbã quis primus articulatim diſtinxerit 232.f
Vocem cur nobis dederint dij 713.p
Voces quatuor 556.m
Vocum conſonantia, & diſſonantia unde 728.p
Vocum proportio qualis 391.p
Voluntas ad quod bonũ pertineat 1.p
Voluntatis quæ animæ appetitiua uis eſt, actus quis 13.f
Voluntatem quæ nam uirtutes perficiant 14.p
Voluntate opus eſſe ad iuſtitiã 333.p
Voluptas maxime omnium temeraria
Voluptates Veneris ingentiſſimæ omniũ æſtimantur (105.m ibidem
Voluptas quid, & unde 721.p
Voluptas in inimicorũ malis unde proficiſcatur 98.f
Voluptas multis malis à quo immixta ſit 440.f
Voluptas animæ in ſeipſa 97.f
Voluptas humana quõ fiat 822.f
Voluptatis poſſeſſio neq; primũ neq; ſecundum bonum eſt 105.m
Voluptas præter naturam quæ 751.p
Voluptatis nullus fructus ſine reminiſcentia 91.m
Voluptatis mixtiões in corpore 97.p
Voluptatis genere quæ comprehendi poſſint docetur 91.p
Voluptatis initium doloris fini coniunctum eſſe 492.p
Volup. cõmoda & incõmoda 922.f
Voluptatis qualitates 93.m
Voluptatis & doloris mediũ 648.p
Voluptatis generationẽ ſemper eſſentiam uero nunquã exiſtere 100.p
Voluptatem non eſſe in deo 922.f
Voluptatem comprehendi ſub genere infinitorum 89.p
Voluptatem rem eſſe uanam 82.m
Voluptatem capere & gaudere quid differant 239.m
Volup. inter & dolorẽ mediũ 648.p
Voluptatem nullam præterquã prudẽtis ueram exiſtere 648.p
Voluptatem nullam eſſe amore potentiorem 427.f
Volup. non eſſe ſummũ bonum 85.f
Volu. magis & minus ſuſcipere 95.p
Voluptates quæ ſapientiæ propriæ & quæ alienæ 104.f
Voluptate quid nam præſtãtius 85.m
Voluptates ſeruiles quæ 456.p
Voluptates duas proponens exagitat an pulchræ ſint 116.f
Voluptates an uchemẽtiores ſint in ſano aut in ægro 96.m
Voluptates animæ tres 646.f
Voluptates in ſomnis quæ 642.f
Voluptates in triſtibus etiã eſſe 97.f
Volup. omnes noſſe utile ne ſit 104.m
Volup. cur tenebras optent 105.m
Volup. quæ neceſſariæ quæ nõ 637.p
Volup. cuius ſenſus ſint firmiores et humanæ naturæ cognatiores 399.f
Voluptates ueræ quæ 99.m
Voluptatis genus quod minime diuinum ibidem
Voluptates quomodo puniãtur 655.f
Voluptates ardentius ſectetur tẽperatus an intemperatus 97.m
Voluptates quomodo diſſimiles & inter ſe contrariæ 82.f
Volup. dolorũ effugia qs dixerit 96.p
Voluptates bonorũ quõ differãt à malorum uirorũ uoluptatibus 94.m
Voluptates cur per ſe non faciant hominem beatum 86.m
Voluptatibus primas partes quæ nam animantia tribuant 105.m
Voluptuoſi animi amor ferinus 398.f
Vouere quid 59.m
Voti definitio 42.f
Votũ quid à deo petere debeat 42.f
Votum quinq; requirit 674.f
Vrania Muſeum afflauit 168.f
Vrania Cœli ſtelliferi uox 168.f
Vrbs an muris cingenda ſit 819.f
Vrbis ſitum tractat 803.f

Vrbis structura qualis esse debeat 818.f
Vrbem nunquã expugnabit qui retro repellitur, Prouerb. 194.m
Vtens et res qua quis utitur quomodo differant 39.f
Vtiles qui 7.p
Vtilis definitio cum potentia communis 107.p
Vtile proponit Socrates ad inueniendum pulchrum 114.m
Vtilia & iusta non esse eadem 32.f
Vtilitatem cur multi pro pulchro accipiant 107.p
Vulcani etymologia 317.m
Vulcanus quam artem homines docuerit 393.f. 428.q
Vulcanum & Mineruam naturam habere communem 737.f
Vulgus quid docere posit 31.f
Vulgus uasto cõparatur bruto 601.p
Vulgus nõ posse philosophari 606.f
Vulgus non callere peritia musicorum concentuũ iudicandorũ 766.m
Vulgi opinionem contemnendam esse 480.f
Vultus humani longitudo quanta esse debeat 390.f
Vulua in fœmina quid 733.m
Vxor quo tempore ducenda 792.f
Vxoris quæ pro uiro mori uoluerit exemplum 375.f
Vxorem renuentis quæ mulcta
Vxores Regũ apud Lacedæmonios ab Ephoris seruantur 36.m
Vxores regiæ apud quos populos ditissimæ 37.p

X

Xanthias unius ex Thucydidis filijs præceptor 25.p
Xanthippe mulier 491.f
Xantippus Periclis filius 229.f
Xantippus Periclis filius qua in re à patre instructus fuerit 24.f
Xanthum dij nominant non Scamandrum 310.f
Xenonis familiaritate qui docti euaserint 35.m
Xenophontẽ à uulgari luxu ad sapientum traduxit sobrietatem Socrates 416.p

Y

Vsus apud græcos 326.p
ὕδωρ quid significet 318.m

Z

Nullus ferè usus apud antiquos græcos 322. per totum
Zamolxis quibus leges tradiderit & in quem earundem inuentionem retulerit 49.p
Zamolxidis incantationes 280.p
Ζημιῶσις quid 321.f
Zeno Eleates cuius discip. fuerit 60.m
Zeuxippus Heracleti filius 231.p
Zodiaci signis qui dij præsint 393.f
Zonæ nomine quæ prouincia appellata 37.p
Zopyrus Alcibiadis pædagogus 36.m
Zopyrus Physionomus 409.f
Zoroaster quibus leges tradiderit, & in quem retulerit earundem inuentionem 49.p
Zoroastri magica quãti fiat apud Persas 36.m
Zoroastri sapientia qua in re constiterit tota 303.p
Ζυγὸν quid 322.p

FINIS.

BASILEAE ANNO M. D. LI.


FRO BEN.


Inches
1 2 3 4 5 6 7 8
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres
Farbkarte #13
B.I.G.
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black


Grauskala #13
C
Y
M
B.I.G.
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19

Demosthenes, multa à platone discit et sebet
Cicero nō minus sub plat de à platone omnium philosophorum principe sibbt

Dialogos scripsere plato, Lucianus, Cicero, Tullius cum: post et
Ex recentioribus Erasmus, multique alij: Thomas Morus dialogos fabricij.
Ad imitationem Ciceronis et platō: dialogos edidere optime
Hutthenus et alius cum dialogos scripsere

Luciani dialogi sunt admodum festiui, faceti, amabiles, elegantes
et argutissi vel ingeniosissi:

Graeci historici prestantissimi, excellentes, eloquentes auctores philosophi atq oratores, et
sunt, plato ille Divinus omnium philosophorum facile princeps, post hunc principe
tum horum inter philosophos sibi vendicat Aristoteles: de oratory minore
optimo
sine, pro et merito primus censetur tribunus unoque omnes dicti, Demosthenis.
Deinde Thucydides, Xenophon, Polybius nobilissimi historiographi sunt, et quos
primas partes tenet, Thucydides, Herodotus, Xenophon, Diodorus polybius
sunt postea multi alij philosophi oratores, ac historiographi magni nomi
nis et eruditionis
nis, sed hi sunt summi atq omnium nobilissimi:

Platonis, Aristoteles,

Artes dicendi Grammatica, Dialectica, Rethorica
moralem naturalemq philosophiam
Latina Linguae, Historia, Poesis:

Artes et disciplina mathematicae Arithmetica, Geometria,
musica, Astronomia, Astrologia,
Cosmographia, Chronologia Geographia,

Platone in Italia traduzione del greco 3 tomi Milano
in Tübingen universität Bibliothek 1508.

Platons Leben und Schriften. Hrsg. von Karl Ast und erste Lexicon
zu Platon's Werken. Landshut 1816 für Studium gymnasialer
und Universitäts
vorlesungen. Bey Thomann. Nürnberg 1817. VIII 112 S.

